JOANNIS BRUNNEMANNI

JURISCONSULTI CELEBERRIMI

COMMENTARIUS

IN CODICEM

JUSTINIANEUM

Duobus Tomis divisus

JOANNIS BRUNNEMANNI
Jurisconsulti Celeberrimi
COMMENTARIUS
IN CODICEM
JUSTINIANEUM
QUO

SINGULAE LEGES ET AUTHENTICAE BREVITER ET SUCCINCTE EXPLICANTUR; QUAESTIONES IN ACADEMIIS, ET FORO FREQUENTATAE RESOLVUNTUR; AXIOMATA AB INTERPRETIBUS SUBINDE PROPOSITA EXAMINANTUR, ET ALIA EX IPSIS TEXTIBUS NOTABILIA ERUUNTUR; QUAEQUE ALIAS AD ANALYSIN PERTINENT PER COMPENDIUM QUASI DILUCIDE TRADUNTUR; INSERTO HINC INDE QUID DE JURE TAM COMUNI NOVISSIMO, QUAM ETC. ETC.

OPUS
THEORETICO-PRACTICUM

CUI PRAETER INDICEM RERUM ET VERBORUM LOCUPLETISSIMUM ACCESSIT EX EJUSDEM AUCTORIS COMMENTARIO AD PANDECTAS, NOTABILIUM, QUAE CIRCA LEGES AFFINES INIBI COMMENTATUS EST

CONTINUA ALLEGATIO

EDITIO NOVISSIMA

AB INNUMERIS MENDIS REPURGATA, NOVIS AC NECESSARIIS ADDITIONIBUS, UT ET SOMMARIIS DENUO LARGITER AUCTA

TOMUS PRIMUS

LAURETI

EX TYPIS FRATRUM ROSSI

SUMPTIBUS EDITORUM

1839

PRAEFATIO
AD LECTOREM

Ab aliquot annis, Benevole Lector, Commentarium meum in Codicem publici Juris feci. Ex eo tempore animus quidem mihi non fuit, augere eumdem aut locupletare. Cum vero doctis viris hunc meum qualemcumque laborem non displicuisse adverterem, multis tamen erratis typographicis eumdem scatere observarem, tantis quidem, ut ipse contextus non saltem turbaretur, sed et sensus genuinus haud raro inmutaretur, de aliqua quadam editione cogitandum mihi fuit, quo nauseam illam Lectori ex tot mendis subortam tandem tollerem. Hac de causa ad manus sumpsi iterum Commentarium, eumdemque ab erratis, quibus scatebat innumeris, purgavi. Cum vero hinc inde plura notatu digna adhuc deesse observarem, illa quoque superaddere, et ita Commentarium hunc multis in locis, non sine Lectoris commodo, ut spero, locupletatum praelo committere placuit. Insuper accessere ad hanc editionem Summaria, quo ita uno obtutu Benevolus Lector videre possit, quid sub unaquaque lege tractetur. Utere ergo hoc labore meo, B. L. feliciter, et bona intentione a me scripta interpretare. Vale.

PRAEFATIO PRIMAE EDITIONIS
AD LECTOREM

Cum Praefatione honoris Te, LECTOR BENEVOLE, prius compellare volui, facti mei rationem expositurus, nonnullaque moniturus. Explicavi ante circiter 16. annos *nonnullis Dnis Studiosis* Novem Libros Codicis Justinianei, *hac methodo, ut cujusque legis sensum, et rationem brevissimis exponerem. Et cum eumdem Codicem anno* 1646. *publice explicare juberer, addidi succinctam Explicationem Legum* in tribus libris posterioribus. *Et cum hic labor meus nonnullis placeret, famam accepit forte re majorem, ideoque ab Amicis per literas saepe monitus sum, ut foetum hunc augerem, atque Altero Tanto, praesertim Practicarum Quaestionum decisionibus, auctiorem ederem. Quod suscepi quidem agendum; sed temporis et valetudinis vicissitudines, imprimis aliorum negotiorum moles, ita me constrinxerunt, ut interdum etiam animum desponderim. Sed cum mihi otium ab aliis negotiis daretur, iterum animum resumpsi, et prioris propositi tenax tandem ita has Commentationes revidi, emendavi atque auxi, ut e re literaria fore putaverint Amici, si meos hos qualescumque labores publici juris facerem. Propositum autem meum fuit principale, quia leges Codicis interdum ob succinctam brevitatem, interdum ob verborum prolixitatem obscuriores sunt, quam ut earum sensus cuilibet statim occurrere posset, singulas ita illustrare, ut* argumentum, casus et decisio, nec non decisionis ratio *pateret. Et quia in Facultate Juridica jubemur* ad Praxin *deducere Juventutem, (nam Practicae Disciplinae non felicius unquam nisi cum Praxi cognoscuntur,) in singulis fere legibus, quem locum in foro quaelibet teneat, digito ostendi, et ad quid probandum a Doctoribus allegari soleat. Nec tamen id praeterire possum, quod alicubi quid ex sententia Doctorum ex textu* colligatur, *simpliciter exposuerim, nulla adhibita* ἐπίκρισι, *interdum vero quid de una et altera quaestione sentiam, alibi tradiderim, quod aequus rerum Arbiter in aequiorem interpretabitur partem, nec illico contradictionem statuet, si eamdem quaestionem dissimilibus verbis reperiat agitatam aut decisam. Caeterum in curia eorum, qui has Commentationes descripsere, et qui descripta Exemplaria reviderunt, et partim etiam Typographi festinatione factum, ut bene multa sphalmata irrepserint, adeo ut interdum sensus reddatur obscurior, interdum omnino vitiosus, ut quae affirmative legi debeant, legantur negative, et vice versa; Ideoque rogarem, ut LECTOR BENEVOLUS, si hunc meum qualemcumque libellum lectione non indignum judicaverit, syllabum sphalmatum insigniorum, quae majusculis literis notata, percurrere, et ea locis allegatis corrigere haud gravetur. Studio cavi, ne ullum immodestius verbum vel in eos, qui mecum in Religione unanimem non fovent sententiam, vel in eos, a quibus in una et altera quaestione dissensi, vel incogitanti in calamum incideret. Quod igitur ego in aliorum scriptis legendis facere soleo, eam ab aliis humanitatem expecto. Quilibet humanae fragilitatis memor sit, et quibus Legibus vivamus, aut certe vivere debeamus. Vale.*

CLARISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

D. N. AUCTORI

Quondam Praeceptori suo, omni honoris et amoris cultu aeternum prosequendo, Codicem à multis hactenus in salutem Rei judiciariae maxime desideratum feliciter edenti.

Suave Decus Patriæ, libros de Codicis usu
Volvere Doctorum, non integra sufficit aetas;
Ergo substituis mira brevitate Libellum,
Cujusvis tituli Leges, qua lege sequuntur;
Et qua conveniant, harum quis sensus et usus,
Ex multis aliis, Majorum lance probatis,
Monstrantem Cupidis, jungisque Theorica Praxi,
Ne steriles Leges, nec Practicus audiat exlex.
Te prodesse Scholae referunt Tua Scripta, rotanti
Te prodesse Foro, Processus uterque recenset,
Quem modo Tractatus alii comitantur, iisdem,
Accedit Codex quo te meruisse fatemur,
Ut de laude tua sub Divo Codice Codex,
Carmina continuet non interitura. Valeto.

Ita cum Voto omnimodae prosperitatis accinebat
IMMANUEL PLACOTOMUS
Comes Palatinus Caesareus

AD MAGNIFICUM NOBILISSIMUM

D. N. AUCTOREM

Jurisconsultum et Legum Antecessorem in Academia Viadrino-Brandeburgica famigeratissimum.

JURIS LUCERNAM *Bartolum* quondam sua
Vocavit aetas. Si quid e vero auguror,
Te, BRUNNEMANNE, grata Posteritas volet
FONTEM vocare Juris, idque Nominis
Non tam *Tui* ex valore, quam merito LIBRI,
Quo vasta Juris irrigas Pomoeria,
Opusque comples, inchoatum pluribus,
Non absolutum. Quos tamen si Gloria
Non indecoris fert in astra laudibus,
Quo *Te* metallo buccinabit PERPETIS
SCATEBRAM FLUENTI, *nullius voto imparem,*
Seu sensa Legis erui subtiliter
Poscat *Cathedra*, sive gravibus in *Foro*
Sternendus armis veniat Adversarius?
O FONS BEATE, JUGIS O SALVE MIHI
LOCUPLESQUE VENA! DEQUE INEXHAUSTO SINU
SUBINDE SITIENS DEMERERE SECULUM!

Gratulabundus et debitae observantiae ergo LIPSIA misit
(David Muller) J. U. D.

INDEX
TITULORUM CODICIS
Ordine Alphabetico digestus

Prior numerus Librum: posterior Titulum indicat

D

E

L

M

N

O

P

Q

T

V

I. N. D. N. J. C.

JOANNIS BRUNNEMANNI

JURISCONSULTI CELEBERRIMI

COMMENTARIUS

IN CODICEM

Ad Tit. de Novo Codice faciendo.

SUMMARIA

Codex Gregorianus, Hermogenianus, et Theodosianus. num. 1.
Codex Justinianeus. 2.
Ejusdem Compilatores. 3.
Methodus et Ordo. 4.
Ex prioritate scripturae probatur prioritas ordinis. 5.
An Constitutionum sine Die et Consule editarum vel ad certas personas rescriptarum par cum caeteris auctoritas? 6.
An Constitutiones ex Codice Theodosiano et Fragmenta Ulpiani recte allegentur? 7.
De usu ac utilitate Codicis Theodosiani, remissive. 8.

1 Erant ante Justinianum tres Codices, in quos varia Imperatorum Rescripta erant relata, ut I. Gregorianus, a Gregorio collectus, et complectebatur constitutiones Imperatorum ab Adriano usque ad Valerianum, et Gallienum. II. Hermogenianus, ab Hermogene JCto compositus, complectens Claudii, Aureliani, Probi, Cari, Carini, Diocletiani, et Maximiani constitutiones. III. Theodosianus dictus a Theodosio auctore, qui continebat constitutiones a Constantino, et sequentibus Imperatoribus Christianis editas usque ad ipsum Theodosium.

2 Ex his tribus Codicibus, ut et sequentium Imperatorum constitutionibus Justinianus compilari curavit primum suum Codicem, quem de suo nomine voluit nominari Justinianeum, in quo continebantur tam ipsius Justiniani tunc temporis novae, quam Antecessorum constitutiones.

3 In §. 1. Recensentur nomina JCtorum, quibus conficiendi Codicis labor impositus.

4 In §. 2. Continetur mandatum Justiniani, ut resecent compilatores 1. inutiles Legum praefationes. 2. similia, i. e. si quae leges ejusdem argumenti sint, et 3. contraria, nisi juris alia divisione adjuventur, i. e. nisi distinctione aliqua conciliari possint. Dat simul Imperator potestatem aliquid adjiciendi iis constitutionibus, vel aliquid, si opus, mutandi, declarandi. Praescribit etiam ordinem, quo leges Codici inserendae, sc. ut secundum rationem temporis, quo editae sint constitutiones, ordinentur, et disponantur; quod procul dubio eo fine factum, ut sciatur, quid de prioribus correctum, quid non.

Unde colligunt DD. ex prioritate scripturae 5
probari prioritatem ordinis, *Mascard. de Probat. conclus.* 1177. *num.* 36. *conf. Menoch. lib.* 6. *praef.* 4. nisi de contraria voluntate scribentis appareat, *Alex. cons.* 161. *n.* 3. *vol.* 7. *et Card. Tusch. Concl.* 196. et quos allegat *A. Barbos. locuplet. lib.* 13. *cap.* 30. *axiom. ult.* Demum iis 6
constitutionibus, quae sine Die et Consule editae, vel quae ad certas personas rescriptae, parem cum caeteris constitutionibus auctoritatem tribuit. Cui videtur obstare *leg.* 2. *C. de LL.* Sed respondetur post alios a *Salyc. hic. nu.* 7. quod *d. l.* 2. intelligenda de iis legibus, quae non in corpore Juris continentur, nec eo animo publicatae, ut generale jus faciant.

In §. 3. *et ult.* jubet, ut ex nullo alio Codice, nisi ex hoc Justinianeo allegentur constitutiones Imperatoriae in decidendis controversiis. Ergo 7
ex hoc colligitur male constitutiones ex Codice Theodosiano, male fragmenta Ulpiani allegari, nisi hoc fiat declarationis causa, si verba in nostro corpore extent dubia, vel ut sciamus, quid mutaverit Tribonianus; quo fine a nonnullis allegari solent. Alias Jurisprudentia satis 8
sua mole laborat. Videri tamen poterit de usu ac utilitate Codicis Theodosiani Anton. Marvillius *in praefatione praefixa Commentario Jacobi Godofredi in Codicem Theodosianum*, ubi prolixe utilitatem ejus extollit.

De Justin. Cod. confirman.

SUMMARIA

Cur cura Legum cum cura Armorum conjungenda? num. 1.
Compilatorum Codicis Justinianei instructio, et nomina. 2.

Duo requisita legum. 3.
Cur multae leges Mosaicae forenses nostrae Reip. non conveniant? 4.
Per novas leges quatenus aboleantur veteres? 5.
Leges abrogatae in corpore Juris adhuc extantes quatenus allegari possint? 6.
Legum sine Die et Consule editarum, vel ad certas personas rescriptarum auctoritas. 7.
Quibus constitutionibus extra Corpus Juris positis fidem derogarit Justinianus? 8.
Lex superveniens quatenus tollat privilegium, vel consuetudinem locorum specialem? 9.
An lex generalis tollat privilegia in ea materia aliquibus specialiter concessa? 10.
Quatenus dispositio generalis comprehendat personas privilegiatas? 11.
Clausulae, nullo obstante privilegio, effectus. 12.
Privilegia, quae in Contractum transeunt, non facile revocantur. 13.
An error in Indictione a Notario in instrumento commissus illud vitiet? 14.

1 *In pr.* monet, curam Legum cum cura Armorum esse conjungendam, alterum enim alterius auxilio semper eguisse, et tam militarem rem Legibus in tuto collocatam, quam ipsas Leges Armorum praesidio servatas esse.

2 *In* §. 1. Repetit instructionem Compilatoribus *tit. praeced.* §. 2. datam. In §. 2. recenset nomina eorum JCtorum, qui operam suam in con-
3 ficiendo Codice Justinianeo impenderunt. Et notanda sunt in fine §. 2. duo requisita Legum: 1. ut prosint rebus communibus i. e. ut cives omnes bene vivant, *Nov.* 77. *pr.* et ut illaesi serventur, *Nov.* 80. *p.* 2. 2. debent Leges Rei-
4 publicae convenire. Exinde duplex requisitum Legum colligitur: debent enim *primo* aequitati naturali congruere, et 2. Statui Reipublicae nostrae; hinc multae Leges Mosaicae forenses nostrae Reipublicae non conveniunt, *Zepper. de legib. Mosaic. lib.* 1. *cap.* 8.

In §. 3. Prohibet Imperator, ne Advocati in Judiciis sub poena criminis falsi alias allegent
5 constitutiones antiquas. Unde hic recte colligit *Castrensis num.* 4. per novas Leges non aboleri
6 veteres, nisi id expressum fuerit. Si tamen Leges abrogatae, in Corpore Juris adhuc contineantur, eae pro declaratione Juris allegari possunt, *c. auctoritate, de Conces. praeb. l.* 6. *Guttierrez. in auth. sacramenta puberum. num.* 75.
7 *C. si adversus vendit. Barbos. hic. num.* 5. Deinde eas Leges, quae sine Die et Consule editae sunt, sicut eas, quae ad certas personas sunt directae, parem cum aliis vult habere auctoritatem, non secus ac si cum Die et Consule editae, et generales ac Pragmaticae essent sanctiones, de quo dictum *in* §. 2. *tituli praeced.* Prohibet etiam, ne constitutiones forte mutatae aliter allegentur, aut legantur, quam in Codice Justinianeo habentur; dicit enim Imperator, se dedisse Compilatoribus mutandi et corrigendi, aut detrahendi facultatem.

8 §. 1. Explicat se Imperator, quibus constitutionibus extra Corpus Juris positis, fidem deroget, scilicet, quae in vim Juris communis antea publicatae erant, eas dicit se abolere; mentem vero suam non esse, quod derogare velit privilegiis specialibus a Principe concessis, modo non adversentur constitutionibus Justinianeis, i. e. ab eisdem reprobentur; Deinde dicit, se nolle abrogare statuta Judiciorum, quae de expensis Judiciorum, aliisque titulis ad publicum pertinentibus condita sunt. Collige ex textu *ut et l.* 3. *pr. infra de silentiariis lib.* 12. Legem 9
superveniéntem non tollere privilegium, nisi de eo faciat mentionem, nec tollere consuetudinem specialem locorum, nisi hoc exprimat lex. *Bald. in hac l. un. num.* 3. *Castrensis. num.* 5. Gene- 10
ralis enim lex nunquam videtur tollere privilegia in ea materia aliquibus specialiter concessa, etiamsi adversentur legi generali, licet lex feratur ob publicam utilitatem; ita *Matthes. sing.* 59. *P. Barb. in L.* 1. *p.* 1. *num.* 5. *ff. sol. matr.* nisi ex circumstantiis appareat, voluisse legem 11
omnes personas etiam privilegiatas complecti, nam tunc alia Doctorum regula est, quod generalis dispositio comprehendat etiam personas privilegiatas, *arg. l. in fraudem.* §. *fin. ff. de Test. milit. Menoch. cons.* 74. *num.* 21. *et cons.* 190. *num.* 11. *Fusar. de substit. c.* 393. *num.* 57. Sed 12
quando utitur clausula: nullo obstante privilegio, tunc videtur derogasse privilegio, scilicet quando privilegium illud concessit ex mera gratia nullo excepto. *Castrens. num.* 6. Nam privilegia, 13
quae in Contractum transeunt, et ultro citroque aliquo dato, data, non facile revocantur. *vid. Georg. Acac. Enenkel. Baro de privil. lib.* 3. *c.* 8.

§. *ult.* Praefecto Praetorio Mennae mandat Imperator, ut Codicem hunc Justinianeum in singulas provincias mittat, et instantibus feriis septimae indictionis legi curet; qua occasione quaerunt hic Interpretes, an si in indictione 14
error a Notario commissus in instrumento, error hic vitiet instrumentum: quod recte negant, licet omissio vitiet. *Bald. hic num.* 4. *Castrensis. num.* 9. *Conf. Covarr. l.* 1. *resol. c.* 12. *in fine. Petrus de Untzel. in pract. Notariat. vol.* 11. *Tractat. tract. princ. num.* 148.

De Emendatione Codicis.

SUMMARIA

Codex Justinianeus antiquatus. num. 1.
Codex repetitae praelectionis. 2.
Quinquaginta Decisionum Justiniani character. 3.
Authenticae quid? 4.
Irnerius Authenticarum auctor. 5.
Earum auctoritas. 6.
Unde dictae? 7.
Leges Codicis an derogent Digestis? 8.
An quinquaginta Decisiones cum legibus Pandectarum conciliari possint? 9.
Quinquaginta Decisiones quaenam? remissive. 10.
Quasnam leges Auctor hoc in Tractatu explicet. 11.
Graecae Constitutiones in foro nostro non sunt receptae. 12.
Jurisprudentia mole laborat sua. 13.

Codex, de quo in praecedentibus titulis dictum, 1
erat Codex Justinianeus vetus. Sed cum Imperator nonnullas novas constitutiones post editionem prioris Codicis edidisset, quibus veteris juris prolixitatem, subtilitatem, et interdum iniquitatem correxit, quae extra Codicem vagabantur, ideo Imperator, qui omnes suas animi curas rebus communibus avidissime impendebat, *in pr. h. t.* eas constitutiones in suos titulos redigi, et constitutiones veteres denuo recognosci,

et emendari curavit. Ideoque antiquato priori
Codice, quem in posterum allegari vetuit §. 5.
2 novum hunc Codicem edidit, quem *repetitae*
praelectionis vocavit, quo etiam hodie utimur.
Et in hac editione constitutiones plures, quae
in priori editione erant, limavit, detraxit, mutavit,
ampliavit, multas insuper inseruit, et addidit,
cum suas tum alienas, suas, inquam, decisiones
Juris controversi numero quinquaginta,
3 quae sunt subscriptae *Lampadio, et Oreste Consulibus, vel post eorum consulatum. Alciat. lib. 6. parerg. c.* 14. *Duar. ad inscript. pand. cap.* 3. *et hos allegans Hill. ad Don. l.* 1. *cap.* 12. *lit. K.*
quamvis haec nota possit esse communis etiam
constitutionibus novis, nam per has emendavit
Jus vetus, per decisiones decidit Jus controversum.
Cujac. in π *C. h. t.* Ideoque in hoc Codice
repetito non tantum continentur 50. illae
decisiones Juris controversi, sed et aliae complures
constitutiones novae, et reservavit sibi
Jus, ut posset deinceps post hanc posteriorem
Codicis sui editionem alias novas constitutiones
facere, si videretur e Republ. quod et sine reservatione
Jure summae potestatis licuisset, prout
postea ab anno Imperii sui undecimo usque ad
annum quadragesimum praestitit, et certas constitutiones,
ob varias causas emergentes, sententiasque
decisas conscribi mandavit, quarum
4 constitutionum argumenta nonnulla legibus hujus
editionis interdum sub nomine Authenticarum
subjecta sunt. Monendi autem sumus hic
obiter, *antiquum Glossatorem Irnerium* vel *Wer-*
5 *nerum* illa argumenta Novellarum legibus, quibus
per Novellam derogatur, vel additur, subjecisse,
sed non optima semper fide, ut vult
Rittershus. in Nov. in procemio c. 5. *n.* 3. et alii.
6 Quicquid sit, certum hoc est, quod Authenticae
illae (quas ita ratione originis et dignitatis Novellarum
putarim dictas, licet aliter *Gudelin. de jure Noviss. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 4.) fidem non
mereantur, nisi congruant cum textu Novellarum:
Ideoque ad fontem semper est recurrendum,
quoties de intellectu Authenticae dubium
occurrit, *Rittershus. d. lib. et p.* 7. *c.* 14. *circa finem.* Collige etiam *ex* §. 3. praecipue, et ex toto
titulo ac lege, Leges Codicis omnino derogare 8
Digestis, quae sententia communiter recepta est
ut verissima per verba Textus, *cum nemini venit in dubium etc.* item per §. 4. *ibi: non ex priore compositione, sed ex repetita praelectione etc.*
et ex §. 5. *ibi: sed quod in praesenti.* Et licet
viros nonnullos magnos reluctari sciam, sed tutior
tamen communis et olim receptior sententia;
imo dixerim, non esse absurdum dicere:
constitutiones Constantini, vel aliorum antiquorum
Imperatorum, qui ante Justinianum vixerunt,
derogare legibus Digestorum, v. gr. *l.* 28.
C. de Adult. contradicere videtur *l.* 2. *pr. et l.* 5. *ff. eod. tit.* Aliud exemplum *l.* 46. *et* 68. *C. de Decur. l.* 7. *et* 11. *C. de proximis sacr. scrin.*
Potuit enim facile fieri, ut Constantini, Theodosii,
vel alterius Imperatoris constitutio non
fuerit in usu, et cum Codex emendaretur, in
Codicem fuerit relata, et ita in usum revocata.
Potuit etiam a Compilatoribus emendari, et mutari,
ita ut longe aliter lecta fuerit ante nostri
Codicis editionem. Quod autem 50. illae Deci- 9
siones legibus Digestorum derogent, nullum
est dubium, et frustra harum cum illis conciliatio
tentatur, ut ait *Don. in L. ult. C. unde vi.*
Quae autem illae 50. Decisiones sint, de eo vi- 10
deatur *Cagnol. in l. fin. numer.* 5. *C. de Pactis.*
Monendus autem lector est, eas a me explicari so- 11
lum leges, quae ut Authenticae in foro, ac in judi-
ciis merentur allegari; Graecas enim constitutio- 12
nes, quia in Imperio nostro non receptae, et
vix ullam in Imperio nostro Romano Germanico
fidem merentur, nec in foro receptae, insuper
habemus cum *Gilken. ad l.* 2. *numer.* 1.
C. de sportulis. Cum praesertim Jus nostrum 13
alias legum mole et multitudine laboret, et omnes
boni novum Justinianum, qui leges spinosas et
inutiles amputet et resecet, exoptent.

IN NOMINE JESU

CODICIS JUSTINIANEI

LIBER PRIMUS

TITULUS PRIMUS.

De summa Trinitate, et fide Catholica, et ut nemo de ea publice contendere audeat.

Rubr.

SUMMARIA

Potissima juris publici pars est jus sacrum. num. 1.
Frustra carpitur Justinianus, quod de rebus Sacris et Ecclesiasticis leges tulerit. 2.
Auctoris Tractatus de jure, et regimine Ecclesiastico. 3.

1 Potissima Juris publici pars est Jus Sacrum:
Caesarei enim muneris est, ut non solum paci-
fice, sed et pie subditi vivant, ut ait *Theodo-
sius in epist. ad Cyrillum.* Vis enim summae
potestatis ambitu suo Sacra quoque includit.
Hug. Grot. in tr. de Imperio summarum pote-
2 *statum circa sacra, cap. 1.* Licet enim nonnul-
li Romano-Catholici, et inter eos *Baronius ad
annum Christi 558. et 565.* referente *Dn. Tha-
bore in tract. elegantissimo de Regimine Impe-
rantium Ecclesiastico, th. 4.* aliique Justinianum
carpant, quod de rebus Sacris et Ecclesiasticis
Leges tulerit; praxis tamen Regum Israelitico-
rum, Monarcharum Babyloniorum, Persico-
rum, Christianorum Imperatorum Justiniano
antiquiorum, et ipsae Sacrae Literae hanc curam
rerum sacrarum Majestati tribuunt, per tradita
Dn. Thaboris d. th. 1. et seqq. et Grotii d. l. qua
de re aliquando si DEUS velit, speciali tractatu
de jure et regimine Ecclesiastico aliquid dictu-
3 rus sum. *Auctor ad l. 1. §. 2. ff. de Just. et jur.
n. 5. seqq.* Ideoque de eo primum agit Impe-
rator.

L. Cunctos Populos. I.

SUMMARIA

Fides ab omnibus Imperio Romano subjectis amplectenda quaenam? num. 1.
Catholici quinam? 2.
Materia de statutis, quousque ea forenses obligent, minus recte h. l. tractatur. 3.
Universitas quatenus statuta condere possit? 4.
An statuta ligent subditos extra territorium delinquentes, vel contrahentes? 5.
An non subditos in territorio contrahentes? 6.
An quis alibi defunctus quam in loco domicilii suam haereditatem deferat juxta statuta loci, ubi commoratus, an vero juxta commune jus, quod viget in loco originis? 7.
Statuta Principum etc. in eorum territoriis juri communi derogant. 8.

Primo jubent Imperatores, ut omnes populi 1
Imperio Romano subjecti, amplectantur de Deo
et Sacro-Sancta Trinitate eam fidem, quam Pe-
trus Apostolus Romanae tradidit Ecclesiae, et
quam Pontifex Romanus Damasus, et Petrus Ale-
xandriae Episcopus tunc amplectebantur. Postea
in specie exprimitur, quae sit illa fides Aposto-
lica sc. ut Patris, et Filii, et Spiritus S. unam Dei-
tatem, sub pari majestate, et sub pia Trinitate
credamus. Et hanc fidem amplectentes Catho- 2
licorum nomine ab haereticis voluit discrimina-
ri, quibus haereticis etiam vindictam divinam,
et poenas seculares cum infamia comminatur.
Atque hanc veteris Romanae Ecclesiae confes-
sionem etiam nos, quos illi, qui a veteri fidei
Catholicae simplicitate in nonnullis capitibus de-
fecerunt, haereticos male vocant, amplectimur.
Posset hinc colligi, Petrum fuisse Romae, et do-
ctrinam Catholicam ibidem docuisse, et difficile
est, tot Scriptoribus fidem derogare. Sed utinam
Romana Ecclesia in Apostolica simplicitate man-
sisset! Atque hic Doctores solent tractare mate- 3
riam de statutis quousque ea forenses obligent,
sed, ut puto, loco alieniore. Alias certum est,
statuta a qualibet Universitate condi posse, sive 4
magna, sive parva, et quidem indistincte, si sta-
tuta concernant administrationem bonorum Uni-
versitatis, sed si concernant decisionem causa-
rum, non possunt condi statuta contra Jus pu-
blicum, nisi Superiore consentiente expresse,
vel tacite, sed praeter Jus commune statuere
omnino aliquid possunt, sine confirmatione Su-
perioris. Sed quaeritur: An statuta ligent subdi- 5
tos extra territorium delinquentes, vel contrahen-

tes; vel: an ligent non subditos in territorio contrahentes? Circa primum decidi solet, subditum extra territorium delinquentem statuto hujus territorii non obligari. *Covar. ad C. Alma Mater. p. 1. §. 10. num. 3. et Christin. vol. 2.*
6 *Decis. 2. num. 2.* Circa alteram quaestionem distingui solet, utrum statutum in rem sit conceptum, et de re subjecta statuenti disponat, an vero tantum de persona, ut illa quamvis forensem obligent, qui rem in hoc territorio possidet, non haec. *Vid. Coler. de process. execut. part. 1. cap. 3. num. 216. Arnold. Reiger. olim Vice-Cancell. Elect. Brand. in voce statutum. num. 86. Dn. Richter. dec. 3. Roland. a Valle Cons. 24. num. 18. vol. 3. et cons. 33. num. 40. vol. eod. Surd. cons. 257. Cravett. cons. 201. num. 15. et seqq. Klok. cons. 28. vol. 1. num. 434.* et praecipue *Decian. l. 2. pract. crim. c. 35.* et alii multi. Sed illa difficilis hic ab interpretibus
7 movetur quaestio: an quis alibi defunctus quam in loco domicilii suam haereditatem deferat juxta statuta loci, ubi commoratus, v. g. ut praefectus Castri; an vero juxta commune Jus, quod viget in loco originis? Et cum Castellanus officii ratione alicubi degens non videatur ibi domicilium constituere. *Zang. de Except. p. 1 cap. 1. num. 52. et seqq. Carpz. l. 2. Resp. 23.* ideo putaverim juxta Jus commune illi succedere proximos ratione originis, cum *Carpz. p. 1. Decis. 1.* licet hic DD. an locus mortis attendendus sit, an non, varie concertent. Conferatur etiam *Tiraq. de jure primog. cap. 46. et Alb. Brunus de statuto exclud. foemin. art. 8. num. 125. seqq.*
8 Caeterum Principes Imperii, nec non Comites ac Barones regalem dignitatem habentes in suis territoriis et provinciis per sua statuta juri communi derogare, et contraria statuta facere posse communiter videtur receptum. *Lud. Schrader. de Feud. part. 9. pr. sect. 10. num. 30.* ubi plures allegat. *Petr. Anton. de Petra de Jure quaesito non toll. c. 3. qu. 4. num. 74. et seqq. Georg. Acac. Enenkel. de privil. l. 1. c. 4. num. 10.* Conferri possunt in hanc legem repetitiones editae a *Signorolo de Homodeis. Jo. Bapt. de S. Severino et Petr. de Bella Pertica*, quae habetur *in vol. 7. repet. jur. civ.*

L. Nullus. 2.

SUMMARIA

An Congregationes haereticorum, seu Conventus ad celebranda sacra sua debeant permitti? n. 1.
Quinam sint Nicaenae Synodi assertores, et Catholici, de quibus h. l.? 2.
An Imperatores in processione Spiritus S. solius Patris mentionem facientes haeresin notent? 3.
Meretrix an ex vicinia expelli possit? 4.
Praxis purioris Ecclesiae Catholicae nil habet de haereticis ob solum errorem supplicio afficiendis. 5.

1 Haec lex quaestionem tractat: An congregationes haereticorum s. Conventus ad celebranda sacra sua debeant permitti? Et respondetur negative: additur *in pr.* ratio; Ne talibus congregationibus potius obstinentur in errore suo, et ut Nicaenae Synodo sua constet auctoritas. Ampliatur haec decisio, ut etiam tunc locum habeat, si Rescriptum ab haereticis per fraudem esset impetratum, *pr. hujus Legis*, quia si lex deroget Rescripto expresse, non potest Lex per Rescriptum tolli. *Gl. hic, et Castr. num. 3.* Ubi enim lex actum impetrandi prohibet, minime valet concessio, *Bart. in l. quisquis. C. de petit. bon. sublat. Georg. Acac. Enenkel. de Privil. lib. 1. c. 6. num. 19.* Sed quaeritur in §. 1. Quinam 2
sint Nicaenae Synodi assertores et Catholici, de quibus lex haec loquitur? Et resp. Eos esse Catholicos, qui Deum, et Filium Dei pariter confitentur, et Christum ceu Deum de Deo, Lumen de lumine; qui fatentur etiam Spiritum Sanctum a Patre procedere, et in veneranda ac Sacro-Sancta Trinitate ὁμουσίαν i. e. indivisam profitentur substantiam. Id quod ex Symbolis Nicaeno, atque Athanasiano per se liquet. Sed notatur hic *a Gl. et DD.* quod in processione Sacro-Sancti 3
Spiritus solius Patris mentionem faciant Imperatores, quibus verbis Graecorum errorem de processione Sacro-Sancti Spiritus incrustari suspicantur; Quamvis rectius dicat *Cujac. in π.* quia tunc in Ecclesia nulla fuit lis de Processione Spiritus S., haeresin nullam hic notari debere.

In §. 2. Redeunt Imperatores ad haereticos, eosque Catholicos, sed a sectae nomine nominandos esse monent, jubentque abstinere ab Ecclesiis Orthodoxorum, nec illicitas intra oppida congregationes agere debere, Ecclesias etiam Catholicae Ecclesiae ademptas restitui jubent. Imo si haeretici per factiones quid tentaverint, ex oppidis debent exterminari. Quae omnia tranquillitatem publicam, et ne Haereses latius serpant, constituta esse nemo non scit. Ex argumento 4
§. 2. autem colligunt: meretricem ex vicinia expelli posse, *Petr. Caball. resol. crim. tom. 1. casu 184. num. 1. Menoch. lib. 2. A. Q. casu 78. num. 11. et casu 328. num. 11.* et quos allegat *hic Barbos. num. 6.* Et ex hac lege discimus, aliis- 5
que, quantum discesserit Romanae Ecclesiae praxis, a praxi purioris Catholicae Ecclesiae: nam nec hic, nec alibi quicquam habetur de haereticis ob solum errorem supplicio afficiendis.

L. Nemo clericus. 4.

SUMMARIA

Poena in disputationem revocantium, aut retractantium ea, quae de fide Christiana semel recte judicata ac disposita sunt. num. 1.
An prohibitae per hanc legem disputationes Theologicae hodiernae? 2.

Marcianus, qui Chalcedonensem Synodum con- 1
vocaverat, vetat revocari in disputationem, aut retractari ea, quae de fide Christiana semel recte judicata ac disposita sunt, et in contemptores hujus Legis, et hujus criminis reos gravissimas constituit poenas pro diversitate personarum delinquentium, Clericis remotionem, militibus privationem cinguli, liberis hominibus aliis exilium, servis corporale supplicium. Rationes severitatis recenset ipse Imperator has, quia I. ex his disputationibus perfidiae, et tumultus occasio oritur. II. Injuria fit reverendissimo Concilio, et Patribus. III. Per hujusmodi certamina profanatur fides Christiana, et quasi deridenda propinatur Paganis, et Judaeis; et IV. Ita nullus esset

certaminum finis. Sed quid de disputationibus hodiernis Theologicis judicandum, an et hae hoc
2 loco prohibitae? Negatur. Nam hic disputationes eae prohibentur, quae ad Catholicam fidem subvertendam, aut tantum in dubium revocandam moventur, non quae pro stabilienda Christiana religione instituuntur. Praesertim prohibentur tum Clerici tum Laici publice turbis coadunatis, h. e. tumultuose disputare, *Dn. Thabor. d. tr. de Reg. Eccl. th.* 25. Otiosas etiam, spinosas, et ad pietatem nihil facientes quaestiones suscitare prohibentur Clerici et Laici, de quo *Ernest. Cothman. ad h. t. num.* 43. Interim non debent ea, quae semel ab Ecclesia universali approbata, temere in dubium revocari; multo minus omnia dogmata pro fundamento fidei venditanda. Merito autem nimia licentia disputationum Theologicarum, quae interdum scommatibus scatent, inutiles quaestiones fovent, pietatem et charitatem Christianam extinguunt, refraenanda est.

L. Inter alias. 7. aliis 8.

SUMMARIA

Rescriptum Joannis II. Pontif. ad Imp. Justin. cum inserta hujus ad Pontif. Epistola. num. 1.
Pontifex nomen suum Imperatori postponit. 2.
An rescriptum hoc, idemque praecedens Imp. Justiniani Epistola pro adulterinis habenda? 3.

1 Continet Rescriptum Joannis secundi Pontificis ad Justinianum Imperatorem. Nam Justinianus scripserat prior ad Pontificem, quae literae Rescripto Pontificis sunt insertae, in quibus literis Justinianus confessionem suam de persona Christi edit, et Symbolum Nicaenum approbat, et in specie duas naturas diversas contra Eutychen defendit ac statuit. Christum esse passibilem carne, impassibilem Deitate, et contra Nestorium defendit, non esse alium Filium Dei, et alium Filium Mariae, et ipsam sanctam ac gloriosam virginem Mariam proprie et vere Dei Matrem vocat contra Nestorium. Contra Arium etiam profitetur, Christum esse unum Sanctae et Consubstantialis Trinitatis, coadorandum, et conglorificandum Patri, et Spiritui S. Approbat etiam Imperator religiosissimus quatuor Oecumenica Concilia, et eorum decreta, quae etiam apud Evangelicos in magna sunt auctoritate, ut 1. Nicaenum, contra Arium a Constantino Magno. 2. Constantinopolitanum, contra Macedonium a Theodosio Seniore. 3. Ephesinum, contra Nestorium a Theodosio Juniore, et 4. demum Chalcedonense a Marciano contra Eutychen convocatum, et celebratum. In principio autem literarum Imperatoris habetur causa literarum, quod omnes orientales Ecclesias, Imperatori scil. subjectas, voluerit unire ac subjicere Ecclesiae Romanae, ceu capiti, i. e. primae ac dignissimae. Certum enim est, quod Romani Episcopi illis temporibus acriter doctrinam sanam de Christo contra praefatos haereticos defenderint. Et patet igitur, quod hac Ecclesiae Romanae sedi antea unitae non fuerint. De Africanis seu Transmarinis Ecclesiis hic nihil habetur, nam eas constat Pontifici Romano non fuisse subjectas, ut apparet ex Epistola Concilii Carthaginensis sexti, quam scripserunt ad Coelestinum Papam Romanum, in qua ipsum hortantur, et ut fratrem, ne imposterum judicium in transmarinas Ecclesias sibi sumat, aut appellationes ex Africa recipiat, quae Epistola habetur in *Tomo* 1. *Concil. in Actis Concilii Carthaginensis sexti, et in Hist. Magd. cent.* 5. *cap.* 9. *pag.* 870. Cui Concilio ipse etiam interfuit Augustinus. Ad has literas Imperatoris Joannes benigne respondet, et (quod miratur *hic Accurs.* et Pontificem id hodie non facturum putat) nomen suum Imperatori postponit, damnat 2
etiam praefatos haereticos, resipiscentes benigne in gratiam recipiendos esse monet. Has epistolas 3
Hotomannus adulterinas esse vult, quem refutat *Fachin. l.* 8. *c.* 1. Quicquid sit, satis pia sunt haec Rescripta. Et hanc ipsam fidem, quam profitetur Justinianus in hac lege, et Joannes Archi-Episcopus Sedis Romanae, ore et corde Nos etiam profitemur, in ea per Dei gratiam usque ad extremum vitae halitum perseveraturi.

TITULUS II.

De Sacrosanctis Ecclesiis, et de rebus et Privilegiis earum.

L. Habeat. 1.

SUMMARIA

Ecclesiae sua bona relinquere quatenus licitum. n. 1.
Libera cuique testandi voluntas. 2.
An testator sine omni solemnitate juris Civilis ad pias causas aliquid relinquere possit? 3.
Respublic. Veneta ad pias causas bona sua transferendi facultatem restrinxit. 4.

1 Ante Constantinum, cum adhuc Ethnici essent Imperatores, illicitum fuit aliquid relinquere Collegio alicui Catholicorum, verbi gratia, Monasterio, quasi Collegio improbato, *argument. leg. Collegium.* 8. *Codic. de haered. instit.* Vel; si licitum fuit aliquid Ecclesiae relinquere, non tamen omnia quis Ecclesiae relinquere potuit. Sed abrogato hoc Jure constituit Constantinus, ut Ecclesiae sua bona quilibet relinquere libere possit, addita ratione, quod nihil sit, quod hominibus magis debeatur, quam ut supremae, seu ultimae 2
voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, et libera testandi voluntas. *Klok. cons.* 42. *num.* 323. *vol.* 2. Sed hoc recte intelligunt ita, si persona sit habilis alias ad testandum, nam quae inhabilis est, per hanc legem non habilitatur. *Clar. in* §. *testamentum quest.* 5. *num.* 2. *et quaest.* 6. *num.* 2. *Tiraquell. de Retr. Consanguin.* §. 1. *gloss.* 7. *num.* 26., et quos hic

allegat *Barbos. num.* 9. licet in filiofamilias habente peculium adventitium pleno jure aliud statuat
3 *Cephal. leg.* 3. *cons.* 423. *num.* 21. Sed quaeritur: An juxta hanc Legem Testator sine omni solemnitate Juris civilis ad pias causas aliquid relinquere possit? Et hoc affirm. hic *Bart. num.* 5. *et seq. Castrens. num.* 7. propter verba (liber sit stylus). Sed verius est, jure civili omnino in testamento etiam ad pias causas requiri solemnitates non tantum Juris Gentium, sed etiam Juris Civilis, per *l. Generali.* 13. *infra h. t. l. Si quando* 35. *C. de inoff. Testam. Clar. in §. Testamentum quaest.* 6. *Petr. Gilken hic num.* 6. *Zoesius ad hunc tit. quaest.* 1. Sed jure Canonico in relictis ad pia loca omnino sola solemnitas Juris Gentium requiritur, per *cap. relatum X. de Testament. Tiraquell. de Privil. piae causae privil.* 1. *Zoes. dict. leg.* Quam dispositionem etiam in foro saeculari obtinere communiter placuit. *Gilken. hic num.* 7. *et Dn. Carpzov. part.* 3. *Jurispr. suae Con.* 4. *def.* 43. etiamsi sine omnibus Testibus per solam scripturam ad pias causas quid relictum sit, si haeres eam a Testatore scriptam esse fateatur. *Mantica de conject. ultim. volunt. leg.* 6. *titul.* 3. *num.* 9. 10. *et.* 14. Conf. repetitio hujus legis *Andr. de Bessetis vol.* 7. *repet. jur. civil.* Nonnunquam tamen hanc ad pias causas transferendi facultatem restrinxerunt Respublicae, ut de VENETA
4 constat, ne successu temporis pleraque bona publicis oneribus eximantur; sed hac prohibitione apud nostrates opus est.

L. Nemo. 2.

SUMMARIA

Duo hujus legis intellectus celebres. 1.
An corpora defunctorum in ipsa aede sacra sepeliri debeant? 2.
An Contractus in aede Sacra institui, judiciumve ibidem exerceri possit? 3.

1 Inter alios hujus Legis intellectus duo praeprimis sunt celebres. Quidam enim ita intelligunt, quod corpora defunctorum in coemeterio qui-
2 dem, seu atrio Ecclesiae, sed non in ipsa aede sacra sepeliri debeant. Quamvis id Jure Can. concessum videatur, *in. c. quibus.* 16. *etc. non aestimemus.* 19. *caus.* 13. *quaest.* 2. Sed ab interpretibus, quamvis prior sensus verbis sit convenientior, communiter alius traditur intellectus, sc. nullum
3 Contractum in aede sacra institui, nec ullum judicium ibidem exerceri posse, id quod ampliant, ut negotium de facto ibidem institutum, ipso jure sit nullum, quod in citatione exprimit *Valasc. decis.* 81. et in laudo *Vig. dec.* 102. quos laudat *Ioa. Al. Ricc. dec. coll.* 628. Principalis autem decisio limitanda, nisi 1. quis ad Ecclesiam confugerit, et alibi tuto versari non possit, *l. praesenti.* 5. *C. de his, qui ad Eccles. confug.* 2. Nisi actus sit voluntariae Jurisdictionis, ut manumissiones et emancipationes similesque, qui pietatem praeseferunt, per *l.* 1. *et* 2. *C. de his qui in Eccl. manumitt. Gilken. hic. num.* 6. *et* 5. Imo et Contractus ipso jure irritos non esse, qui in Ecclesia celebrantur, volunt Cc. per *c. decet.* 2. *de immunitate Eccles.* licet contrahentes peccent. *Vinus d. dec.* 102. *et comm. opin.* 166.

L. Nemo. 3.

SUMMARIA

Quid. h. l. per vocem, Martyres, intelligatur? n. 1.
Reliquiae Martyrum commercio hominum exemptae. 2.
Eas amovens sacrilegium committit. 3.
Vendens sine amotione punitur extra ordinem. 4.

Reliquiae Martyrum (quae hic per vocem Mar- 1
tyres intelliguntur, Don. l. 12. c. 20. l. C.) com- 2
mercio hominum, ut res sacrae, merito sunt exemptae per *l. inter stipulantem.* 83. §. *Sacram.* 5. *ff. de Verb. Oblig.* adeo, ut si quis eas vendat, non tantum nihil agat, sed etiam extra ordinem puniatur, licet non amoveat, nam ipsa amotio 3
esset sacrilegium, *l.* 9. §. 1. *ff. ad L. Jul. pecul.* Ipsa tamen venditio etiam sine amotione non de- 4
bet esse impunita, ut *Gl. hic in verbo* distrahat *tradit, et Fulgos. num.* 2. *et Gilken. num.* 2. Quia autem poena non est hic expressa, ideo est extraordinaria. vid. *Menoch. lib.* 2. *arb. qu. casu* 282. *Farin. qu.* 172. *num.* 6. *et seqq. Card. Mantic. de tac. et ambig. convent. l.* 4. *tit.* 5. *n.* 9. *et Barbos. hic.*

L. Non plures. 4.

SUMMARIA

Lex haec localis est, et tria dicit. num. 1.
In Ecclesia non debet esse major numerus quam patiantur facultates ejus. 2.
Supernumerarii non debent amoveri. 3.
Favore potentiorum supra numerum constituti non fruuntur privilegiis eorum, qui sunt intra numerum. 4.
An privilegia Clericis concessa, Ecclesiae sint concessa? 5.
Civibus relictum, Civitati relictum videtur. 6.

Lex haec localis est, et tria dicit: 1. In Eccles ia 1
Constantinopolitana non plures 950. Decanis i.te. Canonicis esse recipiendos. 2. Si plures sint hac enus constituti, quod nulli funerum curatores debeant eligi aut substitui, donec redeant ad istum numerum. 3. Quod illi, qui sunt supra numerum, non gaudeant privilegiis eorum, qui intra numerum sunt. Sed generaliter multa ex 2
hac lege eliciuntur, ut quod 1. in Ecclesia non debeat esse major numerus, quam patiantur facultates ejus, et Episcopus plures ordinans teneatur iis ex suis reditibus et patrimonio suo providere. *cap.* 2. 4. *et* 12. *X. de praebendis, etc.* Si sint su- 3
pernumerarii, non debeant amoveri, sed quod eorum mors expectanda, et loco eorum non debeant alii substitui. Et 3. Si qui favore potentio- 4
rum supra numerum constituti sint, quod illi non debeant privilegiis caeterorum, qui intra numerum sunt, frui, quod infra saepius recurret. Et 4. Quod privilegia Clericis concessa Ecclesiae 5
concessa videantur. *Gl. hic et Bart. Bald. Salyc. et Castr.* quamvis de hce dubitari possit. Nam li- 6
cet Civibus relictum, civitati relictum videatur per *l.* 2. *ff. de rebus dub. Hill. ad Don. l.* 8. *num.* 6. *lit. C.* aliud tamen videtur in Canonicis. vel Cle-

ricis. *Covar. in c. requisivisti, num.* 19. *X. de Testam. Hier. de Caevall. in spec. qu.* 278. *per cap. per exceptionem. de Privil. l.* 6. Nam cives universi repraesentant civitatem, sed non soli Canonici Ecclesiam, et aliud est de Ecclesia, aliud de Canonicis loqui, et sic aliud est de Ecclesia, aliud de Clericis loqui. Sed potest salvari opinio Doctorum, quod privilegia quidem solis Clericis competant, ast non intuitu personarum, sed intuitu officii, et sic etiam Ecclesiae.

L. Placet. 5.

SUMMARIA

A quibus muneribus Ecclesia debeat esse immunis? num. 1.
Tributa extraordinaria, indicta, et superindicta quid? 2.
Res transit cum suo onere. 3.
Contra Privilegia Ecclesiae delinquentium poena. 4.
An unum delictum duplici plectendum poena? 5.

1 Quaeritur: A quibus muneribus Ecclesia debeat esse immunis? et habita diligenti ac matura deliberatione, statuunt Imperatores, Ecclesiam debere esse liberam 1. a muneribus personalibus, et sordidis, v. g. angariis, parangariis, de quibus in *l.* 1. §. 2. *ff. de muner. et l. maximarum.* 13.
2 *C. de excusat. muner.* 2. Ecclesiam debere immunem esse ab extraordinariis tributis (i. e. quae non sunt indicta per constitutionem scriptam, sed per motum superioris) et a superindictis i. e. ab augmentis ordinariarum indictionum vel collationum. 3. Esse immunem Ecclesiam a poena non inferentium tributa, in verbis: *nulla translationum sollicitudine.* Qui enim tributa debebant, si suo tempore illa non inferrent, horum praedia publice vendebantur, *l. fin. C. de. Censib. et censit. lib.* 11. et ab hac poena liberat Ecclesiam Imperator. Ratio horum est, ut Ecclesiae ministris ab his oneribus liberis de subsidiis vitae liberalius provideretur, et ut tanto ferventius in rem divinam incumberent. Sed a tributis ordinariis sc. Canonicis Collationibus, quae sc. Ecclesiasticis praediis, antequam ea ad Ecclesiam devenerint, imposita erant, Ecclesia libera non est, *hic et c. si tributum.* 27. *C.* 11. *qu.* 1. *et c. tribu-*
3 *tum* 22. *caus.* 23. *qu.* 8. Ratio est, quia res transit cum suo onere, Vid. (*Rosenthal.*) *de feudis c.* 5. *concl.* 80. *num.* 3. *Gail. l.* 2. *observat.* 52. *num.* 12. *Florez. Diez. de. Mena.* 2. *qu.* 21. *num.* 95. *Thom. Sanchez. l.* 2. *cons. mor. c.* 4. *dub.* 57. *Guttierez. l.* 2. *pract. quaest.* 3. *Aug. Berous cons.* 110. *num.* 10. *volum.* 3. *Molin. de J. et J. tr.* 2. *d.* 672. *num.* 3. *Klock. de contrib. cap.* 19. *num.* 52. Neque immunitatem habet Ecclesia ab his, quae extra ordinem quidem, sed ob publicam, et repentinam necessitatem indicuntur, ut *hic. et lib.* 1. *C. h. t.* et sic Clerici urgente necessitate hospites recipient, nec ab angariis excipientur, nec a custodia murorum, in vero scil. casu necessitatis. c. 2. *X. de immun. Eccles. Gudelin. de Jur. novis. l.* 6. *c.* 13. et hunc citans *Christin. dec.* 9. *num.* 2. *vol.*
4 2. *Conf. Klock. cons.* 20. *num.* 50. *vol.* 1. In eos, qui contra privilegia Ecclesiae delinquunt, sancit Imperator poenam 1. sacrilegii, et 2. deporta-
5 tionis, ubi simul quaerunt Interpretes: An unum delictum duplici plectendum sit poena? Sed hoc in Jure nostro non infrequens est, praesertim si una poena delicto sit minor. vid. *Gilken. hic in fin.* Conferatur *Caevall. in specul. quaest.* 417. *et Carpz. pract. crim. qu.* 132. *Marta lib.* 2. *Dig. tit. de poena num.* 34. 35. *et* 48.

L. Omni 6.

SUMMARIA

Illyrici ad antiquorum Canonum observantiam revocantur. num. 1.
Ejus est interpretari legem, cujus est condere. 2.
An judex secularis ex Canonibus Ecclesiasticis possit judicare? 3.
Suspecta per hanc legem redditur l. 6. C. de SS. Trin. 4.

Gens Illyrica circa Canones Ecclesiasticos, vel 1
etiam circa ea, quae in regimine Ecclesiastico a Patriarcha Constantinopolitano constituta erant, (quamvis prius sit Textui convenientius) innovaverat quaedam, quam innovationem Imperatores prohibent, et ad antiquorum Canonum observantiam Illyricos revocant, et si quid dubii emerserit, non ipsi id decidant, sed causam ad Constantinopolitanum Patriarcham, cujus Ecclesia privilegiis Romanae Ecclesiae fruitur, referant
decidendam. Notetur ex hac Lege, ejus esse in- 2
terpretari legem cujus est condere. *Hippol. Riminald. cons.* 399. *num.* 81. *Casp. Klock. cons.* 3.
num. 48. *vol.* 1. Quod hic de interpretatione ca- 3
nonum sacrorum dicitur, exinde non inferendum, quasi judex secularis ex canonibus Ecclesiasticis clarum sensum habentibus non possit judicare, tradit *Io. Igneus in l. necessarior. §. non alias. ff. ad SCt. Silan. num.* 14. Obiter no- 4
tetur ex verbis: *quae veteris Romae praerogativa laetatur,* suspectam reddi *leg.* 6. C. *de SS. Trinit.* nam hic praerogativa sedi Constantinopolitanae tribuitur, quod veteris Romae praerogativa laetetur.

L. Ad instructiones 7.

SUMMARIA

An Ecclesia de suis praediis eas indictiones solvere teneatur, quae ad refectionem pontium vel itinerum indicuntur? n. 1.
An ad reparanda, vel noviter extruenda moenia, reparandosve puteos communes? 2.
Immunitas a Collectis alicui data intelligitur de currentibus eo tempore. 3.
Quaenam requirantur, ut Ecclesiastica praedia casibus concessis collectentur? 4.
An huic legi per Auth. item nulla communitas. *derogatum?* 5.

Quaestio est: An Ecclesia de suis praediis eas 1
indictiones solvere teneatur, quae ad refectionem pontium, vel itinerum indicuntur? Videtur quod non *ob L.* 5 *h. t.* qua eximebantur Ecclesiastica praedia omnibus oneribus sordidis. Sed deciditur, quod sic. Prima ratio est, quia hoc munus non est sordidum, imo nec personale onus, sed reale.

Secunda ratio est, quia Ecclesia utitur commodo itineris, et pontium, ergo etiam incommodum ferre debet. *arg. l.* 10. *ff. de Reg. Juris l.* 1. §. *fin.*
2 *de aqu. pluv. arc.* Eamdem decisionem ad reparanda moenia, vel noviter extruenda, nec non reparandos puteos communes, similesque necessitates extendunt *hic Doctores, Bald. numero* 3. *Salyc. nu.* 3. *Castr. num.* 2. *Gilken. num.* 9. *et seq. Vid. Guttierez. d. l.* 1. *quaest.* 3. *Guid. Papae. decis.* 78. *Tiraq. de Nobil. cap.* 20. *n.* 167. *Molin.*
3 *tr.* 2. *disp.* 672. *nu.* 4. *concl.* 1. Notetur etiam ex hac lege, immunitatem a collectis alicui datam intelligendam esse de collectis, eo tempore currentibus. *Castr. hic numero* 3. Ergo non comprehenduntur collectae ob novam causam indictae, et supervenientem necessitatem. *Gail. lib.* 2. *obs.* 52. *num.* 26. *Menoch. cons.* 1105. *num.* 36. quos aliosque citat *Klock. de Contrib. c.* 16. *Sect.* 1. *num.* 109. nisi scil. verba nimis expressa hanc restrictionem respuant. *Klock. d. l. num.* 111. *et seq.* Sed in his rebus attendenda consuetudo locorum. Ecclesiae nostrae vix pares sunt istis oneribus ferendis. Ut autem Ecclesiastica praedia collectentur in casibus concessis, duo praecipue requi-
4 runtur. 1. Ut utilitas principaliter clericos ac laicos concernat. 2. Ut non fiat collectatio per modum praecepti, sed per modum conventionis, ut Clerus sc., et populus conveniat, et desuper deliberent, aut Clerus a Superiore suo compellatur, *Franc. de Clapperiis caus.* 96. *quaest. un. per totam.* Caeterum nonnulli existimant, huic
5 legi ut et legi 3. *C. de quib. muner. nem. etc.* derogatum esse *per Auth. item nulla communitas C. de Episcop. et Cleric.* Sed male et sine ratione, imo contra rationem, ut ait *Dn. Mevius p.* 6. *decis.* 127. et plurimos DD. refert *Klock. de Contrib. c.* 12. *num.* 221.

L. Sacrosancta. 8.

SUMMARIA

Romani certum tributum indicebant hominibus ruri degentibus, vel bestiis? 1.
Capitatio quid? 2.
Privilegium Ecclesiae Thessalonicensis in puncto hujus tributi. 3.
Abusus hujus privilegii prohibitus. 4.
Privilegium non debet excedere personas privilegiatas. 5.
Non competunt ea privilegia bonis Clericorum patrimonialibus, quae Ecclesiasticis. 6.

1 Romani certum tributum indicebant vel hominibus ruri degentibus, v. g. pro mare pubere, ut
2 solveretur aureus, pro foemella dimidius; vel etiam bestiis, quod tributum vocabatur Capitatio.
3 Ab hoc onere Ecclesia Thessalonicensis erat exem-
4 pta per privilegium. Sed, ut fit, sub praetextu Ecclesiae, eo privilegio abutebantur etiam alii Clerici, vel Laici etiam, quod hic prohibet Imp.
5 Nam Ecclesia sub praetextu Ecclesiae alios a muneribus eximere non debet, et privilegium non debet excedere personas privilegiatas *l.* 68. *et*
6 196. *de R. J.* Et non competunt eadem privilegia bonis Clericorum Patrimonialibus, quae Ecclesiasticis. *Matth. Coler. de process. execut. p.* 1. *c.* 3. *n.* 193. *Menoch. cons.* 800. *num.* 47. *Klock. de contrib. c.* 12. *num.* 69.

L. Qui sub praetextu. 9.

SUMMARIA

Decani, et Canonici curandis funeribus praepositi habebant immunitatem a muneribus personalibus. num. 1.
Decani titulotenus quinam? 2.
An tales immunitate ista verorum Decanorum frui debeant? 3.
Titulus solus nemini privilegium tribuit. 4.
Studiosi non frequentantes lectiones Professorum se reddunt indignos privilegiis studiosorum. 5.
An Clericus non serviens indignus sit privilegiis Clericorum? 6.
Nobilitatus exercens mercaturam nobilitatem iterum amittit. 7.
Studiosus Advocati, vel Procuratoris amanuensem agens non amittit Studiosorum privilegia. 8.

Decani, ac Canonici, qui curandis funeribus 1
praepositi esse dicuntur, habebant immunitatem a muneribus personalibus, v. g. argentariorum, et
aliis. Ut ergo multi hac immunitate fruerentur, 2
curabant se referri in album Decanorum, seu Collegiatorum, non ut eo munere laboribusque Decanorum fungerentur, erant enim tantum Decani tituloteuus, sed tantum ut immunitate fruerentur. Quaeritur: An tales etiam immunitate 3
ista frui debeant? videtur quod sic; cum reverentia Ecclesiae hoc postulet, ut qui Clerici semel facti, vel Ecclesiae adscripti, non compellantur ad munera civilia. Sed Impp. id negant, addita ratione: quod pariter iniquum sit, et Reipublicae perniciosum, si quis a publicis, et civilibus muneribus praetextu alterius muneris, quod tamen non administrat, se velit abstrahere. Titulus
certe solus nemini privilegium tribuit. Imo ta- 4
lem Decanum titularem volunt esse degradandum, et alium in ejus locum surrogandum, qui muneris istius labores expedire possit, ita tamen, ut in surrogando ejus Abbatis, vel Primatis, seu Praepositi requiratur consensus. Collige ex h. l.
cum DD. hic communiter: Quod Studiosi non 5
frequentantes lectiones Professorum sese reddant indignos privilegiis Studiosorum *pr. h. l. et L. in honoribus* 8. *ff. de vacat. mun.* quod latius hic explicat *Gilken num.* 16. *et Christin. v.* 2. *dec.* 10.
Idem dicendum de Clerico non serviente, quod 6
tamen per distinct. utrum sit privilegium, quod datur ordini ob reverentiam, an vero singulis ob laborem, explicat *Salyc. hic num.* 4. *Conf. P. Barbos. in l.* 1. *ff. solut. matrim. part.* 7. *num.* 62. *Masc. de probat. concl.* 1296. *num.* 10 *Aug. Bar-*
bos. hic num. 4. Ex eodem hoc textu inferunt, 7
eum qui impetravit beneficium nobilitatis si exerceat mercaturam, nobilitatem amittere, tamquam cum mercatura incompatibilem. *l. milites. C. de Re milit. Christin. vol.* 2. *decis.* 10. ubi notat
num. 4. Studiosum, si Advocati vel Procuratoris 8
amanuensem agat, non amittere Studiosorum privilegia.

L. Jubemus. 10.

SUMMARIA

Navis Ecclesiae rescripto Principis munita quatenus ab onere ferendae embolae sit libera? num. 1.

Embola quid? 2.
Necessitas, atque utilitas Reip. commodo, et privilegio praeponderant. 3.
Quomodo delictum Praelati Ecclesiae praejudicare possit? 4.
Quomodo Contractus ejusdem? 5.
An violenta invasio rei alicujus facta a Praelato praejudicet Ecclesiae quoad amittendam proprietatem? 6.
Praelatus quatenus confitendo quid in praejudicium Ecclesiae eidem noceat? 7.
Rescripta contra publicam utilitatem elicita ipso jure sunt nulla. 8.

1 Sententia legis hujus est: quod Navis Ecclesiae, etiamsi Rescripto Principis munita sit, si tamen bis mille modiorum capax sit, non possit se subtrahere ab onere ferendae embolae, i. e. transvectionis annonae ex provinciis, sub poena pu-
2 blicationis navis. Cujus ratio in eo consistit, quod necessitas, atque utilitas Reipubl. commodo et
3 privilegio praeponderent; quam regulam communiter tradunt DD. quamque sententiam hic pluribus tuetur *Gilken. num.* 4. *et seq.* et de privilegiis a privatis impetratis contra utilitatem publicam hanc legem intelligit *Klock. de Collect. c.* 16. *sect.* 2. *num.* 117. Sed quaeritur: Quomodo hic delictum Praelati Ecclesiae praejudicare possit? Et quamvis varii varie distinguant, ipseque *Gilken.* hic moderationem adhibeat, placet ta-
4 men distinctio *Pauli Castrensis hic num.* 7. Et certum est Praelatum (ut et Tutorem, et Procuratorem) contrahendo Ecclesiae praejudicare non posse, nisi observet formam contractus debitam,
5 *l. jubemus infra. h. t.* Deinde potest Ecclesiae praejudicare in non acquirendo, et negligendo, *arg. l. fin. C. de acquir. possess.* v. g. non petendo bona Ecclesiae, adeo ut praescribantur: nam Praelatus cum Capitulo potest sua negligentia nocere Ecclesiae. *Alciat. resp.* 12. *num.* 8. *Menoch. cons.* 653. *num.* 16. Quod ad delicta autem attinet, distinguendum: Utrum poena, quae certo crimini constituta est, cadat in Praelatum, an non; Si cadat, Praelatus ipse puniendus, non Ecclesia; Si non cadat, ut hîc praejudicat Ecclesiae. Nam subtractae navis poena erat confiscatio navis ob summam annonae, et transvectionis necessitatem, qua in re totius populi, vel exercitus, imo Imperii salus vertebatur. Haec poena non cadebat in Praelatum, quia Praelati propria navis non est, ergo Ecclesiae praejudicat Praelatus, sed ita tamen, ut Ecclesiae damnum resarcire teneatur. *Conf. Afflict. in cap.* 1. §. *et iterum de capit. Coradi. num.* 1. *Cacheran. decis.* 138. *num.*
6 27. *Barbos. hic remiss. num.* 9. Et ideo quaeritur: an violenta invasio rei alicujus facta a Praelato praejudicet Ecclesiae quoad amittendam proprietatem? Et negative hanc definit *Menoch. rem.* 9. *recup. poss. num.* 101. ita tamen, ut Ecclesia restituere rem teneatur, *arg. c.* 2. *X. de ord. cogn.* licet non amittat proprietatem, et Ecclesia ad vitam Praelati carere debeat utilitate dictae rei. *Menoch. d. remed.* 9. *num.* 113. *et* 120. *et cons.*
7 39. *num.* 55. Sic verius est, Praelatum in iis casibus, in quibus est legitimus administrator Ecclesiae, et quidem in judicio nocere posse Ecclesiae, si aliquid confiteatur in praejudicium Ecclesiae, *tradit Masc. de probat. concl.* 367. *num.* 3. *et* 22. *Rom. cons.* 389. *Klock. cons.* 10. *num.* 96. *vol.* Notetur etiam ex textu regula: quod rescripta contra publicam utilitatem elicita, ipso jure sint nulla, quae saepius in Codice recurrit.

L. Neminem. 11.

SUMMARIA

Regulae in l. 5. *h. t. exceptio. num.* 1.
Utilitas publica favori Ecclesiae praejudicat. 2.

Dictum est *in L. placet.* 5. *h. t.* Ecclesiam a 1
muneribus personalibus sordidis exemptam esse, ita ut ea de fundis suis munera ea, v. g. angarias, et parangarias, solvere non teneatur. Ejus regulae exceptio hic habetur: Nisi Imperator iis servitiis ad propriam expeditionem opus habeat; Tunc enim cessare debet omne privilegium praediorum Ecclesiasticorum. Ratio est in publica utilitate, et quia tales expeditiones Majestatis Caesareae etiam in Ecclesiae utilitatem redundant. *L.* 10. *ff. de Reg. Jur.* Et recte *Gilken. hic n.* 6. etiam decisionem hanc ad custodes corporis Caesaris extendit. Et sic utilitas publica favori Ecclesiae praejudicat. Et sic Ecclesia immunis non est ab his, 2
quae respiciunt publicam utilitatem, et ita conferre debet pro excubiis Civitatis. *And. Isernias, in c.* 1. §. *illicitas. de pace juram. firm. Luc. de Penn. in L. ult. C. de Exact. Tribut.* Sic Ecclesia ligatur iis statutis, quae saluti publicae provident pro aeris salubritate. *Ripa de peste, de remed. ad conserv. ubert. num.* 234. *et Men. cons.* 800. *num.* 18. Et obligatur Ecclesia Edicto Principis, quod non plus certo pretio detur pro annona. *Vincent. Franch. dec.* 9. *num.* 3. *et Men. d. l. num.* 27.

L. Privilegia. 12.

SUMMARIA

Ecclesiae incommodis ex bellis Gothicis, Vandalicis, Hunnicis, et aliis obviam eunt Impp. num 1.
Principis est egenis prospicere. 2.
Ambitio petitioni interveniens robur, et firmitatem privilegiis derogat. 3.
Leges in casu repugnantiae quatenus Canonibus cedant. 4.
Generalis confirmatio privilegiorum an, et quatenus ad revocata referenda? 5.
An dispositiones in favorem pauperum, et Ecclesiae factae possint revocari? 6.
Privilegium in non subditum collatum non potest revocari. 7.
Quatenus sequendum jus Canonicum? 8.
Quaestio jure civili dubia an ex jure Canonico decidenda? 9.
Æquitas juris Canonici. 10.
Incertitudo quantitatis an vitiet legatum ad pias causas? 11.

Ex bellis Gothicis, Vandalicis, Hunnicis, et aliis, 1
Ecclesia etiam sua senserat incommoda. Nam 1. Ecclesiae privilegia occasione belli admodum erant imminuta. 2. Civitates, et Magistratus contra praerogativam Ecclesiae, et privilegia Ecclesiastica, pragmaticas sanctiones occasione belli, impor-

tunitate, donis, gratia, aliaque ratione eliciuerant, et demum salaria, et pia legata subtrahebantur, et obtentu belli, ut fit, non exsolvebantur; illis incommodis obviam eunt Impp. hac *L. in pr.* Omnia Ecclesiae privilegia denuo confirmant *in* §. 1. omnes pragmaticas sanctiones, aut constitutiones Principum Canonibus Ecclesiasti-
2 cis oppositas abrogant, et *in* §. 2. salaria Ecclesiis inconcussa conservanda esse disponunt, cum
3 Principis sit, egenis prospicere. Ex §. 1. colligunt ambitionem petitioni intervenientem, robur, et firmitatem privilegiis derogare, *hic et L. 7. C. de Palat. Sacr. largit. et L. Ambitiosa. 4. ff. de decret. ab ord. fac. Georg. Acac. Enenk.*
4 *Baro de Priv. l. 1. c. 6. num. 22.* Ex §. 2. colligunt hic DD. quod si inter leges, et Canones sit repugnantia, quod tunc leges Canonibus cedant; quod in rebus Ecclesiasticis verum est, et si Ca-
5 nones cum Jure divino congruant. Colligit etiam ex *pr. et* §. 1. *Bald. et Salyc. num.* 1. generalem confirmationem privilegiorum non referendam ad ea, quae erant revocata, nisi specialiter dicat
6 contrarium. Et ex hac lege infert *Tiraq. Privil. piae causae* 159. dispositiones in favorem pauperum, et Ecclesiae factas, ne quidem per ipsos
7 statuentes revocari posse, quia privilegium in non subditum (hic Ecclesiam) collatum revocari
8 non potest. Et ubi agitur de peccato vitando, vel ubi ex Juris civilis rigore manifesta resultaret iniquitas, sequendum esse jus Canonicum, *Gilken. hic num. 11. Prukman. vol. 1. cons. 20. num. 38. et vol. 2. cons. 3. num. 111. Rebuff. ad Constit. Reg. proem. gl. 5. num. 120. Gail. l. 2. observat.*
9 18. n. 10. *Christin. tom. 2. decis. 54. num. 1.* Sicut etiam quaestio dubia Jure civili, quae in Jure Canonico decisa, ex hoc decidenda etiam in politicis, quia praesupponitur aequitas Juris Can. *Gilken. hic Gail. l. 2. Obs. 121. num. 5. Myns. c. 1. obs. 41. Blanc. de Compromiss. q. 2. num. 47. Carpz. lib. 3. Resp.* 106. *num.* 2. et hoc in casu contrario
10 etiam verum. *Christin. d. decis. num.* 3. Colligunt etiam post Gl. hic DD. quod incertitudo quantitatis non vitiet legatum ad pias causas, quod non invitus concedo, cum etiam annuum legatum non vitietur per *l. 14. ff. de Ann. leg. Surd. de alim.*
11 *l. 8. privil. 17. num.* 2. Sed nulla hic videtur incertitudo, dum ad consuetudinem fit relatio.

Auth. Cassa.

SUMMARIA

Fridericus II. in gratiam Honorii III. constitutionem tulit. num. 1.
Tenor hujus Authenticae. 2.
Cassum et irritum hic sunt synonyma. 3.
Quae sunt statuta cum libertate Ecclesiae pugnantia? 4.
Authenticae huic derogatum saepius 5.
Ecclesiae privilegia, et libertas Ecclesiastica apud Evangelicos valde sunt concisa. 6.

1 Fridericus II. cum ab Honorio III. coronaretur, in gratiam ejus constitutionem tulit, quae habetur post usus feudi, cujus particula hic subjecta est, et continet tres partes, 1. irritae declarantur omnes constitutiones, consuetudines, aut statuta contra libertatem Ecclesiae, et clericorum intro-
2 ducta. Ubi notetur vocabulum *cassandi,* vel *cassum esse denunciamus*, vel *irritum esse declaramus*, hic synonyma dici posse. Nam licet verbum 3
cassandi praesupponat habitum, seu actum validum per *L. 5. ff. de injust. et irrit. Testam. Vant. de nullit. tit. quot et quibus modis nullitas proponi possit. n. 47. Menoch. cons. 522. num. 133. et seq.* Interdum tamen ad actum nullum refertur improprie, et tunc *cassari* dicitur, quod de facto processit. *Decius ad hanc Auth. n.* 7. 2. Prohibetur, ne in posterum talia fiant. 3. Auctores mulctantur, nam jurisdictione sunt privandi, locus debet anno Imperiali subjectus esse, judices eastatuta non irrita pronunciantes sunt infames. Quod si autem per annum in ista contumacia perseverarint, bona eorum ab omnibus possunt occupari et jure Can. ab Honorio III. poena excommunicationis additur in *c. noverit. 49. X.* 4
de sent. excommun. Sed quae sunt statuta cum libertate Ecclesiae pugnantia? Resp. communiter DD. quod ea statuta pugnent cum libertate Ecclesiae, quae tollunt privilegia ab ipso Imperatore, et Pontifice Clericis data, sive Jure communi, sive singulari. Quae vero ex privilegio inferioris data sunt privilegia, vel quae privilegia sunt dubia, contra ea si statutum condatur, non impugnatur libertas Ecclesiae, *Castrens. num. 4. Salyc. num. 3. et alii.* Putarem etiam statuta contra particularia privilegia imperatoria facta non esse hic intelligenda. *P. Barbos. in l. alia. §. eleganter. ff. solut. matr. n.* 22. Sed huic authen- 5
ticae saepius derogatum. Valde concisa sunt Ec- 6
clesiae privilegia, et libertas Ecclesiastica apud Evangelicos.

L. Generaliter. 13.

SUMMARIA

Virgines Deo dicatae an liberam habeant testamenti factionem, et praesertim an ad pias causas quid legare possint? num. 1.
Personae religiosae non debent esse deterioris conditionis, quam aliae. 2.

Virgines DEO dicatae, an liberam habeant 1
Testamenti factionem, et praesertim, an ad pias causas quid legare possint, quaeritur? Et videtur quod non, eo quod se, et sua omnia Superioris arbitrio subjecerint, per *c. non dicatis. 11. caus. 12. q. 1.* Sed affirmarunt hic Imperatores, forte 2
ex ea ratione, quod personae religiosae non deberent esse deterioris conditionis quam aliae. Et legem hanc generaliter intelligunt Doctores, ut non tantum in legatis piis, sed et aliis ultimis voluntatibus locum habeat. Sed juri huic derogatum in Authenticis sequentibus.

Auth. Ingressi.

SUMMARIA

Ingressus Monasterium qui dicatur? num. 1.
Quatenus possit de bonis suis testamentum condere? n. 2.
An possit, si ante ingressum reservet sibi proprietatem bonorum? 3.
In quibus personis locum habeat Authentica? 4.
An patre habente usumfructum bonorum filii, ad

monasterium transeunte, ususfructus ad monasterium transeat? 5.

1 Quaeritur hic: An ingressus Monasterium i. e. qui
ad leges monasticas solemni voto se obligavit, si
nihil de bonis suis expresse dixit, possit de bonis
2 suis testamentum condere? Quod *hic et Nov.* 5.
c. 5. *et N.* 76. negatur ex hac ratione; quia ipso
ingressu se, suaque Deo dedicat. E. non est amplius
Dominus rerum, et per consequens testari
de bonis jam alienis nequit. Corrigit ergo *haec*
3 *Auth.* legem praecedentem. Sed quaeritur: Si
quis, antequam ingrediatur monasterium, servet
sibi potestatem testandi de bonis, et adeo proprietatem?
Qua de quaestione videatur hic *Gilken.*
num. 10. *et seqq.* qui negat cum aliis. *Capriol. de*
success. ab intest. in praefat. num. 229. *Barry de*
success. l. 1. *tit.* 7. *num.* 11. *Rittershus. in Nov.*
4 *p.* 1. *cap.* 6. *num.* 55. Recte autem hanc Authenticam
ad eos, qui Religionem jam professi sunt,
restringit, nec in iis, qui probationis tantum
causa in Monasterio degunt, locum habere tradit
Christin. dec. 1. *ad auth. h. t. num.* 3. *Zoes. ad*
5 *hunc tit. qu.* 2. *in fin.* Sed quid si pater habens
usumfructum bonorum filii, transeat ad Monasterium?
Resp. Communiter, ad Monasterium
etiam usumfructum transire, per *hanc auth. et*
ibi Gl. Bart. Guid. Papa dec. 477. *num.* 4. *et dec.*
495. et hunc referens *Pinel. ad l.* 1. *pag.* 1. *C. de*
bonis mat. num. 94. *et Zoes. hic qu.* 2. Hoc omne
vero in eo Monasterio locum habet, quod bonorum
capax est.

Auth. Si qua Mulier.

SUMMARIA.

Tenor hujus Authenticae. num. 1.
Liberos habentes non possunt eos defraudare legitima. 2.
An ingressus in Monasterium omnia bona sua liberis possit distribuere? 3.
Quid juris, si talis intestatus decedat? 4.
Major favor est liberorum quam Ecclesiae quoad successionem paternam. 5.
An si quis testamentum condidisset, id ingressu Monasterii, veluti agnatione posthumi, rumpatur? 6.
Monachus testari potest ex indulgentia Pontificis. 7.
Testamentum, quod ante Monachismum fecit, postea mutare non potest. 8.
Varie derogatum huic juri moribus. 9.
In Gallia religiosus non succedit suis parentibus, nec Monasterium. 10.

1 Continet haec Auth. quae ex *Nov.* 123. *v.* 38.
sumpta est exceptionem Authenticae praecedentis.
Nam Auth. praecedens de iis intelligenda est per-
2 sonis, quae liberos non habent: Nam quae liberos
habent, non possunt legitima defraudare liberos,
sed debent ad minimum legitimam liberis relinquere,
facit *c. quicumque.* 43. *caus.* 17. *q.* 4. et
quod liberis non relictum, Monasterio adquiri-
3 tur. Sed quid si omnia bona sua velit liberis distribuere?
Resp. Hoc posse fieri, modo testator
sibi portionem filialem reservet, quae postea re-
4 manere debet penes Monasterium. Sed si intestatus
decedat ille, qui Monasterium ingressus est?
tunc filiis debetur legitima, et uxori, vel ejus
haeredibus dos, reliqua substantia Monasterio
addicenda, *hic et c.* 9. *c.* 10. *q.* 3. *Dauth. de*
Testam. §. 176. *Rittershus. in Nov. p.* 7. *c.* 20. *n.*
1. Nam major favor est liberorum, quam Eccle- 5
siae, quoad successionem paternam, *d. c. quicumque.*
Rittershus. ad Nov. part. 1. *cap.* 6. *num.* 62.
Sed quaeritur: An si quis testamentum condi- 6
disset, id ingressu Monasterii, veluti agnatione
posthumi, rumpatur? Et distinguunt DD. an cogitatione
Monasterium ingrediendi testamentum
fecerit, an vero ea de re nihil statuisset, ut hic
testamentum rumpatur, ibi vero minime. *arg.*
Nov. 5. *cap.* 5. *Gilken. hic. num.* 12. absolute vero
negat rumpi *Covarr. in c.* 2. *X. de Testam.*
num. 10. Sed sententia Doctorum videtur communiter
esse recepta. *Vid. Vasq. de success. lib.*
2. *paragraph.* 10. *num.* 29. *Clarus* §. *Testamentum.
num.* 28. *Dauth. de Testam. tit. de Instit.*
haeredum. num. 346. Conf. etiam *Rittersh. in*
Nov. part. 1. *c.* 6. *num.* 54. Deinde Monachus 7
testari potest ex indulgentia Pontificis, si credi-
mus *Covarr. ad rubr. de Testam. num.* 47. Et hoc Te- 8
stamentum, quod ante Monachismum fecit, postea
mutare non potest. Vid. *Thesaur. p.* 2. *qu.* 56.
Guttierrez. p. 2. *pract. quaest. cap.* 1. *num.* 36.
Caevall. q. 63. *Covarr. in c.* 2. *X. de Testam. n.*
10. Sed huic Juri varie derogatum esse moribus 9
putat *Gudelin. de jure Noviss. lib.* 6. *c.* 10. *quem*
laudat Christin. dec. 173. *num.* 12. *et seq. vol.* 5.
Et in Gallia religiosus non succedit suis parenti- 10
bus, nec Monasterium. *Fr. Barry de succ. lib.*
18. *tit.* 6. *num.* 6.

L. Jubemus. 14. pr.

SUMMARIA.

Oeconomus quis? num. 1.
An praedium Ecclesiae alienari, vel cedi possit? 2.
An Accessoria? 3.
Adscriptitius quasi portio fundi est. 4.
An Annonae Civiles Monasteriorum possint alienari? 5.
Annonae Civiles quid? 6.
qt. referantur inter immobilia. 7.
Remuneratoria donatio valde favorabilis. 8.
An praedium Ecclesiae remunerandi causa donari possit? 9.
Diversa in h. pr. lectio. 10.
An per donationem totum patrimonium alicujus in Ecclesiam conferri possit? 11.
Quamnam divisionem hic intelligant Impp.? 12.
Ecclesia Constantinopolitana fidei, ac religionis mater perpetua. 13.
Unde tamen Primatus ejusdem non probatur. 14.

In pr. prohibent Imperatores, ne nullus Archi- 1
Episcopus Constantinopolitanus aut Oeconomus, 2
i. e. dispensator, et administrator bonorum Ecclesiasticorum,
praedium Ecclesiae urbanum,
vel rusticum, quod semel Ecclesiae sive per contractum
inter vivos, sive per ultimam voluntatem
qualemcumque, sola nuncupatione dicatum, alienare,
imo ne quidem cedere i. e. transigere, de
eo possit. Sed tantum potest colere, augere, et
dividere fundum cum alio communem. Ampliatur 3

4 ea decisio I. Ut etiam in accessoriis locum habeat, ut colonis, seu adscriptitiis, et mancipiis, unde probatur hominem adscriptitium, seu fundo alicui adscriptum esse quasi portionem fundi, *hic et l.3. ff. de div. et temp. praescript. etc. nulli 5. X. de reb. Eccles. non alien. et ibi Panormit. in secundo notab. et Tiraq.* de *Retr. consang. §. 1. gl.*
5 *7. num.* 119. et quos allegat *A. Barb. hic num.* 5. II. Ut idem obtineat in annonis civilibus i. e. certis fructuum praestationibus, quae Monasteriis
6 ex certis praediis erogabantur, unde etiam notetur, annonas civiles, seu praestationes ex praediis
7 certis solvendas esse inter immobilia referendas. *Tiraq. d. §. 1. gl.* 6. *num.* 4. *et quos citat A. Barbos. num.* 8. quod intelligo, si perpetuo debeantur, cum. *Gail. l. 2. obs. 10. Carpz. p. 1. Const.*
8 5. *def.* 16. III. Quamvis remuneratoria donatio valde sit favorabilis, praedia tamen Ecclesiastica, et quae his annexa sunt, remunerandi causa donari non possunt; Ratio est, quia non sunt do-
9 nantis, sed Ecclesiae. IV. Et haec alienatio est irrita, licet omnes Clerici consentiant, nam sunt tantum usufructuarii, licet veteres legerint, *beneficii colorati*, quam lectionem etiam videtur
10 approbare Glossa, dum a contrario sensu vult probare ob remunerationem beneficii non colorati, sed vere exhibiti, licere Praelato donare rem Ecclesiae immobilem; Et solent allegare *c. per tuas X. de Donat.* Et sic etiam sentit *Garcias de Donat. remunerat. num.* 14. *et num.* 30. *et seq. et Tiraq. in repet. Legis si unquam in verbo donatione largitus. C. de Revoc. donat. num.* 27. et quos hic allegat *A. Barb. num.* 13. Sed hi omnes sequuntur vulgatam lectionem. Sed videtur Florentina lectio concinnior, et c. *per tuas*, praesupponit consensum Pontificis. Ideoque melius sentire videntur alii. Conferatur *Arias Pinell. in l. 1. C. de bon. mat. p. 3. num.* 60. quantum qui-
11 dem ad Praelatum attinet. Ex principio etiam hoc colligitur, posse per donationem totum patrimonium alicujus in Ecclesiam conferri. *Tiraqu. priv. piae caus.* 100. *Covarr. in Rubr. de Testam. p. 2. num.* 13. *et quos in Collect. allegat hic Barbos. num.* 7. Et demum in fine pr. additur ratio regulae, et omnium harum ampliationum generalis: Sicut Ecclesia religionis, et fidei mater perpetua est, ita et patrimonium Ecclesiae, quod in praediis Ecclesiasticis consistit, perpetuum esse
12 oportet. Sed quaeritur: quam divisionem hic intelligant Impp.? Et videntur DD. hic intelligere eam divisionem s. partitionem, quae est fundi Ecclesiae cum alio communis. Si enim provocetur Ecclesia ad divisionem, eam recusare non potest. Licet enim divisio alias sit alienatio, hoc tamen loco non est, ut vult *Rittersh. in Nov. parte* 1. *c.* 8. *num.* 49. seu est equidem alienatio, sed necessaria, quae regulariter est permissa, *l. pen.*
13 *C. de praed. minor. Gilken. hic num.* 8. Ex fine principii notetur, Ecclesiam Constantinopolitanam hic fidei, ac religionis matrem perpetuam vocari, ex quo elogio tamen non probatur Pri-
14 matus hujus Ecclesiae, et quod sit aliarum caput potestatis ratione.

§. I.

SUMMARIA.

Poena emptionis titulo praedium Ecclesiasticum comparantis. num. 1.
Quae contra leges fiunt pro infectis habenda. 2.
Poena amissionis pretii etc. ad b. f. emptorem non pertinet. 3.
Quid si pretium in utilitatem Ecclesiae sit versum? 4.
Qua consuetudine introduci possit, ut alienatio rei Ecclesiasticae sine solemnitate facta valeat? 5.
Res alienatae ab ipsis alienatoribus possunt vindicari. 6.
H. l. quis proprium factum impugnare, et propriam turpitudinem allegare potest. 7.

Hic continet poenam ejus, qui emptionis titulo, 1
vel simili comparavit praedium Ecclesiasticum. Nam emptor 1. amittit fundum cum accessionibus, mancipiis, instrumentis, et fructibus medio tempore perceptis, quae omnia, ut nulliter acquisita, restituenda sunt Ecclesiae. *Redoan. de reb. Eccl. non alien. quaest.* 77. *cap.* 5. *num.* 2. et quos citat hic *Barbos. numer.* 18. Ratio additur : 2
quia quae contra leges fiunt, pro infectis habenda sunt. *l. 5. infra de Legibus.* 2. Emptor amittit etiam pretium ob malam fidem, et privilegium rei emptae, quaeque munera forte Oeconomo dedit: haec enim omnia non lucro cedunt Oeconomi vel alterius qui alienavit, sed Ecclesiae: vide tamen limitationem in *Auth. Hoc Jus porrectum. c. h. t.* Sed quod de amissione pretii hoc loco dictum, 3
ad b. f. emptorem non pertinet, sed tantum ad m. f. emptorem. *Auth. qui res. C. h. t.* Sed quid in pretio non soluto, sed promisso? *Gl. et DD.* et quidem recte hic idem esse asserunt. Sed quid si 4
pretium in utilitatem Ecclesiae versum probetur? Resp. DD. eo casu Ecclesiam pretium restituere debere, cum Ecclesia sit cultrix justitiae, et injuriam neque in se neque in aliis pati debeat. *Alex. cons.* 4. *num.* 4. *lib. Christin. dec.* 11. *num.* 3. *vol.* 2. Quando vero non restituitur pretium, emptor contra venditorem habet regressum. *Christin. d. dec.* 11. *num.* 7. Et quidem consue- 5
tudine introduci potest, ut alienatio rei Ecclesiasticae sine solemnitate facta, modo non adeo Ecclesiae damnosa, valeat. *Camill. Borell.* 1. *decis.* 1. 15. *num.* 58. Cujus exempla in Gallia et Mechliniensi curia allegat *Christin. vol.* 2. *decis.* 12. *num.* 5. *et seq.* Colligunt etiam ex *hoc* §. DD. quod res alienatae ab ipsis alienatoribus possint vindicari. Et sic hoc loco aliquis proprium factum impugnare potest, et propriam turpitudinem allegare. *Panorum. in c. 6. X. de Reb. Eccles. non alien. num.* 4. *et* 12. *Card. Tusch. Concl.* 509. *lit.* 7
P. Vinc. Fusar. de substit. quaest. 717. *num.* 2. *et seq.*

§. Oeconomus autem. 2.

SUMMARIA

Poena Oeconomi alienantis praedium Ecclesiae, vel alienationi ejusmodi consentientis. num. 1.
An ipso jure officio suo exuatur? 2.
Res Ecclesiae viles alienari possunt. 3.

Poena hic dictatur Oeconomo non tantum, qui 1
alienavit praedium Ecclesiasticum, sed etiam qui alienationi consensit. Obligatur autem 1. ad poenam, nam deponendus est. Et 2. ad restitutionem damni Ecclesiae dati, ad quam etiam ipsius

2 haeredes obligati manent. Sed quaeritur, an ipso
jure suo officio exuatur Oeconomus? Et resp. *Gl.
Bart. Bald. Castr. Gilken*, hic, quod requiratur
sententia, idque colligunt ex verbo futurum tem-
pus denotante (*privetur*). Consentit *Tiraq. in rep.
l. si unquam. C. de Revoc. donat. in verbo Rever-
tatur. num.* 176. *et seq. Card. Tusch. concl.* 719.
num. 8. *lit. T. et* quos laudat *Barb. hic num.* 26.
3 Res viles alienari posse tradit *Tiraq. de judic. in
rebus exiguis exempto.* 23. *Christin. dec.* 13. *vol.*
2. *num.* 4.

§. 3. et 4.

SUMMARIA

Poena Notarii super vetita praedii Ecclesiastici alienatione instrumentum conficientis. num. 1.
Poena Judicis alienationem approbantis. 2.
An Judex ipse Notariatus officio fungi possit? 3.
Poena Notariorum super vetitis contractibus instrumenta conficientium, remissive. 4.

1 Tabellio, vel Notarius super vetita hac alienatio-
ne instrumentum conficiens perpetuo exilio ple-
2 ctitur; Judices vero, qui hujusmodi alienationes
sua auctoritate approbant, amissione dignitatis, et
confiscatione bonorum omnium plectuntur. Di-
3 sputant autem hic DD. An Judex ipse Notariatus
officio fungi possit? Quod colligi videtur *ex* §. 4.
Et concedunt DD. id hic communiter in actibus
voluntariae jurisdictionis non item contentiosae;
nisi sit causa brevis, et levis momenti. *Castr. n.* 10.
Gilk. num. 18. *seq. Panorm. in c.* 3. *num.* 11. *X.
de Probat. Casp. Valasc. in repet. l. Imperium.
ff.* de *Jurisd. num.* 265. *Tiraq. in tr.* de *judic. in*
4 *rebus exiquis ferendo, exempl.* 20. Qua poena
autem afficiantur Notarii super vetitis contracti-
bus instrumenta conficientes, videatur *Menoch.
l.* 2. *A. Q. casu* 581. *Farin. quaest.* 154. *pr. Guid.
Papae dec.* 434.

§. Sane ne Omnis. 5.

SUMMARIA

Exceptio regulae in pr. legis propositae. num. 1.
Oeconomus potest facere cum alio precariam. 2.
Precaria quid? 3.
Precariae de Canon. de quinquennio in quinquennium renovandae. 4.
Ex Contractu vitioso, aut prohibito nec dominium, nec possessio civilis transit? 5.

1 Hic §. continet exceptionem regulae in princi-
pio legis propositae. Concedunt enim Oeconomo,
2 ut possit facere cum alio precariam, seu cessionem
ususfructus i. e. ut possit rem immobilem dare
homini locupleti sub lege utendi, fruendive ad
vitam accipientis vel ad tempus concisius, quo
finito res in usum data, pleno jure ad Ecclesiam
redeat, et ut accipiens mox aliam rem immobi-
lem aequivalentem, et quae tantumdem, si non
amplius, fructum proferat, Ecclesiae pleno jure
cum colonis, et mancipiis concedat, finito sc. jure
ususfr. et hoc ab initio promittat, quae vi-
detur esse precariae. *vid. Rittersh. p.* 1. *Nov. c.*
8. *num.* 50. Quamvis jure Canonico hoc etiam 3
addatur, ut tales precariae, de quinquennio uno 4
in aliud renoventur *c.* 1. *X. de precar. Redoan.
de Rebus Eccles. non alienand. q.* 2. *cap.* 24. Quae
renovatio tamen non facit, ut singulis quinquen-
niis nova precaria fiat, sed ne illa res per obli-
vionem pereat. *Molin. de J. et J. tr.* 2. *d.* 298. *circa
fin.* Ex §. ult. in fine probatur, quod ex contra- 5
ctu vitioso, et nullo, aut prohibito non tantum
dominium non transeat, sed nec possessio civilis
quo ad effectus juris civilis. *Dn. Mev. p.* 5. *dec.* 394.

Auth. Hoc Jus porrectum.

SUMMARIA

Divisio Authenticae. num. 1.
Prohibitio alienationis ad omnia pia loca extendenda. 2.
Et ad Contractum pignoris. 3.
Per oppignorationem ad alienationem devenitur. 4.
Alienatio immobilium in rebus a Principe donatis prohibita. 5.
Deficientibus mobilibus Creditori immobilia in antichresin dantur, et quomodo? 6.
Subhastatio in vim paratae executionis pro judicato, vel instrumento exequibili fit. 7.
Quid juris, si Creditor nolit accipere? 8.
Si emptor non inveniatur? 9.
Creditor hic saltem probare tenetur creditum cessisse in utilitatem Monasterii. 10.
Idem est in eo, qui mutuo dat Civitati. 11.
Causae alienationis rerum Ecclesiasticarum permissae. 12.
Authentica haec canonizata. 13.
Hodie solemnitates hujus Auth. exacte non observantur. 14.
Quaenam hodie ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requirantur? 15.
Si Ecclesiae evidens adsit utilitas non curandum est de solemnitate. 16.
Ecclesia sola de nullitate opponere potest, non alius. 17.
Ecclesia, si ob defectum solemnitatum obtinuerit, debet restituere pretium. 18.

Haec Auth. habet septem partes. I. est, quod 1
prohibitio alienationis, quae est in *l.* 14. *pr. h. t.*
extendenda ad omnia pia loca, cum omnium ea- 2
dem sit ratio. *Petr. Gudelin. de. jure novis. l.* 6.
c. 14. *num.* 19. et ad contractum pignoris, nam in *l.* 3
14. *pr.* tantum de venditione, et donatione dixe-
rat, sed alienatione prohibita regulariter etiam
oppignoratio, per quam ad alienationem deveni- 4
tur, videtur prohibita. *L. fin. C. de. reb. alien.
non alien. Auctor ad l.* 101. *ff. de legat.* 3. II. Simpli- 5
citer alienatio immobilium prohibetur in rebus a
Principe Ecclesiae donatis per *Nov.* 120. *c.* 7. *pr.* Eo-
rum autem immobilium, quae a Principe non do-
nantur, alienatio permittitur urgente necessitate.
III. Deficientibus mobilibus creditori dentur immo- 6
bilia in antichresin, ut tamen fructus computen-
tur, in sortem primo, et postea in usuras contra
l. 1. *C. de solut.* easque minimas, tria pro cen-
tum. Unde obiter quasi probatur, subhastatio- 7
nem in vim paratae executionis pro judicato vel
instrumento exequibili fieri per *hanc auth. jun-
cta l.* 2. *C. si in causa rei judic. Coler. de proc.
exec. p.* 3. *cap.* 9. *num.* 72. *Thom. Michael. in tom.*

2. *cons. Klock. vol.* 2. *cons.* 84. *num.* 19. IV. Si
8 creditor nolit ita accipere, debent vendi, sed praecedente 1. subhastatione, ut plus licitanti dentur, ubi licitatio intra 20. dies fieri debet, unde idem in omni subhastatione bonorum Ecclesiae, vel Minorennium esse putant *Men. l.* 2. *de A. J. Q. casu* 129. *num.* 3. *Damhoud. de subhast. c.* 5. *num.* 1. *Rol. a Vall. cons.* 33. *num.* 14. *lib.* 1. *et Fab. Monte de. Vend. q.* 5. *num.* 86. *etc.* 2. Juramento Abbatis cum consensu majoris partis Capituli coram Episcopo praestito, quo affirmabit debitum esse contractum, et ex mobilibus solvi non posse. Et 3. Scriptura interveniente, in qua scribatur nihil esse factum in detrimentum Ec-
9 clesiae. V. Membrum, emptore non invento, creditori detur aestimata res in solutum, ut decima pars pretii pretio addatur cum consensu Capituli. VI. Ea res vendetur, quae non sit maxima, sed
10 mediocris. VII. Creditor saltem praesumptive probare tenetur creditum cessisse in utilitatem Monasterii, quod hic speciale est. *Hartm. Pistor. l.* 1. *q.* 27. *num.* 30. *Masc. concl.* 1160. *num.* 1. *et* 2. *Klock. cons.* 54. *num.* 43. *vol.* 2. *Redoan. de reb.*
11 *Eccl. non alien. q.* 56. et quos hic allegat *Barb. num.* 14. Idem in eo, qui mutuo dat civitati, *l. Civitas.* 27. *ff. de rebus creditis*, sicut et quintum et sextum membrum hic speciale est, cum alias aliud pro alio solvi nequeat, et creditori detur
12 electio. Jure Can. non tantum ob necessitatem, sed etiam causa utilitatis, item pietatis, permittitur alienatio, *c. Apostolicos.* 13. *c. sacrorum.* 15. *c. sine exceptione.* 32. *c. terrulas.* 53. *c. si*
13 *quis.* 56. *c. aurum.* 70. *caus.* 12. *qu.* 2. *Men. cons.* 114. *num.* 1. Item incommoditas, nam hae quatuor causae numerantur alienationis rei Ecclesiasticae licitae, scil. 1. Necessitas. 2. Utilitas insignis. 3. Pietas. 4. Incommoditas. *Cothman. l.* 2. *cons.* 62. *num.* 26. *et per totum.* Confer. *Riminald. lib.* 3. *cons.* 233. *per totum.* Licet autem haec Authen-
14 tica canonizata *in c.* 2. *c.* 10. *qu.* 2. Hodie tamen eas solemnitates, quae hic requiruntur, exacte non observari, post *Rotam Rom. decis.* 135. testatur *Christin. decis.* 173. *num.* 17. *vol.* 5. nam requi-
15 ritur hodie. 1. Cognitio causae. 2. Necessitatis probatio, vel evidentis utilitatis. 3. Decretum Superioris etc; in quo praecipua solemnitas consistit. *Redoan. de. reb. Eccl. non alien. qu.* 24. *num.* 10. *et seq. Trentacinqu. lib.* 3. *tit. de rerum alienat.*
16 *res.* 1. *num.* 19. *et Klock. cons.* 35. *et* 50. Et si sit Ecclesiae evidens utilitas, eaque negari non possit, non curandum esse de solemnitate, post *Anchar. Felin. et dec. in c. quae in Ecclesiarum notab.* 5. *X. de const.* notat. *Men. cons.* 817. *num.*
17 11. *ac Christin. d. d.* 173. *num.* 23. Et Ecclesia sola de nullitate opponere potest, non alius, *Mantic. de tac. et amb. convent. lib.* 25. *t.* 9. *num.*
18 18. *et s.* 4. Et si Ecclesia ob defectum solemnitatum obtinuerit, debet tamen restituere pretium. *argum. l. non solum.* 4. *C. de praed. min. Everhard. in loco a pupillo ad Ecclesiam.* 68. *num.* 1. *Menoch. cons.* 888. *num.* 4.

Auth. multo magis.

SUMMARIA

Monasterii ipsius alienatio prohibita. num. 1.
Propter quod unumquodque tale, illud magis est tale. 2.
Dubium quo jure substineri profanatio Monasteriorum possit. 3.

Haec Auth. absolute prohibet ipsius Monasterii 1
alienationem, ne revertatur in antiquum statum saecularem: et colligunt DD. propter quod unumquodque tale, illud magis tale. *Klock. cons.* 51. 2
num. 304. *Hartm. Pist. p.* 1. *qu.* 15. *num.* 60. *et q.* 49. *num.* 17. *Wesenb. cons.* 43. *num.* 470. Du- 3
bium igitur quo jure substineri profanatio Monasteriorum possit.

Auth. Quibuscumque.

SUMMARIA

In casibus permissis non fiat alienatio rerum Ecclesiae in Oeconomum, ejusque cognatos. n. 1.
Simile est in tutore, et magistratu. 2.
Poena contra facientium. 3.
Alia ratio est beneficiorum, et concessionum Ecclesiae ad tempus. 4.

In casibus permissis non fiat alienatio in Oeco- 1
nomum, ejusque cognatos, ne quidem per personam interpositam, *Nov.* 120. *cap.* 5. *et c.* 7. §. 1. Simile est in Tutore, *l.* 34. §. *ult. de contr.* 2
empt. Simile in Magistratu. *l.* 1. *infr. de Contract. judic. et l.* 33. *ff. si certum pet.* Ratio *in l.* 46. *et* 26. *ff. de contr. empt.* et in periculo laesionis, et quia suam utilitatem Ecclesiae, et pupillorum utilitati postponere debent. *Rittersh. in Nov. p.* 1. *c.* 8. *num.* 45. Additur hic poena, 3
quod contra facientium bona post mortem eorum pervenire debeant ad Ecclesiam. Sed aliam 4
rationem esse volunt beneficiorum, et concessionum Ecclesiae ad tempus, *Castrens. et DD. hic* nam *Auth.* loquitur de tali alienatione, quae est damnosa Ecclesiae. Sed si v. g. Praelati pauperibus cognatis beneficia Ecclesiastica conferant, aut in feudum, vel emphyteusin dari solita, hic nulla Ecclesiae laesio timenda est. *Fachin. l.* 7. *cap.* 31. *Camill. Borell. tom.* 1. *decis.* 33. *num.* 133. *Redoan. in. tr. de reb. Eccles. non alien. q.* 60. *num.* 11. *Jo. Petr. Surd. cons.* 249. *num.* 15. *et seqq.* Licet de Oeconomis dubitent DD. quia de Praelato magis confidunt, et putarim Praelatum beneficia infeudari solita ratione conscientiae teneri magis conferre cognatis, si sint idonei, et non adeo potentes, ut Ecclesiae graves esse queant, quam alii.

Auth. Qui res.

SUMMARIA

Poena rem Ecclesiae contra LL. praecedentes titulo oneroso comparantium. num. 1.
Donatarii. 2.
Creditoris pignori, vel Emphyteusim accipientis talem rem. 3.
An haec Authentica de m. f. emptore, vel acceptore intelligenda? 4.
Dolus administratoris dolo emptoris praeponderat. 5.
An quod hic de Emphyteutico Canone solvendo

dicitur, id etiam de futurorum annorum canone intelligendum sit? 6.
Discrepat authentica haec cum suo fonte. 7.

1 Quatuor hujus Auth. partes: I. Qui contra LL. praecedentes rem Ecclesiae comparat, titulo non gratuito, sed oneroso, rem cum fructibus perceptis Ecclesiae restituit, et id quod dedit non ab Ecclesia, sed ab eo, qui alienavit v. e. administratore repetit, ut hic segnior fiat circa venditio-
2 nem. *Nov. 7. c.* 5. II. Donatarius rem cum fru-
3 ctibus, et tantumdem restituit. III. Creditor etiam, qui rem Ecclesiasticam pignori accepit, pignus restituit, creditum ab Ecclesia non repetit, sed
4 a pignoris datore, seuadministratore loci. IV. Si emphyteusin vero acceperit, et rem emphyteuticam restituit, et canonem solvit. Sed quaeritur. I. *An haec Auth. de m. f. emptore, vel acceptore intelligenda?* Quod negant plurimi, de quo tamen praesertim in tertio membro dubito, nam b. f. emptorem, vel creditorem pignus accipientem ita plecti durum nimis esset, et quod hic contra administratorem detur regressus acceptori, forte exinde fit, non quia acceptor in bona fide est, sed odio alienatoris. *Cravet. cons.* 272. *num.* 18. et quia dolus ad-
5 ministratoris dolo emptoris praeponderat. Et *Christin. post alios per c. 25. Caus. 12. q. 2. et c. ad audientiam X. de rebus Ecclesiae, etc.* etiam malae fidei hunc regressum tribuit, *dec.* 173. *num.* 27. *vol.* 5. quae sententia verbis textus originalis admodum juvatur: nam in *Nov. 7. c.* 5. haec verba habentur: *emere praesumpserit, et in fin. princ. ut metu suae substantiae, etsi non propter Dei timorem, tamen segniores circa venditionem fiant, et in §. 1. suam sentiat malignitatem, et in §. 2. subjacent poenae.* Hoc tamen certum, si alienator non sit solvendo, vel nihil habeat, in subsidium bonae fidei emptori teneri Ecclesiam, quatenus haec facta locupletior, ut *Gl. hic in verbo eum. Borell.* 1. *decis. tit.* 15. *num.* 70. *Cravet. cons.* 272. *num.* 19.
6 et quos laudat hic *Barb. in coll. num.* 5. II. Quaeritur: *an quod hic in quarto membro dicitur de emphyteutico Canone solvendo, id etiam de futurorum annorum canone intelligendum sit?* Quod quamvis post *Boer. dec.* 309. *num.* 1. *et seq. hic velit Barbos. num.* 8. id tamen negat *Salyc. num.* 3. quia durius plecteretur, quam emptor, qui tamen magis deliquit, et in emphyteusi perpetua *haec Auth.* locum non haberet. Quamvis autem verba hujus Authenticae in futurum tempus directa sint, aliter tamen legitur in originali in ipsa *Nov.* 120. *c.* 11. nisi hic sensus possit esse, quod durante emphyteusi canon solvatur, eo tempore, quo emphyteusis constitit. *Vers. ult.* continet verba *Irnerii*, et habent duplicem sensum. 1. quod ad ultimum casum de emphyteusi pertineant, et hoc videtur velle, non teneri emphyteutam ad Canones futuri temporis, sed ipso jure nullam esse emphyteusin, et sic possumus eam concedere, vel 2. non de ultimo tantum casu, sed etiam de primo intelligit, non deberi dari actionem acceptori ut m. f. possessori. Sed sic *gl. Irnerii ex nulla Nov.* probatur, quin potius *Novellae* 7. contradicit, et primo casu datur actio contra administratorem in ejus poenam, ut ex *Nov.* 7. *cap.* 5. apparet. Colligunt tamen ex hac parte DD. et voce *omni modo*, quod ipso jure aliquid detur, vel ipso jure negotium sit nullum, ut *Rom. sing.* 1. *Mathesil. sing.* 111. *et Tiraq. in rep. l. si unquam. verbo revertatur. num.* 88. *C. de revoc. Donat. et hos in Collect. referens Barbos. in fine.*

Auth. Si quas ruinas.

SUMMARIA

Casus Authenticae. num. 1.
An Ecclesia ruinosas aedes possit in Emphyteusin perpetuam dare? 2.
Quat. res Ecclesiae possit in Emphyteusin dari? 3.
Quis canon hoc casu solvendus? 4.
In aedibus potest constitui Emphyteusis. 5.
Modus, quo aedes ruinosae, vel fundi deserti etc. in Emphyteusin dari possint ab Ecclesia etc. 6.
Barbosa notatur. 7.

Casum hic formo talem: Habet Ecclesia aedes 1
ruinosas, ex quarum habitationibus adhuc stantibus pensionis loco recipiebat 60. thal. has aedes vult in Emphyteusin dare perpetuam. Quaeritur 2
an possit? Resp. Quod sic, per hanc *Auth. et Nov.* 120. *c.* 1. §. *ult.* Si modo ruinosae aedes ab Ecclesia reaedificari, et reparari non possint, quae conditio habetur in *Nov.* 120. *cap.* 1. unde Auth. sumpta est. Et sic nota, hoc casu rem 3
Ecclesiae posse dari in Emphyteusin. *Guid. Papae Dec.* 58., et *Christin. Dec.* 173. *n.* 25. *vol.* 5. *Covar. l. 2. resol. cap.* 17. *num.* 4. aliosque referens *Barb. hic num.* 2. *Sed quis Canon erit solvendus?* Resp. Electio datur Emphyteutae, ut vel 4
tertiam partem quotannis solvat i. e. 20. thal. die constitutae Emphyteuseos, aut prius reficiat et reaedificet, atque demum a tempore reaedificationis solvat dimidiam partem i. e. 30. Collige ex 5
hac Auth. etiam in aedibus posse constitui Emphyteusin contra *Donnel. lib.* 9. *Comm. cap.* 13. *Valasc. de jure Emphyteut. qu.* 12. *num.* 1. Col- 6
lige etiam modum, quo aedes ruinosae, vel fundi deserti, vineae incultae in Emphyteusin dari possint ab Ecclesia, Monasterio, Ptochotrophio, imo etiam Academia, et similibus, scil. ut vel statim solvat tertiam partem pensionis, quae percipi poterat, vel dimidiam a die refectionis. *Bar-* 7
bosa hic in materiam renovationis emphyteuseos excurrit; sed alieniore loco.

Auth. perpetua.

SUMMARIA

Sensus Authenticae num. 1.
Quatenus fundum integrum in Emphyteusin dare concedatur Ecclesiae? 2.
Emphyteutae non fit remissio mercedis propter sterilitatem. 3.
Fit tamen simplici Conductori. 4.
Gl. DD. et Barbosa notantur. 5.
Quatenus in aedibus pro parte integris licita Ecclesiae Emphyteuseos constitutio? 6.
Quatenus in rebus Ecclesiae parum, aut nihil pensionis praestantibus? 7.
An in perpetuum data Emphyteusis etiam in extraneos transeat haeredes? 8.
Quaenam pensio sive aestimatio justa dicatur? 9.

1 *S*ensus est: In tribus aliis casibus, etiam con-
ceditur Ecclesiae fundum in emphyteusin da-
re. I. In fundis integris, quos sc. Oeconomus, et
2 Administratores elegerint, modo 1. Episcopus,
et Clerici, et quorum interest juraverint, hunc
contractum non laedere Ecclesiam. 2. Sexta
pars pensionis tantum diminuatur, v. g. quae
3 dabat 60. Canon ejus statuatur 50. Cujus ratio
est, ut compensetur damnum, quod Emphy-
teuta potest substinere, quia ipsi non fit remis-
sio mercedis propter sterilitatem, *Clarus* §. *Em-
phyt. quaest.* 8. *num.* 7. *Valasc. de Emphyt.
quaest.* 27. *num.* 7. *et* 10. *Gail. l.* 2. *obs.* 23.
num. 23. *Carpz. l.* 1. *Resp.* 91. *num.* 5. quae
tamen fieret simplici Conductori, *L. si merces*
25. §. *vis major ff. locati*, quamvis autem *Glos-*
5 *sa et DD. et Barb. hic num.* 6. hanc diminu-
tionem sextae partis ad casum sterilitatis adstrin-
gant, non video tamen hoc ex textu probari.
Sed probabilius est, hanc sextam partem dimi-
nuendam esse regulariter, quia Canon emphy-
teuticus ob periculum minor esse solet, sicut
intelligit etiam hoc *Klock. d. l.* Licet referat
Cavalc. p. 1. *dec.* 46. *num.* 216. haec jura
esse abrogata, quod non puto admittendum.
6 II. In aedibus non quidem ruinosis, de quibus
est praeced. Auth. sed pro parte integris, pro
parte diminutis, Canon statuatur, prout pensio
praesenti tempore solvi potest, i. e. ut tantum
praestetur, quantum percipi nunc possit, si
nunc esset locata, et addatur medietas pensio-
num adjectarum per reaedificationem ruinosa-
7 rum aedium. *Auth. si quas ruinas. h. t.* III. In
rebus Ecclesiae parum, aut nihil pensionis prae-
stantibus subtiliter res aestimanda est, an ali-
quam utilitatem quacunque in re praestare pos-
sint, ita ut subtilitas summariae cognitioni op-
ponatur, ut *l.* 1. *C. ut in possess. legat.* Sed
quaeritur, *an in perpetuum data Emphyteusis*
8 *etiam in extraneos transeat haeredes?* Et recte
hic aff. *Gl. in prima opin. Castr. hic num.* 4.
Covar. part. 2. *Var. resolut. cap.* 17. *num.* 5.
vers. quarta Conclusio. Caeval. quaest. 194.
et Vivius decis. 496. quamvis in utramque par-
tem disputet *Clarus* §. *Emphiteusis, quaest.* 28.
9 *num.* 6. Demum Glossa in verbo *justa*, justam
eam constituit pensionem, quae per 20. annos
collecta veram rei aestimationem continet. Et
sic justa aestimatio erit, quae ex 20. annorum
pensionibus colligitur, *Tiraq. de retr. lign.* §.
1. *gl.* 6. *num.* 10. *Covar. lib.* 3. *resol. c.* 9. *num.*
5. *et Molin. de J. et J. d.* 452. *num.* 2. et quos
hic habet *Barb. num.* 7.

Auth. Sed et permutare.

SUMMARIA

Quatenus Imp. cum Ecclesia fundum permutare possit? num. 1.
An Imp. haec praedia ex permutatione accepta in privatum transferre possit? 2.
An Authentica praesens ad alias personas, aliosque casus extendenda? 3.

1 *P*ermutare potest Imperator cum Ecclesia fun-
dum, si meliorem, vel aequivalentem det fun-
dum, et Reip. utilitas postulet, et pragmatica
sanctio accedat, ratio in utilitate Reipubl. et
quia Ecclesia non laeditur. Communis itaque uti-
litas tam Reip. quam Ecclesiae hoc introduxit.
Sed an Imperator haec praedia ex permutatione 2
accepta in privatum transferre possit? Negatur
in *Nov.* 55. *cap.* 1. cui tamen derogatur per
Nov. cap. 10. Sed notandum praesentem Au- 3
thenticam de Principe loquentem ad alias perso-
nas, aliosque casus extendendam non esse. *Card.
Mantic. de tac. et ambig. convent. lib.* 25. *tit.* 4.
num. 10. Licet generalius hoc intelligat *Redoan.
in tr. de rebus Eccles. non alien. q.* 2. *c.* 4. *num.*
7. Et aequius, et rationi juris Canonici conve-
nientius videtur, permutationem, si fiat cum
consensu Capituli, nec Ecclesia laedatur, non
esse prohibitam, licet Ecclesiasticum praedium
postea melioretur. *Redoan. de rebus Eccles. non
alien. q.* 20. *num.* 140. et *seqq.*

Auth. Item sibi invicem.

SUMMARIA

Quatenus Ecclesia una cum alia permutare possit immobilia sua? num. 1.
Multa, quae alienari non possunt, possunt tamen permutari. 2.
Idem obtinet in Emphyteusi. 3.
Aliud tamen obtinet in Feudo. 4.

*E*cclesia una cum alia, si neutra laedatur, po- 1
test permutare immobilia, cum consensu Admi-
nistratorum, et eorum, quorum interest, quia
hic nihil damni metuendum, quia nulla lae-
sio, *hic et Nov.* 129. *cap.* 7. Sed *Castr. hic*
notat, se vidisse observari, quod Ecclesia etiam
cum aliis v. g. privatis, permutaverit, adhibitis 2
tamen solemnitatibus debitis, ac praecipue con-
sensu Praelati, ac Capituli; nam multa, quae
alienari non possunt, possunt tamen permutari,
ut fundus dotalis, per *l. ita constante* 26. *ff. de
jure dot. et l. fin. d. t.* Idem in Emphyteusi 3
communiter volunt DD. quos allegat *Card. Mant.
de tac. et amb. convent. lib.* 25. *tit.* 4. *num.* 1.
Clarus §. *Emphyteusis, qu.* 17. modo absit fraus,
et nihil fiat in fraudem, et praejudicium Domi-
ni directi, *Clar. d. l.* Sed aliud in feudo volunt 4
per allegata *Manticae d. t.* 4. *num.* 8.

Auth. Item praedium.

SUMMARIA

Sensus Authenticae. num. 1.
An Ecclesia fundum oneratum multo debito fiscali habens, propterea vendere eundem possit? 2.
Praedia tributaria ad Ecclesiam transeuntia transeunt cum onere. 3.
Talia habere praedia, res est Ecclesiae, minus proficua. 4.
Justa proinde permutationis causa. 5.

*S*ensus est: Habet Ecclesia fundum oneratum 1
multo debito fiscali, Ecclesia vult liberari a fi- 2
scalibus debitis, quaeritur, an propterea vende-
re possit? Resp. Quod sic, idque ne quod in
favoris dati in dispendium vergat, *l. quod*

favore 6. *C. de LL.* modo serventur solemnitates, et administratores juramentum praestent,
3 quod hac de causa praedium alienetur. Et sic collige, praedia tributaria ad Ecclesiam transeuntia cum illo onere etiam ad Ecclesiam venire, quod hic ex aliis notat *Barbos. num.* 2. et supra illud ex *Klock.* aliisque confirmavi. Notetur
4 autem rem esse Ecclesiae minus proficuam, talia habere praedia, ex quibus tributum fisco,
5 vel census Magistratui solvendus sit, et justam hanc esse causam permutationis.

Auth. Qui rem.

SUMMARIA

Poena rem Ecclesiasticam conductam, sive in Emphyteusin datam magna deterioratione deteriorantis, vel intra biennium Canonem non solventis quadruplex. num. 1.
Cephal. *notatur.* 2.
An alii etiam Emphyteutae ob deteriorationem Emphyteusin amittant? 3.
Quaenam ad deteriorationem hic requirantur? 4.
An usufructuarius fundum deteriorans ab usufructu cadat? 5. *et* 9.
Idem obtineat in feudo? 6.
In locatione? 7.
In colonario? 8.
An pugnent inter se, Emphyteusin vindicare ut caducam, et praeteriti temporis pensionem petere? 10.

1 Haec de poena ejus agit, qui rem Ecclesiasticam conductam, sive in Emphyteusin datam, vel deterioraverit, magna scil. notabili deterioratione, *arg. l.* 4. *ff. de in integr. restitut.* licet *Ce-*
2 *phal. l.* 2. *cons.* 223. *num.* 35. etiam de modica deterioratione id intelligat, quia non in jure praetorio versamur: sed poenae jam recensendae modicae deteriorationi non videntur competere; vel intra biennium Canonem non solverit, cujus quadruplex poena. I. Cadit jure suo. II. Totius temporis praeteriti ut *Gl. Castr. aliique* explicant, pensionem solvit. III. Damnum resarcit. IV. Nec tamen meliorationes repetit.
3 Sed *an alii etiam Emphyteutae ob deteriorationem Emphyteusin amittant?* Aff. hic *Castr. num.* 2. *Clar. d.* §. *q.* 26. *Hartm. Pist. part.* 1. *quaest.* 28. *Christin. ff. dec.* 173. *num.* 35. *Don. l.* 9. *c.* 15. *Valasc. tom.* 1. *consult.* 5. quia melioratio est causa finalis, quae cessat facta deterioratione. Si modo deterioratio facta magna, vel levi
4 Emphyteutae culpa, *Hartm. Pist. d. l.* Nam ad deteriorationem hic tria requirunt: I. Ut sit non modica, sed magnae quantitatis, licet sit in parte fundi, *Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 318. *num.* 3. II. Ut ipsa substantia praedii deteriorata sit. III. Non levissima, sed ad minimum levi culpa, *Christin. d. dec.* 173. *num.* 34. *Carpz. P.* 2. *Const.* 38.
5 *def.* 23. Sic et usufructuarium, si arbores frugiferas caedat, et fundum deterioret, ab usufructu cadere vult *Garcias de Expens. cap.* 11. *num.* 33. quem laudat *Christin. d. l. num.* 38. idem in feudo, *Garc. d. tr. cap.* 12. *num.* 49. et
6 *Christin. d. l. num.* 40. Licet hic culpam latam requirat (*Rosenthal*) *de feudis cap.* 50. *concl.*
7 33. *num.* 32. Idem in Locatione *per l.* 3. *C. locati*, et in Colonario, qui habet (*das Meyer-Recht.*) *Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 348. De usufru- 8
ctu res videtur magis dubia, quia ob deteriora- 9
tionem rei in usumfructum concessae dantur aliae actiones sc. ex stipulatu, servi corrupti, Legis Aquiliae, *l.* 66. *ff. de usufr. et l.* 1. §. *usufr. quemadm. cav.* E contrario possumus argumentari cum *Card. Mantica:* Si Emphyteuta, qui plus juris habet, potest ob deteriorationem privari Emphyteusi, utique multo magis usufructuarius, qui minus juris habet. Sed potest ad hoc argumentum responderi dupliciter, 1. quod finis emphyteuseos sit melioratio, cum qua directe pugnat deterioratio, quod non est in usufructu. Deinde in usufructu habemus aliam actionem ex stipulatu, ex cautione, sed hic nulla cautio etc. Plura de amissione ex deterioratione, *Barbos.*
hic. Colligitur etiam ex hac Auth. non pugnare 10
inter se Emphyteusin vindicare ut caducam, et praeteriti temporis pensionem petere, modo prius animum, quod velit expellere Emphyteutam, declaret, et postea praeteriti temporis pensionem petat. Nam praeterquam, quod haec ex diversis causis contingant, cum expulsio fiat ob contumaciam et contemptum, petitio vero pensionum praeteriti temporis ex contractu; probatur etiam id ex hac lege, ut ex alia ratione. Omnes concedunt, quando cum protestatione Dominus accepit pensionem praeteritam, quod tunc possit expellere. At si prius animum declaravit de expellendo, videtur secutam petitionem pensionis ex priori declaratione animi interpretationem accipere. Vid. *Surd. decis.* 317. *num.* 23. *et seq.* et quos hic colligit *Barb. num.* 22. et praeter eos *Menoch. l.* 3. *praes.* 112. *et rem.* 9. *recup. pos. num.* 150. *et seq. Carpz. p.* 2. *Jurispr. forens. C.* 38. *d.* 6.

Auth. Haec usus praestatio.

SUMMARIA

An et quatenus aliquis ad necessitatem atque ad vitam uti possit fundo Ecclesiae? num. 1.
Sensus verborum: pleno jure. 2.

Casus est: Vult aliquis ad necessitatem, atque 1
ad vitam uti fundo Ecclesiae, quaeritur an possit? Resp. affirm. si alium fundum det Ecclesiae, qui pares redditus habeat, nec majora pendat tributa, ut finito usu utraque res pleno jure redeat ad Ecclesiam; idque in omnibus Ecclesiis locum habet. Fere est ejusdem argumenti cum §. 5. *l.* 14. *h. t.* nisi quod hic tributorum mentio fiat, quae in utroque fundo debent esse paria. Quaeris, *sed quis hac conditione contraheret cum Ecclesia?* Resp. Propter amoenitatem vel viciniatem posset quis ita contrahere, vel aliam ob causam, vel posset dici, ut in *d.* §. 5. ita et hic accipientem ab Ecclesia fundum utrumque retinere donec vivat, quem sensum commendare videntur verba *in Auth. hac et Nov.* 120. *c.* 2. *v. in fine;* utraque res integra et in dominium, et in usum in eamdem venerabilem domum perveniat, isque videtur planus sensus esse verborum: *Pleno jure* scil. quod tam ususfructus, 2
quam proprietas utriusque fundi ad Ecclesiam revertatur, licet aliter hic *Barb.*

L. Decernimus. 16.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Quaenam a Tyrannis statuta per hanc legem antiquata ? 2.
Quae contra Ecclesiam veram fiunt, etiam contra Deum fiunt. 3.
Dominium Tyrannicum non praescribitur. 4.
Restrictio legis. 5.
An tum temporis Primatus R. Ecclesiae creditus? 6.

1 Sensus simplex est, quod Imperatores ea privilegia Ecclesiarum, quae per Tyrannidem mutata erant, renovent, antiquatis iis, quae per
2 Tyrannidem erant constituta. Sed nota ea tantum a Tyrannis statuta antiquata esse, quae per modum legis, aut privilegii, non quae per justitiae viam fiunt, quae in legibus sunt fundata.
3 *Castr. hic num.* 1. Collige ea, quae contra Ecclesiam fiunt veram, etiam contra Deum fie-
4 ri, *Castr. num.* 3. Et quod Dominium Tyrannicum non praescribatur, *Rol. a Valle cons.* 3. *vol.* 1. *num.* 24. quem laudat *Christin. vol.* 2. *dec.*
5 14. ubi *num.* 2. ita restringit hanc legem, ut inter praesentes valeant donationes, insinuationes, venditiones, sententiae, arbitria, pactiones, tempore hostilis occupationis factae, non item quae contra absentes. Notetur autem hic, *Ecclesiam Constantinopolitanam matrem pietatis nostrae, et Christianorum orthodoxae religionis omnium, et ejusdem Regiae Urbis sanctissimam sedem, proindeque habere privilegia, et honores omnes super Episcoporum creationibus, et jure
6 ante alios residendi, et caetera omnia etc.* ex quibus verbis apparet, Primatum Romanae Ecclesiae tunc non fuisse creditum, et quam frigida sit *Accursii interpretatio* in vocabulo *matrem*, ubi hoc declarat, sc. secundam post Romanam sedem; quod ipsi non dissimulant Romano-Catholici, dum hanc legem ab ipso Acatio, Constantinopolitano Praesule, dictam esse dicunt.

L. Illud. 17. aliis. 19.

SUMMARIA

Quatenus ante l. pen. C. de Don. *valuerit donatio sine insinuatione? num.* 1.
L. pen. C. de Don. *est una ex* 50. *Decisionibus.* 2.
An valeat donatio Ecclesiae supra 200. *solidos sine insinuatione?* 3.
Valet donatio Ecclesiae facta usque ad 500. *solidos sine insinuatione.* 4.
In quibus piis causis hoc privilegium obtineat? 5.
Hospitalia indistincte sunt piae causae. 6.
Idem obtinet in Confraternitatibus. 7.
Hodie privato donare possumus usque ad 500. *solidos.* 8.
An beneficium Ecclesiae hic concessum etiam proportionabiliter extendendum super 500. *solidos usque ad* 800.? 9.
An non hodie, Jure Canonico praesertim, nulla donatio in Ecclesiam, vel causam piam facta requirat insinuationem? 10.
In restringendis piis causis non sequimur LL. saeculares. 11.

Ante *l. pen. C. de donat.* quae est una ex 50. 1
decision. novis, sine insinuatione valebat dona- 2
tio usque ad 200. solidos per *l. sancimus* 34. *C. de Donat.* Tunc ergo quidam donabat Ecclesiae 3
400. solidos sine insinuatione; Quaeritur an va- 4
leat? Resp. Imperator Justinianus quod sic, et constituit, ut donatio Ecclesiae facta usque ad 500. solidos valeat sine insinuatione, ultra non, nisi imperialis sit donatio juxta *d. l.* 34. *vers. exceptis:* sed tamen id privilegium in certis piis cau- 5
sis vult obtinere, ut si quid donet sanctae Ecclesiae, vel Xenodochio i. e. hospitali peregrinorum, vel Nosocomio, seu hospitali aegrorum, vel Orphanotrophio, i. e. pauperum hospitali orphanorum, vel Ptochotrophio, i. e. pauperum hospitali, vel Gerontocomio, i. e. senum hospitali, vel Brephotrephio, ubi infantes expositi aluntur, vel ipsis pauperibus, vel civitati alicui, et si alia causa sit his similis. Et quidem hospi- 6
talia indistincte esse pias causas ex hac lege, quia pietatis opera ibidem exercentur, tradit post alios allegatos, *Tiraq. in tr. de privil. piae caus. in praef.* §. *sed alii indistincte, etc.* licet alii distinguant, utrum auctoritate superioris sint constituta, an vero propria auctoritate, *Ant. Gabriel. lib.* 6. *Commun. concl. tit. de pia causa concl.* 2. idem in Confraternitatibus tenet, *d. l.* 7
et Tiraq. et Gabr. concl. 1. *et Christin. vol.* 2. *dec.* 15. Sed cum hodie privato donare possimus 8
usque ad 500. solidos; Quaeritur, *an beneficium Ecclesiae hic concessum etiam proportionabiliter* 9
extendendum sit super 500. *solidos usque ad* 800? quod negat *Schneid. in tit. de donation.* §. *aliae num.* 21. *Carpz. p.* 2. *Jurispr. const.* 12. *def.* 13. *num.* 6. licet contrarium forte receptius esse videatur ex traditis *Clari in* §. *Donatio num.* 17. *q.* 1. *Sed an non hodie, Jure Ca-* 10
nonico praesertim, nulla donatio in Ecclesiam vel causam piam facta requirat insinuationem? Ita quidem volunt, quia in restringendis piis 11
causis non sequimur Leges saeculares, *arg. c. relatum* 11. *X. de Testam. et ibi Panorm. num.* 4. *Clar.* §. *Donatio qu.* 17. *num.* 1. *Molin. de J. et J. d.* 397. *Tiraq. de privil. piae causae priv.* 124. *Perez. in C. de Donat. num.* 34. conferantur DD. congesti *a Barb. hic num.* 3.

L. Sancimus. 21.

SUMMARIA

Legis divisio. num. 1.
An vasa sacra emi, vendi vel oppignorari possint. 2.
Res divinae hominum commercio exemptae. 3.
Legis ampliatio. 4.
Ubicumque aequum est actionem dari, et non apparet specialis actio, tunc datur actio in factum. 5.
In causa famis, et captivitatis vendere, vel oppignorare licet vasa sacra. 6.
Res fideicommisso subjecta ob vitam gravati alienari potest. 7.
De alienandis rebus sacris in causa liberandorum captivorum, et famis, remissive. 8.

Tres partes habet: I. Est de vasis sacris non 1
vendendis, nec emendis, nec oppignorandis, 2
additur poena amissionis pretii, et debiti pro quo

oppignoratum est, quia scil. res divinae hominum
3 commercio sunt exemptae §. 7. et 8. *Inst. de
Rer. divis.* et ideo ab Episcopo, vel aliis vindicari
i. e. evinci, aut a nexibus humanis liberari pos-
sunt. Vide *Hill. ad Donell. l.* 20. *c.* 4. *l. c.* II.
4 Hoc ampliatur, licet in vasa sint conflata, nihi-
lo minus agitur actione in rem, vel condictio-
5 ne ad pretium, vel actione in factum. Collige:
ubicumque aequum est actionem dari, et non
apparet specialis actio, ut hoc in casu vasorum
conflatorum, quod tunc detur actio in factum.
6 *Castr. hic num.* 4. III. Exceptio traditur in cau-
sa famis, et captivitatis, quia animae hominum
quibuscumque vasis praeferendae *c. aurum.* 70.
c. gloria 71. *causa* 12. *qu.* 2. vide, quae allegat
7 *Klock. cons.* 35. *num.* 41. *et seq. vol.* 1. Collige
etiam, rem fideicommisso subjectam ob vitam
gravati alienari posse, per tradita *Surdi de alim.
t.* 7. *quaest.* 37. *num.* 19. *et t.* 8. *privil.* 19. *num.*
1. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 191. et quos allegat
Vinc. Fusarius de substit. qu. 536. *num.* 1. *et*
8 *Fr. Barry de success. l.* 8. *c.* 3. *num.* 42. Cae-
terum ut ad materiam nostram revertamur, de
alienandis rebus sacris in causa liberandorum
captivorum, et famis vid. *Covar. l.* 2. *variar.
resol. cap.* 16. *num.* 7. *et seqq. Molin. tr.* 2.
Disp. 340. *num.* 22. *Mant. de tac. et amb. Con-
vent. libr.* 4. *tit.* 5. et quos hic habet *Barbos.
ac DD. passim.*

Auth. Praeterea.

SUMMARIA

Sensus Authenticae. num. 1.
Qt. Ecclesia vasa superflua alienare possit? 2.
Religioni ita favendum, ut jus suum cuique tribuatur. 3.
Vasa Ecclesiae integra ne quidem ob necessitatem vendenda. 4.

1 Est limitatio membri primi Legis praeceden-
tis, quoad vasa superflua, ejusque sensus est:
Ecclesia si habet superflua vasa, et debitis gra-
vatur, potest ea integra alii Ecclesiae, quae ne-
2 cessariis destituitur vasis, vendere; vel conflata
cuilibet extraneo, sed scriptura interveniente,
et cum licentia, ac auctoritate Ordinarii, quia
Religioni ita favendum est, ut tamen jus suum
3 cuique tribuatur. Sed qui sine necessitate, atque
sine solemnitate debita res sacras vendit, eisdem
poenis subjacet, quibus subjacet ille, qui prae-
4 dia Ecclesiae distrahit. Nota, vasa Ecclesiae in-
tegra ne quidem ob necessitatem esse venden-
da, sed ea prius destruenda, et conflanda sunt,
et sic ea non amplius sunt sacra. *Greg. l.* 25.
syntagm. tit. 7. *num.* 4. et quos hic habet *Barb.
et Steph. Fagundez de J. et J. l.* 5. *cap.* 19.
num. 19. et ita non ipsa vasa laicis vendenda,
sed eorum materia conflata.

L. Sancimus. 22.

SUMMARIA

Non Curialis Curiali succedens, vel ab eo donatum quid accipiens quadrantem debebat solvere Curiae. num. 1.
An Ecclesia a Curiali donatum quid accipiens hanc quotam Curiae solvere teneatur? 2.

Per *l. un. C. de imponend. lucrativ. descript.* non 1
Curialis Curiali succedens, vel ab eo donatum
quid accipiens, quadrantem debebat solvere Cu-
riae. *Curialis autem quidam donationem, vel le-* 2
*gatum confert in Ecclesiam, vel pium locum, an
haec teneatur lucrativum hoc, sc. quotam infer-
re?* N. additur ratio, quia debet esse discrimen
inter res divinas, et humanas; et competens
praerogativa Coelesti favori reservanda, et hoc
non tantum in futuris, sed adhuc pendentibus
in lite negotiis obtinere disponitur *in* §. 1.

L. Ut inter. 23.

SUMMARIA

Lex haec tria privilegia continet. num. 1.
In rebus Ecclesiae, civitati, et piis locis relictis, vel donatis, venditisve, vel ad libertatem captivorum datis nulla currit praescriptio, nisi centenaria. 2.
Spatium hominis vitae longissimae 100. *anni.* 3.
Fiscus, et Ecclesia regulariter aequiparantur. 4.
An lex haec de omnibus adquisitis intelligenda? 5.
Ob haec omnia, etiam donata, et vendita, competit rei vindicatio et actio hypothecaria. 6.
Duo specialia §. 1. *hic continet.* 7.
Ecclesia adquirit dominium ex nudo contractu sine traditione. 8.
Aliud est in nuda promissione, ac voto. 9.
An Ecclesiae in rebus, quarum dominium quaesitum jam est, detur hypothecaria? 10.
Infinitas vitanda. 11.
Qt. homo praesumatur vivere 100. *annos?* 12.
Qui in morte alterius suam fundat intentionem, eam probare tenetur. 13.
Melius ex hoc textu probatur, quod homo non praesumatur ultra 100. *annos vivere.* 14.
Princeps potest tollere praescriptionem. 15.

Notabilis lex haec continet tria privilegia. I. 1
Quod in rebus Ecclesiae, civitati, et piis locis, vel
per ultimam voluntatem relictis, vel donatis, 2
vel venditis, vel ad libertatem captivorum da-
tis nulla currat praescriptio, nisi Centenaria,
quae est spatium hominis vitae longissimae. Cujus 3
rei hanc reddit rationem: ne res in infinitum ex-
tenderetur, cum aliae res 10. vel 20. annis prae-
scribantur, actiones vero 30. annis. Quia autem
civitatibus deterior esse non debet Fiscus, ideo
colligunt etiam exinde Fiscum, et Ecclesiam re- 4
gulariter aequiparari, *Gutierez lib.* 2. *pract.
quaest. c.* 8. *num.* 67. et quos hic congessit *A.
Barbos. num.* 6. quamvis autem *Pinell. de bon.
mat. in Auth. Nisi Tricennalis num.* 57. *vers.
infertur* 5. *etc.* hanc legem de omnibus adqui- 5
sitis intelligat, quem etiam hic sequitur *Barbos.
num.* 8. Verius tamen videtur non sine myste-
rio Imperatorem trium tantum causarum, reli-
ctorum, venditorum, et donatorum mentionem
fecisse, ut voluit *Barth. in Auth. subjecta num.*
2. *Covarr. in c. possessor. p.* 2. §. 2. *num.* 15.
vers. 4. *ex praemissis, et Bach. ad Tr. v.* 2. *d.*
22. *th.* 3. *lit. R.* II. In §. 1. sc. ob haec omnia 6
etiam donata, et vendita dat actionem realem
seu rei vindicationem, et hypothecariam, qui
paragraphus duo specialia continet; nam ex so- 7
la venditione, vel donatione alia rei vindicatio

non datur, *L. si ager* 50. *ff. de Rei vind. l.*
8 *pen. C. eodem.* Sed Ecclesia adquirit Dominium
ex nudo contractu sine traditione, *DD. hic et
Magon. decis. Lucens.* 39. *num.* 14. *Cam. Borell.
t.* 1. *decis.* 2. *n.* 38. *Covarr. l.* 2. *Resol. c.* 19. *n.* 2.
Gomez. t. 2. *c.* 2. *n.* 20. *Molin.* 369. *d. n.* 7. Ubi
9 alius esse dicit in nuda promissione, ac voto.
Tiraq. priv. piae causae 107. Sed in Belgicis
Provinciis Hispano Regi parentibus id non ob-
servari testatur *Christin. dec.* 8. *num.* 4. *vol.* 2.
10 Speciale est, quod in rebus, quarum dominium
quaesitum jam est, detur hypothecaria actio
contra *l. neque pignus* 45. *ff. de R. J.* Sed dici
potest, quod in re donata habeat dominium,
in aliis hypothecam, ut Legatarius.

III. In §. 2. Hoc non tantum in futuris, sed
et praeteritis pendentibus litibus, seu causis obti-
11 nere debere. Collige 1. Infinitatem esse vitan-
12 dam. Colligunt hominem centum annos praesu-
mi vivere, ad hunc effectum, ut qui in morte
13 alterius suam intentionem fundat, eam probare
teneatur, DD. hic commun. praesertim *Gilken.
num.* 8. *et seq. Menoch. l.* 6. *praesumpt.* 49.
14 *num.* 26. *Mascard. Concl.* 1074. Sed forte me-
lius probatur ex hoc textu, quod homo non
praesumatur ultra 100. annos vivere, non quod
praesumatur usque ad illum terminum vivere,
Castill. l. 4. *contr. cap.* 13. *n.* 41. *Covarr. l.* 2.
num. 50. *l.* 27. *num.* 6. *Gabriel lib.* 1. *tit. de
praesumpt. concl.* 16. *num.* 3. *Auctor in l.* 3. *ff.*
15 *de legibus num.* 2. Collige etiam Principem
posse tollere praescriptionem, quia jure civili
data, et eodem jure tolli potest. *Petr. Ant. de
Petra de jure quaesito non toll. cap.* 15. *num.*
15. et quos allegat *Klock. cons.* 48. *num.* 57. *vol.* 2.

Auth. Quas actiones.

SUMMARIA

Auth. haec legi praeced. derogat. n. 1.
Actiones reales inter praesentes decennio, inter absentes vicennio, personales triennio praescribuntur. 2.
Actiones Ecclesiae competentes omnes regulariter 40. *annis, etiam contra Ecclesiam, praescribuntur.* 3. 8.
Idem est in causis pauperum. 4.
In sola Romana Ecclesia remansit Centenaria praescriptio. 5.
Item in Civitatibus. 6. *et municipiis.* 7.
A quo tempore inchoanda praescriptio Ecclesiae contra Ecclesiam. 9.
Praescriptio minor longi, vel longissimi temporis praescriptione etiam contra Ecclesiam locum habet. 10.

Haec Auth. legi praeced. derogat; cujus hic 1
est sensus: Actiones reales inter praesentes de- 2
cennio, inter absentes vicennio, personales au-
tem triennio praescribuntur. *Quid autem in
actionibus Ecclesiae competentibus?* Haec omnes 3
seu reales, seu personales sint, praescribuntur
40. annis, licet Ecclesia contra Ecclesiam prae-
scribat, *Baldus de praescript. part.* 1. *quint. part.
princ. num.* 3. *Carpz. p.* 2. *const.* 5. *def.* 2. *per
c. illud* 8. *X. de praescript.* Idem est in causis 4
pauperum, *Nov.* 131. etiam pro temporalibus,
modo longius tempus in casu aliquo non sit
praescriptum, ut *c.* 1. *de praescr. lib.* 6. In sola 5
Romana Ecclesia remansit Centenaria praescri-
ptio, nec non in civitatibus, *Br. hic num.* 8. *et
Don. l.* 5. *cap. ult. lit. F. Fach. l.* 8. *cap.* 3. li- 6
cet id adhuc dubium esse videatur per tradita,
Hier. de Caevall. qu. 49. *et Tiraqu. ad l. si un-
quam in voce libertis, C. de Rev. donat. num.*
45. Sed sententia prior communis. Vid. *Covarr.
in c. possessor. p.* 2. §. 2. *num.* 9. *Petr. Barbos.
in l. Si constante* 25. *pr. num.* 105. *ff. sol. ma-
tr. Aug. Barb. hic in collect. num.* 5. quia in
Ecclesia ratio est favor Religionis, in Civitate
favor publicus, quae rationes sunt similes in
effectu, sed non eaedem, *Barb. d. num.* 105.
quod de civitate dictum, etiam de Municipiis in- 7
telligit *Goed. ad l.* 17. *num.* 16. *ff. de Verb.
sign.* quem refert *Hill. ad Donell. l.* 5. *cap. ult.
lit. F.* Collige ex textu hujus Auth. (I). Contra 8
Ecclesiam praescribi actiones regulariter 40. an-
nis, nam alienatio bonorum Ecclesiae non est
prohibita simpliciter; ergo nec praescriptio,
*Balb. de prima parte quintae part. principal.
num.* 2. ubi idem esse dicit, si una Ecclesia con- 9
tra aliam praescribat, sed hanc praescriptionem
post mortem Praelati ejus, qui alienavit incho-
andam esse volunt per *c. Sacerdotes* 10. *caus.*
16. *qu.* 3. *Balb. d. l. num.* 8. *Christin. dec.* 173.
num. 43. *vol.* 5. (II.) Collige, minorem prae- 10
scriptionem longi, vel longissimi temporis prae-
scriptione, etiam contra Ecclesiam, ut contra
privatum, locum habere, ut usucapio mobilium
per triennium, *Covarr. in c. possessor. p.* 2. §.
2. *num.* 5. *Molin. disp.* 68. *num.* 3. *Peregr. de
jur. fisci l.* 6. *tit.* 8. *num.* 44. Item in quadrien-
nii praescriptione, *l. f. C. de praescript. qua-
driennii.* Item annali praescriptione actionum
poenalium praetoriarum, *Balb. d. l. num.* 12.

TITULUS III.

De Episcopis, et Clericis.

L. Juxta Sanctionem. 1.

SUMMARIA

Clerici ab extraordinariis muneribus, et ab hospitatione militum cum tota familia sunt immunes. num. 1.
Principis confirmatio privilegia priora, etiam non apparentia, alicui confirmantis valida est. 2.
Falsa demonstratio dispositionem non vitiat. 3.
Coloni, et famuli conductitii Clericorum non gaudent horum privilegiis. 4.
An eorum mancipia? 5.
Episcoporum famuli? 6.
Hospitatio est munus patrimoniale. 7.
A patrimonialibus muneribus Clerici non sunt exempti. 8.
Solvitur objectio. 9.

1 Sensus hujus legis est satis perspicuus, et hoc dicit: Clericos ab extraordinariis muneribus, et ab hospitatione militum cum suis mancipiis i. e.
2 tota familia esse immunes. Collige, si Princeps privilegium alicui confirmet, etsi priora privilegia, quae allegat, non appareant, validam tamen esse confirmationem, ut hic probat *Ca-*
3 *str. num.* 4. per rationem, quod falsa demonstratio dispositionem non vitiet, *argum.* §. 30.
4 *Inst. de leg.* Colligitur etiam ex hac lege, colonos, et famulos conductitios Clericorum non gaudere iisdem privilegiis, quibus gaudent Cle-
5 rici ipsi, sed tantum mancipia eorum, *Thesaur. decis.* 22. *num.* 1. *et* 5. *et seq. et dec.* 115. *num.* 8. videatur tamen *Farin. p.* 1. *qu.* 8. *num.* 46.
6 ubi id limitat in famulis Episcoporum. Illud videtur scrupulum movere in hac lege, quod ho-
7 spitatio sit munus patrimoniale, per *l.* 3. §. 14. *ff. de Muner. et Honor. et l.* 3. *C. de Muner.*
8 *patrim.* Sed ab his non sunt exempti Clerici per
9 *l.* 3. *h. t.* Respondet Glossa: Clericos non quidem ab omnibus patrimonialibus muneribus, v. g. tributis, ab hoc tamen munere esse exemptos.

L. Omnis. 2.

SUMMARIA

Clerici negotiationem honestam exercentes immunes sunt a sordidis muneribus. num. 1.
Idem obtinet in eorum ministris, conjugibus, et liberis, ut et in omnibus muneribus extraordinariis. 2. 4.
Parangaria quid. 3.
An et qt. privilegia alicui concessa transeant etiam ad familiam? 5.
Quoad jurisdictionem totam familiam privilegio patrisf. frui communiter receptum. 6.
Secus est quoad praxin Nostratium. 7.

1 Si sordida munera imponantur mercatoribus, vel aliis, ab iis tamen immunes sunt Clerici, licet negotiationem, honestam tamen, exerceant, nam id, quod congesserint, aequius est in usum pauperum distribui *per h. l.* hoc extenditur ad
2 eorum ministros. §. 1. Extenditur ad omnia
3 munera extraordinaria. §. 2. Idem in parangaria i. e. sumptibus itinerum, non per viam publ.
4 sed aliorsum susceptorum. §. 3. Extenditur ad conjuges, liberos, ministros. §. 4. Nota: quod
5 privilegia alicui concessa etiam transeant ad familiam ipsius, videlicet ad uxorem, et liberos, *l.* 4. *ff. de usu et habitat. l.* 12. *C. de prox. Sacr. Scrinior. Boer. decis.* 213. *num.* 8. *Acac. Enenkel. Baro de privil. l.* 2. *c.* 4. *num.* 101. Distinguunt tamen DD. hic et praecipue *Cyn. et Castr. hic num.* 6. quod privilegia competunt aut ratione dignitatis, et tunc ad filios etiam post mortem patris transeunt, *l. foeminae* 8. *ff. de Senat.*; aut ratione officii, et tunc liberis competunt vivente patre, ut hic; aut ratione necessitatis, et non transeunt. Confer. *Card. Tusch. concl.* 746. *lit. P. et Menoch. l.* 3. *praes.*
6 103.; quoad jurisdictionem tamen totam familiam, privilegio Patrisfam. frui, quamdiu in ea familia degunt famuli communiter receptum esse videtur, *Christin. vol.* 2. *dec.* 17. *num.* 2. *et seq. vid. hic Bald. et Felin. in c. nullus X. de For. comp.* et not. ad *l.* 10. *infr. de Re milit.* licet aliter apud nos observetur. 7

Auth. Item nulla.

SUMMARIA

Collectae, aut munera sordida Ecclesiae, aut personis Ecclesiasticis non sunt imponenda. num. 1.
Poena contra facientium. 2.
Invasio rei immobilis Ecclesiae tripli poenam meretur, et invasorem foro Ecclesiastico subjicit. 3.
An illis legibus, quae ad murorum refectionem Ecclesiis imponunt collectas, per hanc Auth. derogatum? 4.
Non iniquum est, ut de bonis temporalibus, quando antea collectis subjecta fuerunt, si ad Ecclesiam perveniant, collectae solvantur. 5.
Universitas ex delicto ad poenam obligatur. 6.

Prohibetur hic, ne communitas, aut magistra- 1
tus, aut privatus collectas, aut munera sordida Ecclesiae, aut personis Ecclesiasticis imponat, sub poena Banni Imperialis, et restitutionis tripli; quae tamen poena tunc locum habet, si 2
ter admoniti id emendare neglexerint. Colligunt 3
ex textu, invasionem rei immobilis Ecclesiae tripli poenam mereri, et invasorem subjicere foro Ecclesiastico, *Br. et Bl. hic. Sed an non igi-* 4
tur illis legibus, quae ad murorum refectionem Ecclesiis imponunt collectas per hanc Auth. derogatum est? Ita vult *Molin. tr.* 2. *de J. et J.* 672. *num.* 4. *in prima concl. in fin.* et hunc, aliosque laudans *Barbos. num.* 3. Sed cum Imp. hic utatur verbis generalibus collectarum exactionis, item angariae, et parangariae, non puto per verba haec illas collationes intelligi, quae fiunt ob communem salutem, sed videmus tamen apud nos etiam, talibus ob salutem totius urbis indictis collationibus liberari loca pia, et personas Ecclesiasticas. Sed non iniquum, ut de 5
bonis temporalibus, quando antea collectis subjecta fuerunt, si ad Ecclesiam perveniant, collectae solvantur. Conf. *Klock. de contrib. c.* 19. *num.* 512. cujus tamen verba omnia non facio mea. Colligitur etiam ex hac Auth. Universita- 6
tem ex delicto ad poenam obligari, de quo *Gail. l.* 2. *de pace publ. cap.* 9. *per tot.* et plures citans *Farin. qu.* 24. *num.* 109.

L. De his Clericis. 3.

SUMMARIA

Clerici onera fiscalia de praediis solvere tenentur. num. 1
Onera fiscalia sunt realia. 2.
De quibus praediis lex haec intelligenda? 3.
An hodie Clericus de praediis tributariis tributum solvere teneatur? 4.
Ob mutationem personae mutatur conditio rei, quae respicit personam. 5.
Guttierez, *et* Barbosa *notantur.* 6.

1 Clerici non tantum aliena praedia ab onere tributorum eximere non possunt, sed et de propriis praediis solvere onera fiscalia tenentur,
2 alias praedia transferuntur ad Fiscum. Ratio: quia haec onera realia, *arg. l. 7. tit. praeced.*
3 Sed haec lex intelligenda de praediis Clericor. propriis, non Ecclesiae, per *l. Placet. 5. tit. praec. Castr. in l. 1. h. t. num.* 1. Sed quid ju-
4 re novo? *Tenetur ne Clericus hodie de praediis tributariis solvere tributum? Guttierez l. 1. q. pract. 3. num.* 15. et ex eo *A. Barb. hic num.* 3. distinguit; an Princeps imposuerit tributum fundo, per modum conventionis initae cum privato, et tunc onus impositum durare, licet ad Clericum pervenerit; an vero Princeps jure superioritatis imposuerit fundo tributum, et tunc
5 liberari fundum, simul ac ad Clericum pervenerit, quia ob mutationem personae mutatur conditio rei, quae respicit personam, per *l. 90. ff. de acquir. haered. l. 9. §. fin. ff. de Publican.*
6 *et vectigal.* Sed falsa duplex est hypothesis 1. Quod Imperator imponendo tributum respexerit ad personam. Falsum etiam 2. hoc est, quod Imperator de casu insolito, quasi sc. per conventionem cum privato tributum imposuisset, hic sit intelligendus. Tutius igitur in regula manere, quod res cum vinculo tributi transeat ad Clericum, et non fingere singularem casum cum *Guttierezio.*

L. Officiales. 4.

SUMMARIA

In officio publico constituti, et ad rationes reddendas obstricti non possunt ad Clericatum adspirare. num. 1.
Poena secus facientium. 2.
Laicus post perpetratum delictum Clericus factus puniri potest a judice Laico.
Propinqui quinam dicantur? 4.

1 Qui in officio publico sunt, et ad rationes reddendas obstricti, non possunt ad Clericatum adspirare; si fecerint, retrahendi sunt ad priorem
2 conditionem; et si clandestinis artibus fecerint, duae partes bonorum ipsis auferantur, et liberis, aut propinquis, aut si proles, propinquive defuerint, officio, in quo militant, applicentur, tertia tantum pars ipsis relinquatur; Sed si reddiderint, rationes et vitae sint probatae, inter Clericos possunt recipi. Ratio prohibitionis est, quia Clericatus hic in fraudem obligationis as-
3 sumptus est, et hinc concludunt DD; si quis Laicus delinquat, et postea, ut se poena subtrahat, Clericus fiat in fraudem, quod tunc a Judice Laico puniri possit. Videantur allegata apud *Farinac. in pr. crim. q. 8. num.* 104. Sed dispositionem legis hujus ita limitat *Escobar. de Ratiocin. c. 4. num.* 4. nisi quis administrasset negotia Ecclesiae, vel pii loci, vel miserabilium personarum. Sed an liquidum sit hujus funda-
4 mentum, dubito. Colligi etiam potest, quinam propinqui dicantur? scilicet sanguine juncti, qui ad successionem adspirare possunt, usque ad 10. gradum *hic et in l. 3. C. de incest. nupt. et l. un. C. unde vir et uxor, Tiraq. de Retr. lign. l. 9. n. 9. Car. Tusch. concl. 911. lit. P. et Barb. hic num.* 8.

Auth. Sed neque.

SUMMARIA

Curiae adscriptus, vel officialis nullo modo potest fieri Clericus. num. 1.
Limitatur. 2.
Curialis Clericus factus, si uxorem iterum ducat, aut ad saecularem vitam sponte relapsus, dignitate privatus Curiae redditur. 3.
Quae de Curiae adscriptis in jure habentur, ab usu recesserunt. 4.
Licuit in minoribus ordinibus constituto Clerico uxorem habere. 5.
Apud Graecos, et Germanos indistincte licuit. 6.
Licuit Monachis ad saecularem vitam redire. 7.
Non tantum rigorem agnovit Ecclesia prisca, quam Pontificia Romana servat. 8.

Curiae adscriptus, vel Officialis nullo modo Cle- 1
ricus potest fieri, ne Clero fiat injuria, vel molestia, si vero de facto fiat, revocetur ad priorem statum, nisi Curialis prius monasticam 2
vitam fuerit amplexus per quindecim annos, nam tunc potest fieri Clericus; quod favore Religionis placuit, sed sibi tantum retinet quartam partem, reliquis Curiae, vel fisco applicatis. Nec hic injuria fit Curiae, quae sat temporis habuit ad eum retrahendum.

§ 1. Agit de Curialibus, qui Clerici facti sunt, 3
si uxorem iterum ducant, quamvis in eo gradu sint, ut uxorem ducere possint, tamen ad Curiam retrahendi, et quicumque ad saecularem vitam sponte relabuntur, dignitate privati Curiae reddantur. Sed quae de Curiae adscriptis 4
in hac Auth. alibique habentur, ab usu recesserunt. Interim notetur ex *hac Auth. et Nov.* 123. *cap.* 15. licuisse in minoribus ordinibus 5
constituto uxorem habere; sicut apud Graecos, 6
et Germanos indistincte licuit. Deinde probatur 7
licuisse Monachis ad saecularem vitam redire, nec tantum rigorem agnovisse Ecclesiam priscam 8
quam Pontificia Romana servat.

L. Si quis, non dicam rapere. 5.

SUMMARIA

Rapiens, et attentans etiam matrimonii causa virgines sacras capitaliter punitur. num. 1.
Jovinianus etiam oculos impudicos in sacras virgines conjicere prohibuit. 2.
In delictis atrocioribus punitur conatus, non secus ac delictum consummatum. 3.
Limitatur, si poenitentia ductus sponte a conatu resilierit. 4.
Apud nos lex haec, quod ad matrimonium attinet, non observatur. 5.
Pontifex saepe dispensat, ut Moniales nubant. 6.
Auctoris de tali matrimonio sententia. 7.
Erronea hujus legis subscriptio, remissive. 8.

Statuitur poena capitalis in eum, qui non tan- 1
tum rapuit, sed attentavit etiam matrimonii causa virgines sacras. Auctor hujus legis Jovinianus 2
etiam oculos impudicos in sacras virgines conjicere prohibuit, teste *Nicephor. Calixt. l. 10. hist.*

Eccl. c. 39. quem refert *Menoch.* 2. *A. Q. cas.*
3 260. *num.* 51. Collige ex hoc textu: In delictis atrocioribus puniri conatum, non secus ac delictum consummatum, quod recte Gl. hic limitat: nisi poenitentia ductus sponte a conatu resilierit,
4 *arg. l. qui falsam* 19. *ff. ad L. Corn. de falsis,* quae Glossa communiter approbata, scilicet conatum, cum scil. ad actum processit raptor (v. g. si quaesitam non reperit, vel ablatam relinquat persequentibus) ordinaria poena plecti, secus si ipsum facti poenituerit, et noluerit eam cognoscere cum potuisset, *Men. l.* 2. *A. Q. cas.* 291. *num.* 37. *et cas.* 360. *num.* 32. *Mascard. de probat. concl.* 1260. *num.* 37., *et Farin. q.* 145. *num.* 290. licet *Decian. l.* 8. *c.* 7. *num.* 34. in casu attentatae Monialis non videatur hanc
5 distinctionem recipere. Et apud nos lex haec, quod ad matrimonium attinet, non observatur, praesertim si votum factum sit non exploratis viri-
6 bus. Et Pontifex ipse saepe dispensat, ut Mo-
7 niales nubant. Non tamen suascrim tale matrimonium, nam cum continentia res sit, quae voveri possit, caeteris paribus, si satis quis exploraverit vires suas, si quis eam ducat, procul
8 dubio occasionem praebet voto solvendo. Sed haec ab aliis dicenda. Erroneam hujus legis subscriptionem arguit *D. Thabor. in Armament. tit. de Examinatione c.* 20. §. 10.

L. Presbyteros. 6.

SUMMARIA

Lex haec ampliatio est legis 2. h. t. *num.* 1.
Per Clericos omnes intelliguntur, qui sunt in sacro ministerio, et ordine. 2.
Barbosa *notatur.* 3.

1 Haec lex enim Presbyteros, et inferiores Clericos, etiam eos, qui non sunt in sacris ordinibus, a personalibus eximit muneribus, v. g. a tutela, vel cura. Est ergo ampliatio legis se-
2 cundae h. t. scilicet per Clericos omnes intelligendos esse, qui sunt in sacro ministerio, et or-
3 dine. Ex quo infert hic *Barbos.* omnes Clericos esse immunes a tributis, cum tamen Imp. diserte de personalibus privilegiis loquatur.

L. Nec honore. 7.

SUMMARIA

Episcopus non debet compelli ad testimonium ferendum a judice Laico. num. 1.
Nisi veritas aliter haberi non possit. 2.
Ubi coram judice Ecclesiastico examinandi Clerici. 3.
Praxis Fori Gallici, Belgici, et Germanici. 4.
Compelli possunt Clerici a judice Ecclesiastico ut in judicio saeculari deponant. 5.
Vel coram Commissariis. 6.

1 Episcopus non debet compelli ad testimonium ferendum a judice Laico, cum et persona ipsius gravetur, et dignitas officii ita prostitui videatur; quod intelligunt DD. nisi veritas aliter ha- 2
beri non possit, nam tunc coram judice Ecclesiastico omnino sunt examinandi Clerici, *Gail. l.* 1. *obs.* 100. *num.* 16. *Carpz. p.* 1. *c.* 16. *def.* 69. Conf. *Farin. de testibus q.* 61. *num.* 93. *et* 3
q. 78. *num.* 77. *et num.* 108. Et ideo in Gallia, 4
Belgio, et Germania nostra Episcopos, et Clericos ad dicendam veritatem compelli posse tradit
Christin. Dec. 17. *num.* 8. *et seq.* Imo etiam ad 5
requisitionem judicis saecularis a suo Ecclesiastico judice compelli possunt Clerici, ut in judicio saeculari deponant, *Christin. d. dec.* 17. *num.* 10. *Donnel. l.* 25. *c.* 14. *lit. I. Gail. d. obs.*
10. *num.* 16. vel coram Commissariis, ut saepe 6
fieri solet, de quo *Carpz. in jurispr. Eccles. l.* 3. *def.* 14.

Auth. Sed Judex.

SUMMARIA

Auth. haec legem praeced. declarat. num. 1.
An Episcopus testis debeat jurare. 2.
Notatur Irnerius. 3.
Solemnitas tangendorum Evangeliorum Episcopis remissa. 4.
Testis debet dicere omnia, quae novit, et sic pro utraque parte deponere. 5.
In Criminalibus jurat testis de dicenda veritate super tota causa.
Clerici juramentum declinare non possunt. 7.
Qt. hoc procedat? 8.

Haec legem praecedentem declarat, et statuit: 1
ut Judex mittat ministros, coram quibus Episcopus propositis Evangeliis disserat veritatem: 2
Sed *an debet jurare?* Negat hoc Irner. eumque sequitur *Rittershus. in Nov. p.* 1. *c.* 7. *num.*
82. Sed in originali textu non habetur, videtur 3
Imp. tantum solemnitatem tangendorum Evangeliorum remisisse, non juramentum, *Donell. ad l.* 9. *C. de testibus num.* 5. quod, et hic probare videtur *Castr. Don.*, et *Carpz. d. def.* 69. 4
et lib. 3. *Jurisprud. Eccl. d.* 22. Collige, testem debere dicere omnia, quae novit, et sic deponere pro utraque parte, *DD. hic* praecipue, si
juramentum praestitit de veritate dicenda su- 6
per tota causa, quod in criminalibus fieri assolet, aut si quae extra articulos referat, sint connexa iis, quae in articulo referuntur; aut
ad ea declaranda faciant, videatur *Masc. de pro-* 7
bat. concl. 1372. porro collige, Clericos juramentum declinare non posse, *Carpz. d. ll.* et
in *decis. illustr.* 77. ubi tamen id temperat, ut 8
examinatio fiat coram Magistratu Ecclesiastico, nec nisi in gravissimis causis.

L. Presbyteri. 8.

SUMMARIA

Testis vacillans, mentiens, et fallens tormentis subjici potest, si veritas aliter haberi non possit. num. 1.

Secus est in Presbytero vacillante. 2.
In inferioribus Clericis jus commune servatur. 3.
Salva partibus querela falsi contra Presbyteros, si veritatem suppresserint. 4.
Spe impunitatis delinquens delinquit gravius aliis. 5.
Quatenus dignitas crimen augeat. 6.
Clericum nihil magis dehonestat, quam mendacium. 7.
Nobilem perjurium, proditio, stuprum violentum, aut incestus. 8.
Nobiles defensionem sexus imbecillioris profitentur. 9.
Non eadem poena nobili, et plebejo dictanda. 10.
Contra testem falsum parti datur actio in factum ad interesse. 11.
Clericus falsum testimonium dicens hodie a judice Laico non potest puniri. 12.
Falsus testis est, qui verum supprimit. 13.
Limitatur. 14.

1 Licet testis vacillans, mentiens, *vid. auctor. in l.* 11. *ff. de interrog. in jure fac. num.* 98. et fallens tormentis subjici possit, *l.* 21. §. 2. *de*
2 *testib.* si veritas aliter haberi non possit, de quo, aliisque requisitis dixi *in tr. de inquisit. c.* 8. *membr.* 2. *num.* 76. *et seq*; Presbyter tamen testis, licet vacillet in dictis suis, non torquetur.
3 Aliud in inferioribus Clericis, ubi jus commune
4 servatur. Prius declaratur, quod salva tamen sit partibus querela falsi contra Presbyteros, si veritatem suppresserint; nam tunc poena falsi tenentur, additur ratio; multo magis enim poena digni sunt, quibus plurimum honoris tributum est, si occulto inveniantur in crimine.
5 Cujus ratio est, quia spe impunitatis in hac specie videntur deliquisse, et sic gravius aliis, *arg. c.* 5. *X. de Cleric. excomm. c. fin. X. de immunit. Eccl. Georg. Enenkel. Baro in tr. de privil. l.* 1. *c.* 6. *num.* 23. *Covar. l.* 2. *resol. c.* 20. *num.* 15. *Clar.* §. *fin. q.* 30. *num.* 15. Vel
6 etiam dici potest, dignitatem augere crimen, quando crimen cum dignitate, et professione maxime pugnat, sicut Clericum nihil magis
7 dehonestat, quam mendacium; Nobilem, quam
8 perjurium, aut proditio, aut stuprum violen-
9 tum, aut incestus, quia contrarias virtutes, scilicet fidem, et constantiam, et defensionem sexus imbecillioris profitentur, *Tiraq. de Nobilit. c.* 20. *num.* 1180. Vel dici potest, in omnibus
10 crimen augeri per dignitatem, sed ex eo non sequi, eamdem poenam Nobili, et Plebejo dictandam, sed quae major sit nobili, quam ea poena, quae dictatur alias plebejo, juxta propor-
11 tionem Geometricam. Nota: Contra testem falsum parti dari actionem in factum ad interesse.
12 Hodie tamen Clericus falsum testimonium si deponat, non potest a judice Laico puniri, Vid. *Farin. de test. q.* 67. *num.* 56. Deinde notes ex
13 hac lege: Quod falsus sit etiam ille testis, qui non tantum falsum fingit, sed etiam verum supprimit, ex verbis *vera suppresserit, Tiraq. de poen. temp. caus.* 44. *num.* 15. *Menoch. l.* 2. *A.*
14 *J. Q. cas.* 310. *num.* 14. quod tamen intelligendum, si fuerit super eo interrogatus; aut generale Juramentum praestiterit de veritate dicenda, et sic nihil debuit supprimere, juxta tradita per *Mascard. concl.* 1372. *et Farin. d. q.* 67. §. 6. *num.* 220. *et seqq.*

Auth. Presbyteri.

SUMMARIUM

Circa poenam falsi distinguendum inter Presbyteros, Diaconos, ac inferiores Clericos.

Agit de poena falsi testimonii; et distinguit inter Presbyteros, ac Diaconos, ac inter inferiores Clericos: in illis subdistinguit inter causam pecuniariam, ubi traditur, si verum dissimulet in causis criminalibus, Presbyter falsus testis per triennium in monasterium, Clericatus honore exutus legitimis laicorum poenis exercetur; Sed poena verberum sine delectu, ac discrimine causae, sive civilis sit, sive criminalis, statuitur Clericis Diacono inferioribus; quod idem repetitur in *c.* 3. §. *presbyteri* 5. *q.* 6. *et cons. can. si Episcopus Dist. Far. in q.* 67. *num.* 7.

L. Nulla. 9.

SUMMARIA

Foemina quando Diaconissa fieri possit? num. 1.
Diaconissae mulieres quaenam? 2.

Foemina non fiat Diaconissa, nisi 50. annos na- 1
ta. Idem habetur *in Nov.* 6. *c.* 6. Sed 1. *Tim.*
5. sexaginta annorum fit mentio. Erant Diaconis- 2
sae mulieres, quibus cura pauperum, peregrinorum, aegrorum, vinctorum, aliaque pietatis officia commendabantur.

Auth. Presbyterium.

SUMMARIA

Ætas ordinandorum Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, et Lectoris. num. 1.
Requisita Episcopi, remissive. 2.
Presbyteri vocabulum ab aetate derivatum. 3.
Ad Ecclesiae regimen quales personae admittendae. 4.
Concilii Tridentini, ut in schismate celebrati, auctoritas non curanda. 5.
Apud nos Ecclesiae praeficiuntur juvenes imberbes ex Academico pulvere evocati. 6.

Ordinari non debet Episcopus, et Presbyter mi- 1
nor 35. annis, Diaconus 25. annis, nec Lector
18. annis minor. Ratio in Episcopis est haec, 2
quia horum requisita, quae habentur 1. *Tim.* 3. *v.* 2. *et seq. et ad Tit.* 1. *v.* 6. *et seq.* vix cadunt
in juvenem, et vocabulum *Presbyteri* ab aeta- 3
te derivatum. Indecorum autem est, ut isti debeant Ecclesias regere, qui non noverunt gubernare se ipsos, cum ad Ecclesiae regimen
tales personae sint admittendae, quae discretio- 4
ne praeemineant, et morum fulgeant honestate, *c. indecorum* 3. *X. de aetate, et qualitate.* Aliam aetatem praescribit *Clem. fin. de aetate, qualitate, et ordine praeficiendorum.* Aliam *Concilium* 5
Tridentin. Sed hujus, ut in Schismate celebrati, auctoritatem non curamus. Melius forte fuerit,

6 decisionem Justinianeam sequi. Sed videmus apud nos Ecclesiis praefici juvenes imberbes ex Academico pulvere evocatos, et præesse saepe aliquem aliis multo grandioribus, quod an cum commodo Ecclesiae fiat, ambigo.

Auth. Diaconissimam.

SUMMARIA

Corrigit haec Auth. L. 9. h. t. *num.* 1.
Prohibetur Diaconissa ordinari, quae ad secunda vota transiit. 2.
Abbatissa eligi potest completo anno trigesimo. 3.
Item Episcopus. 4.
Non praecise aetas, sed magis discretio, et vita eligendi considerari debet. 5.

1 Haec corrigit L. 9. et prohibitionem istam ad
2 40. annos restringit, ac simul prohibet Diaconissam ordinari, quae ad secunda Vota transiit;
3 Jure Can. Abbatissa eligi potest, quae complevit annum trigesimum, *c.* 43. *de Elect. lib.* 6.
4 Sic Episcopus ejusdem aetatis eligi potest, *cap.*
5 7. *X. de Elect.* Nec ergo praecise aetas, sed magis discretio, et vita eligendi considerari debet.

L. Si quis in hoc genus. 10.

SUMMARIA

Divisio legis in tres partes. 1.
Poena in Ecclesias irruentium, et Ministris V. D. sacra facientibus vim inferentium. 2.
Quae ad hoc, ut poena dicta locum habeat, requirantur? 3.
Praejudicium Rostochiensis facultatis remissive. 4.
Scabinorum Lipsiensium. 5.
Accusatio in hoc crimine omnium est. 6.
Omnis injuria facta in Clericum crimen publicum est. 7.
Injuria interdum publicum crimen est, et in sacrilegium incidit. 8.
Species sacrilegii est vis illata in personas Clericorum. 9.
Sacerdotum maxima est dignitas. 10.
Gloria, et honos Episcopi est remittere injurias, et delicta. 11.
Non decet Episcopum poenam conventionalem exigere ab aliis. 12.
Vis sacris personis, et rebus illata, est mixti fori. 13.

1 Tres habet partes: I. Statuitur poena capita-
2 lis in eos, qui in Ecclesias irruentes Ministris Sacra facientibus verbis vim inferunt: ad quod
3 tamen nonnulli quatuor requirunt: 1. Si Episcopus, vel Clericus offendatur non verbis tantum, sed etiam verberibus. 2. in loco Ecclesiae. 3. Tempore eo, quo Sacra tractant, et 4. ut per hoc Sacra turbentur, *Math. Coler. dec.* 178. *num.* 1. *et* 4. *part.* 1. *Dn. Carpz. Jurisprud. Consist. lib.* 3. *tit.* 8. *def.* 95. *num.* 11. *et seqq.*
4 Quamvis Rostoch. Facultatem aliquem ad supplicium condemnasse *ex Cothmanno* referat *ib. Carpz. num.* 7. qui adversus Pastorem Ecclesiae injurias evomuerat, et SS. Coenam impedierat. Et a Scabinis Lips. aliquem ad suppli- 5
cium condemnatum, qui ministrum ad sacra in alio peragenda commeantem vulneraverat ex insidiis, et ita Eucharistiam impedierat, refert *Berlich. p.* 4. *conclus.* 20. *num. fin. conf. c. si quis suadente* 28. *caus.* 17. *q.* 4. II. Non expe- 6
ctandam esse querelam Episcopi, sed accusationem esse omnium, velut in crimine publico. Nam 7
omnis injuria facta in Clericum dicitur publicum crimen, et quilibet potest accusare, et Judex ex officio debet inquirere, *Marant. de ordine judic. part.* 6. *tit. quibus modis judicia fir. num.* 142. et pervenitur aliquando per viam inquisitionis, *Decian. in tract. crim.* 6. *c.* 24. *num.* 3. III. Si multitudo se defendat, auxilio militum oppugnandi sunt omnes. Ex hac lege collige: 8
1. Injuriam esse interdum publicum crimen, et incidere in sacrilegium: Nam et species sacrile- 9
gii, quamvis generalius dicti, est vis illata in personas Clericorum, *Men. l.* 2. *de A. J. Q. cas.* 389. *num.* 15. Ratio autem est, quia gravius videtur delictum esse commissum in personam, quam in rem, ex *Thom. Decianus tract. crim. l.* 6. *c.* 16. *num.* 1. et Sacerdotum maxima est dignitas, *Decian. d. l. num.* 5. 2. Gloriam, et 10
honorem Episcopi esse, remittere injurias, et 11
delicta, et non decere Episcopum, poenam con- 12
ventionalem exigere ab aliis, *Menoch. cons.* 113. *num.* 12. Collige 3. vim sacris personis, et re- 13
bus illatam esse mixti fori, *Vid. Rol. a Valle cons.* 24. *vol.* 2. *num.* 2.

Auth. Sed novo Jure.

SUMMARIA

Intellectus Authenticae num. 1.
Injuriam realem Clerico inferens verberatione, vel exilio punitur. 2.
Sacra ministeria simul turbans, capitaliter. 3.
Injuria illata Clerico atrox est, et totam Ecclesiam tangit. 4.
Jur. Canon. anathematis poena statuitur inferenti manus Clerico. 5.
Litania non facienda sine Clericis. 6.
Praeferre imaginem Christi crucifixi pia olim fuit Ceremonia, sed hodie in abusum tracta. 7.

Haec *ex Nov.* 123. *c.* 13. sumpta Legem prae- 1
ced. declarat, et distinguit: Utrum tantum in- 2
juria realis Clerico sit illata, et poena statuitur verberationis, vel exilii, aut utrum simul Sacra 3
Ministeria (v. g. Liturgia, aut Litania) turbata sint, et celebrari prohibita, et statuitur poena capitalis, quia injuria illata Clerico atrox est per 4
l. 1. *C. de Injur.* et totam Ecclesiam tangit, *Marant. d. l. num.* 143. *Farinac. q.* 105. *num.* 195. *Decian. tr. crim. l.* 6. *c.* 24. *num.* 9. Vid. *Carpz. lib.* 3. *Jurispr. Eccl.* 95. Jure Can: poena Ana- 5
thematis statuitur illi, qui Clerico manus intulerit, *Can. si quis suadente, c.* 17. *q.* 4. Et ipsi gentiles hanc habuerunt atrocem injuriam *d. l.* 4. *C. de Injur.* Conf. *Menoch. l.* 2. *cas.* 389. *num.* 15. *et seqq.* Subjungitur descriptio Litaniae, quod 6
non sit facienda sine Clericis. Apparet autem ex hac *Auth. et Nov.* 123. *c.* 32. Processiones so- 7
lemnes tunc factas fuisse, et praelatam imaginem JESU CHRISTI Crucifixi, quae tum pia Ceremonia fuit, sed postea, ut fieri solet, in abusum tracta est.

L. in Ecclesiis. 11.

SUMMARIA

In Clerum adsciscendi non debent ex alieno vico esse. num. 1.
Capitationis onus Clericis impositum ibi, ubi Ecclesiam esse constat, substinere debent. 2.
Pro jumentis vicaneis capitationes indici solebant. 3.
Certus debet esse Clericorum alicujus loci numerus. 4.
Originarii peregrinis praeferendi. 5.

1 In Clerum adsciscendi sunt, non qui ex alieno vico sunt, sed ex eo ubi Ecclesiam esse constat,
2 et ibi etiam capitationis onus, si quod Clericis
3 imponatur, substinere debent. Nam pro jumentis solebant vicaneis capitationes indici, de quo in-
4 fra suo loco. Episcopus autem cum consensu Patroni debet numerum Clericorum alicujus loci ordinare, ut scilicet ratio habeatur coetus cu-
5 randi, et redituum Ecclesiae. Collige obiter: originarios peregrinis esse praeferendos. Conf. *Mynsing. c.* 4. *obs.* 30. *Roch. de Curte, de jure Patron. verbo Honorificum num.* 45. *et seqq. Covarr. q. pract.* 35. *num.* 5. *Caevall. q.* 693. *num.* 33. *et seq.* et alii, quos conglomerat hic *A. Barb. num.* 3.

L. Si quis Curialis. 12.

SUMMARIA

Abrogat haec lex L. 56. et L. 104. C. Th. de Decur. 1.
Curialis de facto Clericus factus ad pristinam sortem mox revocandus. 2.
Is, qui ad aliquid personaliter faciendum obligatus est, cessione bonorum se non liberat. 3.
Quamdiu quis facti praestandi facultatem habet, semper solvendo esse intelligitur. 4.

1 Abrogat haec Lex *l.* 56. *et l.* 104. *Cod. Theodos. de Decur.* Secundum quas curiae adscriptus, si cederet bonis, poterat Clericus fieri:
2 Has Leges abrogat, inquam, haec nostra, et mandat judicibus, ut Curialem de facto Clericum factum q. injecta manu ad pristinam sortem mox revocent, ne molestetur Ecclesia a Curia, et ne haec necessariis officiis destituatur.
3 Collige ex hac Lege: Eum, qui ad aliquid personaliter faciendum obligatus est, cessione bonorum se non liberare, *Bald. hic num.* 2. *Salyc. hic num.* 1. *per l.* 5. *C. de cess. bon. l.* 16. *pr. ff. de muner. P. Greg. lib.* 22. *Synt. c.* 10.
4 *num.* 2. Quamdiu enim facti praestandi facultatem habet, semper solvendo esse intelligitur, *Bald. ad l.* 1. *infra qui bon. ceder. Schneid. ad* §. *fin. Inst. de Act.*

L. Si Venerabilis. 13.

SUMMARIA

Poena violatorum, et neglectorum privilegiorum Ecclesiae. num. 1.
Haec lex alias leges poenam specialem continentes non abrogat. 2.
Poena hujus legis Ecclesiae cedit. 3.
Jur. Canon. poenae violatoris immunitatum Ecclesiae. 4.

Haec Lex quinque librarum auri poenam statuit in violatores, et neglectores privilegiorum 1
Ecclesiae; verum haec Lex non abrogat alias 2
leges continentes poenam specialem, ut recte hic notat *Baldus*, qui cum *Castrensi* poenam 3
hujus Legis Ecclesiae adjudicat, *arg. l.* 3. *ff. de Litigios.* jure Can. violator immunitatum Eccle- 4
siae nongentos solidos Episcopo solvere jubetur, *c. si quis contumax caus.* 17. *quaest.* 4.

Auth. Item quaecum. comm.

SUMMARIA

Authentica poenam violatorum libertatis Ecclesiasticae extendit. num. 1.
Appellatione personae non comprehenditur universitas. 2.
Limitatur. 3.
A Banno Imperii nemo absolvendus, nisi cum parte laesa in gratiam redierit. 4.
An propter delictum Universitatis tota Universitas excommunicari possit? 5.

Extendit poenam violatorum libertatis Eccle- 1
siasticae, sive sint singulae personae, sive totae Universitates; nam alias appellatione personae 2
non comprehenditur Universitas, nisi in materia favorabili, *Card. Tusch. concl.* 318. *num.* 2. *et* 3. *Puteus lib.* 1. *decis.* 84. *num.* 2. Quando 3
autem violatores excommunicati sunt, et intra annum non obtinuerunt absolutionem ab Ecclesia, ipso jure Banno Imperiali subjacent, donec cum Ecclesia in gratiam redeant. Hoc enim 4
tanto magis in Ecclesia locum habere debet, cum etiam a Banno Imperii nemo alias absolvendus sit, nisi cum parte laesa in gratiam redierit, *Gail. de Pac. publ. l.* 2. *c.* 18. *n.* 16. *Myns. cent.* 5. *obs.* 111. Sed quidquid hic dicant de 5
Excommunicatione totius universitatis, vel urbis, non possum videre aequitati esse consentaneum, ut propter delictum universitatis tota universitas, in qua multi innocentes, adulti, et impuberes, possit excommunicari ob periculum salutis animarum, ut Pontifex agnoscit *in c. Romana* 5. *de sent. excom. lib.* 6.

L. Quicumque residentibus. 14.

SUMMARIA

Intellectus legis. num. 1.
Olim Episcopi, et Clerici sub jurisdictione Imperatoris fuerunt. 2.
An hodie exempti? 3.

Episcopus quidam ob delictum erat a consilio 1
depositus, vel degradatus; Sed ille ut gradum recuperet, molitur aliquid contra quietem publicam, adit etiam Imperatorem, et per subre-

ptionem Rescriptum impetrat. Hic respondetur, centum milliaribus procul ipsum ab eo loco esse abigendum, et Rescripta ab ipso sub, et obreptitie impetrata irrita esse debere: et indignationem Caesaris defensoribus ejus imminere: Quam severitatem meruerunt tum Episcoporum ambitiosa litigia, quae saepe in bella eruperunt.
2 Et collige ergo, tunc temporis Episcopos, et
3 Clericos sub jurisdictione Imperatoris fuisse. Sed hodie exemptos se judicant, idque non poterunt, nisi jure humano defendere.

Auth. Si quis Episcopus.

SUMMARIA

Sensus Authenticae. num. 1.
Conciliatio l. 14. h. t. *cum* hac Auth. 2.
Monasteriorum usus. 3.

1 Agit de Episcopo deposito, et in exilium misso, qui si revolet, Monasterio includendus est. Casus est: Depositus est in Synodo Episcopus, et discedere ex urbe jussus, ac proficisci in Galliam, hic tamen de facto revertitur. Resp. Includendum ipsum esse in Monasterio in alia regione sito, ut ea, quae in sacerdotio deliquit, in Mo-
2 nasterio corrigat. Supra *l.* 14. loquitur de Episcopo tantum deposito, *haec Auth.* de Episcopo deposito, et in exilium misso, quae omnia placuerunt ad conservandum vigorem discipli-
3 nae Ecclesiasticae. Notetur hic usus Monasteriorum, in quibus exorbitantes Clerici, et Laici ad viam salutis reduci poterant, *per c. 6. et ibi Panorm. X. de poenis.*

L. Conventicula. 15.

SUMMARIA

Conventus Clericorum illiciti, et ad tumultum, vel schisma spectantes prohibiti. num. 1.
Collegia, ac conventicula regulariter sunt prohibita. 2.
Particula: Etiam, *est implicativa.* 3.
Non valet argumentum a contrario sensu, quando inde resultat absurdum. 4.
Item quando a contrario sensu non rationis, sed literae argumentamur. 5.

1 Conventus Clericorum illiciti, et ad tumultum vel schisma spectantes prohibentur, et si Domino aedium consentiente facti sunt, publicatur
2 domus, et Fisco applicatur. Ratio est, quia Collegia, ac conventicula regulariter sunt prohibita, *l.* 3. §. 1. *ff. de colleg. Menoch. cas.* 597. *num.* 1. *Afflict. in tit. Feud. de pac. jur. fir.* §. *Conventicula num.* 1. *Tholos. l.* 15. *cap.* 32. *num.* 10.
3 Colligunt *ex hac lege DD.* particulam: *etiam*,
4 esse particulam implicativam, et non valere argumentum a contrario sensu, quando inde resultaret absurdum, v. g. non valet, extra Ecclesiam non licet conventicula agere, ergo in
5 Ecclesia. Et argumentum hoc non procedit, quando a contrario sensu non rationis, sed literae argumentamur, *Everhard. in. Top. loc.* 82. *num.* 21.

L. Quisquis censibus. 16.

SUMMARIA

Adscriptitius colonus non potest, invito Domino Clericus fieri. num. 1.
Quatenus Domino volente? 2.
An Vasallus per substitutum servire possit? 3.
Servitia feudalia sunt personalia. 4.
Solvitur Objectio. 5.

Adscriptitius colonus invito Domino non potest, neque in illo vico ubi degit, neque alibi, fieri Clericus, et quidem Domino volente non aliter, nisi (1) Dominus ipse capitationis i. e. tributi ordinarii onus loco adscriptitii Clerici jam facti, in se recipiat, et (2) obsequia ruralia adscriptitius Domino praestet per surrogatum substitutum; si tamen certa quaedam capitationis, seu tributi species talibus Clericis, vel Ecclesiis remissa fuerit, ab hac capitatione Dominus, et Clericus liberi sunto. Colligunt ex textu DD. quod Vasallus per substitutum servire possit. *Gl*; *Salyc. Bald. hic.* Sed contrarium communiter receptum, quia servitia feudalia sunt personalia, certaeque alicujus personae industria electa censentur, *Hartm. Pist. lib.* 2. *q.* 33. *num. Schneidwin. in epit. feud. part.* 6. *cap.* 2. *princ. Rosenthal. de feudis cap.* 7. *conclus.* 29. *num.* 2. *et cap.* 8. *conclus.* 23. Et respondetur ad hanc legem, quod volente Domino hic per substitutum serviat. 1 2 3 4 5

L. Placet. 17.

SUMMARIA

Clerici abstinere debent a forensibus actionibus, et Curia, ac spectaculis publicis. num. 1.
Idem ad Parabolanos extensum. 2.
Parabolani qui? 3.
Limitatur regula. 4.
Poena secus facientium. 5.
Excipiuntur causae miserabilium personarum, et Ecclesiae. 6.

In Princ. habetur prohibitio, ut Clerici abstineant a forensibus actionibus, et Curia, ac spectaculis publicis. In §. extenditur I. prohibitio ad Parabolanos i. e. eos, qui ad curanda aegra debilium corpora deputati, atque ad id voto sancto se obstrinxerant. II. Restringitur, et excipiuntur qui propriam causam agunt, aut a toto corpore Syndici constituti sunt. III. Additur poena, ademptio muneris, et extraordinaria. Ratio totius legis sumitur *ex* 2. *Tim.* 2. *v.* 3. 4. Sed et excipiuntur causae miserabilium Personarum *c. defensionis* 2. *dist.* 88. item causae Ecclesiae, *Gl. ad c. cum sacerdotis* 3. *in verbo, pro se ipso, X. de postul. Panorm. in c.* 2. *num.* 2. *et* 4. *X. ne Cleric. vel Monach. saecul. negot. se immisc. et Vall. ac Zoes. ad dict. tit. Conf. Redoan. de Spoliis Eccles. c.* 2, *per tot.* 1 2 3 4 5 6

Auth. Interd. Sanctissimis.

SUMMARIA

Sensus Authenticae. num. 1.
Nullus Clericus debet ad tabulas ludere, aut spectaculum accedere sub certa poena. 2.
Etiam Venationes Clericis interdictae. 3.
Detrusio in monasterium est poena correctoria. 4.
Ludus ingenii, vel ob exercitium corporis, licitus. 5.

1 Sensus est: Nullus Clericus debet ad tabulas lu-
2 dere, aut ad quodlibet spectaculum videndi gratia accedere; contra faciens, per triennium suspendendus, et illi poenitentia agenda in Monasterio, quod tempus tamen ab Episcopo potest abbreviari. Ratio prohibitionis est in Lege Patrum veteri, quod a mundi voluptatibus alieni esse debeant, et a vulgari vita seclusi per *c. His igitur* 3. *dist.* 23. Ideo Clerici praesentes esse non debent, quando ludi theatrales exercentur, vel comoediae, *c.* 12. *et pen. X. de vita et honest. Cleric.* sed debent secedere, *c.* 36. *et* 37. *de consecr. dist.* 5. *Camill. Borell. t.* 1. *decis. tit.* 11. *nu.*
3 34. Ideo etiam Venationes Clericis interdictae, *cap.* 1. *distinct.* 35. Conf. *Farin. q.* 109. *Guttierez lib.* 1. *cap.* 7. *Thom. Sanchez lib.* 1. *cons. moral.*
4 *cap.* 8. *dubit.* 29. *etc.* Quod autem sequuta poenitentia abbreviari tempus possit, ratio est, quia detrusio in Monasterium est poena correctoria; si ergo ante lapsum triennii correctum se esse
5 ostendat Clericus, abbreviari poena debet. Quod de ludo hic dicitur, limitandum est, nisi sit ludus ingenii, vel ob exercitium corporis, *Panorm. in c. pen. X. de vita et honest. Cler. num.* 4. Conf. *Guttierez, Sanchez, et Farin. in locis cit.*

L. Parabolani. 18.

SUMMARIA

Lex haec certum numerum statuit Parabolanorum plebejorum, Medicorum, Hospitalium famulitio dedicatorum. num. 1.
Alexandriae Medica Facultas olim floruit. 2.
Mortuo Parabolano qualis substituendus? 3.

1 Lex haec localis est, et certum numerum statuit Parabolanorum plebejorum, medicorum, Hospitalium famulitio dedicatorum, scil. Sex-
2 centorum ab Episcopo Alexandriae, ubi Medica facultas florebat, eligendorum, cui etiam de-
3 bent esse subjecti: mortuo autem Parabolano, talis substituendus, vel subrogandus, qui ab initio ad id munus vocari potuit, et cum defuncto ejusdem est conditionis.

L. Eum qui probabilem. 19.

SUMMARIA

Qualem foeminam Clericus secum habere possit. 1.
Scaevi, vel saevi criminis suspicionem necessitas sanguinis excludit. 2.
Jus Canonicum circa hanc materiam pluries distinguit. 3.

Si ii, qui in saeculo vivunt, sub praetextu So- 1
roriae conversationis aliquam foeminam in aedes inducant, dehonestantur; multo magis a Clericis hoc esse debet alienum; matrem tamen, nec non filiam, ac germanam, imo etiam eam, quam uxorio olim prosecutus est affectu, secum habere potest. Hujus ratio est, quod nihil mali suspicandum de ea, quae dignum Sacerdotio virum suum effecit. Illius ratio: quia scaevi, vel 2
saevi criminis suspicionem necessitas sanguinis excludit. Sed hac de re plures habentur distin- 3
ctiones in Jure Canonico, ut *in cap.* 24. *et* 26. *dist.* 81. *c.* 2. *et* 4. *et t. t. X. de cohabitat. clericor. et mulier.*

Auth. Multo magis.

SUMMARIA

Omnes Clerici abstinere debent a Conjugiis. n. 1.
Limitatur in Cantoribus, et Lectoribus. 2.
Cantores, et Lectores secundas nuptias contrahentes ad sacerdotii gradum adspirare non possunt. 3.
Olim Conjugium Episcopis liberum. 4.
Gratianus *notatur.* 5.
Prohibitio Juris Canonici tantum ad Romanam Ecclesiam pertinet, et est juris mere positivi. 6.
In Matrimonio est honestas. 7.
Vidua nubendo non amittit, quod ipsi sub condictione: si caste vixerit, *relictum.* 8.
Continentia in Clericis saecularibus non est de substantia ordinis. 9.
Ecclesia potest permittere Clericis ex voto speciali non obligatis matrimonium. 10.
Taxatur impietas Abbatis in c. 3. X. de cohab. Cler. num. 11.
Clericus ad abjurandam Concubinam non debet compelli. 12.

Omnes Clerici abstineant a conjugiis, exceptis 1
Cantoribus, et Lectoribus; qui ipsi tamen, si se- 2
cundas nuptias contrahant, ad Sacerdotii gra- 3
dum adspirare non poterunt. Sed olim Episco- 4
pis ipsis conjugium erat liberum juxta *Canones Apostolorum can.* 21. *caus.* 12. *q.* 1. id quod ad Episcopos Orientales, sed male, restrinxit Gratianus *can.* 24. *d. q.* 1. Sane de S. Hilario, Epi- 5
scopo Pictaviensi ita canit Mantuanus, lib. 1. in fastis:

Non nocuit tibi progenies, non obstitit Uxor
Legitimo conjuncta thoro, non horruit illa
Tempestate DEUS thalamos, cunabula, taedas.

Ideo prohibitio Juris Canonici tantum ad Ro- 6
manam Ecclesiam pertinet, et est juris mere positivi, non Divini, *Panorm. in c.* 15. *de Vit. et honest. clericor. num.* 5. Et in matrimonio est honestas; ideo vidua non amittit nubendo, quod 7
ipsi hac conditione relictum, si caste vixerit, 8
Panormit. d. l. et c. 3. *num.* 3. *Vasq. de succ. progr. l.* 3. §. 27. *num.* 29. Et continentia in Cleri- 9
cis saecularibus non est de substantia ordinis, *Panorm. in c.* 6. *de cohab. cleric. num.* 5. Et Ec- 10
clesia potest permittere Clericis ex voto speciali non obligatis matrimonium, *Panormit. d. num.* 5. Illud vero impium, quod *d. Abbas in c.* 4. *X.* 11
de cohab. cler. scribit, Clericum in sacris constitutum Ordinibus magis peccare contrahendo

matrimonium, quam committendo adulterium.
12 Et suave est, quod *in c.* 3. *d. t.* prohibetur, ne Clericus ad abjurandam concubinam compellatur, scilicet ob periculum perjurii.

Auth. Episcopo nullam.

SUMMARIA

Fons Authenticae. num. 1.
Prohibetur hac Auth. *Episcopus matrem, ac sororem, item quam olim affectu maritali prosequebatur, secum habere.* 2.
Episcopus magis debet vacare ab omni suspicione, quam alii Clerici. 3.
Notatur Imp. Justinianus. 4.

1 Haec Auth. sumpta non est ex *Nov.* 6. *sed Nov.* 123. *cap.* 29. *Rittershus in Nov. p.* 107. *num.* 66. et corrigit *l.* 19. ut quae permittebat Episcopo,
2 etiam matrem, ac sororem secum habere, item quam olim affectu maritali prosequebatur. Hoc haec Auth. plane prohibet, quia Episcopus magis debet vacare ab omni suspicione, quam alii
3 Clerici. Debet enim esse typus gregis, *Ritter-*
4 *shus d. l. num.* 68. Sed poterat haec contra Justinianum urgeri, quia Episcopum a talibus suspicionibus liberat praesumptio juris, ergo non facile in suspicionibus liberat praesumptio juris, ergo non facile in suspicionem vocandus, ut alii Clerici; Sed hoc, et alia multa suo loco relinquamus.

L. Si quis Presbyter. 20.

SUMMARIA

Quatenus bona Clericorum, et Religiosorum intestatorum ad Ecclesiam deferantur? num. 1.
Bona Rectoris Ecclesiae huic tacite sunt obligata. 2.
Ecclesia juri alterius non vult praejudicare. 3.
Est cultrix justitiae, ac aequitatis. 4.
Etiam haeredes administratoris tenentur reddere rationem. 5.
Potior est ratio Ecclesiae, quam Curiae, et Patroni. 6.
Ecclesia, et fiscus a pari procedunt. 7.
Quando bona alicujus ob delictum, vel aliam causam applicantur fisco, datur actio contra fiscum illi, cujus negotia gessit. 8.
Si tacitum fideicommissum in fraudem legis reliquisset Clericus, et haeres fidem suam accommodasset, an bona ejus ut indigni applicentur fisco, an Ecclesiae? 9.

1 Bona Clericorum, et Religiosorum ab intestato decedentium, post liberos, nec non alios sanguine adjunctos, et uxorem, excluso fisco, *Tiraq. in Tr. le mort saisit le vif p.* 2. *dec.* 15. *num.* 7. *Franc. Barry de success. l.* 18. *t.* 5. *num.* 8. ad Ecclesiam deferuntur, salvo semper jure Curiae, si sit Curialis, et jure Patronatus, si erat Libertinus (ubi debetur tertia pars) et jure Domini, si erat adscriptitius; et haeres hujus, seu etiam Curia, et Patronus tenetur, si defunctus
2 Ecclesiae ex aliquo negotio obligatus obierit. Not. I. Bona Rectoris Ecclesiae ipsi esse tacite obligata, *Gl. hic*, quia dicit, ex gestis negotiis aliquem Ecclesiae obligari, *Neguz. de pign. p.* 2. *m.* 4. *num.* 120. *Carpzov. p.* 1. *Const.* 28. *def.* 115. II. Ecclesiam juri alterius non velle praejudica- 3
re, *Gl. hic* est enim cultrix justitiae, et aequi- 4
tatis, *Menoch. cons.* 322. *num.* 22. III. Etiam 5
haeredes administratoris teneri reddere rationem, *Gl. hic* per *l.* 3. §. 7. *ff. de negot. gest. Schurff. cent.* 1. *cons.* 65. *num.* 6. *et Wesenbec cons.* 47. *num.* 4. IV. Si fuit obligatus Ecclesiae, 6
potior est hujus ratio, quam Curiae, et Patroni, quia Ecclesia, et fiscus a pari procedunt, 7
c. 1. *X. de rest. in int. Menoch. cons.* 39. *num.* 4.
V. Quando bona alicujus ob delictum, vel aliam 8
causam applicantur fisco, quo illi, cujus negotia gessit, detur actio contra fiscum, *arg. l.* 2. *C. de vi publ. et l.* 5. *C. de bon. damnat.* Sed. 9
Quid si tacitum fideicommissum in fraudem Legis reliquisset Clericus, et haeres fidem suam accommodasset, an bona ejus ut indigni applicantur fisco, an Ecclesiae? Prius affirmat *hic Baldus*, sed conferatur *Gomez in leg. Tauri quaest.* 129. qui distinguit: *An haeres, qui fidem suam accommodavit, sit Laicus, an vero sit Clericus*, ut tunc deferantur Ecclesiae, quando haeres est Clericus, secus si Laicus. Nam licet priori casu bona sint Clerici, quia tamen semel delata Laico, licet indigno, jam non ut Clerici, sed ut Laici bona considerantur; secus ergo, si non capaci deferantur, ubi Ecclesiae deferrentur bona, *Farin. p.* 1. *fragment. in voce: Fiscus num.* 4. *et seqq. Covarr. de Sponsal. pr. c.* 8. §. 5. *num.* 10. *Thesaur. p.* 3. *q.* 66. *num.* 2. *et seqq.*

Auth. Nunc autem.

SUMMARIA

Corrigit haec Auth. legem praeced. quoad Monachos. num. 1.
Monachus ante Monachismum recte testatur. 2.
Monacho ante Monachismum nil testante, quaenam post mortem monasterio acquirantur. 3.
Ingressus monasterii omnia dedicat monasterio. 4.
Limitatur. 5.
An Monachus testamentum ante ingressum factum mutare post ingressum possit? 6.

Haec Auth. praecedentem Legem quoad Mo- 1
nachos (non quoad Presbyteros) corrigit, et sensus est: Quando Monachus ante Monachismum 2
nihil testatus est, (quod alias facere posset, *Nov.* 5. *c.* 5.) tunc omnia acquiruntur monasterio, sed 3
quarta, sive legitima tamen liberis debetur, in quam etiam propter nuptias data, et similia computantur; et si minus quarta habent, supplenda illa, dos tamen uxori etiam debetur, et quaecumque aliis debebat Creditoribus. Nota: Ingres- 4
sum Monasterii omnia dedicare Monasterio, sed 5
salvo testamento prius facto, et salva liberorum legitima, et salvo Creditorum jure. *Sed si ante* 6
ingressum testatus est, hoc ne testamentum post ingressum mutare potest? Negant *DD.* communiter: *Caevall. quaest.* 63. *in fin. Thesaur. l.* 2. *q.* 56. *Covarr. c.* 2. *X. de testam. num.* 16. *Guttierez l.* 2. *c.* 1. *num.* 26.

L. Ad similitudinem. 21.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
An Curiae adscriptus illustri dignitate a Principe honoratus possit in posterum servire? 2.
Substituens quatenus teneatur ex facto sui substituti? 3.
Quando is, qui a vasallo substitutus, servitia non exhibet, vasallus punitur. 4.
Dignitas superveniens facit, ut quis per substitutum servire possit, et qt. procedat? 5.
Clericus ad feudum non admittendus. 6.
Limitatur. 7.

1 Species facti haec est: Curiae adscriptus illustri
2 dignitate honoratus est a Principe, quaeritur, an
possit in posterum inservire Curiae per substitutum? Hoc aff. sed periculo suo. Ratio decidendi, quia idem in Clericis, si ex Curialibus in Clerum
3 legitime eligantur. Colligitur I. Substituentem teneri ex facto sui substituti, praesertim si delinquat in non serviendo, vel non praestando id, ad quod substitutus est sicut quando is, qui a Vasallo
4 substitutus, servitia non exhibet, Vasallus punitur, *Kohl. de servit. feudal. p. ult. num.* 186. *Ro-*
5 *senthal. cap.* 10. *concl.* 8. *num.* 10. et II. Dignitatem supervenientem facere, ut quis per substitutum servire possit, sed suo periculo: nam alias
6 nec Curiae, vel Reip. simul provideretur. Sed Clericum ad feudum admittendum non esse putant, licet per substitutum servire velit: *Rosenthal c.* 7. *concl.* 29. *num.* 2. *Hartm. Pist. l.* 2. *quaest.* 33. *num.* 3. *et seq.* et quos allegat *Schultz. in Sy-*
7 *nops. feud. cap.* 8. *num.* 92. licet, si dominus sciens aliquem Clericum esse, eum investiat, servire is per substitutum possit, *H. Pist. d. l. num.* 27.

L. Si qua per calumniam. 22.

SUMMARIA

Poena Episcopum per calumniam falso accusantis. num. 1.
Confirmatio privilegiorum Ecclesiae concessorum. 2.
Clerici religionis causa peregrinantes sine literis commendatitiis suorum Episcoporum, non sunt habendi pro Clericis. 3.
Portans literas praesumitur esse ille ipse, qui literis nominatus. 4.
Origo dist. 71. 5.
Non praesumitur aliquis Clericus, nisi hoc literis testimonialibus probet. 6.

1 Princ. h. L. dicitur, qui per calumniam Episcopum falso accusaverit, 30. pondo auri fisco inferendis mulctabitur.
2 §. 1. Confirmat tantum privilegia Ecclesiis, et confugientibus ad eas, et Clericis antea concessa.
3 §. 2. Jubetur, ut Clerici religionis causa peregrinantes cum suorum Episcoporum commendatitiis literis, seu formatis adveniant, alias pro
4 Clericis non sunt habendi. Colligitur: Portantem literas praesumi illum ipsum esse, qui literis nominatus, *Castr. hic num.* 3. *et Bald.* Atque ex hac 5
lege originem traxit tota *dist.* 71. quae prohibet, ne Clericus sine talibus literis commendatitiis recipiatur, aut ordinetur. Colligitur etiam: non 6
praesumi aliquem Clericum, nisi hoc literis testimonialibus probet. *Mascard. de probat. concl.* 303. *num.* 9. *Menoch. l.* 6. *praes.* 76. *num.* 1. *et seq.* quod hic pluribus allegatis exornat *Barbosa.*

Auth. Nullus Episcopus.

SUMMARIA

An Episcopus invitus ad judicem saecularem trahi possit? num. 1.
Jure Canonico Clerici ne volentes quidem judicis saecularis jurisdictionem agnoscere possunt. 2.
Episcopi tempore Justiniani in temporalibus Imperatori fuerunt subjecti. 3.
Pontifices ipsi Imp. praecepta se observaturos promittunt. 4.

Episcopus invitus non trahitur ad judicem sae- 1
cularem, nisi Principe jubente, si contra fiat, judex, et executor dignitate cinguli privandus, et praeterea judex 20. libris auri Ecclesiae illi, cujus est Episcopus, inferendis, mulctatur, atque executor in exilium deportatur. De Clericis caeteris dicitur *in l.* 25. *et l. omnes* 33. *h. t.* Sed 2
jure Can. id generale est in omnibus Clericis, adeo ut ne volentes quidem judicis saecularis jurisdictionem agnoscere possint, *c. si diligenti* 12. *X. de foro compet.* Apparet ergo, quod tem- 3
pore Justiniani Episcopi etiam Imperatori fuerint subjecti in temporalibus, per *l.* 25. *et* 33. *C. h. t.* et Pontifex ipse Leo IV. Imperatoris LOTHARII, aliorumque Imperatorum praecepta se observaturum esse promittit, *c. de capitulis, dist.* 10. quod et fecit *JO. XII. c. Vides* 10. *cum seq. dist.* 10. et antea dictus LEO IV. de crimi- 4
ne laesae Majestatis delatus coram Imperatore LUDOVICO causam dixit, *c. Nos, si competenter, c.* 2. *q.* 7.

L. Quoniam. 23.

SUMMARIUM

Lex haec Flaviani Episcopi Constantinopolitani memoriam restituit, et Eutychetis memoriam damnat.

Fabiani, seu potius Flaviani Episcopi Constantinopolit. orthodoxi, per injuriam condemnati memoriam h. L. restituit, Eutychetis vero Haeretici, qui naturas in Christo confundebat, et Chalcedonensi Synodo damnatus erat, memoriam damnandam esse dicit, et abolendam. Origo autem damnandae memoriae haec erat, quod Catholicorum Episcoporum nomina diphtheris inscriberentur, et inter sacra recitarentur, haereticorum vero nomina delerentur, *Menoch. cons.* 99. *num.* 55. *Rubeus ad l. pen.* §. *ad crimen num.* 85. *ff. de publ. judic. in repet.*

L. Id quod pauperibus. 24.

SUMMARIA

Incertis personis nil potest legari. num. 1.
Explicatur §. 27. I. de legat. 2.
An valeat institutio, si pauperes in genere haeredes sunt instituti? 3.
Pauperes instar Collegii se habent. 4.
Collegium vicem personae repraesentat. 5.
Pauperibus institutis, DEUS videtur institutus. 6.
Cur Doctores hic materiam Executorum testamenti ex professo tractent? 7.
An Executor incertus dari possit in testamento? 8.
An abolita haec lex? 9.

1 Certum est, incertis personis legari nil posse,
2 *Auctor in l. 4. ff. de reb. dub. num.* 1. quod allegatum nec simpliciter reprobatum *in* §. 27. *Inst.*
3 *de Legat.* Jam quidam pauperes in genere instituerat haeredes: Videtur nulla esse institutio, ob dictam rationem; Sed hic respondetur con-
4 trarium tum favore piae causae, tum quia paupe-
5 res instar collegii se habebant, quod vicem perso-
6 nae repraesentat, tum quia DEUS videtur institutus, qui certus est, tum quia, si quae incertitudo hic sit, ea per Executorem Episcopum tolli, et certa persona designari potest. Vid. *Covarr. in c. cum tibi* 13. *num.* 21. *X. de testam. Tiraq. privil.* 56. *piae causae, Barry de Success. l.* 1. *tit.* 4. *num.* 14. *Card. Mant. de conject. ult. volunt. l.* 8. *tit.* 5. *Auctor in l.* 24. *ff. de legat.*
7 2. *num.* 1. Et ideo Doctores hic materiam exe-
8 cutorum testamenti ex professo tractant. Sed an executor incertus dari poterit? Affirm. hic *Salycet. num.* 6. qui differentiam constituit inter Tutorem, et Executorem: Nam dum executorem constituit, cum suis tantum bonis dat,
9 non ita Tutorem. Caeterum hanc legem de non legando incertae personae alias non esse abolitam, tradit *Hill. in Donnell. l.* 6. *c.* 17. *lit. X.*

L. Cum Clericis. 25.

SUMMARIA

Coram quo judice Clericus Constantinopolitanus litigare potuerit. num. 1.
Reo plura fora habente in dubio Actoris est electio. 2.
Potuit Clericus sub Christianis Imperatoribus conveniri apud judicem Civilem, vel ipsum Imperatorem. 3.
Clericus coram judice Ecclesiastico conventus appellare poterat ad superiorem civilem. 4.
Exemptio Clericorum solo humano, ac positivo jure nititur. 5.
Clerici conventi qualem dent fidejussorem. 6.
Talis fidejussor suo nomine non cavet. 7.
Si plures Clerici conveniantur, et causae conjunctae 50. *auri libras excedant, pro residuo Clerici suae fidei sine juramento committuntur.* 8.
Clerici minores sportulas, quam Laici solvunt. 9.

Lex in Princip. hoc dicit, Clericum Constan- 1
tinopolit. posse volente Actore vel apud Episcopum, vel Praefectum Praetorio, non apud alium judicem litigare. Sed hoc postea per Authenticas mutatum, ut videbimus. Nota: Cum reus 2
habet plura fora, in dubio est electio Actoris. Vid. c. *dilecti* 17. *de foro comp. Covarr. l.* 1. *resolut. c.* 18. *num.* 6. *Donnell. l.* 17. *c.* 19. et quos ibi allegat *Hillig. lit. A.* Colligitur ex hoc 3
loco: potuisse Clericum sub Christianis Imperatoribus conveniri apud judicem civilem, vel ipsum Imperatorem, et licet possent coram judice Ecclesiastico conveniri, salva tamen erat appella- 4
tio ad superiorem civilem judicem, et sic tunc temporis omnimodam exemptionem non habebant, *Alvar. Valascus t.* 1. *cons.* 100. *num.* 8. et quos laudat *Klock. cons.* 51. *num.* 228. *et seqq.* et sic exemptio Clericorum solo humano, ac po- 5
sitivo jure, non divino nititur, *Valasc. d. l.*

§. 1. I. Quum Clerici conveniuntur, dant Oe- 6
conomum majoris Ecclesiae fidejussorem, qui de judicio sisti fidejubeat usque ad 20. auri libras. II. Ipse autem Oeconomus, quia alieno 7
nomine fidejubet, et quia Principalis ejus solvendo esse praesumitur, suo nomine cavere non tenetur. III. Si plures Clerici conveniantur, et 8
causae conjunctae dictam summam excedant, pro residuo Clerici suae fidei sine juramento committuntur.

§. 2. Disponitur, minores sportulas a Clericis 9
quam a Laicis solvendas esse.

Auth. Sed hodie.

SUMMARIA

Quid Clericus nomine sportularum solvere debeat? num. 1.
Episcopus pro rebus Ecclesiae conventus nil praestat. 2.
Sanctio poenae. 3.

I. Determinatur hic, quid Clericus nomine 1
sportularum solvere debeat, scilicet quatuor siliquas, aut quando jussione Principis ad alias provincias evocatur, non plus solido. II. Episco- 2
pum pro rebus Ecclesiae conventum nihil praestare, quod Ecclesiae favore constitutum esse constat. III. Sanctio poenae additur 1. genera- 3
lis, restitutio dupli. 2. Specialis, in milite ademptio cinguli, seu dignitatis, in Clerico degradatio, si quis contra hanc constitutionem cautionem exegerit, quae omnia sunt plana, sed moribus nostris non congruunt.

Auth. Generaliter.

SUMMARIA

Divisio Authenticae. 1.
Quam cautionem praestare teneatur actor antequam reo libellus porrigitur, et is sportulas solvit? 2.
Cautio pro reconventione, et expensis etiam apud nos usitata. 3.

Apud nos reconventio cum conventione simul procedit. 4.
Actor fidejussores non inveniens juratoriam cautionem praestat. 5.
Quoties, qui ex necessitate cautionem praestare tenetur, et credit se fidejussorem reperire non posse, ad juratoriam admittitur. 6.
Quod a quibusdam limitatur. 7.
Auctoris judicium de hac limitatione. 8.
Quando cautio juratoria non habeat locum? 9.
Poena contra facientium. 10.
Exceptio a regula. 11.
Non praestanda cautio, nisi petatur. 12.
Auth. haec in Camera Imp. et Electorali Brandenburgica adhuc observatur. 13.
Item in foro Hispanico. 14.
Abusus hujus cautionis longe maximus. 15.
Unde praestaret hanc cautionem abolere. 16.
Quibus casibus judex exceptionem satisdationis minime attendere debeat? 17.

1 Notabilis *haec Authentica generaliter* 4. conti-
2 net membra: I. Quam cautionem praestare teneatur Actor antequam Reo libellus porrigatur, et is sportulas solvat, debet scilicet fidejussorem exhibere, et promittere 1. se intra bimestre contestaturum litem, 2. quod usque ad finem persequi litem velit per se, vel procuratorem. 3. Quod decimam partem quantitatis petitae, si succubuerit, sumptuum nomine velit solvere, *Nov.* 112. *c.* 2. sed in usu tantum est, ut de expensis, et reconventione caveat Actor, *Carp. part.* 1. *constit.* 5. *defens.* 1. *Treutl. Vol.* 1. *Disput.* 5. *th.* 3. *lit.*
3 *G. et ibi Bachov.*, quae cautio etiam apud nos
4 usitata, nam licet apud nos reconventio una cum conventione simul procedat, reconventio tamen, quae ex eventu causae principalis dependet per *leg. siquidem Cod. de injuriis*, non potest simul institui, et de hac usitatam nobis reconventionem, de expensis, et reconventione in Marchia
5 intelligendam esse puto. II. Si fidejussores invenire non possit, admittitur ad juratoriam cau-
6 tionem; quoties enim quis tenetur ex necessitate praestare cautionem, admittitur ad juratoriam, si, se non posse reperire fidejussorem, credat, de qua *Wesenbec. in π. h. t. de his, qui satisdare num.* 10. *Donnel. et ibi Hilliger. lib.* 23. *cap.* 9. et alii multi hic a *Barbosa* allegati, *it. Auctor in*
7 *leg. fin. ff. qui satisd. cogant.* Quidam tamen limitant, si ad juratoriam cautionem se admitti petens sit vitae integritate conspicuus, et probatae existimationis, ut *Carpzov. in proc. tit.* 9. *artic.* 5. *num.* 30. *Thom. Sanchez. de Matrimon. lib.*
8 10. *disput.* 13. *num.* 38. Sed utut hoc in cautione usufructuaria concedam, hic tamen exitum non habere videtur; nam si quis non bonae famae, non spectatae fidei litem justam moverit, et fidejussores nullos habeat, nec pignora, a judicio plane repellendus esset, quod non puto juri conveni-
9 re, cum et his jus reddendum sit. Non etiam habet locum juratoria cautio, ubi cautio fidejussoria pro executione sententiae, aut ad substantiam contractus requiritur. *Thes. l.* 1. *quaest.* 87. *num.*
10 5. *et seqq.* III. Si contra ea, quae superius dicta, fiat, judex 10. libris auri, executor autem publi-
11 catione bonorum, et exilio mulctandus. IV. Exc. nisi consensu partium remittatur cautio, quia
12 concernit interesse partis, imo praestanda non est, nisi petatur. *Joann. Petr. Surd. decis.* 57.
13 Et hanc Authenticam in Camera Imperiali, et Electorali Brandenburgica adhuc observari testatur *Pruckman. cons.* 9. *vol.* 1. *num.* 86. *et seqq.* Idem de suo Hispanico Foro testatur *Petr.* 14
Barbos. ad l. divortio §. interdum ff. soluto matrimon. Sed abusus hujus cautionis longe ma- 15
ximus, ut fere ob abusum frequentiorem praestaret hanc exceptionem abolere. Certe ubi ju- 16
dex prospicit, etsi actor succumberet, tamen ob justam litigandi causam non fore condem- 17
nandum in expensas, nec de causa, cur reconveniatur, apparet, Judex hanc exceptionem satisdationis super reconventione, et expensis attendere minime debet, juxta admonitionem *Dn. Mevii part.* 2. *decis.* 26. *et p.* 3. *decis.* 22. *et decis.* 248. *et p.* 4. *decis.* 166. *p.* 5. *decis.* 9. *et ad jus Lubec. l.* 5. *tit.* 3. *artic.* 3. *num.* 24. *Auctor ad Rubric. Tit. Digest. qui satisd. cog.*

L. Decernimus. 26.

SUMMARIA

Quo in loco collocandae Crux, et Sanctorum reliquiae? num. 1.
Crucis imago in dedicatione Ecclesiae solemniter figebatur. 2.
Crucifixi Christi imaginem etiam aliis locis, voluptatibus non consecratis, habere licet. 3.

Agit haec Lex de cruce, et sanctorum reliquiis 1
non in loco profano, theatro, aut curia, sed Ecclesia judicio Episcopi collocandis, quod procul dubio de crucis imagine intelligendum, quae in dedicatione Ecclesiae solemniter figebatur, 2
de qua in *Novell.* 5. *c.* 1. *et Novell.* 67. *c.* 1. Nam crucifixi Christi imaginem etiam aliis locis 3
habere licet, modo locus non sit voluptatibus consecratus, cui imago Crucifixi non congruit.

L. Quisquis emensis. 27.

SUMMARIA

Miles emeritus in Clero esse non prohibetur. num. 1.
Excipiuntur primipilares. 2.
Primipilares quinam fuerint? 3.
Primipilares Praefecto Praetorio perpetuo erant subjecti. 4.

Miles emeritus, et quicumque debitis ratione 1
conditionis personae officiis defunctus est, in Clero esse non prohibetur, exceptis primipilaribus: Quinam autem hi fuerint, adhuc est du- 2
bium. Probabilis autem, et vulgaris est senten- 3
tia, primipilum fuisse eum, qui militari annonae curandae praepositus erat, cujus cura, et administratio, ut et rationum redditio, omnibus rebus potior, et antiquior esse debet; unde exceptionis ratio facile colligitur; siquidem primi- 4
pilares Praefecto Praetorio perpetuo subjecti esse debebant. Conf. *Alciat. in rubr. C. de primipil. Covarr. l.* 1. *resol. c.* 16. *num.* 7. *Donell. de pign. c.* 4. *Menoch. lib.* 2. *praesumpt.* 72. *num.* 25. *et seq.*

L. Nulli licere. 28.

SUMMARIA

An legatum ad redemptionem captivorum valeat? num. 1.
Quis talis testamenti executor? 2.
Piorum legatorum Executores regulariter esse debent Episcopi. 3.
Officium executoris qualis. 4.
Quis executor sit in casu, ubi defuncti patria incerta, vel is Barbarus? 5.
Quidquid est intra Principatum, vel territorium, illius pars, et sequela esse videtur. 6.
Cuilibet tale legatum denunciare licitum. 7.
Imo omnes tenentur denunciare. 8.
Alius executor testamentarius, alius legitimus 9.
Hic DD. tractare solent de Executoribus testamentorum. 10.
Executor Testamento datus non potest suas partes alteri mandare. 11.
Limitatur. 12.
Vicus est quasi pars civitatis. 13.
Auctores, qui de Executoribus testament. ex professo tractant. 14.

1 In princ. L. casus hic est: Reliquit aliquis legatum ad redemptionem captivorum. Quaeritur: *An legatum, quamvis incertae personae relictum, valeat?* Aff. Ratio eadem, quae in *L.* 24. *h. t.*
2 §. 1. Executor istius testamenti, atque exactor legati captivis relicti sit vel is, quem testator designaverit, vel, hoc deficiente, Episcopus loci,
3 unde testator oriundus, cum piorum legatorum executores regulariter Episcopi esse debeant.
4 §. 2. Executor actis intervenientibus coram Praeside, et summam pecuniae acceptae, et post annum, in quem usum expensa sit, manifestare debet, ita ut, quando expensae sint minutae, stetur juramento executoris, eaque omnia gratis sine ullis expensis judicialibus, vel extrajudicialibus, quia haec ex officio peragit, et ex pietate.
5 In §. 3. et 4. hoc dicitur, si defuncti patria dubia sit, vel is fuerit Barbarus, adeo ut nullus sit in patria Episcopus, tunc Episcopus loci, ubi defunctus est, executor sit, vel is, cujus
6 sub dioecesi vicus est. Unde probatur, quidquid est intra principatum, vel territorium, partem, et sequelam illius esse videri, *Masc. de probat. Concl.* 217. *num.* 1. et quod allegat *Klok. cons.* 41. *num.* 272. *vol.* 1.
7 §. 5. Cuilibet tale legatum pium denunciare licitum, nec dehonestandus est delatoris titulo.
8 Omnes ergo quicumque norunt, ad pias causas quid relictum esse, sed ab haeredibus id supprimi, hoc denunciare tenentur, nec in societate crimine Sacrilegii, quo alius se polluit,
9 notentur. Collige ex textu: alium executorem
10 esse testamentarium, alium legitimum. Unde hic *DD. de Executoribus* tractare solent *testa-*
11 *mentorum.* Ex §. 1. *Ibi: pro sua conscientia*, col-
12 ligunt, quod executor testamento datus non possit suas partes alteri mandare, nisi certum aliquod, et speciale negotium, atque in nudum
13 ministerium alteri committat. Item ex §. 4. Vi-
14 cum esse quasi partem civitatis. De executoribus Testament. ex professo tract. *Jacob. a Canibus in pecul. tract. Fr. Barry de success. lib.* 11. *tit.* 20. *et alii.*

Auth. Licet Testator.

SUMMARIA

Episcopus potest exigere, et exequi voluntatem defuncti, licet defunctus prohibuerit. num. 1.
Testator non potest derogare potestati Episcopo competenti circa executionem ultimarum voluntatum. 2.
Locum habent sub num. 1. *dicta, etiamsi alius Executor datus a testatore.* 3.

Est duplex ampliatio ejus quod in §. 1. dictum 1
legis praecedentis, quod scilicet Episcopus possit exigere, et exequi voluntatem defuncti, licet defunctus prohibuerit. Ratio in *l. nemo potest* 55. *de Legat.* 1. *et c. tua nobis X. de Test. et ibi Covarr. num.* 10. quod testator non pos- 2
sit derogare potestati Episcopo competenti, circa executionem ultimarum voluntatum, *Didac. Spino. in Spec. Testam. gl. num.* 40. Deinde et 3
tum idem locum habet, licet alius executor datus a testatore, si is semel vel bis monitus, defuncti voluntatem exequi neglexerit, adeo ut hoc casu lucrum, quod executori relictum, Episcopo cedat; quorum omnium causa in favore pietatis, et quia de Episcopo melius praesumit Imperator, quam de aliis.

L. Si quemquam. 31.

SUMMARIA

Simonia prohibetur. num. 1.
Indignus sacerdotio est, qui non fuerit invitus ordinatus. 2.
Poena ejus, qui pretio corruptus aliquem ordinat, ut et ordinati. 3.
Quos facinus inquinat aequale, eos eadem debet manere poena. 4.
Simonia est crimen publicum, et atrox. 5.
Ingressuri monasteria suo modo licite pro ingressu aliquam pecuniae summam solvunt. 6.

Lex haec de Simonia loquitur, et prohibet, 1
ne quis Sacerdotium, seu Episcopatum venalitate mercetur; adduntur rationes; nullus enim locus tutus esse poterit, si veneranda DEI templa pecuniis expugnetur, si auri sacra fames in veneranda penetralia proserpat; Non pretio, sed precibus ordinandus Episcopus; Non aestimandum, quantum dare quis possit, sed quanta sint ejus merita; a sacris adytis repellendum piaculare flagitium, imo tantum abest, ut quis pretio obtinere possit Episcopatum, ut ille eligi Episcopus debeat, non qui ambit, sed invitus,
et qui recusat. Indignus enim Sacerdotio est, 2
qui non fuerit invitus ordinatus; Quod iis observandum, qui gratia, et precibus se ingerunt.
Additur etiam poena ejus, qui pretio corruptus 3
alium ordinat, et qui ordinatur; ut scilicet uterque deponatur, et infamis fiat. Collige: quos fa- 4
cinus inquinat aequale, eos eadem debet manere poena: et poena par costringit consentientem, *cap. notum* 10. *caus.* 2. *quaest.* 1. Et Si- 5
moniam esse crimen publicum, et atrox, *Redoan. de simon. p.* 1. *c.* 3. *Decian. lib.* 5. *Pract. crim. c.*

6 85. Sed ingressuri monasteria, solent aliquam pecuniae summam solvere pro ingressu, veluti dotem, ob portanda onera matrimonii spiritualis, quod adeo iniquum non est, modo id ab omnibus, paupcribus scilicet non postuletur.

Auth. Quod pro hac causa.

SUMMARIA

Poena alia Simoniae. num. 1.
In fonte eadem poena Mediatoribus etiam, et Laicis dictatur. 2.

1 Haec continet poenam aliam, ut quod datum est, restituatur Ecclesiae, cujus Sacerdotium vo-
2 luit comparare. In Novella ipsa 123. *cap.* 2. §. 1. haec eadem poena dictatur etiam Mediatoribus, et Laicis: qui hoc fine aliquid accipiunt, qui etiam duplum restituere debent.

L. Orphanotrophos. 32.

SUMMARIA

Qui Orphanotrophiis praepositi, vel hospitalarii, non tenentur satisdare in judicio. 1.
Exemplo Tutorum, et Curatorum. 2.
Ecclesia non cavet, et semper solvendo esse praesumitur. 3.
Debent vero Inventarium conficere. 4.
Possunt res orphanorum ob urgentem causam alienare. 5.
Nec tenentur ad rationes reddendas orphanis, sed Episcopo. 6.
Inventarium vel coram Notariis, vel coram Judice fieri potest. 7.
Electio hoc casu est ejus, qui curat fieri. 8.

1 Qui Orphanotrophiis praepositi, vel Hospi-
2 talarii, non tenentur satisdare in judicio. Exemplo tutorum, et curatorum, si pupilli bona immobilia possideant, *leg.* 15. §. 5. *ff. qui satisd.*
3 Nam bene sperandum de iis, qui propter timorem Dei parentibus atque substantiis destitutos minores substentare, atque velut affectione paterna educare festinant. Et alias Ecclesia non cavet, et semper solvendo esse praesumitur. Ha-
4 bet enim divitem Patronum in coelis. Debent
5 vero Inventarium facere. Possunt etiam res orphanorum ob urgentem causam alienare, de quo *praeced. titul.* nec tenentur ad rationes reddendas orphanis, scilicet ut tutores, sed a rationibus reddendis liberi sunt, quia eos affectio-
6 ne velut paterna educare festinant. Tenentur tamen ad rationes reddendas Episcopo, *Novell.*
7 123. *cap.* 23. Colligitur ex hac Lege: Inventarium vel coram Notariis, vel coram Judice, et
8 apud Acta fieri posse, et sic electionem esse haeredis, vel alterius, qui ad Inventarium faciendum obligatur.

L. Omnes 33. et Auth. Causa quae; nec non Auth. sequentes.

SUMMARIA

Clericus apud Praesidem Provinciae conveniri, nec extra Provinciam evocari debet num. 1.
Monachi coram Episc. conveniendi in civilibus. 2.
Judicis, et executorum contra facientium poena. 3.
Decanica loca quid? 4.
Quod de monachis dictum, ad omnes Clericos extenditur. 5.
Quid juris, si aut non possit, aut non velit Episcopus cognoscere? 6.
In actionibus, ubi de re immobili est, Clerici judex competens est judex rei sitae. 7.
In Criminalibus distinguitur. 8.
Fridericus Barbarossa Imper. in omnibus causis Clericum ad forum saeculare trahi prohibet. 9.
Poena actoris, et judicis contra facientium. 10.
Item judicis, qui tertio requisitus justitiam Ecclesiasticis personis denegaverit. 11.
Clerici beneficio Impp. exempti sunt jurisdictione saecularis judicis. 12.
Clerici Constantinopolitani coram Praef. Pr. conveniendi. 13.
Clerici tempore Justiniani tantum, Imper. et eos qui vice Imperat. constituti erant, ut superiores recognoverunt. 14.
Repetitio eorum, quae in *L.* 25. §. L. h. t. *de satisdatione Clericorum habentur.* 15.
Ecclesiae interest Clericos litibus non distringi. 16.
De fidejussione peregrinorum Clericorum Constantinopoli repertorum, et ibi conventorum. 17.
Ecclesia Constantinopolitana pro peregrinis Clericis non fidejubet. 18.
Quis provincialium Clericorum nomine litem suscipere, et fidejubere debeat. 19.
Quae §. 5. de sportulis habentur ab usu recesserunt. 20.
Citatio verbalis qt. in alio territorio fieri possit? 21.
Apparitor Clericum citans a contumeliis abstineat. 22.
Confirmatio Privilegiorum Clericorum. 23.
Successores Praedecessorum Privilegia confirmare, et jura subditorum tueri tenentur. 24.
Poena Clericos temere convenientium. 25.
Ex qualitate personae calumnia praesumitur. 26.
Solent Laici multi calumniari Clericos, et odio prosequi; et ex qua ratione? 27.
Non bene conveniunt vitia mundi taxare, et tamen placere. 28.

Princip. prohibetur, ne Clerici apud alium 1
judicem conveniantur, quam apud Praesidem Provinciae, nec extra Provinciam evocentur. Sed 2
Novell. 79. *et Auth. causa h. t.* ut et *Novell.* 83. *et Novell.* 123. prohibentur Monachi conveniri, 3
nisi coram Episcopo in causis civilibus, adeo ut judex contra faciens deponatur, et una cum officio suo 10. libris auri mulctetur; Executores autem contra facientes in Decanica loca id est, carceres monasterii detrudantur; per *Auth.* 4
Causae, quae quidem tantum de Monasticis per- 5
sonis loquitur, sed id extenditur *in Auth. Clericus,* ad omnes Clericos. Quod si non possit, aut 6

non velit Episcopus cognoscere, tum cogno-
7 scat judex Politicus, Praeses, Praefectus Praet. In
actionibus, ubi de re immobili est, plerique tra-
dunt judicem Laicum, sub quo res sita, judicem
etiam Clerici esse, cum eo casu non persona,
sed res in judicium trahatur, *Gail. de pignor.
obser.* 7. *num.* 2. *Covarr. pr. qq. c.* 35. et quos
allegat *Klock. cons.* 10. *num.* 178. *vol.* 1. *Gerhar-
dus Theologus in loco de Magistratu polit.* §. 440.
Carpzov. l. 3. *Jurispr. Eccles. def.* 7. *Rosenthal.*
8 *de feudis* 12. *conclus.* 3. *num.* 24. In Criminalibus
vero distinguitur inter Crimina Politica, et Eccle-
siastica, ut in his sit Episcopus judex, in illis Po-
liticus, superior tamen, scilicet Praefectus Prae-
torio, vel Praeses, non vero municipalis Magistra-
tus; lis tamen debet intra duos menses termina-
ri, nec Clericus puniendus, nisi ab Episcopo de-
gradatus, idque proponitur in *Auth. Clericus.*
9 Demum Frider. Barbarossa Imperator in omni-
bus causis Clericum ad forum saeculare trahi
10 prohibet, actor contra faciens amittit causam,
Judex amittit jurisdictionem, quae poena etiam
11 illi judici imminet, qui tertio requisitus justitiam
Ecclesiasticis personis denegaverit, per *Auth.
statuimus h. t.* desumptam ex constitutione, quae
subjecta est usibus feudalibus. Conferatur *Rittersh.
in Novell. part.* 1. *c.* 6. *num.* 75. *et seq.* Quae
omnia favore Ecclesiastici Ordinis, et ob ejus di-
12 gnitatem sunt introducta. Et ita verum est, Cle-
ricos beneficio Imperatorum esse exemptos ju-
risdictione judicis saecularis, et coram Principe
jura Episcopalia exercente.
13 §. 1. Loquitur tantum de Constantinopolitanis
Clericis coram Praefecto Praetorio conveniendis.
14 Ex quo apparet: Clericos tempore Justiniani tan-
tum Imperatorem, et eos, qui vice Imperatoris
constituti erant, scilicet Praefectum Praetorio, et
Praesidem, ut superiores recognovisse.
15 §. 2. Repetitur id quod supra *leg.* 25. §. 1. *h. t.*
dictum, quod scilicet Clerici, orthodoxi tamen,
conventi, Oeconomum suum fidejussorem dare,
et ita cavere possint, addita hac ratione, ne dum
de fidejussoribus, an idonei sint, vel non, dispu-
tatur, lis differatur, et interim innocens pauper
16 sumptibus fatigetur; quia Ecclesiae interest, Cle-
ricos litibus non distringi, sed eorum litigia
ocyus absolvi, quod non fieret, si in praelimina-
ribus de satisdationis sufficientia diu litigare ha-
berent necesse.
17 §. 3. Peregrini Clerici, et Constantinopoli re-
perti, et ibi conventi, vicariis fidejussoribus con-
tradandi, id est, admittendi, ut pro se invicem
fidejubeant, solemniter tamen per stipulationem,
aut nudae promissioni committendi, aut obliga-
tionibus bonorum, id quod necessitas introduxit:
18 nam Ecclesia Constantinopolitana pro peregrinis
non fidejubebit; peregrini autem Clerici alium
fidejussorem non reperient.
19 §. 4. Agit de Provincialibus Clericis, et dispo-
nit, ut quando Clericorum aliquod collegium,
vel Ecclesia convenienda, Oeconomus, seu di-
spensator pauperum ab Episcopo electus, litem
suscipiat, et si ab ipso satisdatio exigatur, Defen-
sor, seu Patronus Ecclesiae fidejubeat. Ratio hic
eadem est quae in §. 2.
20 §. 5. Agit de sportulis, quae dandae Executo-
ribus erant, moderandis, quae hodie nullius sunt
21 usus. Illud utilius est, quod *Bald. Castrens.* et
alii ex hoc §. colligunt, quod citatio verbalis in
alio territorio fieri possit, modo in citantis terri-
torio sortiatur citatus forum, quum scilicet uter-
que locus uni principi subjectus, ut hic limitat *Go-
thofred. et Bart.* laudatus a *Jason. in l. fin. ff. de
jurisdict. num.* 24. *Wurmser. tit.* 6. *obs.* 9. *Cae-
vall. in specul. q.* 59. *num.* 3. a quibus dissentit
Ilic. Umm. ad Process. disp. 5. *num.* 60. Sed illa
opinio, quae ex textu colligitur, communior
videtur.
§. 6. Agit de apparitore citante Clericum, quod 22
a contumeliis debeat abstinere, contra faciens
cingulo, et patrimonio mulctandus: cujus ratio
est manifesta, in dignitate scilicet citandi.
§. 7. Clericorum privilegia, et in specie immu- 23
nitates a muneribus confirmantur: Ex quo pro- 24
batur, successores praedecessorum privilegia con-
firmare, et sic jura subditorum tueri teneri.
Enenk. de Privileg. lib. 2. *cap.* 20. *num.* 3. *Af-
flict. dec.* 17. *num.* 5. *Carpzov. dec.* 88. *num.* 14.
§. 8. Illi, qui Clericos convenerint, et succubue- 25
rint, ad expensas litis restituendas condemnan- 26
tur, quia ex qualitate Personae calumnia prae-
sumitur. Solent enim Laici multi calumniari Cle- 27
ricos, et odio prosequi, nam quia Clerici tenen-
tur inquirere in vitia plebis, et errantes reprehen-
dere, non possunt omnibus complacere; Hinc
odia, ut in simili dicit *August. Dulcet. in tract.
de Syndicat. q.* 10. Non bene conveniunt vitia 23
mundi taxare, et tamen placere.

L. Sacrosanctae. 34.

SUMMARIA

Filiifamil. Clerici occasione officii acquisita instar peculii Castrensis possident, et de iis pro arbitrio disponunt. num. 1.
Clericus coelestis militiae miles dicitur. 2.
Ea, quae filius ex Clericatu non acquisivit, non sunt ipsius propria, sed patri competit in iis ususfructus, nec potest filius de iis disponere. 3.

Filiifamilias Clerici, quae occasione officii acqui- 1
runt, instar peculii Castrensis possident, et sibi
acquirunt; et de iis disponunt pro arbitrio sive
mortis causa, sive inter vivos, nec ea fratribus,
sororibusve coguntur conferre. Ratio horum est:
quia Clericus coelestis militiae miles dicitur, et 2
per consequens, quod ex ista militia acquirit,
peculii Castrensis instar se habet. Unde a con-
trario sensu probatur, ea, quae filius non ad-
quisivit ex Clericatu, non esse propria ipsius fi-
liifamilias, sed Patri competere in iis, ut in ad- 3
ventitiis, usumfructum, nec filium de iis dispo-
nere posse, *Pinell. de bonis mat. in l.* 1. *pag.* 1.
num. 43. *Surd. de aliment. tit.* 9. *q.* 20. *num.* 34.

Auth. Sed Episcopalis.

SUMMARIA.

Episcopi patriae potestati exempti sunt. num. 1.
Alias emancipato filio, et postea mortuo avo nepotes in patris potestatem non recidunt. 2.
Secus est in Episcopi liberis. 3.
Sola electio in Episcopum praedictum effectum operatur. 4.
In sacro ordine, etiam Presbyteratu, non idem. 5.
Quatenus Episcopatus patriam potestatem tollat? 6.
Non tollit jus Suitatis. 7

Omnis dignitas a Curia liberans etiam a patria potestate liberat. 8.

1 Haec Auth. Episcopos eximit patriae potestati,
2 adeo ut, quamvis alias emancipato filio, et postea mortuo avo, nepotes in patris potestatem non recidant, *pr. Inst. quib. mod. jus patr. potest.*
3 In Episcopo tamen secus, dum Episcopi liberi
4 mortuo avo in Patris potestatem redeunt. Et ad hunc effectum sufficere videtur sola electio in Episcopum, licet nondum Episcopatum administret, *Molin. tr. de Just. et Jur. disp.* 229. *num.*
5 8. non autem idem in sacro ordine, etiam presbyteratu, *Covarr. in c. quia nos* 9. *X. de testam.*
6 *num.* 5. *Mol. d. l.* Superius autem quod de Episcopatu dicitur, quod patriam potestatem tollat, id intelligendum de effectibus gravantibus, non
7 favorabilibus, ut jure Suitatis, *Tiraq. de Nobilit. c.* 6. *num.* 50. *Molin. d. l. num.* 10. *Covarr. d. l.*
8 *num.* 6. Nota ex hoc textu Regulam: quod omnis dignitas, quae liberat a Curia, liberet etiam a potestate patria.

Auth. Licentiam. et seq.

SUMMARIA

Emendatur per hanc Auth. L. 34. h. t. *num.* 1.
Qt. Episcopus de iis, quae ante Episcopatum probatus fuerit habuisse, vel a cognatis usque ad quartum gradum adquisivisse, per ultimam voluntatem disponere cum effectu possit? 2.
An Episcopus vivus ea, quae expenderat in utilitatem Ecclesiae, repetere possit? 3.
Quod de quaesitis ab Episcopo ante dignitatem, vel post eam dictum, extenditur ad administrationem loci religiosi. 4.
Mortuo intestato Episcopo succedit Ecclesia. 5.
Legitima parentibus, et liberis Episcopi omni casu salva est. 6.
Quaecumque Clericus possidet, ea preasumitur in officio adquisivisse. 7.
Contrarium hic alleganti incumbit probatio. 8.
Moribus Galliae, et aliorum locorum Pontificiorum lex haec non observatur. 9.
Sed Episcopi acquisita libere alienant. 10.
An Clericus de acquisitis ex officio testari possit? 11.

1 Quod in *l.* 34. dictum, posse scil. Clericum etiam in extraneum sua bona alienare, id hic
2 emendatur; nam Episcopo conceditur licentia, ea demum, quae ante Episcopatum probatus fuerit habuisse, vel quae a cognatis usque ad quartum gradum acquisivit, transmittendi ultima voluntate in quemcumque voluerit; si tamen prius, quam moreretur, ea bona in utilitatem Ecclesiae consumpserit, irrita redditur
3 dispositio; posse tamen Episcopum vivum ea quae expenderat Episcopus in utilitatem Ecclesiae repetere, putat *Pruckman. v.* 1. *cons.* 20. *num.* 40. et de contrahendi potestate hic non agi, sed testandi, dicit *Fr. de Caldas de Empt.*
4 *c.* 8. *num.* 63. Quod autem antea de quaesitis ante dignitatem, et post eam dictum, id hic extenditur ad administrationem loci religiosi: si
5 vero intestatus moriatur, succedit Ecclesia, omni tamen casu legitima parentibus, et liberis ma- 6
nente salva, per *Auth. sed Presbyteros*, et per *c.* 1. *X. de pecul. Clericor.* et *Panorm. ib. num.* 3. *Covarr. in cap. c. X. de Testam. Camill. Borell. Tom.* 1. *decis. tit.* 6. *num.* 35. *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 53. Nota: Quaecumque Clericus possidet, 7
ea praesumitur in officio acquisivisse, quoniam 8
hic contrariam qui allegat, debet probare. Sed 9
moribus Galliae non tantum, sed locorum etiam aliorum, ubi auctoritas Pontificia viget, haec lex non observatur, sed possunt Episcopi acquisita 10
libere alienare, *Christin. decis.* 174. *num.* 19. Tra- 11
dunt etiam Clericum de acquisitis ex officio testari non posse, nisi consuetudine id sit receptum, de qua consuetudine passim DD. testantur, vid. *Christin. d. dec.* 19. *vol.* 2. *Barrius de success. l.* 1. *c.* 7. *num.* 14. *et seq.*

L. Omnia privilegia. 35.

SUMMARIA

Lex haec Privilegia piorum locorum confirmat. n. 1.
Successor in regno privilegia a Praedecessoribus data non confirmans, injurius videtur, et iniquus. 2.

Confirmat tantum privilegia piorum locorum, 1
et in specie Orphanotrophiorum, omniaque privilegia Majoris Ecclesiae Constantinopolitanae ipsi tribuit. Ex quo etiam colligunt: Successorem 2
in Regno, si privilegia a praedecessoribus data non confirmet, injurium videri, et iniquum. vid. not. *ad l.* 33. §. 7. *h. t.*

L. Jubemus. 37.

SUMMARIA

Adscriptitii quinam? num. 1.
Non debent invitis Dominis Clerici, vel Monachi fieri. 2.
Ecclesia nemini adimit quod suum est. 3.
Est cultrix, et amatrix justitiae. 4.
Servi prius non manumissi Clerici fieri prohibentur. 5.
Episcopi Praesidum Jurisdictioni subjiciuntur. 6.
Derogatum huic in Auth. 7.

Princ. Adscriptitii i. e. coloni, certae terrae, ac 1
fundo adscripti, non debent sine expresso con- 2
sensu Dominorum suorum, vel Clerici creari, vel in monasteria recipi. Ratio est: quia Ecclesia ne- 3
mini adimit, quod suum est, cum sit cultrix, et 4
amatrix justitiae.

§. 1. Prohibentur servi Clerici creari, nisi prius 5
manumittantur, cujus ratio partim eadem, quae in princ. partim in dignitate ordinis Clericalis consistit.

§. 2. Imperator Episcopos ipsos Praesidum ju- 6
risdictioni subjicit, adeo ut illi hos sequi teneantur, non hi illos; sed huic derogatum in Authen- 7
ticis, de quibus supra.

Auth. Adscriptitios.

SUMMARIUM

Adscriptitii invitis Dominis qt. Clerici fieri possint?

Concedit haec adscriptitiis, ut eo in loco, cui adscripti sunt, invitis etiam Dominis, Clerici fieri possint, dum alium agricolam surrogent, et substituant. Ratio est, quia ita Dominus laedi non videtur.

Auth. Si servus.

SUMMARIA

Cum servus ab Episcopo Clericus eligitur, domini scientia habetur pro consensu. num. 1.
Sola scientia dominio aliquem non privat, nec jus pignoris adimit. 2.
Ignorante domino facta electione repeti servus intra annum potest. 3.
Servus semel electus ad saecularem vitam rediens libertatem amittit. 4.
Consensus favore certae causae datus commensuratur fine suo. 5.

1 Quum servus ab Episcopo Clericus eligitur, Domini scientia habetur pro consensu, ut in *leg.* 18.
2 *ff. Mandat.* quod hic tamen speciale: nam sola scientia ut Dominio aliquem non privat, ita nec jus pignoris adimit. Vid. *Neguz. de pign. num.* 3. *part.* 6. *num.* 23. *Mascard. de Probat. concl.* 1179.
3 *num.* 25. alias si ignorante Domino facta electio,
4 Dominus repetere potest intra annum; si vero servus semel electus ad saecularem vitam redeat, amittit etiam libertatem per hanc *Auth.* Collige:
5 consensum favore certae causae datum commensurari fine suo; nam hic libertas data erat propter clericatum, et hujus favore; sed quando hic finis desinit, etiam libertas, *Tiraq.* et quos ibi allegat *in tr. de Regula: Cessante causa etc. num.* 48. *et seq. et num.* 210.

L. Servis. 38.

SUMMARIA

Lex haec Auth. Praeced. *ad Monachos etiam applicat. num.* 1.
Immunitas alicui concessa contemplatione certae causae finalis tamdiu durare intelligitur, quamdiu causa finalis durat. 2.

1 Quod praecedens Auth. de servo in Clericum sciente Domino electo dixerat, id *haec l.* ad Monachos etiam applicat, scil. quod servus, qui sciente Domino Monasticam vitam profitetur, libertate fruatur durante vita Monastica: nam si Monasticum habitum deponat, cessat libertas.
2 Ratio in praecedente Auth. allegata, et quod immunitas alicui concessa contemplatione certae causae finalis tamdiu durare intelligatur, quamdiu causa finalis durat.

Auth. Episcopalis Ordo.

SUMMARIA

Episcopatus liberat a conditione servili, atque adscriptitia. num. 1.
Non vero a Curia. 2.
Curiae per substitutum serviri potest. 3.
Discrepat paulo Auth. haec *a suo fonte.* 4.
Curiales Episcopi esse non poterant. 5.
Talia Curialia onera non amplius habemus. 6.

Episcopatus liberat a conditione servili atque 1
adscriptitia, non vero a Curiae nexu, cui per sub- 2
stitutum serviri potest; Sed in ipsa *Nov.* 123. *cap.* 3
4. paulo aliter haec se habent; nam ibi Episcopi 4
esse non possunt, nisi a Curiae oneribus liberi 5
sint, nam Curiales Episcopi esse non poterant. Videatur *Rittershus. in Novell. part.* 1. *cap.* 7.
num. 20. *et seq.* Sed talia curialia onera non am- 6
plius habemus.

Auth. Verum et si.

SUMMARIUM

Incertae conditionis persona monachismum profiteri volens per triennium prius probanda.

Quando aliquis, qui incertae est conditionis, Monachismum vult profiteri, non debet protinus recipi, sed debet per triennium probari. Triennio exacto debent veste Monastica indui, et licet servilis conditionis essent, liberi tamen erunt; Si enim ob civiles causas interdum servi libertatem merentur sine voluntate Domini, quomodo non praevalebit Divina gratia talibus eos absolvere vinculis? ut dicit Imp. *in Nov.* 5. c. 2. ex qua haec Auth. sumpta.

L. Repetita. 41.

SUMMARIA

Insinuatio testamentorum apud personam Ecclesiasticam fieri non potest. num. 1.
Probrosum est Clericis velle se peritos ostendere rerum forensium. 2.
Legum scientia Clericos ornat, et in multis adjuvat. 3.
Sicut JCtos scientia juris Divini. 4.
Admonitio Auctoris circa ll. h. seqq. 5.

Prohibetur hic ne insinuatio testamentorum fiat 1
apud personam Ecclesiasticam, sed apud Magistrum census; quia probrosum Clericis, si velint 2
se peritos ostendere rerum forensium, *leg.* 23.
C. de testament. Sed Legum tamen scientia Cle- 3
ricos ornat, et in multis adjuvat, sicut JCtos scien- 4
tia Juris Divini. (Hic omittuntur nonnullae le- 5
ges: loquuntur enim de Electionibus Episcoporum, et iis, quae in Jure Canonico melius proponuntur; nec hae Leges sunt Authenticae, sed a recentioribus restitutae, et latinitate donatae, quae in decisionibus causarum non admittuntur.)

L. Si quis ad declinandam. 49.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An testatore captivos, vel pauperes suorum bonorum haeredes instituente, ne, si haeredem alium scriberet, ille captivis detraheret Falcidiam, talis institutio procedat? 2.
Incertis personis nil potest relinqui. 3.
Favor pietatis, seu piae causae etiam ad alimenta extenditur. 4.
Cui in proposita num. 1. *facti specie testamenti debeatur executio?* 5.
Officium executoris ejusmodi. 6.
Executor ab ipso testatore datus praefertur Episcopo. 7.
Qui in proposita facti specie ad bona admittendi? 8.
Quatenus mutata haec lex per Nov. 1. c. 12.? 9.
Jure novo Falcidia prohiberi potest. 10.

1 Casus hic est: Volebat testator captivos, vel pauperes suorum bonorum haeredes instituere,
2 ne, si haeredem alium scriberet, ille captivis detraheret Falcidiam: quaeritur igitur. *I. An procedat talis institutio? II. Cui debeatur executio testamenti?* et *III. Qui ad bona admittendi?*
3 Ad 1. respondetur in *princ.* et §. 1. quamvis incertis personis alias nil relinqui possit, praesentem tamen institutionem valere, et quidem favore pietatis, seu piae causae; quem favorem
4 etiam extendunt ad alimenta, *Tiraq. priv. piae causae.* 55. *et seqq. Surd. de aliment. tit.* 8. *pri-*
5 *vil.* 17. Ad 2. quaesitum resp. §. 2. et 4. executionem scil. incumbere Episcopo, vel Oeconomo, ita tamen, ut executor nullum lucrum, ne quidem Falcidiam expectet, ne coelestem iracun-
6 diam provocet. Ad executorem etiam spectat actiones haereditarias excipere, et movere. Con-
7 feratur *l.* 28. §. 1. *et seqq. h. t.* Sed hoc intelligendum, nisi testator executorem dederit; Nam hic omnino praeferendus esset Episcopo, per *cap.* 3. *X. de Testam. Menoch. l.* 4. *praesum.* 125. *n.* 3. De
8 3. quaesito agitur in §. 2. 3. 5. *seqq.* Nam si certi captivi, si certum Xenodochium est institutum, res est plana; Si vero in genere pauperes instituti, et nullum est in eo loco Xenodochium, mendicantibus debetur haereditas, et pauperibus omnibus, sin vero nulli ibi sint, vicinis debebitur, *Menoch. l.* 2. *A. J. Q. casu* 22. *num.* 4. Sin unum est Xenodochium, illi debetur; si plura, debetur pauperrimo. Confer. hac de materia *Me-*
9 *noch. l.* 4. *praesumpt.* 125. *per tot. Mantic. de conject. ult. volunt. l.* 8. *tit.* 5. Observa autem, hanc legem fuisse quodammodo mutatam per *Nov.* 1. *c.* 2. non quidem in hoc, quod captivi non possint institui, sed quod hic praesupponatur,
10 non posse Falcidiam prohiberi, quae jure novo prohiberi potest, *Auth. sed cum testator, C. ad L. Falcid. Menoch. cons.* 371. *num.* 17.

Auth. Si captivi.

SUMMARIA

Sperans haereditatem, sive legitimam, sive testamentariam, testatorem captivum ex suis, vel captivi bonis non redimendo successione cadit. num. 1.
Captivus haeredis Contractum talem ratum habere tenetur. 2.
Cui hoc casu competat successio? 3.
An quod de captivi haerede sperato dictum, extendatur etiam ad incarceratos? 4.
Limitatur regula textus in haerede minore 18. *annis.* 5.
Ut qui restitutione in integrum juvatur. 6.
Delicta in omittendo consistentia levius coerceri solent. 7.
Valet testamentum ejusmodi in aliis capitulis praeterquam in institutione. 8.
Quando locum habeat haec Auth. 9.

Sperans haereditatem alicujus ex testamento, 1
vel ab intestato, si captivum testatorem redimere ex suis, captivi bonis (tenetur enim captivus 2
talem contractum ratum habere) neglexerit, privatur omni successione, et bona deferuntur Ecclesiae in redemptionem captivorum, sed hoc 3
ad incarceratos etiam extenditur a *Gratian. tom.* 4
1. *disc. for. cap.* 108. *num.* 5. et aliis, quos allegat *Tiraq. de LL. connub. gl.* 8. *num.* 288. verior tamen est sententia negans, *Tiraq. d. l. num.* 289. Sed limitatur regula textus, nisi ille, qui negle- 5
xit redemptionem, sit 18. annis minor; nam li- 6
cet minor 18. annis ipso jure incurrat poenam, juvatur tamen restitutione in integrum, quia omittendo tantum peccavit, *Sfort. Oddus de Restit.* 7
p. 2. *q.* 82. *art.* 1. qualia delicta levius coerceri solent, *Tiraq. de poen. temp. caus.* 44. Testa- 8
mentum tamen in aliis capitulis valiturum est. Et locum etiam habet Authentica haec tantum 9
in eo casu, quando in captivitate mortuus. Nam si reversus fuerit, quia testari potuit, et non fecit, videtur proximo deferre haereditatem. *Christin. dec.* 174. *in fine vol.* 5.

L. Cum lege. 50.

SUMMARIA

Clericorum filiorumfam. testamentum super peculio quasi Castrensi valet, nec querelae inofficiosi subjacet jure Cod. num. 1.
Secus jure Nov. *quoad legitimam parentum.* 2.
An testamentum Clerici ob praeteritionem, vel injustam exhaeredationem rescindi debeat? 3.
DD. *hic tractant quaestionem: an legitima filiis, vel parentibus jure naturae debita possit tolli, vel minui?* 4.
Monitum Auctoris circa subscriptionem legis: post Consulatum Lampadii, et Orestis. 5.

Clericorum filiorumfamilias testamentum su- 1
per peculio quasi castrensi valet, nec subjacet querelae inofficiosi testamenti; Sed hoc poste- 2
rius mutatum per *Nov.* 123. *c.* 19. *et Auth. Presbyteros, supr. h. t.* Nam Parentibus salva 3
debet esse legitima. Plures tamen putant, testamentum Clerici ob praeteritionem, vel injustam exhaeredationem rescindi non debere, sed legitimam tamen peti posse. Doctores allegat *Covarr. in c. quia nos.* 9. *de testam. num.* 7. *et seqq. Valasc. consult.* 108. *num.* 11. Doctores hic *ut Bald. Castr.* et alii tractant quaestionem: an le-

gitima filiis, vel parentibus jure naturae debita
possit tolli, vel minui? Illud difficilius statuendum, praesertim si statutum non habeat pro-
4 babilem causam. Vid. Doctores, quos pro utraque opinione recenset *Paul. Christin. p. 1. decis.* 285. Auctor *ad l. 7. ff. si tabul. testam. null.*
5 *extat. num.* 4. *et* 5. Hic in textu Authentico se offert nobis subscriptio legis: post *Consulatum Lampadii et Orestis*, quo designatur annus 530. nam cum ejus anni consules perduellionis in crimine periissent, nomina eorum ex Fastis fuere deleta, et annus 530. ita describi coeptus, *Ex Cuspin. ad Annum dictum Dn. Thabor. de Alt. Tant. p. 3. art. 13. §. 23.*

L. Si quis. 51.

SUMMARIA

An valeat pactum Episcopi, vel Clerici, non usurum sese in casu, ubi coram saeculari judice conveniri eum contingat, exceptione judicis incompetentis? num. 1.
Quilibet favori pro se introducto licite renunciat. 2.
Objectio. 3.
Solvitur. 4.
Recensentur casus alii, quibus Clericus coram saeculari judice conventus exceptionem incompet. judic. opponere non possit. 5.

1 Episcopus, vel Clericus pactus est, si coram saeculari judice conveniatur, se non usurum exceptione judicis incompetentis; Quaeritur: an
2 valeat hoc pactum? Resp. quod sic. Ratio additur in textu; quod quilibet his, quae in sui favorem introducta sunt, renunciare possit, per hanc legem, cui contradicit, *c. si diligenti*
3 *X. de foro compet.* quo prohibetur Clericis, ne in judicem saecularem consentire possint, quia si per judicia saecularia vagarentur Clerici, aut a judicibus saecularibus paulo durius tractarentur, ut est nonnullorum in Clericos livor, hoc in omnium Clericorum ignominiam tenderet.
4 Verum defendunt nostri constitutionem Imperatoris, et impietatis accusant Pontificis decretum, dum etiam juratam renunciationem non admittit, *vid. Hillig. in Donell. l. 17. cap. 10. lit.*
5 *y. Rittershus. in diff. lib.* 5. *c.* 1. Et sic est 1. exceptio privilegii Clericorum. 2. est in actione reali, vide not. ad *l. fin. C. ubi in rem.* 3. exceptio est, si Clericus vendiderit rem, et debeat defendere emptorem, nam tunc defendere tenetur reum in judicio Laici. *Myns. c. 1. observ.* 22. *n.* 7. *Boer. decis.* 69. *num.* 27. *Christin. vol.* 1. *dec.* 280. *num.* 17. *et vol.* 2. *decis.* 19. *num.* 10. 4. Si Clericus succedat Laico, et controversia contra defunctum sit inchoata, *Gail.* 1. *obs.* 37. *num.* 8. *Myns. c.* 3. *obs.* 15. *Cov. c.* 8. *pr. q.* 1. *Christ. d. l.* 5. Reconventione, *Farin. q.* 8. *num.* 99. *Hill. in Don. l.* 17. *c.* 18. *M. lit. P. Barb. in l.* 29. *num.* 82. *ff. de judic.* Alias except. vid. apud *Mynsing. c.* 2. *obs.* 67. *et alios.*

L. Generaliter 52.

SUMMARIA

Clerici ab aliorum tutela, et cura sunt immunes. num. 1.
Nisi vagantes sint, et desides. 2.
Causa privilegii cessante ipsum privilegium cessat. 3.
Praxis fori Gallici, et Belgici quoad domesticos tenet contrarium. 4.

Eximuntur hic Clerici ab onere tutelae pupil- 1
lorum, et curae adultorum, ac furiosorum, ut aliis omnibus derelictis, DEI omnipotentis ministeriis eo diligentius vacent, *c. ult. dist.* 88. *etc. Cyprianus caus.* 21. *q.* 4. quod tamen locum non 2
habet in vagantibus, et desidibus Clericis; quia 3
causa privilegii cessante, ipsum privilegium cessat, *Tiraq. Tr. cessante caus. num.* 210. *Enenkel Baro de privil. lib.* 3. *c.* 1. *num.* 6. Hoc ubique valiturum Imperator in fine confirmat: Sed in 4
Gallia, et Belgio hanc exemptionem quoad domesticos non observari ex *Bugnio* refert *Christin. vol.* 2. *dec.* 17. *num.* 8.

Auth. Presbyteros.

SUMMARIA

An Episcopi et monachi huic immunitati (a tutela et cura) renunciare possint? num. 1.
Paulus Montanus *notatur.* 2.
An huic Auth. *Jure Can. derogatum?* 3.
Quatenus caeteri Clerici tutores legitimi fieri possint? 4.
Tutores legitimi non tam ab homine, quam a sanguine ad tutelam vocantur. 5.

Episcopi, et Monachi huic immunitati Eccle- 1
siae renunciare, et ita tutores esse nequeunt, nisi essent personae miserabiles, de quarum tutela, aut cura agitur, *Guttierez. de tutel. l.* 1. *c.* 1. *num.* 30. *et seq.* Et hoc in tutelis legitimis etiam locum habere ostendit praesens *Auth.* ut mirer, *Paulum Montanum de tutelis c.* 35. *num.* 2
194. hanc prohibitionem ad dativam, et testamentariam restringere: nisi dicamus cum *Gl. in c. ult. dist.* 86. quod per illud *c. ult. Authenticae* 3
huic derogetur, quod merito reprobat *Molin. de J. et J. Disp.* 221. *num.* 8. Caeteri vero Cleri- 4
ci, si lege vocentur, tutores esse possunt, si intra quatuor menses apud judicem competentem voluntatem suam in scriptis declararint, se scil. sponte suscipere velle tutelam. Ratio est 5
in *l.* 51. *h. t.* et quia non tam ab homine, quam a sanguine ad hanc tutelam vocantur.

L. Raptores. 54.

SUMMARIA

Mulieres Deo dicatae non habent volunt. num. 1.
Poena eorum qui tales rapiunt. 2.
In tali raptu incestus, adulterium, raptus, et sacrilegium videntur concurrere. 3.
In hoc crimine etiam conatus punitur. 4.
Haec lex aliis juris text. quodammodo derogat. 5.
Nov. 123. *c.* 43. *non mutatur per* Nov. 143. *n.* 6.

Mulierum dedicatarum DEO, etiam volentium 1
(nam sunt sub potestate Abbatissae, et sic non habent voluntatem, *Farin. q.* 145. *num.* 220.)

raptores capite puniuntur, bonaque eorum,
2 quoad proprietatem monasterio, vel Ecclesiae applicantur, usufructu Mulieribus relicto, possuntque etiam a judice incompetenti puniri, vel a proximis cognatis impune occidi. Socii eadem poena tenentur, et capitale supplicium etiam consciis, ac ministris irrogandum. Ratio gravissimarum harum poenarum est, quod hoc delictum non tantum ad injuriam hominum, sed etiam ipsius DEI irreverentiam committi-
3 tur, et quia hic incestus, adulterium, et raptus videntur concurrere, imo et sacrilegium. *Menoch. l.* 3. *A. Q. casu* 389. *num.* 22. *et seq.* et
4 speciale est in hoc crimine, quod etiam conatus hic puniatur, *l.* 5. *h. t. Decian. Pract. crim.*
5 *l.* 8. *c.* 8. *num.* 7. Quod de bonis raptorum Monasterio, vel Ecclesiae applicandis dicitur, quodammodo derogat legi *unicae C. de Raptu* et repetitur *Novell.* 123. *c.* 43. nec mutatum per
6 *Nov.* 143. *Vid. Ant. Matth. ad lib.* 48. *Digest. tit.* 4. *c.* 2. *num.* 14.

L. DEO nobis. 55.

SUMMARIA

Permissum sponsis, et conjugibus, relicto statu saeculari, ad vitam monasticam adspirare, citra amissionem arrharum, vel dupli restitutionem. num. 1.
Solvitur hoc casu matrimonium consummatum etiam quoad vinculum. 2
Superstes ad alia vota transire potest. 3.
Nec eo casu maritus donationem propter nuptias, nec uxor dotem amittunt. 4.
Quid is, qui non ingreditur Monasterium, sed in saeculo manet, lucretur? 5.
Mors civilis aequipollet naturali. 6.
Quatenus hoc procedat? 7.
Consummatum per copulam matrimonium ne quidem quoad thorum ob votum alterius, altero dissentiente, separari potest. 8.
Jus Canonicum prohibet votum continentiae conjugibus, altero invito. 9.
Secus est, ubi uterque consentit. 10.
An lex haec per Jus Can. abrogata? 11.
Parentes liberos suos, qui ad Monachismum, vel Clerum, etiam invitis parentibus, sese contulerunt, exhaeredare ob id non possunt. 12.
Monachi parentibus ab intestato mortuis succedunt. 13.
Filius per Monachismum jura Suitatis non amittit. 14.
Quatenus ea ad monasterium transmittat? 15.
Franciscani habentur pro mortuis. 16.
Poena remeantium ad vitam saecularem, relicta monastica. 17.
Bona monasterio per ingressum semel quaesita, facto monachi adimi non possunt. 18.
Judaeus, vel infidelis Christianum mancipium habere non potest. 19.
Mancipia infidelia per professionem Catholicae Religionis liberi fiunt. 20.
Quid juris circa Judaeum mercimonii causa mancipium ementis, remissive? 21.

1 L. hujus *Princ.* permittitur Sponsae, et Sponso, Marito, vel Uxori, relicto statu saeculari, ad vitam monasticam adspirare, ut nec Sponsus arrhas amittat, nec Sponsa duplum restituat. Et 2
hoc casu matrimonium nondum consummatum solvitur etiam quoad vinculum, *P. Barbos. in Rubr. ff. sol. matrim. p.* 2. *num.* 73. et superstiti 3
permittitur ad alia vota transire, *cap.* 2. *et* 7. *X. de conversion. conjugator.* Idem etiam permitti- 4
tur conjugatis, ut nec maritus donationem propter nuptias, nec uxor dotem amittat. Sed qui 5
non ingreditur Monasterium, sed in saeculo manet, lucratur id lucrum, quod in casu mortis in pactis dotalibus ipsi promissum fuerat, quod etiam de lucro statutario intelligit *Mantic. l.* 12. *de tac. et ambig. convent. c.* 33. *num.* 23. ex verbis princ. legis in fin. *quod debuit legitime.* Unde 6
colligunt regulam; quod mors civilis aequipolleat naturali, *Riccius coll. dec.* 531. et quos hic allegat *Aug. Barb. in collect.* Sed limitatur ea re- 7
gula, quod locum habeat in casibus jure expressis, et ubi mors civilis operatur eumdem effectum quoad casum, de quo agitur, quem operatur mors naturalis, *P. Barb. in l.* 2. *pr. p.* 1. *num.* 154. *ff. sol. matrim. Aug. Barb. de Appell. verb. Juris signif. Appell.* 157. *n.* 2. *et seq.* Sed consummatum per copulam matrimonium etiam ob votum alterius, altero dissentiente, non potest ita separari, ne quidem quoad thorum. Nam quos DEUS conjunxit, nemo sub voto separare potest; imo ipsum Canonicum jus prohibet, ne maritus 9
invita uxore, vel contra, continentiam voveat, *in can. una sola, caus.* 33. *quaest.* 5. ubi Augustinus addit elegantem rationem: neque enim DEUS exigit, si quis ex alieno aliquid voverit, sed potius usurpare vetat alienum. Sed si mu- 10
tuo fiat consensu, et superstes uxor ipsa ingrediatur Religionem, aut si senior sit, et in manus Episcopi promittat castitatem, potest maritus ingredi Religionem, salvo tamen vinculo. Haec igitur lex si de conjugibus sine mutuo 11
consensu separatis loquitur, abrogata est per Jus Canonicum, aut de mutuo consensu intelligenda est: Conf. *Vallens. in tit. de convers. conjug. Sanchez. l.* 1. *de Matr. dist.* 43. *et seq. Barb. d. l.*

§. 1. Parentibus interdicitur, ne liberos suos, 12
qui ad Monachismum, vel Clerum se contulerunt, exhaeredent, licet invitis Parentibus id fecerint; sed tenentur ipsis liberis legitimam relinquere. Si autem intestati decedant Parentes, 13
ab intestato succedunt liberi, licet Monachi sint. Ergo non amittit Filius per Monachismum jura 14
Suitatis, sed ea ad Monasterium transmittit; quod 15
intelligendum, si tale sit Monasterium, quod capax sit bonorum, et si statuto admittatur, de quo *Franc. Barry de Success. l.* 16. *tit.* 6. *num.* 6. Ideo Franciscani pro mortuis habentur, *Cail.* 16
l. 2. *obs.* 122. *in fin.* Caeteri autem Monachi per ingressum non amittunt jus Suitatis, aut successionis, *Tiraq. de Nobil. c.* 26. *num.* 9. *Barry d. Tr. l.* 18. *t.* 6. *num.* 1.

§. 2. Continetur poena eorum, qui, Monasti- 17
ca vita relicta, ad saecularem remeaverint, quod scil. omnes eorum res ad Monasterium pertineant. Ratio est: quia bona semel Monasterio 18
quaesita per ingressum, facto Monachi adimi non possunt. *Auth. Ingressi. tit. praeced.*

§. 3. Prohibet Imp. ne Judaeus, vel infidelis, 19
seu gentilis Christianum mancipium habeat, et hoc privilegium concedit mancipiis infidelibus, 20
quod licet in gentilium, vel Judaeorum sint potestate, si tamen Catholicam velint profiteri Religionem, quod tunc propterea libertatem, acqui-

rant; licet Dominus etiam postea Christianam acquirat religionem, *Molin. de J. et J. d.* 39.
21 *num.* 4. Sed si Judaeus mancipium mercimonii causa emerit, de eo peculiaris Jur. Canon. constitutio *in c. ult. X. de Judaeis Confer. tit. infra. Ne Christianum mancipium, etc.*

TITULUS IV.

De Episcopali Audientia.

Rubr.

SUMMARIA

Episcopi notio proprie jurisdictio non est, sed vocatur Audientia. num. 1.
Eam Episcopi primi habebant ex prorogatione fidelium. 2.
Post ex gratia Principum ex audientia jurisdictio quasi facta. 3.

1 Episcopi notio non est proprie Jurisdictio, sed tantum vocatur Audientia, quam habebant Epi-
2 scopi primi tempore Ethnicorum Imperatorum
3 ex prorogatione fidelium; postea Episcopi ex gratia Principum consecuti sunt, ut ex audientia paterna, et arbitraria jurisdictio quasi sit facta, *v. Dn. Thabor. de reg. Eccles. th.* 28. *Pacian. de Probat. l.* 2. *c.* 28. *num.* 135. *Thom. Merckelbach. cons.* 14. *inter cons. Klokii v.* 1. *num.* 6. *et seqq.*

L. Negotiatores. 1.

SUMMARIA

Episcopi est I. providere, ne mercatores modum mercandi excedant. num. 1.
Et compellere mercatores, ut res ad vitam hanc necessarias, qu. earum est inopia et caritas, vendant. 2.
Compelli quoque ad id per mandata poenalia a Magistratu saeculari eo casu possunt. 3.
Idem intelligendum de panno, et habitationibus domorum. 4.
II. Ne captivi redempti in lytro laedantur. 5.
III. Ut pauperibus prospiciatur de alimentis 6.
Unde? et quomodo? 7.
In piis causis Episcopus etiam in Laicos habet jurisdictionem. 8.
Interdum compelli possumus ad Eleemosynas. 9.
Ad Episcopum pertinet cura oppressorum. 10.

1 Episcopi est providere I. Ne mercatores mo-
2 dum mercandi excedant. Et ideo Episcoporum est per censuram Ecclesiasticam compellere mercatores, ut res ad vitam hanc necessarias vendant, quando earum rerum est inopia, et cari-
3 tas; sicut etiam a Principe saeculari, aut Magistratu saeculari eo casu per mandata poenalia compelli possunt, *Bartol. hic et Covarr. l.* 3. *res. c.* 14. *num.* 3. *Surd. de alim. tit.* 1. *quaest.* 77. *et tit.* 8. *privil.* 94. *Afflict. in praelud. Const.*
4 *Neapol. q.* 3. *num.* 9. Quod etiam de panno et habitationibus domorum intelligendum, *Bart. hic. Steph. Fagundez de J. et J. lib.* 5. *cap.* 28. *n.*
5 8. II. Neve captivi redempti in lytro laedantur, i. e. ne mercatores captivos sub specie pietatis redimentes, lytri nomine plus ab ipsis exigant captivis. III. Et ut pauperibus prospiciatur de ali- 6
mentis: et hoc ultimum fieri potest vel ex proven- 7
tibus Ecclesiae, quorum quarta pars Jure Canon. solet deputari ad alimenta pauperum; vel potest Episcopus compellere dioecesanos ad eleemosynas faciendas admonitionibus, et censuris; nam in piis causis Episcopus, etiam jurisdictio- 8
nem habet in Laicos, ut ex hac lege probat *Tiraq. de priv. piae causae* 149. et interdum compelli possumus ad eleemosynas, *Covar. d. c.* 14. 9
num. 5. Ratio horum est, quia ad Episcopum 10
pertinet cura oppressorum, *c.* 1. *et* 2. *dist.* 84. *c. non satis* 14. *dist.* 86.

L. Si Clericus. 2.

SUMMARIA

Clerici ante definitivam frustratorie appellantis poena. num. 1.
Regulariter eadem poena Laicorum, et Clericorum. 2.
Clericus litigans coram Laico non potest appellare ante sententiam, nisi in causis ante sententiam appellabilibus. 3.

Clericus ante definitivam frustratorie appellans 1
quinquaginta libris argenti punitur, ut Laicus *l.* 5. *C. quorum appell. non recip.* Sed hic poena pauperibus distribuenda: Ratio prioris, quia 2
regulariter eadem poena Laicorum, et Clericorum; et Clericus litigans coram Laico non po- 3
test appellare ante sententiam, nisi in causis, quibus jura admittunt appellationem ante sententiam, *Panormit. in c. Ecclesia S. Mariae num.* 25. *X. de Constit. Scacc. de appel. q.* 18. *num.* 3.

L. Nemo deinceps. 3.

SUMMARIA

Quatenus tempore Paschatis carceri mancipati debeant vinculis relaxari? num. 1.
Hoc diu non observatum adhuc observandum putat Clarus. 2.
Gratia criminis a Principe impetrata, si illud sit iteratum, et hoc in precibus non sit narratum, nulla est. 3.
Supplicans Principi omnia debet referre, quae eum a concessione gratiae deterrere verosimiliter potuissent. 4.
Quinam a gratia excipiantur? 5.
Minora delicta iterata gravius sunt punienda. 6.
Ex aliquot actibus infertur consuetudo. 7.

1 Tempore Pascatis omnes carceri mancipati debent vinculis relaxari, praestita tamen cautione, se finitis feriis in carcerem redituros, aut alias interim custodiendi sunt, ne ii, qui ob civile debitum eos incarcerari fecerunt, laedantur, *Menoch. l. 2. A. Q. cas.* 303. *num.* 38. et
2 hoc non attento, quod diu ita observatum non sit, adhuc observandum esse putat *Clar. in §. fin. q.* 46. *num.* 9. Conf. *Farinac. q.* 33. *num.*
3 77. Gratia tamen criminis a Principe impetrata, si illud sit iteratum, et hoc in precibus non
4 sit narratum, nulla est, quia supplicans Principi debet omnia referre quae eum a concessione gratiae deterrere verosimiliter potuissent, ut, quod semel jam antea gratiam criminis consecutus fuerit, *Clar. §. fin. q.* 59. *num.*
5 9. *Farin. qu.* 6. *num.* 46. Excipiuntur a gratia I. qui ob crimina graviora carcerati, ut ob adulterium, stuprum, incestum, parricidium, violationem monetae, violationem sepulchrorum, et similia. Ratio est, quia talibus criminibus polluti potius contaminant gaudia, laetitiamque com-
6 munem, si dimittantur. II. Minora delicta iterata, quia remissionem veniae crimina nisi semel commissa non habent, et quia ex aliquot actibus in-
7 fertur consuetudo, ideo gravius sunt punienda, *Farin. qu.* 22. *num.* 12. *et Vesemb. in h. tit. de poen. num.* 8.

L. Tres tantummodo. 4.

SUMMARIUM

Lex haec ad hunc titulum non pertinet, nec loquitur de materia nobis practica.

Lex haec ad hunc titulum non pertinet, et loquitur de Praetorum numero, et officio, et ordine, et ideo non loquitur de materia nobis practica.

L. Mimae. 5.

SUMMARIA

Personae infami professione victum quaerentes non debent uti habitu monialium. num. 1.
Habitu differant, qui vitae genere differunt. 2.
An ex hoc textu probetur, meretricibus certum vestimenti genus posse imponi? 3.
Statuta hac de re existentia non servantur. 4.

1 Personae, quae infami professione victum quaerunt, ut mimae, et prostibulae, non debent uti
2 habitu Monialium; Ratio: ut habitu etiam differant, et distingui possint, qui vitae genere ni-
3 mium quantum differunt. Quamvis autem nonnulli ex hac lege probare velint, meretricibus posse imponi certum vestimenti genus, ut dignoscantur ab aliis, *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 535. *num.* 18. *Tholos. lib.* 10. *Syntagm. c.* 2. *num.* 38. id tamen ex hac lege non probari putat *Bened. Ægid. de privil. honest. art.* 9. *de meretr. num.* 15. quem hic laudat *Barbos. num.* 5. quia dum
4 monialium vestitus negatur, alii conceduntur. Et licet hac de re sint statuta alibi, ea tamen non servantur, Vid. *Carpan. ad Stat. Mediol. p.* 2. *cap.* 374. *num.* 2. et forte plus periculi subesset, si impudicae mulieres habitu ipso sceleratum vitae genus profiteri cogerentur.

L. Archigerontes. 6.

SUMMARIA

Qualia officia fuerunt horum, de quibus in textu fit mentio? num. 1.
Talibus officiis Christianos vult praefici Imp. 2.
DD. hanc legem comm. de confessariis ad captivum in carcerem mittendis intellexerunt. 3.
Gothofredus *de officialibus urbis Alexandrinae hoc intelligit.* 4.
Ut his officiis Christiani praeponerentur, Episcoporum cura erat. 5.

Quamvis quae fuerint horum, de quibus in 1
textu mentio fit, officia, sit maxime dubium, fuisse tamen saecularia, dubium non est. Tali- 2
bus officiis Christianos vult praefici Imp. sed quid hoc ad officium Episcopi? Ideoque Doctores communiter hanc l. de Confessariis ad capti- 3
vum in carcerem mittendis intellexerunt, *Gomez. l.* 3. *res. cap. ult. num.* 6. *Carpz. Pract. Crim. q.* 137. *num.* 39. Confert hic *Gothofredus*, 4
qui de officialibus Urbis Alexandrinae hoc intelligit. Ut autem his officiis Christiani prae- 5
ponerentur, Episcoporum cura erat.

L. Addictos supplicio. 7.

SUMMARIA

Qui damnatus ad poenam corporis afflictivam, non debet per Clericum, vel alium familiae judicis eximi. num. 1.
Poena contra facientium. 2.
Episcopus hoc suis Monachis prohibere debet. 3.
Non debent Clerici carceratos invitare ad ea, quae confessi erant, revocanda. 4.
Graviter in Majestatem peccant, qui confessos, et condemnatos reos poenae eximunt. 5.
Pro condemnato quilibet appellare potest. 6.
Omnium interest, ne de insonte supplicium sumatur. 7.

Qui damnatus est ad poenam corporis afflicti- 1
vam, non debet per Clericum, vel alium familiae judicis eximi, sed si contra fiat, judex arbitrarie hoc punit poena 30. librarum auri, 2
et id ipse Episcopus prohibere debet, suis prae- 3
sertim Monachis. Ex quo facile colligi potest, 4
non debere Clericos invitare carceratos ad ea, quae confessi erant, revocanda (*Peinl. Hals-Ger.*) *Ordin. art.* 103. *Carpz. Pr. crim. d. q.* 137. *num.* 86. *et seqq. Gomez l.* 3. *var. res. cap.* 13. *num.* 31. et graviter in Majestatem peccare, qui confessos, 5
et condemnatos reos poenae eximunt, *l.* 4. *in fin. ff. Ad. Leg. Jul. Majest. Clar. §. fin. qu.* 68. *num.* 10. *et quos copiose allegat Farin. q.* 32. *num.* 2. *et Jo. Alys. Biccius coll. dec.* 586. Quili- 6
bet tamen pro condemnato appellare potest, *l. Non tantum* 6. *ff. de Appell.* Ratio in *l.* 19. *ff. de poenis*, et quia omnium interest, ne de 7

insonte supplicium sumatur, et terra innocente sanguine polluatur, *Gomez d. num.* 31. *Farinac. q.* 101. *num.* 23. *et seqq. Scacc. de Appell. q.* 5. *num.* 43.

L. Si qui. 8.

SUMMARIA

Laici compromittere possunt in Episcopum tamquam in arbitrum. num. 1.
Episcoporum notio velut jurisdictio est. 2.
Prorogatio in causa criminali locum non habet. 3.
An merum imperium speciali concessione legis competat? 4.
Judex prorogatus non potest alia jurisdictione uti in prorogantes, quam possit exercere in subditos. 5.

1 In Episcopum tamquam in arbitrum possunt Laici compromittere, seu Jurisdictionem proro-
2 gare; quamvis enim Episcopi jurisdictionem non habeant, notio tamen eorum velut jurisdictio est, et fere solo nomine distat: et hoc etiam a contrario sensu probatur, *ex c. significasti X. de foro competent. Barbos. ad lib.* 1. *ff. de judic. art.* 3. *num.* 132. *et seqq. Cacher. dec.* 78.
3 *num.* 2. *Vivius* dec. 125. Colligitur etiam ex hac lege, prorogationem in causa criminali locum
4 non habere, quia merum imperium speciali concessione legis competit, et sic sentiunt *Vult. ad l.* 1. *C. de jurisdict. num.* 80. *Matth. Steph. de jurisdict. p.* 1. *c.* 8. *num.* 56. *et c.* 24. *num.* 5. quos sequitur *Hill. in Don. l.* 17. *c.* 16. *litt. B.* licet alii dissentiant. Soleo ita dicere; in criminalibus non habet locum prorogatio, si vellet aliquis se submittere cognitioni ejus criminali, qui nullam habet jurisdictionem criminalem, et sic intelligo dictos Auctores; sed habere locum si quis se submittit jurisdictioni ejus, qui habet jurisdict. criminalem, licet in se i. e. prorogantem, nulla facta prorogatione non haberet potestatem, et sic intelligo *Ant. Matth. in*
5 *l.* 48. *tit.* 13. *c.* 5. *num. fin.* Judex enim prorogatus non potest alia jurisdictione uti in prorogantes, quam posset exercere in subditos, *Petr. Barb. ad l.* 1. *art.* 1. *num.* 77. ubi in *seq.* alia exinde deducit, et varios refert, *et art.* 4. *num.* 10. *ff. de judiciis.*

L. Episcopale. 9.

SUMMARIA

Ab Episcoporum sententiis, vel laudis appellare non licet. num. 1.
Judices compelluntur sententias Episcoporum executioni tradere. 2.
Episcopos Praefecto Praet. voluit aequiparare Imperat. 3.
Hodie potest appellari ab Episcopi sententia. 4.
Ratione Legis mutata, lex ipsa mutata videtur. 5.
Episcopus sententiam ex prorogatione latam non potest exequi. 6.
Quoad Laicos nullum habet territorium. 7.
Sententia ab uno lata ab alio executioni tradi potest 8.
Magistratus oppidani Magistratibus Academici familiam suam commodare tenentur. 9.
Invocatio brachii saecularis quid? 10.

Tribuitur hic ea auctoritas Episcoporum sen- 1
tentiis, vel laudis, id est, arbitriis, ut appellare ab iis non liceat, utque judices sententias Episcoporum executioni tradere compellantur. Ex 2
priori colligitur: Ab Episcopi sententia appellari non potuisse, quod speciale esse existimant multi, quos refert *Petr. Barb. ad l.* 1. *art.* 5. *num.* 17. *ff. de judic.* qui tamen desiderat rationem specialitatis *num.* 18. quae tamen obscura non est, quia Episcopos Praefecto Praetorio voluit 3
aequiparare. Sed quidquid sit, hodie potest appellare ab Episcopi sententia non tantum sub- 4
ditus, sed et is, qui prorogavit, ut quod hodie mutatum quoad veros subditos per *Nov.* 123. *c.* 21. *c. t. Auth. seqq.* pariter debeat videri mutatum, quoad prorogantes Episcopi jurisdictionem, cum, ratione legis mutata, et ipsa lex mu- 5
tata videatur, *Barbos. d. l. num.* 21. Ex fine legis colligitur: Episcopum sententiam ex pro- 6
rogatione latam non posse exequi, quia Episco- 7
pus quoad Laicos nullum habet Territorium, 8
Barb. d. art. 5. *num.* 30. *et seqq.* Porro Nota: Sententiam ab uno latam ab alio executioni tradi posse, praesertim quando Judex, qui sententiam tulit, familiam, seu ministros non habet, qui sententiam exequi possint, vel quando Judex est prorogatus, ut hic, qui sententiam suam exequi non potest, *Marant. in spec. suo p.* 4. *dist.* 12. *num.* 19. Quemadmodum etiam Magistra- 9
tus oppidani Magistratibus Academicis familiam 10
suam commodare tenentur. Et haec vocatur invocatio brachii saecularis, quando scilicet Episcopus omnia fecit, quae facere potuit, *Gail. l.* 1. *obs.* 115. *Mind. de Proc. l.* 2. *c.* 65. *num.* 12. *et seqq. Umm. Disp.* 23. *num.* 6. *Covarr. pr. q.* 10. *num.* 1.

Auth. Si quis.

SUMMARIA

Sensus Auth. num. 1.
Quoties sententia a qua *confirmatur a judice* ad quem, *toties ad hunc executio spectat.* 2.

Quando quis coram Episcopo contra Clericum 1
egit, et pars aliqua appellat ad Praesidem, tunc hic, aut confirmat Sententiam, et tunc Praeses exequitur; Unde colligunt Regulam: Quoties sen- 2
tentia *a qua* confirmatur a judice *ad quem*, toties ad hunc executionem spectare. *Scac. de Appell. q.* 11. *num.* 162. *et seq. Myns. c.* 4. *obs.* 94. *Coler. de process. p.* 2. *c.* 1. *num.* 97. *Farin. q.* 34. *num.* 115. *Guttierez l.* 1. *pr. q.* 97. *Caevall. q.* 617., nec vero locus est ulteriori appellationi; aut reformat, et ulterius licet appellare. Si vero delegatam Episcopus jurisdictionem habeat, appellatur ad delegantem. Ex quo apparet, per hanc Authenticam corrigi legem praeced. Nam si veri subditi a sententia Episcopi appellare possunt, multo magis etiam illi, qui prorogarunt jurisdictionem Episcopi, ab Episcopi sententia appellare poterunt, *post Salyc. et Castr. hic P. Barbos. ad l. ult. num.* 21. *ff. de judic.*

L. Judices. 10.

SUMMARIA

Officium Episcopi circa producendos, et substentandos singulis diebus Dominicis reos. num. 1.
Captivorum cura ad neminem magis, quam ad Episcopum, atque judices locorum spectat. 2.

1 Episcopus debet providere, ut Judex singulis diebus Dominicis productos reos de custodia videat, ne Commentarienses durius eos tractent; debet ipsis quoque captivis de alimento providere; additur etiam in textu poena judicis, scil. 20. librarum auri cum discrimine officii. Et cu-
2 ra incumbit Episcopo, ut judices huic legi obtemperent, quia captivorum cura ad neminem magis quam ad Episcopum, atque judices locorum pertinet.

L. Mathematicos. 11.

SUMMARIA

Poena superstitiosorum Mathematicorum. num. 1.
Quales Mathematici hic intelligantur? 2.
De Mathematicis, et vanitate Astrologiae judiciariae, remissive. 3.

1 Agit haec Lex de superstitiosorum Mathemati-
2 corum poena: Nam Mathematici, qui scilicet ex astris, vel aliis signis futuros eventus consiliorum, aliaque, quae a providentia Divina dependent, volunt praedicere, aut debent abjurare errorem, et libros superstitiosos concremare, aut urbe depellendi sunt; Quod si redeant, debent deportari: quia scilicet Christiana religio cum superstitione ista simul consistere nequit. Unde in Actis Apostolicis Ephesii, quia curiosa exercuerant, libros comportatos in omnium conspectu exussisse leguntur *Act. c.* 19. *v.* 19. Confer. de Mathematicis *Farin. q.* 20. *num.* 111. *et seq. Bachov. ad Treutl. Vol.* 2. *Disp.* 32. *th.* 7. *lit. c. et Perez. ad tit. C. de Mathem. num.* 5. *Mart. Delrio magic. disquis. lib.* 4. *c.* 3. *q.* 1. per totum,
3 ubi vanitatem Astrologiae judiciariae plena manu tractat, et denudat *Sixt. ab Hemminga in peculiari tract. Astrologiae confutatae, Petr. Greg. l.* 34. *num.* 5. *et seqq. Decian. lib.* 5. *cap.* 42. *num.* 6.

L. Christianos. 12.

SUMMARIA

Cura, et officium Episcopi circa reversos ab hostibus. num. 1.
Magnus in utroque jure captivorum favor. 2.
Ecclesiae necessitas captivorum utilitati postponenda. 3.
Postliminio reversi habent de Jure Civ. restitutionem in integrum. 4.
Quid juris de redemptis remissive? 5.

De reversis ab hostibus agit haec Lex, et Epi- 1
scopo hanc curam imponit, ut curet, ne ii, qui ex hostium captivitate redeunt, praetextu aliquo detineantur, aut injuriis afficiantur: magnus enim 2
in utroque jure captivorum favor, adeo, ut etiam 3
Ecclesiae necessitas captivorum utilitati postponenda sit, *Can. sicut* 16. *caus.* 12. *quaest.* 2. Et 4
jure civili etiam qui ab hostibus capti sunt, si revertantur, habent paratum beneficium restitutionis in integrum, ex tit. *ex quib. caus. major.* per *l.* 1. *ff. d. t. Sfortia Oddus de restit. q.* 7. *art.* 6. 7. *et* 8. Sed loquitur haec Lex de re- 5
versis, quid autem de redemptis juris sit, alibi dicitur *in l.* 2. *C. de postlim.* ubi vid. not.

L. Si lenones. 13.

SUMMARIA

Officium Episcopi circa filias, et ancillas, quibus pater, vel dominus peccandi licentiam imponit. num. 1.
Poena istiusmodi lenonum. 2.
Episcopus delicta impedire debet. 3.
Notatur Tholosanus. 4.
Habent poenae hae locum etiam in filia naturali, vidua etc. 5.
Hodie lenonum poena effecta est capitalis. 6.

Episcopus filias, aut ancillas, quibus Pater, vel 1
Dominus peccandi licentiam imponit, potest liberare ab hac misera necessitate, ita ut lenones 2
isti non tantum amittant patriam potestatem, vel herilem, ob abusum hujus juris; sed etiam exilii poena sint plectendi, vel in metallum damnandi. Conf. *l. ult. C. de. Spect. lib.* 11. *tit.* 40. Ratio hujus legis est in §. *ult. Inst. de his qui sui etc.* et in eo, quod Episcopus delicta impedire 3
debeat. Et ideo non opus est, hanc legem de persuasione, allegatam vero legem de coactione interpretari, ut facit *Tholos. Synt. lib.* 6. *c.* 11. 4
num. 6. nam utraque poena concurrit, *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 534. *num.* 6. *et seq. Farin. q.* 144. *num.* 53. *et seq.* Et hae poenae etiam locum ha- 5
bent in filia naturali, vidua, etc. *Menoch. num.* 9. *et seq. Farin. num.* 61. *et seq.* Et cum hodie 6
lenonum poena sit effecta capitalis per *Nov.* 14. de quo *Farin. d. q. num.* 9. et gravius sit delictum hoc commissum in filias, quam extraneas, ideoque dicere possum, hodie parentum poenam esse capitalem cum *Farin. d. q.* 144. *num.* 56. *et seq.*

L. Decernimus. 14.

SUMMARIUM

Quis Clericorum Constantinopolitanorum judex competens?

De Clericorum Constantinopolitanorum judice agit, qui debet esse Archiepiscopus, vel Praefectus Praetorio, quem actor elegerit, sed de hoc *in tit. praeced.* dictum fusius.

L. Nemo 16.

SUMMARIA

Advocati sub certa poena jubentur esse orthodoxi. num. 1.
Poena judicum Advocatos admittentium. 2.

1 Advocati jubentur esse Orthodoxi, addita poena advocatorum, scil. proscriptionis perpetuae, et judicum scil. publicationis dimidiae partis bo-
2 norum, quae imminet Praesidibus, et poena centum librarum auri, quae officio Praef. Praet. imminet, si Advocatos non Christianos admittant, quod procul dubio favore Religionis introductum, et quia Advocatis etiam de calumnia jurandum, quod nisi Nicaenum Symbolum credant, non praestare possunt, et qui vere sunt Christiani, cautelis improbis non utentur, alioquin non tam re, quam professione erunt Christiani, vel catholici, et justissime illis dicetur cum Augustino: Contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, judicem fefellisti, justam causam oppressisti.

L. Si legibus. 17.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quatenus propter religionis diversitatem sponsalia rescindantur? 2.
Carpzovius *notatur cum aliis.* 3.
Licite rescinduntur sponsalia propter metum contagii corporis. 4.
Alia ratio videtur esse matrimonii consummati. 5.
Licet DD. Catholici hic quoque divortium concedant. 6.

1 Quaedam virgo sponsalia contraxerat cum juvene: sed postea illum vult repudiare ex ea causa, quod esset Arianae impietati addictus; juvenis non recusat, modo virgo arrhas duplicatas reddat per *l.* 5. *C. de Sponsal.* in qua est ratio dubit. Imperatores hic distinguunt, utrum virgo sciverit, cum Arii partes sequi, cum sponsalia contraheret, aut nesciverit: si illud, sibi hoc debet virgo imputare; si hoc, arrhas simplices tenetur restituere non duplicatas: quia non delinquit virgo decepta, si talia sponsalia
2 cum homine haeretico nolit consummare. Nota: propter religionis diversitatem sponsalia rescindi,
3 si altera pars hoc prius ignoraverit. Et ideo non possum simpliciter concedere opinionem Carpzovii *l.* 2. *Jurisp. Consistor. def.* 7. *num.* 10. *et*
4 *seqq.* et aliorum. Et cum, ubi metus contagii corporis est, licite rescinduntur sponsalia, ut ipse Carpz. *d. l.* 2. *def.* 180. majus certe peri-
5 culum est animae contagii. Sed alia ratio videtur esse matrimonii consummati, *Gerhard. de con-*
6 *jug.* §. 387. *et seqq.* licet qui Romanam sedem sequuntur, et hic divortium concedant, vid. *Thom. Sanchez de Matrimon. lib.* 10. *disp.* 15. *per tot.* et quos ibi allegat.

L. Jubemus. 20.

SUMMARIA

Defensores Civitatum prius jurare coram Episcopo debent se esse orthodoxos. num. 1.
Non potest alius quam Episcopus melius de religione judicare. 2.
Statuta satis rationabilia sunt, quibus in juramento praestando, praesentia Clerici requiritur. 3.

Defensores civitatum constitui non possunt, 1
nisi juraverint coram Episcopo, se esse Orthodoxos. Cur autem coram Episcopis hoc fieri de- 2
buerit, ratio in aprico est, quod non possit alius melius de religione judicare, aut technas, quibus uti solent heterodoxi, detegere, aut animos eorum explicare, quam Episcopi. Collige statu- 3
ta satis rationabilia esse, quibus juramento praestando praesentia Clerici requiritur, ut in *Ordin. judicii Solm. tit.* 22. idque suadet *Auctor Parthen. litig.* 12. *c.* 6. *num.* 24.

Auth. Praesides.

SUMMARIA

Defensores quinam? num. 1.
Qui, a quibus, et quomodo eligendi? 2.
In honoribus publicis deferendis Nobilitatis, et Opum habenda est ratio. 3.
Electus defensor officium sub certa poena declinare nequit. 4.

Quia in lege praeced. de defensoribus Civita- 1
tum egerat, ideoque Irnerius, *Nov.* 5. *cap.* 1. *et seqq.* de defensorum electione aliquid inspergit, quod scilicet defensores i. e. Magistratus, vel judices urbium, vel Tribuni, debeant eligi ab Episcopo, Clero, et honoratioribus civibus, 2
et debent eligi Nobiliores, et qui honestae famae sunt, ex quo colligitur: In honoribus pu- 3
blicis deferendis Nobilitatis, et Opum habendam esse rationem, *Tiraq. de Nobil. cap.* 20. *num.* 1. ubi plures allegat, et per circulum, ita, ut unus per biennium administret, et omnia judicis officia expleat, etc. idque, quod de electione dictum, procul dubio propterea constitutum, ne facile defensor civitatis eligi possit, qui haereseos labe esset conspersus. Prohibetur etiam ele- 4
ctus defensor civitatis declinare officium, aut recusare sub poena 5. librarum auri ad opera civitatis impendenda.

Auth. Statuimus.

SUMMARIA

Auctor, fons, et summa Auth. h. *num.* 1.
Magistratus locorum debent jurare, se bona fide et pro viribus exterminaturos haereticos. 2.
Quod tamen cum duplici cautela intelligendum. 3.
Graecae Constitutiones hic insertae in judicando non attenduntur. 4.

1 Haec Auth. Friderici II. est, et desumpta ex Capitulatione, quam cum Pontifice iniit, et in fine librorum feudalium vulgo reperitur, et con-
2 stituit, quod Magistratus locorum debeant ju-
3 rare, se bona fide, et pro viribus exterminaturos haereticos. Sed cum duplici cautela hoc intelligendum; I. Si modo constat, qui vere sint Haeretici, et ab Ecclesia in Concilio Occumenico rite damnati. II. Si satis admoniti haereses tamen disseminare non cessent, de quo alibi.
4 Hic inseruntur Graecae constitutiones, quae in judicando non attenduntur.

L. Si praesens. 22. aliis 18.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
Quomodo, et coram quo in proposita facti specie exceptio non num. pec. proponenda? 2.
Exceptio haec in defectu aliorum judicum coram Episcopo per modum quaerelae, vel protestationis interponi potest. 3.
Etiam post biennium, si probationem in se suscipere velit debitor. 4.
Idem obtinet in interruptione praescriptionis. 5.

1 Confessus sum, me accepisse a te centum flor. titulo mutui, vel etiam dotis, vide *l.* 14. §. 1. *et seq. C. de except. non num. pecun.* Sed nihil accepi: interim eligeris Praeses, vel defen-
2 sor civitatis. Quaeritur, *quomodo exceptionem non numeratae pecuniae debeam proponere, et coram quo?* Nam si coram ipso, Judex erit in propria causa; si coram Imperatore, majores requirentur sumptus, quam ipsa causa principalis est. Constituit igitur Imperator hoc casu coram alio judice, forte loci contractus, vel alio concurrente, si ad manus sit, aut si non sit, coram Episcopo hanc exceptionem non numeratae pe-
3 cuniae proponi posse. Sed de hac exceptione plura infra. Interim hoc notetur: exceptionem non numeratae pecuniae in defectu aliorum judicum coram Episcopo per modum querelae, vel protestationis interponi posse, et quidem
4 etiam post biennium, si probationem in se suscipere velit debitor ex communi sententia, *Mantic. de tac. et ambig. convent. l.* 18. *tit.* 2.
5 *num.* 31. *et* 35. Idem in interruptione praescriptionis, *l.* 2. *C. de Ann. Except.*

L. Nemini 25. aliis 19.

SUMMARIA

Expositi infantes, etiam ex servis nati, ingenui sunt, et sibi acquirunt. num. 1.
Afflicto non est addenda afflictio. 2.
Per educationem status hominis non mutatur. 3.
Suum dicere non potest, quem pereuntem contempsit. 4.
Ad quem infantium expositorum cura pertineat, remissive? 5.
Tales infantes legitimi habentur. 6.
Homo proprius a domino desertus, cum ei opitulari posset, liberatur a vinculo. 7.

Expositi infantes, licet ex servis nati, pro li- 1
beris tamen habendi, nec possunt ab iis, qui eos recollegerunt, pro servis haberi, sed sunt ingenui, et sibi acquirunt. Ratio est; quia affli- 2
cto non datur afflictio, et per educationem status hominis non mutatur: imo licet servilis conditionis 3
homo esset infans expositus, quando tamen exponitur, et ab alio colligitur, fit liber. Ratio *in l.* 2. *C.* 4
de infant. expos. Suum enim dicere non po- 5
test, quem pereuntem contempsit. *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 396. *num.* 9. Ad quem infan- 6
tium expositorum cura pertineat, de eo *Thesaur. decis.* 118. imo eos infantes legitimos, non spurios haberi vult *Palaeot. in Tr. de Nothis. c.* 63. et hunc laudans *Menoch. d. l. in fin.* Ex hac lege colligi posset: hominem pro- 7
prium a Domino desertum, cum ei opitulari posset, liberari a vinculo, quod ita judicatum memini.

L. De Creationibus. 27.

SUMMARIA

Divisio textus. num. 1.
Quaenam attendenda in constituendo Curatore furiosi? 2.
Testamento Curator non datur. 3.
Datus in testamento cogi ad administrationem non potest. 4.
Confirmandus tamen est. 5.
Quomodo intelligendi Auctores, per hanc legem Curatorem testamento dari posse furiosis statuentes? 6.
Furiosi filius hodie ejusdem Curator legitimus fit. 7.
Quae Curatori agenda? 8.

Duo sunt hujus L. membra: I. Quando Cu- 1
rator furioso constituendus, videri debet 1. an quis testamento constitutus, qui confirmandus 2
erit sine satisdatione: nam licet testamento cu- 3
rator non detur, *Auctor in l.* 13. *ff. de Curator. furios. num.* 1. et ideo curator in testamento 4
datus cogi non possit administrare curatelam, *l.* 1. §. *ult. ff. de cons. tutor.* §. 1. *Instit. de Curat. l. Curatorem C. de Negot. gest.* confir- 5
mandus tamen est talis, qui testamento datus est, quia Pater eo ipso eum idoneum pronunciavit, *Hering. de fidej. c.* 5. *num.* 28. Et sic 6
videntur intelligi debere Auctores, qui dicunt, Curatorem testamento dari posse furiosis, per hanc legem, et *l.* 7. §. 5. *ff. de curat. fur. Piagg. de tut. et curat. q.* 2. *n.* 16. *Guttierez de tut. p.* 1. *c.* 12. *num.* 8. *Schrader. de Feud. part.* 10. *Sect.* 19. *num.* 125. *Auctor in d. l.* 13. *ff. de Curat. furios.* 2. Videndum, an legitimus 7
sit curator agnatus, non tamen olim filius, licet hodie secus *per l.* 1. §. *ult. et l.* 2. *ff. de Curat. furios. Pinell. p.* 1. *legis primae C. de bonis mat. num.* 64. *Paul. Mont. de tutel. c.* 28. *num.* 13. His deficientibus eligatur a Prae- 8
side, Episcopo, et tribus primatibus. II. Quae agenda sint Curatori, 1. Debet juramentum praestare, se scil. omnia cum utilitate furiosi gesturum, nec omissurum utilia. 2. Inventarium conscribere. 3. Cavere sub hypotheca bonorum suorum: nam haec curatoribus cum aliis tu-

toribus, aliisque administratoribus sunt communia, de quibus suo loco.

L. Tam dementis. 28.

SUMMARIA

Quatenus filia furiosi nuptias contrahere possit, et quis ei dotem constituat? num. 1.
Sine consensu patris nuptiae nullae. 2.
Curatoris filiae hoc casu dati consensus supplet defectum consensus paterni. 3.
Hoc casu expensae nullae debent fieri ex bonis furiosi. 4.
Notarius judicii, sive tabellio publicus a paupere pro confecto instrumento salarium postulare non debet. 5.

1 Filia furiosi potest nuptias contrahere, et curator debet ei constituere dotem ab Episcopo, vel Praeside determinandam, *Hic, et l.* 26. *C. de Nupt.* nisi adsit alius Parens i. e. Avus, *l.* 9.
2 *ff. de Nupt.* Ratio dubitandi; quod sine con-
3 sensu Patris nuptiae nullae. Ratio decidendi in eo, quod Curatoris consensus supplet defectum
4 consensus paterni. Expensae autem nullae debent fieri ex bonis furiosi, scil. si quae in determinationem dotis faciendae sunt, nam ex bonis furiosi parentis filia omnino dotanda est.
5 Unde ex hac lege colligunt: a paupere Notarium judicii, sive Tabellionem publicum salarium pro confecto instrumento postulare non debere, sed gratis eum expedire teneri, *Covarr. in Pr. qq. c.* 6. *num.* 4. et per tradita *Camill. Borell. T.* 1. *decis. tit.* 66. *num.* 77. ubi de Procuratoribus quidem loquitur, *Tiraq. de Nobil. q.* 29. *num.* 41.

Auth. Liberi.

SUMMARIA

Furiosorum parentum curam negligentes liberi indignos se reddunt successione paterna. num. 1.
Quibus hoc casu deferenda furiosi bona? 2.
Idem est, quando parens furiosum filium negligit. 3.
Quid juris, si nemo furiosos susceperit? 4.

Qui furiosorum Parentum curam negligunt, 1
indignos se reddunt successione paterna, adeo ut a Parentibus, si resipuerunt, exhaeredari possint, licet ante furorem scripti sint haeredes. Si autem non resipuerint, extraneus aliquis 2
videns eum a suis haeredibus relictum, si monuerit filios parentis furiosi, ut curam ejus agerent, et hi ita moniti eorum non susceperint curam, bona deferenda sunt illis, qui furiosum susceperint, et ejus curam habuerint, testamento in aliis punctis valituro. Idem est, quando 3
Parens furiosum filium negligit. Sed quid, *si nemo furiosos susceperit?* Resp. hic Gl. Liberos 4
furiosi quidem fore haeredes, sed haereditatem illis indignis auferendam, et Fisco applicandam, *Argum. l.* 3. *ff. de his quae ut indign. Molin. de J. et J. Tr.* 2. *Disp.* 176. *num.* 31. *M. Ant. Peregrin. de Jure Fisci lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 17. *Franc. Barry. l.* 1. *tit.* 9. *num.* 4. *Petr. Greg. in Synt. lib.* 45. *tit.* 10. *num.* 11. Conf. *Mascard. Concl.* 1287. *num.* 134.

L. Sancimus. ult. aliis. 31.

SUMMARIA

Quomodo possim interrumpere praescriptionem in casu absentis, vel furiosi adversarii? num 1.
Sufficit protestatio ad ostendendam diligentiam. 2.

Quando adversarius meus est absens, vel fu- 1
riosus, possum libellum porrigere Praesidi, vel Episcopo, et ita interrumpere praescriptionem, quia sufficit protestatio ad ostendendam diligen- 2
tiam, et quod animus sit perficere actum, si possem, *hic et l.* 2. *C. de annal. praescript. Boër. decis.* 40. *num.* 6.

TITULUS V.

De Haereticis, Manichaeis, et Samaritis.

L. Privilegia. 1. et Auth. Seq.

SUMMARIA

Privilegia intuitu religionis Catholicis data haereticis denegantur. num. 1.
Beneficium legis amittit, qui in legem committit. 2.
Justum non est aequalibus cum orthodoxis haereticos frui privilegiis. 3.
Quod n. 1. *dictum, ad privilegium SCti Vellejani extenditur.* 1.

Privilegia intuitu religionis Catholicis data hae- 1
reticis, denegat, *l.* 1. *h. Decian. libr.* 5. *Pract. Crimin. c.* 43. *num.* 1. *Tholosan. lib.* 33. *Syntagm. c.* 8. *num.* 8. quia in his cessat ratio legis, vel privilegii, scil. favor religionis, et beneficium 2
legis amittit, qui in legem committit, *l.* 37. §. 1. *ff. de Minor. l.* 15. *C. de Judic.* quod in *Auth. seqq.* exemplo praelationis dotis, et tacitae hypothecae declaratur, vel potius extenditur, quamvis haec intuitu religionis non data sit, hujus tamen ratio *in Novell.* 109. *cap.* 1. ex qua Auth. haec desumpta, cum justum non

sit, aequalibus cum orthodoxis haereticos dignos frui privilegiis, *Christin. dec.* 179. *num.* 2. *vol.*
4 5. Atque hoc ad privilegium SCti Vellejani extendit *Jo. a Rojas sing.* 136. *num.* 2.

L. Omnes 2.

SUMMARIA

Haereticis omnibus silentium hac lege imponitur, nec permittitur ipsis ut Episcopos, aut ministros habeant, vel ministros creent. num. 1.
Minister qui non est, aliis ministerium demandare non potest. 2.
Haereticus quis? 3.
Haeresis pertinaciam requirit. 4.
Non tam error, quam scissura unitatis, et vinculi Ecclesiae, ejusque membrorum hic consideratur. 5.
Ab Ecclesia idololatriam, aliosque errores docente recedens, haereticus non est. 6.
Romanenses inaniter titulo Catholicorum superbiunt. 7.
Non omnia credit Ecclesia Catholica, quae interdum ipsi tribuuntur. 8.

1 Haereticis omnibus silentium hac lege imponitur, nec permittitur ipsis, ut Episcopos, aut
2 ministros habeant, vel ministros creent. Minister enim qui non est, aliis ministerium de-
3 mandare non potest. Haereticus autem est, qui vel in levi articulo fidei ab Ecclesia vere Ca-
4 tholica pervicaciter dissentit. Nam haeresis per-
5 tinaciam requirit, *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu*
6 372. *num.* 9. Unde apparet, non tam errorem, quam scissuram unitatis, et vinculi Ecclesiae, ejusque membrorum hic considerari. Oportet autem hic praesupponere Ecclesiam illam, a qua aliquis recedit, esse orthodoxam. Nam si Ecclesia idololatriam, atque alia peccata, vel alios errores doceat, non est haereticus, qui a tali Ecclesia recedit, sed illi potius haeretici sunt, qui a simplicitate veteris Catholicae Religionis
7 recesserunt; ut Romanenses, qui inaniter titulo Catholicorum superbiunt. Non omnia credidit Ecclesia Catholica, quae interdum ipsi tri-
8 buuntur, vid. *Dn. Thabor. de Metat. p.* 3. *sect.* 2. *c.* 2. *num.* 4. *et seqq. et in Armamentar. tit. de Exarmat. cap.* 4. *num.* 16. Interim unitatem Spiritus colimus cum illis, qui etiam sub illis in simplicitate fidei veteris Catholicae Deo serviunt.

L. Cuncti. 3.

SUMMARIA

Loca sacra, sacrique conventus haereticis sunt interdicti. num. 1.
Omnia conventicula ipsis sunt prohibita. 2.
Litaniae, aliaque exercitia ipsis noctu diuque interdicta. 3.
Pseudo-Concilium, et partiale Tridentinum Occumenicum Concilium non est. 4.

1 Loca sacra, sacrique convetus haereticis sunt interdicti, licet etiam in privatis aedibus, vel decanicis i. e. carceribus velint convenire; nam omnia conventicula ipsis prohibita per *l. conven-* 2
ticula 15. *supra de Episc. et Cler. Tholos. l.* 33. *c.* 9. *num.* 1. et ideo Litaniae, aliaque exercitia 3
ipsis noctu diuque interdicta, quia scil. talia dogmata in Occumenicis Conciliis damnata, quale non est Pseudo-Concilium, et partiale Triden- 4
tinum.

L. Manichaeos 4.

SUMMARIA

Manichaei, et Donatistae in publico erant crimine. num. 1.
Quod in religionem Divinam committitur, in omnium fertur injuriam. 2.
Blasphemia in omnium fertur injuriam. 3.
Tales bonorum publicatio manet. 4.
Excipiuntur bona, quorum non habent directum dominium. 5.
Bona clerici ad Ecclesiam devolvuntur. 6.
Non habent isti haeretici testamenti factionem activam, vel passivam. 7.
Testamenti factio activa, et passiva quid? 8.
Nec habent ullam contractuum communionem. 9.
Obligare tamen se possunt. 10.
Crimen hoc morte non finitur. 11.
An etiam in humata talium haereticorum cadavera saevire liceat? 12.
Hoc ab omni humanitate alienum. 13.
Mortuo haeretico inquiri potest, ut ejus memoria deleatur, et haeresis non disseminetur. 14.
Liberi eorum resipiscentes ab errore paterno possunt parentibus succedere. 15.
Hic poenitentia delicti tollit poenam. 16.
Alias regulariter secus est. 17.
Crimen hoc, vel simile ab Ecclesiastico judice lenius punitum, a judice Politico adhuc puniri potest. 18.
Haeretici moderate, et quiete viventes non sunt asperius tractandi. 19.

Manichaei, et Donatistae in publico erant cri- 1
mine: additur ratio: quia quod in religionem 2
divinam committitur, in omnium fertur injuriam, *Kloch. cons.* 51. *num.* 250. *vol.* 1. Unde
regulam constituit *Gomez T.* 3. *resol. c.* 1. *num.* 3
1. et subsumit blasphemiam, *num.* 2. *Menoch. d. l.* 2. *cas.* 375. *et Molin. Tr.* 3. *Disp.* 44. *num.* 1. *Decian. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 1. et ideo bonorum
publicatio eos manet, exceptis iis, quorum non 4
haberent directum dominium, de quo *Decian.* 5
lib. 5. *c.* 44. *num.* 2. *et seqq. Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 374. *num.* 3. *et* 5. Bona vero Clerici ad Ec- 6
clesiam devolvuntur, *Covarr. l.* 2. *resol. c.* 9. *num.* 12. Nec habent isti haeretici testamenti 7
factionem activam, vel passivam, i. e. non pos- 8
sunt alios haeredes instituere, nec aliquid ex aliorum testamentis capere, nec ab intestato, licet testator sit miles, vel filium habeat, *Decian. l.* 5. *c.* 44. *num.* 17. *Tholos. l.* 33. *c.* 8. *num.* 11. nec ullam contractuum communionem, 9
i. e. non possunt bona sua donare, vendere, vel per ullum contractum alienare, aut alio modo in suam utilitatem contrahere; bene tamen 10
se obligare possunt, *Decian. d. l.* 5. *cap.* 44. *num.* 43. Nec crimen hoc morte finitur, quod 11
eo extendunt, ut etiam in humata cadavera 12
saevire liceat, *Molin. Tr.* 3. *de J. et J. Disp.* 43.

13 *num.* 2. *vers. Secundum est.* Sed hoc ab omni
14 humanitate alienum esse non dubito. Sed mortuo tamen haeretico inquiri potest, ut ejus memoria deleatur, et haeresis non disseminetur.
15 Liberi tamen eorum resipiscentes ab errore pa-
16 terno, possunt parentibus succedere. Adeoque hic habemus exemplum, ubi poenitentia delicti tollit poenam, *Menoch. l.* 2. *casu* 393. *num.* 1.
17 *et* 2. alias regulariter secus, *Axiom. Barbosae*
18 *locupletata lib.* 14. *tit.* 42. *axiom.* 2. Si vero crimen hoc, vel simile ab Ecclesiastico judice lenius punitum, a judice politico adhuc puniri posse putat *Christ. dec.* 176. *num.* 15. *v.* 5.
19 Haereticos tamen moderate, et quiete viventes asperius tractandos non esse, apparet ex *Nov.* 129. *c.* 1. *Naurath. ad Zoes. hic.*

Auth. Si vero Dominus.

SUMMARIA

Fons Authenticae. num. 1.
Vasallus, qui monitus intra annum purgare ab haereticis terram suam neglexerit, amittit feudum, idque a Catholicis occupandum, et quatenus. 2.
De quibus haereticis intelligenda Auth. 3.

1 Est, et haec Authentica excerpta ex constitu-
2 tione illa Friderici II. et ejus summa: Vasallus, qui monitus intra annum purgare ab haereticis terram suam neglexerit, amittit feudum, idque a Catholicis occupandum, salvo tamen jure directo penes Dominum manente, nisi et ipse
3 Catholicos impedierit. Sed haec intelligenda de veris haereticis, qui a vera Catholica Ecclesia discesserunt, et ab Oecumenico, non partiali Concilio damnati sunt.

Auth. Credentes.

SUMMARIA

Fons Authenticae. num. 1.
Summa ejusdem. 2.
Suae securitati Pontifex Romanus prospexit, ne quis sedi Romanae in illo puncto contradicere auderet. 3.

1 Est, et haec Friderici II. et summa breviter
2 haec est: Haereticorum receptatores, et fautores, si, postquam ob id excommunicati fuerint, satisfacere intra annum neglexerint, sunt infames, neque ad testimonium perhibendum, aut ad officium publicum adhiberi possunt, intestabiles, active, et passive, atque omnium dignitatum expertes, nec possunt alios convenire, bene tamen conveniri ut excommunicati, et si Tabellio sit, instrumenta ab eo effecta careant effectu. Causa decidendi hic fuit favor Romanae Sedis, ut principium hujus constitutionis osten-
3 dit. Ex quibus omnibus apparet, quam suae securitati Pontifex Romanus prospexerit, ne quis Sedi Romanae in ullo puncto contradicere auderet.

L. Ariani. 5.

SUMMARIA

Catalogus haereticorum. num. 1.
Poena eorundem. 2.
Manichaeorum in specie. 3.
Quae haereticis ullo modo donantur, ea Ecclesia sibi vindicat. 4.

Haeretici recensentur, quorum dogmata per- 1
censere instituti nostri non est. Horum poena 2
est, quod omnis liberalitatis, sive ex donatione, sive ex ultima voluntate ea descendat, sint incapaces, et prohibeantur conventicula. Mani- 3
chaeis vero specialiter exilium, vel ultimum supplicium dictatur: quae vero haereticis donantur 4
ullo modo, ea Ecclesia sibi vindicat.

L. Damnato. 6.

SUMMARIA

Nestoriani a nomine Christianorum abstinere jubentur. num. 1.
Libri Nestoriani comburi debent. 2.
Inhibentur eorum conventicula. 3.
Ex eo, quod quis haereticorum libros habeat, quibus illi haereses suas defendunt, nisi alius finis doceatur, suspicio haeresis praebetur. 4.

In hac lege Impp. jubent, ut Nestoriani I. a 1
Christianorum nomine abstineant, et se Nestorianos vocent, quia Nestorii scelus in deserendo DEUM sunt imitati. II. Ut libri Nestoriani nec 2
habeantur, nec legantur, sed comburantur, et Nestorianorum conventicula inhibeantur. Colligi- 3
tur ex textu: Ex eo, quod quis haereticorum 4
libros habeat, quibus illi haereses suas defendunt, nisi alius finis doceatur, suspicionem haeresis praeberi, *Mascard. de Probat. Concl.* 746. *num.* 10 *et concl.* 863. *per tot. Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 374. *num.* 12.

L. Curiales. 7.

SUMMARIA

Haeretici a nullis oneribus sunt exempti. num. 1.
Non beneficium, sed poenam merentur. 2.
Poena non tribuit immunitatem. 3.

Haeretici a nullis oneribus sunt exempti, quia 1
non beneficium, sed poenam merentur, et poe- 2
na non tribuit immunitatem. 3

L. Quicumque. 8.

SUMMARIA

Haec lex directa contra Eutychianos, et Apollinaristas in dogmate convenientes. num. 1.
Quaenam his prohibita? 2.
Haeretici milites esse non possunt. 3.

1 Haec lex directa contra Eutychianos, et Apol-
2 linaristas in dogmate convenientes. Hi ut haeretici damnantur, Episcopos, et Clericos habere, nec non conventicula instituere prohibentur, addita poena, ut, si in cujus aedibus, consensu ejus, illa celebrata, aedes illae Ecclesiae vindicentur, vel si est conductor, qui consensit, aliis poenis coerceatur: et haeretici illi, nec militiam exercere, nec in patria, nec in ulla civitate Metropolitana possunt commorari. Graviter etiam interdicitur, ne quid contra Chalcedonensem Synodum doceatur sub poena supplicii, aut tales libri habeantur, nec de iis, quae in Concilio conclusa sunt, ulla ratione disputetur, ne quidem discendi studio, quorum omnium
3 ratio est notissima. Colligitur ex hac lege: Haereticos milites esse non posse, *Decian. lib.* 5. *c.* 43. *num.* 4.

L. Si qui orthodoxae. 10.

SUMMARIA

Orthodoxi praedia, in quibus oratoria sunt constituta, haereticis vendere sub poena confiscationis prohibentur. num. 1.
Principis est curare, ut templa DEI per omnia saecula incontaminata conserventur. 2.
Item ne Oratoria damnati haeretici habeant. 3.
Oratorium cum consensu Episcopi construendum. 4.
De Oratoriis remissive. 5.
Oratorium quilibet habere potest consensu Episcopi. 6.

1 Orthodoxi praedia, in quibus oratoria sunt constituta, haeretici vendere sub poena confi-
2 scationis prohibentur, quia Principis est curare, ut templa DEI per omnia saecula incontaminata
3 conserventur, et ne Oratoria quidem damnati haeretici habeant, quod fieret si praedia, in qui-
4 bus Oratorium Paterfamilias cum consensu Episcopi construxit, etiam haeretico vendere posset. De Oratoriis vid. *Panorm. in c. Auctoritate ult.*
5 *X. de Censibus Menoch. cons.* 382. *num.* 13. Et quod Oratorium quilibet habere possit de con-
6 sensu praesertim Episcopi, *Jo. de Sylva in tr. de Beneficio qu.* 6. *p.* 1. *num.* 2. *in verbo construxit num.* 27.

L. Cognovimus. 19.

SUMMARIA

Quales liberi parentibus haereticis succedant? num. 1.
Quaenam parens haereticus liberis orthodoxis praestare teneatur? 2.
Mater haeretica indistincte, et non in subsidium tenetur dotare filiam orthodoxam 3.

1 Parentibus haereticis succedunt quidem liberi, vel agnati; nulli tamen nisi Catholici; alias Fi-
2 scus: et tenetur Parens haereticus liberis orthodoxis praestare dotem, alimentum, donationem propter nuptias pro modo facultatum, ne orthodoxi liberi ob divini amoris electionem, parentum provisione defraudentur. Colligunt exinde; 3
Matrem haereticam indistincte, et non in subsidium teneri dotare filiam orthodoxam, *Padilla in Auth. Res quae num.* 61. *C. commun. de Legat. Surd. de Alim. tit.* 1. *q.* 14. *num.* 17. *Barbos. in L.* 1. *part.* 4. *num.* 82. *ff. sol. matr. Menoch. l.* 4. *praes.* 1. 89. *num.* 33.

Auth. Idem est.

SUMMARIA

De successione Nestorianorum, et Acephalorum passiva. num. 1.
Filii orthodoxi parentum haereticorum possunt succedere parentibus, et consanguineis. 2
Lenius hac in parte agitur cum reo Criminis laesae Majestatis Divinae, quam cum reo humanae. 3.
Fructus ante restitutionem eorum, qui resipuerunt, perceptos filii orthodoxi restituere non tenentur. 4.
Restitutus ex gratia fructus interim ab alio perceptos non recuperat. 5.
Bona orthodoxis deferuntur sub conditione tacita, nisi privati resipiscant. 6.

Haec sententiam legis praecedentis transfert 1
ad hypothesin, scil. ad Nestorianos, et Acephales, qui si liberos reliquerint diversos, alios Orthodoxos, alios Haereticos, horum portio illis accrescit; nisi resipiscant. Ex quo apparet: 2
Filios orthodoxos Parentum haereticorum posse succedere Parentibus, et consanguineis, et ita lenius agi in hac parte cum eo, qui crimen 3
laesae majestatis Divinae committit, quam qui humanae, *Molin. de J. et J. tr.* 2. *Disp.* 658. *num.* 19. licet dissentiat *Barb. ad l.* 1. *p.* 4. *num.* 8. *ff. sol. matr.* Fructus autem ante res- 4
titutionem eorum, qui resipuerunt, perceptos filii orthodoxi restituere non tenentur; quia restitutus ex gratia fructus interim ab alio perceptos non recuperat, de quo *Farin. q.* 6. *num.* 28. *et seqq. Dec. in tract. crimin. lib.* 3. *tit. de abolitionib. n.* 60. *et* 66. *et Christin. decis.* 176. *n.* 4. *vol.* 5. et ita bona orthodoxis deferuntur sub conditione tacita; nisi privati resipiscant, *Fortun.* 6
Garcias in rep. l. Gallus §. idem credendum num. 250. *ff. de liber. et posthum. vol.* 3. accedit delictum haereticorum ante resipiscentiam.

Auth. Gazaros.

SUMMARIA

Poenae haereticorum generales. num. 1.
Longe gravius est aeternam, quam temporalem offendere majestatem. 2.
Quatenus suspicione haereseos laborantes eadem cum haereticis poena plectendi? 3.
Hae poenae non feriunt Evangelicas Ecclesias religiosa pace fruentes. 4.
Liberis orthodoxis damnatorum etiam haereticorum bona ex lege debentur. 5.

Haec continet in genere poenas Haereticorum. 1
I. Infamiam juris. II. Bannum Imperiale. III.

Confiscationem bonorum, ob hanc rationem:
2 quia longe gravius est aeternam quam tempo-
3 ralem offendere Majestatem; iis etiam, qui suspicione tantum laborant, eadem poena plectendis, nisi intra annum se purgaverint. Cujus severitatis eadem fuit causa, quae superiorum constitutionum, quae ex eadem constitutione Friderici in gratiam Romanae Sedis, sumptae
4 sunt. Vid. *Klok. vol.* 1. *cons.* 24. *num.* 35. Sane haec non feriunt Ecclesias Evangelicas a confessione Romanae sedis in nonnullis dissentien-
5 tes Religiosa pace fruentes; et liberis orthodoxis damnatorum etiam haereticorum bona ex lege deberi tradit *Coras. in rep. l. qui liberos* 19. *num.* 111. *ff. de Rit. nupt. vol.* 2. et per ea, quae tradit *Klock. d. l. num.* 37.

L. Quoniam. 21.

SUMMARIA

An haereticus possit esse testis? num. 1.
Haereticus contra orthodoxum pro teste non accipitur. 2.
Item Judaeus contra Christianum. 3.
Limitatur in crimine excepto, et si veritas aliter haberi non possit. 4.
Haereticus contra haereticum testis esse potest. 5.
Restringitur. 6.
In testamentis, et contractibus haeretici testes admittuntur. 7.
In haeresi dantur gradus. 8.
Probationum facultas non est temere angustanda. 9.

1 Agit de testimoniis haereticorum, et distinguitur inter judicialia, et extrajudicialia; In illis repellenda sunt illorum testimonia, quando alteruter litigantium orthodoxus, alias non. Nam 2
haereticus contra orthodoxum pro teste non accipitur, sed repellitur, *Farin. q.* 56. *num.* 206. 3
Decian. lib. 5. *cap.* 43. *num.* 2. sicut et Judaeus contra Christianum non admittitur, *c.* 23. *et seq. caus.* 2. *q.* 7. *vid. Nov.* 45. *c.* 1. nisi crimen 4
sit exceptum, et veritas aliter haberi non possit, *Farin. d. q.* 216. *et seqq.* Sed haereticus 5
contra haereticum potest esse testis, quod tamen ad eos, qui eodem cum producto, seu cum eo, contra quem producti sunt, morbo labo- 6
rant, non est extendendum, *Hill. ad Don. l.* 25. *c.* 9. *lit. P.* Sed in extrajudicialibus admittuntur, 7
v. g. in Testamentis, et Contractibus, idque propter utilitatem necessarii usus, *Decian. d. l. Farin. d. q. num.* 221. *et seqq. Petrus Greg. d. c.* 8. *num.* 15. Et inde recte colligitur, in hae- 8
resi dari gradus, *Decian. in tr. crimin. l.* 5. *cap.* 19. *num.* 10. Collige probationum facultatem 9
non esse temere angustandam.

L. Divinam. ult.

SUMMARIA

Militare testamentum in multis privilegiatum. num. 1.
Ex eo haereticus capere nil potest. 2.
Nec militi licitum agere quidquam in praejudicium Christianae religionis. 3.

Quamvis militare testamentum sit in multis 1
privilegiatum, ex eo tamen haereticus capere 2
aliquid non potest; cum nec militi licitum sit 3
agere quidquam in praejudicium Christianae religionis, *Farin. de Haeresi qu.* 190. §. 7. *num.* 95.

TITULUS VI.

Ne Sanctum Baptisma iteretur.

SUMMARIA

Prohibetur rebaptizatio vere baptizatorum sub certa poena. num. 1.
Poena rebaptizantium a nullo judice remittenda. 2.
An ignorantia justa rebaptizatus irregularitatem contrahat? 3.
Qui simulate se baptizari curant, compellendi a Magistratu, ut in professione Christianae religionis maneant. 4.
Poenitentia hic conceditur. 5.

1 Prohibetur in *hoc tit.* ne Catholici ab haeresi conversos, modo vere in nomine SS. Trinitatis baptizati sint, rebaptizent, neve id tentent haeretici, sub poena ultimi supplicii, et si rebaptizatus factum non detulerit, exilio, ac 10. librarum auri mulcta plectitur, et fit intestabilis, quae poena rebaptizantem manet, per *l.* 2. *h. t.* Antistes autem rebaptizans (nisi faciat hoc, quod baptizatus non potuerit docere, se fuisse baptizatum) deponendus est *l.* 1. *h. t.* Et poe- 2
na rebaptizantium a nullo judice remittenda est, *l.* 3. *h. t.* Uterque etiam fit irregularis, et ad sacros ordines admitti nequit, quod in tantum nonnulli extendunt, ut etiam illum, qui igno- 3
rantia justa rebaptizatus est, irregularitatem contrahere putent, quos tamen refutat *Covarr. in Clem. si furiosos p.* 1. *princ. num.* 8. Conf. *Zasius lib.* 1. *cons. ult. num.* 1. Colligunt exinde; eos, 4
qui simulate se baptizari curant, ut facere interdum solent Judaei, compellendos esse a Magistratu, ut in professione Christianae Religionis maneant, *Christin. v.* 2. *dec.* 38. Colligitur etiam ex 5
l. 3. Quod poenitentia hic concedatur.

TITULUS VII.

De Apostatis.

L. Si quis lege. 1.

SUMMARIA

Apostasia vel fidei, vel obedientiae, vel religionis est. num. 1.
De qua hic sermo? 2.
Poena ad Judaismum prolabentium. 3.
Apostatae haereditas liberis, et cognatis defertur. 4.

1 Apostasia triplex est: I. Fidei, quando quis a fide plane recedit, transiens ad paganos, vel judaeos: II. Obedientiae, quae est in quocumque peccato: III. Religionis, quae est ab Ordine religiosorum, quem quis ingressus est, defectio, *Decian. l.* 5. *c.* 71. *num.* 1. *et seqq. Christ. vol.*
2 2. *dec.* 39. *num.* 3. De prima hic sermo, et statuitur hic poena in eos, qui ad Judaismum pro-
3 labuntur, scil. confiscatio bonorum; quod de casu, ubi contra viventem Apostatam agitur,
4 intelligendum; nam ubi ille fatis concessit, haereditas ejus liberis, et cognatis defertur, per *l.* 4. *C. h. t.* quae melior solutio quam *Clar.* §. *fin. qu.* 78. *num.* 4. *et Menoch. l.* 2. *A. J. Q. cas.* 546. *num.* 10.

L. Si quis defunctum. 2.

SUMMARIA

Accusatio Apostatae post mortem usque ad quinquennium licita. num. 1.
Sufficit judicium inchoare intra quinquennium. 2.
De crimine haereseos post mortem intra quinquennium agi potest. 3.
In quibus casibus hoc verum? 4.

1 Permittitur hic etiam post mortem accusatio Apostatae usque ad quinquennium, et sufficit
2 judicium inchoare intra quinquennium. Ratio est in textu; quod exemplo querelae inofficiosi
3 Testamenti se hoc constituisse asserat. Collige: de crimine haereseos post mortem intra quinquennium agi posse, diutius non, *Roman. sing.* 436. *Ant. Gomez l.* 3. *cap.* 1. *num.* 81. *Clar.* §. *fin. q.* 51. *num.* 14. *in fin.* Idque verum esse testantur dicti Auctores in omnibus casibus, ubi ad confiscationem post mortem agitur, *Molin. tr.* 2. *d.* 73. *num.* 5. *Peregr. de jur. fisci l.* 14. *t.* 5. *num.* 33. *Guazzin. in tr. de confisc. concl.* 19. *num.* 2. *et seq.*

L. Hi. 3.

SUMMARIA

Apostatarum, et haereticorum poena communis. num. 1.
Flagitium Apostatarum neque poenitentia obliteratur. 2. 4.
Differentia inter Apostatas, et Haereticos. 3.
De qua poena haec lex intelligenda? 5.
Poena Canonica Apostatarum per poenitentiam tollitur. 6.

Statuit in Apostatas poenam cum haereticis 1
communem: hoc vero hic speciale, quod flagitium eorum neque poenitentia obliteretur: quia 2
crimen hoc haeresi longe gravius est. Nam hae- 3
retici in nonnullis punctis tantum a Christiana fide recedunt, sed Apostatae penitus Christianam Religionem ejurant, *Clar.* §. *fin. qu.* 78. *num.* 4. Et Apostasiae crimen non aboletur per 4
poenitentiam, per *hanc l.* 3. Sed haec lex de poena temporali intelligenda: nam Canonicam 5
per poenitentiam tolli volunt per *c. quidam X. h. t.* DD. quos allegat *Barbos. hic num.* 9. *et Menoch. d. cas.* 546. *num.* 19. *Decian. lib.* 5. *c.* 6
72. *in fin. Gondissalv. in. tr. de haeret. q.* 20. *num.* 2. *et seq. Christin. v.* 2. *dec.* 39. *num.* 6.

L. Apostatarum. 4.

SUMMARIA

Omnibus publica accusatio Apostatarum conceditur, nullo finienda tempore. num. 1.
Facultas testandi, donandi, contrahendi Apostatis adempta. 2.

Omnibus publica accusatio Apostatarum con- 1
ceditur, nullo finienda tempore, adeo, ut etiam post mortem possit institui, intra quinquennium tamen post mortem: facultas etiam testandi, 2
donandi, contrahendi Apostatis adimitur, quia sunt intestabiles, et eorum, si vivant, bona fisco addicuntur, secus si mortui, ut dictum supra ad *l.* 2.

L. Eum. 5.

SUMMARIA

Ad Apostasiam aliquem traducens capite plectitur. num. 1.
Hoc delictum homicidio frequentius, et facilius, ut et atrocius. 2.
Duplex scelus est. 3.
Violentia, et persuasio aequiparantur. 4.
Persuadere plus est, quam compellere. 5.

Qui servum, vel ingenuum ad nefandam Apo- 1
stasiam vi, vel persuasionibus traduxit, capite plectitur, quia scil. hoc delictum homicidio fre- 2

quentius, et facilius, ut et sua natura atrocius:
3 nam duplex scelus est; dum primo talis ipse Divinam Majestatem laedit, et deinde alium in societatem criminis pertrahit, *Petr. Greg. in synt. lib.* 2. *tit.* 2. *num.* 2. *et l.* 33. *tit.* 8. *num.*
4 17. Collige hic: violentiam, et persuasionem aequiparari. Imo alibi, ut in *l.* 1. §. *persuadere* 3. *ff. de servo corr.* dicitur, persuadere plus
5 esse, quam compellere, quia animus etiam corrumpitur; *Cravett. cons.* 10. *num.* 17. *et cons.* 192. *num.* 12. *Petr. Placaca in ep. delict. lib.* 1. *cap.* 17. *Menoch. cons.* 175. *num.* 4. *et cons.* 406. *numer.* 95. *Castill. l.* 3. *contr.* 61. *numer.* 128.

L. Eos. 6.

SUMMARIA

Poena Clericorum, et Monachorum ad haeresin prolapsorum specialis. num. 1.
Ratio specialitatis. 2.

In specie Clericis, et Monachis ad haeresin pro- 1
lapsis poena exilii dictatur; quia in his metus
est, ne alios corrumpant, quod in aliis non 2
metuitur, et sic in aliis exilium locum non habet, per *l.* 3. *h. t. et ibi Glossa.*

TITULUS VIII.

Nemini licere Signum Salvatoris Christi humi, vel in silice, vel in marmore, aut sculpere, aut pingere.

SUMMARIA

Sensus h. tit. manifestus est ex rubrica. num. 1.
Ex rubricis integrum sensum, et perfectam orationem habentibus ducitur argumentum, atque ex lege. 2.
Quod fieri solet, quando rubrica incipit a particula ut, *vel* ne. 3.

1 Sensus hujus tituli manifestus est, et integer in rubrica reperitur, ut sunt aliae etiam nonnullae rubricae, quae integrum sensum habent, et perfectam orationem, ex quibus ducitur ar-
2 gumentum, tamquam ex lege, v. gr. *Ut nemo*
3 *invitus agere, vel accusare cogatur. Item: Quod quisque juris in alium statuit, eo ipse utatur, et simil:* id quod fieri solet, quando rubrica incipit a particula UT, vel NE. Vid. *Everard. in Top. loc.* 29. *num.* 2. *et* 5. *et Gail. de pignorat. c.* 4. *num.* 2.

L. Cum sit nobis. un.

SUMMARIA

Indignum videtur Crucem Domini pedibus conculcare. num. 1.
Crux Domini Christianorum summa semper fuit gloria. 2.
Aggressuri aliquid cruce Domini frontem, et pectus munimus. 3.
In primitiva Ecclesia honor sine superstitione imagini Crucifixi exhibebatur. 4.
Imago Crucis in instrumento pro fide, et subscriptione cedebat. 5.
Collatione Crucis consecrabantur loca sacra. 6.
Crux in Litaniis publicis praeferebatur. 7.
Haec lex non observatur. 8.
Profuit haec lex Tiberio II. Imp. 9.

Ratio Legis est: quia indignum videtur cru- 1
cem Domini, quae Christianorum semper sum- 2
ma fuit gloria, qua aliquid aggressuri, frontem, 3
et pectus munimus, sive ejus imaginem, qua, sicut Hieronymus ait, et Augustinus, frontem terimus, et nos praemunimus, pedibus concul-
care. Nam apud veteres in primitiva Ecclesia 4
exhibebatur honor exterior tamen, et sine superstitione, imagini Salvatoris nostri Crucifixi.
Nam imago crucis in instrumento pro fide, et 5
subscriptione cedebat, *l. ult.* §. 2. *C. de jure delib.*
Collatione Crucis consecrabantur loca sacra, *l.* 6
ult. C. Theodos. de pag. sacrif. Nov. 5. *et* 65.
et in Litaniis publicis praeferebatur, *Nov.* 123. 7
Rittersh. in Tr. de Asylis cap. 3. *num.* 33. ut testatur Tertullianus *in libro de corona militis*, ad omnem actionem, aditum, progressum, crucis signo se muniebant, atque ex vera fide Jesu Christi crucifixi memoriam recolebant, et
hunc, quem colebant, imitabantur. Nolebant, 8
igitur hanc imaginem honore dignam pedibus conculcare. Sed videmus hanc legem non observari; multa enim monumenta humi posita, et imagine Crucis non tantum, sed, et Crucifixi Salvatoris insignita, videri, et eam non observari testatur ex *Tuld. Christin. decis.* 41. *vol.*
2. Quantum autem profuerit haec lex Tiberio 9
II. Imp. historia notissima testatur, dum thesaurum ingentem sub tali monumento eruto reperit.

TITULUS IX.

De Judaeis, et Coelicolis.

L. Quod Cornelia. 1.

SUMMARIA

Judaeorum universitati nihil in testamento legari potest. num. 1.
Judaeorum Collegia tolerata potius, quam probata. 2.
Judaeo legatum ipsi debetur. 3.
Judaeis magis favetur, quam Haereticis. 4.

1 Judaeorum universitati nihil in testamento legari potest: Ratio *in l. Collegium* 8. *C. de hae-*
2 *red. instit.* et quia horum collegia potius tolerata quam probata, *Carpz. pag.* 3. *const.* 13. *d.*
3 36. *num.* 13. Sed si Judaeo legetur, huic debetur legatum, ut est communis sententia, teste *Decian. in tr. crim. l.* 5. *tit.* 13. *num.* 16. licet ipse recedat. Unde etiam *Molin. de J. et J. tr.* 2. *Disp.* 154. *num.* 1. tantum Collegii Judaeorum facit mentionem, et *Carpz. p.* 3. *c.* 13. *def.* 36. expresse sententiam communem defendit, et *Marq. de Susannis in tr. de Judaeis p.* 2. *cap.* 5. *num.* 24.
4 Sed absurdum videtur, Judaeo posse legari, et tamen non Haeretico; verum saepe Judaeis magis favetur, quam haereticis, etiam pro talibus falso habitis.

L. Judaeis. 2.

SUMMARIA

Poena Judaeorum, et Coelicolarum conversum Judaeum realiter injuriantium. num. 1.
Ratio severitatis. 2.
Furoris indicium est, lapides projicere. 3.
Judaeus alicujus conversionem impediens dicitur committere contra fidem Catholicam, et potest puniri. 4.

1 Si quis Judaeorum, vel Coelicolarum, Judaeum conversum, saxis petere, vel alio furoris genere attentare ausus sit, sustineat vivum comburi
2 cum complicibus; Cujus severitatis ratio: ne conversio Judaeorum impediatur. Ex verbis,
3 (*alio furoris genere*) colligunt DD. furoris esse indicium, lapides projicere, *Mascard. conclus.* 827. *num.* 32. *Mantic. de conject. ult. Vol. l.* 2.
4 *tit.* 5. *num.* 12. Et ideo si Judaeus alicujus conversionem impedierit, dicitur committere contra fidem Catholicam, et potest a judice puniri. *Christin. dec.* 42. *num.* 5. *vol.* 2.

L. In Synagogam. 3.

SUMMARIA

Synagoga Judaeorum religiosa domus est. num. 1.
Hospitationi militum non subjacet. 2.
Judaeorum religio superstitio potius dicenda. 3.
Milites in quibus locis jus hospitandi habeant? 4.
Non omni ex parte concedendum, quod Judaeorum Synagogae nulla habeant privilegia. 5.
Permittendae synagogae Judaeis, ubi tales habere consueverunt. 6.
Ratio concessionis, sive permissionis. 7.

Synagoga Judaeorum, quia religiosa domus 1
est, hospitationi militum non subjacet, quam- 2
vis ipsorum religio superstitio potius dicenda 3
esset, per *l.* 3. *§. fin. ff. de Decur.* Ideo milites 4
habent jus hospitandi in privatorum aedibus, non vero locis qualitercumque religiosis. Ergo 5
non omni ex parte concedendum, quod Judaeorum Synagogae nulla habeant privilegia. Colli- 6
ge: permittendas esse Synagogas Judaeis, ubi tales habere consueverunt, *Christin. d. l. num.* 6.
quod procul dubio concessum, ut haberent 7
Christiani occasionem cum eis conversandi eosque convertendi.

L. Jussio. 4.

SUMMARIA

Immunitas a personalibus muneribus Curiae Judaeis data rescindenda est. num. 1.
Quatenus procedat? 2.

Immunitas a personalibus muneribus Curiae 1
Judaeis data rescindenda est, hic *et d. l.* 3. *§. fin. ff. de Decur.* Distinguendum tamen vide- 2
tur: An personalia, vel etiam curialia munera cum honore conjuncta, an vero non. Ab his non habent immunitatem per *hanc legem;* ad illa tamen non admittuntur, per *l. ult. h. t. Card. Tusch. concl.* 371. *num.* 67. *et seq. lit. I.* Dici enim potest, eos immunitate indignos esse, sed invitos compelli posse, si aliarum personarum sit penuria.

L. Ne quis. 5.

SUMMARIA

Conjugium Christiani cum Judaea tamquam adulterium est prohibitum. num. 1.
Omnibus hic concessa accusatio. 2.
Quatenus poena mortis locum habeat? 3.
Secus observatum in primitiva Ecclesia. 4.
Superior tale matrimonium ob spem probabilem permittere potest. 5.

Conjugium Christiani cum Judaea tamquam 1
adulterium est prohibitum, et accusatio omni- 2
bus concessa; quod etiam Jure Canon. *c. cave caus.* 28. *q.* 1. statutum, et poenam mortis in- 3

fligendam esse putat *Covarr. de Matrim. p.* 2. *c.* 6. §. 11. *num.* 3. Conf. *Marq. de Susann. in tr. de Judaeis p.* 2. *c.* 3. *num.* 15. *Menoch. cas.* 290. *num.* 1. *et* 2. *Farin. q.* 139. *num.* 39. *Tulden. ad tit. Ne christianum mancipium num.* 2. Si tamen extra matrimonii figuram, non tamen expresse in contumeliam Christiani nominis, (vid. *Farin. d. q.* 39. *num.* 26.) sed causa libidinis, et per lasciviam Judaeus Christianam corrumpat, poena non mortis, durior tamen quam alterius fornicationis, *Farin. d. l. num.* 3. *et seqq. Menoch. d. l. num.* 9. *Carpz. Pr. crim. qu.* 69. *num.* 43. *et p.* 4. *Const.* 26. *def.* 4. *Clar.* §. *for-*
4 *nicatio num.* 26. Secus tamen quoad matrimonium in primitiva Ecclesia observatum fuisse apparet ex 1. *Cor.* 7. *v.* 12. *et seqq.* quod spes esset a fideli conjuge infidelem converti posse.
5 1. *Petr.* 3. *v.* 1. 1. *Cor.* 7. *v.* 16. Non tamen est dubitandum, Principes potuisse talia matrimonia prohibere, et putarem superiorem tale matrimonium ob spem probabilem permittere posse.

L. Nemo Judaeorum. 6.

SUMMARIA

Gradus in nuptiis Christianorum prohibiti, prohibiti etiam in nuptiis Judaeorum. num. 1.
Polygamia Judaeis etiam prohibita. 2.
Judaei sunt Cives Romani. 3.
Legibus uti debent Romanis. 4.
Judaeus bigamus, ut Christianus, mortis poena afficiendus. 5.
Limitatur. 6.
Judaei etiam in Germania sunt Cives Romani. 7.
Ubi tolerantur, utuntur privilegiis Civium. 8.

1 Quicumque gradus in nuptiis Christianorum sunt prohibiti, illi et prohibentur in nuptiis Judaeorum, et Polygamia etiam Judaeis prohi-
2 bita est. Ratio est: quia sunt cives Romani, et
3 vivunt in Romano Imperio, et ejusdem legibus uti
4 debent, per *l. seq.* Et ideo Judaeum bigamum,
5 ut Christianum, mortis poena ex constitutione Carolina puniri posse tradit *Decian. l.* 5. *cap.* 12.
6 *num.* 3. sed si repudiata prima aliam duxerit, quia hoc eis lege Mosaica concessum, poena locum non habebit, *Tiraq. de Primog. q.* 66. *num.* 25. *Decian. l.* 5. *c.* 14. *num.* 7. *Farin. p.*
7 2. *fragment. lit. I. num.* 652. Collige: etiam Judaeos in Germania esse cives Romanos, *Mynsing. c.* 5. *obs.* 6. Confer. *Alex. vol.* 5. *cons.* 75. *num.* 9. *Mascard. concl.* 915. *num.* 23. *Tusch. concl.* 377. *lit. I.* Et ubi tolerantur, utuntur privilegiis civium. *Rimin. vol.* 2. *cons.* 275. *num.* 23. *et*
8 *seqq. vol.* 2. *cons.* 119. *num.* 4. *et seqq.* Eorum autem receptio in numerum inter regalia numeratur, *Aur. Bull. tit.* 9. *in fin. Ordin. Polit. de Ann.* 1548. §. *Item (nach. dem) Sixtin. de regal.* 1. *c.* 5. *num.* 19.

L. Judaei. 7.

SUMMARIA

Judaei debent legibus Romanis parere, et judices Civiles adire, etiam in causis ad eorum caeremonias spectantibus. num. 1.
Compromittere inter se possunt in Judaeum in Civilibus. 2.
Judaei praestare debent juramentum de calumnia 3.
Ut et necessarium. 4.
Praxis Camerae Spirensis. 5.
De solemnitatibus circa juramentum Judaei observandis, remissive. 6.
Lis inter Judaeos ipsos ex lege Mosaica decidenda. 7.

Judaei debent legibus Romanis parere, et judices civiles adire etiam in causis ad eorum caeremonias spectantibus; compromittere tamen inter se possunt in Judaeum in civilibus, *Blancus de compromiss. q.* 2. *num.* 20. Idem habetur in *l.* 14. *h. t.* Et decisio hujus legis tam in iis, quae ad processum pertinent, quam in ipsis causarum decisionibus vera est, *Farin. d. p.* 2. *num.* 621. *Marq. de Susann. d. tr. p.* 2. *c.* 6. *num.* 16. Sic Judaei etiam praestare debent juramentum de calumnia, *Wurmbs. tit. de juram. obs.* 6. ut et necessarium, *Myns. c.* 5. *obs.* 6. *et* 20. Sed in camera Spir. hoc receptum, Judaeum non posse juramentum praestare per Christianum Procuratorem *Wurmbs. tit. de procurat. obs.* 4. *Wehner. in obs. tit. Judaei,* ubi plura de solemnitatibus circa juramentum observandis, *Ordin. Camer. tit.* 86. Confer. *Cornel. a Lap. in c.* 5. *Levit. v.* 1. Si tamen inter ipsos Judaeos lis, ea ex lege Mosaica decidenda, *Masc. concl.* 190. *num.* 8. *Farin. d. p.* 2. *num.* 611. *et seq. Decian. d. tr. l.* 5. *c.* 6. Conf. *Tusch. concl.* 369. *lit. I.*

(Right margin numbers in the preceding paragraph, as printed beside its lines: 1 at "Judaei debent…", 2 at "remonias spectantibus…", 3 at "Sic Judaei etiam…", 4 at "de calumnia…", 5 at "in camera Spir…", 6 at "ner. in obs. tit…", 7 at "ex lege Mosaica…".)

L. Nemo exterus. 8.

SUMMARIA

Christiani vetantur Judaeis statuere pretia, quibus res suas vendant. num. 1.
Magistratus certis rebus certum pretium statuere potest. 2.
Non tamen certis personis, praesertim earum odio. 3.
Judaei, ut Christiani, non possunt compelli ad res suas vendendas. 4.
Contractus ad justitiam commutativam pertinent. 5.
In Contractibus personarum respectus non habetur. 6.

Christiani vetantur Judaeis statuere pretia, qui- 1
bus res suas vendant. Ratio in *l. In re mandata* 21. *C. Mandat.* Quamvis enim Magistratus 2
certis rebus certum pretium constituere possit, 3
certis tamen personis, praesertim earum odio, id constitui nequit. Et sic Judaei etiam non pos- 4
sunt compelli ad res suas vendendas, sicut nec Christiani, nisi in casibus specialibus, de quibus alibi. Ratio autem horum est: quia contractus 5
ad justitiam commutativam pertinent, in qui- 6
bus respectus personarum non habetur.

L. Quicumque. 9.

SUMMARIUM

Judaei a Curiae muneribus non sunt immunes.

Judaei immunitatem a Curiae muneribus non habent, sicut dictum in *l.* 5. *h. t.*

L. Judaeos. 10.

SUMMARIA

Judaei sub amissione permissorum jubentur ritus suos citra contemptum Christianae religionis observare. num. 1.
Amittit beneficium, qui concessa sibi abutitur potestate. 2.
Quatenus Judaeorum Synagogae non tolerandae. 3.
Praestaret semper aliquem Christianum linguae gnarum Synagogis eorum quasi inspectorem habere. 4.

1 Judaei jubentur ritus suos citra contemptum Christianae religionis observare, alias amissuri permissa, nisi ab illicitis temperaverint. Nota:
2 Eum amittere beneficium, qui concessa sibi abutitur potestate, *c. privilegium* 63. *cap.* 11.
3 *qu.* 3. *c. ut privilegia* 24. *X. de privil.* Unde apparet non tolerandas esse Synagogas eorum, et conventus, si in iis Salvatorem mundi execren-
4 tur, et maledicant Christiano nomini, ideoque praestaret semper aliquem Christianum linguae gnarum in Synagogis quasi Inspectorem habere.

L. Coelicolarum. 11.

SUMMARIA

Coelicolae quinam? num. 1.
Poenae eorum. 2.

1 Coelicolae, qui coelum venerabantur, iisdem
2 poenis tenebantur, quibus Haeretici, et templa eorum vindicanda sunt Ecclesiae.

L. Die Sabbathi. 12.

SUMMARIA

Judaei in suis festivitatibus, et Sabbathis non possunt conveniri, nec Christianos convenire. num. 1.
Nec Judaei laedendi sunt praetextu haeresis eorum, atque superstitionis. 2.
Hoc casu quod in favorem alicujus constitutum in ejus odium retorquetur. 3.
Litigantium una debet esse conditio. 4.

1 Judaei in Sabbathis suis, aliisque festivitatibus non possunt conveniri, nec Christianos convenire; additur in textu ratio: cum caeteri dies quinque tam causis publicis, quam litigiis pri-
2 vatorum vacare possint; nam nec Judaei laedendi sunt praetextu haeresis eorum, atque superstitionis: *Decian. l.* 5. *c.* 11. *num.* 7. Collige:
3 hoc casu quod in favorem alicujus constitutum in ejus odium retorqueri, quod ideo fit, quia
4 litigantium una debet esse conditio, Conf. *Masq. de Susan. d. tr. p.* 1. *c.* 3. *num.* 17.

L. Nullus tamquam. 13.

SUMMARIA

Nemo Judaeos offendere, aut eorum bona invadere debet. num. 1.
Nemo sibi ipsi permittere valet ultionem. 2.
Judaei injuriis fiunt alieniores a fide Christiana. 3.
Inimicos juvare, non laedere jubemur. 4.
Occidens Judaeum ordinaria poena plectitur. 5.
Judaei securitate hac ad insolentiam abuti non debent. 6.
An in favorabilibus constitutionibus Judaei comprehendantur, remissive? 7.
Rigor debet in iis servari, et ad eos non trahenda dispositio favorabilis. 8.

Nemo Judaeos offendere, aut eorum bona in- 1
vadere debet, quia idcirco judiciorum vigor, jurisque publici tutela in medio constituta videtur, nec quisquam sibi ipsi permittere valeat ultio- 2
nem; injuriis enim fiunt judaei alieniores a fide 3
Christiana; et inimicos juvare, non laedere ju- 4
bemur. *Marq. de Susann. d. tr. p. c.* 2. *num.* 31.
Ideoque occidens Judaeum ordinaria poena plec- 5
titur maxime ob regulam, et ob imaginem DEI, et spem conversionis, *arg. c. Clericum Dist.* 50. *Marq. de Susann. d. tr. p.* 1. *c.* 12. *Decian. in tr. crim. p.* 1. *c.* 16. *num.* 12. *Thesaur. lib.* 2. *q.* 36. *ubi ad c.* 1. *de Homic. lib.* 6. *respondet.*
Judaei tamen hac securitate ad insolentiam abu- 6
ti non debent. Ratio prioris est in *l. praeced.*
posterioris in *l.* 10. An autem in favorabilibus 7
constitutionibus Judaei comprehendantur, vid. *Farin. d. p.* 2. *num.* 602. *et seq.* Imo rigorem 8
debere in iis servari, et ad eos non trahendam dispositionem favorabilem, tradit *Lancell. de Attent. p.* 2. *c.* 12. *limit.* 11. *num.* 8. *et seqq.*

L. Si qua. 14.

SUMMARIA

Judaei non debent habere proprios judices suos. num. 1.
Nec propriam remp. 2.
Sunt subditi, et servi Imperii Romani. 3.
Praestaret eos ita tractare, ut sentirent se servos esse. 4.
De tolerantia Judaeorum remissive. 5.

Judaei non debent habere proprios judices suos 1
scil. Seniores, sed adire debent ordinarios judices: Non enim ipsis permittendum est, ut propriam Remp. habeant, sed sunt subditi, et ser- 2
vi Imperii Romani. Praestaret igitur eos ita tra- 3
ctare, ut sentirent se servos esse. Conferantur 4
ea, quae *Balduin. l.* 2. *c.* 6. *casu* 5. *de toleran-* 5
tia Judaeorum habet, et alii, et quae dicta sunt supra *ad l.* 7.

L. Judaei. 15.

SUMMARIUM

Poena Judaei Christianum circumcidentis, vel ad Judaicam religionem trahentis.

Quicumque Judaeus Christianum circumciderit, vel circumcidi mandaverit, proscriptione bonorum, et perpetuo exilio multabitur, Eadem poena, imo etiam corporalis, imminet iis, qui Christianum ad judaicam religionem traxerint.

L. Judaeorum. 16.

SUMMARIA

Primates Judaeorum quinam? num. 1.
Anniversarium canonem pro singulis Synagogis suo periculo solvere debent Palatinis. 2.
Aurum Coronarium quid? 3.

1 Primates Judaeorum, seu qui in Synagogis
2 eorum primas partes obtinent, anniversarium Canonem, quem singulae Synagogae quotannis solvunt, Palatinis debent suo periculo solvere.
3 Et hoc Aurum Coronarium dictum: vide notata infra de *Auro Coron.* et quos allegat *Klock. v.* 1. *cons.* 31. *num.* 14. *et seq.*

L. Hac valitura. ult.

SUMMARIA

Prohibentur Judaei ne defensoris officio, nec patriae honore fungantur, nec potestatem habeant de sacris personis judicandi. num. 1.
Corrigitur per h. l. L. 3. §. ult. ff. de Decur. 2.
Prohibentur Judaei novas extruere Synagogas. 3.
Poena contra facientium. 4.
Collapsae Judaeorum Synagogae non iterum erigendae. 5.
Quatenus reficere liceat eas? 6.
Jus Can. novam extruere Synagogam, ubi vetus collapsa, concedit. 7.
De Judaeis remissive. 8.

Prohibentur Judaei, ne defensoris officio, nec 1
Patriae honore fungantur, nec potestatem habeant
de sacris personis judicandi; et sic per hanc le- 2
gem videtur corrigi *l.* 3. §. *ult. ff. de Decur.* nam quod quidam putant, intelligi posse illam *l.* 3. §. *ult.* de Christianis Judaicam superstitionem sequentibus, id plane non est probabile, cum tales Apostatae majori odio digni, et d. constitutio *in l.* 3. §. *ult.* est Imperatorum Gentilium *Azorius p.* 1. *mor. inst. lib.* 8. *cap.* 22. *qu.* 10.
Prohibentur etiam novas extruere Synagogas, 3
et possunt tantum veteres fulcire; quod si vero quis novam Synagogam fabricaverit, multandus
est 50. libris auri, §. 2. *h. l.* deinde proscriben- 4
dus, vel etiam capitali supplicio afficiendus; Videtur enim rebellionem movere, et ipsa Synagoga Ecclesiae addicenda *d.* §. 2. *in fin.* Exinde 5
colligitur, si collapsae sint Synagogae, eas iterum erigi non debere, quia hoc esset novas aedificare; sed nec ita reficere licet, ut eae am- 6
pliores, capaciores, aut magnificentiores reddantur, sed veteri tantum formae restituantur per hanc legem, et *arg. l.* 65. §. *fin. ff. de Legatis* 1. quamvis jus Can. in *c. consuluit X. hoc tit.* 7
novam exstructionem, ubi vetus Synagoga collapsa, concedat; licet *Panormit. in d. c. cons. num.* 3. de partibus Sinagogae corruentibus intelligat et *Marq. de Susan. de Judaeis p.* 1. *cap.* 3. *num.* 10. *et seqq. et Azorius inst. moral. p.* 1. *l.* 8. *c.* 22. *quaest.* 10. Plura de Judaeis videantur 8
apud *Marquard. de Susann. d. tr. et Decian. lib.* 5. *cap.* 12. *et seqq.* nec non *Wehner. in observ. Tit. Judaei.*

TITULUS X.

Ne Christianum Mancipium Haereticus, vel Judaeus, vel Paganus (i. e. Gentilis) habeat, vel possideat, vel circumcidat.

L. Judaeus. un.

SUMMARIA

Sententia legis, et rubricae eadem. num. 1.
Nefas est religiosissima mancipia impiissimorum inquinari dominio. 2.
Judaei servum Christianum circumcidentis poena. 3.
Christianum mancipium quatenus Judaeo legari possit? 4
Legati sine fideicommisso mancipii Christiani Judaeo nec aestimatio praestanda. 5.
Adscriptitium Christianum Judaeus habere potest. 6.
Adscriptitius fundo, non personae, servit. 7
Jure Canon. Judaeus Christ. mancip. 27. *solidis vendere jubetur.* 8.
Per poenam capitalem etiam exilii intelligitur. 9.
Statuta proprie intelligenda. 10.

Sententia Legis, et Rubricae, est eadem. Ratio 1
additur in *l. ult. Cod. Theodos. h. t.* quia nefas
est religiosissima mancipia impiissimorum inqui- 2
nari Dominio; Servis libertas donatur, et si Ju-
daeus servum Christianum circumciderit, capi- 3
tali est supplicio afficiendus. Conf. *l.* 19. *tit. praeced.* Posse autem Christianum mancipium legari 4
Judaeo cum fidei commisso, ut hic Titio Christiano id restituat, quia ita contra prohibitionem non peccatur, tradit *Donnell. enucl. lib.* 8. *c.* 9. *post*

5 *lit. I.* Alias enim si legaretur sine fideicommisso, nec aestimatio mancipii praestaretur, *Menoch.*
6 *remed.* 9. *recup. posses. num.* 292. Adscriptitium tamen Christianum Judaeum habere posse, quia
7 fundo, non Judaeo servit, patet ex *c.* 2. *X. de Judaeis Marq. de Sus. d. tr. p.* 2. *c.* 5. *num.* 21.
8 quid autem Jure canon. vid. *c.* 1. *et ult. X. de Judaeis*, ubi Judaeus mancipium Christianum, licet Judaeum conversum, 27. solidis vendere jubetur. Ex hac lege collata cum *l.* 15. *tit. prae-* 9
ced. colligunt: per poenam capitalem etiam exilii intelligi, *Menoch. l.* 2. *d. A. J. Q. cas.* 316. *num.* 10. *Farin. q.* 19. *num.* 3. *Carpzov. in crim. q.* 128. *num.* 10. Sed alia ratio statutorum esse 10
videtur, quae proprie intelligenda.

TITULUS XI.

De Paganis, et Sacrificiis, et Templis.

L. Placuit. 1.

SUMMARIA

Lex haec claudi jubet omnia templa paganica. num. 1.
Prohibet sacrificia Ethnica. 2.
Poena Praesidis conniventis. 3.
Non debet ansa delinquendi dari. 4.
An Judex ad crimina connivens eadem cum delinquente plectendus poena? 5.

1 Claudi jubet haec L. omnia templa paganica, seu paganorum, qui penitus extra Ecclesiae
2 pomoeria constituti; prohibet omnia sacrificia Ethnica sub poena gladii, et proscriptionis. Ea-
3 dem poena Praesidi conniventi imminet: non
4 enim debet ansa delinquendi dari. Unde ex hac *l.* ut et *l.* 8. *C. de vi publ. et l.* 2. *C. de commerc.* col-
5 ligunt: judicem ad crimina conniventem eadem poena, quae delinquenti imminebat, esse plectendum, *Tiraq. de poen. temp. in praefat. num.* 8. *et seq. Farin. qu.* 17. *num.* 6. *Clar.* §. *fin. q.* 85. *num.* 10. *Menoch. l.* 1. *A. Q. qu.* 96. *num.* 11. et hos allegans *Carpz. in Pr. crim. p.* 3. *q.* 112. *num.* 16. Idem probatur ex *l. ult. C. ne sanct. baptism. iter. l.* 2. *C. de commerc.* Sed an ex his casibus specialibus Regula fieri possit, dubito.

L. Ne quis mortalium. 2.

SUMMARIA

Prohibetur jecoris, et viscerum inspectio, et futurorum exploratio. num. 1.
Haec est Magiae Diabolicae species. 2.
De Magia Diabolica remissive. 3.
Tales artes explorandi occulta, vel medendi per certas formulas capitali supplicio non plectendae. 4.

1 Prohibetur jecoris, et viscerum inspectio, et execranda exploratio futurorum sub poena acer-
2 bi supplicii: nam haec est Magiae Diabolicae species, de qua plura *Martin. Delr. in Disquis.*
3 *Mag. part.* 4. *cap.* 2. *qu.* 7. *sect.* 1. *et Theologi*
4 *passim.* Tales artes explorandi occulta, vel medendi per certas formulas, inferunt quidem pactum cum Diabolo, sed tacitum, ideoque ab expresso pacto multum differunt, nec capitali, multo minus ignis supplicio plectendae.

L. Sicut. 3.

SUMMARIA

Zelo intempestivo operum ornamenta non debent destrui. num. 1.
Boerius *notatur.* 2.

Solebant nonnulli Christiani ex zelo intempe- 1
stivo delubra gentilium destruere, et publica ornamenta evertere, qua ratione irritabant potius Gentiles, quam convertebant, quod tristissimum Episcopi Audae nimis audacis docuit exemplum. Ideo haec Lex prohibet, quo minus zelo intempestivo operum ornamenta destruantur. Suave autem est, quod *Boer. dec.* 292. *num.* 2
2. ex hac lege colligit, quod si alter detineat Instrumentum falsum, quod possim illud propria auctoritate eripere, et lacerare, cum tamen hic Imp. non de privata auctoritate, sed judicum publica, proprie loquatur.

L. Ut profanos ritus. 4.

SUMMARIA

Spectacula licita. num. 1.
Odiosa sanctis Patribus. 2.
Num honesta, vel inhonesta sint, judicium est Ecclesiastici judicis? 3.
Hodie per Comoedias plerasque juventuti scelera ac luxuria instillantur. 4.

Spectacula L. haec, et voluptates populorum 1
ipsis permittit, honestas scil. nec enim Bacchanalia hic intelliguntur, cum profanos ritus jam salubri lege submotos, et prohibitos dicat Imperator. Quam odiosa autem Sanctis Patribus spe- 2
ctacula fuerint, videatur *Petr. Greg. l.* 39. *Syntagm. per tot.* Et num honesta, vel inhonesta sint 3
spectacula, judicium est Ecclesiastici judicis, *Menoch. l.* 2. *qu. cas.* 69. *num.* 42. Dolendum sa- 4
ne est hodie per Comoedias, plerasque juventuti scelera, ac luxuriam instillari, dum delicta

carnis, quae ne nominari quidem debebant inter Christianos, quasi per jocum proponuntur. Verendum, ne nobis DEUS spectacula cruoris plena exhibeat.

L. Omnia loca. 5.

SUMMARIA

Quatenus loca sacra paganorum ad Principem devolvantur? num. 1.
De quibus templis haec lex intelligenda? 2.
Ad quem templa ab haereticis vero DEO consecrata, item Synagogae novae a Judaeis exstructae pertineant? 3.
De profanatione bonorum Ecclesiasticorum, remissive. 4.

1 Loca sacra paganorum devolvuntur ad Prin-
cipem, nisi is ea in Ecclesiam contulerit, vel
2 alium: Notetur autem hic de paganorum tem-
plis sermonem esse, nam quae ab haereticis
vero DEO consecrata sunt, imo etiam Synago-
gae novae a Judaeis exstructae, non ad Fiscum
Imperatoris, multo minus ad privatum perti-
3 nent, sed potius ad Ecclesiam, per *l.* 3. *C. de
Admin. bon. ad civit. et l. ult. C. de Judaeis
Tulden. hic num.* 3. ubi invehitur in profana-
4 tionem bonorum Ecclesiasticorum, et *Cothmann.
vol.* 2 *cons.* 110. *per tot. praecipuen.* 33. *et seq.*

L. Christianis. 6.

SUMMARIA

Christiani Judaeis, vel Paganis quiete viventibus vim inferre prohibentur. num. 1.
Poena Praesidis ad hoc conniventis. 2.
Ob religionem nemini quiete viventi vis inferenda. 3.
Bellum adversus infideles ob hoc, quod a fide nostra alieni sint, juste indici non potest. 4.
Poena dupli, de qua hic, de mobilibus loquitur. 5.
In immobilibus locus est. l. 7. C. unde vi. 6.

1 Prohibet Christianis, ne Paganis, vel Judaeis
quiete viventibus vim inferant, sub poena resti-
2 tutionis dupli: similis poena Praesidi conniventi
3 imponenda; nam ob religionem nemini, qui
quiete agit, vis inferenda. Exinde colligunt hic
DD. et Covarr. in Reg. Possessor. p. 2. §. 10.
num. 1. Bellum adversus infideles ob hoc, quod 4
a fide nostra alieni sint, juste indici non posse,
licet dissentit *Tulden. hic*, distinguens, inter
Paganos Imperio nunquam subjectos, et qui olim
subjecti fuerunt, et *Christin. vol.* 2. *decis.* 45.
Superior autem poena dupli loquitur de mobi- 5
libus; nam si immobilia occuparentur, locum ha-
beret *l. si quis in tantam* 7. *C. unde vi, Me-* 6
noch. remed. 9. *recup. poss. num.* 335.

L. Nemo venerandi. 7.

SUMMARIA

Sacrificia paganica et omnes ritus, cultusque Gentilium prohibentur. num. 1.
Poena contrafacientium etiam consciis hujus criminis imponenda. 2.
Poena Praesidis negligentis. 3.
Legis ratio. 4.

Sacrificia prohibentur hic paganica, et omnes 1
ritus, cultusque gentilium, ut adoratio simula-
crorum, neque templa debent sertis redimiri, et
similia. Additur poena, scilicet proscriptio bo- 2
norum, et supplicium ultimum, etiam iis, qui
tantum conscii sunt hujus criminis imponenda.
Et Praeses negligens cum officio suo mulctatur, 3
ille 50. libris auri, et hoc totidem. Ratio horum 4
omnium est in *l. seq.* 8. *seu ult. h. t.* quia cri-
men publicum est.

L. Nemo ea. 8.

SUMMARIUM

Non commodanda domus ad impia Gentilium sacra sub certa poena.

Prohibet haec L. ne domus commodetur ad impia gentilium sacra sub poena confiscationis aedium, et amissionis dignitatis, si tamen sciente Domino id fiat; vel etiam poenae corporalis, seu fustigationis, si sit persona vilis, et post fustigationem ad opera Metallorum talis perpetuo condemnanda, quia scil. crimen est publicum, et Deo vero invisum, et abominabile.

TITULUS XII.

De his, qui ad Ecclesiam confugiunt, vel ibi exclamant, et ne quis ab Ecclesia extrahatur.

L. Judaei. 1.

SUMMARIA

Adimuntur Judaeis Privilegia ad Ecclesias confugientium. num. 1.
Etiamsi velint Christianam religionem amplecti. 2.
Lex praesumit de tali Judaeo, quod Religionem profiteatur coacte, et simulate. 3.
Judaeus ob spem impunitatis baptismum petens, ob hoc non debet consequi immunitatem a poena. 4.

1 Adimit Judaeis privilegia eorum, qui ad Ec-
clesiam confugiunt, forte si aere alieno pressi,
vel ob scelus, carceri sunt mancipandi; atque
2 hoc extenditur, etiamsi velint Christianam reli-
gionem amplecti. Rationem assignat *Panorm.
in c. inter alia* 6. *num.* 6. *X. de immunit. Ec-*
3 *cles.* quod Lex praesumat de tali Judaeo, quod
religionem profiteatur coacte et simulate, *Marq.
de Susan. de judaeis, p.* 1. *c.* 8. *num.* 1. *Clar.*
§. *fin. q.* 30. *num.* 17. *et Georg. Rittershus. de*
4 *Asylo c.* 6. *num.* 2. Sicut etiam Judaeum ob
spem impunitatis, si baptismum petat, ob hoc
non debere consequi immunitatem a poena,
tradit *Speckhan. vol.* 1. *cent.* 2. *q.* 17. *Rittersh.
d. l. num.* 3.

L. Fideli. 2.

SUMMARIA

Qui confugientem ad Ecclesiam vi retraxerit, criminis laesae Majestatis reus est. num. 1.
Hoc casu Divina Majestas laesa. 2.
Hoc jus asyli Gentilibus usitatum. 3.
Haec asyla jure Civili homicidis, adulteris, virginum raptoribus, aliisque facinorosis denegantur. 4.
Jure Canonico hoc abolitum. 5.
Nos Jus Civile hic sequimur. 6.
Homicidis, et assassinis parcere non est Ecclesiae, nec ullius hominis. 7.
Casus, quibus confugiens ad Ecclesiam, hujus immunitate non debet frui, remissive. 8.
Auctoris de eo judicium. 9.
Tutius asylum omnium Jesus Christus est. 10.
Ius asyli tribuitur etiam Academiis. 11.

1 Qui confugientem ad Ecclesiam vi retraxerit,
criminis laesae Majestatis reus est, quia Divina
2 Majestas laesa, *Petr. Greg. l.* 33. *cap.* 21. *num.*
2. *Tusch. concl.* 8. *num.* 2. *et* 4. *lit. E, Chri-*
3 *stin. dec.* 46. *num.* 15. *vol.* 2. Atque hoc jus
Asyli fuit etiam gentilibus usitatum, et postea
in honorem Dei a Christianis Principibus ad
4 templa DEI VERI applicatum: sed haec Asyla
Jure Civili, homicidis, adulteris, virginum ra-
ptoribus, aliisque facinorosis denegantur, per
Nov. 17. *cap.* 7. *Vid. Rittersh. de Asylis cap.*
5 6. *num.* 7. *et seqq.* Quod quamvis Jure Canon.
per *cap. inter alia* 6. *X. de immunit. Eccl. et
c.* 1. *de Homic. lib.* 6. videatur abolitum, dum
in dictis textibus tantum publici latrones, et
nocturni depopulatores, ac homicidae proditorii
excipiuntur, unde colligitur, reliquos homici-
das simplices, etiam dolosos, sub regula con-
6 tineri, *Covarr. l.* 2. *resol. cap.* 20. *num.* 7; Nos
tamen posthabito hac in parte Jure Canon. quod
cum verbo DEI hic pugnat, Jus Civile sequi-
7 mur. Nam homicidis parcere, et assassinis non
est Ecclesiae, nec ullius hominis, *Bodin. lib.* 1.
de Republ. Rittershus. in Tr. de Asylo cap. 4. *n.*
6. *Vid. idem c.* 6. *num.* 19. Conf. *Christin. dec.* 46.
num. 6. *vol.* 2. ubi in sequentibus casus recen-
8 set, quibus confugiens ad Ecclesiam non debeat
frui immunitate Ecclesiae, et putarim, an con-
fugiens dignus sit hac immunitate, Magistra-
9 tum politicum dijudicare debere. Sed longe se-
curius tutiusque Asylum nostrum omnium JESUS
CHRISTUS est, a quo nemo unquam peccatorum
repulsus est. Hoc fruuntur omnes, qui ad hoc 10
universale Asylum confugiunt, de quo Asylo
ad h. t. num. 93. agit *Cothman.* ubi *num.* 40.
jus Asyli etiam tribuit Academiis, a quibus ci- 11
ves Academici sine permissu Rectoris abduci
non possunt, quod, si recte memini, Lovanien-
sis Academia aliquando ursit, cum Principis
Arausionensis filius abduceretur.

L. Si Servus. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Immunitati loci, non armis fidere debent. 2.
Iniquum est loci religione tutum esse eum, qui in armis praesidium collocat. 3.
In Ecclesiis, vel Coemeteriis deliquens immunitate hac indignus est. 4.
Iniquum videtur quod de servo impune interficiendo hic habetur. 5.

Servus quidam inopinato armatus in Ecclesiam 1
se proripuit, hunc immunitate Ecclesiae frui
non debere, sed Domino restitui deciditur. Ra- 2
tio; quia immunitati loci, non vero armis fide-
re debent, *Rittershus. d. Tr. cap.* 7. *num.* 5. Et 3
in Ecclesiis cum pace, et tranquillitate compe-
tit vota celebrari, et iniquum est loci religione
tutum esse eum, qui in armis praesidium col-
locat, et qui in ipsis Ecclesiis delinquit, vel in
Coemeteriis, sive spe immunitatis delinquat, si- 4
ve non, immunitate hac indignus est, *C. fin.
X. h. t. Rittersh. d. tr. c.* 6. *num.* 8. *Clar.* §. *fin.
qu.* 30. *num.* 15. *Covar. d. l. num.* 15. *Boër. dec.*
109. *num.* 3. *Christin. de dec.* 49. *num.* 12. Quod 5
in fine vers. *nulla erit ejus noxa*, de impune
interficiendo servo isto habetur, iniquum vide-
tur, *Covar. l.* 2. *resol. c.* 20. *num.* 14. *Menoch.
remed. recup.* 8. *num.* 40.

L. Denunciamus. 5.

SUMMARIA

In Ecclesia seditiones, conclamationes, tumultus, et conventicula contra quietem Ecclesiae instituta cessare debent sub poena capitali. num. 1.
In Ecclesiis cum pace, et tranquillitate vota competit celebrari. 2.
Is qui timet, ne ab aliquo offendatur, petere potest a judice, ut aliter praestet cautionem de non offendendo. 3.
Tutius est violatorem securitatis publicae, ceu salvi conductus, aut salvae guardiae, arbitrarie puniri. 4.

In Ecclesiis seditiones, conclamationes, tumul- 1
tus, et conventicula contra quietem Ecclesiae
instituta, cessare debent sub poena capitali. Ra-
tio hic habetur, quae etiam in praeced. L. al- 2
legata, quia in Ecclesiis cum pace et tranquilli-
tate vota competit celebrari. Ex vers. *nam si
quis aliquid, etc.* Colligunt: Eum qui timet, 3
ne ab aliquo offendatur; petere posse a judice,
ut alter praestet cautionem de non offendendo.

Gail. l. 1. de Pac. publ. cap. 2. num. 1. Farin. quaest. 107. num. 14. Carpzov. p. 4. Jurispr. for. Const. 13. def. 5. et seqq. Christin decis. 50. num.
4 *1. et 2. vol. 3.* Qui autem securitatem publicam violat, an ita puniendus sicut is, qui immunitatem Ecclesiae violat, alibi discutitur, quamvis tutius sit, violatorem securitatis publicae, ceu salvi conductus, ac Salvae Guardiae arbitrarie puniri, *Menoch. l. 2. A. qu. casu 336. Carpzov. in pract. crim. qu. 112. num. 80.* conf. *Christin. dec. 49. vol. 2.*

L. Praesenti lege. 6.

SUMMARIA

Describit lex haec processum circa eos, qui ad Ecclesiam propter debita confugiunt. num. 1.
Qui tales conati fuerint extrahere, capitaliter puniendi. 2.
Per nudam cogitationem, atque tractatum hic actus aliquis extrinsecus intelligitur. 3.
Fines hic qui? 4.
Confugae quomodo citandi? 5.
Quid cum latitantibus faciendum? 6.
Qui privilegio Ecclesiae non fruuntur, etiam a Judice Laico, inconsulto Episcopo, extrahi possunt. 7.
Verborum, ad modum debiti, *intellectus. 8.*
Speciale jus in uno inducit jus commune in alio. 9.
De rebus in Ecclesia occultatis. 10.
De servis huc confugientibus. 11.
Defensoris Ecclesiae, et Oeconomi his casibus officium. 12.
In Tributis privilegium Clericorum cessat. 13.

1 Haec Lex processum describit circa eos, qui ad Ecclesiam, debitorum causa, confugiunt, de quibus *Covarr. d. c. 20. num. 14. princ.* prohibentur expelli ex Ecclesiis, ipsis jubentur dari alimenta, et in Ecclesia quiescere ipsis conce-
2 dendum est adeo ut, qui illos tantum conati fuerint extrahere, poena capitali sint afficiendi.
3 Nam per nudam cogitationem, atque tractatum, quorum textus meminit, merito actus aliquis extrinsecus intelligitur, *Menoch. l. 2. A. Q. casu 360. num. 68. Decian. lib. 6. cap. 27. num. 5. Farin. qu. 28. num. 4.* Fines autem, quorum hic 4
fit mentio, sunt 40. passus circa Ecclesiam matricem, 30. vero circa aliam, *c. sicut antiquitus et c. definivit caus. 17. quaest. 4. Covar. d. c. 20. num. 5. Christin. decis. 47. num. 3. vol. 2.*

§. 1. Si confugae appareant, debent publice 5
citari a Judice, quia Ecclesia nemini quod suum est aufert: quae citatio necessario in Ecclesia fieri debet, cum alibi non reperiantur.

§. 2. Si vero latitent, per personas ab Episco- 6
po electas debent investigari, et inventi praesentari, quod tamen de personis, quibus haec immunitas competit, accipiendum: nam qui isto privilegio non fruuntur, etiam a Judice Laico, 7
inconsulto Episcopo, extrahi possunt, *Covarr. d. cap. 20. numer. 18. Clar. d. quaest. 30. num. 20.* quam communem sententiam esse dicit *Christin. dec. 49. num. 16. vol. 2.* Licet tutius esse dicat compellare Episcopum.

§. 3. Ut tamen in civilibus in arbitrio ipsius sit, vel per se, velper Procuratorem coram competente judice litem excipere; quod tamen de civili judicio intelligo.

§. 4. Quod si tergiversetur, in immobilia de- 8
cernitur possessio, ac mobilia distrahuntur, secundum ordinem juris, et ad modum debiti fit distractio, ita enim verba *(ad modum debiti)* hic intelligit *Gl.* et non dissentit *Hilliger. in Donnell. l. 3. cap. 11. lit. R.,* et *Glossa* hic habet Regulam: Speciale jus in uno inducere jus com- 9
mune in alio, *Georg. Ac. Knenk. de priv. l. 1. cap. 3. num. 2.* Quod si autem quasdam res in 10
Ecclesia occultaverint, per Ecclesiasticas personas, hae investigandae, et exhibendae. Idem in fidejussoribus.

§. 5. Servi sunt Domino ab Episcopis resti- 11
tuendi, qui si frivole confugerunt, puniendi; si non frivole, offensa remittenda a Domino, praestito prius juramento, de quo *Rittershus. dict. tract. capit. 7. num. 9. et seqq.*

§. 6. Defensor Ecclesiae, et Oeconomus perso- 12
nas et causas confugientium ad Ecclesiam diligenter exquirere, et judices instruere debent. In tributis autem privilegium Clericorum cessare 13
voluit, *Boër. dec. 109. princ. Alber. de Rosate in tr. de statut. l. 1. q. 39. in fin. Christin. dec. 46. n. 14. vol. 2.*

TITULUS XIII.

De his, qui in Ecclesiis manumittuntur.

SUMMARIA

Primitus manumissi non statim fiebant Cives Romani. num. 1.
In Ecclesia manumissus, Jus Civitatis Romanae consequebatur. 2.
Extensum hoc ad omnes manumissos a clericis. 3.
Juris testis, et interpres hic quis? 4.
Hodie omnes manumissi Cives Romani fiunt. 5.
Et ingenui. 6.

Hic tria tempora distinguenda: nam primitus 1
manumissi non fiebant Cives Romani, nisi per vindictam, vel censum, vel testamentum. Sed 2
l. 1. h. t. constituit Imp. Constant. ut omnis qui in Ecclesia coram Episcopo, et plebe manumittetur, jus civitatis Romanae consequatur: Quod *l. 2.* ad omnes extendit, qui a Clericis 3
quocumque loco manumittuntur, etiam sine juris teste, et interprete. Per judicem, vel tabel- 4
lionem intelligere possumus, ut scilicet ad ma-

numissiones expediendas, neque Magistratus auctoritas necessaria sit, neque consilium praeberi oporteat *l. 1. pr. ff. de Consul.* neque tabellionem, qui rei hujus conciliator sit, adhibere, ut interpretatur *h. l.* 2. *Cothman. ad h. t. nu.*
4. Deinde Justinian. id ad omnes manumissos 5
extendit *l. un. C. de dedit. libert. toll.* Demum 6
Justinian. etiam jus ingenuitatis manumissis tribuit, salvo tamen Jure Patronatus, *Nov.* 78. *cap.* 1. *et* 2.

TITULUS XIV.

De Legibus, et Constitutionibus Principum, et Edictis.

L. Inter aequitatem. 1.

SUMMARIA

An judex rigorem legis possit temperare? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Ratio decidendi. 3.
Rigorem in casu singulari expressum mitigare solius est Principis. 4.
A generali judici ob circumstantias facti speciales recedere licet. 5.
Quatenus servanda lex dura? 6.
Quando consulendus auctor? 7. 9.
Quando, et quatenus JCtus, et judex legem interpretari possit? 8.
Duritiem Leg. prospexit §. 1. ff. qui, et a quibus manum. *temperavit Justin. in* l. 32. C. de adult. 10.
Ex hac lege inferre non licet, supremis tantum tribunalibus aequitatem in ferenda sententia esse sequendam. 11.
Latior tamen supremis Tribunalibus competit facultas. 12.
Sicut judex non potest Imp. leges authentice interpretari pro lubitu, ita nec Princeps DEI leges. 13.
Ut se habet judex ad Principem, ita se habet Princeps ad DEUM. 14.

1 Promulgaverat Imperator legem specialem, quamvis duram, quaeritur, *an judex possit tem-*
2 *perare hunc rigorem?* Videtur quod sic, pro-
3 pter *l. placuit* 8. *C. de Judic.* Sed hic negatur; aliud enim est si rigor in casu singulari sit ex-
4 pressus, quem mitigare solius est Principis, ut hic dicitur: aliud si rigor generalis, a quo ju-
5 dici recedere licet, ob circumstantias facti speciales, per *d. l.* 8. Vid. *Treutl. et Bachov. vol.* 1. *Disp.* 3. *th.* 2. *lit. B. et Donell. lib.* 1. *cap.* 13. *lit.*
6 *F. Hillig. lit. E.* Vel si verba legis sint clara adeo, et aperta legis voluntas, servanda lex, licet
7 dura; quod si voluntas legis sit in thesi dubia, et obscura, consulendus est legis auctor, Im-
8 perator; quod si in hypothesi dubium, an casus praesens ad legem pertineat, interpretatio est Jurisconsulti, et Judicis, cujus tamen non est, mentem legis egredi. Confer. hic *Perez num.* 16. *et seqq. Christin. dec.* 62. *num.* 3. *et seqq. vol.* 2. *et Donell. l.* 26. *cap.* 2. *lit. F. Struv. Synt. jur. civ. Exerc.* 2. *th.* 47. et ideo, si ver-
9 ba legis aequam interpretationem respuant, adeundus est Princeps, per *l.* 26. §. *fin. et l. seq. ff. de fideicomm. libert. Ant. Fab. l.* 18. *conject. c.* 12. *in fin.* Sic duritiem *Leg. prospexit* 12. §. 1. 10
ff. qui et a quib. manumiss. liber. non fiant, temperavit *Justin. in l. in adulterii* 32. *C. de Adult. Cothman. ad titul. de Legibus num.* 178.
Sane ex hac lege inferre non licet, supremis 12
tantum tribunalibus aequitatem in ferenda sententia esse sequendam, ex *Gudelin. de jur. nov. l.* 5. *cap.* 2. *Christin. decis.* 62. *num.* 16. *vol.* 4.
licet latior supremis Tribunalibus facultas com- 12
petat. Collige etiam: Sicut judex non potest Im- 13
peratoris leges authentice interpretari pro lubitu, ita nec Princeps Dei leges. Nam ut se ha- 14
bet judex ad Principem, ita Princeps ad Deum. *Bart. in l.* 1. *ff. de J. et J. Georg. Acac. Enenk. de privil. l.* 1. *cap.* 3. *num.* 11.

L. Quae ex relationibus. 2.

SUMMARIA

Privilegia a Principe data ad alias personas, vel negotia non extendenda. num. 1.
Sunt jura specialia contra jus commune introducta. 2.
Limitatur num. 1. *tradita regula.* 3.
Nemo privilegia alterius per rescripta contraria sub- et obreptitie impetrata retractare, vel aliter interpretari praesumat. 4.
Privilegia priora per posteriora non tolluntur. 5.
Poena judicis sub ambiguitatis colore ad Principem referentis in praejudicium ejus, qui privilegium impetravit. 6.

I. Prohibet haec L. ne quisquam privilegia a 1
Principe data, ad alias personas, vel negotia extendat. Ratio: *in* §. 6. *Instit. de J. N. G. et C.*
quia privilegia sunt jura specialia contra jus com- 2
mune introducta, *Enenk. Baro de privil. l.* 1.
c. 3. *num.* 2. Non tamen simpliciter omnis ex- 3
tensio hic prohibetur, sed quae fit contra intentionem ejus, qui privilegium dedit: Nam non omnem extensionem hic prohiberi dicendum videtur ex iis, quae tradit *Enenk. Baro d. tract. de privil. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. *et seqq.* Conferantur notata ad *l. fin. C. de sumptib. et litium*
expensis. II. Nec quisquam privilegia alterius per 4
Rescripta contraria sub-et obreptitie impetrata retractare, vel aliter interpretari praesumat, sub poena infamiae, et praeterea impetrati re-

scripti careat fructu, praesertim, cum etiam
5 alias privilegia priora per posteriora non tollantur, *Enenh. d. tract. cap.* 5. *num.* 3. *et seqq.*
6 III. Nec judex sub ambiguitatis colore, ad Principem referat sub poena 30. auri librarum, si scilicet hoc faciat animo frustrandi partem, quae privilegium impetravit.

L. Leges ut generales. 3.

SUMMARIA

Quaenam constitutiones sint generales? num. 1.
Interlocutiones, et privilegia ad alias causas non extendenda. 2.
In interlocutionibus non tam matura est deliberatio necessaria, quam in definitiva. 3.
Interlocutoria in corpus juris relata jus facit. 4.
Cur Privilegia extensionem non patiantur? 5.
An, sicut sententia definitiva a Principe lata jus facit, hoc etiam ad aliorum summorum Tribunalium sententias sit extendendum? 6. 9.
Saepe Tribunalia summa variant sententias, et vota mutatis temporibus. 7.
Princeps iis non permisit ut legem facerent, sed ut juxta leges judicarent. 8.

1 Haec lex declarat, quaenam constitutiones sint generales; harum constituit VI. species.
I. Responsum ad Senatum.
II. Si edictum vocetur, quacumque occasione id publicetur.
III. Si per omnes populos judicum programmatibus promulgetur.
IV. Si Princeps sententiam definitivam tulerit.
V. Si vocaverit legem generalem.
VI. Si ad omnes jusserit pertinere.
2 Interlocutiones vero, et privilegia ad alias causas extendenda non sunt. Illius ratio: quia
3 in Interlocutionibus non est tam matura deliberatio necessaria, quam in definitiva, si tamen
4 Interlocutoria in Corpus Juris relata, omnino
5 jus facit per *l.* 9. §. 3. *ff. quod met. caus.* Privilegia cur extensionem non patiantur, ratio est
6 in *l. praeced.* Sed quaeritur: *An sicut sententia definitiva a Principe lata jus facit, hoc etiam ad aliorum summorum Tribunalium sententias sit extendendum?* Quod non indistincte admit-
7 tendum: Nam saepe Tribunalia summa variant sententias, et vota mutatis temporibus, *Vivius*
8 *dec.* 401 *num.* 24. neque Princeps hoc eis commisit, ut legem facerent, sed ut juxta leges judicarent, vid. et *Christin. dec.* 51. *num.* 6. *et*
9 *seq.* Putarem igitur, tunc hoc locum habere, quando Tribunal jus controversum decidit, non quando contra jura pronunciat. Vid. *Christin. dec.* 63. *num.* 5. *vol.* 2. *et dec.* 65. *num.* 1.

L. Digna vox. 4.

SUMMARIA

Lex haec de Principis spontanea submissione, et observantia legis loquitur. num. 1.
Aliter alii hanc legem interpretantur. 2.
A dictamine rationis Princeps solutus non est. 3.
Princeps ex Contractu obligatur. 4.
Tenetur ex legibus, quas se observaturum promisit. 5.
DD. hic notantur. 6.
Princeps in sua causa judex esse non potest. 7.

Lex haec Principem ipsum legum observantiae 1
subjicit, sed de spontanea submissione, et observantia loquitur, *Fachin. lib.* 1. *controv. c.* 2. *Vasq. l.* 2. *Illustr. Controvers. c.* 26. *num.* 13. *Treutl. et Bachov. vol.* 1. *Disp.* 1. *th.* 6. Licet alii de 2
jure positivo, naturalem aequitatem sapiente, hanc legem intelligant, quos sequitur *Men. de A. Q. lib.* 1. *qu.* 7. *num.* 71. Alii vero inter vim directivam, et coactivam distinguunt, ut *Covarr. in c. Alma mater c.* 1. §. 1. *num.* 5. *Christin. vol.* 2. *decis.* 53. *num.* 7. alii aliter. Certe a di- 3
ctamine rationis Princeps solutus non est, *Felin. ad c.* 1. *de constit. num.* 31. quem laudat *Christin. d. dec.* 53. *num.* 1. Et quia nemo sanae 4
mentis homo negabit, Principem ex contractu obligari, *Auctor in l.* 31. *ff. de LL. num.* 4. 5. nemo etiam negabit, Principem teneri ex legi- 5
bus, quas se observaturum promisit, *Auctor in d. l. num.* 31. Qui plura hac de re legere cupit, 6
evolvat Doctores, quos conglomeravit *Hill. in Donell. l.* 1. *c.* 7. *lit. A.* Multi inter hos confundunt Legem, et Contractum; Nam qui contrahit, hoc ipso se ad observantiam Contractus obligat, secus in Lege. Praeterea colligunt ex hac 7
l. 4. Etiam Principem, in sua causa, judicem esse non posse, *Klock. cons.* 52. *num.* 135. *vol.* 1. de quo alibi. De qua quaestione *vide auctorem in l.* 10. *ff. de jurisd. num.* 1. *seqq.*

L. Non dubium est. 5.

SUMMARIA

In legem committit, qui contra voluntatem, et rationem legis facit. num. 1.
Distinguendum: inter offendere legem, et ejus verba, fraudem facere legi, et committere in legem. 2.
Quot modis fraus legi fieri possit, remissive? 3.
Quod ita contra legem gestum, nullum habet effectum. 4.
Ex maleficiis oritur obligatio ad poenam. 5.
Quatenus contractus prohibente lege factus ipso jure nullus sit? 6.
Lex poenam imponens simpliciter, regulariter non censetur actum ipsum annullare. 7.
Limitatur. 8.
Sublimitatur. 9.
Quod per leges Imp. semel damnatum, per inferiorum statuta, et consuetudines induci non potest. 10.
Juramentum actui prohibito additum potestate legis una cum actu annullatur. 11.

I. Definit, cum etiam committere in legem, 1
qui contra voluntatem, et rationem legis facit. Exemplum est in *l.* 3. §. 3. *ff. ad SCt. Macedon.* Sunt enim haec tria distinguenda: 1. Aperte 2
offendere legem, et ejus verba. 2. Fraudem facere legi, i. e. non verba, sed mentem legis offendere. 3. Committere in legem, quod est ge- 3
nerale ad duo praecedentia. Ex *Bart. hic Farinac. p.* 2. *fragment. lit. L. num.* 173. Fraudem

autem legi fieri posse multis modis notat *Zoesius ad L. contra legem* 29. *ff. h. t.* scil. de re ad rem, de persona ad personam, de contractu ad contractum, et simil. Confer. *Donell. et ibi Hillig. l.* 1. *cap.* 14. *lit. E. Auctor in l.* 29. *ff.*
4 *de LL. per tot.* Quando vero ita commissum est in legem, tunc II. dicunt Impp. quod ita contra legem gestum est, nullum habere effectum,
5 (in commodum scil. facientis, alias ex maleficiis oritur obligatio ad poenam) licet legislator ipse non declaraverit, inutile fore, quod factum fuerit contra legem, per allegata *Farin. d. l. n.* 170. licet Lex non prohibitive, sed dispositive tantum loquatur, *Vasq. p.* 2. *controv. c.* 10. *num.* 5. *et seq. Tiraq. de LL. connub. gl.* 1. *num.* 6.
6 Imo, et quod deinde subsecutum est, nullum est, omnisque contractus prohibente lege factus ipso jure nullus est, quando scil. Lex aliquid vetat nulla poena adjecta, *Donell. lib.* 6. *cap.* 3.
7 *lit. D. et ibi Hillig.* quia Lex poenam imponens simpliciter, regulariter non censetur actum ipsum annullare, de quo cum pluribus, *Farin. d. p.* 2. *fragm. lit. L. num.* 59. *et seqq. Vantius de Nullitat. tit. quot, et quibus modis nullitas etc.*
8 *num.* 54. nisi certa forma negotio esset a Lege praescripta, et sic intelligo *Tiraq. d. l. num.* 5. de qua materia cum multis agit *Alderan. Mascard. de interpr. stat. concl.* 9. *num.* 41. qui limita-
9 tionem jam positam sublimitat, si annullatio actus tenderet in praejudicium tertii. Colligitur
10 etiam ex hac *l.* 5. Quod per leges Imperatoris semel damnatum, per inferiorum statuta, et consuetudines induci non possit, *Klock. v.* 3. *cons.*
11 81. *num.* 11. et quod juramentum actui prohibito additum potestate legis una cum actu annulletur, *Bacch. ad tit. quod metus caus. c.* 4. *pag.* 1006. *conf. Guttierez ad Auth. sacramenta puberum C. si advers. vendit. num.* 14.

L. Quod favore. 6.

SUMMARIA

Non debet aliquid in eorum odia detorqueri, quod eorum favore constitutum. num. 1.
Verbum potius superflue positum praesumitur, quam ut quidquam operetur in ejus laesionem, in cujus favorem positum est. 2.
Limitatur regula. 3.

1 Lex haec regulam juris continet: non debere scil. aliquid in eorum odia detorqueri, quod eorum favore constitutum, hic, *et c. quod ob gratiam* 6. *de Reg. jur. in* 6. *et casus est in l. Non eo minus* 14. *C. de Procurat. et in l.* 19. *C. de fi-*
2 *de instrument.* Et verbum potius superflue positum praesumitur, quam ut quidquam operetur in ejus laesionem, in cujus favorem positum est, *Mantic. de tac. et amb. convent. c.* 12. *num.* 27. Exempla hic varia tradunt DD. Confer. *Surd. dec.* 195. *num.* 5. *Scaccia de judiciis l.* 2. *c.* 3. *num.*
3 177. Limitatio Regulae est, nisi culpa sua retorqueatur. Vid. DD. qui allegantur *in Axiomat. Barb. l.* 6. *c.* 11. *ax.* 3. *in l.* 25. *ff. de LL. ubi plures limit.*

L. Leges, et Constitutiones. 7.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
Leges futuris negotiis formam dant, non praeteritis. 2.
Limitatur. 3.
Valet regula etiam quoad effectus actus praeteriti. 4.
Quatenus nova Constitutio trahatur ad praeterita negotia? 5.

Hodie filiofamilias mutuo do pecuniam, cras 1
fertur Senatus-consultum Macedonianum: Quaeritur num meus contractus sit invalidus? quod neg. hic, quia divinari hodie non potui, id cras prohibitum iri; *Ex Connano Hillig. l.* 1. *c.* 5.
lit. F; ideoque recte se habet regula: Quod le- 2
ges futuris negotiis formam dent, non praeteritis, nisi hoc in lege diserte dictum, v. g. quo-
ties nova constitutio aliquid circa negotii ordi- 3
nationem disponit, tunc semper leges, et consuetudines, quae tempore contractus extiterunt, attendendae sunt, *Gail. l.* 2. *obs.* 9. *num.* 3. *Ber-*
lich. p. 2. *dec.* 159. *num.* 6. *et seq.* Et valet haec 4
regula etiam quoad effectus actus praeteriti, et executionem illius in futurum expectatam *Farin. d. p.* 2. *fragm. lit. L. num.* 20. Sed nova constitutio trahitur ad praeterita negotia, quando disponit super ordinatione judicii, *Farin. d. l. num.* 35.
Mascard. de interpr. stat. concl. 13. *num.* 493. Sic 5
etiam in praeteritum obligat, si jus antiquum declaret, *Alder. Masc. d. tr. concl.* 13. *num.* 48. *et seq.* Conf. *Tusch. concl.* 164. *Axiom. Barbos. locupletat. lib.* 10. *cap.* 10. *ax.* 11. *Jo. de Platea in l.* 65. *C. de Decurion.* Prolixe hanc quaestionem tractat *Jo. Philipp. in Usu Pract. ad Instit. Eccl.* 10. *per tot.*

L. Humanum esse. 8.

SUMMARIA

Nova lex quomodo ferenda? num. 1.
Notatur Justinianus. 2.
Firmiora sunt quae fiunt cum consilio Prudent. 3.
Quomodo Reges Galliae olim leges suas sanciverint? 4.
In Rege absoluto honestatis potius hoc esse videtur, quam necessitatis. 5.
Communis hujus Legis intellectus. 6.
Ex verbis honoris causa prolatis nulla oritur obligatio. 7.
Auctoris de hujus legis intellectu judicium. 8.
Juri naturae conveniens est bono Principi leges publicas ferre ex consilio Consiliariorum. 9.
Si Princeps in sacris quid constituat, consilium et intercessio Sacerdotum non est excludenda. 10.
Omnes leges principaliter beatitudinem Imperii respicere debent. 11.

Quoties antiquum jus corrigendum est, vel si 1
nova lex ferenda sit, id prius a Consiliariis Aulicis, et toto Senatu deliberandum est; quod si placeat Lex nova, ea dictanda est, et revidenda, et relegenda coram Senatu, et Consiliariis, et si omnes, vel plerique consenserint, tunc

2 demum publicanda; hoc si observasset Justinia-
3 nus, tot Novellas non haberemus. Collige: ea
firmiora esse quae fiunt cum consilio Pruden-
4 tium. Reges Galliae olim nullam legem, nisi
habita deliberatione cum Parlamento, sancivisse
5 narrat *Tiraq. de Nobil. c.* 28. *num.* 26. Sed in
Rege absoluto hoc honestatis potius esse videtur,
quam necessitatis, per tradita *Caevall. qu.* 615.
6 *Valasc. l.* 1. *consult.* 118. *num.* 35. *et seq.* ideoque
communiter hanc legem de humanitate, et ho-
7 nestate intelligunt, indeque inferunt: Ex verbis
honoris causa prolatis nullam oriri obligationem,
de quo *Cuno in tract. de Pactis cap.* 21. *num.* 107.
8 *et seqq.* Quamvis, et de necessitate possit intel-
ligi, cui se subjicere voluerunt Imperatores, a
qua tamen successores recesserunt, *Cuno d. c.*
9 21. *num.* 126. *et* 129. Collige tamen: juri naturae
conveniens esse bono Principi leges publicas fer-
10 re ex Consilio Consiliariorum. Et si Princeps in
sacris quid constituat, consilium, et intercessio
Sacerdotum non est excludenda, *Dn. Thabor. de*
11 *Regimin. Imperant. Ecclesiast. th.* 24. Collige item:
omnes leges principaliter beatitudinem Imperii
respicere debere.

L. Leges Sacratissimae. 9.

SUMMARIA

Leges ad sui scientiam omnes obligant. num. 1.
Quibusdam personis in quibusdam casibus exceptis. 2.
Mantica, et Mascardus *notantur.* 3.
Etiam doctissimi JCti non omnia, quae juris sunt, assequuntur. 4.
Lex haec vult neminem ob praeceptum ignorantiae excusari. 5.
Limitatur. 6.
Si legis sententia sit obscura, vel quando ab aequitate impugnatur, ejus explicatio a Principe petenda. 7.
Secus est, si agatur de jure ad similia producendo. 8.

1 Leges ad sui scientiam omnes obligant, quam-
2 vis quaedam personae in quibusdam casibus exci-
piantur, ut rustici, minores, milites, mulieres,
Gail. l. 2. *obs.* 48. *num.* 22. *Myns. c.* 6. *obs.* 47.
3 Quamvis autem nonnulli, ut *Mantic. de conject.
ult. vol.* 6. *tit.* 6. *num.* 6. *Mascard. concl.* 610.
num. 1. ex hac lege praesumptionem colligant,
quasi quivis jura scire videatur, id tamen ex hoc
textu non colligitur, et experientiae evidenter
4 adversatur, cum etiam doctissimi JCti non o-
mnia, quae juris sunt, assequantur, *Pinell. ad*
5 *l.* 2. *C. de resc. vend. p.* 1. *c.* 2. *num.* 31. sed
vult tantum neminem ob praetextum ignorantiae
6 excusari, quando facultatem habuit alios peri-
tiores consulendi, nisi jus sit dubium, et obscu-
rum, *Mascard. d. concl.* 610. *num.* 19. *Tusch.
concl.* 320. *num.* 28. *et seq. lit. E*, *Sfort. Oddus*
7 *de Restit. qu.* 8. *art.* 8. *num.* 44. Et si legis sen-
tentia sit obscura, vel quando ab aequitate im-
pugnatur, ejus explicatio a Principe petenda,
8 secus est, si agitur de jure ad similia producen-
do, *l.* 32. *pr. ff. ad L. Aquil. ut in l. seq.*

L. Cum de novo. 10.

SUMMARIA

Legis novae interpretatio, si ex consuetudine ea non possit sumi, a Principe petenda. num. 1.
Qualis interpretatio hic intelligenda? 2.
Quatenus JCti, et Judices legem interpretari possint? 3.

Legis novae interpretatio, si ex consuetudine 1
ea non possit sumi, juxta *l.* 37. *ff. h. t.* a Prin-
cipe petenda est, quod de authentica interpre-
tatione intelligendum; et de ea, quae legis la- 2
tae mentem egrediatur, *Christin. dec.* 62. *num.* 15.
vol. 2. Alias etiam JCti, ac Judices de vero le- 3
gis obscurae sensu disputant, et probabiliter, et
salva potestate Principis etiam interpretantur.
Vid. *Valasc. t.* 1. *consult.* 42. *num. fin.*

L. Si Imperialis. 11.

SUMMARIA

Sententia Imp. definitiva facit jus in similibus. num. 1.
Idem de sententiis Senatus ejus, qui loco Principis summi judicat. 2.
Mutatis personis Consiliariorum, et temporibus mutari solet Stylus Curiae. 3.
Interpretatio Constitutionis dubiae, et obscurae soli Principi competit. 4.
Cujus leges est condere, cjus etiam est interpretari. 5.
Quatenus hoc procedat? 6.

Princ. Dicitur Sententiam Imperatoris defini- 1
tivam facere jus in similibus, quia haec, praece-
dente causae cognitione plenaria, facta praesumi-
tur, et ideo receptum, Sententiam Principis, seu
legis jus facere, *Afflict. decis.* 96. *in fin.* Idem 2
de sententiis Senatus ejus, qui loco Principis
summi judicat, *Afflict. dec.* 169. *in fin. et decis.*
190. *in fin. Vinc. de Franc. dec.* 81. *n.* 2. *et de-
cis.* 190. *n.* 5. *Camill. Borell. t.* 2. *decis. tit.* 130.
n. 363. *et seqq.* Sed id simpliciter asserere peri- 3
culosum, quia mutatis personis Consiliariorum,
et temporibus, mutari solet et stylus Curiae, vid.
notata ad *l.* 3.

§. 1. Interpretationem Constitutionis dubiae, 4
et obscurae soli Principi competere. Ratio in
versic. *Si enim in praesenti, etc.* Cujus scilicet 5
est leges condere, ejus etiam est interpretari,
scilicet ita, ut mutetur jus per interpretationem,
et quasi novum jus condatur, *Donell. lib.* 1. *c.* 13.
vel solus Princeps habet potestatem interpretandi
leges authentice, scilicet ut ea interpretatio o-
mnes obliget, ut supra innui. Ejus enim est in- 6
terpretari, cujus est condere, *Menoch. cons.* 3.
num. 22. *et consil.* 160. *et seqq. Jo. Aloys. Ric-
cius vol. dec.* 2718. *Acac. Enenkel. Baro tr. de
privil. l.* 2. *c.* 3. *num. fin. etc.*

TITULUS XV.

De Mandatis Principum.

L. Si quis. 1.

SUMMARIA

Qui allegat Rescriptum, vel Mandatum Principis, ei credi non debet, nisi mandatum in originali producat. num. 1.
Idem asserendum de judicibus delegatis. 2.
Ordinaria Jurisdictio quasi naturalis est. 3.
Favorabilis creditur, et facile praesumitur. 4.
Delegata est odiosa, nec praesumitur, sed ab allegante probanda. 5.
Limitatur. 6.
Non sufficiunt hic testes. 7.
Non creditur referenti, nisi constet de relato. 8.
Cessat regula legis hujus in Cardinali, vel Episcopo asserente sibi commissionem datam esse vivae vocis oraculo a Pontifice. 9.

Qui allegat Rescriptum, vel Mandatum Princi- 1
pis, ei credi non debet, nisi mandatum in originali producat, *Mascard. concl.* 816. *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 48. *num.* 5. Quod etiam de Delega- 2
tis judicibus asserendum: nam cum Ordinaria 3
Jurisdictio sit quasi naturalis, etiam favorabilis 4
creditur, ut adeo facile praesumatur, sed Juris- 5
dictio delegata est odiosa, et ideo non praesumitur, sed ab allegante est probanda, *Menoch. l.* 2. *praesumpt.* 5. *Mascard. de probat. concl.* 492. *num.* 5. nisi adsint praesumptiones, de quibus 6
Mascard. concl. 393. Neque testes sufficere pu- 7
tant, qui subornari possent, *Tulden. h. t. num.* 2. *Christin. dec.* 64. *num.* 1. *vol.* 2. In summa: 8
non creditur referenti, nisi constet de relato, *Klock. cons.* 50. *num.* 208. *vol.* 1. Sed regulam 9
hujus legis cessare volunt in Cardinali, vel Episcopo asserente, sibi commissionem datam esse vivae vocis oraculo a Pontifice; post *Salycet. hic, aliosque Riminald. vol.* 3. *cons.* 298. *num.* 24.

TITULUS XVI.

De Senatus-consultis.

L. Quamvis. un.

SUMMARIA

Poena impetrantis Rescriptum contra SCta, vel leges per obreptionem. num. 1.
Hodie non observatur. 2.
Voluerunt Impp. Romani speciem libertatis, atque auctoritatis Senatui conservare. 3.
Ea quae a Consilio Status, Principem repraesentante, statuta, pro lege sunt observanda. 4.

Statuitur, ut qui Rescriptum contra Senatus 1
consulta, vel Leges impetravit per obreptionem, puniatur confiscatione partis tertiae bonorum, et infamia, quae sua luce patent: quae tamen 2
hodie non observatur, cum, si observaretur, plurimorum bona jam diu fiscus occupasset. Nam 3
voluerunt Impp. Romani, licet omni potestate ad se translata, speciem tamen libertatis, atque auctoritatis Senatui conservare. De sub-et obreptitiis precibus infra plura. Interim notetur hac *lege un.* ea quae a Consilio Status, Principem 4
repraesentante, statuta, pro lege esse observanda. Conf. *Christin. vol.* 2. *dec.* 65.

TITULUS XVII.

De veteri Jure enucleando, et de Auctoritate Jurisprudentium, qui in Digestis referuntur.

L. Deo Auctore. 1.

SUMMARIA

Lex haec Rhetorico stylo est publicata. num. 1.
Commendatio Exordii. 2.
Non armis, nec robore humano, nec astu, sed precibus Imperium conservatur. 3.
Scopus Imperatoris hic. 4.
Res desperatae a DEO donantur, et consummari possunt, et solent. 5.
Tribonianus Digestorum architectus. 6.
Summa mandati Triboniani. 7.

50. Libri Digestorum. 8.
Quid respicere debuerint Compilatores. 9.
Unius auctoritas saepe multorum JCtorum opinionibus, ob meliores rationes, quibus nititur, debet praevalere. 10.
Minimi votum saepe praestantioribus praevaluit. 11.
Bonus JCtus opinionem communem libenter sequitur, nisi legibus, et aequitati sit contraria. 12.
Omnia ea, quae in Digesta referuntur, sua fecit Imp. 13.
Actus non tribuendus est exequenti, sed praecipienti, et ordinanti. 14.
Is, qui auctoritatem rei accommodat, ipsam rem fecisse videtur. 15.
Prohibitae antinomiae. 4. *et* 16.
In Codice decisum in Digestis non repetendum. 17.
Quae leges in Pandectas referendae? 18.
Leges abolitae pro legibus habendae non sunt. 19.
An leges contraria consuetudine, vel desuetudine aboleri possint, remissive. 20.
Totum jus in Pandectis, et Codice continetur. 21.
Prohibiti Commentarii in leges. 22.
Permissa paratitla. 23.
Forma scribendi Codicis. 24.

1 Lex haec prolixa est, et Rhetorico stylo pu-
2 blicata: *Princ.* Pium exordium est, quod Imperator omnes victorias, et res bene gestas ad DEUM referat, et omnem spem in posterum ad solam referat Summae Trinitatis providentiam.
3 Collige: Non armis, nec robore humano, adde nec astu, sed precibus Imperium conservari, quod multi Politici non credunt, aut certe factis non testantur.
4 §. 1. Cum leges Romanae essent admodum confusae, et fere infinitae, ideo Imperator Constitutiones Principum in ordinem redigere constituit, et praecavere voluit, ne eadem res saepius repetatur, vel Antinomia facile occurrat.
5 §. 2. Reliquum etiam Jus Romanum confusum, ope Divina, et Jurisperitorum ministerio adjutum, se in compendium retulisse narrat Imperator, et notandum est: Quod Imperator dicat, res desperatas a Deo donari, et consummari posse, et solere, id quod saepius omnes experti sumus.
6 §. 3. Dicit, se hoc commisisse Triboniano, ut ille assumptis aliis Jurisperitis Jus Civile in volumen unum redigeret.
7 §. 4. Habetur summa mandati Triboniano, et Collegis dati, ut Jus Romanum in unum volumen redigerent, nulla legum similitudine, vel discordia, quantum possibile est, relicta.
8 §. 5. Omne jus antiquum in 50. libros fuisse digestum scribit.
9 §. 6. Compilatores Juris non debent respicere auctoritatem JCtorum, sed potius veritatem di-
10 ctorum: Et notetur ex hoc §. quod unius auctoritas saepe multorum JCtorum opinionibus, ob meliores rationes quibus nititur, debeat praevalere, *Prukman. vol. 1. cons. 50. num. 3. et seqq.*
11 et minimi votum saepe praestantioribus praevaluit, *Tiraq. in l. 11. connubialium gl. 1. part. 11. num. 4.* Conjunge tamen *Nevizanicam Sylvam*
12 *nuptialem lib. 5. num. 1. et seq.* Bonus JCtus opinionem communem libenter sequitur, nisi legibus, et aequitati sit contraria: Et notabile est, quod hoc loco dicit Imperator, quod omnia ea, quae in Digesta referuntur, sua fecerit.

§. 7. Imperator tribuit compilatoribus pote- 13
statem corrigendi jura antiqua, adeo ut nemo ex comparatione litterarum antiquarum scripturam vitiosam arguere possit, cum Imperator omnia sua faciat, et habeat potestatem vetera jura abrogandi. Id Juris novatoribus opponendum. Ex quo obiter colligunt: Actum non tri- 14
buendum esse exequenti, sed praecipienti, et ordinanti, *Tiraq. de LL. connub. gl. 8. num. 184. Surd. de alim. tit. 8. privil. 56. num. 88.* Et cum, 15
qui auctoritatem rei accomodat, ipsam rem fecisse videri, *Klock. cons. 4. num. 78. vol. 1.*

§. 8. Prohibet, ne aliqua Antinomia relinqua- 16
tur in legibus Digestorum. Utinam hoc non factum!

§. 9. Prohibet, ne id, quod in Codice decisum 17
habetur, in Digestis repetatur, cum auctoritas Imperatoriae Constitutionis sufficiat.

§. 10. Eae leges referendae sunt in Pandectas, 18
quae non sunt desuetudine abolitae: nam leges 19
abolitae pro legibus habendae non sunt: An au- 20
tem leges contraria consuetudine, vel desuetudine aboleri possint, de eo agitur infra *in l. 2. C. quae sit longa consuet.*

§. 11. Dicit totum jus in Pandectis, et Codi- 21
ce contineri, quamvis ad rudiora ingenia informanda elementa, seu institutiones Juris adhuc promittat.

§. 12. Prohibet, ne JCti Commentaria in le- 22
ges scribere praesumant, sed Paratitla tantum conficiant; Sed ea prohibitio jamdiu in desue- 23
tudinem abiit, quamvis prolixiores Commentarii potius jus conturbaverint, quam explicaverint.

§. 13. Prohibet, ne Codex per signa, vel nu- 24
meros scribatur, vel litteras initiales, quod Veteres facere solebant, sed integris omnia scribant litteris, ne in lectione error oriri possit.

§. *ult.* Conclusio, et admonitio continetur ad edendos, et promulgandos libros Pandectarum.

L. Tanta. 2.

SUMMARIA

Lex haec confirmationem Digestorum continet, et lectionis tantum est. num. 1.
Digestorum in septem partes divisio. 2.
Imp. veterum libris, et Codici Theodosiano omnem auctoritatem abrogat. 3.
Digestorum divisio in Vetus, Infortiatum, et Novum. 4.

Lex 2. continet confirmationem Digestorum, 1
et lectionis tantum est: Notandum autem ex ea, 2
Digesta artificiali divisione in VII. partes dividi. I. Pars continet τὰ πρῶτα, in *libris* primis *quatuor:* II. Pars Judicia realia, in *libris* 7. III. De Rebus creditis, contractibus, et judiciis personalibus agit, *a lib.* 12. *ad* 20. exclusive: IV. De Hypothecis constitutis vel per contractum, vel ipso jure, per nuptias, sive tutelas; *lib.* 20. *usque ad* 28. exclusive: V. De Testamentis, et legatis, *a lib.* 28. *usque ad* 37. VI. De bonorum possessionibus, atque aliis judiciis praetoriis, *a lib.* 37. *ad lib.* 45. exclusive, et pars VII. de Verborum obligat. delictis, et judiciis extraordinariis, *a lib.* 45. *usque ad finem.* In reliquis §§. commendat hoc suum opus Justinianus, quamvis multa in ipso opere passim desiderentur, et ipse Impe-

rator in §. 14. imbecillitati humanae aliquid adscribendum esse concedat. Et ex §. 19. Notan-
3 dum: Quod Veterum libris atque adeo etiam Codici Theodosiano omnem auctoritatem abroget. Haec omnia prolixius Justinianus prosequitur, quae ulterius prosequi e re non est. Et Interpretes hunc titulum historicum potius, quam juridicum, sicco pede praeterire solent. Est et 4
alia divisio Digest. in *Vetus*, *Infortiatum*, et *Novum*, *Zas. in Comm. Digest. Prooem. num.* 7.

TITULUS XVIII.

De Juris, et Facti ignorantia.

L. Quamvis. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Jus omnes scire oportet. 3.
Quae exceptiones post sententiam opponi possint? 4.
Exceptio, quae ex R. I. de anno 1654. *debitoribus datur, sententiam non impugnat, sed moderamen executionis intendit.* 5.
Exceptiones, quae contra primam actionem opponuntur, regulariter post sententiam non opponuntur. 6.
Ratio decidendi. 7.
Militi non obest ignorantia juris. 8
Casus ejusmodi, remissive. 9.
Praesumitur in milite ignorantia juris. 10.
Miles omissam ante sententiam exceptionem, post sententiam ipso jure opponere potest. 11.
Limitatur legis decisio. 12.
Privilegium hoc etiam nostri temporis militibus competit. 13.
Non rusticis peritiores consulendi copiam habentibus. 14.
Nec militibus togatis. 15.
Nec militibus juris non ignaris. 16.
Nec post executionem. 17.

1 Conventus est miles, et ex ignorantia juris non opposuit exceptionem, postquam vero conveniretur actione judicati, opponit eam exceptio-
2 nem; videtur quod male, cum ante sententiam opponere debuisset, quod jus omnes scire opor-
3 tet, ob *l.* 9. *C. de LL.* Quamvis enim quaedam
4 exceptiones post sententiam opponi possint, scilicet quae contra ipsam sententiam, quod nulliter lata, vel contra ipsam executionem opponuntur; qualis est illa, quae ex *Recessu Impe-*
5 *rii de anno* 1654. debitoribus datur, quae sententiam non impugnat, sed moderamen executionis intendit, et ita post sententiam in executione admittitur, *Dn. Mev. l.* 6. *decis.* 133. *num.*
6 3. eae tamen exceptiones, quae contra primam actionem opponuntur, regulariter post Sententiam non opponuntur, nisi originem habeant post sententiam, de quo alibi fusius: Hic tamen dicitur, quod haec ignorantia juris militi non
7 obsit, quia milites non oportet scire leges, sed
8 armis exercitari: Nota: quod militi non obsit
9 ignorantia juris. Casus illos congessit *Sfort. Oddus de Restit. in integr. quaest.* 10. *num.* 44. *et seqq. Tusch. concl.* 13. *num.* 23. *et seq. lit. I.* 10
praesertim ubi de damno agitur. Et ideo praesumitur in eo ignorantia juris, *Mascard. concl.* 640. *num.* 15. *Farinac. p.* 2. *fragment. lit. I. num.* 277. Et nota: quod miles omissam ante 11
Sententiam exceptionem post Sententiam opponere queat, sine ope restitutionis, ipso jure, ut hunc textum intelligunt *Odd. d. l. num.* 46. *Hill. in Donnell. l.* 22. *cap.* 8. *lit. L.* Sed limita- 12
tur decisio hujus legis, si miles alienam causam defendit, vel per Procuratorem litigasset, vel ex certa scientia juris, et facti neglexisset exceptionem, de quibus limitationibus *Trentac. lib.* 2. *tit. de Except. resol.* 1. *num.* 41. *et seq.* et competit privilegium hoc etiam nostri temporis 13
militibus, *Trentac. d. l. num.* 46. non vero rusti- 14
cis, qui copiam habent peritiores consulendi, *Trentac. q. l. num.* 46. *et Hill. d. l.* Nec militibus 15
togatae militiae, *Trentac. et Hill. DD. ll.* nec mi- 16
litibus juris non ignaris, nec post executionem 17
sententiae, *Cothmann. ad h. t. n.* 47. *et seqq.*

L. Cum ignorantia. 2.

SUMMARIA

Majorenni maternae haereditati errore juris renuncianti non subvenitur. num. 1.
Aliud in haereditate paterna. 2.
In paterna haereditate filius est haeres suus, in materna extraneus. 3.
Objicitur l. 6. §. 1. ff. ad SCt. Tertull. 4.
Solvitur objectio. 5.

Qui majorennis maternae haereditati renun- 1
ciat errore juris, illi non subvenitur, aliud in haereditate paterna per *L. fin. C. de repud. hae-* 2
red. Differentiae ratio: quia in paterna haeredi- 3
tate Filius est haeres suus, in materna tantum est extraneus, et ita conciliant hos textus *Caldas ad l. si curatorem verbo, laesis, num.* 4. *C. de restit. minor. et Valasc. in tr. de partitionibus cap.* 15. *num.* 58. Sed fortius obstat *l.* 6. §. 1. *ff.* 4
ad SC. Tertull. quam nonnulli non de vera repudiatione, aut certe de repudiatione extrajudiciali intelligunt; alii vero de successione ab 5
intestato, ubi extensio temporis; hanc vero de successione ex testamento intelligunt. Sane hic duplex ratio decidendi, 1. Error juris, 2. lucrum, quae ambo *in d. l.* 6. §. 1. non concurrunt, vid. *hic Padillam et* confer. *Christin vol.* 2. *dec.* 67. *num.* 4.

L. Si emancipata. 3.

SUMMARIA

Ratio dubitandi. num. 1.
In legitima filius quasi Creditor parentum. 2.
Ratio decidendi. 3.
Bonorum possessio pro lucro habetur. 4.
Error juris in lucro, vel quasi lucro non prodest. 5.
Solvitur objectio ex l. fin. C. de repud. haered. 6.
Id, quod quasi debitum, pro lucro reputatur, secus in vero debito. 7.
Legitima, et dos quasi debita sunt. 8.

1 Casus planus est. Ratio dubitandi in hac lege est; quia filia videtur certare de damno, et de re sua amittenda per *l.* 15. *ff. de posth. haered.*
2 *instit.* et in legitima Filius quasi creditor parentum. Ergo per *l.* 7. *ff. h. t.* juvabitur. Sed ratio
3 decidendi *in l.* 10. *ff. de bon. poss.* quia bono-
4 rum possessio pro lucro habetur, error autem
5 juris in lucro, vel quasi lucro non prodest, *l.* 1. *et* 4. *ff. h. t. Costa in tr. de juris scientia et ignor. inspect.* 96. *num.* 3. *Wesenb. in π. ff. h.*
6 *t. num.* 4. Intelligenda autem haec Lex de filio emancipato, nec obstet *l. fin. C. de repud. haered.* et loquitur de eo casu, ubi quis peritiores consulere potuit, propter *l.* 10. *ff. de bon. poss.*
7 Colligitur autem ex textu juncta Glossa: Quod id, quod quasi debitum, pro lucro reputetur,
8 secus in vero debito; Legitima vero, ut et dos quasi debita sunt, *Tiraq. l. si unquam, verbo, susceperit, num.* 113.

L. Si post divisionem. 4.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Ex imperfecto testamento oritur obligatio naturalis. 3.
Ex qua si quid solvitur per errorem juris, non repetitur. 4.
Ratio decidendi. 5.
Non obstat l. 36. ff. fam. hercisc. 6.
Error consensum excludit. 7.
Obligatio naturalis constat inter haeredem, et legatarios, non vero inter cohaeredes. 8.
Cohaeredum quisque a se capit haereditatem. 9.
Divisio errore facta, errore detecto, potest retractari. 10.
Testamentum in dubio praesumitur perfectum et solemne, et contrarium alliganti incumbit probatio. 11.

1 Parens meus moritur, post mortem testamentum exhibetur, in quo alius scriptus cohaeres; dividimus inter nos haereditatem, sed postea apparet testamentum esse vitiosum; Quaeritur: an dimidiam haereditatem ut indebitam repete-
2 re possim? Videtur quod non, ob *l.* 36. *ff. fam. hercisc. l. Non dubium* 16. §. 1. *C. de testam.* et
3 quia ex imperfecto etiam testamento oritur obli-
4 gatio naturalis, ex qua si aliquid solvitur per errorem juris, id non repetitur per *l.* 7. *C. de*
5 *condict. indeb.* Sed respondetur hic affirmative, quia sine judice facta divisio, et ideo non obstat 6
l. cum putarem 36. *ff. Fam. hercisc.* et approbatum hic testamentum ab errante: Error au- 7
tem consensum excludit, et obligatio naturalis constat inter haeredem, et delegatarios, non ve- 8
ro inter cohaeredes, quorum quisque a se capit haereditatem, et quorum alter alteri nil debet, 9
et ideo divisio ex errore facta, errore detecto 10
potest retractari, *Surd. dec.* 130. *num.* 1. *Menoch. cons.* 320. *num.* 11. nec vero haeredi haec divisio cum putativo haerede facta praejudicat. *Guttierez de juram. confirm. p.* 3. *c.* 7. *num.* 1. Ubi in seqq. limitat *Gail. l.* 2. *obs.* 139. *num.* 4. *Jo. Bapt. Plotus de jurejur. in litem* §. 19. *num.* 6. *Cavalcan. dec.* 17. *num.* 14. *p.* 1. *Merkelbach. inter Cons. Klock. vol.* 2. *cons.* 67. *num.* 1. Col- 11
ligit ex hac lege *Accursius*, quem *DD.* sequuntur, Testamentum in dubio praesumi perfectum, et solemne, ac contrarium alleganti hoc esse probandum, *Mantic. de. conject. ult. vol. l.* 2. *tit.* 9. *Dn. Mev. p.* 4. *decis.* 12.

L. Cum falsa. 5.

SUMMARIA

Falsa confessio circa proprietatem rei mihi non praejudicat. num. 1.
Species facti. 2.
Matri a patre facta donatio invalida in jure. 3.
Ratio dubitandi. 4.
Ratio decidendi. 5.
In quibus quis confitendo sibi praejudicare non possit? 6.
Per meum affirmare, vel negare non potest immutari rerum veritas. 7.
Quatenus confessio praejudicet ingenuitati? 8.
Qui fatetur alium esse dominum, non praejudicat sibi in re ipsa. 9.
Tenetur tamen probare contrarium. 10.
Recognoscens in Emphyteusim rem suam non transfert dominium directum. 11.
Confessio in liberando praejudicat. 12.
Per confessionem solam non fit alienatio. 13.
Ignorantia facti non nocet. 14.

Summa est: Falsa confessio circa proprietatem 1
rei, mihi non praejudicat, species facti est: Convenisti me ob debitum maternum, et insti- 2
tuis Hypothecariam actionem in fundum paternum, quem ego extra judicium sive errore facti, sive errore juris (quia forte a patre matri dona- 3
tus, quae donatio invalida in jure) maternum esse confessus sum: Quaeritur, an mihi praejudicaverim? Videtur quod sic, ob *l.* 2. *ff. de Con-* 4
fess. Sed negatur propter rationem hic positam, 5
et quia extra judicium facta est, et quia confitendo praejudicare mihi non possum, scil. in his, 6
quae sola mea voluntate effici nequeunt, ut hic est translatio dominii: nam per meum affirma- 7
re, vel negare non potest immutari rerum veritas, *l.* 6. *ff. ad mun. Menoch. cons.* 107. *num.* 29. *et seq.* nec aliquid per id mutatur in re, *Tiraq. de Constit. posses. p.* 2. *ampl.* 2. *num.* 3. Et 8
ideo confessio non dicitur praejudicare ingenuitati, scilicet ut ob hoc quis servus constituatur, per *l.* 24. *C. de lib. causa*; sed praejudicat tamen ad id, quod ex hac confessione praesumptio resultet per *l. pen. C. de lib. causa*, ut hic

9 conciliat *Padill. in fin.* Sic qui fatetur alium esse Dominum, sibi non praejudicat in re ipsa, propterea que non mutatur Dominium, ut multis auctoritatibus probat *Menoch. cons.* 91. *num.* 38.
10 praejudicat tamen sibi, dum tenetur probare contrarium, *P. Barbos. in l. si alienam* 12. *num.*
11 73. *ff. sol. matrim.* sic qui recognoscit in emphyteusin rem suam non transfert dominium directum, sed error praesumitur. *Barbos. d. l. num.* 90. Secus autem est in liberatione. Confes-
12 sio in liberando praejudicat, et per confessionem
13 solam non fit alienatio. Colligitur igitur regula:
14 Quod ignorantia facti non noceat; quam regulam cum apparatu tractat *Gabr. l. 6. conclus. comm. tit. de R. J. concl.* 6. *A. Barb. locuplet. l.* 9. *c.* 3. *axiom.* 12. *Auth. ad l. 2. ff. h. t.*

L. Si non transactionis causa 6.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quatenus promissum ob errorem facti condici possit? 2.
Prius condicitur liberatio, quam debitum ipsum solvatur. 3.

1 Debeo ex testamento vinum, sed stipulanti tibi promisi vinum cum oleo omni; possumne condicere oleum tamquam promissum sine causa? Affirmatur per *l. 3. ff. de Condict. sine caus.* modo non transactionis causa promissum sit oleum, tum enim non esset error; hoc ipso enim, quod a lite receditur, videtur ob causam
2 datum, *l. 2. C. de condict. indeb.* Ergo promissum propter errorem facti condicitur, nisi sit promissum ex causa Transactionis; nam ex hac tamquam nova causa, quod antea indebitum
3 erat, jam fit debitum. Et collige ex textu: quod prius condicitur liberatio, quam debitum ipsum solvatur. Nam qui aliquid petit, debet prius a sua parte, quod ipse debet, solvere.

L. Error facti. 7.

SUMMARIA

Error facti non nocet ante sententiam, sed semper revocari potest. num. 1.
Confessio erronea non est confessio. 2.
Sensus verborum, ut nulla sit actoris captio. 3.
Limitatur regula dupliciter. 4.
Error facti post rem judicatam revocari nequit. 5.
Tunc non nocet error, sed sententia. 6.
Quatenus hoc procedat? 7.
Minus nocebit error dolo adversarii admissus. 8.
In criminalibus confessio post sententiam revocari potest. 9.

1 Partes leges duae sunt: I. Error facti, sive in judiciali, sive extrajudiciali confessione, non nocet ante sententiam, sed semper revocari potest, *l. de aetate* 11. *§. fin. ff. de interrog. in jur.*
2 *fac.* quia confessio erronea non est confessio,
3 *Hillig. l. 20. cap. 2. lit. O.* ut tamen nulla sit actoris captio, i. e. ut ratione expensarum indemnis servetur adversarius *d. §. fin.* Exemplis hoc declarat *Jo. Aloys. Riccius decis coll.* 174. Limitatur tamen haec Reg. Si 1. Confessio 4
facta fuerit super tali facto, cujus poena per inficiationem crescit, per *l. 4. ff. de confess.* Nisi 2. contra confitentem militet praesumptio juris et de jure, ut in casu *l. fin. C. arbit. tut.* II. Error facti post rem judicatam revocari 5
nequit, tunc enim non nocet error, sed sen- 6
tentia, si scilicet super ipsa ignorantia facti, an 7
ea erratum sit, nec ne controversia decisa, v. g. in condictione indebiti, an solverit per errorem, nam tunc obstat exceptio rei judicatae, *Donnell. lib. 1. cap.* 20. Sed si error facti non 8
nocet, multo minus nocebit, si error dolo adversarii admissus, *l. fin. C. de reb. cred. l. 1. §. fin. ff. quand. de pecul. act. annal. est.* In Crimi- 9
nalibus etiam confessionem post sententiam revocari posse, tradunt DD. quos allegat *Farin. qu.* 81. *num.* 327. *et Ægid. Bossius in tit. de Confessis.*

L. Cum Testamentum. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ut approbatio actum aliquem confirmet, necesse est, ut approbans plenam habeat actus illius notitiam. 2.
Errantis nullus est consensus. 3.

Fecit Titius testamentum, in quo Eroti reli- 1
cta libertas. Haeres, qui ab intestato alias succedere poterat, putat esse testamentum validum, et profitetur, Erotem esse servum Orcinum ipsius defuncti: quaeritur, an haec confessio haeredis praejudicet haeredi? quod hic nec negatur: 2
nam ut approbatio actum aliquem confirmet, necesse est, ut approbans plenam habeat actus illius notitiam, *Tiraq. ad LL. Connubial. gl. 8. num.* 183. et errantis nullus est consensus, quae reg. 3
ex hac *l. 8. et seqq.* vulgo solet probari, et pluribus allegatis ornatur in axiomatibus *Barbosae locupletati lib. 5. cap. 16. axiom.* 17.

L. Non idcirco. 9.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
Verba enunciativa per errorem emissa non disponunt. 2.
Verba enunciativa nil probant. 3.
Nedum per errorem emissa. 4.

Contraxi cum servo meo, ceu cum homine 1
libero. Quaeritur, an possim non obstante hoc contractu, si per errorem feci, quaestionem status illi movere? quod affirm. ex dicta ratione in *l. praeced.* Exinde colligunt DD. Verba enun- 2
ciativa per errorem emissa non disponere, cum 3
alias verba enunciativa nihil probent, de quo *Dn. Thabor. in d. tr. de axiom. lib. 5. c.* 13. *axiom.* 1. nedum per errorem emissa. Conf. 4
Mantic. de tac. et amb. convent. l. 2. tit. 6.

L. Cum quis. 10.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
Error juris non admittit repetitionem. 2.
Excipiuntur minores, mulieres, milites. 3.

1 Haec Lex loquitur de debito naturali, non civili: v. g. Solvo omnia legata, non detracta Falcidia, quia Falcidiam mihi non competere existimo, vel solvo legata in testamento imperfecto relicta, quia per errorem juris puto testamentum subsistere: in utroque casu erro in ju-
2 re, utroque casu cessat repetitio: Et ideo ex hac lege confirmatur sententia eorum, qui dicunt, errorem juris non admittere repetitionem, quam tuetur, et multis auctoritatibus confirmat *Harp. in* §. 1. *Instit. de Oblig. quae re contrah. num.* 51. *et seqq.* licet dubitet *Carpz.*
3 *p.* 3. *Const.* 15. *def.* 42. Excipiuntur vero minores, *l. Regula* 9. *pr. ff. h. t.* et Mulieres, *l.* 9. *C. ad Vellej.* et milites, *l.* 1. *supra h. t.* de quibus *Harp. d. l. num.* 73. *et alii.* Secus, si in facto errassem, v. g. si ampliorem haereditatem credidissem, si ignorassem unum testem esse inhabilem, etc.

L. Quamvis in lucro. 11.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
In lucro captando nec mulieribus succurritur. 2.
Minor ob lucrum amissum potest restitui. 3. 7.
Haec lex foeminae non succurrit ut foeminae, sed ut minorenni. 4.
Major favor aetatis. 5.
Foemina ad lucrum amissum non restituitur ut talis. 6.

1 Foemina aetate minor errans in jure, quia forte quinquennium sibi datum esse existimat, voluit possessionem bonorum petere post annum: Respondetur, non posse ob *l.* 10. *ff. de bonor.*
2 *posses. et l.* 31. *ff. de Usucap.* quia in lucro ca-
3 ptando nec mulieribus quidem succurritur: Sed restitui posse, ut minorem, qui etiam ob lucrum amissum potest restitui, *l.* 11. *ff. de minorib.*
4 *l.* 2. *C. de restit. minor.* Nota: quod haec lex foeminae non succurrat ut foeminae, sed ut
5 minorenni. Ergo major favor aetatis, quia foe-
6 mina ad lucrum amissum non restituitur, ut talis, *Oddus de restit. p.* 1. *q.* 8. *num.* 76. *et seqq.* Minor vero potest, *Covarr. l.* 1. *resol. c.* 5. *num.* 2. *Tiraq. de retr. consang.* §. 35. *gl.* 2. *num.* 7. *et* 9. *et gl.* 1. *num.* 48. scil. quando res est integra, *l.* 24. §. 2. *ff. de Minor. Covarr. d. l.*

L. Constitutiones Principum. 12.

SUMMARIA

Ignorantia juris, et constitutionum Principis est inexcusabilis. num. 1.
Limitatur. 2.
Scentia juris non ab omnibus requiritur, sed ut tamen peritiores consulant. 3.

Ignorantia juris, et constitutionum Principis est 1
inexcusabilis, quia aut intelligere debuit, aut peritiores consulere, quod intellige de regula:
nam dantur casus, in quibus ignorantia juris 2
non obest, de quibus supra, et prolixe de iis agit *Tusch. concl.* 11. *lit. J. Mascard. de probat. concl.* 940. *et seq.* Nam scientia quidem non re- 3
quiritur ab omnibus, sed ut tamen peritiores consulant, *l.* 9. §. 2. *ff. h. t.* de quo *Padilla in l.* 6. *h. t. num.* 18. Quid si peritiorum copia haberi non possit? vid. *Auct. ad l.* 9. *ff. h. t. num.* 4.

L. Ne passim. ult.

SUMMARIA

Foeminis in jure errantibus non succurritur, nisi in certis casibus a legibus expressis. num. 1.
Casus tales remissive. 2.
Talis casus quando de damno vitando agitur, et de re amissa. 3.
Multo magis, quando de re amittenda. 4.
Limitantur casus hi. 5.
Quod in actis scriptum non reperitur, nec actum praesumitur. 6.

Foeminis in jure errantibus non succurritur, 1
nisi in certis casibus a legibus expressis, *Petr. Peck. de testam. conjug. l.* 1. *c.* 34. *num.* 1. *Christin. dec.* 67. *num.* 9. *vol.* 2. quos casus conges- 2
sit *Sfort. Oddus de restit. q.* 10. *art.* 2. Talis autem expressus videtur casus, quando de damno 3
vitando agitur, et de re amissa; multo magis, 4
quando de re amittenda agitur, ut hic non opus sit causam specialem requirere, *Tiraq. ad l. si unquam C. de revoc. donat. in praefat. num.* 100. *Aug. Berous cons. q.* 3. *num.* 76. *vol.* 2. *et Christin. dec.* 67. *num.* 6. Sed casus hos limitat 5
Mascard. de probat. concl. 1081. *num* 5. si scil. non potuerunt reperire peritiores, quod eo casu admittimus, quando aliquid ad formam actus requiritur: nam alias nimis generale hoc esset.
Colligunt etiam ex hac lege: Quod in Actis 6
scriptum non reperitur, nec actum praesumi, *Fr. Hercul. de probat. negat. num.* 776. *Thom. Merchelbach. inter cons. Klockii cons.* 68. *num.* 5.

TITULUS XIX.

De Precibus Imperatori offerendis, et de quibus rebus supplicare liceat, vel non.

L. Licet. 1.

SUMMARIA

Regulariter preces servorum non recipiuntur. n. 1.
Servi Jure Civili pro nullis habentur. 2.
Necem domini vindicaturi audiendi. 3.
Idem est in accusatione servorum. 4.
An et quatenus liceat judici ex causa transgredi legem? 5.
Etiam lex dura servanda. 6.

1 Regulariter non recipiuntur preces servorum,
2 Ratio videtur esse, quia servi de Jure civili
3 habentur pro nullis; sed quando necem Dominorum vindicare volunt, eo casu omnino audiendi sunt, et eorum fides laude digna: Et
4 ideo partim atrocitas delicti, partim exemplum fidei rationem dedit legi huic, et idem in accusatione, ob rationis identitatem, esse vult *Decian. tract. crim. l.* 3. *c.* 8. *num.* 11. Quamvis vero *Jason hic*, et ex eo *Menoch. cons.* 228. *num.*
5 11. ex hac lege inferant, licere judici ex causa transgredi legem; id ita generaliter vix applausum mereiur, nisi causa ipsa sit in lege,
6 vel alibi expressa, nam alias etiam lex dura servanda est, per *l. Prospexit.* 12. §. 1. *ff. qui, et a quib. manum. lib. non fiunt.*

L. Quoties. 2.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Exceptio peremptoria in gratiam actoris tolli non potest. 3.
Quaenam usurae tempore moratorii currant? 4.
An exceptio moratorii rescripti etiam ad fidejussores accommodari possit? 5.
Salgado *notatur.* 6.
Quibus debitis non possit opponi hoc beneficium? 7.
Declaratio summi Principis non trahitur in praeteritum ad praejudicium ejus, cui antea jus erat quaesitum. 8.

1 Obtulit quis supplicem libellum Principi et in eo petiit, ut propter bellicas clades sibi daretur Rescriptum, ne quidquam solveret, vel ut creditores parte debiti contenti esse cogerentur, aut saltem intra tempus, non molestaretur. Respondetur, in ultimo ipsi Principem
2 gratificaturum, in prioribus non: Ratio in *l.* 4. *C. de emancip.* Exinde infert Imperator, nec
3 exceptionem peremptoriam in gratiam actoris
4 tolli posse. Unde non potest negari tempore moratorii currere adhuc usuras, quae antea currere incoeperunt, quia mera hic dilatio, non ullius sive sortis, sive accessionis ablatio, *Salyc. in hac l. num.* 3. *M. Ant. Cuchus in tr. de morator. praescript. num.* 148. *A. Fab. l.* 4. *Cod. tit.* 9. *def.* 8. *et Trentac. l.* 3. *tit. de solution. res.* 1. *num.* 2. *et Hillig. in Donell. lib.* 22. *cap.* 9. *lit. H.* licet dissentiat *Carpzov. in asyl. debit. c.* 4. *num.* 39. *et Manz. decad.* 4. *qu.* 9. *num.* 110. Sunt non- 5
nulli, qui hanc exceptionem moratorii Rescripti etiam ad fidejussores accommodant, *ut Matth. Steph. l.* 2. *de Jurisd. p.* 1. *c.* 7. *num.* 394. *et Carpz. in Asyl. debit. d. c.* 4. *num.* 43. ne debitor principalis per indirectum hoc beneficio fraudetur. Sententia tamen haec merito negatur per §. *ult. Instit. de Replic. L.* 1. §. 8. *ff. de obl. et act. L.* 12. *ff. judic. solvi, Bald. et Salyc. hic, Cuch. d. tr. num.* 122. *et seq. Trentac. d. l. num.* 25. *Manz. d. l. num.* 113. *Hering. de fidejuss. c.* 27. *p.* 5. *num.* 77. *Donnell. et ibi Hill. lib.* 22. *c.* 9. *lit. Bb. Salgad. in Labyr. cred. p.* 2. *c.* 30. *num.* 34. *et seq.* ubi tamen *num.* 43. *et seqq.* limitat, nisi si fidejussor cum effectu conveniretur, hoc noceret debitori, qui moratorium indultum accepit: pone, debitorem in assicuratione fidejussori data renunciasse beneficio huic, *Gratian. discept.* 12. *num.* 4. *et seqq.* Quando vero *num.* 44. *Salgado* 6
idem esse dicit, si fidejussor beneficio cedendarum non renunciavit, id non capio, nec meum facio. Nonnullis autem debitis non posse oppo- 7
ni hoc beneficium volunt, ut debitis juratis, alimentorum, pupillorum, Ecclesiae, et simil. de quibus *Cuch. d. tr. passim. Carpzov. dict. loc. Hill. et Aug. Barbos. in hac l. num.* 7. *et seqq.* Colligitur insuper ex hac *l.* 2. declarationem etiam 8
summi Principis non trahi in praeteritum ad praejudicium ejus, cui antea jus erat quaesitum, per allegata *Klok. vol.* 1. *cons.* 51. *num.* 301.

L. Nec damnosa. 3.

SUMMARIA

Quae a Principe petuntur, non debent damnum inferre fisco. num. 1.
Non petenda juri contraria. 2.
Non valet rescriptum juri communi contrarium. 3.
Limitatur. 4.

Quae a Principe petuntur, non debent damnum 1
inferre Fisco: nam si hoc etiam impetraretur, Rescriptum tamen sub- et obreptionis vitio laboraret, et esset nullum; cujus rei exemplum in *l. in fraudem* 7. *C. de Annon.* et alibi. Deinde 2
ea non petenda, quae sunt juri contraria, per *tot. C. Si contra Jus* etc. Et non valebit rescri- 3
ptum juri communi contrarium, nisi expresse 4
juris dispositioni derogatum fuerit, *Christin. vol.* 2. *dec.* 70. *num.* 4.

L. Universa Rescripta. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Gravatus in uno creditor, in alio debet relevari. 2.
Ratio decidendi. 3.
Debitor, qui moratorium rescriptum impetravit, ad instantiam Creditorum, satisdationem praestare debet de debito post tempus moratoriae dilationis elapsum solvendo. 4.
Limitatur. 5.
An et quando hoc casu sufficiat juratoria cautio? 6.
Notatur Carpzovius. 7.
Moratorium rescriptum etiam ob incommoditatem dari potest. 8.
Tale privilegium interdum datur universis hominibus territorii alicujus per bellorum cladem oppressis. 9.
Debitor hoc beneficium petens omnia ea narrare debet, quae retrahere possent Principem a concessione gratiae. 10.

1 Impetravit quidam Debitor moratorium Rescriptum, creditores autem petunt, ut satisdationem praestet de debito solvendo, post tempus moratoriae dilationis elapsum. Et resp. quod
2 recte petant, quia gravatus in uno creditor,
3 in alio debet relevari. Ratio in *l.* 12. *ff. de Judic.* Vid. *Gail. lib.* 2. *obs.* 46. *num.* 14. *Anton.*
4 *Faber. in Cod. lib.* 1. *tit.* 9. *def.* 6. Et hanc cautionem, seu satisdationem debet praestare debitor, licet Princeps eam remiserit, nisi appa-
5 reat enixa voluntas Principis, quod voluerit derogare juri communi, ex clausula *non obstante*; per ea, quae tradit *Salgado in Labyr. p.* 2. *c.* 30. *num.* 6. *et* 7. Sed necesse est, ut a cre-
6 ditoribus petatur, *Salgad. d. l. num.* 9. Sufficere tamen volunt juratoriam cautionem in subsidium, si fidejussoria praestari nequeat ob paupertatem, *Benincas. de privil. pauper.* 8. *num.* 34. *et Hill. d. c.* 9. *lit. N. Barbos. hic num.* 10. *Christin. vol.* 1. *decis.* 70. *num.* 6. quod probare etiam videtur *Trentac. d. res.* 1. *num.* 9. imo fidejussores hodie non requiri post *Ordin. Polit. Ann.* 1548. *tit. von verdorbenen Kauffleuten*, putat *Zang. de Except. p.* 2. *c.* 12. *num.* 1. licet *Carpz.*
7 *in d. c.* 1. *num.* 32. circa cautionem juratoriam dubitet, eo, quod omnes tales dilationes ob paupertatem dentur; sed praesuppositum hoc
8 negandum, cum moratorium Rescriptum etiam ob incommoditatem dari possit, ut post *Benincasium* ex communi distinctione tradit *Hill. d. l.* et pauper interdum fidejussores reperit; sed nos de casu loquimur, ubi fidejussores reperire
9 nequit. Et tale privilegium interdum datur universis hominibus territorii alicujus per bellorum cladem oppressis, *Afflict. dec.* 377. *Christin. d. num.* 8. Quod etiam Sereniss. Elector Brandenb. non semel Statibus suarum provinciarum cle-
10 mentissime concessit. Debet autem debitor petens hoc beneficium omnia ea narrare, quae retrahere possent Principem a concessione gratiae; alias Rescriptum esset subreptitium, quod in specie persequitur *Salgad. d. c.* 30. *num.* 13. *et seqq.*

L. Si quis. 5. et Auth. seq.

SUMMARIA

Summa legis, et Auth. seq. num. 1.
A sententia Praefecti Praetorio appellari nequit. 2.
Per supplicationis viam potest ejus sententia retractari. 4.
Eo tantum casu datur supplicatio, quando appellatio est prohibita ob excellentiam judicis. 4.
Idem obtinet in sententia Principis. 5.
Non habet locum supplicatio, quando appellatio est prohibita ex natura causae. 6.
Non datur supplicatio, nisi semel. 7.
Per supplicationem sententia non suspenditur. 8.
Quatenus sententia hoc casu executioni mandari possit? 9.
An satisdatio juratoria hic sufficiat? 10.
Aliud loco satisdationis suggeritur remedium. 11.
Depositio aequipollet satisdationi. 12.
Post decendium intra biennium potest Imp. supplicari. 13.
Ibi victor satisdatione non oneratur. 14.
Appellatio suspendit executionem, secus atque supplicatio. 15.
Limitatur. 16.

Agunt de beneficio supplicationis: nam a sen- 1
tentia Praefecti Praetorio appellari nequit, *l. un.* 2
C. de. Sent. Praef. Pract. Sed per supplicationis 3
viam potest ejus sententia retractari per *l.* 5. *h.*
t. et ideo, eo tantum casu datur supplicatio, 4
quando appellatio est prohibita ob excellentiam judicis *Jason. in Auth. hac num.* 6. *Sigism. Scacc. in tr. de Appellat. qu.* 13. *remed.* 3. *num.* 2. quod
etiam in sententia Principis admittit *Christin.* 5
vol. 2. *dec.* 177. *num.* 8. *et seqq.* Quando autem 6
appellatio est prohibita ex natura causae, non habet locum supplicatio, *Scacc. d. l. num.* 4. *Trentac. tit. de supplicat. res.* 1. *num.* 4. *Hillig. in Donell. lib.* 28. *c.* 6. *lit. Y.* quamvis, et hic per viam gratiae supplicationem concedat *Scacc. d. l. num.* 21. non tamen datur supplicatio, nisi
semel per hanc *l.* ut tamen utrique parti liceat 7
semel supplicare, *Scacc. d. rem.* 3. *num.* 28. Si
modo supplicatio porrigatur Praefecto Praeto- 8
rio, vel officialibus intra decem dies; non tamen per supplicationem suspenditur Sententia,
sed executioni mandatur, praestita a Victore 9
satisdatione in casum succumbentiae, de restituendo re cum usuris, adeo, ut si haec cautio non praestetur, executio sit nulla, *Scaccia d. l.*
num. 27. Saltem satisdatione juratoria, *Guid.* 10
Papae dec. 189. quae tamen moderatio pluribus displicet, cum satisdatio hic tanquam requisi-
tum substantiale, et quasi forma supplicationis 11
proponatur. Sed solent aliud remedium suggerere, ut Victor possit in deposito, vel sequestro
collocare rem solutam: quae depositio aequipol- 12
let satisdationi, *Apostilla ad Guid. Papae d. dec.* et quos magno numero refert *Salgad. in Labyr.*
p. 1. *cap. ult. num.* 149. Sed post decendium in- 13
tra biennium potest supplicatio fieri ad Impera-
torem, ibi vero Victor satisdatione non onera- 14
tur, *hac Auth. et l. un. C. de sent. Praef. Pract. Camill. Borell. p.* 2. *decis. tit.* 31. *num.* 20. *et seqq.*
et num. 35. Nota: Appellationem suspendere exe- 15
cutionem, supplicationem non, *Nov. cons.* 70. *num.* 1. *Roll. a Vall. cons.* 13. *num.* 4. *vol.* 2.

16 *Christin. d. dec. num.* 28. nisi forte sententiae executio esset periculosa, et irretractabilis, *Barbos. ad Auth. hujus loci num.* 6. sicut in simili de exceptione nullitatis contra tres conformes Sententias tradit *Ant. Gabriel. tit. de Execut. rei judic. concl.* 1. *num.* 21. *et Card. Tusch. concl.* 314. *num.* 9. *lit. R.*

L. Universis simul. 6.

SUMMARIA

Facti species cum rationibus dubitandi, et decidendi. num. 1.
Servus a Principe non debet aliquid petere. 2.
Valet tamen, quod impetravit, rescriptum. 3.

1 Homo liber per servum, vel servus per alium offert Principi supplicem libellum, et impetrat Rescriptum; Quaeritur, an hoc valeat? Videtur
2 quod non, *ob l.* 1. *h. t.* Sed resp. valere, modo, si servus aliquid petat pro se, id sciverit Imperator, *arg. l.* 7. *C. qui admitt. ad bon. possess.*
3 Nota: non debere aliquid petere a Principe Servum, sed cum aliquid impetravit, valere Rescriptum, et non debere attendi, per quem impetretur Rescriptum.

L. Rescripta. 7.

SUMMARIA

Rescripta contra jus impetrata non sunt observanda. num. 1.
Limitatur in quibusdam casibus. 2.
Publica utilitate exigente etiam jus privatis competens potest a Principe remitti. 3.
Facta tamen compensatione damni. 4.
Si impetratio etiam rescripti prohibita, non valet omnino rescriptum. 5.
Si manifestum est, voluisse quid Principem contra jus commune constituere, de potestate disputandum non est. 6.

1 Rescripta contra Jus impetrata non sunt observanda, nisi concedant aliquid, quod petenti prosit, nemini obsit, ut in *l. ult. ff. de Senat.* vel 2
nisi veniam concedant criminis commissi, non committendi, modo poena debeatur Reip. non parti, per *l.* 2. *C. de in jus voc. Chassan. ad Consuet. Burg. Rubr.* 1. §. 5. *num.* 163. Quamvis 3
publica utilitate exigente etiam jus privatis competens possit a Principe remitti, facta tamen 4
compensatione damni, *Chassan. d. l. num.* 165. *Petr. Ant. de Petra in tract. suo de potest. Princ. passim. Vasq. l.* 1. *Controv. c.* 1. *Tusch. concl.* 685. *et seq. lit. P. Gail. l.* 2. *obs.* 56. *et seq.* Si 5
tamen impetratio etiam Rescripti prohibita, non valet omnino Rescriptum, *per tot. t. C. si nupt. ex rescript. pet.* Caeterum si manifestum sit, 6
voluisse hoc Principem constituere contra jus commune, de potestate disputandum non est, *Menoch. cons.* 270. *num.* 12.

L. Instrumentorum exempla. ult.

SUMMARIA

An supplicans referens se ad instrumentum aliquod, illud totum in copia, vel exemplo inserere teneatur? 1.
Si super certorum verborum sensu inter partes dubitatur, verba, super quorum sensu dubitatur integra scribenda sunt. 2.
Rescriptum non laborat vitio sub-et obreptionis, licet pars tantum instrumenti, de qua quaestio, inseratur. 3.

Quaeritur in hac *l. fin.* Si supplicans se referat ad Instrumentum aliquod, an illud totum 1
in copia, vel exemplo inserere teneatur? Quod negat Imperator, sed sufficit totius instrumenti verba inserere, ut rem, de qua agitur, cognoscere possit Princeps: Sed si super certorum 2
verborum sensu inter partes dubitetur, verba, super quorum sensu dubitatur, integra scribenda sunt. Et hunc sensum ex *Guid. Panciroll. in thes. var. lect. lib.* 2. *cap.* 185. hic tradit *August. Barbos. num.* 2. Nihilo minus tamen illud, 3
quod ex lege notant DD. omnino ex hac lege probari potest: Volunt enim, Rescriptum non laborare vitio sub - et obrept. licet pars tantum Instrumenti, de qua quaestio, inseratur, quod etiam probatur per *l.* 12. §. 2. *ff. de Edend.*

TITULUS XX.

Quando libellus Principi datus litis contestationem faciat.

L. Dubium non est. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Non videtur in Jus vocare, qui libellum Praesidi dat. 3.
Libellus non sufficit ad perpetuandam actionem. 4.
Ratio decidendi. 5.
Libellus supplex pro impetrando rescripto Principi oblatus, secuto rescripto actionem temporalem perpetuat. 6.
Itemque non-transitoriam transire facit ad haeredem active, vel passive. 7.

1 Volebam contra Titium intendere actionem injuriarum, vel aliam actionem Praetoriam, scil. annalem, seu poenalem, sive persecutoriam; supplicem Principi libellum porrigo, non quidem libellum conventionis, sed pro obtinendo processu, *Obrecht. de libell. cap. 18. num. 19.* ut det Judicem delegatum, et impetro Rescriptum, interim labitur annus, vel adversarius moritur. Quaeritur, an nihilo minus post annum etiam contra haeredem detur actio injuriarum? Vide-
2 tur quod non, quia non videtur in jus vocare,
3 qui libellum Praesidi dat, per *l. 15. ff. de in jus*
4 *voc.* et quia libellus non sufficit ad perpetuandam actionem, *l. 3. pr. C. de praescript. annor.*
5 Sed affirmatur, quia *l. 15.* loquitur de poena Liberti, *l. 3.* de actione perpetua, haec vero Lex in annalibus, et praetoriis actionibus in favorem actoris perpetuandis, *Balbus de praescript. p. 3. partis 6. princ. §. quarto principaliter num. 6.*
6 Ergo libellus supplex, pro impetrando Rescripto Principi oblatus, habet hos duos effectus litis contestatae, secuto Rescripto, I. ut ex annali actione v. g. injuriarum, vel actione aedilitia quanti minoris, item ex actione redhibitoria, quae tamen sex menses durat, faciat perpetuam;
7 et extendat ad 40. annos: et II. ut eam actionem, quae alias non transit, transire faciat ad haeredem, active, vel passive.

L. Temporales actiones. 2.

SUMMARIA

Lex haec praecedentem declarat, et in quibus? num. 1.
Si impetrati rescripti tempore adversarius jamdum sit mortuus, libellus hic litis contestationis locum substinere nequit. 2.
Notatur Carpzovius. 3.
Omnis citatio praeventionem operatur. 4.
Quatenus libellus non habeat vim litis contestatae quoad processum. 5.
Berlichius, et Cothmannus *notantur. 6.*

Haec lex declarat praecedentem, et requirit. 1
I. Ut impetratum sit rescriptum. II. Ut Actio sit Praetoria annalis, v. g. injuriarum, vi bonorum raptorum, quod metus causa, *Christin. Vol. 2. dec. 71. num. 1.* Ex primo colligitur: Si impe- 2
trati Rescripti tempore adversarius jamdum sit mortuus, libellus hic locum litis contestationis substinere nequit: quamvis autem *Carpzovius lib. 2.* 3
Resp. 50. primum requisitum negare videatur, id tamen ex hac *l. 2.* apparet; nec obstat ratio *Carpzovii*, quasi ita nihil novi contineatur, quia omnis citatio praeventionem operatur; nam hic 4
de tali Rescripto sermo est, quo Judex delegatur, non quo partes citantur. Quod autem *Br. Bl. in l. 1. h. t. et Berl. p. 2. decis. 232. num. 14.* dicunt libellum non habere vim litis contestatae 5
quoad processum, id hunc sensum habet, quod ad sententiae validitatem necessaria sit expressa litis contestatio. Quamvis autem *Berl. d. l.* neget 6
cum *Cothmanno* a se allegato, hoc privilegium in Principibus recognoscentibus superiorem locum habere, si Imperii nostri Principes intelligit, id non admitto. Nam ut alibi demonstravi fusius, quaecumque de Principe superiorem non recognoscente dicuntur in jure, modo jura privatorum concernant, de Principibus Imperii recte dici.

TITULUS XXI.

Ut lite pendente, vel post provocationem aut definitivam sententiam, nulli liceat Imperatori supplicare.

L. Licet. 1.

SUMMARIA

Sententia non retractatur virtute rescripti postea secuti, licet supplicatio fuerit sententia prior. num. 1.
Supplicatio non suspendit Processum, nec inspiciendum est tempus supplicationis, sed rescripti insinuati. 2.

1 Sententia non retractatur, virtute Rescripti postea secuti, licet supplicatio fuerit sententia prior; ratio: in *l. ult. C. sentent. rescind. non*
2 *poss. et l. 16. C. de Transact.* Collige; supplicationem non suspendere processum, nec inspiciendum esse tempus supplicationis, sed Rescripti insinuati.

L. Supplicare. 2.

SUMMARIA

Lite pendente quatenus supplicare liceat? num. 1.
Non licet supplicare lite per sententiam finita. 2.
Limitatur. 3.
Potest Princeps Jus, quod pars habet ex re judicata, tollere. 4.
Si quid petatur tempore litis pendentis, hujus semper in precibus facienda est mentio. 5.
An vox protinus *idem significet quod* ipso jure? 6.
An hic textus, totusque titulus in usu hodie sit? 7.

Lite pendente non licet supplicare, nisi copia 1
actorum, vel sententiae interlocutoriae, vel definitivae (si appellatum) denegetur, nec licet 2
supplicare lite per sententiam finita, sub poena

restituendae aestimationis litis, nisi remedio ali-
3 quo suspensivo decisio impugnari, et res decisa per jura reformari possit, *Cothman. vol.* 4. *cons.*
4 4. *num.* 48. Nec puto peccari, si quis manifestam iniquitatem probare possit, et Principem imploret, pro cognoscenda causa, ne sub justo clypeo succumbat, nam posse Principem jus, quod pars habet ex re judicata, tollere, quia saltem ex jure civili ortum, habet *Gravett. de Antiquit. temp. p.* 1. *in princ. num.* 53. Ratio primi in *l. Properandum* 13. *pr. C. de Judic.* ut lites citius finiantur, neque litigia sint aeterna. Ergo non licet supplicare Principi, nisi quando copia negatur, aut Judex est negligens, aut su-
5 spectus. Sed si quid petatur, semper mentio litis pendentis in precibus facienda est, quam regulam late tractant *Menoch. A. J. Q. cent.* 3. *cas.* 202. *et Lancellot. de Attent. p.* 2. *c.* 4. *illat.* 7. *num.* 729. *Afflict. dec.* 220. *num.* 13. *Christin. dec.* 73.
6 *num.* 6. *vol.* 2. Hic autem obiter noto, *Barbosam* hic *num.* 5. notare vocem, *protinus*, significare idem, quod *ipso jure:* Verum id non possum admittere, cum repugnet naturae verbi*: condemnari.* Nam si condemnatio requiritur, utique non ipso Jure incurret poenam, sed ut condemnetur, sicut in terminis, quando vox, *protinus*, additur verbo, *condemnetur*, statuit, eam vocem non idem significare, quod *ipso jure*, *Tiraq. in l. si unquam C. de revoc. donat. verbo*, revertatur *num.* 123. *et Farinac. p.* 2. *fragment. tit. Lex num.* 115. Ubi in fine Typographi vitio, ut ex allegato Tiraquello apparet, omissa est, et addi debet particula, *non*, hoc modo*: nam tunc non importat ipso jure*, ut ibi per eum*:* Hoc tamen concedo, particulam, *protinus*, hic significare, quod sine processu ordinario, et praecedente tantum summaria causae cognitione sententia condemnatoria sequi debeat, *Tiraq. d. l.*
7 *num.* 120. Licet autem *Christin. d. decis.* 73. *num.* 9. hunc textum, totumque titulum in usu esse neget, cum videamus quotidie lite pendente preces offerri, et decreta impetrari, modo fiat simplex veritatis expressio, et status judicialis narratio; Sed videndum puto in his abrogatarum legum quaestionibus, non quid fiat, sed quid fieri debeat, et per imperitiam, et malitiam hominum non abrogantur leges; Et si Justitiam ulla in parte negligit Judex, aut alia justa causa sit adeundi Principis, nemo negavit, id fieri posse.

L. Qui licitam. ult.

SUMMARIA

Qui non appellavit, cum potuerit, supplicationis viam eligere nequit. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Poena ejus, qui contra rem judicatam supplicationis remedium intentat. 4.
Hodie non observatur. 5.
In iniquitate sententiae corrigenda Principis potestatem multi Doctores agnoscunt. 6.

Qui non appellavit, cum potuerit, supplica- 1
tionis viam eligere nequit. Ratio dubitandi in *l.* 2
un. C. de Sent. Praef. Praet. Sed ratio deciden- 3
di hic, quia aliud est non posse appellare, aliud est si possit, et non appellet, et ita sententiae acquiescat. Quando sententia a Praefecto Praetorio lata, quis gravatus est, non potest appel-
lare, hic autem potest. Additur hic in fine poe- 4
na ejus, qui contra rem judicatam supplicationis remedium intentat, scil. infamia, *Mascard.*
de probat. concl. 1363. *num.* 30. Ex *Rebuffo* ta- 5
men hic notat *Barbosa*, quod de infamia dicitur hodie non observari. Et sane levicula esset infamiae causa, si quis contra rem judicatam, quam pro iniqua non immerito habet, supplicationis remedium apprehenderet, praesertim
cum in iniquitate sententiae corrigenda Princi- 6
pis potestatem agnoscant multi Doctores; cum quibus sentire videtur *Christin. dec.* 73. *num.* 5. *vol.* 2.

TITULUS XXII.

Si contra jus, vel utilitatem publicam, vel per mendacium fuerit aliquid postulatum, vel impetratum.

L. Non idcirco. 1.

SUMMARIA

Quando Princeps alicui delegat causam, licet impetrans nonnulla tacuerit, valet tamen delegatio. num. 1.
Non opus est in petitione judicis omnes exceptiones adversarii ponere. 2.
Licite in libello omittimus ea, quae non sunt de substantia rei. 3.
Delegati judicis partes. 4.
Cognitione causae tantum commissa, nihilo minus delegatus judex, causa cognita, sententiam ferre potest. 5.
Quatenus valeat rescriptum, ubi in precibus aliquid omissum? 6.

Quando Princeps alicui delegat causam, licet 1
impetrans nonnulla tacuerit, valet tamen dele-
gatio, quia hoc est Rescriptum Justitiae nec opus 2
est in petitione Judicis, omnes exceptiones ad-
versarii ponere, et licite in libello supplice omit- 3
timus ea, quae non sunt de substantia rei; et

delegati Judicis partes erunt, cognoscere causam
4 et alterius partis exceptiones audire; non itaque
per talis Rescripti Justitiae impetrationem prae-
judicari potest alteri parti, cum cognitio causae
reservetur: nisi impetrans ea suppresserit, quae
si expressa fuissent, Rescriptum non fuisset da-
tum, v. g. si non alleget, sententiam transiisse
5 in rem judicatam. Colligit ex hac lege *Jason:*
Etiamsi cognitio causae tantum commissa sit,
delegati tamen Judicis esse, ferre sententiam,
6 causa cognita. Quamvis autem *Bart. hic* dicat,
Rescriptum valere, licet in precibus aliquid omit-
tatur, id tamen intelligendum est de iis, quae
non sunt de substantia impetrationis; nam alias
periculosa esset, et non concedenda, *Thesaur. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 9.

L. Praescriptione. 2. et seq.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Judex etiam delegatus de sua jurisdictione, an sibi competat, cognoscere, et judicare debet. 4.
An judex non obstante exceptione sub-et obreptionis a parte opposita, secundum Rescriptum restitutionem facere debeat? 5.

1 Ad preces Titii falsas, id est falsum affirman-
tes, et verum supprimentes, quorum tamen
neutrum Judicem commoverat, Princeps Re-
scriptum dederat, mandaveratque, ut delegatus
Judex causam cognosceret, et supplicanti fun-
dum restitueret: Quaeritur, I. *an valeat dele-*
2 *gatio?* Videtur quod non, *per l.* 5. *C. h. tit. et l.*
pen. C. de divers. rescript. et per l. 26. *ff. de fal-*
3 *so;* Sed respondetur affirmative, quia *d. l.* 5. *h.*
t. loquitur de Rescriptis gratiosis, hic vero de
delegatione Judicis, quae jure communi conce-
ditur, et conditio, si preces veritate nitantur,
non inest Rescripto delegationis, sed in manda-
ta restitutione. Vel, quod fere eodem recidit,
si supplicans aliquid tacet, quod ad causae ipsius
merita pertinet, vel aliquid falsum narrat circa
causam principalem, non propterea Rescriptum
delegati Judicis est nullum, sed omnino Judex
delegatus pergere debet in causa principali, et
super ipsis meritis causae principalis sententiam
ferre; quia hoc mendacium directo non impu-
gnat jurisdictionem Judicis delegati, et alia oc-
casio daretur saepius impugnandi delegationem
Judicis, et lites extraherentur. Aliud est, si ta-
ceat aliquid, quod Processum concernit, v. g.
litem alibi pendere, vel falsum aliquod in pro-
cessu narret, quod si expressisset, vel non ex-
pressisset, Judicem Princeps non delegasset, et
tunc ipsa datio Judicis delegati ob Rescriptum sub-
4 reptitium est invalida. Colligunt etiam ex textu: Ju-
dicem etiam delegatum de sua jurisdictione, an sibi
competat, cognoscere, et judicare debere, ut DD.
5 quos allegat *Barbos. hac leg. num.* 6. II. Quaeritur,
an Judex, non obstante exceptione sub-et obre-
ptionis a parte opposita, secundum Rescriptum
restitutionem facere debeat? Quod negatur: quip-
pe in veritatem rei inquirere debet, sub poena
10. librarum auri, si Judex prohibeat inquiri
precum veritatem, *l.* 3. *h. t.* Sed utraque quae-
stio de eo casu intelligenda, quando sine dolo
aliquid expressum, vel suppressum, et Princeps
Rescriptum dedisset, licet falsitatem scivisset,
v. g. si falsum aliquid circa negotium principa-
le narratum, secus autem, si dolo quid factum
sit, aut ea quae falsa sunt, processum concer-
nant, et quae, si scivisset Princeps, Rescriptum
impedivissent, *Cap. super litteris X. de Rescript.*

L. Et si non cognitio. 4.

SUMMARIUM

An executor datus a Principe de veritate precum possit cognoscere?

Princeps committit alicui executionem super negotio nondum excusso, pars opponit exceptionem falsarum precum: Quaeritur, *an executor datus a Principe de veritate precum possit cognoscere?* Et videtur quod non, ob *l.* 6. *C. de Execut. rei judic.* Sed affirmatur, quia hic executio mandata est, non praecedente causae cognitione, vel sententia. Sed si causa per sententiam decisa executio mihi committatur, meum non est cognoscere de meritis causae principalis, licet allegetur ex falsis instrumentis, Sententiam esse latam, vel ex dolo; sed tunc remittenda est causa ad delegantem. *c. de caetero* 5. *X. de re judic.* Sed si super ipsa executione lis incidat, possum ego ut executor cognoscere. Videantur *DD. hic in l.* 4. *et l. a Divo Pio* 15. *ff. de re judic. et in d. cap. de caetero, et Menoch. lib.* 1. *A. Q.* 38. *Pinell. in l.* 2. *C. de resc. vendit. et in rubr. cod. tit. p.* 1. *c.* 2. *num.* 18. *Panorm. et Felin. in d. c. de caetero.*

L. Et si legibus. 5.

SUMMARIA

Rescripta sunt vel gratiosa, vel justitiae. num. 1. 3.
Gratiosum tollitur per mendacium supplicantis. 2.
Mendax impetrator carere debet petitis, si vel verum tacuit, vel falsum expressit. 4.
Idem obtinet in capitulis separatis. 5.
Limitatur regula. 6.
Cur imponenda hoc casu probatio? 7.

Duplicia sunt Rescripta: Alia sunt *Gratiosa,* 1
quae continent privilegium, vel etiam aliquid
legibus non adversum, ut est concessio castri,
vel praebendae, ac beneficii: tale Rescriptum 2
tollitur per mendacium supplicantis, *h. l.* 5. Alia 3
sunt Rescripta *Justitiae,* quibus non adversatur
falsitas, *l.* 1. *et* 2. *h. t.* Nota: Mendacem impe- 4
tratorem carere debere petitis, si vel verum
tacuit, vel falsum expressit, *Klock. cons.* 6. *num.*
45. *vol.* 2. adeo ut etiam capitulis separatis in 5
eadem supplicatione contentis, circa quae non
est commissum mendacium, idem velint *Pa-*
norm. in c. super litteris 20. *X. de Rescr. num.* 2.
ibique *Felin.* et quos hic citat *Barbos.* sed id 6
alii eo casu admittunt, si vitium versaretur circa
totum Rescriptum, aut principalem ejus par-
tem, argum. *c. si eo tempore* 9. *de Rescript. lib.*

6. *Decius in d. c.* 20. *notab.* 1. *num.* 7. *et* 8. *Zoes. in Comm. ad tit. X. de Rescript. num.* 30. etsi capitula omnia sint connexa, non separata, *Gail. l.* 1. *obs.* 14. *num.* 4. Sed quaeritur: *Cui imponenda probatio?* Id DD. *in l.* 3. *h. t. et Mascard.*
7 *concl.* 1128. prolixe tractant. Videtur distinguendum, an falsum assertum fuerit, an vero verum suppressum, ut hoc casu excipiens, illo supplicans teneatur probare, nisi pro ipso sit praesumptio. *Conf. Zang. de Except. p.* 2. *c.* 17. *num.* 18. *Ruland. de commiss. p.* 1. *lib.* 2. *num.* 14. *et alii.*

L. Omnes. 6.

SUMMARIA

Quatenus rescripta juri communi, et utilitati publicae contraria ipso jure nulla sint? num. 1.
Sufficit derogatio generalis. 2.
Nisi lex contraria rescriptum prohibeat. 3.
Limitationes h. legis. 4.
Non repugnat Caes. Maj. superioritati, de rescripti justitia quaerere. 5.

1 Rescripta juri communi, et utilitati publicae contraria sunt ipso jure nulla, nisi addatur clausula: *non obstante, etc.* ut si quis immunitatem a collectis publicis impetrare vellet, vide *l.* 3. *supra de precib. Imperat. offer.* Volunt autem 2
Br. ac Castr. hic, generalem derogationem sufficere, v. g. si dicat Princeps: *nulla obstante lege, nisi lex contraria Rescriptum prohibeat,* 3
ut *l.* 2. *c. de SS. Trinit. et l.* 1. infra *Si nupt. ex rescr. pet.* Nam hoc casu, ubi lex, vel statutum, contra quod Princeps rescribere vult, munitum est clausula derogatoria, requiritur specialis clausula, ut dicat Princeps, non obstante illa lege se hoc jubere: ut in exemplo statuti prohibentis successionem legitimarum tradit *Riminald. lib.* 1. *cons.* 79. *num.* 30. *et seq.* DD. plures allegat *Trentac. lib.* 1. *res. tit. de Rescript. resol.* 6. *num.* 12. *vers. in secundo casu. Marta de clausulis p.* 1. *caus.* 79. *num.* 11. qui Doctores plures limitationes legis hujus habent, v. g. si Rescriptum 4
contra jus emanet ob publicam utilitatem, *Trentac. num.* 2. vel si per viam privilegii emanet, de quo *Trentac. d. l. num.* 4. vel si Rescriptum emanet ex certa scientia, *Trentac. d. l. num.* 9. et similia: confer. *Gudelin. de jure noviss. lib.* 5. *c.* 2. *Christin. dec.* 74. *num.* 12. *et seq. vol.* 2. Colligitur tamen ex *hac lege et l. pen. supr. de* 5
Precib. Imp. off. non repugnare Caesareae Majestatis superioritati, de Rescripti justitia quaerere, cum hic prohibeantur Rescripta contra justitiam elicita observare. *Klock. cons.* 7. *num.* 7. *vol.* 1.

TITULUS XXIII.

De Diversis Rescriptis, et Pragmaticis Sanctionibus.

L. Si libellum. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
In Rescriptis non tam supplicatio, quam concessio attendenda. 3.
Persona nunquam intelligitur, nisi sit expressa. 4.
Ratio decidendi. 5.
Rescriptum ex supplici libello est declarandum. 6.
Limitatur. 7.

1 Ego, et frater meus libellum supplicem offerimus Principi in casu communi, sed quia Princeps in Rescripto tantum mei, non fratris mentionem facit, Quaeritur, *An et frater frui pos-*
2 *sit tali Rescripto?* Videtur quod non, quia in
3 Rescriptis non tam supplicatio, quam concessio attendenda, *l.* 1. *supr. ut lite pendente, etc.* et
4 Persona nunquam intelligitur, nisi sit expressa, *l. si ita stipulatus* 126. §. *Chrysogonus, ff. de verb. obl.* Sed affirm. consorte litis in precibus nominato, sed in Rescripto omisso, prodesse Rescriptum, *Barbos. axiom. recognit. lib.* 16. *c.* 41. *axiom.* 7. *et Klock. vol.* 2. *cons.* 7. *num.* 1.
5 partim propter causae communionem, partim
6 propter rationis paritatem. Collige: Rescriptum ex supplici libello esse declarandum. *Menoch. l.* 2. *praes.* 29. *num.* 2. *Surd. decis.* 291. *num.* 1. Sed limitat hoc *Menoch.* si sit simplex Rescriptum, 7
secus si esset determinatum, cum saepe fiat, ut amplius roganti Princeps determinate respondeat. *Cons.* 180. *num.* 11. Sic etiam Rescriptum non recipit interpretationem ex precibus, quoties id, quod petitur, specialem jussionem requirit, quale exemplum de petito processu summario habet *Menoch. Consil.* 120. *num.* 46. *Sed an idem in beneficiis?* Id volunt hic Doctores, praesertim *Ant. de Padilla,* sed aliud in Privilegiis.

L. Falso adseveratur. 2.

SUMMARIA

An rescripta justitiae, si non statim judici offeruntur, per lapsum anni amittant vim suam? num. 1.
Baldus *notatur.* 2.

Hic Quaeritur, *an Rescripta justitiae, si non* 1
statim judici offeruntur, per lapsum anni amittant vim suam? Videtur quod sic, per *l.* 1. *C. de Nund. et c. Si autem* 9. *c. plerumque* 23. *X. de Rescript.* Sed negatur, quia nundinae cum in

facto consistant, facilius expirant quam Rescripta ad agendum, vel excipiendum data, et casus in dictis capitulis sunt speciales. Ergo tum demum Rescriptum per lapsum anni redditur inutile, quando contrarium Rescriptum postea datum
2 elapso anno *d. cap. plerumque* 23. *X. h. t.* Quamvis enim *Bald.* hac in parte differentiam inter jus Civile, et Canonicum constituat, *a Felino* tamen in *c. si autem* 9. *num.* 1. *X. h. t. et Menoch. Cons.* 100. *num.* 33. hoc non admittitur. Sed dicendum potius, legem nostram loqui de solo anni lapsu, qui non tollit Rescriptum; Sed textus allegatus ex jure Canonico loquitur de contrario Rescripto ab altera parte impetrato, quod prius tollit, licet nulla facta in secundo mentio prioris, non ob anni lapsum, sed ob dolum, vel negligentiam primi impetrantis, et vigilantiam secundi, ut *Menoch. d. cons.* 100. *num.* 34. *et l.* 2. *A. Q. cas.* 204. Conf. *Tulden. hic num.* 2. *Christin. dec.* 79. *num.* 1. vel lex haec loquitur de Rescriptis, quae parti jus tribuunt, vel jus obscurum declarant, de quo vid. *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 202. *num.* 78. *et cas.* 204. *num.* 2. *Christin. d.* 77. *num.* 1. *vol.* 2. *et dec.* 79. Sed loquitur *d. cap.* de judice dato per Rescriptum, ut ex verbis patet.

L. Sancimus. 3.

SUMMARIA

Rescripta in originali sunt insinuanda. num. 1.
Exempla plenam fidem non faciunt, sed Originalia. 2.
Non probant exhibitis Originalibus. 3.
Limitatur. 4.

1 Lex tertia agit de Originalibus Rescriptis, non vero exemplis insinuandis, quia exempla plenam
2 fidem non faciunt, sed Originalia. Exempla enim se referunt ad Originalia, et fidem ex Originali-
3 bus habent. Ergo non exhibitis Originalibus non probant, nisi praesente parte sint collationata.
4 *Christin. d. dec.* 78. *num.* 4. *vol.* 2. vel fide publica sint transumpta, et Originale deperditum, vel exemplum sit antiquum, vel ex archiviis publicis depromptum, vel originale publice lectum, si idem Notarius scripsit exemplum, qui Originale scripsit, etc. De qua materia hic agunt *DD.* fusius, et *Mascard. de probat. concl.* 712. *Myns. centur.* 6. *observ.* 73. *et duabus seqq. Gail. l.* 1. *obs.* 49. *num.* 2. *Barbos. locuplet. lib.* 5. *c.* 29. *Christin. d. dec.* 78. *num.* 5. *et seqq.*

L. Si qua beneficia. 4.

SUMMARIA

An rescriptum sine Die, et Consule valeat? num 1.
Leges valent sine Die, et Consule. 2.
Idem pignora. 3.
Privilegia subjacent periculo obreptionis. 4.

1 Impetro beneficium a Principe, et Rescriptum sine subscriptione Diei, et Consulis: Quaeritur,
2 an valeat? Videtur quod sic, quia et leges valeant sine Die, et Consule, *L. un.* §. 2. *C. de novo Cod. faciend.* et pignora *l. pen.* §. 1. *ff. de pign.* Sed negatur hic, quia alia ratio Privile- 3
giorum, quae subjacent periculo obreptionis, alia est ratio Constitutionum inclusarum in corpore Juris, alia etiam instrumentorum, qui- 4
bus pignus constituitur, in quibus obreptionis periculum non est.

L. Sacrilegii instar. 5.

SUMMARIA

Sacrilegii instar est, illum dignum officio non judicare, vel eum non potuisse creari, quem Princeps dignum esse judicat. num. 1.
In quibus licitum de Principis potestate disputare, in quibus contra illicitum. 2.

Lex 5. ait, Sacrilegii instar esse, illum dignum 1
officio non judicare, vel eum non potuisse creari, quem Princeps dignum esse judicat, quia videtur Principis potestatem in dubium vocare, cum non liceat de Principis potestate disputare in his, quae juris positivi sunt, cum omnia 2
possit contra ea, quae meri juris positivi sunt, ut loquitur *Menoch. de A. J. Q. lib.* 2. *cas.* 389. *num.* 19. Secus vero in iis, quae quidem juris positivi sunt, sed quorum fundamentum est in aequitate naturali, *Cravett. cons.* 241. *num.* 20. *Menoch. cons.* 250. *num.* 102. *et cons.* 291. *num.* 2.

L. Sacri affatus. 6.

SUMMARIA

Forma externa rescriptorum Imperialium. num. 1.
Poena formam hanc imitantis. 2.
Abiit haec forma in desuetudinem. 3.
Rescripta juxta formam receptam, et stylum consuetum non exarata pro falsis haberi possunt. 4.

Describit Lex haec formam externam Rescri- 1
ptorum Imperialium, quod scribi debeant purpureo colore, et in membranis habentibus subscriptionem manus Imperatoriae: et qui for- 2
mam istam imitatur, supplicio ultimo cum proscriptione bonorum punitur; Vide *Cujac. in Cod. ad hanc ipsam legem* 6. Sed haec forma externa 2
in desuetudinem abiit: interim tamen ex argumento legis colligendum est: Rescripta juxta 4
formam receptam, et stylum consuetum non exarata, pro falsis haberi posse, de quo *Mascard. de probat. concl.* 1276. v. g. si negotium causae cognitionem desideret, et Princeps de eo rescribat, idque ad Apparitorem dirigat, *Christin. dec.* 80. *num.* 4. *vol.* 2.

L. Universa Rescripta. 7.

(quae notabilis.)

SUMMARIA

In quolibet rescripto addi debet Clausula . si preces veritate nitantur. num. 1.
Jure Pontif. eadem subintelligitur. 2.

Excipiuntur certi casus. 3.
Qualis citatio in puris, et sine clausula mandatis ejusmodi additur? 4.
Pragmatica sanctio ad instantiam universitatis fertur. 5.
In hac etiam de veritate precum quaerendum. 6.

1 In quocumque Rescripto debet addi clausula: *Si preces veritate nitantur.* Jure Pontificio haec
2 clausula subintelligitur, *cap.* 2. *de Rescript. Alexand. Trentac. l.* 1. *tit. de rescript. res.* 7. *num.* 2. ubi differentiam inter Jus Civile, et Canonicum agnoscit in hoc puncto, *Christin. decis.* 76. *num.*
3 1. *vol.* 2. *et dec.* 79. *num. fin.* Excipiuntur autem certi casus, in quibus dantur mandata sine clausula; ut quando aliquid prohibetur, quod omni jure est prohibitum, verbi gratia, ne me in possessione turbet, ne via facti sibi jus dicat, et simil. de quibus *Gail. l.* 1. *obs.* 4. *et l.* 1. *de Pac. Publ. c.* 2. *num.* 15. *et seqq. et passim Mindan.*
4 *de Process. l.* 2. *c.* 10. Sed in his tamen puris, et sine clausula Mandatis quamvis non addatur citatio ad allegandum causas, quare parere non teneatur, ut in mandatis justificatoriis, et cum clausula, additur tamen citatio ad docendum de paritione, vel si minus, de videndo, audiendoque in poenas mandati contempti se incidisse declarari, *Mind. d. c.* 10. *num.* 5. ut in fracta pace, vel spolio, et similibus, de quibus *Gail.*
5 *Myns.* et alii passim. §. 1. Dicitur de Pragmatica Sanctione, quod ea non ad instantiam privatorum, sed universitatis, sive collegii feratur, et 6
in hac tamen de veritate precum quaerendum sit.

Auth. Gloriosissimi.

SUMMARIA

Requiritur in rescriptis subscriptio Cancellarii, et expressio judicis, litigantium, et ejus qui jussionem perferendam accepit. num. 1.
Quaestor olim quis? 2.
Praxis hodierna. 3.

Requirit haec Auth. tantum subscriptionem 1
Quaestoris, seu Cancellarii, non negatur tamen necessaria esse subscriptio Principis, quam quaerit *l.* 6. *hoc tit. Rittershus. in Nov. p.* 2. *c.* 1. *num.* 11. Requiritur etiam expressio personarum, inter quas causa agitatur, et judicis, et ejus, qui jussionem perferendam accepit. Quaestor autem 2
olim appellabatur, qui hodie Cancellarius, *Ritterh. d. l. num.* 12. Fatendum tamen, haec omnia non requiri hodie in foro, sed sufficere subscriptionem Principis. Vidi tamen Pomeraniae Du- 3
ces non tantum subscripsisse, sed etiam Consiliariorum mentionem in Rescriptis factam esse, qui praesentes fuerint.

TITULUS XXIV.

De Statuis, et Imaginibus.

L. Si quis. 1.

SUMMARIA

Erigebantur Impp. statuae. num. 1.
Item Praesidibus, aliisque judicibus. 2.
Quod posterius prohibitum. 3.
Omnis honor nimius servo exhibitus, domino suspectus est. 4.
Adulatores in jure invisi. 5.
Criminis laesae Maj. reus judicabatur, qui statuas, aut imagines jam consecratas conflaverit, vel aliud quid simile admiserit. 6.

1 Argenteae, aeneae, vel marmoreae statuae Imperatoribus erigebantur. Quidam etiam Praesi-
2 dibus, aliisque Judicibus adulandi studio erigebant statuas, quod Praesides ex ambitione ferebant,
3 quod prohibet Imperator sub poena, ut Judex id ferens, vel procurans fiat infamis, et dignitatem amittat, ac quadruplum ejus, quod in Provincia accepit, fisco inferre teneatur; qui
4 eam autem erigit, fit infamis. Ratio legis; quia omnis honor nimius servo exhibitus, Domino
5 suspectus est, et adulatores in jure invisi. Nam
6 et criminis laesae Majestatis reus judicabatur, qui statuas, aut imagines jam consecratas conflaverit, vel aliud quid simile admiserit, *leg. qui statuas,* 6. *ff. ad L. Jul. Maj. Petr. Gregor. lib.* 35. *Syntagm. cap.* 7. *num.* 5.

L. Si quando. 2.

SUMMARIA

Modus erigendi Principi statuam. num. 1.
Lex haec ab usu recessit. 2.

Summa Legis est: Quando Principi erigenda 1
est statua, debet judex adesse, et diem erectionis per Notarium consignare. Debet etiam cavere, ne honor adorationis imagini exhibeatur; Sed haec 2
ab usu recesserunt.

L. In nostrae Serenitatis. 3.

SUMMARIA

Unde sumendi sumptus in erectionem statuarum Principi erogandi. num. 1.
Princeps filiam elocaturus non debet dotare eamdem ex subditorum collectis. 2.
Vasquius, *et* Boerius *notantur.* 3.
Gaudium Principis non debet esse luctus subditorum. 4.

Provinciales non sunt compellendi, ut sumptus 1
conferant ad erigendam statuam Principi, sed id ex publicis sumi debet, vel ab eo erogari,

qui statuam erigi curat, ne honor Principi exhibitus Provincialibus sit luctuosus. Et hanc legem in argumentum trahunt ejus sententiae,
2 quod Princeps filiam elocaturus, non debeat dotare eamdem ex subditorum collectis, ut *Va-*
3 *squ. lib.* 1. *controv. cap.* 7. *num.* 3. *Boer. decis.* 116. *num.* 6. quos citat *Barbos. et Castr. hic.* Sed quo modo id ex textu colligatur, non video; nisi quod gaudium Principis non debeat
4 esse luctus subditorum. Melius hoc concluditur ex silentio legum, de qua quaestione plura videsis apud *Casp. Klock. de Collectis cap.* 8. *num.* 27. *et seq.* et alios multos. Apud nos possunt subditi collectari ob dotandam Principis filiam, et quia tolerabilis est haec collecta, non est adeo luctuosa subditis.

L. Et Virtutum. fin.

SUMMARIA

Quomodo, cujusque sumptibus statuae ob virtutem alicujus erigendae? num. 1.
Cujus honos est, ejusdem debet esse onus. 2.
Quatenus Princeps, quando immunitatem a Collectis alicui tribuit, id ex suo aerario solvere debeat? 3.

Quando ob virtutem alicujus statuae erigendae 1
sunt, tunc hoc petendum a Principe, quod si impetratum, non debet statua erigi sumptibus Provincialium, vel Collegii, quod erigi curat, sed sumptibus ejus, in cujus honorem statua ponitur: 2. Cujus enim honos est, ejusdem de- 2
bet esse onus, *leg.* 1. *ff. ad L. Rhod. de jactu, leg.* 2. §. 11. *ff. ne quid in loco publ. Card. Tusch. Concl.* 141. *num.* 7. *lit. O. Menoch. cons.* 738. *num.* 8. Adeoque haec lex continet exceptionem legis primae, *Cothmann. ad h. t. numer.* 11. *ex hac L.* colligit, Principem, quan- 3
do immunitatem a collectis aliis tribuit, debere id ex suo Ærario solvere, quod intelligo, si id faciat ex mera voluntate sua; aliud si causa immunitatis sit, quod exemptorum conversatio civibus caeteris sit proficua.

TITULUS XXV.

De his, qui ad Statuas confugiunt.

L. Qui ad statuas. un.

SUMMARIA

Quatenus statuae Impp. confugientibus ad easdem securitatem praebuerint? num. 1.
Statua Principis malitiae hominum non debet opitulari. 2.
In usu titulus esse desiit. 3.

Hae Imperatorum statuae iis, qui ad illas con- 1
fugiunt, securitatem praebebant, sed non semper, verum eo tantum casu, quando quis injuria ab aliis oppressus eo se conferebat, si autem sit sceleratus, vel aliis injuriam intulerit, a statua etiam abstrahendus, et in vincula conjiciendus est, *l.* 28. §. 7. *ff. de poenis l.* 38. *ff. de injuriis.* Nec enim statua Imperatoris malitiae 2
hominum opitulari debet. Sed in usu hic titu- 3
lus esse desiit, ut ex aliis notat *Christin. dec.* 80. *vol.* 2.

TITULUS XXVI.

De Officio Praefecti Praetorio Orientis, et Illyrici.

Rubric.

SUMMARIUM

Summi post Imp. tempore Justiniani Magistratus Praefecti Praetorio tres.

Tempore Justiniani post Imperatorem, summus Magistratus erat Praefectus Praetorio; et erant tres Praefecti Praetorio, 1. Orientis. 2. Illyrici. 3. Africae.

L. Libellus Praefecto Praetorio. 1.

SUMMARIA

Libellus supplex ad Principem directus annalibus actionibus pro litis contestatione habetur, subsecuto rescripto, et judicis delegatione facta. n. 1.
Si libellus Praefecto Praetorio offeratur, et hic rescribat, an et hoc rescriptum vim litis contestationis habeat? 2.
Quod contra regulas juris in Principis persona constitutum, in consequentiam trahi non debet 3

1 Quando libellus supplex ad Principem dirigitur, et Princeps rescribit, ac delegat judicem, hoc in annalibus actionibus habetur pro litis contestatione, *t. t. supr. quand. libell. Princip. da-*
2 *tus, etc.* Sed quaeritur, *si Libellus Praefecto Praetorio offeratur, et hic rescribat, an et hoc*
3 *Rescriptum vim litis contestationis habeat?* Respondetur quod non, quia discrimen aliquod interesse debet inter Principem, et Praefectum Praetorio, et quod contra Regulas juris in Principis persona constitutum, in consequentiam trahi non debet.

L. Formam a Praefecto. 2.

SUMMARIA

Forma h. l. quid? 1.
Quatenus formam promulgare potuerit Praef. Praet. 2.
Non habebat potestatem ferendae legis. 3.
Haec soli Principi competit. 4.
Inferior contra legem superioris non potest illud statutum condere. 5.
Statuta facere contra jus Commune supremae est jurisdictionis. 6.
Praxis hodierna. 7.

1 Praefectus Praetorio verbi gratia Orientis, poterat formam, i. e. Edictum ex bono et aequo editum, *Hillig. in Donell. l.* 28. *c.* 6. *lit. V.*
2 promulgare in suo districtu, v. g. in Oriente valituram. Sed tamen duae cautelae hic adduntur: I. ut illa forma, hoc est constitutio Praefecti non sit juri contraria. II. Imperator poterat novis constitutionibus talem formam tolle-
3 re: Nam non habebat Praefectus potestatem ferendae legis, *Christin. decis.* 80. *num.* 1. *vol.*
4 2. quae ut superius jus Majestatis, soli Principi competit. Ex quo communiter colligunt, infe-
5 riorem contra legem superioris non posse ullum statutum condere, *hic* et *c. cum inferior de Major. et obed. Tusch. concl.* 16. *lit. T.* et quos allegat *Merckelbach. inter consil. Klock. vol.* 1. *cons.* 20. *num.* 145. Et statuta facere contra jus
6 commune, supremae est jurisdictionis, *Car. de Grassis de Except.* 1. *num.* 6. *et Merckelbach. d. cons.* 20. *num.* 156. et quos hic allegat *Bar-*
7 *bos. num.* 3. Sed hoc vix hodie recipitur, cum multoties statuta contra Jus Commune recepta videamus, quae tamen expresse, vel tacite a superioribus approbata.

L. Si quos judices. 3.

SUMMARIA

Poterat Praefectus Praetorio judices Provinciarum, et locorum ab administratione removere, et punire non expectato Principis rescripto. num. 1.
Ob negligentiam judex, vel officialis jure deponi potest. 2.
Boërius, *et* Menochius *notantur.* 3.
Absque causa legitima nemo debet privari officio suo. 4.
Vacat officium morte, resignatione, et ob delictum. 5.
De negligentia judicis punienda, remissive. 6.

Ad Praefecti Praetorio officium etiam hoc pertinebat, quod posset judices Provinciarum, et 1
locorum, ob negligentiam, vel perpetuam invalitudinem, vel furtum, vel aliud turpe facinus ab administratione removere, et sontes poenis subjicere, non expectato Principis Rescripto.
Unde colligitur, ob negligentiam Judicem, vel 2
Officialem jure deponi posse, licet *Boer. decis.* 3
153. *num.* 20. *Menoch. de A. J. Q. casu* 341. *num* 5. requirant, ut ex ea negligentia aliquis
mortuus sit; de eo tamen hic nihil habetur. Et 4
absque causa legitima nemo debet privari officio suo, sicut probat *Boer. dec.* 149. *num.* 11. *et seq.* praesertim *num.* 14. ubi dicit tribus ca-
sibus vacare officium: morte, resignatione, et 5
ob delictum, *Papon. l.* 4. *Arrest. t.* 11. quem laudat, ac sequitur *Christin. dec.* 80. *num.* 2. *et*
seq. vol. 2. Plura de negligentia Judicis punien- 6
da, *Farin. q.* 111. *art.* 15. *num.* 396. *et seqq.*

L. De Ordinario Judice. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Praefecti Praet. erat de judicum causis cognoscere, quando conveniuntur. 2.
Actor forum Rei sequitur. 3.
Usus hujus legis modernus. 4.

Ordinarius Judex, vel Praeses fecerat injuriam 1
realem alicui Tribuno militum. Hic volebat judicem, a quo laesus erat, ad tribunal militare
pertrahere. Sed respondent Impp. Praefecti Prae- 2
torio esse de Judicum causis cognoscere, quan-
do conveniuntur; nam actor forum rei sequi- 3
tur, *l.* 2. *infra de jurisdict.* Potest haec lex ci- 4
tari, quando milites, vel aulici, vel venatores ad suum judicem volunt alios pertrahere, quod saepissime fit. Nam quoties injuria illata militi gregario, etiam volunt hoc vindicare Tribuni militum, vel Judices militares, sed male, et contra fundamenta juris.

L. Ult.

SUMMARIUM

Provincialis gravatus Principem adire potest, sed Princeps rescriptum suum ad Praef. Praet. diriget.

Qui in Provinciis oneribus transvectionum, vel angariis nimis gravatum se esse putaverit, ille, si velit, Principem quidem adire potest; sed Princeps Rescriptum suum ad Praefectum Praetorio diriget; Quod videtur datum honori Praefecti Praetorio, et simul consultum securitati Provincialium: nam ne hi a Praesidibus Provinciarum opprimerentur, cura erat Praefecti Praetorio, et huic cognitio super ea re et immoderatioribus exactionibus incumbebat.

TITULUS XXVII.

De Officio Praefecti Praetorio Africae.

L. Quas gratias. 1. et L. in nomine Domini. 2.

SUMMARIA

Imp. Justinianus Africam a Vandalis liberavit. num. 1.
Orthodoxi, quibus ab Arianis linguae praecisae, tamen loquebantur. 2.
Officium Magistratus. 3.
Poena Judicum modum sportularum excedentium. 4.
Officia militum. 5.
Trajectum h. l. quid? 6.
Confinia in dubio probantur ex custodia locorum 7.
Magistratus ratione officii ex culpa levissima obligatur ad satisfactionem, et ex quasi delicto. 8.
Ei competit signatum, cui competit signum. 9.
Officium Capitaneorum in exercendis militibus. 10.
Capitaneus tenetur de delictis militum suorum. 11.

1 Postquam Imperator Justinianus Africam a potestate Vandalorum, qui Ariani erant, et Catholicos acriter persecuti fuerant, liberaverat, DEO ob id prolixas agit gratias et dicit, se constituturum quae ad Reip. gubernationem, et militiae dispositionem faciant. Illa in *l.* 1. haec in *l.* 2. Leges sunt per se planae, et prolixae. Notanda itaque quaedam excerpimus, et I. quidem notandum, quod Orthodoxis ab Arianis
2 linguae praecisae essent, qui tamen loqui potuerunt, quo miraculo DEUS Ecclesiam suam ab Arianis afflictam erigere voluit, id quod Eccle-
3 siasticae Historiae multis testantur. Notandum II. est officium Magistratus ex §. 5. quod non debeat esse cupiditati deditus, nec avaritiae, nec vim aliis inferat, aut ab aliis inferri patiatur, sed justitiam colat, et veritatem. III. In §. 7. durissima poena infligitur Judicibus, qui modum sportula- 4
rum a Principe statutum excesserint, scil. poena 30. librarum auri, vel etiam dignitatis, ac substantiae ademptio. IV. In *l.* 2. prolixe militum offi- 5
cia describit, quod debeant ab omni hostium incursione provinciales tueri illaesos, et nocte dieque DEI implorare auxilium, civitates, et castra defendere, terras colere, semper in armorum exercitiis versari, feroces erga hostem, mites erga provinciales, et similia. Ex *l.* 2. §. 2. notetur, quanta diligentia Imperator trajectum, per quem fretum, seu angustiam maris Gibraltar 6
intelligo, custodiri, et milites cum Tribuno et aliquot dromones ibi collocari jubeat, quod miror hodie non fieri. Ex §. vero 3. communiter 7
probant, confinia in dubio probari ex custodia locorum, ut qui locum aliquem militari praesidio teneat, videatur possidere totum illum districtum, etc. de quo *Mascard. de probat. conclus.* 402. *num.* 1. *et Menoch. cons.* 147. *num.* 17. et quos allegat *Barbos. num.* 18. *et Mascar. d. l.* Ex §. 4. porro probant, Magistratum in 8
officio exactissimam, et summam diligentiam adhibere debere, et sic ex culpa levissima obligari ad satisfactionem, et ex quasi delicto, *Thoming. cons.* 18. *num.* 101. *Casp. Klok. cons.* 72. *num.* 38. *vol.* 2. Et ex eodem §. 4. concluditur, ei 9
competere Signatum, cui competit Signum, per verba textus: *sicut ex clausuris et burgis etc. Oldrad. cons.* 6. *Klok. cons.* 16. *vol.* 1. *num.* 11. Ex §. 10. notandum officium Capitaneo- 10
rum in exercendis militibus per ea, quae tradit *Klok. cons.* 20. *num.* 63. *vol.* 1. Ex §. 11. 11
collige Capitaneum, qui milites sub se habet, teneri de delictis a militibus perpetratis, praesertim si occulte perpetrari non potuerunt, *Mart. Laudens. in tr. de milite, qui reperitur vol.* 12. *tract. q. ult. Christin. dec.* 82. *num.* 1. *vol.* 2.

TITULUS XXVIII.

De Officio Praefecti Urbi.

L. Studentibus. 1.

SUMMARIA

Praefectus urbi annonae curam habebat. num. 1.
Post peculiaris Praefectus rei annonariae constitutus. 2.
An Praef. U. cura annonae adempta? 3.
Imp. inferiori aliquid gerendum mandans, non videtur superiorem privare voluisse sua potestate, aut solicitudine. 4.
Licet in concessione addatur dictio texativa: Solus. 5.
Per exclusivam omnes alii exclusi, praeter illos, quibus antea competebat generalis jurisdictio in iisdem causis. 6.
Limitatur. 7.
Quando quis potestatem alicui confert, in dubio potius cumulative, quam privative contulisse praesumitur. 8.
Jurisdictio, nisi in feudum concedatur, potius cumulative data videtur. 9.
Concessa jurisdictione in certo genere causarum non adimitur potestas alterius judicis. 10.

Si jurisdictio specialis concedatur per viam privilegii in favorem certarum personarum, credendum est, jurisdictionem datam fuisse privative ad alios judices. 11.

Idem videtur, si sint plures judices ordinarii, et generales, et uni ex illis certum genus causarum specialiter committatur. 12.

Inferior Judex non potest punire superiorem in jurisdictione delinquentem. 13.

1 Officium Praefecti urbi inter alia erat annonae curam habere, sed ex necessitate tempo-
2 rum postea peculiaris Praefectus rei annonariae
3 constitutus est: unde quaeritur: *An Praefecto Urbi cura annonae adempta?* Respondetur quod non; quia Imperator, dum inferiori aliquid ge-
4 rendum mandat, non videtur superiorem privare voluisse sua potestate, aut solicitudine, quod extendunt nonnulli, licet in concessione adda-
5 tur dictio texativa: Solus, *Hier. Verius in l. ex facto §. 1. num. 9. de vulg. et pupill. subst.* et quos refert *P. Barbos. ad l. 1. art. 4. num. 9.*
6 *q. ff. de judic.* et ideo per exclusivam omnes alii exclusi praeter illos, quibus antea competebat generalis jurisdictio in iisdem causis, *Bar-*
7 *bos. d. l. num.* 104. qui limitat notabiliter *num.* 123. nisi constaret, ea ratione Magistratum specialem constitutum esse, quia generalis propter multitudinem negotiorum non poterat illa commode expedire; nam tunc specialis videbitur datus privative ad generalem, quia aliter non esset succursum necessitati publicae, propter quam creatus est: exemplum in *l. 2. §. et cum*
8 *placuisset ff. de Orig. juris.* Collige: Quando quis potestatem alicui confert, in dubio potius cumulative quam privative eum contulisse prae-
9 sumitur. Et ideo nisi jurisdictio in feudum concedatur, potius cumulative data videtur jurisdictio: *Myns. c. 6. obs. 99. Covarr. in c. alma mater p. 1. §. 12. num. 3. et quos allegat Bar-*
10 *bos. in hac l. 1. num. 5.* Et sic concessa jurisdictione in certo genere causarum, non adimitur potestas alterius Judicis, *Afflict. dec. 41. num 1. Rol. a Valle cons. 80. vol. 2. Marckelbach. inter cons. Klock. vol. 1. cons. 14. num.* 103. Licet *Menoch. l. 2. praesumpt. 18. num. 26. et seqq. et Hillig. in Donell. l. 17. cap. 9. lit. N.* velint, id hic ideo fieri, quia reservata
11 est expresse cura annonae Praefecto urbi. Verum si jurisdictio specialis concedatur per viam privilegii in favorem certarum personarum, tunc ut privilegium aliquid operetur, credendum est jurisdictionem datam fuisse privative ad alios Judices, *arg. l. nec quisquam ff. de Offic. Pro-*
12 *cons. P. Barb. d. art. 4. num.* 134. Idem videtur, si sint plures judices ordinarii, et generales, et uni ex illis certum genus causarum specialiter committatur, nam tunc videtur privative concessum respectu Collegarum, *P. Barbos.*
13 *d. l. num.* 143. Notant etiam, inferiorem Judicem non posse punire superiorem in jurisdictione delinquentem, *Christin. dec. 82. n. 2. V. 2.*

L. Quod promulgatis. 2.

SUMMARIA

An, et quatenus Praefectus Urbi etiam ex Provinciis aliquos citare possit? num. 1.

Inquisitio procedere non debet, nisi fama praecesserit. 2.

Qualis fama esse debeat? 3.

Quilibet judex habet jurisdictionem in suos officiales in officio delinquentes. 4.

Quaeritur hic, *An Praefectus urbi etiam ex Provinciis aliquos citare possit?* Respondetur 1
negando, nisi in duobus casibus: I. Quando eos evocat a Provinciis, qui sunt Praefecti urbi officiales. II. Quando quidam seditionis in urbe excitatae sunt complices, et ex urbe profugerunt: hos enim etiam ex Provinciis evocare potest, alios non. *Hac ex lege* colligunt: Inquisi- 2
tionem procedere non debere, nisi fama praecesserit, quod tamen ex textu non colligitur. Qualis autem fama esse debeat, de eo prolixe 3
agit *Farin. qu.* 9. Soleo distinguere inter famam ab honestis personis ortam, et incertam, ut illa existente, in specie possit inquiri; hac vero, tantum in genere super ipsa fama. Colligunt etiam 4
ex hac lege: Quemlibet Judicem habere jurisdictionem in suos Officiales, si scilicet in officio delinquant, *Boer. dec. 9. num. 4. et seqq.* et ex *Papon. Christin. d. d. 82. num.* 3.

L. Praefectura urbis. 3.

SUMMARIA

Omnes Magistratus in urbe Praef. U. sunt subjecti. num. 1.

In dubio jurisdictio cumulative concessa praesumitur 2.

Omnes Magistratus in urbe Praefecto urbi sunt 1
subjecti, et si sine detrimento honoris alieni fieri possit, etiam illorum curam gerere potest, quae reliquis Magistratibus specialiter mandata. Ex 2
hac lege melius argumentum sumeretur, quod in dubio jurisdictio cumulative concessa praesumatur: Sed et hic responderi potest, presupponi hic usurpationem, et possessionem curarum totius urbis.

L. Omnia Corporatorum. 4.

SUMMARIUM

Praefecto U. subjecta Collegia, et Senatores Urbis.

Omnes Cives non tantum, sed et omnia Collegia in urbe Praefecto urbis sunt subjecta, imo ipsi etiam Senatores.

L. Primicerius. 5.

SUMMARIA

Praefecto U. adjungebatur Primicerius. num. 1.

Primicerius quis? 2.

Hujus officium biennale. 3.

Biennio elapso curam epistolarum suscipiebat. 4.

Mortuo, vel exauctorato succedebat in matricula proxime inscriptus. 5.

In Officiis locus est successioni, ut proxime receptus extraneis, vel ultimo receptis praeferatur. 6.

1 Praefecto urbis adjungebatur Primicerius, seu
2 primas, prior, et antiquior adjutorum officii urbicariae praefecturae, forte Praefecti urbis
3 Vicarius. Hujus officium biennale tantum erat,
4 quo tempore biennii elapso, Primicerius curam Epistolarum suscipiebat, ut probabiliter hanc legem emendat *Cujac. lib.* 3. *obs. cap.* 1. vel mortuo, vel alias exauctorato, proximus succe- 5
debat, qui erat in matricula proxime inscriptus. Notetur, in officiis locum esse successioni, ut 6
proxime receptus extraneis, vel ultimo receptis non postponatur, sed praeferatur, et dignitatem sortiatur secundum ordinem in matricula descriptum. Qua de re infra, praesertim *in lib.* 12. plura occurrent.

TITULUS XXIX.

De Officio Magistri Militum.

L. Viri illustres. 1.

SUMMARIA

Magistri militum quinam? num. 1.
Prohibitum his, ne in provinciales ullam exerceant potestatem. 2.
Praefectus Pr. non habet potestatem in milites. 3.
Comparantur cum Praef. Pr. 4.
Princeps aliquem exercitui praeficiens, ipsum hoc ipso nobilitat. 5.
Magistro militum in Gallia aequiparant Conestabilem, sive Comitem stabuli. 6.

1 Magistri militum erant Judices militares, qui curam exercitus habebant, et inter milites cognoscebant in civilibus, et criminalibus. Sed quoniam contingebat saepe, ut Magistri militum in paganos, sive provinciales potestatem suam
2 exercerent, ideo Impp. hac lege prohibent, ne Magister militum in provinciales ullam exerceat
3 potestatem, ex hac ratione, quia Praefectus Praetorio non habet potestatem in milites, ergo nec Judex militaris in provinciales. Ex qua comparatione sequitur, illustrem fuisse Magistrorum
4 militum dignitatem, ut qui cum Praefecto Praetorio compararentur; ut non male dicat *Tiraq.*
5 *de Nobilit. c.* 8. *num.* 15. Principem, si aliquem exercitui praeficiat, ipsum hoc ipso nobilitare.
6 Magistro militum in Gallia aequiparant Conestabilem, sive Comitem stabuli, *Petr. Greg. lib.* 17. *c.* 18. *num.* 5. *et Rebuff. ad l.* 37. *pag.* 410. *de V. S.*

L. Apparitores. 2.

SUMMARIA

Magistrorum Militum apparitores quinam? num. 1.
Subjecti erant Magistro militum. 2.
An officialis Episcopi fori privilegio gaudeat, remissive? 3.

1 Ut milites, ita etiam Apparitores, id est, Magistratuum militarium ministri, viatores, et licto-
2 res iisdem, Magistris scil. militum, et eorum jurisdictioni sunt subjecti, qua de re infra *lib.* 12. *tit. de Apparitor. Magistror. milit. et cor. privileg.* pluribus agitur. *An autem Officialis Episcopi fori privilegio gaudeat?* Vide *Jo. Aloys.* 3
Riccium decis. coll. 2856.

L. Eos. 3.

SUMMARIA

An Magistrorum militum apparitores supernumerarii jurisdictioni Magistri militum subjecti, praesertim cum quaestio esset de tributis, quae solvere debebant fisco ex suis praediis? num. 1.
Supernumerarius Collega, qui est ultra statutum numerum, non gaudet privilegiis Collegii. 2.
Nec eorum, qui in numero constituti. 3.

Apparitores quidam erant a Magistro militum 1
electi ultra numerum consuetum, et ideo erant supernumerarii: Quaeritur, *an etiam hi jurisdictioni Magistri Militum subjecti, praesertim cum quaestio esset de tributis, quae solvere debebant fisco ex suis praediis?* Et respondet Imperator, quod non; quia, qui non sunt in numero apparitorum statuto, eorum privilegio frui non debent, quod confirmat etiam ea ratione Imperator, quia, et illi apparitores militares seu milites, qui praedia possident, in causis tributorum, reliquis Judicibus non militaribus sunt subjecti. Colligitur facile ex textu, supernumera- 2
rium Collegam, qui est ultra statutum numerum collegii, non gaudere privilegiis collegii, *l.* 1. §.
1. *C. de Collegiat. lib.* 11. nec iis privilegiis, qui- 3
bus gaudent ii, qui in numero constituti, *l. fin. infra de Apparitor. Magistr. milit. etc. lib.* 12. *Boer. dec.* 260. *num.* 21.

L. Milites. 4.

SUMMARIA

Quatenus milites sine Caesaris consensu ex uno loco in alium transferendi? 1.
De quibus militibus lex haec loquatur? 2.
Praesidiariorum militum translatio, ac mutatio periculosa. 3.

1 Summa hujus L. est, quod milites sine Caesaris auctoritate, et consensu non sint transferendi ex uno loco, ubi consistunt, in alium, nisi adsit necessaria causa, quam Magister militum ad Principem referat, ut ille super causa ea co-
2 gnoscat: additur ratio in textu. Procul dubio autem haec lex loquitur de praesidiariis militi-
3 bus, quorum mutationem saepe periculosam esse, et translationem, ac mutationem exitio fuisse, Historiae veteres, et novae docent, nisi urgeat causa aliqua urgens, ut sublesta fides militum, etc.

L. Cum propitia. 5.

SUMMARIUM

Lex haec localis est, et merito cum similibus expungenda.

Imperator tantum in Armenia, et Ponto Polemoniaco novum Magistrum militum constituit. Ideoque haec lex localis est, et merito haec, et aliae similes leges locales, et forte plures expungendae fuissent.

TITULUS XXX.

De Officio Quaestoris.

L. Totius. 1. et L. Omnes. 2.

SUMMARIA

Laterculi minoris curam habebat Quaestor. num. 1.
Laterculum quid, et quotuplex? 2.
Cura haec a Theodosii praedecessoribus in Magistrum militum translata, quaestori restituitur. 3.
Cura fuit Impp. habere rationem antiquitatis. 4.
Securissime regnum antiquis artibus conservatur. 5.
Antiquitatis mos est retinendus. 6.
Explicatio verborum: nihil antiquius fuit Romanis. 7.
Antiquis temporibus feliciora fuerunt Imperia, cum suum cuique tribueretur. 8.

1 Historicae sunt hae leges: Summa earum est, quod laterculi minoris curam habeat Quaestor.
2 Laterculum erat Codex, in quo Magistratuum nomina, et officia, item administrandi ratio, et leges continebantur. Et aliud erat majus, quod arcanius, et apud Principem servabatur sub cura Primicerii Notariorum; aliud minus, de quo hic in *l.* 1. haec cura jam ante tempora Theo-
3 dosii ad Quaestorem pertinuerat; Sed a praedecessoribus Theodosii cura haec ad Magistrum militum fuerat translata. Sed Theodosius eam
4 curam Quaestori restituit in *l.* 2. Ex qua, et aliis legibus apparet, curae fuisse Imperatoribus, habere rationem antiquitatis, et voluisse eos antiquum morem, licet postea mutatum, in usum revocare, quod etiam propositum debet esse
5 Regentibus: et securissime Regnum antiquis artibus conservatur; et antiquitatis morem esse
6 retinendum probat *l. Testamenta* 18. *C. de Testam.* Unde Latini, quando dicunt, *nihil antiquius* Romanis *fuisse*, per id intelligunt *potius, utilius, venerabilius, nobilius, etc. Tiraq. de jure primogen. in praefat. num.* 86. Et sane an- 7
tiquis temporibus feliciora fuisse Imperia constat, cum suum cuique tribueretur. 8

L. Officia. 3.

SUMMARIA

Officia quaestorum in Provinciis Principis subscriptione, et confirmatione conferebantur. num. 1.
Poena hoc negligentium. 2.
Quaestoris cura primo fuit pecuniaria. 3.
Quaestor sacri Palatii Cancellarii munus gerebat. 4.
Alia erant officia Quaestorum in exercitu, alia in Provinciis. 5.

Officia Quaestorum in Provinciis, ut intelligo, 1
Principis subscriptione, et confirmatione conferebantur: quod si quis negligat, ipse publica- 2
tione bonorum, officium vero Praesidis, quod talem ambitum committi permiserit, tribus libris auri puniebatur. Nam certum est ex histo- 3
riis, Quaestoris curam primo fuisse pecuniariam; quamvis autem Quaestoris sacri Palatii officium dignitate creverit, adeo, ut Cancellarii munus 4
gereret, et Rescriptis subscriberet, manebant tamen alia officia Quaestorum in exercitu, et alia in Provinciis, qui proprie circa pecuniarum curam occupati erant: Et hi a solo Principe eli- 5
gebantur, qui intelligebant pecuniam esse nervum rerum agendarum. De ambitu in lib. 9. suo loco agetur.

TITULUS XXXI.

De Officio Magistri Officiorum.

L. Privilegiis. 1.

SUMMARIA

Agentes in rebus quinam? num. 1.
Quinam Principes agentium in rebus? 2.
His postea officia Praefectorum conferebantur. 3.
Magister officiorum quis? 4.
Quid ducenaria (sive ducena ,) Centenaria , Biarcha? 5.

1 Agentes in rebus erant, qui vel in aula Principis, vel Provinciis speciebus annonariis, seu frumentis, quae fisco praestabantur, vehendis, et importandis praeerant, de quo *Calvinus in Lexico.* Ad hoc officium nemo suffragiis emendicatis, sed labore, virtute animi, vigilantia, ac
2 testimonio morum proveniebat. Principes autem agentium in rebus erant, qui post continuae militiae tempus veluti pro praemio laboris exacti constituebantur, quibus postea officia Praefectorum conferebantur, *Cujac. ad l.* 1. infra *de*
4 *Princip. agent. in reb.* Magister vero officiorum erat Magistratus omnium agentium in rebus or-
5 dinarius, et succedebat in hoc officio Magisterii semper qui erat in matricula proximus, adeo ut receptio, et successio fieret secundum ordinem Matriculae. Quid autem fuerit *Ducenaria*, vel *ut Calvinus* vult, *Ducena*, quid item *Centenaria*, quid *Biarcha*, illud adhuc incertum est in specie: in genere scimus, quod fuerint gradus agentium in rebus.

L. Nemo agentium. 2.

SUMMARIA

Agentes in rebus non debent adscendere per saltum. num. 1.
Jure Can. successio in Collegiis non fit nisi per gradus. 2.
Prius receptus alteri , licet seniori, praeferendus. 3.

1 Agentes in rebus non debent ascendere per saltum, etiamsi Rescriptum Imperiale habeant; sed quo ordine sunt recepti, et qui diutius aliis militavit, is debet gradu aliis praecedere. Et ita
2 etiam jure Canon. statutum, ut successio in collegiis non fiat nisi per gradus, c. 1. *et seqq. dist.*
3 77. *L.* 2. *infra de Primicer.* De eo, quod prius receptus alteri, licet seniori, praeferendus, vid. *Mart. tom.* 1. *digest. decis. tit. praec. c.* 17. *et Riccius p.* 1. *decis.* 131. quod utinam in Ecclesiasticis officiis observaretur, et non statim juvenis inexercitatus praeferretur.

L. Scholarium. 3.

SUMMARIA

Scholae agentium in rebus sunt favore dignae , et earum privilegia augenda. num. 1.
Comites scholarum quinam? 2.
Habebant potestatem degradandi, aut verberandi senatores , aut ducenarios. 3.
Ducenarii quinam? 4.
Potestas haec soli Magistro Officiorum reservanda. 5.

Scholae agentium in rebus sunt favore dignae, 1
et earum privilegia augenda sunt. Et ideo Impp.
hic constituunt, ne Comites Scholarum i. e. agen- 2
tium in rebus, ad quos Scholarium agentium in rebus gubernatio pertinebat, de quibus infra *lib.* 12. *de Comitib. et Tribun. Scholar. et Cal-*
vin. in Lexic. potestatem haberent degradandi, 3
aut verberandi Senatores, aut Ducenarios, i. e. 4
qui ducentis Scholaribus praeerant, sed haec 5
potestas soli Magistro officiorum reservanda est, quando delictum talem severitatem postulat.

L. Curae. 4.

SUMMARIA

Magistro officiorum quodammodo etiam cura rei bellicae incumbebat: et qualis? num. 1.
Clausae, vel Clausurae quid? 2.
Optandum , antiquorum mores in usum revocari. 3.

Magistro officiorum non tantum incumbebat 1
cura officiorum, sed etiam quodammodo cura rei bellicae: nam tenebatur quotannis Imperatori significare, qui esset numerus militum in Provinciis, quomodo castra se haberent, vel limites, sive angustiae adituum, quae provinciam
aperiunt, quas hodie clausas, vel clusas, olim 2
clausuras vocabant, ut, si quis defectus sit, huic remedium opportunum a Principe quaeri posset. Haec, et similia sunt historica, hodie, et mutato Imperii statu tantum non abolita, utilia tamen iis Principibus esse possunt, qui amplio-
res Provincias possident, et optandum, ut an- 3
tiquorum mores in usum, quantum fieri potest, revocentur.

L. Jubemus. 5.

SUMMARIA

Ad militiam Scholarium nemo vocandus est, qui non habeat Principis approbationem. num. 1.

Singulis quadrimestribus numerus, et nomina Scholarium, et collationum a Magistro militum Principi transmittenda. 2.

1 Ad militiam Scholarium nemo vocandus est, qui non habeat Principis approbationem: nec enim sine Rescripto, Magister officiorum aliquem huic Scholae adjungere potest, adeo ut nemo alteri sine Rescripto Imperiali surrogari possit. Quoniam autem singulis quatuor mensibus col- 2
lationes, et ita annuatim tribus pensionibus inferebantur, ideo quadrimenstrui breves Scholarium in laterculo Principis reservandi, id est, singulis quadrimestribus numerus, et nomina Scholarium, et collationum a Magistro militum Principi transmittenda, et in Principis Cancellaria asservanda.

TITULUS XXXII.

De Officio Comitis Sacrarum Largitionum.

L. Palatinis. un.

SUMMARIA

Officium Comitis sacrarum largitionum. num. 1.
Largitiones quae? 2.
Thesauri largitionibus exercendis destinati sunt, non avaritiae causa depositi. 3.

1 Hujus officium erat in provinciis thesaurum Principis curare, aurum exactum ad aerarium mittere, super desidia judicum rem fisci negligentium, et privatam tantum utilitatem spectantium, apud Principem conqueri, et eorum nomina ad Principem referre, nec non brevia quadrimenstrua conficere, et in iis quantitatem largitionum conscribere, et ea ad aulam transmittere. Vocantur hic thesauri Principis largi- 2
tiones, quia thesauri largitionibus exercendis destinati sunt, non avaritiae causa depositi, 3
quamvis, et in alias plerasque res insumantur, ut ait *Perez. ad hunc tit. num.* 1.

TITULUS XXXIII.

De Officio Comitis Rerum Privatarum.

L. Unic.

SUMMARIA

Officium Comitis rerum privatarum. num. 1.
Bona Principis duplicia. 2.
Fiscalia in quasi dominio Principis sunt. 3.
Patrimonialia in vero dominio ejusdem sunt, et ad haeredem Principis transeunt. 4.
De quibus bonis h. l. intelligenda? 5.
Cujacius, *et* Perez *notantur.* 6.

1 Officium Comitis rerum privatarum est gubernare privatam substantiam Principis, et eam non minuere, sed augere. Sunt enim bona Principis alia Fiscalia, alia Patrimonialia Illa in quasi 2
dominio Principis sunt, sed haec in vero do- 3
minio ejusdem sunt, et ad haeredem Principis 4
transeunt, et de his intelligunt *l. un. h. t. Cu-* 5
jac. in π. h. t. et eo quoque inclinare videtur 6
Perez. Sed litera legis vix hanc interpretationem admittit, dum Praeses jubetur, si aliquid commodi fiscalis appareat, ut acta ad officium rei privatae, seu officium Comitis rerum privatarum transmittat. Hic igitur cura bonorum fiscalium ad Comitis rerum privatarum officium etiam pertinere videtur, licet distinctionem supra positam suo loco relinquamus.

TITULUS XXXIV.

De Officio Comitis Sacri Palatii.

L. Ad Palatinorum. 1. Et L. Si quis. 2.

SUMMARIA

Quis Comes Sacri Palatii, et quod ejus officium? num. 1.
An hic titulus a priori diversus? 2.

Erat hic quasi Procurator divinae domus, qui 1
Principis Patrimonium dispensabat, et erogabat, Emphyteuticum canonem exigebat, epulas sollicita ordinatione disponebat, omnia sarta, tectaque servabat etc. An autem hic titulus a priori diversus, adhuc dubium est, et *Pacius* notat, 2
perperam hic novam rubricam constitui, cum desit in manuscriptis, et video in *l.* 2. hic de Comite rerum privatarum sermonem esse, quod

scil. ea, quae ad Jurisdictionem Comitis rerum privatarum pertinent, non debeant ab ullo Praeside, vel Praefecto tractari sub poena 50. librarum auri: Ex quo apparet, hanc legem de Comite rerum privatarum loqui, et sic *ad tit. praeced.* pertinere, cum in lege prima, de Rationalibus, Palatinis, seu Officialibus, per quos Comes rerum privatarum patrimonium Principis administrabat, agatur.

TITULUS XXXV.

De Officio Proconsulis.

L. Legati. un.

SUMMARIA

De ProCOS. officio remissive. num. 1.
Legatus ProCOS. causas criminales audire; non tamen sententiam dicere potest. 2.
Nemo gladii potestatem sibi commissam alii delegare potest. 3.
Habet Legatus ProCOS. potestatem absolvendi. 4.
ProCOS. merum imperium habebat. 5.
Non tamen poterat condemnare, aut punire, nisi jussu populi, vel lege, vel SCto ipsi esset permissum. 6.

1 De Proconsulis officio videri possunt plura apud *Wesenb. in π. tit. de offic. Procons. et alibi.* Hoc
2 loco dicitur, Proconsulis Legatum, qui ei semper adjungebatur, posse quidem audire criminales causas, sed sententiam in criminalibus dicere non posse, sed tunc facinorosos ad Proconsulem esse transmittendos, quia gladii pote- 3
statem sibi commissam nemo alii delegare potest, *l. 6. pr. ff. h. t.* Sed absolvendi potestatem 4
habet Legatus Proconsulis, et sic absolvere in criminali judicio potest, non vero condemnare per *l. solent. 6. pr. ff. h. t et l. ult. §. 1. C. ubi Senatores. Longoval. in l. Imperium. num. 80. ff. de jurisd. Niger in rep. leg. 1. ff. de offic. ej. cui mandat. etc. num. 118. Menoch. l. 1. A. Q. 43. num. 13. et q. 54. num. 4. et cons. 715. num. 3.* Cujus ratio in eo est, quia Proconsuli competebat de causis criminalibus cognoscere, cum 5
merum imperium haberet, non tamen poterat condemnare, aut punire, nisi jussu populi, vel 6
lege, aut SCto ipsi esset permissum; ergo facultatem puniendi in suum Legatum transferre non poterat, *Petr. Barb. ad l. cum praetor §. 1. num. 473. ff. de judic.*

TITULUS XXXVI.

De Officio Comitis Sacri Patrimonii.

L. Officium. un.

SUMMARIA

Lex titulo non convenit. num. 1.
Sensus legis. 2.
Multa hic mendosa, et corrupta. 3.

1 Nec hic apparet, quomodo Lex titulo conve-
2 niat. Sensus legis est: Quaerebatur Praeses Hellesponti, saepe se urgeri, ac molestias sibi creari ab Apparitoribus, i. e. ministris, vel executoribus Vicariorum, qui Praefecti Praetorio vices in Provinciis gerebant, et petebat, ut in posterum esset sub jurisdictione Pronconsulis Asiae: quod impetrat. Nihil hic de Comite Sacri 3
patrimonii, et localia haec sunt, et merito expungenda, si Imperator curam revidendi Juris susciperet, et suspicor, hic multa esse mendosa, et corrupta.

TITULUS XXXVII.

De Officio Comitis Orientis.

L. Titulos. un.

SUMMARIA

Oriens ex quindecim Provinciis conficiebatur. num. 1.
Provinciae hac sub cura Comitis Orientis erant. 2.
Ejusdem curae suberant deputata ludis Alytarchiae, aut Syriarchiae. 3.
Curialis ad hoc officium adspirare non poterat. 4.
Oriens jam Imp. nostrum non veneratur. 5.

Oriens ex quindecim Provinciis, secundum Cu- 1
jacium, conficiebatur, Palaestinis scil. tribus, Syriis duabus, Ciliciis duabus, Phoeniciis dua-

bus, Cypro, Euphratensi, Osroena, Mesopota-
2 mia, Arabia, Isauria. Hae omnes Provinciae erant sub cura Comitis Orientis. Constituit au-
3 tem hic Imperator, ut quae Alytarchiae, aut Syriarchiae ludis deputata erant, curae subessent Comitis Orientis, nec Curialem ullum ad 4
hoc officium adspirare posse. Sed haec nihil ad 5
nos, cum Oriens jam Imperatorem nostrum non veneretur.

TITULUS XXXVIII.

De Officio Praefecti Augustalis.

L. Omnia. I.

SUMMARIA

Cur Augustus Ægypto Praefectum praefecerit? num. 1.
Qui ob id Augustalis dicebatur. 2.
Ejus officium. 3.
Origo executionis militaris. 4.
Executio militaris in privatis causis interdum jure nostro concessa. 5.

1 Augustus Imperator, cum videret, eum qui Ægyptum insideret, Italiam fame premere posse, ideo ejus regni peculiarem curam egit, et
2 ei Praefectum praefecit. Huic Praefecto, qui Augustalis dicitur ab Imperatore Augusto, tri-
3 buebat potestatem exigendi Tributa a Rectoribus Provinciarum, adeo ut morosi per militare auxilium, seu militari manu ad solutionem com-
4 pelli possent. Atque inde fluxit procul dubio executio militaris hodie nimis quam etiam con-
5 tra Provinciales frequentata, imo, et in privatis causis interdum jure nostro concessa *per l. qui restituere etc.* 68. *de Rei Vindic.* de quo *Donell. et ibi Hillig. l.* 20. *c.* 6. *lit. G. et Bacchov. in tract. de Act. Disp.* 7. *th.* 11.

L. Praefectus. 2.

SUMMARIA

Praefectus Augustalis in delicta Praesidum etiam inquirere poterat. num. 1.
Non tamen habebat potestatem degradandi, vel mulctandi. 2.
Hanc potestatem sibi soli reservavit Princeps. 3.
Alia est potestas inquirendi, alia puniendi. 4.
Similis videtur esse ratio officialium Principis in nonnullis Praefecturis. 5.
Praefecti, et Quaestores Provincialium excessus ad Principes referre, vel ad Collegium JCtorum debent. 6.
Nullus Magistratus destituere potest officiales, qui non ab ipsis, sed a Principe acceperunt officium. 7.
Nec patronus destituere potest Pastorem, aut scholae Collegam, nisi causa in consistorio probata. 8.

Quamvis hujus Praefecti Augustalis amplissima 1
sit potestas, adeo ut in delicta Praesidum etiam inquirere posset, non tamen habet potestatem 2
degradandi, vel mulctandi: nam hanc potesta- 3
tem sibi soli reservavit Princeps. Sic igitur alia 4
est potestas inquirendi, alia puniendi, ut supra *in l. un. de Offic. Procons.* Similis videtur esse 5
ratio Officialium Principis in nonnullis praefecturis. Nonnulli enim Praefecti, et Quaestores 6
possunt quidem inquirere in delicta Provincialium, sed ea pro lubito punire non possunt, sed debent eos excessus ad Principes referre, vel ad Collegium JCtorum. Colligunt ex hac lege: Nullum Magistratum destituere posse Officiales, 7
qui non ab ipsis, sed a principe acceperunt officium. *Christ. vol.* 2. *dec.* 82. *num.* 4. Et sic nec 8
Patronus destituere potest aut Pastorem, aut Scholae Collegam, nisi causa in Consistorio probata, licet sibi hanc potestatem arrogare videantur.

TITULUS XXXIX.

De Officio Vicarii.

L. In Civilibus Causis. I.

SUMMARIA

Vicarius quis? num. 1.
Praefecti Praetorio vices gerebat. 2.
Propriam jurisdictionem habebat. 3.
Nonnunquam cum Comitibus rei militaris concurrebat. 4.
Uter in concursu ejusmodi alteri praeferendus, et cujus votum, seu suffragium alterius voto debeat praevalere? 5.
Hac lege utitur Lanfranginus *in quaestione:* An Doctor Militi praeferendus? 6.
Quid in promiscuis actibus judicandum, remissive? 7.

Vicarius erat vir spectabilis, Praefecti Praeto- 1
rio vicem gerens, et quasi substitutus, qui ex 2
mandato Principis in dioecesin aliquam, seu tractum multas Provincias habentem mittebatur, et propriam jurisdictionem habebat. Sed 3
quia nonnunquam cum Comitibus rei militaris, 4
de quibus *Tit.* 47. agetur, concurrebat, ideo

5 quaeritur, *uter alteri sit praeferendus, et cujus votum seu suffragium alterius voto debeat praevalere?* Et respondet Imp. in Civilibus negotiis praeferri debere Vicarium, in militaribus Comitem: nam Vicarius quasi Pro-Praefectus Praetorio est, et ut Praefectus Praetorio vice Prin-
6 cipis judicat. Hac lege utitur *Christoph. Lanfranginus* in quaestione, *An Doctor Militi praeferendus*, quae habetur *vol.* 2. *Tractatus, ubi num.* 46. distinguit inter actum Militarem, et Doctoralem, ut illic Miles, hic Doctor praeferatur, et ita *Alexandrum Immolensem*, in magna concertatione ex hac lege conclusisse narrat *Signorol. de Homodeis dicto tract.* in simili quaestione *num.* 19. ubi quid in promiscuis actibus judicandum, uberius explicat.

L. Relationes. 2.

SUMMARIUM

Vicariorum, aliorumque administratorum officium requirit, ut frequenter referant ad Principem, si usus tulerit.

Imperator hic Vicariorum, aliorumque Administratorum relationes, et consultationes in rebus dubiis libenter se auditurum promittit. Ideoque Vicariorum, aliorumque officium requirit, ut frequenter referant ad Principem, si usus tulerit.

TITULUS XL.

De Officio Praetorum.

L. Praetori. 1.

SUMMARIA

Amplissima Praetoris primitus potestas. num. 1.
Restricta ab Impp. 2.
De quibus negotiis Praetor cognoscere poterat? 3.
Merum Imperium, et coercitio facinorosorum ad Praef. U. pertinebat. 4.

1 Amplissima Praetoris, qui jurisdictioni prae-
2 erat, primitus potestas erat, sed ab Imperatoribus restricta. Nam enumerantur hic certa negotia, de quibus Praetor cognoscere poterat:
3 nam liberales causas, in quibus de libertate, vel servitute agitur, cognoscebat, decreta promulgabat, atque ita possessionem bonorum petenti decernebat, si quis ex capite minoris aetatis, doli, vel similis causae se laesum poterat probare, hunc in integrum restituebat, pupillis tutores, adultis, et aliis curatores dabat, emancipationibus, et adoptionibus praeerat, formulas agendi litigantibus praescribebat, et jurisdictionem cum mixto imperio exercebat: Sed
4 merum Imperium, et coercitio facinorosorum ad Praefectum urbi pertinebat, *l.* 2. §. *fin. ff. de susp. tut. et. l.* 1. §. 7. *ff. de offic. praef. urb.*

L. Tres tantummodo Praetores. 2.

SUMMARIA

Numerus Praetorum admodum variavit. num. 1.
Tres ab Impp. per senatum constituti in urbe Praetores. 2.
In urbe domicilium habere debebant. 3.
Nec cogebantur inviti ad fabricas urbis, aut voluptatem populi sumptus facere. 4.
In urbe domicilium habentes originis, incolis novis; et hi extraneis praeferendi, quando de officiis concedendis agitur. 5.
In nonnullis locis peregrini ex statuto civibus etiam originariis praelati, et quare? 6.
Experientia docet, plerumque peregrinos infauste regimini adhibitos. 7.
Nos merito jus Civile hac in parte sequimur. 8.
Exceptio a regula, remissive. 9.

Quamvis numerus Praetorum admodum va- 1
riaverit, tamen ab Impp. demum constitutum, ut tres essent Praetores in urbe, et hi a Sena- 2
tu constituerentur ex his, qui in urbe domici- 3
lium habebant, nec cogebantur inviti ad fabri- 4
cas urbis, aut voluptatem populi sumptus facere. Collige: Eos, qui in urbe domicilium habent 5
originis, incolis novis, et hos praeferendos esse extraneis, quando de officiis concedendis agitur. *Vid. Myns. Cent.* 4. *obs.* 30. *Menoch. lib.* 5. *praes.* 12. *num.* 5. *Cristin. decis.* 83. *num.* 1. *vol.* 2. *Aug. Barbos. hic num.* 6. quamvis nonnullis locis, ut in Castellae Regno, in Italia, et olim in Gallia, peregrini ex statuto civibus etiam originariis praelati fuerint, ex ea ratione, ne 6
cives civibus Praefecti aut nimia indulgentia uterentur, aut veteris odii memores saevirent. *Petr. Greg. l.* 47. *cap.* 10. *num.* 13. *Tess. decis.* 268. *Par. de Puteo de Syndic.* §. *statutum num.* 4. Sed ratio haec parum movet, et experientia docet, plerumque peregrinos infauste regimini adhibitos: ideoque merito jus civile sequimur, 7
Originarios, et cives hic, et alibi praeferens: 8
exceptionem tamen habebimus in *l.* 3. *C. de divers. offic. et Apparitor. lib.* 12. de quo plurimis allegatis *Barbos. ad l. ult.* §. *fin. C. de offic. Rect. Prov.* Et ideo haec lis sopiri potest per distinctionem: Utrum officio sit praeponendus 9
aliquis in urbe, vel in ea Provincia, ubi praesens est superior, an vero in remotis provinciis, ut *Thesauri* opinio hoc casu intelligenda, nostra de illo, *Christin. d. l.* 19.

TITULUS XLI.

De Officio Rectoris Provinciae.

L. Potest. 1.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Judex non valens alias quaestionem aliquam principaliter cognoscere, incidenter tamen cognoscere, et decidere potest. 2.

1 Praeses, si de falso instrumento cognoscat, et incidat quaestio de dominio, tunc hanc quaestionem simul decidere potest. Nota: Judicem,
2 qui alias quaestionem aliquam cognoscere non posset principaliter, incidenter tamen eam cognoscere, et decidere posse, *hic, et leg.* 1. *C. de ordin. judic.* ubi de ea re, ut in sede ordinaria, pluribus haec materia excutietur.

L. Praesides. 2. et L. Moderatores. 11.

SUMMARIA

Cavendum Praesidi, ne tenuiores a potentioribus, vel eorum Procuratoribus opprimantur. num. 1.
Brachium Imp. aut Praef. Praet. ad hoc implorari debet. 2.
Etiam privatus alium injuria oppressum defendere tenetur. 3.
Officium Praesidis alias est, a malis hominibus Provinciam purgare. 4.

1 Cavendum maxime Praesidi est, ne tenuiores a potentioribus opprimantur, imo nec permittere debet, ut tenuiores a potentiorum Procuratoribus opprimantur, per *l.* 11. *h. t.* imo si tanta potentia nonnullorum, ut in ordinem a Praeside redigi, aut tenuiores contra violentiam
2 potentiorum defendi nequeant, brachium Imperatoris aut Praefecti Praetorio implorari debet
3 a Praeside *l.* 2. *h. t.* Ratio est; cum privatus etiam alium injuria oppressum defendere teneatur, ut late tradunt DD. *in l. ut vim* 3. *ff. de Just. et Jur. et Damhoud. in praxi rer. criminal. cap.* 80. quanto magis Praeses? cujus alias
4 officium est, a malis hominibus Provinciam purgare, per *l. congruit* 13. *ff. de off. praesid.* quanto magis ab injuria innocentes defendere?

L. Justissimos. 3.

SUMMARIA

Praeses officio suo recte functus, publicis acclamationibus, et laudibus honorari permittitur. n. 1.
De male gesto officio accusare Praesidem quilibet Provincialium potest. 2.
Praeses, deposito officio, 50. dies in Provincia manere cogebatur. 3.

Si Praeses officio suo recte fungatur, et laudabiliter, permittit Princeps, ut publicis acclamationibus, et laudibus honoretur: nam si acclamationes per clientes Praesidum citra eorum meritum fuerint procuratae, Princeps hoc inultum non sinet. E contrario si male gesserit officium suum Praeses, Praefectus Praetorio, vel Comes Orientis ad Principem hoc referre debent, et cuilibet Provincialium datur licentia Praesidem de male gesto officio accusandi, quo fine in *Nov.* 95. constitutum, ut Praeses deposito officio, 50. dies in provincia manere cogeretur. 1 2 3

L. In Officiales 4.

SUMMARIA

Praefectus Praetorio proximus erat post Principem. num. 1.
Hujus ministri, Domini potestate abusi, multa contra utilitatem publicam temere gerebant. 2.
Laniare h. l. quid? 3.
An in tales Praeses habeat jurisdictionem si in Provinciis deliquerint? 4.
Quatenus poenam his arrogare potuerit Praeses? 5.
Quatenus minor judex majoris judicis officiales, in suo territorio delinquentes punire possit? 6.
Durior hic significatio videtur verbi: vindicare. 7.
In officiales, et domesticos Principis Imperii, non Magistratus loci, ubi deliquerunt, sed Principis ipsius cognitio est. 8.
Magistratus loci, ubi Academia est, Cives hujus ibidem noctu delinquentes comprehendere quidem potest in ipso facto, sed non inquirere, multo minus eosdem punire. 9.

Praefectus Praetorio proximus erat post Principem. Ideoque hujus ministri, Domini potestate abusi, multa temere gerebant, et proterve contra utilitatem publicam, v. g. laniabant i. e. impediebant multis modis cursus publicos, sive postas. Confer. *l.* 13. 17. 18. *et aliae infr. de Curs. publ.* Quaeritur ergo: *an in tales Praeses habeat jurisdictionem, si quid in Provinciis deliquerint?* Resp. quod sic, ut tamen cognoscere tantum, non etiam poenam irrogare, sed delictum ad Praefectum Praetorio referre debeat, aut etiam poenam irrogare, sed non nisi certiore facto Praefecto Praetorio. Colligunt exinde *Br. hic, et Boer. decis.* 9. *num.* 6. posse minorem Judicem majoris Judicis Officiales, in suo (minoris scil.) territorio delinquen- 1 2 3 4 5 6

tes punire, ut tamen hoc majori prius significetur. Conf. *Guid. Papae dec.* 32. *num.* 8. Et hoc recte colligitur ex secundo intellectu legis: Sed
7 si priorem sequamur, ubi tamen durior significatio videtur verbi: *vindicare*, non nisi cognitionem minor haberet; Sed malo sequi posteriorem intellectum. Videmus tamen in multis
8 locis aliter servari. Sic in Officiales, et Domesticos Principis Imperii, non Magistratus loci, ubi deliquerunt, sed Principis ipsius cognitio est. *Petr. Heig. p.* 2. *qu.* 25. *Matth. Steph. lib.* 2.
9 *de jurisdict. p.* 2. *num.* 81. *et seqq.* Magistratum loci ubi Academia est, Cives hujus ibidem noctu delinquentes, comprehendere quidem posse in ipso facto, sed non inquirere, multo minus eosdem punire, certum est.

L. Potioris gradus. 5.

SUMMARIA

An inferior Magistratus negotia Praesidi incumbentia ab hoc neglecta administrare possit? num. 1.
Inferior Magistratus veritatem investigando, nemini facit injuriam. 2.
Non potest aliquid statuere contra superiorem. 3.
Potest inquirere, si superior vindictam Criminis negligat. 4.
Quatenus Judex Originis, vel Domicilii subjectum ob delictum alibi commissum punire possit? 5.
Alterius negligentia potest facere, ut sim judex competens. 6.

1 Praeses aliquis in Provincia nonnulla negligit, quae ad utilitatem Reipubl. videbantur spectare: Quaeritur, an inferior Magistratus sese immiscere, et negotia Praesidi incumbentia administrare possit? Videtur quod non, quia hoc videbatur pugnare cum reverentia Praesidi debita.
2 Sed aff. Imp. quia inferior veritatem investigando nemini facit injuriam: Si autem Praeses hoc pro injuria habeat, et potestate sua abutatur contra inferiorem, eumve alias in expeditione officii impediat, Imperatoris poenam sentiet. Non tamen ex hac lege colligendum: Inferiorem
3 posse aliquid statuere contra superiorem, sed quod inferior, si superior negligat criminis vin-
4 dictam, etc. inquirere possit. Sic quamvis Judex originis, vel domicilii subjectum non posset punire ob delictum alibi commissum, secus ta-
5 men, si Judex loci delicti sit negligens. *Farin.*
6 *q.* 7. *num.* 23. *lim.* 3. Sic ergo alterius negligentia potest facere, ut sim Judex competens.

L. Civitas Rhodiorum. 6.

SUMMARIA

Lex haec localis est. num. 1.
Sensus legis. 2
Culpa nautae est, si tempore hyberno naviget, et sic tenetur de casu secuto. 3.
In maritimis civitatibus hoc culpae non adscribitur. 4.

Lex haec localis est, et disponit, ut Praesides 1
in urbe Rhodiorum, vel ut alii forte rectius, 2
Rhodiorum, aut in alia ex quinque urbibus metropolitanis hybernent, addita poenae sanctione. Ex hac lege colligunt: culpam nautae 3
esse, si tempore hyberno naviget, et sic teneri de casu secuto. Sed id ubique non servari, et 4
in maritimis civitatibus hoc culpae non adscribi testatur *Beneven. Strach. de Nautis p.* 3. *num.* 1. Conf. *Laur. Kirchov. p.* 2. *var. cons.* 2.

L. Qui ordinariam 7.

SUMMARIA

Solebant Praesides, et Consulares ex futurae delegationis titulis profligare. num. 1.
Profligare quid? 2.
Id hic prohibitum. 3.
Quilibet suo salario contentus esse, nihil vero successori praeripere debet? 4.

Solebant forte Praesides, et Consulares ex fu- 1
turae delegationis titulis profligare i. e. de salario subsequentis, et sibi succedentis Praesidis aliquid decerpere. Nam profligare significat exige- 2
re, vel extorquere, ut profligare tributa, per *l. Judices* 11. *infr. de Annon. et Trib.* de quo *Calvin. in d. verbo.* Prohibent hoc Impp. sub 3
poena infamiae, et restitutionis de propriis facultatibus. Quilibet ergo suo Salario contentus 4
esse, nihil vero successori praeripere debet, quod ex hac lege colligitur, et ad alia officia temporaria, v. g. officium Rectoris in Academia, et similia accomodari potest.

L. Ne quis 8. et L. Nullum. 10.

SUMMARIA

Praeses in nullis causis militarem virum executorem constituere debet. num. 1.
Homines militares praesumptione cinguli militaris, partibus graves existunt. 2.
Nec potest Praeses per hos tributa exigere. 3.
Palatinis cum Provincialibus nihil est commercii. 4.
Haec jam inversa videmus. 5.

Praeses nec in publicis, nec privatis causis mi- 1
litarem virum, v. g. Apparitorem Praefecti, vel Palatinum, executorem constituere debet, ne scil. homines militares praesumptione cinguli 2
militaris, partibus graves existant, per *l. Milites* 31. *infr. Locat.* adeo ut contra facienti immineat et infamia, et mulcta, per *l.* 8. *h. t.* Id ad Hypothesin, seu ad tributa transfertur in *l.* 10. *h. t.* ne Praeses exigat tributa per viros milita- 3
res, vel Praefecti Ministros, aut Palatinos, ob dictam rationem: nam ipsius Praesidis curae hoc incumbit. Palatini enim Praesidibus quidem imminent, extorquent tributa, ut supra in *l.* 1. *de off. praef. August.* Sed Palatinis cum Provincia- 4
libus nihil est commercii, per hanc legem. Sed 5
jam haec inversa videmus.

L. Nullus. 9.

SUMMARIA

Prohibetur Praeses sine jussu Imperatoris adire sedem Imp. durante officio. num. 1.
Fines Provinciae ei non licet excedere. 2.
Episcopus suae Ecclesiae praesto esse jubetur. 3.
Periculosius est Reip. si Praeses Provinciam deserat. 4.

1 Prohibetur Praeses sine jussu Imperatoris adi-
re sedem Imperatoris, durante officio, quia sci-
2 licet fines Provinciae excedere ei non licet, *l.* 15.
h. t. quemadmodum Episcopus suae Ecclesiae
3 praesto esse jubetur, per *tot. tit. X. de Cleric.*
4 *non residentib.* et periculosius Reip. est, si Prae-
ses Provinciam deserat. *Franc. Viv. dec.* 356.

L. Omnes. 12.

SUMMARIA

An et quatenus Praeses in apparitores suos animadvertere possit? num. 1.
Barbosa *notatur.* 2.
Fustigandi, prius exuebantur. 3.

1 Praeses in Apparitores suos, si in officio ne-
gligentes sint, vel alias insolenter se gerant,
atque potestatis limites excedant, animadvertere
potest, quin, et eos verberibus, et fustibus,
2 vestibus prius nudatos, subjicere potest. Illud
vero suave est, quod *Barbosa* ex hoc textu col-
3 ligit: Apparitores olim nudos incessisse; cum sen-
sus tantum sit, fustigandos esse prius exuendos,
non quod semper nudi incesserint, et ictibus
expositi.

L. Si quis. 13.

SUMMARIA

Ex cohortalium, sive apparitorum nomine nemo in Praesidem constitui debet. num. 1.
Duplex ampliatio hujus. 2.

Ex Cohortalium, sive Apparitorum nomine, 1
nemo in Praesidem constitui debet: quod hic
dupliciter ampliatur, et extenditur. I. ut id etiam 2
locum habeat in cingulo militari, aliaque digni-
tate. II. Ut idem locum habeat, licet Apparitor
proprio motu Imperatoris fuerit electus: nam
praesumitur Princeps ignorasse conditionem ho-
minis.

L. Nulli ult.

SUMMARIA

Praesides praecise in Palatiis, seu Praetoriis habitare compellebantur. num. 1.
Palatium quid? 2.
Praetorium quid? 3.
Non poterant privatas inhabitare domos. 4.
Ratio hujus. 5.
Quod si in una urbe Palatium, et Praetorium reperiatur, Palatium habitationi Praesidis, Praetorium aliis necessitatibus serviet. 6.

Praesides praecise in Palatiis, seu Praetoriis 1
habitare compellebantur. Erat autem Palatium 2
domus Imperatoris habitationi consecrata; Prae- 3
torium vero pro Praesidibus erat extructum. Vid.
Sixtin. de Regal. cap. 19. *num.* 4. *et* 5. Nec po- 4
terant privatas inhabitare domos. Ratio est: quia 5
in hunc usum publica ista aedificia sunt extru-
cta, et si concederetur Praesidibus, ut publicis
relictis, privatas possent inhabitare aedes, tunc
reparationi aedium publicarum non providerent,
ut experientia testatur: quod si in una urbe
tum Palatium, tum Praetorium reperiatur, Pa- 6
latium habitationi Praesidis, Praetorium aliis ne-
cessitatibus serviet.

TITULUS XLII. ET XLIII.

Desunt in Authentico textu.

TITULUS XLIV.

De Officio Praefecti Vigilum.

L. Praefecti un.

SUMMARIA

Praefecti Vigilum officium. num. 1.
Cognoscebat de incendiariis, furibus, raptoribus, effractoribus, receptatoribus. 2.
Si capitale supplicium infligendum, ad Praefectum urbi causam referebat. 3.
Suberat Praefecto Urbi. 4.
Justinianus curam incendii avertendi Praetori populi dedit. 5.
Eumdem sibi tantum subesse voluit. 6.
Circa hanc curam quaelibet fere Civitas major peculiaria habet statuta. 7.

1 Praefectum Vigilum Augustus Imperator in-
stituit, ut praeesset cohortibus per urbem ad
extinguenda incendia, et reprimendas seditiones
2 dispositis. Hic de incendiariis, effractoribus, fu-
ribus, raptoribus, receptatoribus cognoscebat.
3 *l.* 3. §. 1. *ff. h.* t. Sed si capitale supplicium in-
fligendum erat, ad Praefectum urbis, cui sube-
rat, causam referre debebat. Sed hoc videtur 4
paulo mutatum a Justiniano, qui curam incen- 5
dii avertendi Praetori populi dedit, eumque sibi 6
tantum subesse voluit. Circa hanc curam quae- 7
libet fere Civitas major peculiaria habet statu-
ta.

TITULUS XLV.

Deest, et hic

TITULUS XLVI.

De Officio civilium Judicum.

L. Honorati. 1.

SUMMARIA

Civiles judices quinam? num. 1.
An honoratis viris juxta se sedendi debeant dare potestatem? 2.
Exceptio. 3.
Consultationi de sententia partes ipsas interesse inconveniens est. 4.
Advocati non debent sedere in judiciis. 5.
Secus si non exerceant advocaturam. 6.
Praxis hodierna. 7.

1 Civiles Judices sunt ii, qui civibus domi ma-
nentibus i. e. paganis jus reddunt. Sed quaeri-
tur: *an Civiles judices honoratis viris, v. g. Il-*
2 *lustribus, Clarissimis, et Spectabilibus juxta se*
sedendi debeant dare potestatem? quod affirma-
tur in *l. ult. infra de Offic. divers. judic.* Sed hic
3 habetur Exceptio, nisi eo tempore sessionem
petant, quo ipsorum honoratorum causae in
Judicio ventilantur, et minime omnium, quan-
4 do Judices de Sententia consultant. Huic enim
consultationi partes ipsas interesse foret inconve-
niens. Exinde colligit *Boer. dec.* 222. *num.* 14. et
5 alii, quos congessit *Barbosa,* Doctores Advoca-
tos, non debere sedere in judiciis, secus si non
6 exerceant Advocaturam; Sed hodie ita observa-
7 tur in omnibus judiciis, ut honoratiores quidem
non assideant judicibus, quando eorum causa ventilatur, sed in peculiari sella sedeant: quando vero deliberatur de sententia ferenda, etiam honoratiores adesse oportet.

L. Si quis. 2.

SUMMARIA

Officium judicum Civilium. num. 1.
Poena officium suum negligentium. 2.
Quatenus exactio tributorum, dum de immunitate cognoscitur, suspendenda? 3.
Quilibet id quod officii ratione facere debet, etiam facere praesumitur. 4.
Judex pro se habet praesumptionem justitiae. 5.
Libro officialis de publico ad scribendum deputati plena fides adhibenda. 6.

Officium Judicum civilium est, ut in adeundo 1
se faciles praebeant, non tantum in litibus pri-
vatorum, sed etiam in casibus publicis, v. g. si
quis se dicat immunem a tributis, vel aliis mu-
neribus: hi enim benigne debent audiri, quod
si non fiat, Praeses 30. libris auri, Apparitor 2
vero 50. libris auri mulctetur. Ex quo intelligi-
tur: interim dum de immunitate cognoscitur, exa- 3
ctionem tributorum esse suspendendam, scil. si
privilegium immunitatis producatur, tantum
quaestio sit de interpretatione, et an ad prae-
sentem casum pertineat; nam tunc, quia inter-
pretatio solius Principis, ut alibi dictum, ad eum
causa referenda, et interim suspendenda execu-
tio. Et ex hoc textu etiam hoc colligitur: Quod 4
quilibet id, quod officii ratione facere debet,
etiam facere praesumatur ex verbis: *quod non
arbitramur*, *Menoch.* hoc late explicans *l.* 2. *prae-
sump.* 67. *Mascard. concl.* 1006. *num.* 21. et quos
allegat *Barbos. hic, et idem locupletatus lib.* 9. *tit.*
89. *axiom. ult. et Christin. dec.* 83. *num.* 2. *vol.* 2.
et judex pro se habet praesumptionem justitiae. 5
Du. Mev. p. 1. *decis. c.* 1. Et colligunt etiam: li- 6
bro Officialis de publico ad scribendum deputati plenam fidem adhiberi, *Hier. Magonius dec. Luc.* 59. *n.* 22. *et Steph. Gratian. dec.* 137. *n.* 3. *in fin.*

TITULUS XLVII.

De Officio Militarium Judicum.

L. Nunquam. 1. et L. Praecipimus. 2.

SUMMARIA

Judices militares Cives non debent defendere vi armata. num. 1.
Nec executionem sententiae facere. 2.
Nec alios non militantes ad suum forum trahere. 3.
Obstat l. 68. ff. de R. V. *n.* 4.
Respondetur ad hanc legem. 5.
Manus militaris in d. l. *quid?* 6.
Apparitores sententias exequebantur. 7.
Supplenda haec l. 2. *ex* l. 5. *infra* de jurisd. *n.* 8.

1 Judices militares cives, seu paganos non de-
2 bent defendere vi armata, nec executionem
3 Sententiae facere, juxta *l.* 1. nec debent alios
non militantes ad suum forum trahere, sub
4 poena 50. librarum auri *per l.* 2. Sed quid est,
quod *in l.* 68. *ff. de rei vindic.* dicitur, quod res
5 a Reo manu militari sit auferenda? Resp. non
6 inscite per manum militarem ibi intelligi posse
7 ipsos Apparitores, qui instar militum, gladio
cincti, sententias exequebantur, qua de re videatur *Don. et ibi Hill. lib.* 20. *cap.* 6. *lit. G.* vel dicendum, in *d. l.* 68. contineri casum specialem contumaciae, quando reus condemnatus rem vindicatam habet, et potest restituere, nec tamen vult, et actoris interest rem ipsam po-
8 tius habere, quam aestimationem. Supplenda
autem haec *lex* 2. *h. t. ex l. in criminali* 5. *infr. de jurisd.* ubi etiam poena habetur ejus, qui alium ad vetitum traxerit judicium, et poena Tribuni, vel Vicarii praebentis vetitam executionem militarem ad capitalem extenditur, si delictum sit perfectum, cum hic de conatu praeprimis sermo sit.

L. Nemo 3.

SUMMARIA

Miles completa militia, Principis agentibus in rebus non societur, nec agendi vices accipiat. num. 1.
Ratio. 2.

Miles completa militia, agentibus in rebus non 1
societur, nec agendi vices accipiat, scil. Principis agentium in rebus, non vero Praesidis, ut
intelligit hic *Perez.* Additur hic poena, quod 2
cur constitutum, quaeritur? forte ne praesumptione cinguli militaris aliis sint molesti.

L. Duces militum. ult.

SUMMARIA

Duces militum ad numerum suum redigant milites. num. 1.
Quae porro ad horum spectarint officium? 2.

Pertinet *haec lex ad l. 4. supr. de off. Magistr.* 1
officior. et injungit Ducibus militum, maxime iis, qui barbaris gentibus sunt proximiores, et in ipsis limitibus commorantur, ut ad numerum suum redigant milites, quo imminente, i. e. adveniente, et jubente Magistro militum, ad numerum milites revocari, et lustrari pos-
sint; debent etiam assidue in armorum usu mi- 2
lites exercere, castra reficere, ne miles scil. otio torpescat, nam milites assiduo in labore habendi; et his Ducibus cum Principibus castrorum duodecima pars annonae limitaneis militibus assignatae, debetur a magistratu militum distribuenda; quae omnia rationes suas habent in ipsa Politica.

TITULUS XLVIII.

Ne Rei militaris Comitibus, vel Tribunis lavacra praestentur.

L. Omnem. un.

SUMMARIA

Differentia inter Magistrum militum, et Comites equitum, peditumve illustres, item inter Comites minores, ac Tribunos. num. 1.
Quibus balnea privata praestanda? 2.
Adoratio quid? 3.
Ubique fere publica habebantur lavacra. 4.

Differentia est inter Magistrum militum, et 1
Comites equitum, peditumve, qui illustres sunt, et inter Comites minores, ac Tribunos, qui illis
inferiores sunt: nam illis privata balnea in istis 2
locis, ubi commorabantur, praestari debebant,

aut ipsi poterant balnea privata sumptibus incolarum sibi exstruere, ad quem finem fiebat ado-
3 ratio, i. e. contributio, et collecta; sed inferioribus haec non sunt concessa, sub poena dupli, quorum ratio est: ne provinciales nimis gravarentur, *l.* 6. *C. de Metat.* et quia ubique fere 4
publica habebantur lavacra.

TITULUS XLIX.

De Officio Diversorum Judicum.

L. Nemo. 1. et Auth. seq.

SUMMARIA

Nullus judicum honestam matronam ob aes alienum in publicum venire, multo minus ex aedibus in forum trahi jubeat. num 1.
Poena capitalis in pecuniariam mutata. 2.
Imo nec ob debitum fiscale foemina in judicio comparere tenetur. 3.
Quatenus jure novissimo per Procuratorem comparere possint foeminae? 4.
Si praesentia foeminae necessaria, judex in aedes ejus nuntium mittere debet. 5.
Foeminae, si crimen sit gravissimum, mulierum custodiae committendae. 6.
Praxis hodierna. 7.
Verecundiae muliebri non convenit, admisceri coetui virorum. 8.
An privilegium hoc matri etiam tutelam gerenti competat? 9.
Quando necessaria sit specialis renunciatio h. Auth? 10.
Absolute, et omnino eidem renunciari non potest. 11.
Idem obtinet in foeminis nuptis non mercantibus. 12.

1 Nullus Judicum honestam matronam, sive nuptam, sive virginem, sive viduam, ob aes alienum in publicum venire, multo minus ex aedibus in forum eam trahi jubeat, addita poena
2 gravissima, capitali scil. quae tamen in pecu-
3 niariam mutata, *Farin. quaest.* 27. *num.* 46. Imo hoc extenditur hic, ne ob debitum quidem fiscale teneri foeminam comparere in judicio, *Jo. Guttierez. lib.* 2. *Pract. quaest.* 25. nam ju-
4 re novissimo per Procuratorem in fiscalibus etiam, et criminalibus comparere possunt foeminae, praestita cautione de judicio sisti, adeo ut si
5 praesentia foeminae esset necessaria, Judex tamen in aedes ejus nuntium mittere debeat. *Farin. d. l. num.* 49. *Menoch. l.* 1. *A. Q.* 88. *num.* 11.
6 Imo si crimen sit gravissimum, mulierum custodiae committantur. *Hac Auth. et Auth. Hodie C.*
7 *de cust. reor.* (quamvis ultimum usu non observetur; eo tamen casu mulier in publicum carcerem cum viris quidem trudi non debet, sed opus est alio loco, ut in monasterio vel a mulieribus aliis custodiatur, *Farin. d. l. num.* 52. *Menoch. d. l. num.* 20. *Clar. §. fin. quaest.* 28. *num.* 3.) Et horum omnium ratio in pudore 8
sexus; nec enim verecundiae muliebri convenit, admisceri coetui virorum. Et hoc privilegium 9
etiam matri tutelam gerenti competere, licet omni legum auxilio renunciaverit, contra *Bart.* recte statuit *Covarr. l.* 2. *var. resol. c.* 1. *num.* 3. *Vasq. p.* 1. *lib.* 3. *contr. cap.* 97. *Menoch. lib.* 1. *A. Q.* 88. *num.* 12. Necessaria enim est renun- 10
ciatio specialis hujus *Auth.* si se ad corporis capturam obligare velint, *Christin. dec.* 178. *num.* 2. licet absolute, et omnino huic renunciari non 11
posse putem, cum publicae honestati hoc da- 12
tum, quod in nuptis non mercantibus etiam tradit post alios *Christin. d. d.* 178. *num.* 4.

L. Singuli. 2. et L. Sciant. ult.

SUMMARIA

Judices omnes in suis relationibus, subscriptionibus, et edictis debitum honorem exhibeant superioribus. num. 1.
Non debent eos appellare fratres. 2.
Honoratioribus semper pateat ingressus. 3.
Ipsis Consistorium Principis ingredi semper licet. 4.
In salutationibus ipsis honor debitus deferendus. 5.
Et potestas facienda sedendi in judicio juxta judicem. 6.
Nisi cum consultatur. 7.
Gradus honorum non confundendi. 8.

Judices omnes in suis relationibus, subscriptio- 1
nibus, et Edictis, debitum honorem exhibeant Superioribus, adeo, ut si fratres eos appellent, 2
hoc multum ferre non debeant per *l.* 2. *h. t.* eaque reverentia non in verbis tantum consistere debet, sed et in factis, v. g. ut honoratiori- 3
bus semper pateat ingressus, addita ratione, 4
quod ipsis Consistorium Principis ingredi semper liceat. Sic in salutationibus debitus honor 5
ipsis deferendus, et cum in judicio agunt, sedendi juxta Judicem potestas ipsis facienda per 6
l. ult. hoc tit. quamvis cum consultatur, prae- 7
sentes esse non debeant, *l.* 1. *supr. de Offic. civil. judic.* quorum omnium ratio, ne gradus 8
honorum confundantur.

TITULUS L.

Ut omnes Judices tam civiles, quam militares post administrationem depositam, 50. diebus in civitatibus, vel certis locis permaneant.

SUMMARIA

Rubr. et Princ. *habetur argumentum hujus tituli. num.* 1.
Omnes judices per 50. *dies post administrationem depositam in provincia, quam gubernarunt, permanere debent.* 2.
Et eo tempore publice versari in omnium conspectu. 3.
Omnibus talem judicem super crimine aliquo accusare permissum. 4.
Judex debet praestare cautionem juratoriam de judicio sisti. 5.
Nil talem judicem excusat. 6.
Contra faciens Crimen laesae Majestatis incurrit. 7.
Similis poena manet Praesidem novum, qui praedecessorem honeste non retinuerit. 8.
Ratio horum omnium. 9.
Quando Praedecessoris officium expiret? 9.
Quid cum aufugiente ante lapsum illorum 50. *dierum administratore faciendum?* 11.
Ex fuga officialis, qui ante tempus praestitutum aufugit, oritur suspicio criminis contra eumdem. 12.
Imo habetur pro confesso. 13.
Si intra 50. *illos dies fuerit lite pulsatus, et lapsis illis* 50. *diebus, lis nondum ad finem perducta, an ne finem litis expectare debeat administrator?* 14.
Tempus finiendum contra administratorem actionum quarumdam. 15.
Possunt Provinciales ipsum Praesidem fugientem detinere. 16.
Et furti actionem coram Episcopo ejus loci intendere. 17.
Syndicatus quid? 18.

1 *Rubr. et Princ.* habetur argumentum hujus tituli: scil. omnes Judices, qualicumque in digni-
2 tate sint constituti, postquam successor ipsis datus, et hic successor ad Provinciae fines pervenit, quinquaginta dies in provincia, quam
3 gubernarunt, commorari debent, eoque tempore publice versari in omnium conspectu, ut
4 omnibus detur facultas, super crimine aliquo
5 talem judicem accusandi, et Judex debet praestare cautionem juratoriam de Judicio sisti. Et
6 hoc adeo sancte vult observari Imperator, ut nullum rescriptum, nulla etiam necessitas alterius Provinciae, ab ipso Praeside gubernandae,
7 vel alia causa ipsum excuset. Demum subjicitur sanctio poenae, quod contra faciens crimen laesae Majestatis incurrat, et 50. libris auri plectatur, et similis poena maneat Praesidem novum, 8
qui praedecessorem honeste non retinuerit. Ratio horum omnium: ne Administratores, vel 9
Praesides, aut alii potestate sua abuterentur, et ut metu actionis in officio continerentur.

§. 1. Licet novus administrator edictum ad 1
Officiales, vel Provinciales transmiserit, praedecessoris tamen officium non expirat, antequam novus Administrator ad Provinciae fines pervenerit. Cujus ratio, ne interim Provincia sine Administratore esset, aut interim damnum accipere posset: Cum interim multa in Provincia scandala contigere possint. *Par. de Puteo tr. de Synd. cap.* 4. *num.* 1.

§. 2. Dicitur, si Administrator ante lapsum 11
illum 50. dierum aufugerit, eum hoc casu retrahi debere in Provinciam, quam gubernavit, et adhuc eidem per 6. menses in provincia commorandum esse. Colligitur ex textu, ex fuga 12
Officialis, qui ante tempus praestitutum aufugit, oriri suspicionem criminis contra Officialem. *Mascard. de probat. concl.* 882. *num.* 8. imo habendum eum esse pro confesso, probatur ex *l.* 13
3. *infr. de Assessor. Clar.* §. *fin. quaest.* 21. *num.* 29. *Christin. dec.* 80. *num.* 4. *vol.* 2. Conf. *Par. de Puteo in tr. de Syndic.* §. *fuga officialis. c.* 1. *et* 2.

§. 3. Deciditur quaestio, si intra 50. illos dies 14
fuerit lite pulsatus, et lapsis illis 50. diebus, lis nondum ad finem fuerit perducta, an ne finem litis expectare debeat Administrator? Et distinguitur inter civiliter intentatam actionem, furti, vel injuriarum, et actiones criminales, ut in his commorari necesse habeat, in illis vero, relicto Procuratore, et praestita cautione, discedere possit.

§. 4. Tempus praescribit istis actionibus, quae 15
ob furtum, vel aliud crimen contra Praesidem instituuntur a Provincialibus, ut scil. intra 20. dies finiantur sub poena 10. librarum auri.

Auth. Si vero seq. et Nov. 8. *cap.* 9. *Nov.* 16
95. *Nov.* 128. *cap.* 23. *et* 24. *Nov.* 161. *cap.* 1. potestas videtur concedi provincialibus, ut ipsum Praesidem fugientem possint detinere, et furti 17
actionem coram Episcopo ejus loci intendere, qui summarie ex non scripto causam cognoscet, et de causa ad Principem referet. Et hic Doctores agere solent de Syndicatu, seu de judicio 18
contra Officialem ob male gestum officium instituto, de quo pluribus in peculiaribus tractatibus tractarunt *Par. de Puteo*, et alii, quos allegat hic *Barbosa in collect. et Cristin. dict. dec.* 84.

TITULUS LI.

De Officio ejus, qui vicem alicujus Judicis vel Praesidis obtinet.

L. In causa 1.

SUMMARIA

Vice-Praesidum constitutio. num. 1.
Facti species. 2.
An possint cognoscere causas reip.? 3.
Potest Pro-Praeses omnia ea facere, quae ipse Praeses praesens faceret. 4.
Qui vicem alicujus judicis obtinent, propriam consequuntur jurisdictionem. 5.
Eamdemque auctoritatem cum judice vero. 6.
Quibus mandata est jurisdictio, proprium nihil habent, sed mandantis jurisdictione utuntur. 7.
Horum vicariorum a superiore constitutorum officium morte Praesidis exspirat. 8.
Potest Resp. per sententiam Pro-Praesidis gravata restitutionem petere, exemplo minorum. 9.
Regis Vicarius ea facere potest, quae Rex ipse cujus vices gerit. 10.

1 Constituebantur nonnulli ad tempus, qui loco Praesidis, vel alterius Administratoris, gubernarent, cum v. g. Praeses defunctus esset, vel morbo, absentia, aliisque impedimentis detine-
2 retur. Talis igitur Vice-Praeses causam cognoverat, et dijudicaverat Reip. utilitatem concernentem: Respublica postea illam Sententiam ex capite nullitatis impugnat, quasi Pro-Praeses
3 non habuerit potestatem cognoscendi causas Reip. sed hoc reservandum esse Praesidi. Sed respon-
4 det Imperator, imo posse Pro-Praesidem omnia ea facere, quae ipse Praeses, si praesens esset,
5 faceret. Qui enim vicem alicujus Judicis obtinent, propriam consequuntur jurisdictionem,
6 atque eamdem habent auctoritatem, quam Judex,
7 cujus locum tuentur; quibus vero mandata est jurisdictio, proprium nihil habent, sed mandantis jurisdictione utuntur, *l.* 13. *ff. de offic. Procons. Perez. hic num.* 2. Et horum Vicariorum, qui 8
non a Praeside, sed Superiore constituti, officium morte Praesidis non exspirat, *Molin. de J. et J. T.* 5. *Disp.* 10. *num. fin.* Sed alia ratione Rei- 9
publ. consuli posse, si scil. restitutionem petat exemplo minorum, *l. Respublica* 4. *C. quib. ex caus. major etc.* Colligitur ex hac *l.* 1. Vicarium 10
Regis ea posse facere, quae potest Rex ipse, cujus vices gerit, *Rol. a Valle cons.* 86. *num.* 33. *v.* 1. *Surd. cons.* 281. *num.* 1. *Thomas Merckelbach. inter cons. Klok. v.* 1. *cons.* 37. *num.* 4.

L. Suggerente. 2.

SUMMARIA

Pro-Praeses omnia potest peragere, quae alias sunt officii Praesidis. num. 1.
Potest dare Tutores et Curatores. 2.
Decretum interponere de alienandis rebus minorum, vel Curialium. 3.
Emancipare liberos. 4.
Proprium habet jurisdictionem, non mandatam. 5.

Haec L. Sanctio est generalis, qua dicit Imp. 1
Pro-Praesidem omnia posse peragere, quae alias sunt officii Praesidis; quod exemplis declarat,
I. Dationis tutorum, vel curatorum. II. Decreti 2
interponendi de alienandis rebus minorum, vel 3
Curialium, juxta *t. t. C. de praed. Decur. etc.*
III. Emancipationis liberorum. Ratio in prae- 4
ced. Lege allegata, quia propriam habet juris- 5
dictionem, non mandatam.

TITULUS LII.

De Assessoribus, et Domesticis, et Cancellariis Judicum.

L. Studiorum. 1.

SUMMARIA

Praesides, Assessores, vel Consiliarios suos non debent metu, vel necessitate ad id compellere. n. 1.
Compulsio ista est contraria libertati. 2.
Ad officia publica, et ad consulendum quis potest compelli. 3.
Regulariter non potest quis assidere in patria. 4.
Praeses suae jurisdictioni non subjectum non potest compellere. 5.
Assessoratus est honor. 6.
Ad eum infames non admittuntur. 7.
Nec illegitime nati. 8.
In puncto tamen juris Civilis contrarium videtur esse defendendum. 9.
Quod secuta etiam quorumdam locorum Praxis. 10.

1 Praesides, qui sibi adsociare volunt Assessores,
vel Consiliarios, non debent metu, vel necessi-
tate ad id illos compellere, sed praemiis, vel
2 spe praemiorum, et honoris allicere. Additur ra-
tio, quia compulsio ista est contraria libertati.
3 Licet enim ad officia publica quis compelli pos-
sit, ut ad consulendum, *l. Sancimus C. de Ad-
voc. divers. judic.* hic tamen non Reip. princi-
paliter, sed ipsius Praesidis versatur interesse,
4 qui suscepit onus humeris suis impar, et cum
regulariter non possit quis assidere in patria,
5 non potest etiam Praeses suae jurisdictioni non
subjectum compellere; et *d. l. Sancimus* lo-
quitur de eo, qui jam suscepit onus Advoca-
tionis, *Joan. Bolognett. in Rubr. et l. 1. ff. h.*
6 *t. num.* 11. Colligitur ex hac lege: Assessoratum
7 esse honorem, et sic merito non admittuntur
8 infames, *l. 2. ff. h. t.* nec illegitime nati. *Myns.
Cent. 4. obs.* 31. *Hill. in Donell. lib.* 18. *c.* 2.
9 *lit. K.* Sed in puncto Juris civilis contrarium
videtur esse defendendum per tradita *Hartmann.*
10 *Pistor. p. 1. q.* 30. et Spurios aliquos virtute
praeditos admissos fuisse testatur *Christin. de-
cis.* 85. *num* 4.

L. Praesides. 2.

SUMMARIA

Assessores, et Consiliarii Praesidum non habent per se jurisdictionem. num. 1.
Nec debent subscribere libellis. 2.
Officium Assessoris non consistit in judicando, sed instruendo. 3.
Talis adhaeret jus dicenti, sicut ulmus viti. 4.
Judex idiota sine Assessore est sicut piscis sine aqua. 5.
Assessorum est curare, ne inepte concepti libelli, aut rem inhonestam continentes recipiantur. 6.

1 Assessores, et Consiliarii Praesidum non habent
2 per se jurisdictionem, ideoque nec libellis sub-
3 scribere debent, sub poena exilii; quia officium
Assessoris non consistit in judicando, sed in-
struendo, nec habet jurisdictionem, sed adhae-
4 ret jus dicenti, sicut ulmus viti, et Judex idio-
ta sine Assessore est sicut piscis sine aqua,
5 *Jo. Bolognett. d. l. num.* 5. et eorum est cu-
rare, ne inepte concepti libelli, aut rem inho-
6 nestam continentes recipiantur, *l. 9. §. 4. ff. de
Offic. Procons. Donell. d. l. Bolognett. d. l. n.* 18.

L. Consiliarios. 3.

SUMMARIA

Consiliarii, Assessores, et domestici Praesidis, vel Judicis deposita administratione per 50. dies in Provincia commorari debent. num. 1.
Poena talem Assessorem subtrahentis inquisitioni. 2.
An imperitiae quoque nomine teneatur Assessor? 3.
Ubi dolus cessat, cessat etiam injuria. 4.
Magistratus de dolo tantum tenetur. 5.
Officialis, si tempore Syndicatus aufugiat, habetur pro confesso. 6.

Quod *tit. Ut omnes Judices etc.* dictum, scili- 1
licet, Judicem deposita administratione per 50.
dierum spatium in Provincia commorari debe-
re, id hoc loco ad Consiliarios, Assessores, et
Domesticos Praesidis, vel Judicis extenditur,
cum et hi occasionem habeant spoliandi Provin-
ciales. Additur hic poena ejus, qui talem Asses- 2
sorem subtrahit inquisitioni, ut scil. pro con-
fesso habeatur, et quadruplum restituere tenea-
tur, duplum spoliato, alterum vero duplum
Fisco. Sed quaeritur hic: *An imperitiae quoque* 3
nomine teneatur Assessor? quod Affirm. per
l. 2. ff. quod quisque Juris etc. et ibi *Accurs.
Cujac. l. 32. obs. 40. Oldendorp. progymn. class.
1. act. 1. Matth. Steph. l. 1. de Jurisdict. c. 35.
num.* 19. a quibus dissentit *Donell. in d. c.* 2.
tum, quia Edictum de Praetore coercendo agit,
tum quia ubi dolus cessat, cessat etiam injuria: 4
Sed prius negatur, posterius ad Magistratum, 5
qui de dolo tantum tenetur, restringitur. Vid.
Hillig. in d. c. 2. lit. gg. Colligitur ex textu: 6
Officialem si tempore Syndicatus aufugiat, ha-
beri pro confesso. *Menoch. l. 2. praes. 85. in
fin. Mascard. de probat. conclus.* 832. *num.* 4.

L. Domesticus. 4.

SUMMARIA

Domestici quinam h. l.? num. 1.
Eorum officium. 2.

Domestici erant protectores Judicum, qui la- 1
tus eorum tegebant: hi negotiis publicis absti-
nere debebant; eorum enim officium erat ades- 2
se, et comitari, et defendere Praesidem, non
vero aliorum patrocinium suscipere, vel aliis
actibus publicis adesse, sub poena a Judice su-
periore infligenda.

L. Nemo. 5. L. Nemo de domesticis. 6. et L. Liceat. 12.

SUMMARIA

Cancellarii h. l. quinam? num. 1.
Qui domestici, vel Cancellarii, Notarii, vel Secretarii officium semel gesserunt, continuationem ejus officii petere non possunt. 2.
De venditionibus officiorum publicorum non admittendis remissive. 3.
Praeses Assessores sibi eosdem secunda, vel tertia vice adsumere potest. 4.
Qui semel recte cognitus est, non debet ob id, quod semel probatus est, improbari. 5.
Semel approbatus amplius reprobari non potest. 6.
Officialis semel pro idoneo habitus repelli sine causa nova non debet. 7.
Objectio diluitur. 8.
Donellus *notatur.* 9.
Licuit Praesidi pro lubitu eligere Assessores. 10.
Domesticos, et Cancellarios non item. 11.
Hi perpetui erant. 12.
Praeses suam imperitiam supplebat per Assessores. 13.

1 Qui domestici, vel Cancellarii i. e. Scribae, No-
2 tarii, vel Secretarii officium semel gesserunt,
continuationem ejus officii petere non possunt,
hoc habetur in *l.* 5. *et* 6. in qua *l.* 6. habetur
sanctio poenae, et in *l. unic. C. de ambitu*, de
3 qua infra, quo pertinent ea quae *Barbos. ad l.*
6. *num.* 6. remissive habet, de venditionibus of-
4 ficiorum publicorum non admittendis. Sed in
l. 12. dicitur, posse Praesidem Assessores sibi
eosdem secunda, vel tertia vice adsumere, ad-
5 dita ratione eleganti: qui semel recte cognitus
est non debet ob id, quod semel probatus est,
6 improbari. Unde regulam colligunt; quod semel
approbatus, reprobari amplius non possit, *l.* 9.
7 *ff. de negot. gest.* et Officialem semel pro ido-
neo habitum, repelli sine causa nova non de-
bere. *Sanchez. de Matrim. lib.* 9. *disp.* 6. *num.*
8 9. *Caevall. q.* 425. *num.* 16. et alii. Quae viden-
tur contraria *l.* 5. *et* 6. Sed de Cancellario in
9 specie loquuntur, et de Domesticis. *Donellus* qui-
dem *d. c.* 2. haec ita conciliat, quod *l.* 5. *et* 6.
loquantur de eadem Provincia, *l.* 12. de diver-
sis Provinciis. Sed divinatoria est responsio: me-
10 lius ex ipso textu conciliantur haec; Nam licuit
Praesidi pro lubitu eligere Assessores, ut ex *l.*
11 1. apparet, non vero domesticos, et Cancella-
12 rios, per *l.* 8. *h. t.* Hi enim procul dubio per-
petui erant. In electione vero Assessorum, nego-
13 tium vertebatur ipsius Praesidis, qui suam im-
peritiam supplebat per Assessores.

L. Velut. 7.

SUMMARIA

Quidquid Assessores ex officio, vel salario lucrantur, id ad peculium quasi castrense pertinet. num. 1.

Horum ratione pro patribus fam. habentur. 2.

Salarium ex publico habuerunt. 3.

Salarium hoc, mortuo Praeside, debebatur Assessori pro residuo tempore, quod Assessori, dum eligeretur, praestitutum erat. 4.

Quidquid ex salario publico ob officium aliquod percipitur, ad peculium quasi castrense spectat. 5.

Integra salaria defunctorum Consiliariorum, et Assessorum eorum haeredibus debentur. 6.

1 Quidquid Assessores ex officio, vel salario lu-
crantur, id ad peculium quasi castrense perti-
net, et ideo sibi, non parentibus acquirunt, et
2 ratione horum pro Patribus familias habentur. Et
3 ideo apparet, ex publico habuisse, per *l. ult.*
4 *ff. eod.* Et hoc salarium, mortuo Praeside, de-
bebatur Assessori pro residuo tempore, quod
Assessori, dum eligeretur, praestitutum erat, per
l. Diem functo ff. h. t. de qua lege vide *Bolo-
gnett. plurib. d. l.* pertractantem, et *Cagnol. in
repetit. d. leg. et Hill. in Donell. d. c. lit. DD.*
5 Ideo generaliter ex hac lege colligi potest: Quid-
quid ex salario publico ob officium aliquod per-
cipitur, ad peculium quasi castrense spectare.
6 *Barb. hic.* Ex hac lege fluxit, quod integra sa-
laria defunctorum Consiliariorum, et Assessorum
eorum haeredibus debeantur. *Rauchbar. p.* 1. *q.*
25. *Gail. l.* 1. *obs.* 44. *num.* 12. *Carpz. p.* 2.
const. 5. *def.* 10.

L. Nullus. 8.

SUMMARIA

Quinam Cancellarii, vel domestici, seu secretarii munus apud Praesidem gerere possit? n. 1.

Non debet Praeses talem secum ducere in provinciam. 2.

Domesticorum munus perpetuum. 3.

Cancellarii fidei acta publica sunt credita. 4.

Debent 50. dies post depositam administrationem in Provincia commorari. 5.

In caput Praesidis torqueri possunt. 6.

Tractat hic Imperator, quinam Cancellarii, vel 1
Domestici, seu Secretarii munus apud Praesi-
dem gerere possit. Talem enim non debet Praeses 2
secum ducere in Provinciam, sed ab officialibus
primatum periculo eligendi, tum quia eorum
munus erat perpetuum, nec potuit sine injuria 3
eripi, ergo Provincialibus relinquendum, ne
omnino a Rep. semoti videantur; *Donell. d. l.*
tum quia non careret suspicione, si Praeses se-
cum duceret Cancellarium, cujus fidei acta pu- 4
blica sunt concredita. Subjungitur in *lege hac*,
quod Cancellarii etiam, et Domestici post de- 5
positam administrationem 50. dies in Provincia
commorari debeant, non tantum, ut ipsi accu-
sari possint, sed etiam, ut in caput Praesidis 6
torturae subjici queant.

L. Si post depositam. 9.

SUMMARIA

Praesidis ob crimen conventi, domestici testes a provincialibus nominati in casu, quando nesciunt, ubi jam degant, ab Ex-praeside judicio sunt sistendi. num. 1.

Tempore syndicatus durante, Magistratus suos officiales praesentare debet. 2.

Quando Praeses deposita Provincia convenitur 1
ob aliquod crimen, et provinciales nominant
testes ipsos Praesidis domesticos, sed nesciunt,
ubi jam domestici illi agant, tum domestici illi
ab ipso Ex-Praeside judicio sunt sistendi, quia
secum detinere debuisset. Et ideo apparet, tem- 2
pore Syndicatus durante, Magistratum suos Of-
ficiales praesentare debere, ex *Capell. Tholos.
dec.* 195. *hic Barbos.*

L. In Consiliariis. 10.

SUMMARIA

Nulli patriae suae administratio sine speciali permissu Principis permittebatur. num. 1.

Nec potuit aliquis Consiliarium agere in sua patria, nec Praesidi assidere ultra 4. menses. 2.
Non facilis brevi tempore peccandi occasio. 3.
Limitantur num. 2. dicta. 4.
Quoad alia officia quae in administrandis rebus et curis reip. magis, quam exercendis litibus, versantur, cives, et originarii caeteris paribus praeferendi. 5.
Originarii magis callent instituta, et mores patriae. 6.
Pro naturali in patriam amore majori sedulitate, et fide administrari censentur. 7.

1 Sicut nulli Patriae suae administratio, sine speciali permissu Principis, permittebatur, de qua re peculiarem olim fuisse titulum in hoc libro narrat *Cujac.* ita neque potuit aliquis Consilia-
2 rium agere in sua patria, et Praesidi assidere
3 ultra 4. menses, quia non facilis brevi tempore peccandi occasio, et forte non tam cito alii eligi possunt, *Donel. d. l.* nisi haberet speciale Re-
4 scriptum Principis; ne scil. quid ex ambitione vel gratia in suorum cognatorum gratiam, vel per calumniam aliquid admittat, ne vel nimia indulgentia illis parcat, vel odio veteri praeter modum in illos saeviat. *Hill. d. c. 2. lit. L. et Menoch. l. 5. praes.* 12. *num.* 9. et quos *Hillig.*
5 allegat. Plane quoad alia officia, quae in administrandis rebus, et curis Reipubl. magis quam
6 exercendis litibus versantur, cives, et originarii caeteris paribus praeferendi, cum illi mores, et instituta patriae magis calleant, et pro naturali
7 in patriam amore, majori sedulitate, et fide administraturi censeantur. *Menoch. d. praes.* 18. *Myns. cent.* 4. *obs.* 30. *et Hill. d. l. L.* et nota est hac de re dispositio *Cameral. Ordin. p.* 1. *tit.* 4. §. *(Und wo über.)*

L. Non minus. 11.

SUMMARIA

Assessores etiam deposito officio immunitatem habent a tutelis, et indictionibus. num. 1.
De quibus Assessoribus hoc intelligendum? 2.
Excipitur casus necessitatis. 3.

1 Assessores habent hoc privilegium, quod non tantum dum in officio sunt, sed et eo deposito, immunitatem habeant a tutelis, et indictionibus, sub 50. librarum auri poena contra fa-
2 cienti imponenda. Sed haec de Assessoribus Praefecti Praetorio, Praefecti urbis, Magistri militum, et Magistri officiorum locum habere tantum videntur, quos etiam in specie hic nume-
3 rat Imperator; sed nec illis in casu necessitatis favendum. Conf. *Casp. Klok. de contribut. cap.* 15. *in fine.*

L. Nemo ex his fin.

SUMMARIA

Nemo simul Advocatus, et Assessor esse potest. num. 1.
Ad utrumque festinans, neutrum bene peragit. 2.
Nemo pluribus officiis uno tempore praeesse potest. 3.
Judex in aliqua causa se pro Advocato gerens suspectum se reddit. 4.
An liceat judici pro personis pauperibus, miserabilibus, et patrono carentibus allegare ea quae facti sunt? 5.
Veteres solebant indefensis dare aliquem ex collegio Scabinorum, et jubebant aliquem surgere, et miserabilem personam defendere. 6.
Nemo sub duobus judicibus eodem tempore Assessor esse potest. 7.
Fraudolenta elusio legis prohibetur. 8.
Non potest aliquis esse judex in ea causa, in qua patrocinium ut Advocatus aliquando praestitit. 9.
Assessores sua consilia scripta, et subsignata Praesidibus tradebant. 10.

Princ. hujus L. prohibetur, ne quis simul 1
Advocatus, et Assessor esse possit, additur ratio:
ne, si ad utrumque festinet, neutrum bene pe- 2
ragat; et nemo pluribus officiis uno tempore 3
praeesse potest, *can.* 1. *dist.* 89. *Wesemb. in* ꝑ. *ad tit. de Decur. num.* 3. Sic ergo Judex in 4
aliqua causa se pro Advocato gerens merito suspectum se reddit, ut si extra Acta pro una parte quid alleget, id quod in facto est, sup-
pleat, vel convitia in alterum dixerit. Sed an ne 5
judici, si una persona sit pauper, miserabilis et patrono carens, liceat pro his allegare etiam quae facti sunt? Resp. tutior est via, si ipsis ex
officio detur Advocatus. Veteres solebant inde- 6
fenso dare aliquem ex Collegio Scabinorum, et jubebant aliquem surgere, et miserabilem personam defendere, qui fuit mos omni laude dignissimus.

§. 1. Prohibetur, ne quis sub duobus Judicibus, 7
eodem tempore, Assessoris officio fungi possit, propter eamdem rationem.

§. 2. Prohibetur fraudolenta elusio legis, sub 8
poena deletionis e matricula, et 10. librarum au-
ri: ex fine apparet liquido non posse aliquem 9
esse Judicem in ea causa, in qua patrocinium ut advocatus aliquando praestitit. *Menoch. l.* 1. *A. Q. q.* 73. *num.* 7. *per hunc text.* Sed de eo
infra ad *l.* 6. *C. de postul.* Apparet etiam ex *d.* 10
§. ex verbis: *Signum quod solitum est*, Assessores sua consilia scripta, et subsignata Praesidibus tradidisse, ut appareat, quam matura deliberatione Praesides Sententias suas tulerint, nec ita praecipitaverint crudas, sicut nostro aevo interdum fieri solet.

TITULUS LIII.

De Annonis, et Capitatione Administrantium, et eorum Assessorum, aliorumve publicas sollicitudines gerentium, vel eorum, qui aliquas consecuti sunt dignitates.

L. Omnibus. un.

SUMMARIA

Constituta per Alexandrum Imp. erant judicibus seu Magistratibus, et eorum Consiliariis salaria, annonae, et capitationes. num. 1.
Capitationes quid? 2.
Post pro speciebus pretia consequebantur. 3.
Debebantur salaria secundum justitiam distributivam. 4.

1 Constituta per Alexandrum Imperatorem erant salaria Judicibus, seu Magistratibus et eorum Consiliariis, et omnibus aliis scil. certae annonae, ut panis, vinum, oleum et similia; et ca- 2
pitationes i. e. pabula in capita, hoc est, jumenta eorum, sicut cuique in particularibus delegationibus, seu notitiis, in quibus annonae Praesidi debitae taxantur, constitutum. Placuit 3
autem Impp. in hac lege, ut pro speciebus pretia consequerentur Judices, et Assessores, singuli pro diversa delegatione, sive assignatione annonae. Nam pro diversitate officiorum diversa 4
habebatur familia, diversaque debebantur salaria, idque secundum Justitiam distributivam. Haecque Constitutio salutaris lata est, ut Judices a muneribus, et donis abstinerent.

TITULUS LIV.

De Contractibus Judicum, vel eorum qui sunt circa eos, et inhibendis donationibus in eos faciendis; et ne administrationis tempore proprias aedes aedificent, sine sanctione pragmatica.

L. Quicumque. unic.

SUMMARIA

Quatenus Magistratus Urbani emere, vel domos exstruere, et donationem accipere potuerint? num. 1.
Quatenus Provinciales? 2.
Ratio legis metus concussionis. 3.
Cur plus indultum Urbanis Magistratibus, quam Provincialibus? 4.
Urbani ipsum Principem habent inspectorem. 5.
In provinciis major grassandi copia. 6.
Ampliatio prohibitionis triplex. 7.
Non permittendum una via, quod alia via prohibetur. 8.
Leges futuris tantum negotiis formam dant. 9.
An in judicibus perpetuis locum habeat haec prohibitio? 10.
Bacchovius *notatur.* 11.
Emere potest Praeses ad victum, et amictum pertinentia. 12.
Item bona avita. 13.
Plures limitationes, remissive. 14.
Materia haec ab usu recessit. 15.

Distinguitur hic inter Magistratus Urbanos, et 1
Provinciales, ut illi quidem nequeant emere, vel domus extruere, nisi Principis Rescriptum, quo aliquid horum conceditur, accedat, nequeant item donationem a subjectis acceptare, nisi deposito Magistratu donatoris consensus accedat expressus, et scripturae traditus, vel tacitus, qui colligitur ex silentio 5. annorum a tempore depositi officii inchoandorum. Sed in Provincia- 2
libus simpliciter omnes emptiones, aedificationes, ac donationes sunt prohibitae, licet Rescriptum adsit, licet etiam deposito officio donatoris ratificatio accedat. Prohibitionis ratio in genere est, 3
ne per metum impressionis, vel per concussiones, ac terrores adigerentur subditi, vel vendere, quod vendere noluerunt, vel vilius vendere quam proposuerant, *l. si per impressionem* 11. *infr. de his, quae vi metusve caus. etc. l. unic. C.*

si Rector Provinc. Zas. in l. in Principalibus 33.
4 *num.* 11. *ff. si cert. pet.* Sed cur plus indultum *Urbanis Magistratibus*, quam *Provincialibus*? Resp. *Perez. in hoc tit. num.* 3. quia urbani ipsum
5 Principem habent inspectorem, et correctorem,
6 in provinciis autem major grassandi copia, si sua potestate abuti velint. Proindeque durioribus legum vinculis fuerunt coercendi. Demum Imp.
7 superiorem prohibitionem tribus modis extendit: I. Ut etiam in Domesticis, et Consiliariis Judicum locum habeat, *Marc. Ant. Peregrin. de Jure fisci lib.* 4. *tit.* 7. *num.* 7. II. Etiamsi Judex non ipse contrahat, sed per interpositam personam; *Peregr. d. l. num.* 6. *Barbos. hic num.* 7. quarum
8 duarum ampliationum ratio est: ne quid una via permittatur, quod alia via prohibetur, et ne fraus fiat legi. III. Hoc etiam in praeteritis negotiis nondum sopitis, vult locum habere, quod hic, et in aliis casibus speciale est, cum
9 alias leges futuris tantum negotiis formam dent per *l.* 7. *C. de LL.* Limitatur vero modis pluri-
10 bus a DD. 1. in Judicibus perpetuis, *Cacher. decis.* 144. *num.* 12. *Scacc. de Commerc.* §. 1. *qu.* 7. *part.* 3. *limit.* 17. *num.* 16. *Caldas*, testans, de communi licet dubitans, *tr. de empt. c.* 8. *num.* 60. quos allegatos sequitur *Barbos. hic num.* 13. licet dissentiant *Fachin. l.* 2. *controv. c.* 88. *et Bacchov. in Treutl. vol.* 1. *Disp.* 20. *th.* 4. *lit. B.* pro illis militat *l.* 34. *de reb. credit.* cujus tamen 11
rationem non esse adaequatam putat *Bacchovius*, licet temporibus JCti satis conveniat. Horum fundamentum est, quod metus impressionis in perpetuis Magistratibus major sit. Sed vereor, ne illa differentiae ratio, quam *Bacchov.* statuit inter jus dicentes, et Officiales ex omni parte sufficiat. Nam quando Magistratus perpetuus alicubi constituitur, solet potestas ejus magis circumscribi, ne potestate sua ille abuti possit facile. Non tantum igitur Officiales, sed et Judices perpetuos excipiendos esse puto. 2. Quae ad vi- 12
ctum, et amictum pertinent, emere etiam potest Praeses, *hic* §. 2. *et l.* 6. §. *ult. de offic. procons. Peregr. d. l. num.* 12. *Scacc. d. l. num.* 16. Avita etiam bona emere, imo potius recupera- 13
re potest Praeses, cum hic cesset impressionis suspicio, et appareat causa vera, scil. amor bonorum avitorum per *l.* 62. *de contrah. empt. Peregr. d. l. num.* 8. *Caldas. d. l. num.* 50. Aliae 14
limitationes videantur apud *Scacc. Peregr. Barbos.* hoc loco. Et sane multa hac de re dici pos- 15
sent, sed materia haec ab usu recessit, teste *Christin. decis.* 86. *num.* 3. *vol.* 2. *Zas. ad d. l.* 3. et quotidiana experientia.

TITULUS LV.

De Modo Mulctarum, quae a Judicibus infliguntur.

L. Mulcta. 1.

SUMMARIA

Mulcta quid? num. 1.
Differt a poena etiam pecuniaria. 2.
Poena ex delicto famoso inifleta infamiam irrogat. 3.
Mulcta non item. 4.
Est poena extraordinaria nec semper dolum praesupponit 5.
Condemnatus per viam inquisitionis de crimine, infamiam per viam accusationis irrogante, evitat infamiam. 6.
Glossa *notatur.* 7.
Si inquisitio succedit directo in locum accusationis publici judicii, tunc inquisitus, et damnatus fit infamis. 8.
Ex modo actionis non alteratur poena. 9.
Barbosa *notatur.* 10.

1 Mulcta est coercitio pecuniaria, quae arbitrio
2 Judicis irrogatur, et in multis differt a poena, etiam pecuniaria, quae certa lege statuta. Vid. *l. aliud fraus* 131. §. 1. *ff. de verb. signif.* de quo vid. *Peregrin. de Jur. fisci lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 1. *et* 2. *Barbos. ad l.* 2. §. *fin. ff. de judic. num.* 1.
3 *et seqq.* Inter alia etiam differt, quod poena ex delicto, quod alias famosum, inflicta infamiam irroget, *l.* 63. *ff. de Furt.* Sed mulcta non item, 4
quia haec poena est extraordinaria, et non sem- 5
per dolum praesupponit. Colligit ex hac lege 6
Barbos. num. 2. quod condemnatus per viam inquisitionis de crimine, infamiam per viam accusationis irrogante, evitet infamiam, et ea quidem est sententia glossae *in l.* 3. §. *Praeterea* 7
ff. de susp. tut. Sed glossam eam pluribus refutat *Bartol. in l. infamem* 7. *num.* 7. *ff. de publ. judic.* ubi pluribus tractat, si inquisitio succedat 8
directo in locum accusationis publici Judicii, quod tunc inquisitus, et damnatus reddatur infamis, quia ex modo actionis non alteratur poe- 9
na: et sententiam *Bartoli* in foro civili probat *Panorm. in c. inquisitionis* 21. *X. de accus. num.* 2. *et Tiraq. de poenis temperandis caus.* 53. *num.* 2. quem tamen *Barbosa* pro se citat. *Et Boerius* 10
a Barbosa allegatus decis. 64. *n.* 9. plane de alio agit, scil. an is, qui ob contumaciam condemnatus, infamis fiat, quod ab hac materia est alienum.

L. Procuratores 2. et L. Curator. 3.

SUMMARIA

Quibus magistratibus jus mulctandi competat? n. 1.
Magistratus municipales, et Procurator Caesaris jurisdictionem habent. 2.

Non item jus mulctae dicendae. 3.
Limitatur. 4.
Mulctae dictio est ejus judicis, qui est in Magistratu superiori, et habet imperium merum. 5.

1 Non omnes Magistratus, vel Judices jus mulctandi habent, sed tantum majores, quibus adjudicatio data est *d. l.* 131. *de V. S.* i. e. qui rem
2 victori adjudicare possunt. Magistratus itaque municipales, et Procurator Caesaris, licet juris-
3 dictionem habeant, jus tamen mulctae dicendae non habent, *l.* 2. *h. t.* et multo minus igitur
4 Curator Reipubl. *per l.* 3. *h. t.* Sed haec intelligenda ita, ut minor Magistratus non principaliter mulctare possit, bene tamen incidenter ad defendendam jurisdictionem, quando pars una in alia causa civili est contumax, *l.* 1. *ff. Si quis jus dicenti non obtemper. Peregrin. de jur. fisc.*
5 *lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 29. Alias mulctae dictio est ejus Judicis, qui est in Magistratu superiori, et habet Imperium merum, *Menoch. l.* 1. *A. Q.* 74. *num.* 9. *et* 12. *Farin. q.* 18. *num.* 46. *Thom. Merckelbach. inter consil. Klock. cons.* 11. *num.* 106. *vol.* 1. *et cons.* 37. *num.* 21. *d. vol.* 1.

L. Illustres. 4.

SUMMARIA

Quatenus Praef. Praet. potuerit mulctare? num. 1.
Mulcta est arbitraria. 2.

1 Praefectus Praetorio, qui proximus erat post Principem, poterat ob gravissima etiam crimina mulctare reos usque ad 50. libras auri. Ex hoc
2 autem, similibusque textibus non probatur, non esse arbitrariam mulctam. Nam licet Judex excedere certam quantitatem non possit, infra quantitatem tamen illam res est arbitrii Judicis. Ex *Cujac. hic in π Christin. dec.* 86. *num.* 1. *vol.* 2.

L. Mulctarum. 5.

SUMMARIA

Mulctae debentur fisco Principis. num. 1.
Pertinent ad Regalias. 2.
Limitatur regula. 3.
Hodie mulctae de fructibus jurisdictionis sunt. 4.
Barbosa *notatur.* 5.
An mulcta ob solam contumaciam irrogetur? 6.
Mulcta incidenter pro tuenda jurisdictione irrogata cujusvis jurisdictionis est. 7.

1 Mulctae debentur Fisco Principis, nam ad
2 Regalias pertinent, *cap. unic. quae sint Regaliae,*
3 *in usibus feudorum.* Sed hoc verum esse dicit Imp. nisi Praeses, vel Judex necessitatibus Reip. v. g. cursui publico, vel operibus publicis mulctas deputaverit. Hodie vero mulctas de fructibus 4
jurisdictionis esse, atque adeo ad fiscum non pertinere, statuunt *Wesenb. ad hanc rubr. num.* 6. *Matth. Stephan. de jurisdict. lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 7. *membr.* 1. *num.* 210. *Bened. Carpzov. part.* 4. *Jurispr. const.* 10. *def.* 6. Notat hic, et ex textu 5
se colligere putat *Barbos. num.* 3. mulctam ob solam contumaciam irrogari. Sed confundere 6
videtur mulctam incidenter pro tuenda jurisdictione irrogatam, de qua hic non agitur, quae cujusvis jurisdictionis est, etiam non criminalis, 7
Peregr. d. tit. 8. *num.* 29. *Thom. Merckelbach. d. cons.* 11. *num.* 178. et mulctam, quae a Judice merum imperium habente ob facinora irrogatur, de qua mulcta *hic in tot. tit. et praesente l.* 5. et de illa mulcta incidenter pro tuenda jurisdictione dicta, loquitur *Farin d. q.* 18. *num.* 51. *Alexander* vero eo loco, quem citat *Barbosa*, nihil quidquam hac de re habet.

L. Eos. fin.

SUMMARIA

Modus praescribitur mulctarum. num. 1.
Praxis hodierna. 2.
An judex delegatus jus mulctandi habeat? 3.
Quot vicibus judex in uno anno aliquem mulctare possit? 4.
De qua mulcta hoc intelligendum? 5.
Sanctio poenae judicis contra facientis. 6.
Habet hoc delictum quasi furti nec manifesti speciem. 7.
Mulcta excessiva jure nulla est. 8.
Gravatus hac nullitatem opponere potest. 9.
Poena aliorum judicum furtum, peculatum, concussionem etc. admittentium. 10.
Mulcta insonti non imponenda. 11.
Semel indicta sonti non remittenda. 12.
Ob paupertatem mulcta etiam adjudicata a judice potest remitti. 13.
Limitatur. 14.
Quaelibet mulcta, vel poena ob inopiam in corporalem poenam mutari potest. 15.

Hujus L. *Princ. et* §. 1. *et* 2. Princeps statuit 1
modum, ad quem mulctam indicere possit Magistratus, scil. Praesidem usque ad 2. uncias auri condemnare posse, Proconsulem ad 6. uncias, caeteros ad tres uncias: Sed haec ab aula 2
recesserunt. Quod autem ordinarii Juris *in pr.* mentionem facit, ex eo posset colligi, delega- 3
tum Judicem jus mulctandi non habere, ut per *l.* 2. §. *ult. ff. de judic.* ibidem probat *Petr. Barbos. num.* 85. *et seqq. Menoch. l.* 1. *A. Q. q.* 74. *num.* 7. *et seqq.* licet plerique excipiant delegatum Principis, quia major est quocumque ordinario, ut ii, quos allegat *Petr. Barbos. d. l. num.* 91. *et Farin. d. l. num.* 49. *et Aug. Barbos. hic num.* 8. licet haec limitatio ab aliis in dubium vocetur, de quo *Petr. Barbos. d. l. num.* 94. *et seqq. num.* 100. *et seqq.*
§. 3. Hoc habetur, quod nullus Judex, ultra 4
tres vices in anno aliquem mulctare possit, ne

scil. mulctando privati exhauriantur. Variis enim modis Impp. obviam ire voluerunt tyrannidi
5 Praesidum. Sed haec de mulcta, ut verba sonant, intelligenda sunt, seu de poena pecuniaria incerta, arbitraria, et nulla lege definita, ut recte explicat *Sichard. ad l.* 4. *num.* 36. *infr. de serv. fugit.* et intelligendum etiam est de eadem persona, eodemque delicto saepius iterato, ac continuato. *Wesenb. hic in* ϖ. *num.* 6.
6 §. 4. Habetur sanctio poenae, si Judex modum eum supergressus fuerit, tenetur triplum restituere, duplum condemnato, simplum vero
7 Fisco. Nam habet hoc delictum quasi furti nec
8 manifesti speciem. Et mulcta excessiva ipso jure
9 nulla est, et gravatus potest nullitatem allegare *Viv. dec.* 350. *num.* 3. *Natt. cons.* 291. *num.* 4. et hos citans *Klock. cons.* 11. *num.* 103. *vol.* 1.
10 §. 5. Dicitur eos Judices, qui furtum, peculatum, concussionem, aut alia crimina admiserint, non hac tantum poena condemnationis dupli plectendos, sed eos graviores poenas expectare debere.
§. *Ult.* Dicitur, mulctam insonti imponi non 11
debere, nec tamen remittendam esse sonti se- 12
mel indictam, nisi ob paupertatem. Collige: ob 13
paupertatem mulctam etiam adjudicatam a Judice posse remitti, per *hanc legem, ejusque* §. *ult.* Confer. *Peregrin. de jur. fisci lib.* 1. *cap.* 8. *num.*
19. licet secus esse putet in poena adjudicata, 14
quae remitti non potest, sed ante adjudicationem bene. Vid. *Tiraq. de poenis temp. caus.* 32. *Vasq. p.* 1. *lib.* 1. *contr. c.* 24. 15. *Clar.* §. *fin. q.*
65. *num.* 7. *Christin. dec.* 96. *vol.* 2. Quamlibet 15
tamen mulctam, vel poenam ob inopiam in corporalem poenam mutari posse tradit *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 447. *num.* 5. *Christin. dec.* 86. *num.* 6. *et seqq.*

TITULUS LVI.

De Defensoribus Civitatum.

L. Si quis. 1.

SUMMARIA

Defensores Civitatum quinam? num. 1.
De quibus causis cognoscere potuerint? 2.
50. *Solidorum summam excedentes causae ad Praesidem pertinent.* 3.
Modica summa est 50. *Solidorum.* 4.
Rectius arbitrio judicis, quae summa sit modica, relinquitur. 5.
Hodie Tribunis plebis nulla jurisdictio competit. 6.

1 Defensores civitatum erant quasi Tribuni plebis in municipiis, vel vicarii Praesidum; hi co-
2 gnoscere poterant de causis levioribus, v. g. de
3 fuga servorum, vel de summa 50. solidorum; nam quae sunt majoris quantitatis causae, ad
4 Praesidem pertinent. Nota: Modica summa est 50. solidorum, hic et *l.* 10. *ff. de accus.* quamvis
5 id rectius arbitrio Judicis, quae summa sit modica, relinquatur, *Menoch. l.* 2. *A. J. Q. casu* 145.
6 Hodie sane Tribunis Plebis nullam Jurisdictionem competere scimus, sicut de Gallia testatur *Guid. Papae dec.* 626. quem refert *Petr. Barbos. ad l.* 2. §. *fin. ff. de judic. num.* 78.

L. Defensores. 2.

SUMMARIUM

Ex quibus eligendi defensores Civitatum?

Defensores non sunt eligendi ex Decurionibus, et cohortalibus, sed ex Primatibus civitatis, et eorum calculo. Sed haec ab usu recesserunt.

L. Utili. 3.

SUMMARIA

Inter quos jus dicat defensor? num. 1.
Rusticos defendere tenetur. 2.
Menochius, *et* Barbosa *notantur.* 3.
Rustici pro membris civitatis haberi non possunt. 4.
Duo specialia in unam personam cadere non possunt. 5.
Laus rusticitatis. 6.
Rustici favore digni. 7.
De eorum privilegiis, remissive. 8.

Defensor civitatis non tantum inter Cives, sed 1
etiam inter Rusticos jus dicit, imo etiam Rusticos defendere, et ab injuriis potentiorum tueri
debet. Hoc *Menoch. de A. Q. cas.* 194. *num.* 73. 2
et cum eo *Barbos. hic* eo extendunt, ut etiam 3
in causis rusticorum ultra summam in *l.* 1. determinatam, Defensores cognitionem habuerint; sed hoc textui vix convenit, quippe hic rusticorum simplicitati hoc conceditur, ut jurisdictioni Defensorum civitatis subsint in prima instantia,
licet pro membris civitatis haberi non possint. 4
Duo autem specialia in unam personam cadere 5
non possunt. Nota: laudem rusticitatis, quod sit 6
innocens, et quieta, et rusticos esse favore di- 7
gnos, ex hoc textu collige; de quorum privile- 8
giis plura habes apud *Renat. Choppin. de Privil. rustic. Menoch. l.* 2. *A. Q. Cas.* 194. *Gilhaus. in Arb. crim. tit. de Except. num.* 86. *et seqq.*

L. In Defensoribus. 4.

SUMMARIA

Officium Defensorum quinquennale, post biennale. num. 1.

In quibus consistat? 2.
Licentiam habent Praesidem indistincte adeundi. 3.
Judicum procacitati semper, salva reverentia, occurrendum. 4.

1 Haec lex officium Defensorum describit, quod erat quinquennale; sed ex *Nov.* 15. *cap.* 1. bien-
2 nale. Debent autem Defensores praeprimis cives suae tutelae commissos paterno amore prosequi, illicitas exactiones a civibus, et ruricolis prohibere, Praesidibus, vel eorum Officialibus, ac ministris, debita tamen cum reverentia, resistere, ne hi potentia sua ad opprimendos cives, vel rusticos abutantur; debent etiam cavere, ne ultra quid a civibus exigatur, quam a Principe delegatum, vel mandatum est. In summa: debent cives suos, vel rusticos contra potentiorum vim defendere; quod ut facere possint commodius, licentiam habere debent quo-
3 cumque tempore Praesidem adeundi, et cum
4 eo sermones miscendi. Collige: Judicum procacitati semper, salva reverentia, occurendum esse *Dn. Mev. p.* 6. *dec.* 78. *num.* 2.

L. Defensores. 5.

SUMMARIA

Defensorum munus in quibus consistat? num. 1.
Non sunt in numero magistratuum majorum. 2.
Magistratibus majoribus solis Jus mulctandi competit. 3.
Defensores merum imperium non habent. 4.
Nec promiscue jus dicunt. 5.
Nec mulctas irrogant. 6.
Nec facinorosos torturae subjiciunt. 7.
Alia ratio Duumvirorum, et Decurionum. 8.

1 Defensorum munus in defensione potissimum
2 consistit, et deinde in jurisdictione. Sed quia non sunt in numero Magistratuum majorum,
3 quibus solis jus mulctandi competit, per ea, quae supra ad *l.* 2. *et* 3. *C. de mod. mulctar.* dicta sunt, et quia jurisdictionem criminalem,
4 seu, ut olim vocabant, merum imperium non
5 habent, neque promiscue jus dicunt: ideoque
6 nec mulctas irrogant, nec facinorosos torturae
7 subjiciunt. Aliam putat esse rationem Duumvi-
8 rorum, et Decurionum *P. Barbos. ad l.* 2. §. *fin. ff. de judic. n.* 74. nam illis non denegat potestatem mulctandi, quod distinctis titulis tractetur in hoc libro de defensoribus civitatum, et de Magistratibus municipalibus, et hi ex corpore Decurionum eliguntur, illi vero ex Civibus ditioribus. Hi judicabant ordinarie de causis municipum, illi tantum in causis pauperum contra divites etc. de quo pluribus *Barbos. d. l. n.* 75. *et seq.*

L. Per omnes. 6. et L. Defensores. 7.

SUMMARIA

Defensorum officium est, facinorosis non praebere patrocinium. num. 1.
De quibus criminibus ipsi cognoscere potuerint? 2.
Facinorosis in criminibus abominandis Patronus non est concedendus. 3.
Praxis moderna. 4.
Quatenus inquisito Advocatus concedendus? 5.

Quando in Provincia, vel urbe facinorosi grassantur, vel crimina admittuntur, tunc Defensorum officium est, ut facinorosis non praebeant patrocinium, sed debent esse custodes disciplinae districtissimi. Ideoque facinorosos debent comprehendere, et in carcerem conjice- 2
re, per *Nov.* 15. *cap.* 6. §. 1. Si autem de leviore crimine ageretur; poterant ipsi cognoscere, et reos castigare, sed in atrocioribus remittebant reos ad Praesides Provinciae, *d. Nov. et Auth. Praesides supr. de Episc. aud.* et denunciabant crimina cum nominibus accusatorum, et acta simul criminalia omnia transmittebant. Ex eo, quod in *l.* 6. dicitur, removenda esse patrocinia, colligunt DD. facinorosis in crimini- 3
bus abominandis Patronum non esse concedendum, uti *DD.* allegat *Tiraq. de poenis temperand. caus.* 49. *num.* 30. et quos allegat *Barbos. hic num.* 2. Sed usus observat, ut reus quidem respondere 4
cogatur in criminalibus, remoto Advocato, siquidem veritatem tantum dicere cogitur, quae melius cognita reo, quam Advocato; sed si responderit ad articulos, et postea defensione uti velit, tunc sine distinctione ipsi Advocatum con- 5
cedendum esse puto petenti. *Christin. dec.* 87. *num.* 3. nisi crimen plane sit notorium, et notorio nulla defensio competat. Sed ne sic quidem petenti patrocinium denegandum puto, nisi appareat, calumniose, et protelandae litis causa id peti. Conf. *Carpzov. Pract. crim. q.* 115. *num.* 90. *et seq.* Conf. Consilium Coloniensium JCtorum, quod apud *Cothmann. vol.* 3. *cons.* 30. *num.* 211. ubi plures refert. Cui addo, licet crimen sit certum, moderationem tamen petat reus ex aliqua circumstantia, eo fine, ut non in totum, sed in tantum se purget, et ab ordinaria poena se liberet, admittendum esse Advocatum.

L. Defensores. 8.

SUMMARIA

De Electione, qualitate, et confirmatione Defensorum. num. 1.
Alius actus electionis, alius confirmationis. 2.
Poterat Defensor quocumque tempore querelas nomine civium deferre ad Praesidem. 3.
Item excessus Praesidum ad superiorem. 4.

Hujus L. *Princ.* Agitur I. de electione Defen- 1
sorum, et horum quidem qualitate, quod debeant esse Christiani, Orthodoxi, et Catholici: II. de Eligentibus, quod scil. eligi debeat defensor ab Episcopo, Clericis, Civibus honoratioribus, et curialibus, et III. de Confirmatione, quod confirmandus a Praefecto Praetorio. No- 2
ta, alium actum esse electionis, alium confirmationis.

3 §. 1. Videtur Imp. Defensores armare contra proterviam Praesidum. Poterat Defensor quocumque tempore querelas nomine civium deferre ad Praesidem. Sed interdum Praesides ipsi multa injuriose, et proterve faciebant contra disciplinam publicam, contra honestatem, et
4 contra utilitatem civium. Hic igitur opus erit, ut excessus isti a Defensore ad Praefectum Praetorio, vel alium Magistratum Praeside superiorem deferantur. Ratio est in *l.* 5. *supr. de Off. Rector.*

L. Jubemus. 9.

SUMMARIA

Susceptores quinam? num. 1
Fraus Susceptorum. 2.
Officium Defensoris civitatis circa fraudem ejusmodi. 3.
Defensorum cum Praesidibus collusio. 4.
Cautela a laesis per ejusmodi collusionem observanda. 5.
Notarii poenalibus mandatis compelli possunt, ut cuilibet officium suum impendant. 6.

1 *Pr.* Susceptores erant, qui annonis, et tribu-
2 tis recipiendis praepositi erant. Hi interdum cogebant Provinciales, ut annonas majori mensu-
3 ra, vel pondere Fisco persolverent. Si igitur Defensor civitatis Susceptorem aliquem in tali fraude deprehenderet, debebat eum ad Praesidis judicium trahere, et indicia fraudis Praesidi communicare.

§. 1. Defensores saepe colludebant cum Prae- 4
sidibus, et ad eorum proterviam connivebant. Saepe enim Provinciales, cum super injuriis, et damnis protestari, vel litem contestari vellent a Defensoribus, qui eos adjuvare debebant, impediebantur, denegata copia protestationis, vel
querelae, caeterorumque actorum. Et hoc casu 5
vult Imp. ut laesus suam querelam coram officialibus, qui Defensori aderant, et Notariis, et civibus aliquot proponat, et dicit collusionem
Defensoris non fore impunitam. Ex *hoc* §. pro- 6
batur, Notarios, ut cuilibet Officium suum impendant, poenalibus mandatis compelli posse. *Mev. p.* 2. *dec.* 5.

L. Nulli. 10.

SUMMARIUM

An, et quatenus Defensor Civitatis ante lapsum quinquennii, hodie biennii, officium suum abdicare possit?

Defensor civitatis ante lapsum quinquennii, hodie biennii, officium suum abdicare non potest, citra gratiam a Principe factam Praefecto Praetorio insinuandam. Praeses ipsum dimittens 30. libris auri punitur.

TITULUS LVIII.

De Magistratibus Municipalibus.

L. Decuriones. 1.

SUMMARIA

In multis urbibus, praeter Defensores, erant Magistratus Municipales. num. 1.
Eorum praecipui Duumviri. 2.
Magistratuum municipalium electio, praesentatio, confirmatio, et creatio. 3.
Tempus praesentationis. 4.

1 In multis urbibus (sed non omnibus per *l.* 30. *C. de donat.*) praeter Defensores, erant Magistratus Municipales, scil. Decuriones, vel Curia-
2 les, et inter eos, qui praecipui dicebantur Du-
3 umviri quasi Consules. Hi autem Duumviri, et Decuriones, sive quasi Senatores a caeteris Decurionibus, et Clero, civibusque honoratioribus eligebantur, Praesidi praesentabantur, qui eos confirmabat, confirmationem sequebatur crea-
4 tio, seu introductio. Sed quia haec onera ab electis saepe detrectabantur, ideo Imp. hic constituit, ut eo maturius, et quidem trium mensium spatio citius praesententur, ut interim de causis, ex quibus se electi excusare volebant, cognosceretur.

L. Magistratus. 2.

SUMMARIA

Quae jurisdictionis sunt, facere poterant magistratus municipalis. num. 1.
Item acta conficere. 2.
Poterant donationes insinuari apud Decuriones. 3.
Non tamen ipsis tributa ordinaria jurisdictio. 4.

Quae Jurisdictionis sunt, ea facere poterat 1
Magistratus municipalis, praesertim in causis levioribus, *arg. l.* 28. *ff. ad Municip.* Ideoque
etiam conficere acta poterat juxta *l. hanc* 2. et 2
ideo donationes etiam apud Decuriones insinua- 3
ri poterant. Sed per id tamen ipsis non tributa
ordinaria jurisdictio de omnibus causis, ne par 4
eorum cum Praesidibus jurisdictio, sed de quibus apud eos agi poterat. *Donell. l.* 2. *c.* 26. *lit. H.*

TITULUS ULT.

De Officio Juridici Alexandriae.

L. Jubemus. un.

SUMMARIA

Etiam apud Juridicum Alexandriae Ægypti donationes insinuari poterant. num. 1.
Habuit hic jurisdictionem, et jus conficiendorum actorum. 2.

Lex haec localis est, et constituit, ut non tan- 1
tum apud Praesidem, vel Defensores civitatis,
sed etiam apud Juridicum Alexandriae Ægypti
donationes insinuari possent. Ex quo colligitur, 2
hunc Juridicum habuisse jurisdictionem, et jus
conficiendorum actorum.

FINIS LIBRI PRIMI

LIBER II.

CODICIS

TITULUS I.

De Edendo.

L. Ipse. 1.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
An in dicta facti specie rationes exhibendae. 2.
Judex interdum ex certis causis rationum editionem reo injungit. 3.
Tales causae, remissive. 4.
Quomodo mulier argentaria esse potuerit? 5.
Rationes quisque pro se privatim conficere potest, etiam mulier. 6.

1 Titius petebat centum a Caja, tamquam apud eam deposita, et hoc probaturus dicebat, fidem constare posse ex rationibus adversariae suae.
2 Quaeritur, *an ea rationes exhibere teneatur?* Quod hic negatur, quia non regulariter, sed ex
3 certis causis Judex interdum ex officio suo rationum editionem Reo injungit, v. g. si Reus argentarius, *Auctor ad l.* 4. *ff. h. t. num.* 1. *et l.* 10. *ff. eod. num.* 1. *et seq.* vel Actor Fiscus, *Auctor ad l.* 3. *ff. h. t. num.* 1. quales causas
4 recenset ex professo *Menoch. l.* 2. *A. Q.* 499. *n.* 5. *et multis seqq. Mindan. de Process. lib.* 2. *cap.* 48. *numer.* 10. *Berlich. p.* 1. *concl.* 45. *num.* 28. *et seqq.* Sed talis hic nulla est. Ergo manet casus sub Regula, quod Rea rationes suas ede-
5 re non teneatur. Crucem autem sibi figunt Doctores, quomodo mulier argentaria esse potuerit, ut videre est ex iis, quae habent *Fachin. lib.* 11. *cap.* 85. *Menoch. d. l. num.* 14. *et Donell. hic*, ut et *Jo. de Vicomercato in rep. Rubr. huj. tit. numer.* 40. *et seqq. et Purpur. in rep. huj. l. num.* 34. ubi multas lecturas hujus legis recenset, et *Ludov. Bologn. in rep. huj. leg. num.* 7. *vol.* 7. *repetitionum.* Repetit etiam *hanc l. Fr. Purpuratus, et Franc. Curtius d. vol.* 7. *et Bolognett. in rep. huj. lec.* cum tamen de argentarii officio hic nihil, sed de rationibus tan-
6 tum, quas quisque pro se privatim conficere potest; etiam mulier. *Fachin. d. l. in fin.*

L. Is. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Acta publica parti edenda, dummodo petentis intersit. 2.
Judex actionum copiam dare recusans mandatis poenalibus a superiore, ut edat, compelli potest. 3.
Praxis Camerae Imp. 4
Judex de jure acta edere tenetur. 5.
Quomodo contra contumacem judicem procedendum, remissive? 6.
Notarius sine jussu judicis non debet aliquibus communicare acta. 7.
Captivo, quando torturae est subjiciendus, etiam non petenti copia est danda indiciorum. 8.
Quatenus fisco criminaliter agenti acta sint edenda? 9.
Solvitur objectio. 10.

Lex Secunda agit de actis publice edendis a 1
Judice. Casus est talis: Peto a Notario, ut mihi inspicienda praebeat acta inter me, et te ventilata, i. e. instrumenta, et tabulas, in quibus acta praescripta: non vult exhibere: imploro officium Judicis, qui debet jubere, ut mihi exhibeantur. Vid. *Fab. in Cod. lib.* 2. *tit.* 1. *def.* 8. *in princ.*
Ratio traditur ibi, quia publica sunt, non so- 2
lum, quod fidem publicam habeant, sed etiam quod publice, et auctore persona publica facta
sint, dummodo intersit petentis, *Fab. d. l.* Quod 3
si igitur Judex Actorum copiam dare recuset, mandatis poenalibus a superiore, ut edat, com-
pelli potest: Et in Camera una cum citatione 4
communiter decernuntur sine clausula justifica-
toria, quia judex de jure Acta edere tenetur, 5
Gail. l. 1. *obs.* 134. *num.* 2. ubi in sequentibus 6
plura, quomodo contra contumacem judicem
procedi debeat. Collige: I. Notarium sine jus- 7
su Judicis non debere aliquibus communicare
acta, et II. Captivo, quando subjiciendus est 8
torturae, copiam indiciorum esse dandam, *Castrens. hic*, etiam non petenti, *Farin. quaest.* 36. *num.* 91. *Gail. l.* 2. *de F. P. cap.* 7. *num.* 8. *in fin. Zanger. de quaestionib. cap.* 3. *num.* 4.
et seq. Sed quia de criminalibus mentionem fa- 9
cit lex, et vero Fisco criminaliter agenti non sunt edenda acta per *l.* 2. §. 2. *ff. de Jur. fisc. et l.* 3. *ff. h. t.* de horum conciliatione quaerunt
DD. Et certum est, Fiscum, quando ex causa 10
criminali agit ad poenam corporalem, non posse impetrare editionem instrumentorum; sed et id affirmant plerique, licet ad poenam pecuniariam agat Fiscus, quia de lucro, et poena agit, *arg. d. l.* 2. §. 2. *Hillig. in Donell. lib.* 23. *cap.* 7. *lit. E. Farin. p.* 1. *fragm. num.* 175. Sed in hac lege agitur non de instrumentorum

editione ad fundandam actionem petita, sed de editione actorum criminalium accusatione, vel inquisitione formatorum, quae omnino Fisco etiam edenda sunt. Repetierunt hanc legem *Jo. de Vicomercat. Fr. Purpurat. Franc. Curt. et Gozadin. vol. 7. et Bolognett.*

L. Edita. 3.

SUMMARIA

Lex haec difficilis, et notabilis. num. 1.
Casus legis. 2.
Editio actionis tantum futurae litis speciem demonstrat. 3.
Quatenus liceat editam actionem emendare, vel mutare? 4.
Emendare actionem quid? 5.
Quid mutare eamdem? 6.
Lex haec cum l. un. C. de lit. contest. *eamdem habet inscriptionem, et subscriptionem.* 7.
An nomen actionis in libello sit exprimendum? 8.
Effectus Clausulae: Salvo jure mutandi, augendi etc. 9.
DD. hic prolixe agunt de requisitis libelli, et de mutatione libelli, et cumulatione actionum. 10.
An post litem contestatam liceat mutare libellum? 11.

1 Hujus legis, quae difficilis, et notabilis, casus
2 hic est: Valens petierat partem fundi, et actionem ediderat, postea lite nondum contestata coepit totum fundum petere. Reus vero vult, ut prius de edita actione, i. e. parte fundi pronuncietur, quia haec tantum in judicium deducta.
3 Sed Impp. removent hanc rationem, cum non per editionem Actionis, quae tantum futurae litis speciem demonstrat, sed propter litis con-
4 testationem res in judicium deducatur. Ergo licet editam actionem emendare, (scil. ante li-
5 tem contestatam) i. e. addere, vel detrahere
6 aliquid; vel mutare, i. e. aliud petere, vel alia ex causa, ita tamen, prout Edicti perpetui monet auctoritas, i. e. ut mutata actio, quasi nova, ad deliberandum edatur Reo, vel jus reddentis decernit aequitas, i. e. sumptus Reo dependat, per *l.* 79. *in pr. ff. de judic. et l.* 75. *de R. J.* ita *Donell. lib.* 23. *cap.* 5. qui hanc legem cum *l. un. C. de lit. contest.* conjungit,
7 quae cum hac nostra eamdem habet inscriptionem, et subscriptionem. Loquitur enim haec lex de editione formulae actionis, quae fiebat ad requisitionem rei, ut deliberaret, utrum vellet cedere, vel contendere, *Auctor ad l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. et ideo cum nondum esset ventum ad judicium, neque lis esset contestata, poterat actor mutare propositum, et novam formam actionis eligere, dummodo ejus editionem faciat reo ad praedictum effectum. *Petr. Barbos. ad l. si debitori* 21. *num.* 11. *ff. de judic.* Quamvis autem ex hujus legis verbis primis nonnulli
8 colligant, nomen actionis esse exprimendum, alii tamen, et inter eos *Castrens. hic num.* 9. *Bald. num.* 9. *Bacchov. ad Treutl. vol.* 1. *Disp.* 4. *th.* 10. *lit. C. Umm. ad Process. Disput.* 6. *th.* 11. *num.* 51. et plurimi alii, volunt sufficere, si factum certo exprimatur, ut actio exinde
9 colligi possit. Sed quaeritur: Quid operetur clausula Advocatorum in libellis consueta, *salvo jure mutandi, augendi, etc.* Resp. eam parum, vel nihil operari, cum *Bald. hic numer.* 59. *et Salyc. num.* 17. Nota, hic DD. prolixe agere 10
de requisitis libelli, et de mutatione libelli, et cumulatione actionum. Caeterum controversia 11
illa, an post litem contestatam liceat mutare libellum, videtur potius in verbis, quam rebus consistere. Et probabilior omnino sententia est, posse mutari libellum per expressum textum in §. 35. *Inst. de Act.* ubi ex testamento petitum, postea ex stipulatu peti potest. Vid. *Bacchov. ad Treult. vol.* 1. *Disp.* 4. *th. fin. lit.* D. *et Wesenb. ad. d.* §. 35. *Inst. de Act. Ant. Gomez l.* 3. *resol. cap.* 11. *in fin. Auctor in l.* 4. *ff. de noxal. act. n.* 13. *et seqq.* Sed non est negandum, difficilius hoc concedi et cognito errore, et salva editione nova, et restitutione expensarum. Conferantur aliquot repetitiones tomo 7. repet. scil. *Jo. de Vicomercat. Philipp. Cornei, Franc. Curtii, Franc. Purpurati, et Ludov. Gozadini.* Et *Bolognett.* in opere suo hanc legem prolixe declaravit. *Conf. et Bachov. de actionibus disp.* 4. *th.* 44.

L. Qui accusare. 4.

SUMMARIA

An reus instrumenta sua actori edere teneatur? num. 1. *et* 8.
Iniquum est compelli quemquam, ut alteri arma in suam necem porrigat. 2.
Actore non probante reus absolvitur, etiamsi nil probaverit. 3.
Actore semiplene probante, juramento suppletorio locus fit. 4.
Potest actor reo deferre juramentum judiciale. 5.
Limitatur regula num. 1. *tradita.* 6.
Quatenus actor reo edere documenta teneatur. 7.

Huj. L. Sententia est, Reum sua instrumenta 1
edere Actori non teneri, quia iniquum, com- 2
pelli quemquam, ut alteri arma in suam necem porrigat, *hic, et l. nimis grave* 7. *C. de testib.* facitque hoc ad minuendas lites, cum, actore non probante, absolvatur Reus, etsi nihil 3
pro sua innocentia probet, aut praestet. Si vero 4
semiplene Actor probet, defertur Actori juramentum suppletorium, *l.* 3. *C. de reb. cred. l. admonendi* 31. *ff. de jurejur.* Imo etiamsi Actor nihil probaverit, potest Actor Reo deferre ju- 5
ramentum judiciale, ut est communis opinio, per *l. manifestae* 38. *ff. de jurejur. l.* 9. *C. de reb. cred.* Vid. *Cacvall. in specul. quaest.* 305. *Berl. part.* 1. *concl.* 29. *num.* 8. *et alii.* Caeterum Regula principalis, quod Reus non teneatur Actori edere instrumenta, ad fundandam intentionem Actoris, cujus rationes habet *Menoch. lib.* 2. *Arb. quaest. cas.* 499. *in princ.* potest limitari pluribus modis, ut per *Men. d. caus.* 499. *Mindan. de mandat. lib.* 2. *cap.* 58. *num.* 10. *Donell. l.* 23. *cap.* 7. inter quas exceptio de Argentariis parum hodie utilitatis habet. E con- 7
trario Actor Reo ad fundandam ejus exceptionem, si ea meram defensionem respiciat, edere documenta tenetur, de quo vid. *Hillig.* scite id explicans *lib.* 23. *cap.* 7. *lit. C.* sicut et Reus tenetur edere Actori ad ejus replicationem fundandam, per tradita *Bart. in l. fin. h. t. num.* 8

2. et quos collegit *Barbos. hic num.* 6. *et Mind. d. cap.* 48. *num.* 10. Extat hujus legis repetitio, quae est *Franc. Curtii d. vol.* 7. *et Bolognett.*

L. Non est novum. 5.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
An actor teneatur edere reo Codicem rationum suarum? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Ratio decidendi. 4.
Rationes non tantum pro Creditore, sed et pro Debitore scribi solent. 5.
Continet utramque paginam accepti, et expensi. 6.
Ad probandam exceptionem rei edere tenetur Instrumenta, quibus usurus non est. 7.
An lex haec restringenda ad rationes? 8.
Rationum appellatione omne Instrumenti genus continetur. 9.
An ad mercatores restringenda haec lex? 10.

1 Species facti: Petis a me centum ex mutuo; ego excipio, ea esse soluta, idque constare posse ex co-
2 dice rationum tuarum; quaeritur: *an teneatur Actor illum edere?* Videtur quod non, ob regulam
3 *in l.* 1 §. 2. *ff. h. t. ibi, quibus usurus non est;* Jam hic Creditor agit ex Chirographo, non ex
4 Rationibus suis. Sed Actorem omnino hic teneri
5 respondetur: quia rationes non tantum pro creditore, sed et pro debitore scribi solent, et con-
6 tinere utramque paginam accepti, et expensi, *l.* 6. §. 3. *ff. h. t.* et praeterea hic editio rationum
7 petitur, pro probanda exceptione Rei, ad quam probandam Actor tenetur edere instrumenta, quibus usurus non est, *Hillig. d. lib.* 23. *capit.*
8 6. *lit. E.* Ideoque dubito, an lex haec ad rationes sit restringenda, cum *Donell. dict. cap.* 6. licet loquatur de rationibus: nam idem videtur
9 esse in aliis documentis, cum et rationum appellatione omne instrumenti genus contineatur, *l.* 82. *in fin. ff. de condit. et demonstrat.* multo magis dubito, an verum sit illud, quod haec
10 lex ad Mercatores sit restringenda, ut facere videtur *Barbos. hic*, cum de Mercatoribus non loquatur in specie, sed de Creditoribus, qui etiam nomina activa, et passiva consignare solent, licet Mercatores non sint. Et hanc legem repetit *Franc. Curt. vol.* 7. *Repetit. Jur. Civil.*

L. Justum. 6.

SUMMARIA

Fiscus rationes publicas edere tenetur debitori, vel reo. num. 1.
Utitur jure privatorum. 2.
Lex haec cum praeced. non solum de rationibus, sed et de aliis instrumentis intelligenda. 3.
Limitatur remissive. 4.
Pacianus, et Berlichius *notantur.* 5.

1 Eadem hac in L. facti species, quae in praecedenti, nisi quod hic Creditor et Actor sit Fiscus, quem rationes publicas edere debere De-
2 bitori, sive Reo, hic respondetur, quia Fiscus privatorum Jure utitur, *l.* 3. *C. de rescind. vend.* Et duae hae *LL.* non tantum de rationibus in- 3
telligendae, sed etiam de aliis instrumentis: quae communis sententia limitatur a *Paciano de Pro-* 4
bat. lib. 1. *capit.* 63. *num.* 120. *et seqq. et Ber-* 5
lich. p. 1. *Concl.* 45. *num.* 15. *et seqq.* ubi tamen Limitatio secunda videtur inepta: nam si Actor diceret, Reum suam exceptionem aliunde probare posse, fateretur se calumniari: nec quadrat limitatio illa de reconventione, quia reconveniens est Actor: nec excipienda est exceptio compensationis. Vid. *Ant. Faber in Cod. h. t. def.* 6. *et Hillig. in Donell. d. l. lit. F.*

L. Procurator. 7.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Dignior instrumentum commune retinet. 2.
Instrumentum commune petenti socio edendum. 3.
Exempla non probant sine Originali. 4.
Limitatur. 5.
Exceptiones regulae, remissive. 6.

Species facti: Emi cum Fisco fundum, quem 1
amissum a tertio peto, instrumentum emptionis retinet Fiscus, ut dignior, per *l. ult. ff. de* 2
fid. instrum. Tiraq. de jur. primog. in praef. num. 127. Peto ejus editionem. Et hoc aequum 3
est, quia est instrumentum commune; et si adversarius meus exemplo contentus esse nolit, a Procuratore Caesaris ipsum authenticum est exhibendum. Collige: Exempla non probare sine 4
Originali, nisi exemplum factum sit auctoritate Judicis citata parte, vel ab eodem, a quo Ori- 5
ginale est confectum, v. g. a Notario judicii, vel publico. Exceptiones Regulae videantur apud 6
Myns. Cent. 6. *obs.* 73. *Mindan. de Mandat. l.* 2. *cap.* 48. *num.* 16. *Koppen. dec.* 46. *num.* 20. *Barbos. locuplet. lib.* 5. *axiom. capit.* 29. Et hanc legem repetit *Curt. vol.* 7.

Auth. Si quis.

SUMMARIA

Male DD. *hic de Exemplo agunt. num.* 1.
Instrumentum se referens ad aliud, relato non producto, nil probat. 2.
Debitores pupilli ex Inventario, quod mentionem facit Chirographi, non convincuntur. 3.
Limitationes regulae, remissive. 4.

Haec Authentica non loquitur de Exemplo, 1
quod illud non probet, nisi Originale exhibeatur, uti DD. hic de exemplo agunt: sed loquitur de duobus Originalibus, quorum unum se refert ad aliud, et illius mentionem facit. Sen- 2
sus igitur est: Instrumentum se referens ad aliud, relato non producto, nihil probat, quia in relato instrumento potest esse vitium, illud irritum reddens: sic v. g. Debitores pupilli, ex 3
Inventario, quod mentionem facit Chirographi, non convincuntur, *Donell. enucl. l.* 25. *cap.* 8. *circa l.* 11. Sed limitationes hujus Regulae vide 4
apud *Coler. de proc. part.* 3. *cap.* 1. *num.* 56.

Berlich. p. 1. *concl.* 43. *et Carpzov. part.* 1. *Jurispr. For. const.* 17. *def.* 4. *Masc. concl.* 924. *per tot.* et vide unum exemplum limitationis *in l.* 5. *Cod. de Donat.* et quae ibi notata. Conferatur *Curt. in rep. hujus Auth. vol* 7.

L. Et quae. fin.

SUMMARIA

Cur Actor Reo, non vero Reus Actori edere teneatur rationes? duplex ratio. num. 1.
Actor edere nolens rationes in dolo est. 2.
Probatio ex domo Rei sumi non debet. 3.
Quo tempore editio documentorum peti soleat. 4.
An Actor ad replicationem suam fundandam, instrumentorum editionem a Reo postulare possit? 5.

1 Rationem haec lex reddit, cur Actor Reo, non vero Reus Actori edere teneatur rationes, juxta *l.* 1. *et* 4. *h. t.* Rationes hic duae ponuntur: I. a fine, quia Reus implorando editionem rationum, facit id coactus, neque ad laedendum alium, sed ad se tuendum: Actor vero petit sponte, et ad impetendum Reum. II. a dolo: Actor si rationes suas edere nolit, in dolo est, 2
quia agit contra officium sponte a se susceptum; Reus vero editionem denegando nihil dolo facit, quia probatio ex domo Rei sumi non debet. Vid. 3
l. 125. *de R. J. l.* 47. *de O. et A. l.* 19. *de probat. l.* 5. §. *ult. ff. de dol. mal. except.* Quaeri hic solet: *Quo tempore editio instrumentorum peti soleat?* et resp. *hic Castrens.* Si ad legitima- 4
tionem personarum pertineant, eam statim ante litem contestatam peti posse, si vero decisionem negotii principalis concernant, post litem contestatam peti posse; nisi in libello eorum instrumentorum facta sit mentio. *Sed an non* 5
Actor ad replicationem suam fundandam instrumentorum editionem a Reo postulare potest? Quod communiter affirm. Nam cessat hic illa ratio, quod Actor praeparatus accedere debuisset; quia exceptionem Rei non potuit scire certo. *Bald. hic num.* 11. *Jas. num. fin. Gilken. num.* 11. Sed aliud, si semiplene tantum probaverit. *Menoch. d. cas.* 499. *num.* 8. Confer. etiam *Curt. in rep. h. l.*

TITULUS II.

De in jus vocando.

L. Sicut. 1.

SUMMARIA

Uxor Patroni in jus vocanda non est sine venia. num. 1.
Eidem reverentia debetur. 2.
Reverentia Marito debita etiam ad Uxorem extenditur. 3.
Quatenus poenalis constitutio ratione Viri etiam ad Uxorem porrigatur? 4.
Reverentiam exhibere est res non adeo magni praejudicii. 5.

1 Uxor Patroni in jus vocanda non est sine venia. Ratio in *l.* 4. *ff. h. t.* et in *hac ipsa lege*,
2 quia reverentia ipsi debetur. Unde duo inferunt DD. quos hic in collectaneis *Aug. Barbos.* alle-
3 gat. I. Reverentiam Marito debitam, etiam extendi ad Uxorem. II. Poenalem constitutionem
4 ratione Viri, ad Uxorem porrigi. Ut ut vero prima regula concedi possit, secunda tamen opinio nimis generalis videtur. Nam ratio, cur hic reverentia ad uxorem extendatur, est procul dubio haec; quod reverentiam exhibere sit res
5 non adeo magni praejudicii. *Petr. Barbos. in l. maritum* 13. *num.* 61. *ff. Sol. matrim.* Sed ideo poenalia ad conjuges extendere velle omnia durinsculum videtur; v. g. Filius Parentem suum necans punitur poena legis Pompejae de parricidio; Sed aliud dicendum videtur, si uxorem Parentis, sive Novercam suam interfecerit, ut est verior opinio. Vid. *Carpzov. Pract. Crimin. quaest.* 8. *num.* 33. *et seqq.*

L. Venia. 2.

SUMMARIA

An poena Patronum sine venia in jus vocanti remitti possit per rescriptum Principis? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Ratio decidendi. 3.
Contra jus naturale delinquens veniam non meretur. 4.
Poenam parti debitam Princeps tollere nequit. 5.
Nec jus quaesitum parti. 6.
Ignorantia juris naturalis nec Rusticis excusationem praebet. 7.
Princeps poenam fisco debitam potest remittere. 8.
Non item debitam, et applicatam parti, et privatum interesse concernentem. 9.

In hac lege quaeritur: si quis Patronum sine 1
venia in jus vocaverit, an poena quinquaginta aureorum per rescriptum Principis remitti possit? Videtur quod sic, per *l.* 7. §. 1. *ff. de Jurisdict.* 2
Sed negatur, 1. quando quis contra jus natu- 3
rale delinquit, non meretur veniam; illa vero *l.* 7. 4
loquitur de Jure Civili. 2. Poenam Parti debi- 5
tam, atque sic ipsi jus quaesitum, Princeps tol- 6
lere nequit. Ex qua lege colligitur: I. Ignoran- 7
tiam juris naturalis, seu ejus, quod naturali ratione exigente etiam a superiore constitutum est, nec Rusticis excusationem praebere. *Tiraquell. de poen. temp. caus.* 11. *num.* 7. quod exemplis declarat *Menoch. remed.* 9. *recuper. possess. num.* 18. *et seqq. Mascard. de probat. conclus.* 640. *num.* 11. *et conclus.* 641. *num.* 4. II. Principem 8

poenam fisco debitam quidem remittere posse, sed non eam, quae parti debetur, et parti est applicata, *Petr. Anton. de Petra de Potestat. Princip. pag.* 591. *num.* 23. *Menoch. cons.* 185.
9 *num.* 4. quod hic declaratur, ut id verum sit de poena debita parti ob injuriam illatam, vel ut *Petra* loquitur, de poena concernente privatum interesse. Vide *Cujac. lib.* 10. *obser.* 10. *et Gilken.* hic, qui putat *num.* 8. non solere quidem remittere Principem, sed posse tamen, cum legis auctoritate inductum sit; quo possent notata referri, an jure civili quaesita a Principe adimi possint, de quo alibi.

L. Qui in potestate Patrum. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An filia emancipata Patrem sine venia in jus vocare possit. 2.
Filii in potestate existentes parentem suum nullo modo in jus vocare possunt. 3.
Habentur pro eadem Persona cum Patre. 4.
Casus speciales, quibus inter patrem, et filiumfam. lis esse potest, remissive. 5.
Etiam emancipati reverentiam debent parenti. 6.
Non possunt eum citare sine venia. 7.
Nec matrem. 8.
Valet argumentum a Patre, qui emancipavit filium, ad Matrem. 9.
Filius naturalis parentes sine venia in jus vocare nequit. 10.
Nec Susceptorem. 11.
Jus Canonicum nimium huic cognationi tribuit. 12.
An alumnus nutricem sine venia in jus vocare possit? 13.
Nutritori, vel nutrici non potest opponi exceptio doli. 14.

Species facti: Volebat Rosana a Patre emanci- 1
pata Patrem convenire, Quaeritur, an possit? 2
et si possit, an veniam teneatur petere? Respondetur ad utrumque affirmative: nam filii in po- 3
testate existentes parentem suum nullo modo in jus vocare possunt, *hic et l. Lis nulla ff. de judic.* Ratio in *l. fin. C. de impub. substit.* quia 4
pro eadem persona cum Patre habentur. Sed interdum tamen inter Patrem, et filiumfamilias 5
potest esse lis, quos casus speciales hic congessit *Glossa, et in d. l. Lis nulla,* et ad hos casus etiam spectat hoc Edictum, *Hillig. in Donell. lib.* 23. *c.* 2. *lit. V.* Sed praecipue ad Emancipatos 6
pertinet, quia et ipsi reverentiam debent Parenti; ideo non possunt citare sine venia, per 7
L. 1. *h. t.* et hoc posterius membrum etiam ad 8
Matrem extendit Lex. Collige: Valere argumentum a Patre, qui emancipavit filium, ad Ma- 9
trem. Et quod hic de Parente sine venia in jus non vocando habetur, extenditur a Doctoribus, 10
quos *hic* congessit *Barbosa,* ad filium naturalem. *Camill. Borell. l.* 1. *decis. tit.* 45. *num.* 40. et ad eum, quem ego ex Baptismo suscepi. *Ascan. de patr. potest. eff.* 3. *num.* 7. *Borell. d. tit.* 45. *num.* 11
67. *Speckhan. Cent.* 1. *q.* 52. et quos *d. lit. V.* congessit *Hillig. p.* 1027. qui Jure Can. nimium huic cognationi tribuente facile obtentum dicit, 12
non obscure de ea ampliatione dubitans: sicut etiam dubitat *Tiraq.* ad *l. si unquam C. de revoc. donat.* in verb. *susceperit liberos num.* 36. Major dubitatio est circa Alumnum, ut et hic veniam rogare teneatur, si Nutricem velit in jus vocare, quam limitationem proponit *Barbos. hic num.* 8. nec mirum, cum etiam exceptionem 13
doli nutritori, vel nutrici opponi non posse velit *Eman. Costa,* allegatus ab *Hillig. l.* 2. *c.* 6. *lit. Aa.* Caeterae Ampliationes videantur apud *Hil-* 14
lig. lib. 23. *c.* 2. *lit. V.* Rubricam, et omnes leges *h. t. a Franc. Curt.* repetitionibus exornatas vide sis *vol.* 7.

TITULUS III.

De Pactis.

L. Conditionis. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An valeat pactum in dicta facti specie? 2.
Rationes dubitandi. 3.
Fideicommissum pendente conditione repudiari nequit. 4.
Rationes decidendi. 5.
Spes futuri juris recte donari potest. 6.
Aliud est repudiare, aliud pacisci. 7.
In fideicommisso non gravato, sed testatori succeditur. 8.
Causa impulsiva cessante non semper cessat dispositio, et Contractus. 9.
Qui remittit spem dubii eventus, modico accepto, non dicitur laedi, qualiscum. eventus sequatur. 10.
Pacto fideicommissum conditionale remitti potest. 11.
Juri futuro, si expressa ejus fiat mentio, renunciari potest parte praesente. 12.
Si Haeredi gravato per fideicommissum data sit a testatore facultas eligendi unum, vel plures ex familia, valet inter eos pactum de divisione aequali, non obstante quacumque electione per gravatum facienda. 13.
Si aliquid datum est, ut remittatur quippiam majus, quod incertum est, an futurum sit, nec ne, non revocatur per susceptionem liberorum. 14.

Species facti: Titius filium suum Philinum cum 1
alio haeredem instituerat, addito fideicommisso, ut si sine liberis decederet, partem suam restitueret fratri Licinio Frontoni: Philinus non susceptis liberis paciscitur cum fratre, ut accepto sexante (i. e. sexta parte, quae erat legitima i. e. trientis pars media, de quo pluribus agit *Andr. Barbatias ad l. cum acutissimi C. de fideicomm. num.* 186. 194. *p.* 199. *et* 120.) remitteret

onus fideicommissi: Sed postea filium suscepit sibi cognominem, quem reliquit haeredem. Hic
2 filius quaerit, an ne pactum impugnare possit?
3 Videtur quod sic, quia 1. fideicommissum pen-
4 dente conditione repudiari nequit, ob *l.* 45. §. 1.
5 *ff. de Legat.* 2. Videtur hoc pactum esse de viventis haereditate, et 3. susceptis liberis cessat ratio Pacti. Sed tale pactum omnino valet, quia incertum conditionis est, incertus eventus fideicommissi, *Menoch. lib. 4. praes.* 169. *num.* 7. et
6 spes futuri juris recte donari potest, *l.* 3. *C. de donat.* praesertim, cum ita tollatur Votum captandae mortis, *l.* 11. *tit. seq.* et fratrum concordia ita alatur, atque aequalitas, *Gail. l.* 2. *obs.*
7 139. *num.* 8. et aliud est repudiare, aliud pacisci; illud licet per *l.* 46. *ff. de pact.* Nec hic de haereditate viventis, sed mortui patris agitur:
8 In fideicommisso enim non gravato, sed testatori succeditur *l. cohaeredi* 41. §. 3. *ff. de vulg. et*
9 *pupill. substit.* nec necesse est, causa impulsiva cessante, cessare dispositionem, et contractum, per *l.* 1. §. *sexum ff. de postul. Everhard. in loc. a ces-*
10 *satione rationis.* 70. *num.* 4. Collige: qui remittit spem dubii eventus, modico accepto non dici-
11 tur laedi, qualiscumque eventus sequatur; imo certum est, pacto fideicommissum conditionale remitti posse, *Vinc. Fusar. de Substit. quaest.*
12 587. *num.* 15. et juri futuro, si expressa ejus fiat mentio, renunciari potest parte praesente, *Ti-*
13 *raq. de retr. Lign.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 124. Sic si haeredi gravato fideicommisso data sit a Testatore facultas eligendi unum, vel plures ex familia, valet inter eos pactum, de divisione aequali, non obstante quacumque electione, facienda per gravatum, ut per hanc *l.* 1. probat *Fusar. de*
14 *subst. q.* 310. Eadem ratione, si aliquod datum est, ut remittatur quippiam majus, quod incertum est, an futurum sit nec ne, non revocatur per susceptionem liberorum, cum potuisset contingere, ut non evenisset, idque propter incertum, ac dubium eventum, *Tiraq. ad d. l. si unquam verb. donatione largitus num.* 133. Confer. ad hanc *l. Peregrin. de fideicomm. art.* 28. *num.* 7.

L. Post venditionem. 2.

SUMMARIA

Summa legis. num. 1.
Facti species. 2.
Haeres venditione haereditatis jus creditorum non potest reddere deterius. 3.
Creditores litem contestando jus suum deterius non reddunt. 4.
Haeres vendendo haereditatem id agit, ut emptor cum lucro aes alienum agnoscat, et solvat. 5.
Quando quis agit ex certo Contractu, licet inter alios initus sit, illum tamen ratificare intelligitur. 6.
Quatenus hoc procedat? 7.
Tacitum pactum regulariter prodest absenti. 8.
Taciti pacti exempla. 9.
Nemo potest ratificare Contractum sine ejus qualitatibus . 10.
Ecclesia ipsa debet acceptare Contractum cum suis vitiis, et causis. 11.
Emptor haereditatis invitus cogi non potest, ut subeat judicium cum Creditoribus haereditariis. 12.
Limitatur. 13.
Recipiendo debitum ablatum ab emptore sibi non praejudicat Creditor. 14.

Summa hujus L. est: Si creditores haereditarii 1
emptorem haereditatis sponte suscipientem judicium conveniant, censentur fecisse tacitum pactum de non petendo ab haerede. Species 2
facti haec: Claudius haereditatem a se aditam cuidam vendidit, et cum emptor sponte susciperet litem, convenitur a creditoribus haereditariis, qui subodorati, illum non fore solvendo, redeunt ad haeredem Claudium, et ab hoc exigunt debita sua. Videtur quod id facere possint, quia haeres venditione haereditatis jus credito- 3
rum non potuerit reddere deterius, *l.* 25. *h. t.* Facit etiam, Creditores litem contestando jus 4
suum deterius non reddere, *l.* 86. *de R. J.* Sed contrarium respondetur. Ratio decidendi in eo consistit; quia haeres vendendo haereditatem, 5
id agit, ut emptor cum lucro aes alienum cognoscat, et solvat, *l.* 2. §. 9. *et ult. ff. de. haered. vendit.* quia ergo Creditores convenerunt Emptorem, approbarunt hunc contractum. No- 6
ta: Quando quis agit ex certo contractu, licet inter alios initus sit, illum tamen ratificare intelligitur, per hanc *l.* quod tamen tantum in 7
casu nostrae legis, et ubi alias jure id expressum, verum esse puto, nec hoc extendendum est ad alios casus, ita ut regulariter tacitum 8
pactum prosit absenti, nam hoc plane irregulare est, et ad alios casus extendi minime debet, *Franc. Caldas de Empt. c.* 23. *num.* 75. Ideoque apparet ratio, cur hic tacitum pactum tertio prosit. Nam sunt quidem taciti pacti etiam alia 9
exempla, ut in *l.* 2. §. 1. *ff. h. t. l. Si unus* 27. §. 9. *ff. eod. l.* 4. *eod. l. qui in futurum* 57. *cod. l.* 3. *C. in quib. caus. pign. tac. contrah. l. si creditores* 18. *infr. h. t. l. si voluntate C. d. dot. promiss. l. Qui patitur ff. Mandati* quos casus consarcinavit *Mantic. de tac. et amb. convent. lib.* 1. *tit.* 5. *num.* 4. *et seqq.* Hoc tamen hic speciale est, quod pactum tacitum tertio prosit; cujus ratio esse potest, quod Creditor contractum illum ratum habuit, vel quod creditor petendo ab Emptore videatur cum haeredis procuratore in rem suam paecisci, unde utilitas ad haeredem transit ceu principalem, ut ait *Bald. de Bartolinis in rep. l.* 1. *ff. sol. matr. n.* 391. *vol.* 3. Habemus quidem etiam exemplum in *l.* 17. §. 5. *ff. h. t.* sed ibi pactum in rem conceptum, cum Sabini tantum sententia referatur *Bacchov. in Wesembec. h. t.* Sed proprius ad nostram legem accedunt *l.* 23. *et l.* 25. *ult. ff. h. t.* Collige etiam: Neminem posse ratificare contractum, 10
sine ejus qualitatibus; Imo Ecclesia ipsa debet 11
acceptare contractum cum suis vitiis, et causis. *Tiraq. de Retr. convent.* §. 5. *ad fin. tit. gl.* 2. *num.* 6. Collige etiam: Emptorem haereditatis 12
invitum cogi non posse, ut subeat judicium cum Creditoribus haereditariis; quod fallit in eo, qui 13
a Fisco emit, *l.* 1. *C. de haered. vendit.* quod ad Ecclesiam vendentem extendit *Sich. hic num.* 11. et in eo casu, ubi venditor haeres non est solvendo, *l. fin.* §. 1. *ff. de eo, per quem fact. Salyc. hic num.* 8. *Sichard. num.* 11. Alia exceptio proponitur infra in *l.* 2. *C. de haered. vend.* Sed recipiendo debitum oblatum ab emptore, 14
sibi non praejudicare creditorem tradit *Sichard hic in fine.*

L. Servus. 3.

SUMMARIA

Servus paciscendo jus domino quaesitum reddere deterius nequit. num: 1.
In jure quaerendo Domino praejudicat. 2.
Alias servus in acquirendo dominio potest ei praejudicare apponendo modum, et conditionem. 3.
Nec potest dominus acceptare, nisi cum sua forma. 4.
Idem verum in negotiorum gestore, et in Syndico Civitatis, aut Consistorii. 5.

1 Servus paciscendo jus Domini reddere deterius nequit, *Auctor in l. 28. ff. h. t. num.* 3. 4. quod de jure Domino quaesito, non quaerendo, intelligendum, ut ipsa verba indicant; nam
2 in jure quaerendo praejudicare Domino potest,
3 *l. fin. C. de acquir. haered.* nam alias servus in acquirendo Dominio potest ei praejudicare, ap-
4 ponendo modum, et conditionem, nec potest Dominus acceptare nisi cum sua forma; idem
5 in negotiorum gestore verum, et in Syndico Civitatis, aut Consistorii, *Tiraqu. d. l. num.* 7.

L. Postquam. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Aliud est, lis seu instantia, aliud ipsa causa principalis. 2.
Pactum, ut a lite recedatur, est favorabile. 3.
Qui liti renunciat, toti causae renunciasse videtur. 4.
Renunciatio facta praesumitur ex desperatione juris sui et agnitione bonae fidei. 5.
Qui simpliciter liti renunciavit, ex alio jure litem movere potest. 6.
Habetur speciale beneficium restitutionis in integrum. 7.

1 Species facti: Valeriana litem moverat, cui per pactum gratis postea renunciavit, sed voluntate mutata, postea causam pristinam in Judicium vocare volebat, quaeritur, an possit? Videtur quod sic, quod Valeriana nihil acceperit, per *l.* 38. *tit. seq.* et quod aliud sit
2 lis, seu instantia, aliud vero ipsa causa principalis, et Valerianae favet ipse sexus. Sed nega-
3 tur; ratio decidendi: quia Pactum est favorabile, ut a lite recedatur, et qui liti renunciat,
4 toti causae renunciasse videtur, per *Auth. qui semel C. quomod. et quand. Judex.* Accedit,
5 quod renunciatio facta praesumitur ex desperatione juris sui, et agnitione bonae fidei, *Tiraq. ad d. l. Si unquam verb. donatione largitus num.* 206. Interim alter, cum quo litigabatur, non aliquod novum jus consequitur in re controversa, sed adipiscitur tantum receptionem con-
6 tra actorem, *Tiraqu. d. l. num.* 204. Sed si simpliciter liti renunciassem, utique ex alio Jure litem movere possum, per tradita *Andr. Dalneri de*
7 *Renunc. c.* 19. *num.* 3. ita nec speciale beneficium restitutionis in integrum videtur exclusum per ea, quae hic congessit *Barbos. num.* 17.

L. Creditori tuo. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Pars debiti per pactum remissa, si soluta sit, repeti potest. 2.
An munus Advocationis debeat esse gratuitum? 3.
Advocatus mercedem non inhoneste accipit. 4.

Debui 30. 20. solvi, 10. mihi ut remittantur 1
pepigi, ob patrocinium tibi praestitum: hic sum liberatus partim ipso Jure Civili per solutionem, partim per exceptionem pacti, aut doli praetoriam, et addit Imp. si per pactum remissa solverim, me habere condictionem indebiti. Ideo 2
notandum, quod pars debiti per pactum remissa, si soluta, possit repeti. Id ideo fit, quia obligatio naturalis per exceptionem est elisa, per *l. si non sortem* 26. §. 3. *ff. de condict. indeb.* Ratio dubitandi hic videtur esse, quia munus 3
Advocationis videtur esse debere gratuitum, per *l.* 15. *C. de Probat.* Sed huic in ipsa lege occurritur. Unde ex hac nostra lege colligunt: 4
Advocatum mercedem non inhoneste accipere. *Tiraq. de Nobilit. c.* 29. *num.* 27. de quo postea in *l.* 6. §. 5. *C. de postul.*

L. Pacta 6.

SUMMARIUM

Quatenus pacta contra leges etc. concepta sint invalida?

Regula in hac lege, quod pacta contra leges, etc. concepta, sint invalida, intelligenda est, quando lex aliquid disponit ob publicam utilitatem, aut quando actibus privatorum solemnitatem certam praescribit, ut in testamentis, per *l.* 3. *ff. de testam.* seu contra leges pactum est, quando lex ipsum pactum prohibet, aut clausulam annullativam habet: contra bonos mores est, quando cum honestate, vel utilitate publica pugnat, seu quando invitat ad delinquendum, vel publicae utilitati praejudicat, vel certis ex causis est prohibitum, ut pactum de succedendo, de quo in *l.* 15. *h. t. et l. fin.*

L. Debitori tuo. 7.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
Debitum haereditarium per aditionem confunditur. 2.
DD. hic de confusione agunt. 3.
Vendita haereditate haeres id, quod a defuncto sibi debetur, ex aequitate petere potest ab emptore. 4.
Qui adjudicatam sibi haereditatem relinquit adversario, ea conditione videtur tradere, ut sibi satisfaciat. 5.
Si nulla stipulatio intercesserit, praescriptis verbis agendum. 6.

Ex contractu innominato oritur actio praescriptis verbis. 7.
Quaenam requirantur, ut pactum traditione rei fulciatur? 8.
Pacto fieri potest, ne actione haereditatis confundatur Creditum. 9.
Quod tacite fit vendita haereditate. 10.
Haeres gravatus fideicommisso, et cui testator aliquam summam pecuniariam debuit, potest tempore restitutionis adveniente sua Credita detrahere, et jure retentionis uti. 11.
Idque sive inventarium fecerit, sive non. 12.

1 Species facti: Maximus debitori suo, qui illi centum debebat, haeres extitit, sed haereditatem aditam, et judicio obtentam possessori victo ea lege reliquit, ut sibi centum illa solveret et caeteris creditoribus satisfaceret, Quaeritur an
2 pactum valeat? Videtur quod non, quia debitum per aditionem est confusum, *l.* 3. *C. ad*
3 *L. Falcid.* de qua confusione hic agunt *DD. et Zang. de Except. p.* 3. *cap.* 9. *Hering. de Fidejuss. c.* 20. §. 16. *Donell. lib.* 16. *cap.* 1. Sed valet
4 pactum ex aequitate, quia vendita haereditate haeres id, quod a defuncto sibi debetur, ex aequitate petere potest ab emptore, *l.* 2. §. 18. *ff. de*
5 *haered. vend.* ita, qui adjudicatam sibi haereditatem relinquit adversario, ea conditione videtur tradere, ut sibi satisfaciat, videtur enim pa-
6 ctum traditione haereditatis esse vestitum. Ideo si nulla stipulatio intercesserit, praescriptis verbis agendum, quia habita relatione pacti ad traditionem inducitur contractus innominatus,
7 ex quo actio praescriptis verbis oritur, *Mantic. de tac. et amb. convent. lib.* 31. *tit.* 4. *num.* 2.
8 Sed ut pactum traditione rei fulciatur, tria requirit *Mantic. d. tit.* 4. *num.* 3. 1. ut pactum simul cum traditione fuerit interpositum, 2. et quidem pro eo, qui tradidit, et 3. traditio facta
9 voluntaria, non necessaria. Nota hic: quod pacto fieri possit, ne aditione haereditatis confundatur creditum, et quod hoc tacite fiat ven-
10 dita haereditate. Vide *notat.* ad *d. l.* 2. §. 18. *de*
11 *haered. vend.* Ex hac lege inferunt etiam: si haeres gravatus sit fideicommisso, cui testator aliquam summam pecuniariam debuit, quod tempore restitutionis adveniente sua credita detrahere, et jure retentionis uti possit, ut qui successit quidem defuncto, sed revocabiliter,
12 idque sive Inventarium fecerit, sive non, *Morot. cons.* 81. *num.* 10. *et. Thesaur. lib.* 3. *q.* 44. *num.* 4. *Peregrin. de fideicomm. art.* 3. *num.* 20.

L. Si pascenda. 8.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
Communicatio fructuum non infert communicationem rei principalis. 2.
Communio vel in re ipsa est, vel in quaestu. 3.
Potest unus socius operam tantum conferre, alter vero pecudes. 4.

1 Species facti: Nobilis quidam pecora sua pastori pascenda tradit hac lege, ut loco operae tertiam partem foetuum acciperet. An hoc pactum valeat, Quaeritur? Videtur quod non, cum nulla sit locatio, nec merces, nulla etiam sit societas, cum grex non communicetur: Sed valere pactum respondetur, quia Dominus implevit contractum tradendo gregem, et pastor coepit implere suscipiendo gregem. Ergo est pactum vestitum traditione, *Colleg. Argent. ff. h. t. th.* 91. Ergo Judex potest pastorem compellere ad promissa servanda. Collige: Communica- 2
tionem fructuum non inferre communicationem rei principalis, *Sich. hic num.* 9. Est enim com- 3
munio vel in re ipsa, vel in quaestu. Illa sortis, vel capitalis; haec interusurii. *Molin. de J. et J. Disp.* 411. *num.* 4. *Mantic. de tac. et amb. convent. lib.* 6. *tit.* 3. *num.* 8. Sic ergo planum est, 4
posse unum sociorum operam tantum conferre, alterum vero pecudes, et hujus tres modos refert *Molin. disp.* 420. *num.* 2.

L. Cum. 9.

SUMMARIA

Pacta dolo inita ipso jure irrita sunt. num. 1. *et* 6.
Pacta sine dolo inita sustinentur ex aequitate. 2.
Species facti. 3.
Licitum est donare. 4.
Limitatur, ubi quis dolo ad id compellitur. 5.

Pacta dolo inita non valent, et ipso jure irri- 1
ta sunt. Cujus ratio est; quia pacta sine dolo 2
inita sustinentur ex aequitate, quae nulla est, si dolus adsit. Species facti: Foemina quaedam 3
servos petierat, et obtinuerat causam, sed sui juris ignara circumvenitur a reo, ut renunciaret liti sub poena centum florenorum, si litem moveret: mulier errore cognito, controversiam movet de servis, sed Titius, seu Reus reconvenit illam ex pacto poenali, et petit, ut ad 100. illos florenos condemnetur; Quaeritur, an valeat hoc pactum? Respondetur, quamvis alias licitum sit 4
donare, quae hic ratio dubitandi, secus tamen est, quando quis dolo ad id impellitur. Collige: 5
quod Pacta dolo inita ipso jure irrita sint, hic 6
et *l. eleganter* 7. §. *ait Praetor ff. h. t. l. si mulier* 21. §. *Si dos* 3. *ff. quod met. caus.* idque multo magis in jure Can. locum habet. *Fort. Garcia in rep. cap.* 1. *X. de Pact. num.* 126.

L. Legem. 10.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An per condictionem sine causa, vel actionem praescriptis verbis dotem cum hoc pacto datam, ut soluto matrimonio danti redderetur, veniente casu ex pacto repetere possit, qui dedit? 2.
Ex nudo pacto nulla actio datur. 3.
Vestitum pactum est, quod vel cohaerentia Contractus, vel interventu rei vestitum est. 4.
Valet omne id, quod in rerum traditionibus conventum est. 5.
Nascitur inde actio praescriptis verbis. 6.
Jure Can. et consuetudinario ex omni pacto datur actio. 7.
Praxis Imperii. 8.
Quatenus hoc procedat? 9.

Nec Jure Canonico potest pactum sine causa plus valere, quam stipulatio sine causa. 10.
Stipulatio sine causa jure Civili actionem non producit. 11.

1 Nica dotem dedit pro alumna, cum hoc pa-
cto, ut soluto matrimonio sibi dos redderetur:
ergo veniente casu quaeritur; An per condictio-
2 nem sine causa, vel actionem praescriptis ver-
bis repetere eam dotem possit ex pacto? Vide-
3 detur quod non, quia ex nudo pacto nulla actio:
Sed respondetur quod sic, quia hic est pactum
traditione dotis vestitum, *Molin. tr.* 2. *Disp.* 255.
4 *num.* 4. Collige: Vestitum pactum esse, quod
cohaerentia contractus, vel interventu rei ve-
stitum est, *DD. hic, et Auth. ad l.* 6. *ff. h. t.*
5 Valet enim omne id, quod in rerum traditio-
nibus conventum est, *l. in traditionibus* 48. *ff.*
6 *h. t.* et nascitur inde actio praescriptis verbis, *hic,*
et l. 4. *et seqq. C. de rer. permut.* Sed cessat hodie
7 haec disputatio, cum Jure Can. et consuetudi-
nario ex omni pacto detur actio, *Garcias in re-*
pet. d. c. 1. *X. h. t.* et *Hillig. in Donell. lib.* 12. *c.*
9. *lit. A. Carpz. part.* 2. *Jurispr. const.* 32. *def.*
8 10. *num.* 9. quod in terris Imperii etiam sequi-
mur. *Garc. d. c. num.* 117. et DD. jam citati;
9 modo Pactum causam habeat, quia nec Jure
10 Canonico potest pactum sine causa plus valere,
quam stipulatio sine causa; Sed haec non pro-
11 ducit actionem Jure Civili: ergo nec illud Jure
Can. *Gomez t.* 2. *res.* 11. *num.* 5.

L. Ex conventione. 11.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Maritus fructus dotales jure dominii percipit. 4.
Tum demum actio mihi competit, cum mea interesse non desiit. 5.
Objectio solvitur. 6.
Corrigitur l. 1. C. sine Cens. et reliqu. 7.
Fundus aestimato datus in dotem pro vendito habetur. 8.
Modo non alio fine aestimatio facta probetur. 9.

1 Capitonis Patri uxor secunda in dotem attulit
praedium, creditoribus ratione usurarum obli-
gatum: Maritus paciscitur cum uxore, ut ipsa
usuras solveret, sed mortuo marito quaeritur;
An filius ejus Capito ex hoc pacto habeat actio-
2 nem contra Novercam? Videtur quod sic, quia
3 Pactum traditione fundi vestitum est. Sed re-
spondetur, non competere actionem Capitoni,
4 nec ob usuras praeteritas, cum enim maritus
perceperit fructus suos jure Dominii, eos repe-
tere non possunt creditores, *l.* 29. §. 1. *ff. de pign.*
nec ob futuras, quia nihil interest Capitonis,
cum fundus jam sit restituendus. Sed si fundus
aestimatus in dotem datus sit, atque ita vendi-
tus marito, *l.* 10. *pr. ff. de jur. dot.* et transeat
ad haeredes, merito ex vendito aget Capito, ut
haeres mariti Patris sui, contra Novercam, ut
illa usuras solvat creditoribus, quia jam ejus
5 interest. Collige tum demum actionem mihi
competere, cum mea interesse non desiit, per
l. hanc, et l. 95. *de Verb. obligat.* nam etsi antea
mea interfuisset, si tamen interesse desinat, nul-
la mihi debetur actio, licet tempore contractus
interesset, per *l. si procuratorum* 8. §. *mandati*
actio 6. *ff. mandati, Tiraq. de retr. lignag.* §. 1.
gl. 2. *num.* 53. *Surd. dec.* 52. *num.* 4. quamvis au- 6
tem huic legi obstet *l.* 1. *infr. sine cens. et re-*
liq. etc. quae tamen eadem est cum hac lege;
unde tamen videri potest, particulam NON esse 7
mendosam, et expungendam, ut *Donell.* hic, et
Gilken. recte statuunt; et *Hotomann. ad l.* 12.
h. t. quod probabile esse fatetur *Bacchov. ad l.*
42. *ff. de pact.* licet ipse aliter conciliet has le-
ges, et non putet absurdum esse, si dicamus,
Tribonianum unam constitutionem plura capi-
tula continentem in duas partes perscripsisse.
Et ideo firmiter statuendum, quod etiam com- 8
muniter receptum, fundum aestimato datum in
dotem pro vendito haberi, *hic, et l. quoties C.*
de jur. dot. Covarr. Pr. qq. c. 28. *num.* 1. *Molin.*
disp. 426. *num.* 6. *P. Barbos. in l. aestimatis* 50.
num. 3. *ff. sol. matrim.* modo non alio fine aesti- 9
matio facta probetur, *Molin. d. l. num.* 4.

L. Pacta novissima. 12.

SUMMARIA

Quatenus pacta novissima derogent prioribus? num. 1.
Pacta judicialia praevalent extrajudicialibus. 2.
Pactum decreto judicis confirmatum rescindi non potest. 3.
Species facti. 4.
Per pactum de non petendo non perimitur, sed eliditur ipsa actio. 5.
De clausula derogatoria, remissive. 6.
In quibus locum habeat regula hujus legis? 7.

Regula in textu duplex est: I. Pacta novissima 1
derogant prioribus, scil. si 1. incompatibilia:
nam si ambo consistere possunt, per posteriora
prioribus derogatum non censetur, *Carpz. p.* 2.
Jurispr. const. 33. *def.* 17. *Tusch. concl.* 451. *num.*
1. *et* 22. *lit. P. Klock. cons.* 182. *num.* 345. 2.
utrumque per se sit alias validum, licet in ulti-
mis voluntatibus secus, *Dan. Moller. l.* 5. *Seme-*
str. diff. 53. 3. nisi in priori sit clausula deroga-
toria: quando enim priora derogant posteriori-
bus expresse, posteriora non possunt derogare
prioribus, *Mantic. de tac. et amb. conv. lib.* 3.
tit. 2. *num* 27. *Gomez. l.* 2. *res.* 13. *num.* 12. et
tale in spiritualibus semper intelligitur, *Bart.*
in l. si quis num. 15. *ff. de legat.* 3. II. Pacta ju- 2
dicialia praevalent extrajudicialibus, *hic, et L.*
Scripturas 11. *C. qui potior. in pign.* Et ideo pa- 3
ctum, decreto Judicis confirmatum, rescindi
non posse, tradit *Klock. Vol.* 3. *cons.* 145. *num.*
64. Species facti est: Debeo tibi 100. postea con- 4
venitur inter nos ne petas: demum contra pla-
cuit, ut petere possis: agis ergo contra me:
ego oppono exceptionem ex pacto primo, tu
replicas primum pactum esse elisum per secun-
dum: Quaeritur, quid juris? Respondetur, se-
cundo pacto esse standum, quia 1. novius est
2. in judicio initum. Collige: per pactum de non 5
petendo non perimi ipsam actionem, sed elidi,
Morla in emp. juris p. 1. *tit.* 3. *in praeludio*
num. 51. Hic agunt *DD.* de clausula derogato- 6

ria, de qua videatur, *Mart. de clausulis p.* 1. *claus.* 261. et notata a me ad *l.* 22. *pr. de ff. leg.* 3.
7 Et consulentes passim. Regula etiam hujus legis non tantum in pactis, sed, et legibus, et testamentis locum habet, ut pluribus hic tradit *Barbos. num.* 6. *et seq. et Tusch. d. concl.*

L. In bonae fidei. 13.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An idem sit in stricti juris judiciis? 2.
Quid sit: in continenti aliquid facere? 3.
In continenti fit, quod fit paulo ante, vel post. 4.
Ex quocumque pacto in continenti adjecto duae oriuntur actiones. 5.

1 Exemplum tale esse potest: Contraho venditionem fundi, ex intervallo paciscimur, ut cum fundo simul tradantur instrumenta (*Vieh.*, *Saat* etc.) hoc pactum non valet, quia non inest contractui. Ergo nudum est, non producens actionem; sed si instrumenta tradita sint, et tamen velles ea repetere, tunc mihi datur Exce-
2 ptio. An idem sit in stricti juris Judiciis? videatur *Philipp. Matth. in l.* 27. *ff. de R. J. num.* 41. *Fachin. l.* 2. *controv.* 99. *Goedd. de stipulat. c.* 8. *num.* 74. qui id cum communi sententia affirmant. Obiter hic notat *Salyc. num* 12. *et*
3 *seq.* quid sit in continenti aliquid facere? Resp. antequam contrahentes ad alia negotia divertant. Consentit *Franzk. ad hunc tit. Digest. num.* 96.
4 Vel id in continenti fit, quod fit paulo ante, vel paulo post, *Mantic. de tac. et amb. convent. l.* 3. *tit.* 15. *num.* 45. Et communis est senten-
5 tia, ex quocumque pacto in continenti addito oriri duas actiones, priorem ex ipso contractu per pactum informato, v. g. Actio venditi; alteram ex ipso pacto per se considerato, scil. praescriptis verbis, *Tiraq. de retr. convent.* §. 1. *gl.* 1. *num. fin.* Conf. *Fachin. l.* 2. *controv.* 98. *Franc. Curt. in rep. l. petens h. t. num.* 22. *vol.* 7.

L. Si pacto. 14.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Nudum pactum neminem in mora constituit. 2.
Citra contumaciam immissio in bona statim peti nequit. 3.
Non est inchoandus Processus ab executione. 4.
Non debet attentari executio in iis casibus, in quibus poena ipso jure incurritur. 5.

1 Facit tecum nudum pactum de aliquo faciendo, postea convenit de poena, si non praestarentur promissa, et demum subjecta est poenalis stipulatio, Quaeritur, an ad poenam agi possit?
2 Videtur quod non, quia nudum pactum neminem in mora constituit, *l. Nulla* 88. *ff. de R. J.* Sed omnino datur actio in stipulatu ad poenam, quae summo jure commissa est, licet tu, faciendo id quod primo placuit, libereris, et ita moram purgare possis, *l.* 73. §. *fin. ff. de V. O.* nam pactum videtur in stipulatione repetitum. Sed 3
citra contumaciam immissio in bona statim peti nequit: non enim est ab executione inchoandus 4
processus, nec in iis casibus, in quibus poena 5
ipso jure incurritur, ante sententiam declaratoriam executio attentari debet, *c. cum secundum,* §. *fin. de haered. lib.* 6. *Zillet. consil. crim.* 130. *num.* 6. *t.* 1. *et Caball. cas. crim.* 233. *num.* 7. Nam qui consuluerat Imperatorem, nolebat actionem proponere, sed statim immissionem volebat petere, *Marian. Socin. in rep. l. ita stipulatus ff. de verb. obl. num.* 187. an autem si non secuta fuisset stipulatio ex primo, et secuto pacto, agi potuisset actione praescriptis verbis, de eo videri potest *Hier. Verius in rep. Rubr. de Verb. obl. num.* 128. *et Jacob. de Negris in repet. l.* 1. *ff. de Verb. obl. num.* 51. *vol.* 6. Sed in foro parum utilis haec quaestio, conf. *Franc. Curt. in repet. h. l. vol.* 7.

L. Pactum. 15.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Facultas testandi nullo pacto adimi potest. 2.
Nulla dispositione fieri potest, ne nostra voluntas sit ambulatoria. 3.
Pactis non datur haereditas. 4.
Promissio facta de non mutando haerede non obligat. 5.
Aliud est, si pactum de certis rebus interponatur. 6.
An pactum, de quo hic, juramento jure Canon. confirmari possit? 7.
Forum Canonicum in juramenti materia sequimur. 8.
An consuetudine legi huic derogari possit? 9.
Id, quod contra bonos mores juris Canonici pugnat, ne quidem statuto introduci potest. 10.

Elocasti filiam data dote, et simul promisisti 1
te mortuo fore, ut filia cum suis fratribus aequaliter succederet. Quaeritur, an possis non obstante tali pacto, testamentum condere, et inaequaliter, salva legitima tamen, eos haeredes instituere? Et videtur quod non, quod hoc pactum annexum sit datione dotis, et vestitum rei traditione. Sed respondetur affirmative, quia 2
nullo pacto fieri potest, ut facultas testandi adimatur, *l.* 1. *C. de SS. Eccles.* et nulla dispositio- 3
ne fieri potest, ne nostra voluntas sit ambulatoria, *l.* 4. *et* 17. *ff. de adim. legat.* et pactis non 4
datur haereditas, *l.* 9. *in fin. h. t.* et continet hoc pactum Votum captandae mortis, hinc promissio facta de non mutando haerede non obligat, 5
D. Richter. decision. 26. *num.* 18. Aliud igitur est, 6
si pactum aliud de certis rebus interponatur, *Gail. l.* 2. *observ.* 126. *num.* 8. *Hottom. cons.* 72. *num.* 32. *Cothm. v.* 4. *cons.* 16. *num.* 25. *Richter. d. l. num.* 16. Et hoc pactum, de quo hic, adeo 7
exosum putant esse hic DD. ut ne juramento quidem jure Canon. confirmari possit, quos sequitur *Peregrin. de fideicomm. art.* 51. *num.* 21. *Vasq. de Success. lib.* 2. §. 18. *num.* 197. *et Vinc. Fusar. de Substit. quaest.* 308. *num.* 18. *et seqq. Barbos. hic in coll. num.* 5. Sed quidquid sit in foro Civili, certe in foro Canonico, 8
quod in juramenti materia sequimur, tale juramentum omnino observandum puto post *Bl.*

cum Dec. hic num. 3. *et Guttierez. de confirm.*
juram. p. 1. *cap.* 59. *num.* 5. ut mirari liceat, cur,
9 consuetudine legi huic derogari posse concedant
Doctores hic allegati a *Barbos. num.* 7. juramen-
10 to non item, cum tamen id, quod contra bo-
nos mores juris Canonici pugnat, ne quidem
statuto introduci possit.

L. Cum proponas. 16.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An fratres per patrem onere fideicommissi mutuo gravati, onus hoc sibi mutuo remittere possint? 2.
Pactum de non succedendo invalidum est. 3.
Favori suo renunciare licet. 4.
Talia, fideicommissa sunt odiosa. 5.
An si fideicommissario praesente res fideicommisso subjecta alienata fuerit, fideicommissarius consensisse praesumatur? 6.
Glossa *notatur.* 7.
Item Menochius. 8.

1 Pater in testamento duos liberos suos institue-
rat, cum onere tamen fideicommissi, ut qui
primo sine liberis moreretur, suam portionem
2 alteri restitueret; Quaeritur, an fratres hoc onus
fideicommissi sibi mutuo remittere possint? Vi-
detur quod non, propter rationes dubitandi in
3 *l.* 1. *h. t.* positas, et quia pactum de non suc-
cedendo non est validum, *l. Pactum* 3. *de col-
lat.* Sed respondetur hic, quod possit mutuo
remitti, cum liberi, quorum in gratiam fidei-
4 commissum a Patre relictum, suo favori renun-
ciare possint, *l. pen. C. h. t.* et talia fideicom-
5 missa sunt odiosa, *l.* 11. *C. tit. seq. Carpz. v.*
2. *Jurispr. For. Cons.* 43. *def.* 2. *et seq.* si per
pactum id fiat, ut citatis multis *DD.* statuit *Fu-
sarius q.* 587. *num.* 15. *et Barbos. hic num.* 3.
6 Sed *An, si fideicommissario praesente res fidei-
commisso subjecta alienata fuerit, fideicommis-
7 sarius consensisse praesumatur?* Quaeritur: et
negant contra glossam hic *Salyc. Castr. Wesenb.
et Tiraq. de retr. lign.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 156.
qui dicit eam glossam, si in priori sententia
subsistat, communiter ab omnibus reprobari,
nisi dolose taceat; et non terreat *Barbosam* au-
8 ctoritas *Menoch. l.* 3. *praesumpt.* 116. nam ex
allegatis auctoribus apparet, non recte Doctorum
sententiam a *Menochio* perceptam esse.

L. Pactum, quod bona fide. 17.

SUMMARIA

Pactum, sicut et alius contractus, ad sui firmitatem non requirit scripturam, si aliter probari possit. num. 1.
Exceptiones, remissive. 2.

1 Pactum, sicut et alius contractus ad sui firmi-
tatem non requirit scripturam, si aliter proba-
ri possit, *Vasq. p.* 2. *l.* 2. *controv. cap.* 16. *num.*
7. *Surd. dec.* 277. *num.* 1. Certi tamen Casus 2
sunt, quibus ad essentiam, seu formam negotii
Scriptura requiritur, quos notat *gloss. in c.* 1. §.
postquam de Cens. lib. 6. *Luc. de Penna in l.* 5.
C. de jur. Fisc. et Speculat. l. 2. *partic.* 2. §. 8.
restat. 8. *num.* 14. qui 9. numerat, ut et *Riccius
in collect. decis.* 240.

L. Si creditores. 18.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Duo correi in solidum obligantur. 2.
Creditor partem accipiendo in residuo sibi non praejudicat. 3.
An petendo, et recipiendo partem sibi praejudicet, remissive? 4.
Quod si tres correi essent, et Creditor ab uno acciperet portionem ejus, an deducta ea tertia, in reliquum in solidum duo caeteri correi conveniri possint? 5.
Lex haec pertinet ad omnes in solidum obligatos. 6.
Heringius *notatur.* 7.
Pactum tacitum non prodest absenti, sed solventi tantum. 8.
Non pertinet haec lex ad eos in solidum obligatos, qui non habent beneficium divisionis. 9.

Duo correi debendi sunt, quorum unus pro 1
sua parte solvit dimidiam partem, qui expresse
dicit, se pro sua parte solvere. Quaeritur, *an
creditor alteram etiam partem petendo exceptio-
ne pacti repellatur?* Videtur, quod non, quia 2
duo correi in solidum obligantur, *l.* 3. §. *fin. ff. de
duob. reis* nec creditor partem accipiendo in resi- 3
duo sibi praejudicat, *l.* 8. §. 1. *ff. de legat.* 1. *et l.* 51.
§. 1. *ff. de fidejuss.* Sed affirm. 1. quia dicit, se pro
sua persona solvere, solutioneque partis se vult
liberare. Ergo creditor hac lege accipiens, con-
sentire videtur, praesertim, 2. quia non coa-
ctus, sed lubens partem acceptat, *Petr. Stella
in rep. hujus legis num.* 23. *Ant. Fab. lib.* 12.
conject. c. 1. Sed an petendo, ac recipiendo par- 4
tem sibi praejudicet, vide *H. Pist. l.* 1. *q.* 9.
Koppen. decis. 56. *num.* 16. *et seqq. et Franc.
Caldas de Empt. cap.* 33. *num.* 56. qui dicit,
sola electione sibi non praejudicare creditorem,
sed bene per divisionem. *Quid si autem tres* 5
*correi essent, et creditor ab uno acciperet por-
tionem ejus, an deducta ea tertia, in reliquum
in solidum duo caeteri correi conveniri pos-
sint? et resp. Cannan. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 3. affir-
mando: nam ab eo, cujus portionem accepit, ideo
non potest plus petere creditor, quia cum eo
pactus videtur, non plus ea parte se petiturum.
Sed hoc pactum tertiis prodesse nequit. Decla-
randa tamen haec Sententia, ut locum habeat
haec divisio, quando 1. reus solvit praecise suam
partem, non plus nec minus. 2. Si expresse
dixerit, quod pro persona sua tantum solvat.
3. Si solvit sortem non usuras. 4. nisi creditor
cum protestatione, et reservatione reliqui debi-
ti acceptet, *Franc. Caldas. d. c.* 33. *num* 57. *et
seqq. et num.* 61. *et* 62. Et lex haec pertinet 6
ad omnes in solidum obligatos v. g. Fidejus-
sores, Tutores etc. *Caldas. d. l. num.* 65. *Ron-
chegall. ad l.* 3. *vers. utique num.* 22. *ff. de duob.*

7 *reis num.* 22. Nec puto audiendum *Heringium de fidejussorib. c.* 20. §. 13. *num.* 7. putantem, pro *quemquam*, QUEMQUE legendum esse, vel huic legi derogatum esse per *l. fin. C. de fi-*
8 *dejuss.* Confer. *Caldas d. l. num.* 87. Notetur autem hic pactum tacitum non prodesse absenti, sed solventi tantum, *Caldas d. c.* 33. *num.*
9 74. Non tamen pertinere hanc legem ad eos in solidum obligatos, qui non habent beneficium Divisionis, tradit *Ronchegal. d. l. num.* 25.

L. Licet. 19.

SUMMARIA

An pactum de futura successione reciprocum inter milites valeat? num. 1.
Voluntas ultima militum quoquo modo contemplatione mortis in scripturam redacta, vim postremi judicii obtinet. 2.
Pacta ejusmodi sunt revocabilia. 3.
Loquitur lex de casu, quando in vim pacti relinquitur haereditas. 4.
De quibus militibus lex haec intelligenda? 5.
Competit hoc privilegium etiam Ecclesiae, et piis causis. 6.
Ecclesia non potest mori. 7.
An locum habeat haec lex in Principibus habentibus quidem superiorem, sed simul vim condendae legis? 8.
Confraternitates Principum occasionem ex hac lege sumpserunt. 9.
Usu receptae ab Impp. confirmatae sunt. 10.
Nobiles hoc privilegio non fruuntur. 11.

1 Quaestio hic est: *An pactum de futura successione reciprocum inter milites valeat?* Videtur quod non ob *l.* 15. *h. t.* Sed respondetur, inter milites valere ex privilegio hanc voluntatem
2 ultimam. Ratio est in textu; cum voluntas ultima militum, quoquo modo contemplatione mortis in scripturam redacta, vim postremi judicii ob-
3 tineat: Sed revocabilia ejusmodi esse pacta ex textu colligit *Bened. Carpz. p.* 2. *Jurispr. For. const.* 35. *def.* 20. quia pactum hoc non fit ea conditione, ut unus alterum instituere cogatur, sed ut alter alteri succedat, et pactum hic dicitur valere in vim ultimae voluntatis; ergo ut alia voluntas ultima est revocabilis, et alias militibus auferret potestatem testandi, *Roderig. Suarez in celebr. repetit. L. quoniam in priorib. C. de inoffic. testam. limit. Leg. quinta, num.* 10. *Dn. Richter. dec.* 26. *num.* 18. *et seqq.*
4 Deinde notandum, hanc legem loqui de casu, quando in vim pacti relinquitur haereditas; nam si in vim testamenti reciproci se mutuo instituere velint, de eo dubium non est, quin pos-
5 sint, *Suarez d. l. num.* 11. Restringunt communiter, ut non habeat locum, nisi milites sint in bello, licet non in actu praelii, *Hartman. Pist. lib.* 1. *q.* 2. *num.* 73. *Carpz. d. def.* 20. *Peregr. de fideicomm. art.* 51. *num.* 33. *Francis. de Barri tr. de succ. l.* 2. *tit.* 3. *num.* 4. *Fusar. de substit. quaest.* 308. *num.* 42. Et nonnulli putant, restringendam hanc legem esse ad pactum militum reciprocum: sed cum ratio generalis sit, difficulter haec limitatio defendi potest. *Hartm. Pistor. d. q.* 2. *num.* 36. *Vasq. l.* 2. §. 18. *num.* 233. *de success. creat.* Ideoque non 6
absurda extensio Doctorum, quod hoc privilegium competat Ecclesiae, et piis causis: nam si reciprocum pactum requireretur, non competeret, quia Ecclesia non potest mori; sed si aliquis con- 7
veniat cum Ecclesia, omnino pactum tenet, *Suarez d. l. num.* 10. *Tiraq. privil. piae causae* 105. qui quidem in utramque partem disputat, sed tamen in fine se referendo ad tertium notabile in *Dec. in hac l.* videtur pro pia causa concludere. Imo si miles non militi per tale pactum promitteret haereditatem, valeret hoc, quia in favorem militis, cujus pactum pro ultima voluntate habetur, hoc constitutum, *Dec. hic num.* 3.
Legem etiam hanc locum habere volunt in Prin- 8
cipibus habentibus quidem superiorem, sed simul vim condendae legis, *Peregr. d. art.* 51. *num.* 34. *Franc. de Barri d. tit.* 3. *num.* 4. *Fusar. de substit. q.* 308. *num.* 40. Sed potest con- 9
cedit occasionem istius modi Confraternitates ex hac lege sumpsisse: nam ex hac lege non possent defendi, cum actu non militent. Quidquid 10
sit, videmus istas Confraternitates usu receptas, confirmatas tamen ab Imperatore, qua confirmatione opus non esset, si ex hac lege competerent; Sed Nobiles non frui hoc privilegio no- 11
tius est, quam ut probatione egeat, *Hartman. Pist. d. q.* 3. *num.* 37. *Carpzov. d. defin. in fin.*

L. Traditionibus. 20.

SUMMARIA

Ex nudo pacto sine traditione dominium non transfertur. num. 1.
De quo dominio lex intelligenda. 2.
Limitatur regula. 3.
De constituto possessorio integrum tractatum scripsit Tiraquellus. 4.
Contractus Principis subjacent juri communi. 5.
Gratianus *notatur.* 6.

Regula h. est: Non transferri Dominium ex 1
nudo pacto, sed requiri traditionem. Hic ipsa Regula nos docet; non hic agi de transferendo 2
Dominio in genere, sed de eo Dominio, quod ex consensu duorum transferendum est. Ideoque non opus erat hic monere, etiam aditione haereditatis, vel ex legati agnitione adquiri Dominium. Sed illa Regula: non ex nudo pacto tran- 3
sferri Dominium, quam multis allegatis *DD.* hic pro more exornat *Barbos. num.* 2. multas patitur exceptiones, ut 1. in constituto possessorio, nam si paciscar, me in posterum tuo nomine velle rem possidere, transfero simul Dominium, per *l. quod meo* 18 *ff. de acquir. poss. Guid. Papae decis.* 268. *Jov. Aloys. Riccius dec. collect.* 55. Et de hoc constituto integrum tracta- 4
tum scripsit locupletissimus scriptor *Tiraquellus.* 2. In donatis Ecclesiae, vel pio loco, *L. ut inter divinum alias l. ult. C. de SS. Eccl. et ibi DD. Molin. Tr.* 2. *Disp.* 3. *num.* 18. 3. In Principe, si velit sine traditione transferre Dominium; nam alias contractus illius subjacent ju- 5
ri communi, et haec praesumitur voluntas Principis, *Covarr. l.* 2 *resol. c.* 19. *num.* 3. *Molin.*

d. *Disp.* 3. *num.* 18. licet indistincte de Principum
6 contractu, sed male, id sentiat *Gratian. disc. forens. cap.* 310. *num.* 5. *et seqq.* Aliae limitationes dari possunt, de donatione sub modo, de lege commissoria, de aditione in diem, de quibus alibi.

L. Cum proponas. 21.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Transactio non potest allegari ab eo, qui ipse non servat. 2.
Frangenti fidem fides non est servanda. 3.
Nemo juvare se potest ex contractu, quem impugnat. 4.
Ex contractu agens prius illum implere debet. 5.
De quibus contractibus h. l. intelligenda? 6.

1 Ago tecum ceu instituto haerede, et peto haereditatem, quia testamentum est nullum; transigis mecum, ut ego bona haereditaria, tu alia habeas, quaeritur: an ex hoc pacto sive placito detur mihi Actio contra te? Respondetur, quod non, quia nudum pactum est, nulla traditione vestitum. Sed alia via mihi consulitur, si enim non possideo, veteri actione possum uti: cui si opponas transactionem, replico de dolo. Sed si possideo haereditatem ex pacto, datur mihi exceptio per hanc legem. Collige: ab eo
2 transactionem non posse allegari, qui ipse non
3 servat, et frangenti fidem, fidem non esse servandam, *Auct. ad l.* 16. *ff. de Transact.* quod exemplo ejus, qui pacem fecit cum altero, hic
4 declarant *DD.* et neminem ex eo contractu juvare se posse, quem contractum impugnat. Et inde fluit Exceptio non impleti contractus, quae opponitur ei, qui ex contractu agit. Nam imple-
5 re debet contractum ille prior, quicumque ex contractu agit, per *hanc legem Gail. l.* 2. *obs.* 57. *Carpz. l.* 2. *Resp.* 88. *Klock. cons.* 39. *n.* 283.
6 *vol.* 2. Quamvis autem *Valasc. consult.* 153. *num.* 15. hunc textum intelligat de contractibus innominatis, atque ad eos tantum restringat, quem sequitur *Barbos. hic num.* 2. distinguendum tamen inter Jus Revocandi, et Retractandi contractum, et inter jus petendi Implementum ab eo, qui ex eo contractu agit. De illo verum est, non nisi in innominatis poenitentiam licitam esse. Sed hic de poenitentia non agitur; sed quod is, qui ex contractu convenitur, possit petere excipiendo, ut Actor pro sua parte prius impleat, id quod etiam in nominatis, v. g. venditione, locum habet, *l. aediles* 25. §. *fin. ff. de aedil. edict. Gail. d. obs.* 57. *Klock. d. cons. num.* 284.

L. Pactum Curatoris. 22.

SUMMARIA

Curator liquidum debitum adultae remittere nequit. num. 1.
Tutores, et Curatores exigentes pupillis, et adultis debitum, non etiam remittentes, praestant obligationis liberationem. 2.
Liquidum debitum a nullo administratore remitti potest. 3.
Renunciatio sive remissio juris Principalis est donatio, et gratis remittendo donatur. 4.
Quatenus a tutore debita non liquida remitti possint? 5.
Pro pupillo pacem facere potest tutor. 6.
Quod de tutore hic agitur, locum etiam habet in Parochis, Oeconomis, Administratoribus Civitatum, et similibus. 7.

Curator liquidum debitum adultae remittere nequit, *Auct. ad l.* 15. *h. t.* Ratio elegans in *textu*, 1
et in *l.* 12. *tit. seq.* quod tutores, et curatores 2
exigentes pupillis, et adultis debitum, non etiam remittentes, praestent obligationis liberationem. Ex hac lege colligunt DD. liquidum debitum a nul- 3
lo administratore remitti posse. Licet enim liberam habeat administrationem bonorum, atque sic etiam alienationem, *l.* 58. *ff. de procur.* in qua etiam hujus legis ratio dubitandi consistit, aliud tamen est alienare utiliter, aliud donare; quia renunciatio, sive remissio juris principalis 4
est donatio, et gratis remittendo donat, *Guttierez de tutel. p.* 2. *c.* 6. *num.* 5. Limitat. vid. ap. *Auctor ad l.* 37. *ff. h. t.* Quamvis autem etiam 5
debita non liquida a tutore remitti posse neget *Caeval. q.* 306. id tamen Judicis arbitrio secundum facti circumstantias committendum, *Tiraq. ad l. si unquam C. de revoc. donat.* verbo: *Donatione largitus num.* 96. sicut etiam pro pu- 6
pillo facere pacem potest tutor, *Guttierez d. p.* 2. *c.* 7. et quod de tutore hic agitur, locum etiam ha- 7
bet in Parochis, Oeconomis, Administratoribus civitatum, et simil., *Guttier. d. l.*

L. Filius. 23.

SUMMARIA

An filius debitum patris recipiendo, aut paciscendo ipsi possit praejudicare? num 1.
Filius, vivo parente, quasi dominus bonorum parentis existit. n. 2. *et quatenus hoc procedat.* 5.
Potest agere sine mandato Parentis. num. 3. *Limitatur* 7.
Alteri per alterum iniqua conditio non debet inferri. 4.
Aliud est agere, aliud solutum accipere. 6.
Filio, et servo nomine, et mandato patris, vel domini contrahenti solvi potest. 8.

Quaeritur: *An filius debitum Patris recipiendo, aut paciscendo ipsi possit praejudicare?* Vi- 1
detur quod sic, quia, vivo Parente, quasi Do- 2
minus bonorum Parentis existit, *l. in suis* 11. *ff. de liber. et posthum.* et quia sine mandato 3
Parentis agere potest, *l. Sed et hae.* 35. *ff. de Procur.* Quidni ergo solutionem accipiat? Sed respondetur negative, quia alteri per alterum 4
iniqua conditio inferri non debet per *l.* 47. *de R. J. l. fin. ff. de pact.* et filius Dominus bonorum paternorum est in spe, non re, sed 5
tantum per fictionem; aliudque est agere, aliud 6
solutum accipere; imo ne ad agendum quidem 7
admittitur filius, si ea res mandatum speciale exigat, *Tiraq. de retr. lign.* §. 1. *gl.* 10. *num.* 101. quem hic allegat *Barbos. num.* 2. *qui num.*

3. cum *Surdo decis.* 60. *num.* 8. a contrario sen-
8 su colligit: si filius, vel servus contraxit nomine, et mandato Patris, vel Domini, eidem et solvi posse; cum enim approbata sit ejus persona ad contrahendum, videtur etiam approbata ad recipiendam solutionem, *Afflict. dec.* 147. *num.* 2. facit huc *l. pen. ff. de reb. cred. et l. si quis servo* 18. *ff. de solut.*

L. Si actionem. 24.

SUMMARIA

Pactum haeredis putativi initum vero haeredi non prodest. num. 1.
Species facti. 2.
Pactum possessoris haereditatis prodest vero haeredi. 3.
Pactum cum alia persona initum non prodest aliis, etsi error in persona intervenerit. 4.
Quomodo alii hunc locum intelligant? 5.
Renunciatio facta alicujus personae intuitu, illa defuncta, cessat. 6.
Renunciatio personalis cum persona cessat. 7.

1 Pactum haeredis putativi initum, vero haeredi
2 non prodest. Species facti: Maritus legavit uxori centum, gesserunt se quidam pro haeredibus mariti, quibus vidua remisit legatum, sed comperto errore, contra veros haeredes agit ex Testamento, Quaeritur, an exceptio Pacti illi
3 obstet? Videtur quod sic, quia haeredibus remittere legatum voluit, et Pactum possessoris haereditatis prodest vero haeredi, *l.* 22. *ff. de Constit. pecun.* Sed respondetur negative, quia non quid voluerit, sed quid factum sit, attendendum est: non autem cum veris haeredibus pacta est, et intuitu putativi haeredis pacta est:
4 ergo aliis id non prodest. Collige: Pactum cum alia persona initum, non prodesse aliis,
5 etsi error in persona intervenerit. Alii ita legem intelligunt, quod pactum factum uni haeredi, aliis haeredibus non prosit, v. g. si uni haeredum promiserit legatarius, se legatum non petiturum, id intelligendum de parte haeredis, non de toto, ex *Caldas Pereira relat. a Barbosa*
6 *hic num.* 3. Sed id proprius accedit, quod renunciatio facta alicujus personae intuitu, illa defun-
7 cta, cesset, quia renunciatio personalis est, et cum persona extinguitur, *Barb. hic.* Unde renunciatio filiae ex *c. Quamvis X. de pactis* facta in favorem fratrum, iis praedefunctis, intercedit, et filiae renuncianti non nocebit, nisi aliud actum, *Jo. Guttierez. in c. quamvis in verb. omnino servari debebit, num.* 2. *et seq.* et *num.* 11. *Covarr. in d. c. quamvis p.* 3. §. 3. *num.* 5. *et seq.*

L. Debitorum. 25.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Debitorum pactionibus Creditorum petitio nec tolli, nec mutari potest. 2.
Pactum ad alios quam cum quibus est initum, non porrigitur. 3.
Creditor invitus non cogitur mutare debitorem. 4
An dominus subditos, vel vasallos invitos alienare possit, remissive? 5.

Debet mihi Titius centum, cujus haeredes ita 1
inter se paciscuntur, ut primus haeres totum debitum solvat. Ego pro parte dimidia convenio secundum, hic allegat pactum. Resp. hic per Regulam vulgarem, quod debitorum pactioni- 2
bus creditorum petitio nec tolli, nec mutari possit, quia pactum ad alios, quam cum quibus 3
est initum, non porrigitur, *l. si unus* 27. §. 4. *ff. h. t. et ibi Zasius Tiraq. de Retr. lign.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 126. et alios referens *Salgad. in Labyrint. l.* 3. *c.* 13. *num.* 1. *et seq. Dn. Mev. p.* 4. *dec.* 32. et creditor invitus non cogitur mutare Debitorem, *Gail. l.* 2. *obs.* 14. *num. fin.* Tra- 4
ctat hic *Barbosa* Quaestionem: *An Dominus* 5
subditos, vel vasallos invitos alienare possit? qua de re alibi, quia haec materia hic plane aliena videtur.

L. Pacto Successorum. 26.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Æs alienum haereditarium ipso jure inter haeredes est divisum. 2.
Ex pacto vestito datur actio praescriptis verbis, tamquam ex contractu innominato. 3.

Continet haec L. exemplum *l. praeced.* Æs alie- 1
num haereditarium ipso jure inter haeredes per *l.* 12. *Tabb.* est divisum: Sed quia haec divisio 2
aeris alieni multa incommoda habet, ideo cohaeredes uni dederunt bonam haereditatis partem cum aliquot nominibus, ut creditoribus solveret. Quaeritur, an hoc praejudicet creditoribus? quod negatur ob *l. praeced.* Sed quid si caeteri haeredes conveniantur? Resp. quod caeteri haeredes contra creditores non possint se hoc pacto defendere; sed agent tamen contra haeredem vel ad chirographa communia exhibenda, vel actione praescriptis verbis ad interesse. Nota: ex pa- 3
cto vestito datur actio praescriptis verbis, tamquam ex contractu innominato, de quo supra.

L. Petens ex stipulatione. 27.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Genuina, remissive. 3.
Pacta etiam insunt stricti juris judiciis. 2

Convenis, ut mihi servitia annua certa prae- 1
stares, vel ut fundum tuum mihi vendas, subjicitur stipulatio, vel stipulationi statim subjicitur pactum illud; Quaeritur, *An ex stipulatu ad servitia praestanda detur actio?* Affirmatur, quia si praecessit pactum in stipulatione, repetitum videtur; si in continenti sequatur, stipulationi inest. Nota bene: Pacta inesse stricti ju- 2
ris judiciis. *Vid. Goedd. de stipul. cap.* 8. *num.* 74. *Fachin. lib.* 2. *controv.* 99. *Philipp. Matth. in l.* 27 *de R. J. num.* 41. Confer *Connan. l.* 5.

c. 3. *num. fin.* et quos hic congessit *Barbos. num.* 35. Conferri potest de genuina specie facti *Hier. Broslotius in rep. l. lecta ff. si certum pet. num.* 45. *et Bereng. Fernand. in rep. l. pacta conventa ff. de contrah. empt. num.* 30. *et* 34. *nec non repetitiones Franc. Curt. Bulgarin. et Gozadin. vol. 7. repet.*

L. Si certis annis. 28.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Nulla obligatio contrahitur sine consensu. 2.
Qui aliquot annis solvit, hoc ipso se non obligat ad futurorum annorum praestationem. 3.
Si res per se indebita est, ut ea debita fiat, aliquot annorum praestatio non sufficit. 4.
Respondetur ad rationes dubitandi. 5.
Pater approbando Contractum filii ex eo obligatur. 6.
Haeres solvendo aliquoties defuncti voluntatem approbare videtur. 7.
Solutio facta etiam per decem annos per se non inducit obligationem pro futuro tempore. 8.
Nisi sit tricennalis. 9.
Quae non requirit titulum. 10.
An tituli praesumatur ex annua praestatione per 10. annos continuata? 11.
Praesumptio cedit veritati. 12.

1 Leontius nudo pacto se obligaverat ad annua decem praestanda: aliquot annis solvit, sed edoctus, ex nudo pacto nullam actionem esse, postea detrectat solutionem: Quaeritur, an recte? Videtur quod non, ob *l. 6. pr. ff. de Usur. et l. 7. §. penult. et ult. ad Sc. Maced. et l. 1. C. de Fi-*
2 *deic.* Sed affirmatur: quia nulla obligatio contrahitur sine consensu, *l.* 1. §. 1. *h. t.* qui vero
3 aliquot annis solvit, hoc ipso se non obligat ad
4 futurorum annorum praestationem. Ergo si res per se indebita est, ut ea debita fiat, aliquot annorum praestatio non sufficit. Deinde hic nullus titulus praecessit, *Caldas de Empt. cap.* 26.
5 *num.* 57. *et seq.* Ad *d. l.* 6. Resp. ibi usuras fuisse promissas a filio per stipulationem, et cum Pater solverit usuras, praesumitur debitum in
6 ejus rem versum. Ad *l.* 7. Resp: Patrem approbando contractum filii, ex eo obbligari: approbat autem solvendo partem. Ad *l.* 1. Rep. ex *l.*
7 16. §. 1. *C. de testam.* quod sic haeres solvendo aliquoties, voluntatem defuncti approbare videtur. Quamvis autem lex haec, quatenus de pacto nudo loquitur, vix aliquem usum in praxi habere videatur, adducitur tamen ad id, ut pro-
8 betur, solutionem factam etiam per decem annos per se non inducere obligationem pro fu-
9 turo tempore, nisi sit tricennalis, quae non
10 requirit titulum; ergo ea sola praescriptionem faciet, *Covarr. in c. possessor. p.* 2. §. 4. *num.* 3. *Menoch. l.* 3. *praesumpt.* 131. *num.* 54. etiam in sorte *Carpzov. p.* 2. *Jurispr. for. const.* 2. *def. ult.* et hoc multo magis si immemorialis praescriptio, *Covarr. d. l. num.* 4. *Menoch. d. l. num.*
11 38. *et seqq.* Sed alia quaestio est, *an praesumatur ex annua praestatione per 10. annos continuata titulus?* et tum subdistinguendum, an appareat titulus, sed invalidus, et tunc validus titulus non potest praesumi, ut hic, quia praesumptio cedit veritati: an vero non appareat de titulo, quo praestationes annuae fuerint solutae, et tunc in dubio praesumendum est, titulum justum praecessisse, et praestantem in futurum etiam obligatum esse, per ea, quae tradit *Menoch. l. 3. praesumpt.* 131. *num.* 59. *et seq. Steph. Gratian. in disc. for. c.* 208. *num.* 1. *et seq.*

L. Si quis in conscribendo. 29.

(Quae satis notabilis.)

SUMMARIA

Privilegiatum forum habens potest renunciare suo foro. num. 1.
Aequum est pacta servari. 2.
Quilibet suo favori potest renunciare. num. 10. *limitatur.* 11.
Juri publico non licet renunciare. 4.
Nec Privilegio concesso toti ordini Clericorum. 5.
Secus a privilegio Clericis certae Provinciae concesso. 6.
Privilegio concesso toti universali Ecclesiae non potest renunciare aliqua Ecclesia particularis. 7.
Bene tamen concesso Ecclesiae particulari. 8.
Solvitur objectio. 9.
An ubi ex verbis concessionis colligitur, jurisdictionem datam fuisse privative, tunc prorogatio locum habeat? 12.

Privilegiatorum forum habens suo foro potest 1
renunciare: Rationes duae sunt *in textu:* versic. *Si enim.* I. Quia aequum est pacta servari. II. 2
Quia quilibet suo favori potest renunciare. Atque 3
hic simul respondetur tacite rationi, qua Pontifex in contrarium movetur in *c. si diligenti* 12. *X. de foro compet.* quod scil. juri publico 4
non liceat renunciare: Nam hic agitur de favore non publico, sed cujusvis privato. Verum 5
DD. communiter distinguunt inter privilegium concessum toti ordini Clericorum in honorem Sacri Ministerii, et huic non posse renunciari statuunt; et inter privilegium concessum Cleri- 6
cis certae provinciae, cui renunciari possit per hanc legem, sicuti privilegio concesso toti Uni- 7
versali Ecclesiae non potest renunciare aliqua Ecclesia particularis; Sed si particulari Ecclesiae 8
concedatur privilegium, huic renunciari potest, ita *Petr. Barbos. ad l. alia:* 15. §. *eleganter ff. sol. matr. num.* 21. *et seq.* Sed videtur legi no- 9
strae in hypothesi obstare *l. si convenerit* 18. *ff. de Jurisd.* quas leges ex aliis Doctoribus citatis ita conciliat *Barbosa* hic, quod *lex praesens* de pacto vestito, *lex contraria* de nudo loquatur. Alii aliter; quorum conciliationes vide apud *Hillig. in Donell. lib.* 17. *cap.* 10. *lit. E.* Sed expeditior videtur solutio, quod in *d. l. si convenerit*, non tantum neget paciscens, se ad Judicem suum non revocaturum, sed promittit simul, se alterius jurisdictionem subiturum. Sed ex pacto nudo non est actio. Hic vero paciscuntur de non utendo privilegio adversus forum alias competens, et sic non agitur de obligando, ac ex pacto oritur exceptio, ita *Hillig. d. l.* vel quod idem est, quod l. 18. loquatur de eo, qui plane non est subditus, haec lex de eo qui subditus quidem est, sed privilegio munitus, ubi jurisdictio judicis fundata. *Bachov. ad lib. 2. Pand.*

tit. de prorogata jurisdict. num. 11. *Ant. Faber*
10 *l.* 20. *conject. cap.* 7. Caeterum ex hac lege col-
ligitur Regula*:* quod quilibet suo favori possit
renunciare, quam Regulam hic exornat *Barbos.*
allegationibus multis, *num.* 7. et exornatur ulte-
rius *lib.* 6. *axiomatum cap.* 11. *axiom.* 4. et
11 sane non habet locum, si ipsius renunciantis
non tantum intersit. De hac regula habet Exce-
ptiones in nonnullis pactis prohibitis, ut in trans-
actionibus de alimentis, item in *l.* 14. *et* 17. *ff.*
de pact. dotal. ut longiore die uxori dos red-
datur. Item *in l.* 14. *paragraph. prim. ff. sol.*
12 *matrim.* Colligitur etiam ex hac lege, dubiam
reddi illorum sententiam DD. qua statuunt, ubi
ex verbis concessionis colligitur jurisdictionem
datam fuisse privative, v. g. Scholaribus, quod
tunc prorogatio non habeat locum, *Petr. Bar-
bos. ad. l.* 1. *ff. de judic. art.* 4. *num.* 54. *et
seqq.*

L. De quaestione. ult.

SUMMARIA

Pacta de dividenda, et communicanda haereditate alicujus tertii viventis adhuc, et ita obventura sunt invalida. num. 1.

Incivile est viventis hominis bona in sortem, et divisionem vocare, et ita quasi ejus mortem voto, ac spe praecipere. 2.

Inter quos h. l. locum habeat? 3.

Barbosa *notatur.* 4.

Privatio praesupponit habitum. 5.

In eum, qui non habet spem successionis, non cadit poena privationis. 6.

Locum habet lex si tertius sit persona certa. 7.

De incerti tertii haereditate, si qua obventura est, pacisci licet. 8.

Ampliatio legis. 9.

Interpp. hic agunt de donatione omnium bonorum. 10.

Barbosa *notatur.* 11.

Legitima renunciata extra terminos licitos ad fiscum defertur. 12.

Limitatur regula. 13.

Notantur DD. 14.

Fideicommissarius non gravato, sed testatori succedit. 15.

Potest tale pactum juramento confirmatum stringere unum paciscentium, ut cum altero dividat haereditatem. 16.

Valet etiam pactum, quoniam per id successionis aequalitas inter fratres inducitur. 17.

Aequalitas favorabilis est. 18.

Pactum invalidum non est, si quis sibi successionem protestando reservet. 19.

An cum hac lege pugnet, si parentis permissu testetur filius nulla relicta patri legitima? 20.

1 Casum hujus legis prolixe ipse Imperator pro-
ponit. Est ergo decisio clara. Pacta de dividen-
da, et communicanda haereditate alicujus tertii
adhuc viventis, et ita obventura, sunt invalida.
2 Ratio: quod incivile sit, viventis hominis bona
in sortem, et divisionem vocare, et ita quasi
ejus mortem voto ac spe praecipere*:* adeoque
3 lex haec non potest locum habere, nisi inter
illos, ad quos jure cognationis alias haereditas
erat perventura, *arg. princ. leg. huj. et DD. hic*
Bacch. in Treutl. vol. 1. *Disp.* 6. *th.* 8. *lit. C.* con-
tra quem disputat *Barbos. hic num.* 6. qui hanc 4
legem putat locum habere, etiamsi pacisceren-
tur plane extranei, cum *Vasq. l.* 2. *de Succ.
creat.* §. 18. *num.* 218. licet hic de pacto de non
succedendo agat. Sed possumus horum senten-
tiam probare, quando a tertio essent instituti
haeredes*:* nam si nullam spem successionis ha-
berent, non video quomodo de successione pos- 5
sent pacisci; nam privatio praesupponit habitum,
et in eum, qui non habet spem successionis non 6
cadit poena privationis successionis, *Cephal. cons.*
332. *num.* 38. Declaratur, ut lex locum habeat, 7
si tertius sit persona certa, v. g. si soror fra-
trum in gratiam renunciet haereditati paternae
cum patris consensu, id validum erit, *Cephal.
cons.* 46. *num.* 6. alias non, *vid. Thes. l. quaest.*
95. *num.* 1. qui in sequentibus plura hac in Le-
ge notanda scripsit*:* nam de incerti tertii hae- 8
reditate, si qua obventura est, pacisci licere
patet ex *l.* 3. §. 2. *pro Socio, Carpzov. p.* 2. *Ju-
rispr. for. const.* 35. *def.* 17. *Molin. Disput.* 579.
num. 38. *Guttierez de Jurament. confirm. p.* 2.
cap. 5. *num.* 4. et quos hic allegat *Barbos. num.*
7. Ampliatur regula, ut locum habeat in quavis 9
donatione, hypotheca etc. *in fine legis Molin. d. l.*
qua occasione Interpp. hic agunt de donatione om- 10
nium bonorum, de qua alibi. Deinde ampliatur, ut
locum etiam habeat, si super certa parte hae-
reditatis, vel certis bonis per haereditatem ob-
venturis, conveniatur, quia eadem adhuc ratio
militat, *Vasq. d.* §. 18. *num.* 227. Et quamvis *Bar-
bos. hic num.* 16. contrarium sentientes multos 11
allegat, puto tamen, ipsum confundere quaestio-
nes. Nam aliud est quaerere, an possim tecum
pacisci successione tuorum bonorum, de qua
quaestione loquuntur, *Peregr. de fideicomm. ar-
tic.* 54. *num.* 28. *sequent. et Fusar. de substit. q.*
308. *n.* 68. et alii; aliud autem est de successione
tertii pacisci, ubi eadem ratio, quae in tota
haereditate, vel ejus quota militat, etiam in re-
bus singularibus militat*:* nam, et haec spes im-
proba est. Ratio vero prohibitionis, quae in prio-
ri quaestione militat scil. ut possit testari, in
casu hoc cessat, ubi de successione rei certae
paciscor. Et adeo illicitum hoc pactum, ut por- 12
tio paciscentis ad fiscum deferatur, *l.* 2. §. *ult.
C. de his, quibus ut indign. Carpzov. p.* 2.
Const. 35. *d.* 17. Et legitimam renunciatam
extra terminos licitos ad Fiscum deferri de-
fendit *Cephal. cons.* 605. *num.* 21. *et seqq.* Sed
limitatur in textu regula; nisi tertius ille con- 13
sentiat, et in voluntate sua perseveret, quippe
consensus hic tollit praesumptionem voti captan-
dae mortis, *Roder. Suarez in l. quoniam in prio-
ribus limit.* 6. *num.* 1. *Carpz. d. const.* 35. *def.* 19. 14
Illa certe limitatio non est, quando dicunt, posse
fideicommissarium pacisci de obventuris bonis
per mortem gravati, *Carpzov. d. const.* 35. *def.* 18.
nam hic de viventis haereditate non tractatur, 15
sed mortui, cum non gravato, sed testatori fi-
deicommissarius succedat, *Fusar. de substit. quae-
st.* 309. Collige etiam*:* posse tale pactum ju- 16
ramento confirmatum stringere unum paciscen-
tium, ut cum altero dividat haereditatem. Nam
si sine juramento obligatur, si consensus tertii
perseveret, cum tamen consensus tertii votum
captandae mortis non excludat, *Covarr. in c.
quamvis de Pact. lib.* 6. *p.* 2. *pr. num.* 8. scilicet
in se, sed tamen ratione turpitudinis, et effe-
ctus, ut explicat *Hartm. Pistor. p.* 4. *quaestion.*

l. num. 29. quidni cum juramento obligaret?
17 *Azorius p.* 1. *inst. mor. capit.* 7. posse etiam pactum valere, quando per id successionis aequalitas inter fratres inducitur, quia aequalitas fa-
18 vorabilis est, *Cephal. d. cons.* 332. *num.* 52.
19 Nec est pactum prohibitum, si quis sibi successionem protestando reservet, *Cothman. vol.* 1. *cons.* 8. *num.* 38. ubi *seqq.* hac de re plura. Nec cum hac lege prius pugnare, si parentis 20
permissu testatur filius, nulla relicta patri Legitima, tradit *Jo. Guttierez l.* 3. *quaest. cap.* 75. *num.* 11.

TITULUS IV.

De Transactionibus.

L. Neque. 1.

SUMMARIA

Transactio facta cum quibusdam ex tutoribus, vel curatoribus non patrocinatur caeteris, cum quibus non est transactum. num. 1.
Species facti. 2.
Curatores singuli in solidum tenentur. 3.
Satisfactio pro solutione est. 4.
Unusquisque sui doli poenam sustinet. 5.
Transactio cum uno correo debendi facta alios non liberat. 6.
Idem est si cum uno administratore in solidum obligato contrahitur. 7.
DD. hic agunt de beneficiis tutorum. 8.
An tutor negans tutelam beneficiis privandus, remissive? 9.
Communiter possideri est pro indiviso possideri. 10.

1 Transactio facta cum quibusdam ex tutoribus, vel curatoribus, non patrocinatur caeteris, cum quibus non est transactum, *Sichard.*
2 *num.* 1. Species facti haec est: Habui tres curatores, quorum culpa damnum mihi datur: transigo cum duobus: quaeritur, an tertius habeat exceptionem transactionis? Videtur affir-
3 mandum: cum enim singuli teneantur in solidum, ideo unius liberatione etiam caeteri liberantur, *l.* 15. *ff. de tutel. et ration.* prae-
4 sertim, cum etiam satisfactio pro solutione sit, *l. Satisfactio* 52. *ff. de solution.* Sed negatur, quia
5 unusquisque sui doli poenam sustinet, *d. l.* 15. nec hoc actum, ut tertius liberetur, *§. alteri. Inst. de inut. stipul. l.* 27. *§.* 4. *ff. de pact.* Collige:
6 Transactionem cum uno correo debendi factam,
7 alios non liberare; idem est, si cum administratore in solidum obligato contrahatur, *Mantic. de tac. et amb. convent. lib.* 25. *titulo quarto, num.*
8 8. *DD.* hic agunt de beneficiis tutorum: item,
9 an tutor negans tutelam sit privandus beneficiis,
10 de quo *Jason.* hic id negans. Item communiter possideri est pro indiviso possideri, etc.

L. Cum te proponas. 2.

SUMMARIA

An valeat transactio, quoniam nulla causa adest? num. 1.
Timor litis satis causae est ad transigendum. 2.
An tutor super paterna haereditate pupilli transigere possit? 3.
Si quis sciens adversarium habere justam causam, inducat eum ad transigendum, mortaliter peccat. 4.
Peccatum non dimittitur, nisi restituatur extortum. 5.

Cum nulla adhuc esset lis inter me, et sororem, propter timorem tamen litis transegi. 1
Quaeritur, *An valeat transactio, cum nulla adsit causa?* Ergo per *l.* 2. *§.* 3. *ff. de dol. mal. except.* videtur sine causa facta promissio. Sed
omnino valet transactio, quia timor litis satis 2
causae est ad transigendum, *l.* 65. *§.* 1. *ff. de condict. indeb.* Sufficit enim, transactionem fieri propter litem, licet non fiat in lite, et sufficit, rem esse dubiam ratione litis motae, vel movendae, *Mant. de tac. et amb. convent. lib.* 26. *tit.* 1. *num.* 17. et hoc ampliat *Mantic. d. lib.* 26. *tit.* 8. *num.* 20. licet litem minitans haberet animum calumniandi, quod tamen temperat, nisi evidens esset calumnia, nam tunc dolus ipsi non prodesset, de quo postea, et confer. notata *ad l.* 68. *in summa §.* 1. *num.* 2. *ff. de condict. indeb.* Hinc
Carpz. lib. 5. *Resp.* 66. tradit, super paterna hae- 3
reditate pupilli non posse tutorem transigere, quia, et haeredem eum esse, et pro qua parte sit, in jure certum est, quod concedi potest, si nulla lis probabilis de quantitate, vel testamento, vel aliis incidentibus quaestionibus sit;
nam si omnia liquida, cur transigeret? Si quis 4
vero sciens adversarium habere justam causam, mortaliter peccat, si eum inducat ad transigendum, per quod aliquid ei de jure suo detrahitur, *Mantic. d. t. num.* 22. vid. *Auth. ad l.* 11. *ff.*
h. l. Ergo peccatum non dimittetur, si non re- 5
stituatur extortum.

L. Age cum Geminiano. 3.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
Transactio est stricti juris. 2.
Specialis, et limitata transactio, licet sequatur generalem petitionem, parit tamen specialem exceptionem. 3.
Transactio specialis non impedit actionem circa alia, de quibus non est transactum. 4.
Potest tamen extendi ad dependentia, et connexa. 5.
Judex ab actore, et reo petere potest declarationem actionis, vel exceptionis generalioris, quoad verba alias obscura. 6.
Limitata causa, limitatus sequitur effectus. 7.

1 Tullia litem habebat cum Geminiano curatore de diversis summis, sed de una summa cum eo transegit, Quaeritur: an curator, si Tullia de aliis summis litem denuo moveat, exceptione transactionis se tueri possit? Videtur quod sic, quia petitio generalis praecessit, in quo est ratio dubitandi, cum transactio ex praecedenti lite interpretanda videatur, jam vero de multis
2 summis antea agebatur. Sed Resp. Transactionem esse stricti juris, nec extendendam, per *l.*
3 31. *C. h. t. et l.* 27. §. 1. *ff. de pact.* Collige: Quod specialis, et limitata transactio, licet sequatur generalem petitionem, pariat tamen specialem
4 exceptionem, et transactio specialis non impedit actionem circa alia, de quibus non est tran-
5 sactum, *Molin. Disp.* 558. *num.* 2. licet ad dependentia tamen, et connexa possit extendi, *Valasc. consult.* 39. *num.* 5. *Molin. d. l. Auctor ad l.* 9. *ff. h. t.* Notant hic *DD.* ex verbis, *quae-*
6 *ret de quanta*, Judicem, ut ab actore, ita etiam a reo, petere posse declarationem actionis, vel exceptionis generalioris, quoad verba alias obscura, juxta *l. pen. ff. de interrogat. actionib. Et*
7 *Jason.* hic tractat Regulam: limitata causa, limitatus sequitur effectus; quam Regulam hic exornat *Barbos. num.* 6. *et* 7. et in axiomatibus *lib.* 3. *cap.* 10. *axiom.* 15.

L. Actione. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quatenus in proposita facti specie actioni de dolo sit locus? 2.
Dolus in qualibet dispositione videtur exclusus. 3.
De actione doli hic agunt DD. 4.
Quando per orationem praecedentem negatur actus, particula nisi ponit actum, quando vero per orationem praecedentem negatur potentia, haec potentiam ponit. 5.
Actio per acceptilationem extincta non revivisit. 6.

1 Species facti: Majorennis quidam dolo inductus est ad transigendum cum suo quondam Curatore, et quidem non nuda conventione, ubi veteri actioni locus esset, *l.* 15. *C. h. t.* sed per Aquilianam stipulationem, et acceptilationem; Quaeritur, quomodo ei consulendum? R. actioni de dolo locum esse, *l.* 1. §. 9. *ff. de dol.*
2 nisi de dolo admisso (non committendo) specialiter sit transactum: generaliter enim facta transactio non sufficeret, cum remissa actione, non videatur dolus remissus, nisi expressim, vel satis urgentibus clausulis remittatur, aut ex certa remittentis sententia cum remissum esse constet, *l. tres fratres* 35. *ff.* de *Pact. Covarr. l.* 2. *resolut. c.* 4. *num.* 4. *vers. primum etc.* et dolus in qualibet dispositione videtur exclusus, *l.* 60. §. 1. *ff. Mandat. Barbos. in axiom. locupl.*
3 *l.* 4. *capit.* 11. *axiom.* 1. Et ideo hac occasione de actione doli hic agunt DD. et de particula
4 NISI, hanc regulam hic format *Bart.* Quando per orationem praecedentem negatur actus, haec
5 particula actum ponit; quando vero per orationem praecedentem negatur potentia, haec potentiam ponit, per *l.* 59. §. *fin. ff. de manum. testam.* Conf. *Dn. Richter. in Adverb. in part. NISI.* Demum Nota: actionem per acceptilationem extin- 6
ctam non reviviscere, de quo *Tusch. concl.* 116. *lit. A. et Barb. locupl. lib.* 1. *cap.* 16. *axiom.* 4.

L. Cum te transegisse. 5.

SUMMARIA

Ad transactionem non requiritur scriptura, sed modo aliunde possit probari. num. 1.
Transactio a majorenni facta non potest rescindi, modo dolus, et manifesta calumnia absit. 2

Haec lex ejusdem argumenti cum *l.* 17. *C.* 1
de pact. quod scil. ad transactionem non requiratur scriptura, si modo aliunde possit probari. Collige tamen, transactionem a majorenni fa- 2
ctam non posse rescindi, modo, ut dixi, dolus, et manifesta calumnia absit.

L. Cum mota. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Querela inofficiosi nondum praeparata ad haeredem non transit. 2.
Non sufficit litem incepisse, nisi perseveres. 3.
Solvitur objectio. 4.
Quomodo intelligendum, quod de actione ex stipulatu hic dicitur? 5.
Aquiliana stipulatio tantum actionem perimit, non introducit. 6.

Mater Pomponii testamento Patris sui erat 1
exhaeredata: movit querelam, sed postea cum instituto haerede transegit, et mortua est: haeres non stat promissis, An contra haeredem actio vetus competit? Videtur quod sic, ex *l.* 27. *ff. de inoffic. testam.* Sed negatur, quia que- 2
rela nondum praeparata ad haeredem non transit, *l.* 6. *in fin. d. t.* jam vero non sufficit litem 3
incepisse, nisi perseveres, *l.* 15. §. 1. *d. t.* ergo datur actio ex stipulatu, vel praescriptis verbis, quae hic utilis dicitur. Quamvis autem admo- 4
dum dubia videatur conciliatio legis hujus cum *d. l. si quis instituta* 27. *ff. de inoffic. testam. Fachin.* tamen *lib.* 1. *capit.* 10. quem sequitur *hic Barbos.* ex forma transigendi elicit conciliationem. Sed expeditior videtur *Donelli* conciliatio, probata ab eodem *Donell. l.* 19. *c.* 6. *lit. A. Duar. Cujac.* et hos laudante *Hilligero ibid.* ita, ut hic de haeredibus, illic de ipso transigente intelligatur. Et ideo si mater contra patris testamentum movit querelam, in ea specie facti procul dubio legi derogatum per *l. si quis filium* 31. *infra de inoff. testament.* Quod de actione ex 5
stipulatu hic dicitur, procul dubio de stipulatione poenali intelligendum, non de Aquiliana 6
stipulatione, quae tantum actionem perimit, non introducit, *Bacchov. in Treutl. Vol.* 1. *disp.* 7. *th. fin. lit. F.*

L. Transactionis. 7.

SUMMARIA

Procuratori ad agendum dato non licet transigere. num. 1.
Nec potest ei solvi. 2.
Contraria sunt agere, et decidere seu transigere. 3.
Idem videtur dicendum de Procuratore generali. 4.
Procurator omnium bonorum transigere potest. 5.
Adhibenda tamen hic est distinctio. 6.

1 Regula est: procuratori ad agendum dato,
2 non licet transigere, quia nec ei solvi potest,
3 *l.* 13. *pr. ff. de Pact.* et contraria sunt agere, et
4 decidere (sive transigere) et idem de Procuratore generali videtur dicendum, per *l. mandato*
5 60. *ff. de Procur.* Sed alia videtur ratio esse Procuratoris omnium bonorum, qui non ad omnes lites tantum ventilandas, sed ad administrationem bonorum constitutus est; hunc enim transigere posse probant *l.* 12. *ff. de Pact. et l.* 17. *§. ult. ff. de jurejur. Cap. qui ad agendum de Procur. in* 6. *Molin. Disput.* 557. *num* 19. *Treutl. Vol.* 1. *Disp.* 6. *th.* 2. *lit. C. Auct. ad l.* 11. *ff.*
6 *de Pact.* Et quidem puto, discrimen constituendum esse inter Procuratorem generalem omnium causarum, et omnium bonorum. Ille enim, utut universaliter datus sit, datus tamen est ad agendum, non transigendum. Sed qui ad administrandum datus est, liberiorem debet habere facultatem: nam si non potest transigere, libere administrare nequit, *Auth. ad l.* 13. *ff. h. t.*

L. De Alimentis. 8.

SUMMARIA

De Alimentis testamento relictis futuris transigi non potest. num. 1.
Limitatur. 2.
Praetoris est cognoscere de causa, modo, et persona transigente. 3.
De praeteritis transigi potest. 4.
Nemo in praeteritum vivit. 5.
Alia limitatio regulae. 6.
De alimentis per contract. debitis transigi potest. 7.

1 Regula est, quod de alimentis testamento relictis (futuris scilicet) transigi nequeat. Ratio: tum in favore alimentorum, ne haec intercipiantur, et alimentarius ad famem adigatur, *Mantic. de tac. et amb. convent. lib.* 26. *tit.* 3. *num.* 9. et ne devorata semel pecunia, mendicare teneatur, *Menoch. l.* 24. *A. Q. cas.* 170. *n.* 6. tum in favorem testamenti, ut id effectum sor-
2 tiatur, *Mantic. d. l. num.* 8. Sed regula illa intelligenda, si deterior reddatur causa alimentorum, ut si quod in singulos annos debebatur, in menses dividatur singulos, valeat transactio: nam hac ratione melior fit conditio alimentorum, licet praetoris cognitio, aut decretum non accedat, *Mantic. d. l. num.* 10. *Surd. de aliment. tit.* 8. *priv.* 56. *num.* 63. *Carpzov. decis.* 157. *num.* 17. *et seq.* Ratio in *l.* 8. *pr. et §.* 6. *in fin.*
3 *ff. h. t.* Praetoris autem est, cognoscere de causa, modo, et persona transigente, *l.* 8. *§.* 8. *ff. h. t.* quod bene explicat *Menoc. d. cas.* 170. At bene 4
de praeteritis transigi potest, tum, quia nemo 5
in praeteritum vivit, tum, quia alimenta a testatore in futurae vitae subsidia sunt destinata. Ergo transigendo contra voluntatem testatoris non pecco, *Surd. d. tit.* 8. *priv.* 56. *num.* 94. Alia limitatio est in transactione juramento con- 6
firmata, etiam in futuris alimentis, *Surd. d. l. num.* 42. *et seqq. Guttierez de juram. confirm. p.* 3. *cap.* 3. *Fachin. lib.* 3. *cap.* 12. Aliud etiam est, si per contractum debeantur alimenta, 7
quia leges de testamento relictis loquuntur, et ut creditor diligens fuit in adquirendis alimentis, ita etiam in transigendo erit, *Surd. d. l. num.* 34. vid. *Auth. ad l.* 8. *ff. h. t.*

L. Si super possessione. 9.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
Transactio sub conditione potest fieri, in qua sufficit aliquid ad transigentem pervenire posse, licet actu non perveniat. 2.
Quando dies, et poena simul additur stipulationi, morae purgatio non adimittitur. 3.

Species facti: Possideo fundum, quem a me 1
vindicas: transigo tecum, ut si intra mensem viginti mihi des, fundum restituam tibi, si non, in perpetuum retineam. Nihil dedisti, an possum retinere fundum? Videtur quod non cum nihil a me acceperis. Ergo per *l.* 38. *C. h. t.* nulla transactio est. Sed affirmatur, quia aliquid accipere potuisses, si voluisses, et ego, ut possessor, exceptione pacti me tueor. Nota: Transactio sub conditione potest fieri, in qua sufficit, aliquid ad transigentem posse pervenire, 2
licet actu non perveniat; v. g. Dabo tibi decem ut a lite recedas, si filius tibi natus fuerit. Filio non nato nihil debetur, transactio tamen est, quia sufficit dari debere potuisse, et conditio non tam ipsi transactioni, quam praestationi addita, *Mantic. lib.* 26. *de convent. tit.* 1. *num.* 25. *et seqq.* Colligitur etiam ex textu: quando dies, 3
et poena simul additur stipulationi, morae purgationem non admitti, *hic, et l. magnam* 12. *C. de stipul. Sich. hic num.* 3. *et Tiraq. de retr. convent. §.* 2. *gl. un. num.* 4. *Curt. in rep. h. l. num.* 5. *vol.* 7.

L. Fratris tui filiis. 10.

SUMMARIA

A transactione perfecta non facile recedendum. num. 1.
Nisi dolus, vel minor aetas accedat. 2.
Haec exceptio est litis finitae, et ante litem contestatam opponi potest. 3.

Regula est, quod a transactione perfecta non 1
facile, i. e. nisi dolus vel minor aetas accedat, 2
sit recedendum, ut aliquis sit litium finis. Nota bene: hanc exceptionem esse litis finitae, quae 3
ante litem contestatam opponi potest, *hic et l.*

23. §. 3. *ff. de condict. indeb.* cujus rei hic est effectus, ut reus non cogatur litem contestari, sed statim ad probandum admittatur, et impleta probatione, reus ab instantia, et actione prorsus absolvatur, *cap.* 1. *de litis contest. lib.* 6.

L. De fideicommisso. 11.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
Si plures haeredes sibi invicem remittunt fideicommissum conditionale, reciprocum, injunctum a testatore, valet, nec competit restitutio, licet aliquis eorum sit minor, et in eo sit verificata conditio. 2.
Quando super incerto eventu mortalitatis transactum est, tunc nec minori restitutio datur. 3.
Minor non restituitur adversus mutuam, et vicissitudinariam fideicommissi remissionem. 4.
Limitatur. 5.
Quatenus dubii eventus ratione denegetur restitutio? 6.

1 Species facti hic eadem est, quae in *l.* 16. *tit. praeced.* nisi quod hic transactio, ibi nudum pactum, et hic de minori etiam agatur. Et sen-
2 tentia est, si plures haeredes sibi invicem remittunt fideicommissum conditionale, reciprocum, injunctum a testatore, valet, nec competit restitutio, licet aliquis eorum sit minor, et in eo sit verificata conditio, *Gomez l.* 2. *resol. cap.* 2. *num.* 34. Ratio dubitandi; quia nihil datum Cajano, et laesus videtur, dum fratri succedere potuisset. Sed ratio decidendi. 1. Quia quantum onus dat alteri, tantum vicissim ab eo retinet. 2. Removetur ita votum captandae mortis, aliturque concordia fratrum. 3. Nec eventus damni, sed inconsulta facilitas restitutionem in-
3 dulget, *l.* 11. §. 4. *ff. de minor.* Collige: quando super incerto eventu mortalitatis transactum est, tunc nec minori restitutio datur; et quod
4 minor non restituatur adversus mutuam, et vicissitudinariam fideicommissi remissionem, nec ex hoc dicitur esse circumventus propter dubium eventum, licet postea ex eventu lucrum fideicommissi amiserit, quia hujusmodi damnum debet compensari cum utilitate, quam ipse consequi poterat, si eventus aliter cecidisset, *Tiraq. ad l. si unquam C. de revoc. donat.* verbo, *donatione largitus num.* 128. et cum jure communi usus sit minor, et fecerit id, quod quilibet diligens fecisset, non datur ei restitutio, *l. fin. C. de restit. min. Sfort. Oddus de restitut.*
5 *quaest.* 85. *num.* 27. quod limitatur; nisi adesset considerabilis imparitas ex parte minoris, *Fusar. de substit. qu.* 590. *num. fin. Peregr. de fideicommiss. art.* 52. *n.* 50. v. g. Si alter esset senex, alter adolescens, *Odd. d. l. num.* 28. Igitur dubii eventus ratione denegatur restitutio, *Vasq. p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 99. Si modo spes lucri, vel metus, ac periculum damni de pari procedant,
6 secus si prudens potius se periculo damni exposuisset, quam damnum pati, *Odd. de Restitut. p.* 2. *qu.* 66. *art.* 4. *num.* 17.

L. Praeses Provinciae. 12.

SUMMARIA

Administrator Civitatis, et totus Senatus transigere possunt de re dubia. num. 1.
Non vero remittere jus liquidum. 2.
Administrator Civitatis, vel Provinciae liberam habet potestatem. 3.
Remittens liquidum non praejudicat civitati, vel universitati. 4.
Mandatum quantumcumque generale ad casum donationis, et perditionis non est extendendum. 5.
Tutor in re dubia transigendo, et rem immobilem alienando, decretum judicis interponi curabit. 6.
Quatenus Pater super bonis filii adventitii transigere possit? 7.

Administrator civitatis, ut et Senatus totus 1
transigere potest de re dubia, non vero jus li- 2
quidum remittere gloriae captandae causa, quia aliud administrare, aliud donare. Collige tamen: Administratorem civitatis, vel Provinciae libe- 3
ram habere potestatem, *Trentac. l.* 2. *res.* 1. *tit. de Procur.* alias enim transigere non posset, nisi libera esset ipsius potestas, *arg. l.* 58. *et l.* 60. *ff. de procur.* Si vero aliquid vellet Praeses, 4
vel Senatus remittere, quod esset liquidum, non praejudicaret Civitati, vel Universitati, *l. ambitiosa ff. de decret. ab ord. fac. Losaeus de jur. univers. p.* 1. *cap.* 3. *num.* 112. Nam mandatum, quantumcumque generale, ad casum donationis, 5
et perditionis non est extendendum, *Gail. l.* 2. *obs.* 72. *num.* 12. Eadem ratio tutoris, *Guttie-* 6
rez. de tutel. l. 2. *cap.* 6. qui in re dubia transigendo, et rem immobilem alienando, decretum Judicis interponi curabit, *Bacchov. in Treutl. vol.* 1. *Disp.* 7. *th.* 2. *lit. E.* Pater autem super bo- 7
nis adventitiis filii transigere potest, si filio emancipato decretum etiam Judicis, et causae cognitionem interponi curet, *l.* 7. §. 2. *ff. de reb. eor. qui sub tut. Gail. d. obs.* 72. *num.* 14. *Mynsing. Centur.* 6. *obs.* 61.

L. Interpositas. 13.

SUMMARIA

Quatenus metu extortae Transactiones rescindantur? num. 1.
De probatione metus remissive. 2.
Dominus cum servo transigere non potest. 3.
Inter eos nullum est judicium. 4.
Ad transactionem lis, vel litis metus requiritur. 5.
Quod si reus opponat plures exceptiones, et unam non satis probaverit, succedit altera, si nec haec succedit tertia, et sufficit probare unam. 6.

Metu extortae transactiones rescinduntur, modo 1
I. sit metus justus, v. g. vitae, et salutis, *l.* 8. *ff. quod met. caus.* et cruciatus corporis, *per hanc legem.* Quando autem non agitur ad impugnandum contractum directa actione *quod metus causa,* sed actione utili, vel officio Judicis, vel conditione ex lege, sufficere minorem metum,

quamvis non sit cruciatus corporis, tradit *Farinac. p. 2. fragm. lit. M. num. 86. Wesemb. in π. quod met. caus. Mantic. d. lib. 26. tit. 8. num. fin.* et II. Si metus aliter probari possit, quam ex qualitate causae, i. e. laesione: nam non sufficit allegare, se multum remisisse, et parum accepisse, per *l. 8. C. de rescind. vend. Mantic. de tac. convent. l. 26. tit. 9. num. 11.* neque sufficiet allegare qualitatem personae, quod fuerit Pater, vel Patronus: nam ex sola qualitate hac metus non praesumitur, nisi minae praeces-
2 serint, *arg. l. 7. infr. de his quae vi metusve caus. Mascard. de probat. concl. 1055. num. 17.* ubi plura de probatione metus, de qua etiam *Menoch. l. 3. praesumpt. 26. et seq.* Deinde di-
3 cit Lex, Dominum cum servo transigere non posse, quia inter eos nullum est judicium, *l. 4. ff. de*
4 *judic.* Nam ad transactionem lis, vel litis me us
5 requiritur, *l. 2. ff. h. t.* Colligunt etiam ex hac
6 lege DD. quod si reus opponat plures exceptiones, et unam non satis probaverit, succedat altera, si nec haec, succedat tertia, quia unam exceptionem probare sufficit, *Sichard. hic num. 10. Stiaticus observ. Pr. 22. num. 51. Donell. et ibi Hillig. lib. 22. cap. 8. lit. D.*

L. Si diversa pars. 14.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
In potestate partium non est finitas lites restaurare. 2.
Debitum licet confusum, pacto tamen resuscitari potest. 3.
A Contractibus, si mutuo consensu recedatur, debent omnia ex utraque parte in integrum restitui. 4.
Bacchovius *notatur.* 5.
Interdum partes non expresso verbis consensu, sed contrariis factis a transactione recedunt. 6.
Cur contra judicatum non possit ferri sententia? 7.
Transactio originem habet ex consensu. 8.
Sententia fertur in invitum. 9.
Qui vult impugnare transactionem, debet prius restituere ea, quae per transactionem accepit. 10.

1 Agis contra me, ego tecum transigo datis tibi decem: Sed postea vis ex integro agere, quasi nulla fuisset interposita transactio: ego me in litem tecum descensurum paratum profiteor, modo decem restituas: Quaeritur: An veteri actione mecum agere possis? Videtur quod non, praesertim, si per acceptilationem sit sublata
2 actio vetus, nec in potestate partium est finitas lites restaurare. Sed affirmatur, quia debi-
3 tum licet confusum, pacto tamen resuscitari potest, *l. 7. tit. praeced.* et videtur hic contractus esse innominatus, dum restituis decem, ut litem excipiam, et ut veteri actione tibi uti
4 liceat: nam a contractibus, si mutuo consensu recedatur, debent omnia ex utraqua parte restitui in integrum, *l. ab emptione 58. de pact. Sanchez de matrim. lib. 6. Disp. 23. num. 6.* Ex dictis autem patet, dubiam esse sententiam *Bac-*
6 *chovii in Treutl. Disp. 7. th. fin. lit. B.* hanc legem ad eum casum adstringentis, quando sine acceptilatione secuta transactum, id quod etiam verba: *aequitatis ratio,* non admittunt. Interdum etiam partes non expresso verbis consensu, sed contrariis factis a transactione recedunt; *Mantic. d. lib. 26. t. 7. num. 1. Sed cur* 6
contra judicatum non potest ferri sententia? 7
Resp. hic *Gl.* communiter approbata, quod trans- 8
actio originem habeat ex consensu; Sententia 9
autem in invitum feratur. Collige etiam, eum, 10
qui vult impugnare transactionem, debere prius restituere ea, quae per transactionem accepit, de quo pluribus agit *Menoch. cons. 614. per tot.* Nuper autem cum filii cum Noverca divisissent haereditatem patris, et filii vellent Novercam fraudis convenire, et juratam specificationem petere contra voluntatem paternam, fuere filii condemnati ad cautionem de eo, quod legitimam excedit, restituendo, et sic admissi.

L. Ut responsum. 15.

SUMMARIA

Transactione per acceptilationem facta nulla competit actio vetus. num. 1.
Secus si nuda conventione fuerit transactum. 2.
Nuda conventio actionem veterem non tollit, sed parit tantum exceptionem. 3.
Hodie ex omni pacto datur actio. 4.

Hujus L. Sententia est: Transactione per ac- 1
ceptilationem facta, nullam competere actionem
veterem: secus si nuda conventione fuerit trans- 2
actum. Nuda enim conventio actionem veterem 3
non tollit, sed parit tantum exceptionem. Et ideo hoc casu nec actor, nec reus possunt jure actionis compelli ad observandam transactionem: sed si actor contra transactionem experiatur, pacti exceptione repellitur. Reus autem si fidem promissam non praestet, veteri actione potest conveniri, et si de transactione excipiat, de dolo replicatur, *Mantic. d. l. 26. tit. 7. num.*
15. Sed ejusmodi tricae hodie non curantur, 4
postquam ex omni pacto datur actio.

L. Causas. 16.

SUMMARIA

Transactio legitima Principis Rescripto non tollitur. num. 1.
Nec potest Princeps salva justitia transactionem jure initam rescindere. 2.
Nec praesumitur id voluisse dando judices delegatos. 3.
Nisi addita clausula: Non obstante transactione. 4.
Aliud est, si transactio cedat in praejudicium superioris, vel domini directi. 5.
Partium de crimine publico transactio Magistratui non praejudicat. 6.

Transactio (scilicet legitima) Rescripto Prin- 1
cipis non tollitur. Hujus ratio est in *l. ult. supr. Si contra jus etc.* et *l. 4. C. de Emancip.* imo ne 2
potest quidem Princeps, salva justitia, transactionem jure initam rescindere, *Jason. hic*; nec vo- 3
luisse id praesumitur dando Judices delegatos,

4 nisi clausula addita: *non obstante transactione*, 5 *Mantic. d. tit. 7. num.* 13. Aliud vero est, si transactio cedat in praejudicium Superioris, vel Domini directi, de quo *Rosenthal de Feudis cap.* 6 9. *conclus.* 12. nec etiam partium de crimine publico transactio Magistratui praejudicat, de quo *Carpz. part. 3. de. Pract. crim. qu.* 148.

L. Cum proponas. 17.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Agere non videtur, cui obstat exceptio. 2.
Ex transactione poenali facta cum clausula, rato manente pacto, *hodie indistincte debetur poena, et principale debitum.* 3.
Ex omni pacto deliberato hodie est actio. 4.
Si sine dicta clausula transactum, alterutrum tantum debetur. 5.

1 Marcellus dedit decem Adversariae transactionis nomine, hoc addito, ne quid amplius a se peteret, aut si quid amplius a se petat, decem sibi restitueret, rata nihilominus manente transactione: Adversaria contra fidem transactionis petit amplius; Quaeritur, An Marcellus exceptione transactionis se tueri, et praeterea decem repetere possit? Videtur quod non, quia 2 agere non videtur, cui obstat exceptio, *argum. l. Nihil interest* 112. *ff. de R. J.* Sed affir. quia de conatu actionis videtur cogitatum, cum alias inutilis fieret pactio: si vero in transactione nulla fuit stipulatio, Marcello quidem competit exceptio; sed illa decem ex nudo pacto repetere 3 nequit. Colligitur ex hac lege: ex transactione poenali facta cum clausula, *rato manente pacto*, 4 deberi hodie indistincte, postquam ex pacto omni deliberato actio est, *Auctor in l. 7. ff. de pact. num.* 5. poenam simul, et principale debitum, per *hanc legem, Auctor in l.* 16. *ff. h. t.* 5 *num.* 1. Sed si sine hac clausula transactum, alterutrum tantum praestare tenetur Reus, *l. Praedia* 48. *ff. de act. empti. Molin. tr. 2. Disp.* 56. *num.* 10. *Guttierez in repet. l. Nemo potest. de Legat. 1. num.* 42. *et de juram. confirm. p. 1. cap.* 60. *num.* 1. *Mart. de claus. p. 1. claus.* 141. ubi hac de re plura.

L. Transigere. 18.

SUMMARIA

Accusator, et accusatus de crimine capitali transigere, et pacisci possunt impune, ut reus non habeatur pro confesso, nec actor incidat in SCtum Turpillianum. num. 1.
De quo crimine capitali hoc intelligendum? 2.
An poena mutilationis membri huc pertineat? 3.
Super Adulterio transigi non potest. 4.
Talis transactio in crimen lenocinii incidit. 5.
Probrosum hoc Crimen toti Civitati. 6.
Paucis personis accusatio adulteri permissa. 7.
An hodie transactio in adulterio impune fiat? 8.
Maritus licet super adulterio nulliter transigat, non tamen potest uxorem accusare jure mariti, sed jure extranei. 9.
Non licet transigere super Crimine laesae Maj. 10.
Illud non occultari reip. interest. 11.
Ad scientem non spectat ea crimina ulla parte condonare. 12.
In criminibus non capitalibus transigere non licet. 13.
Publicorum judiciorum persecutiones pactis privatorum non possunt remitti. 14.
Ante coeptum tamen judicium transigere in his licet actori, et reo. 15.
Bacchovius *notatur.* 16.

Accusator, imo, et Accusatus de crimine capitali (cujus scilicet poena supplicium ultimum, *l. 4. ff. de poenis*, et per verba in hac lege sequentia, unde poenam mutilationis membri huc non pertinere putant *Delr. ad hanc legem num.* 44. *Treutl. et Bacchov. d. Disp. 7. th. 5. lit. B.* licet contrarium plerisque placeat; cum quibus facit etiam *Padill. hic num. 8. et Barbosa num.* 8.) transigere, et pacisci potest impune, ut reus non habeatur pro confesso, nec actor incidat in SCtum Turpill. Ratio: *in l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sentent.* et quia de vita hominis hic agitur, non praesumitur Reus fateri delictum, sed periculi gravitate propter dubium litis eventum compulsus. Et ideo sola miserationis ratio, *Bacchov. ad lib. 2. Pand. d. c. 2. Transact. object. 3. num.* 9. Excipitur Adulterium, de qua exceptione an ea regulae conveniat, disputat, *Bacchov. d. c. 2. num.* 14. forte quia haec transactio in crimen lenocinii incideret, et quia hoc crimen probrosum est toti civitati, vel quia paucis personis adulterii accusatio permissa fuit, facile fieri posset, ut admissa transactione scelus impunitum maneret, vel quia ex eo crimine sequuntur gravissima mala dedecoris mariti, occasionis caedium, infectionis clarorum natalium, successionis filii adulterini, sordidumque sit marito, et consanguineis adulterae super hoc crimine transigere, *Molin. tr. 3. Disp. 46. num.* 7. Hodie tamen transactionem in adulterio impune fieri volunt *Heig. pract. quaest. 29. num. 79. et Carpz. in pr. crim. q. 55. num.* 11. putarem autem distinguendum esse inter simplicem remissionem, et transactionem; illam impune fieri, sed hanc non, etiam hodie: et sic distinguit, *Molin. d. l. num.* 11. Maritus etiam, licet nulliter transigat, tamen non potest uxorem accusare jure mariti, quod est speciale jus, sed bene jure extranei, *Barb. ad l. 2. pr. num. 105. ff. solut. matrim.* Crimen laesae majestatis etiam excipiunt, ob hanc rationem, quia illud non occultari Reip. interest, et ad scientem non spectat, ea crimina ulla ex parte condonare, *Molin. d. l. num.* 12. In criminibus vero non capitalibus transigere non licet ob cessantem miserationis rationem, neve publicorum judiciorum persecutiones pactis privatorum remittantur, non tamen quod reus statim rapiendus sit ad supplicium, sed quod gravi praesumptione se oneret, *Bacchov. d. l. num.* 15. Sed in his tamen ante coeptum Judicium licet transigere Actori, et Reo, *l. 1. §. 3. ff. ad SC. Turpill. Treutl. ad Disput th. 5. lit. C.* ubi distinguit *Bacchov.* quae tamen distinctio textui non videtur convenire. Conf. *Wesenb. in π. ff. h. t. num.* 5. ab initio *citra falsi accusationem*, quae verba, vel continent exceptionem criminis falsi, vel hunc habent sensum, quod

accusator desistens praevaricari, et falsum ita committere videatur, *l.* 10. *C. de Adult.* Plura hac de re passim apud *Delr. Klock. Arum. Padill. in hanc legem. Molin. d. l. et alibi.*

L. Sub praetextu. 19.

SUMMARIA

Propter noviter reperta Instrumenta non rescinditur transactio rite facta. num. 1.
Nec judicatum. 2.
Limitatur. 3.
Idem est in minore. 4.
An hae transactiones ipso jure sint irritae? 5.
Retractatur transactio, si dolo subtracta sint instrumenta. 6.
Solvitur objectio. 7.

1 Regula hic est: Propter noviter reperta instrumenta non rescinditur transactio rite facta,
2 quia idem in judicato, *l.* 4. *C. de re judic.* nisi
3 causa sit publica, *l. Imperatores* 35. *ff. de re ju-*
4 *dic.* Idem in minore, *l. Rempublicam C. de Jur. Reip.* Et in his quidem textibus cum *Morla*
5 *Barbosa hic* putat, has transactiones ipso jure esse irritas, cum tamen in *d. l.* 35. nonnisi causa cognita detur restitutio, quod bene explicat in *d. l.* 35. *Zas. num. fin.* et de restitutione contra Sententiam ex noviter repertis instrumentis,
6 *Odd. de restit. q.* 73. *et seqq.* Sic etiam retractatur transactio, si dolo subtracta sint instrumenta, ubi si nuda conventione fuerit transactum, vetus actio non sublata, per *l.* 15. *supr. h. t.* imo veteri actioni locus, et exceptio transactionis replicatione doli elidenda; Si vero actio vetus per stipulationem, vel acceptilationem sublata, tum actioni doli locus erit, non furti, *argum. l.* 67. *ff. de furt. Cothm. l.* 2. *cons.* 53. *num.* 160.
7 Nec obstat huic legi *l.* 3. §. 1. *h. t.* quia ibi transactio nulla non inspectis codicillis. Vid. *Zang. de Except. p.* 3. *cap.* 18. *num.* 6. *et seqq. et num.* 27. Conferri etiam potest, ad *h. l. Pruckm. vol.* 1. *cons.* 56. *num.* 292. negans hanc legem ad laesionem ultra dimidium restringendam esse.

L. Non minorem. 20.

SUMMARIA

Quatenus par virtus transactionis, quae sententiae? num. 1.
Ingenuus fit per sententiam, non per transactionem. 2.
An transactio facta noctu valeat? 3.
Sententia noctu facta non valet. 4.
Transactio nullum tempus in sanae mentis homine, et majorenni excludit. 5.
Quilibet actus extrajudicialis noctu fieri potest. 6.
Notarius nihilominus diem inscribere potest, nulla facta mentione noctis, sine crimine falsitatis. 7.
Quod si quis ultima die compareat ad solvendum pretium, vel aliud, et jam Creditor nolit acceptare, tunc adiri potest judex, ut noctu citetur. 8.
Suspicione interdum laborant, quae noctu fiunt. 9.

Par est Virtus transactionis, quae sententiae 1
scil. in decidendis, et finiendis controversiis, non in aliis: ingenuus enim fit per sententiam, 2
non per transactionem, *Argum. l. diffamari* 5. *C. de ingen. manumiss.* ideoque hic Quaeritur: *An transactio facta noctu valeat?* Videtur quod non 3
quia sententiam noctu factam non valere plu- 4
rimorum calculo est receptum, per tradita *Menoch. lib.* 1. *A. Q.* 62. *Vant. de nullit. ex defectu jurisdict. ord. num.* 132. et aliorum. Sed alia 5
ratio transactionis, quae nullum tempus in sanae mentis homine, et majorenni excludit, per *hanc legem.* Collige: quod quilibet actus extrajudicia- 6
lis noctu fieri possit; et notat, *Tiraq. de retr. lign.* §. 1. *gl.* 11. *num.* 8. quod Notarius nihilomi- 7
nus diem inscribere possit, nulla facta mentione noctis sine crimine falsitatis. Ex hoc etiam 8
infert *Chassaneus in consuetud. Burgund. Rub.* 10. §. 1. in verbo, *dedens*, quod qui ultima die comparet ad solvendum pretium, vel aliud, et jam creditor nolit acceptare, tunc possit adire hoc casu Judicem, ut noctu citetur, quia jus tempore periturum. Suspicione tamen interdum 9
laborant, quae noctu fiunt, ut si Commissarii noctu citati eos affigi curent, *Cothm. l.* 4. *cons.* 12. *num.* 132. Sed id universale non est.

L. Cum ea. 21.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Plus valet quod vere geritur, quam quod simulate concipitur. 2.
Hodie ex pacto in foro datur actio. 3.
Quatenus ex contractu simulato oritur actio? 4.
Traditio ex contractu simulato facta nulla est 5.

Qui fundum a possessore vindicabat, cum eo 1
transegit ita, ut possessor centum promitteret, et fundum retineret, factum est etiam instrumentum, in quo scriptum quasi vendidisset fundum centum aureis, ut daretur actio. Quaeritur, an detur ad promissa centum actio? Videtur quod sic, ob *l.* 6. *C. si cert. petat.* Sed re- 2
sp. non dari actionem, quia plus valet, quod vere geritur, quam quod simulate concipitur: Quamvis autem hodie ex pacto in foro detur 3
actio, atque sic principalis decisio legis vix usum habeat, colligere tamen ex lege licet, ex con- 4
tractu simulato non oriri actionem sc. quatenus talis: nam si aliud ageretur, et quidem aliud illud, et negotium occultatum esset tale, ut ex illo posset dari actio (quod in hac specie tunc temporis non erat) tunc omnino etiam ex contractu simulato daretur actio, *Bart. in l. emptor* 12. *ff. de aq. pluv. arc. Donell. ad Rubr. Cod. plus valere etc.* Sic etiam traditio ex contractu si- 5
mulato facta nulla est, per *l. nuda* 55. *de empt. Trentac. lib.* 1. *tit. de Simulat. concl. un. num.* 3. *Tusch. concl.* 265. *lit. S. Tiraq. de retr. lign.* §. 1. *gl.* 2. *num.* 15.

L. Si major transegisti. 22.

SUMMARIA

Transactio non rescinditur ob id, si quis protestatus sit, se decipi. num. 1.
Sola protestatio, quod scil. quis metu compellatur, non rescindit contractum. 2.
Inter dolum, et metum magnum est discrimen. 3.
Sciens nemo fallitur. 4.
Ex protestatione publice facta praesumitur transactio metu facta. 5.

1 Transactio non rescinditur ob id, si quis protestatus sit se decipi. Est enim protestatio facto
2 contraria. Ex hoc infert *Barbos. hic*, solam protestationem, quod scil. quis metu compellatur, non rescindere contractum. Sed videtur tamen
3 inter dolum, et metum magnum esse discrimen: nam qui dicit se decipi, mentitur, quia
4 sciens nemo fallitur: sed qui dicit, se metu saltem reverentiali compelli, non mentitur; ideo-
5 que ex protestatione publice facta praesumitur transactio metu facta, *Menoch. lib.* 3. *praes.* 26. *num.* 23. *et praes. seq. num.* 16.

L. Nec intentio. 23.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Satis causae est, quod a lite discedatur. 2.
Nisi evidens sit calumnia. 3.
Transactio ipsa praebet titulum debiti, vel possessionis. 4.
Qui transegit, ut haeres cum Creditoribus, is non potest opponere Creditori exceptionem intentionis, vel facti. 5.
Cui denegatur defensio, vel exceptio, illi multo magis denegatur actio. 6.

1 Qui haeres non erat, ut haeres conventus a creditoribus, cum iis transigit dando centum, comperto errore quaeritur, an illa centum repetere possit ceu indebita, quia sine causa dedit, cum non fuerit haeres? Sed respondetur,
2 satis causae esse, quod a lite discedatur, *l.* 65. §. 1. *ff. de condict. indeb.* nisi evidens sit calu-
3 mnia, *d.* §. 1. Et alias si per stipulationem tantum promisisset, illa centum solvere deberet; ex qua ratione ita argumentatur Imperator: Si, qui putabatur haeres, centum promissa per stipulationem tenetur solvere, utique ea per transactionem data repetere non potest per *d. l.* 65.
4 §. 1. *ff. de condict. indeb.* Collige: I. Transactionem ipsam praebere titulum debiti, vel possessionis, de quo in *leg.* 23. dicetur fusius. Et ideo
5 recte *Nevius et DD.* colligunt; qui transegit ut haeres cum creditoribus, eum non posse exceptionem intentionis, vel facti, si dicat verbi gratia, non sum haeres, opponere creditori.
6 Et II. colligere licet Regulam ex textu: Cui denegatur defensio, vel exceptio, illi multo magis denegatur actio: nam hic si stipulanti centum promisisset, non posset se defendere exceptione erroris, quasi ut haeres promisisset. Ergo multo magis ipsi denegatur actio, seu conditione indebiti. Confer ad illam regulam *axiom. Barbos. locuplet. l.* 5. *cap.* 23. *axiom.* 22.

L. Si quidem. 24.

SUMMARIA

Species facti. num. 1.
Transactio stricti juris est. 2.
Solutio partis facta ex causa transactionis inducit liberationem a toto. 3.
Qui transigit pro certa summa, reliquum remittere videtur. 4.
Natura transactionis est, ut nihil amplius petatur. 5.
Ubi factum cum aliqua qualitate narratur, non potest factum ipsum acceptari ommissa qualitate 6.
Limitatur. 7.

Victorinus petierat a rea centum, transegit 1
acceptis quinquaginta; pepigitque scilicet se nihil amplius petiturum. Resp. Alia quinquaginta ipsum petere non posse, quia pactum est liberatorium, nisi conventio de non amplius petendo omissa fuerit, cum transactio sit stricti juris, *l.* 2
31. *C. h. t.* nam si nulla mota lite, rea Victorino solverit quinquaginta, dicens se nihil amplius debere, hoc ipso tamen suo creditori non praejudicat. Collige: solutionem partis factam, 3
ex causa transactionis inducere liberationem a toto, seu, qui transigit pro certa summa, reli- 4
quum remittere videtur, quia ea est natura 5
transactionis, ut nihil amplius petatur, per *hanc legem, Mantic. d. lib.* 26. *de tac. et amb. convent. tit.* 7. *num.* 3. Aliud vero est, si sine transactione aliquis diceret, se debere tantum quinquaginta, vel solvat etiam quinquaginta, creditor accipiens quinquaginta, non praejudicat sibi, quo minus reliqua quinquaginta, si probare possit ea deberi, petere possit, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 93. *num.* 34. *Mascard. conclus.* 983. *num.* 18. *et seq.* Quamvis enim, ubi factum 6
cum aliqua qualitate narratur, non possit factum ipsum acceptari, omissa qualitate, *Tiraq. de retr. conv.* §. *fin. num.* 9. *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 93. *num.* 21. *Hartman. Pistor. p.* 4. *quaest.* 6. *num.* 1. secus tamen est, quando actor proba- 7
tione sua suscepta qualitatem confessionis istius refutare vellet, *Hartman. Pistor. d. l. num.* 7. *Menoch. d. casu* 93. *num.* 37. *Pacian. lib.* 1. *de prob. c.* 24. *num.* 13. *et* 27. *Casp. Klock. cons.* 39. *num.* 135. *Vol.* 2.

L. Si majores. 25.

SUMMARIA

Nihil prodest ob causam dare, ut causa non secuta datum repetatur, si causa dandi nominatim non sit addita. num. 1.
Idem est in donatione. 2.
Intentio in mente retenta nullum parit effectum. 3.
Limitatur regula. 4.
Cessante causa promissionis finali, cessat promissio, licet expresse non fuerit adjecta. 5.

Si quis ad transactionem compellitur ob causam finalem, quae alterius culpa cessat, omnino cessare videtur etiam transactio. 6.
Omnis transactio intelligitur, rebus sic stantibus. 7.

1 Nihil prodest ob causam dare, ut causa non secuta datum repetatur, si causa dandi nominatim non addita. Idem est in donatione per
2 *leg.* 7. *C. de condic. ob caus. dat.* Intentio enim in
3 mente retenta nullum parit effectum. Sed hoc
4 limitandum, nisi causa fuit ab utroque cogitata tamquam finalis, et propter quam facta fuit pro-
5 missio, tunc enim ea cessante, cessat promissio, licet expresse non fuerit adjecta, *l.* 1. §. *ult. cum l. seq. ff. de excus. tut. Tiraq. in tract.*
6 *cessante caus. limit.* 21. *num.* 3. Imo si quis ad transactionem compellatur, ob causam finalem, quae alterius culpa cessat, omnino cessare videtur etiam transactio. Vid. *Klock. cons.* 57. *num.* 1. *et seq. vol.* 2. Et huc facit regula: Quod
7 omnis etiam transactio intelligatur rebus sic stantibus, *Tiraq. ad l. si unquam in praes. num.* 130. *et* 167. *Carpzov. part.* 2. *Jurispr. constit.* 35. *defens.* 23. *Klock. d. l.*

L. Transactione matris. 26.

SUMMARIA

Status matris transactione immutari non potest. num. 1.
Transactio non praejudicat tertio, imo nec filio. 2.

1 Loquitur haec Lex de statu, qui matris transactione immutari non potest; nam mater cum creditore de filiis in servitutem tradendis transegerat, sed transactio haec invalida, per *l.* 36. *C. de liber. caus. et l. non debet* 74. *ff. de R. J.*
2 Collige ex textu, Transactionem non praejudicare tertio, imo nec filio, de quo *Mantic. d. lib.* 26. *tit.* 1. *per tot.* praesertim ratione status liberorum, ita, ut ex libero fiat servus, quia a Parente, nedum a matre regulariter mutari nequit, nisi speciali casu, *t. t. infr. de Pat. qui fil. distrax.*

L. Sanum mente. 27.

SUMMARIA

Sanus mente, licet aeger corpore, rite potest transigere. num. 1.
Transactio solo consensu contrahitur. 2.

1 Sanus mente, licet aeger corpore, rite potest transigere, *hic, et l.* 2. *ff. de testam. l.* 3. *C. qui*
2 *testam. fac. poss.* quia hoc negotium consensu solo contrahitur.

L. Si apud acta. 28.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Optandum, ut de jure communi Civili rescindantur inanes subtilitates, et tricae. 2.

Me a te petente fundum, tu transegisti extra 1
judicium, sine scriptura, et nudo pacto. Ego ex nuda conventione non ago jure civili, sed intendere possum rei vindicationem pristinam, cui si opponas exceptionem transactionis, replico ego de dolo: dolus enim est, si fundum velles retinere, et tamen ea, quae ob id promissa sunt, dare nolles, aut si persona sit honorata, replicatio in factum datur. Sed hac actione pristina consequor id, ut vel rem in prius judicium deductam restituas, aut id, quod transactum est, praestes. Vid. *Wesembec. in π. h. t. num.* 7. et ibi censor ejus *Bacchov.* et quidem optamus cum *Molin. de J. et J. Disp.* 556. 2
num. 9. *in. fin.* ut de jure communi civili rescindantur inanes subtilitates istae, et tricae, intuitu minuendae litis introductae, sed quae multiplicandis litibus, et disputationibus inserviunt, ac reddunt jus civile intricatum.

L. Sub praetextu. 29.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Generalis transactio tollit omnes obligationes, et actiones etiam in judicium non deductas. 2.
Sufficit in genere cogitasse de omnibus, quae sub genere, vel generali locutione comprehendi potuerunt. 3.
Limitatur. 4.

Ego haereditatem abs te petii, transigo de to- 1
ta haereditate; sed postea reperiuntur nonnullae res haereditariae, apud tertium, quaeritur, an non obstante transactione, petere eas possim? quod affirmatur, quia 1. de his non sensi. 2. Transactio inter me, et te tantum celebrata, non tertium, *l.* 27. §. 4. *de pact.* Ergo tertium non juvat. Collige: quod generalis transactio tol- 2
lat omnes obligationes, et actiones etiam in judicium non deductas, *Mantic. d. lib.* 26. *tit.* 6. *num.* 8. Licet enim dicat actor, et probare ve- 3
lit, se de his speciebus non cogitasse, imo ne cogitare quidem potuisse, sufficit tamen, ipsum in genere cogitasse de omnibus, quae sub isto genere, vel generali locutione comprehendi potuerunt, *Tiraq. ad l. si unquam in praefat. num.* 120. *Barbos. locupl. l.* 18. *c.* 25. *ax.* 13. *Surd. decis.* 185. *num.* 1. *Valasc. consult.* 39. *num.* 6. *et seq.* Limitatur tamen hoc, nisi spe- 4
cies dolo alterius occultatae, *L. tres fratres* 35. *ff. de pact. Trentac. l.* 3. *tit. de transact. resol.* 2. *num.* 14. v. g. si alter inventarium fecit, et intuitu ejus transactum, sed postea aliae res reperiantur, quarum nulla in Inventario mentio, *Dn. Mev. part.* 6. *dec.* 149. aut res illae fuerint apud tertium, cui transactio etiam generalis inter alios inita, nec nocere, nec prodesse potest.

L. Transactione finita. 30.

SUMMARIA

Dolo extorta transactio rescinditur, volente decepto, non deceptore. num. 1.

Quotiescumque negotium improbatur, tunc id intelligendum est volente eo, in cujus gratiam id cavetur. 2.
Quaecumque in favorem alicujus introducta sunt, semper habent hanc conditionem, si ille voluerit. 3.
Allegans propriam turpitudinem audiendus non est. 4.

1 Si dolo extorta transactio fuit, rescinditur ea, volente decepto, non deceptore. Ratio in *l.* 2.
2 §. 3. *ff. ad SC.Vellejan.* Collige: quotiescumq. negotium improbatur, tunc id intelligendum est, volente eo in cujus gratiam id cavetur, *l. non*
3 *eo minus* 11. *C. de Procur.* quaecumque enim in favorem alicujus introducta sunt, semper habent hanc conditionem tacitam, *si ille voluerit, l. 2. ff. de L. Commissor. l. Julianus* 13. §. *Si quis a pupillo* 29. *ff. de act. empt. Menoch. cons.* 20.
4 *num.* 13. *et seqq.* Colligitur etiam ex lege hac Regula vulgaris: Quod allegans propriam turpitudinem non audiendus sit, *hic, et l.* 7. *C. de restit. Min.* de qua regula *Jac. Schultes ad Modest. Pist. p.* 4. *q.* 40. *num.* 9. et quos hic allegat *Barbos. num.* 3. et in ejus *axiom. locupl. l.* 18. *c.* 33. *axiom.* 5. nam si deceptor peteret, ut contractus rescinderetur, propriam turpitudinem allegaret.

L. Si de certa re. 31.

SUMMARIA

Transactio licet generalis sit, quoad verba, ad litem tamen praesentem restringenda. num. 1.
Limitatur. 2.
Mantica *notatur.* 3.
An lex haec in aliis contractibus praeter transactionem locum habeat? 4.

1 Transactio licet generalis sit quoad verba, ad litem tamen praesentem restringenda; v. g. Si egi de fundo, et transegi, promiserimque, me nihil amplius petiturum, subintelligitur tamen clausula, eo nomine, vel causa, et alias res petere non prohibeor. Transactio enim relationem habet ad litem, quae per transactionem deciditur. Quidquid ergo in lite non fuit, ad id transactio extendenda non est: Ergo se nihil amplius petiturum qui promisit, de lite id intel-
2 lexit mota: quod tamen limitandum, nisi salva ratione recti sermonis; v. g. si egi ex causa mutui, postea transigo, liberando te a debito petito per transactionem *ex quacumque alia causa, ex quocumque alio debito:* nam tunc non restringitur clausula generalis ad causam illam, quae in lite versabatur, quia potest etiam causa in lite versans esse specialis, et tamen transactio etiam de aliis causis esse potest, et ita generalior, cum etiam aliarum litium metus esse possit, *Alex. Trentac. l.* 3. *res. tit. de transact. res.* 2. *num.* 10. Deinde limitanda regula nostri textus, si praecederent verba generalia, secuta essent verba specialia, et demum transactio facta fuisset per verba generalia, vel si petitio est generalis, prosecutio litis specialis, transactio vero generalis; tunc enim transactio generalis ex petitione prius instituta, et verbis generalibus primis esset generaliter intelligenda, *Afflict. dec.* 285. *num.* 4. *et Trentac. d. resol. num.* 16. et sic dubia decisio 3
Manticae, quae videtur his contraria, *d. l.* 26. *tit.* 6. *numer.* 14. Limitatur etiam in dependentibus, connexis, et accessoriis, *l.* 2. *pr. ff. Si quis caut. Trentac. d. l. num.* 18. *et seqq.* In aliis 4
contractibus praeter transactionem, hanc legem locum habere negat *Menoch. cons.* 323. *num.* 56. qui aliter hanc legem declarat *num. praeced.*

L. Si causa cognita. 32.

SUMMARIA

Quatenus super judicato transigi possit? num. 1.
Per acceptilationem jus quod ex judicato habeo, remittere, seu donare possum. 2.
Transactio est de re dubia. 3.
Ubi judicatum, ibi dubium nullum est. 4.
Res judicata quid? 5.
Acceptilatione liquidissima etiam debita solvi possunt, et aboleri. 6.
Si mihi res sit cum potente, et rixoso adversario, et ad liberandum me a vexatione super re decisa transigerem, transactio mihi non praejudicat, quo minus totum petere possim. 7.
An jurata transactio etiam post rem judicatam valeat? 8.

Super judicato transigi nequit, nisi dubitetur, 1
vel ignoretur, *l.* 7. *et* 11. *ff. h. t. ibique Auct. num.*
2. Potest tamen per acceptilationem jus, quod 2
ex judicato habeo, remitti, seu donari. Ratio
prioris est: quia transactio est de re dubia, *ar-* 3
gum. l. 2. *supr. h. t.* Sed ubi res judicata, ibi 4
dubium nullum est. Est enim res judicata sen- 5
tentia, quae per remedium appellationis, vel aliud non est suspensa: nam alias transigi super sententia posset, *hic et l.* 23. §. 1. *ff. de condict. indeb.* Posterioris ratio est, quia acceptilatione 6
liquidissima etiam debita solvi possunt, et aboleri, §. 1. *Inst. quib. mod. toll. oblig.* Colligitur:
Si mihi res sit cum potente adversario, et rixo- 7
so, et ad liberandum me a vexatione super re decisa transigerem, transactio mihi non praejudicaret, quo minus totum petere possem, quia super judicato non potest transigi, *Molin. de J. et J. tr.* 2. *Disp.* 556. *num.* 2. modo scilicet nullum remedium suspensivum, v. g. restitutionis, vel remissionis, nullitatis etc. metui potuerit, *Molin. d. l. Mantic. d. lib.* 26. *tit.* 1. *num.* 21.
Juratam sane transactionem etiam post rem ju- 8
dicatam valere putant *Gutierez de juram. confirmat. p.* 3. *cap.* 4. *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. licet hoc temperet *Molin. d. l. num.* 3.

L. Si pro fundo. 33.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ob evictionem datur non rescissio transactionis, sed actio praescriptis verbis, ut is qui dedit ex transactione, rem eam praestet liberam, sive ea res sit controversa sive non. 2.
Quotiescumque ex transactione aliquid datur, dans ad evictionem tenetur. 3.
Transactio est justus titulus possidendi. 4.

Quatenus hoc procedat? 5.
An Vasallus, si feudum controversum apud reum bona fide relinquat transigendo, quia partium jura dubia, alienet feuda? 6.
Dissentit Tiraquellus. 7.

1 Euchrusius fundum petebat, Reus transigit, dando aliud praedium, quod promittit liberum, (*Dass es keine* onera *habe*) sed postea reperitur id alii obligatum: Actor litem decisam restaurare nequit, sed aut aget ex stipulatu, aut ex transactione praescriptis verbis, ut liberum praestet praedium. In versic. *Si tamen*, est casus inversus; Si Euchrusio reus fundum restituat, aliudque praedium accipiat, Euchrusio vero fundus evincatur, neganda huic actio, quia non fundus datus est, sed restitutus. Multa col-
2 liguntur ex notabili hac lege: I. Ob evictionem datur non rescissio transactionis, sed actio praescriptis verbis, ut is, qui dedit ex transactione rem, eam praestet liberam, sive ea res sit controversa sive non, *Hartm. Pist. obs.* 227. *num.*
3 36. *et Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 42. Quotiescumque enim ex transactione aliquid datur, dans ad evictionem tenetur, *Caldas. de empt. c.* 31. *num.* 101. *Berlich. p.* 1. *conclus.* 24. *num.* 45. *Mantic. d. lib.* 26. *tit.* 7. *num.* 22. *Hartm. Pistor. obs.* 227. *num.* 36. *et seqq. Carpzov. p.* 2. *Jurispr. const.* 34. *def.* 28. Sed si transigendo non dederim, sed rem penes reum pacis causa reliquerim, non dedi rem, neque Dominium transtuli, ut recte *Alex. hic num.* 5. Ergo de evictione non teneo, *DD. hic comm. Carpzov. d. l. et Hartm. Pist. et Carpzov. in proc. tit.* 4. *art.* 3. *num.* 14. *et Dn. Mev. p.* 5. *dec.* 342. Collige
4 II. Transactionem esse justum titulum possidendi, *Gl. et DD. hic*, quos citat *Thom. Michael inter Consilia Klokii vol.* 1. *cons.* 29. *num.* 769. *et seqq.* scilicet quando ex transactione rei pos-
5 sessio in alium transfertur, nam quando transigendo res apud aliquem relinquatur, non transfertur titulus, ut ex hoc textu id colligit *Bart. num.* 3. *Curt. num.* 4. *Tiraq. de Retr. consang.* §. 1. *gl.* 14. *num.* 62. *et quos refert Menoch. cons.*
6 1236. *num.* 2. *et seqq.* Collige III. Vasallum, si feudum controversum apud reum bona fide relinquat transigendo, quia partium jura dubia, proprie non alienare feuda, *Rosenth. de feud. cap.* 9. *num.* 1. *conclus.* 21. *num.* 3. licet videa-
7 tur dissentire *Tiraq. de retr. lign.* §. 1. *gl.* 14. *num.* 67. *et Cephal. cons.* 133. *num.* 81. cujus sententia potest consistere, si vasalli jura liquida, et facile demonstrabilia, et acciperet pretium pro feudo apud possessorem relicto.

L. Cum donationis. 34.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An transactio ob dolum nulla?
Nemo videtur defraudare eos, qui sciunt, et consentiunt. 3.
Scire, et scire debere aequiparantur. 4.
Promissio de alio haerede instituendo non obligat. 5.
An modus impossibilis vitiet Contractum? 6.
Scienti non infertur dolus. 7.
Liberatio concessa tibi sub modo, ut me haeredem instituas, valida est. 8.
In pari causa potior est causa possidentis. 9.

Quidam fratrum suorum tutor erat: cum au- 1
tem tutelae actione conveniretur, transegit cum fratribus hoc pacto, ut ipsos haeredes institueret, quod non praestitit. Quaeritur: *An trans-* 2
actio ob dolum nulla? Respondetur negando, ob regulam juris in *l.* 188. *ff. de R. J. Nemo vide-* 3
tur fraudare eos, qui sciunt, et consentiunt; Scire enim debuerunt, tali pollicitatione neminem obstringi, per *l. Pactum* 15. *supr. de pactis*, et sic scire, et scire debere hic aequipa- 4
rantur. Et promissio igitur de alio haerede in- 5
stituendo non obligat, per *hanc legem:* et licet ille, cui transactio, vel donatio sub hac lege fit, non impleat conditionem hanc, tenet tamen transactio, *Mant. de tac. et amb. convent. l.* 13. *c.* 43. *num.* 7. Si tamen conventio nuda facta, veteri actioni locus est, per *l.* 28. *h. t.* Licet itaque ex hac lege colligant: modum impossibi- 6
lem non vitiare contractum, sed v. g. transactionem validam esse, licet modus sit inutilis; hoc tamen ita intelligendum puto, ut ille, qui modum de jure impossibilem dixit, ad modum praesentandum, vel transactionem rescindendam compelli non possit; si tamen agat ille, qui talem modum promisit, exceptione pacti removeri posset, quia de hoc casu lex praesens non loquitur: sed is casus merito ex *alleg. l. sive apud acta* 28. *h. t.* decidendus esset. Confer. *Sarmientus l.* 2. *select. cap.* 3. *num.* 7. Collige: Scien- 7
ti non inferri dolum; de quo *Barbos. locupl. lib.* 4. *cap.* 45. *ax. ult.* Colligit Gl. Liberationem ti- 8
bi concessam sub modo, ut me haeredem instituas, validam esse, cum etiam non secuta institutione in pari causa turpitudinis, potior sit 9
causa possidentis, i. e. debitoris, licet liberatio nulla foret, si sub conditione prolata, *Covarr. in c. cum tibi de Testam. num.* 13. *Castill. lib.* 1. *controv. c.* 18. *num.* 57. Confer. *Hartm. Pistor.* p. 4. *q.* 7. *num.* 26. qui similem casum inter principes personas ex hac lege decidit.

L. Transactionem. 35.

SUMMARIA

Amicorum praesentia tollit praesumptionem metus. num. 1.
Itemque doli, ac laesionis. 2.
Limitatur. 3.

Amicorum praesentia tollit praesumptionem 1
metus. Sic praesentia amicorum, et consanguineorum etiam tollit praesumptionem doli, ac lae- 2
sionis, *Boër. dec.* 100. *n.* 7. *Petr. Gerhard. sing.* 57. *Dec. cons.* 351. *num.* 6. *Jo. Gutierez de tutel. p.* 2. *cap.* 15. *num.* 7. *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 59. *num.* 10. Late idem *l.* 3. *praesumpt.* 128. *per tot. Farinac. p.* 2. *fragm. lit. M. num.* 151. Sed praesumptio haec excluditur, si vel 3
enormis laesio appareat, vel persona transigens amicis etiam sit formidabilis, vel metum allegans eum velit probare, *Alex. Trentac. l. de his, quae vi, metusve causa fiunt, resol.* 1. *num.* 21. *et seq. Menoch. d. l. num.* 9. *et seqq.*

L. Si major. 36.

SUMMARIA

Qua actione utendum contra reum non stantem promissis, et transactis, si nuda conventione transactum. num. 1.
In transactione mora non purgari potest usque ad sententiam. 2.

1 Contra Reum non stantem promissis, et transactis, si nuda conventione transactum, veteri actione utendum, *l.* 28. *C. h. t.* Sed reus ante sententiam eligere potest, seu optionem habet, ut aut stet transactis, aut condemnationem subeat in ea re, de qua agitur. Collige: in transactione moram purgari posse usque ad sententiam, id est, si conveniatur reus, qui transegit actione veteri, licet non steterit promissis, potest tamen se defendere exceptione transactionis, et quidem sive ante, sive post litem contestatam transactio allegetur, ut recte hic *Jason. num.* 3. Ulterius autem reus urgeri non debet, cum semper incolumem habeat transactionis exceptionem, *Wesemb. in π. ff. h. t. num.* 7. *Card. Tusch. concl.* 377. *num.* 73. *lit. M.*

L. Promissis. 37.

SUMMARIA

Quando transactioni additur poena per stipulationem, tunc etiam simpliciter agi potest ad poenam. num. 1.
An, si ante litem contestatam, reus ad poenam conventus, moram purgare velit, et exceptione se tueatur, audiendus sit? 2.
Quid si contraveniens novam causam praetendat, remissive? 3.

1 Quando transactioni additur poena per stipulationem, tunc etiam simpliciter agi potest ad
2 poenam. Sed quaeritur hic; *An si ante litem contestatam, reus ad poenam conventus, moram purgare velit, et exceptione se tueatur, audiendus sit?* Et distinguunt cum glossa *DD.* affirmando, quando transigentes dixerunt se non petituros, quoniam intelligitur in judicio lite contestata, juxta *l. amplius* 15. *ff. rem ratam haberi.* Secus autem erit, si poena apposita sit contravenienti, aut quovis modo inquietanti alterum, hic et *l. si quis major* 41. *infr. h. t.*
3 *Molin. tr.* 2. *Disp.* 556. *num.* 11. Quid autem, *si contraveniens novam causam praetendat?* Vid. *Hartm. Pistor. p.* 1. *quaest.* 17.

L. Transactio nullo dato. 38.

SUMMARIA

Transactio fit aliquo dato, vel promisso, vel retento. num. 1.
Si in istrumento non sit dictum, aliquid fuisse datum, vel retentum, vel promissum, hoc non praesumitur. 2.
Non valet transactio, ubi dicis causa, modicum quid datum. 3.

Sententia legis plana est, scilicet tribus modis 1
fieri transactionem, aliquo nimirum dato, vel promisso, vel retento; quod si nullum horum fiat, transactio dici nequit. Reus enim tribuit aliquid actori, ut recedat ab actione, vel remittat, quod praetendit, etc. Quia, si absque aliqua compensatione unus concederet alteri rem, aut jus, quod circa eam praetendere potest, non esset transactio, sed compositio, condonatio, vel pactio, *Molin. d. Disp.* 556. *num.* 5. Et si in 2
instrumento non sit dictum, aliquid fuisse datum, vel retentum, vel promissum, hoc non praesumitur, et ideo corruit transactio, *Mantic. d. lib.* 26. *tit.* 1. *num.* 23. *Gilken. hic num.* 5. qui *num.* 3. negat, transactionem valere, si di- 3
cis causa, modicum quid datum sit, *Mantic. d. lib.* 26. *tit.* 1. *num.* 42. *Berous cons.* 176. *num.* 18. *lib.* 1.

L. Quamvis. 39.

SUMMARIA

Poenitentia etiam mox secuta non tollit transactionem. num. 1.
Contractus innominatus, re adhuc integra, poenitentiam non excludit. 2.
Vana est poenitentia illius, qui per exceptionem alterius repelli potest. 3.

Poenitentia etiam mox secuta non tollit trans- 1
actionem; Quamvis enim alias contractus in- 2
nominatus non excludat poenitentiam, quando res est integra, per *l. si pecuniam* 5. *ff. de condict. caus. dat. etc.* et ibi DD. odio tamen litium specialiter introductum, ut in Transactione poenitentia locum non habeat, *Cardin. Mantic. de tac. et amb. convent. lib.* 26. *cap.* 1. *num.* 6. etiamsi res adhuc integra, *Bolognett. in Rubr. ff. de V. O. num.* 371. sive agatur in transactione de liberando, an vero de obligando aliquo, *Mantic. lib.* 1. *de tac. et amb. convent. tit.* 8. *num.* 38. Et idem *num.* 39. esse dicit in omni 3
contractu innominato liberatorio; quia vana est poenitentia illius, qui per exceptionem alterius repelli potest. Conf. *Card. Tusch. concl.* 998. *lit. C. num.* 10.

L. Ubi Pactum. 40.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quando transactio vallata est Aquiliana stipulatione, et simul poena contravenienti indicta, si actor nihilominus agat, potest reus ante litem contestatam petere poenam, et repetere data, et nihilominus postea opponere exceptionem transactionis. 2.
An ex transactione poenali poena, et res peti possit? 3.
In quibus casibus res, et poena possit peti? 4.
Ubi actor sine actione agit, is a judice ex officio repelli potest, et debet. 5.

1 Titius movit litem Sempronio, postea transegerunt ambo per acceptilationem; Sempronius dedit decem, et subjecta est stipulatio poenalis, si quisquam contra faceret: Titius contra transactionem movit litem priorem Sempronio. Sempronius potest objicere exceptionem transactionis, sed si velit excipere priorem actionem, id ipsi permittitur, *l.* 14. *C. h. t.* in odium Titii, et jubetur Titius accepta restituere, poenamque conventam solvere ante cognitionem causae principalis, seu ante litis contestationem, quia, ut vetus actio resuscitetur, promissum prius solvendum, *d. l.* 14. quae explicatio plana est, et simplex, a *Bacchov. in Wesemb. h. t. num.* 7. proposita, et merito ineptam ibidem vocat Wesembecii explicationem, et contortam. Colligitur
2 autem ex hac lege: Quando transactio vallata est Aquiliana stipulatione, et simul poena contravenienti indicta, si actor nihilominus agat, potest reus ante litem contestatam petere poenam, et repetere data, et nihilominus postea opponere exceptionem transactionis, qui est communis intellectus legis, teste *Molin. de J. et J. d. Disp.* 556. *num.* 13. qui exoptat, idem robur juris dispositione tribui etiam nudae transactioni poenali, licet nulla sit Aquiliana stipulatione vallata, quae hodie raro fit. Et hunc intellectum etiam legis probat *Tiraq. in l. si unquam*, verbo *revertatur num.* 424. *Mantic. d. l.* 26. *tit.* 7.
3 *num.* 19. Ex hac tamen lege non probatur, quod ex transactione poenali poena, et res possit peti, quippe duo tantum reperiuntur casus,
4 in quibus res, et poena potest peti, scil. cum addita est clausula, *rato manente pacto*, ut *l. penult. ff. de transact. ibique Auctor num.* 1. *et* 3. alter *in l. si quis major C. h. t.* quia hic poena quidem exigitur, dum vero data repetuntur, reliquum tantum dimittitur in suo priori statu, *Molin de Divid. et Indiv. p.* 2. *num.* 578. *et seq.* Conf. potest *Fort. Garcias in rep. l. si*
5 *unus §. pactus num.* 10. *et* 241. Colligunt etiam ex gl. juncto textu: ubi actor sine actione agit, eum a Judice repelli posse, et debere, *Menoch. l.* 1. *A. Q.* 16. *Tiraq. in d. verbo revertatur, num.* 316. *Tusch. concl.* 109. *num.* 14. *lit. A.* et qui allegantur *a Barbos. hic num.* 5. *et in axiomat. locupl. lib.* 1. *cap.* 16. *axiom.* 5. Hanc legem solemniter repetit *Fr. Curt. vol.* 7. *rep.*

L. Si quis major. 41.

SUMMARIA

Poena ejus qui cum majorenni legitime, et jurato transigit, et transactioni ejusmodi contravenit. num. 1.
Minores aequiparantur majoribus quoad observantiam juramenti, non quoad poenam perjurii. 2.
Quenam ad hoc, ut dicta poena locum habeat, requirantur? 3.
Ampliatur legis dispositio. 4.
In omni Contractu jurato qui contravenit, privatur actione sua, et jure, quod ipsi antea competebat. 5.
Locum habet lex ex parte contra universitatem quoad privationem commodi Contractus, non quoad infamiam. 6.
Idem contra mulierem. 7.
Plures ampliationes, et limitationes remissive. 8.
An qui dolo contravenit juratae transactioni, data repetere, et promissa nondum soluta restituere teneatur? 9.
Facilius conceditur retentio, quam repetitio. 10.
Juramentum habet vim clausulae: Rato manente pacto. 11.
Excludit purgationem morae. 12.
An haec lex hodie observetur? 13.
Si alter post moram recipiat praestationem, cessant poenae hujus legis. 14.

Est hic generalis sanctio de eo sive actore, sive 1
reo, qui cum majorenni (nam minorennes aequiparantur majoribus *in Auth. Sacramenta puberum C. si adver. vend.* quoad observantiam juramenti, 2
non poenam perjurii; nec tamen his subvenitur in delicto, sed tantum poena non statuitur) transigit, nullo metu compulsus, nec dolo circumventus, et quidem addito juramento, sic si contrafaciat, 1. notatur infamia. 2. Poenam conventam solvere debet. 3. Commodum transactionis amittit (*hat sich der* Transaction *nicht zu erfreuen.*) 4. Actor ipsa actione cadit, quae scilicet ante transactionem competebat, et super qua fuit transactum, *Mantic. de tac. et amb. convent. lib.* 23. *cap.* 5. *num.* 13. Requiritur tamen, ut, qui transegit, I. sit majorennis. II. Sponte, non coactus transegerit. III. Juramento transactionem confirmaverit. IV. Contraveniat tamen transactioni, et quidem V. ex vero dolo, ut *DD. hic, et Menoch. cons.* 1205. *num.* 21. *Cephal. cons.* 265. *num.* 2. quae Requisita ex hac lege colligit *Berous cons.* 158. *num.* 6. *vol.* 1. *Rol. a Valle cons.* 57. *num.* 2. *et seqq. vol.* 1. *et ex his Thom. Merckelbach inter consil. Klock. vol.* 2. *cons.* 58. *num.* 18. Ampliatur autem haec 4
dispositio, ut locum habeat in omni alio contractu his concurrentibus requisitis, quod ex generali vocabulo *Pacti* concludunt, et generalis ratio est a violatione nominis divini desumpta, *Rol. d. cons. num.* 15. *Merckelbach d. cons.* 58. *num.* 12. *Bacchov. in Treutl. Disp.* 8. *th.* 5. *lit. K. Mantic. lib.* 4. *tit.* 32. *num.* 86. et quos allegat hic *Barbos. num.* 4. ubi in seqq. id exemplis prolixe declarat. Ideoque in omni contractu 5
jurato qui contravenit, privatur actione sua, et jure, quod sibi antea competebat, *Cephal. cons.* 197. *num.* 17. *uti de communi testatur Riminald. cons.* 124. *num.* 45. ut in emptione, locatione *Menoch. cons.* 327. *num.* 23. Locum quo- 6
que habet ex parte contra Universitatem quoad privationem commodi contractus, non quoad infamiam, *Barbos. hic num.* 11. *et Merckelbach d. cons. num.* 35. *et seqq.* et plures referens *Menoch. cons.* 709. *num.* 4. etiam contra mu- 7
lierem, *Cuno de Pactis c.* 10. *num.* 9. Caeteras Ampliationes, et Limitationes, quas hic conge- 8
runt *DD.* non persequor, remitto lectorem ad eos, qui in hanc legem ex professo scripserunt, et prae aliis *Barbosam, Cagnolum, Bolognettum,* et alios. Sed quaeritur, an qui dolo contravenit 9
juratae transactioni, data repetere, et promissa nondum soluta restituere teneatur? Et utrumque negandum, illud quia omnia sua jura amittit, hoc quia facilius conceditur retentio quam 10
repetitio, *Cephal. cons.* 124. *num.* 32. Colligunt
I. ex hac lege: Juramentum habere vim clau- 11
sulae, *rato manente pacto, Farin. p.* 2. *fragm. lib. I. num.* 1181. *Barbos. hic num.* 20. *et DD.*

hic communiter, *Marta de clausulis p.* 1. *claus.*
12 141. II. Colligunt hic DD. quod juramentum excludat purgationem morae, *Rimin. cons.* 255. *num.* 15. de quo tamen vid. *Guttierez de juram. confirm. p.* 3. *cap.* 17. *Baccov. ad Treutl.*
13 *d. Disp. th.* 8. *lit. K.* Sed hanc legem non servari dicit *Molin. d. tr. de Divid. et Individ. p.* 2. *n.* 578. *et seq.* maxime in terris Ecclesiae, et in Consistorio Principis, *Menoch. cons.* 355. *num.* 2. *Cephal. cons.* 370. *num.* 13. *et* 14. Sed neutrum conceditur; sane prius ad nos non pertinet. Et eam licet duram, servandam esse tradit *Riminald. cons.* 121. *num.* 29. etiam jure Canon. *Riminald. d. l. num.* 44. *et cons.* 255.
14 *num.* 19. Sane si alter post moram recipiat praestationem, cessare volunt poenas hujus legis, *Menoch. d. cons.* 355. *num.* 10. Caeterum fuse hanc materiam tractatam videre licet apud *Ant. Gabriel. l.* 3. *tit. de Transact. concl.* 1.

L. Si ex falsis instrumentis. 42.

SUMMARIA

Quando ex falsis instrumentis judicatum, sententia lata retractatur. num. 1.
Idem est in transactione, etiam jurata. 2.
Quatenus hoc procedat? 3.
An transactio ejusmodi sit ipso jure nulla, an vero ope restitutionis in integrum retractanda? 4.
Inter testimonia, et instrumenta falsa sufficiens ratio differentiae ostendi non potest. 5.
Gilkenius *h. l. cum* Bartolo *distinguit, et quomodo?* 6.

1 Si, quando ex falsis instrumentis judicatum, sententia lata retractatur, *tot. tit. C. Si ex fals.*
2 *instrument. etc.* utique etiam transactio, quando scil. falsis instrumentis persuasus quis transegit, retractari potest, etiamsi sit jurata. Sed id I.
3 de iis capitibus tantum intelligendum, in quibus alter falsa instrumenta produxit, nisi sint connexa, *Mantic. d. lib.* 26. *tit.* 9. *num.* 44. II. Nisi super ipso falso fuerit transactum. *An au-*
4 *tem transactio sit ipso jure nulla, an vero ope restitutionis in integrum retractanda?* Et posterius communiter placuit per *l. Divus* 33. *ff. de re judic.* neque enim inter testimonia falsa, 5
et instrumenta falsa sufficiens differentiae ratio ostendi potest. Vid. *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 15. *Bacchov. in Treutl. vol.* 1. *Disp.* 7. *th.* 6. *lit. C. Odd. de Restitut. p.* 1. *q.* 78. *art.* 3. quamvis *Gilkenius hic*, distinguat cum *Bartolo*, an de- 6
ceptus uti velit exceptione ex hac lege, et hoc ipsum sine petitione restitutionis facere posse; an vero desideret, ut super causa principali pronuncietur, et agat, et tum, si simpliciter sine stipulatione transactum, priori actione agere, et excipienti de transactione replicare posse de dolo, quod transactione utatur, quae ex falsis instrumentis elicita sit; sin vero per stipulationem opus esse restitutione.

L. Jubemus. ult.

SUMMARIA

Super statu, et conditione servili transigere licet. num. 1.
Quatenus pro servitute transactio valeat? 2.
Status libertatis certus transactione mutari nequit in servitutem. 3.
An super matrimonio transigi possit? 4.

Super statu, et conditione servili transigere li- 1
cet. Sed *DD.* communiter pro servitute trans- 2
actionem valere nolunt, nisi in casu dubio, per *l. nec si volens* 6. *C. de liber. caus.* Sed si status libertatis certus, in servitutem mutari ne- 3
quit, *l.* 26. *supr. h. t.* Et sic agunt de matrimonio; *An super eo etiam transigi possit?* quod 4
regulariter negandum, quamdiu spes est matrimonium promissum probari, vel ejus certitudinem per recusationem juramenti purgationis erui posse; sed quando illiquidum hoc est, et forte is, contra quem agitur, paratus est praestare juramentum purgationis, vel etiam judiciale, eo casu suaserim transactionem, licet actu sciat, in conscientia sua promissionem esse sibi factam, ne perjurio causam det. Alias de quaestione hac agit *Heig. p.* 2. *quaest.* 16. *et B. Carpzov. l.* 2. *jurispr. Eccl. def.* 333. ubi *in num. ult.* voluit priori loco allegare *l.* 26. *h. t.*

TITULUS V.

De Errore Calculi.

L. Errorem Calculi. un.

SUMMARIA

Si in calculo erratum, saepius calculi retractatio fieri potest. num. 1.
Quod semel placuit, amplius displicere nequit. 2.
Error consensum excludit, et nullum Veritati debet creare praejudicium. 3. *Ampliatur regula.* 4.
Etiam in deliberando quis potest errare. 5.
Confessio etiam geminata, si erroris causa probetur, revocari potest. 6.
Limitatur regula. 7.
Potest etiam ejus, quod errore calculi promissum est, liberatio condici. 8.
Non obest error calculi, licet quietatio in continenti sequatur calculationem. 9.
Tunc eodem errore censetur secundus actus esse sicut primus. 10.
Si post calculationem sequatur promissio, ea est nulla, si in calculo error. 11.
Sententia exprimens errorem calculi est nulla 12. 14.
Aliud est, per errorem aliquid pronunciare, aliud super errore. 13.

Error calculi co ipso probatur, quando probatur, rem aliter se habere. 15.
De errore calculi, remissive. 16.

1 Si in calculo erratum, saepius calculi retra-
ctatio fieri potest, *Auctor in l.* 3. *ff. de adm.*
rer. ad civit. pert. num. 1. *Ratio dubitandi est;*
2 quod semel placuit, amplius displicere nequit.
3 *Sed ratio decidendi*, quod id non placuerit,
cum error consensum excludat, et quod error
nullum veritati debeat creare praejudicium, *l.*
4 6. §. *Illicitas ff. de offic. Praesid.* Et haec re-
gula in textu ampliatur, licet saepius calcula-
tio instituta, *DD. hic et Menoch. cons.* 22. *num.*
5 10. *Berlich. p.* 1. *concl.* 84. *num.* 63. quia etiam
in deliberando quis potest errare, *l.* 11. §. 8.
ff. de interrog. Berlich. d. l. et confessio etiam
6 geminata, si erroris causa probetur, revocari
potest, *Anton. de Padill. in l. error num.* 11.
C. de ignor. jur. Mascard. concl. 347. *num.* 50.
ubi conciliat *Paul. Mont. de tutel. c.* 48. *num.*
7 164. nisi super ipso errore calculi transactum,
vel judicatum: si scil. super errore calculi lis,
vel dubium praecesserit, et haec lis per trans-
actionem, aut sententiam sopita? *Petr. Heig.*
p. 1. *quaest.* 20. *num.* 27. *Montan. d. cap.* 18.
num. 138. *seq. Auctor in l.* 8. *ff. de admin. rer.*
ad civit. pertin. num. 2. Et idem dicendum, si
jurassent, se non impugnaturos calculum, *Mon-*
tan. d. l. num. 160. *Ayrer. in hac l. n.* 68. *Petr.*
Heig. d. q. 20. *num.* 23. Potest etiam ejus, quod 8
errore calculi promissum est, liberatio condi-
ci: neque obest error calculi, licet quietatio 9
in continenti sequatur calculationem, *l.* 9. §.
Diversum ff. de Novat. quia tunc eodem erro- 10
re censetur secundus actus factus esse, sicut
primus, *Montan. d. c.* 38. *num.* 173. Et si post 11
calculationem sequatur promissio, ea est nulla,
si in calculo error, *Cephal. cons.* 562. *num.* 15.
et sententia exprimens errorem calculi est nul- 12
la, *l.* 1. §. 1. *ff. quae sentent. sine appell.* quia
aliud est, per errorem aliquid pronunciare, 13
aliud super errore: Sententia per errorem cal- 14
culi lata nulla est, non vero, si super errore,
Pacius Cent. 7. *quaest.* 73. *Hillig. lib.* 27. *c.* 73.
lit. C. Idem est, si sententia expresse errorem
non exprimat, sed ad acta se referat, in qui-
bus error calculi expressus habetur, *Tiraq. post*
leges connub. gl. 7. *num.* 184. *Schurff. Cent.* 1.
Consil. 93. et quos citat *Hillig. in Donell. d.*
c. 6. *lit. C.* et error calculi eo ipso probatur, 15
quando probatur, rem aliter se habere, *Ceph.*
d. cons. 562. *num.* 24. *et seqq.* De errore Cal- 16
culi *vid. etiam Escobar. de ratiocin. cap.* 41.
Guttierez l. 1. *qq. Pract. Mascard. concl.* 256.
et alii.

TITULUS VI.

De postulando.

L. Cum a Praefecto. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Is, qui non appellat, acquiescit sententiae. 2.
Advocatus, cui Advocatura, vel foro interdictum, potest impetrare restitutionem non obstante hac lege. 3.
An prohibitus advocare, in scriptis consuli possit? 4.

1 Artemidorus causas agere perpetuo erat pro-
hibitus, et a sententia non appellavit, Quaeri-
tur; *An sententiae parere debeat?* Videtur quod
non *ob l. ult. ff. de poenis.* Sed affirmatur hic.
In d. l. ult. vero tantum de Praeside sermo est,
hic de Praefecto Augustali. Nam hic, ut, et alii
superiores Magistratus, vel vetabant tantum
coram se postulare, vel in perpetuum: illud in
l. 6. §. *ult. ff. h. t.* hoc in *hac lege*, licet alii ali-
2 ter. Collige: Eum, qui non appellat acquiescere
Sententiae. Non impedit tamen haec lex, quo
3 minus Advocatus, cui Advocatura, vel foro in-
terdictum, possit impetrare restitutionem, *ar-*
4 *gum. l.* 1. §. 9. *ff. h. t. Donell. lib.* 18. *c.* 3. Prohibi-
tum tamen advocare, in scriptis consuli posse
volunt allegati ab *Hillig. in Donell. d. c.* 3. *lit.*
Hh. Sed minus tuta videtur haec cautela, cum
advocare proprie in scriptis fiat, et ita Judex
finem non impetraret; et aeque in scriptis ma-
ledicus esse potest, et ideo rectius hoc negat
Marq. Freher l. 3. *de infam. c.* 26. *num.* 15. *et*
Umm. ad Process. Disp. 2. *th.* 5. *num.* 26. *Auctor*
in 6. *ff. h. t. num.* 2.

L. Nec Caeterorum. 2.

SUMMARIA

An libertus Caesaris possit esse Advocatus? num. 1.
Advocati peritiam juris habeant. 2.
De judicis eruditione neccessaria, remissive. 3.

Quaeritur, *an libertus Caesaris possit esse Ad-* 1
vocatus? Ratio dubitandi esse videtur in dignitate
muneris Advocati; sed affir. ex hac lege quod
etiam privatorum liberti non prohibentur advoca-
re, si modo literis sint eruditi. Ex hac lege colligi- 2
tur: Advocatos debere peritiam Juris habere, quod
de majoribus tribunalibus potissimum verum;
quamvis peritia legum aliqua, in omnium Judi-
ciorum Advocatis necessaria sit, de quo *Donell.*
d. c. 3. et quos allegat, *lit. Pp. ibid. Hill.* De Judi-
cis eruditione necessaria, videatur hic *Barbos.* 3
Conf. *Vivius decis.* 123. *num.* 46.

L. Si sub specie. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
In contractu chirographario post biennium praesumitur consensus, atque ex Civili obligatione fit naturalis. 2.
Quatenus ex simulato Contractu dominium, vel possessio non transferatur. 3.

1 Flavianus Advocato suo, ut causam ageret, promisit 30. sed sub specie mutui, quasi ex mutuo deberet: Advocatus non egit causam, Quaeritur: quomodo consultum sit clienti? Respond. Flavianum posse opponere exceptionem non numeratae pecuniae intra biennium, vel posse condicere cautionem factam condictione sine causa, quod idem est, si plus debito promisit cliens; nam in eo, quod excedit, datur condi-
2 ctio, vel exceptio. Nota: post biennium praesumi consensum, atque ex civili obligatione fieri naturalem, *Fachin. lib.* 13. *controv. cap.* 26. *Hillig. lib.* 14. *cap.* 37. *lit. B.* licet dissentire videatur *Alex. Trentac. l.* 3. *tit. de Solut. resol.* 20. *num.* 1. *et seqq.* Sed pro illa sententia hic valde pugnat
3 textus. Colligitur etiam ex textu: Licet ex simulato contractu non transferatur Dominium, nec possessio, per *l. nuda* 55. *de contrah. empt.* id tamen de nuda simulatione intelligendum, non vero, si aliud in veritate actum: tunc enim transferri videtur possessio, *l.* 1. §. 4. *de adquir. poss. Bart. in l. Emptor de aqu. pluv. arc. Berous cons.* 169. *num.* 24. *vol.* 1.

L. Velamento. 4.

SUMMARIA

Non potest retractari sententia ob id, quod pars Advocatum non habuerit praesentem. num. 1.
Causa in potestate Advocati ita non est, ut sine eo agi nihil possit. 2.
Absentia Advocati justa causa petendae dilationis est. 3.
Per absentiam Advocati quis contumaciam purgare potest. 4.
Exceptio est in causa fiscali. 5.

1 Lex haec dicit; non posse retractari sententiam ob id, quod pars Advocatum non habuerit prae-
2 sentem. Non enim ita causa est in potestate Advocati, ut sine eo agi nihil possit, *Donell. lib.*
3 18. *c.* 4. etsi absentia Advocati justa causa sit petendae dilationis, *l.* 15. §. *ult. ff. ex quib. caus.*
4 *maj. Hillig. d. c. lit. A.* Sic etiam per absentiam Advocati quis contumaciam purgare potest, et sic per indirectum sententiam ob id impugnare, quae forte in contumaciam lata, per tradita
5 *Carpzov. p.* 1. *Jurispr. const.* 9. *def.* 9. Exceptio est in causa Fiscali per *l. fin. C. de Advoc. Fisc.* de qua infra, et *Peregr. l.* 7. *de Privil. fisc. tit.* 2. *num.* 2.

L. Si qui Advocatorum. 5.

SUMMARIA

Pactum de quota litis Advocato interdicitur sub poena remotionis. num. 1.
Idem est, si de re certa paciscatur Advocatus, ut ea in casum victoriae detur. 2.
Idem, si de certa summa, quae in lite non versatur, paciscatur. 3.
An modicum pacisci possit in spem victoriae advocatus? 4.
Plura de ejusmodi pactionibus sceleratis Advocatorum, remissive. 5.

Pactum de quota litis Advocato interdicitur, 1
sub poena remotionis, *hic, et l.* 53. *ff. de pact. l* 1. §. 12. *ff. de extraord. cognit. ibique Auctor num.* 4. *et* 6. alias enim Advocatus per fas, et nefas, et per mendacia grassaretur ad victoriam.
Idem est, si de re certa, v. g. haereditaria pa- 2
ciscatur Advocatus, ut ea detur in casum Victoriae, *Trentac. l.* 2. *pract. resol. tit. de postul. resol.* 1. *num.* 4. quem sequitur, *Hillig. l.* 18. *cap.* 3. *lit. Ccc.* pluresque allegans *Farin. quaest. crim.* 106. *num.* 29. Sed etsi de certa summa, 3
quae in lite non versatur, in prosperum litis eventum agatur, irrita pactio per *l.* 7. *ff. mandat.* quia perinde lis redimitur, *Trentac. d. l. num.* 5. *Farin. d. quaest.* 106. *num.* 133. *et seqq. et num.* 37. *et seqq. Hillig. d. l.* et quos allegat *Barbos. num.* 8. Modicum tamen pacisci posse in 4
spem victoriae Advocatum volunt nonnulli ex lege hac probare, ex verbis: *cum gravi damno litigatoris, Farin. d. q. num.* 43. *et seqq.* et quos hic allegat *Barbos. num.* 11. Sed illatio dubia, et concesso modico, non solent esse contenti modico. Nolo plura de conscceleratis his pactioni- 5
bus addere, sed optarem, ut modo observaretur haec lex a Judicibus, et Advocatis; plura qui desiderat, adeat *DD.* cumulate hic a *Barbos.* et *ab Hillig. d. l. et Carpzov. lib.* 3. *Resp.* 1. *num.* 11. alibique allegatos.

L. Quisquis vult esse Causidicus. 6.

SUMMARIA

Non debet idem esse Advocatus, et Judex in eadem causa. num. 1.
Incompatibile est, ut quis sibi ipsi consilium suggerat, et pro parte loquatur, et simul juri consonam sententiam ferat. 2.
Non potest esse judex in ea causa, in qua fuit antea Advocatus. 3.
Judex ob hanc causam licite recusatur. 4.
Praxis Camerae Spirensis. 5.
Qui in prima instantia fuit judex, in secunda potest esse Patronus. 6. 23.
Contumeliae Advocatis sub poena infamiae sunt prohibitae. 7.
Itemque extraordinaria. 8.
Interdictae inter Advocatum, et clientem pactiones. 9.
Advocati debent oblato onorario contenti esse. 10.
Turpi lucro non aestimanda haec Professio. 11.

DD. *notantur*. 12.
An Advocatus, qui pro modica mercede patrocinatur, ex §. 3. et 5. hujus legis, sit vilis, et contemptibilis? 13.
Honorati urbis Romae quinam? 14.
Ingens salarium ex publico habebant. 15.
Prohibebantur praemium accipere. 16.
Licet Advocato munera a Cliente accipere. 17.
Non debet de industria prorogare litem. 18.
Nec sui commodi causa plures causas, quam quas potest expedire, suscipere. 19.
Omnis captatio lucri prohibita. 20.
Advocatus, quamdiu talis, non adsidendi, sed standi tantum habet facultatem. 21.
Solebant olim Advocati in judiciis stare. 22.

1 *Princ.* hujus L. Dicitur, non debere eumdem esse Advocatum, et Judicem in eadem causa.
2 Est enim incompatibile, ut quis sibi ipsi consilium suggerat, et pro parte loquatur, et simul juri consonam sententiam ferat, *Gratian. tom.*
3 *1. disc. 4. num.* 8. et non potest esse Judex in ea causa, in qua fuit antea Advocatus ob affectionem ad causam, *Menoch. l. 1. A. Q.* 73 *num.* 4. *Camill. Borell. lib. 1. dec. tit.* 65. *num.* 125. et
4 quos hic allegat *Barbos. num.* 12. et est haec causa legitima, cur recusari possit Judex, *Bacchov. in Treutl. vol. 1. Disp.* 8. *th.* 3. *lit. C.*
5 Ideoque in Camera Spirensi, aliisque Judiciis haec reperitur Constitutio, ut, qui in numerum Assessorum cooptati sunt, operam suam partibus praestare non possint; sed hanc non rigide observari, res ipsa nonnullibi docuit. De eo sane
6 non dubito, quin is, qui in prima instantia Judex fuit, in secunda instantia Patronus esse possit, *Ant. Faber in Cod. suo h. t. def.* 1. quem laudat *Hillig. d. c.* 3. *lit. Nn. Gratian. d. c.* 4. *num.* 7. et quos citat *Barbos. hic num.* 12. *in fin. Wurmser. l. 1. tit. 1. obs.* 7.
7 §. 1. Contumeliae Advocatis sub poena infamiae sunt prohibitae, qua de re passim cavetur in Ordinationibus etiam judiciorum, et praeterea a Judice poenam extraordinariam dictari posse tradit *Carpz. p. 1. Jurispr. const. 1. def.* 19. Conf. *Hillig. d. c.* 3. *lit Aaa. et alii.*
9 §. 2. Interdictae sunt inter Advocatum, et Clientem pactiones; Ratio in *l. praeced.* quia fieri posset in fraudem juris pactio inter Advocatum, et Clientem de quota litis, ac quidvis extorqueretur a cliente, *Donell. d. c.* 3. *lit. Ddd. et ibi Hillig.*
10 §. 3. *Dicitur,* Advocatos debere oblato honorario contentos esse, quia turpi lucro non ae-
11 stimanda haec Professio. Sed quod mirum, non-
12 nulli Doctores fere in contrarium *hunc §. et* §. 5. detorserunt, quasi Advocatus, qui pro
13 modica mercede patrocinatur, sit vilis, et contemptibilis, ut *Vivius decis.* 123. *num.* 1. Sed *Accursii* expositio, quam nos retinuimus, et quam ipsa verba ingerunt, merito probatur a *Tiraq. de Nobilit. cap.* 29. *num.* 53. Cum vero hic mentio fiat eorum, quibus licet accipere, ex eo non male colligit *Tiraq. d. l.* quosdam fuisse, qui non poterant accipere honorarium, quos esse
14 putat Honoratos urbis Romae, de quibus in §. 5. hujus legis agitur, cum enim hi procul
15 dubio ingens salarium ex publico perciperent, et magni cujusdam honorem inter caeteros ob-
16 tinerent, unde Honorati vocabantur, ideoque prohibebantur aliquid percipere praemii, *Tiraq. d. l.* Colligitur tamen ex *hoc* §. licere Advocato 17
munera a Cliente accipere, de quo *Hillig. remissive d. c.* 3. *lit. Ddd.*
§. 4. Nec debere de industria prorogare li- 18
tem, ne litem cavillis reprobis in longum protrahant, *l.* 9. §. 2. *de Offic. Procons. Hillig. in Donell. l.* 18. *c.* 3. *lit. Bbb. Parthen. litigios. c.* 1. *et DD. passim.* Conf. *Berl. p. 1. concl.* 9. *num.* 40. Et ideo sui commodi causa plures causas 19
suscipere non debet, quam quas potest expedire, *Berlich. d. l. num.* 36.
§. 5. Prohibetur omnis captatio lucri. 20
§. *ult.* Hoc tantum dicit Imperator, quod 21
Advocatus, sive Causidicus, quamdiu talis est, non assidendi, sed standi facultatem sibi relictam esse scire debeat. Nam solebant olim Advocati 22
in judiciis stare, *Hillig. d. c.* 3. *lit. Ggg.* Quod 23
autem nonnulli voluerint concludere ex *hoc* §. qui semel fuit Judex in eadem causa, in nova tamen instantia coram superiore pro victore bene posse postulare, id quidem supra concessimus; sed ex *hoc* §. id non potest probari, nisi velimus etiam hoc exinde probare, posse Advocatum postea in eadem causa judicare, cujus contrarium dictum supra.

L. Providendum est. 7.

SUMMARIA

Judex debet prospicere, ut in causis Clientum aequalis sit advocatorum distributio. num. 1.
Item cavere, ne pars una solertia advocati adversi obtundatur. 2.
Advocatus orare causam jussus, nolens orare, foro carere debet. 3.
Quatenus Advocatus ad advocandum compelli possit? 4.
Potest compelli, ut pauperibus gratis patrocinetur. 5.
Advocati dicuntur nobiles. 6.
Qui adversario fraude subtrahit defensionis copiam, et Advocatos a partibus adversarii abstrahit, praesumitur malam causam fovere. 7.

Haec lex habet tres partes: I. Dicit, Judicem 1
debere prospicere, ut in causis Clientum aequalis sit Advocatorum distributio, et ita debet 2
cavere Judex, ne pars una solertia Advocati adversi obtundatur. Confer. *Ord. Cam. p. 1. tit.* 19. *in princ.* II. Si Advocatus orare causam jussus 3
noluerit, carere debet foro. Sic ergo, quamvis 4
ad advocandum nemo compelli possit, si tamen quis sit in numerum Advocatorum receptus, tenetur, et compellitur causaliter etiam mihi patrocinari, nisi justam causam habeat se excusandi, v. g. quia meus adversarius ejus amicus, vel Dominus, vel cognatus est, de quo vide *Myns. Cent.* 4. *obs.* 32. *Gail. l. 1. obs.* 43. *Boreu. lib. 1. t.* 65. *num.* 32. *et num.* 43. *Barbos. hic num.* 7. *Menoch. l. 2. A. Q. cas.* 369. *Treutl. et ibi Bacchov. Disp.* 8. *th.* 1. *lit. G. Hillig. d. c.* 3. *lit. Eee* et possunt compelli, ut pauperibus gra- 5
tis patrocinentur, de quo *Myns. et Menoch. d. l. Gail. d. l. num.* 11. *Covarr. pr. q.* 6. *num.* 4. *et Hillig. d. c.* 3. *lit. Hhh. Auctor in l. 1. ff. de postul. num.* 9. Collige etiam: Advocatos Nobiles 6
dici, de quo, *Tiraq. de Nobilit. c.* 29. *et ex eo Barbos. hic num.* 4. III. Qui adversario fraude 7

subtrahit defensionis copiam, et Advocatos a partibus adversarii abstrahit, praesumitur malam causam fovere.

L. Nemo. ult.

SUMMARIA

Non-Catholicis officio advocati fungi non permissum. num. 1.
Adhuc lis est, utra religio reipsa Catholicae nomen magis mereatur. 2.
Hodie utriusque religionis Advocati admittuntur. 3.

Prohibet haec L. ne non-Catholicis permit- 1
tatur officio Advocati fungi, addita certa poe-
na. Sed quia adhuc lis est, utra religio re ipsa 2
Catholicae nomen magis mereatur, et dissiden-
tes a Romano-Catholicis vere catholicam fidem
in quatuor Oecumenicis Conciliis probatam etiam 3
amplectuntur, ideoque utriusque Religionis Ad-
vocati admittuntur, *Ord. Cam. p. 1. tit. 3.*

TITULUS VII.

De Advocatis diversorum Judiciorum.

L. Si Patronum Causae. 1.

SUMMARIA

Praevaricari quis dicatur? num. 1.
Poena Advocati praevaricatoris. 2.
Allegans nec probans praevaricationem, calumniae tenetur. 3.
Sententia ex praevaricatione Advocati lata executionem non meretur. 4.
Aliae praevaricatorum poenae, remissive. 5.
Poenae hodiernae in Imperio nostro. 6.
Advocatus partis suae injustitia cognita partem adversam consilio juvans, praevaricator non est, sed suspicione hujus criminis laborat. 7.
De JCto consilium alteri parti etiam impertiente mutata priori opinione, remissive. 8.
An Doctor vel Collegium utrique parti respondere possit super jure? 9.
Aliud est, Advocatum esse, aliud de jure respondere. 10.
Praevaricationis species est, si Advocatus jura partis suae ostendat adversario. 11.

1 Praevaricari dicitur, qui diversam, vel adver-
sam causam adjuvat prodita causa, *l. 1. ff. de*
2 *Praevaricat.* Praevaricatione autem Advocati
probata, ille fit infamis, *l. 1. ff. de his qui not.
infam. ibique Auctor num.* 3. et extraordinarie
punitur, *l. 1. et 2. ff. de Praevaricat. Auctor in
l. pen. de praevar.* et sententia retractatur, seu
potius nulla est ipso jure, si pretio praevarica-
tus est, *ut hic*, vel ope restitutionis, *l. 18. §. 1.*
3 *ff. de minor.* Sed si quis praevaricationem non
4 probaverit, calumniae tenetur. Collige: Senten-
tiam ex praevaricatione Advocati latam execu-
tionem non mereri. Vid. *Hillig. l. 27. c. 7. lit.*
5 *M.* De aliis praevaricatorum poenis videatur
Farinac. q. 1. num. 15. et seq. Menoch. l. 2. A.
6 *Q. cas.* 323. In Imperio nostro Advocatus, vel
Procurator, qui praevaricatus est, damnum re-
sarcire cogitur, sistendus in numellis, et virgis
caesus relegandus, *art. 115. Constitut. Crim.*
7 Si autem Advocatus partis suae injustitia co-
gnita, partem adversam consilio juvet, prae-
varicator quidem non est, sed suspicione cri-
minis hujus laborat, *Farin. d. qu. 1. num.* 16
De JCto consilium alteri parti etiam impertien- 8
te mutata priori opinione vid. *Speckan Cl. 2.
cl. 4. qu. 11. num.* 9. Sed quaeritur, an Doctor, 9
vel Collegium utrique parti respondere possit su-
per jure? si eodem tempore fiat, per hoc infamem
fieri Doctorem, tradit *Marq. Freher. de Infam.
l. 3. c. 13. num.* 8. Secus si diverso tempore id
fiat, et mutata sententia, quod intelligo, si pro
utraque parte respondeat, et sibi ita contradicat.
Caeterum si ab utraque parte quaeratur in pun-
cto juris, quid sibi justum videatur, non
video, cur non in puncto juris utrique respon-
dere debeat, quid sibi justum videatur. Aliud 10
enim est, Advocatum esse, aliud, de jure re-
spondere. Et in Collegiis saepius hoc fit, ut
utrique parti se roganti super jure respondeant,
et potest fieri, ut postquam uni parti respon-
sum est, non satis informatâ in facto, postea
alteri circumstantiam novam alleganti in con-
trarium respondeant, sine ullo praevaricationis,
aut inconstantiae vitio. Praevaricationis species 11
etiam est, si Advocatus jura partis suae osten-
dat Adversario, *Rol. a Vall. cons. 36. num. 23.
vol. 3. Vivius dec. 113. num. 24. Merckelbach.
inter Consilia Klok. cons. 37. num. 395. vol. 1.
Richter. dec. 85. Hillig. d. c. 3. lit. Zz.* Confer.
*Carpz. l. 3. Resp. 3. et dec. 91. Auct. in l. 1. ff.
h. t. num.* 3. Sed incidunt hoc judicium tonso-
res, qui secundum Statuta locorum vulnera non
deferunt, *Auctor in d. l. 1. num.* 3.

L. Qui necessario. 2.

SUMMARIA

Qui funguntur aliquo munere in municipio patriae, possunt simul patrocinari, sed alia officia adspirare non possunt. num. 1.
Quatenus contra remp. consulere possint? 2.
Advocatus Vasallus contra dominum Clienti adsistens non amittit feudum. 3.
Cautela hoc casu observanda. 4.
Sine jussu superioris contra Magistratum suum patrocinans clienti suo, poena dignus non est, si causa justa. 5.

1 Qui funguntur aliquo munere in municipio
patriae, possunt quidem patrocinari, et simul.
administrare munus publicum, sed ad alia of-
ficia non adspirabunt, nec contra Rempubl.
2 consulent, nisi pro personis conjunctis, aut pu-
pillo, cujus tutelam gerunt, *l. pen. ff. de postul.*
3 Sic Advocatus Vasallus contra Dominum Clienti
adsistens non admittit feudum, maxime si ra-
tione officii, ut tutor, vel jussu superioris cau-
4 sam suscipiat defendendam, quae cautela hodie
familiaris, ut contra patriam, vel superiorem
suum alteri patrocinaturus impetret consensum,
et mandatum supremi Magistratus, post *Specu-
lat. Gail. l.* 1. *obs.* 88. *num.* 8. aliosque *Hillig.*
5 *d. c.* 3. *lit. Ll.* Nec sine jussu superioris contra
magistratum suum patrocinans clienti suo poe-
na dignus, si causa justa, *Carpoz. p.* 1. *Juris-
pr. const.* 1. *def.* 21.

L. Ne quis. 3.

SUMMARIA

Curiae obstrictus advocatus neque volens admittitur, neque invitus compelli debet ad alia officia suscipienda. num. 1.
Nemo privilegio suo renunciare potest, quod non ipsius favore, sed ordinis datum est. 2.
In quibus haec regula procedat? 3.

1 Est h. l. declaratio praecedentis legis, quod cu-
riae obstrictus Advocatus, neque volens admit-
ti, neque invitus compelli debeat ad alia offi-
cia suscipienda, v. g. ad exigenda tributa; in-
dignum enim hoc esset officium ordine Advo-
2 catorum. Collige: Neminem privilegio suo re-
nunciare posse, quod non ipsius favore, sed
ordinis datum est. Exemplum est *in c. Si di-
3 ligenti* 12. *X. de for. compet.* ubi hanc regu-
lam pluribus exornat *Felinus*, et Regula illa
potissimum procedit in iis, quae principaliter
in favorem ordinis concessa sunt.

L. Fori tui culminis. 4.

SUMMARIA

Quod Advocati occasione advocaturae adquirunt, illud est ipsorum quasi Castrense peculium. num. 1.
Habet omnia privilegia peculii Castrensis. 2.
Illud post mortem patris jure dominii vindicant, et de iis etiam filiifam. testari possunt. 3.
Advocati sunt milites togati. 4.
Licet nullum salarium ex publico constitutum habeant. 5.
Salaria clientulorum in locum salariorum publicorum successerunt. 6.
Advocatus gerit officium publicum. 7.
Procuratores supremorum Tribunalium fere eamdem cum Advocatis dignitatem habent. 8.

1 Quod Advocati occasione Advocaturae adqui-
runt, illud est ipsorum quasi castrense pecu-
2 lium, habetque omnia privilegia peculii Ca-
3 strensis, adeoque jure Dominii post mortem
patris vindicant, et de iis etiam testantur filii-
familias; quia Advocati sunt milites togati, *l.* 4
14. *C. h. t. Donell. d. c.* 3. Idque verum est,
licet Advocati nullum salarium ex publico con- 5
stitutum habeant, sed a clientibus suis sala-
rium percipiant, cum haec salaria clientulo- 6
rum in locum salariorum publicorum succes-
serint; neque causa privilegii est in eo, unde
salarium proveniat, sed quia Advocatus offi- 7
cium publicum gerit, *Enenkel. Baro de privil.
par. et liber. privil.* 10. *num.* 33. Et hoc ad
Procuratores supremorum tribunalium, qui fe- 8
re eamdem cum Advocatis dignitatem habent,
recte extendit *Bacchov. ad Treutl. Disp.* 9. *th.
ult. lit. D.* et ad *Wesemb. in π. tit. de procur.
num.* 10. *Treutl. ipse d. l.*

L. Quicquid animi largitate. 5.

SUMMARIA

Lex haec est extensio prioris. num. 1.
Privilegia aliquibus concessa ex identitate rationis ad alios a Principe extendi possunt. 2.
Quibus Advocatis haec tributa intelligantur? 3.

Lex haec extendit praecedentem legem ad Ad- 1
vocatos Praefecturae. Collige: Privilegia aliqui- 2
bus concessa ex identitate rationis ad alios ex-
tendi posse, sed a Principe. Sed haec genera- 3
liter omnibus Advocatis, ubicumque patroci-
nentur, tributa intelliguntur, *Peregr. de jur.
fisc. lib.* 7. *tit.* 2. *num.* 15.

L. Sancimus. 6.

SUMMARIA

Advocatis non debent imponi munera personalia. num. 1.
Excepto munere arbitri. 2.
De quo arbitro hoc intelligendum? 3.
Advocati a munere advocaturae non debent abstrahi. 4.
A tributis patrimonialibus non sunt immunes. 5.

Advocatis non debent imponi munera perso- 1
nalia excepto munere arbitri, quod in eo lo- 2
co, ubi patrocinium praestant, ipsis imponi 3
potest, et quod non de arbitro compromissario,
sed quod ab ipso Magistratu injungitur, in-
telligendum esse monet *Bacchov. l.* 3. *Pand.* 4
c. 2. *de const. Arb. num.* 2. *in fin.* Ratio est,
ne a munere Advocaturae abstrahantur, *ar-
gum. l.* 3. *C. de canon. largitional. titul.* Et
debetur hoc privilegium dignitati eorum; ideo-
que licet Advocati salarium percipiant, ob di-
gnitatem tamen officii publici, et quia negotia-
tiones, et mercimonia non exercent, merito hac
immunitate fruuntur, *Coth. Resp. Acad.* 14. *num.*
72. *Klok. de contrib. c.* 15. *num.* 16. *Barb. hic
num.* 3. *Mundius de muner. cap.* 6. *num* 187.
Tiraq. de Nobilit. c. 29. *num.* 15. licet a tri- 5
butis patrimonialibus Advocatus non sit im-
munis, *Guttierez l.* 1. *pr. quaest.* 23. *Mund. d.
l. num.* 190.

L. Iisdem Privilegiis. 7.

SUMMARIA

Lex haec localis est, et extensio praecedentis. num. 1.
Praxis hodierna. 2.

1 Haec Lex localis est, et continet extensionem legis praecedentis ad Legatos, sive Advocatos
2 per Illyricum. Sed hodie in omnibus superiorum tribunalium Advocatis haec locum habent, ut adeo speciali extensione nobis opus non sit, cum videamus, Doctores antea in lege praeced. allegatos in genere de omnibus Advocatis loqui. Docet id etiam Practica, et in nostris Advocatis militat eadem ratio, quod relictis mercimonii officium publicum sustineant, et togatam militiam gerant.

L. Cum Advocatio. 8.

SUMMARIA

Advocatus fisci liberatur a cohortali onere, aliisque vilioribus officiis, et nexibus. num. 1.
Habet dignitatem, et specialia meretur beneficia. 2.
Advocati Praetoriani 150. *erant.* 3.
Olim certus Advocatorum erat numerus. 4.
Erant temporarii. 5.
Quod hic de peculio Castrensi repetitur, generale est. 6.

1 Advocatus Fisci liberatur a cohortali onere, aliisque vilioribus officiis, et nexibus. Ratio in *l.*
2 13. *in fin. h. t.* Advocatus enim Fisci dignitatem habet, et specialia meretur beneficia, *Peregr. de Jur. Fisci lib.* 7. *tit.* 2. *num.* 15.
3 Collige: Advocatorum Praetorianorum immensum numerum, scil. 150. fuisse, hic expresse
4 dicitur: nam erat olim certus Advocatorum numerus, ut passim licet observare, *Camil. Borell. l.* 1. *decis. tit.* 65. *num.* 11. *et seq. Gratian. t.* 1. *disc.* 184. *num.* 18. erantque temporarii,
5 *Gratian. d. l. Cujac. l.* 16. *obs.* 22. De cohortalibus
6 infra dicetur. De peculio Castrensi, quod hic repetitur, generale est, et ad omnes Advocatos superiorum tribunalium pertinet, *Peregr. d. l. num.* 15.

L. Si quis. 9.

SUMMARIA

Advocatus, qui ad officium publice vocatus est, eo recte administrato, et finito patrocinari denuo potest. num. 1.
Per Advocaturam licita vitae subsidia parari possunt. 2.
Sine gravi causa patrocinandi officium nemini denegandum. 3.
Officium etiam gratis, et voluntarie collatum sine gravi causa adimi non potest. 4.

Advocatus, qui ad officium publice vocatus 1 est, eo recte administrato, et finito patrocinari denuo non prohibetur. Collige: Per Advocatu- 2 ram licita subsidia vitae parari posse, et sine gravi causa patrocinandi officium nemini esse 3 denegandum. Illud forte longius petitum quis dicere possit, quod ex hoc loco colligunt, 4 quod officium etiam gratis, et voluntarie collatum sine gravi causa adimi non possit, *Caeval. quaest.* 425. *num.* 6. *Guttierez de juram. confirm. p.* 1. *c.* 18. *num.* 15. et quos hic citat *Barbos. num.* 4. *Menoch. l.* 1. *A. Q. quaest.* 69. *num.* 10. novissime, ac latissime *Merckelbach. inter Consil. Klockii Cons.* 32. *num.* 13. *et seq.*

L. Binos. 10.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quando ad officium, cui ante unus praefuit, plures adsumuntur, omnes illi iisdem in solidum fruuntur privilegiis, quibus unus fruebatur. 2.
Subrogatum ejusdem est naturae, cujus est id, cui subrogatum est. 3.
Privilegia ita dividi non possunt inter duos, ut salarium. 4.
Salarium inter ipsos subrogatos dividitur. 5.
Si duobus officialibus subrogatur unus, qui utrumque officium gerat, an hic privilegia, et salaria utriusque, et ita duplex adipisci debeat? 6.

Habebat Praefectus Praetorio primo unicum 1 Fisci Patronum, cui decedenti subrogabat duos, vel tres, Quaeritur, an ne illi omnes iisdem privilegiis fruantur, quibus antea unus tantum fruebatur? Affirmat hic Imperator. Collige: Quando 2 ad officium, cui antea unus praefuit, plures adsumuntur, omnes illi iisdem in solidum fruuntur privilegiis, quibus unus fruebatur, v. g. Si Academia habuit antea Quaestorem unum, postea illi mortuo subrogavit duos, uterque iisdem privilegiis utitur, quibus antea unus utebatur; cujus rei ratio ex vulgata illa regula sumi potest, quod subrogatum sit ejusdem naturae, cujus 3 est id, cui subrogatum est: quam regulam pluribus exornat *Barbos. locuplet. in axiom. l.* 17. *cap.* 59. *axiom.* 3. Accedit haec ratio, quod pri- 4 vilegia ita dividi non possint inter duos, ut salarium, quam rationem hic ponit *Salyc.* Sed salarium, inter ipsos subrogatos dividitur, *l.* 6. 5 §. 3. *tit. seq.* Unde hic in casu controverso quaerunt, si duobus Officialibus subrogetur unus, 6 qui utrumque officium gerat, an non privilegia, et salaria utriusque, et ita duplex adipisci debeat? Et de privilegiis quidem videtur eadem ratio, ut non nisi privilegiis unius personae fruatur, cum privilegia debeantur personae, et sint individua, et sic a contrario sensu nec multiplicabilia. Sed salarium duplex pro duplici officio cum *Bl. Salyc.* et aliis hic largiuntur *DD.* quod intelligo, si in omnibus partibus eadem persona duo officia sustinere possit, v. g. Si Professor, qui duplex officium legendo quidem sustinere potest, sed consulendo in Facultate, vel

Academia nonnisi unicam gerit personam. Vid. pro regula *Carpzov. Jurispr. Eccles. lib. 1. def.* 151. *Gail. l. 1. obs.* 44. *num.* 8. *Pinell. ad l. 1. C. de matern. p.* 3. *num.* 73. et quos citat *Barbos. hic num.* 4.

L. Nemini licere. 11.

SUMMARIA

Supra statutum numerum Advocatorum nemo debet adsumi. num. 1.
Non debet Advocatus eligi a numero Cohortalium. 2.
Cohortales quinam? 3.
Sordidum horum officium est, et quasi servile. 4.
Nobilissimum Advocatorum officium. 5.
Praefertur Monachatui. 6.
Nec debet vilibus demandari personis. 7.
Filii naturales ad gradum Docturae non admittuntur. 8.
Advocatus afferre debet testimonium JCtorum de peritia artis, et quale? 8.
Observantia moderna. 10.
Filii Advocatorum aliis praeferendi. 11.
Filius praesumitur similis futurus parenti. 12.
Filii fruuntur meritis parentum. 13.

1 Supra statutum numerum Advocatorum nemo debet adsumi, quia in singulis praefecturis certus erat numerus, ut supra dictum, quem numerum excedere non debebat Praefectus, nec
2 debet eligi Advocatus ex numero cohertalium,
3 i. e. apparitorum, quoniam sordidum horum of-
4 ficium est, et quasi servile. Ratio autem est;
5 quia nobilissimum hoc officium, quod Imperator ipse *l.* 14. *h. t.* valde extollit, et *DD.* passim
6 etiam Monachatui praeferunt, de quo *Rol. cons.*
7 36. *num.* 1. *et seqq.* vol. 3. non debet vilibus de-
8 mandari personis. Hinc filii naturales ad gradum Docturae non admittuntur. Et debet afferre
9 Advocatus testimonium Jurisperitorum de peritia artis, adeo, ut Doctores jurata sub gestorum testificatione depromant, esse eum, qui consortio Doctorum, vel Advocatorum adrogari vult, peritia juris instructum, *per hanc l. Speculat. l.* 1. *part.* 4. *tit. de Advocato* §. 1. *num.* 32. *et Berlich. d. concl.* 9. *num.* 56. *Auctor in*
10 *l.* 1. *ff. de postul. num.* 2. Sed observantia ab
11 hoc recessit, et forte male. Filiique Advocatorum aliis praeferendi, *hic, et l.* 13. *h. t.* quia filius
12 praesumitur similis futurus parenti, *argum. l. quisquis* 5. §. *filii C. ad Leg. Jul. majest. Enenkel. Baro de privil. parent. priv.* 3. *c.* 1. *num.*
13 37. et inde colligitur, Filios frui meritis parentum, *Tiraq. de poen. temp. caus.* 49. *num.* 10. et quos allegat *hic Barbos. num.* 10. *seq.*

L. Sancimus. 12.

SUMMARIA

Officium Advocati in Praefecturis provincialibus fisci biennale. num. 1.
Annale in Praefectura Praetorii Romani. 2.
Praefectus Praetorio Romae habebat binos Advocatos; alii unum. 3.
Praxis moderna. 4.

Officium Advocati in Praefecturis Fisci, quae 1
in Provinciis erant, biennale est. Sed in Prae- 2
fectura Praetorii Romani erat tempus annale per *l. Binos* 10. *h. t.* sicut et Praefectus Praetorio Ro- 3
mae habebat binos Advocatos, Praefectus Illyrici, aliique in provinciis habebant unum, *Donell. l.* 18. *c.* 5. Sed hodie plerumque perpetuum, aut 4
durat pro arbitrio Principis *Peregr. d. t.* 2. *num.* 13.

L. Petitionem. 13.

SUMMARIA

Numerus Advocatorum Alexandriae. num. 1.
Decedentibus Advocatis surrogandi potius sunt filii, quam supernumerarii. 2.
Supernumerarii quinam? 3.
Fisci Patronus deposito officio, Ex-Consulis honore afficiendus. 4.
Is qui labore alium vincit, praemio etiam vincere debet. 5.
Praecellentia regis Hispaniarum prae omnibus aliis Monarchis. 6.
Advocati fisci pro suis, et cognatis usque ad quartum gradum praestare possunt patrocinium. 7.
Possunt suam, suorumque liberorum, cognatorum, et pupillorum causam fisco praeferre. 8.
Officium publicum non debet esse damnosum. 9.
Mortuo Advocato fisci surrogandus est proximus in matricula. 10.
Eidem, deposito officio, non sunt imponenda munera sordida. 11.
Extenditur lex suo modo ad omnia alia officia publica. 12.

Haec Lex I. numerum Advocatorum Alexan- 1
driae definit. Et II. decedentibus Advocatis, sur- 2
rogandos potius esse filios quam supernumerarios decidit. Supernumerarii autem erant, qui 3
ultra statutum numerum erant, nec inscripti matriculae, qui non quidem in Praefecti, aut Ducis Ægypti judicio, in aliis tamen judiciis advocare poterant. In specie autem agit de Fisci 4
Patrono, quod deposito officio, Ex-Consulis honore sit afficiendus. Addit autem Imperator causam, quod hoc fiat contemplatione laborum, unde regulam construunt DD. Eum, qui labore 5
alium vincit, praemio etiam vincere debere, *l.* 1. *C. de Consul. Lud. Gomez. ad* §. *Fuerat. Inst. de Action. num.* 3. *Signorol. de Homodeis de praeced. milit. et Doct. in tract. v.* 12. *num.* 21. Unde *Ferdin. Vasq. l.* 1. *in praefat. controv. num.* 49. vult evincere, praecellentiam Regis Hispaniarum 6
prae omnibus aliis Monarchis. Advocatis Fisci 7
hic etiam conceditur, ut pro suis, et cognatis usque ad quartum gradum patrocinium praestare possint. Ex hoc textu colligunt *Gothofr. hic et Peregr. d. t.* 2. *num.* 8. *et seq.* Advocatum 8
Fisci, suam, suorumque liberorum, cognatorum, et pupillorum causam Fisco praeferre posse, id quod ex *l.* 6. *et pen. ff. de postul.* probari potest, ubi rationem habet *Ant. Faber*, ne officium publicum sit damnosum, nec reti- 9
ri posset, nisi violata pietate. Et quod mortuo Ad- 10
vocato Fisci, qui proximus est in matricula, sit 1
surrogandus, et quod Advocato Fisci, deposito 11
officio, non sint imponenda sordida munera per-

sonalia, de quo supra: Ratio in fine habetur:
12 quae omnia in aliis quoque officiis publicis suo modo observari possunt, et debent.

L. Advocati. 14.

SUMMARIA

Encomium Advocatorum. num. 1.
Conferuntur cum Militibus. 2.
Quae odio Advocatorum scripsere alii, de rabulis, et injustis intelligenda. 3.
Fata causarum. 4.

1 Continet decantatam illam Advocatorum laudem, quae omnium in ore est: Nam conferun-
2 tur ibidem Milites cum Advocatis, et quod hi dirimant ambigua fata causarum, in rebus publicis, et privatis lapsa erigant, fatigata reparent, non minus humano generi provideant, quam si praeliis patriam defenderent; item quod gloriosae vocis munimine confisi laborantium spem, vitam, et posteros defendant. Confer ea, quae in Advocatorum laudem remissive allegat *Bar-*
3 *bos.* hic. Sed ut haec de bonis Advocatis omnino vera sunt, ita, quae alii Advocatorum odio scripsere, de rabulis, et injustis intelligenda sunt.
4 Conf. *Cacvall. in oratione de Advoc.* quam praemisit parti quartae speculi sui, *Tiraq. de Nobil. c.* 29. *Berlich. p.* 1. *concl.* 9. *num.* 60. *et seqq.* de verbis: *fata causarum*, videri potest *Cujac. l.* 16. *obs.* 9.

L. Post Duos. 15.

SUMMARIA

Haeredes Patroni fisci etiam sub initio anni, eo mortuo, habent integri anni salarium. num. 1.
Eodem jure censentur honoraria annua quorumcumque Advocatorum. 2.
Salarium liberali studio, et labori promissum initio cujusque anni debetur. 3.
Limitatur, remissive. 4.
An Advocatis salarium pro lite promissum initio litis, an in fine debeatur, remissive? 5.
Doctoribus, quibus certum salarium constitutum, si non legant casu impediti, salarium tamen debetur. 6.

1 Notetur hic, quod haeredes patroni Fisci etiam sub initio anni, eo mortuo, habeant integri anni Salarium. Quamvis autem hic, et *l.* 3. §. *ult. l.* 5. §. *ult. tit. seq.* de Procuratore Fisci tantum sermo sit, unde alicui hoc speciale esse videri possit, communi tamen Doctorum senten-
tia honoraria annua quorumcumque Advoca- 2
torum eodem jure censentur, *Floretz. Dietz. lib.* 1. *q.* 8. *num.* 58. *Gail. l.* 1. *obs.* 41. *num.* 12. *Myns. l.* 3. *obs.* 8. *Rauchbar. p.* 1. *q.* 25. *num.* 9. *Carpz. p.* 2. *Jurispr. constit.* 5. *def.* 10. et quos allegat *Hillig. d. c.* 3. *lit. Kkk.* et *Bacchov. in Treutl. Disp.* 8. *th.* 3. *in fin.* ubi hanc rationem 3
ponit: quod salarium liberali studio, et labori promissum initio cujusque anni debeatur, quae ratio generaliter omnibus Advocatis competit. Limitat hoc *Carpz. p.* 1. *Jurispr. Const.* 1. *def.* 4
ult. An vero Advocatis, Salarium pro lite pro- 5
missum, initio litis, an in fine debeatur? Vid. *Hill. remissive d. l.* Doctoribus autem, quibus 6
certum salarium constitutum, si non legant impediti casu, debetur tamen iis salarium, *Dec. cons.* 70. *num.* 1.

L. Ad similitudinem. 16.

SUMMARIUM

Praetorianae Praefecturae Advocati communia habent privilegia cum fisci Advocatis.

Praetorianae Praefecturae Advocati, quindecim numero, communia habent privilegia cum Fisci Advocatis. Ex quo forte quis probare posset, superiora, quae de Fisci Advocato dicuntur, speciatim esse intelligenda, cum hic quibusdam tantum communicentur. Sed communis usus aliter observat.

L. Jubemus. 17.

SUMMARIA

Lex haec localis est, et de Praefecto Praetorio per Illyricum, ejusque Advocatis agit. num. 1.
Casus mortis aequiparatur casui aliter finiti officii. 2.

Praefecto Praetorio per Illyricum hic assignan- 1
tur 150. Advocati, et potestas datur Praefecto surrogandi alium in locum defuncti, et creandi Advocatum Fisci, et quae supra de cohortal. conditione dicta, hic repetuntur, et privileg. Orientalis Praefecturae Advocatis data ad Praefecturae Illyricanae Advocatos extenduntur, quae omnia sunt localia, et mutato imperio parum utilitatis habent. Sed ex verbis: *professionis fine, vel morte,* colligunt hic *Bl. Salyc.* et *Barb.* quod casus mortis aequiparetur casui aliter finiti offi- 2
cii.

TITULUS VIII.

De Advocatis diversorum Judicum.

L. Suggestionem. 1.

SUMMARIA

Advocatus Camerae, deposito munere, manet in dignitate, et retinet privilegia ob dignitatem personae concessa. num. 1.
Limitatur. 2.
Privilegia ob officium data, eo deposito, regulariter cessant. 3.

1 Advocatus Camerae, deposito munere, manet in dignitate, ut Vir clarissimus, vel egregius, et sic retinet privilegia ob dignitatem personae concessa, v. g. beneficium *L. Personas* 15. *ff. de jurejur. Guid. Pap. dec.* 389. *num.* 4. *Tiraq. tr. cessante causa p.* 1. *limit.* 15. *num.* 8. *Beust. ad d. l.* 15. *num.* 25. et hos citans *Hillig. ad Donell. l.* 24. *c.* 22. *lit. O. et Barbos. hic num.* 3.
2 quod limitatur, ut locum habeat tantum, ubi specialiter Princeps id exprimit, nam regulari-
3 ter privilegia ob officium data, eo deposito, cessant, *Petr. Barbos. ad l.* 1. *part.* 7. *ff. Sol. matrim. in fin.*

L. Advocatos. 2.

SUMMARIA

Advocati fisci una cum liberis a cohortali conditione, vel curia immunitatem habent. num. 1.
Liberi quandocumque geniti, etiam ante adeptam dignitatem fruuntur dignitate parentis. 2.

1 Advocati Fisci, una cum liberis, a cohortali conditione, vel Curia immunitatem habent. Col-
2 ligunt ex textu: Liberos quandocumque genitos, etiam ante adeptam dignitatem, frui tamen dignitate parentis, *hic et l.* 5. *ff. de Senat. Tiraq. de Jure Primogen. q.* 31. *num.* 12. *Barbos. hic Hottom. illustr. qu.* 2.

L. Jubemus. 3.

SUMMARIA

Primus in ordine Advocatorum Comitis Orientis, fisci Advocati munere fungitur. num. 1.
Officio hoc post biennium deposito, ad pristinum consortium redit. 2.
Fisci Patrono permittitur pro certis tantum personis patrocinari. 3.
Advocati fisci etiam deposito officio immunitatem habent a Metatis. 4.
Non tamen, nisi pro una domo eaque propria. 5.
Ampliatur hoc in Doctoribus, et Professoribus. 6.
Ad aedes, non alia praedia rustica, et suburbana hoc extendendum. 7.
Prohibentur Advocati sportulas a Principe constitutas excedere. 8.
Sportulae hic quid? 9.
Advocatis pro labore certum honorarium ab Imp. erat constitutum. 10.
Observantia hodierna. 11.
Nemo Advocatorum consortio jungendus, antequam per quinquennium legum cognitioni operam dederit. 12.
Praxis moderna. 13.
Hodie quam plurimae leges, imo tituli, et fere toti libri ab uso recesserunt. 14.
Per Recessum Imperii novissimum quinquennii hujus adeo non praecise habetur ratio. 15.
Loco inter Advocatos vacante, Advocati filius extraneo praeferendus, et gratis adsumendus. 16.
Filius Doctoris caeteris paribus praeferendus. 17.
Et gratis recipiendus. 18.
Advocatus fisci etiam deposito officio, et ejusdem haeredes Comitis Orientis jurisdictioni subjacent, et a muneribus sordidis sunt immunes. 19.
Regula: Cessante causa, cessat effectus, *non procedit in privilegiis dignitatum, quae durant etiam finita dignitate.* 20.
Quatenus hoc procedat? 21.

Juxta hujus L. *Princ.* Primus in ordine Advo- 1
catorum Comitis Orientis, Fisci Advocati munere fungitur, quo officio post biennium deposito, 2
ad pristinum consortium redire debet.

§. 1. Fisci Patrono permittitur, ut pro certis 3
tantum personis in judicio patrocinetur, quamvis hic videatur de casu depositi officii Advocati Fisci hoc esse intelligendum, uti ipsa verba sonant, et forte deposito officio non licebat indistincte omnibus patrocinari, et consilia suggerere, sed tantum cognatis, et proximis; Sed id dijudicandum aliis relinquimus.

§. 2. Advocati Fisci etiam deposito officio im- 4
munitatem habent a Metatis, i. e. hospitatione militum, et Notandum hic, non nisi pro una 5
domo, et quidem propria hoc privilegium ipsis competere, quod etiam ad alios privilegiatos, caeteris paribus applicari potest, scilicet ut Doctores, Professores, immunes sint a Metatis, 6
seu hospitatione militum, vel etiam collectis, extraordinariisque contributionibus, quae extra ordinem indictae, sumptu patrimonii, et detrimento administrantis expediuntur, qualia sunt munus hospitis, militisve in domo recipiendi, munus muniendi vias, exhibitio angariarum, et similia, *l.* 3. *C. de Muner. Patrim. l.* 3. §. 14. *ff. de Mun. et Honor. Klock. de contrib. cap.* 15. *num.* 25. Sed id ad aedes, non alia praedia ru- 7
stica, et suburbana extendendum esse videtur, per *l. Medicos* 6. *ibi: nec non, et rebus, quas in civitatibus suis possident etc. C. de Profes. et Medic.*

§. 3. Prohibentur Advocati sportulas a Princi- 8
pe constitutas excedere, et plus a partibus petere. Sportulas hic accipiunt pro honorario Ad- 9
vocatis a clientibus solvendo, ut ex *Pancirollo.*

hic notat *Barbos. num.* 6. Et exinde apparet,
10 Advocatis pro labore certum honorarium ab Imperatore esse statutum, sicut etiam hodie,
11 pro praestito in Audientia patrocinio, certum honorarium in judiciis solet esse constitutum: Alibi labores per interlocutoriam sententiam taxantur, et a taxata summa deducitur id, quod antea in solidum datum est, et Advocati, ac Procuratores, quando recipiuntur, jurare tenentur, quod ultra taxatam a Judice summam nihil a partibus exigere velint, *p.* 1. *tit* 63. *Ord. Cam. Gail. l.* 1. *obs.* 41. *num.* 1. *et seq.*
12 §. 4. Prohibetur, ne quis Advocatorum consortio jungatur, antequam per statuta tempora legum cognitioni operam dederit, per quinquen-
13 nium scil. *l.* 5. §. 5. *C. h. t.* quod quinquennium magis hodie videtur necessarium, ubi accessit Jus Canonicum, et Feudale, et Constit. Imperii.
14 *Hillig. d. c.* 3. *lit. P.* E contrario recesserunt a foro leges, imo pene tituli, ac fere dixerim libri, quorum usus vix aliquis est in jure, iis praesertim, qui foro, et non Scholis serviunt, tot etiam juris hodie compendia, ut fere videa-
15 tur juris scientia facilior, et per Recessum Imperii novissimum quinquenni praecise non habetur ratio.
16 §. 5. Notabiliter dicitur, quando locus inter Advocatos vacat, quod tunc Advocati filius extraneis praeferri, et quidem gratis assumi debeat, si scil. testimonium studiorum habeat, quod facit pro statutis Collegiorum. Unde duo colli-
17 gunt: I. Filium Doctoris caeteris paribus praeferendum esse. *Martin. Laudens. in tr. de dignit. concl.* 17. *vol.* 12. *tract. Valasc. consult.* 129. *num.* 13. *Felin. ad Rubr. X. de major. et obed. num.* 9. id quod etiam supra firmavimus. II. Colligitur:
18 Filium Doctoris gratis esse recipiendum, *Felin. in d. Rubr. num.* 9. et quos allegat *Bald. in l. Gallus §. quidnam recte. ff. de lib. et posth. Afflict. in tr. de jure protomiss. in Rubr. num.* 17. ubi in Collegio Neapolitano id ita statutum refert *Batius in notat. ad Afflictum de constit. Regni Neapolit. lib.* 1. *const.* 80. *Horat. Carpan. ad statut. Mediolan. p.* 1. *cap.* 411. *num.* 18. ubi tamen Mediolani contrarium servari testatur.
19 §. *ult.* Dicitur Advocatum Fisci etiam deposito officio, et ejus haeredes nullius jurisdictioni, praeterquam Comitis Orientis subjectos, et ab omnibus muneribus sordidis immunes esse. Col-
20 lige ex hoc §. Regulam: *Cessante causa cessare effectum*, non procedere in privilegiis dignitatum, quae durant etiam finita dignitate, *l. eos qui* 11. *et l. maximarum* 12. *C. de Excusat. muner.* et late probat *Tiraq. in tr. cessante cau-*
21 *sa limit.* 5. scilicet, ubi id Princeps constituit specialiter, ut dixi supra, quamvis immunitas a sordidis muneribus honeste dimissis regulariter videatur competere. Sed in jurisdictione hoc non est perpetuum, ut exempla nota sunt.

L. Laudabile. 4.

SUMMARIA

Fisci Patroni Kalendis Januarii inter spectabiles Consistorii Comites referri, et donis ornari debent. num. 1.

Filii Advocatorum fisci Notarii eligendi. 2.

Notarii Principis, ac fisci debent esse ingenui, et non viles. 3.

Alias Notarii inter Nobiles non ita referuntur. 4.

Notarii Principis, quinam? 5.

Infamis Notarius esse nequit. 6.

Freherus, et Wesembecius *notantur.* 7.

Confessiones debitorum fisci coram fisci Patrono annotandae. 8.

Filii Advocatorum fisci naturales legitimantur per subsequens matrimonium sine pactis dotalibus. 9.

Procedit manumissio coram fisci Patrono facta. 10.

Quando in una persona plura concurrunt privilegia, et unum alteri supervenit, per posterius non tollitur prius, nec contra, licet posterius sit majus. 11.

Regula: duo privilegia non possunt concurrere, *non intelligitur de casu scriptorum privilegiorum.* 12.

Hujus l. *Princ. et* §. 1. Vult Imperator, ut 1
Fisci Patroni, quorum munus est laudabile, et necessarium, Kalendis Januarii inter spectabiles Consistorii Comites referantur, et donis ornentur.
§. 2. Filii Advocatorum Fisci, Notarii eligendi. 2
Obiter ex hoc §. Notandum: Notarios Principis, 3
ac Fisci debere esse ingenuos, et non viles homines, licet alias Notarii non ita inter Nobiles 4
referantur; Sed aliud in Notariis Principis, quos Secretarios vocamus, *Tiraq. de nobilit. c.* 30. 5
num. 8. *et seqq.* Et si infamis alias Notarius es- 6
se nequit, quanto minus in Curia Principis? *Covar. pr. quaest. c.* 19. *num.* 5. ubi manifestum errorem esse dicit, si quis dicat, Notarium esse posse infamem, quod tamen dicit *Freher. de* 7
infam. c. 25. *num.* 10. *Wesemb. in π. tit. de his, qui not. infam. num.* 8.
§. 3. Confessiones debitorum Fisci coram Fisci 8
Patrono annotandae.
§. 4. Filii Advocatorum Fisci naturales legiti- 9
mantur per subsequentes nuptias, etiam sine dotalibus instrumentis, per denunciationem factam Fisci Patrono. De legitimatione alibi.
§. 5. Hoc ad manumissionem extenditur, ut 10
coram Patrono Fisci manumittere quis possit servum, *et* §. *ult.* Alia ipsis beneficia reservantur. Unde colligitur Regula: Quando in una 11
persona plura concurrunt privilegia, et unum alteri supervenit, per posterius non tollitur prius, nec contra; licet posterius sit majus, *l.* 3. *C. de dignit. l.* 1. *in f. C. de prox. Sacr. Scrin. Enenkel. Baro tr. de privil. in genere l.* 2. *c.* 5. *num.* 3. et ita regula: quod duo privilegia non pos- 12
sint concurrere, de qua *Carpz. p.* 1: *Jurispr. const.* 5. *def.* 22. *in fine*, de casu scriptorum privilegiorum non intelligatur. Conf. *Barbos. locupl. l.* 14. *c.* 83. *axiom.* 17.

L. Petitiones. 5.

SUMMARIA

Lex haec ex l. 3. *explicanda. num.* 1.

De Advocatis Syriae. 2.

Advocati fisci deposito officio pro certis personis possunt patrocinari. 3.

Domus Advocati propria, et unica oneri Metatorum exempta. 4.

Hospitatio reale munus est. 5.

Ultra sportularum statutum modum nihil exigendum. 6.

Filii Advocatorum idonei extraneis praeferendi, et gratis recipiendi. 7.

1 Haec lex cum lege tertia convenit fere in omnibus: ideoque ex ea explicanda est:
2 *Princ.* Dicitur de Advocatis Syriae, quod per biennium in causis Fisci patrocinari debeant, et quod Advocati plures esse non debeant quam 30. quae sunt localia, et ad nos parum spectant.
3 §. 1. Dicitur, quod Advocati Fisci deposito officio, pro certis personis possint patrocinari, de quo dictum *supr. in l.* 3. §. 1.
4 §. 2. Domus eaque propria Advocati, et unica oneri Metatorum i. e. hospitationis militum eximitur, licet hospitatio alias sit reale munus,
5 *Klock de contrib. cap.* 17. *num.* 207.
6 §. 3. Prohibetur, ne ultra sportularum i. e. honorarii statuti modum quis aliquid exigat, ut *in l.* 3. §. 3.
§. 4. Habetur de quinquennio, *ut in* §. 4. *d. l.* 3.
7 §. 5. De filiis Advocatorum, qui si idonei sint, extraneis sunt praeferendi, et gratis recipiendi, de quo *supr. l.* 3. §. 5. Sic et §. *ult.* cum §. *ult. legis tertiae* convenit quoad rem.

L. Restituendae. 6.

SUMMARIA

Advocatis Fisci 60. *librae auri dabantur. num.* 1.
Datur facultas sacras Approbatorias facere. 2.
Sacrae Approbatoriae quid? 3.
Possunt Advocati fisci etiam proprios filios approbare. 4.
Itemque praesentare singulis annis binos in Scholam domesticorum recipiendos. 5.
Is qui dignitatem accepit a majori, et digniori, praeferendus est ei, qui a minore electus, licet hic sit senior. 6.
Persona famae restituta ab Imp. ipso honestior est ea, quae a Comite Palatino restituta. 7.

1 Olim ante Zenonem, auri 60. librae dabantur Advocatis Fisci: Sed Zeno Imperator eas Judicibus pedaneis, et qui satisdationes tutorum examinabant, assignaverat, quibus et ipsis postea abstulit pro parte. Sed Imperator Justinianus eas Advocatis Fisci restituit, aequa lance inter duos dividendas.
2 §. 1. Datur facultas sacras Approbatorias facere, i. e. approbare personas ad Tribunitium,
3 aut Notariatus munus recipiendas, et videtur iis concedi, ut scil. Advocati Fisci etiam proprios
4 filios approbare possent: nam utriusque subscriptio requirebatur, et itaque alteruter approbator sine suspicione erat.
§. 2 Pollicetur, se collaturum illustrem dignitatem, quae, uno scil. petente, socio alteri quoque sit profutura per *l.* 1. *C. de divers. Rescript.*
5 §. 3. Conceditur illis jus praesentandi singulis annis binos, qui in Scholam domesticorum, scilicet equitum, et peditum recipiendi erant, et quid sportularum nomine solvere debeant.
§. *fin.* Alia etiam beneficia anteriora reservantur, ut in *l.* 4. §. *ult.* dixi. Colligit ex hoc §. ult. *Gl. et Tiraq. de Nobilit. c.* 6. *num.* 8. *Natta tom.* 3. *cons.* 638. *num.* 21. *et Barbos. hic per c.* 7. *X. de major. et obed. Panorm. in c.* 1. *d. t. num.* 3. *Gilken. ad Auth. Quas actiones C. de SS. Ecc. c.* 9. *num.* 42. *Menoch. cons.* 51. *num.* 29. cum, qui dignitatem accepit a majo- 6
ri, et digniori, praeferendum esse ei, qui a minore electus, licet hic sit senior. Sed de hoc consuetudo attendenda. Sane non absurde quis 7
dixerit, personam famae restitutam a Gloriosissimo Imperatore, honestiorem esse ea, quae a Comite Palatino restituta.

L. Per hanc Legem. 7.

SUMMARIA

De numero Advocatorum Praefecti Praetorio, vel urbis. num. 1.
Successio in officio Advocatorum, eorumque collegio non debet fieri per saltum, sed per gradus. 2.
Poena per triennium ab urbe absentium. 3.
Officiales a loco administrationis recedere non debent. 4.
Privilegium amittit, qui contra professionis suae, quae occasionem privilegio dedit, leges, et requisita delinquit. 5.
Domesticus Principis sine licentia diu absens a Curia honore privatur. 6.
Officium viginti primatum Advocatorum, eorumque negligentium poena. 7.
Primates Collegii attendere debent, ut statuta Collegii observentur. 8.
Possunt convocare Collegium. 9.
Salarium patronorum Fisci. 10.
Principi curandum, ut officialibus de idoneo prospiciatur salario. 11.
Salarium medio anno lapso solvendum. 12.
Veteres annum a Kalendis Aprilis mensis inchoabant. 13.
Nec in principio, nec in fine anni judicibus, et Advocatis solvendum est salarium, sed in medio. 14.
Advocati Fisci lite pulsati sportulas non solvunt. 15.

Princ. Praefecti Praetorio, vel urbis potius ju- 1
dicium debet habere 80. Advocatos, cui numero, si quidem sint priorum Advocatorum 30. filii, si idonei, gratis eligendi, his deficientibus, extranei, sed non nisi bini singulis annis, si forte interim filii idoneos se reddere possint, donec numerus sit completus.
§. 1. Summam hanc esse puto, ut successio 2
in officio Advocatorum, eorumque Collegio non fiat per saltum, sed per gradus, ne junior seniorem antevertat, de quo alibi.
§. 2. Poena amissionis dictatur iis, qui per 3
triennium ab urbe abfuerint. Unde colligitur:
Officiales a loco administrationis recedere non 4
debere, ut ex *Vivio dec.* 356. et aliis hoc proponit hic *Barbos. num.* 3. II. Privilegium amit- 5
tere, qui contra professionis suae, quae occasionem privilegio dedit, leges, et requisita delinquit, *Enenkel. Baro de privil. in genere lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 46. ubi id seqq. exemplis declarat. Sic domesticus Principis, qui sine licentia 6
diu abfuit a Curia, honore privatur, *l.* 3. *C. de domest. et protest.* Confer. *Gail. l.* 2. *obs.* 118. *num.* 10. *et seqq.*
§. 3. Viginti primatibus Advocatorum, quo- 7
rum curae maxime incumbebat, ne leges Colle-

gii violarentur, poena dictatur pecuniaria, si
8 contra leges has quid admittatur. Collige: Primates Collegii debere attendere, ut statuta Col-
9 legii observentur, cum et ii Collegium convocare possint, *Jo. le Cirier. in tr. de primog. l.* 2. *q.* 2. *num.* 5.
10 §. 4. Salarium assignatur Patronis Fisci scil. 600. aureorum. Additur ratio; ne officio eo ege-
11 ni exeant. Unde hic *Barbos.* notat, Principi curandum esse, ut Officialibus de idoneo prospiciatur salario, quo et suis possint prospicere: qua de re pluribus agit *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.*
12 514. *per tot.* Illud est Notabile, quod hoc loco Salarium dicitur medio anno lapso solvendum esse, scil. Kalendis Octobris, quia veteres an-
13 num a Kalendis Aprilis mensis inchoabant. Col-
14 lige: Nec in principio anni Judicibus, et Advocatis solvendum esse salarium, ut vult communis sententia *DD.*, de qua testatur *Cagnol. in l. diem functo ff. de Offic. Adsess. num.* 123. *Card. Tusch. concl.* 10: *lit. S.* nec in fine anni, ut in puncto juris verius putat *Cagnol. d. l. num.* 127. sed in medio; quam etiam amplectitur post *Dec. et Bononienses Cagn. d. l. num.* 129.

§. 5. Idem est cum *leg.* 4. §. *fin. et l.* 6. §. *fin.*

15 §. *fin.* Dicitur, Advocatos Fisci lite pulsatos sportulas non solvere, *Donell. l.* 18. *c.* 5.

L. Nemo. 8.

SUMMARIA

Advocati debent locum inter Advocatos petere per gradus. num. 1.
Senior, et prius receptus praeferendus in Collegio juniori. 2.
Promotiones per saltum jure Civili, et Canonico prohibitae. 3.
Qui per saltum superiorem captavit gradum, beneficio frui prohibetur. 4.
Praxis moderna. 5.

Advocati debent locum inter Advocatos petere 1
per gradus, non per saltum; nam Senior semper, et qui prius receptus, junioribus in Colle- 2
gio praeferendus, quod saepius in jure habetur, v. g. in *l.* 7. §. 1. *h. t.* Nam promotiones per saltum 3
tam Jure Civili, quam Canonico sunt prohibitae, *c. sollicitudo dist.* 2. *c. un. X. de Ordinat. per salt. et ibid. DD.* Et qui per saltum supe- 4
riorem captavit gradum, beneficio frui prohibetur, *Georg. Acac. Enenkel. de privil. l.* 1. *c.* 6. *num.* 24. Sed hodie non novum, ut juvenes ex 5
Academiis ad regimina Ecclesiarum, ad Praepositura, et Inspectiones vocitentur.

L. De Constitutione. ult.

SUMMARIA

Advocatus Illyric. ultra tempus praefinitum absens beneficia, et locum in matricula amittit. num. 1.
Videtur l. 7. §. 2. *per hanc legem corrigi.* 2.

Advocatus Illyricanus, qui ultra biennium si- 1
ne commeatu, vel ultra quinquennium cum commeatu abest, beneficia, et locum in matricula amittit, et videtur itaque illud, quod in *l.* 7. §. 2. habetur, de triennio, hic corrigi, nisi 2
cum *Cujacio lib.* 13. *obs.* 4. textum sollicitemus, aut dicamus, hic de Illyricanis in specie agi.

TITULUS IX.

De Advocatis Fisci.

L. Cum te. 1.

SUMMARIA

Advocatus Fisci contra Fiscum patrocinari nequit. num. 1.
Nec causam fiscalem deserere. 2.
Illiberale est, ob non solutum salarium causam deserere, etiam privati. 3.
Glossa notatur. 4.
Advocatus ob non solutum salarium acta jure retentionis detinere potest. 5.
Doctor, vel Professor, vel Pastor officio suo fungi debet, licet salarium non accipiat. 6.

1 Advocatus Fisci, licet Salarium nullum acceperit, contra Fiscum tamen patrocinari nequit.
2 Ratio *in l.* 6. §. 5. *C. de postul.* Imo nec causam fiscalem deserere potest, ut hunc textum
3 communiter intelligunt: nam illiberale est ob non solutum salarium causam deserere etiam privati, nedum Fisci, et probari non potest, quod *Gl.* ob non solutum salarium patrocinium 4
deseri posse dicat, et multo minus dicendum est, ob hanc causam patronum privati posse adhaerere parti alteri, quod quomodo sine praevaricatione fieri possit non video, et ideo hic recte glossam improbat *Barbosa.* Caeterum alia 5
via Advocato, cui salarium non solvitur, consulitur: scil. potest Advocatus, donec honorarium, vel salarium solvatur, acta jure retentionis detinere, per *l. colonus* 10. *ff. de vi et vi arm. l.* 25. *in fin. ff. de Procurat. Auctor in h. L. num.* 11. *Carpzov. p.* 2. *Jurispr. Const.* 25. *def.* 23. Collige: Doctorem vel Professorem, vel Pa- 6
storem officio suo fungi debere, licet salarium non accipiat, non est enim haec justa causa deserendi officii.

L. Potes. 2.

SUMMARIA

In quibus causis Advocatus Fisci contra Fiscum agere possit? num. 1.
De quonam Fisci Advocato hoc exaudiendum? 2.

1 Temperat L. haec legem praecedentem, ita, quod Fisci Advocatus deposito officio contra Fiscum causas agere possit, si ab illis abstineat, in quibus Fisco antea operam addixit. Et hoc de speciali causa fiscali intelligunt *hic Bl. Barbos. Peregr.* de eo, qui in una causa Fisco patrocinatus fuerat. Sed an hoc fuerit usitatum, et an hunc leges Fisci Advocatum nominent, de eo
2 dubito, et puto, de Advocato Fisci generali legem intelligi.

L. Fisci Advocatus. 3.

SUMMARIA

Advocatus Fisci nec commoda Fisci occultet, vel simulet, nec calumniosas lites ex adverso privatis intendat. num. 1.
Inde non debet nasci occasio injuriarum, unde jura proficiscuntur. 2.
De facto calumniosam litem intendens de propriis bonis expensas restituere debet. 3.
An juramentum calumniae praestare debeat? 4.

1 Advocatus Fisci, nec commoda Fisci occultet, vel simulet, nec calumniosas lites ex adverso
2 privatis intendat, ne inde injuriarum nascatur occasio, unde jura proficiscuntur, *l. meminerit C. unde vi. Peregr. de jur. Fisci l.* 7. *c.* 2.
3 *num.* 7. Et si de facto calumniosam litem intendit, de propriis bonis expensas restituere debet, *Boer. dec.* 324. *Surd. decis.* 48. *num.* 4. *Peregr. d. l.* Imo etiam eumdem juramentum 4
calumniae praestare debere, non absurdum videtur, per rationes, quas allegat *d. l. Surdus*, licet ipse contrarium in Senatu Mantuano receptum fuisse testetur; et in *Camera Spir.* non jurat, *Gail. l.* 1. *obs.* 90. *Myns. Cent.* 1. *obs.* 74. *Ruland. de commissariis p.* 1. *lib.* 7. *c.* 14. *num.* 10. *Setser. de juram. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 111.

L. Rationales. ult.

SUMMARIA

Rationales, seu Procuratores Caesaris quinam? num. 1.
Quatenus judicare possint? 2.
Ipsorum sententia absente Advocato Fisci lata ipso jure est nulla. 3.
Secus est in aliis privatorum Advocatis. 4.
Non requiritur praesentia Advocati Fisci, quando causa decidebatur. 5.

Rationales, seu Procuratores Caesaris sunt Ju- 1
dices causarum Fiscalium inter Fiscum, et Privatos, *l.* 5. *C. ubi caus. Fisc. etc.* Sed judicare non 2
debent, nisi Advocato Fisci praesente, adeo, ut *DD.* putent, sententiam ipso jure esse nullam: 3
quod secus est in aliis privatorum Advocatis, *l.* 4
2. *C. Si advers. Fisc. Peregr. d. c.* 2. *num.* 2. *et Barbos. hic;* quando tamen causa deciditur, 5
praesentiam Advocati Fisci non requiri per *l.* 3. *ibi* - remotis omnibus - *ff. de his, quae in testam. delent.* probat. *Hill. d. c.* 5. *in fin.*

TITULUS X.

De Errore Advocatorum, vel Libellos, seu preces concipientium.

L. Ea. 1.

SUMMARIA

Quicquid dicit Advocatus, praesente, et intelligente parte, id ipsa pars dixisse videtur, tam in sui commodum, quam praejudicium. num. 1.
Confessio Advocati praejudicat Clienti. 2.
Limitatur. 3.
Confessio erronea Advocato non praejudicat. 4.

1 Quicquid dicit Advocatus, praesente parte, adde, et intelligente, id ipsa pars dixisse videtur, tam in sui commodum, quam praejudicium. Ratio decidendi videtur esse *in l. Qui patitur*
2 *ff. Mandat.* Et hinc confessio Advocati praejudi-
3 cat Clienti, *Mascard. de probat concl.* 381. quod limitat *Donell. l.* 18. *c.* 4. *post. lit. A.* nisi quid falsi dixerit dolose, aut ab Adversario dictum admiserit, *argum. l. Divus* 33. *ff. de re judic.* nec
4 ipsi Advocato nocet Confessio erronea, *l. inter* 54. *ff. de R. V. Donell. lib.* 20. *c.* 2. *et ibi Hillig.*

L. Errores. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Contenta in libello habentur pro confessis. 2.
Nisi error commissus probetur. 3.
Ponens aliqua in libello, ea fateri videtur, et ex libello oritur confessio. 4.
Error non potest praejudicare veritati. 5.
Confessio erronea potest revocari. 6.
Probatur error, si probetur, rem se aliter habere. 7.
Si quis fatetur, se referendo ad instrumentum, prout in eo habetur, et tamen id ibidem non habetur, illa positio et confessio non praejudicat. 8.
Confessio erroris, si per evidentiam facti, et per instrumentum relatum in continenti probari possit, semper post conclusionem in causa etiam revocari potest. 9.

1 Advocatus Rogati dixerat in libello Sententiam intercessisse inter Rogatum, et Titium, quod

Titius acceptabat; sed Rogatus dicebat, errorem
2 esse Advocati: quamvis enim contenta in libello habeantur pro confessis, *l. 9. ff. de liber. caus.*
3 hoc tamen verum, nisi error commissus probetur, quod fit, si res se aliter habeat, *l. 4. C. de jur. et fact. ignor.* Ratio dubitandi esse potest
4 hic: quod ponens aliqua in libello, ea fateri videatur, et ex libello oriatur confessio, per *l. 9. C. de liber. caus. et ib. El. Obrecht. de libell. c.*
5 18. *num.* 15. Sed ratio decidendi in eo, quod error non possit praejudicare veritati, et confessio erronea possit revocari, *Padill. in l. error*
6 *C. de jur. et fact. ignor. num.* 22. Collige: Modum probandi errorem, si probetur, rem se aliter habere, de quo pluribus agit *Mascard. concl.*
7 612. Colligi etiam potest: Si quis fateatur, se
8 referendo ad instrumentum, prout in eo habetur, et tamen id ibidem non habetur, illam positionem, et confessionem non praejudicare,
9 *Alex. l. 3. cons. 8. num.* 18. imo confessio erroris si per evidentiam facti, et per instrumentum relatum in continenti probari possit, semper post conclusionem in causa factam, etiam revocari posse, dicendum per tradita *Afflict. dec.* 44. *num.* 2. *Mascard. conclus.* 384. *num.* 6.

L. Sententiis. ult.

SUMMARIA

Error Advocati potest corrigi intra triduum. num. 1.
Post triduum allegatus probandus est. 2.
Cur hic tridui *mentio fiat?* 3.
Postquam sententia lata transiit in rem judicatam, nulla erroris allegatio locum habet. 4.
Quae intra triduum fiunt, fiunt in continenti. 5.
Quod tamen rectius judicis arbitrio committitur. 6.
Ex specialibus exemplis non est facienda regula. 7.

Error Advocati potest corrigi intra triduum, 1
sed post triduum, si error allegetur, proban- 2
dus est. Communis est haec distinctio, ut inter triduum revocari error Advocati possit, etiamsi non doceatur error, sed simplici allegationi erroris credi; post triduum vero errorem probandum esse, ut statuunt *Castrens. et Sichard. in h. l. Mascard. de probat. conclus.* 381. quos videtur sequi *Hillig. ad Donell. d. l.* 18. *c.* 4. *lit. B.* licet *Padill. in l. error num.* 9. *et* 10. propterea putet hic tridui mentionem fieri, quia 3
in facti contingentia tunc acciderat; prior tamen sententia communior. Sed postquam sententia 4
lata transiit in rem judicatam, nulla erroris allegatio locum habet. Nota bene: Quae intra tri- 5
duum fiunt, fiunt in continenti, *hic et l. fin. C. de judic. Bald. hic* et quos allegat *Carpz. lib.* 2. *Resp.* 6. *num.* 7. Verum verius est, id Judicis 6
arbitrio committendum cum *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 7. *et* 9. et *Carpzov. d. Resp. num.* 5. quia ex 7
specialibus exemplis non est facienda Regula.

TITULUS XI.

Ut, quae desunt Advocatis partium, Judex suppleat.

L. Non dubitandum. un.

SUMMARIA

Quaenam judex supplere possit? num. 1.
Si ex actis constat, actorem sine actione agere, judex ex officio actorem repellere potest. 2.
Praescriptionem ex actis apparentem, neque allegatam, judex supplere potest, et debet, modo de bona fide constet. 3.
Judex factum a partibus discere, non eas docere debet. 4.
Judex supplens, quae facti sunt, suspectum se reddit, et juste recusari potest. 5.
Limitatur in personis miserabilibus, causis piis, et dotis. 6.
Item in causis publicis, et ubi ex actis apparet. 7.
Judex contra absentem in contumaciam procedens, potest et debet inquirere in jura absentis, et quae etiam facti sunt, supplere. 8.

1 Id a judice suppleri in *l. hoc un.* conceditur, quod ad jus attinet, etiam Municipale, vel Statutarium si statuta in certo volumine sint registrata, vel in loco Judicii obtineant, juxta *Jo. Guttierez de juram. confirm. p. 1. cap.* 70. vel Consuetudinarium, *Wesembec. in* ꝟ. *C. h. t. Gail. l. 1. obs.* 36. *num. fin. Guttierez d. l. num.* 3. *Hillig. l.* 18. *c.* 4. *lit. E.* si scil. Notoria sit consuetudo, *Gail. d. l. Myns. Cent.* 5. *obs.* 95. *in fin. Mascard. concl.* 1109. *num.* 17. Ratio autem partis hujus legis est; quia alias Judex non posset legibus conformem ferre sententiam; *l. fin. in fin. C. de appellat.* v. g. si pars allegaret legem minus facientem ad propositum, Judex certe alia lege magis accomodata uti potest. Sic si ex 2
actis constet, actorem sine actione agere, Judex ex officio actorem repellere potest, *gl. in l.* 40. verbo: *aut poena C. de Transact. Moller. ad Constit. Augusti p. 1. const. num.* 6. *Hillig. d. c. 4. lit. D.* Sic, et praescriptionem ex actis ap- 3
parentem, neque allegatam, Judex supplere potest, et debet *per d. Const. et ibi Carpzov. defin.* 1. *et* 2. si modo de bona fide constet. Non vero factum, quod Judex a partibus discere, 4
eas docere debet, et si suppleat Judex quod 5
est facti, reddit se suspectum, et juste recusari potest, *Sigism. Scacc. de judic. l. 2. c. 7. num.* 31. Sed in personis miserabilibus, causis piis, et 6
dotis Judex potest supplere, *Afflict. dec.* 371. *num.* 2. *Rscc. dec. coll.* 1019. Sicut, et in causis 7
publicis potest etiam Judex factum supplere, *l.*

6. §. *Ne tenuis* 5. *ff. de offic. praesid. et l. fin. C. de bon. vacant.* Sic etiamsi factum ex actis appareat, Judex supplere potest, *c. Dilecti X. de judic. Myns. decad.* 3. *Resp.* 25. *num.* 7. *Hillig. d.*
c. 4. *lit. E.* Et quando Judex contra absentem 8
in contumaciam procedit, potest, et debet inquirere in jura absentis, et quae etiam facti sunt, supplere, *Vasq. p.* 2. *contr. l.* 2. *c.* 39. *num.* 21.

TITULUS XII.

Ex quibus causis infamia irrogetur.

L. Infamiae detrimentum. 1.

SUMMARIA

Carcer non infamat, nisi perpetuus. num. 1.
Carceri aliquis mancipatur, ut de ejus crimine inquiratur. 2.
Unde nec criminosus, nec condemnatus per hoc est. 3.
Proprius carceris usus custodia est, non poena. 4.
Jure Canon. Carcer perpetuus poena esse potest. 5.

1 Carcer non infamat, nisi perpetuus: nam carce-
2 ri aliquis mancipatur, ut de ejus crimine inquira-
3 tur. Ergo certum nondum est, eum per hoc esse
criminosum, et multo minus esse condemnatum:
4 Proprius enim carceris usus est custodia, non
poena, *Cujac. ad l.* 216. *de V. S. Petr. Gregor.*
l. 31. *Syntagm. cap.* 33. et quos allegat, *Hillig.*
in Donell. l. 18. *c.* 8. *lit. S. et Speckhan. Cent.* 1.
5 *q.* 16. Sed jure Canon. carcer perpetuus esse
potest poena per *C. quamvis de poenis lib.* 6. *Gail.*
l. 1. *obs.* 26. *num.* 8. *Speckhan. d. Cent. q.* 20.

L. Neque furti. 2.

SUMMARIA

An Publicanus, qui plus debito nomine debitorum publicorum exegit, adeoque actione in factum in duplum condemnatus est, per hoc infamis fiat? num. 1.
Varia in h. l. lectio. 2.
Actio haec ad duplum arbitrariis adnumeratur. 3.
Non hic semper culpa Publicani, sed familiae etiam est. 4.

4 Publicanus, plus debito, nomine debitorum
publicorum exegit; condemnatur itaque actione
in factum in duplum; *fit ne infamis?* Videtur
quod sic, per *l.* 3. *C. de furt. et l.* 1. §. 4. *ff. de*
Publican. Sed negatur hic, quia non actione
furti convenitur, sed ex Edicto, quod est Restitutorium;
neque Edicto duplum imponitur
absolute Publicano, *qui nomine tributorum* (ut
2 omnino legendum esse videtur. Vid. *Colleg. Argentorat.*
in hoc tit. ff. th. 30. *num.* 4.) *plus debito exigit;*
sed conditionaliter, si per vim, vel
male ablatum, non restituatur *per l.* 1. *pr. ff.*
de Publican. et ideo poena dupli evitari potest,
3 si restituatur, *d. l.* 1. §. 4. Et ideo arbitrariis
actionibus hanc ad duplum actionem annumerant
Menoch. l. 1. *A. Quaest.* 5. *num.* 9. *Bacchov.*
4 *in Treutl. Vol. Disput.* 18. *th.* 8. *lit. D.* nec hic
semper culpa Publicani, sed etiam familiae est,
l. 1. *princ. ff. de Publican.*

L. Etsi severior. 3.

SUMMARIA

An is, qui a Praeside justis ex causis levius punitus, et tantum a Decurionatu per biennium remotus est, post biennium maneat infamis? num. 1.
Ubi mitior poena imponitur ex causa tali, quae ipsum delictum minuit, adeoque ad tempus quis removetur ab officio, recuperat dignitatem, nec fit infamis. 2.
Secus, ubi mitior poena imponitur ex alia causa, quae delictum per se non minuit, sed potius auget. 3.
Si poena minuitur Seni, manet infamis. 4.
Qui ad tempus ordine movetur, finito tempore infamiam non patitur, licet intermedio tempore sit infamis. 5.
Quatenus hoc procedat? 6.

Qui a Praeside justis ex causis levius punitus est, 1
e. g. tantum a Decurionatu per biennium remotus,
an post biennium maneat infamis? Videtur
quod sic, per *l.* 3. *princ. ff. de Decur. et*
l. 5. *d. t. ibique Auctor*, et per *l.* 15. *ff. ad Munic.*
Sed negatur; quia justa adfuit causa mitigationis
poenae minuens ipsum delictum, v. g. ira, aetas,
et similia: nam omnino distinguendum est, 2
an mitior poena imponatur ex causa tali, quae
ipsum delictum minuit, v. g. ira, dolore, juventute,
senectute, et similibus; an vero mitior 3
poena imponatur ex alia causa, quae delictum
per se non minuit, sed potius interdum auget,
v. g. ob dignitatem natalium, merita majorum,
vitam anteactam, intercessionem aliorum, artificium
insigne, etc. nam primo casu ad tempus
remotus, recuperat dignitatem, et non fit
infamis; *Marq. Freher. de infam. cap.* 7. *num.* 11.
et seq. et ex eo Hillig. ad Donell. d. l. 18. *c.* 8.
lit. Gg. licet aliter ipse *Donellus*, et pro sententia
Marquardi etiam pluribus agit *Molin. de J.*
et J. tom. 5. *tr.* 4. *Disp.* 9. *num.* 20. qui ita incipit:
ut vero varia etc. Et sic si poena minuitur 4
seni, manet infamis, quia poena non minuitur
ideo, quia minus peccat senex, qui magis peccat,
sed quia poena ordinaria seni gravior, *Molin. d. l.*
Collige: Qui ad tempus ordine move- 5
tur, finito tempore infamiam non patitur, licet
intermedio tempore sit infamis, *Molin. d.*
l. Sed finito tempore finitur infamia, scil. juxta 6
distinctionem positam, *Struv. Synt. jur. civ.*
Exerc. 7. *th.* 23.

L. Si Posidonium. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quando lex plus accipit, quam ipsi debetur, vicissim ipsa aliquid remittit. 2.
Quatenus hoc procedat? 3.
Donellus *notatur.* 4.

1 Relegatus quis a Proconsule in annum, appellat, interim non excedit sententiam, ne poena duplicetur, *l.* 8. §. 7. *l.* 28. §. 13. *ff. de poenis.* Praefectus Praetorio, ad quem appellaverat, in quinquennium relegat: an infamis est? Resp. quod non, quia sententiae severitas compensatur cum existimatione, ita ut vel statim, vel post tempus adjectum nulla sit infamia, quia
2 cum lex plus accipiat, quam ipsi debetur, vicissim ipsa aliquid remittit, *l.* 13. §. *pen. ff. h. t. l.* 15. *princ. ad Municip. l.* 10. §. *ult. ff. de poenis*; modo poena ad vindictam publicam spectet, et in ipsa sententia poena gravior irrogata, et
3 quidem re ipsa poena gravior sit; quod si enim ex mente legis ob aliquam circumstantiam poena fuerit aggravata, non potest videri transactum de existimatione, sunt verba *Bacchovii in Treutl. disp.* 8. *th.* 2. *lit. E. pag.* 312. Ideoque recte *Molin. tr.* 4. *disp.* 9. *num.* 19. docet, si poena gravior augeat culpam delicti, non censeri commutatam infamiam in augmentum poenae, secus si facit Judex, vel sine rationabili causa, vel eo fine, ut famam servaret, vel oportet ut sit poena gravior non tantum ultra legem, sed etiam ultra merita delicti. Vid. *Hill.*
4 *d. c.* 8. *lit. Cc.* Atque sic, si duplicem sententiam in hac lege praesupponamus, non est, cur textum sollicitemus cum *Donell. lib.* 18. *c.* 8. *lit. Ii.* a quo *Hilligerus* recte recedit, quem sequimur. *Vide Struv.* 7. *th.* 23.

L. Decuriones. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ex delictis privatis, accedente dolo, per sententiam infamia irrogatur. 2.
Nihil aequius est, quam ut is, cui alterius famam ludibrio habere et suggillare volupe fuit, propriae jacturam faciat. 3.
Limitatur in injuriis modicis, et levioribus. 4.
Tutius est famam salvam reservare in sententia. 5.

1 Decurionis Filius injuriarum accusabatur a Titio, Judex Proconsul condemnat ipsum injuriarum, et infligendam dicit poenam fustigationis: Respondet Imperator, fustigationis quidem poenam Decurionis filium sustinere non debere, sed, quia injuriarum tamen damnatus est, infamiam eum non effugere, quia ex delictis privatis, per
2 sententiam irrogatur infamia, quando dolus adest, ut in furto, rapina, injuria, dolo, expilata haereditate, sepulchri violati, ventris nomine dolose impetrata immissione, de quibus *Donell. d. l.* 18. *c.* 8. *in pr.* Et quidem in specie, 3
quod ad injurias attinet, nihil aequius est, quam ut is, cui alterius famam ludibrio habere, et suggillare volupe fuit, propriae jacturam faciat, *Freher. de infam. c.* 19. *num.* 13. *Wesemb. in π. ff. h. t. num.* 5. Sed hoc ita, nisi injuria sit mo- 4
dica, et levior: nam talis sententia famam non vulnerabit per *c. cum te* 23. *de re jud. l.* 6. §. *ult. et l. seq. ff. de dolo, Freher. d. c.* 9. *num.* 16. *Gail. l.* 2. *obs.* 102. *num.* 2. *Tiraq. de judic. in causis exiguis num.* 74. quamvis tutius sit, 5
famam salvam reservare in sententia, *Auctor in l.* 63. *ff. de furt. num.* 2. *Gail. d. l. Hillig.* de eo dubitans *d. c.* 8. *lit. C.* Sed vide a me notata *l.* 4. *num.* 4. *et* 5. *ff. h. t.*

L. Ad tempus. 6.

SUMMARIA.

Ad tempus in opus publicum damnatus retinet statum, sed finita poena manet infamis. num. 1.
Quatenus hoc procedat? 2.

Ad tempus in opus publicum damnatus reti- 1
net statum, sed finita poena manet infamis. Ratio, *in l.* 5. *ff. de decur. l.* 4. §. 4. *ff. de re milit.* quia crimen per se famosum est: Nam prae- 2
supponendum est, hic agi de crimine per se famoso, ob quod dedecus perpetuo adhaeret, licet temporalibus relegatio sit dictata; secus vero quando delictum est punitionis arbitrariae, ubi lex praecise turpitudinem non irrogat, sed Judex, vid. *Cujac. l.* 9. *obs.* 19. *Wesemb. in π. ff. h. t. num.* 8. *Carpzov. Pract. crim. p.* 3. *quaest.* 135. *num.* 59. *et seqq.*

L. Nemo ob id. 7.

SUMMARIA.

An repudians haereditatem patris fiat infamis? num. 1.
Qui suo jure utitur, nemini facit injuriam. 2
Filius potest abstinere paterna haereditate. 3

Repudians haereditatem patris, an fiat infamis, 1
hic quaeritur? Ratio dubitandi, quia videtur famam parentis per creditores injuriari. Sed nega- 2
tur hic, quia qui suo jure utitur, nemini inju- 3
riam facit. Atqui filius habet hoc jus, quod possit abstinere paterna haereditate.

L. Si furti. 8.

SUMMARIA.

Facti species. num. 1.
Molina *notatur.* 2.
An de furto, innocens tamen, condemnatus, maneat infamis, si sententia non sit impugnata? 3
Solvitur objectio. 4

1 In tuis aedibus reperta est res furtiva, conde-
mnatus es furti, sed postea evidenter demon-
strare potes, te ignorante fuisse res depositas:
Quaeritur, *an maneas infamis?* Videtur quod
sic *ob l. 1. ff. h. t. et l. 36. ff. de furt. l. 12.
ff. de poen.* Sed hic decidit quod non, quia
sententia praejudicat quidem quoad mulctam,
non vero quoad infamiam, nec dictae leges lo-
quuntur de eo casu, quando de innocentia con-
stat. Vide *Zasium l. 2. sing. intellectum c. 2.
Glossa* quidem varie respondet; Sed videtur haec
2 esse concinnior responsio. Et non videtur subsi-
stere declaratio *Molinae, qui d. Disp. num. 13.*
hanc legem de condictione furtiva intelligit,
quia textus de ea, quae furti condemnata est,
3 agit. Nec possumus probare sententiam *Molinae
d. Disp. 9. num. 15.* qui condemnatum de fur-
to, putat esse infamem, licet innocens conde-
mnatus esset, si sententia non sit impugnata;
4 nam hoc quidem in pecuniario damno, sed non
famae locum habere videtur, quae per iniquam
sententiam, si iniquitas ostendatur, non videtur
posse laedi, et haec verissima sententia *Martini*,
veteris JCti, et *Zasii d. l.* non impugnatur *per
l. non poterit ff. de furt.* quae de alio casu lo-
quitur, nec per ea quae hic *Glossa* habet.

L. Neminem. 9.

SUMMARIA

Qui patriam defendit, etiam in crimine per se famoso, et succubuit, non tamen fit infamis. num. 1.
Alieno nomine condemnatus nunquam infamis fit. 2.
Conventus ex actione famosa, per Procuratorem actionem excipiat. 3.
Nemo damnatur ob factum alienum, sed suum. 4.
Praxis hodierna. 5.

1 Qui patriam defendit, etiam in crimine per
se famoso, et succubuit, non tamen fit infamis;
Ratio decidendi est *l. 6. §. 2. ff. h. t.* quia nun-
2 quam, qui alieno nomine condemnatur, infa-
mis fit. Atque hinc pro cautela tradunt, ut qui
3 ex actione famosa convenitur, per Procurato-
rem excipiat actionem, quam tractat *Wesemb.
in π. ff. h. t. num. 9. et Molin. d. Disp. 9. num.*
4 21. nemo enim damnatur ob factum alienum,
5 sed suum. Sed hodie quando sententia non in
Procuratorem, sed Principalem fertur, vix tu-
ta haec cautela est.

L. Injuriarum. 10.

SUMMARIA

An is, qui servo alterius gravem intulit injuriam, si Domino ejus condemnetur fiat infamis? num. 1.
Persona servi pro nulla habetur. 2.
Impotentis animi signum est, in alienum servum debacchari. 3.
Castrensis *notatur. 4.*
Gravis injuria servo illata in dominum redundat. 5.

Quaeritur hic: *An is, qui servo alterius gra- 1
vem intulit injuriam, si domino ejus condemne-
tur, fiat infamis?* Videtur quod non, ob vili- 2
tatem personae, et quia persona servi pro nul-
la habetur. Sed Affirm. quia servi non habetur 3
ratio, sed Domini per servum laesi, et quia im-
potentis animi signum est, in alienum servum
debacchari, *Freher de Infam. lib. 3. capit. 9.
num. 18.* Quamvis autem *Castrens.* de eo casu 4
legem intelligat, si servo facta sit injuria intuitu
Domini; nescio tamen, an verba legis generalia
hanc restrictionem admittant. Dicendum igitur 5
puto, gravem injuriam servo illatam in Domi-
num redundare ex *§. 3. Inst. de injur.* Sed fa-
cilius hic Judex famam reservabit.

L. Debitores. 11.

SUMMARIA

Cessio bonorum infamiam non irrogat. num. 1.
Dolus tantum infamat. 2.
Quatenus culpa infamet? 3.
Paupertas per se ex genere malorum non est. 4.
Decoctores fraudulenti fure sunt improbiores. 5.
Nec admittendi ad beneficium cessionis bonorum. 6.
Is, qui partim culpa sua, partim fortunae vitio decoxit, infamis non est, maculam tamen contrahit. 7.
Si solo fortunae vitio hoc contingat, ne maculam quidem contrahit. 8.
Et abesse debent ignominiosi ritus, qui per statuta bona cedentibus injunguntur. 9.
De modo cedendi ignominioso, remissive 10.

Cessio bonorum infamiam non irrogat, *Struv.* 1
Synt. jur. civil. Exerc. 7. th. 19. Ratio dubi-
tandi in *§. 1. Inst. quib. ex caus. manumitt.* Sed
ratio decidendi *Nov. 135. princ. ibi: ex acciden-
ti;* dolus autem tantum infamat. Aut si culpa 2
etiam infamat, certe ea dolo proxima ut sit, re- 3
quiritur, de quo *Donell. d. c. 8. lit. L.* Pauper- 4
tas autem per se ex genere malorum non est,
Montan. de Tutel. 36. reg. 2. Conf. *Bacchov. in
Treutl. vol. 2. disp. 24. th. 4. lit. A. et B. Strach.
in tr. de decoct. p. 3. num. 2. et seqq.* ubi id
recte declarat, nisi quis fraudulenter decoxerit;
nam tales homines fure improbiores esse, quis 5
dubitat? nec hi admittendi ad beneficium ces- 6
sionis bonorum. Si autem partim culpa sua, 7
partim fortunae vitio decoxerit, infamis quidem
non est, sed maculam tamen aliquam contrahit,
de quo accipio *Nov. 135. in fin. pr. et cap. 1.*
Si autem nulla culpa accesserit, sed solo for- 8
tunae vitio id contingat, tunc ne maculam qui-
dem contrahet, et tunc merito abesse debent 9
ignominiosi ritus, qui per Statuta, bona cedenti-
bus injunguntur, *Guid. Papae dec. 334.* de quo 10
modo cedendi ignominioso vid. *Carpzov. in Asyl.
Debit. cap. 2. num. 165. et seqq. Basileens. vol.
5. Disputat. 31. th. 17.* Confer. *et Hillig. in Do-
nell. d. l. 18. cap. 7. in fin. Rittershus. ad No-
vell. p. 9. cap. 30.*

L. Si te expilasse haereditatem. 12.

SUMMARIA

Licet judex in sententia non imponat poenam aliam, si tamen commissum delictum pronunciet, sequitur infamia. num. 1.
Poenae vero persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur. 2.
De quonam delicto hoc exaudiendum. 3.
An expilatae haereditatis crimen species furti? 4.
Haereditas jacens est nullius. 5.
Statutum de furto loquens ad dictum crimen non extendendum. 6.
Eadem ex hoc delicto est infamia, quae est furti improbioris. 7.

1 Licet Judex in sententia non imponat poenam aliam, si tamen commissum delictum pronunciet, sequitur infamia: Ratio in *l.* 1. §. 4. *ff. ad SCtum. Turpil. ibi: facti quaestio est in arbitrio*
2 *judicantis*, poenae vero persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur.
3 Loquimur autem de delicto famoso, quale hoc loco est, scil. expilatae haereditatis. Verba autem ultima hujus legis non arguunt, expilatae
4 haereditatis crimen furti speciem esse, quia furtum proprie non est, *l.* 2. *et l. ult. ff. de expil. haered. Farin. q. crim.* 174. *num.* 118. cum hae-
5 reditas jacens sit nullius, et sic statutum de furto
6 loquens ad hoc delictum non est extendendum, *Carpzov. in pr. crim. quaest.* 83. *num.* 77. *Fa-*
7 *rin. d. l. num.* 121. Sed quod eadem criminis hujus infamia sit, quae est furti improbioris, *Donell. et ibi Hill. d. cap.* 8. *lit. D.*

L. Ea, quae Pater. 13.

SUMMARIA

Ex increpatione patris in testamentis non sequitur infamia juris. num. 1.
Ad infamiam juris sententia requiritur. 2.
Sequitur tamen infamia facti. 3.
Effectus hujus remissive. 4.

1 Ex increpatione Patris in testamentis non se-
2 quitur infamia juris, quia sententia requiritur, *l. seq.* sed infamia tamen facti, cujus effectus
3 in *l.* 27. *C. de inoff. testam.* nam, quia Pater
4 maturo judicio in testamento id dicere praesumitur, et non calore iracundiae, merito apud graves viros ea de causa minoris aestimationis habetur, *Molin. tr.* 1. *Disp.* 7. *num.* 6.

L. Nullam. 14.

SUMMARIA

Torturae subjectus ad eruendam veritatem non fit infamis. num. 1.
Nisi sententia feratur infamans. 2.
Duplex fustigationis finis. 3.
Si ad indagandam veritatem tortus in quaestione in negando persistat, absolvendus est accusatus, et inquisitus. 4.
Tortura non solet dictari sine gravibus indiciis. 5.
Solet gravare alicujus opinionem. 6.
Testis tortus non fit infamis. 7.

Torturae subjectus ad eruendam veritatem non 1
fit infamis, *Struv. Synt. jur. civil. exerc.* 7. *th.*
21. si non sententia feratur infamans, in qua 2
ratio consistit. Collige: duplicem finem fuisse 3
fustigationis: nam primo fiebat ob poenam, ut in *l.* 16. *h. t.* alia vero fiebat instar torturae ad indagandam veritatem, ut ex *Actis Apostolicis cap.* 22. apparet *Marqu. Freher. de Infam. l.* 3. *cap.* 5. *num.* 14. et haec, quia non praesupponit delictum, nec sententiam, non infamat; sed si in quaestione in negando persistat, absolven- 4
dus est accusatus, et inquisitus, *l. ult. ff. de calumniat. Zanger. de Quaestion. cap.* 5. *num.* 2. *D. Carpzov. pr. crim. qu.* 125. *num.* 3. *et seqq.* Ergo non potest propter delictum infamis esse; quia tamen tortura non solet dictari sine gra- 5
vibus indiciis, solet haec gravare alicujus opinio- 6
nem. Nec testis tortus fit infamis, sed ob infa- 7
miam, qua antea laborabat, quam tortus fuit, *Freher. d. c. num.* 16.

L. Decreto. 15.

SUMMARIA

Foemina intra annum luctus nubens infamis fit. num. 1.
Etiamsi a senatu diminutionem luctus impetravit. 2.
Luctum habitu non ostentare non infamat. 3.
Luxuriosa vita intra annum luctus instituta etiam Jure Canon. infamiam parit, aliasque poenas. 4.
Idem est in casu, ubi eo tempore, quo ex priori matrimonio praegnans est, vel esse potest, nubit, et consummat matrimonium. 5.
An foemina si putaverit maritum suum adhuc vivere, qui tamen mortuus, et se ab alio stuprari patiatur, adulterii poenae subjicienda? remissive. 6.

Foemina licet a Senatu diminutionem luctus 1
impetraverit, si intra annum luctus nubat, in- 2
famis tamen est, quia Senatus tristiorem tantum habitum remisit, luctum autem habitu non os- 3
tentare non infamat; Sed intra annum luctus nubere, vel corpus prostituere, hoc infamat, *Auctor in l.* 2. *ff. h. t. et l.* 9. *eod. num.* 1. Nam luxuriosa vita intra annum luctus instituta 4
etiam jure Canon. quod hic nihil correxit, infamiam parit, aliasque poenas, per *Auth. iisdem poenis c. de secund. nupt. et ibi Jo. Garon. num.* 18. *Clar. in §. Stuprum num.* 6. *Trentac. l.* 3. *tit. de matrim. res.* 5. *num.* 9. *Auctor in l.* 11. *ff. h. t. num.* 3. *et* 4. Si etiam non luxuriose 5
vivat, sed nubat, ac consummet matrimonium eo tempore, quo ex priori matrimonio praegnans est, vel esse potest, cum hoc simpliciter turpe sit, ideo infamiam, jure Canon. non obstante, adhuc tali foeminae impositam esse existimo cum *Theod. Beza in Tr. de repud. et divor. Bald. in l. Liberorum* 11. §. 1. *ff h. t. Carpz*

l. 2. *Jurisp. Eccl. def.* 159. *Ant. Gabriel. tit. de secund. nupt. concl.* 5. *n.* 5. Quantum tempus apud Evangelicos uxoribus praefiniatur, do-
6 cet *Auct. in l.* 11. *ff. h. t. num.* 5. Sed an foemina, si putaverit maritum suum adhuc vivere, qui tamen mortuus, et se stuprari patiatur, adulterii poena subjicienda? vid. *Auctor in l.* 8. *ff. h. t. num.* 3.

L. Fustibus caesum. 16.

SUMMARIA

Fustigatus sententia praecedente ob calumniam fit infamis. num. 1.
Fustigatio ad eruendam veritatem opposita non infamat. 2.
Procedit infamia, etiamsi sententia sit interlocutoria. 3.
Dum aliquis ob delictum caedebatur, praeco acclamabat. 4.

1 Fustigatus sententia praecedente ob calumniam fit infamis: Nam fustigatio interdum opponeba-
2 tur ad eruendam veritatem, et haec non infamat, *leg.* 14. *sup. h. t.* vel ob calumniam, et
3 tunc infamat, etiamsi Sententia sit interlocutoria; quia sententia interlocutoria, licet per se non infamet, infamat tamen ex genere poenae; nam si fustigatio, aut alia poena publica delicto commerita, a superiori, etiam sine sententia imponatur, praecedente tamen delicto, in quo deprehensus fuit, aut quod ille confessus est, quando delictum erat tale, ob quod per sententiam infamis reddebatur, tunc non minus irrogabatur infamia, quam si per definitivam condemnatus esset: Nam notarietas delicti, et jussus Judicis, et executio poenae concurrit, *Molin. d. J. et J. d. disp.* 9. *num.* 19. Collige:
4 solitum fuisse, ut, dum aliquis caederetur ob delictum, praeco acclamaverit, de quo *Cujac. l.* 13. *observ.* 3. *Godofred. hic.*

L. Verbum. 17. et L. Interlocutio. 19.

SUMMARIA

Interlocutiones, increpationes, atque admonitiones judicum non infamant; maxime si causa non cognita fiant. num. 1.
Gravant tamen existimationem apud bonos viros. 2.
Infamiae facti causae decem, remissive. 3.
Tollitur infamia facti, si infamatus de malis moribus per triennium mutasset mores, et in bono proposito perseverasset. 4.
Magistratus non praesumitur, aliquid animo injuriandi, sed potius corrigendi dixisse. 5.
Generale hoc est in omnibus personis, in quibus animus non hostilis praesumitur. 6.
Verbum injuriosum a judice prolatum causa non cognita non infamat. 7.
An ex stupro natus sit infamis? 8.
Lictores non sunt infames, adeoque nec eorum liberi a dignitatibus, vel ullo collegio opificum excludi possunt. 9.

Interlocutiones, increpationes, atque admonitio- 1
nes Judicum, v. g. si Judex interloquendo diceret me calumniari, quae est species *legis* 17. aut me moneret, ut ad frugem redirem, quae est species *legis* 19. aut ne in posterum calumniarer, etc. aliquem non infamant; praesertim si fiant causa non cognita, quia regulariter sententia requiritur definitiva, sed tamen gravant 2
existimationem apud bonos, i. e. minoris est existimationis, quam infamiam facti nominant, 3
cujus causas 10. numerat *Freher. de infam. lib.* 3. *c.* 22. quae etiam suos gradus habet, *Hilliger. in Donell. l.* 18. *cap.* 6. *lit. I.* et tollitur, si infa- 4
matus de malis moribus per triennium mutasset mores, et in bono proposito perseverasset, *Clar.* §. *ult. quaest.* 21. *num.* 1. *Molin. Disp.* 7. *num.* 6. Collige: Magistratum non praesumi ali- 5
quid animo injuriandi, sed potius animo corrigendi dixisse, per *l.* 19. *h. t.* Idque generale est 6
in omnibus personis, in quibus animus non hostilis praesumitur, ut in Parentibus, Praeceptoribus, Pastoribus animarum, et in specie Magistratu est praesumptio. Vid. *Alciat. reg.* 3. *de praesumpt. praes.* 9. *per l. Injuriarum* 13. §. 1. *et* 2. *ff. de injur.* nec in Marito, Patre, Praeceptore, Ministro verbi Divini praesumitur animus injuriandi, per *l. Sed etsi* 5. *ff. ad L. Aquil. Gail. l.* 2. *obs.* 106. *num.* 6. *Dn. Carpzov. l.* 3. *Jurispr. Consist. def.* 99. *num.* 6. *et def.* 100. *num.* 8. nec verbum injuriosum a judice prolatum cau- 7
sa non cognita, infamare; multo minus autem admonitio Judicis infamabit. Incidenter hic quae- 8
ri potest, an ex stupro natus sit infamis? de quo vide *Auctorem in Rubr. ff. h. t. num.* 2. qui etiam *num.* 4. *et* 5. statuit, Lictores, et eorum liberos 9
non esse infames, ac proinde nec a Dignitatibus, nec a Collegio opificum ullo excludi posse.

L. Non damnatos. 18.

SUMMARIA

An qui nullo dato pactus est de injuria, fiat infamis? num. 1.
Crimen confiteri intelligitur, qui paciscitur. 2.
Nemo suum jactare videtur. 3.
Cessat hoc in pacto gratuito. 4.
An precibus etiam quis crimen confiteatur? 5.
Qui deferente actore juravit, et absolutus fuit, non est infamis. 6.
Pactum non infamat. 7.

An qui nullo dato pactus est de injuria, fiat 1
infamis quaeritur? Videtur quod sic ex *l.* 5. *ff. h. t* quoniam intelligitur confiteri crimen, qui 2
paciscitur, *Auctor in d. t.* 5. *ff. h. t. num.* 1. Sed negatur hic: quia ratio illa, quod nemo suum 3
jactare videatur, cessat in pacto gratuito, *We-* 4
semb. in ϖ. *ff. h. t. num.* 15. *Freher. de infam. cap.* 8. *num.* 23. Et quamvis secundum *Ant. Fabr. in l.* 5. *et l.* 7. §. 3. *ff. h. t.* existimes, etiam 5
precibus quem confiteri crimen, cum non magis precibus quam pretio indigeat innocentia; quia tamen offensus cum victa damnum remisit, habetur pro infecto, ut ex *Freher. d. l. n.* 24. respondet *Hillig. d. c.* 8. *lit. Tt.* quamvis dici possit, pactum non semper precibus impetrari, forte etiam actorem poenituisse; for-

te odio litis potius paciscitur reus, quam ob
6 conscientiam criminis. Multoque minus ille infamis est, qui juravit deferente Actore, et fuit absolutus, quia suam innocentiam approbavit,
7 *l.* 6. §. 4. *ff. h. t.* Collige: Pactum non infamare.

L. Improbum foenus exercentibus. 20.

SUMMARIA

De qua infamia lex intelligenda? num. 1.
Usurarius ipso jure infamis est, modo de crimine constet. 2.
Usurarius per sententiam talis declaratus, non a tempore sententiae, sed a tempore delicti infamis est. 3.
Ubi lex factum notat citra aliam poenam, tunc intelligit infamiam juris. 4.
Infamia ob factum ipsum, non per sententiam infligitur. 5.
Covarruvias *notatur.* 6.
An, et qualis judicis sententia infamet? 7.

1 Lex haec intelligenda de infamia juris, quod
2 Usurarius ipso facto sit infamis, si modo de crimine constet, alias requireretur sententia de-
3 claratoria; quo tamen casu non a tempore sententiae, sed a tempore delicti infamis redditur, *Molin. tr.* 4. *Disp.* 6. *num.* 15. quia hic nulla actio infamans, quacumque condictione usurae
4 repetantur; *leg.* 36. *de Oblig. et Act.* ubi autem lex factum notat citra aliam poenam, tunc intelligit infamiam juris. Vide *Wesemb. in π. ff. h. t. Freher. de infam. cap.* 4. *num.* 23. Et hoc habere potest utilitatem in multis casibus, v. g. Si Usurarius ante sententiam declaratoriam testis productus fuit, vel testamentum condidisset, quod oppugnari potest post mortem, eo quod fuerit Usurarius: nam sententia declaratoria non ad hoc necessaria est, ut poena imponatur; sed ut sciant omnes, mortuum ipso jure, et facto poenam incurrisse cum viveret, et foeneraretur, *Dn. Carpzov.* rectissime *in Pr. crimin. quaestion.* 92. *num.* 33. *et seqq.* Et ita
5 sentiunt, scil infamiam ob factum ipsum, non per sententiam infligi, *Covarr. lib.* 3. *resol.* 3. *num.* 2. *Freher. de infam. cap.* 20. *num.* 5. et quos allegat *Hillig. in Donell. l.* 18. *cap.* 7. *lit. L. et Barbos. hic*, quod autem cum etiam, qui jure civili concessas usuras accipit,
6 infamem putat *Covarr. d. l. num.* 2. *Molin. d. tr.* 4. *disp.* 8. *num.* 15. *Farin. quaest.* 56. *num.* 152. id Constitutionibus Imperii nostri
7 adversatur. Caeterum alias quoque sententia judicis definitiva, non interlocutoria, infamat, *Auctor in l.* 20. *ff. h. t. num.* 2.

L. Si Fratres. 21.

SUMMARIA

An minorennis ludicrae arti addictus, per hoc infamis fiat? num. 1.
In delictis aetati non succurritur. 2.
Hoc delictum jure Civili tantum probrosum. 3.
De quibus ludicris artibus hoc intelligendum? 4.
Artes ludicrae infamantes, remissive. 5.

Minorennis quidam ludicrae arti se addixerat, 1
Quaeritur, an fiat infamis? Videtur quod sic, quia in delictis aetati non succurritur, *l. auxi-* 2
lium 37. §. 1. *ff. de minor.* Sed negatur, quia 3
hoc delicto, quod jure civili tantum probrosum, receptum est specialiter, ut minorennis non reddatur infamis. Caeterum de ludicris artibus quod jam dictum, de iis intelligendum, qui se pretio locant ad scenica, spectaculumque 4
corporis sui exhibendum, modo si id, ad quod se locant, efficiant; per *l.* 1. *et l.* 2. §. *fin. ff. h. t. ibique auctor*, ubi simul causas infamantes recenset, *Molin. d. tr.* 4. *disp.* 7. *num.* 10. Quae 5
autem sint illae artes ludicrae, quae infamant, vide in speciem tractantem *Hillig. ad Donell. d. cap.* 7. *lit. A.*

L. Fidem rumpens societatis. ult.

SUMMARIA

Qui suo nomine de fide rupta in societate, in mandato, deposito, et tutela condemnatur, redditur infamis. num. 1.
In his quatuor contractibus exuberantior debet esse fides. 2.
De qua actione intelligenda n. 1. *dicta?* 3.
Si ex dolo defuncti haeres conveniatur, dictis actionibus non infamatur. 4.
Qui in dictis actionibus pecunia data paciscitur, non fit infamis. 5.

Qui suo nomine i. e. non procuratorio, nec 1
haereditario, de fide rupta in societate, in mandato, deposito, et tutela condemnatur, redditur infamis, *Auctor in l.* 7. *ff. h. t.* quia in his 2
quatuor contractibus exuberantior debet esse fides, et alias sub specie amicitiae fallimur, *Donell. l.* 18. *cap.* 8. *et ibi Hillig. lit. N.* quod de directa actione verum est. Sane in actione pro 3
socio utrinque actio directa est, et ideo actio utrinque infamat, quando de fide rupta agitur, *Auctor in l.* 6. *ff. h. t. num.* 9. *Donell. l.* 18. *cap.* 8. qui etiam in judicio mandati excipit eam speciem, in qua mandans vicissim fidem dedit, se quid praestitum, nec praestitit, *l.* 6. §. 5. *ff. h. t.* quod exemplo declarat *Donell. d. l.* Neque ex dictis actionibus quis infamatur, si ex 4
dolo defuncti haeres conveniatur, *Molin. d. disp.* 9. *num.* 22. aliud est, si ex suo facto doloso conveniatur, *Freher. de infam. l.* 3. *cap.* 11. *num.* 1. *Auctor in l.* 6. *ff. h. t. num.* 10. Sed 5
qui in his actionibus data pecunia paciscitur, non fit infamis, *l.* 7. *ff. h. t Molin. d. disp.* 9. *num.* 25.

TITULUS XIII.

De Procuratoribus.

L. Cautio. 1.

SUMMARIA

Quatenus Procurator teneatur cavere de rato, et an et quatenus etiam absenti mandari possit? num. 1.
Per semiplenam probationem, aut praesumptiones fit res dubia, ut locus sit cautioni de rato. 2.
Instrumenta ad causam pertinentia secum habens, admittitur cum cautione de rato. 3.
Ex conjunctione personae praesumitur mandatum. 4.
Procurator actoris tum demum interponit cautionem de rato, quando dubitatur de ejus mandato. 5.
Fallit in quibusdam causis. 6.
An cautio de rato etiam complectatur cautionem de judicato solvendo? 7.
Qui alienum factum promisit, liberat se, si id praestet, quod in se fuit. 8.

1 Quando certum est, ei, qui se pro Procuratore gerit, negotium mandatum esse (quod an et quatenus etiam absenti mandari posset, docet *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 4. *et l.* 2. *num.* 1. *eod*) tunc nullam tenetur praestare cautionem de rato, §. 3. *Inst. de satisdat.* Sed quando constat, nullum esse mandatum, tum Procurator Actoris ne quidem cum cautione de rato admittendus, nisi sit unus ex conjunctis, et ut conjunctus adsit, ut ex dicendis patebit, *Hillig. in Donell. l.* 18. *cap.* 12. *lit. D. Vasq. p.* 2. *lib. contr. cap.* 16. *num.* 3. Sed quando dubium est, i. e. quando quaedam praesumptiones leviores, quam ut inde mandatum probari possit, pro Procuratore militant, tum ille defectus supplen-
2 dus cautione de rato: nam per semiplenam probationem, aut praesumptiones fit res dubia, ut locus sit cautioni de rato, *DD.* hic, quos sequitur *Bacchov. in Treutl. Vol.* 1. *disp.* 9. *th.*
3 7. *lit. H.* Sic si quis instrumenta ad causam pertinentia secum habeat, quia praesumptionem pro se habet, admittitur cum cautione de rato. Potest huc referri quodammodo exemplum *in*
4 *l.* 21. *C. h. t.* ubi ex conjunctione personae prae-
5 sumitur mandatum. Collige: Procurator Actoris tum demum interponit cautionem de rato, quando dubitatur de ejus mandato, *Auctor in l.* 39. *ff. h. t. num.* 3. et quando certum est mandatum, non opus est cautione de rato: Sed id,
6 quod de mandato dubio per cautionem de rato supplendo in lege dicitur, volunt non habere locum in mandato ad recipiendam solutionem; idem in causis arduis v. g. matrimoniali. Item, si Dominus in civitate praesens est, ut hic limitat *Jason.* Imo generalius puto dicendum, non sufficere hanc cautionem, si causa speciale mandatum requirat, ut ex *Cald. Pereira* hic
7 tradit *Barbos. Sed quid importat haec cautio de rato, an etiam complectitur cautionem de judicato solvendo?* quod non male negat *Berlich. p.* 2. *decis.* 234. Si quidem qui alienum fa- 8
ctum promittit, liberat se, si id praestet, quod in se fuit. Casus, ubi ambae cautiones concurrunt, habet *Auctor in l.* 39. *ff. h. t. num.* 7.

L. Cum rem pecuniariam. 2.

SUMMARIA

Quatenus maritus in causa Civili in appellationis instantia uxoris Procurator esse possit? num. 1.
Solvitur obiectio duplex. 2.
Causa pecuniaria uxoris potest per maritum legitime satisdantem exerceri, sive sit prima, sive secunda Instantia. 3.
Quo jure satisdatio in instantia demum appellationis hic peti possit? 4.

Maritus in causa civili in instantia appellatio- 1
nis potest esse Procurator Uxoris, ita tamen, ut praestet solemnia, i. e. satisdationem. Non 2
obstat §. *pen. Inst. de excusat. tut.* quia alia ratio Curatoris, qui generalis est, et non potest revocari, et alia Procuratoris. Nec obstat *l. ult. C. de pact. convent.* quia ea de Paraphernalibus loquitur; haec vero de Receptitiis. Collige: Cau- 3
sa pecuniaria uxoris potest per maritum legitime satisdantem exerceri, sive sit prima instantia, sive causa appellationis; quoniam in lege fit appellationis mentio, ideo quaeritur, quo 4
jure demum satisdatio hic in instantia appellationis peti possit? et respondetur a Glossa tripliciter, et inter alia, cautionem de judicato solvendo in prima instantia praestitam exspirare per *l. pen. ff. judicat. solv.* quam materiam hic illustrat, *Barbos.* et melius *Aloys. Riccius dec. coll.* 337. Ego sane non video, cur non dici possit, foeminam in prima instantia ipsam litigasse.

L. Eum. 3.

SUMMARIA

An Procurator haeredum universalis teneatur haeredes defendere? num. 1.
Judex videns, administratorem alicujus contumacia sua in judicio praejudicare posse absenti principali, potest ei interdicere administrationem in ipso Processu sine novo Processu. 2.
An ob contumaciam Procuratoris fiat missio in bona haeredum? 3.
Procuratoris contumacia domino non nocet. 4.
Nocet contumacia Procuratoris Domino circa ipsum processum, secus, si de poena agatur. 5.

1 Quaeritur hic I. *An Procurator haeredum universalis*, quia generaliter censetur etiam ad negotia datus, *l.* 12. *ff. de pact. Hill. ad Donell. l.* 18. *cap.* 13. *lit. C. teneatur haeredes defendere?* Quod affirm. necessitate caussativa, si velit manere Procurator, alias ut contumax repellitur ab actione, quod bene Notandum: Ju-
2 dicem, quando videt administratorem alicujus contumacia sua in judicio praejudicare posse absenti principali, posse administratori interdicere administrationem. et quidem in ipso processu, sine novo processu, *Salyc. hic numero* 3. *Sichard. num.* 5. *Marant. p.* 6. *specul. tit. denunciat. num.* 193. et multo magis Tutori *l.*
3 *ult. per C. de administr. tut.* II. *An ob contumaciam Procuratoris fiat missio in bona haere-*
4 *dum?* Videtur quod non, quia Procuratoris contumacia Domino non nocet, *l. unic.* §. 2. *ff. Si quis jus dicent.* Sed affirm. hic, causa tamen cognita, i. e. perpensa contumacia Procuratoris, et debiti quantitate. Ille autem §. 2. intelligendus est de poena solvenda Fisco, non vero de interesse partis, et ordine processus, ubi Procuratoris contumacia omnino nocet Principali. Communis enim haec est sententia Doctorum, cir-
5 ca ipsum processum nocere contumaciam Procuratoris Domino, ut valeat processus, sententia, immissio in bona etc. Sed si de poena agatur, non nocebit. Vid. *Carpz. p.* 1. *Jurispr. const.* 1. *def.* 22. *Trentl. et Bacchov. Disput.* 9. *th.* 12. *et alii DD. hic, et in l.* 10. *h. t.*

L. Quia absente te. 4.

SUMMARIA

Praesentia uxoris sententiam contra maritum absentem latam validam non reddit. num. 1.
Foeminae, nisi in rem suam procuratrices esse nequeunt. 2.
Quatenus pro parentibus admittantur? 3.
Agere possunt pro libertate mariti. 4.
Praxis Camerae. 5.
Carcer est species servitutis. 6.
An Abbatissa pro suo monasterio possit procurare? 7.
Paria sunt, nullo modo defendi, et non legitime. 8.
Idem est non fieri, et non fieri legitime. 9.
Mulier tantum in rem suam agere potest. 10.

1 Praesentia uxoris sententiam, contra maritum absentem latam, validam non reddit, quia foe-
2 minae, nisi in rem suam, procuratrices esse nequeunt. Ratio, *in l.* 2. *ff. de R. J. Auctor in l.* 41. *h. t. num.* 5. qua de re *Dec. et DD. in d. l.* 2. *ff. de R. J. Petr. Gregor. in Syntagm. l.* 49. *cap.* 6. *num.* 11. *Camill. Borell. lib.* 1. *tit.* 66. *num.* 47. Sed in rem suam Procuratrix
3 dari potest, per *hanc legem.* Sane pro Parentibus interdum admittuntur ad agendum, causa cognita, *Damhouder. in prax. civ. cap.* 94. *num.* 7. *Borell. d. l. num.* 49. *per l.* 41. *ff. h. t. ibi-*
4 *que Auctor num.* 1. *et seqq.* Sic etiam pro libertate mariti potest agere, *l.* 3. *ff. de liber. caus.*
5 Et ideo in camera, uxor pro liberando marito captivo, tamquam conjuncta persona admittitur, *ob d. l.* 3. quia carcer est species servitutis, *l.* 6
2. *ff. de lib. hom. exhib.* Unde maritum ex carcere tamquam servitute in libertatem vindicare, et ad hoc mandata cum clausula justificatoria, vel sine clausula, pro facti qualitate, ad relaxandum maritum, petere et obtinere potest, *Gail. l.* 1. *obs.* 133. *num.* 8. *et seqq.* Illud etiam tradunt DD. Abbatissam pro suo Monasterio posse procurare, *Borell. d. l. num.* 50. per c. 4. *de confirm. util. et inutil. Hillig. in Donell. l.* 18. *cap.* 11. *lit. C.* licet de eo dubitet, et casum specialem in *d. c.* 4. esse, ac Abbatissam specialiter a Pontifice delectam, *Busius ad l.* 41. *ff. h. t. num.* 3. *et Bacchov. ad Treutl. d. Disput. th.* 6. *lit. A.* Collige: Paria esse nullo mo- 8
do defendi, et non legitime, per Regulam: Idem 9
esse, non fieri, et non fieri legitime, *Barbos. locuplet. lib.* 14. *c.* 3. *axiom.* 19. et mulierem 10
tantum in rem suam agere posse.

L. Actionem ei. 5.

SUMMARIA

Procurator actoris, nisi in reconventione principalem suum defendere velit, non est admittendus. num. 1.
Exceptio. 2.
Necessariae cessionis exemplum. 3.
Defensionis necessitas locum habet in lucrativa etiam cessione. 4.
Procurator datus ad agendum, debet etiam actorem defendere, et tacite ad defendendum datus videtur. 5.
Quatenus hoc procedat? 6.

Procurator Actoris, nisi in reconventione prin- 1
cipalem suum defendere velit, (quo casu an ad id teneatur, vid. *Auctor in l.* 35. *ff. h. t. num.* 10.) non est admittendus, *l.* 33. §. *pen. ff. h. t. Cap.* 1. *et* 2. *X. de mut. petit.* Exceptio 2
est in Procuratore in rem suam, quando cessio est necessaria, per *l.* 33. §. *ult. et l. si quis* 31. *ff. h. t.* v. g. Si alicui actiones in familiae hercisc. judicio fuerint adjudicatae, *l.* 3. *ff. Fam. hercisc.* vel si necessitate rei familiaris urgente, cessionem suscipiat. Et hujus necessariae cessio- 3
nis exemplum *Jo. a Sande in tr. de Cess. act. cap.* 10. *num.* 5. collocat *in d. l.* 34. *ff. h. t.* ubi emptor haereditatis non tenetur haeredem in reconventione defendere, si bona fide, et non in fraudem debitorum haereditariorum cessam actionem acceptavit; nam licet emptio voluntaria sit, praesupposita tamen emptione cessio necessaria est emptori, ut suum consequatur. In 4
lucrativa etiam cessione volunt, defensionis necessitatem locum habere, et hujus rei exemplum esse putant *in l.* 70. *ff. de Procur.* Vid. *Jo. a Sande d. l. et Bacchov. in d. Disp.* 9. *th.* 1. *et Donell. l.* 18. *c.* 14. *et ibi Hill. lit. O. et seqq.* Nota: 1. Procurator datus ad agendum, debet eti- 5
am Actorem defendere, et tacite ad defendendum datus videtur, *arg. l.* 2. *ff. de jurisdict.* Sed 6
apud eumdem Judicem, *l.* 35. §. 2. *ff. h. t.* et 2. exceptionibus Domini uti potest etiam personalibus, *leg.* 51. §. 1. *h. t. l.* 13. *et seq. ff. Sol. matrim.* 3. solum contra eum, contra quem egit, *Donell. d. l.*

L. Reum criminis. 6.

SUMMARIA

Reus criminis etiam non capitalis, non potest esse Procurator. num. 1.
Non debet dominus litis fieri, quem sui juris non mansurum metuendum est. 2.
Solvitur objectio. 3.

1 Reus criminis etiam non capitalis non potest es-
se procurator, quia prius tendere debet ad pur-
gationem innocentiae suae, quam aliorum cau-
2 sam agat. Deinde non debet Dominus litis fieri,
quem sui juris non mansurum metuendum est.
Sed prior ratio est primaria; ideoque si causa non
sit capitalis, taleque crimen, ex quo civitas non
adimitur, tamen eumdem arceri hoc loco com-
muniter docent Interpp. ob verba generalia hu-
jus legis, *Bald. Salic. Castrens. h. t. et Bacchov.*
3 *in Treutl. d. Disp. th.* 6. *lit. E.* cui obstare vi-
detur *l.* 1. §. 6. *ff. de Postul.* ad quam tamen
responderi potest, vel ibi criminis capitalis ideo
mentionem fieri, quod quidam ex crimine non
capitali damnati, modo civitatem retineant, li-
cet infames sint, pro certis tamen personis po-
stulent, vel quod postulantis, et Procuratoris
diversa sit ratio, *Bacchov. d. l.* quod etiam con-
firmatur ex illa ratione decidendi, quam in hac
lege adducit *Donell. l.* 18. *c.* 11. *et ibi Hillig.
lit. O.*

L. Militem. 7.

SUMMARIA

Miles etiam pro conjuncta persona non potest Procurator esse, nec lites redimere. num. 1.
Donellus *notatur.* 2.
Disciplina Castrorum charitate liberorum, et parentum Romanis antiquior. 3.
Veteranus procurator esse potest. 4.
Quid in militibus nostris hoc in passu verum? 5.

1 Miles, etiam pro conjuncta persona non po-
test Procurator esse, nec lites redimere. Ratio:
in utilitate publica; ne a militia abstrahantur,
l. milites 31. *C. Locat. Auctor in l.* 8. *ff. h. t.
num.* 9. *Hillig. in Donell. d. C.* 11. *lit. C.* Quam-
2 vis autem *Donellus d. cap.* 11. *l t. K.* velit, quod
superius de foemina dictum, de milite etiam
esse intelligendum, ut scil. miles pro liberis,
Parentibus, et uxore procurare possit, dissentit
3 tamen ab eo hic *Giphanius num.* 2. *et Hill. d.
c.* 11. *lit. K.* quia disciplina castrorum charitate
liberorum, et parentum Romanis antiquior, *l.* 19.
4 §. 7. *ff. de captiv. et postlim. Hillig. d. lit. K.* Cum
autem superius allegata ratio in Veterano ces-
set, ideo hic non arcetur, *l.* 8. §. 2. *ff. h. t.*
5 *Borell. d. tit.* 66. *num.* 56. De eo, an in militi-
bus nostris hoc verum sit, conferantur Auctores
allegati ab *Hillig.* praesertim *Enenckel. Baro l.*
2. Plane puto, etiamsi in praesidio sint, tamen
eos arcendos esse.

L. Quod quis. 8.

SUMMARIA

Procurator ad agendum datus, ante litem contestatam substituere nequit, nisi ipsi in mandato facta potestas substituendi. num. 1.
An idem procedat, quando mandatum generale habet? 2.
Procurator absque speciali mandato alium substituere non potest. 3.
Hujus substituti mandatum non expirat morte substituentis, sed primi mandantis. 4.
Aliud tamen dicendum in casu, ubi post litem contestatam Procurator substituit. 5.
Ob potestatem substituendi substitutus alium substituere nequit. 6. *et* 12.
Procurator in rem suam ante litem contestatam substituere potest. 7.
Post litem contestatam alius quivis. 8.
Procurator post Litis Contestationem fit dominus litis. 9.
An ille, qui non ex mandato, sed post litem contestatam substitutus est, alium substituere possit? 10.
Praxis fori Saxonici. 11.
Procurator ad extrajudicialia negotia datus semper potest substituere, si personae industria non fuerit requisita. 13.
Nulla litis contestatio in extrajudicialibus. 14.
Si appellans substituisset, et substitutus sine mandato vellet justificare in termino, appellatio deserta est. 15.

Procurator ad agendum datus, ante litem con- 1
testatam substituere nequit, nisi ipsi in manda-
to facta potestas substituendi, per *cap.* 1. §. 1.
de Procur. lib. 6. id quod tunc etiam fieri pu- 2
tant nonnulli, quando generale mandatum ha-
bet, nisi electa industria personae, quos sequi-
tur *Camill. Borell. d. tit. num.* 31. ubi tamen
de libero mandato loquitur, et quos allegat
Berlich. p. 2. *decis.* 274. *num.* 3. quos tamen
de Procuratore non ad judicialia, sed extraju-
dicialia negotia constituto loqui existimat, *num.*
4. et verius esse, Procuratorem absque speciali 3
mandato alium substituere non posse, *Berlich.*
d. l. num. 6. Et hujus substituti mandatum non 4
exspirat morte substituentis, sed primi mandan-
tis, licet in casu, ubi post litem contestatam 5
Procurator substituit, contrarium dicendum,
Berlich. d. l. num. 11. Conf. *Carpz. l.* 3. *Resp.*
6. *num.* 20. *et seqq.* cujus elegantem rationem
reddit *Bacchov. in Treutl. d. l. th.* 3. *lit. A. et*
Trentac. resol. 3. *de procur. num.* 7. quod sub-
stituens illo casu, ex speciali scilicet mandato,
hoc non faciat suo nomine, sed ut nudus mi-
nister mandantis, qui etiam ob potestatem sub- 6
stituendi substitutus alterum substituere nequit,
Berlich. d. l. num. 12. *Auctor in l.* 8. *ff. man-
dat. num.* 5. *ubi num.* 6. *limitationem addit.*
Procurator autem in rem suam ante litem con- 7
testatam potest substituere, *Trentac. in l.* 2. *h.* 8
t. resol. 5. *num.* 2. *Borell. num.* 35. Sed post li- 9
tem contestatam potest omnis Procurator, quia
tunc fit Dominus litis, *hic et leg.* 8. §. 3. *ff.*
Mandat. An autem ille, qui non ex mandato, 10

sed post litem contestatam substitutus est, alium substituere potest? Et hoc nonnulli affirmant hic, quos sequitur *Berlich. d. l. num.* 13. *Treutl. d. th.* 3. *lit. A.* ubi tamen recte notat, hoc locum habere in eo casu, ubi constitutus est Procurator in rem suam, vel a Judice translatum est
11 Judicium in substitutum. In foro Saxon. etiam post litem contestatam potestatem substituendi non habet Procurator; *Carpzov. de Process. tit.*
12 3. *num.* 4. sicut nec is, qui ab habente potestatem substituendi substitutus est, alium substituere potest, per rationes allegatas a *Carpz. d. tit.* 3. *num.* 13. *et seqq.* nisi facultas per man-
13 datum primum data. Collige: Procurator ad extrajudicialia negotia datus, semper potest substituere, si personae industria non fuerit requi-
14 sita; quia nulla litis contestatio in extrajudicialibus. Vide *Menoch. lib.* 2. *praesumpt.* 38. *Berlich. d. l. num.* 5. per *l. si procuratorem* 8. §. 3. *ff. Mandat. Trentac. d. resol.* 3. *num.* 25. *et seqq.* Putat autem *Berlich. d. num.* 28. si appel-
15 lans substituisset, et substitutus sine mandato vellet justificare in termino, appellationem forte desertam.

L. Qui stipendia merentur. 9.

SUMMARIA

Miles ex honesta, et verecunda causa cessas sibi actiones exercere potest. num. 1.
Honesta, et verecunda causa quaenam? 2.

1 Miles ex honesta, et verecunda causa cessas sibi actiones, i. e. non studio redemptas, exercere potest, quia suas potius, quam alienas ge-
2 rit. Haec est exceptio *l.* 7. *praeced.* Honestam autem, et verecundam causam dicimus, quae redemptionem litis non habet, ut si actio donata, legata, in solutum data. Et hic Procurator, subtilitate juris Procurator dicitur, in effectu est Dominus, *Donell. d. c.* 11. *lit. E.*

L. Si Procurator. 10.

SUMMARIA

An Procurator ad proponendas dilatorias exceptiones constitutus, extra fines progressus, et peremptorias proponens, ac succumbens, constituenti hoc ipso praejudicet? num. 1.
Quid juris, si plenum habuerit mandatum, et per dolum tunc succubuerit? 2.
Procurator, qui fines mandati excedit, Domino non praejudicat. 3.
Dolus tamen ejus domino praejudicat, salva actione mandati contra Procuratorem. 4.
Si Procurator non sit solvendo, illi Domino competit restitutio. 5.

1 Procuratorem te constitui ad proponendas dilatorias Exceptiones, sed tamen extra fines progressus, peremptorias proposuisti, et succubuisti, quaeritur, an hoc mihi praejudicet? Negatur, quia ulterius progrediendi nullum habuisti mandatum; ergo judicium est nullum; sed si ple-
2 num mandatum habueris, et per dolum tunc succubueris, an sustinebitur judicium? Videtur quod non, quia dolo gesta Praetor rata non habet. Sed hic respondetur quod sic, tum propter auctoritatem judiciorum, tum ne dolus tuus adversario meo innocenti obsit; sed mihi contra te actio mandati competit. Collige: Pro- 3
curatorem, qui egreditur fines mandati, Domino non praejudicare, quam regulam illustrat *Card. Tusch. concl.* 39. *lit. M.* et quos hic congessit *Barbos. et Strack. in tit. Mandati per totum. Mantic. lib.* 7. *de ambig. convent. tit.* 14. *et seq. Scaccia de commerc.* §. 2. *gl.* 5. *num.* 370. *Molin. disp.* 552. et alii. Sed dolum ejus 4
Domino praejudicare, salva actione mandati contra Procuratorem. Si autem Procurator non sit 5
solvendo, illi Domino competet restitutio, *Gail. l.* 1. *obs.* 45.

L. Neque Tutores. 11.

SUMMARIA

Tutor Procuratorem dare nequit ante litem contestatam. num. 1.
Dat tamen actorem, qui judicis decreto confirmatur. 2.
Decretum hodie ab usu recessit. 3.
Datur actor facto actorio, in quo causa actoris constituti exprimenda. 4.
Non exspirat actoris administratio, et officium, si negotio coepto tutor fuerit mortuus. 5.
Tutor actorem dupliciter constituit. 6.
Potest Episcopus procuratorem constituere. 7.
Idem in patre administrante bona filii. 8.
Post litem contestatam potest tutor procuratorem dare. 9.
Pupillus cum tutoris auctoritate etiam ante litem contestatam procuratorem dare potest. 10.

Haec lex habet tres Regulas: I. Tutor Procu- 1
ratorem dare nequit ante litem contestatam, quia nondum litis Dominus est, et electa est industria ipsius, *Ant. Fab. ad l.* 74. *ff. h. t. Hillig. l.* 18. *c.* 12. *lit. R.* Sed dat actorem, qui 2
confirmabitur decreto Judicis, §. *fin. Inst. de Curat.* Decretum tamen moribus nostris non 3
requiri testatur *Berlich. p.* 1. *concl.* 16. *num.* 10.
facto tantum actorio, in quo causa actoris con- 4
stituti exprimenda, *Vant. de nullit. tit. de def. mandati num.* 147. nec exspirat actoris admini- 5
stratio, et officium, si negotio coepto tutor fuerit mortuus, *Berlich. p.* 2. *decis.* 278. Constituit 6
autem tutor dupliciter actorem, si credimus hic *Sichardo* 1. quando ipse constituit, et postea decretum petit. 2. Si statim a Judice constitui petat. Priori casu cautio de ratihabitione in personam tutoris concipienda: hoc modo in personam pupilli, secus quam in substitutione facta ex mandato speciali, ubi cautio de rato semper in personam mandantis primi concipienda est, *Sichard. hic, n.* 4. *Hillig. l.* 18. *c.* 12. *lit. S.* Episcopum autem posse Procuratorem con- 7
stituere, quia non est nudus Procurator, sed usufructuarius, tradit cum communi hic *Sichardus*, quem sequitur *Hillig. d. l. lit. R.* Idem in Patre administrante bona filii, *Pinell. in l.* 1. 8
C. de bon. matern. p. 2. *num.* 66. et quos hic citat *Barbos.* Sed II. post litem contestatam po- 9
test, quia tunc litis Dominus. Et tunc potest

non tantum si impediatur, sed, et si nolit tan-
tum continuare judicium, *Hartm. t.* 5. *obs.* 6.
num. 4. III. Pupillus cum tutoris auctoritate
10 etiam ante litem contestatam Procuratorem da-
re potest, *Myns. Cent.* 2. *obs.* 38. quia Dominus
est. Sed sine hac forma non potest, *Guid. Pa-
pae dec.* 494. *Cephal. cons.* 337.

L. Exigendi. 12.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Defensor satisdare tantum debet. 2.
*Conjuncta persona etiam sine mandato admit-
tenda.* 3. 9.
Minor idoneus defensor non est. 4.
Limitatur. 5.
*Defensor aliquis esse potest sine mandato, sed
cum satisdatione.* 6.
*Non est audiendus, nisi praestita cautione de ju-
dicato solvendo.* 7.
Limitatur. 8.
Quae sint personae conjunctae, remissive? 10.
In quibus casibus conjunctus non admittatur? 11.
*Minor potest esse Procurator, si sit 17. annis
major, et judicium non est nullum.* 12.
*Juste tamen recusari potest judicium ab adver-
sario ob metum restitutionis minori compe-
tentis.* 13.

1 Filius Frontonis se offert defensioni Patris ab-
sentis; sed actor objicit I. quod non haberet
mandatum, II. quod esset minorennis, et itaque
Pater fuit condemnatus. Quaeritur, an recte?
Negatur; nam primo non opus fuit mandato,
2 quia fuit defensor, qui satisdare tantum debet;
3 et deinde fuit conjuncta persona, quae etiam si-
ne mandato admittenda, *l.* 21. *C. h. t.* et licet
4 minor idoneus defensor non sit, *l.* 51. *ff. h. t.*
5 *ibique Auctor num.* 51. ob duas tamen rationes
conjungendas, omnino admittendus in hac spe-
cie fuisset, 1. quia fuit conjuncta persona, 2.
alias Pater gravi condemnatione affliceretur, et
sic specialiter hic haberetur pro majori, nec
6 fuisset restituendus. Collige: Defensorem aliquem
esse posse sine mandato, sed cum satisdatione.
7 Defensor enim non est audiendus, nisi praestita
cautione de judicato solvendo, *Struv. Synt. jur.*
8 *Civil. Exerc.* 7. *th.* 38. quod hic limitat *Sichard.*
nisi defensor absentiam excuset, *l.* 31. §. 2. *de
Neg. gest.* vel se ad acta referat, et exinde petat
de absente judicari, per ea, quae hic tradit
Sichard. num. 3. *et* 4. *Hillig. in Donell. lib.* 18.
9 *c.* 13. *lit. Hh.* Deinde collige: Conjunctam per-
sonam admitti sine mandato, *hic*, et *l. Maritus*
21. *h. t. Petr. Barbos. ad l.* 3. *num.* 10. *ff. Sol.
matrim. Auctor in l.* 40. *ff. h. t. num.* 7. Quae
10 autem sint conjunctae personae, de eo agit *L.*
35. *ff. h. t.* et conjunctionem ad decimum gra-
dum extendit *hic Sichard. vid. Auct. in l.* 21.
11 *h. t. num.* 16. Sed vide *Hillig. l.* 18. *c.* 12.
lit. K. qui etiam exceptiones tradit, ubi con-
junctus non admittatur, si, vel Dominus Pro-
curatorem reliquisset, *argum. l. cum Praetor.
ff. de judic.* vel negotium requireret speciale
mandatum, vel esset proximior conjunctus, qui
defendere vellet, *Sich. hic num.* 10. *et seqq.*
12 Demum notandum est: Minorem esse posse Pro-
curatorem, si sit 17. annis major, *Auctor in
l.* 51. *ff. h. t. num.* 4. et judicium non esse nul-
lum, sed juste recusari posse judicium ab Ad- 13
versario, ob metum restitutionis minori alias com-
petentis, *l.* 2. *C. qui legit. person. hab. stand. etc.
Auctor in l.* 8. *ff. h. t. num.* 12. *Bacchov. in
Treutl. vol.* 1. *disput.* 8. *th.* 1. *lit. C.* quem se-
quitur *Dn. Carpzov. in noviss. tract. de Process.
tit.* 5. *art.* 1. *num.* 29. *et seqq. Dn. Frantzk.
Exerc.* 2. *q.* 1. Confer. *Hillig. in Donell. l.* 18.
c. 3. *lit. T. et Camill. Borell. d. tit. num.* 39. *et
seqq. Barb. hic num.* 11. *Trentac. d. tit. de
Procur. resol.* 3. *Zanger. de except. p.* 2. *c.* 8.
num. 21.

L. Ita demum. 13.

SUMMARIA

*An contra militem Procuratorem excipi possit in
instantia appellationis? num.* 1.
Exceptio procuratoria dilatoria est. 2.
Semper potest opponi. 3.
*Miles nec volente adversario, procurator esse po-
test.* 4.
*Dilatoriae Exceptiones regulariter ante litem
contestatam opponendae.* 5.
Expressa nocent, non expressa non nocent. 6.
*Miles lite contestata dominus effectus, rem alie-
nam tractare non videtur.* 7.
*Differentia inter Exceptiones dilatorias eas,
quae totum processum reddunt nullum, et a-
lias.* 8.
*Appellatio reducit causam ad tempus litis con-
testatae.* 9.
*Quicquid post litem contestatam non licet in pri-
ma istantia, id etiam non licet in appel-
latione.* 10.
Limitatur. 11.

Quaeritur, *an contra militem Procuratorem* 1
excipi possit in instantia Appellationis? Vide- 2
tur quod sic, quia exceptio procuratoria, licet 3
dilatoria sit, semper opponi potest, *l.* 24. *C. h.
t.* Deinde per *l. Per hanc* 4. *C. de temp. appell.* 4
et quia tertio, miles nec volente adversario Pro-
curator esse potest, *l.* 8. §. 2. *ff. h. t. ibique
Auctor num.* 12. Sed respondetur contrarium;
quia dilatoriae Exceptiones regulariter ante li- 5
tem contestatam opponendae, *et d. l.* 24. loqui-
tur de tali exceptione Procuratoria, quae re-
spicit mandati defectum, non personam Procu-
ratoris, et *in l. per hanc* intelliguntur novae
exceptiones peremptoriae, cum appellatio redu-
cat causam ad tempus illud, quod fuit ante li-
tem contestatam, et exemplum est Regulae:
Expressa nocent, non expressa non nocent: *per* 6
l. expresse 195. *ff. de R. J. Bacchov. d. l. th.* 6. *lit.
B. Auctor in l.* 8. *ff. h. t. num.* 12. Et consistit
hujus rei ratio in mera subtilitate juris, quod
miles lite contestata Dominus effectus, rem alie- 7
nam tractare non videatur, *Bacchov. d. lit. B.*
et *Camill. Borell. d. l. num.* 58. Conferatur ta-
men *Hillig. d. l.* 18. *c.* 13. *lit. V.* Collige ex te- 8
xtu differentiam inter exceptiones dilatorias eas,
quae totum Processum reddunt nullum, et alias.
Illae semper, et in ipsa Appellationis instantia
opponi possunt, v. g. defectus Mandati, *Sig.
Scaccia in tr. de Appell. q.* 11. *num.* 54. licet

exceptio dilatoria fuisset rejecta in prima instantia, nec ab ea appellatum, *Scacc. d. l. num.* 55.
Sed aliae exceptiones dilatoriae non possunt opponi in instantia Appellationis; quia Appellatio
9 reducit causam ad tempus litis contestatae. Er-
10 go quicquid post litem contestatam non licet in
prima instantia, id etiam non licet in Appella-
11 tione, nisi exceptio dilatoria emergat de novo,
seu superveniat, vel in notitiam Appellantis demum venerit, *Scacc. d. q.* 11. *num.* 51. *et seq.* Confer. *Mascard. de probat. concl.* 118. *num.* 15. *Valasc. cons.* 91. *num.* 3. et quos hic allegat *Barbos. et Petr. Gregor. de Appell. l.* 6. *cap.* 15. *num.* 1.

L. Non eo minus. 14.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Constitutio Procuratoris a minorenne sine consensu Curatoris facta ipso jure nulla est. 2.
Judicium claudicare non potest. 3.
Deciditur quaestio. 4.
Potest minor a falso Curatore gesta acta in sui favorem ratificare. 5.
Quod cum falso tutore geritur, ipso jure nullum est. 6.
Quando in favorem alicujus personae requiritur solemnitas, tunc omissio solemnitatis vitiat actum, si actus personae nocivus. 7.
Minor aetas in damnis, non in rebus prospere gestis prodest. 8.
Idem est in pupillo infante majore. 9.
Pupillus infante major in factis commodum ejus concernentibus habetur pro persona legitima. 10.
An idem sit in alienatione Ecclesiae, et bonorum minoris? 11.
DD. notantur. 12.
Jure Communi contractus Ecclesiae potest claudicare. 13.
Constitutio Extravagans, *qua alienatio rerum Ecclesiae utilis etiam annullatur, plerisque locis, ubi alias jus Pontificium per omnia viget, non est recepta.* 14.
Sententia pro fisco indefenso lata in ejus favorem sustinetur. 15.
Major dominus potest ratificare ea, quae in sui favorem a falso Procuratore gesta sunt. 16.

1 Quaedam minorennis constituit Procuratorem
sine consensu Curatoris, et obtinuit sententiam;
quaeritur an ea valeat? Videtur quod non,
2 quia talis constitutio Procuratoris ipso jure nul-
3 la, *l.* 11. *C. h. t.* nec potest judicium claudicare,
i. e. ex una parte valere. Sed respondetur, va-
4 lere sententiam; Ratio in *l. Quod favore* 6. *C.*
de LL. quod tamen intelligendum, si altera pars non opposuerit exceptionem procuratori, nam si judex, spreta hac exceptione, pro minore pronunciaret, juste appellaretur, *Menoch. plures referens cons.* 655. *num.* 15. *et seqq.* Aliter declarat *Cephal. cons.* 745. *in fin.* quod lex hic habeat locum, si quis non a minore constitutus, ceu curator agat, et obtineat, cum quo consentire videtur *Steph. Gratian. tom.* 2. *disc. for.* c. 225. *num.* 15. *et seqq.* sed ipse tamen *n.* 18.
5 subjicit, posse minorem haec a falso curatore
gesta acta in sui favorem ratificare. Nam licet
jure nullum sit, quod cum falso tutore geritur, 6
nullitas tamen illa saltem oritur ex defectu consensus, qui suppletur per ratificationem, *Dn. Mev. p.* 6. *decis.* 139. *num.* 2. Collige: Quando 7
in favorem alicujus personae requiritur solemnitas, tunc omissio solemnitatis vitiat actum, si actus personae nocivus, non si commodus:
et minor aetas in damnis, non rebus prospere 8
gestis, prodest, atque idem in pupillo, infante 9
tamen majore, quia in factis commodum ejus 10
concernentibus habetur pro persona legitima, *Tiraq. de retr. consang.* §. 1. *gl.* 13. *num.* 25. *et ad LL. Connub. gl.* 8. *num.* 68. *Myns. Cent.*
2. *obs.* 36. Idem in alienatione Ecclesiae, et bo- 11
norum minoris. Nam licet nonnulli velint, quando ex statuto certa solemnitas requiritur in alienatione bonorum minoris, vel in alienatione bonorum Ecclesiae, vel in contractu uxoris, quod tunc alienatio, vel contractus non valeat, sed sit nullus, etiamsi in minoris, vel Ecclesiae, vel uxoris utilitatem tendat, ut *Pinell. in l.* 1. *C. de bon. matern. p.* 3. *num.* 31. *Surd. decis.* 278. *num.* 19. quos sequitur *Barbos. hic num.* 6. alii vero eam sententiam intelligant, si Ecclesia, vel minor ex actu vicissim obligetur, secus si omnino lucrosus etc. ut *Cacvall. quaest.* 675. *num.* 20. verior tamen est sententia, contractum, vel actum, quomodolibet utilem validum esse, si minor, vel Ecclesia eum servare
velit, per tradita *Tiraqu.* (qui a plerisque in 12
contrariam allegatur partem) *ad LL. connub. gl.* 8. *num.* 62. *et seqq. Redoan. de reb. Eccles. non*
alienand. q. 735. *in pr.* ubi dicit, jure commu- 13
ni contractum Ecclesiae posse claudicare, *Guttierez l.* 2. *quaest. pract. c.* 22. *num.* 11. et illa
Constitutio Extravagans *ambitiosae*, qua aliena- 14
tio rerum Ecclesiae eidem utilis etiam annullatur plerisque locis, ubi alias jus Pontificium per omnia viget, non est recepta, *Guttierez lib.* 1. *can. qq. cap.* 8. *Redoan. d. quaest.* 35. *Vall. in tit. de alienand. reb. Eccles.* §. 3. *num.* 3. Sen-
tentia etiam pro Fisco indefenso lata, in ejus 15
favorem sustinetur, *Tiraq. de LL. connub. d. gl.* 8. *num.* 71. *Peregr. de jur. fisc. lib.* 7. *tit.* 2.
num. 2. *Barbos. hic num.* 3. Et majorem etiam 16
dominum posse ratificare ea, quae in sui favorem a falso Procuratore gesta sunt, *Trentac. l.* 2. *de procur. resol.* 2.

L. Litem. 15.

SUMMARIA

Quid sit litem redimere? num. 1.
Procurator, qui litem redemit, non admittitur. 2.
Officium Procuratoris debet esse gratuitum. 3.
Honorarium tamen, et salarium intervenire potest. 4.
De certo salario pacisci licet. 5.
Dispositiones poenales stricte sunt intelligendae. 6.

Procurator, qui litem redemit, i. e. de quota 1
litis pactus est, *Borell. d. l. num.* 62. *et* 77. Vid.
Bacchov. in Treutl. d. l. th. 6. *lit. D. Petr.* 2
Gregor. lib. 49. *tit.* 4. *num.* 20. non admittitur.
Ratio hic additur, quia officium Procuratoris 3
debet esse gratuitum, hic et *l.* 1. *in fin. ff. Mandat. Mantic. de tacit. l.* 7. *tit.* 3. *num.* 8.
quamvis honorarium, et salarium intervenire 4

possit, *l. si remunerandi* 6. *et l. Salarium* 7. *ff. Mandat. Petr. Gregor. d l.* quae tamen ratio adaequata non est, ideoque ei conjungenda *l.* 5. *supr. de postul.* De certo tamen salario pa-
5 cisci licet, sed tum locatio est, si consuevit locare operam suam, vel actio praescriptis verbis. Hac de re supra in tit. *de postulando* di-
6 ctum fusius. Poenam autem potissimum infamiam, non eamdem esse volunt in Procuratore, cum dispositiones poenales stricte sint intelligendae, *Carpan. ad statut. Mediolan. p.* 1. *c.* 429. *lit. B. Farin. qu.* 106. *num.* 16. *et seq. et Barbos. hic num.* 3.

L. Procuratorem. 16.

SUMMARIA

An Procurator, vel tutoris actor cum mandato generali praedia constituentis, vel pupilli, aliasve res, quae servari possunt, vendere possit? num. 1.
Ad alienationem non sufficit generale mandatum. 2.
Generale mandatum cum libera, speciali aequipollet. 3.
Venditio requirit speciale mandatum. 4.
Procurator non potest renunciare liti sine speciali mandato. 5.

1 Constitui te Procuratorem, vel Actorem juxta *leg.* 11. *h. t.* cum generali mandato, Quaeritur: an praedia mea, vel pupilli, aliasve res, quae servari possint, vendere possis? Respondetur,
2 quod non, quia ad alienationem non sufficit generale mandatum, sed requiritur speciale,
3 vel generale mandatum cum libera, quod speciali aequipollet, *Auctor in l.* 63. *ff. h. t. num.* 2 alias dominium rei non transit *l.* 63. *et* 58.
4 *ff. h. t.* Collige: Venditionem requirere speciale mandatum, *Cald. Pereira de empt. c.* 15. *n.* 1. *et Fabian. de Monte de empt. q. princ.* 3. *n.* 22. *et Barbos. hic, Borell. d. l. num.* 201. *Auctor in l.* 63. *ff. h. t. num.* 1. ubi plerasque causas
5 speciale mandatum requirentes congessit, ex quo infertur, Procuratorem non posse renunciare liti etiam sine speciali mandato, *Carpz. de Process. t.* 8. *art.* 2. *num.* 24. *Menoch. cons.* 80. *num.* 65.

L. Invitus. 17.

SUMMARIA

Ad Procuratoris munus nemo potest invitus compelli. num. 1.
Est munus privatum. 2.
Ad officia publica aliquis potest compelli. 3.
Nec hic silentium pro consensu accipiendum. 4.
Praxis Camerae. 5.
Cogi possunt procuratores aliis operas suas locare soliti. 6.
Item qui semel consensum praebuerunt. 7.
A Principe invitus procurator constitui potest. 8.
Non debet procurator ultra tempus sibi praescriptum procurare, nisi appellationis causa. 9.
Potest tunc, et debet appellare, vel provocare. 10.
Interpositio appellationis est de prosecutione primae instantiae. 11.
Nihil actum intelligitur, quando aliquid agendum superest. 12.
Procurator actoris lite finita reum defendere non cogitur. 13.
Sensus hujus legis, remissive. 14.

Continet haec L. tres Reg. I. Quod ad Procu- 1
ratoris munus nemo possit compelli invitus, quia
est munus privatum, auctoritate, et utilitate; 2
ad officia enim publica quis tantum compelli 3
potest, *Gail. l.* 1. *obs.* 43. *num.* 1. *Donell. l.* 18.
cap. 16. *in pr.* adeo, ut nec silentium hic pro 4
consensu accipi possit, *l.* 8. §. 1. *ff. h. t. Do-*
nell. et ibi Hillig. d. l. lit. B. Sed in Camera 5
coguntur Procuratores Ordinarii suscipere procurationem causarum, *Ord. Cam. p.* 1. *tit.* 19. §. 5. *Gail. d. obs.* 43. *num.* 6. *et seq.* ubi habet
rationem *Myns. Cent.* 4. *obs.* 32. Idem de aliis 6
dicitur Procuratoribus, qui operas suas locare consueverunt, *DD. hic et Gail. d. obs. num.* 8. *P. Frider. lib.* 2. *de mand. jud. c.* 53. *num.* 11. et quos allegat *Hillig. d. l. lit. A. et Camill. Borell. d. tit.* 66. *num.* 154. *Auctor in l.* 8. *ff. h. t. num.* 3. ubi tamen expresse protestatur, se hanc aliorum sententiam non facere suam;
et multo magis potest cogi, qui semel consen- 7
sum praebuit, *Borell. d. l. num.* 155. et a Prin-
cipe invitum procuratorem constitui posse tra- 8
dit *Menoch. cons.* 270. *num.* 13. II. Nec debet 9
ultra tempus sibi praescriptum procurare, nisi
appellationis causa; Ergo appellare, vel provo- 10
care potest, imo, et debet, per *l. hanc, et l.* 31. §. 2. *ff. de Negot. gest. et l.* 2. *ff. an per alium caus. appell. etc. Specul. in tit. de Appell.* §. 1. *num.* 1. *lib.* 2. *Scacc. d. Appell. q.* 5. *num.* 12. *P. Gregor. de Appell. lib.* 5. *c.* 1. *num.* 13. et de hoc inter omnes convenire etiam jure Can. *per c. pen. X. h. t.* dicit *Vasq. l.* 2. *contr. c.* 19. *num.* 1. si modo ad totam causam
datus, *Hillig. d. c.* 16. *lit. C.* Ratio est, quia in- 11
terpositio appellationis est de prosecutione primae instantiae, *Scacc. d. l.* Unde, et probatur, ipsum teneri prosequi appellationem, licet jure
Canon. secus sit, *c.* 14. *X. h. t.* Nam jure civi- 12
li, quando sententia per appellationem rescissa est, non potest dici lis peracta, et consummata, cum nihil actum intelligatur, quando aliquid agendum superest, *l. pen. et ult. ff. ad SC. Syllan. Vasq. d. c.* 19. *num.* 2. et ex eo *Hillig. d. c.* 16. *lit. D.* et adeo quidam hoc intelligunt, ut Procurator non possit prosequi, si velit, quos citat *Hillig. d. c.* 16. *lit. E.* quos sequitur *Scaccia d. q.* 5. *num.* 12. *vers. extende eam.* Sed horum sententia procul dubio etiam jure Canon. falsa est: nam eo ipso, quod Pontifex *in d. c.* 14. non teneri prosequi invitum scribit, posse sponte id facere innuit, *Vasq. d. c.* 19. *num.* 2. *Hillig. d. lit. E. Mantic. lib.* 7. *de tac. convent. tit.* 22. *num.* 19. imo etiam jure Canon. teneri dicendum est, si ab interlocutoria appellatum, et causa in eodem loco agitanda, *Borell. d. l. num.* 339. *Barbos. hic num.* 8. vel quando generaliter usque ad sententiam definitivam, et ultimam constitutus, vel quando generaliter ad negotia omnia constitutus, vel quando habet speciale mandatum appellationis, vel quando sua culpa succubuit, quos casus persequitur *Scacc. d. l. vers. primus casus est,* etc. Confer. *Borell.*

d. l. num. 338. *et seqq. Bacchov. in Treutl. d.*
13 *Disp. th.* 3. *lit. C.* III. Procurator Actoris, lite
finita (secus si statim reconveniatur *l.* 5. *h. t.*)
Reum defendere non cogitur. Ratio in textu,
ibi: *Cum fidem susceptam implere sufficiat*;
vel dicendum est, Procuratorem Actoris, licet
defendere teneatur, quando de defensione satis
dedit per *L.* 25. §. 3. *ff. h. t.* quando tamen nul-
la talis satisdatio praestita, tunc non teneri de-
fendere; vel denique non incumbit necessitas
Procuratori praecisa, ut teneatur defendere; sed
causativa, scil. nisi velit, ut ipsi denegetur actio.
Ergo simpliciter non tenetur, etiam in recon-
ventionis processu simultaneo defendere, si no-
14 lit, et potius a tota lite discedere malit. Con-
ferri potest de sensu hujus legis *Bacchov. ad tit.
de Procurat. c.* 5. *num.* 3. Ex quibus causis Pro-
curatores se ab hoc onere procurationis libera-
re possint, docet *Auctor in l.* 8. 9. 10. *seqq.
ff. h. t.*

L. Alienam. 18.

SUMMARIA

An foemina judicialia filii negotia procurare possit? num. 1.
Potest, et debet liberis tutorem petere. 2.
Quando lex haec cesset? 3.
De qua defensione lex haec intelligenda? 4.
Foemina ad allegandas causas absentiae admittenda? 5.
Item in judiciis, ubi non curantur apices juris. 6.
Exceptiones procuratoriae, quae contra personas opponuntur, sunt de apicibus juris. 7.
Si alias contra personam mulieris non opponatur, tenebit judicium. 8.
Admittenda mater, si pupillus in ea causa sit, ut tutor ei tam cito ad agendum constitui nequeat. 9.
Idem in matre tutrice. 10.
Salvo tamen SCto Vellej. nisi renunciatum. 11.

1 Quaeritur hic, *An foemina judicialia Filii ne-
gotia procurare possit?* Videtur quod sic per
l. 41. *ff. h. t. et l.* 1. §. 1. *ff. de postul. Auctor.
in l.* 3. *ff. h. t. num.* 2. Sed negatur tum pro-
2 pter verecundiam sexus, tum quia tutorem li-
beris petere potest, et debet, quae ratio cessat
in d. l. 41. nam ibi non erat, qui pro Parenti-
bus ageret; sed hic habet ordinarium remedium
petendi scilicet tutores. Cessat ergo et haec
3 Lex, quando liberis tutores peti non possunt,
4 et intelligenda haec lex de plena defensione:
5 ad allegandas enim causas absentiae admittenda,
6 *arg. l.* 12. *h. t.* sicut etiam in illis judiciis, ubi
non curantur apices juris, admitti putat hic,
Sichard. num. 3. *et* 4. *Auctor in l.* 11. *ff. h. t.*
7 *num.* 1. quia exceptiones procuratoriae, quae
contra personas scil. opponuntur, sunt de api-
cibus juris, *Sichard. d. l. et Hutt. ad ff. h. t.*
8 *num.* 1. Et si alias contra personam mulieris non
opponatur, tenebit judicium, *Petr. Barbos. in
l. cum Praetor §. fin. num.* 256. quem hic se-
9 quitur *Aug. Barbos.* Et si pupillus in ea causa
sit, ut tutor ei tam cito ad agendum constitui
nequeat (quod hodie saepe fit) mater admit-
tenda, *Anton. Faber ad d. l.* 41. *Sich. hic num.*
10 2. quos sequitur *Hillig. l.* 18. *c.* 11. *lit. G.* Idem
in matre tutrice, *Sich. ad rubr. h. t. num.* 3.
Hillig. d. l. semper tamen salvo SCto Vellej. 11
nisi renunciatum, *Sich. h. t. num.* 6. *Donell. d. l.*
licet dissentiat *Hillig. d. l. lit. J.*

L. Si pretium. 19.

SUMMARIA

Venditio facta per Procuratorem, aut actorem non habentem speciale mandatum non praejudicat Domino, et dominium non transfertur num. 1.
Nec usucapiendi conditio. 2.
Limitatur. 3.

Venditio facta per Procuratorem, aut actorem 1
non habentem speciale mandatum non praeju-
dicat Domino, et dominium non transfertur,
l. 16. *h. t.* nec usucapiendi conditio, *l.* 10. *C.* 2
quod cum eo qui in alien. etc. si modo ejus vo- 3
luntas, scil. Domini, non sequatur, v. g. si pre-
tium recipiat, vel praesens sit in venditione, *l.*
12. *ff. de evict.* et taceat, nam consensus prae-
sumitur hoc casu ex taciturnitate *per d. l.* 12.
Sich. hic num. 2. quod pluribus declarat *Cald.
Pereir. de empt. c.* 15. *num.* 53. vel aliter con-
sensum praebeat, aut si pretium in ejus utili-
tatem non sit versum, ut *in l.* 65. *de Rei vin-
dic.* ut si principalis personae creditor in solu-
tum accepit pretium: Nam tunc fundum recu-
perans, pretium restituere deberet.

L. Nihil arbitramur. 20.

SUMMARIA

Procurator non solum ante litem contestatam constitui potest, sed et post eam. num. 1.
Quomodo post litem contestatam Dominus fieri possit? 2.
Primus actus judicii habere videtur rationem litis contestationis. 3.
Principalis, quicquid juris, ac dominii acquisivit per litis contestationem, id ipsum constitutione Procuratoris quasi per traditionem transtulit in Procuratorem. 4.
Ferenda in hunc Procuratorem sententia. 5.
In Procuratorem substitutum. 6.

Procurator non tantum ante litem contesta- 1
tam constitui potest, sed etiam post eam, adeo
ut utroque casu in Procuratorem sit ferenda
sententia; sed quomodo post litem contestatam
Dominus fieri potest? Respondetur, causam prin- 2
cipalem in judicio agitando, Dominus fieri vi-
detur, *leg.* 23. *h. t.* utut *Dn. Groenwegen ad h.
l.* neget hodie, Procuratorem Dominum litis fie-
ri. Et sic, ut aliqui volunt, primus actus judi- 3
cii habere videtur rationem litis contestationis,
ut *Sichardus* hic, vel potius, quod Principalis, 4
quicquid juris, ac Dominii acquisivit per litis
contestationem, ad ipsum constitutione Procu-
ratoris per traditionem transtulisse in Procura-
torem, *Umm. ad Proc. Disp.* 3. *th.* 8. *num.* 47.
Et exinde, ut dixi, non est absurdum statuere, 5
in hunc Procuratorem ferendam esse senten-

tiam per *l.* 31. §. 1. *de Negot. gest. Bart. in l.*
6 31. *num.* 3. *ff. h. t. Umm. d. l.* et quos recen-
set *Vasq. p.* 2. *controv. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 1.
licet ipse putet, tam in Procuratorem, quam
Dominum ferri posse sententiam; et confirmat
sententiam nostram, quod etiam in substitutum
Procuratorem ferri possit, quod receptum esse
testatur *Mynsing. Cent.* 1. *obs.* 43.

L. Maritus. 21.

SUMMARIA

Maritus pro uxore sine mandato in judicio comparere potest cum cautione rati. num. 1.
Quatenus opus habeat hac cautione? 2.
In Paraphernalibus cessat haec cautio. 3. 8.
Item in Dotalibus. 4.
Actiones super dote in dominio mariti sunt. 5.
Mynsingerus *notatur.* 6.
Item Trentacinquius. 7.
Et Hilligerus. 9.
Paraphernalia bona quid? 10.
Quid receptitia? 11.
Praxis fori Saxonici. 12.
An maritus speciale mandatum habens etiam alia negotia sine mandato, ut persona conjuncta gerere possit? 13.
Casus omissus manet in dispositione juris communis. 14.
Habens mandatum speciale, in caeteris videtur prohibitus. 15.
Consanguineus, vel cognatus admittitur sine mandato cum cautione de rato. 16.
Usus ad gradum decimum. 17.
Jure Saxon. Elect. ad quartum. 18.
Connexio, et conjunctio causae facit, ut consors litis sine mandato cum cautione de rato admittatur. 19.

1 Duo dicit haec L. I. Maritum pro Uxore sine
Mandato in judicio comparere posse, si satisdet
2 de rato, et de uxore defendenda, quod intelli-
gunt in bonis Receptitiis: nam in Paraphernа-
3 libus non opus esse satisdatione, *l. fin. infr. C.*
4 *de pact. convent.* multo minus in Dotalibus, aut
mandatum, aut cautio requiritur per *l.* 9. *C. de*
5 *R. V.* quia sunt dotalia, et in specie actiones
super dote, in dominio mariti; ideo merito di-
cit *Hillig. l.* 18. *c.* 12. *lit. L.* incaute locutum
6 *Myns. Cent.* 3. *obs.* 53. *num.* 3. quando dicit,
si maritus in dotalibus mandatum recipiat, am-
plius eum non posse sine mandato agere; incau-
7 te etiam locutum *Trentacinqu. l.* 2. *pr. resol.*
tit. de procur. resol. 5. *num.* 10. maritum non
cavere pro dotalibus, si suo, cavere autem, si uxo-
ris nomine experiatur; quod etiam probare videtur
Barbos. hic num. 9. quia nomine uxoris agere nequit,
8 per definitionem Procuratoris. In Paraphernalibus
vero bonis, quae uxor extra dotem marito ad-
ministranda committit, communis est sententia
non requiri cautionem, ut dixi *per d. l. fin.*
Sich. hic num. 2. *Myns. Cent.* 1. *obs.* 53. *Gail.*
l. 1. *obs.* 133. *num.* 7. *Zanger. de except. p.* 2.
cap. 8. *num.* 7. *Rauchbar. p.* 1. *quaest.* 2. *num.*
42. quos allegat *Hillig. d. l.* et praeter eos hoc
tamquam receptum proponit *Tiraq. de retr.*
consangu. §. 10. *gl. un. num.* 1. *Bacchov. d. Disp.*
th. 7. *lit. F.* aliique; sed refert *Giphanium Hil-*

lig. d. lit. L. quod ille contradicat huic distin- 9
ctioni, et sententiae, et videtur ipsi Hilligero haec
sententia Doctorum displicere, eo quod ratio
allegatae *leg. ult.* consistat in eo quod Maritus
habeat instrumenta ad causam facientia. Sed id 10
non repugnat sententiae Doctorum: nam Para-
phernalia sunt bona uxoris marito administran-
da ab ipsa commissa; quomodo autem nomina
paraphernalia dici possent, nisi praesupponamus
documenta custodiae mariti commissa esse? ne-
que dici posset, actiones esse mariti administra-
tioni commissas, nisi documenta, sine quibus
actio moveri non potest, simul tradita sint. Non
ergo absurda videtur sententia *DD.* qui hanc
legem ad Receptitia bona uxoris restringunt:
ea sunt, quorum administratio per pacta dota- 11
lia marito commissa non est (nam hoc requirit
d. l. fin.) licet documenta forte habeat maritus,
sine quibus agere non posset. In foro sane Sa- 12
xonico Elect. indistincte in Paraphernalibus, et
Receptitiis, maritus mandatum exhibere, vel cau-
tionem praestare tenetur, *p.* 2. *Constit. Aug.* 15.
Carpzov. in noviss. tract. de Process. tit. 5. *art.*
6. *num.* 31. II. Sed quid si Maritus habeat man- 13
datum speciale, an ne etiam alia negotia sine
mandato, ut persona conjuncta, gerere potest?
Videtur quod sic, quia casus omissus manet in 14
dispositione juris communis. Sed negatur, quia 15
habens mandatum speciale in caeteris videtur
prohibitus. Ita enim communiter *DD.* hanc le-
gem in fine intelligunt, quod ex verbis etiam
liquido apparet, *Trentac. h. tit. de procur. resol.*
5. *num.* 11. Collige etiam ex textu: Consangui- 16
neum, vel Cognatum admitti sine mandato cum
cautione de rato, *hic et l.* 12. *supr. h. t. et l.*
sed et hae 35. *l.* 39. §. 1. *ff. h. t.* quod *DD.*
superius allegati ad 10. gradum extendunt, de 17
quo dubitat *Dn. Carpz. d. tr. de Process. num.*
25. Sed Sereniss. Elector Sax. ad quartum gra- 18
dum restrinxit. Connexio etiam et conjunctio 19
causae facit, ut consors litis sine mandato cum
cautione de rato admittatur, *l.* 2. *C. de consort.*
lit. Bacchov. d. Disp. 9. *th.* 7. *lit. F.*

L. Procuratoribus. 22.

SUMMARIA

An constituens Procuratorem in casu, ubi Procurator litem contestatus est, postea ipse causam agendam in se suscipere possit? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Procurator per litis contestationem dominus litis fit. 3.
Interest adversarii, ne varietur judicium personarum mutatione. 4.
Per litis contestationem quasi contrahitur. 5.
Praetoris interest, ne semel constituto judicio mutationem temere fieri patiatur. 6.
Causae in quibus dicta fallunt, remissive. 7.
Non ferendus est, qui sibi procurationem adserit et affectat. 8.
Si lis cum Procuratore contestata, nec a domino circa causam Procurator removeri potest invito Adversario. 9.

Constituerat Titius Procuratorem, hic litem 1
est contestatus: Quaeritur, an postea Dominus
ipse causam agendam in se suscipere possit?

quod quamvis videri alicui possit ex Reg. vulg. *in l. in re mandata C. Mandati*, certum tamen
2 est, id fieri non posse, cum Procurator, ut
3 saepe dictum, litis jam Dominus per litis con-
4 testationem factus sit, et interest quoque Adversarii, ne varietur judicium personarum muta-
5 tione; cumque litem contestando quasi contraxerit cum Procuratore, eum contractum non potest Dominus invito eo dissolvere, *Myns. decad.* 9. *Resp.* 89. *num.* 6. *et Cent.* 5. *obs.* 44.
6 *num.* 5. et Praetoris etiam interest, ad cujus auctoritatem pertinet, ne semel constituto judicio mutationem temere fieri patiatur, *Ant. Faber ad l.* 17. *pr. h. t.* sicut has rationes conjungit *Hillig. in Donell. lib.* 18. *cap.* 16. *lit. C.*
7 Sed si causa sit, quae tamen cognitionem requirit, fieri id potest, quae causae recensentur *in d. l.* 17. *ff. h. t. et seqq. et a Donell. d. c.* 17. Si igitur adversarius non dissentit, ut Procurator mutetur, vel ipse Principalis in se transferat causam, nulla causa est, cur ipsum non rejice-
8 re possit Principalis, neque enim ferendus est, qui sibi procurationem adserit, et affectat, *l.* 24. *h. t.* praeterquam si alleget causam, quae oneret existimationem Procuratoris, vel ob quam mutari non debeat, qua de re *Donell. d. c.* 17. pluribus agit, et *Umm. d. Disp.* 3. *num.* 43.
9 Collige: Si lis cum Procuratore contestata, nec a Domino citra causam Procuratorem removeri posse invito adversario.

L. Nulla dubitatio est. 23.

SUMMARIA

An mandatum Procuratoris, morte Principalis post litem contestatam contingente, sit extinctum? num. 1.

Procurator per litis contestationem dominus litis fit. 2.

Mandatum Procuratoris morte Principalis non extinguitur, nec opus est novo mandato, et reassumptione Processus ab haerede facienda. 3.

Mortuo Principali sententia non tantum pro Procuratore domino facto, sed et contra procuratorem ferri potest. 4.

Carpzovius *notatur.* 5.

Item Bacchovius. 6.

Mandata hodie in persona haeredum concipiuntur. 7.

Praxis Camerae Imperialis. 8.

1 Procuratore constituto, postquam hic litem contestatus est, Principalis moritur, Quaeritur, *An mandatum morte Principalis sit extinctum?* quod hic negatur, quia res non est amplius integra, et Procurator juxta regulam vulgarem
2 saepius repetendam, Dominus litis effectus est. Ex hac lege merito colligitur, falsam istam esse
3 sententiam, Mandatum Procuratoris morte Principalis esse extinctum, et opus esse novo mandato, atque reassumptione processus ab haerede facienda, *Auctor in l.* 15. *ff. h. t.* qua occasione arrepta partes litem aliquandiu extrahere solent, ideoque illam sententiam recte refutat *Gail. l.* 1. *observ.* 109. et mortuo Principali, senten-
4 tiam non tantum pro Procuratore Domino facto, sed et contra Procuratorem ferri posse tradit *Riminald. vol.* 3. *cons.* 236. *num.* 58. *Auctor in d. l.* 15. *num.* 3. nec dissentire videtur *Treutl. vol.* 1. *Disp.* 9. *th.* 10. *lit. F. et Trentac. tit. de procurat. resol.* 4. dum *Clem. fin. h. t.* ad Praelatos restringit, et *Umm. d. Disp.* 3. *num.* 45. Sed *Dn. Carpzov. l.* 3. *resp.* 24. *num.* 5
10. *et seq. et lib.* 1. *dec.* 36. Respondet 1. arbitrium Procuratoris, an in judicio manere velit, non esse exclusum; sed de eo casu hic non loquimur, sed an mandatum sit extinctum; quid in illo casu juris sit, videri potest apud *Gail. l.* 1. *observ.* 46. Respondet, 2. dictam legem esse per allegatam Clementinam correctam; sed in hoc *Dno. Carpzovio* obstare puto sententiam communem Doctorum, qui Clementinam illam non opponunt huic legi, sed ad Praelatos, de quibus loquitur, et in quibus specialis ratio militat, restringunt, *ut Jason. in hac l. num.* 3. *Sichard. num.* 3. *Mantic. de tac. et amb. convent. l.* 2. *tit.* 23. *num.* 30. *Trentac. d. res.* 4. *num.* 4. *Hillig. d. lib.* 18. *c.* 12. *lit. D. et Barbos. hic num.* 5. Respondet 3. novum mandatum hic non excludi; sed sic esset lex indubitabilis; quaestio certe hic non est, an Procurator de novo constitui possit, cui nec verba legis, nec ratio in fine legis convenit. Et quamvis *Bacch. d. disp.* 9. *th.* 10. *lit. F.* dicat, hodie 6
Procuratorem non effici Dominum, sed nudum ministrum manere, eo quod in Dominum non in Procuratorem feratur sententia, ratio tamen haec non quadrat, tum quod a negatione unius effectus ad negationem causae non liceat argumentari, tum quod Jus Canonicum, quo sententia in ipsum Dominum, vel Procuratorem potest concipi, dominium hoc causae non abrogavit, sed probavit, ut posset probari: Imo etiam ante litem contestatam morte Principalis non finiri mandatum, si satisdationis clausula, ut solet, mandato sit inserta, cum res non amplius sit integra, tradit *Gail. d. obs. num.* 4. *Wurms. tit.* 5. *obs.* 15. *Vant. de nullit. ex defectu jurisd. num.* 106. *Caspar Klock. vol.* 3. *cons.* 173. *num.* 8. Et ideo rectissime ait *Dn. Carpzov. d. dec.* 36. *num.* 1. consultius fore, ad terminos juris communis redire, ut nulla opus sit reassumptione, quam nec in omnibus judiciis necessariam puto; quomodo in *Rec. Imp. Ratisbon. de Anno* 1654. provisum huic rei sit, de eo vid. §. *Damit auch zum Vierdten etc.* ubi cautum, ut mandatum statim in persona 7
haeredum quoque concipiatur. Sed consuetudini Imperialis Camerae non ulterius deroga- 8
tum esse tradit *Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 154. Ideoque in Camera si mandatum non sit pro haeredibus conceptum, reassumptione opus erit in Camera, et ubi reassumptio consuetudine recepta.

L. Licet. 24.

SUMMARIA

Procuratoribus opponuntur duplices exceptiones. num. 1.

An exceptiones, quae mandato opponuntur, etiam post litem contestatam opponi possint? 2.

Dilatoriae exceptiones, quae judicium nullum reddunt post litem etiam contestatam opponi possunt. 3.

Item exceptio non competentis judicis. 4.

Quatenus hoc procedat? 5.

Exceptio falsi Tutoris semper opponi potest. 6.
Item exceptio, si quis prohibetur esse judex. 7.
Post litem contestatam pro Procuratore praesumitur, donec probetur contrarium. 8.
An judex ex officio requirere possit mandatum? 9.
Probatio negativae difficilis. 10.
Reip. interest, ne judicia reddantur elusoria. 11.
Non praesumitur mandatum, etiamsi per mille annos in Processu steterit Procurator. 12.
Exceptio falsi Procuratoris judicium retro reddit nullum. 13.
Opponi quandocumque potest. 14.
Nisi ratihabitio Domini sequatur. 15.
Si Procurator de rato prius caveat, et postea se non legitimet, tenetur ad expensas. 16.

1 Procuratoribus opponuntur duplices Exceptiones, aliae quae personae dantis, vel datae, vel omissioni satisdationis opponuntur; aliae vero opponuntur mandato, quod id sit nullum, vel insufficiens, vel revocatum: De his posterioribus Quaeritur, *An post litem contestatam op-*
2 *poni possint?* Videtur quod non ob *l.* 19. *c. de Probat.* Sed affirm. quia illae dilatoriae Ex-
3 ceptiones, quae judicium nullum reddunt, post litem etiam contestatam opponi possunt, ut haec,
4 et etiam exceptio non competentis Judicis, *l.* 2. *C. si a non competente etc.* quod intelligo de
5 eo casu, quando jurisdictio non est prorogabilis, nam tunc v. g. in Criminalibus, Ecclesiasticis causis, et in feudalibus, quia de his Judex ordinarius non cognoscit, praesertim de posterioribus duabus, ideo exceptio incompetentiae Judicis semper opponi potest: quod etiam de eo casu intelligo, quando jurisdictio est prorogabilis, sed Reus respondit ex errore, et ita non prorogavit. Vid. *tradita infr. l.* 5.
6 *C. de jurisd.* Sic etiam exceptio falsi Tutoris semper opponi potest, *arg. tit. ff. de eo, quod*
7 *fals. tutor. gest. esse dic.* Si quis v. g. haereticus, qui prohibetur esse Judex, exceptio haec semper opponi potest, *Barbos. ad l. cum Praetor.* 12. *§. fin. num.* 115. *de Judic.* et similia.
8 Sed post litem contestatam pro Procuratore praesumitur, donec contrarium probetur, scilicet, procuratorem habere mandatum, ut vult, *Mantic. de tac. et amb. convent. l.* 7. *tit.* 4. *num.*
9 15. ubi tamen *num. seq.* dicit, Judicem ex officio requirere posse mandatum. Sed verius videtur, teneri Procuratorem, petente Reo, semper ad acta referre mandatum, cum probatio ne-
10 gativae sit difficilis, nec censetur adversa pars admittere velle alium sine mandato agentem, sed potius videtur credidisse, Procuratorem habere
11 mandatum, et Reipubl. interest, ne judicia reddantur elusoria; ita rectius sentiunt *Bart. in l. hac num.* 16. *et Panormitan. in c. quoniam contra num.* 35. *X. de probat. et Turzan.* quem hic laudat *Barbos. in fine.* Et ideo rectissime ait *Dn. Carpzov. in tr. de Process. tit.* 5. *art.* 1.
12 *num.* 58. non praesumi Mandatum, etiamsi per mille annos in Processu steterit, et hanc sententiam amplectitur *Menoch. l.* 2. *praesumpt.* 33. *num.* 14. *et seqq.* ubi ad contraria respon-
13 det. Nota: Exceptio falsi Procuratoris, quia judicium retro nullum reddit, ideo potest quan-
14 documque opponi, *Gail. l.* 1. *observ.* 41. *num.*
15 2. nisi ratihabitio Domini sequatur, quae sequi potest sententiam etiam latam, uti tradit *Gail. d. observ.* 47. *num.* 4. *Myns. Cent.* 1. *observ.* 41. Si autem Procurator de rato prius caveat, 16
et postea se non legitimet, tenetur ad expensas. Vid. *Ord. Cam. p.* 1. *tit.* 21. *et Myns. Cent.* 5. *observ.* 49.

L. Quicumque. 25. et Auth. Hoc jus stabit.

SUMMARIA

Quaedam personae non nisi per Procuratorem agere possunt. num. 1.
Particula, Usque, *inclusive est intelligenda.* 2.
Quatenus hoc procedat? 3.

Lex haec mandat personis nonnullis in digni- 1
tate constitutis, ut non nisi per Procuratorem litigent, tum ne, quando in judicio comparent, earum auctoritas vilescat, tum ne adversarios suos, aut Judices sua praesentia terreant. Sed *Novell.* 71. illud ad Illustres restringit; Spectabilibus vero, et Clarissimis concedit, ut ipsi comparere possint, quia interdum forte erant tenuioris fortunae, vid. *Rittershus in Novell. part.* 9. *c.* 9. *num.* 6. Et quod hodie Illustres v. g. Episcopi debeant per Procuratorem comparere, et possint etiam in causa injuriarum; de eo agitur *in l. fin. infr. de injur.* et vid. *Farinac. q.* 99. *num.* 11. Conf. *Gomez t.* 3. *c.* 1. *num* 15. Ex partic. *Usque*, quae in *Auth.* poni- 2
tur, colligunt *DD.* quos hic allegat *Barbosa*, particulam *Usque* inclusive esse intelligendam. Textus similes sunt *in l. fin. ff. de Senat. l.* 2. *pr. ff. de his qui not. infam. l.* 21. *C. de Nupt.* et quae congessit *Riccius decis. Coll.* 389. Et hoc intelligit hic *Sichardus in fin.* in materia 3
favorabili.

L. in pecuniariis. 26.

SUMMARIA

Regulariter per alium litigare licet in causis pecuniariis. num. 1.
In justioribus causis rei ipsius requiritur praesentia. 2.
Beneficium, quo unusquisque in judicio civili per Procuratorem comparere possit, a judice sine causa adimi nequit. 3.
Reus praesens esse debet, si requiratur cognitio circa qualitatem personae. 4.
Causa, ob quam rei in judicio requiritur praesentia, in Citatione exprimenda. 5.
An in arduis Procurator admittendus? 6.
In causis arduis, et magni praejudicii requiritur speciale mandatum. 7.

Regulariter per alium litigare licet in causis 1
pecuniariis, *Auctor in l.* 40. *ff. h. t. num.* 1. *Struv. Synt. jur. civil. Exerc.* 7. *th.* 23. Si ta- 2
men justiores causae rei ipsius requirunt praesentiam, veluti, si de juramento praestando agatur, aut facto obscuriore, cujus veritas facilius ex Rei vultu, et sermone colligitur, aut quando Principalis est legalior, aut minus rixosus, aut melius scit veritatem etc. a maximo Judice, i.

e. qui Imperium habet, et jus mulctae dicendae, adesse, et respondere cogi potest, quia alias unicuique lege indultum est, ut possit in judicio civili per Procuratorem comparere, quod
3 beneficium a Judice sine causa adimi nequit, *Pacian. de probat. cap.* 48. *num.* 10. *et seqq.*
4 Causa etiam requirendi personae rei praesentiam est, si requiratur cognitio circa qualitatem personae, *Moll. l.* 4. *semestr. cap.* 20. *num.* 4. *Thom. Merckelbach. inter. consil. Klockii Vol.* 2. *Cons.* 18. *num.* 41. Et quaecumque sit causa, cur, aliquis in propria persona comparere jubeatur,
5 haec causa in citatione exprimenda, *Socin. reg.* 302. *Tiraq. in tract. de poen. temp. in praefat.* *num.* 59. et hic *Barbos. num.* 4. Vulgo male 6
colligunt, in arduis non admittendum esse Procuratorem, nam id ex *hac lege* non colligitur: Aliud enim est dicere, in arduis non admittendum esse Procuratorem, aliud vero Judicem in arduis ex causa justa posse jubere, ut Reus in persona compareat. Et alias *DD.* tradunt, in 7
causis arduis, et magni praejudicii requiri speciale mandatum, *Schrader. de Feud. p.* 10. *sect.* 18. *num.* 119. *Auctor in l.* 40. *ff. h. t. num.* 7. et quos ibi allegat. Ergo causae arduae non respuunt mandatum, sed requirunt tantum speciale. Conf. *Hillig. in. Donell. l.* 18. *c.* 11. *lit. D*

TITULUS XIV.

Ne liceat Potentioribus patrocinium litigantibus praestare, vel actiones in se transferre.

L. Divine. 1.

SUMMARIA

Qui advocat Potentioris patrocinium, punitur jactura litis. num. 1.
Potentior quis? 2. 4.
An propter privilegium difficilis conventu, pro potentiore habendus? 3.
Prohibitum simul est intercessionales a potentioribus afferre. 5.
Licitum est patrocinium potentis, quando contra aeque potentem litigatur. 6.
Item, si pro persona miserabili intercedat. 7.
Potentioris alteri patrocinantis poena. 8.
Quando de levando oppresso agitur, non semper attenditur fori competentia. 9.

1 Rubrica bimembris est: de 1. *Lex primae* loquitur, *cujus sensus:* qui advocat Potentioris Patrocinium, punitur jactura litis, quod primario ob humiliorum utilitatem constitutum, ne tenuiores importunis Potentium, intercessionibus
2 opprimantur. Potentior *hic* et in *l.* 2. intelligitur, qui talis est ratione officii Magistratus, et adversarium potest terrere, *Menoch. lib.* 3. *praesupmt.* 129. *num.* 27. *Trentac. l.* 2. *var. resol. tit.*
3 *de postul. resol.* 2. *num.* 2. Non vero is dicitur Potentior, hic, qui ideo, quod privilegium fori habeat, difficilius conveniri potest, ut Clerici, Milites, Studiosi, *Menoch. et Trentac. dd. ll.* quod
4 probatur ex ratione *legis primae*. Potentior autem hic dicitur, non qui Actore, sed Reo potentior sit, *Tusch. concl.* 461. *lit. P.* Procedit, et *haec lex* in Reo, quia verba sunt generalia, et quia Actor etiam terreri potest a patrono rei, et actor, si rationem rei familiaris suae habere velit, quasi invitus trahitur ad agendum. Atque ita sentit *Sichard. hic num.* 1. *et* 2. *et DD.* hic communiter, ut dicit *Trentac. d. l. num.* 2. licet dissentiat *Cujac. l.* 8. *obs.* 31. Et pro hac sententia etiam allegari possunt ea, quae habet *Farin. p.* 2. *fragm. lit. L. num.* 251. *et* 312. et sicut eum pro hac sententia hic refert *Barbosa.* Prohibitum simul est, intercessionales a potentiori- 5
bus adferre. Quando autem contra aeque potentem litigatur, licitum est adhibere patroci- 6
nium potentis, *c. ex parte* 2. *X. de feudis* quia tunc non videtur patrocinium Potentioris requiri, ut inferat metum, sed ut excludat, *Trentac. d. l. num.* 8. *et Barbos. hic num.* 9. Nec re- 7
pellitur patrocinium, si pro persona miserabili intercedat ob eamdem rationem, *Barbos. hic num.* 10. *et* 12. Potentioris alteri patrocinantis 8
poena est arbitraria, ab omni Judice infligenda, licet alias ipse subjectus non sit. Collige: quan- 9
do de levando oppresso agitur, non semper attendi fori competentiam.

L. Si cujuscumque. 2.

SUMMARIA

Creditum etiam non litigiosum cedens Potentiori ratione officii perdit debitum. num. 1.
Haec exceptio opponi potest post litem contestatam in vim peremptoriae. 2.
Secus est, si bona fide cessio procedat. 3.
Cessio facta Potentiori cognato non praesumitur opprimendi animo, sed ut cognato facta 4
Barbosa *notatur.* 5
Excludit suspicionem fraudis, ignorantia juris in mulieribus praesumpta. 6

Fraus abesse praesumitur, si ob valetudinem, aetatem, vel occupationes lis in alium transferatur. 7.

Item si debiti solvendi causa transferatur. 8.

Vocabulum, Opes, *etiam de potentia officii usurpatur.* 9.

Valet cessio facta in Ecclesiam. 10.

Quando judicii mutandi causa facta, cedens tenetur ad interesse, actionem tamen non amittit. 11.

1 Si quis creditum etiam non litigiosum cedat
Pontentiori ratione officii, perdit debitum, et
haec Exceptio opponi potest post litem conte-
2 statam, in vim peremptoriae, petiturque pro-
nunciari, jus agendi actori non competere: se-
3 cus, si bona fide quis Potentiori cessisset, ut
cognato, creditori suo, filio etc. *argum. l. 9. C.*
4 *d. Procur.* quia non praesumitur opprimendi
animo, sed ut cognato, facta cessio, *Trentac. d.
l. resol. num.* 10. *Tiraq. in praefat. lib. de retr.
consangu. num.* 53. *et in L. Si unquam in prae-*
5 *fat. num.* 18. quod *Barbosa* in potentiorem facta
ratione officii non aliter admittit, nisi clarissime
constiterit, quod non animo vexandi, sed ex
justa causa facta sit cessio, *Barbos. in l. 1. p. 7.
num.* 47. *ff. sol. matrim.* Sed dici potest, hoc
ipsum vinculum quod est inter patrem, et filium,
satis causae esse, cur excludatur praesumptio sinistra, licet in aliis cognatis sententia *Barbosae* concedi possit: nam in Patre, et Filio
consentit etiam nobiscum *Trentac. d. l. num.* 5.
Tusch. concl. 462. *in fin. lit. P.* et non male periculosum esse suspicatur *Jo. a Sande in tr. de
cess. act. c.* 4. *num.* 12. si hoc extendatur ad omnes consanguineos, aliis circumstantiis sejunctis, et affectio paterna facilius fraudis suspicio-
nem excludere videatur. Excludit etiam suspi- 6
cionem fraudis ignorantia juris in mulieribus
praesumpta, *Trentac. d. l. num.* 2. *Tusch. conclus.*
462. *num.* 4. *lit. P.* Sic etiam fraus abesse prae- 7
sumitur, si ob valetudinem, aetatem, vel oc-
cupationes lis in alium transferatur, *arg. l.* 4. §.
1. *ff. de alien. judic. mut. caus.* Sic si debiti sol- 8
vendi causa transferatur, *arg. l.* 10. *pr. ff. d. t.*
quia haec *lex secunda* habet affinitatem cum il-
lo titulo, nisi quod hic de sola actione sermo
sit, non alia re, ut ibi, illic de alienante reo,
sed hic de actore: nam res ipsa docet *hic in l.*
2. de actore sermonem esse, quamvis aliud *d. l.*
1. diximus, *de qua l.* 1. etiam *DD.* allegati ibi-
dem loquebantur: illic etiam de potentiore, et
duriore adversario quacumque ratione, hic vero
ratione officii; quod quamvis *Jo. a Sande d. c.*
4. *num.* 8. neget, et alleget vocem *opibus*, quae
tamen etiam de potentia officii passim usurpatur, 9
v. g. quando *Cicero* ait ad Quintum fratrem
-Nunc ita accidit, ut neque Praetores suis *opi-
bus*, neque nos studio nostro quidquam proficere possimus.- Sic ergo valebit cessio facta in Ec- 10
clesiam, licet, quando judicii mutandi causa fit, 11
cedens teneatur ad interesse, *c. fin. X. de alienat.
judic. mut. caus.* sed actionem non amittat, *Tusch. concl.* 463. *num.* 17. *lit. P.*

TITULUS XV.

De his qui Potentiorum nomine titulos praediis affigunt, vel eorum nomina in litem praetendunt.

L. Animadvertimus. unic.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.

Poena ejus, qui rei vindicatione conventus falso Potentiorem nominat, cujus nomine possideat. 2.

Poena alium nec potentiorem falso nominantis. 3.

Quatenus res incorporalis possideatur. 4.

1 Convenitur aliquis ob fundum, quem possi-
det; Reus falso denominat aliquem Potentem,
Praelatum, vel Ecclesiam, cujus ille fundus sit,
ipsius etiam nomen, ac titulum, vel effigiem,
aliaque insignia praedio praefigit: iste jactura litis plectitur, et si injustam causam foveat, plumbatis caesus, damnatur in metallum. Potens vero, cujus consensu hoc factum, fit infamis per
sententiam. Eamdem poenam esse volunt *Sich.* 2
hic num. 2. *et Colleg. argent. in tit. de Procur.
Th.* 20. si quis rei vindicatione conventus, falso
Potentiorem nominet, cujus nomine possideat;
nam si non nominet Potentiorem, sed alium, 3
falso tamen, tunc incurrit poenam *l. fin. ff. de
Rei vind.* ut scil. possessio in actorem transfera-
tur, salva proprietatis, quaestione. Colligunt hic 4
etiam *DD.* ex verbis, *rei sit possessor, et juris*,
rem incorporalem etiam possideri, scilicet per
similitudinem quamdam: nam proprie non possideri receptissimum est per tradita *Covarr. in
c. possessor p. 2. pr. num.* 6. *Bacchov. in Treutl.
vol.* 2. *Disp.* 21. *th.* 1. *lit. D.* et quos hic citat
Barbosa.

TITULUS XVI.

Ut nemo Privatus titulos praediis suis, vel alienis imponat, vel vela Regia suspendat.

L. Regiae. 1.

SUMMARIA

Poena eorum, qui praediis suis in fraudem aliorum insignia Principis quasi ejus essent, praefigunt. num. 1.
Ex insignibus praesumitur dominium. 2.
Possessor ipse praedio suo imponens insignia Principis, vel fisci praesumitur id praedium recognoscere a fisco, et fisci nomine possidere. 3.
Praesumitur item ea velle fisco dedicare. 4.

1 *Lex prima* agit de iis, qui praediis suis, in fraudem aliorum, insignia Principis quasi ejus essent, praefigunt: poena est publicatio praedii,
2 quia ex insignibus praesumitur Dominium, et
3 cum possessor ipse suo praedio imponat insignia Principis, vel Fisci, praesumitur id praedium recognoscere a fisco, et fisci nomine possidere, *Mascard. de probat. concl.* 807. *num.* 4. et prae-
4 sumitur itaque, ea velle Fisco dedicare, *Azo in summa hic*, *et Sichard. num.* 2.

L. Ne quis vela. 2.

SUMMARIA

De quibus lex haec loquatur? num. 1.
Insignia Principis duplici de causa civitati, vel praedio praefiguntur. 2.
Per insignia probatur superioritas. 3.
Ex hoc capite Elector Moguntinus jus Superioritatis contra Erfurdenses fundavit. 4.
Non potest quisquam signa apponere, ubi non habet Superioritatem. 5.
Si quis de facto insignia Principis meo fundo imposuerit, ea ego, et quilibet privatus rescindere potest addita poena. 6.
Licet mihi propria auctoritate dejicere quod in mei praejudicium in meo fundo factum. 7.

Lex secunda de iis loquitur, qui possessorum 1
etiam injustorum praediis, in eorum fraudem insignia Principis praefigunt. Notandum autem hic: Insignia Principis duplici de causa civita- 2
ti, vel praedio praefigi. I. Ad notandam proprietatem, ut hic. II. Ad denotandam jurisdictionem territorialem, quia per insignia pro- 3
batur Superioritas, post *Fr. Marci. Panorm. Felin. et Wesemb. in π. tit. seq. et consil.* 21. *num.* 68. et quos allegat *Klock. vol.* 1. *cons.* 16. *num.* 4. *Thom. Michael de jurisdict. conclus.* 53. *lit. C.* et ex hoc capite Elector Moguntinus 4
etiam jus Superioritatis contra Erfurdenses fundavit. Nec potest quisquam signa apponere, 5
ubi non habet Superioritatem, *C. dilecta X. de exc. prael. Klock. d. l. num.* 27. Sed si quis de facto insignia Principis meo fundo imposu- 6
erit, ea ego, et quilibet privatus rescindere potest addita poena. Unde colligunt: licere mi- 7
hi propria auctoritate dejicere, quod in mei praejudicium in meo fundo factum, *h. l. et l.* 29. §. 1. *ff. ad L. Aquil.* et per *l.* 1. *tit. seq. Cothman. Vol.* 1. *cons.* 38. *num.* 191. *Klock. d. l. num.* 29. *et seqq.*

TITULUS XVII.

Ut nemini liceat sine Judicis auctoritate signa rebus imponere alienis.

SUMMARIA

De quibus signis titulus hic loquatur? num. 1.
Permittitur omnibus signa propria, quae quis fundo, quem suum esse praetendit, ante sententiam propria auctoritate imposuit, vel affixit, detrahere. 2.
Jura abhorrent ab eo, ut quis propria auctoritate sibi possit jus dicere etiam in re propria. 3.
Praesumitur ejus esse jus Patronatus, cujus nomen, vel insignia Ecclesiae insculpta. 4.
Possum alium artificem, vel alium prohibere, ne meo signo noviter utatur. 5.

Tit. XV. egit de Potentiorum signis: *Tit.* 1
XVI. de signis Principum: *Hic* vero *XVII.* de signis propriis, quae quis fundo, quem suum esse praetendit, ante sententiam, propria au- 2
ctoritate imponere, vel affigere prohibetur, omnibusque permittitur ipsa detrahere. Statuitur etiam *in Nov.* 17. poena publicationis bonorum. Atque *haec est summa utriusque legis in hoc tit.* cujus ratio manifesta est; quia jura 3
abhorrent ab eo, ut quis propria auctoritate sibi possit jus dicere, etiamsi res nostra sit, quod exemplis occasione hujus tit. declarat *Jo.*

Aloys. Riccius coll. dec. 581. Colligitur autem
4 ex textu: Praesumi ejus esse jus Patronatus, cujus nomen, vel insignia Ecclesiae insculpta, *Cravett. de antiq. temp. p.* 1. §. *octavo datur num.*12. *Menoch. l.* 3. *praesumpt.* 130. *num.* 31. *et Mascard. t. concl.* 959. *num.* 21. Nam ideo prohibetur hic signi proprii in fundo ab alio possesso sculptura, ne per hoc dominium, vel possessionem arroget. Et exinde etiam colligitur, posse me alium Artificem, vel 5
alium prohibere, ne meo signo noviter utatur, ne in probando Dominio etc. aliquando controversia inter nos oriatur, *Caevall. q.* 745. *Sich. ad l.* 2. *tit. praeced. num.* 4. *et seqq.*

TITULUS XVIII.

Ne Fiscus, vel Respublica Procurationem alicui Patrocinii causa in lite praestet.

L. Respublicae. 1.

SUMMARIA

Sub praetextu pecuniae Reipubl. debitae fiscus patrocinium in se non recipiet debitoris mei contra me. num. 1.
Licet creditori pro suo interesse exceptionem nomine sui debitoris opponere. 2.
Potentior arcetur a patrocinio litigantium. 3.
Respondetur ad l. pen. C. de non num. pec. 4.
Fiscus creditorem unius litigantium pro suo interesse liti adsistere potest, et opponere exceptiones, quas ille opponere omisit. 5.

1 Sub praetextu pecuniae Reipubl. debitae, Fiscus patrocinium in se non recipiet debitoris mei contra me. Ratio dubitandi, cur hoc fisco licere videatur, est *l. pen. C. de Non Num.*
2 *Pecun.* qua creditori licet pro suo interesse exceptionem nomine sui debitoris opponere, v. g. si convenior actione hypothecaria, posse nomine mei debitoris, qui mihi rem in solutum dedit uti exceptione Non Numer. Pecun. Sed aliam rationem in Potentiore esse vult hic *Sichard.*
3 quem omnino voluit Imperator arcere a patro-
4 cinio litigantium. Verum dici potest, *in d. l. pen.* versari interesse creditoris, qui hypothecaria actione convenitur, quod hic non est, dum hic in fraudem legis tantum praejudicium potentioris quaeritur. Praeterea hic est Exceptio juris tertii, dum debitor ait, non possum tibi solvere, quia
5 fisco sum obligatus. Et ideo fiscum creditorem unius litigantium pro suo interesse liti assistere posse, et opponere exceptiones, quas ille opponere omisit, tradit *Peregr. lib.* 4. *de jur. fisc. tit.* 6. *in fin.*

L. Cum allegas. 2.

SUMMARIA

An non actiones litigiosas, vel rem litigiosam, in fiscum transferre possim? num. 1.
Res litigiosa in alium transferri nequit. 2.
Aliud est in fisco. 3.
Fiscus multis privilegiis utitur. 4.
Quando debitor fisci non est solvendo, potest fiscus sui debitoris debitorem excutere. 5.
Fiscus non est privilegiatus, nisi in casibus jure expressis specialiter reperiatur privilegiatus. 6.
Omnia quae fiunt in alterius aemulationem, sunt odiosa. 7.

Quaeritur: *An non actiones litigiosas, vel rem* 1
litigiosam, in fiscum transferre possim? quod
propterea videtur, quia quamvis alias res liti- 2
giosa transferri in alium nequeat, aliud tamen 3
in Fisco videtur dicendum, quia fiscus multis 4
privilegiis utitur, et in specie, quando debitor 5
Fisci non est solvendo, potest Fiscus sui debitoris debitorem excutere, *t. t. Cod. quand. Fisc. vel priv. sui debitor. etc.* Sed Negatur id in *hac lege*, quia hac ratione panderetur via fraudi legis, ita ut res litigiosa alienari possit, et quidem in potentiorem, nec fiscus privilegiatus est, ni- 6
si in casibus jure expressis specialiter reperiatur privilegiatus, *Peregr. de jur. fisc. l.* 1. *tit.* 1. *num.* 1. *Gail. l.* 1. *obs.* 90. *num.* 2. *Vasq.* 2. *illustr. quaest.* 87. *num.* 14. *Caesar Bargal. de dol. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 15. et omnia, quae 7
fiunt in alterius aemulationem, sunt odiosa, *Gail. l.* 2. *obs.* 29. *num.* 22. aliud etiam est, sponte oblatas a debitore actiones suscipere, de quo hic agitur: aliud est quaerere an Fiscus, aliis deficientibus bonis, actiones in subsidium capere possit, *Peregr. d. tit. num.* 416.

L. Abhorret. 3. et
L. Ad fraudem. 4.

SUMMARIUM

An non fiscus, qui in lite non est, patrocinium debeat suscipere sui debitoris?

Hae LL. sunt ejusdem Sententiae, cujus est prima, et manifeste hic videtur quaerens se fundasse in *d. l. pen. C. de Non Num. Pecun.* Sed sunt diversi casus: Nam *in d. l. pen.* Quaeritur: *An non ille, qui principaliter convenitur ex persona actoris sui, Exceptionem non numeratae pecuniae allegare possit?* quod hic non quaeritur; Sed hoc: *An non Fiscus, qui in lite non est, Patrocinium debeat suscipere sui debitoris?* quae duae quaestiones sunt diversae: nam si in terminis legis allegatae penultimae versaremur, procul dubio Fiscus illam Exceptionem allegare posset; Sed cum hic in lite non sit, non debet etiam alienis se litibus implicare; quae Responsio aptior quam *Sichardi* videtur.

TITULUS XIX.

De Negotiis gestis.

L. Cum Tutores. 1.

SUMMARIA

Mater, quae suspectos postulando tutores nonnihil impendit de suo, id repetere non potest. num. 1.
Mater liberis tutores petere necesse habet, si velit esse haeres. 2.
Qui in personam domesticam sumptus facit, ex affectione non repetit, multo minus si in filium 3.
Expensae ex pietate, vel affectione domestica factae, non praesumuntur animo repetendi factae, nec repetuntur. 4.
Surdus, et Mantica *notantur.* 5.
Quid juris quando dubium est, an ex affectione domestica quid impenderit aliquis? 6.
Quid juris, quando liberi habent propria bona? 7.
Affirmans se animo repetendi erogasse aliquid, potest compelli, ut hoc sub juramento adserat. 8.
Discrimen inter sumptus factos in petendo tutorem liberis, et accusando tutores suspectos. 9.

1 Mater, quae suspectos postulando tutores nonnihil impenderat de suo, id repetere non potest, quia pietas, et affectio materna faciunt hoc loco, ne repeti possint expensae, quia etiam in
2 personam pupilli impenduntur, praesertim cum petere tutores liberis necesse habeat, si velit esse haeres: additur hic ratio, quia alias, qui in
3 personam domesticam sumptus facit, ex affectione non repetit, multo minus si in filium. Col-
4 lige: Expensas ex pietate, vel affectione domestica factas, non praesumi animo repetendi factas, et non repeti, *Auct. in l.* 34. *ff. h. t. num.* 1. atque id recte colligunt ex hac lege *DD. Bald. num.* 1. *et Sichard. hic num.* 11. ut mirer, con-
5 trarium ex hoc textu elicere velle *Surdum in tract. de alimentis tit.* 6. *q.* 1. *num.* 1. *et seqq. et Manticam, de tac. et amb. convent. tit.* 20. *num.* 5. qui tamen per ipsorum allegata refutantur. Breviter autem hic dicendum, quando impensam ex pietate materna, vel affectione domestica factam esse constat, praesumitur abesse animus repetendi per *hanc legem, et l.* 27. *§. fin. ff. h. t. ibique Auctor num.* 2. sive magna, sive exigua sit impensa, *Alex. l.* 7. *consil.* 110.
6 *num.* 2. quando vero dubium est, an ex affectione domestica quid impenderit, et tunc observanda est distinctio, an magna, an vero exigua sit impensa, per *l. utrum* 17. *ff. de donat. inter vir. et uxor.* et de hoc casu loqui videtur *Ruinus vol.* 4. *cons.* 100. *num.* 5. *et Garcias de Expens. et meliorat. c.* 4. *num.* 21. Tunc autem maxime constat, Patrem, vel Matrem ex pietate impendisse, quando Pater, vel Mater tenebantur conferre alimenta, vel liberis tutores petere, *Molin. de J. et J. disp.* 551. *num.* 7. Quando vero liberi habent propria bona, tunc di-
7 stinguitur, utrum Pater, vel Mater administret bona filii, an non, ut illo casu non praesumatur ex pietate, sed animo repetendi data, *per l. Nesennius* 34. *ff. h. t.* hoc vero casu secus. *Molin. d. l. num.* 8. qui *num.* 12. rectissime statuit, quando quis affirmat, se animo repetendi 8
erogasse aliquid, eum posse compelli, ut hoc sub juramento asserat. Notetur etiam discrimen, 9
inter sumptus factos in petendo tutorem liberis, et accusando tutores suspectos; nam ad illos tenetur mater, licet protestata fuerit: ad hos non, quia scilicet petere tutorem causativa necessitate tenetur, *Surd. de alim. t.* 6. *q.* 8. *num.* 86. *et seq.*

L. Contra. 2.

SUMMARIA

An Impuberes, vel Pupilli ex negotiorum gestione obligentur? num. 1.
In negotiorum gestione obligatio ex ipsa re oritur. 2.
Locupletior factus in dubio praesumitur Pupillus. 3.
Pupillus hoc casu negativam probare debet. 4.
In aliis negotiorum gestionibus sufficit, rem ab initio utiliter esse gestam. 5.
Idem verum est in tutore. 6.
Si quis negotia pupilli gerat, necesse est, ut prosperum quoque habeat eventum. 7.
Contra tutorem pupilli illius, si in gratiam tutoris gesserim, ne tutor ob neglectum negotium tutelae judicio conveniatur, prospero eventu non secuto, habeo actionem. 8.
Si probari possit, alium affectione sanguinis idem facturum gratis, nulla datur repetitio. 9.
An Vasallus repetere possit impensas in re feudali factas, si alius gratis erat facturus? 10.
Loquitur lex haec de negotiorum gestore voluntario. 11.
Contra Furiosum, et haereditatem jacentem datur haec actio. 12.
An tertius etiam ad defensionem alterius audiendus sit ob interesse actionis? 13.
Barbosa *notatur.* 14.

Quaeritur: *An Impuberes, vel Pupilli ex Negotiorum gestione obligentur?* Videtur quod non, 1
ob *l.* 59. *ff. de Obl. et Act.* Sed hic affirmatur, quia obligatio oritur ex ipsa re, negotiis scil. pu- 2
pilli. *l.* 24. *et* 46. *ff. de Oblig. et Act.* ita tamen (quod in aliis secus, *l.* 10. *§.* 1. *ff. h. t.*) si urgente necessitate pupilli quid factum, unde ille locupletior redditus i. e. non redditus pauperior, *l.* 17. *§.* 1. *ff. de sol. Auct. in l.* 3. *ff. h. t. n.* 4. *et l.* 37. *eod. n.* 1. quod tempore litis contestatae attenditur, *l. litis* 37. *ff. h. t.* Locupletior autem fa- 3
ctus in dubio praesumitur. Unde Pupillus debet probare suam negativam, quod non sit factus lo- 4
cupletior, per *gl. in l. Rerum ff. de petit. haered. Sichard. hic num.* 3. quod ex eo probari potest, quia Pupillus fundamentum suae intentionis ponit in eo, quod non sit locupletior redditus, ergo debet id probare per tradita *Menoch. l.* 6.

5 *praes.* 27. *num. fin.* Illud igitur speciale hic, quod quamvis in aliis negotiorum gestionibus sufficiat, rem ab initio esse utiliter gestam, *l.*
6 10. §. 1. *et l.* 12. §. 21. *ff. h. t.* quod ipsum etiam in tutore verum est, *l.* 3. §. 5. *ff. de Contr.*
7 *tut. act.* attamen si quis negotia Pupilli gerat, necesse est, ut prosperum quoque habeat even-
8 tum, *l.* 47. §. 1. *ff. de solut.* Sed contra tutorem pupilli illius, si in gratiam tutoris gesserim, ne tutor ob neglectum negotium tutelae judicio conveniretur, prospero eventu non secuto, habeo actionem, per *l.* 6. *pr. ff. h. t.* Vid. *Molin. de Justit. tract.* 2. *Disp.* 555. *n.* 1. cui hoc minus aequum esse videtur; nisi quis dicere vellet, negotiorum gestorem has impensas a tutore recuperare, hunc a pupillo, et ita per anfractus pupillum etiam
9 indirecte teneri. Si tamen probari possit, alium affectione sanguinis idem facturum gratis, nulla datur repetitio. Unde *Schrader. de Feud. p.* 2. *part.* 9. *princ. sect.* 2. *num.* 83. *et seqq.* vult
10 probare, Vasallum non posse repetere impensas in re feudali factas, si alius gratis erat facturus, sed rationes ipsae, quas ille sibi objicit, non admittunt hoc, cum sit omnino hic speciale quod-
11 dam in pupillo, et loquitur lex haec de gestore Voluntario, quibus rationibus ille non satisfacit. *Schraderi* tamen sententiam probat etiam *Rosenthal. cap.* 10. *concl.* 43. *num.* 108. Sed hic utitur alia ratione, quia contra faciens videtur commodum Domini impedire, et sic ageret contra juramentum: *Schraderus* autem limitat, si tertius vellet ingredi feudum, et ipse vellet refice-
12 re cum incommodo Domini. Collige etiam: Contra Furiosum, et haereditatem jacentem dari hanc actionem, *l.* 3. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 4. *et* 5. Quod autem *DD.* ex hac lege di-
13 ciunt, tertium etiam ad defensionem alterius audiendum esse ob interesse affectionis, id ex textu non probatur; nam hic agitur contra eum, qui fuit pupillus, hic allegat, Materteram id gratis facere voluisse sciente actrice: quid hic de interventione tertii? nec conveniunt textui ea,
14 quae habet *Barbos. num.* 4. ubi nescio, quam specialitatis rationem adducit. Simplicius est dicere, pupillum Judici praesentare, et petere, ut tutor ei constituatur; non autem in judicio contentioso pro alio intervenire.

L. Sive pro fratre. 3.

SUMMARIA

Species facti duplex. num. 1.
Pietas ea in Fratribus non militat, quae in Parentibus. 2.
Quid si frater actione hypothecaria conveniatur ob totum debitum, et propterea id totum solvere cogatur, si pignus retinere velit, an praeter actionem familiae herciscundae, etiam actio negotiorum gestorum competat? 3.

1 Species facti in h. L. duplex: Sunt duo fratres, quorum unus nomen haereditarium, ad quod tantum tenebatur pro parte, integrum solvit, et hic habet actionem Negotiorum gestorum: nam hic est spontaneus negotiorum gestor; cum potuerit hic haeres solvendo suam partem, pro qua haeres est, liberari, quia ipso jure amplius non tenetur, cum lex ipsa nomina passiva, et activa inter haeredes dividat: Ergo habet actio- 2
nem Negotiorum gestorum directam, quae utili opponitur; nec hic animus donandi praesumitur, cum pietas ea in Fratribus non militet, quae in Parentibus, et impensas fecerat etiam hic non in personam, sed res fratris. Ergo etc.
per *l. alim.* 11. *C. h. t.* Sed quid si frater actione 3
Hypothecaria conveniatur ob totum debitum, et propterea id totum solvere cogatur, si pignus retinere velit? Quaeritur, an praeter actionem familiae herciscundae, etiam haec actio Negotiorum gestorum competat? Videtur quod non ob *l.* 40. *ff. h. t.* Sed affirmatur hic, quia frater non tantum solvit Obligationem individuam, *l.* 6. *C. de distract. pign.* sed etiam Obligationem principalem dividuam sustulit. Sed intelligitur hic actio Negot. gest. utilis, ut in prima specie directa intelligitur: nam si Socius pro parte gerere potuit, et tamen in solidum gessit, datur per *l.* 40. *ff. h. t.* actio negot. gest. directa, ut in prima specie legis, si non potuit pro parte gerere, v. g. liberare pignus, ut in secunda specie legis hujus, tunc, quia suum negotium magis gessit, communi dividundo, vel familiae herciscundae agendum est, *l.* 18. *C. fam. hercisc.* Sed si res jam divisae sint, in subsidium actio negot. gest. utilis accomodatur, de qua secundam partem legis intelligunt *Interpp.* et ibi *Hillig. Bronchorst. Cent.* 2. *assert.* 15. *Pacius lib.* 2. *Enantioph. c.* 63. *Cujac. lib.* 29. *obs. cap.* 36. *Garcias de expens. cap.* 19. *num.* 5. *et seqq. Bacch. in Treutl. disp.* 10. *Vol.* 1. *th.* 3. *lit. G.*

L. Qui Pupillae. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Factum Tutoris non est Factum Pupilli. 2.
Pupillus locupletior factus tenetur actione negotiorum gestorum contraria. 3.

Tutoris tui mandato tua negotia gessi; Quae- 1
ritur: *An tenear tibi actione pro Tutela, An vero Negotiorum gestorum, An vero Mandati?* non primum, quia gessi, non ut Tutor, sed ut Mandatarius Tutoris; non ultimum, quia mandatum Pupilli non gessi, sed Tutoris: illud probatur ex *l.* 1. §. 2. *ff. qui pro tutore.* Sed hujus
ratio in subtilitate juris consistit; quod factum 2
tutoris non sit pupilli factum, ergo gestor tenetur actione Mandati Tutori, Pupillo vero
tenetur actione Negotiorum gestorum, quia Pu- 3
pillus locupletior factus tenetur actione negotiorum gestorum contraria, *l.* 2. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 3. Ergo etiam gestor Pupillo tenetur. Cur autem quaerens maluerit actionem pro tutela, ratio non est ambigua, quia habuisset Hypothecam tacitam.

L. Officio. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Impensae animo repetendi factae possunt repeti. 2.
Quae quis ex officio facere obligatus est, seu quae pro conditione sua, et statu facere debet, ea

non facit ut Negotiorum gestor, nec potest habere animum repetendi de jure. 3.

Pater non potest habere animum repetendi, quando filiis egentibus alimenta subministrat. 4.

Pater tenetur filiis egentibus alimenta subministrare. 5.

Glossa *notatur.* 6.

Libertus tenetur patroni filiis praecisa necessitate petere tutores. 7.

Mater tantum causativa, si velit filio succedere. 8.

Mater, si protestata fuerit, potest repetere. 9.

In his, quae quis tenetur facere ex necessitate juris, frustra protestatur. 10.

1 Libertus petierat tutores liberis Patroni, Quaeritur: *An expensas ea in re factas repetere*
2 *possit?* Videtur quod sic, cum animo eas repetendi fecerit, ergo posse se eas repetere, *argum.*
3 *l.* 1. *h. t.* Sed respond. Negative, nam quae quis ex officio facere obligatus est, seu quod pro conditione sua, et statu facere debet, ut explicat *Petr. Barbos. in l.* 1. *p.* 4. *ff. Sol. Matrim.* ea non facit ut Negotiorum gestor, nec potest habere animum repetendi de jure, sicut
4 Pater non potest habere animum repetendi, quando filiis egentibus alimenta subministrat,
5 quia ad ea suppeditanda tenetur, *Donell. l.* 15. c. 16. *in fin.* Sic ergo bene a *Sichardo* hic re-
6 prehenditur *Glossa,* quod statuat, Libertum posse repetere, si ab initio protestetur; nam omnino inter Matrem, et libertum differentia est, nam
7 Libertus tenetur patroni filiis praecisa necessitate petere Tutores, Mater autem tantum causativa, si velit Filio succedere, *l.* 10. *C. de legit.*
8 *haered.* Hinc Mater, si protestata fuerit, potest
9 repetere, quia non praecise tenetur; Libertus non item, *Sich. hic;* in his enim, quae quis te-
10 netur facere ex necessitate juris, frustra protestatur, *Tusch. concl.* 944. *num.* 41. *Barbos. in l.* 11. *h. t. num.* 13. *Hering. de fidejuss. c.* 20. §. 31. *num.* 4. *Surd. decis.* 39. *num.* 29.

L. Curatorem. 6.

SUMMARIA

Curator testamento dari non potest. num. 1.

Si de facto datus sit, et se immiscuerit, qua actione teneatur? 2.

Idem quaeri potest de haeredibus tutorum, si in se jus administrandi transire existimantes aliquid gesserint. 3.

Idem statuendum in quocumque, qui tanquam ex mandato cujuscumque negotia gerit. 4.

Opinio gerentis ad mandati actionem producendam sufficere non potest. 5.

Qui alicui officio de jure obligatus non est, et tamen ei se immiscet, tenetur actione negotiorum gestorum, et expensas eo nomine factas actione negotiorum gestorum repetit. 6.

1 Curator testamento dari non potest; *sed si de*
2 *facto datus sit, et se immiscuerit, qua actione tenetur?* Respond. actione Negotiorum gestorum.
3 Idem etiam quaeri potest de haeredibus Tutorum, si in se jus administrandi transire existimantes aliquid gesserint; nam tunc negotiorum
4 gestorum dabitur actio. Et idem statuendum existimat recte *Bacchov. d. Disp.* 10. *th.* 2. *lit. E.* in quocumque, qui tamquam ex mandato cujuscumque negotia gerit, cujus ratio est manifesta;
quod opinio gerentis ad mandati actionem pro- 5
ducendam sufficere non potest, *Bachov. d. l.* Collige: qui alicui officio de jure obligatus non est, 6
et tamen ei se immiscet, tenetur actione Negotiorum gestorum, et ipse expensas eo nomine factas ratione negotiorum gestorum repetit.

L. Si ab eo. 7.

SUMMARIA

Haereditatis aditione confunditur, et extinguitur creditum, quod defunctus debebat, pro ea parte, qua institutus est haeres. num. 1.

Manet in residuo actio contra haeredem pro ipsius quota. 2.

Confusio actionum fit tantum pro ea parte, qua defuncto succeditur. 3.

In reliquo salva manet cohaeredibus, et in cohaeredes actio. 4.

Haereditatis aditione confunditur, et extin- 1
guitur creditum, quod defunctus debebat, sed pro ea parte, qua institutus est haeres, in
residuo enim manet actio contra haeredem 2
pro ipsius quota, quia confusio actionum fit 3
tantum pro ea parte, quia defuncto succeditur, *l. cum a matre* 14. *de Rei vind.* Ergo in reliquo salva manet cohaeredibus, et in cohaeredes actio, per *hanc legem,* et *l.* 56. *ff. de fidejuss. Zang. de except. p.* 3. *cap.* 9. *num.* 4. qua de
re infra plura suo loco: v. g. Debes mihi cen- 4
tum ob negotia tua a me gesta, instituis me haeredem ex semisse, hic illud creditum confunditur pro semisse, et quinquaginta repeto a cohaerede.

L. Adversus. 8.

SUMMARIA

Negotiorum gestorum actio est perpetua. num. 1.

Omnis actio in personam triginta annis praescribitur. 2.

Ex silentio diuturno Creditoris non praesumitur solutio, nisi aliae conjecturae concurrant. 3.

Negotiorum gestorum actio est perpetua, nec 1
viginti annis praescribitur, sed demum triginta
annis quibus omnis actio in Personam, qualis 2
haec etiam est, praescribi potest, *per l. sicut* 3. *C. de praescript.* 30. *annor.* quo referenda
est haec lex, et ejus decisio. Colligunt etiam: ex 3
silentio diuturno creditoris non praesumi solutionem; nisi sc. aliae conjecturae concurrant, v. g. quando creditor diu distulit petere extra judicium, vel in jus vocare ipsum debitorem, cum facile ei fuerit experiri contra eum, *Afflict. dec.* 13. *n.* 21. *et Dn. Carpz. p.* 2. *Jurispr. const.* 29. *def.* 11. *n.* 8. *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 135. *num.* 19. *et seqq.* quod potissimum locum habet, quando debitor interim etiam est mortuus, et tamen tacuit creditor, *Mascard. de probat. Conc.* 1324. *num.* 27. *et Barbos. hic num.* 2.

L. Si pecuniam. 9.

SUMMARIA

An non actio Mandati detur subsecuta ratihabitione. num. 1.
Varia DD. *circa hanc rem distinctio.* 2.
Ratihabitio secuta novam mandati obligationem parere potest ei, qui negotia gessit, non vero ipsi ratum habenti. 3.
Barbosa, *et* Madera *notantur.* 4.

1 Quaeritur hic: An non Actio mandati detur subsecuta ratihabitione, *ob l. fin. ad SC. Maced. et l.* 60. *ff. de R. J.* Respondetur, ratum habentem obligari quidem actione Mandati contraria, sed non alterum, ne ratum habens sua ratificatione actionem alterius mutasse videatur.
2 Varie quidem circa hanc rem distinguunt *DD.* Quidam enim distinguunt, utrum meum sit Negotium, et meo nomine gestum, si accedat ratihabitio, Mandati esse actionem, *d. l.* 60. cum qua tamen actio negot. gest. concurrat. Si vero meum quidem sit negotium, sed non meo nomine gestum, tunc dari Negotiorum gestorum actionem, *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* Idem si alienum negotium sed meo nomine tamen gestum, et inde aliquid ad me pervenerit. Vid. *Pacius Cent.* 2. *quaest.* 53. *Phil. Matthaei ad l.* 60. *de R. J. num.* 11. *et seqq. Treutl. d. Disp. th.* 6. *lit. B.* Sed *Bacchovius d. th.* 6. *lit. B.* distinguit cum *Baldo:* An Ratihabitio concurrat quodammodo cum ipso actu, an secus, ut illo demum casu actio sit Mandati; hoc vero Negotiorum gestorum. Sed verior est interpretatio *Hilligeri in Donell. l.* 15. *lit. C.* quam in explicatione legis propo-
3 sui, ut ratihabitio secuta novam Mandati obligationem ei, qui negotia gessit, parere possit, non vero ipsi ratum habenti, ne suo facto alium no-
4 lentem obliget; paulo aliter hic *Barbosa* ex *Madera*, sed contorta nimis explicatio, et persona tertia debitoris hic vix in considerationem venire potest. Conferri potest *Bacch. ad h. t. in Pand. cap.* 2. *num.* 2.

L. Si Servum. 10.

SUMMARIA

Neg. gest. actione sumptus repetit, qui servum alterius utilem curavit. num. 1.
Idem de curatione aliarum personarum alteri subjectarum dici potest. 2.
Idem est, si aegrotus prohibeat, ne Medicus accersatur, neve medicamenta morbo adhibeantur. 3.
Licet aeger moritur. 4.
Si Dominus proprio famulo curando non exiguas impensas adhibuisset, licet non conveniant personae famuli, si tamen personae, dignitati, et opibus Domini conveniant, non datur repetitio, nec famulus restituere tenetur. 5.

1 Curavi servum tuum, et eum non fugitivum, vel erroneum, sed utilem; Quaeritur, qua actione sumptus repetam? Respondetur, Actione Ne-
2 gotiorum gestorum, et idem de curatione aliarum personarum tibi subjectarum dici potest. Idem est, si aegrotus prohibeat, ne Medicus ac- 3
cersatur, neve medicamenta morbo adhibeantur, *Garcias de expens. cap.* 21. *num.* 2. idque 4
etiam locum habet, licet moriatur aeger, quia sufficit, ab initio utiliter rem gessisse, *Garcias d. l. num.* 3. Sed si Dominus proprio famulo cu- 5
rando non exiguas impensas adhibuisset, licet non conveniant personae Famuli, si tamen personae, dignitati, et opibus Domini conveniant, non datur repetitio, nec Famulus restituere tenetur, *Molin. de J. et J. Disp.* 554. *num.* 11.

L. Alimenta. 11.

SUMMARIA

Impensae in personas Filiorum factae non possunt repeti. num. 1.
Secus est, si in res filiorum, animoque repetendi factae. 2.
Animo repetendi factae praesumuntur, si in librum rationum redactae, vel impensae sint magnae, vel filius dives, etc. 3.
Ea quae insumuntur ob necessitatem personae ad alimenta, praesumuntur pietate flagitante, et non animo repetendi praestita. 4.
Limitatur. 5.
Locum haec habent etiam in Patre. 6.
Item in expensis factis pro redimendo filio e carcere. 7.
An Mater, quae in res filii impendit, oneranda sit probationis onere, quod animo repetendi impenderit? 8.
Eo ipso quid probatur, cum non probatur contrarium. 9.
Bacchovius *notatur.* 10.
Quid si Mater alimenta praestitit filio inopi, Patre etiam existente inope, et protestata sit, se animo repetendi conferre alimenta? 11.
Mater hoc casu praecisa necessitate ad alendum filium tenetur. 12.

Distinguendum inter impensas factas in perso- 1
nas filiorum, et quae factae sunt in res; illae non possunt repeti, ratio in *l.* ibi: *cum id exigente pietate feceris;* has vero possunt repetere 2
Matres, si repetendi animo factae sint, v. g. si in librum rationum redactae, ut *l. Nesennius* 3
34. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 2. vel impensae sint magnae, filius dives, etc. Collige ex hac lege differentiam inter ea, quae insumuntur ob necessitatem Personae ad alimenta, et inter ea, quae in res insumuntur. Illa praesumuntur pie- 4
tate flagitante, et non animo repetendi praestita, nisi Mater administret bona, *Auctor d. l.* 34. 5
ff. h. t. num. 4. et in librum rationum expensa referat, per *d. l. Nesennius ff. h. t.* vel quando Mater protestata est, aut Pater superesset dives, *Auctor d. l. num.* 4. adeo, ut Mater non teneretur, vel quando expensae essent magnae, sicut has limitationes proponit *Masc. de prob. concl.* 76. *et conclus.* 555. *num.* 89. *et seq.* Et haec etiam 6
locum habent in Patre, *Surd. de alim. tit.* 6. *qu.* 8. *num.* 105. et locum habent in expensis factis 7
pro redimendo filio e carcere per *l.* 17. *C. de postlim. revers. Surd. d. quaest.* 8. *num.* 96. *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 88. *num.* 29. Sed si in res filii impenderit, Quaeritur: An mater oneranda 8

sit probationis onere, quod animo repetendi
impenderit? quod videri posset ex verbo legis:
9 *ostenderis:* Sed *Glossa* hic dicit, eo ipso probari,
cum non probatur contrarium, quam sequitur
Surd. d. quaest. 8. *num.* 94. *et Treutl. d. Disp. th.*
3. *lit. B.* imo putarem, tunc matrem ostendisse,
quando voluntatem suam declarat. Dubito igi-
tur, an his verbis onus probandi matri impona-
10 tur, ut putat *Bacchov. d. disp. th.* 3. *lit. B.* nisi
per probationem levem conjecturam intelligas,
et praesumptionem, ut se explicat *Bacchov. ad
hunc tit. in Pandect. c.* 1. *num.* 4. *p. m.* 877. Sed
11 quid *si mater alimenta praestitit filio inopi, Pa-
tre etiam existente inope, et protestata sit, se
animo repetendi conferre alimenta?* Resp. cum
Colero de alimen. l. 3. *c.* 5. *num.* 18. repetitionem
12 non dari, quia hoc casu tenetur Mater necessi-
tate praecisa ad alendum filium, ergo protesta-
tio nihil efficit, per ea, quae supra tradidi ad
l. 5. *h. t. Surd. de aliment. tit.* 6. *q.* 9. *num.* 1.

L. Si Filius. 12.

SUMMARIA

Inter Patrem, et Filiumfam. nulla datur actio. num. 1.
Quatenus inter Patrem, et Emancipatum datur actio negotiorum gestorum? 2.
An donandi animus praesumendus? 3.
In dubio repetendi animus praesumitur. 4.
Limitatur. 5.
Si quid Filius in bona Patris non animo donandi impendit, vel unus alimenta Matri praebuit, id negotiorum gestorum actione a caeteris fratribus, et sororibus repetit. 6.

1 Inter Patrem, et Filiumfamilias ut nulla alia, ita
nec haec datur actio, *l.* 4. *ff. de jud. Struv. Exerc.*
2 9. *th.* 6. *sub fin.* Sed inter Patrem, et Emancipa-
tum datur, si hic sine mandato debitum patris sol-
vit, nisi donandi animo fecerit; nam si non donan-
di animo solvit, a Patris haeredibus repetere
3 potest. Sed quaeritur, *An donandi animus prae-
sumendus sit?* quod negant hic *DD.* communi-
4 ter; nam in dubio repetendi animum habuisse,
praesumitur, ut *Br. Bl. et Castr. hic,* quos re-
fert, et sequitur *Bacchov. d. disp. th.* 3. *lit. G.
et Surd. de aliment. d. tit.* 6. *q.* 9. *num.* 10.
5 *Molin. d. disp.* 554. *num.* 9. nisi ex pravitate so-
lutionis appareret animus donandi, cum hic con-
junctio personae concurrat, et ita sensisse *Petr.
Cynum, Baldum, et Salyc.* testatur *Bacchov. d.
l.* et sequitur *Surdus d. l. num.* 15. Si quid au-
6 tem Filius in bona Patris non animo donandi
impendit, id negotiorum gestorum actione a cae-
teris fratribus, et sororibus repetit, vel si unus
alimenta matri praebuit, *Dn. Mevius p.* 2. *decis.* 18.

L. Quod in uxorem. 13.

SUMMARIA

Maritus aliquid impendens in curationem aegrotae Uxoris, non repetit illud actione negotiorum gestorum, etiamsi has impensas reservaverit. num. 1.
Spectat ad onera matrimonii communem cum Conjuge subire fortunam. 2.
Onera matrimonii incumbunt marito. 3.
Varia DD. *circa hanc rem distinctio.* 4.
Alimenta etiam indotatae uxori debentur. 5.
Quod in sepulturam Uxoris impendit maritus potest repetere. 6.
Æquum est, aliquem potius de suo, quam alieno tumulari. 7.
Maritus non tenetur ad funerandum Uxorem, nisi quatenus dotem lucratur. 8.
Hoc tamen casu, si bona alia habeat Uxor praeter dotem, quae ad haeredes uxoris transeunt, Maritus pro rata tenetur. 9.
Uxorem pauperem in subsidium, si possit, funerare tenetur. 10.
Bacchovius *notatur.* 11.
Ubi quis necessitate adstringitur ad aliquid faciendum suis sumptibus, frustranea est protestatio, si vellet hoc repetere. 12.
An ex hac lege sequatur, mortuo Marito, haeredes ejus non teneri lugubres vestes Uxori dare, si talis consuetudo non sit? 13.

Maritus aliquid impendens in curationem ae- 1
grotae Uxoris, non repetit illud actione Negot.
gest. etiamsi has impensas reservaverit, quia hoc
ad onera spectat matrimonii, communem cum 2
Conjuge subire fortunam, onera autem matri- 3
monii incumbunt Marito. Diversimode quidem
hac de re loquuntur *DD.* Nam *Surdus in tr. de* 4
aliment. titul. 2. *q.* 33. varie distinguit, an do-
tata sit Uxor, an habeat alia bona praeter do-
talia, an Uxor habeat Patrem locupletem etc.
Mascardus autem *de probat. concl.* 77. *num.* 1.
et 2. tradit, Maritum, qui alimenta, et medica-
menta Uxori aegrae suppeditat, praesumi sal-
tem causa pietatis, et amore conjugali praesti-
tisse. Sed placet sententia *Menochii l.* 3. *praes.*
33. *num.* 7. existimantis, haec, quae a *Mascar-
do* proposita sunt, intelligenda esse, quando Ma-
ritus ultra debitum modum, et plus quam fe-
rant vires acceptae dotis, ac sui forte patrimo-
nii, exhibuit alimenta: non autem si pro dotis
quantitate, et debito maritali aluit Uxorem sive
sanam, sive aegram, cum tunc disputandum
non sit, an donaverit, vel repetendi animo exhi-
buerit, cum ea omnino praestare teneatur per
l. 22. §. 8. *ff. Sol. matrim. juncta l.* 15. *ff. de
donat. inter. vir. et uxor.* nam si etiam indota-
ta esset, Maritus tamen sibi imputet, quod sine
dote duxerit, et onera matrimonii ferre debet;
Viv. decis. 195. *num.* 10. *et seq.* cum alimenta 5
etiam Uxori indotatae debeantur, *Coler. de alim.
lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 4. *Auctor in l.* 22. *ff. solut.
matrim. num.* 15. Hoc tamen non diffiteor, ma-
gis pietatem praesumi, et donationem, si uxori
indotatae aegrae dederit alimenta, quam si sup-
peditaverit uxori sanae. Vid. *P. Barb. in l. de
division.* 5. *num.* 48. *ff. Sol. matrim.* Quod ve- 6
ro in sepulturam Uxoris impendit, id potest re-
petere, quia jam desiit matrimonium esse, et
aequum est, aliquem potius de suo quam alie- 7
no tumulari, *l.* 14. §. 1. *ff. de Relig.* et Maritus 8
non tenetur ad funerandum, nisi quatenus do-
tem lucratur, *l.* 16. *et l.* 20. §. 1. *ff. d. t. Hartm.
Pistor. obser.* 57. *n.* 8. quo casu tamen, si bona 9
alia habeat Uxor praeter dotem, quae ad hae-
redes uxoris transeunt, Maritus pro rata tene-
tur, *l.* 22. *et seq. ff. d. t. Donellus lib.* 7. *cap.* 11.

10 Uxorem sane pauperem in subsidium, si possit, funerare tenetur, *l. Quod si nulla* 28. *ff. d. t. Gar-*
11 *cias de expens. c.* 8. *num.* 24. Unde apparet, non merito reprehensum esse *Treutl. a Bacchov. d. Disp. th.* 3. *lit. E.* quod ille hic beneficii competentiae mentionem fecerit, cujus expresse lex etiam meminit, *scil. d. l.* 28. *ff. de Religios.*
12 Collige: ubi quis necessitate adstringitur ad aliquid faciendum suis sumptibus, frustranea est protestatio, si vellet hoc repetere, de quo su-
13 pra satis. Quomodo vero ex hac lege sequatur, mortuo marito, haeredes ejus non teneri lugubres vestes uxori dare, si talis consuetudo non sit, ut contra *Capitium, et Covarruviam* colligit ex hac lege *Petr. Barbos. in l.* 34. *num.* 81. *ff. Sol. matrim.* et quem sequitur *hic Aug. Barbos.* ego non video.

L. Si Mandatum. 14.

SUMMARIA

Mandatum mihi datum a Marito non porrigitur ad res Uxoris. num. 1.
Si haec ego ut jam mandatarius geram, actioni Negotiorum gestorum locus est. 2.
Idem actus respectu diversarum personarum potest parere diversas actiones. 3.
Idem est, si quis tutor pupilli sororis ejus simul negotia gerat. 4.

1 Mandatum mihi datum a Marito, non porri-
2 gitur ad res Uxoris, sed si haec ego ut jam Mandatarius geram, actionem Negotiorum gestorum habeo contra uxorem, ut illa contra me. Unde
3 colligitur, eumdem actum respectu diversarum personarum posse parere diversas actiones. Idem
4 esse puto, si quis tutor pupilli sororis ejus simul negotia gerat; nam pupillus habet actionem Tutelae contra tutorem; soror vero actionem Negotiorum gestorum.

L. Si Paterno affectu. 15.

SUMMARIA

Si vitricus privignos animo repetendi aluerit, et studiis imbui curaverit, datur repetitio. num. 1.
An praesumendum sit, Vitricum paterno affectu dedisse alimenta ? 2.
Bacchovius *notatur.* 3. 5.
Jura de Vitricorum affectu male praesumunt. 4.
An Vitricus animo repetendi aluisse praesumatur Privignum, si hic in servitio Vitrici fuerit? 6.
Quatenus operarum Privigni cum alimentis compensatio locum habeat ? 7.
An detur repetitio, ubi Vitricus bona Privigni administrat ? 8.
Praesumptiones contra Vitricum remissive. 9.
Vitricus potest esse Tutor privigni. 10.

1 Distinguit haec Lex, utrum Vitricus paterno affectu, an vero animo repetendi, Privignos aluerit, et studiis imbui curaverit, ut hoc, non illo
2 casu detur repetitio. Sed Quaeritur: *An praesumendum sit, Vitricum paterno affectu dedisse alimenta?* quod quamvis affirmet *Bacchov. d.* 3
Disp. th. 3. *lit. C.* qui verba *paterno affectu* non limitandi, sed explicandi gratia adjecta esse putat; sed quia id dubium, et alias jura de vitri- 4
corum affectu male praesumunt, ideo verior sententia *glossae* hic, quam sequuntur *Bald. et Salyc. hic,* quos male *Bacchov.* pro se citat, et 5
Surdi de aliment. tit. 6. *q.* 11. *num.* 4. ubi communiter receptum esse testatur, Vitricum animo repetendi aluisse, *Auctor in l.* 44. *ff. h. t. n.* 2. *Struv. Sint. Jur. civ. Exerc.* 7. *th.* 54. *Dn. Carpzov. p.* 2. *Jurispr. Const.* 10. *defin.* 25. *Coler. de aliment. lib.* 1. *c.* 4. *num.* 24. *Sigism. Finckelthaus. obs.* 10. quam tamen sententiam limi- 6
tant, nisi Privignus fuerit in servitio Vitrici, *Surd. d. l. num.* 18. *Carpzov. d. l. defin.* 27.
Sed haec operarum Privigni cum alimentis com- 7
pensatio tunc locum habebit, quando sunt aequalia; ideoque recte monet *d. l. Bacchov.* de hoc ex qualitate personarum, operarum, et alimentorum esse statuendum, *Coler. d. num.* 26.
Et licet nonnulli velint Regulam hanc limitare, 8
si Privigni bona Vitricus administret; verius tamen est, hoc casu repetitionem dari Vitrico, et multo minus praesumi animum donandi, *Bacchov. d. l. et Coler. num.* 35. Alias praesumptio- 9
nes, ut quia Vitricus dives, expensae modicae, etc. adducit *Surdus d. l.* Colligunt etiam ex hac 10
lege, Vitricum posse esse Tutorem Privigni. Sed de eo alibi, et melius ex aliis textibus colligitur, *ex l. ult. C. de contr. judic. tut. et l.* 2. *C. de interdict. matrim. inter pupill.*

L. Si Negotium. 16.

SUMMARIA

Negotia gerens Sororis ignorantis habet actionem Negotiorum gestorum; rogantis, Mandati. n. 1.
Frater in res Fratris aliquid impendens non praesumitur animo donandi, sed repetendi id facere. 2.
Quid juris, si Fratrem aluit ? 3.

Si negotia gessisti Sororis ignorantis, et tribu- 1
ta, vel alia ejus debita solvisti, habes hanc actionem Negot. gest. Si vero ea rogante gessisti, actionem Mandati habes. Colligunt ex hoc textu: Fratrem in res Fratris aliquid impendentem, non 2
praesumi animo donandi, sed repetendi id facere, ut ex hac lege colligunt *Decius cons.* 628. *num.* 7. *Menoch. de A. Q. cas.* 88. *num.* 9. *et Mascard. conclus.* 555. *num.* 42. *Surd. de aliment. tit.* 6. *q.* 12. *num.* 33. *et seq.* Sed quia lex loqui- 3
tur de expensis in personam factis, quid si Fratrem aluit? Hic praemonendum est, nos loqui de casu eo, quo Frater non tenetur alere; nam si aliquo casu tenetur, frustra de animo ipsius quaeritur, quem nec expressa protestatio de animo repetendi relevaret. Et quidem hanc Quaestionem negat *Coler. de alim. l.* 3. *cap.* 5. *num.* 34. Fluctuat autem, et in affirmantem inclinat *Surd. d. q.* 8. *in princ.* Sed haec quaestio melius in Hypothesi ex circumstantiis personarum, opibus fratris alentis, et quantitate alimentorum, deciditur.

L. Curatoris. 17.

SUMMARIA

Contra Curatoris mortui haeredes, qui curatelae administrationem continuarunt, datur actio utilis negotiorum gestorum de dolo, et lata culpa, si quid gesserunt, non vero de levi. num. 1.
Satius videtur aliquo modo geri negotia, quam omnino deseri. 2.
In ejusmodi haeredes nec officium Procuratoris transit, nec potestatem alienandi res adultae habent. 3.

1 Titius Claudiae curam gessit, et decessit, quo mortuo ipsius haeredes curatelae administrationem continuarunt; datur igitur actio utilis negotior. gestor. contra haeredes ipsius de dolo, et lata culpa, si quid gesserunt, non vero de levi,
2 quia satius videtur, ut aliquo modo gerantur negotia, quam ut omnino deserantur, post *Caldas Pereyram Jo. Guttierez de tutel. p. 2. c. 16. num. 9.* et recte statuit *Hillig. in Donell. lib. 15. cap. 22. lit. A.* haeredes Curatoris, et Tutoris hoc casu putasse, officium administrationis adhuc durasse, nec igitur exinde, quod ex curatela
3 actio neg. gest. oriatur, probari posse: nec tamen transit in eos officium Procuratoris, nec potestatem alienandi res adultae habent.

L. Ob negotium. 18.

SUMMARIA

An tutor Posthumo datus, eo deinde non nato, negotia haereditaria administrans, impensarum circa haereditatem factarum usuras repetere possit? num. 1.
Ex actione negotiorum gestorum ob moram usurae debentur. 2.
Quatenus negotiorum gestor obligatus sit ad usuras et communes, et centesimas? 3.

1 Tutor posthumo datus, eo deinde non nato, quia mater fortasse abortum fecit, negotia haereditaria administravit, necessitate se compelli falso sibi persuadens; quaeritur, an impensarum circa haereditatem factarum usuras repetere possit? Affirm. quia is, qui ultro accessit, usuras repetere potest, multo magis qui justo, et pro-
2 babili errore ducitur. Notes: ex hac actione ob moram usuras deberi, quemadmodum etiam
3 negotiorum gestor est obligatus ad usuras communes, si ante administrationem quid debuit, et a se exigere debuit; centesimas autem, si quid ex gestione in suam utilitatem vertit, per *l. 38. ff. h. t.* Vid. *Bacchov. th. 4. lit. A. Perez. hic num. 6.*

L. Ab uno haerede. 19.

SUMMARIUM

Quibus actionibus locus sit in causa, ubi cohaeres rem cum cohaerede communem in solidum vendit.

Ego rem cum cohaerede communem vendo in solidum, i. e. totam rem; quatenus partem cohaeredis vendo, rem alienam gero, cohaeres ratum habet, et ita tenetur actione Mandati; sed ego teneor actione Negot. gest. ut *in l. 5. h. t.* ubi de hac re dictum pluribus.

L. Tutori. 20.

SUMMARIA

Negotiorum gestor negotia nonnulla male gerens tenetur actione negotiorum gestorum, et ad usuras, et de levi culpa. num. 1.
Nonnulla non gerens, et debita non exigens non tenetur. 2.
Gestor necessarius, vel universalis adstringitur ad omnia. 3.
Non omnis administrator necessarius est universalis. 4.
Bacchovius *notatur. 5. 10.*
Curator certae rei datur. 6.
Voluntarius gestor ad ea tantum tenetur, quae sponte suscepit. 7.
Sufficit in paucis amico consulere, scil. ratione nondum inchoatorum. 8.
Limitantur num. 2. dicta 9.
Negotiorum gestor regulariter de levi culpa etiam tenetur. 11.
An etiam de levissima? 12.
Quilibet administrator rerum alienarum, vel communium de levi culpa tenetur. 13.
Hodie judicis arbitrio relinquitur, qualem culpam praestare debeat. 14.

Titius gessit negotia mea nonnulla male, non- 1
nulla vero non gessit, et debita non exegit. *Primo casu* tenetur actione Negot. gest. ibi: *Secundum quae super his etc.* et ad usuras, et de
levi etiam culpa tenetur: *Secundo casu* non te- 2
netur; alia enim ratio gestoris Necessarii, vel
universalis, ut tutoris, qui adstringitur ad o- 3
mnia, quamvis non omnis administrator neces- 4
sarius sit universalis, ut putat *Bacchov. d. disp.* 5
2. *lit. A.* nam curator certae rei datur, et ge- 6
stor necessarius dici potest quodammodo Procurator constitutus ad omnia negotia principalis. *Molin. de J. et J. disp. 553. num. 6.* alia ve-
ro Voluntarii, qui ad ea tantum tenetur, quae 7
sponte suscepit. Ratio: quia sufficit in paucis 8
amico consulere, sc. ratione nondum inchoatorum, *Hering. de fidej. c. 20. §. 33. in fin.* et si maxime vellet, debita non potuisset exigere; repulsus enim fuisset exceptione legitimationis Personae, et deficientis mandati; quod limitatur,
si alius erat omnia gesturus, hocque sciverit 9
Negotiorum gestor, et alter contemplatione gestoris abstinuerit ab aliis, *l. 6. §. fin. et l. seq. ff. h. t. Molin. disp. 553. num. 6. Treutl. et ibi Bacchovius d. th. 2. lit. A. Donellus l. 15. c. 15. Pacius Cent. 2. quaest. 54. Arum. Exerc. 15. th. 12.* Quamvis autem *Bacchovius* 10
illam distinctionem inter Necessarium, et Voluntarium gestorem ex eo infringere velit, quod Necessarius etiam teneatur ad ea tantum, quae suscepit, suscepisse autem omnia ea intelligatur, ad quae ex necessitate officii obligabatur, per hoc tamen non infringitur, quia hic loquimur de

eo, quid uterque actu, et realiter gerendo susceperit, et inceperit administrare, quod autem Necessarius omnia, quae ei incumbunt, actu incipiat gerere, falsum est. Collige etiam ex
11 lege: quod negotiorum gestor regulariter de levi culpa etiam teneatur: unde nonnulli putant
12 negotiorum gestorem de levissima culpa non teneri, quam sententiam communem esse vult *Treutl. d. disp.* 10. *th.* 5. *lit. C. Schneidew. ad* §. 1. *Inst. de obl. quae ex quasi contr. Dn. Frantzk. Exerc.* 11. *q.* 7. quam etiam ut communem probat *Molin. de J. et J. disput.* 553. *num.* 4. qui respondet ad *d.* §. 1. quod de eo casu loquatur, quando diligentior aliquis alias esset gesturus, sic verba in *d.* §. *ultim.* accipiunt limitative. Sed pro levissima pugnant *Donell. l.* 3. 15. *c.* 15. *et ibi Hill. lit. F. Bacchov. d. l. C.* et alii. Mihi, licet aliquando levissimam defenderim, *in l.* 7. *ff. h. t. n.* 11. *et l.* 11. *eod. num.* 1. placet prior, ut aequior, ita tamen, ut si alius diligentior erat gesturus, levissima etiam praestetur, *d. n.* 1. Si autem res alias essent periturae, nullo se offerente, solus dolus praestetur, *l.* 3. §. 9. *ff. h. t. ibique Auctor*, quia hic non est, quod quaeratur Dominus, sed sibi gratuletur, quod res tota non perierit, *Do-*
13 *nell. et Molin. dd. ll.* Ex hac lege etiam inferunt, quemlibet administratorem rerum alienarum, vel communium de levi culpa teneri, *Coth-*
14 *mann. vol.* 4. *cons.* 39. *num.* 37. Moribus hodiernis judicis arbitrio relinquitur, qualem culpam praestare debeat, *Auctor in l.* 3. *ff. h. t. num.* 13.

L. Si cognati. 21.

SUMMARIA

An, si servus meus emerit merces inutiles, et interim manumissus ab eo, qui mea negotia gessit, postea alias merces emerit, hoc ipso libertas impediatur? num. 1.
An manumissus teneatur ob merces inutiles ante manumissionem emptas? 2.
Actus connexi habentur pro uno actu continuo. 3.

1 Servus meus emit merces inutiles; interim manumittitur ab eo, qui mea negotia gessit: postea servus alias merces emit, Quaeritur I. *An non impediatur libertas?* quod negatur; quia sufficit mihi actio negotiorum gestorum contra
2 manumissorem. II. *An manumissus teneatur ob merces inutiles ante manumissionem emptas?* Videtur quod sic, quia in gestione perseverasse videtur per *l.* 19. *ff. h. t.* Sed negatur hoc per *t. t. C. an servus ex suo facto etc.* et quia sunt separati, et non connexi actus; et ita respondetur
3 *ad d. l.* 19. *ff. h. t.* Collige: actus connexos haberi pro uno continuo actu. Vid. *Barbos. axiom. aucta lib.* 3. *cap.* 51. *ax.* 1.

L. Negotium. 22.

SUMMARIA

Negotiorum gestor non praestat casum fortuitum. num. 1.
Limitatur. 2.

Negotiorum gestor non praestat casum fortuitum, nisi in se susceperit id, *Auctor in l.* 3. 1
ff. h. t. num. 13. quod in aliis contractibus etiam verum; sed habet hoc exceptiones suas, I. Si 2
Pupilli negotia gessit, per *l.* 2. *h. t.* II. Si quis depraedandi animo accedat per *l.* 6. §. 3. *ff. h. t.* III. Si fiat quid, quod Principalis facere non solebat, per *l.* 11. *ff. h. t.* IV. Si culpa, vel mora praecesserit casum per *l.* 22. *ff. h. t.* V. Si post gestionem, reverso Domino, et de gestione certiori facto, et cum de ratihabitione disputatur, negotium gerens in se periculum suscipiat, *l.* 10. *pr. ff. h. t.* de quo *Bacchov. in Treutl. d. disp. th.* 5. *lit. A.* quamvis *Molin. disp.* 553. *n.* 5. alium casum proponat, in quo etiam negotiorum gestor in se periculum suscipiat, v. g. Si Dominus negotiorum gestorem monuit, ne se absente sua negotia alter gereret; nisi ea lege, ut teneretur de casu fortuito. Et has exceptiones proponit *Molina d. l. et Disp.* 554. *num.* 3. *et seqq.* His enim casibus Negotiorum gestor etiam casum praestat.

L. Negotiis gestis. 23.

SUMMARIA

An Negotiorum gestoris bona Domino sint obligata? num. 1.
Per rem in l. 46. ff. de O. et A. *ipsa administratio, non bona intelliguntur.* 2.
Actio negotiorum gestorum in personam est. 3.

Quaeritur; *An negotiorum gestoris bona Domino sint obligata?* Videtur quod sic, ex *l.* 46. 1
ff. de Obl. et Act. Sed negatur hic, quia ibi per 2
rem ipsa administratio, non bona intelliguntur. Est enim haec actio in Personam; quia ex qua- 3
si contractu oritur, per §. 1. *Inst. de Obl. quae ex quas. contr.*

L. Si quis nolente. Ult.

SUMMARIA

An is, qui praesente, et prohibente domino negotia ejus gessit, habeat actionem negotiorum gestorum? num. 1.
Cum invito, et prohibente nec contrahitur, nec quasi contrahitur. 2.
Limitatur. 3.
Pro alio invito solvi potest. 4.
Beneficium solutionis pro invito factae non operatur aliquid in persona debitoris, qui id respuit. 5.
Sed in persona creditoris. 6.
Nec datur solventi contra hunc actio. 7.
Qui pro alio, quem invitum credit, solvit, non habet spem repetitionis. 8.
Judicium Auctoris *circa hanc quaestionem.* 9.
An non in foro conscientiae interiori ille, cujus inviti, et reluctantis quidem negotia sunt gesta, quique ob id locupletior factus eatenus, quatenus locupletior factus, sumptus teneatur restituere, quamvis in foro exteriori non teneatur? 10.
Nemo debet cum alterius damno locupletari. 11.

1 Si quis praesente, et prohibente Domino, ne-
gotia ejus gerat, quaeritur, an habeat actionem
negot. gest.? Negatur, si post prohibitionem
gessit; et gestor contrariam voluntatem scivit,
Riminald. cons. 132. *num.* 32. *et seqq.* alias enim
Dominus dolo in medio actu prohibere posset,
et ditari alterius labore: Sed de his expensis,
quae ante prohibitionem factae, gestor habet ne-
gotiorum gestorum actionem; de subsequentibus
2 non. Collige: cum invito, et prohibente nec con-
3 trahi, nec quasi contrahi, nisi in iis favor publicus
versaretur expensis, ut si eas quis faciat ad liberan-
dum hominem a morte, mutilatione, gravi mor-
bo, aut carcere, vel pro muliere maritanda; aut
aliter publicus favor in eis faciendis versetur,
licet is, cujus negotia sunt, contraxerit, *Molina
disp.* 551. *num.* 1. *Gomez t.* 2. *resol. cap.* 13.
num. 11. *Tiraq. de Nobilit. cap.* 2. *num.* 38. *Ro-
manus singul.* 124. Illud vero non est contra
4 Regulam, quod pro alio invito solvi possit, *l.*
23. *et l.* 40. *ff. de solut.* quia hoc beneficium
5 solutionis non operatur aliquid in persona debi-
6 toris, qui id respuit, contra quem etiam sol-
7 venti nulla datur actio per *hanc legem*; sed
tantum in persona creditoris, qui id jure suo
accipit, *Bacchovius in Treutl. vol.* 2. *Disput.* 29.
th. 3. *lit. B.* Ex hac lege colligitur: Eum, qui 8
pro alio, quem invitum credit, solvit, non ha-
bere spem repetitionis, *Auctor l.* 39. *ff. h. t.
num. seqq.* certo enim scit ille, qui pro alio sol-
vit, debitorem, si sciret, reluctaturum, et pro-
hibiturum, ex ratione hujus legis; nam quomodo
dici potest, illum alterius negotium gerere, qui
scit altero invito id fieri, et contra ejus volun-
tatem? Imo alteri etiam damnosum, dum sol-
venti paratam pecuniam solvere tenetur, qui
alia habuisset media solvendi. Cogitandum hoc 9
lectori relinquo, et an non debitor creditori ju-
ramentum deferre possit super hoc, an ne sol-
vens pro alio putaverit, hoc illi gratum fore. In-
terim conscientiae cujusque illud relinquo, an
hoc beneficium solutionis sibi invito ab alio con-
ferri velit. Sed, Quaeritur etiam? An non in foro 10
Conscientiae interiori, ille cujus inviti, et relu-
ctantis quidem negotia sunt gesta, quique ob id
locupletior redditus, sumptus teneatur restitue-
re, quamvis in foro exteriori non teneatur, cum
nemo locupletior fieri debeat cum alterius da- 11
mno, et alter suis sumptibus rem alterius fami-
liarem auxerit? quod quidem *d. l.* negat *Molina*:
sed id ulterius cogitandum relinquimus.

TITULUS XX.

De his, quae vi, metusve causa gesta sunt.

L. Persecutionem. 1.

SUMMARIA

Res ejus periculo perit, qui eam furto surripuit, aut metu extorsit. num. 1.
Post moram periculum est debitoris. 2.
Fur semper in mora est. 3.
Nec hic, ut alias, distinguitur inter rem apud Dominum eodem modo perituram, vel non perituram. 4.
Hic ex ipso delicto incipit mora. 5.
Limitantur num. 1. *dicta.* 6.
Quandoque aliquis melioris est conditionis post condemnationem; quam cujus antea fuit. 7.
Variae hujus rei afferuntur rationes. 8.
Hilliger, et Lyclama *notantur.* 9.

1 Res ejus periculo perit, qui rem furto surri-
2 puit, aut metu extorsit, quia post moram pe-
riculum est debitoris, *l. quod te* 5. *ff. Si cert.*
3 *petat. ibique Auctor num.* 1. Fur autem semper
in mora est, *l.* 17. *ff. de Condict. furt. Auctor*
4 *in l.* 8. *ff. de cond. furt. num.* 5. Nec hic distin-
guitur, utrum eadem res eodem modo apud
Dominum peritura fuisset, an non; licet enim
alias, ubi quis ex mora periculum substinet rei,
distingnatur, utrum casu fatali eodem apud
Dominum res peritura fuisset, praesertim quan-
do certum est, Dominum rem interim non fu-
isse alienaturum, et rem suo fato certo apud Do-
minum perituram, *Jason. d. l. quod te* 5. *ff. Si
cert. pet. num.* 28. *Decius ibid. num.* 16. *Covarr.
in c. peccatum p.* 2. §. 6. *num.* 1. *Caroc. de de-
posito p.* 1. *titul. de casu num.* 3. *p.* 103. hic 5
tamen distinctio illa non obtinet, quia hic ex
ipso delicto incipit mora, et malum principium
ipsius possessionis, et ideo recte periculum,
undecumque proveniens, furi, vel raptori im-
putatur, *l.* 1. §. *rectissime ff. de vi, et vi arm.
Sichard. hic num.* 3. Sane si post sententiam se- 6
cundam, seu definitivam, qua reus condemna-
tur in quadruplum, res periret intra quatuor
menses, scilicet intra terminum a lege conde-
mnatis datum, tunc reus de interitu non tene-
retur, per *l.* 11. §. 11. *ff. h. t.* quia eo tempo-
re, quod ipsi a lege concessum est, in mora non
est, quod admiratione dignum, ut aliquis me- 7
lioris sit conditionis post condemnationem, quam
antea; ideoque varias ejus causas inquirunt. *Ant.* 8
Faber pro more in Tribonianum invehitur; *Go-
veanus* hanc putat esse rationem, quod post
sententiam transfusa sit prior actio in actionem
judicati, quam rationem displicere *Nobiliss. Hen-
rico a Sverin* refert *Hilliq. in Donell. l.* 15. *c.*
38. *lit. S.* Ideoque *Hilliger* Lyclamae sententiam 9
amplectitur, quia ante sententiam tripli poenae
locus non est, si itaque tunc liberaret interitus,
metus impunis relinqueretur. Sed haec ratio non
satisfacit quaesito, sed tantum ei quaestioni, cur
ante sententiam periculum sit ejus, qui metum
intulit; sed non satisfacit illi quaesito, cur post
sententiam metum inferens non substineat pe-
riculum. Ideoque adhuc rationem *Goveani* in
subsidium vocandam puto, vel hoc ad apices,
et subtilitates juris referendum.

L. Cum te non solum. 2.

SUMMARIA

An spontanea solutio debiti per vim promissi purget vitium in promissione admissum, et restitutionem impediat? num. 1.
Renunciasse videtur exceptioni, qui sponte solvit. 2.
Non repetitur, quod promissum per metum, si tamen sponte solutum sit. 3.
Videtur metus purgatus per actum posteriorem, quando ex intervallo fit, non in uno continuo actu. 4.
Alias etiam secundus actus videtur metu expressus. 5.
Non purgatur metus, si causa metus adhuc duret. 6.
Non habet locum purgatio metus, quando alia conjectura capi potest, quam purgationis metus. 7.
Exceptio simulationis opponi potest, non obstante renunciatione, nisi ex intervallo renunciatum. 8.
An non ex alio, et quo capite succurri possit metum passo? 9.

1 Quaeritur: An spontanea solutio debiti per vim
promissi purget vitium in promissione admissum, et restitutionem impediat? Videtur quod non,
ob *l.* 9. §. 3. *ff. h. t. et l.* 7. *ff. de Condict. ob turp.*
2 *caus.* Sed affirmatur, quia renunciasse videtur
exceptioni, qui sponte solvit, *argum. l. pen. C. de re judicata*, nam in *dicto* §. 3. agitur de solutione per vim expressa, et in *d. l.* 7. agitur
de repetitione ob turpem causam, quae hic non
3 negatur. Nota: non repetitur quod promissum
per metum, si tamen sponte solutum sit. Tunc
4 autem per actum posteriorem videtur purgatus
metus primo, quando ex intervallo fit non in
5 uno continuo actu; nam alias etiam secundus
actus videtur metu expressus, *Tiraq. de retr. convent.* §. 1. *gl.* 5. *num.* 21. *Farinac. p.* 2. *fragment. lit. M. num.* 138. *Guttierez. in repet. L.*
6 *Nemo potest ff. de legat.* 1. *n.* 380. Deinde non
purgatur metus, si causa metus adhuc duret, *Gail. L.* 2. *obs.* 93. *num.* 30. *Ricc. coll. dec.* 878. *circa fin. Mascard. concl.* 1055. *num.* 36. v. g. vivo marito, vel patre non cessat metus, *Mascard. de probat. concl.* 1055. *num.* 34. 36. *et* 40. *Thes. lib.* 1. *q.* 51. *n.* 19. Nec lex de metus causa continua loquitur, *Thesaurus d. L. num.* 20. De-
7 mum haec purgatio metus locum non habet,
quando alia conjectura capi potest quam purgationis metus, *Trentac. l.* 1. *Resol. tit. de his, quae vi metusve causa Res.* 1. *num.* 42. *Jason. in l. Si ob turpem num.* 3. *ff. de condict. ob turp. caus.*
8 *Boer. dec.* 100. *num.* 16. Colligitur etiam ex te-
xtu: Exceptionem simulationis opponi posse, non obstante renunciatione, nisi ex intervallo renunciatum sit, *Vasq. de success. creat. lib.* 1. §. 9. *nu.* 17. *DD. communiter in l. Nemo potest ff. de legat.* 1. *Trentac. L.* 1. *Resol. tit. de simulat. Re-*
9 *sol. un. num.* 4. *et seqq.* Sed quaeritur: *An non*
ex alio capite succurri possit metum passo? Condictionem ex turpi causa dari putant, per *l.* 7. *ff. de Condict. ob turp. caus. Fachin. l.* 10. *c.* 16. et hunc laudans *Hillig. in Donell. L.* 15. *cap.* 38. *lit. O.*

L. Si vi vel metu. 3.

SUMMARIA

Quatenus is, qui coactus est vendere fundum, ejusve haeres, repetere possit fundum? num. 1.
Actio quod metus causa *datur contra quemvis possessorem, ut in rem scripta.* 2.
Etiam contra eum, ad quem ex metu illato aliquid pervenit. 3.
Exceptio quod metus causa *contra omnes datur, a quocumque metus sit illatus.* 4.
De quo pretio intelligendum, quod hic de pretio restituendo habetur? 5.
Quatenus longi temporis praescriptio actionem quod metus causa *tollat?* 6.
Quatenus longissimi temporis. 7.
Re per vim, ac metum vendita, datur tamen rei vindicatio, et sic retinetur utile dominium. 8.
Non vitiatur libellus, si quis rem ita venditam vindicet, si non offerat pretium. 9.

Qui coactus est vendere fundum, ille, vel ejus 1
haeres, potest fundum repetere, et a secundo,
vel tertio emptore, si modo pretium restituat,
nec fundus longo tempore sit praescriptus, quia
actio *quod metus causa* datur contra quemvis 2
possessorem, ut in rem scripta, *l.* 14. §. 13. *ff. h. t. Auctor in l.* 9. *ff. h. t. num.* 22. quia sequitur quemvis possessorum, et non datur tantum contra personam, quae metum intulit, sed datur
etiam contra eum, ad quem ex metu illato ali- 3
quid pervenit, *l.* 9. §. *ult. ff. h. t.* et multo ma-
gis Exceptio *quod metus causa* contra omnes 4
datur, a quocumque metus sit illatus, *l.* 7. *C. h. t. Zang. de Except. p.* 3. *cap.* 13. *num.* 99.
De pretio restituendo quod hic habetur, de illo 5
pretio intelligendum, quod accepit; qui enim contractum petit rescindi, non potest retinere pretium ex eo contractu acceptum, et quidem quod primus emptor dedit, ex iis, quae tradit *Tiraq. de retr. lign.* §. 12. *gl.* 1. *num.* 18.
Longi temporis autem praescriptio hanc actio- 6
nem tollit, quia datur hic contra tertium possessorem, et sic haec actio in rem scripta imitatur naturam realium, *Tiraquell. de retr. lign.*
§. 1. *gl.* 10. *num.* 14. Sed contra eum, qui me- 7
tum intulit, durat 30. annos, *Tiraq. d. l. Trentac. d. tit. Resol.* 2. *num.* 1. *et* 2. *Ant. Faber*
ad l. 21. §. *pen. ff. h. t.* Collige ex hoc textu: 8
Re per vim, ac metum vendita, dari tamen rei vindicationem, et sic retineri utile dominium, ut loquuntur. Confer. *Trentac. d. Resol.* 2. *num.*
4. ubi recte notat, non vitiari libellum, si quis 9
rem ita venditam vindicet, si non offerat pretium, cum eo ipso, quod in integrum restitutionem petit, omnia in integrum restituenda esse velit.

L. Si per vim. 4.

SUMMARIA

Quatenus actio quod metus causa *in quadruplum, quatenus in simplum detur? num.* 1.
Metus mortis, et cruciatus corporis praebet restitutionem, et actionem quod metus causa. 2.

Item vinculorum, et stupri, et carceris, et servitutis 3.
Item amissio bonorum omnium, vel majoris, aut insignioris partis. 4.
Quatenus metu gestum secuto consensu possit convalidari? 5.
Actio quod metus causa *est arbitraria.* 6.
Si alia actio detur, haec, ut extraordinaria, non datur. 7.
An rei vindicatio utilis concurrat cum hac actione? 8.
Intellectus verborum legis hujus: si alia actio non detur. 9.

1 Actio *quod metus causa*, si detentor, vel possessor, monitione Judicis spreta, restitutionem denegat, intra annum utilem, scil. a tempore morae, in quadruplum datur, ita tamen, ut vim passus pretium, quod acceperit, restituat, nec vim factam, subsecuta ratificatione, expresse, vel tacite approbaverit: et hoc quadruplum hodiernum obtinet, *Auctor in l.* 9. *ff. h. t.* quicquid dicat in contrarium *Groenwegen.* Post annum vero datur in simplum actio, cognitione Judicis praecedente, qua quaeritur, an ne detur alia actio, scilicet ex alio principio orta; nam ex hoc Edicto utilis vindicatio cum hac actione directa concurrit, *l.* 9. §. 6. *ff. h. t. ibique Auctor*
2 *num.* 19. Collige ex hac lege: I. Metum mortis, et cruciatus corporis praebere hanc restitutionem, et actionem, *Auctor in l.* 5. *ff. h. t.* verum haec exempli tantum gratia ponuntur; nam,
3 et vinculorum, *Auctor in l. ult. ff. h. t. num.* 7. et stupri, *Auctor in l.* 8. *ff. h. t. num.* 5. *et* 6. et carceris, *Auctor in l.* 22. *ff. h. t.* et servitutis metus, justam praebet restitutioni causam; cujus, servitutis scil. exemplum est *in d. l.* 8. *ff.*
4 *h. t. num.* 1. item justus metus est, si quis timeat amissionem bonorum omnium, vel majoris, aut insignioris partis, *Covarr. de Sponsal. p.* 2. *c.* 3. §. 4. *Alb. Gentil. l.* 3. *de Nupt. c.* 10.
5 II. Metu gestum secuto consensu, posse convalidari, sive expresse per verba, sive tacite per actus confirmetur, quod juxta ea, quae ad *l.* 2. dicta sunt, intelligendum est, si ex intervallo sequatur, causa metus cessante, et ubi non ex
6 alia causa gestum aliquid est. III. Hanc actionem esse arbitrariam, dum duplex sententia fertur; primo enim jubetur, rem metu extortam restituere, vel solvere, etc. quod quasi arbitrio Judicis relictum, cui nisi pareat Reus, sequitur sententia definitiva, et prior quasi interlocutoria est. Vid. *Bacchov. de Act. Disp.* 6. *et DD. ad* §. 31. *Inst. de Act. Duaren. ad tit. de in litem jurando num.* 18. *Auctor in l.* 14. *ff. h. t. num.* 2. Prior autem sententia in se quidem definitiva dici potest, sed quando secunda sententia sequitur, videtur quasi in interlocutoriam resolvi per *l.* 35. §. 1. *ff. de Rei vind. l.* 3. §. 3. *ff. de Reb. cor.*
7 *etc.* IV. Si alia actio detur, hanc utpote extraordinariam non dari, v. g. vim passus reliquerit me haeredem; non opus habeo restitutionis beneficio, quia possum petere haereditatem a violen-
8 to possessore, *l.* 14. §. 2. *ff. h. t.* Sed videtur Rei vindicatio utilis per *l.* 3. concurrere cum hac actione. Sed respondet *hic Sichard.* illam actionem ex eodem edicto dari; hic autem dum di-
9 citur, *si alia actio non detur*, de aliis heterogeneis actionibus sermonem esse, *Auctor in l.* 9. *ff. h. t. num.* 17.

L. Non interest. 5.

SUMMARIA

Sive quis per se, sive per alium metum inferat, ut rem meam minori pretio vendam, si alias vel non venditurus fuissem, vel pluris, datur restitutio. num. 1.
Sufficit docere, metum mihi esse illatum. 2.
Ex delicto alterius nemo aliquid lucrari debet. 3.
An actor praecise teneatur petere rescissionem totius contractus, aut supplementum pretii, an vero utrumque alternative? 4.
DD. *notantur.* 5.
Quod improbe actum in priorem statum debet revolvi. 6.

Sive tu mihi metum intulisti, ut rem meam 1
minori pretio vendam, sive alius tuo nomine, si alias, vel non venditurus fuissem, vel pluris, datur contra te restitutio. Ratio: *in l.* 14. §. 3. *ff.* 2
h. t. Sufficit enim docere, mihi metum esse illatum, nec tu ex delicto alterius aliquid lucrari 3
debes, *d. l.* 14. §. 3. atque idem etiam te, ceu emptore, ignorante per *d. l.* 14. §. 3., licet ratione periculi discrimen sit, *d. l.* 14. §. 5. Illud autem controversum: An actor praecise 4
teneatur petere rescissionem totius contractus, aut supplementum pretii, an vero utrumque alternative, ut in *l.* 2. *C. de Resc. vendit.* DD. plerumque secundum amplectuntur, et putant, 5
in hac lege duos casus proponi: I. Est in eo, qui vendere cogitur alias non venditurus. II. In eo, qui venditurus erat, sed justo pretio, coactus vero viliori pretio vendiderit; Sed quia fundamentum illud de duplici casu, admodum debile, et dubium est, et Imperator expresse constituit, ut quod improbe actum est, in priorem 6
statum revolvatur; ideo *Pinell. in l.* 2. *C. de Rescind. vendit. p.* 3. *c.* 1. *num.* 22. *et Vasqu. p.* 2. *controv. lib.* 3. *cap.* 65. *num.* 5. putant; peti deberi ipsam rem, et sic rescissionem contractus, ne metum passus invitus cogatur rem suam videre penes eum, qui metum intulit, et non parum lucraretur metum inferens, si tandem rem invito venditore retineret. Et sane dici potest, totum contractum metu esse extortum; Sed in eo, quod praecise teneatur rem ipsam petere, illis non assentior; quidni enim non liceret actori alternative petere rem, aut justum pretium? Et utroque modo contractus retractatur. Habet etiam communis sententia hanc difficultatem, quod metum inferens, cogatur rem retinere eo pretio, quo pretio nunquam emere voluit.

L. Ad invidiam. 6.

SUMMARIA

An laesus ex contractu cum Senatore inito habeat ex hoc edicto actionem, quasi ex dignitate contrahentis praesumatur metus? num. 1.
Ad invidiam meam dignitatem nocere non oportet. 2.
Ex sola dignitate non praesumitur metus, nisi alia indicia concurrant. 3.

Jactatio metus non sufficit sola. 4.
Metus reverentialis non parit restitutionem. 5.
Limitatur. 6.

1 Senator mecum contraxit; ego sum laesus; Quaeritur: *An ex hoc Edicto detur actio, quasi ex dignitate contrahentis praesumatur metus?*
2 Videtur quod sic, ob *l. pen. h. t.* Sed negatur, ob rationem in *princ. l.* positam, quod ad invidiam meam dignitatem nocere non oporteat, et *d. l. pen.* praesupponit impressionem metus
3 cum dignitate conjunctam; ex sola enim dignitate non praesumitur metus, nisi alia indicia
4 concurrant, et ideo jactatio metus non sufficit
5 sola. Collige: Metum Reverentialem nou parere
6 Restitutionem, nisi minae, mores tyrannici accedant, aut persona hunc metum passa sit nimis meticulosa, qua de re *Gomez t. 2. resol. c.* 14. *num.* 27. et innumeri *DD.* quos hic allegat *Barbosa*, et praeter eos *Farinac. p. 2. fragment. lit. M. num.* 118. *et seq. Alb. Gentil: de Nupt. lib.* 3. *cap.* 11. *Beust. de matrim. p.* 2. *c.* 44. et quos allegat *Hillig. in Donell. l.* 15. *cap.* 38. *lit. M.*

L. Si Donationis. 7.

SUMMARIA

Transactio, et omnis obligatio metu contracta rescinditur. num. 1.
Quatenus minae restitutionem pariant? 2.
Utilis actio datur ex metu amissionis omnium bonorum, et simili metu, qui in virum constantem cadit. 3.
Quatenus minor etiam metus sufficiat? 4.
An donatio, aut transactio metu inita sit nulla? 5.
Donatio vocatur Contractus. 6.
Probabilis suspicio metus parit rescissionem Contractus. 7.
Minae metum possunt incutere, si minas denuncians solitus fuerit exequi. 8.

1 Transactio, et omnis obligatio metu contracta
2 rescinditur, imo, et minae capitales, licet praesens metus mortis non sit, si tamen talis persona sit, quae soleat minas exequi, pariunt Restitutionem, *arg. l.* 9. *h. t. Gail. lib.* 1. *obser.* 4. *num.* 4. *et lib.* 2. *observ.* 93. *num.* 7. *DD. in d.*
3 *l.* 9. imo utilem actionem etiam ex metu amissionis omnium bonorum, et simili metu, qui in constantem virum cadat, *Trentac. tit. quod*
4 *metus causa Resol.* 1. *num.* 3. Imo, et minorem metum sufficere putant, si officium Judicis imploretur pro qualitate scil. personae, *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 135. *Covarr. de Sponsal. p.* 2. *c.* 3. §. 4. *num.* 8. *Gail. de P. P. l.* 1. *c.* 2. *num.* 5.
5 Quomodo vero ex hac lege sequatur, donationem, aut transactionem metu initam esse nullam, ut *Farin. p. 2. fragm. lit. M. num.* 42. *et Barbos. hic num.* 2. id equidem non video, cum Imperator ad Edictum se referat, quo non annullantur, sed rescinduntur tales contractus. No-
6 ta etiam: hoc loco Donationem contractum vocari, de quo *Mantic. p. 2. de tac. et amb. convent. lib.* 13. *tit.* 3. et infra commodius dicetur: facere hoc potest ad intellectum statutorum de contractibus loquentium. Collige etiam: quod 7
probabilis suspicio metus, pariat rescissionem contractus, *Mascard. de probat. concl.* 1055. *num.* 49. et quos allegat *Barbosa hic num.* 7. *et seqq.* Colligitur etiam: Minas metum posse incutere, 8
si minas denuncians solitus fuerit exequi, *Covarr. de matrim. p.* 2. *c.* 3. §. 6. *num.* 4. *Cypr. de Sponsal. c.* 13. §. 16. *Sanchez de matrim. l.* 4. *disp.* 1. *num.* 20.

L. Cum te domus. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An Tryphonius in dicta facti specie aedes quasi metu venditas repetere possit? 2.
Metus debet probari. 3.
Metus Civilium munerum non est metus justus. 4.
Quomodo metus probandus remissive? 5.
Duobus testibus de metu deponentibus magis credendum est, quam mille negantibus. 6.

Tryphonius a civitate mutuo sumpserat fru- 1
menti quantitatem, dato a se chirographo; restituit frumentum, sed non ipsi redditur chirographum; postea Tryphonius suas aedes cum horto vendit hoc fine, licet non expresso, ut instrumentum ipsi restitueretur: Deinde timore, ne ad civilia munera vocaretur. Quaeritur; 2
An aedes quasi metu venditas repetere possit? Resp. ex neutra causa repetere potest: non ex prima per *l.* 7. *C. de Condict. ob caus. dat* nec ex posteriori per *l.* 9. *princ. ff. h. t.* Colligunt ex hoc: Metum debere probari; *Auctor in l. ult.* 3
ff. h. t. ab initio, quod allegatis multis confirmat *hic Barbosa*, sed id per se liquet; melius colligitur: quod metus civilium munerum non 4
sit metus justus. Quomodo autem metus pro- 5
bandus sit, de eo vid. *Mascard. concl.* 1056. Il- 6
lud etiam communiter receptum, duobus testibus de metu deponentibus, magis credendum esse, quam mille negantibus, quia hi de actu mentali deponerent, illi vero de violentia, et aliis actibus metum incutientibus, qui in oculos incurrent, *Mascard. concl.* 1057. *Pacian. de probat. l.* 1. *c.* 50. *num.* 21. *Thom. Merchkelbach. inter consilia Klockii vol.* 1. *cons.* 29. *num.* 524.

L. Metum. 9.

SUMMARIA

Metus non potest probari minis per jactantiam effusis. num. 1.
An protestationibus? 2. 4.
An jactatio indicium faciat ad torturam, remissive? 3.
Quomodo metus probetur, remissive. 5.

Metus non potest probari minis per jactan- 1
tiam effusis, nec etiam protestationibus, si quis 2
metu, non sponte, se facere contestetur, quia

atrocitas facti requiritur, *d. l. 9. princ. ff. h. t.*
3 De minis antea dictum; *An autem jactatio faciat indicium ad torturam?* de eo *Mascard. de*
4 *probat. concl.* 871. Sed circa protestationem distinguit *Trentac. in hoc tit. resol.* 1. *num.* 38. an actus ab unius voluntate dependeat, an vero duorum, ut illic protestatio metum probet, hic
5 non, nisi aliae conjecturae concurrant. Quomodo autem metus probetur, vid. *Mascard. concl.* 1056. *Thesaur. l.* 1. *q.* 51. et alii, quos refert *Bacchov. hic num.* 4. *Meichsn. t.* 1. *decis.* 15. *num.* 5. *et seqq.*

L. Accusationis. 10.

SUMMARIA

An qui metu accusationis aliquid promittit, juvetur hoc Edicto? num. 1.
Qualis vis hic consideretur? 2.
Metus injustae accusationis non parit restitutionem. 3.
Nec prodest metus excommunicationis injustae. 4.
Injusta excommunicatio non ligat apud Deum. 5.
Metus justae accusationis non prodest, nec parit restitutionem. 6.
Ad quaenam Edictum Q. M. C. pertineat? 7.
Metus infamiae, quam quis mihi minitatur, justus non est. 8.
Infamem nemo facere potest, nisi lex, aut judex. 9.
Intellectus l. 7. ff. *h. t.* 10.
Revocatio in servitutem a privato non potest exerceri, sed requirit auctoritatem judicis. 11.

1 Quaeritur: *An qui metu accusationis aliquid promittit, juvetur hoc Edicto?* Videtur quod sic, per *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* Sed negatur per *l.*
2 3. §. 3. *ff. h. t.* Non enim ea vis hic consideratur, quam Magistratus irrogat, quia *d. l.* 7. de metu violentiae privatae loquitur, sed ex alio capite, si quid expresse datum, ne accusares, potest repeti, modo accusatio calumniosa, *l.* 65.
3 §. 1. *de condict. indeb.* Collige: Metum injustae accusationis non parere restitutionem, sic me-
4 tus *injustae* excommunicationis non prodest, cum
5 injusta excommunicatio non liget apud Deum,
6 *Pan. in c. pen. X. h. t. num.* 6. Et metus justae accusationis non prodest, quem quis sua culpa incurrit, nec parit restitutionem, *l. si mulier* 21. *ff. h. t. et Pan. in c.* 2. *X. h. t. num.* 7. Col-
7 ligi etiam potest: Edictum ad ea pertinere, quae facto privati auferri possunt, nam quamvis accusare me omnes possint, non est tamen in potestate eorum me condemnare, sed in pote-
8 state Judicis. Sic si quis infamiam mihi minitetur, non est hic justus metus, quia infamem
9 me nemo facere potest, nisi lex, aut Judex, *Bacchov. in Treutl. d. disp. th.* 4: *lit. H. Auctor in*
10 *l.* 7. *ff. h. t. num.* 1. Et ideo, quod in *d. l.* 7. *ff. h. t.* habetur, non de metu accusationis, sed de metu prodendae turpitudinis accipiendum, et exinde etiam ratio decidendi in allegata *l.* 21.
11 sumi potest, quia revocatio in servitutem a privato non potest exerceri, sed requirit auctoritatem Judicis, *Bacchov. d. l.*

L. Si per impressionem. 11.

SUMMARIA

Officiales res subditorum emere prohibentur. n. 1.
Quid si quis per impressionem emeret? 2.
Vendens quid ementi per impressionem habet restitutionem ex hoc edicto, nec restituit pretium. 3.
Dupliciter peccat officialis, vel magistratus per impressionem metus cum subjectis contrahens. 4.
An dicta in Magistratibus etiam perpetuis locum habeant? 5.
Impressionis metus etiam in perpetuos Magistratus cadit. 6.

Officialibus interdicitur, ne res subditorum 1
emant, *l.* 46. *et* 62. *pr. ff. de Contrah. Empt. l. un. C. de contract. jud.* Si ergo quis, per im- 2
pressionem quid emit, i. e. fretus potestate officii sui hoc persuaserit, ut ipsi venderet venditor, ex interpretatione habet restitutionem ex 3
hoc Edicto venditor, nec restituit pretium, quod hic speciale, aliud enim juris communis est per *l.* 3. *h. t.* idem est, quando per interpositam personam emit. Dupliciter autem peccat Officia- 4
lis, vel Magistratus per impressionem metus cum subjectis contrahens; primo dum contra legem contrahit cum subjectis, contra *t. tit. C. de Contract. judic. et l. un. C. Si Rector Provinciae etc.* et deinde per violentiam contrahit. Et quam- 5
vis *Sichard. hic* aliique *DD.* in Magistratibus perpetuis hoc locum non habere putent, per *l.* 34. *ff. de Contrah. Empt. Treutl. vol.* 1. *disp.* 20. *th.* 4. *lit. B.* tamen de eo dubitat *Bacchov. in Treutl. d. l.* cum et impressionis metus in per- 6
petuos Magistratus cadat, et *l. un.* §. 1. *C. de Contr. judic. et l.* 3. *C. de Contrah. empt.* indistincte loquantur. Sed hac de re dictum supra *de Contractibus Judicum.*

L. Venditiones. ult.

SUMMARIA

Hac lege praecedens lex ad donationem, et transactionem, eumque casum, si officialis me compellat, ut alteri vendam, extenditur. num. 1.
Officialis tempore officii nec emere quid potest, nec donatum accipere a subjecto. 2.
Impressio ex potentia non statim probatur. 3.
Quatenus preces Princip. instar minarum sint? 4.

Haec lex legem praecedentem extendit ad Do- 1
nationem, et Transactionem, et ad eum etiam casum, si Officialis me compellat, ut alteri vendam. Collige: Officialem, tempore officii, nec 2
emere quid posse, nec donatum accipere a subjecto: *textus in praeced. lege citati.* Collige etiam, ex verbo, *extortae*, non statim ex po- 3
tentia probari impressionem, *Sanchez de matrim. l.* 4. *disp.* 8. *num.* 1. *Barb. hic.* Nec ergo Universale illud: Preces Principum esse instar mi- 4
narum; nam hoc de Tyranno intelligendum, non bono Principe, *Decius cons.* 249. *Menoch. cons.* 431. *num.* 32.

TITULUS XXI.

De Dolo malo.

L. Si fidejussor. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An in proposita facti specie possit debitor empta pignora a fidejussore recuperare? 2.
Qua actione? 3.
Actiones doli, et mandati famosae sunt. 4.
Cur actio doli cum actione mandati concurrat? 5.
Donellus, Cujac. Pacius *notantur.* 6.
Item Arumaeus, *et* Barbosa. 7.
Solvitur objectio ex l. 5. ff. h. t. 8.
Actio etiam ex privato delicto famosa cum actione doli concurrit. 9.
In fidejussore, qui rem debitoris Creditori pignori obligatam ipse emit a Creditore, dolus praesumitur. 10.

1 Clementina mutua sumpserat centum, et obligavit pro iis pignora, simulque dedit fidejussorem Titium: huic fidejussori creditor vendit pignora, ex data sibi potestate distrahendi. Quaeritur, *An possit debitor empta pignora a fidejus-
2 sore recuperare?* Quod affirmatur, quia tacite hoc actum videtur inter debitorem, et fidejussorem, ut hic in eventum solvat, et liberet pi-
3 gnus, non emat. *Sed qua actione recuperat?* Resp. actione doli; licet enim et mandati detur
4 *l.* 59. §. 1. *ff. Mandati*; quia tamen utraque famosa, *Auctor in l.* 1. *ff. de his, qui not. inf. num.* 1. *et l.* 2. *ff. de dol. mal. num.* 7. non interest, quae illarum detur, *arg. l.* 9. *ff. h. t.* Sunt quidem plures nodi hujus solutionis, cur actio do-
5 li cum actione mandati concurrat; nam actionem mandati hic dari, probat *l.* 59. §. 1. *ff. Mandati.* Communissima sententia est, per actionem de dolo hic ipsam mandati actionem intelligi,
6 quam et probat *Donell. l.* 15. *cap.* 40. *et Cujac. l.* 3. *obs.* 37. *Pacius Cent.* 2. *qu.* 74. et quos in *Donell.* citat *Hilliger.* Sed cum ita lex ad hunc titulum non pertineat, et ita lex esset fugitiva, ideo
7 *Arumaeus*, et cum eo *Barbos. hic num.* 4. putant, hic fidejussorem ad tempus fidejussisse. Sed divinatoria haec solutio. Alii vero aliter, ut *Hillig. d. l. lit. Z.* Sed expeditissima haec videtur, quae supra a me *ex l.* 9. §. 2. *ff. h. t.* data, quae est *Ant. Fabri de errorib. pragmat. decad.* 9. *err.* 4. *et Bacchov. in Treutl. d. disput.* 11.
8 *th.* 6. *lit. E.* Nec obstare videtur *l.* 5. *ff. h. t.* ubi actio tutelae, et ipsa famosa, excludit actionem doli, quia est de casu singulari diversarum personarum, et ut unius famae consulatur, actio tutelae potius in tutorem conceditur, cujus in ea specie major est culpa. Sed ubi contra eumdem utraque actio datur, nihil ejus interest, ultra conveniatur, ut respondet *Bacchovius d. l.*
9 qui etiam actionem ex privato delicto famosam, cum actione doli concurrere per *l.* 18. §. 3. *de dolo*, juncta *l.* 52. §. 22. *de furtis* statuit. Confer. *Celsus Bargalius de dolo lib.* 4. *cap.* 1. *quaest.* 13. *num.* 78. Collige: In fidejussore, qui rem debitoris creditori pignori obliga- 10
tam ipse emit a Creditore, dolum praesumi, *Mascard. de probat. concl.* 532. *num.* 91. quia fidejussor debet pignora potius luere, ne pereant aut vendantur; non autem emere ad propriam utilitatem; Imo poterit emere, modo restitutionem non neget, ex *Corneo in hac lege, Steph. Gratian. tom.* 3. *discept. cap.* 459. *num.* 26. *et seqq.*

L. De dolo actio. 2.

SUMMARIA

Quatenus locus sit actioni de dolo? num. 1.
Cum actione doli concurrit etiam actio quod metus causa, *et quare?* 2.
Quaenam hic in causae cognitione attendenda? 3.

Quando nulla alia actio competit, datur actio 1
de dolo, *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 6. et quidem causa cognita; sed quando alia actio datur, tunc haec actio doli locum non habet, *Auctor in l.* 2. *ff. h. t. num.* 1. *et l.* 9. *eod. num.* 1. *et seqq.* nisi dubium sit, an alia actio detur, quo quidem referunt *l.* 5. §. 3. *ff. de praescript. verb.* juncta *l.* 15. *et* 23. *eod. tit.* Sed melius respondet *Donell. d. l.* 15. *cap.* 40. quando de revocando facto agitur, quia nulla condictio facti per naturam esse potest, datur actio de dolo, *l.* 6. *c. de Transact.* Sed si ad implementum agatur, seu in id, quod interest, datur actio praescriptis verbis. Cum actione doli concurrit 2
etiam actio *quod metus causa, l.* 14. §. 13. *ff. quod met. caus. ibique Auctor num.* 21. Cujus quae sit ratio, non est in aprico: varie hac de re loquuntur, quos allegat *Treutl. d. th.* 6. *lit. F.* aliter *Donell. d. cap.* 40. *lit. D.* qui concursum negat: aliter ibid. *Hillig.* qui actionem de dolo dari materialiter intelligit, quae fuit etiam Responsio Doctorum ad *l.* 1. *C. h. t.* et a me *l.* 1. relata; aliter *Bacchovius d. lit. F.* qui cum communi Schola concedit concursum, quam sententiam sequendam puto, licet scrupulo omni non careat. Qui plures Exceptiones scire vult, adeat *Donellum,* et alios supra relatos. In causae co- 3
gnitione autem, quam lex nostra requirit, attenditur 1. Persona, contra quam haec actio petitur dari. 2. An aliud remedium competat, de quo ad *l.* 1. *et* 2. *h. t.* 3. Quantitas rei petitae. 4. Tempus.

L. Non possunt. 3.

SUMMARIA

An ei, qui absens est Reip. causa, currat biennium actioni de dolo praescriptum? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.

Absenti Reipubl. causa datur restitutio. 3.
An haec lex per l. ult. *corrigatur?* 4.

1 Quaeritur: *An ei, qui absens est Reipubl. causa, currat biennium actioni de dolo praescri-*
2 *ptum?* Affirmandum videtur per *l. ult. h. t.* Sed
3 negatur hic, vel quia absenti Reip. causa datur Restitutio, vel quia Exceptio datur regulae, quae in *l. fin.* habetur, ut huic jura intacta serventur, *l. fin. C. ex quibus caus. in integr. restit.*
4 atque ita puto, hanc legem per *l. ult.* non corrigi, sed hic exceptionem contineri hoc sensu: quamvis biennium hodie continuum praescribatur actioni doli, hocque tempus sit continuum, adeo ut etiam ignoranti currat, non tamen currere absenti Reip. causa, sicut ita intelligere hanc legem videtur *Meserus in Colleg. Argent. h. t. th.* 59. *Hillig. d. cap.* 40. *lit. Kk.*

L. Cum proponas. 4.

SUMMARIA

Quae actio detur in Contractu innominato facio ut des, *ubi fides non servatur. num.* 1.
Variae circa hanc quaestionem DD. sententiae, remissive. 2.
Auctoris de hujus quaestionis praxi judicium. 3.
Actor nomen actionis hodie in libello exprimere non tenetur. 4.

1 In Contractu innominato *facio ut des*, v. g. manumitto ancillam, vel trado tibi ut manumittas, quo aliud mancipium des, si non serves fidem, nec factum sit revocabile, ut manumissio, datur actio de dolo ad interesse; sed si factum est revocabile, tunc aut tradidi dominium, et datur condictio ob causam, vel praescriptis verbis; aut non tradidi dominium, v. g. quia fidem de pretio non habui, et datur rei vindicatio,
2 vel praescriptis verbis. Variae quidem de hac re sententiae sunt, quas *Bacchov. in Treutl. vol.* 1. *Disput. ult. th.* 10. recenset, et examinat; Sed
3 de eo plura hic loqui non vacat, praesertim, cum haec quaestio in scholis, non in foro, neque tribunalibus ventiletur, neque videatur haec quaestio in judicium deduci, ut Judex super ea
4 pronunciare teneatur, praesertim cum actor hodie nomen actionis non teneatur exprimere, *Bacchov. d. l.* Conf. *Donell. in tract. de Praescript. Verb. cap.* 10. *et seqq.*

L. Si superstite. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quando actio in factum actioni de dolo surrogetur? 2.
Contra dominum feudi Vasallus actione in factum agere debet. 3.
Non datur actio doli prodigo contra hominem vitae emendatioris. 4.
Nec si modica summa sit. 5.
Formula actionis in factum. 6.
Dolus ex enormissima laesione praesumitur. 7.
Menochius *notatur.* 8.
Lex 2. C. de resc. vend. *etiam ad transactionem pertinet.* 9.
DD. *notantur.* 10.
De quonam dolo hic sermo sit? 11.

Cum emancipatus essem a Patre, mortua est mater, cui successi, et Pater, ut legitimus tutor, mea bona administravit fraudulenter. Transigo tamen, majorennis factus, cum Patre, et quidem per Novationem i. e. Aquilianam stipulationem, et Acceptilationem, sed immodice laesus sum, i. e. supra dimidium; Quaeritur: quid mihi faciendum? R. Si nuda conventione transactum, vetus actio tutelae daretur, et si Pater exciperet de transactione, replicarem in factum i. e. tacite de dolo: Sed cum ea actio sublata 2
sit, non datur aliud remedium, quam actio in factum, quae surrogatur in locum actionis de dolo, vel ob conditionem personae, ut si talis sit, cui reverentia debetur, ut hic, et Patronus, *Auctor l.* 11. *ff. h. t. num.* 1. *et seqq.* et hujus exemplo Dominus feudi, contra quem Vasallum 3
actione non doli, sed in factum agere debere volunt *Sichard. hic, Freher. l.* 2. *de exist. cap.* 7. *num.* 5. *Vult. de feud. l.* 1. *cap.* 11. *num.* 27. Sic etiam non datur prodigo contra hominem 4
vitae emendatioris, *l.* 11. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 2. Idem si modica summa *l.* 9. *§. fin. et* 5
l. seqq. ff. eod. Donell. c. 11. et Conf. idem *Donell. et ibi Hillig. l.* 21. *cap.* 12. *lit. X.* Formu- 6
lam autem actionis in factum ita describit *Sichardus hic num.* 8. quod bonae fidei non conveniat, ut Parens v. g. cum filii detrimento locupletetur, instrumenta haec non fuisse producta etc. Colligunt ex hac lege, dolum ex enor- 7
missima laesione praesumi, *Covarr. in cap. quamvis pactum pag.* 3. *§.* 1. *num.* 5. *et lib.* 2. *Resol. c.* 4. *num.* 5. *Mascard. concl.* 532. *num.* 25. *et.* 28. et quos hic allegat *Barbos. num.* 7. quod *Menoch. l.* 5. *praesumpt.* 3. *num.* 69. intelligit 8
non tantum de enormissima, sed etiam enormi laesione, praesertim, cum lex de immodica laesione loquatur, sed hoc dubium. Colligunt etiam 9
nonnulli: *legem* 2. *C. de resc. vend.* etiam ad transactionem pertinere, quos sequitur *Mantic. l.* 26. *de tac. et amb. Convent. titul.* 9. *num.* 25. *Carpz. p.* 2. *Jurisp. forens. Const.* 31. *def.* 1. Illud obiter hic notandum duxi: non bene con- 10
venire haec duo, quando ponunt *DD.* hic dolum expressum, et tamen ex immodica laesione colligi dolum; nam si expressus fuit dolus, non opus fuit enormi laesione, si autem praesumitur, non est expressus. Ideoque dicendum, hic 11
de expresso dolo sermonem esse, non vero de eo qui ex enormissima tantum laesione, sed etiam ex aliis argumentis probatur, *Cothman. vol.* 2. *cons.* 53. *num.* 117. *et seqq. Zasius lib.* 1. *cons.* 18. *num.* 16 *et Dn. Mevius p.* 1. *dec.* 31. *num.* 2.

L. Dolum. 6.

SUMMARIA

Dolus potest probari indiciis, conjecturis, praesumptionibus: et quare? num. 1.
Quibus praesumptionibus? 2.
Quibus conjecturis? 3.
In delictis praesumitur dolus. 4.
De quibus factis lex haec intelligenda? 5.
Doli praesumptiones quaedam recensentur. 6.
Plures, remissive. 7.

1 Dolus potest probari indiciis, sed maxime perspicuis. Cur autem indiciis, conjecturis, et praesumptionibus probari possit, reddunt hanc rationem, quod lateat in animo, difficilisque sit probationis, directeque probari non possit, post *Sichard. Mascard. concl.* 531. *num.* 1. *Menoch. lib.* 1. *de praes. q.* 58. *num.* 58. *Farin. prax. crim.*
2 *q.* 189. *n.* 16. et quidem praesumptionibus non tantum legis, sed et hominis, *Menoch. d. quaest.*
3 58. *num.* 20. *Farin. d. l. num.* 20. Quae autem conjecturae dolum probent, id arbitrio Judicis committendum cum *Mascard. d. concl.* 531. *in fin. et Farinac. d. qu.* 89. *num.* 25. Sed in deli-
4 ctis praesumitur dolus, ideo intelligenda haec
5 lex de factis sua natura non prohibitis, *l.* 5. *C. de Injur. l.* 1. *C. de Sichar.* modo non Reus alleget, et probet qualitatem aliquam, quae actum per se, et sua natura illicitum, posset reddere licitum, post *Alexandrum in l. Non solum* §. *Sciendum num.* 5. *ff. de Nov. Oper. Nunc. Me-*
6 *noch. lib.* 5. *praes.* 3. *num.* 49. Doli autem praesumptiones sunt, quando quis non facit quod facere debet, per *l. Dolus* 44. *ff. Mandati, Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 208. *num.* 35. *et in d. praes.*
7 3. *num.* 66. *Mascard. concl.* 532. *num.* 21. Item quando quis per personam interpositam contrahit, *l.* 5. §. 3. *ff. de Auct. tut. Mascard. d. concl.* 532. *num.* 173. Item quando quis clam aliquid committit, *l. fin. ff. de Ritu nupt. Menoch. d. praes.* 3. *num.* 107. Plures praesumptiones licet petere ex *Mascardo, et Menoch. dd. ll. et Celso Bargalio in tr. de dolo, et Barbos. axiom. locuplet. t.* 4. *cap.* 44. *axiom.* 3. *et* 16.

L. Si Major. 7.

SUMMARIA

Dolo inductus ad repudiandam haereditatem actionem de dolo exercere potest, et quare? num. 1.
Petitio haereditatis est bonae fidei. 2.
Respondetur ad rationem dubitandi. 3.

1 Dolo inductus, ad repudiandam haereditatem, actionem de dolo exercere potest; Ratio *in l.* 2. *h. t.* nam substituta instituto, per dolum, reticendo vera, fingendo falsa, persuaserat, ut institutus haeres renunciaret haereditati. Poterat hic dici, forte nullam esse renunciationem, cum enim petitio haereditatis sit bonae fidei, et sic 2
persuasio dolosa facta ad petendam haereditatem ipso jure nulla erit. Ergo etiam persuasio ad distractum reddet cum ipso jure nullum. Sed Resp. *Sichard. hic*, Renunciationem haereditatis 3
non esse nudum distractum, cum renuncians non videatur subsistere in terminis distractus, sed simul jura a se abdicaverit, et substituto sua jura cesserit, quo casu persuasio dolosa ad contractum b. f. traditione consummatum, eumdem non reddit ipso jure nullum, *Sichard. hic.*

L. Optimum duximus. ult.

SUMMARIA

Actio doli datur hodie intra biennium continuum. num. 1.
Currit hoc tempus ignoranti. 2.
Regulariter tempora praescriptionum non currunt ignorantibus. 3.
Currit etiam absenti. 4.
Limitatur. 5.
Nec continuatur actio litis contestatione. 6.
Bacchovius *notatur.* 7.
Quid si actoris culpa intra biennium non finiatur ista actio? 8.
Quid si dolo Rei? 9.
Quid si culpa judicis? 10.
Post biennium ne in simplum quidem datur. 11.
Limitatur. 12.
Actio in factum est perpetua. 13.
Item exceptio doli. 14.
An haec lex abolita per l. ult. C. de temp. restit. 15.

Actio doli datur hodie intra biennium conti- 1
nuum, quod tempus currit ignoranti, cum re- 2
gulariter tempora praescriptionum non currant 3
ignorantibus, quod *Tiraq. de Retr. lign.* §. 35. *gloss.* 4. *num.* 1. *et seqq.* variis exemplis declarat. Sed in hoc exemplo et *l. fin. C. de Praescr. longi tempor.* exceptio datur. Vid. *idem Tiraq. d. l. num.* 8. *et seq.* Currit etiam absenti, modo 4
Reip. causa non absit, *l.* 3. *h. t.* nec continua- 5
tur actio litis contestatione, ut *hic Gl. et DD.* 6
communiter intelligunt, quamvis illud velit *Bac-* 7
chov. in Treutl. d. Disp. 11. *th.* 7. *lit. F.* qui tamen sententiam suam mutasse videtur *ad l.* 4. *Pandect. in cap. de Tempore petendi restitut. num.* 5. Ratio optima forte est in gravitate hujus judicii. Si vero actoris culpa intra id tempus actio 8
non finiatur, de se queratur; Si dolo Rei, nova 9
de dolo actio competit, *l.* 1. §. 6. *in fine et l.* 18. §. *pen. ff. h. t.* Si culpa Judicis, is punitur, 10
l. 13. §. 8. *C. de Judic.* Post biennium ne in sim- 11
plum quidem, nisi quantum ad eum pervenit, actio datur, *l.* 28. *ff. h. t.* nam actio in factum est 13
perpetua, *Sichar. hic* per *l.* 28. *et* 29. *ff. h. t.* Sicut etiam exceptio doli perpetua est, per *l.* 14
pure 5. §. *fin. ff. de Except. doli.* Neque haec 15
lex abolita per *l. ult. C. de tempor. restitut.* quia illa de majoribus, et minoribus loquitur, *Treutl. et ibi Bacchov. d. Disp.* 11. *th.* 3. *lit. A. et Sfortia Oddus de restitut. q.* 19. *art.* 3.

TITULUS XXII.

De in integrum Restitutione minorum viginti quinque annis.

L. Illud. 1.

SUMMARIA

Querelae inofficiosi potest renunciari. numer. 1.
Minores contra expressam renunciationem restituuntur. 2.
Contra tacitam ipso jure tuti sunt. 3.
Quis Vers. nec hoc autem, *sensus?* 4.
Minor praesumitur laesus ex actu, ex quo ad illum nulla utilitas redundare potest, sed non nisi damnum. 5.
In fidejussione minoris semper damnum, et laesio praesumitur. 6.
Quid juris, si in beneficii Ecclesiastici renunciatione minor esset laesus? 7.
Limitatur. 8.

1 Querelae inofficiosi potest renunciari, vel palam, vel tacite, et hoc dupliciter, vel faciendo aliquid, ut acceptando legata, solvendo debita etc. vel omittendo, silendo per quinquennium.
2 Sed haec in majorennibus. Minores contra ex-
3 pressam renunciationem restituuntur, contra tacitam vero ipso jure tuti sunt, *L.* 2. *C. in quib.*
4 *caus. in integr. restit.* Vers. enim: *nec hoc autem*, hic est sensus: quando quaeritur, an minor contra renunciationem querelae restitui possit, distinguitur, an palam, an verbis, et factis renunciaverit, vel tacite per silentium, ut illo casu detur restitutio, hoc casu ipso jure sit tutus. Vid. *Hillig. in Donell. lib.* 21. *capit.* 9. *lit. F. Mauritius in tr. de restitut. cap.* 149. *per tot. Oddus quaestion.* 85. *art.* 5. Conf. notat, *ad d. l.* 2. et alii *ab Hillig.* citati, *et Sfortia Oddus de restitut. quaest.* 85. *num.* 34. Collige etiam ex hac
5 lege: Minorem ex actu praesumi laesum, ex quo ad eum nulla utilitas redundare potest, sed non nisi damnum, per allegata *Barbosae hic num.* 3. et quae allegat *Hillig. l.* 21. *cap.* 10. *lit. Cc.* Et
6 ita etiam in fidejussione praesumitur semper damnum, et laesio, quia ex fidejussione, ut tali, nullum lucrum ad minorem venire potest, *Gomez tr.* 2. *resol. cap.* 15. *num.* 19. *Francus de fidejuss. cap.* 2. *num.* 17. et hos allegans *Besol.*
7 *cons.* 113. *num.* 25. *et Hillig. d. l.* Si autem in beneficii Ecclesiastici renunciatione minor esset laesus, minor omnino restituendus esset, licet illud jam alteri esset collatum, *Covar. l.* 1. *resol.*
8 *cap.* 5. *num.* 3. quod in Doctore, et perito limitat *Boer. dec.* 350. *num.* 6. Ad hoc conferri possunt Collectanea allegata hic *a Barbos num.* 4.

L. Eo tempore. 2.

SUMMARIA

An numerus liberorum trium, vel plurium suppleat aetatem ad excludendum beneficium restitutionis? num. 1.
Numerus liberorum honores tribuit. 2.
Non adimit privilegia. 3.

Quaeritur: *An numerus liberorum trium, vel plurium suppleat aetatem ad excludendum beneficium restitutionis?* Quod negatur, quoniam numerus liberorum honores tribuit, non adimit 1
privilegia, *l.* 2. *ff. de minorib. Sfortia Oddus* 2
in tract. de Restit. l. 1. *quaest.* 23. *art.* 13. 3

L. Si Curatorem. 3.

SUMMARIA

An adultus minor Curatorem habens, sine consensu Curatoris talem contractum inire possit, qui translationem dominii rerum ipsius importet? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Contractus minoris Curatorem habentis sine consensu Curatoris initus, et ad alienationem bonorum per se directus, ipso jure nullus est. 4.
Limitatur. 5.
Si nullum Curatorem habeat, valet contractus, sed datur restitutio. 6.
De conciliatione hujus legis in primo membro, remissive. 7.
An lex de mobilibus, quae servando servari possunt loquatur. 8.
Immobilia minoris sine decreto alienari nequeunt. 9.
Respondetur ad l. 22. C. de admin. tut. 10.
An minor contra venditionem restitutus pretium restituere debeat? 11.
Plures quaestiones remissive. 12.
Contractus ipso jure nullus a minore celebratus sustineri potest, si ille minori utilis. 13.
Notanda hic distinctio inter actus voluntarios, et necessarios. 14.
Quando ex statuto quis compromittere jubetur, tunc compromissum etiam a minore fieri potest. 15.

Haec lex duas partes habet. I. Quaeritur de 1
adulto Minore, si Curatorem habeat, an sine consensu Curatoris talem contractum inire possit, qui translationem dominii rerum ipsius im-

2 *portet?* Videtur quod sic, *arg. l.* 101. *ff. de V.*
3 *O.* Sed negatur, licet enim se, vel suam personam ad faciendum forte obligare possit minor, ut *in d. l.* 101. non tamen statim ita contra-
4 here poterit, ut res suas alienet. Ergo talis contractus ad alienationem bonorum per se dire-
5 ctus ipso jure nullus, nisi actus talis sit, qui in administrationem curatoris non cadit, ut donatio, ut putat *Petr. Barbos. in l. si ante num.* 14. *et seqq. ff. sol. matrim.* II. Casus est,
6 si nullum Curatorem habeat, tunc enim valet contractus, sed datur restitutio. Vid. *Trentac. lib.* 2. *tit. de Minor. resol.* 21. *num.* 1. *et seqq. Card. Tuschus conclus.* 252. *lit. M.* Circa hanc
7 legem varia quaeruntur: I. Est de conciliatione hujus legis in primo membro. Sed de eo dictum est in resolutione hujus legis, et confer. *Fachin. l.* 3. *resol. cap.* 9. *et Jacob. Cujac. in d. l.* 101. quorum sententiam semper secutus sum in hac difficultate vulgari, quae ex titulis, et verbis legum
8 satis probatur. II. Quaeritur: *An lex haec de mobilibus, quae servando servari possunt, loquatur?* Nam de immobilibus non potest intelligi,
9 quia illa sine decreto plane alienari nequeunt: de mobilibus, quae servando servari non possunt, nullum est dubium: sed quid de aliis? Scrupulum movet *l. lex quae* 22. *vers. jam ergo C.*
10 *de Admin. tut.* Sed existimamus, legem etiam de his rebus esse intelligendam cum *Riminaldo, et Caldas Pereyra a Fachin. lib.* 3. *cap.* 1. allegato, licet ipse *Fachinaeus* discedat. Nam vix dubitari potest, an minor curatorem non habens, res, quae servando servari non possunt, alienare possit; non absurdum est, plus licere minori, curatore destituto domino in suis, quam
11 curatori in rebus alienis. Quaeritur III. *An minor contra venditionem restitutus pretium restituere debeat?* quod ex communi sententia negant, nisi quatenus minor locupletior redditus, *Mauritius cap.* 215. *Oddus q.* 47. *art.* 4. *et* 5. *Caldas in hac l.* 3. in verb. *per quod pristinum jus num.* 3. Sed ab his citatis recedit *Bacchov. d. disp.* 11. *th.* 9. *lit. A. ob l.* 24. §. 4. *ff. h. t.* ubi una tantum limitatio, nisi dederit consumpturo, qui textus admodum urget contra communem opinionem; quam opinionem contrariam consulendo secuti sunt *Menoch. cons.* 611. *num.* 3. *cons.* 674. *num.* 5. et quos allegat *Casp. Klock cons.* 51. *num.* 31. *vol.* 2. *Auctor in l.* 24. *ff.*
12 *de minor. num.* 8. Plures quaestiones proponit *Caldas in Comment. ad hanc legem, et Trentac. l.* 2. *resol.* 1. *titul. de minoribus.* Illud sane non
13 est dubium, contractum et ipso jure nullum, a minore celebratum substineri posse, si illi minori utilis, per *l. non eo minus supra de procurat. Trentac. d. resol.* 1. *num.* 20. *Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 1. *tit.* 6. *num.* 63. et quos hic allegat *Barbos. num.* 9. Denique no-
14 tanda distinctio inter actus voluntarios, et neces-
15 sarios, v. g. quando ex statuto jubetur compromittere, tunc compromissum etiam a minore fieri potest.

L. Si minorem. 4.

SUMMARIA

Minori incumbit probatio, quod tempore Contractus fuerit minor. num. 1.
Quomodo hoc probandum? 2.
Probato hoc, praesumptio pro minore est. 3.
Gilhausen *notatur.* 4.
Allegans aetatem, vel fundans se in aetate, agendo, vel excipiendo debet eandem probare. 5.
Testimonium parentum hic suspectum. 6.
Mauritius *notatur.* 7.
Eo ipso probata minorennitas, quando illi datus Curator. 8.

Minori incumbit probatio, quod tempore con- 1
tractus fuerit minor, et hoc probare potest per 2
testes, aspectum, et similia, de quo *Trentac. d. t. resol.* 2. *num.* 3. *et seqq. Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 116. Hoc probato praesumptio pro minore 3
est, quod tempora restitutionis nondum praeterierint, per *textum hunc, Surdus decis.* 75. *n.* 12. *et seq. Trentac. d. tit. resol.* 2. *num.* 24. li-
cet male dissentiat *Gilhausen in arb. civ. p.* 4. 4
cap. 8. *num.* 17. Confer. *Sfortia Oddus in tr. de restit. p.* 1. *cap.* 39. *art.* 1. Collige: quod 5
allegans aetatem, vel fundans se in aetate, agendo, vel excipiendo debeat eandem probare. Concordat *l.* 43. *ff. de Minoribus l.* 9. *C. de Probat. Mascard. Conclus.* 1062. *num.* 1. *Sfortia Oddus qu.* 37. *art.* 1. ubi per totam quaestionem hanc materiam tractat, et *Mauritius cap.* 315. *et seqq.* et quos collegit hic *Barbos. numer.* 2.
Testimonium Parentum hic autem merito su- 6
spectum esse dicit *Bacchovius d. disput.* 11. *th.* 8. *lit. E. et F.* cum quo facit *Oddus d. qu.* 37. *art.* 5. *per tot.* Et ideo non possum probare
opinionem *Mauritii q.* 317. quod testimonium 7
Parentum non tantum praesumptionem, in quo tolerari nonnullorum opinio posset, sed etiam plenam probationem faciat. Sane hoc liquidum
est, eo ipso probatam minorennitatem, quando 8
illi datus curator, *Pacian. de probat. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 52. *Klock. d. cons.* 51. *num.* 25. quos hic allegat *Barbos. num.* 3.

L. Minoribus. 5.

SUMMARIA

Minori opus non est probare Adversarii dolum, sed tantum suam laesionem. num. 1.
Trentacinquius, Gilhausen, alii, *notantur.* 2.
Aliud est allegare, aliud probare. 3.
Quomodo laesio probetur, remissive? 4.
Sufficit, minorem laesum esse ratione affectionis. 5.
Interdum ex ipsa negotii natura laesi praesumuntur minores. 6.
An ne etiam ante 25. *aetatis annum petere restitutionem minor possit?* 7.
Non est absurdum, minorem saepius restitui. 8.
Nec in minore praesumitur laesio. 9.
In laesione considerari debet tempus contractus. 10.
Non attenditur laesio, quae supervenit. 11.
Casus, in quibus laesio non est probanda. 12.
Non requiritur dolus adversarii, sed laesio minoris. 13.
Barbosa *notatur.* 14.
An libellus, in quo restitutio petitur, si nullius laesionis mentionem faciat, ineptus sit? 15.
Carpzovius *notatur.* 16.
In libello conclusio tantum attendenda. 17.
Medium concludendi benigna interpretatione ex narratis, et conclusione eliciendum. 18.

1 Minori non opus est probare Adversarii do-
lum, sed tantum suam laesionem, quae non
ex dolo Adversarii, sed facilitate Minorum fieri
2 potest. Et quamvis quidam, inter quos *Tren-
tac. Gilhausen, et alii* requirant, ut non tantum
probetur laesio, sed quod per imprudentiam
suam laesus sit, iniquum tamen id videtur,
actorem his angustiis constringere, praesertim
cum nullibi leges hanc requirant, ideoque suf-
ficit, si probet laesionem, *Wesemb. in* ϖ. *h. t.
num.* 7. Doctores vero, qui solent citari, loquun-
tur de allegatione, quod restitutionem petens
debeat allegare, quod facilitate sua, et per lu-
3 bricum aetatis laesus sit. Sed aliud est allegare,
4 aliud probare. Quomodo vero laesio probetur,
vid. *Mascard. conclus.* 1280. *Trentac. d. t. re-
5 sol.* 3. et sufficit, cum laesum esse ratione af-
fectionis, *l.* 35. *ff. h. t. Menoch. lib. 3. praes.*
83. *Paul. Montanus in Tract. de tutelis cap.* 33.
6 *num.* 124. Interdum autem ex ipsa negotii na-
tura, laesi praesumuntur minores, *Trentac. d.
resol. num.* 31. *Gabriel. tit. de Minor. concl.* 1.
7 *et seq.* Sed quaeritur porro in hac lege, *An ne
etiam ante* 25. *aetatis annum petere restitutio-
nem minor possit?* Videtur quod non, quia sic
contra restitutionem restitueretur. Sed affirma-
8 tur, quia non est absurdum, minorem saepius
restitui, *l.* 7. §. 9. *ff. h. t.* Et haec est secunda
pars legis. Collige autem ex prima parte legis;
9 Nec in minore praesumi laesionem, nec valere
consequentiam: minor est, ergo etiam laesus,
Mascard. concl. 663. *num.* 2. *Besold. cons.* 75.
10 *num.* 2. *et seq. DD. passim.* Debet autem in lae-
sione considerari tempus contractus, *l.* 8. *in
fine C. de rescind. vend. Mascard. d. conclus.*
11 963. *num.* 4. Non ergo attenditur laesio, quae
supervenit, *l.* 11. §. 4. *ff. h. t. Besold. cons.* 85.
12 *num.* 31. Dantur vero nonnulli casus, in quibus
laesio non est probanda, ut quae nimis mani-
festa est, v. g. Si fidejusserit, si renunciaverit
juri suo, si probationis terminum labi passus
sit, et similia, de quibus *Trentac. tit. de Mi-
nor. resol.* 2. *num.* 31. *Morla in Emporio juris
p.* 1. *tit.* 5. *in praelud. n.* 7. et de nonnullis *in l.
13 pen.* agetur. Collige etiam ex textu: Non requiri
dolum adversarii, sed laesionem minoris per
textum expressum in *lege hac, Oddus de restit.
quaest.* 4. *art.* 2. *numer.* 7. Unde oportet esse
Sphalma Typographicum, aut manifestum er-
14 rorem, dum *Barbos. hic* contrarium asserit et
15 ipsum *Oddum* allegat. An autem libellus, in
quo restitutio petitur, si nullius laesionis men-
tionem faciat, ineptus sit, vid. *Carpzov. p.* 1.
16 *Jurispr. const.* 26. *def.* 23. qui id affirmat, de
quo merito quis dubitet per auctoritates ad-
ductas a *Treutlero d. disput.* 11. *tit.* 15. *lit. C.*
17 et quia in libello conclusio attendenda tantum
18 est, et medium concludendi benigna interpre-
tatione ex narratis, et conclusione eliciendum,
de quo alibi. Idem sentit *Auctor in l.* 11. *ff.
de min. num.* 9.

L. Si intra aetatem. 6.

SUMMARIA

Coepta instantia super restitutione minoris non tantum ex parte minoris, sed et adversarii transit in haeredem. num. 1.
Est actio ab utraque parte rei persecutoria. 2.
Actiones rei persecutoriae transeunt ad haeredem actoris et, rei. 3.
Limitantur. num. 1. *dicta.* 4.
Beneficio restitutionis in integrum renunciari potest a majorenni. 5.
Parcius restituitur interdum haeres. 6.
Restitutio in integrum reale est beneficium, et rem ipsam sequitur. 7.
Cur in haeredem transeat hoc beneficium, nec tamen fidejussorem, remissive. 8.

Coepta instantia super restitutione minoris, 1
non tantum ex parte minoris, sed et adver-
sarii transit in haeredem, quia est actio ab utra- 2
que tam Actoris, quam Rei parte persecutoria,
quales transeunt ad haeredem Actoris, et Rei. 3
Vid. *Donell. ibi Hillig. lib.* 20. *c. ult. lit. E.* si
modo huic actioni renunciatum non sit. Colli- 4
ge; Beneficio restitutionis in integrum renunciari 5
posse, scil. ab eo, qui majorennis est. Sed et
hoc notandum, parcius restitui interdum hae- 6
redem per *l.* 24. §. 2. *in fine ff. de minor. Sfor-
tia Oddus de restit. quaest.* 50. *art.* 1. *num.* 21.
et seqq. Cur autem in haeredem transeat hoc
beneficium per *l.* 6. *ff. de rest. in integr.* et per
hanc legem est, quod restitutio reale sit bene- 7
ficium, et rem ipsam sequatur, quae, cum ad
haeredem revolvatur, necesse est, omne jus ex
ea dependens deferri, *Myns. Cent.* 4. *observ.*
19. *Wesemb. in* ϖ. *h. t. num.* 4. licet aliter *Od-
dus qu.* 50. *num.* 3. *et seqq.* ubi etiam explicat
rationem, cur in haeredem transeat, nec tamen 8
in fidejussorem, per *l.* 7. *in fin. ff.* de *Except.*

L. De tutela. 7.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Sciens non fallitur. 2.
Cognatus praesumitur scire aetatem cognati. 3.
Per cognatum probatur aetas. 4.
De cognatorum, et affinium testimonio, remissive. 5.
Conjunctus, vel cognatus praesumitur scire facta cognati 6.
Dispositio locum habens in contractu, locum etiam habet in distractu. 7.
Restitutio in integrum non tantum datur contra contractum minori damnosum, sed etiam distractum. 8.
Limitantur n. 7. *dicta in odiosis.* 9.
Dolus non committitur contra scientem. 10.
Dolus non potest allegari, nisi ab eo contra quem est commissus. 11.

Avunculus gesserat Severae tutelam, postea 1
ex composito avunculus cum pupilla adit Ju-
dicem, et consentiente tutore, Severa se majo-
rem dicit, probatque testibus subornatis; Quae-
ritur: *An haec Severa restitui possit contra
tutorem liberatum actione tutelae?* Videtur quod
non, quia dolum suum allegaret. Sed affirm.
quia Severa non commisit dolum contra tuto-
rem, cum hic ignarus ejus aetatis non fuerit:
sciens enim non fallitur. Nota: Cognatum prae- 2
sumi scire aetatem cognati, et per cognatum 3

4 adeo probari aetatem, per *hanc legem et l.* 3.
§. 5. *ff. de Carbon. Edicto* de quo tamen vide
5 *Farin. quaest.* 54. plena manu de cognatorum,
et affinium testimonio tractantem. Et ideo ex
6 hac lege colligunt DD. communiter: Conjun-
ctum, vel cognatum praesumi scire facta conjun-
cti, *Mascard. concl.* 407. *et concl.* 413. *Farin.*
part. 2. *fragm. lit. I. num.* 168. *et seqq. Menoch.*
lib. 6. *praesumpt.* 4. et quos hic allegat *Barbos.*
num. 2. *et seqq.* Colligunt etiam ex hac lege:
7 Dispositionem, quae locum habet in contractu,
habere etiam locum in distractu, *DD. hic* alle-
gati *a Barbos. num.* 11. et confer. illi, quos alle-
gat *Klock. Consil.* 42. *num.* 281. *vol.* 2. quia
8 restitutio non datur tantum contra contractum
minori damnosum, sed etiam distractum, scil.
contra liberationem. Sed Regula illa non est
universalis, scilicet quod ea, quae locum ha-
bent in contractu, vel quae in contractu sta-
tuta, quod ea etiam in distractu locum habeant.
9 Nam licet regulariter vera sit, cessat tamen in
odiosis v. g. gabellis, et ubi alia ratio dissimi-
litudinis. Vid. *Tiraq. ad LL. connub. in verbo:*
contractor. glossa 5. *num.* 1. *et seqq. Everhar-*
dus in loco topico a contractu ad distractum
Klock. vol. 2. *cons.* 42. *num.* 281. Colligitur etiam
10 ex hac lege: dolum non committi contra scien-
tem, ex verbis legis, *quem ignarum* etc. *l. Nemo*
145. *ff. de R. J. Tuschus conclus.* 589. *lit. D.*
Celsus Bargalius de dolo lib. 6. *reg.* 24. Demum
11 collige: dolum non posse allegari, nisi ab eo,
contra quem est commissus, *hic, et l. Fulcinius*
7. §. 5. *ff. ex quibus caus. in poss. Phil. Matth.*
ad l. 56. *ff. de R. J. num.* 21.

L. Minoribus. 8.

SUMMARIA

Minoribus non tantum succurritur in iis, quae gesserunt, sed etiam quae neglexerunt, vel ignorarunt. num. 1.
Ex his etiam causis laedi possunt. 2.
Contra ignorantiam juris datur restitutio. 3.
In omissis facilius restituuntur. 4.
In omissis plerumque praesumitur laesio. 5.
An in omissa appellatione. 6.

1 Minoribus non tantum succurritur in iis, quae
gesserunt, sed etiam quae neglexerunt, vel igno-
2 rarunt; nam ex his causis laedi possunt; *Auctor*
3 *in l.* 3. *ff. de minor. num.* 28. imo etiam contra
ignorantiam juris datur restitutio, *l.* 2. *infr. si*
4 *advers. solut.* Et quidem in omissis facilius re-
5 stituuntur, et plerumque praesumitur laesio,
ut si terminum labi passi sint, *Hartmann. Pi-*
stor. p. 1. *q.* 12. *Maurit. de Restit. c.* 55. vel di-
latoriam exceptionem omiserint, *Hartm. Pist.*
obs. 208. *Caevall. q.* 835. vel probatoriam, *Gabr.*
de minor. concl. 1. vel appellationem, *Gabr.*
6 *concl.* 2. *Carpzov. lib.* 3. *Resp.* 4. *num.* 14. quam-
vis in omissa appellatione diversae sint opinio-
nes, quas recenset *Mascard. concl.* 963. *num.*
17. *et seq.* qui in contrariam sententiam incli-
nat; et *Berl. dec.* 221. *Caevall. q.* 836. nec va-
let consequentia: non appellavit, ergo laesus
est; leviori tamen probatione opus, *Odd. q.* 36.
art. 4. *Trentac. d. t. resol.* 3.

L. Non videtur. 9.

SUMMARIA

Non videtur circumscriptus minor, qui usus est jure communi. num. 1.
Sensus verborum: Uti jure communi. 2.
Legis hujus intellectus. 3.
Limitatur regula n. 1. *si in modo laesus sit minor.* 4.
In aliis, quae facere poterat, tum demum circumscriptus videtur minor, quando damnum non fatale accessit. 5.
Fatale damnum non parit restitutionem. 6.
Quatenus hoc procedat? 7.
Barbosa *notatur.* 8.
An minor, si paulo majori pretio emerit, restituatur? 9.
Jus commune, quo licet se mutuo circumvenire, inter majores tantum obtinet. 10.

Continet Regulam juris, quod non videatur 1
circumscriptus minor, qui usus est jure com-
muni, i. e. qui fecit, quod quilibet facere te- 2
netur, vel quod Sapiens quilibet faceret. Nam
lex haec ita intelligenda, si id fecit minor, ad 3
quod tenebatur jure communi, v. g. ut fideju-
beat pro Patre captivo, per *Auth. si captivi C.*
de Episcop. et Cleric. ut si lege municipali quid
facere jubeatur, *Tiraq. de retr. lign. ad fin. tit.*
num. 54. *Mauritius c.* 291. *num.* 6. *Oddus q.* 4.
art. 7. et hos citans *Hillig. l.* 21. *c.* 10. *lit. C.*
Si tamen in modo laesus sit v. g. si ex statuto 4
compromittere debuit, compromisit autem in
aliquem sibi, vel Parenti suo infensum, datur
restitutio, *Oddus d. art.* 7. *num.* 46. *et seq.* In 5
aliis vero, quae facere poterat, tum demum
circumscriptus videtur, quando damnum non
fatale accessit, *l.* 11. §. 4. *ff. de Minor.* Nam fa- 6
tale damnum non parit restitutionem, *Oddus d.*
tr. p 1. *q.* 4. *art.* 7. per *l.* 11. §. 8. *ff. h. t. Be-*
sold. cons. 85. *num.* 31. quod tamen ita intelli- 7
gendum, si id fecit, quod alii etiam prudentio-
res communiter faciunt; nam tum si secus res
cadat, et non ex voto, secus est, *Besold. cons.*
142. *num.* 22. *Auctor in l.* 11. *ff. de minor. num.*
10. Porro hic *Barbos.* suum errorem, quem *l.* 8
5. taxavimus, repetit, scil. dolum adversarii re-
quiri, contra legem, *Mascardus* certe, et *Meno-*
ch. allegati ab eo, de ea re nihil habent dictis
locis; et non puto, caeteros id tradere contra
expressum textum: quomodo etiam illud erro- 9
neum est, minorem si paulo majori pretio eme-
rit, non restitui, quia scil. jure communi est
usus per *l.* 16. §. *pen. ff. h. t.* ut vult *Duaren. et*
Hippolytus a Collibus, quos per *l.* 7. §. 1. *h. t.*
merito refutat *Hillig. d. lib. c.* 10. *lit. C.* eo quod 10
jus illud commune, quo licet se mutuo circum-
venire, inter majores tantum obtinet.

TITULUS XXIII.

De Filiofamilias Minore.

L. Filiusfamilias. 1.

SUMMARIA

Minor filiusfam. pro extraneo, vel Patre fidejubere valide potest. num. 1.
Pro minore fidejubens contra obligationem istam restitutionem potest petere. 2.
Nec requiritur hic probatio laesionis. 3.
Fidejubens eo ipso, quod fidejussit, litibus se implicuit, et ita laesus est. 4.
Nisi contrarium probetur. 5.
An minor filiusfam. sub poena exhaeredationis teneatur pro Patre fidejubere? 6.
Per inventarium conservantur jura haeredis propria. 7.
Id tamen non facit, quo minus teneatur haeres, quatenus in haereditate est. 8.
An minor filiusfam. si in rem suam fidejubeat, restituendus sit? 9.
An si Pater sit incarcerandus, et filius restituatur contra fidejussionem? 10.
An si filius minor sub juramento fidejussit? 11.

1 Minor Filiusfamilias, si pro extraneo, vel Patre fidejussit, fidejussio quidem per se valida est per tradita ab *Heringio de fidejus. c. 7. num.* 327.
2 *Thesaur. lib.* 4. *q.* 60. *num.* 3. Sed pro minore fidejubens potest contra obligationem petere restitutionem; quia, quamvis recuperare possit, quod solvit, ipsius tamen interest potius non solvere, quam solutum repetere, *l.* 3. *ff. de*
3 *compens.* et nec probatio laesionis hic requiritur,
4 quia eo ipso, quod fidejussit, litibus se impli-
5 cuit, et ita laesus est, nisi contrarium probetur, *Auctor in l. 7. ff. de pignor. num. 7. Sfort. Od-*
6 *dus de Restit. p. 2. quaest. 54. art.* 3. neque sub poena exhaeredationis tenetur pro Patre fidejubere, nisi pater sit carceratus, *Nov.* 115. *c.* 3. *Gomez t. 2. resol. c.* 13. *num.* 19. *Molina de J. et J. disp.* 540. *num.* 25. *Steph. Gratian. t. 1. disc. forens. cap.* 108. *num.* 41. *Oddus d. qu.* 54. *art.* 4. ubi id *art.* 5. extendit, licet Principalis debitor sit solvendo; nisi Patri successit, vel extraneo. Nam tunc non tantum sublata est obligatio per confusionem, sed etiam non videtur laesus, qui debitori successit, nisi ex parte tantum successit, *Odd. d. q.* 54. *art.* 6. qui exceptionem constituit, si succedat cum beneficio Inventarii, quod tamen displicet *Thesaur. d. l. num.* 14. cum per Inventarium quidem conser- 7
ventur jura haeredis propria, sed id non facit, 8
quo minus teneatur haeres, quatenus in haereditate est. Sed Quaeritur: *An si in rem suam fi-* 9
dejubeat, restituendus sit? quod affirmat *Mauritius d. tr. q.* 235. Sed rectius negat *Oddus d. qu.* 54. *art.* 7. per *l.* 8. §. 1. *ff. qui satisdare etc.* quin etiam restitutionem negandam esse putarem, si Pater sit incarcerandus, si filius restitua- 10
tur contra fidejussionem, per ea, quae tradit, *Thesaur. d. l. num.* 10. *et seq.* Negari quoque 11
deberet restitutio, si filius sub juramento fidejussit, per *Auth. Sacramenta puberum C. si adversus vendit. Thes. d. l. num.* 12.

L. Si frater tuus. 2.

SUMMARIA

Quatenus filiusfam. minor contra contractum mutuum restituatur? num. 1.
Remedium extraordinarium est restitutio in integrum. 2.
Remedium extraordinarium per ordinarium plerumque excluditur. 3.

Filiusfamilias minor contra contractum mu- 1
tuum non restituitur, si jussu Patris contraxit, vel Senatusconsulto Macedoniano juvatur. Illius ratio: quia tunc Patri, non filiofam. succurreretur, per *l.* 3. §. 51. *ff. h. t.* Hujus; quia jure communi tutus est, vid. *Oddus d. tr. q. 4. art.* 7. nam remedium Extraordinarium, quale est Restitutio 2
in integrum, per ordinarium plerumque exclu- 3
ditur, *l.* 32 *ff. de. damn. inf.* et per alios textus concord.

TITULUS XXIV.

De fidejussoribus Minorum.

L. Postquam. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Solvitur objectio. 2.
Æquius est succurri Creditori, quam fidejussori. 3.
Beneficium restitutionis fidejussori non competit, licet haeredi competat. 4.
Haeres ipso jure personam defuncti repraesentat. 5.
Est universalis successor defuncti. 6.
Fidejussor pro debitore intercedit ex dispositione hominis. 7.
Quomodo fidejussoris obligatio constare possit, ipsa principali obligatione penitus sublata? 8.

Oddus *notatur*. 9.
Fidejussori minoris competit restitutio illis casibus, ubi regressum contra minorem haberet. 10.

1 Minor adiit haereditatem paternam, et quaedam paterna vendidit praedia, et obligavit se ad Evictionem, datis fidejussoribus, sed propter laesionem restituitur contra aditam haereditatem, et quia omnia in integrum restituuntur, *l*. 24. §. 4. *ff. de Minor*. ad evictionem non tenetur;
2 cui non obstat *l. quoties* 44. *ff. de adquir. haered*. quia loquitur de negotio gesto cum aliis in concursu creditorum, non vero de casu, ubi ipse minor ut haeres se obligavit, nam rescissa immixtione, rescinditur etiam haec promissio praestandae Evictionis, *Thesaur. p*. 4. *quaest*. 18. Fidejussores tamen tenentur *l*. 13. *princ. ff. de*
3 *Minor*. aequius enim est succurri creditori, quam fidejussori, *d. l*. 13. Nec tamen fidejussor exactus habet mandati actionem contra minorem; sed minor contra eum restituitur. Vid.
4 *Donell. l*. 21. *cap. ult. post lit. G*. Collige: Beneficium Restitutionis fidejussori non competere,
5 licet haeredi competat, quia haeres ipso jure
6 repraesentat personam defuncti, et est univer-
7 salis successor defuncti: fidejussor vero pro debitore intercedit ex dispositione hominis, ut *Oddus quaest*. 48. *art*. 1. *num*. 10. Conf. *Myns. Cent*. 4. *obs*. 18. et scire debebat fidejussor, pro quo intercedit, et si sciat, ac promittat, videtur ani-
8 mo donandi facere. Sed quomodo fidejussoris obligatio potest constare, cum tamen ipsa principa-
9 lis obligatio penitus sit sublata? Resp. quamvis etiam naturalem sublatam esse putet per restitutionem *Oddus quaest*. 44. *art*. 3. verius tamen puto manere obligationem naturalem; civilem autem tolli, vel ipso jure, vel quod probabilius, ope exceptionis. Confer. tradita infra ad *l*. 2. *C*.
10 *de luit. pignor*. Sic etiam illis casibus ubi fidejussor haberet regressum contra minorem, v. g. si jurato promisisset indemnitatem fidejussori, et fidejussor denunciasset litem minori ad se defendendum, fidejussori etiam competere restitutionem tradunt *DD*. communiter per *l*. 10. §. *pen. ff. Mandati, Oddus d. quaest. art*. 4. *Gutierez p*. 3. *de jurament. confirm. tit*. 25. *num*. 16. *et seq*.

L. Si ea. 2.

SUMMARIA

Lex haec praecedentem limitat. num. 1.
Plures limitationes. 2.
An haec lex etiam in dolo materiali locum habeat? 3.
Decretum judicis interpositum non tollit beneficium restitutionis. 4.

Legem praecedentem haec lex limitat, si dolus 1
Creditoris concurrat, tum enim fidejussori succurritur, et cessat illa aequitatis ratio. Vid. *Hering. de fidejuss. c*. 27. *part*. 2. *num*. 28. *et Zanger. part*. 3. *de except. cap*. 26. *num*. 216. *Duenas Reg*. 328. *Oddus d. q*. 48. *art*. 2. Limitatur 2
etiam lex praecedens, si fidejussor successit minori, *l*. 95. §. 3. *ff. de solut. Oddus art*. 3. Idem si fidejussor haberet regressum contra minorem, *Oddus art*. 4. Idem in judicialibus, *l*. 51. *ff. de Procurat. Menoch. cons*. 179. *num*. 4. *et seq*. Vid. etiam *Umm. disp. ad Process*. 8. *th*. 8. *num*. 52. Sed an haec lex etiam in dolo ma- 3
teriali locum habet? Resp. quod sic, ita ubicumque per exceptionem doli materialis naturalis obligatio eliditur, ut fit in laesione enormi, vel immodica, ibi, quia naturalis obligatio deficit, et ita fidejussoris obligatio non reperit fundamentum, cui inniti possit. Exceptio doli etiam fidejussori competit ex dolo materiali, licet formalis nullus sit per *l. si quis cum aliter* 36. *ff. de V. O. Molin. de J. et J. disp*. 540. *num*. 26. Sic si ipse actus per legem annullaretur, exceptio haec fidejussori competeret. v. g. Si pro alienatione bonorum minoris immobilium fidejussor interveniret, *Molin. d. l*. Colligitur etiam ex hoc 4
textu: Decretum Judicis interpositum non tollere Beneficium restitutionis, ut ex hoc textu, et *l*. 2. *C. tit. seq*. id probat *Sfortia Oddus q*. 22. *art*. 9. Confer. *Donell. d. c. ult*. et ibi *Hillig*.

TITULUS XXV.

Si Tutor, vel Curator intervenerit.

L. Si jam Puberes. 1.

SUMMARIA

Quando minorennes liberi damnosam patris haereditatem adierunt intra tempora restitutionis, restitutionem petere possunt. num. 1.
Si tempora ea elapsa, contra Curatores datur utilis actio negotiorum gestorum. 2.
Restitutio quadriennio inclusa est. 3.
Beneficium extraordinarium non tollit ordinarium, nec contra, si contra diversas detur personas. 4.
Si minor adiit haereditatem cum inventario, an nihilominus restituatur? 5.

Quando Minorennes liberi damnosam Patris 1
haereditatem adierunt intra tempora restitutionis Restitutionem petere possunt. Sed si tempo- 2
ra ea elapsa sunt, contra curatores datur utilis actio Negot. gest. quod eorum auctoritate adierint haereditatem. Nam restitutio quadriennio in- 3
clusa est, non vero actio contra curatores, vel tutores; nec beneficium extraordinarium tollit 4
ordinarium nec contra, si contra diversas detur personas, ut per *l. etiam* 3. *h. t*. probant *DD. et Oddus q*. 17. *art*. 2. *num*. 14. Quid si 5
autem minor adiit haereditatem cum inventario, an nihilominus restituatur? *vid. Auctor in l*. 4. *ff. de minor. num*. 6.

L. Minoribus. 2.

SUMMARIA

Nec tutoris, aut curatoris praesentia, nec judicis auctoritas impedit restitutionem in integrum. num. 1.
Pro decreto judicis praesumitur. 2.
Cedit tamen haec praesumptio veritati. 3.
Minor probare debet, se laesum esse. 4.
Ubi laesio manifesta, regulariter cedit auctoritas judicii. 5.

1 Nec tutoris, aut curatoris praesentia, nec Ju-
dicis auctoritas impedit Restitutionem in inte-
grum: Sufficit enim, minorem esse laesum; quam-
2 vis enim pro decreto Judicis praesumatur, prae-
3 sumptio tamen haec cedit veritati, si minor
probare velit (quod facere tenetur, si restitu-
4 tionem impetrare velit) se laesum esse. Vid. *Od-
dus d. tr. q.* 22. *art.* 9. *Sanchez. de matrim. lib.*
6. *disp.* 38. *num.* 11. et ubi laesio manifesta,
5 regulariter cedit auctoritas Judicii, *Pinell. ad l.*
2. *C. de Resc. vendit. p.* 2. *c.* 2. *num.* 18. *Molina
disp.* 319. *num.* 13. *Carpz. p.* 2. *Jurispr. const.*
31. *def.* 13.

L. Etiam in his. 3.

SUMMARIA

An in integrum restitutio minorum cum actione utili negotiorum gestorum contra Curatorem male administrantem concurrere possit? num. 1. 4.
Extraordinarium remedium cum ordinario concurrere non potest. 2.
Quae Curator gessit, minoris personam non concernunt. 3.
Minori competit electio, an contra tutores, aut Curatores agere, an vero in integrum restitui, et bona injuste, licet auctoritate judicis alienata revocare velit? 5.
Ubicumque per remedium extraordinarium magis consultum est minori, magis extraordinario utendum, quam ordinario. 6.

1 Quaeritur: *An in integrum restitutio Mino-
rum cum actione utili Negot. gest. contra cura-
torem male administrantem, concurrere possit?*
2 Videtur quod non, quia Extraordinarium re-
medium cum Ordinario concurrere non potest,
3 *l.* 16. *pr. ff. de minor.* Et quia, quae Curator
gessit, minoris personam non concernunt. Sed
affirmatur, quia haec remedia contra diversos,
et ad diversa tendunt, *DD. hic, et Oddus q.* 17.
art. 2. *num.* 14. ubi hoc limitat, et quae Cu-
4 ratores gesserunt nomine minorum gesserunt,
et ideo utili Negot. gest. actione tenentur. Ex
5 hoc textu colligunt: Minori competere electio-
nem, an contra tutores, aut curatores agere,
an vero in integrum restitui, et bona injuste
alienata revocare velit, licet auctoritate Judi-
cis alienata, *Hartmann. Pistor. p.* 1. *qu.* 12. *num.*
7. *Surdus cons.* 95. *num.* 20. et quos allegat
Carpz. p. 2. *Jurispr. Const.* 11. *def.* 31. ubi hanc
assignat Regulam: Ubicumque per remedium 6
Extraordinarium magis consultum est minori,
magis Extraordinario utendum, quam Ordina-
rio.

L. Si Creditor. 4.

SUMMARIUM

Minor non opus habet restitutione, quando Creditor cum Curatore non nomine minoris, sed ut quovis alio contraxit.

Minor non opus habet Restitutione, quando creditor cum curatore non nomine minoris, sed ut quovis alio contraxit. Est enim res inter alios acta, nec aliud negotium minoris est, *hic* et per *l.* 9. *C. de Praed. Minor. Montan. de tutel. cap.* 31. *effectu* 5. *num.* 7. *Jo. Guttierez de tut. p.* 2. *cap.* 13. *num.* 2.

L. Etiam tutoribus. 5.

SUMMARIA

Ampliat haec lex legem praeced. 3. *num.* 1.
Electio non praejudicat, quoties diversae sunt personae. 2.
Exceptio, ubi non datur electio, remissive. 3.
Actor electione unius remedii, si datur contra diversos, sibi non praejudicat. 4.
Nec, si contra unum plura remedia alternative concessa, electio unius tollit jus variandi. 5.
Quando actor elegisse unam viam videatur, remissive. 6.
Contractus, et distractus eadem est natura. 7.

Ampliat tantum legem tertiam, ut locum ha- 1
beat, licet unum elegerit: nam electio non prae- 2
judicat quoties diversae sunt personae. Exceptio, 3
ubi non datur electio, habetur in *l. Properan-
dum* 13. § *fin. C. de judiciis,* de qua infra suo
loco; alias vero actor electione unius remedii, 4
si datur contra diversos, sibi non praejudicat,
quia alter non posset ex actis inter actorem,
et reum excipere, quod actor elegerit reum,
quia res inter alios acta; imo ne quidem si con- 5
tra unum plura remedia alternative concessa,
electio unius tollit jus variandi, per tradita
Gailii l. 1. *obs.* 60. *num.* 4. Quando vero actor 6
elegisse unam viam videatur, de eo pluribus
agit *Hillig. in Donell. l.* 21. *c.* 3. *lit. D.* Colligunt
etiam ex hac lege: Contractus, et distractus esse 7
eamdem naturam, de quo supra actum, et de
eo agunt *DD. allegati hic a Barbos. num.* 7.

TITULUS XXVI.

Si in communi, eademque causa in integrum Restitutio postuletur.

L. Nec si major. unic.

SUMMARIA

An soror transigens de re communi fratribus inconsultis his praejudicet? num. 1.
An si minor contra praescriptionem restitutus sit, hoc prosit majori? 2.
Carpzovius *notatur.* 3.
Si consors litis minor ad privilegiatum forum provocaverit, hoc omnino majori prodest. 4.
Mauritius *notatur.* 5.
Si plures amittant servitutem, et unus eorum sit minor, ibi unius restitutio proderit majoribus. 6.
Gomezius *notatur.* 7.
An etiam restitutio facta minori, prosit aliis consortibus minoribus in re etiam dividua? 8.
Oddus *notatur.* 9.
Restitutio in integrum speciale mandatum requirit. 10.

1 Soror transegerat de re communi fratribus inconsultis, Quaeritur: *An praejudicet fratribus?* Neg. nisi majorennes sint, et ratum habuerint: quod si vero minorennes sint, et approbaverint, soror autem contra transactionem restituta sit, haec restitutio fratribus non prodest; nam possunt ipsi restitutionem petere; Sed si fratres sint majorennes, restitutio nec sic iis proderit, si sit res dividua; aliud in re individua, vel indivisibili, *argum. l.* 10. *pr. ff. Quemad. serv. amitt. l.* 10. §. *fin. ff. de appell.* Vid. *Sfortia Oddus de Restit. Min. q.* 46. *art.* 4. *v. g.* Si minor contra praescriptionem restitutus sit, proderit hoc majori, ut tradit 2
Oddus art. 5. *d. q. num.* 18. licet contra videatur 3
Carpzovio p. 2. *Jurispr. const.* 9. *def.* 9. Sic si consors litis minor ad privilegiatum forum pro- 4
vocaverit, putarem omnino hoc prodesse majori, ne judicium distrahatur, *l. nulli* 10. *C. de judic. et* per tradita in simili *Berlich. p.* 2. *decis.* 220. *et Dn. Carpzov. lib.* 2. *Resp.* 16. *num.* 19. *et seqq.* licet dissentiat *Mauritius de Restitut. q.* 189. cujus tamen ratio non concludit, nam mi- 5
norem, quatenus talem, oportet habere separatas defensiones, et causas, si restitutionem impetrare velit. Sic si plures amittant servitutem, et 6
unus eorum sit minor, ibi unius restitutio proderit majoribus per *hanc l. Gomez. t.* 2. *Resol. c.* 14. *num.* 10. ubi tamen in fine, in servitute 7
communius receptam esse dicit contrariam, quod non puto; nam nec *Interpp. hujus legis unicae* omnes cum ipso faciunt. Certe *Bl.* expresse servitutis, ut rei individuae, meminit, et alii, et *Oddus* hanc veriorem, et communiorem esse probat, *q.* 46. *art.* 4. *Trentac. d. tit. de Minor. Resol.* 5. et quos allegat *Hilliger. d. l.* 21. *cap. ult. lit. Q.* Confer. etiam *Schurffius cons.* 94. *num.* 4. *Modest. Pistor. cons.* 47. *num.* 35. *Carpz. p.* 2. *const.* 9. *def.* 4. *Berlich. dec.* 180. Sed Quae- 8
ritur: *An etiam Restitutio facta minori prosit aliis consortibus minoribus, in re etiam dividua?* quod affirmat *Oddus d. tr. q.* 46. *art.* 2. Sed 9
haec sententia videtur esse suspecta, quia consors potest non uti, et requirit restitutio in in- 10
tegrum speciale mandatum, *Bacchov. d. disp.* 11. *th.* 2. *lit. D.*

TITULUS XXVII.

Si adversus rem judicatam Restitutio postuletur.

L. Minus. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An actor, qui tempore litis inchoatae minor fuit, si major tempore sententiae fuerit, possit restitui? 2.
Non finem, sed principium attendîmus. 3.
Tantum debet restitui, quantum abstulit laesio. 4.
Quando locum habeat regula n. 3. *tradita?* 5.
Solvitur objectio ex l. 3. §. 2. ff. de minor. 6.
Quando is, qui minor fuit allegat, solum injuria judicis se esse laesum per sententiam tempore aetatis majoris latam, nec dicit aliquid in Processu neglectum, tunc non potest restitui. 7.
Secus est, si dicat, a se aliquid omissum in actis. 8.

Minor egerat contra tutorem; tutor pro parte 1
condemnatus, pro parte absolutus. Quaeritur: *An actor, qui tempore litis inchoatae minor* 2
fuit, si major tempore sententiae fuerit, possit restitui? Videtur quod sic, quia non finem, 3

sed principium attendimus, *l. 4. de serv. export.* Sed negatur, quia non fuit laesus, nisi tempore sententiae, ubi major fuit, et eo ipso comprobavit in minore aetate gesta: cur enim perficeret, si rata non haberet? *Ant. Fab. ad l. 3. §. 1. ff. h. t. Maurit. quaest.* 255. *Hillig. lib.* 21. *cap.* 7. *lit. O.* Aliud ergo si sententia ita lata ex necessaria consequentia ad Processum, *Oddus p.* 2. *q.* 72. *art.* 5. *et Sebast. Med. in tr. de conserv. poss. gl.* 2. *p.* 3. *num.* 317. v. g. si probationes omissae, vel dolo Adversarii sententia dilata in tempus majoris aetatis; utroque enim casu da-
4 retur restitutio, *l.* 3. §. 1. *ff. de Minor.* tantum autem debet restitui, quantum abstulit laesio, *l.* 26. §. 7. *in fine ff. ex quib. caus. major.* Ergo in id jus, quod ante sententiam ha-
5 buit, non plus nec minus. Illa vero Regula ex *d. l.* 4. *ff. de Serv. export.* locum habet, quando finis necessariam consequentiam ad principium habet, *Farin. pract. crimin. q.* 14. *num.* 28. *Pruckmann. vol.* 1. *cons.* 22. *num.* 191. Nec
6 obstat legi nostrae *d. l.* 3. §. 2. *ff. de minorib.* Quamvis enim varie respondetur, verissima tamen est responsio, quia per immixtionem consummatum erat negotium, nec erat amplius consummandum, et exactio debitorum est tantum hujus consequens, *Cujac. ad d. l.* 3. §. 2. *Oddus q.* 2. *art.* 4. *Menoch. recup. possess. remed.* 15. *num.* 126. *Hillig. lib.* 21. *cap.* 12. *lit.*
7 *Bb.* Collige ex lege: Quando is qui minor fuit allegat, solum injuria Judicis se esse laesum per sententiam tempore aetatis majoris latam, nec dicat aliquid in Processu neglectum, tunc non potest restitui, ut recte *Maurit. q.* 196. *Bacchov. in d. disp.* 11. *th.* 14. *lit. C. Caldas in l.* 3. *C. de Restit.* verbo, *implorare*, *num.* 50. Quando
8 vero dicit, a se aliquid esse omissum in actis v. g. probationem, tunc petere potest restitutionem, *Oddus d. tr. q.* 72. *art.* 5. *et DD.* jam citati, ut et *Afflict. decis.* 210. *num.* 2.

L. Si cum Pater. 2.

SUMMARIA

An filius emancipatus a patre sub praetextu, quasi emancipatio minus recte facta, in patriam potestatem per sententiam revocatus, restitutionem contra illam sententiam impetrare possit? num. 1.

Ratio dubitandi. 2.

Decidendi. 3.

An haec lex per l. ult. C. qui, et adversus quos etc. *sit correcta?* 4.

An aliquis venire contra factum proprium possit, si praetendat, minus solemniter esse factum? 5.

Restitutio contra rem judicatam non petenda est in domicilio ejus, contra quem agitur, sed in judicio eo, in quo sententia lata, vel coram superiori. 6.

1 Pater contra filium emancipatum egerat, quasi emancipatio minus recte facta esset, et sic filium in patriam potestatem revocaverat, et obtinuerat Pater contra filium: sed filius contra illam sententiam restitutionem petit. Quaeritur: an audiendus sit? Et videtur dicendum quod
2 non, per *l. fin. C. qui, et advers. quos etc.* quae admodum urget. Sed hic auditur filius, Quaeritur, quae sit ratio? quidam specialitatem quae- 3
runt in objecto litis, quasi hic agatur de statu, ubi filium ob status favorem audiendum esse volunt, *Oddus quaest.* 55. *art.* 1. *num.* 7. ubi alios citat; Sed hos refutat *Caldas in d. l.* 3. verbo, *laesis*, *num.* 155. quia et hic generali reverentiae paternae locus est, et *d. l. ult.* loquitur nimis generaliter, *Mudaeus ad hanc legem citat. ab Hillig. lib.* 21. *c.* 12. *lit. U.* in eo quaerit specialem rationem, quod hic non impugnetur factum Patris, nec petat filius restitutionem contra factum Patris, sed contra sententiam Judicis, cui convenit *Maurit. c.* 224. *num.* 8. Sed nihilo minus dici potest, dum Judicis sententia pro Patre lata impugnatur, etiam facto Patris obviari, et omnino hic filium contra patrem stare necesse est. Nescio igitur an non verior sententia eorum, qui statuunt, hanc legem esse 4
correctam per *d. l. ult. ut Don. d. l. et ad t. Cod. p.* 91. *et Caldas d. l. quos citat Hillig. d. lit. U.* Colligitur ex hac lege: Posse aliquem venire 5
contra factum proprium si praetendat, minus solemniter esse factum. Sed Regula est in contrarium, *Barbos. locuplet. l.* 6. *c.* 3. *axiom.* 24. *Tiraq. de retr. lign.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 43. et ideo specialem adfuisse oportet rationem, cur Pater anticipationem a se factam impugnans admissus fuerit, sive favore publico, sive ex alia causa. Colligunt etiam, restitutionem contra rem ju- 6
dicatam non petendam esse in domicilio ejus, contra quem agitur, sed in judicio eo, in quo sententia lata, vel coram superiori, *Dn. Mevius p.* 6. *dec.* 72. *num.* 2.

L. Adversus. 3.

SUMMARIA

Contra sententiam a legato Principis latam non petitur restitutio, nisi a solo Principe, non inferiore. num. 1.

Ratio decidendi. 2.

Judex ordinarius contra suam sententiam restituere potest. 3.

Potest restitutio peti tam coram superiore, quam eo ipso, qui sententiam tulit. 4.

Si a delegato Principis lata sententia, minor a nemine restituendus est, nisi ab ipso Principe, vel eo, cui Princeps causam ipsam delegaverit. 5.

Delegatus Principis quolibet ordinario major est. 6.

Cur contra sententiam Principis restitutionis, non appellationis beneficium detur? 7.

Praxis Camerae Imperialis. 8.

Contra sententiam a delegato Principis latam 1
non petitur restitutio, nisi a solo Principe, non inferiore. Delegatus non potest restituere, quia 2
finita ejus jurisdictio est, *l.* 55. *de Re judic.* Sed Judex Ordinarius potest contra suam sen- 3
tentiam restituere, *l.* 42. *ff. de Minor. Auctor in l.* 16. *ff. de minor. num.* 18. Potest enim re- 4
stitutio peti tam coram superiore, quam eo ipso qui sententiam tulit, *l.* 16. §. *fin. ff. de Minor. Oddus q.* 32. *art.* 16. *num.* 126. *Franc. Caldas ad l.* 3. *supra de Restit. Minor.* vers. *implorandum.* Collige ex lege hac: si a delegato Principis 5
lata sententia, a nemine minorem restituendum

esse, nisi ab ipso Principe, vel eo, cui Princeps causam ipsam delegaverit: nam absurdum esset, si minor Judex vellet majoris Judicis sententiam per *restitutionem tollere*, *l.* 10. *pr. ff. h. t.* Jam
6 vero delegatus Principis quolibet ordinario ma-
7 jor est, *Oddus q.* 32. *art.* 21. Cur autem contra sententiam Principis restitutionis beneficium, et non appellationis detur, ratio haec est; quia qui appellat, iniquitatem Judicis accusat; qui vero se petit restitui, suae simplicitati culpam transcribit, aut circumventioni adversarii, *l.* 17.
8 *ff. h. t.* Hodie in Camera ex novis causis antea non deductis, admittitur Restitutio, *p.* 3. *Ord. Cam. tit.* 52.

L. Cum et minores. 4.

SUMMARIA

Sententia definitiva lata contra minorem indefensum ipso jure non valet, nec restitutio est necessaria. num. 1.
Limitatur. 2.
Si fuit legitime defensus per Curatorem, habet beneficium restitutionis. 3.
Sententiae interlocutoriae, et immissiones contra absentem expediri possunt. 4.
Ob imprudentiam aetatis etiam contra tres conformes sententias restitutio datur. 5.
Quatenus executio hoc casu impediri possit? 6.
Quis minor indefensus? 7.
Locum habent num. 1. *dicta maxime in criminalibus.* 8.
Nisi in ipso facto deprehensus minor. 9.
Quod tamen non servatur. 10.
Procedunt n. 1. *dicta, ubi minor vel in una parte litis fuisset indefensus.* 11.
Si in ipsa sententia non fuit defensus, valet sententia, sed locus est restitutioni. 12.
Quatenus interlocutoriae contra minorem indefensum latae non sint nullae? 13.
Immissio ex primo decreto, et Processus banni contra indefensum expediri possunt. 14.
Si minor per Procuratorem litiget, et damnum patiatur, restituitur adversus acta Procuratoris sui, probata hac laesione. 15.
Veritati cedit praesumptio. 16.

1 Sententia definitiva lata contra minorem indefensum ipso jure non valet; nec restitutio est necessaria, *hic*, *et l.* 45. *et* 54. *ff. de Re jud. Od-*
2 *dus q.* 72. *art.* 6. *Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 95. nisi manifestum sit, nullam minori competere defensionem, *Menoch. cons.* 100. *num.* 281. Sed si
3 fuit legitime defensus per Curatorem, paratum est beneficium Restitutionis; alia ratio est sententiarum Interlocutoriarum, et immissionum,
4 *l.* 3. §. *fin. Quib. ex caus. in possess.* Hae enim contra absentem expediri possunt, neque hic numerantur sententiae, ut in appellationis ma-
5 teria, cum etiam contra tres conformes restitutio detur ob imprudentiam aetatis, *Oddus q.* 43. *art.* 3. *Cravetta cons.* 615. *num.* 6. ita ut exe-
6 cutio impediri possit, si laesio in continenti probetur, *Men. de A. J. Q. casu* 9. *num.* 3. alias non, *Thesaur. decis.* 122. *num.* 4. Quod autem
7 superius dictum, judicium contra minorem in-

defensum, i. e. cui Curator non est datus, in- 8
stitutum esse ipso jure nullum, id maxime in 9
criminalibus, nisi in ipso facto deprehensus fuisset, obtinere debebat. Vid. *Menoch. de A. J. Q. casu*
368. Sed id non servari, testatur non tantum 10
Clarus §. *fin. q.* 50. *num.* 2. et *quaest.* 55. *num.* 12. sed et experientia. Et quidem Practica haec tolerari posset, si causarum Criminalium cognitores essent viri pietate, eruditione, ac moribus conspicui, non vero homines deploratae vitae, indocti, crudeles. Verum ulcus hoc tangere mei instituti non est; Cogitet tamen Judex criminalium causarum, ipsum debere esse loco curatoris, neque tantum ejus studium esse debere, elicere confessionem, sed etiam de Rei, et inquisiti defensione esse sollicitum, ut alibi docetur fusius, nisi polluere conscientiam suam sanguine innoxio velit. Sed ut ad civilia reverta- 11
mur, idem esse volunt, scil. sententiam esse nullam, si minor vel in una parte litis fuisset indefensus, *Maurit. q.* 200. *Oddus q.* 17. *art.*
7. *num.* 67. Aliud si in ipsa sententia non fuit 12
defensus; nam tunc valet sententia, sed locus est restitutioni, *Oddus q.* 72. *art.* 6. *num.* 81. Quod vero supra de Interlocutoriis dictum est, eas scil. non esse nullas, si latae sint contra minorem in-
defensum, id in specie in illis Interlocutoriis ac- 13
cipiendum, quae possunt ferri contra indefen-
sum, ut in *d. l.* 3. §. *fin.* ut immissio ex primo 14
decreto, et processus banni. Nam in aliis omnino necesse est, ut defendatur minor per distinctionem traditam post, *Bald. ab Oddo q.* 72. *art.*
6. *num.* 83. Collige etiam ex hac lege: si minor 15
per Procuratorem litiget, si tamen damnum patiatur, restituitur adversus acta Procuratoris sui, probata hac laesione, non enim legitima, et plena defensio impedit laesionem, quamvis
laesus non praesumatur: sed veritati cedit prae- 16
sumptio, *Oddus quaest.* 22. *art.* 12. *Flores de Mena quaest.* 5. *num.* 10. et hos allegans *Barbos. hic num.* 8.

L. In rem. 5.

SUMMARIA

An minor in casu, ubi loco pupilli tutor, vel curator condemnatus est, contra illam sententiam possit restitui? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Solvitur objectio. 4.
Restitutionis beneficium Appellatione plenius est. 5.
Quid minori contra sententiam restitutionem petenti probandum sit, remissive? 6.
Interventus tutoris, ac curatoris non impedit restitutionem in integrum, licet non cum ipso minore, sed cum Curatore, nomine tamen minoris, vel pupilli res gesta sit. 7.
Minor, sententia in Curatorem lata, aeque restitutionis beneficio gaudet, ac si in eum fuisset lata. 8.
Extraordinarium beneficium non cessat, licet detur ordinarium, si extraordinarium sit utilius. 9.
Ubi Appellatio locum habet, potest ex causa restitutio peti. 10.

1 Condemnatus est loco pupilli Tutor, vel Curator, Quaeritur: *An contra sententiam possit*
2 *restitui minor?* Videtur quod non, quia nihil actum cum minore. Ergo per *l. pen. C. si tu-*
3 *tor, vel curator etc.* Sed Affirmatur: quia idem est, ac si ipse minor esset condemnatus, et alia ratio contractus, alia sententiae, quae executioni datur contra minorem, argum. *l. 4. princ. ff. de re*
4 *Judic.* Nec obstat, quod potuerit appellare, quia
5 restitutionis beneficium plenius est. Quid tamen
6 minori contra sententiam restitutionem petenti probandum sit, vid. *Mascard. v. 3. concl.* 1281.
7 Collige: I. Interventum tutoris, ac curatoris non impedire restitutionem in integrum, licet non cum ipso minore, sed cum curatore, nomine tamen minoris, vel pupilli res gesta sit, *Oddus q. 22. art. 1. num. 4.* et minor, sententia in cu- 8
ratorem lata, aeque restitutionis beneficio gaudet, ac si in eum fuisset lata, *Maurit. q. 201.* II. Colligunt, Extraordinarium, sc. hoc loco Restitu- 9
tionis beneficium, non cessare, licet detur Ordinarium, scilicet Appellationis, si Extraordinarium sit utilius, *Sfortia Oddus quaest. 17. n. 3.* et quos hic allegat *Barbos.* Et sic ubi Appella- 10
tio locum habet, potest ex causa restitutio peti per ea, quae allegat *Cothman. v. 4. cons. 4. num.* 147.

TITULUS XXVIII.

Si adversus Venditionem.

L. Si minor. 1.

SUMMARIA

Duplici ratione, (h.e. contra ipsum Contractum, et contra qualitatem Contractus) minor contra venditionem, vel emptionem restituitur. num. 1.
Restitutio non plus reddit, quam abstulit laesio. 2.
In pretio laesus non potest restitutionem petere contra ipsum Contractum. 3.
Omnem restitutionem tollit fides juramenti. 4.
Quando minor cum Decreto Praetoris, vel sine eo rem immobilem vendit cum juramento, non datur restitutio. 5.
Juramentum ex minore facit majorem. 6.

1 Duplici ratione minor contra Venditionem, vel Emptionem restituitur. I. Contra ipsum contractum cum decreto factum, quod non expedierit rem vendere, vel quod non necesse fuerit hanc vendere, et hoc casu contractus ipse rescindi petetur. II. Contra qualitatem contractus v. g. ratione pretii, vel ratione evictionis pro-
2 missae, etc. Restitutio autem non plus reddet, quam abstulit laesio, *l. 26. §. 7. in fine ff. Ex*
3 *quib. caus. maj.* Sic itaque, qui in pretio laesus, non potest restitutionem petere contra ipsum contractum, *Gomez. t. 2. resol. c. 14.*
4 *num.* 1. Sed omnem restitutionem tollit fides
5 juramenti. Nam quando minor cum decreto Praetoris, vel sine eo, rem immobilem vendit cum juramento, non datur restitutio, quia ju-
6 ramentum ex minore facit majorem, *Carpz. p. 1. Jurispr. const. 20. def. 13.* et qui restitueret, perfidiae, et perjurii auctor esset.

Auth. Sacramenta puberum.

SUMMARIA

Quando minor sponte, nec coactus jurat, servandum est juramentum. num. 1.
Secus si per vim, et metum extorquetur. 2.
Hoc casu et majoribus succuritur. 3.
Haec Auth. *etiam in donationibus, aliisque Contractibus locum habet.* 4.
An etiam ad Contractus invalidos pertineat? 5.
Quot modis dicatur Contractus invalidus? 6.
De quo contractu invalido Authent. praesens *loquatur?* 7.
Tale juramentum non potest a statuto extenuari sive hoc in rem, sive in personam conceptum sit. 8.
An in casu praesenti denegetur restitutio? 9.
An absolutio concedenda? 10.
An minor debeat certiorari de suo beneficio? 11.
In juramento semper praesumitur deliberatum propositum. 12.

Quando minor jurat sponte, non coactus, i. 1
e. promittit, se Contractibus, et judicatis non contraventurum, servandum est juramentum,
secus si per vim, et metum extorquetur, tum 2
enim, et majoribus succurreretur. Et haec Au- 3
thentica etiam in Donationibus, aliisque contra- 4
ctibus locum habet, per allegata *Cephali cons. 34. num. 11. et cons. 433. num. 3. et cons. 466. num. 26.* Sed quaeritur I. *An etiam* haec Auth., 5
ad contractus invalidos pertineat? Affirmat *Bacchov. ad lib. 4. pand. cap. 14. de Actibus, et casibus, adversus quos non detur restitutio num.*
4. Sed notandum, contractum invalidum dici tri- 6
bus modis: 1. Qui est contra bonos mores. 2. Qui est ob publicam utilitatem prohibitus, et de his intelligenda *l. 5. C. de LL.* 3. Qui 7
invalidus est ob intermissam solemnitatem, et de hoc loquitur *Auth.* non enim captandum est vocabulum *retractandis, Bacchov. in Treutl. vol. 1. disp. 11. th. 9. lit. C. Carpzov. p. 2. const. 11. def. ult.* Et hanc communem sententiam esse testatur *hic Castr. num. 7. Salyc. num. 10. Guttierez. num. 11. et seqq. Donellus l. 21. cap. 13. Barbos. hic num. 11. et seqq.* Et tale juramen- 8
tum non potest a statuto extenuari sive hoc in rem, sive in personam conceptum sit, *Hartm. Pistor. p. 1. q. 6. num. 12. et seq.* II. Quaeri- 9
tur: *An denegetur Restitutio?* quod affirmatur, ne lex verbis lata, non rebus, *Odd. quaest. 26. art. 6. Gomez. lib. 2. resol. 14. num. 18.* III.

10 Quaeritur: *An absolutio sit concedenda?* Negat *Bacchov. d. l.* nisi laesio sit gravissima, nam hoc casu si laesio enormissima, plerumque dolus alterius saltem praesumptus concurrit. Confer. *Cephal. cons.* 208. *num.* 8. et *Auth. haec* cessat in utroque dolo, *Cephal. cons.* 405. *num.* 31. Sed hic conscientiae suae consulat minor; si enim non irreparabile damnum sentiat, nolim facile auctor esse, ut absolutionem petat, nisi magnum damnum ex parte minoris, et dolus ex parte alterius dilucidus sit, nam hoc casu in poenam dolosi jus ipsi per relaxationem juramenti adimi potest. IV. *An minor debeat certiorari de suo beneficio?* Resp. hoc absolute ne- 11
cesse non esse, quia in juramento semper prae- 12
sumitur deliberatum propositum, *Gomez. d. cap.* 14. *num.* 18. *Maurit. de restit. c.* 113. Sed si appareat, minorem per errorem substantialem quid promisisse, poterit ad cautelam absolvi, *Cephalus cons.* 207. *num.* 65. Caeterum quia *Donellus*, et *Hillig. d. l.* 21. *cap.* 13. *Guttierez.* aliique *Interpp.* copiose hanc illustrarunt, noluimus esse prolixiores.

TITULUS XXIX.

Si adversus Venditionem Pignorum.

L. Etiam. 1.

SUMMARIA

Adversus pignus conventionale a Minore constitutum, etiam ob modicum damnum restituitur minor. num. 1.
An, si Praetor in bona minoris debitoris mittat Creditorem ex primo decreto, et sic constituat pignus Praetorium, vel si post rem judicatam pignora capiat, et minore latitante, pignora vendantur, minor restituendus sit? 2.
Cur adversus rem judicatam, quando restituendus est minor, non desideretur laesio enormis? 3.
Quibus casibus restitutio contra tertium possessorem dari possit? 4.
De quo pignore, et de qua venditione lex haec intelligenda? 5.

1 Adversus pignus conventionale a Minore constitutum, etiam ob modicum damnum restituitur Minor, *argum. l.* 4. *ff. de Restit.* Sed quid
2 si Praetor in bona minoris debitoris mittat creditorem ex primo decreto, et sic constituat pignus Praetorium, vel si post rem judicatam pignora capiat, et minore latitante pignora vendantur, Quaeritur; an Minor restituendus sit? quod negatur, quia alias minores nullos reperturi essent creditores, *argum l.* 7. §. 8. *ff. de Minor. Odd. q.* 4. *art.* 12. *num.* 97. nisi enorme damnum minor patiatur, per *hanc l.* Sed: *Cur,*
3 *adversus rem judicatam, quando restituendus est minor, non desideretur laesio enormis?* Resp. *Odd. q.* 53. *art.* 4. *num.* 18. quod hic agatur de Restitutione danda non adversus creditorem, sed tertium, seu emptorem pignoris, quo casu parcius concedi debet, et non ob quamlibet etiam mediocrem laesionem, *l.* 13. §. *Interdum ff. de Minor. Auctor in l.* 7. *ff. de minor. num.* 17.
4 Tribus autem casibus potissimum fieri potest, ut Restitutio detur contra tertium possessorem. I. Quando interest minoris rem potius habere, quam residuum pretii. II. Quando tertius possessor scivit rem fuisse minoris. III. Quando venditor non est solvendo, per *d. l. in causae* 13. *ff. de Minoribus, Sfortia Odd. quaest.* 31. *art.* 17. *num.* 77. *et seqq.* Quamvis autem communiter *DD.* 5
hanc legem primam de pignore praetorio, vel venditione sub hasta intelligant, teste, *Odd. q.* 53. *art.* 5. non tamen aliorum absurda est sententia, qui de venditione ab ipso creditore facta hanc legem intelligunt, quia emptor causam habet non a minore, sed creditore etc. ut cum *Maurit. cap.* 204. aliisque sentit *Hillig. in Donell. l.* 21. *cap.* 9. *lit. O.*

L. Rem. 2.

SUMMARIA

Si ex pacto defuncti, cui minor successit, per Praetorem captum sit pignus, et datum Creditori, an tunc etiam detur restitutio? num. 1.
Ex facto Patris nulla datur restitutio, sed oportet, ut aliquid cum minore actum sit. 2.
Quali remedio hoc casu locus sit? 3.
Oddus notatur. 4.

Quaeritur, *Si ex pacto defuncti, cui minor* 1
successit, per Praetorem captum sit pignus, et datum Creditori, an tunc etiam detur Restitutio? Quod negatur, quia necessaria haec venditio, et cum minore nihil gestum, sed cum defuncto, *l.* 38. *ff. de minor.* Hinc regulam colligunt: Ex 2
facto Patris nullam dari restitutionem, sed oportet, ut aliquid cum minore actum sit, *DD. in l. cum filiusfam.* 49. §. *in hac ff. de V. O. Menoch. cons.* 1408. *num.* 7. *Cravetta cons.* 685. *Afflict. dec.* 212. Sed tunc actio datur contra Cre- 3
ditorem, si fraudulenter vendidit, *l.* 1. *et tot. Tit. C. si vendito Pignore*, vel contra tutores, vel etiam dari potest restitutio contra possessorem, non quidem ex aetate, sed ob ignorantiam, *Flores Dietz de Mena l.* 1. *quaest.* 5. *num.* 27. Quamvis autem in hac lege requirat expres- 4
sum pactum, ut liceret creditori post tantum tempus vendere pignus, *Odd. d. q.* 53. *art. fin. num.* 28. non tamen puto, id ex hac lege probari posse, cum tantum obligati a Patre pignoris fiat mentio, et sic *DD.* etiam generaliter videntur *hanc l.* intelligere.

TITULUS XXX.

Si adversus Donationem.

L. Si quae res. 1.

SUMMARIA

Minor non laeditur ex Sponsalitia donatione, si sit moderata, nec ob hoc restituitur. num. 1.
Secus, si immoderata. 2.
Obtinent num. 1. *dicta in donatione propter nuptias, et ad pias causas.* 3.
Qualis donatio pro moderata, vel immoderata habenda? 4.
Remuneratoria donatio respuit restitutionem, quando est commensurata obsequiis, et beneficiis acceptis. 5.
Si dos immodica, vel donatio propter nuptias immoderata a Curatore data, non opus est restitutione. 6.
Constitutio dotis, quae non ab ipsa persona minoris fit, immoderata vel ipso jure nulla est. 7.
Si immobilia quis donet Sponsae sine decreto, nulla est donatio, nec opus est restitutione. 8.
Mauritius *notatur.* 9.
Donationis propter nupt. fructus uxor non lucratur, nisi aliquo casu damnum minoris versetur. 10.
Donatio sponsalitia debet fieri cum consensu Curatoris, si habeat Curatorem minor. 11.

1 Minor non laeditur ex sponsalitia donatione, si sit moderata, ergo non restituitur; usus est enim jure communi, ergo etc. per *l. ult. C. de*
2 *Restit. Min.* Sed si esset immoderata, restitueretur, etiamsi esset remuneratoria donatio, *Od-*
3 *dus q.* 58. *art.* 4. Sed in moderata secus, ut et donatione propter nuptias, *Odd. d. q. art.* 5. et donatione ad pias causas, *Odd. art.* 3. Sed dicat aliquis: unde scire possum donationem propter nuptias, vel sponsalitiam largitatem esse modera-
4 tam, vel immoderatam? Resp. attendendam esse 1. qualitatem personarum. 2. quantitatem patrimonii, et 3. consuetudinem regionis, *argum. l.* 12. §. 3. *ff. de Admin. tut. Gomez. t.* 2. *c.* 11. *num.* 1. vers. *Secundo infertur, Molina de J. et J. t.* 2. *disp.* 573. *num.* 13. Unde probari po-
5 test, etiam remuneratoriam donationem respuere restitutionem, quando est commensurata obsequiis, et beneficiis acceptis, *Molin. d. l.* Quod
6 si vero dos immodica, vel donatio propter nuptias immoderata a curatore data, non opus est restitutione; nam constitutio dotis, quae non
7 ab ipsa persona minoris fit, immoderata vel ipso jure nulla est per *l.* 61. *de J. D.* ex *Anton. Fabro ad l.* 9. §. 1. *de Minor. Hillig. ad Donell.*
8 *l.* 21. *c.* 10. *lit. E.* Sic si immobilia quis donet Sponsae sine decreto, nulla est donatio, et hic restitutione non opus est, *l.* 8. *C. de Praed.*
9 *Minor. Maurit. c.* 208. *num.* 2. ubi reprobat sententiam *Castrensis* statuentis, in donatione propter Nuptias etiam immodica non dari restitutionem. Sed forte non deesset, quod pro *Castrensi* posset responderi *Mauritio*, cum dona-
10 tionis propter nuptias fructus uxor non lucretur, nisi aliquo casu damnum minoris versetur. Sed et illud adjiciendum, donationem istam 11
sponsalitiam debere fieri cum consensu curatoris, si habeat curatorem, per *l.* 3. *supra de Restit. Min. P. Barbos. ad l. si ante num.* 17. *ff. sol. matr.*

L. Si in te ac fratrem. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
In mobilibus filius patri donanti consentire potest, si non habeat Curatorem. 2.
Potest tamen restitui. 3.
An non videatur filius factum patris impugnare, quando contra parentis donationem se petit restitui? 4.
Pater non potest donare rem filii, licet a se profectam. 5.
Ne quidem remunerandi causa potest minor rem immobilem donare sine decreto. 6.

Pater minori Filio emancipato donaverat prae- 1
dium, sed mutata voluntate Pater, consentiente Filio, aliis id postea donat; An ne potest filius restitui? Respondetur, non opus esse Restitutione, quia donatio secunda ob non interpositum decretum Judicis ipso jure est nulla: imo ne valeret quidem donatio, licet decretum Judicis intervenisset: Ratio in *l.* 5. §. *fin. ff. de Reb. cor. qui. sub. tut.* Sane in mobilibus, Filius Pa- 2
tri donanti consentire potest, si non habet cu- 3
ratorem; Sed potest restitui. Sed non ne hic vi- 4
detur filius factum Patris impugnare, quando contra Parentis donationem petit se restitui? contra Reg. in *l. ult. C. qui et adversus quos etc.* Resp. *Donell. lib.* 21. *cap.* 12. *post lit. S.* restitutionem hanc Patrem non offendere, cum de evictione non teneatur, *l.* 18. §. *ult. ff. de Donat.* Collige ex hac lege: I. Patrem non posse dona- 5
re rem filii, licet a se scil. Patre, sit profecta per *l.* 7. *C. de praed. min. Tiraq. in l. si unquam in praefat. num.* 30. *Trentac. l.* 2. *tit. de Minor. Res.* 9. *num.* 15. II. Collige: Ne quidem remunerandi causa posse Minorem rem immobilem donare sine decreto; nam hic erat res a Patre profecta, et Patri petenti poterat filius vice versa donare, sed cum decreto, ut contra alios recte statuit *Pinell. in l.* 1. *C. de* 6
bon. matern. part. 3. *num.* 62. *illat.* 21. *Vasq. de success. resol. l.* 1. §. 7. *n.* 7. *et seq. Barbos. in l.* 6. *num.* 21. *ff. Sol. Matr. Ang. Barbos. hic num.* 4. in quam sententiam, relata prius contraria sententia, inclinare videtur *Tiraq. in d. l. si unquam,* in verb. *donatione num.* 29. et contrariam sententiam nulla niti ratione, cui responderi non possit, dicit *Trentac. l.* 2. *Resol. tit. de Min. res.* 9. *num.* 8. licet ipse distinguat, et in eo casu, ubi constat de remuneratione, contrariam sententiam amplectatur contra hanc legem

TITULUS XXXI.

Si adversus Libertatem.

L. Si post decretum. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Favor libertatis magnus est. 2.
Non rescinditur libertas semel data. 3.
Contra concessam, et competentem libertatem non datur restitutio. 4.
Secus contra concedendam, et competituram. 5.
Per restitutionem in integrum impetratam contra sententiam non tollitur sententia, nec pronunciatur super meritis causae, sed lis tantum restauratur. 6.
Cautela circa petitionem restitutionis. 7.

1 Pater Minorem instituit haeredem, et jussit Stichum manumittere, si det decem, sed antequam conditioni pareat servus, adit Judicem, qui pronunciat, debere illum, licet conditione non impleta, manumitti. Respondetur, si manumissus sit, non dari restitutionem, nisi con-
2 tra Curatorem. Ratio est in favore libertatis, qui magnus est. Ideoque, etsi indebita praestita sit libertas, ut *hic*, nondum impleta conditione,
3 non tamen rescinditur libertas semel data, *Mauritius c.* 249. *et seq. Odd. q.* 55. *art.* 3. *et* 4. et ubi quis semel liber factus, quia ad statum naturalem rediit, non potest fieri servus, *Auctor in l.* 11. *ff. de ruin. ab initio*, nisi interveniente modo jure gentium, aut civili statuto, ex *Ant. Fabro ad l.* 9. *§. ult. ff. de Minor. Hilliger l.* 21. *cap.* 12. *lit. A.* Si vero manumittendus sit, datur restitutio contra sententiam:
4 nam licet contra concessam, et competentem libertatem non detur restitutio, non tamen con-
5 tra concedendam, et competituram, ut ex aliis *Hillig. d. c.* 12. *lit. B. Caldas* ad saepe citatam legem, *Si curatorem* verbo *laesis*, *num.* 161. *ff. de Restit. minor. Odd. q.* 72. *num.* 26. Notant
6 hic *DD.* per restitutionem in integrum impetratam contra sententiam, non tolli sententiam, nec pronunciari super meritis causae, ut in appellatione, sed litem tantum restaurari, ut in *l.* 1. *hac* dicitur, et viam tantum pandi actioni rescissoriae. Vid. *hic DD. et Sfortia Odd. p.* 1. *q.* 40. *art.* 3. Ideo in Processu restitutionis super gravaminibus saepe pronunciatum, et restitutionem concessam memini, etiam non audita parte, si ex actis, et libello restitutionis causae
7 restitutionis appareant. Et ideo etiam qui petit restitutionem in integrum non debet petere, ut sententia reformetur, sed ut sententia aboleatur, et petens in eum statum restituatur, in quo erat, antequam facilitate sua laederetur, ut ex *Bart. in l. Divus num.* 8. *ff. de Restit. Minor. Barbos. hic num.* 7. *notat.*

L. Etsi minor. 2.

SUMMARIA

Etiamsi dolo servi circumscriptus sit minor ipsum manumittendo, non tamen datur restitutio contra libertatem. num. 1.
Sed actio de dolo contra manumissum. 2.
Libertas semel data non retractatur. 3.
Causa libertatis est causa pia. 4.
Princeps ex magna causa libertatem etiam datam rescindere potest. 5.
Per actionem de dolo minor consequitur indemnitatem, et quanti sua interfuit, se deceptum non esse. 6.

Etiamsi dolo servi circumscriptus sit minor 1
ipsum manumittendo, non tamen datur restitutio contra libertatem, sed actio de dolo contra
manumissum. Ratio in §. *Semel instit. quib. ex* 2
caus. manumitt. etc. quod scil. libertas semel data 3
non retractetur, quod procul dubio favore libertatis placuit, et quia a natura inest, et ejus 4
causa pia; quas rationes conjungit *Sfortia Oddus d. q.* 55. *art.* 3. Sed ex magna causa Principem 5
posse libertatem etiam datam rescindere, *l. nisi* 10. *ff. de Minor.* statuit, et exemplis declarat
Oddus d. q. 55. *art.* 4. Per actionem autem de 6
dolo consequitur Minor indemnitatem, et quanti sua interfuit, se deceptum non esse, *l.* 1. *princ. ff. de Restit. Minor.*

L. Quos retrahi. 3.

SUMMARIA

Lex haec ejusdem argumenti est cum secunda. num. 1.
Si manumissor minor sit 17. *annis, causa non cognita, manumissio ipso jure nulla est.* 2.
Quando ipso jure tutus est minor, et negotium ipso jure nullum, non opus est restitutione. 3.
Si libertas firmiter, et cum solemnitate data, nulla datur restitutio, sed actio de dolo contra libertum, vel Curatorem, ita ut crimen interdum gravius puniri possit. 4.
Judex Civilis incidenter de crimine cognoscere potest. 5.

Est ejusdem argumenti cum secunda; addit 1
tamen, si manumissor minor sit 17. annis, quod 2
causa non cognita, manumissio ipso jure sit nulla,

§. *eadem Inst. quib. ex caus. manumitt.* Semper
3 enim regula observanda, quando ipso jure tutus est minor, et negotium ipso jure nullum,
4 non opus esse restitutione. Sed si libertas firmiter, et cum solemnitate data, nulla datur restitutio, sed actio de dolo contra liberti curatorem, ita, ut crimen interdum gravius puniri
5 possit. Unde notant hic, Judicem civilem incidenter de crimine cognoscere posse.

L. In judicio. 4.

SUMMARIA

Adversus sententiam, qua quis liber pronunciatur, non datur restitutio. num. 1.
Datur tamen Appellatio. 2.
Limitantur n. 1. *dicta in casu, si dandam esse libertatem pronuncietur.* 3.
Aliud est pronunciare, aliquem esse condemnandum, et aliud condemnare. 4.
An consilium Sapientium a judice publicatum transeat in rem judicatam, si forte Collegium respondeat, reum esse condemnandum? 5.
Cur contra sententiam, pro Libertate competente latam, non detur restitutio? 6.

1 Adversus sententiam, qua quis liber pronun-
2 ciatur, non datur Restitutio, datur tamen Appellatio; aliud si dandam esse libertatem pro- 3
nuncietur, per *l.* 1. *h. t.* Unde notant *DD. in l.* 1. aliud esse pronunciare, aliquem esse con- 4
demnandum, et aliud condemnare, quod alii trahunt ad quaestionem, an consilium Sapien- 5
tium a Judice publicatum transeat in rem judicatam, si forte Collegium respondeat, reum esse condemnandum? Sed responderi potest, licet ita concepta sit sententia, Judicem tamen publicando sententiam velle jam condemnare. Vid. *Carpzov. p.* 1. *Jurisprud. for. const.* 26. *def.* 1. *et Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *disput.* 23. *th.* 2. *lit. R.* Sed cur contra sententiam pro Libertate 6
competente (nam quid in competitura sit, supra dictum) latam non detur restitutio, et tamen appellatio detur, varie respondent. *Duaren.* quem laudat *Hilliger. d. c.* 12. *lit. B.* reddit hanc rationem, quia in Appellatione conqueritur minor de iniquitate sententiae; in restitutione autem veniam sui erroris, ac simplicitatis petit, *A. Faber d. lit. B. ab Hillig. citatus.* Appellatio rescindit judicatum principaliter, Libertatem vero per consequentiam tantum, *Bartol. in l.* 1. *C. h. t.* et post cum *Maurit. c.* 250. ita: Judex Restitutionis, qui cognoscit super causa restitutionis, non judicat super prima causa, sed solum revocat, atque irritam reddit sententiam; Sed aliud in Judice Appellationis. Sed nulla harum ex omni parte satisfacere videtur.

TITULUS XXXII.

Si adversus Transactionem, vel Divisionem in integrum Minor restitui velit.

L. Cum in integrum. 1.

SUMMARIA

An Minor in causa non dubia transigens, inque transactione laesus, contra transactionem debeat restitui? num. 1.
Restituto contra transactionem, vel divisionem Minore in pristinum statum, qualis erat ante transactionem, restituitur etiam alter, cum quo transegit. 2.
Restitutio ita facienda, quo unusquisque jus suum recipiat. 3.
Restitutio non tantum Minorem, sed et Adversarium in priorem statum reponit. 4.
Minor volens restitui, accepta prius restituere debet. 5.
An Minor pretium cum protestatione petere possit, cum, si acceperit, offerre, et deponere teneatur? 6.
Faber, *et* Carpzovius *notantur, eod.*
Fructus a tempore litis contestatae restituendi. 7.
An enormis laesio hic requiratur? 8.
Caldas, *et* Barbosa *notantur.* 9.

Minor cum alio transegerat, sed in trans- 1
actione laesus erat, vel quia causa Minoris erat tam clara, ut non expediret pacisci, vel expediebat quidem pacisci cum causa non esset adeo clara, sed non expediebat tam modico accepto, si Actor erat, vel tanto dato transigere, Quaeritur; *An contra transactionem debeat restitui?* Videtur quod non, ob favorem transactionis, odium litis, ejusque dubium eventum. Sed affirm. quia rationes contrariae in casu eo, ubi dubia Minoris causa, locum habent; sed ubi certa laesio, secus esse videtur dicendum. Sed 2
restituto contra transactionem, vel divisionem Minore in pristinum statum, qualis erat ante transactionem, restituitur etiam alter, cum quo transegit. Ratio decidendi in *l. ff.* 24. §. 4. *de Minorib.* ubi dicitur, quod restitutio ita facienda, 3
quo unusquisque jus suum recipiat. Ratio dubitandi in *l.* 28. *ff. de Minorib.* Sed ibi separatae actiones. Firma ergo Regula, quod restitutio non 4
tantum Minorem, sed et Adversarium in priorem statum reponat, hic, et *l. un. infr. de Reputat.* et sic Minor volens restitui, accepta prius 5
restituere debet, per *l. si diversa* 14. *supr. de Transact. Menoch. cons.* 1111. *num.* 65. *et seqq.* ut adeo dubia sit sententia *Ant. Fabri in Codic.*

lib. 2. *tit.* 30. *def.* 2. *a Dno. Carpzovio* probata
6 *par.* 1. *const.* 26. *def.* 22. *num.* 8. quod Minor pretium cum protestatione petere possit, cum,
7 si acceperit, offerre, et deponere teneatur. Nec obstat ratio: quod alter fructus, et pretium ita habeat; Resp. fructus a tempore litis contestatae restituendos esse, *Petr. Rebuff. de Rest. gl.*
8 3. *num.* 31. Sed quaeritur hic: *An enormis lae-*
9 *sio requiratur?* quod affirmat ex *Caldas hic Barbosa.* Sed id non puto posse probari; Nam aut causa erat clara ex parte Minoris adeo, ut non expediret transigere, et non requiritur enormis laesio, prout tradit ipse a *Barbosa* allegatus *Oddus q.* 66. *art.* 4. *n.* 23. aut expediebat transigere, sed non tanto redimere litem expediebat, et tunc *Oddus* in arbitrio Judicis committit *num.* 25. Hoc quidem concesserim, non esse facile rescindendam transactionem, sed ubi manifesta laesio, et evidenter probata, etiam citra dimidium, cur restitutio denegari debeat, non video.

L. Si ex persona. 2.

SUMMARIUM

An transigens cum minore super actione, minore restitutionem petente, possim veteri actione uti?

Habeo actionem cum Minore, sed lis transactione sopitur, Minor petit restitutionem, quaeritur; *An veteri actione uti possim?* Hic distinguitur, an nuda Conventione transactum cum Minore, et veteri actioni locus, cui si opponat Minor exceptionem transactionis, replico de dolo; si vero Acceptilatione sublata actio pristina, restituto Minore, et ego restituor, *arg. l. fin. C. de Accept.* Ratio *in d. l.* 24. §. 4. *de Minor.* et ita habeo ex persona Minoris, quod ex mea persona non habeo. Et idem in sententia, in capitulis scil. connexis, non separatis, *Odd. qu.* 47. *art.* 10. et divisionibus, *l.* 1. *h. t.* Vid. *Maurit. cap.* 213. *et seq. Petr. Sanz. Mornech. de divis. bon. l.* 1. *c.* 11. *num.* 34.

TITULUS XXXIII.

Si adversus solutionem a Tutore, vel a se factam.

SUMMARIUM

Rubrica *bimembris est.*

Rubrica bimembris est: De 1. membro agit *l.* 1. de 2. vero *l.* 2.

L. Exemplo 1.

SUMMARIA

Tutor, qui ex rationibus pupillo aliquid debebat, ut debitor Curatori minoris solvens, liberatur ipso jure. num. 1.
Minor tamen in integrum restitui potest. 2.
Quatenus n. 2. *dicta procedant?* 3.
Quando decretum judicis etiam intervenit, non datur restitutio. 4.
Decretum judicis restitutionem non tollit in Contractibus. 5.
Secus est in solutione. 6.
Solutio necessitatis est, Contractus sunt voluntatis. 7.
Aliud est decretum judicis, aliud jussus. 8.
Aliud est decretum judicis permissorium, aliud jussorium. 9.
Contra solutionem annuorum redituum cum consensu Curatoris minori factam nulla datur restitutio. 10.
Restitutio, de qua hic, datur causa cognita. 11.
Quid in hanc cognitionem veniat. 12.
Restitutio non datur, nisi curatore non existente solvendo. 13.

Tutor, qui ex rationibus pupillo aliquid de- 1
bebat, ut debitor curatori minoris solvens, liberatur ipso jure; sed quia non adhibuit auctoritatem Judicis, ideoque plenam securitatem non
consequitur, sed minor potest restitui, §. *ult.* 2
Inst. quib. alien. lic. et l. 25. *C. de Admin. tut.*
si modo pecunia sit perdita, et ita minor lae- 3
sus, per *l.* 11. §. 3. *ff. de Min. vid. l.* 25. *et* 27. *infr. de Admin. tut. Auctor in l.* 7. *ff. de min. num.* 5. Oportet autem perditam fuisse non fato, vel casu, sed imprudentia Minoris, et quidem perditio debet fieri tempore minorennitatis, qua de re *Oddus q.* 15. *art.* 1. Sed quando
decretum etiam Judicis intervenit, nulla datur 4
restitutio, *d.* §. *ult.* Nam licet alias decretum Ju-
dicis restitutionem non tollat in contractibus, 5
l. si quidem C. de Praed. Min. secus tamen in 6
solutione, quia haec necessitatis est, contractus 7
sunt voluntatis, *Maurit. qu.* 178. *Auct. in l.* 7.
ff. de Min. num. 2. Et aliud est decretum Ju- 8
dicis, aliud jussus, *Odd. d. q.* 52. *art.* 3. Seu
aliud est decretum Judicis permissorium, aliud 9
jussorium, *Bacch. ad l.* 24. *Pand. tit. de Minor. c.* 9. *num.* 4. Sed contra solutionem annuorum
redituum, cum consensu curatoris ei factam, 10
nulla datur restitutio, *l.* 25. *C. de Administr. tut. Auct. in d. l.* 7. *ff. de min. num.* 6. Notan-
dum autem: hanc restitutionem dari causa co- 11
gnita, in qua cognitione versatur, an facilitate 12
minoris, an vero laesio in ipsa solutione intervenerit, quod requirit *Vasq. l.* 3. *contr. c.* 67. *num.* 2. quamvis sufficere putent alii, si postea petierit; quae quidem sententia vix ab iniquitate aliqua liberari posset; nam imputari quidem possit solventi tutori, vel debitori, quod aucto-

ritatem Judicis non adhibuerit; sed quis quaeso illiteratorum hoc novit? Sententiam tamen communiter receptam puto declarandam esse, ut
13 non aliis detur restitutio, nisi curatore non existente solvendo, *Maurit. cap.* 176. *et seq.* quem citat *Hill. in Don. l.* 16. *lit. F.* quam limitationem etiam probat *Bacch. in Treut. d. th.* 11. *lit. C.*

L. Indebito legato. 2.

SUMMARIA

An valeat solutio facta a minore haerede jusso in testamento minus solemni legata solvere, habente testamentum pro solemni? num. 1.
Etiam contra errorem juris minori succurritur, etiamsi debitum sit naturale. 2.
Nec excludit minorem jussus judicis. 3.
Quando condictio indebiti locum habet, non opus est restitutione. 4.

In testamento minus solemni jubebatur haeres 1
minorennis legata solvere, quae etiam minor solvit errore juris, habens testamentum pro solemni; Quaeritur, an valeat solutio? Respondetur, valere ob *l.* 10. *C. de jur. et fact. ignor.* Sed datur restitutio intra tempora a jure concessa. Collige: Etiam contra errorem juris mi- 2
nori succurri, etiamsi debitum sit naturale; ut *hic.* Vid. *Odd. qu.* 52. *art.* 13. nec excludit mi- 3
norem jussus Judicis, per tradita *Oddi art.* 6.
Quando vero condictio indebiti locum habet, non 4
opus est restitutione. Et sic cum in specie *legis* 2. §. 1. *et LL. seqq. ff. de Condict. indeb.* detur condictio indebiti, utique ibi de errore facti, hic vero de errore juris agitur, *Odd. q.* 52. *art.* 5. *Bacchov. in Treutl. d. th.* 11. *lit. A.*

TITULUS XXXIV.

Si adversus Dotem.

L. Quoniam. unic.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Restitutionis beneficium est reale. 2.
An in proposita facti specie haeres probare teneatur, quod defuncta soror petere restitutionem voluerit? 3.
Quomodo in dicta facti specie mulier in constitutione dotis laedi potuerit, cum tamen omnia bona in dotem dare possit? 4.
Secundo nubens mulier, omniaque bona in dotem dans marito, neglecta sobole prioris matrimonii, laesa per hoc dicitur. 5.
Item quando pactum facit de lucro dotis, vel aliud sibi nocivum. 6.
An Mulier omnia sua bona afferens marito, ea omnia in dotem dedisse censeatur? 7.
An majori mulieri succurratur? 8.

1 Virgo quaedam circumventa dedit omnia bona in dotem marito, laesa est exinde, quia ipsi forte non expediebat omnia bona in dotem dare, et doti etiam conditiones praejudiciales sunt annexae, et ita ampliores fructus, quam oportuit, maritus lucratur, Quaeritur; *an ne soror ejus, ei succedens, ex persona defunctae possit restitutionem petere?* Quod affirmatur, quia be-
2 neficium est Reale, *l.* 6. *ff. de Restit. in integr.*
3 Sed Quaeritur: *An haeres probare teneatur, quod defuncta petere restitutionem voluerit?* quod videtur velle *Dn. Carpzov. l.* 2. *resp.* 98. *num.* 19. *et seqq.* Sed quaeritur; *Quomodo mulier in* 4
constitutione dotis laedi potuerit, cum tamen omnia bona in dotem dare possit? Resp. cum *Mudaeo hic Hill. in Don. l.* 21. *c.* 10. non de eo hic inquiri, an omnia in dotem dederit bona, sed an circumventa id fecerit: nam spectandus hic modus dotis ex facultatibus, et dignitate mulieris, et mariti, *l.* 60. *ff. de jur. dot.* Si enim omnia in dotem dederit pauperior ditiori, aut alias bene merenti, aut tanta dote non indigno, non dicetur laesa mulier, quia tunc ipsi eo amplius dotalitium est constituendum. Sic secundo nu- 5
bens, omnia bona in dotem dans marito, neglecta sobole prioris matrimonii, laesa dicetur, *Maurit. de Restit. c.* 209. *n.* 3. et *Hillig. hanc citans d. l. Auct. in l.* 9. *ff. de minor. num.* 6.
laesa etiam dici potest mulier, quando pactum 6
fecit de lucro dotis, vel aliud sibi nocivum, *l.* 18. §. 1. *ff. de restit. min. Gomez. t.* 2. *resol. c.* 14. *num.* 2. Alia exempla vide apud *Oddum q.* 59. *art.* 3. Denique hic quasi obiter notat *Hil-* 7
lig. quod mulier omnia bona sua afferens marito, ea omnia in dotem dedisse censeatur, quod non probo; de quo alibi. Sed an majori mu- 8
lieri succurritur? Videtur quod sic ob *l. jure succursum* 6. §. *fin. ff. de jur. dot.* Sed distinguendum inter aestimationem dotis, ubi datur restitutio etiam majori, et inter ipsam dationem, ubi datur tantum minori. Vid. *Pinell. ad l.* 2. *C. de Rescind. vend. cap.* 1. *legis num.* 11. *et seqq. Barb. ad l. aestimatis. num.* 23. *solut. matrim.*

TITULUS XXXV.

Si adversus Delictum.

L. In Criminibus. 1.

SUMMARIA

Contra delictum ex animo doloso commissum non datur restitutio. num. 1.
Licet jus, contra quod peccavit, tantum statutarium sit. 2.
Licet in contractu dolum admiserit. 3.
Ubi culpa quid admittitur, restituitur minor. 4.
Licet culpa lata sit, vel praesumpta, aut praesumptus dolus. 5. 7.
In delictis dolo commissis restituitur contra confessionem, si errorem docere possit. 6.
Quod de culpa lata dictum, cessat in delictis, in quibus dolus, et lata culpa aequiparantur. 8.
Tamdiu standum est regulae, donec probetur contrarium. 9.
An non in publicis criminibus miseratio aetatis judicem ad mitigationem perducere possit? 10.
De contumacia minoris in non petendo feudo, remissive. 11.

1 Contra delictum ex animo doloso commissum, non datur restitutio. Ratio in *l. auxilium* 37.
2 *§. in delictis ff. de Minor.* licet jus, contra quod peccavit, tantum statutarium sit, *Oddus*
3 *quaest.* 80. *art.* 8. licet in Contractu dolum ad-
4 miserit, *l.* 9. *§. secund. ff. de Minorib.* Sed ubi culpa quid admittitur, restituitur minor, licet
5 culpa lata sit, per tradita *Odd. qu.* 80. *art.* 6. vel culpa sit praesumpta, aut praesumptus dolus, v. g. quasi contumacia, *l.* 8. *ff. de Minor. conf. Bacc. ad Pand. l.* 4. *de Minor. c.* 14. *n.* 2.
6 Imo et in delictis dolo commissis restituitur non quidem contra delictum, sed contra confessionem, si errorem docere possit, per *l.* 6. *§. pen. ff.*
7 *de Confess.* Contra delicta per culpam latam commissa, minorem restitui posse communior est
8 opinio, teste *Odd. q.* 80. *art.* 6. de quo in delictis, in quibus dolus, et lata culpa aequiparantur, merito dubitat *Bacchov. d. disp. th.* 12. *lit.*
9 *C.* quia tamdiu standum est Regulae, donec pro-
10 betur contrarium. *Sed an non in publicis criminibus miseratio aetatis Judicem ad mitigationem perducere potest?* Quod affirm. *Tiraq. de poen. temp. capit.* 7. *Farinac. in prax. crim. q.* 92. *num.* 172. et *DD.* communiter, a quibus recedit *Dn. Carpz. in pract. crim. q.* 143. Ego puto, Regulam pro minoribus ponendam esse, nisi poena jure Divino certa posita sit, ut in homicidio, et adulterio, aut crimen sit enormius *etc.* De delictis in specie vid. *Odd. q.* 81. *et Brunnemann. in Codicem.* Tom. I.

50. De contumacia minoris in non petendo feudo, *Rosenthal. c.* 6. *concl.* 4.

L. Licet. 2.

SUMMARIA

Matres aetate minores liberis intra annum tutorem petere debent. num. 1.
Non petentes nec haereditate privantur, nec opus habent restitutione, sed ipso jure tutae sunt. 2.
Ratio decidendi. 3.
Minor non solvens Vectigal restitui potest, nisi dolo neglexit. 4.
Exempla minoris in omittendo peccantis, remissive. 5.
Quatenus Minori in delictis consistentibus in omittendo parcatur? 6.
Facilius succurritur minoribus, quando delinquunt omittendo, quam committendo. 7.

Matres aetate minores, si intra annum non 1
petierint tutorem liberis (ut majores debent, *§. fin. Inst. ad SC. Tertull. et l. sciant* 10. *C. de legit. haered.*) non tamen privantur haeredi- 2
tate, nec opus habent Restitutione, sed tutae sunt ipso jure, quia lex eas exemit. Vid. *l.* 11. *C. de Ignor. jur. et fact.* Ratio: quia hoc delictum 3
consistit in omittendo, et res, quae omittitur, est tantum juris civilis. Vid. *Odd. quaest.* 82. *art.* 2. Sed si dolose alia omitteret, restitutionem non haberet, *l.* 9. *§. pen. ff. de Restit. Min.* Vid. *Odd. qu.* 80. *art.* 1. *et* 2. *Jo. Petr. Surd. decis.* 216. *num.* 12. Sic etiam, si minor non sol- 4
verit Vectigal, non est quidem ipso jure tutus, ut hic, sed restitutio datur, si non dolo neglexit, *d. l.* 9. *§. pen. ff. de Min. Odd. q.* 82. *art.* 1. *Bacchov. d. disp. th.* 12. *lit. C.* Aliud 5
exemplum minoris omittendo peccantis in *l. minorib.* 6. *C. de his, quib. ut indign. l.* 1. *§. impubes et l. excipiuntur* 14. *ff. de SC. Silan. leg.* 1. *§. impuberes C. de fals. mon. Novell.* 115. *cap.* 5. *§.* 13. Unde regulam faciunt: Minori in 6
delictis consistentibus in omittendo parci, *Gomez. l.* 3. *resol. cap.* 1. *num.* 59. quam tamen regulam universalem esse negat, et in iis exemplis levitatem criminis, et omissionem officii debiti, ac ignorantiam, ac infirmitatem concurrere tradit *Anton. Matth. de crimin. in proleg. cap.* 2. *num.* 3. Colligunt ex hac lege Regulam: Fa- 7
cilius succurri Minoribus, quando delinquunt omittendo, quam committendo, *Tiraq. de poen. temp. caus.* 44. *num.* 43.

TITULUS XXXVI.

Si adversus Usucapionem.

L. Contra eos. unic.

SUMMARIA

An contra Usucapionem restituatur minor? num. 1.
Usucapio est favorabilis, nascitur ex acquirentis possessione, et effectum suum operatur sola juris Civilis potestate, nec indiget tuitione Praetoris. 2.
Praescriptio tuitione Praetoris eget, est odiosa, et oritur ex negligentia. 3.
DD. circa hanc quaestionem distinctio. 4.
An lex haec *mutata per* l. ult. C. in quib. caus. in integr. restit. non est necesse? 5.
Nec mutata l. 45. ff. de min. *per* d. l. fin. 6.
Bacchovius *notatur*. 7.
An contra praescriptionem tricenariam concedatur restitutio? 8.
Alienatio bonorum minoris, quae servando servari possunt legalis, non indiget adminiculo decreti judicis, sed tantum ea, quae fit facto hominis. 9.
Res, quae servando servari non possunt, dicuntur, quae non possunt durare per triennium. 10.

1 *An contra Usucapionem restituatur Minor?* Videtur ipso jure tutus esse, *l. fin. C. in quib. caus. Rest. in int. non est nec.* Sed Disting. inter
2 ter Usucapionem, et Praescriptionem; illa enim est favorabilis, quia ex acquirentis possessione nascitur, et effectum suum operatur sola juris civilis potestate, nec indiget tuitione Praetoris, qua praescriptio indiget, *Ant. Faber. in rat. ad* 3
l. 45. *ff. de Minor.* Haec vero odiosa, quia ex negligentia Minoris, *Donell. lib.* 21. *capit.* 9. *et ibi Hillig. lit. G.* Sed. *DD.* communiter distin- 4
guunt, utrum cum Majore defuncto inchoata sit usucapio, an vero in persona Minoris sit inchoata, ut hoc casu minor ipso jure sit tutus; illo vero casu opus habeat restitutione per *l.* 45. *ff. de Minor. Maurit. cap.* 102. *Odd. quaest.* 88. *art.* 4. *Caldas in l. Si curatorem* in verbis: *sua facilitate num.* 46. quem errorem esse dicit *Hillig. in Donell. d. cap.* 9. *lit. G.* natum ex confusione Usucapionis, et Praescriptionis: ideoque cum *Castrensi hic* existimo, hanc legem, 5
quae de Usucapione loquitur, non esse mutatam per *l. ult. C. in quib. caus. in integr. restit. non est necess.* Et d. *l.* 45. *ff. de Minor.* per *d. l.* 6
fin. non esse correctam omnes volunt, ut testatur *Flor. Diez de Mena l.* 1. *q.* 5. *num.* 37. licet aliud velit *Bacchov. in Treutl. d. disp. th.* 7
12. *lit. A. in fin. Gilkan. de praescript. part.* 3. *cap.* 1. *num.* 78. Contra Praescriptionem trice- 8
nariam etiam *DD.* concedunt restitutionem, quod propter *d. l. fin. et l.* 3. *C. de Praescr.* 30. *annor.* merito displicet *Ant. Fabro lib.* 2. *Cod. tit.* 20. *def.* 2. *num.* 4. *Carpz. p.* 2. *Jurispr. for. Const.* 9. *def.* 2. (ubi *DD.* communem sententiam proponentes recenset, et *Bacchov. dict. lit. A.*) Colligit ex hac lege *Baldus*: Alienationem 9
bonorum minoris, quae servando servari possunt legalem, non indigere adminiculo decreti Judicis, sed tantum eam, quae fit facto hominis; qua occasione ex *Gl. Barb. hic*, allegatis Doctoribus quibusdam, definit res, quae servando servari non possunt, scilicet quae non possunt 10
durare per Triennium.

TITULUS XXXVII.

Si adversus Fiscum.

L. Probus. 1.

SUMMARIA

An Minor a Procuratore fisci laesus possit restitui? num. 1.
Solvitur objectio ex l. 2. C. de resc. vend. 2.
Remedium ordinarium non excludit extraordinarium plenius. 3.
Exemplum, ubi privilegiatus contra privilegiatum utitur suo privilegio, quando privilegia sunt diversa, et imparia. 4.
Item quando prior in lucro, alter in damno versatur. 5.

Minor laesus est a Procuratore Fisci, Quaeri- 1
tur: *An possit restitui?* quod affirmatur, quia Fiscus in lucro, Minor in damno versatur; ratio etiam petatur ex *l.* 11. §. 6. *ff. de Minor.* Nec obstat, quod *l.* 2. *C. de Rescind. vendit.* hic 2
locum habere possit, quando enormiter laesus est minor. Ergo videtur, remedium ordinarium 3
excludere remedium extraordinarium. Sed supra diximus, hanc regulam non esse perpetuam, praesertim locum non habet, quando remedium extraordinarium est plenius. Ideoque restitutionem dari in enormi laesione voluerunt, cum in *d. l.* 2. Reus habeat electionem restituendi rem, vel pretium supplendi, sed hic praecise Reus tenetur restituere, *Covarr. l.* 1. *Resol. cap.* 3. *num.* 11. *Oddus quaest.* 17. *art.* 11. *per tot.*

Pinell. in l. 2. C. de Rescind. vend. p. 3. cap. 1. num. 19. et quos laudat *Barbos. hic num. 3.*
4 Et habes hic Exemplum, ubi privilegiatus contra privilegiatum utitur suo privilegio, quod fit ideo, quia privilegia sunt diversa, et imparia, per
5 tradita *Oddi d. tr. qu. 18. art. 4. num. 32.* Item, utitur etiam privilegiatus suo privilegio contra aeque privilegiatum, si prior in lucro, alter in damno versetur, *Odd. d. l. num. 33. Covarr. in c. possessor p. 2. §. 2. num. 4.* et qui allegantur in *Barbosa locuplet. lib. 14. cap. 83. axiom. 26.*

L. Si adversus. 2.

SUMMARIA

Quis in praedicto casu judex? num. 1.
Privilegium Fisci est, quod ejus, atque ita Principis, Procurator in re sui Principalis possit cognoscere. 2.

1 Quaeritur hic: *quis tum Judex?* Respondetur, Procurator Fisci, et Praeses praesente Fisci patro-
2 no. Ex quo colligitur: Privilegium Fisci est, quod ejus, atque ita Principis, Procurator in re sui principalis possit cognoscere, *Farin. p. 1. fragm. lit. F. num. 181.* de quo vide *notata a me ad l. 41. ff. de Haered. instit.*

L. Edicto. 3.

SUMMARIA

An Minori competat restitutio contra venditionem rerum suarum a Fisco factam, post quinquennium? num. 1.
Subhastatione in vendendis rebus Minorum omissa, venditio ipso jure nulla est. 2.
Venditiones sub Hasta non retractantur. 3.
Fisco rem Minoris ob debita fiscalia debitis cum solemnitatibus vendente restitutio non datur. 4.
Si sine debitis solemnitatibus fiat, ipso jure tutus est Minor. 5.
Si Fiscus rem Minoris ut suam vendat, etiam post quadriennium datur restitutio. 6.
Minor ob debita, venditione facta, restitutionem petens ad debitorum solutionem se offerre debet. 7.
Licet Debitor, executionem passus, eam nullam esse dicat, audiendus tamen non est, nisi debitum totum solvat. 8.

Edicto Divi Marci cautum erat, ut si quis rem 1
emptam a Fisco possedisset quinque annis (quod hodie mutatum *§. fin. Inst. de usucap.*) tutus esset. Exceptae autem erant res Minorum: putabat igitur Laurentius, etiamsi ejus bona essent a Fisco vendita, sibi tamen competere restitutionem etiam post quinquennium, quia Minor erat. Sed haec venditio ob debita solemniter facta est, ergo nulla datur Restitutio, *arg. l. 7. §. 8. ff. de Minor.* et per *l. pen. C. de fid. et jur. hast. fisc. Auctor in l. 7. ff. de Min. num. 18.* nisi vel Fraus intervenerit, vel solemnia subhastationis fuerint omissa, nam tunc 2
nulla opus esset restitutione, quia venditio ipso jure nulla esset, *l. 1. 2. et 3. C. de fid. et jur. hast. fisc. l. 3. C. si propt. public. pensitat. l. 16. C. de Rescind. vend.* Videtur ex hac lege pro- 3
bari posse, quod venditiones sub Hasta non retractentur *ob l. 2. C. de Rescind. vend.* Vid. *Berlich. part. 1. dec. 126. Carpz. part. 2. Jurispr. for. constit. 24. def. 13. et lib. 4. Resp. 1.* Ergo ita se res habet: Aut Fiscus rem minoris 4
vendit ob debita fiscalia, debitis cum solemnitatibus, et tunc restitutio non datur, *d. l. pen. C. de fid. et jur. hast. fisc.* si autem sine debitis 5
solemnitatibus, non opus est restitutione, quia ipso jure tutus est minor; aut vendit rem mi- 6
noris ut suam, tum etiam post quadriennium datur restitutio, non obstante *l. fin. C. de quadrienn. praescript. Oddus qu. 18. art. 11. et 12. Caldas ad typum instrum. de empt. cap. 12. num. 29. et seqq. Hondedaeus lib. 1. cons. 67. num. 27.* Quando tamen ob debita venditio facta, mi- 7
nor restitutionem petens, ad debitorum solutionem se offerre debet, per *hanc legem.* Unde colligunt: licet debitor Executionem passus, 8
eam nullam esse dicat, audiendum tamen eum non esse, nisi debitum totum solvat, *Gratian. tom. 1. disc. cap. 7. num. 29.*

TITULUS XXXVIII.

Si adversus Creditorem.

L. Cum et ipse. 1. et L. Si, ut allegas. 2.

SUMMARIA

Contra Foeneratorem, si minor velit restitui, onus probandi incumbit Creditori, pecuniam mutuo datam fuisse versam in utilitatem minoris. num. 1.
Molinaeus *notatur. 2.*
Minor restitutionem petens alias laesionem probare debet. 3.
Hartmannus Pistorius, et Carpzovius *notantur. 4.*
Ex specialitate Tituli speciale quid esse colligitur. 5.
Trentacinquius, Bacchovius, Pinellus, Matthesilanus, aliique *notantur. 6.*
Lex una ex alia explicanda. 7.
Minor amissionem tantum allegare potest, probare non tenetur. 8.
Minor in conscientiae foro obligatur, si revera locupletior redditus. 9.

Creditor gratis sine foenore mutuum dans probatione hac non onerandus. 10.

Intelligenda num. 1. *dicta de mutuo firmiter contracto.* 11.

1 Contra Foeneratorem, si Minor velit restitui, onus probandi incumbit creditori, pecuniam mutuo datam fuisse versam in utilitatem minoris: Ratio in odio Foeneratorum. Quamvis au-
2 tem *Molinaeus in tract. de usur. quaestion.* 37. *num.* 280. quem citat *Hartman. Pistor. par.* 1. *quaestion.* 38. *num.* 4. de ratione hac decidendi dubitet, sententia tamen communis est, quod
3 Minor restitutionem petens, laesionem debeat probare, nisi scil. res ipsi sit cum foeneratore seu creditore, qui sub usuris mutuo dat, et quod hoc casu minor sine ulla probatione laesionis admittendus sit ad restitutionem. Et
4 sic nec *Hartm. Pistor.* sententiam sequimur, qui minori onus laesionem probandi injungit, quem sequitur *Dn. Carpzov. p.* 2. *Const.* 11. *def.* 44. contra quos facit, quod omnino hic vi-
5 deatur aliquid speciale esse ex specialitate tituli: accedit similis textus de mutuo dato Civitati, in *l. Civitas* 27. *ff. de Reb. cred.* Deinde, si Minor probare debet laesionem, certe dissipationem probare debet, qua probata, Creditori impossibile erit versionem in rem minoris probare. Neque commode dici potest, praesupponi in *hac lege*, minorem probasse laesionem: Sed potius praesupponendum est, quaerenti, ut actori, incubuisse probationem ejus, quod allegaverat, scil. illud mutuum in utilitatem minoris versum. Nec
6 *Trentacinquii tit. de minor. resolut.* 6. *num.* 5. *et Bacchovii in Treutl. d. l. th.* 15. *lit. A. et Pinelli ad l.* 2. *C. de Rescind. vend. p.* 3. *cap.* 1. *num.* 32. *et Matthesilani sing.* 58. aliorumque sententiam simpliciter approbamus, qui de Creditore etiam eo, qui gratis mutuo dat, intelligunt: sed mediam, et communem sententiam sequimur, distinguentem inter Foeneratores, et alios qui sine usuris mutuo dant, *Odd. quaest.* 58. *art.* 5. Nam *l.* 1. *h. t.* quae indefinite de creditoribus loquitur ex *l.* 2. est explicanda, 7
quod in jure ratum non est, quam sententiam hic communiter tenent *DD.* ut ipse fatetur *Pinell. num.* 31. et quos allegat *Hartm. Pistor.* et sic minorem amissionem tantum allegare posse, non teneri probare dicit *Maurit. quaest.* 221 *in fin.* Consentit, et communem esse testatur *Gomez. t.* 2. *resol. cap.* 14. *num.* 2. *versic. quinto infertur*, *Molin. de J et J. disp.* 300. *num. fin.* ubi minorem in conscientiae foro obligari 9
dicit, si revera locupletior redditus, *Mascard. de probat. conclus.* 1167. *num.* 5. et *Barbos. hic.* Et *Klock. vol.* 2. *cons.* 51. *num.* 33. a Doctoribus ita teneri asserit, licet difficultatem agnoscat. Ex quibus omnibus apparet, hanc sententiam esse communiter receptam. Et sane iniquum videtur, creditorem, qui gratis sine foe- 10
nore mutuum dedit, onerare hac probatione, cum non praesumatur in utilitatem suam credidisse; et facit quod ipse *Pinellus* Creditorem exonerat hoc onere probationis, quando in causam necessariam mutuo datum, utut pecunia postea perierit. Sed haec omnia intelligenda sunt 11
de mutuo firmiter contracto, ut si minor non habens Curatorem accepit, aut habens quidem, sed cum consensu Curatoris: nam alias non opus esset restitutione, *arg. l.* 3. *supr. de Restitut. Minor.*

TITULUS XXXIX.

Si Minor ab Haereditate se abstineat.

L. Si vos. 1.

SUMMARIA.

An Minor, qui se haereditati paternae non immiscuit, nec tamen protestatus est, se velle abstinere ab haereditate, conveniri a creditoribus possit, ut haeres? num. 1.

Immixtio facti est, et probanda. 2.

Non sequitur: filius est, ergo haeres est. 3.

Licet se immiscuisset, daretur tamen restitutio. 4.

Licet non probet, haereditatem esse damnosam. 5.

Sufficit, eam damno esse posse. 6.

Datur item restitutio, licet major factus a Creditoribus haereditariis quid exegerit. 7.

Si quid culpa Curatoris diminutum sit ex bonis haereditariis, Minor tantum tenetur cedere actionem contra Curatorem. 8.

Non restituitur Minor, si rem aliquam haereditariam cum alia, jam Major factus, commutasset. 9.

1 Minor, cum haereditati paternae se non immiscuisset, convenitur tamen a Creditoribus ut haeres, eo quod non protestatus fuisset, se velle abstinere ab haereditate. Sed negatur, filium 2
ut haeredem conveniri posse, quia immixtio facti est, ergo a Creditoribus probanda, cum nul- 3
la sit consequentia: Filius est, ergo haeres est, *l. Necessarius* 57. et ibi *DD. ff. de Adquir. haered. Menoch. lib.* 4. *praesumpt.* 76. *num.* 17. *Mascard. conclus.* 805. *per tot. Dn. Carpzov. l.* 6. *Resp.* 64. et *DD.* communiter. Et licet se im- 4
miscuisset, daretur tamen Restitutio, quod ultimum ampliatur, ut contra immixtionem detur restitutio, licet non probet, haereditatem esse 5
damnosam, cum sufficiat, damno eam esse pos- 6
se, *arg. §.* 1. *Inst. de Auctor. tut.* per allegatas auctoritates *hic a Barbos. num.* 5. Deinde 7
ampliatur: licet Major factus, a Creditoribus haereditariis quid exegerit, per *l.* 3. *scio ff. de Minor. ibique Auctor num.* 11. Quamvis enim immixtionem ita ratam habuisse dici possit, hic tamen actus in majore aetate factus, pendet a primo actu aditionis factae in minori aetate, et in consequentiam ejus actus, *Francisc. de Barry de Success. lib.* 11. *tit.* 23. *num.* 5. *Odd. q.* 62. *art.* 4. *Menoch. de Recup. poss. remed.* 15. *n.* 26. *Cujac. ad d. l. tom.* 2. *operum.* Si quid autem 8
culpa Curatoris deminutum sit ex bonis haere-

ditariis, minor tantum tenetur cedere actionem contra Curatorem, *l. ult. ff. de Admin. tut.*
9 Sed si rem aliquam haereditariam cum alia, jam major factus, commutasset, tunc ille actus ab haereditatis aditione plane esset separatus, et sic minor non restitueretur, *Barry d. l.*

Auth. Si omnes Creditores.

SUMMARIA

Modus petendae restitutionis adversus aditam haereditatem. num. 1.
Creditoribus citatis per trimestre emanentibus restituitur Minor, et bona inventantur. 2.
Citandi etiam hoc casu Legatarii. 3.
Si Creditores incerti, Edictali citationi locus fit. 4.

1 Haec Authentica praescribit modum petendae Restitutionis adversus aditam haereditatem; scil. ut convocentur omnes creditores. Ratio in *l.* 39.
2 *ff. de Adopt.* qui si per trimestre emaneant, restituitur Minor, et bona inventantur. Videatur *Oddus circa practicam hujus. Auth. q.* 62.
3 *art.* 5. *et q.* 34. *art.* 10. ubi recte dicit, Legatarios etiam citari debere, quia eorum etiam interest, an haeres ex testamento adierit haereditatem, et dubium mihi non est, Imperatorem vocem, *Creditorum*, paulo laxius accepisse. Sed
4 quid, si Creditores sint incerti? tunc Edictali citationi locum faciunt *DD.* rectissime per *l. Si eo tempore C. de Remiss. Pign.* et per ea, quae allegat *Oddus d. q.* 34. *art.* 11. *num.* 51. De effectu vid. idem *q.* 62. *art.* 6. *et seq.*

L. Si cum. 2.

SUMMARIA

An minor repudiatas haereditates agnoscere, et agnitas repudiare possit per beneficium restitutionis in integrum? num. 1.
An restituendus, si Inventarium fecerit? 2.
Confecto Inventario haeres ultra vires haereditatis non tenetur. 3.
Et haereditas sufficiens aeri alieno solvendo potest implicita esse multis litibus, et difficultatibus. 4.
Minor restituitur contra aditam haereditatem, etiam quoad separationem bonorum. 5.

Delatae sunt minori tres haereditates: 1. Avi 1
paterni. 2. Avi materni. 3. Patris. Primam, et secundam repudiat, tertiam agnoscit, sed sentit se laesum, Quaeritur: *An repudiatas agnoscere, et agnitas repudiare possit per beneficium restitutionis?* quod Affirm. Ratio in *l.* 44. *ff. de Mi-* 2
norib. Sed an Minor restituendus, si Inventarium fecerit? Videtur quod non, quia tunc non 3
tenetur ultra vires haereditatis. Ergo nulla laesio. Sed tamen contrarium placuit communiter. Vid. *Odd. q.* 62. *art.* 2. *Auctor in l.* 6. *ff. de* 4
minor. num. 6. quia, et haereditas sufficiens aeri alieno solvendo, potest implicita esse multis litibus, et difficultatibus, quibus implicari Minorem non expedit, *l.* 6. *ff. de Minor. Bl. ad l.* 1. *h. t. in fin.* Colligunt ex textu: Minorem 5
restitui contra aditam haereditatem, etiam quoad separationem bonorum, ut ope restitutionis separare liceat Avitam haereditatem a Paterna, *Barbos. hic.*

TITULUS XL.

Si ut omissam haereditatem, vel bonorum possessionem, vel quid aliud adquirat.

L. Minores. 1. et L. Ad bonorum. 2.

SUMMARIA

Minor omittens bonorum possessionem potest restitui. num. 1.
Emancipatus hoc casu conferre debet bona, quae possidet tempore mortis patris. 2.
Quid si res jam sint distractae? 3.
Effectus restitutionis adversus haereditatem repudiatam remissive. 4.
Substitutiones, quae per aditionem haereditatis exspiraverant, hoc casu reviviscunt. 5.
Restituuntur item obligationes per aditionem prius confusae. 6.

Minor, quando omittit bonorum possessionem, 1
tunc potest restitui. Ratio in *l.* 44. *ff. de Minor.* Si tamen filius sit Emancipatus, debet conferre 2
bona, quae possidet tempore mortis Patris, *l.* 1. *pr. et t. t. ff. de collat. bonor.* Sed quid *si res jam sint distractae?* Minorem restitui non debere 3
dicitur in *l. Quod si minor.* 24. §. 2. *ff. de Minor*, quod de haerede Extraneo intelligendum: nam *l. fin. C. de repud. haeredit.* de haerede Suo loquitur. Vid. *Hillig. in Donell. lib.* 7. *c.* 2. *lit. Aa. et cap.* 7. *lit. E. Anton. Faber. lib.* 14. *conject. cap.* 1. Aliter *Oddus quaest.* 63. *art.* 2. Quis autem sit effectus restitutionis adversus hae- 4
reditatem repudiatam, vid. *Odd. d. quaest.* 63. *art.* 8. *et seq.* nam substitutiones, quae per adi- 5
tionem haereditatis expiraverant, reviviscunt. Et obligationes, quibus defunctus tenebatur, quae per aditionem confusae erant, restituuntur, et 6
omnia in suum pristinum locum restituuntur.

TITULUS XLI.

In quibus causis in integrum Restitutio necessaria non est.

L. Minoribus. 1.

SUMMARIA

Poena haeredis non ulciscentis mortem defuncti est privatio haereditatis. num. 1.
Haec ipso jure Minorem non tenet. 2.
Ratio. 3.
Etiamsi Minor Major factus non ulciscatur mortem defuncti. 4.
Spectatur tempus aditae haereditatis. 5.
Aditio non est actus reiterabilis. 6.
An non Mater major facta teneatur liberis tutorem petere? 7.
Minori omittendo peccanti contra jus Naturae non succurritur. 8.

1 Poena haeredis non ulciscentis mortem defuncti est privatio haereditatis per *l.* 9. *ff. ad SC.*
2 *Syllanian.* quae ipso jure non tenet Minorem, sive Curatorem habeat, sive non. Nota bene: hic ipso jure contra poenam indemnis servatur Mi-
3 nor, quia scil. delictum hoc in omittendo, non committendo consistit, et minor hic peccat contra jus Civile tantum, *Bacchov. in Treutl. d. disp. th.* 12. *lit. C. Anton. Math. in crim. proleg.*
4 *cap.* 21. *num.* 3. Et hoc locum habet, etiamsi Minor Major factus, non ulciscatur mortem defuncti per *l. Minoribus* 6. *C. de His quib. ut indign.*
5 nam sufficit, tempore aditae haereditatis eum
6 Minorem fuisse, et quia aditio non est actus reiterabilis, *Bl. Castr. hic, et Tiraq. in tr. cessante causa limit.* 4. *num.* 6. *Odd. q.* 82. *art.* 5. *num.* 51. ubi de communi sententia testatur.
7 Sed *An non Mater major facta teneatur liberis tutorem petere?* quaerit hic *Castr.* quod merito
8 affirmat. Sed ubi minor omittendo peccaret contra jus Naturae, v. g. Si major 18. annis Patrem non redemerit ab hostibus, ipsi non succurretur, *Auth. Si captiv. C. de Episcop. et Cleric. Novell.* 115. *cap.* 3. §. 13. *Bacchov. d. lit. C.*

L. Adolescentiae. 2.

SUMMARIA

Quinquennium praestitutum Filio ad proponendam querelam inofficiosi testamenti ipso jure non currit Minori. num. 1.
Multo minus Impuberi. 2.
Plus est repudiare facto, quam omittere. 3.
Conciliatur lex praesens *cum* l. 1. supr. de rest. min. 4.
Non desunt in jure nostro leges fugitivae. 5.

Quinquennium praestitutum Filio ad proponendam Querelam inofficiosi Testamenti ipso ju- 1
re non currit Minori, multo minus Impuberi, 2
licet, si repudiaverit restitutione opus habeat,
quia plus est repudiare facto, quam omittere. 3
Ut igitur *Lex haec* cum *l.* 1. *supr. de restit.* 4
minor concilietur, intelligunt illam legem primam de eo casu, quando quis factis tacite declarat renunciationem querelae, quos Auctores citat *Hillig. lib.* 21. *cap.* 9. *lit. F.* quamvis non sit absurdum etiam dicere *in d. l.* auxilium, quod aetati impertitur, non de Restitutione intelligendum, sed quod jure tutus sit. Sed sic obstare videtur, quod lex illa ita fugitiva foret. Sed non 5
desunt in jure nostro leges fugitivae. Dici etiam possit, ratione primae partis illius *legis primae*, illam ad illum titulum pertinere.

L. In minorum persona. 3.

SUMMARIA

Mora quando ex Re fiat? num. 1.
Talis mora committitur minoribus Creditoribus. 2.
Emptor minori venditori tenetur re tradita ad usuras, etiamsi res sit infrugifera. 3.
Barbosa *notatur.* 4.
Committitur mora haec in omnibus Contractibus bonae fidei. 5.
Item in Legatis, ac Fideicommissis. 6.
Legata, et Fideicommissa stricti juris sunt. 7.
Ratione tamen Usurarum et Morae, bonae fidei contractus imitantur. 8.
Beneficium, quod sine interpellatione debitor in mora constituatur, competit etiam Ecclesiae. 9.
Quibus casibus debitor minoris in mora non constituatur? 10.

Mora fit quandoque ex Re, i. e. ex solo tem- 1
pore solutionis retardatae, sine ulla interpellatione personae, et haec etiam committitur mi- 2
noribus creditoribus non tantum in Venditione, ubi emptor minori venditori tenetur re tradita 3
ad Usuras non tantum, si fructus ex re perceperit, sed etiam si res per se infrugifera sit, quos refert, sed male refutat *Barbos. ad l. de divisione* 5. *num.* 57. *ff. sol. matrim.* quia in *d.* 4
l. curavit in facti contingentia concurrunt duo, scilicet perceptio fructuum, et favor aetatis, non quod semper haec conjuncta esse debeant. Et haec mora irregularis non tantum committitur in Emptione, sed in omnibus contractibus 5
bonae fidei, sive etiam qui moram desiderant, i. e. qui desiderant interpellationem, ut in mora quis constituatur, et in Legatis, ac Fideicom- 6
missis, qui licet stricti juris sint, ratione usura- 7

rum tamen, et morae, bonae fidei contractus imitantur; nam quod Majores prudentia sua sibi constituere possunt, in eo subvenire voluerunt Minori leges, *Arum. de Mora c.* 4. *num.* 1.
9 Et hoc beneficium, quod sine interpellatione debitor in mora constituatur, competit etiam Ecclesiae, vide *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 220. *per tot. Mejer. in Colleg. Argent. de usur. th.* 50. *num.* 2. *Covarr. l.* 3. *resol. c.* 17. *num.* 4. qui ea, quae objiciuntur Ecclesiae, refellit, *Tiraq. de privil. piae causae priv.* 141. et quos plena manu hic allegat *Barbos. num* 3. *et Hondedaeus lib.* 2. *consult.* 38. *et Carpz. p.* 2. *const.* 30. *def.* 23. *Arum. d. c.* 4. *num.* 1. *et seqq.* Non tamen in
10 mora constituitur debitor minoris, 1. quando non habet personam legitimam, cui solvatur, *Vinc. de Franch. decis.* 227. 2. nec quando Minor Majori succedit, *Riccius dec. coll.* 1190. 3. nec quando debitor ipse Minor esset, *Peregr. de fideicomm. art.* 49. *num.* 87. 4. nec si Minor, vel Ecclesia, antequam ei solvatur aliquid praestare tenetur, ex *Baldo hic Menoch. cons.* 665. *num.* 16. Unde sequitur, falsum esse, quod nonnulli inferunt ex hac lege: Debitorem minoris, qui ex emptione sit obligatus, etiam ad usuras teneri, licet minor vendens nondum tradiderit. Quos merito refutat *P. Barbos. ad l. de Divisione* 5. *ff. sol. matr. num.* 56. 5. nec si versemur in contractu stricti juris, et sic nec in transactione super contractu stricti juris, cujus indolem sequitur, facta, *Menoch. d. cons. num.* 17.

L. Si tutor tuus. 4.

SUMMARIA

Gesta tutoris, qui debuit cavere rem pupillo salvam fore, et non cavit, non valent ipso jure. num. 1.
Solvitur objectio. 2.
Praxis hodierna. 3.
Hodie raro satisdationes tutorum exiguntur. 4.
Pupilli jus tacitae hypothecae in bonis tutorum habent. 5.
Bacchovius *notatur.* 6.
Tutoris gesta, cui non decreta est per Magistratum tutela, hodie ipso jure sunt nulla. 7.
Exceptis testamentariis tutoribus. 8.

1 Gesta tutoris, qui debuit cavere rem pupillo salvam fore, et non cavit, non valent ipso jure. Ratio in textu: quia ea, quae ab ipso gesta
2 sunt, ipso jure sunt irrita; Nec obstat *l. Non eo minus* 14. *supr. de Procurat.* quae loquitur de eo casu, quando sententia pro minore lata,
3 non contra eum. Sed hodie vix videtur nostris
4 moribus obtinere; nam raro satisdationes exiguntur, nisi a legitimis tutoribus non satis possessionatis, et satis prospectum pupillis videtur
5 jure tacitae hypothecae, quod in bonis tutorum habent, *l. Pro officio* 20. *C. de Admin. tut. Carpz. l.* 5. *Resp.* 82. *num.* 14. quamvis etiam tempore Justiniani hypotheca jam fuerit constituta, et tutoris bona interdum non sufficiant, et *Reformatio Politica* requirat sufficientem cautionem, (*eine rechtmässige* caution *und Versicherung*)
6 sicut haec dubia movet *Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *disp.* 8. *th.* 5. *lit. C.* vereor tamen, ut haec satis firma sint contra consuetudinem, quia sine cautione per solum decretum, seu confirmationem Magistratus, conferri videmus. Ad hoc tamen argumento hujus legis uti possumus, ut 7
probemus, tutoris gesta, cui non decreta est per Magistratum tutela, hodie ipso jure esse nulla, nisi velis excipere testamentarios tutores cum 8
Schrad. de Feud. p. 10. *sect.* 20. *num.* 108.

L. Sancimus. 5.

SUMMARIA

Partitio textus. num. 1.
Biennium exceptioni non numeratae pecuniae praescriptum. 2.
Non currit minori. 3.
Melius est intacta jura servare, quam post vulneratam causam remedium quaerere. 4.
Usus hujus regulae in aliis. 5.
Quatenus num. 3. *dicta procedant?* 6.
Nulla praescriptio currit minori. 7.
Exceptiones. 8.
Praescriptio 30. *vel* 40. *annorum contra pupillos non currit.* 9.
Contra praescriptiones, quae executiones poenarum concernunt, non datur restitutio. 10.
Currit minori tempus petendi investituram, ut tamen detur restitutio. 11.

Partes tres sunt: I. Biennium, quod Exceptio- 1
ni non numeratae pecuniae praescriptum, ipso 2
jure non currit minori. Ratio additur in textu: 3
quod melius sit intacta jura servare, quam post 4
vulneratam causam remedium quaerere. Quam regulam etiam ad alia negotia, v. g. quando in- 5
ter sponsum, et sponsam inimicitiae graves exortae, accommodant, de quo *Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 41. *aliter dec.* 59. *num.* 13. Sed hoc ita intelli- 6
gendum, si minor spe futurae numerationis confessus est, se recepisse mutuo 100. habet exceptionem etiam post biennium, ut non teneatur probare post biennium, sibi non esse numerata illa centum, *Caldas in l. si Curatorem* in verbis *sua facilitate num.* 44. nam majoribus alias concedi Exceptionem non numeratae pecuniae si onus probandi in se suscipere velint, suo loco in *tit. de Non. num. Pecun.* dicetur. II. Transfert Hypothesin ad Thesin, dicens, nullam praescriptionem currere minori- 7
bus, sed cessare ipso jure. Excipitur 1. Prae- 8
scriptio 30. vel 40. annorum, quae III. pars est. Haec enim contra minores currit ipso jure, non 9
vero contra pupillos, *l.* 3. *C. de praescript.* 30. *annor.* 2. Excipiuntur praescriptiones, contra 10
quas olim restitutio non dabatur, ut quae executiones poenarum concernunt, *leg.* 37. *princ. ff. de Minorib.* ibi *per in integr. restit. auxil. l.* 7. §. 1. *de Injur.* 3. Excipiuntur quae ab ipso Justiniano introductae, ut currerent minori, *Auth. si minor C. de Tempor. in integr. restit.* et *l.* 13. §. *ult. C. de judic. Oddus q.* 88. *art.* 3. *Vasq. de success. lib. de test. pot. tit.* 10. *num.* 5. *Barbos. hic num.* 7. Excipitur 4. praescriptio conventionalis per *l.* 38. *ff. de Minor. Oddus d. tr. q.* 88. *art.* 2. *num.* 31. *et* 34. *Tiraq. de retr. convent.* §. 1. *gl.* 2. *num.* 56. *cum seqq.* et quos allegat *Barbos. num.* 6. 5. Excipiuntur praescriptiones statutariae, juxta communem sententiam, de qua *Odd. d. q. art.* 5. et quos laudat *Barbos. hic*

num. 5. et praeter eos *Rosenthal. de Feudis cap.*
6. *concl.* 40. *num.* 2. nisi surrogata haec sit in
locum legalis praescriptionis, *Odd. d. q. num.* 57.
Dissent. *Schrader. de Feudis p.* 1. *cap.* 5. *n.* 26.
11 Sic minori currit tempus petendi investituram,
ut tamen detur restitutio, *Rosenthal. d. concl.*
40. *Oddus quaest.* 89. *art.* 5. Confer *Donell. l.*
21. *cap.* 9. *et* 12. *Bacchov. d. disp. th.* 12. *lit. A.*
et quae supra diximus ad *l. un. C. si contra usucap.* Conferatur ad hanc legem *Bacchov. d. l.* 4.
Pand. tit. de Minor. cap. 7. *num.* 3. *et cap.* 14.
num. 3.

TITULUS XLIII.

Qui, et adversus quos in integrum restitui non possunt.

L. In Consilio. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Praesumptio cedit veritati. 2.
An restitui in integrum possit minor, qui se Juris Doctorem profitetur? 3.
Professio juris cum provida administratione bonorum nihil commune habet. 4.
Mercatores approbati, et in albo mercatorum descripti, in negotio mercaturae restitutionem non habent. 5.
Quid juris circa mercatores non approbatos, sed ex solis actibus industrios? 6.
Ex eo, quod quis minor decurio creatus sit, aut minor operam liberis generandis dederit, non praesumitur industrius. 7.
Decurionatus interdum ex necessitate alicui obtrudebatur. 8.
Potest quis liberis generandis magis operam dare, quam libris invigilare. 9.

1 Minor quidam in Decurionem electus est, qui
alias ut bonum Patremfamilias se gessit, et in
actis publicis industrius fuit, Quaeritur: *An debeat restitui, si laesio possit probari?* Videtur
quod non, quia praesumptio est, quod non fuerit laesus, per lubricum aetatis; Sed affirm. hic
quia licet praesumptio contra minorem militet,
2 vulgare tamen est, praesumptionem cedere veritati. Utut igitur praesumptio sit, ipsum sobrie
omnia gesturum, si tamen laesus deprehendatur, praesumitur aetatis lubrico captus, qua de
re *Oddus quaest.* 23. *art.* 1. *Donell. lib.* 21. *c.* 11.
3 et ibi *Hillig. lit. A.* Sed, *qui se juris Doctorem
profitetur, an possit restitui?* Communiter hoc
negant. Vid. *Odd. d. q.* 23. *art.* 7. et quos hic
allegat *Barbos. num.* 3. et *Fachin. l.* 3. *controv.*
c. 5. Sed melius distinguit *Hillig. in Donell. lib.*
21. *c.* 11. *lit. B.* inter ea, quae ad juris peritiam pertinent, si errore juris exceptionem,
vel allegationem omisit; quia hic desiderium ejus,
si vellet, restitui, cum professione ejus pugnaret, *argum. l. Professio c. de Muner. Patrim. l.* 10.
et inter alia negotia civilia, et oeconomica, quia
4 Professio Juris cum provida administratione bonorum nihil commune habet, *Auctor in l.* 1. *ff.
de minor. num.* 4. Ex hac lege etiam *Cynus et*
5 *Bartol.* collegerunt: Mercatores approbatos, et
in albo mercatorum descriptos in negotio mercaturae restitutionem non habere, *Beneven. Stracha de mercatura p.* 3. *num.* 26. *Carpan. ad
statuta Mediol. c.* 416. *num.* 201. *Auct. in d. l.*
1. *ff. de minor. num.* 4. Sed ubi ex solis actibus 6
sunt industrii, publice tamen non approbati, in
integrum restitutionem petere non prohibentur;
graviori tamen onere probandi adstringuntur,
quia propter industriae praesumptionem plene
laesionem probare debent, adeo ut juramentum
suppletorium ipsis non deferatur. Idem *Stracha
d. l.* Confer. *Caldas ad d. l.* 3. *Si curatorem*,
verb. *laesis num.* 35. et *Sarmientus lib.* 3. *select.
interpret. c.* 12. Collige *hac l.* 1. ex eo, quod 7
quis minor Decurio creatus sit, aut minor operam liberis generandis dederit, non praesumi
industrium; nam Decurionatus interdum ex ne- 8
cessitate obtrudebatur, et potest quis liberis ge- 9
nerandis magis operam dare, quam libris invigilare, *Kremberg. ad* §. *si quis agens* 33. *Inst.
de Act. num.* 13. *et seq.*

L. Cum apud. 2.

SUMMARIA

Filius contra parentem, et libertus contra patronum non possunt restitui. num. 1.
Laesio non praesumitur. 2.
Potest minor contra tertium restitutionem petere, licet ille regressum habeat contra patrem. 3.
Datur restitutio contra factum parentis, unde nullum lucrum pater accipere potuit. 4.
Quo colore contra parentem petenda restitutio. 5.
Distinctio inter restitutionem, quae competit jure actionis, et eam, pro qua officium nobile imploratur. 6.

Filius, contra Parentem, et libertus contra Pa- 1
tronum non potest restitui, tum propter reverentiam ipsi debitam, quis enim aequis auribus
audiret conquerentem filium, se a Patre laesum
esse? tum quia lex laesionem non praesumit. 2
Sed contra tertium potest petere restitutionem 3
minor, licet ille regressum habeat contra Patrem, *arg. l.* 2. *C. Si advers. donat. Oddus q.*
18. *art.* 2. *num.* 12. Sic etiam contra factum
Parentis interdum restitutio datur, unde nullum
lucrum Pater accipere potuit, ut *d. l.* 12. *ult.* 4
§. 6. *C. de bon. quae liber.* adeoque in Textibus proxime allegatis non contra Parentem, sed

5 contra factum restitutio petenda est, eo colore, quod non a Patre, sed facto, praeter intentionem laesus sim, aut quando de statu quaestio, per *l.* 2. *Si advers. rem judic. Oddus d. art.* 2. *num.* 24. *et seq.* Confer. *Caldas in d. verb. laesis num.* 155. *et seq. et Bacchov. in Treutl. d.*
6 *disp. th.* 13. *lit. A.* Coincidit fere distinctio inter restitutionem, quae competit jure actionis, et eam, pro qua officium nobile imploratur, *Caldas d. l. Odd. q.* 18. *art.* 1. *Mauritius c.* 224. quos refert, et refellere tentat *Bacchov. ad tit. de Restit. in Pand. sub Rub. quibus, et adversus quos num.* 15.

TITULUS XLIII.

Si minor se majorem dixerit, vel major probatus fuerit.

L. Si cum minor. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Error facti ipso jure non nocet. 2.
Omnis confessio erronea revocari potest detecto errore. 3.
Qui solemniter contrahunt. legitimae esse aetatis praesumuntur. 4.

1 Quaedam (virgo) quae se majorem juraverat, decepta tabulis professionum, vel scripturis nativitatis; de quibus *Mascard. concl.* 1146. *num.* 12. et contraxit cum alio ut majorennis, *An erit restituenda ob laesionem?* Videtur quod non,
2 quia error facti ipso jure non nocet, *l.* 7. *C. de Ignor. jur. et fact.* vel videtur etiam excludenda a restitutione, quia se majorem dixit. Sed respondetur dandam esse restitutionem, quia hic contractus intervenit; ideoque non contra errorem, sed contra contractum restituenda est; et non dixit se majorem animo fallendi, et decipien-
3 di, et omnis confessio erronea revocari potest, detecto errore, *Menoch. l.* 2. *praesumpt.* 51. *n.* 41. Colligit *Gl. et Bl.* hic, quem etiam laudat *Menoch. l.* 6. *praesumpt.* 13. *num.* 3. eos, qui
4 solemniter contrahunt, legitimae esse aetatis praesumi.

L. Si is, qui minorem. 2.

SUMMARIA

Dolo asserens se majorem non juvatur restitutionis beneficio. num. 1.
Errantibus, non decipientibus jura subveniunt. 2.
Gail. *notatur.* 3.
Limitatur regula. n. 1. *proposita.* 4.
Scienti, et volenti, imo et qui scire debuit, non infertur dolus, et injuria. 5.
Dolus cum dolo compensatur. 6.

Dolo asserens se majorem, non juvatur resti- 1
tutionis beneficio, quia errantibus, non deci- 2
pientibus jura subveniunt, *l.* 2. *et l.* 23. *ff. ad SC. Vellej.* et hoc ipsum etiam ad pupillum doli capacem, se pro majore gerentem, extendit post *Castrensem in l. qui jurasse ff. de jurej. Gail. l.* 2. *observ.* 65. *num.* 1. quod, quomodo 3
in facto contingere possit, vix apparet. Sed limitatur haec regula: I. quando contrahens cum 4
minore ex aspectu videre potuit, eum esse minorem. Scienti enim, et volenti, imo et qui 5
scire debuit non infertur dolus, aut injuria, *l. cum donationis* 34. *C. de Transact. Gail. d. obs.* 65. *num.* 2. *et seq.* II. Fallere dicunt Regulam, si restitutionem petat, non contra eum, cui dolum adhibuit, sed contra tertium, quia cessat ibi ratio legis, *Odd. d. tr. q.* 24. *art.* 6. *num.* 50. III. Si uterque sit in dolo, cum dolus cum do- 6
lo compensetur, *Odd. d. q.* 24. *art.* 7.

L. Si alterius. 3.

SUMMARIA

Partitio textus. num. 1.
Facti species. 2.
Hominum memoria labilis. 3.
Contra scripturam non admittitur probatio in contrarium, nisi per scripturam. 4.
Aliud est juramentum corporale praestare, aliud in instrumento juramentum ponere. 5.
Contra hoc datur probatio in contrarium per alia instrumenta. 6.
An etiam per testes? 7.
Non obstat juramentum corporale, si minor dolo inductus juravit, se esse majorem. 8.
Aliud remedium minori in proposita facti specie competens. 9.
Solvitur objectio. 10.
Ex adspectu probatur aetas. 11.
Melius instrumentis probatur aetas, quam testibus. 12.

Lex tertia habet tres partes. I. Repetit legem 1
secundam; II. Repetit legem primam; Partis

2 III. haec est Species. Producebat minor instrumentum, in quo ipse minor asseruerat jurato, se esse majorem: Quaeritur, *An contrarium probaturus minor audiendus sit?* Videtur quod sic, ob *l. penult. C. de Transact.* Sed respondetur, non debere audiri, nisi aliis instrumen-
3 tis, non testibus (quia hominum memoria circa tot annorum seriem labilis est, subest et me-
4 tus subornationis, et alias contra scripturam non admittitur probatio in contrarium, nisi per scripturam, *l. Generaliter C. de Non Numer. Pecun. l. cum indebito in fine ff. de probat.*) se fuisse minorem probare velit. Si vero juramentum corporaliter praestitisset, nullo modo debet
5 audiri. Nota bene: Aliud est juramentum corporale praestare, aliud in instrumento juramen-
6 tum ponere, nam contra hoc datur probatio in
7 contrarium per alia instrumenta, non testes: licet enim illud negent *Maurit. de Restit. cap.* 170. *num.* 8. *et Mynsig. Cent.* 4. *observ.* 20. *in fine*, confutantur tamen expresso textu hujus legis; ideoque illam distinctionem recte amplectuntur *Oddus d. q.* 24. *art.* 2. *Donell.*, *et ibi*
8 *Hillig. lib.* 21. *cap.* 10. *lit. H.* Non vero obstabit juramentum corporale, si Minor dolo inductus juravit, se esse majorem, cum enim dolo inductus sit ad credendum, se esse majorem, eadem facilitate ad juramentum prosiliit. Ergo *arg. l.* 41.
9 *C. de Transact. Hillig. d. l.* nec prohibetur Minor ex causa nullitatis contractum impugnare, quia juravit, se non esse minorem, vel non usurum restitutionis beneficio; sed non juravit, se ex alio capite non impugnaturum contractum, *Gail. l.* 2. *observ.* 65. *num.* 5. *et seqq. Oddus d. l. art.* 4. *Marta tom.* 1. *Digest. tit. de Minor. cap.* 13. *et seq.* et quos allegat *Barbos. hic num.* 9. licet dissentiat *Quetta cons.* 44. *num.* 27. *et cons. seq.* et *Mauritius d. c.*
10 170. *num.* 2. Nec obstat vers. *Si tamen*, in hac lege, qui ad versic. proximum (*Aditus*) est re-
11 ferendus, *Hillig. d. l.* Collige etiam: Ex aspectu probari aetatem, *Menoch. l.* 2. *praesumpt.* 50. *num.* 38. et *Mascard. conclus.* 667. *num.* 17. et quos allegat *Barbos. hic num.* 4. Colligitur
12 etiam: melius instrumentis probari aetatem, quam testibus, *Mascard. conclus.* 671. *num.* 2. *et seq.*

L. Cum circa. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Liberatio obligatione favorabilior est. 4.
Nevius, *et* Barbosa *notantur.* 5.
Sententia ex falsis probationibus lata, licet corrupti testes non sint, per restitutionem tamen everti potest, licet nullus adversarii dolus concurrat. 6.

Minor adiit Praesidem, et allegans per erro- 1
rem, se esse majorennem, petit se a cura liberari, quod impetrat; cum vero postea contraxisset, et laesus esset, petere vult restitutionem, quaeritur, an possit? Videtur quod non, quia 2
justus est error cum eo contrahentium, per *l.* 23. *ff. de Minorib. et* per *l.* 1. *tit. seq.* Sed Af- 3
firm. Nam in *dicta lege* 23. agitur de liberatione, *hic* de obligatione; Illa enim hac longe fa- 4
vorabilior, nec de restitutione prius actum est, aut si actum est, ex nova tamen causa hic agitur per *leg.* 2. *tit. seq.* Praefero tamen primum intellectum, et quod prius non fuerit actum de restitutione; sed minor tantum major declaratus, et a cura liberatus, quem intellectum pluribus commendat *Castrens. hic.* Miror autem, 5
quod *Nevius* in collectaneis, et ex eo *Barbosa* hanc legem ita sument, quod restitutio necessaria non sit, si ipso jure sententia annulletur, cum tamen lex ipsa de restitutione agat; neque *Salic. a Nevio*, neque *DD. et Interpp. a Barbosa* allegati, illud volunt, restitutionem non esse necessariam, et ipse *Barbosa num.* 2. sibi contradicit, ubi dicit, dari restitutionem. Illud melius ex hac lege colligitur: sententiam ex falsis 6
probationibus latam, licet corrupti testes non sint, per restitutionem tamen everti posse, licet nullus adversarii dolus concurrat, sicut hunc textum urget *Odd. de Restitut. p.* 2. *q.* 78. *art.* 5. *num.* 45.

TITULUS XLIV.

Si saepius in integrum Restitutio postuletur.

L. Si post sententiam. I.

SUMMARIA

An minor impetrata restitutione succumbens, eamdem secunda vice petere possit? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Quatenus ad fatalia Appellationis lapsa restituatur? 4.
Praescriptiones judiciales currunt etiam minoribus. 5.
Contra restitutionem semel denegatam non datur restitutio, nisi nova causa existat. 6.

Minor petiit fundum, et succubuit, petiit re- 1
stitutionem, iterum succubuit. Quaeritur, *An secunda vice Restitutionem petere possit?* Videtur, quod sic, ob *l.* 7. §. 9. *ff. de Minor.* 2
Sed Respondetur quod non, ob auctoritatem 3
rei judicatae, cum appellare potuerit: et alias res abiret in infinitum, et modus restitutionis nullus esset, et Praetor, uti actiones suas restringere voluit, ita et restitutiones, *Vid. Hillig. in Donell. l.* 21 *c.* 12. *lit. O. Oddus quaest.* 16. *art.* 2. *Maurit. C.* 132. *Treutl. d. disput. th.* 1. *lit. E. ibique Bacchov. et in d. l.* 7. §. 9. restitutio data, *hic* vero denegata. Ad fatalia tamen ap- 4
pellationis lapsa restituendus est, scil. quoad secundam sententiam, non vero totam causam,

quia hic nova laesio, scil. omissio appellationis, Oddus d. q. 16. art. 2. Speciale hoc est in prae-
5 scriptionibus judicialibus, quod currant etiam minoribus, Nov. 23. l. Properandum 13. §. ult.
6 C. de judic. Collige ex hac lege: Contra restitutionem semel denegatam, non dari restitutionem, nisi nova causa existat, quae sententia est approbata in Ord. Cam. p. 3. tit. 52. Mynsing. Cent. 1. obs. 52. Conf. Oddus d. q. 16. art. 6. Caldas ad l. 3. verbo implorandum num. 35. et sic in effectu poterit habere minor, quod primo intuitu denegatur; nam potest per appellationis restitutionem impugnare sententiam, contra quam restitutio ipsi denegata erat, modo omissio appellationis etiam tempore minoris aetatis contigerit.

L. Quanquam. 2. et L. In una. 3.

SUMMARIA

Ob novam causam sive emergentem, sive innotescentem denuo peti potest restitutio. num. 1.
Contra concessam restitutionem datur restitutionis petitio, non contra denegatam. 2.
An audiendus minor, si non contra datam, nec denegatam restitutionem, sed tamen super eadem repetatur restitutio? 3.
Carpzovius *explicatur.* 4.
An communitas contra minorem restitutionem petere possit? 5.
An Communitas minoris jure nitatur. 6.
Quando de concursu privilegiatorum sermo est, distinguendum, uter in damno magis versetur. 7.

1 Lex secunda limitat praecedentem legem, sicut et tertia, scil. quod ob novam causam sive emergentem, sive innotescentem denuo peti possit restitutio; v. g. si ob id denegata, quia tutores solvendo, postea vero fiant, vel appareant non solvendo, argum. l. 23. ff. de Minor. imo licet allegata fuerit laesio, sed non probata, et ideo denegata fuerit restitutio, pro nova causa id habendum, per tradita Odd. d. q. 16. art. 7. multo magis autem super aliis articulis restitutio peti potest, vid. Oddus d. qu. 16. art. 4.
Colligitur exinde; Contra concessam restitutio- 2
nem dari restitutionis petitionem per l. 8. §. Restitut. ff. de Minor. sed non contra denegatam. Si vero non contra datam, nec denega- 3
tam restitutionem, sed tamen super eadem repetatur restitutio, v. g. ad fatalia, secunda vice lapsa, restituenda, an audietur Minor? Et aequius est, audiendum eum esse, si verus dolus non doceatur, Oddus d. q. 16. art. 8. Conf. Marta t. 1. decis. tit. de Restit. c. 79. et seqq. Donell. lib. 21. cap. 12. Maurit. c. 131. et seq. et c. 257. Caldas d. l. Cum igitur dictum sit, contra datam restitutionem dari restitutionem per l. 8. ff. de Minor. ideo recte intelligendus Carpzovius lib. 2. Respons. 97. num. 2. 4
ubi cum Ant. Fabro, illum, qui restitutionem omittit, ulterius restituendum non esse dicit; Sensus enim est, quod qui semel restitutus, sed contra restitutionem petiit, et impetravit restitutionem, non possit tertia vice contra secundam restitutionem petere, sicut ex Anton. Fabro all. l. 2. Cod. tit. 26. def. 2. colligitur; non vero videntur negare, contra datam restitutionem dari petitionem restitutionis secundam. Illud vero 5
non possum capere, quomodo communitas contra minorem restitutionem potuerit petere, cum tamen minor contra minorem non debeat restitui per l. 11. §. pen. ff. de Minorib. Ergo nec 6
communitas minoris jure nixa. Aut, si recte restitui potuit, cur non contra hanc restitutionem minor restitutionem petere possit, praesertim, cum de saepius ab eadem persona intentata restitutione hic sermo sit. Alias distinguunt, uter in 7
damno magis versetur, quando de concursu privilegiatorum sermo est, per d. §. pen. Oddus q. 18. art. 5. Conferatur Bacchov. ad l. 4. Pand. in Rubrica de causis denegandae Restitutionis.

TITULUS XLV.

De his, qui veniam aetatis impetraverunt.

L. Eos, qui veniam aetatis. 1.

SUMMARIA

Minor, si veniam aetatis impetraverit a Principe, non potest contra Contractum restitui. num. 1.
Contrahentes non debent decipi auctoritate Principis. 2.
An non contra ipsam veniae impetrationem poterit restitui minor? 3.
Si minor ante impetratam veniam in aliquo fuisset laesus, intra quadriennium ab impetrata venia numerandum restitutionem petere potest. 4.
Datio veniae postea operatur et non retro. 5.

Minor, si veniam aetatis impetraverit a Prin- 1
cipe, non potest contra contractum restitui, quia contrahentes non debent decipi auctorita- 2
te Principis. Sed *an non contra ipsam veniae* 3
impetrationem poterit minor restitui? Resp. non, nisi ratione futurorum negotiorum, et contractuum, non vero ratione praeteritorum, nam tunc contrahentes auctoritate Imperiali deciperentur, Maurit d. tr. cap. 226. Hillig. in Donell. lib. 21. c. 12. lit. Z. cum non contra factum Principis, sed factum Magistratus restituatur: nam Judici insinuandum Rescriptum, et aetas probanda erat per l. seq. licet dissent. Goedd. ad l. 21. ff. de V. S. num. 4. Si tamen minor 4
ante impetratam veniam in aliquo fuisset laesus, intra quadriennium ab impetrata venia numerandum restitutionem petere potest, cum da-

5 tio veniae postea operetur, et non retro, *Molina de J. et J. disp.* 224. *tr.* 2. *num.* 25.

L. Omnes Adolescentes. 2.

SUMMARIA

Impetrationis veniae aetatis causa efficiens est Princeps. num. 1.
Materia. 2.
Impetrantes mares viginti annorum, foeminae octodecim esse debent. 3.
Hoc in illustribus personis perpetuum non est. 4.
In Electoribus annus 18. *definitur.* 5.
Idem in Principibus, et Ducibus aliis observatur. 6.
Imperator pro re nata minorem 20. *vel* 18. *annis ex gravi causa pro majorenni declarare potest.* 7.
Cur foeminae citius capaces sint? 8.
Impetrationis veniae aetatis causa impulsiva. 9.
Veniam aetatis impetrantes testibus idoneis probare debent probitatem vitae, et honestatem moram. 10.
An in foeminis vitae honestas probanda? 11.
Morum probitas in foemina magis praesumitur. 12.
Foeminae contra propria commoda militare dicuntur. 13.
Dubium circa particulam, tantum. 14.
Impetrationis veniae aetatis causa finalis. 15.
Causa ejusdem Formalis. 16.
Masculus veniam aetatis petens per se comparere debet. 17.
Foemina per Procuratorem. 18.
Veniam aetatis petentes aetatem instrumentis, vel quinque testibus probare debent. 19.
Hic duobus testibus nil probatur. 20.
Veniae aetatis impetrationis effectus. 21.
Venia aetati data non confert potestatem alienandi immobilia. 22.
Immobilia tutor sine decreto judicis alienare non potest. 23.
Qui Judex, cui rescriptum insinuandum, et aetas probanda? 24.
Concessiones veniae aetatis irritae. 25.

1 Impetrationis veniae aetatis describit I. Causam efficientem, scil. Principem. *Vid. Goed. ad l.* 21. *ff. de V. S. num.* 2. *Sixtin. de Regal. l.* 1. *c.* 2. *num.* 22. *et Rosenthal. de Feudis cap.* 5. *con-*
2 *cl.* 2. II. Materiam, quod impetrantes mares vi-
3 ginti annorum, foeminae octodecim esse de-
4 beant. Sed hoc in illustribus personis perpetuum non est. Videantur exempla Principum minorum 20. annis, qui tamen veniam aetatis consecuti *apud Matth. Stephan. de jurisdict. lib.* 2. *p.* 1. *c.* 1. *membr.* 2. *num.* 137. *et seq.* Quid
5 circa Electorum aetatem constituerit *CAROL. IV. ex Aurea Bulla* notum est: Ubi annus 18.
6 definitur; quam definitionem in Principibus, et Ducibus aliis observari ex *Dan. Mollero, et Andr. Knichen.* refert *Cothmann. v.* 3. *cons.* 42.
7 *num.* 53. Imo lex haec non impedit, quo minus Imperator pro re nata etiam minorem 20. vel 18. annis, ex gravi causa pro majorenni declarare possit, *Cothmann. d. l. num.* 51. Cur au-
8 tem foeminae citius capaces sint, patet ex eo, cur citius pubescant, et adultae fiant, quam
9 mares, de quo alibi. III. Causam impulsivam, ut scilicet sint probatorum morum, et honestae vi- 10
tae, idque probent testibus idoneis. In foeminis putant tantum aetatem probandam esse, non ve- 11
ro honestatem vitae, quod videtur probare §. 1. *hujus legis;* sed utut morum probitas in foe- 12
mina magis praesumatur, mentis tamen solertia statim non praesumitur, praesertim cum 13
alibi foeminae contra propria commoda militare dicantur. Dubitare igitur licet an non par- 14
tic. *tantum*, opponatur comparationi personali, et non probationi morum. IV. Finalem, ut pos- 15
sint sua bona administrare, seu gubernare. V. 16
Formalem, ut masculus per se compareat, foe- 17
mina vero per Procuratorem, et probent aeta- 18
tem instrumentis, vel quinque testibus. Ubi nota 19
casum; In quo duobus testibus quid non pro- 20
batur, sed plures requiruntur, et quidem quinque. VI. Effectum, quod venia aetati data, non 21
tamen conferat potestatem alienandi immobilia, 22
quia id nec tutor sine decreto judicis facere 23
potest, *l. lex, quae* 22. *infra de Admin. Tut.*

§. 2. Describitur Judex, cui rescriptum in- 24
sinuandum, et aetas probanda, scil. Praefectus Praetorio, vel Praetor, vel Praeses.

§. *fin.* Concessiones veniae aetatis, ubi haec 25
forma non observatur, annullantur.

L. Eos. 3.

SUMMARIA

Minor, venia impetrata, immobilia alienare nequit. num. 1.
Nec obligare, vel pignori dare. 2.
Non potest plura minor, qui impetravit veniam, quam poterat cum auctoritate Curatoris. 3.
Solvitur objectio. 4.
Impetratio veniae effectum tantum habet in mobilibus, et omnibus negotiis, quae personam concernunt. 5.
Fidejubere possunt minores impetrata venia. 6.
Ratione immobilium vel alienandorum, vel pignori obligandorum venia aetatis impetrata nil operatur. 7.
Nisi Princeps alienationem immobilium minori expresse permittat. 8.
Aut ex parentis conventione venditus fundus sit retrovendendus. 9.

Sicut Minor venia impetrata non potest alie- 1
nare; ita nec obligare, vel pignori dare bona 2
Immobilia. Ratio *in l. fin. infra de Reb. alien. non alienand.* Nam non potest plura Minor, qui 3
impetravit veniam, quam poterat cum auctoritate curatoris, *l.* 22. *C. de Admin. tut.* Nec obstat 4
l. 2. *C. quando decreto non est opus*, quia ibi decretum principis loco decreti judicialis, quod etiam est in *Auth. Si captiv. C. de Episc. et Cler.* Collige: Impetrationem veniae effectum tantum 5
habere in mobilibus, et omnibus negotiis, quae personam concernunt, et sic etiam fidejubere minores 6
impetrata venia posse, dubitandum non est, per ea, quae tradit *Hering. de fidejuss. c.* 7. *num.* 109. Sed ratione immobilium vel alienandorum, 7
vel pignori obligandorum venia aetatis impetrata nihil operatur, nisi Princeps alienationem 8
immobilium minori expresse permittat, per *d. l.* 2. *C. qu. decreto non est opus*, aut ex Paren- 9
tis conventione venditus fundus sit retroven-

dendus, *l.* 1. *C. d. t. Mont. de tutel. c.* 37. *reg.* 2. *num.* 45. *Guttiercz de tut. p.* 2. *cap.* 5. *num.* 71. *Georg. Schultz. de Feudis c.* 6. *num.* 80.

L. Si quis aliquid. 4.

SUMMARIA

Ubi in Testamento, Codicillo, Contractu, vel Statuto fit mentio legitimae, vel perfectae aetatis, id non intelligendum est de venia aetatis a Principe impetrata, sed de naturali perfectione viginti quinque annorum. num. 1.
Verba Testamentorum, Contractuum, et Statutorum debent intelligi proprie, et naturaliter, non civiliter, seu ficte. 2.
Pro verba, Si in suam tutelam, vel aetatem quis pervenerit, *pubertatis tempus intelligitur.* 3.
Lex haec non minus locum habet in contractibus, quam in testamentis. 4.
Dispositio testatoris intelligenda est in casu vero, non ficto. 5.
Limitantur n. 2. *dicta.* 6.
Legitimatus etiam dicitur legitime natus. 7.

1 Continet Regulam: Ubi in Testamento, Codicillo, Contractu, vel Statuto fit mentio legitimae, seu perfectae aetatis, v. g. Si legatum quid sit in id tempus, quando ad perfectam aetatem pervenero, id non intelligendum est de venia aetatis a Principe impetrata, sed de naturali perfectione viginti quinque annorum, quia verba testamentorum, contractuum, et sta- 2
tutorum debent intelligi proprie, et naturaliter, non civiliter, seu ficte, *Menoch. cons.* 227. *num.* 49. *l.* 4. *praes.* 81. *num.* 19. *Barbos. locuplet. l.* 19. *c.* 8. *ax.* 26. Aliud autem est, si in suam 3
tutelam, vel aetatem quis pervenerit, nam tunc pubertatis tempus intelligitur per *l.* 50. *in princ. ff. de legat.* 3. Non minus in contractibus, quam 4
testamentis locum habet haec lex, sicut eam ita generaliter intelligit *Molin. d. l. num.* 25. *in fine.* Colligunt etiam ex hac lege; dispositionem 5
testatoris intelligendam esse in casu vero, non ficto, *Menoch. consil.* 266. *num.* 299. *et seq. Vinc. Fusar. de substit. qu.* 387. *num.* 39. *et. seq.* Regula autem, quod verba naturaliter potius quam 6
civiliter intelligenda sint, limitatur a *Cephal. conc.* 451. *num.* 8. quod non habeat locum in materia juris civilis. Confer. *Menoch. cons.* 227. *num.* 80. Nec regula illa locum habet, ubi casus fictus per omnia aequivalet casui naturali. Nam hic legitimatus non per omnia aequiparatur ei, qui legitimae aetatis est, cum immobilia alienare non possit, *Menoch. cons.* 266. *n.* 42. Ergo non impedit regula, quo minus le- 7
gitimatus etiam dicatur legitime natus, *Castillo l.* 1. *contr. c.* 11. *num.*11.

TITULUS XLVI.

Si major factus ratum habuerit.

SUMMARIUM

Differt hic titulus a tit. 74. *libri* 5.

Differt hic titulus a *tit.* 74. *libri* 5. quia ille titulus 74. de contractu invalido agit, *hic* vero praesens de valido. *Ille* negat Exceptionem nullitatis; *hic* restitutionis beneficium, *Menoch. recup. poss. remed.* 15. *Oddus qu.* 25. *art.* 3. *Mudaeus hic.*

L. Si inter. 1. et L. Qui post. 2.

SUMMARIA

Divisio inter minores facta sine dolo, si eam majores facti ratam habuerint, postea est irretractabilis, et valebit negotium alias ipso jure nullum. num. 1.
Dolo intercedente ratificatio ab eo, qui dolum nescit facta, nulla est. 2.
Secus, si sciat dolum. 3.
Ratum quis quid habet verbis, vel factis. 4.
Minor actum nullum ratificare potest factus major, si sciat actus nullitatem, secus si nesciat in facto errans. 5.
Valet ejusmodi actus ex tempore confirmationis, non retro, si de tertii praejudicio agatur. 6.
In quibus casibus ratificatio nihil operetur? 7.

Divisio inter minores facta sine dolo, (nam si 1
dolus intercessisset, ratificatio ab eo, qui do- 2
lum nescit facta, nulla est, *l.* 35. *ff. de Pact. l.* 5. *ff. de Transact. Mascard. conclus.* 1262. *num.* 56. *Auctor in l.* 3. *ff. de minor. num.* 10. secus autem si sciat dolum, *l.* 9. *ff. de libert.* 3
legat. Sfortia Oddus quest. 25. *art.* 7.) si eam majores facti ratam habuerint, *Auctor in l.* 3. *ff. de minor. num.* 8. (id quod fit verbis, vel factis, 4
vel nuda dissimulatione, et lapsu quadriennii, ut prolixe tradit *Menoch. remed.* 15. *recup. poss. num.* 110. *et seqq. Auctor in d. l.* 3. *ff. de min. num.* 9. ubi triplicem istum modum ratificandi explicat) postea est irretractabilis, et valebit negotium alias ipso jure nullum, *Surdus decis.* 70. *Carpzov. lib.* 5. *Resp.* 76. *num.* 20. licet dissentire videatur *Oddus d. qu.* 25. *art.* 8. dissentientes tamen opiniones ita conciliari possunt, ut minor actum nullum ratificare possit major 5
factus, si actus nullitatem sciat, secus si nesciat in facto errans, *Mascard. de probat. Concl.* 1262. *num.* 58. valebit sc. ex tempore confirmationis, 6
non retro, si tertii praejudicio agatur, *Surdus decis.* 245. Sed nihil operabitur ratificatio, si I. 7
Dolus adversarii intercesserit, ut supra dictum, scilicet si dolus verus, non ex laesione praesumptus, *Cephalus cons.* 51. *num.* 31. *Auctor in d. leg.* 3. *ff. de minor. num.* 10. licet contradi-

cat *Hippol. Rimin. l.* 3. *cons.* 248. *num.* 10. *et seq.* II. Si ratificatio fiat a minorenne, nam jure est nulla, *Oddus d. q.* 25. *art.* 1. III. Contra ratihabitionem dabitur Restitutio, si actus a majorenne gestus, necessariam consequentiam habeat ad negotium in minori aetate gestum, *l.* 3. §. 2. *ff. de minor.* nam, quando factum subsecutum est executio quaedam necessaria actus facti in minori aetate, ratificatio non praesumitur, *Mascard. d. concl.* 1262. *num.* 55. IV. Nec nocebit ratificatio, si quis laesionem ignoret, *Oddus d. l. art.* 8.

TITULUS XLVIII.

Ubi, et apud quem Cognitio in integrum Restitutionis agitanda sit.

L. Si Quid. 1.

SUMMARIA

Contra sententiam Procuratoris Principis, vel ejus delegati restituit solus Princeps, vel ipse Procurator. num. 1.
Particula solus *hic alios excludit, non Procuratorem Principis.* 2.
Procurator Principis fungitur vice Principis. 3.
Quod vicarius, vel procurator Principis facit, ipse Princeps facere videtur. 4.
Delegatus Principis est quovis ordinario major. 5.
Si a Judice ordinario minor restitueretur contra Procuratorem Principis, restitutionem faceret inferior. 6.

1 Contra sententiam Procuratoris Principis, vel ejus Delegati, restituit solus Princeps, vel ipse
2 Procurator, nam particula, *solus*, excludit alios, non Procuratorem Principis *argum. l.* 16. §. *fin.*
3 *ff. de Minor.* Ratio legis est, quia Procurator Principis fungitur vice Principis, et quod Vi-
4 carius, seu Procurator Principis facit, ipse Prin-
5 ceps facere videtur, et Delegatus Principis est
6 quovis Ordinario major. Ergo si a Judice ordinario minor restitueretur contra Procuratorem Principis, restitutionem faceret inferior. Vid. *Oddus q.* 32. *art.* 21. *Bacchov. in Treutl. d. disp. th.* 1. *lit. D. in fine.*

L. Quoniam ea. 2.

SUMMARIA

An minor laesum se dicens in Contractu, et data repetere volens, praeter locum domicilii, alterum etiam in loco contractus possit convenire? num. 1.
Quando agitur ad Contractus consummationem, restitutio praeter locum domicilii etiam in loco Contractus peti potest, si ibi reperiatur reus, vel latitet, atque error sit. 2.
Quando ad dissolutionem agitur, non in loco Contractus, sed domicilii conveniendus est reus. 3.
Leges semper debent habere rationem dubitandi. 4.
Solvitur objectio. 5.
Sphalma in subscriptione hujus legis notatur. 6.

Quando minor se laesum dicit in contractu, et 1
data vult repetere, Quaeritur: An praeter locum domicilii, alterum etiam in loco contractus possit convenire? Videtur quod sic, *per l.* 2. *C. de jurisdict.* Sed Respondetur, in loco domicilii tantum conveniendum esse. Alia enim ratio est quando agitur ad contractus consum- 2
mationem, nam isto casu restitutio, praeter locum domicilii, etiam in loco contractus peti potest, si ibi reperiatur Reus, vel latitet, atque error sit, *Vid. Oddus quaest.* 32. *art.* 13. et alia, quando agitur ad dissolutionem; hoc casu 3
enim non in loco contractus, sed in loco domicilii conveniendus est Reus, ita communiter hanc legem intelligunt, teste *Tiraq. de retr. lign.* §. 8 *gl.* 5. *num.* 2. *et Covar. in loco mox citando*; *Dn. Mevius p.* 6. *dec.* 72. *num.* 1. qui intellectus potest suaderi ex communi Regula, quod Leges semper debeant habere rationem 4
dubitandi; et si haec lex tantum vellet hoc, quod Reus in loco domicilii conveniri, et ibi restitutio peti posset, nil quidquam peculiare in hac *l.* 2. haberetur. Sed displicet hic intellectus *Covarruv. in l.* 1. *Resol. c.* 4. *n.* 1. propter *l.* 14. §. *ult. C. de Non Numer. Pecun. et Caldas in d. l.* 3. verb. *implorandum num.* 30. Sed Re- 5
sponderi posset pro communi sententia, in *d.* §. *ult.* non agi ad rescissionem, sed contra eum, qui agere vult ex contractu, exceptionem dari. Aliter contra sententiam communem insurgit *Mauritius cap.* 36. sed ea tanti non sunt. Notandum hic obiter, quod sphalma sit in sub- 6
scriptione hujus legis: *post tertium Consulatum Lampadii, et Orestis*; quasi lex una ex novis illis 50. decisionibus, vel ex constitutionibus novis Justiniani esset, et tamen non est Justiniani, sed Diocletiani.

L. Cum scimus. 3.

SUMMARIA

Judices ordinarii habentes jurisdictionem cum administratione, vel ab eis delegati, sive specialiter ad causam restitutionis, sive generaliter ad universitatem causarum sint delegati, sive specialiter petantur a minore, possunt de hac causa cognoscere. num. 1.
Subdelegati, Arbitri, et Notarii non possunt. 2.
Causa restitutionis Imperii magis est, quam jurisdictionis. 3.

Favore minorum factum, ut restitutio delegari possit. 4.
Municipales Magistratus restituere non potuerunt. 5.
Delegati judices hodie Commissarii dicuntur. 6.
Coram Commissariis restitutio peti potest. 7.
Quatenus hoc procedat in delegatis ad unam tantum causam? 8.
An Judices ordinarii non habentes certum territorium jurisdictionis possint restituere in integrum? 9.
Judices constituti sine territorio sunt ordinarii. 10.
Arbitri incidenter de causa restitutionis cognoscere possunt? 11.
Quatenus delegati restitutionis causam tractare possint? 12.

1 Judices Ordinarii, *Auctor in l. 3. ff. de minor. num.* 1. habentes Jurisdictionem cum administratione (ut Praesides) vel ab eis delegati, ut Legati Proconsulis, et delegati Principis sive specialiter ad causam restitutionis, sive generaliter ad universitatem causarum sint delegati, sive specialiter petantur a minore, possunt de hac
2 causa cognoscere; alii vero, ut Subdelegati, Arbitri, et Notarii de hac causa cognoscere non
3 possunt, quia causa restitutionis Imperii magis est, quam jurisdictionis, *l. ea quae* 26. *ff. ad*
4 *Municip. Oddus q.* 32. *art.* 2. et favore minorum factum, ut restitutio, licet sit Imperii, tamen delegari possit; vel potius quod Restitutio sit jurisdictionis splendidioris, et praetoriae, et omnino ejus, quae est in majoribus Magistratibus, nam municipales Magistratus restituere non po- 5
tuerunt, *l.* 26. *ff. ad Municip. Bacch. ad lib.* 4. *Pand. sub rubr. ubi et coram quo Magistratu causa restitutionis sit urgenda n.* 1. Sed Collige: Coram Commissariis, quo titulo hodie delegatos 6
Judices ornamus, Restitutionem peti posse, *Ru-* 7
land. de Commissar. p. 1. *lib.* 3. *cap.* 19. Etiamsi 8
ad unam tantum causam delegati sint, si, qui petit restitutionem minor, circa illam causam laedatur ex aliquo actu, potest incidenter Judex delegatus cognoscere de hac causa, post *Castrens. Molina de J. et J. disp.* 573. *num.* 24. ubi monet, per hanc legem non probari Judices ordinarios, non habentes certum territo- 9
rium jurisdictionis, ut Judices Universitatis Scholasticorum, et Judices concessos quibusdam Religionibus, et Ordinibus, non posse restituere in integrum, sed tantum derogare potestatem cognoscendi eorum delegatis, non ipsis. Et falsa est Hypothesis adversantium, quasi Judices constituti sine territorio non sint Ordinarii, quo- 10
rum sententiam refutat *Petr. Barb. in l. cum Praetor* 12. §. 1. *num.* 15. *et seqq. ff. de judic.* qui *num.* 5. *et seqq.* hac de lege pluribus agit. Arbitri quoque incidenter de causa restitutionis 11
cognoscere possunt, si incidenter de restitutione minoris agatur, vel ipse minor in arbitrio ob omissionem alicujus defensionis se laesum queratur, *Bacchov. d. l. num.* 3. *p.* 360. *et seq.* Quod de Delegatis judicibus dictum est, quod 12
possint restitutionis causam tractare, id notabiliter ad sententias interlocutorias restringendum, nam delegatus si definitivam tulerit, vel talem interlocutoriam, quae vim definitivae habeat, super restitutione cognoscere non potest, *Guttierez l.* 2. *cann. qq. c.* 2. *num.* 39.

TITULUS XLVIII.

De Reputationibus, quae fiunt in judicio in integrum Restitutionis.

L. Qui Restituitur. unic.

SUMMARIA

Unusquisque ita restituendus, ut tam alter, quam ipse minor, et tertius jus suum pristinum recipiant. num. 1.
Solvitur objectio. 2.
Praestare debet minor, quod dolo ejus factum est. 3.
Minor non petiit simultaneam investituram, ideo amisit, interim possessor feudi illud cum consensu domini obligat Creditori; restituitur postea minor, quaeritur, an etiam restituendus sit contra hypothecam sine ejus consensu in feudo constitutam. 4.
Carpzovius *notatur.* 5.
Quod in favorem alicujus introductum, non debet operari, ut is maneat in lucro cum aliena jactura. 6.

Unusquisque ita restituendus, ut tam alter, 1
quam ipse minor, et tertius jus suum pristinum recipiant, *l.* 24. §. 4. *ff. de Minor.* Ideo minor, in quo locupletior factus est, id reddit (nam id, quod in *l. si per impressionem pen. C. quod metus causa,* habetur, speciale est) et si pro aliquo intercessit novandi animo, vetus actio per novationem sublata restituitur in priorem debitorem, quia hic valide intercessit minor cum consensu tutorum, *l.* 48. *ff. de fidejuss.* Nec igi- 2
tur obstat *l.* 1. *ff. de Novat. et* §. *Praeterea Inst. quib. mod. oblig. toll.* Praeterea debebit praestare minor, quod dolo ejus factum est. Ra- 3
tio *in l. auxilium ff. de Minor.* Sed quid de hac quaestione judicandum est? *Minor non* 4
petiit simultaneam investituram, ideo amisit; interim possessor feudi illud cum consensu Domini obligat creditori, restituitur postea minor, Quaeritur: an etiam restituendus sit contra Hypothecam sine ejus consensu in feudo constitutam? Negat *Dn. Carpzov. lib.* 1. *dec.* 76. Cujus tamen 5
decisio periculosa videtur, ob Regulam hanc,

quod omnia etiam quoad tertium in integrum restituenda, et alias minor non reciperet omnia sua jura integra. Facit etiam *l. 9. pr. ff. de Restit. Minor. et alleg. c. quamvis 8. de Rescript. lib. 6.* de restitutione gratiae, non justitiae loquitur, et ex ipsa laesione minoris fluxit jus Hypothecae creditoris, nisi evidenter constet, debitum in utilitatem feudi contractum esse, quod in omni consensu impetrato non potest praesumi. Collige etiam ex textu; quod in favorem alicujus 6
introductum, non debere operari, ut is maneat in lucro cum aliena jactura.

TITULUS XLIX.

Etiam per Procuratorem causam in integrum restitutionis agi posse.

L. Causam. un.

SUMMARIA

Minor per procuratorem restitutionem in integrum petere potest. num. 1.
Nisi ipsum minoris corpus adspiciendum, vel persona minoris ipsa requiratur. 2.
Requiritur autem speciale mandatum. 3.
Limitatur. 4.

1 Rubrum cum Nigro concordat, quod scil. minor per Procuratorem restitutionem in integrum petere possit, nisi ipsum minoris corpus adspi- 2
ciendum sit, vel persona minoris ipsa requiratur. Vid. *Oddus d. quaest. 31. art. 11.* Requiritur au- 3
tem speciale mandatum, *l. 25. ff. de Minor. Oddus q. 31. art. 12. Hillig. in Donell. lib. 18. cap. 12. lit. Kk. et lib. 21. c. ult. lit. A.* Nisi I. causa Resti- 4
tutionis veniat incidenter, ubi mandatum generale sufficit, *argum. l. ult. supr. Ubi, et apud etc. Roman. sing. 125. Mynsing. cent. 2. Obs. 26. n. 4. Franc. Caldas ad l. si curatorem, C. de in integr. restit. verbo,* implorandum *n. 4.* DD. alios allegat *Oddus q. 31. art. 13.* qui plures limitationes addit *art. 12.* Nisi II. Petens restitutionem sit legitimus administrator, ut Pater, vel tutor, *l. 27. ff. de. Minor.* Vid. *Molin. tr. 2. disp. 573. Covarr. l. 1. resol. 6. Carpz. lib. 2. Resp. 99.*

TITULUS L.

In integrum restitutione postulata, ne quid novi fiat.

L. Postulata. un.

SUMMARIA

Pendente causa restitutionis prohibetur alienatio rei litigiosae, sententiaeque executio. num. 1.
Item quaecumque innovatio. 2.
Quod etiam in casu instrumenti liquidi verum. 3.
Nec non, quando restitutio contra lapsum fatalium petita. 4.
Nisi sit praesumptio malitiae contra petentem restitutionem. 5. 8.
Faber, et Carpzovius, *qui statuunt, officio Judicis incumbere, ut contractum, vel sententiam, cujus rescissio petitur, interim tenere, viresque suas habere pronunciet, et sententiam exequatur, hic notantur. 6.*
Nullitatis Processu pendente, non impeditur Executio. 7.
Improbatur illorum sententia, qui putant, executionem fieri posse, si laesio in continenti non queat probari. 9.
Nisi res celeritatem desideret. 10.
Plures limitationes, remissive. 11.

Pendente causa restitutionis, prohibetur alie- 1
natio rei litigiosae, sententiaeque executio, *Oddus q. 43. art. 1. num. 2.* et quaecumque innovatio, quod etiam in casu intrumenti liquidi ve- 2 3
rum esse probat *Oddus q. 42. art. 6.* Imo etiam eo casu, quando restitutio contra lapsum fata- 4
lium petita, *Oddus d. q. 42. art. 7.* nisi praesumptio sit malitiae contra petentem restitutio- 5
nem, quo casu executioni traditur sententia, per *c. suscitata 6. X. de in integr. Restitut.* quod explicantem vide *Oddum q. 43. art. 5.* v. g. si sint tres conformes sententiae; vid. tamen *Odd. d. q. 43. art. 3.* aut Princeps tulerit sententiam, vide *Covarr. cap. 25. Pract. quaest. in fine,* et *Oddus d. q. 43. art. 2.* aut minor in continenti nullam laesionem probare possit, ne quidem aequaliter, *Oddus d. q. 43. art. 4.* Nam his casibus executio, si retractabilis ea sit, vid. *Oddus d. q. 43. art. 8. num. 98.* non suspendenda; ut adeo suspecta sit sententia *Ant. Fabri lib. 2. Cod. tit. 30. def. 1. et Carpz. p. 1. Jurispr. Const. 26. def. 22. et l. 2. Resp. 94.* putantium, officio Ju- 6
dicis incumbere, ut suspendat executionem, quod extra casum praesumptae malitiae petentis

per *c. suscitata* 6. *X. de Restit.* et alios casus exceptos non concedimus. Vid. *Lancellot. tr. de Attentatis p.* 2. *cap.* 18. *de attentatis, restitutione in integrum pendente, Covarr. in pract. quaest. cap.* 23. *Guttierez l.* 1. *pract. q.* 134. et quos hic allegat *Barb.* et praeter eos *Ant. Faber. l.* 2. *Codic. tit.* 30. *def.* 1. *et Dn. Carpzov. lib.* 2. *Resp.* 94. *num.* 13. ubi tradunt, officio Judicis incumbere, ut contractum, vel sententiam, cujus Rescissio petitur, interim tenere, viresque suas habere pronunciet, et sententiam exequatur, quod in thesi non puto subsistere; nam Regula est hic contraria. Et in *c. suscitata* 6. *X. de Restit. Minor.* ratio specialitatis est praesumpta malitia in petente restitutionem, *DD. ibid. et praecipue Panorm. et Oddus d. qu.* 43 *Hillig. in Donell. l.* 21. *c. ult. lit. D.* nec statim dici potest, eum impetrasse restitutionem, si eo petente restitutionem, sententia executioni non mandetur, sicut nemo dicere potest, Appellantem impetrasse reformatoriam eo ipso quod sententia prior pendente appellatione executioni non mandatur. Nec firmum argumentum a nullitatis exemplo duci potest, quamvis veriorem sententiam esse concedam, Nullitatis processu pendente non impediri Executionem, sicut hanc sententiam, ut veriorem, et communiorem amplectitur *Lancellot. in tr. de Attent. p.* 2. *c.* 17. *numer.* 17. *et seqq. multis.* Et *DD.* qui solent citari pro exceptione facienda, hoc volunt tantum arbitrio Judicis esse committendum, an contra petentem mili- 7
tet praesumptio malitiae, et an haec satis a petente elisa. Vid. *Oddus qu.* 43. *art.* 5. *num.* 77. Et nos loquimur de foro civili, non vero juris Saxonici; et *DD.* qui pro illa sententia, quod scilicet Judex possit executionem facere non obstante restitutionis processu, loquuntur de eo casu, quando calumnia est praesumpta, et de casu illius capituli. Nec possumus illorum sententiam pro- 8
bare, qui putant, executionem fieri posse, si laesio in continenti non queat probari: nam contrarium verius esse ex eo liquet, quia haec exceptio nullo juris textu, aut certa ratione nititur, et contrarium communius est receptum; *Oddus d. qu.* 43. *art.* 4. Illud vero non negamus, tunc 9
Executionem fieri posse, quando res celeritatem desiderat, *Menoch. remed.* 4. *adipisc. poss. num.* 906. Plures limitationes vide in *Lancell. d. l.* 10 11

TITULUS LI.

De Restitutionibus Militum, et eorum, qui Reipublicae causa absunt.

L. Si Valerianus. 1.

SUMMARIA

Beneficium restitutionis in integrum datur majoribus Reip. causa absentibus. num. 1.
Defuncto competere coeptum transmittitur ad haeredem. 2.
Si post exactos dies, quibus bonorum possessio dari solet, mortuus miles, vel qui Reip. causa absens fuit, restitutio datur haeredi ex persona defuncti. 3.
Solvitur objectio. 4.
Quid juris, si ante illud tempus decessit? 5.
Quid si quis obierit in tali casu, ut nullum jus adeundi transmittere potuerit ad haeredem suum? 6.
Qui vel ignoravit, haereditatem sibi esse delatam, aut impeditus eam non adiit, restitutionem in integrum transmittit ad haeredem. 7.

1 Beneficium restitutionis in integrum, quod majoribus Reip. causa absentibus datur, et ince-
2 pit competere defuncto, transmittitur ad haeredem; Ratio *in l.* 6. *ff. de in Integr. Restit.* Si
3 igitur post exactos dies, quibus bonorum possessio dari solet, mortuus miles, vel qui Reip. causa absens fuit, restitutio datur haeredi ex
4 persona defuncti. Nec obstat *l.* 3. §. 7. *ff. de Bonor. possess.* quia hic non possessio, sed re-
5 stitutio transmittitur. Si vero ante illud tempus decessit, non datur de rigore juris, quia defunctus in vita per absentiam perfecte non est laesus, et quod non habuit, non potest transmittere; sed de aequitate aliud, *l.* 86. *ff. de acquir. haered.* juxta quam legem, si quis obierit in tali statu, ut nullum jus adeundi trans- 6
mittere potuerit ad haeredem suum, vel quia ignorabat sibi delatam haereditatem, vel sciebat quidem, sed annus deliberationis erat elapsus eo vivente, quia non valebat adire ex aliquo justo impedimento, ex aequitate restitutio datur, de cujus ratione videatur *Sf. Oddus qu.* 50. *art.* 6. *num.* 61. *et seq.* qui *art. seq.* 7. eamdem legem ad causam alterius impedimenti, in specie ignorantiae, extendit. Verum igitur est illud, quod tradit *Schultes ad Modest. Pistor. p.* 4. *quaest.* 131. *num.* 250. *et seqq.* eum, qui 7
vel ignoravit, haereditatem sibi esse delatam, aut impeditus eam non adiit, restitutionem in integrum transmittere ad haeredem.

L. Si quid. 2.

SUMMARIA

Tam res usucapione amissa, quam actio praescripta, intra annum utilem, hodie quadriennium continuum, ei qui Reip. causa abfuit, restituitur. num. 1.
Potest utrumque simul peti. 2.

Tam res usucapione amissa, quam actio prae- 1
scripta, intra annum utilem, hodie quadriennium continuum, ei qui Reip. causa abfuit, restituitur, per *l.* 1. *ff. ex quib. caus. major.* Et

2 potest utrumque simul peti, v. g. peto, me in integrum restitui, et restitutione concessa, rem meam reddi, *Guido Papae decis.* 143. *Hillig. in Donell. lib.* 21. *c.* 5. *lit. S. Salyc. in lege seq. num.* 6.

L. Quod tempore militiae. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Tantum illud tempus restituendum, quo quis abfuit. 2.
An haec lex locum habeat etiam eo casu, quando reverso absente non modicum tempus, sed longum restat ad usucapionem complendam, et reversus tacuit? 3.

1 Miles praesens fuit per unum annum, quo Titius ipsius rem possedit, altero anno abfuit ut miles, tertio anno est reversus, quo praesente Titius rem usucepit, Quaeritur: an restituendus miles ex causa absentiae? Resp. licet reversus potuerit agere, tempus tamen medium ipsi restituendum, atque ideo nec plus, nec minus ipsi restituendum per *l.* 26. §. 7. *ff. Ex*
2 *quib. caus. major.* tantum igitur illud tempus restituendum, quo quis abfuit. Vid. *Speculat. in tit. de Restit. in integr.* §. 4. *Oddus quaest.* 19.
3 *art.* 1. *et q.* 44. *art.* 2. Sed an haec lex locum habeat etiam eo casu, quando reverso absente non modicum tempus, sed longum restat ad usucapionem complendam, et reversus tacuit? Etenim nonnulli restitutionem negant per *l.* 15. §. *fin. et l. seq. ff. Ex quib. caus. major.* Videatur tamen *Schneidew. ad* §. *Rursus Inst. de act. num.* 44. *et alii.*

L. Ignorare non debes. 4.

SUMMARIA

In Reip. causa absentium, vel pupillorum bona missio fieri potest ex primo decreto, si non defendantur, salva tamen restitutione. num. 1.
Sed ad secundum decretum, seu venditionem procedi non potest. 2.
Damnum primi decreti reparari potest. 3.
Si venditio facta, distinguendum, utrum facta ex natura rei, an vero ex Contractu, vel delicto. 4.
Quid juris utroque casu? 5.

1 In eorum, qui Reipublicae causa absunt, vel pupillorum bona, missio fieri quidem potest ex primo decreto, si non defendantur, salva tamen restitutione, de qua *Oddus qu.* 68. *art.* 3.
2 Sed ad secundum decretum, seu venditionem procedi non potest, *hic, et l.* 6. §. 1. *ff. Ex quib. caus. in possess.* Ratio, in *l.* 29. *ff. Ex*
3 *quib. caus. major.* Damnum enim primi Decreti
4 reparari potest: si vero venditio facta, distinguendum, utrum facta ex natura rei, et in causa damni infecti, vel in causa noxali, et simili, et restitutione opus? *l.* 15. §. 22. *ff. de Damno Infecto l.* 2. §. 1. *ff. Si ex Noxali causa*; an vero
5 ex Contractu, vel delicto, et decretum ipso jure nullum est, *l.* 35. *ff. de. Reb. Auctor. judic. possid.* Videatur *Oddus d. q.* 68. *art.* 5.

L. Neque. 5.

SUMMARIA

De rebus a fisco venditis domini rerum, vel qui hypothecam praetendunt, intra quadriennium litem fisco movere possunt. num. 1.
Quid si dominus reipublicae causa abfuerit? 2.
Privilegiatus contra privilegiatum uti potest suo privilegio, quando diversis nituntur privilegiis. 3.
Sicut minores hoc casu tam contra emptorem quam contra fiscum restituuntur, ita etiam majores ob absentiam Reip. causa restituuntur, non tantum contra fiscum, sed etiam contra emptorem. 4.
Id quod ope restitutionis fit. 5.

De rebus a Fisco venditis, domini rerum, vel 1
qui hypothecam praetendunt, intra quadriennium litem Fisco movere possunt, §. *ult. de usucap.* Sed quid si Dominus Reipublicae causa 2
abfuerit? Respondetur, post quadriennium restitui. Nota bene: Privilegiatum contra privile- 3
giatum interdum uti suo privilegio, quando diversis nituntur privilegiis, quae etiam hujus legis ratio decidendi est. Colligitur ex lege: I. Sicut minores hoc casu tam contra emptorem, 4
quam contra fiscum restituuntur, ut supra dictum ex *Oddo q.* 18. *art.* 12. ita etiam majores ob absentiam Reip. causa restitui non tantum contra fiscum, sed etiam contra emptorem, quia haec lex indistincte loquitur, *Oddus qu.* 89. *art.* 8. II. Et quod hoc fiat ope resti- 5
tutionis, ut colligitur ex verbis initialibus legis hujus, *Oddus d. l. num.* 65. *et seq.*

L. Si cum militaribus. 6.

SUMMARIA

An pro pignoribus tibi datis, et me absente reipubl. causa, praemissa tamen denunciatione, elapso biennio a te distractis, mihi detur restitutio? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Conciliatio legis hujus 6. *cum* l. 2. *C.* si advers. vind. pign. 4.

Debebam tibi viginti, et dedi pignora; me igi- 1
tur absente Reipublicae causa, et praemissa denunciatione, elapso biennio, distrahis pignora, juxta *l. fin. C. de Jure Dom. Impetr.* an potero restitui? Videtur quod non ob *l.* 2. *C. si advers.* 2
vendit. pign. Sed affirmatur, quia hic nullum 3
pactum intercessit de distrahendo, ut *in d. l.* 2. vel potius potestate legis facta venditio. Ergo hic 4
laeditur ex absentia, ibi ex contractu, non absentia: ibi minoris Pater contraxerat, et venditio pignoris ex contractu Patris fluit, hic de venditione facta ex contractu ejus, qui vult restitui: debeo tamen Emptori offerre debitum aut pretium: debitum quidem, quando plus

est in pretio, quam debito; pretium vero, quando plus est in debito, quam pretio.

L. Ea, quae a Patre. 7.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Adversus neglecta, absens restituitur, non facta. 2.
Minor tam contra gesta, quam neglecta restituitur. 3.

1 Pater tuus abfuit Reipublicae causa, et contraxit, tu vis restitui ex persona Patris, quia fuit absens. Respondetur, te non posse restitui, quia Pater non per absentiam laesus fuit, sed per contractum, Ergo: per *c. damnum* 86. *de R. J.*
2 *in sexto.* Nota bene: Adversus neglecta, absens
3 restituitur, non facta; sed Minor, tam contra gesta, quam neglecta, restituitur.

L. Sancimus. ult.

SUMMARIA

Sola militia non est causa restitutionis, sed expeditio actualis. num. 1.
Miles domi existens non restituitur. 2.
Limitatur. 3.
Nec expeditio publica parit restitutionem, nisi concurrat absentia. 4.
An limitanei milites in expeditione sint? 5.
Carpzovius *notatur.* 6.
Etiam illi jure militari fruuntur, qui a signis recedere non possunt. 7.
Quicumque est in exercitio bellico, dicitur esse in expeditione. 8.
Licet in patria militent, fruuntur hoc privilegio. 9.
Competit hoc idem privilegium aliis in militia occupatis, et militum uxoribus. 10.

Sola militia non est causa restitutionis, sed ex- 1
peditio actualis; ergo miles domi existens non 2
restituitur, nisi in ipsa Patria militet, et sub si- 3
gnis sit, *l.* 7. *h. t. Oddus q.* 6. *art.* 4. aut nisi per modicum tempus praesens fuerit, *l.* 15. §. 3.
ff. Ex quib. caus. major. Collige: Nec expeditio- 4
nem publicam parere restitutionem, nisi concurrat absentia. Nulla ergo consequentia est: Expedivi negotia publica, ergo contra fatalia sum restituendus. Non valet, inquam, sequela, nisi ob negotia publica absens fuerit, per *l.* 5. §. 1. *ff. Ex. quib. caus. major. Oddus q.* 6. *art.* 12.
Sed et limitanei milites in expeditione sunt. Vid. 5
Mastrill. dec. 173. licet dissent. *Dn. Carpzov. l.* 6
6. *Resp.* 14. *num.* 18. nec enim per verba, *quae in eadem expeditione*, limitanei excludi possunt,
cum illi etiam jure militari fruantur, qui a 7
signis recedere non possunt, *leg.* 43. *ff. de Milit. Testam.* et quicumque est in Exercitio 8
bellico, dicitur esse in expeditione, *Oddus q.* 6. *art.* 2. *et* 3. *num.* 7. Vid. *Mastrillus d. dec.* 173.
Hillig. in Donell. l. 6. *cap. ult. lit. R.* Imo licet 9
in patria militent, fruuntur tamen hoc privilegio, *Oddus d. q.* 6. *art.* 5. Et hoc idem privi- 10
legium aliis in militia occupatis, et militum Uxoribus competit, *Oddus d. q. art.* 7. *et seqq.*

TITULUS LII.

De Uxoribus Militum, et eorum, qui Reipublicae causa absunt.

L. Temporalibus. 1.

SUMMARIA

Uxores cum maritis Reipubl. causa absentibus degere possunt. num. 1.
Possunt et hae in suis causis restitutionem petere. 2.
Maritum jubentem uxor sequi tenetur. 3.
Uxor, quae non sequitur maritum, ejus privilegiis non fruitur. 4.
Quatenus hoc procedat? 5.
Extenditur. 6.

1 Quando Mariti Reipublicae causa absunt, et Uxores una cum ipsis degunt, (*l.* 4. §. 2. *ff. de offic. Procons.*) hoc non est simpliciter improbatum, si modo factum uxorum praestent. Pos-
2 sunt et illae, in suis causis, restitutionem petere, quia haec est necessaria causa, cum mari-
3 tum jubentem uxor sequi teneatur, *Oddus d. quaest.* 6. *art.* 8. Unde a contrario sensu colli- 4
gitur, uxorem, quae non sequitur maritum, ejus privilegiis non frui, *Capyc. dec.* 172. Si scilicet 5
maritus id rationabiliter petet. Et hoc ad uxo- 6
res praesidum, praefectorum castrorum, etc. extendi potest per tradita *Perezii h. t.*

L. Et, quae diutissime. ult.

SUMMARIA

An mulier possit restitui adversus Creditorem, qui rem mulieris una cum mariti in militia degentis rebus vendiderat? num. 1.
Qui restitutionem petit, probare debet, quod res, de qua agitur, ad eum pertineat jure dominii, vel possessionis, vel alterius rationabilis interesse. 2.

Creditor ex *l. final. C. de jure Dom. impetran-* 1
do, vendiderat rem mulieris una cum mariti in

militia degentis rebus, Quaeritur: *An mulier possit restitui non obstante praescriptione longi temporis?* Respondetur Affirmative, ratio est in *l. 6. tituli praeced.* Sed debet refundere pretium, si minus debito est, juxta *d. l.* scil. si venditor jus habuit alienandi, nam alias is qui rem vindicat, pretium restituere non tenetur, *Perez. ad h. t.* Si vero legem intelligas de fundo uxoris, a Procuratore ejus non habente speciale mandatum vendito, praesupponenda est versio in ejus utilitatem; sed prior intellectus planior. Colligunt ex hac lege: Eum qui resti- 2
tutionem petit, probare debere, quod res, de qua agitur, ad eum pertineat jure dominii, vel possessionis, vel alterius rationabilis interesse, sicut *DD.* communiter ex hac lege id colligere refert *Mascard. de probat. concl.* 1284. *num.* 1.

TITULUS LIII.

De Temporibus in integrum Restitutionis tam minorum, et aliarum personarum, quae, restitui possunt, quam etiam haeredum eorum.

L. In iis. 1.

SUMMARIA

An laeso in minore aetate per contractum, et antequam fieret major in militiam profecto, tempore militiae currat quadriennium restitutioni praefixum? num. 1.
Currit id tempus a die missionis. 2.
Nova causa restitutionis superveniens facit, ut ex prima ipso jure tempus non currat. 3.
Tempus restitutioni praefixum est ab initio utile, in progressu vero continuum, sed per absentiam Reipubl. causa sistitur, et in hoc continuitatem amittit. 4.
Nec currit hoc tempus, dum de nullitate contractus quaestio est. 5.
Ob remedium nullitatis restitutio cessat. 6.
Subducitur etiam tempus pendentis conditionis in Contractu, vel sententia expressae. 7.
Ubi pendet laesio, ibi non potest currere quadriennium, donec laesio per eventum conditionis perficiatur. 8.

1 Laesus est quis in minore aetate per contractum, antequam autem fieret major profectus est in militiam, Quaeritur: *An tempore militiae currat quadriennium restitutioni praefixum?*
2 Respondetur, quod non, sed id tempus currit a die missionis: (*Wanner abgedanckct ist*)
3 Nota bene: Novam causam restitutionis supervenientem facere, ut ex prima ipso jure tem-
4 pus non currat, nam tempus restitutioni praefixum est ab initio utile, in progressu vero continuum, sed per absentiam Reip. causa sistitur, et in hoc continuitatem amittit, per *hanc, et seq. leg.* Subducitur enim tempus, quo Reip. causa abfuit, ut et omne legitimum impedimentum, *l. ult.* §. 1. *h. t. Odd. quaest.* 20. *art.*
5 5. nec currit hoc tempus, dum de nullitate contractus quaestio est; id enim tempus etiam subducitur per *l.* 16. *C. de Inoffic. Testament.*
6 et quia ob Remedium Nullitatis restitutio cessat, *l.* 16. *ff. de Minor. ex Caldas Hillig. ad Donell.*
7 *l.* 21. *c.* 10. *lit. T.* Sicut etiam pendentis conditionis in contractu vel sententia expressae tempus subduci vult *Mudaeus ad l. ult. h. t. et Hillig. d. l.* nam ubi pendet laesio, ibi non po- 8
test currere quadriennium, donec laesio per eventum conditionis perficiatur, *Oddus q.* 20. *art.* 6. *per tot.*

L. Si intra legitimam aetatem. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quadriennium restitutioni praefixum in militiam profecto non currit. 2.

Pater meus in minore aetate contrahendo laesus 1
est, majorennis factus intra quadriennium moritur, cui ego successi, et potui igitur ex persona ejus statim petere restitutionem, sed antequam quadriennium illud restitutioni datum effluxit, proficiscor in militiam. Quaeritur: An post multos annos reversus possim petere restitutionem ex persona defuncti? quod affirmatur: ratio in *l. praeced.* quia quadriennium illud, me in mili- 2
tiam profecto, non currit.

L. Si intra annos. 3.

SUMMARIA

Lex haec de usucapione loquitur. num. 1.
Correcta per l. ult. C. in quib. caus. 2.
Sive in eadem persona, sive in diversis personis conjunguntur tempora privilegiata. 3.

Est ejusdem sententiae, cujus prima, nisi quod 1
de Usucapione loquatur, et hanc legem ita
correctam esse vult *Gl. per l. ult. C. In quib.* 2
caus. etc. de quo dictum supra *ad d. l. ult.* Collige tamen: sive in eadem persona, sive in diversis personis, conjungi tempora privile- 3
giata.

L. Ex persona. 4.

SUMMARIA

Lex haec legem primam extendit ad haeredem militis. num. 1.
Etiam haeres ex persona defuncti militis integrum habet tempus quadriennii. 2.

1 Extendit legem primam ad haeredem militis,
2 quod etiam haeres ex persona defuncti militis integrum habeat tempus quadrienni; sed de hoc jam plura.

L. Ea, quae de temporibus. 5.

SUMMARIA

Tempus restitutionis petendae incipit currere ei, qui veniam aetatis impetravit, sed non finitur, nisi vere impleverit 25. *aetatis annum. num.* 1.
Nec sufficit, extitisse ultimum diem anni 25. *sed completum annum esse oportet.* 2.
Quo tempore peti possit restitutio ab haeredibus eorum, qui propter aetatem vel absentiam restitui poterant. 3.
Jacente haereditate dormit praescriptio quadriennii. 4.
Limitatur. 5.

1 *Princ.* Dicitur, tempus restitutionis petendae incipere currere ei, qui veniam aetatis impetravit, sed non finiri, nisi vere impleverit 25.
2 aetatis annum, ita ut non sufficiat extitisse ultimum diem anni 25. ad denegandam restitutionem, sed completum annum esse oportet, *Auctor in l.* 3. *ff. de minor. num.* 14.
3 §. 1. et *sequentis* haec est summa: loquuntur hi §§. de haeredibus eorum, qui propter aetatem, vel absentiam restitui poterant, quo tempore possit peti restitutio. Distinguitur ita: Aut minor minoris haeres existit, et quadriennium, quod defuncto competebat, non currit minori, nisi major effectus sit, nec tamen computatur tempus defuncti, *hic et l.* 19. *ff. de minor.* Vid. *Oddus qu.* 10. *art.* 8. Aut minor succedit majori, et restituitur tantum tempus, quantum restabat defuncto, ut tamen hoc non currat minori, nisi majorenni facto, *d. l.* 19. versic. *plane*, et §. 3. *huj. leg.* Aut major succedit minori, ubi statim ab haereditate adita, vel agnita bonorum possessione (antea enim justum est impedimentum, quo minus possit haeres petere restitutionem, *Odd. d. q.* 20. *art.* 9. *et seqq.*) currit quadriennium, §. *ult. huj. leg.* Aut major majori succedit, qui casus est omissus, ut indubitabilis, et tunc post aditam haereditatem restituitur tantum tempus, quantum restabat defuncto, de quo videantur, praeter *Oddum d. q.* 20. *Gomez. t.* 2. *resol. c.* 14. *n.* 12. *Cujac. hic*, *et Perez.*
4 Nota bene: jacente haereditate dormire praescriptionem quadriennii, *Br. Bl. hic et DD. commun.* quos refert *Oddus d. q.* 20. *art.* 9.
5 ubi id limitat, nisi dolose, aut per supinam negligentiam distulisset adire, *Oddus d. art.* 9. *n.* 86. *et seq.*

Auth. Si Minor.

SUMMARIA

Quando proponi possit exceptio dotis non solutae. num. 1.
Decennio lapso haec exceptio opponi plane nequit. 2.
Minori marito ad contestandam exceptionem hanc dantur 12. *anni.* 3.
Ejus intra duodecimum annum mortui haeredi datur annus. 4.
Quid si maritus sit major, haeres minor? 5.

In *Novell.* 100. distinguit Justinianus, utrum 1
Nuptiae duraverint biennium, et tunc exceptio dotis non solutae proponi potest intra annum post dissolutum matrimonium, aut durarunt ultra biennium, non tamen decennium, et tunc contestatio facienda intra tres menses; decennio 2
lapso plane haec exceptio opponi nequit. Quid si autem maritus sit minor? Respondetur mino- 3
ri marito ad contestandam exceptionem hanc dari 12. annos, et ejus intra duodecimum annum 4
mortui haeredi dari unum annum. Quid si autem maritus sit major, haeres vero minor? Huic 5
a morte mariti datur quinquennium indistincte i. e. sive major sit maritus, sive minor: rationes in textu. Vide *d. Nov. et Rittersh. in Nov. p.* 3. *c.* 8. *Oddus* vero *qu.* 19. *art.* 3. *num.* 30. reddit hanc rationem, cur hic minoribus amplius spatium detur, quia, cum minores graventur in uno, quod praescriptio haec favore dotis ipso jure currat contra minorem, contra regulam in *l. ult. C. in quib. caus. rest. non est necess.* ideo aequum fuit, ut in alio relevarentur, et Praescriptio amplius spatium biennio duraret.

L. Petendae. 6.

SUMMARIA

Intra quadriennium post aetatem legitimam debet inchoari, et finiri causa restitutionis. num. 1.
An, si petenti restitutionem onus probandi intra sex septimanas injunctum sit, his fere elapsis dari debeat dilatio? 2.
Dilatio uni parti data, et alteri parti est communis. 3.
Adversarius etiam major uti potest termino concesso minori ad probationem. 4.
Post didicita attestata, minore restituto, ad alios testes producendos potest major, qui cum minore litigat, etiam alios testes producere. 5.
Limitantur. n. 3. *dicta.* 6.
Minus faveri solet actori, quam reo. 7.
In actoris potestate est, quando velit agere, non in rei. 8.
Is, qui seipsum arctavit, ut fatalia prope lapsa sint, ob nova impedimenta dilationem non consequitur. 9.
In appellationibus negligentia subsequens, qua quis seipsum arctavit, absorbet impedimentum antecedens. 10.
Secus, si facto adversarii impeditus. 11.
Non potest pars impetratae a se dilationi renunciare. 12.
Limitatur. 13.

1 Intra quadriennium post aetatem legitimam debet inchoari, et finiri causa Restitutionis per *l. fin. h. t. Auctor in l.* 3. *ff. de minor. num.* 9.
2 Sed cum ego peterem restitutionem, injungitur mihi onus probandi intra sex septimanas; sed his fere lapsis, quaeritur, an mihi dari debeat dilatio? Imperator distinguit inter personam Actoris, et Rei: in persona Actoris subdistinguitur utrum dilatio excedat tempus instantiae, an non? ut illo casu dari non debeat, quia se ipsum arctavit, hoc vero casu possit. In persona Rei admittit etiam ultra tempus instantiae dilationes quia in ejus arbitrio non fuit, quo tempore con-
3 veniretur, in Actore secus. Sed dilatio uni parti data, et alteri parti est communis, *Scaccia l.* 2. *de judic. c.* 3. *num.* 200. *Ummius disp.* 7. *num.*
4 23. et ideo Adversarius etiam major uti potest termino concesso minori ad probationem, *Go-*
5 *mez. t.* 2. *resol. c.* 14. *num.* 5. et post didicita attestata, minore restituto, ad alios testes producendos, potest major, qui cum minore litigat, etiam alios testes producere, *Vasquius p.* 2. *controv. l.* 2. *cap.* 31. *num.* 12. *Caldas in d. l.* 3. verb. *vel adversarii num.* 22. quos lau-
6 dat *hic Barbos.* Sed regula haec non habet locum quando utrique parti separatae sunt concessae dilationes, *Menoch. cons.* 367. *num.* 31.
7 Collige ex *h. t.* Minus faveri solere Actori quam
8 Reo, quia in illius potestate est, quando velit agere, non in hujus, *Carpz. p.* 1. *constit.* 16. *def.*
9 3. *et seqq.* Collige etiam: Eum, qui seipsum arctavit, ut fatalia prope lapsa sint, ob nova impedimenta dilationem non consequi, sicut in
10 appellationibus dicimus, negligentiam subsequentem, qua quis seipsum arctavit, absorbere impedimentum antecedens, ut ait *Panorm. in c. ex ratione* 8. *X. de appell. num.* 12. *et ibi Jo. Crotus in repet. num.* 17. *Scacc. de appell. qu.*
11 15. *num.* 148. Secus ergo, si facto adversarii impeditus. Sed Quaeritur hic: *An non pars im-*
12 *petratae a se dilationi renunciare possit?* quod communius negatur. Vid. *hic DD. et Cacheran. decis.* 97. *num.* 4. *Ummius ad process. disp.* 7.
13 *th.* 6. *num.* 23. quod limitant, si alteri speciali jure, i. e. per in integrum restitutionem imploratam, dilatio fuerit concessa, ut *hic*, nam tunc, si minor favori suo renunciet, alterum majorem dilatione hac uti non posse, tradunt *Valasc. p.* 1. *consult.* 25. *num.* 11. *Tiraqu. de retr. lign. ad finem tit. num.* 27. *Guttierez p.* 2. *qu.* 22. *num. fin. et Ummius d. num.* 23. *in fine*, ubi de communi testatur.

L. Supervacuam. ult.

SUMMARIA

Tempus, intra quod petenda, et finienda in integrum restitutio pro varietate locorum, et temporum varium fuit. num. 1.
Praxis Camerae Spirensis. 2.
Barbosa *notatur.* 3.
Lites citius finiri Reipubl. interest. 4.
An hoc quadriennium tantum petendae restitutioni, an etiam actioni restitutae praescriptum? 5.
An, si laesio enormissima, ultra quadriennium actio detur? 6.
Quadriennium non currit ignoranti laesionem. 7.
Tempus hoc ab initio utile est. 8.
Bacchovius *notatur.* 9.
Partium consensu prorogari potest tempus hoc. 10.
A Judice ex justa, et rationabili causa post quadriennium quis admittitur. 11.
An idem quadriennium in aliis etiam restitutionibus locum habeat? 12.
Ob dolum biennio locus est. 13.
Ob diminutionem capitis restitutio perpetua. 14.
An hoc tempus quadriennii semper integrum detur? 15.
An restitutio per modum exceptionis etiam post quadriennium proponi possit? 16.
Carpzovius *hic contrarius notatur.* 17.
Quae ad agedum sunt temporalia, ad excipiendum sunt perpetua. 18.
Quatenus hoc procedat? 19.

Restitutionem petentibus, a die legitimae aetatis, vel a die cessantis absentiae, et scientiae dabatur olim Romae quinquennium, in Italia quadriennium, in Provinciis triennium continuum, postea a Praetore annus utilis, a Justiniano quadriennium continuum, non ratione originis, sed progressus. Vide *Hillig. in Donell. lib.* 21. *c.* 10. *lit. U.* et hoc non tantum inchoandae, sed etiam finiendae liti, per *l. praeced. et hanc l. ult.* (licet hoc ultimum in Camera non observetur, test. *Myns. Cent.* 1. *observ.* 38. *num.* 8. Imo textum ipsum nonnulli sollicitant, quos hic sequitur *Barbos. num.* 11. licet melius dicatur, quidquid sit, de jure veteri voluisse finiendae etiam liti hanc metam praestituere, cum lites citius finiri Reip. intersit. Vid. *Oddus quaest.* 19. *art.* 12. quam sententiam sequitur etiam jus Canon. *in Clem.* 1. *de Restit.*) nisi culpa adversarii, vel Judicis lis protracta, *Umm. d. disp.* 19. *num.* 96. Sed hoc quadriennium tantum petendae restitutioni, non actioni restitutae praescriptum esse, communius placuit per *l.* 35. *in fine princ. ff de O. et A.* et allegata ab *Hillig. lib.* 21. *c.* 5. *lit. T.* Sed contrariam sententiam scil. quod uti restitutio in integrum, ita etiam rescissoria, seu restituta actio non amplius utili anno, sed quadriennio continuo duret, postquam restitutio obtenta fuit, aequiorem, planiorem, et simplicitati legum convenientiorem esse rectius dicit *Oddus Quaest.* 21. *art.* 3. *num.* 10. licet fluctuet. Sed Moderni JCti passim istam sententiam *DD.* refutant, inter quos *Bacchovius ad Pand. lib.* 4. *tit. de Restit. rubr. de tempore petendi restit. num.* 4. *pag.* 951. Si laesio enormissima, ultra quadriennium volunt etiam dari actionem *DD.* quos allegat *hic Barbos. num.* 6. Sed ea limitatio hujus Reg. non est, cum illa laesio tribuat restitutionem non ob aetatem, sed ex *l.* 2. *C. de Resc. vend.* Certior haec limitatio, quod quadriennium non currat ignoranti laesionem, quia tempus hoc ab initio utile est, *Oddus quaest.* 20. *artic.* 4. Sed contra disputat *Bacchov. d. dis. th.* 3. *lit. B. et d. l. ad Pand.* Partium consensu prorogari posse putant *Trentac. tit. de in integr. restit. resol.* 4. *num.* 15. *et Barbos. hic num.* 8. Imo a Judice ex justa, et rationabili causa aliquem post quadriennium admitti posse, patet ex *C.* 1. *de Restit. in integr. lib.* 6. *Oddus qu.* 19. *art.* 5. *et seqq. et art.* 10. *Carpz. lib.* 2. *Resp.* 96. *n.* 9. *Berlich. p.* 2. *decis. aur.* 218. Sed: *An idem quadriennium in aliis etiam restitutionibus locum habeat?* Affirmatur com-

13 muniter, excepta ea restitutione, quae ob dolum datur, ubi biennium datur, *l. fin. ff. de*
14 *Dolo*, vel ob diminutionem capitis, ubi perpetua restitutio, *ob l.* 2. §. *ult. ff. de Capit. Dimin.* Conf. *Bacchov. d. Disp. th.* 3. *lit. A.* Sed Quaeritur:
15 *An hoc tempus quadriennii semper integrum detur?* Et Affirm. si contra contractum, vel sententiam restitutio petatur, non vero contra lapsum temporis, tunc enim communiter placuit, intra tantum temporis spatium petendum esse hoc beneficium, quanto tempore fuit laesus, licet totum quadriennium competat ad finiendam causam, *DD. hic*, *et Oddus quaest.* 19. *art.* 4. *Gomez. t.* 2. *resol. c.* 14. *num.* 7. *Balbus de praescript. part.* 6. *num.* 27. *et* 28. *Bacchov. d. l.*
16 Sed *An restitutio per modum exceptionis, etiam post quadriennium proponi possit?* Ita quidem existimat *Dn. Carpzov. lib.* 2. *Resp.* 96. *num.* 1. 17
et 2. Sed quod pace Magni illius Viri dixerim, hoc videtur non posse subsistere per *l.* 9. §. 4. *ff. de jurejur.* et communiter id negant, ut *Cynus, Dynus, Salyc. hic num.* 10. *Redoan. de reb. Eccles. non alien. q.* 78. *cap.* 2. *num.* 14. *Gomez d. c.* 14. *num.* 8. *Oddus d. qu.* 19. *art.* 5. *num.* 50. *Trentac. d. Resp.* 4. *num.* 13. *Barbos. hic num.* 5. Nam Regula illa: Quae ad a- 18
gendum sunt temporalia, ad excipiendum sunt perpetua etc. tunc tantum locum habet, quan- 19
do in potestate rei non est agere, *Oddus d. l. et qu.* 35. *art.* 7. *num.* 5. *et seq.* per *l.* 8. §. 13. *ff. de Inoffic. Testam.*

TITULUS LIV.

Quibus ex causis Majores in integrum restituantur.

L. Si propter. 1.

SUMMARIA

Qui legationis causa abest, Reip. causa abesse videtur. num. 1.
Restituitur contra sententiam. 2.
Sensus legis. 3.
Solvitur objectio. 4.
Quando restitutio petitur contra sententiam, non petitur reformatio sententiae, sed restauratio litis. 5.

1 Qui ut legatus municipii, et ita legationis causa abest, Reip. causa abesse videtur, ideoque
2 contra sententiam restituitur, ut de novo judicetur *hic, et l.* 15. §. 1. *et l.* 35. §. 7. *ff. h. t.*
3 Lex igitur dicit, si legatus absens indefensus condemnatur, domi dari ei restitutionem, perinde ac si Reip. causa abfuerit, idque non ex propria significatione, sed per extensionem, ne
4 obstet *l.* 26. §. *fin. ff. h. t.* Vid. *Oddus quaest.*
5 6. *art.* 11. Collige; Quando restitutio petitur contra sententiam, non peti reformationem sententiae, sed restaurationem litis.

L. Si idcirco. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Laudum *quid?* 2.
Detentio in carcere tanquam absentia necessaria praebet restitutionem. 3.
Is, qui restitutionem in integrum ex ea causa, ex qua majores restituuntur, petit, tenetur probare impedimentum, ut fundamentum suae intentionis. 4.
Ampliatur, et limitatur remissive. 5.
Quod hic de carcere dicitur, id etiam de eo, qui aresto personali extra carcerem detinetur, intelligendum. 6.
Idem de metu pestis. 7.
Alii casus, remissive. 8.
Relegato ex causa datur restitutio, quando non potuit Procuratorem mittere. 9.

Dionysius contra sententiam arbitri, se in cu- 1
stodia publica detento, latam, recte petere potest restitutionem, *hic, et l.* 19. *ff. h. t.* Nota bene: praesupponendum hic placuisse ab initio, ut liceret etiam inter absentes facere laudum i. e. arbitrium. Ergo detentio in carcere, tan- 2
quam absentia necessaria, praebet restitutionem, 3
de qua materia fuse agit *Oddus qu.* 7. *art.* 5. *et seqq.* Collige; Quod is, qui restitutionem in 4
integrum ex ea causa, ex qua majores restituuntur, petit, teneatur probare impedimentum, ut fundamentum suae intentionis, *Mascard. de probat. concl.* 1282. *num.* 1. ubi id in *seqq. numeris* per Ampliationes, et Limitationes 5
tradit, sicut etiam *Oddus q.* 38. *art.* 1. *per tot.* Quod hic de carcere dicitur, id etiam de eo, 6
qui aresto personali extra carcerem detinetur, intelligendum, *argum. l.* 28. §. 1. *ff. h. t.* Idem de metu pestis, *Maurit. c.* 367. *et seq.* ubi et 7
alios casus recenset; et *Oddus q.* 14. *art.* 1. 8
Sic et Relegato ex causa datur restitutio, quan- 9
do non potuit Procuratorem mittere, *l.* 26. §. 1. *ff. h. t. Hillig. in Donell. l.* 21. *c.* 15. *lit. H. Bacch. in Treutl. d. disp. th.* 7. *lit. A.*

L. In Contractibus. 3.

SUMMARIA

Circumventus in dote danda majorennis, ut nimis amplam promitteret, restitui potest per restitutionem officio Judicis mercenario competentem. num. 1.
Bono et aequo non convenit, aut lucrari aliquem

cum alterius damno, aut damnum sentire per alterius lucrum. 2.
Lex haec quadrare titulo non videtur. 3.
Affinia saepe referuntur ad aliquem titulum. 4.

1 Exemplum potest proponi ex *l.* 6. §. *fin. ff. de jure Dot.* Circumventus est in dote danda Majorennis, ut nimis amplam promitteret, hic restitui potest, non per eam restitutionem, quae datur officio Judicis nobili, sed mercenario, ita, ut per actionem ex empto, vel stipulato purgetur dolus, *hic et l.* 3. *C. commun. utriusque judicii, Bronchorst. cent.* 2. *adsert.* 12. *Kremberg. ad* §. *quaedam* 19. *Inst. de action.*
2 *num.* 50. Ratio quia bono, et aequo non convenit, aut lucrari aliquem cum alterius damno, aut damnum sentire per alterius lucrum. Sed
3 hac ratione lex haec non videtur adeo quadra-
4 re titulo. Verum responderi potest, affinia saepe referri ad aliquem titulum, et in eo referri huc videtur, quod Restitutionem neget.

L. Respublica. 4.

SUMMARIA

Respublica, Municipium, Ecclesia, quaevis villa, quae per administratores regitur, negligentia administratorum laesa, ad exemplum minorum, potest restitui. num. 1.
Treutlerus *notatur.* 2.
Leve a Rubrica contra litteram textus inducitur argumentum. 3.
Idem volunt esse in castris, si jus universitatis habeant, et per administratores regantur. 4.
An idem quoque in Collegiis locum habeant? 5.
An in fisco, et Principe? 6.
Restituenda Respublica intra quadriennium a tempore laesionis. 7.
Contra praescriptionem Civitas non restituitur. 8.
In minore secus est. 9.
Ob enormissimam laesionem etiam post quadriennium Respubl. vel Ecclesia audietur. 10.

1 Respublica, Municipium, Ecclesia, quaevis villa, quae per administratores regitur, negligentia administratorum laesa, ad exemplum Mino-
2 rum potest restitui. Quamvis enim *Treutl.* et alii ad exemplum minorum Remp. restitui negent, verior tamen est sententia *DD.* communis, quae aperto hoc textu nititur, et leve a Rubrica con- 3
tra litteram textus argumentum inducitur. Vid. *Bacchov. d. disp.* 11. *th.* 8. *lit. H.* Idem volunt 4
esse in Castris, si jus Universitatis habeant, et per administratores regantur, *Oddus q.* 3. *art.* 10. *et seq. Gail. l.* 2. *obs.* 62. *num.* 4. *Berl. l.* 2. *decis.* 216. *Trentac. resol.* 3. *d. t. de restit.* De Collegiis id negat *Molin. tr.* 2. *disp.* 575. *num.* 4. 5
quod cum *Oddo* intelligimus, *art.* 12. nisi minores contineant, qui sint suae familiae capita. De Fisco, et ipso Principe placet distinctio, *Moli-* 6
nae d. l. inter bona Regni, seu coronae, et ea, quae Princeps habet ut privatus, ut circa illa detur restitutio, non haec. Consentit *Oddus art.* 11. Scilicet intra quadriennium a tempore lae- 7
sionis, restituenda Respublica ob rationem *in l.* 24. *ff. de Minor.* quia alias nemo cum Rep. contraheret: contra praescriptionem tamen ci- 8
vitas non restituitur, *Auth. Quas actiones C. de SS. Eccles.* licet minor possit, *l. unica C. Si advers.* 9
usucap. Sane ob enormissimam laesionem etiam 10
post quadriennium Resp. vel Ecclesia audietur, *c.* 1. *de restit. in integr. in* 6. Vid. *Molin. d. l. num.* 3.

L. Si ab hostibus. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Intra annum utilem a tempore impetratae restitutionis datur utilis actio vetus. 2.
Vocatur haec actio utilis. 3.
An, et hic annus utilis in quadriennium mutatus? 4.

Titius cum Patre captus, eo mortuo, rever- 1
sus beneficio legis Corneliae succedit Patri, (vid. §. 5. vers. *Si vero ibi decesserit Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.*) vult autem nonnullas res ab aliis usucaptas vindicare, et hoc potest facere, si prius impetraverit restitutionem: nam intra an- 2
num utilem a tempore impetratae restitutionis datur utilis actio vetus, quae utilis vocatur, quia directa per praescriptionem amissa: annus au- 3
tem utilis post impetratam restitutionem currere incipit, *hic et l.* 34. *ff. de Obl. et act. Oddus q.* 21. *art.* 1. Sed an, et hic annus utilis 4
in quadriennium mutatus, supra vidimus.

TITULUS LV.

De Alienatione Judicii mutandi causa facta.

L. Cum in rem actionem. un.

SUMMARIA

Quando res judicii mutandi causa transfertur in potentiorem, vel improbum, vel forensem, tum datur actio contra alienantem in factum. n. 1.
An etiam contra ipsum possessorem detur actio in rem. 2.
Electio competit actori, utrum possessorem, an alienatorem convenire velit. 3.
Possessio parit in rem actionem passive ex persona rei. 4.
Datur etiam tertio actio contra alienatorem, quam vocant utilem vindicationem. 5.

Quaenam ad hoc, ut hae actiones competant, requirantur? 6.
Ubi reus liti peragendae se offert, nec aliquod translationis incommodum apparet, innoxia est cessio. 7.
Cessat hoc interesse rei, quando et transferens accipiens de indemnitate cavet. 8.

1 Quando res judicii mutandi causa transfertur in potentiorem, vel improbum, vel forensem, tum datur actio contra alienantem in factum, *l.* 4. §. 4. *ff. h. t.* Sed Quaeritur: *An etiam con-*
2 *tra ipsum possessorem detur actio in rem?* quod affirmatur, ita, ut electio competat mihi, utrum
3 possessorem, an alienatorem convenire velim.
4 Ratio additur; quia possessio parit in rem actionem, scil. passive ex persona Rei, alias dominium hanc actionem parit ex persona Actoris. Vide *Hillig. l.* 20. *c.* 3. *lit. B*; ubi lectionem hujus legis communem tuetur, et *Wesemb. in π. ff. h. t. num.* 6. Datur etiam tertia actio contra alie- 5
natorem, quam vocant utilem vindicationem, quam si alienans, quasi dolo desinens possidere, paratus sit accipere, tum denegatur in factum ad interesse ex edicto actio, per *l.* 35. §. *fin. ff. h. t. Cujac. in π. h. t. Bacchov. in Treutl. d. disput.* 11. *th.* 18. *lit. B.* Sed ad hoc, ut hae 6
actiones competant, tria conjunctim requiruntur: I. Ut res alienata sit causa Judicii mutandi. II. Ut dolo malo, et ut durior adversarius substituatur. III. Ut reorum intersit, *Gaspar. Kloch. cons.* 39. *num.* 37. *vol.* 2. per *l.* 1. *ff. h. t. et l. un. C. h. t. et ib. gl.* Ergo, ubi reus liti pera- 7
gendae se offert, nec aliquod translationis incommodum apparet, innoxia est cessio, *Dn. Mevius p.* 4. *decis.* 103. Et hoc interesse cessat, quando 8
et transferens, et accipiens de indemnitate cavet, *Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 104.

Titulus LVI.

De receptis Arbitris.

L. Ex sententia. 1.

SUMMARIA

A sententia arbitri appellari non potest. num. 1.
Appellatio non prodest ad poenam conventam evitandam. 2.
Nec prodest ad vim judicati sistendam. 3.
Ex arbitrio nulla res judicata. 4.
An in casibus, in quibus arbitria vim rei judicatae habent, detur appellatio? 5.
Si ultra tempus compromisso expressum arbiter tulerit sententiam, haec jure nulla est. 6.
Quae intra tempus concessa, post tempus censentur prohibita. 7.
Si arbitri nudo consensu aditi sint, sine stipulatione poenali, vel juramento, ac compromisso, iique a judice dati, ab arbitri sententia appellari potest. 8.
Item, quando judex dat arbitrum ad cognoscendum articulum litis. 9.
Arbiter juris quis? 10.
A laudo, vel sententia arbitri juris datur appellatio. 11.
Alii casus, ubi appellationi a laudo locus est, remissive. 12.
Ex arbitrio nulla datur actio. 13.
A laudo arbitri compromissarii appellari non potest. 14.
Peti tamen potest reductio ad arbitrium boni viri. 15.
Quatenus hoc procedat? 16.
Arbiter *in jure quis?* 17.
Quis arbitrator? 18.
Forma compromissi. 19.

1 Duae hujus legis partes: I. a Sententia Arbitri appellari non posse, 1. quia appellatio non pro-
2 dest ad poenam placitam i. e. conventam, evitandam, cum conditio stipulationis appellando maxime committatur. Nec 2. prodest ad vim ju- 3
dicati sistendam, cum ex arbitrio nulla res ju- 4
dicata. Sed quaeritur: *An in casibus, in quibus* 5
arbitria vim rei judicatae habent, ut in l. 4. *et pen. h. t. detur appellatio?* Respondetur quod non; licet enim una ratio cesset, non tamen altera. Vide *Hillig. in Donell. l. ult. cap.* 1. *lit. C.* II. Si ultra tempus compromisso expressum Ar- 6
biter tulerit sententiam, haec jure nulla est, quae enim intra tempus concessa, post tempus cen- 7
sentur prohibita, *l.* 21. §. 8. *ff. h. t.* Conf. *Molin. de J. et J. tr.* 5. *disp.* 45. Si tamen arbitri 8
nudo consensu aditi sint, *Auctor in l.* 15. *ff. h. t. num.* 2. sine stipulatione poenali, lve juramento, ac compromisso, iique a Judice dati, ab arbitri sententia appellari potest, *l. ex consensu* 23. *ff. de appell.* sicut et eo casu, quando Ju- 9
dex arbitrum dat ad cognoscendum articulum litis v. g. excutiendas rationes, examinandas facultates fidejussoris, *l.* 9. *ff. qui satisd. etc.* quos casus notat *Rittershus. in Nov. part.* 9. *cap.* 5. *num.* 19. Ideoque dicunt a laudo, seu sententia Arbitri Juris, qui scil. a lege, statuto, vel Judice 10
constituitur, dari appellationem, *c. ab Arbitris* 11
de Off. jud. deleg. Lud. Molin. de J. et J. tr. 5. *disputat.* 35. *Hillig. in Donell. lib. ult. cap. ult. lit. C. Auctor in leg.* 27. *ff. h. t. num.* 11. quas, 12
aliasque exceptiones colligit *Borell. t.* 1. *dec. cap.* 63. *num.* 253. *et seqq. Scacc. de appell. cap.* 17. *limitat.* 13. *et seq. Petr. Gregor. Tholos. l.* 2. *de Appellat. c.* 12. *Molin. de J. et J. tr.* 5. *disp.* 35. *Mynsing. Cent.* 4. *obs.* 68. *et Gail. l.* 1. *obs.* 105. *Bacchov. in Treutl. vol.* 1. *disput.* 12. *th.* 4. *lit. D.* Collige: Ex arbitrio nullam dari actio- 13
nem; quam regulam cum limitat, prolixe tractat *Guttierez in repetit. l. Nemo potest num.* 417. *et seq. ff. de Legat.* 3. Sed, et a laudo arbitri 14
compromissarii, licet appellari non possit, reductio tamen ad Arbitrium boni viri peti potest, 15
l. 79. *et LL. seqq. ff. pro Socio*, quod de Arbi- 16
trio intelligimus, in specie dicto; nam Arbiter 17
ex usu juris ille est, qui ita assumitur, ut pun-

ctum aliquod, sive quod actu in lite versetur, sive in tractatu decidat, sive servato juris ordine,
18 sive non. Arbitrator autem is est, in cujus voluntatem sive aequam, sive iniquam, quasi in ludo aleae, compromittitur. Vid. *Molin. d. tr. disput.* 30. licet *DD.* aliter his vocibus utantur. Formam compromissi habet *Auctor in l. pen.*
19 *ff. h. t. num.* 2.

L. Si contra. 2.

SUMMARIA

Arbitrium absente parte latum non valet, sed ex stipulatione poenali ad poenam agi potest contra absentem. num. 1.
Limitatur. 2.
Noluit parere laudo, qui impedivit absentia sua, quo minus ferretur. 3.

1 Arbitrium absente parte latum, (nisi placuit, id absente altero fieri posse) non valet, sed ex
2 stipulatione poenali ad poenam agi potest contra absentem, *hic, et l.* 27. §. 4. *ff. h. t.* Ratio *in*
4 *l.* 161. *de R. J.* quia noluit parere laudo, qui impedivit absentia sua, quo minus ferretur.

L. Arbitrorum. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Si enormissima laesio, vel dolus intercedat, exceptio doli, etiam in laudo arbitratoris, quacumque ratione compromissum sit, locum habet. 2.

1 Petronia compromittit cum filia in Titium addita clausula, dolum malum obfuturum: *(ohne alle Gefährde)* Arbiter corruptus a filia, sive gratis, sive per pecuniam, iniquum fert laudum, mater non vult parere, filia agit ad poenam scil. conventam. Respondetur, obstare filiae exceptionem doli, licet doli fuerit expers, si tamen ex doloso arbitri laudo lucrari velit, imo ex dicta clausula mater damnum passa, ha-
2 bet actionem ex stipulatu. Collige: si enormissima laesio, vel dolus intercedat, exceptionem doli etiam in laudo Arbitratoris, quacumque ratione compromissum sit, locum habere, *Hieron. de Caeval. in spec. quaest.* 89. *et* 92. *Molina disput.* 38. *num.* 4. Conf. *Trentac. lib.* 2. *resol. tit. de arb. resol.* 3.

L. Ne in Arbitris. 4.

SUMMARIA

Si vel litigatores juraverint, se staturos sententiae, vel etiam simul, aut solus arbiter poscentibus partibus juraverit, se religiose judicaturum, standum semper est laudo. num. 1.
Limitatur. 2.
Quali actioni hic locus sit? 3.
Ratio decisionis. 4.

Princip. et §§. seqq. Summa est: Si vel litigatores juraverint, se staturos sententiae, vel e- 1
tiam simul, aut solus arbiter poscentibus partibus juraverit, se religiose judicaturum, standum semper est laudo, modo de jurejurando ex actis, sive instrumentis constet, ita ut actio
detur in factum, vel Condictio ex lege, vel in 2
rem utilis actio, si per laudum, seu sententiam 3
arbitri res adjudicata fuit. Decisionis rationem 4
in religione jurisjurandi, consistere planum est.

Auth. Decernit.

SUMMARIA

Prohibitum, ne per juramentum fiant compromissa. num. 1.
Si arbiter male judicaverit, doli poenam a Deo expectet. 2.
Si per ignorantiam, partes non obligabuntur firmiter. 3.
An juramentum hoc invalidum? 4.
Juris Civilis non est, impedire obligationem jurisjurandi. 5.
Limitatur. 6.
Si juramentum praestitum, potest praecise peti sententiae executio, nec requiritur aliqua homologatio, nec alter poenam offerendo liberatur. 7.
Jure Canonico in obligationibus facti non potest is, qui juravit, praestando interesse, se liberare. 8.
De juramenti arbitrio additi vi, remissive. 9.
Si quis subscripserit, se impleturum, vel daturum, licet nihil aliud additum, tali subscriptione subscribens confirmavit sententiam arbitri, et se ad observantiam adstrinxit. 10.
Subscriptio consensum arguit. 11.

Haec prohibet, ne per juramentum fiant com- 1
promissa, i. e. Ne arbiter juramento promittat, se juste arbitraturum, ne hominibus detur ansa perjurium committendi. Eadem ratio *in Auth.*
Sacramentum C. Quomodo mulier etc. Sed si 2
Arbiter male judicaverit, doli poenam a DEO
expectet; si per ignorantiam, partes non obli- 3
gabuntur firmius, quam si alias sine juramento obligatae fuissent. Quod vero nonnulli cum
Bart. juramentum hoc putent esse invalidum, 4
hoc, inspecto jure *Canon.* non admittimus; nam valere juramentum, non tantum ex eo apparet, quod juramentum hoc absque dispendio salutis aeternae servari possit, sed etiam ex *c.* 2. *X. h. t. et ibi Panorm. Guttierez de Juram. confirm. p.* 3. *c.* 14. *num.* 3. *Molina de J. et J.*
tr. 5. *disput.* 36. Juris enim civilis non est, im- 5
pedire obligationem jurisjurandi, cum hoc in Deum dirigatur, *c. Debitores* 6. *X. de jurejur.*
nisi in poenam alterius forte effectus juramen- 6
ti tollatur, ac alter ob delictum suum jus suum juramento quaesitum remittere cogatur.
Et, si juramentum praestitum, potest praecise 7
peti sententiae executio; nec requiritur aliqua homologatio, nec alter poenam offerendo libe-
ratur. Nam *jure Canon.* in Obligationibus facti 8
non potest is, qui juravit, praestando interesse, se liberare, per *c.* 6. *X. de voto,* quae communis est sententia, *Ant. Gomez. c.* 2. *resol.*

c. 2. num. 20. Covar. in c. quamvis de pact. l. 6. p. 1. §. 4. num. 6. Tuschus conclus. 527. lib. 1. Ant. Gabrielius lib. 2. Commun. concl. 8. tit.
9 *de jurejur.* De juramenti autem arbitrio additi, vi, plura habet *Molin. d. disp.* 36.
10 §. 6. *Final.* Loquitur de expressa confirmatione laudi per subscriptionem; Si quis subscripserit se impleturum, vel daturum, licet nihil aliud additum; nam tali subscriptione confirmavit sententiam Arbitri, et se ad observantiam
11 adstrinxit, cum subscriptio alias consensum arguat. Vid. *Menoch. de praesumpt. lib.* 3. *praes.* 66. *num.* 7. *et seq. Gabr. Rom. lib.* 1. *comm. concl. tit. de praesumpt. conclus.* 3. *num.* 28.

L. Cum antea. 5.

SUMMARIA

Ex arbitrio, si sine poena, et pignore partes compromiserint, datur non tantum exceptio doli, sed et actio, si partes subscripserint, vel silentio decem dierum confirmarint. num. 1.
Provisio hominis tollit provisionem legis. 2.
Si neutrum eorum, de quibus n. 1. *dictum, factum, nec actio actori, nec exceptio reo ex arbitrio datur, nisi per juramentum adsumptus sit.* 3.
Duo casus, in quibus arbitrium, seu laudum etiam citra juramentum vim sententiae judicialis habet. 4.
Arbitri juris ex vi legis, vel statuti arbitrari debent. 5.
Arbitrorum compromissariorum duo genera. 6.
DD. *notantur.* 7.
Quamdiu arbitrorum, et arbitratorum decisiones ad arbitrium boni viri reduci queant? 8.
Praxis Camerae. 9.
Litium utique finis esse debet. 10.
Si enormis laesio ex arbitri pronunciato exurgat, non videtur negandum beneficium l. 2. C. de rescind. vend. 11.
Omnia remedia, quae contra transactionem dantur, dantur etiam contra compromissum. 12.
Compromissum per modum transactionis fit, et sustinetur. 13.
Executio laudi pertinet ad judicem ordinarium rei. 14.
Per citationem arbitri interrumpitur praescriptio longissimi temporis, quae currit ob negligentiam non petentis. 15.
Per litis contestationem interrumpitur praescriptio longi temporis. 16.
Item, quando ipsum negotium ab arbitro tractatum est. 17.
Arbitria ad similitudinem judiciorum sunt redacta. 18.
Arbiter a superiore etiam constitutus, ut secundum aequitatem pronunciaret, tenetur exceptionem praescriptionis attendere. 19.
Acta coram judice ordinario inducunt notorium. 20.
Allegari possunt in aliis judiciis. 21.
Idem est in actis coram arbitro. 22.
De quibus actis hoc intelligendum? 23.
An acta in judicio possessorio probent etiam in petitorio? 24.
An arbiter sententiam ferre cogatur? 25.

Ex arbitrio, si sine poena, et pignore partes 1
compromiserint (nam alias provisio hominis tol- 2
lit provisionem legis) datur non tantum Exceptio doli, sed et actio, si partes subscripserint,
vel silentio decem dierum confirmarint, *Auctor* 3
in l. 2. ff. h. t. num. 1. Sed si horum neutrum factum, nec actio actori, nec exceptio reo, ex arbitrio datur, nisi per juramentum assumptus
sit. Collige ergo duos casus, in quibus arbitrium, 4
seu laudum, i. e. sententia arbitri etiam citra juramentum vim sententiae judicialis habet: Unus casus est *in hac lege*; alter *in §. fin. leg. prae-*
ced. Quia autem *DD.* praeter Arbitros juris, 5
qui ex vi legis, vel statuti arbitrari debent, duo
faciunt Arbitrorum compromissariorum genera, 6
alios enim Arbitros, alios Arbitratores vocant: Hos nonnulli vocant, qui servato juris ordine;
illos, qui nullo ordine juris procedunt. Vid. *Sa-* 7
lyc. hic num. 9. *et Gail. l.* 1. *obs.* 150. Sed hos refutat *Molina d. tract.* 5. *disp.* 30. *num.* 3. *et seqq.* Alii distinguunt ex *l.* 76. *ff. pro socio*, ut Arbitrator is sit, cujus laudum ad arbitrium boni viri reduci possit: Arbiter autem, cujus sententiae standum est, sive aequum, sive iniquum dixerit; quae mea opinio, ut dixi supra; Ideo
Quaeritur: *quamdiu Arbitrorum, et Arbitratorum* 8
decisiones ad Arbitrium boni viri reduci queant? Et quamvis nonnulli putent ad triennium usque hanc reductionem laudi arbitratoris peti posse,
quam sententiam etiam Cameram secutam esse 9
refert *Gail. de obs.* 150. *num.* 2. *Auctor in l.* 2. *ff. h. t. num.* 2. verius tamen est, intra decendium eam peti debere, quia verba legis
hujus generaliter sonant, et debet utique litium 10
esse finis, *Molin. d. tr.* 5. *disp.* 38. *num.* 4. *The-*
saurus l. 1. *q.* 82. *num.* 7. Si tamen enormis lae- 11
sio ex arbitri pronunciato exurgat, non videtur negandum beneficium *l.* 2. *C. de Rescind. vend.*
quia omnia remedia, quae contra Transactio- 12
nem dantur, dantur etiam contra compromis-
sum, cum hoc fiat, et sustineatur per modum 13
Transactionis, *Dec. cons.* 60. *num. fin. Maranta p.* 4. *dist.* 14. *in fin. Myns. Cent.* 1. *obs.* 33.
Colligitur ex hac lege: Executionem laudi, seu 14
sententiae, ut ita loquar, ab arbitro latae pertinere ad judicem ordinarium, et quidem judicem rei, *Godofr. ad hanc l. Molin. d. tr.* 5. *disp.* 45. *num. fin. Barbos. hic num.* 11. *Auctor in d. l.* 2. *ff. h. t. num.* 2.

§. 1. Per citationem Arbitri interrumpitur 15
praescriptio longissimi temporis, quae currit ob negligentiam non petentis: qui enim arbitrum adit, et citationem impetrat, omnino negligens dici non debet, imo laudandus potius, quod debitum suum modestius petat. Sic ergo, sicut
per litis contestationem interrumpitur praescri- 16
ptio longi temporis, de quo *Gail. l.* 1. *obs.* 74. *Berlich. part.* 2. *conclus.* 9. *num.* 23. *et seqq. et Rauchbart. p.* 2. *q.* 28. ita etiam, quando
ipsum negotium ab arbitro tractatum est, in- 17
terrumpitur praescriptio longi temporis, cum
arbitria ad similitudinem judiciorum sint redacta, 18
nisi in jure differentia exprimatur, *Auctor in*
l. 1. *ff. h. t. num.* 1. Et Arbiter a superiore 19
etiam constitutus, ut secundum aequitatem pronunciaret, tenetur tamen Exceptionem praescriptionis attendere, *Gilken. de praescr. p.* 1. *num.* 58. *et seqq.*

§. 2. Sicut acta coram Judice ordinario indu- 20
cunt notorium, et allegari possunt in aliis ju- 21

22 diciis, ita etiam acta coram Arbitro. Sed hoc
23 intellige de actis probatoriis, quae respiciunt instructionem, et merita causae, ea enim etiam in judicio ordinario probant: Sed quae non respiciunt merita causae, sed judiciorum ordinem, ea non probant in alio judicio, quia alius ordo arbitriorum, alius judiciorum, sicut ita dissidentes opiniones conciliat *Mascard. de prob. concl.* 33. *num.* 8. *et seq.* Ex hac lege colligere vult *Carpz. p.* 1. *constitut.* 16. *def.* 22. acta in
24 judicio Possessorio probare etiam in Petitorio, cum *Guid. Papae dec.* 136. *num.* 2. quod quidem negat *Mascard. d. concl.* 33. *num.* 32. Sed opinio *Guidonis Papae, et Carpzov.* in terminis habilibus accipienda, quando acta in possessorio simul afficiunt, et concernunt proprietatem, et dominium, saltem per indirectum, vel quando alias controversia incidens in petitorio, ex actis in possessorio, probanda, et ita sententia *Carpzovii* omnino defendi, et cum *Mascardo* aliisque Doctoribus conciliari potest. Caeterum
25 an etiam Arbiter sententiam ferre cogatur? vide *Auct. in l.* 11. *ff. h. t. num.* 2. *l.* 13. *ff. eod. num.* 5. *l.* 15. *eod.*

L. Sancimus. ult.

SUMMARIA

Mulieres ab arbitriis removentur. num. 1.
Qui judex esse nequit, nec potest esse arbiter. 2.
Limitatur. 3.

Haec lex ab arbitriis mulieres removet. Ratio in pudore sexus, *l.* 2. *ff. de R. J.* Collige: 1
Eum, qui Judex esse nequit, nec posse Arbitrum, qua de re vid. *Molin. d. tract. disp.* 39. 2
Borell. de Compromissis §. 2. *gl.* 4. *num.* 12. *et M. Ant. Blancus de compromiss. quaest.* 2. Sed hoc limitant, quorum una limitatio est ex *c.* 3
quintavallis X. de jurejur. et ibi Panorm. et DD. et Molina d. Disp. 39. *num.* 4. scil. quod mulier arbitratrix esse possit, ubi non proceditur secundum judiciarium ordinem. Aliter limitat *Blancus* ubi tractatur de negotio concernente animi salutem, ubi non curantur apices juris, *Blancus d. l. num.* 39.

TITULUS LVII.

De Satisdando.

L. Non est unic.

SUMMARIA

Quatenus Procurator actoris de rato satisdare non cogatur? num. 1.
Hodie procuratores non satisdant, nisi mandatum sit dubium. 2.
Procurator tunc immunis est, quando principalis, si ipse litigaret, satisdare non tenetur. 3.
Quid si dominus revocaverit mandatum ante litem contestatam? 4.
Post litem contestatam, non licet cognitione causae revocare mandatum. 5.
Procurator debet satisdare de actore defendendo in reconventione. 6.
Quatenus hanc cautionem praestet? 7.
Procurator rei satisdare debet judicatum solvi. 8.
Dominus sine Procuratore actionem excipiens, cavet judicio sisti. 9.
Hodie non opus est ulla cautione, si reus est possessionatus. 10.
De satisdatione Personarum Principalium. 11.

1 Agit I. de Procuratore Actoris, quod is satisdare de rato non cogatur, si mandatum actis sit insinuatum, vel ipse Dominus praesens in judicio ipsum confirmaverit, *hic et* §. 3. *Inst. h. t.* Ratio est: quia ipse Dominus promisit in actis, se ratum habiturum; et cum clausula de rato omnibus mandatis hodie inseri soleat, ideo ho-
2 die de consuetudine notoria Procuratores non satisdant, nisi mandatum sit dubium, per *l.* 1. *C. de Procurat. Gilhaus c.* 5. *ramusc.* 5. *num.* 3. Et Procurator tunc immunis, quando principalis, si ipse litigaret, satisdare non tenetur, 3
Hillig. in Donell. l. 23. *c.* 9. *lit. G.* Quid si vero Dominus revocaverit mandatum ante litem 4
contestatam, per *l.* 16. *ff. de Procurat.* Resp. Judici, et parti adversae id non praejudicare, si scil. revocatio fiat ignorante Judice: nam tunc tenet judicium per *c. mandatum* 13. *X. de Procur.* Secus, si sciat Judex, nihilominus pergat, ipso jure acta sunt nulla. Ideo autem de revocatione ante litem contest. sermo, quia post litem contest. non licet sine cognitione causae re- 5
vocare mandatum, *L. Post litem* 17. *ff. de Procur. ibiq. Auctor et leg.* 22. *C. eod. Gail. lib.* 1. *obs.* 46. *num.* 8. *et seq. Myns. Cent.* 5. *obs.* 41. nisi justa accedat causa, *Auctor in d. l.* 16. *num.* 1. Sed Procurator tamen debet satisda- 6
re de actore defendendo in Reconventione per *l.* 33. §. 3. *ff. de Procur.* quam tamen cautionem praestat, non quatenus Actoris, sed re- 7
conventi, et sic rei Procurator, *Bacchov. in Treutl. vol.* 1. *disp.* 5. *th.* 4. *in fine* II. De Procuratore Rei; debet enim satisdare judicatum 8
solvi vel ipse, vel Dominus, §. 1. *Inst. de satisdat.* Si autem ipse excipiat actionem, sine Procuratore, tantum cavet judicio sisti, de quo 9
Treutl. et Bacch. d. th. 4. *lit. B.* Plane cum hodie in mandatis caveant de rato, et bona sua 10
obligent, non opus est ulla cautione, si Reus est possessionatus, per *l.* 15. *ff. Qui satisdare.* Sed si non possessionatus, cavet Reus, vel Procurator. De satisdatione personarum Principalium 11
hic non agitur, sed *tit. eod. in Inst. et Auth. Generaliter supra de Episcop. et Cler.*

TITULUS LVIII.

De Formulis, et Impetrationibus actionum sublatis.

L. Juris. 1. et L. Nulli. 2.

SUMMARIA

Sublata necessitas impetrandae formulae a Praetore. num. 1.
Formularum olim tanta necessitas, ut, qui in syllaba errabat causa caderet. 2.
Sublata necessitas impetrandae actionis. 3.
Libellus aptus continere debet intentionem actoris. 4.
DD. *notantur.* 5.
Item Perezius. 6.

1 L. I. Tollitur necessitas impetrandae Formu-
2 lae a Praetore, cujus tanta erat necessitas, et fere superstitio, ut, qui in syllaba errabat, causa caderet. L. II. Tollitur necessitas impetran- 3
dae Actionis, sed sufficit, si actio apta proponatur, seu libellus aptus, qui continere debet 4
intentionem Actoris, de quo *Wesemb.* ϖ. *in tit.* 5
de Edendo num. 8. *Petr. Greg. lib.* 43. *Synt. c.* 2. *num.* 9. *Covarr. in c. Possessor p.* 2. §. 6. *num.* 4. et qui tantum mutationem accidentalem hic fingunt, Imperatori in os contradicunt, ut ait *Hill. in Donell. l.* 19. *c.* 1. *lit. D. p.* 443.
sicut et ipse *Perezius hic*, qui quod hodie con- 6
fuse, et multis adhibitis calumniis sine arte procedatur, his constitutionibus vult acceptum referre. Sed male, nam in his Formulis eum, qui vel in Syllaba erraret, causa cecidisse decantatum est, quo nihil est iniquius, ideoque talia verborum aucupia, et per ambages impetratae actiones, merito abrogatae.

TITULUS LIX.

De Jurejurando propter Calumniam.

L. In omnibus. 1.

SUMMARIA

In omnibus Causis Civilibus, quando probationes exiguntur, jurari debet de calumnia. num. 1.
Secus est in Criminalibus. 2. 4.
In Criminalibus aliquid dare, et sanguinem suum redimere licet. 3.
Quatenus num. 2. *dicta procedant?* 5.
Conciliantur dissidentes opiniones. 6.
In causis notoriis facti permanentis, item in confessis debitis, jurisque quaestionibus de calumnia non juratur. 7.
Ubicumque non opus est probatione, ibi juramento calumniae locus non est. 8.
Sicut et in iis, quae celerem expeditionem requirunt. 9.
Quid hic jurandum? 10.
Loquitur haec lex de juramento calumniae speciali. 11.
Juramentum calumniae speciale in singulis litis partibus praestari poterat. 12.
Huic tamen derogatum. 13.
Locus nihilominus tamen adhuc huic juramento est, si quis ante litem contestatam quid neget. 14.
Servi contra Dominum torqueri non possunt. 15.
Ad eruendas vires haereditatis possunt torqueri. 16.
Praestito prius ab actore juramento, se non odio servorum, vel ipsius domini hoc petere. 17.
Idem obtinet in casibus, ubi testes torqueri possunt. 18.
Infamis, aut vacillans testis torqueri potest. 19.
Jurare debet producens tales testes, alias probationes se non habere, quam per ea testimonia. 20.

Princ. In omnibus causis Civilibus (non tamen 1
Criminalibus, quia in Criminalibus aliquid dare, 2
et sanguinem suum redimere licet, *argum. l.* 3
1. *ff. de Bon. eor. qui mort. etc.* Ergo per *Au-* 4
th. Principales h. t. jusjurandum hoc salva conscientia praestari non potest, *Obrecht. de jurament. calumn. c.* 8. *num.* 9. *et seq.* quod tamen 5
proprie de Capitalibus, et Reo, non actore est intelligendum, *Ummius ad Process. disput.* 12. *num.* 44. Dissidentes opiniones, quas vide apud 6
Clarum §. *fin. qu.* 18. *Setserum de juram. l.* 3. *c.* 1. *num.* 8. *Berlich. p.* 1. *conclus.* 31. *num* 27. conciliari possunt, ut Rei Capitalium criminum non possint compelli ad jurament. Calumn. secus in non Capitalibus, et de actoribus, sive accusatoribus. *Conf. Perez. hic num.* 6.) jurari debet de Calumnia, quando scilicet probationes exiguntur: Ergo non in Notoriis facti permanen- 7
tis, nec in Confessis debitis, nec in Quaestionibus juris. *Vid. Camill. Borell. tom.* 1. *decis. tit.* 51. *num.* 58. ubicumque enim non opus est proba- 8
tione, ibi juramento calumniae non est locus, *Bald. et Castr. hic num.* 1. *Gilmar.* 2. *rer. judic. decis.* 11. *num.* 20. *Obrecht. de jurament. calumn. c.* 8. *num.* 24. sicut et in iis, quae ce- 9

lerem expeditionem requirunt, *Gail. lib. 1. obs.*
10 6. *num.* 3. *Obrecht. d. l.* Et id jurandum, se
non differendae litis causa postulare probatio-
11 nem. Et sic loquitur *haec lex* de juramento ca-
12 lumniae speciali, quod in singulis litis partibus
13 poterat praestari; Sed huic derogatur *in Auth.*
14 *seqq.* Verum ante litem contestatam, si quis
quid neget, omnino adhuc juramento huic spe-
ciali locus est.
15 §. 1. Licet servi contra Dominum torqueri non
possint, *l.* 8. *C. de Testib.* ad eruendas tamen
16 vires haereditatis possunt torqueri, *l. ultim. C.*
17 *de Quaest.* Sed Actor prius juramentum prae-
stare debet, se non odio servorum, vel ipsius
18 Domini hoc petere. Idem dicendum de iis casi-
bus, ubi testes torqueri possunt, v. g. si infa-
19 mes sint, aut vacillent; nam jurare debet pro-
20 ducens tales testes, se non alias probationes ha-
bere, quam per ea testimonia, *Bald. hic n.* 5.

Auth. Hoc Sacramentum.

SUMMARIA

Jusjurandum Calumniae speciale ante litem contestatam deferri poterat super singulis exceptionibus, et post litem contestatam super petita probatione aliquoties. num. 1.
Posterius hoc correctum. 2.
Sufficit juramentum calumniae generale initio litis praestitum. 3.
Prius incorrectum mansit, vix tamen observatur. 4.
Si praesumptio calumniae militet contra petentem torturam, etiam post litem contestatam locus est huic juramento speciali. 5.
Casus alii, in quibus hodie etiam locum habet juramentum calumniae speciale. 6.
Juramentum calumniae generale se extendit ad omnes articulos litis. 7.
In appellatione etiam juramentum calumniae deferri potest. 8.

1 Jusjurandum Calumniae speciale ante litem con-
testatam deferri poterat super singulis exceptio-
nibus, et post litem contestatam, super petita
2 probatione aliquoties. Hoc posterius corrigit *haec*
3 *Authent.* dicitque, sufficere juramentum calu-
4 mniae generale initio litis praestitum: prius igi-
tur mansit incorrectum, quod scil. ante litem
contest. possit juramentum calumniae toties quo-
ties exigi, quamvis hoc vix observetur, imo e-
tiam interdum post litem contest. si praesum-
5 ptio calumniae militet contra petentem v. g.
torturam, in hoc negotio maxime praejudiciali
speciale adhuc locum habere dixerim cum *Ca-*
6 *str.* Negandum etiam non est, ante, vel post li-
tem contest. in quibusdam casibus specialibus
juramentum Calumn. adhuc deferri, ut in ju-
ramenti delatione, instrumentorum editione,
comparatione litterarum, et, ut instrumentum
semel probatum falsi arguere liceat, item, ju-
ram. dandorum, et respondendorum, in quibus
casibus juramentum Calumn. speciale locum
habet etiam hodie, *Donell. l.* 21. *c.* 13. *et Car-*
pzov. p. 1. *const.* 12. *def.* 20. Alias autem, ju-
ramentum illud generale se extendit ad omnes 7
articulos litis, quamvis in Appellatione juramen- 8
tum Calumniae etiam deferri possit, *c. pen. in pr. de juram. calumn. in* 6. Licet enim sit eadem res, causa, et persona, opinio tamen personae ex actis melius instructae potest mutari, *Scacc. de judic. l.* 2. *c.* 1. *num.* 166. *et seq. Delrio de juram. Calumn. cap.* 19. *num.* 81. *Ant. Rosellus in repet. c. si autem* §. *postmodum caus.* 2. *q.* 7. *num.* 2. *et* 3.

L. Cum et judices. 2.

SUMMARIA

Quis de calumnia jurare debeat? num. 1.
Advocati, qui ad omnes causas generale juramentum praestant, de calumnia non jurant. 2. 4.
Si Advocatus initio non juraverit, potest in eo judicio, ubi causa agitur, compelli ad jusjurandum calumniae praestandum in singulis causis. 3.
Limitatur. 5.
Quid juret actor? 6.
Quid reus? 7.
Quo tempore praestandum juramentum calumniae? 8.

Principio: Dicitur, I. Quis jurare debeat, scil. 1
Actor, et Reus, (exemplo Judicum) et Advoca-
tus, quod tamen, quando Advocati ad omnes 2
causas generale juramentum praestant, in usu
esse desiit, quamvis si Advocatus initio non ju- 3
raverit, in eo judicio, ubi causa agitur, com- 4
pelli possit ad hoc jusjurandum praestandum
in singulis causis, ut a Consiliariis Brunsvic. ju-
dicatum scio, quod a nostro Collegio fuit ap-
probatum. Secus autem in Ordinariis, et Nume- 5
rariis, qui ab initio juramentum praestiterunt, *Sichard. in l.* 2. *num.* 1. *h. t. Donell. lib.* 24. *cap.* 3. *et Hillig. ib. lit. Q. Ummius disp.* 12. *ad Process. num.* 33. quod tamen de judiciis, ubi ordinarie proceditur, et non summarie, intellectum velim, nam de consuetudine non videmus in judiciis Advocatos compelli ad juramentum calumniae, licet jurati non sint. II. quod
juret Actor scil. non calumniandi animo litem 6
se movisse, sed existimaret se bonam causam
habere: Reus juret, quod putans, se bona in- 7
stantia uti, ad reluctandum, i. e. defenden-
dum pervenerit. III. Quo tempore, scil. initio 8
litis. Sufficere autem putant, si post litem contestatam praestetur, *Sets. de Juram. p.* 3. *c.* 9. *num.* 6. *et seqq.* quod tamen limitandum, nisi suspicio calumniae adsit; *c.* 2. §. *ult. de Juram. calumn. l.* 6. aut ante litem contestatam appareat, Reum diverticula pro more quaerere: nam tunc ante litem contestatam deferri posset, *Sichard. ad Rubr. h. t. num.* 1. *Hillig. in Donell. l.* 24. *c.* 3. *lit. H.* ideoque praestaret, initio litis motae, antequam Reus respondeat, vel excipiat, hoc juramentum deferre, cum in ipsis dilatoriis, et in ipsa litis contestatione saepe Rei calumnientur.

Auth. In isto. et Auth. Principales. seq.

SUMMARIA

Duo secundaria jurisjurandi calumniae capitula. num. 1.
Primaria versibus inclusa. 2.
Actor de calumnia jurare nolens causa cadit, reus pro confesso habetur. 3.
Praecedente tamen sententia contumaciae declaratoria. 4.
Mora hic purgari potest usque ad sententiam. 5.
Contumacia Procuratoris Domino non nocet. 6.
Idem in tutorum, ac praelatorum contumacia. 7.
Haeres etiam litigatoris tenetur jurare de calumnia. 8.
Qui ad judicem venire impeditur ob dignitatem, vel sexum, potest juramentum praestare coram missis a judice, praesente adversario, vel etiam coram alio judice, ubi degit. 9.
Praestandum juramentum hoc etiam a tutoribus, et curatoribus, aliisque administratoribus legitimis. 10.
Idem si habeant notitiam causae, in animam suam tantum jurant. 11.
Quod juramentum tantum est credulitatis, non veritatis. 12.
Qui agit per procuratorem, vel excipit, debet ipse de calumnia jurare coram loci judice, ubi degit. 13.
Ratio. 14.
Exceptio 1. *est in Procuratore in rem suam.* 15.
Hodie hoc juramentum praestatur in animam domini. 16.
Limitatio. 17.
Exceptio 2. *est in Procuratore Fisci.* 18.
Potest judex ipsum principalem citare ad praestandum hoc juramentum calumniae. 19.
Limitatio. 20.
Laude digna sunt statuta, quibus partes ipsae jubentur praestare juramenta. 21.
Tale statutum in Curia Elect. Lips. 22.
Remitti non potest hoc juramentum. 23.
Ratio. 24.
Limitatio. 25.
Probatio ejusdem per textum, et rationem. 26.
Consuetudo optima legum interpres. 27.
Juramentum calumniae petitum est de substantia judicii. 28.
Limitatio. 29.
Et tunc ejus omissio vitiat processum. 30.
Etiam in summariis causis hoc juramentum locum habet. 31.
Sicuti etiam juramentum dandorum. 32.
Limitatio. 33.
Si quis cum cautione de rato alterius causam agit, intra certum tempus ipsum repraesentare debet, ut juret de calumnia. 34.
Collegio litigante, maxima pars ejus juramentum hoc praestat. 35.
Vel potius seniores collegii, et qui conscientiam negotii habent. 36.
Poena actoris nolentis jurare de calumniis. 37.
Poena rei nolentis jurare de calumniis. 38.
Ad utramque necessaria sententia judicis. 39.
Limitatio 1. *regulae, quae in* §. 6. *et* 7. *et sic praeced. num.* 37. *habetur.* 40.
Limitatio. 2. 41.
Quae non est indubitabilis. 42.
Propter rationem adductam. 43.
Limitatio 3. 44.
Ratio hujus. 45.
Limitatio 4. 46.
Ratio ejusdem. 47.
Limitatio 5. 48.
Si in duplica, vel triplica postulatum sit juramentum, et alter non expresse acceptet, sed negligat, poenae locus non est. 49.
Ratio. 50.
Juramento calumniae simile est, quod de positionibus habetur. 51.
Nolens respondere positionibus mediante juramento habetur pro confesso, et causa cadit. 52.
Modo concurrant 4. *requisita.* 53.
In causa famosa jurare nolens infamis fit. 54.
Poenae hae omnes cessant, si quis habeat justam recusandi causam. 55.
In §. 8. *commendatur utilitas hujus juramenti.* 56.
Per illud lites, et calumniae minuuntur. 57.
Ratio. 58.
Judex nemine petente id exigere potest. 59.
Justinianus spe sua frustratus. 60.
Hodie potius de committenda, quam fugienda calumnia juratur. 61.
Juramentum hoc calumniae in Foro Saxon. non inutiliter abrogatum putat Carpzov. 62.
Rationes ejus. 63.
Ad quas tamen respondet Auctor. 64.
Juramenta specialia calumniae majoribus litibus, et litium sufflaminationibus occasionem praebent. 65.
Nec passim, nec unquam hoc admittendum, quod per constitutionem Principum definiri potest. 66.
Judex ex officio etiam hoc juramentum invitis partibus deferre potest. 67.
In §. 9. *ad pendentes causas haec l. extenditur.* 68.
Si una partium absens est, non expectanda est praesentia ipsius, sed lis continuanda sine juramento calumniae. 69.
Ratio. 70.

Sequentes duae Authenticae, secundaria quaedam capitula jurisjurandi proponunt; Debet enim litigator jurare, quod I. Nullam non necessariam probationem exigere velit. II. Quod nihil judici ullo modo sit daturus, saltem per intermediam personam, vel quid promissurus. Memoriae gratia notentur versus: 1 2

Illud juretur, quod lis sibi justa videtur,
Et si quaeretur, verum non inficietur,
Nil promittetur, nec falsa probatio detur,
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Part. 1. *Ordinat. Camerae tit.* 63. *Ant. Delrio de jurament. Cal. c.* 2. *Umm. ad process. disp.* 12. *th.* 11. *num.* 49. Caetera, quae in *Auth.* hac habentur, in lege sequuntur; Notetur tamen poena nolentis jurare de calumnia, quod actor 3
causa cadat, reus ut confessus condemnetur, *Auth. hac* §. 5. *et seq.* §. 6. ut tamen sententia declaratoria, qua aliquis contumax declaratur, 4
praecedat necesse est, *per d.* §. 6. ibi *cadat. Gail. l.* 1. *obs.* 86. *num.* 1. Mora autem purgari 5
potest usque ad sententiam, *Gail. d. l. num.* 2. *et seq. Obrecht. de jur. Cal. c.* 12. *num.* 19.

et seqq. Ant. Delrio de jur. Calumn. c. 12.
6 *num.* 9. Contumaciam vero Procuratoris Domi-
no non nocere volunt *Gail. l.* 1. *obs.* 89. *num.*
2. *et seq. Obrecht. c.* 12. *num.* 23. *Ant. Delrio*
7 *num.* 13. Idem in Tutorum, ac Praelatorum
contumacia, *Ant. Delrio num.* 11. *et seq.* Hae-
8 res etiam litigatoris tenetur jurare de calumnia
per *Auth. Principales, de quo Obrecht. cap.* 5. *n.* 9.
9 §. 1. 2. et 3. Qui ad Judicem venire impeditur
ob dignitatem, vel ob sexum, potest juramen-
tum praestare coram missis a Judice, praesen-
te Adversario, vel etiam coram alio Judice, ubi
10 degit. Hoc Juramentum etiam a Tutoribus, et
Curatoribus, aliisque administratoribus legitimis
praestandum, *Auctor in l.* 4. *ff. de in lit. Jur.*
num. 2. quia illi scientes causam ad litem per-
veniunt, non pupilli. Et Administratores illi le-
gitimi, de quibus *in hac l.* 2. § 2. agitur, ut
Oeconomi Ecclesiarum, Tutores, Curatores, et
11 sim. si habent notitiam causae, in animam su-
am tantum jurant, *arg. d. C.* 3. *X. h. t. Scacc.*
d. l. 2. *de Judic. c.* 1. *num.* 207. et quos allegat
ad Donell. Hillig. d. l. 24. *c.* 3. *lit. L. Delrio*
12 *d. tr. cap.* 5. *num.* 118. Et hoc est juramentum
tantum Credulitatis, non Veritatis, in verb. *quod*
13 *quisque credit, et existimat.* Si autem aliquis per
Procuratorem agit vel excipit, debet ipse de ca-
lumnia jurare coram loci judice, ubi degit, quia
14 principalis suam causam, et ejus merita melius
scire praesumitur, quam Procurator, et iniquum
videtur, de alieno facto aliquem jurare, *l. ju-*
15 *rare ff. de Act. Rer. Amot.* Sed aliud in Pro-
curatore in rem suam, *Obrecht. c.* 6. *num.* 11.
16 Sed hodie receptum, praestari hoc juramentum
in animam Domini, *c. ult. lib.* 6. *h. t. Gail. l.*
1. *Observ.* 83. *Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 13. *Berl. p.*
17 1. *concl.* 31. *num.* 14. si habeat speciale man-
18 datum, *Berl. d. l. num.* 16. idem in Procurato-
re Fisci, *Gail. d. obs.* 83. *num.* 2. *et seqq. Sets.*
19 *d. tr. l.* 3. *c.* 5. *num.* 4. *seq.* Potest tamen Ju-
dex ipsum principalem citare ad praestandum
20 hoc Juramentum calumniae, si ei causa notior,
arg. c. 3. *X. de Juram. calumn. Hillig. d. c.* 3.
lit. K. Ant. Delrio, d. tr. cap. 15. *num.* 113.
21 Et laudanda talia statuta, quibus partes ipsae
jubentur praestare Juram. quale in Curia Elect.
22 Lipsiensi esse tradit *Setser. d. tr. c.* 5. *num.* 9.
23 §. 4. Remitti prohibetur hoc juramentum,
24 quia pro communi utilitate exigitur, (Et alias
25 remitti videtur dolus futurus) expresse scilicet,
tacite enim remitti potest, *arg. l.* 31. §. 4. *ff.*
de Jurejur. et l. 5. §. 14. *ff. de Operis Nov.*
Nunt. C. 1. *de jur. Cal. lib.* 6. *Gail. lib.* 5.
observ. 84. *in princ. Borell. d. l. num.* 11. *Pru-*
26 *ckm. vol.* 1. *cons.* 38. *num.* 23. Eaque sententia
probatur *arg. c.* 1. §. *propter lib.* 6. *h. t.* et quia
simpliciter de substantia Judicii non est, eaque
infinitis exemplis processuum probari potest: con-
27 suetudo autem optima legum interpres. Vid.
28 *Scacc. d. cap.* 1. *num.* 49. Si autem petitum, sci-
29 licet specifice, et non in angulo exceptionis, *The-*
saurus l. 1. *quaest.* 40. tunc est de substantia
Judicii, *Scacc. d. l. num.* 68. *et seq. Hill. d. c.*
3. *lit. P. Delrio d. tr. cap.* 12. *Speckhan. Cent.*
30 2. *et* 4. *qu.* 19. *et Gail. d. l.* et ejus omissio
vitiat Processum, *Borell. d. tit.* 51. *num.* 9. *Scac-*
cia l. 2. *de Judic. c.* 1. *num.* 49. *Gail. d. l.* Et
31 ex hoc §. probant etiam in summariis causis
hoc juramentum locum habere, v. g. matrimo-
nialibus, *Dn. Mev. p.* 4. *dec.* 108. ex quo pro-
32 bat, etiam juramentum dandorum ibi locum ha-
bere. Sed illud admitto, nisi consuetudine aliud 33
receptum.
§. 5. Si quis cum Cautione de Rato alterius 34
causam agit, intra certum tempus ipsum re-
praesentare debet, ut juret de Calumnia, si au-
tem Collegium aliquod litiget, maxima pars id 35
praestabit, *hoc* §. 5. vel Sindicus, *Berl. p.* 1. *con-*
cl. 31. *num.* 23. *arg. c.* 4. *X. h. t.* vel potius
per Seniores Collegii, et qui scientiam negotii 36
habent, *Arg. hujus* §. *Sets. d. c.* 3. *num.* 44.
§. 6. Ponit poenam Actoris nolentis jurare de ca- 37
lumnia, scilicet, ut causa cadat, et a judicio repel-
latur. Vid. Princ. *d.* §. et quod supra praenotavimus.
§. 7. Continet poenam Rei, ut habeatur pro 38
confesso. Ut tamen Actor causa cadat, Reus pro 39
confesso habeatur, necessaria est sententia judi-
cis, *Gail. l.* 1. *Obs.* 86. Sed haec Regula, quae 40
in §. 6. *et* 7. habetur, declaranda est: I. Ut in-
telligatur in puncto illo, in quo quis detrectat
juram. Calumn. si enim in puncto incidente, vel
emergente resultet jurare de calumnia, non to-
ta causa cadit, nec in toto negotio pro confesso
habetur, sed tantum in illo puncto, *Scacc. d.*
c. 1. *num.* 88. *Gail. l.* 1. *obs.* 87. et ideo idem
in juram. malitiae, *Obrecht. d. tr. c. ult. num.*
ult. II. Requirunt, ut juramentum illud defera- 41
tur post litem contestatam; si enim ante defe-
ratur, non habendus est pro confesso Reus,
quia ante litem contest. ad sententiam definiti-
vam pervenire non possumus. Verum non puto, 42
hanc indubitabilem esse sententiam, nam in §.
6. dicitur, Actorem non debere ad litem per- 43
venire, ergo de lite nondum contestata loqui-
tur, et in §. 7. de narratione in libello facta
sermo est. III. Declarant, ut in causis Spiritua- 44
libus Reus pro confesso habeatur in praejudi-
cium suum, non vero in commodum actoris,
ne detur occasio vitiosi ingressus ad benefi- 45
cia, *Scacc. d. c.* 1. *num.* 150. IV. Ut non ha- 46
beat locum in Criminalibus, cum ibi probatio- 47
nes oporteat esse clariores, *Scacc. d. C.* 1. *num.*
160. V. demum nec locum habere, si moram 48
purgaverit, et ante declaratoriam sententiam
praestet, et interesse solvat, *Scacc. d. l. num.* 101.
Delrio c. 14. *num.* 166. *et c.* 21. *num.* 9. *Gail.*
l. 1. *obs.* 86. *num.* 2. *Setserus d. l.* 3. *cap.* 8.
num. 4. quod si tamen in duplica, vel triplica 49
postulatum sit juramentum, et alter non expres-
se acceptet, sed negligat, non puto poenae lo-
cum esse, cum iste pro recusante haberi ne- 50
queat, *Sets. d. C.* 8. *num.* 15. Simile est jura- 51
mentum, quod de positionibus habetur, quod
scil. nolens respondere positionibus mediante 52
juramento, habeatur pro confesso, et causa ca-
dat, *C.* 2. *de Confessis lib.* 6. *part.* 3. *Ord. Cam.*
tit. 55. Sed ad hoc requiruntur haec: 1. ut positio- 53
nes ipsi fuerint communicatae. 2. ut fuerit jus-
sus respondere. 3. ut justam causam recusandi
non habeat, et 4. ut contumax per sententiam
fuerit declaratus, *Mascard. vol.* 3. *de probat.*
Concl. 1183. *num.* 69. *et alii.* Et exinde conclu-
dunt, in causa famosa, si quis jurare nolit, infa- 54
mem fieri, *Frecher. de infam. c.* 8. *num.* 24.
et c. 12. *num.* 9. Ideo poenae hae cessant, si 55
quis habeat justam causam recusandi, v. g. si
actorum copiam impetrare non potuit, *Camill.*
Borell. l. 1. *Decis. tit.* 51. *num.* 59.
§. 8. Commendat utilitatem hujus juramenti, 56
putat enim Imperator ita lites, et calumnias mi- 57
nui (quamvis nonnulli eas augeri existimat,) quia
ita partes sibi persuadebant, se quasi in locis 58

sacris versari, et Deum ipsum judicare, et ideo
59 Judex nemine petente id exigere potest, *DD.*
allegati ab Hillig. in Donell. l. 24. *cap.* 3. *lit. P.*
60 *arg. hujus legis.* Sed, o Justiniane, quam spe tua
es frustratus! Jam diu conquesti sunt JCti, hodie
61 potius de committenda, quam fugienda calu-
62 mnia jurari. Et ideo in foro Saxon. abrogatum
esse, in propatulo est, quam recte, alii judi-
cent. Utile sane id esse putat *Dn. Carpz.* quia
63 1. plerique pejerare solent. 2. Viri boni absti-
neut a foro, et 3. quandoque speciali juramen-
to calumniae locus est; sed his rationibus posset
quis respondere, primum, et secundum experi-
64 entia refutat. Videmus enim, a temerariis litigiis
per hoc homines deterreri: provoco ad Tribu-
nalia; et si secunda ratio aliquid inferret, omnia
juramenta ex Judiciis eliminanda: et tertia non
est universalis; et haec specialia juramenta ma- 65
joribus litibus, et litium sufflaminationibus occa-
sionem praebent. Et ideo media sententia forte
obtinet, nec passim, nec nunquam hoc admit- 66
tendum, quod per Constitutionem Principum
definiri posset. Judicem ex officio etiam hoc ju- 67
ramentum invitis partibus deferre posse tradit
cum aliis *Vasquius p.* 2. *l.* 2. *Contr. c.* 25. *n.* 8.

§. 9. Ad dependentes etiam causas hanc le- 68
gem extendit, deinde decernit, si una partium 69
absens sit, non expectandam esse praesentiam
ipsius, sed litem continuandam sine Juramento
calumniae, quia non est de substantia Judicii, 70
d. c. 1. *de Juram. calumn. num.* 6. et alias quod
pro compendio litis introductum, in adversam
figuram transformaretur, i. e. quod ad abbre-
viandas lites introductum, eas prolongaret.

FINIS LIBRI SECUNDI

LIBER III.

CODICIS

TITULUS I.

De Judiciis.

L. Judicio coepto. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Ratio dubitandi ex l. 4. C. depos. et l. 129. §. 1. ff. de. R. J. 3.
Dicitur negative. 4.
Ratio decidendi. 5.
Novatio necessaria in judicio obligationem non tollit, sed firmat. 6.
Usurae, quae officio judicis debentur, judicio de sorte finito peti non possunt. 7.
Usurae, ex stipulatione, et hodie ex pacto peti possunt, sorte licet soluta. 8.
Judicium incipit per litem contestatam. 9.
Limitatio. 10.
Quod per litis contestationem peremptum non est, non prohibetur novo judicio peti. 11.
In instantia appellationis etiam de accessoriis pronunciari potest. 12.

1 Dedi tibi mutuum, et stipulatus sum usuras;
2 egi de sorte sola, et obtinui. Quaeritur: *An stipulatio usurarum sit perempta?* Ratio dubitandi
3 in *l.* 4. *C. Depositi, et l.* 129. §. 1. *ff. de R. J.*
4 Sed negatur, quia stipulatio usurarum, licet ne-
5 gotio alicui accedat, per se ad agendum efficax est, *Surdus decis.* 69. *Thes. decis.* 135. et Nova-
6 tio necessaria in Judicio obligationem non tollit, sed firmat, *l.* 29. *ff. de Novat.* Sed usurae,
7 quae officio Judicis debentur, Judicio de sorte finito peti non possunt, *l. fin. ff. de eo, quod*
8 *certo loco dari oportet.* Collige: Usuras ex stipulatione, et hodie ex pacto posse peti, sorte licet soluta, *Anton. Faber. lib.* 4. *Cod. tit.* 24. *def.* 5. *et Carpz. parte* 2. *constit.* 30. *def.* 13.
9 Collige etiam: Quod Judicium incipiat per litem contestatam, per *l.* 30. *ff. de Judiciis, et*
10 *Nov.* 122. c. 2. ratione meritorum scilicet causae, non ratione Jurisdictionis Judicis, *c. gratum* 20. *X. de Officio Judicis delegati.* Collige
11 etiam: Id, quod per litis contestationem peremptum non est, non prohiberi novo judicio peti, id quod exemplo usurarum in *hac l.* et alio
12 exemplo in *l. seq.* probatur. Collige: in instantia appellationis etiam de accessoriis pronunciari posse, *Dn. Mevius p.* 6. *dec.* 137.

L. Licet. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decisio affirmativa. 4.
Ratio decidendi. 5.
Prosecutio specialis restringit actionem generalem ad ea, quae specificata sunt. 6.
Quod per judicium non est sublatum, nova actione peti potest. 7.

Egi cum Tutore actione tutelae generali, ita 1
tamen, ut in actionem illam generalem certae species deductae fuerint, v. g. frumentum, libri etc. qua finita aliam actionem instituo, vel ago de specie antea nondum in litem deducta;
Quaeritur an possim? Videtur quod non, ob *l.* 2
4. *et l.* 29. *C. de Transact.* Sed affirmatur, quia 3
stricta est judicii natura, et species in generali 4
actione expressae eam restrinxerunt, nam pro- 5
secutio specialis restringit actionem generalem 6
ad ea, quae specificata sunt, quam Regulam ex *hac l.* colligunt, et per *l.* 21. §. 6. *ff. de Arbitr. Anton. Gabr. l.* 6. *tit. de Reg. Jur. conclus.* 4. *num.* 25. *Petrus Barbos. ad Rubr. ff. Sol. Ma-*
trimon. p. 3. *num.* 50. et in *d. l.* 29. de omni- 7
bus pactum est, hic non; quod enim per judicium non est sublatum, nova actione peti potest.

L. Quoties. 3.

SUMMARIA

Judex, quamvis de causa aliqua cognoscere non possit principaliter, potest tamen incidenter. num. 1.
Idem dicendum de arbitrio. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Ratio decidendi. 4.
Fallit regula in spiritualibus. 5.
Limitatur. 6.
Quaestio an matrimonium consistat, et an verum sit matrimonium, juris est, et a Laico definiri nequit, sed ad judicem Ecclesiasticum remitti debet. 7.

Si vero quaestio est de facto : an scil. personae inter se de facto matrimonium contraxerint, et incidat causae civili, a saeculari judice definienda. 8.

Quando clericus intervenit coram saeculari judice, ut vel litiganti adsistat, vel suum interesse observet, jus, et interesse ejus a judice laico omnino cognoscendum, et decidendum. 9.

1 Judex, qui de causa status, vel alia cognoscere non potest principaliter, potest tamen incidenter, quando alia principalis causa, v. g. petitio haereditatis, in Judicium deducta; quod ad Ar-
2 bitrium etiam extendit *Romanus sing.* 472. Ra-
3 tio dubitandi in *c. cum quid* 84. *de R. J. in* 6.
4 Sed Ratio decidendi in *l.* 1. *ff. de Jurisd. et l.* 10.
5 *h. t.* Regula tamen fallit in Spiritualibus, *l.* 6. *sup. de SS. Eccles. cap.* 5. *X. qui filii sint leg.*
6 quando de jure, non facto, vel possessione quaeritur, *c.* 3. *X. de ordine cognit. c.* 12. *de sententia Excommunicat. l.* 6. ut est communis distinctio, teste *Wesembec. hic in opere posthum.*
7 *num.* 8. v. g. quando quaestio est, an matrimonium consistat, et verum sit matrimonium, haec quaestio, quia juris est, definiri a Laico nequit, sed remittenda est ad judicem Eccle-
8 siasticum: Sed, si quaestio sit de facto, an personae inter se de facto contraxerint matrimonium, haec quaestio si incidat causae civili, a saeculari judice definienda, *Petr. Barbos. in l. Titia.* 35. *num.* 22. *ff. soluto matr.* Sed ulterius distinguit *Hier. Caevallos quaest.* 504. utrum de retinenda, vel recuperanda possessione agatur, an vero de adipiscenda. Sed quid in per-
9 sonis clericorum? v. g. ego tecum litigo coram judice saeculari, sed intervenit Clericus, ut mihi vel adsistat, vel alias pro interesse suo; hic interesse, et jus Clerici a Laico judice omnino cognoscendum, et decidendum, *Caldus de Emptione cap.* 31. *num.* 86.

L. Si cum tibi. 4.

SUMMARIA

An minor cum Curatore ad reddendas rationes neg. gest. agens, qui pecuniam in emptionem praedii se convertisse praetendit, cum tamen ipsi non cautum de evictione, Curatorem istum convenire possit? num. 1.

Evictio est connexum emptionis. 2.

Ratio decidendi. 3.

Sententia lata super specie in generali judicio, praejudicat in connexis, et dependentibus. 4.

Sententia, licet sit stricti juris, porrigitur tamen ad fructus, et omnia accessoria. 5.

Minor in proposito casu potest repetere restitutionem. 6.

Limitatur. 7.

1 Agebat minor cum Curatoribus Actione Negotiorum gestorum, ad rationes reddendas, et in specie agit de certa pecunia. Curatores dicunt, se pecuniam convertisse in emptionem praedii, et tradunt instrumentum emptionis, fuerunt itaque absoluti. Sed quia non cautum erat de Evictione, Quaeritur, an denuo Curatores minor convenire possit? Respondetur quod non, quia evictio est connexum emptionis; prin- 2
cipali autem actione sublata, tollitur accesso- 3
rium, *l. fin. ff. de eo quod certo loc.* Nota bene: Sententiam latam super specie in generali 4
judicio, praejudicare in connexis, et dependentibus, et ideo sententia, licet sit stricti juris, 5
porrigitur tamen ad fructus, et omnia accessoria, *Menoch. de Recup. Possess. in praelud.* 16. et quos hic allegat *Barbos.* Putat tamen *Zasius in hac l. num.* 4. *tom.* 4. *operum ejus*, mino- 6
rem posse restitutionem petere per *l. si minor. ff. de Minor.* quod tunc puto verum, quando 7
in minore aetate constitutus agit.

L. A Judice. 5.

SUMMARIA

Judex delegatus non potest subdelegare. num. 1.

Ratio. 2.

Sicut in permissis hoc valet argumentum : Non invenitur prohibitum, ergo censetur permissum : ita in prohibitis haec valet argumentatio : Non invenitur permissum, ergo censetur prohibitum. 3.

Principis delegatus subdelegare potest. 4.

Quia par, vel major est judice ordinario. 5.

Limitatio. 6.

Limitatio regulae n. 1. *propositae.* 7.

Judex delegatus non potest subdelegare, quia 1
non habet jurisdictionem, *Auctor in l.* 12. *ff. de jud. num.* 6. ad quam tamen Judicem dare pertinet, *l.* 3. *ff. de jurisd.* sed ipse tantum ju- 2
diciario munere fungitur, i. e. notionem (cognitionem) tantum habet, et electa est industria personae. Sicut enim in permissis valet hoc argu- 3
mentum: Non invenitur prohibitum, ergo censetur permissum, *l.* 28. §. 2. *ff. ex quibus causis maj. l.* 1. *ff. de Testibus,* ita in prohibitis: Non invenitur permissum, ergo censetur prohibitum, *l. Gallus* 29. §. 15. *ff. de lib. et posth. haer. Barbos. locupl. lib.* 14. *c.* 25. *axiom.* 2. *et cap.* 93. *ejusdem libri axiom.* 21. *Petr. Barbos. ad l.* 12. §. 1. *de judic. num.* 95. qui tamen aliam rationem profert. Principis vero delegatus 4
subdelegare potest, *hic et c. ult. X. de Off. deleg.* quia par, vel major est ordinario Judice, *c.* 5
11. *d. tit. c.* 27. §. *Si vero de Off. Jud. deleg. Gail. lib.* 1. *observ.* 97. *num.* 8. *Hillig. in Donell. lib.* 17. *cap.* 8. *lit. M. Molin. tract.* 5. *d.* 15. *num.* 2. *etc.* Confer. *Menoch. de A. J. Q. lib.* 1. *qu.* 54. *et lib.* 2. *praesumpt.* 21. Sed hoc 6
loco id sublimitat *Gilken. num.* 4. *et seqq. Zas. num.* 35. ut non habeat locum in subdelegato Principis, *Auctor in l.* 12. *ff. de jud. num.* 6. nec si ad certum ministerium delegatus sit. Sane et alii delegati subdelegare possunt, si eis uni- 7
versitas causarum delegata, *l.* 4. §. *ult. cum LL. seq. ff. de Offic. Procons. Auctor in d. l.* 12. *ff. de judic. num.* 6.

Auth. ad haec.

SUMMARIA

Magistratus habentes administrationem Reipubl. ad minimum in litis contestatione praesentes esse debent. num. 1.
Et in actu intermedio. 2.
Et quando sententia ferenda. 3.
Rationes Regulae n. 1. *propositae adduntur.* 4.
Alii judices, ut et delegati in omnibus actibus sunt praesentes. 5.
Poena contrafacientium judicum, vel assessorum. 6.
Auth. haec l. praecedentem non corrigit, sed limitat, et restringit. 7.
Non obstat Nov. 82. c. 2. 8.
Etiam delegati judices suos habuerunt Assessores, et JCtos. 9.
Qui electi ex advocatorum numero. 10.
Id ipsum apud nos non observatur. 11.
Solent tamen judices delegati unius alicujus JCti celebris consilium requirere. 12.

1 Magistratibus habentibus administrationem Reipublicae (v. g. Praesid.) mandatur, ut ad mini-
2 mum in litis contestatione praesentes sint, et in
3 actu intermedio, et quando sententia ferenda.
4 Ratio habetur in *Nov.* 60. *cap.* 2. Scil. I. est, ut praesentia sua facilius in officio partes contineant, et metu potestatis a calumnia cohibeant partes, et testes, et ut II. plus auctoritatis insit
5 sententiae. Sed aliis Judicibus, ut et delegatis injungitur, ut in omnibus actibus sint praesen-
6 tes: additur in textu poena, scilicet, Judex contrafaciens viginti libris auri, Assessores vero decem libris, et amissione Advocaturae mulctan-
7 tur, et amittunt cingulum. Sed *haec Auth. legem praecedentem* non corrigit, limitat autem, et restringit, quia non de Judicibus datis, sed Assessoribus loquitur, quorum officium non est judicare, sed judicanti assidere, et consilium
8 praebere; nec huic obstat *Nov.* 82. c. 2. quia
9 localis est. Colligitur ex hac lege: Delegatos Judices etiam suos habuisse Assessores, et Juriscon-
10 sultos, quos ex Advocatorum numero pro re
11 nata eligebant, quod apud nos tamen non ob-
12 servatur, sed solent nihilominus Judices delegati, quibus cognitio causae, et sententiae ferendae potestas conceditur, (quod nostri facere solent rarius, forte quod diffidant aliorum dexteritati, apud alios fit frequentius) solent inquam, unius alicujus Jurisconsulti celebris consilium requirere, quod ex consiliis Germanorum observavi.

L. Servus. 6.

SUMMARIA

Servus nec suo, nec Domini nomine in judicio esse, vel condemnari potest. num. 1.
Ratio legis. 2.
Ampliatio. 3.
Limitatio. 4. *et* 5.
Apud nostros, ubi proprii homines (Leibeigene Bauren) *habentur, haec l. non observatur.* 6.
Ratio desuetudinis. 7.
Fallentia legis. 8.

Servus, nec suo, nec Domini nomine in ju- 1
dicio esse, vel condemnari potest. Ratio legis in 2
l. 32. *de R. J.* et locum habet lex, licet Servus 3
pro libero habeatur, *l.* 44. §. 1. *ff. h. t.* secus 4
autem in Criminalibus, *l.* 12. §. *ult. ff. de Accusat.* Secus item in causis liberalibus, et status, 5
ubi de hoc ipso, an quis Servus sit, disputatur, ut in *tit. de liberali causa D. V.* videbimus. Sed etiam apud nostros, ubi proprii homines 6
(Leibeigene Bauren) habentur, haec lex non observatur, quia omnino personam standi in ju- 7
dicio habent. Fallit etiam decisio hujus legis in 8
eo casu, quo tabulae testamenti supponuntur, in quibus ei relicta libertas, vel, si libertas relicta cum rationes reddiderit, per *l.* 53. *ff. h. t.* vel, si servis alimenta relicta.

L. Cum Debitoris. 7.

SUMMARIA

Lex haec est ampliatio legis praecedentis. n. 1.
Non possum convenire servum debitoris mei bona possidentem, sed implorare debeo officium judicis, ut mittar ex primo decreto in bona haereditatis jacentis. 2.
Consulitur hic creditori, quando ipse debitor conveniri nequit. 3.

Est haec ampliatio legis praecedentis; Si Ser- 1
vus debitoris mei bona possideat, non possum 2
tamen ipsum convenire, sed debeo implorare officium Judicis, ut mittar ex primo decreto in bona haereditatis jacentis, *l.* 5. *ff. de Reb. auctor judic. possid. et l.* 7. *ff. ex quib. causis in possess.* et ita consequor pignus praetorium, *l.* 26. *ff. de Pignor. act.* Sic ergo creditori consuli 3
potest, quando ipse debitor conveniri nequit (propter mortem, absentiam, contumaciam).

L. Placuit. 8.

SUMMARIA

Regula: in omnibus judiciis potius commoda juris scripti interpretatio ex aequo, et bono, quam dura juris scripti interpretatio sectanda. num. 1.
Exemplum. 2.
Ita interpretari legem, ut ipsum jus durum emendetur, solius est principis. 3.
Hodie talis interpretatio est Camerae Imper. 4.
Quando judex aequitatem potius, quam strictum jus sequi debeat? 5.
Quandoque magis strictum jus, quam aequitatem? 6.
Temperatio ex voluntate ipsarum potius legum est, quam interpretatione. 7.
Mutare, et novum jus constituere solius est Principis. 8.
Nulla aequitas locum habet, quando aperte apparet, legislatorem velle indistincte legem obtinere. 9.
Æquitas summo, et stricto juri non vero naturae contractuum stricti juris opponitur. 10.
Etiam stricti juris contractus admittunt aequitatem. 11.

1 Regula est: In omnibus Judiciis potius commoda juris scripti interpretatio ex aequo, et bono, seu ex naturali ratione, ac legis voluntate collecta, sectanda est, quam dura interpretatio Juris, qua τὸ ῥητὸν contra voluntatem legis ni-
2 mis urgemus: exemplum in *l.* 40. *ff. de Petit.*
3 *Haered.* ita vero interpretari legem, ut ipsum jus durum emendes, hoc solius est Principis,
4 *l.* 1. *et ult. C. de legibus*; et hodie *Camerae*
5 *Imperialis.* Ergo, quando obscura declaranda, generales Regulae ad factum applicandae, vel decisiones legum ad casus similes extendendae, vel restringendae, vel contraria conciliãnda, vel ubi jure expresso destituimur, et jus supplendum est, *l.* 2. §. 5. *ff. de Aqua pluv. arc. c. fin. X. de Transact. etc.* juris aequitatem potius, quam strictum jus Judicem sequi oportet;
6 aliud vero, si de jure emendando sermo sit, ubi ipse rigor in lege expressus, seu, aliud est, quando casus diserte sub lege continetur: nam tunc contra Legislatoris voluntatem nulla aequitas consideranda, nisi in foro conscientiae; aliud autem, quando dubium est, an legislator hanc facti speciem sub lege comprehenderit, nam tunc aequitas locum habet, seu cuilibet judici incumbit interpretari jus ex aequitate, non ut tollatur totum, quasi iniquum, sed ut
7 certis in casibus temperetur, quia temperatio ista ex voluntate ipsarum legum potius est, quam
8 ex interpretatione: Mutare autem, et novum jus constituere solius est Principis. Nulla ergo aequi-
9 tas locum habet, quando aperte apparet, Legislatorem velle indistincte legem obtinere, per *l. Prospexit* 12. §. 1. *ff. qui, et a quibus manumissi etc.* Vid. *Donell. l.* 1. *c.* 13. *Tiraq. ad l. si unquam C. de Revocand. Donat.* verbo: *libertis, et DD.* quos hic allegat *Barbos.* et passim. Note-
10 tur autem hic, aequitatem opponi summo, et stricto juri, non vero naturae contractuum
11 stricti juris, nam et stricti juris contractus admittunt aequitatem, *Kremberg. ad §. actionum* 28. *num.* 19. *Inst. d. act.*

L. Judices 9.

SUMMARIA

Judicis in causis dijudicantis officium. num. 1.
Etiam in summariis judiciis, ac causis plena cognitio requiritur. 2.
Si ratione probationis, ac definitionis, semiplena probatio requiritur. 3.
Sententiae sine ullae causae cognitione latae, ipso jure sunt nullae. 4.
Conclusio est pars judicii substantialis. 5.
Quamvis nonnulli eam de consuetudine potius, quam jure necessariam esse existiment. 6.
Est tamen simpliciter necessaria. 7.
Conclusio non semper expresse, sed quandoque tacite fit. 8.
Ummii *circa hanc quaestionem sententia affirmans dicta* n. 5. *cum ampliatione.* 9.
Etiam post conclusionem, juris allegationes afferri possunt. 10.

Judex plene, seu juris ordine servato *leg.* 4. *C. de Sentent.* et bene consideratis causarum meritis, justisque dilationibus datis partibus cognoscere debet, et tandem interrogare partes, numquid in facto aliquid addere velint, quod si nihil addere velint, tunc conclusum est in causa, et sententia ferenda est. Colligitur exinde: Etiam 2
in Summariis Judiciis, ac causis plenam cognitionem requiri, si scil. causa ratione processus sit summaria, si vero ratione probationis, ac de- 3
finitionis, et quia parum praejudicii adfert, summaria causa sit, semiplena probatio requiritur, quales sunt interdum causae emergentes, an citatio insinuata sit, et similes. Deinde senten- 4
tiae, sine ulla causae cognitione latae, ipso jure sunt nullae, *Trentac. tit. hoc Res.* 2. Collige etiam: Conclusionem esse partem judicii substan- 5
tialem, de quo *hic DD.* Conf. *Camill. Borell. tom.* 2. *tit.* 26. quamvis enim conclusionem non- 6
nulli de consuetudine potius, quam jure, necessariam esse existiment per ea, quae tradit *Gail. l.* 1. *obs.* 107. *num.* 1. puto tamen simpliciter 7
necesse esse, ut conclusum sit in causa, non tamen expresse semper; sed etiam tacite, quan- 8
do partes tantum priora repetunt, et ex circumstantiis apparet, nil nisi sententiam Judicis restare, *Umm. ad process. Disp.* 19. *num.* 3. qui etiam 9
num. 1. dum conclusionem dicit esse necessariam, non tantum de Camerae stylo, sed etiam de Jure Communi intelligendus est, ut omnis conclusio sit necessaria, sive fiat a parte tacite, vel expresse, sive a Lege, sive a Judice, ut distinguit *Menoch. l.* 1. *Arb. Q.* 35. *num.* 4. *et seqq.* item: Allegationes juris etiam post conclu- 10
sionem posse afferri, *Borell. d. l. num.* 91.

Auth. Jubemus.

SUMMARIA

Regula: Si una pars allegationibus renunciet, altera vero aliquid allegare velit, dentur ipsi 3. *dilationes, quarum quaelibet* 30. *dies contineat, ultra non audiatur. num.* 1.
Ratio ejusdem. 2.
Exceptiones. 3. *et* 4.
Probationes, quae fiunt per partis confessionem, sive rei evidentiam, aut instrumenta noviter reperta, ita sunt privilegiata, ut etiam post conclusionem admittantur. 5.
Judex ipse post conclusionem partium eam retractare potest, ex justa causa. 6.
Omnes exceptiones, quae post sententiam opponi possunt, locum etiam habent post conclusionem in causa. 7.
Dies 30. *conficiunt mensem juridicum.* 8.

Si una pars allegationibus, id est, Juris Exce- 1
ptionibus renunciet, altera vero pars aliquid allegare velit, dentur ipsi tres dilationes, quarum quaelibet 30. dies, et sic unum mensem contineat, ut ita in effectu ipsi dentur tres menses ex abundanti, et ultra non audiatur, ne litiga- 2
toribus occasio detur litium exitus protrahendi: renunciatione autem semel facta, quae et a Judice ex officio fieri potest, *Myns. Cent.* 3. *Obs.* 17. non licet quid novi proferre. Excipiuntur autem I. Criminalia, et Spiritualia, in quibus 3
non concluditur, ne liceat postea aliquid allegare. II. Si quid per confessionem Partis, sive rei 4
evidentiam, aut instrumenta noviter reperta probari possit, vid. *Caeval. qu.* 650. nam hae proba- 5

tiones sunt privilegiatae, quae etiam post conclusionem admittuntur, *Gilken. hic num.* 13. *Unm.*
6 *d. D.* 19. *num.* 3. III. Ipse Judex post conclusionem partium eam potest retractare ex justa causa, *(Wenn er noch nicht gnung informiret)* vel potest ex officio interrogare, causa licet conclusa; vid. tamen *Caeval. q.* 821. IV. Possunt etiam informationes juris apud acta repo-
7 ni. Et omnes exceptiones, quae post sententiam opponi possunt, illae habent etiam suum locum post conclusionem in causa, videantur *hic Wesemb. Gilken. Gail. lib.* 1. *obs.* 107. *Mynsing. d. l.*
8 *et Cent.* 6. *obs.* 56. Colligitur ex *Auth. hac,* 30. dies conficere mensem juridicum, *Zas. hic et DD. Tiraq. ad l. si unquam* verbo*: susceperit liberos num.* 208. late *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 50.

L. Nulli. 10.

SUMMARIA

Causae connexae, vel continentes, nonnisi coram uno judice, et in uno judicio expediendae. num. 1.
Continentes causae 7. *modis dicuntur.* 2.
Quaestio civilis, et criminalis non possunt dividi, quando ex una causa, vel facto oriuntur. 3.
Notatur sententia eorum, qui judicis arbitrio aestimandum relinquunt, an causae sint connexae 4.
Ratio. 5.
Ratio legis. 6.
Declaratio regulae propositae. 7.

1 Causae connexae, vel continentes, non nisi coram uno Judice, et uno judicio expediendae.
2 Continentes autem sunt causae, 1. vel ratione rei petitae, ut Possessorium, et Petitorium, item ratione unius haereditatis, *tot tit. ff. de quibus rebus ad eumdem Judicem eatur.* 2. Ratione contractus, vel delicti, *tot. tit. ff. de duob. Reis.* 3. Ratione generalis actionis, v. g. tutelae, *l.* 6. *C. de arbir. tut.* 4. Ratione praeventionis, *l. ubi coeptum* 30. *ff. de Judic.* 5. Ratione reconventionis, *d. l.* 30. *ff. de Judic.* 6. Ratione interventionis, *l.* 19. *c. de lib. caus.* 7. Ratione originis, quod ambae causae ex eodem fonte fluant, *Carpzov. lib.* 2. *Resp.* 40. Vid. *Gail. l.* 1. *obs.* 32. *Myns. Cent.* 1. *obs.* 4. *Mindanus de process. lib.* 3. *c.* 1. *et seqq. Gilhaus. in Arb. Civ. c.* 5. *ramusc.* 10. *num.* 51. *et Trentac. tit. de Judic. Resol.* 3. *Henricus Hatting. disp. Basil.* 37. *vol.* 5. *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 371. *Tu-*
3 *schus conclus.* 976. *lit. C.* Hinc Quaestio Civilis, et Criminalis non possunt dividi, quando ex una causa, vel uno facto oriuntur, *Myns. cent.* 1. *obs.* 97. *Mind. l.* 3. *c.* 5. *num.* 44. *Gail. l.* 1.
4 *obs.* 32. *num.* 11. Non autem facimus cum illis qui Quaestionem hanc, an causae sint conne-
5 xae, Judicis arbitrio committunt; Cum enim ipsae leges causas connexas describant, et variis exemplis declarent, non est, ut statim ad arbitrium Judicis confugiamus, ubi non est neces-
6 se; Ratio autem legis consistit I. in sumptibus partium, qui multiplicantur, si judicium divideretur. II. Probationes etiam commodius uno loco explicantur, quam pluribus: et alias III. contrariae interdum sententiae sequerentur. Sed declaranda est regula, quod potissimum intel- 7
ligatur de persona judicis, non vero, quod semper in eodem judicio, vel eadem instantia ventilari debeant: Sic, quando in possessorio ago, forte ex *l. ult. C. de D. Adr. Edicto toll.* tunc non possunt opponi exceptiones super validitate testamenti ad petitorium pertinentes, quia ratio juris divisionem imperat; Sed coram eodem judice tamen utrumque judicium ventilandum, *Cephalus cons.* 387. *num.* 26. *et seq.*

L. Properandum. 13.

SUMMARIA

Haec lex pr. et §. 1. *causas criminales biennio, civiles triennio circumscribit. num.* 1.
Ratio diversitatis. 2.
Exceptio. 3.
Currit hoc tempus a lite contestata continuo. 4.
Non potest per pactum prorogari. 5.
Ratio. 6.
Currit etiam haeredi. 7.
Actor refusis expensis in causis civilibus, in alia instantia litem movere potest. 8.
Ratio. 9.
Si quis est impeditus, potest petere restitutionem, vel dilationem. 10.
In Consistorio Principum, sive suprema curia Principis hoc tempus instantiae non observatur. 11.
Ratio. 12.
Ampliatio. 13.
Nec Jure Canon. hoc tempus observatur. 14.
Camerae consuetudinem, ut lis non terminetur triennio, male secuta sunt inferiora judicia inveterato abusu. 15.
Qui lites abominantur, hanc constitutionem in usum revocari optant. 16.
Ad Principis curam vel maxime spectat per modum condendae legis lites finire, tollere, minuere. 17.
Imo cujusvis boni viri. 18.
Miser est, qui litibus delectatur. 19.
§. 2. *Plectit contumaciam actoris.* 20.
Is proximus pubertati dicitur secundum Zas. *cui semestre tantum spatium adhuc restat.* 21.
Hoc tamen aestimandum Judicis arbitrio committit Menoch. 22.
Si ex actis apparet, quid pronunciandum, poterit Judex etiam pro contumace sententiam ferre. 23.
Limitatio. 24.
Sin vero non apparet ex actis, quid pronunciandum, reus ab observatione Judicii, seu instantiae refusis expensis absolvendus. 25.
Salva tamen manet actio ab actore denuo instauranda. 26.
Limitatio. 27.
Ubi Judex reum definitive absolvit, nunquam actori datur facultas litem resuscitandi, vel restaurandi. 28.
Si causa non liqueat, poterit tamen reus definitive absolvi, si onus probandi in se suscipiat. 29.
Si reus contumax post lit. contest. et fuerit ter citatus, cognoscat Judex causam, et, si liqueat, pronunciet definitive, et mittatur sententia executioni. 30.

Nec contumax reversus potest appellare. 31.
Nec meretur restitutionem. 32.
Nec possessionem recuperare potest. 33.
Ampliatio. 34.
Ratio horum omnium. 35.
Potest etiam pro reo contumace ferri sententia definitiva, si eam mereatur. 36.
Limitatio. 37.
Observatio Juris Cameralis, si reus contumax est. 38.
Quae approbata per Recess. Imper. Anno 1654. 39.
Cujus contenta obiter adducuntur. 40.
Si magna pars triennii superest, ut lis finiri possit, actorque abfuerit contumaciter, reus ab observatione Judicii absolvendus, actor autem in expensas condemnandus est. 41.
Super ipsa vero lite non pronunciandum. 42.
Ratio. 43.
An Judex victum in expensas condemnare debeat? 44. 45.
Querela propter abusum hujus regulae. 46.
Judex negligens victum in expensas condemnare, de suo illas restituere debet. 47.
Quod in foro hodie inauditum, et fere Paradoxum est. 48.
Limitatio regulae n. 44. *traditae.* 49.
Expensae in obligationis instrumento promissae, etiam post latam sententiam, in qua omissae erant, peti possunt. 50.
Ampliatio. 51.
Opinio Berlichii, *qui omnibus expensis praebet officium Judicis nobile, ex* §. 7. h. l. *refellitur.* 52.
Absurditas ejus ostenditur. 53.
Poena Judicis, qui ob amicitiam, vel odium, vel aliam causam protelavit litem, ut lapsum sit triennium. 54.
Si mors Judicis, vel mutatio illius interveniat, integer annus novo Judicio dandus est. 55.
Haec omnia a foro recesserunt. 56.
Poena Advocatorum, quorum culpa lis triennio non finitur. 57.
Debet exprimi in sententia causa, cur triennio lis sopiri non potuerit. 58.
Patronus causam susceptam non deserat, sed ad finem usque prosequatur. 59.
Limitatio. 60.
Judex debet attendere, an probabilis sit assertio advocati, se sc. jam comperisse causae iniquitatem. 61.
Casus cap. pen. X. h. l. 62.
Quod non corrigit jus civile. 63.
Ratio. 64.
Si actor per subterfugia ulterius partis fuerit praepeditus, Judex stando in jure communi etiam post triennium potest ferre sententiam. 65.
Pupillis, et minoribus etiam currit hoc triennium. 66.
Sin hoc lapsum est negligentia, vel fraude tutoris, vel curatoris, actionem habent contra administratores. 67.
In subsidium restituendi sunt. 68.
Beroji *sententia notatur.* 69.
Contra praescriptionem judicialem minoribus non datur restitutio. 70.
Limitatio. 71.
Restrictio. 72.
In quibusdam casibus competit adhuc electio minori: an cum tutore agere, an vero contra adversarium restitutionem petere velit. 73.
Quae tamen non nisi causa cognita conceditur. 74.

Princ. et §. 1. Haec lex causas Criminales bien- 1
nio, Civiles triennio circumscribit. Ratio discri- 2
minis: quia in Criminalibus regulariter uterque
vinculis coercendus, *l. fin. Cod. de Accus.* nec
possunt agere per Procuratorem, *l.* 13. §. 1. *ff.*
de Publ. Jud. nec Reus ad ullos honores adspi-
rare potest, *l.* 17. §. 12. *ff. ad Municip.* interest
igitur partium, ut Criminale Judicium citius fi-
niatur; Excipiuntur causae Fiscales, et quae 3
ad publicas functiones pertinent, adeoque et
populares, curritque hoc tempus a lite conte- 4
stata continuo, de quo *Scaccia d. Appell. quaest.*
15. *num.* 339. *et seq.* nec licet hoc Pacto pro- 5
rogare, cum propter publicam utilitatem sit 6
constitutum, *Gail. lib.* 1. *obs.* 141. *n.* 5. *Myns.*
cent. 1. *obs.* 48. Currit et haeredi, et lapso trien- 7
nio omnia acta corruunt, quamvis actor refu- 8
sis expensis in causis civilibus, non criminalibus,
in alia instantia litem movere possit, *Myns. cent.*
3. *obs.* 50. Lis enim contestata ad quadraginta 9
annos etiam actionem extendit, *l. ult. C.* de
Praescriptione 30. *Annorum.* Sed si quis impe- 10
ditus, potest petere Restitutionem, vel Dilatio-
nem, *l.* 21. *ff. Ex quibus causis majores.* Sed
in Consistorio Principum, seu suprema curia 11
Principis, hoc tempus instantiae non observa-
tur, per *Auth. sed et iis C. de temp. Appell.*
Myns. Cent. 2. *obs.* 48. *et Cent.* 3. *obs.* 44. *num.*
9. *Gail. de P. P. cap.* 9. *num.* 15. quia Princeps, 12
et Camera ejus, v. g. Spirensis potest etiam
actionibus emortuis vitae spiritum insufflare, ut 13
loqui solent DD. etiam circa restitutionem expen-
sarum, *Klock. vol.* 2. *cons.* 41. *num.* 32. *et seqq.*
nec Jure Canonico, *c. pen. et ult. X. h. tit.* de 14
quo tamen postea dicetur, et de hac materia
plura habet *Camill. Borell. tom.* 1. *decis. tit.* 64.
et Trentacinq. tit. de Judic. Res. 4. Sed hanc 15
Camerae consuetudinem, ut lis non terminetur
triennio, imo interdum ne quidem tricennio,
male secuta sunt judicia inferiora, inveterato
abusu, ut ait *Hillig. in Donell. l.* 26. *c.* 2. *lit.*
Q. Ideoque omnes, quicumque lites abominan- 16
tur, hanc constitutionem in usum revocari o-
ptant cum *Stephano Nathenio de Justit. vulner.*
p. 2. *tit.* 2. *cap.* 5. *et Hillig. d. l.* Collige: Ad 17
Principis curam vel maxime spectare per mo-
dum condendae legis lites finire, tollere, mi-
nuere, *Carpz. p.* 1. *C.* 1. *def.* 1. *num.* 6. *et*
def. 4. *num.* 1. imo cujusvis est boni viri, *Pru-* 18
ckm. vol. 1. *cons.* 38. *num.* 9. sicuti miser est, 19
qui litibus delectatur.

§ 2. Plectit contumaciam Actoris; si enim 20
triennium fere lapsum, semestre restet, tunc
accusante Actoris contumaciam Reo, debet ille
tribus citationibus, quarum quaelibet 10. die-
rum spatium contineat, citari, unde hoc reme-
dium eo casu tantum locum habere putant,
quando semestre adhuc restat, et inde etiam
colligit *hic Zasius*, eum proximum pubertati 21
dici, cui semestre tantum spatium deest, per
hunc §. *et l. non tantum ff. de exc. Tut.* quae
est secunda opinio relata a *Menoch. de A. Q.*
casu 57. *num.* 26. qui tamen id arbitrio Judicis 22
more suo committit, cum tamen haec res non
in circumstantiis facti, sed numeratione anno-
rum juridice consistat. Sed ut ad terminos
nostros redeam, si ex actis appareat, quid pro- 23
nunciandum, poterit etiam pro contumace sen-
tentiam ferre Judex, sed semper tamen 24
eum in expensas, a Reo mediante juramento

25 probatas, condemnabit. Si vero non appareat ex actis, quid pronunciandum, Reus ab observatione judicii, seu instantiae, refusis expensis,
26 absolvendus, sed salva est actio ab Actore denuo instauranda, *Carpzov. lib.* 3. *Resp.* 37. *num.*
27 3. nisi postea denuo contumax fiat, quo casu omni jure suo cadit, *Nov.* 112. *c.* 3. *in fin.*
28 *Zas. hic num.* 31. Sed in priori specie, ubi Judex Reum definitive absolvit, nunquam Actori datur facultas litem resuscitandi, vel restaurandi, ut ex §. *seq.* probant *Mindanus l.* 2. *de Mand. jud.*
29 *c.* 20. *Scacc. de Judic. lib.* 1. *cap.* 93. Sed si causa non liqueat, poterit tamen Reus definitive absolvi, si onus probandi in se suscipiat, *Auth. qui semel C. quomodo, et quando etc.*

30 §. 3. et 4. Si Reus contumax post litem contestatam, et fuerit ter citatus, cognoscat Judex causam, et si liqueat, pronunciet definitive, et mittatur sententia executioni per ipsum Judicem,
31 vel superiorem, nec contumax reversus appellare potest, si vera contumacia, non ficta, *Petr. Greg. de Appell. c.* 4. *num.* 1. *et* 2. *Hill. in Don. l.* 28. *c.* 6. *Auctor in l.* 37. *ff. de judic.*
32 *num.* 10. nec meretur contumax restitutionem in integrum, *Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 329. *num.*
33 5. nec possessionem recuperare potest, licet cau-
34 tionem offerat. Ratio hic habetur: cum absentia
35 partis Dei praesentia suppleatur, §. 4. *hic.* Sed
36 et pro Reo contumace sententia ferri potest, et
37 debet, si eam mereatur, definitiva, salvis expensis, *Castr. hic num.* 2. *et Sich. num* 5. Si autem non liqueat, et quidem culpa Actoris, Reus ab observatione judicii tantum absolvendus, *Castr. hic num.* 2. *Sich. num.* 4. Sin culpa Rei, proceditur per missionem ex primo decreto.
38 Sed jure Camerali, quod judicia inferiora etiam passim sequuntur, potest Actor, si Reus contumax sit, ante litem contestatam petere, ut lis in contumaciam habeatur pro negativa contestata, et ut Actor admittatur ad probationem fundamenti actionis suae, *Ord. Camer. p.* 3. *tit.*
39 43. §. 4. quod in *Recessu Imperii* approbatum *Anno* 1654. §. (*Wurde hierauff nun der* citirte
40 *etc.*) ubi tollitur modus procedendi ad bannum, item missionis ex primo decreto.

41 §. 5. Ubi vero magna pars triennii superest, ut lis finiri possit, Actorque abfuerit contumaciter, Reus ab observatione judicii absolvendus, Actor autem in expensas condemnandus est.
42 Super ipsa lite vero pronunciari non debet,
43 quia tunc adeo magna culpa actori imputari nequit.

44 §. 6. et 7. Continet Regulam: Quod Judex victum in expensas, a victore juramento specificandas, condemnare debeat, quam regulam hic
45 ampliant, et limitant *DD.* praesertim *Zas. num.* 7. *et seq. et Asinius in praxi judicaria* §. 32. *tit. de Expens. limit.* 2. Conf. *Jo. Aloys. Ricc. in decision. Collect. dec.* 116. et quos allegat *Hillig. in Donell. l.* 26. *c.* 3. *lit. G. et H.* et noviss. *Klock. Cons.* 4. *num.* 213. *v.* 2. Sed ni-
46 mis his abutuntur Judices, et raro condemnatur victus in expensas, et sic dantur fomenta detestabilis jurgii, dum improbi vincuntur illaesi, *Auctor Partenii litigiosi lib.* 2. *c.* 6. *num.* 11. et datur occasio temere litigandi, et opprimendi pauperes, *d. Auctor d. l. num.* 15. Ju-
47 dex autem negligens victum in expensas condemnare, de suo restituere debet expensas, §. 6.
48 *hujus legis*, quod in foro hodie inauditum, et
49 fere paradoxum. Caeterum regulam, quod victus in expensas condemnandus, communissime limitant, nisi victus habeat justam litigandi causam, qua de re videri potest *Hartm. Pistor. part.* 1. *qu.* 11. *Caevallus in speculo quaest.* 539. *et Menoch. lib.* 2. *praesumpt.* 82. *et seqq.* et alii; Quae autem Expensae in obligationis instru- 50
mento promissae, etiam post latam sententiam, in qua omissae erant, peti possunt, *Jason. hic num.* 28. *Sich. num.* 17. *Carpz. lib.* 1. *Resp.* 79.
num. 17. neque ab his justa causa excusat, *Zas.* 51
hic num. 18. *Hartmann. Pistor. d. quaest. num.*
11. Ex hoc §. refellitur opinio *Berlich.* qui *de-* 52
cis. 127. *num.* 11. omnibus expensis praebet officium Judicis Nobile, quae si subsistat, non video, quomodo hic Imp. dicere potuerit, Judicem in subsidium teneri. Nam, si in senten- 53
tia omissae omnes expensae officio Judicis peti possunt, subsidiariae actioni contra judicem nunquam locus esset.

§. 8. Statuit poenam Judicis, si ob Amicitiam 54
vel Odium, vel aliam causam protelaverit litem, ut lapsum sit triennium; scilicet, si judex in majori dignitate positus, mulctetur decem libris
auri, si in minore tribus, si mors Judicis, vel 55
mutatio illius intervenerit, integer annus novo Judici dandus est, *Camill. Borell. p.* 61. *num.* 34.
quorum omnium ratio obscura non est, sed, 56
ut antea dixi, haec a foro recesserunt.

§. 9. Statuit poenam in Advocatos, si eorum 57
culpa lis triennio non finiatur, scilicet mulctam
2. librarum auri, debetque in sententia causa, 58
cur triennio lis sopiri non potuerit, exprimi. Et ne per Advocatos fiat, ut labatur triennium, v. g. si Advocatus causam susceptam deserat, interim dum cliens alium quaerit patronum, posset instantia labi, ideo constituit hic Imp. ut
Patronus causam susceptam non deserat, sed 59
quam semel suscepit, ad finem usque prosequatur: quod tamen intelligendum, nisi comperta 60
iniquitate causae discedat, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 491. *Selserus de Juram. c.* 17. *num.* 16. *et*
seqq. Sed Judicem opinor debere attendere, an 61
probabilis sit haec assertio Advocati se scilicet,
jam comperisse iniquitatem causae. Et de hoc 62
casu, scilicet quando per subterfugia, ac cavillationem partis unius, vel ejus advocati, factum, ut laberetur triennium, loquitur etiam *c. penult.*
X. h. t. per quod male nonnulli putant, corri- 63
gi jus Civile, nam, quod in *d. c. pen.* dicitur, 64
idem hic habetur, et sic etiam jure Canonico hoc tempus instantiae locum habere sentiunt, *Covar. in C. quamvis in pr.* §. 1. *num.* 10. *Cujac. in d. c. pen. Rittersh. in diff. Juris Civ. et Can. l.* 5. *c.* 1. *et Zasius in tit. Decret. de Judic. num.*
13. *etc.* Collige ex *hoc* §. Si actor per subterfu- 65
gia alterius partis fuerit praepeditus, judicem stando in Jure Communi etiam post triennium posse sententiam ferre, *Borell. d. tit.* 61. *num.* 35.

§. *ult.* Pupillis, et Minoribus etiam currit hoc 66
triennium: sed si hoc lapsum sit negligentia, 67
vel fraude tutoris, vel Curatoris, habent actionem contra Administratores, et in subsidium 68
restituendi sunt. Displicet igitur, quod *Berojus* 69
v. 3. *cons.* 18. *num.* 6. in causa minorum, et Pupillorum hanc instantiam currere neget. Collige ex *hoc* §. Contra praescriptionem judicialem 70
minoribus non dari restitutionem, nisi in sub- 71
sidium, *Sfortia Oddus de Rest. qu.* 88. *art.* 3. Conf. *Guttierez de Juram. confirm. p.* 3. *c.* 5.
num. 17. *Mastrill. dec.* 70. *num.* 11. quod tamen 72
restringendum est ad terminos hic positos, ni-

mirum, ubi desidia, vel fraude Tutoris, vel Curatoris lis, et causa amissa est, quod ob auctoritatem judiciorum videtur Imperator constituisse;
73 In caeteris salvum est jus vetus, ut electio competat minori: an cum Tutore agere, an vero contra adversarium restitutionem petere velit.
74 Sed haec conceditur causa cognita, an non potius in curatorem danda sit actio, quam negotium rescindatur, *l. intra utile* 29. §. 1. *ff. de min.* Ita *Bacchov. ad Pand. l.* 4. *tit. de Minor. c.* 3. *num.* 3. *pag.* 1064. *Hartmann. Pistor. p.* 1. *q.* 12. *num.* 12.

L. Rem non novam. 14.

SUMMARIA

Lex haec non est difficilis, sed moralis, et melius in praxi adhibetur, quam explicatur. num. 1.
Contenta per h. l. 2.
Judex sacrosanctam Scripturam semper ob oculos positam in judicando habeat, sciatque, quod non magis alios judicet, quam ipse judicetur. 3.
Hoc merito omnes Judices Christiani in judicando semper cogitare debebant. 4.
Formula juramenti judicum. 5.
Judex tenetur judicare secundam veritatem. 6.
Juramenta judicum, et assessorum in ordinationibus judiciorum passim habentur. 7.
Solet in iis etiam rationabilium consuetudinum, et statutorum fieri mentio. 8.
An hodie Judices male judicantes per imperitiam plectantur? 9.

1 Lex haec non est difficilis, sed moralis, ut loquuntur, et melius in praxi adhibetur, quam
2 explicatur. In principio confirmat Imperator veterem ritum de juramento Judicum, et jubet,
3 ut Judex, nec non Arbiter Sacro-Sanctam Scripturam semper ob oculos positam in judicando habere debeat, et scire, quod non magis alios
4 judicet, quam ipse judicetur. Quod merito omnes judices Christiani in judicando semper cogitare
5 debebant. Nota bene, in textu formulam juramenti, quod omni modo cum veritate, et legum observatione judicium sit dispositurus. Un-
6 de colligunt: Judicem teneri judicare secundum veritatem, *Covar. p.* 1. *Var. resol. c.* 1. et alii:
7 Sed de hoc alibi. Juramenta Judicum, et Assessorum in Ordinationibus judiciorum passim ha-
8 bentur, sed in iis etiam rationabilium consuetudinum, et statutorum fieri solet mentio. An
9 autem hodie judices per imperitiam male judicantes plectantur? Vid. *Auctor in l.* 15. *ff. de jud. num.* 6. *seqq.*

Auth. Hodie.

SUMMARIA

Discrimen inter judices Romanos ordinarios, et municipales, quoad juramenti praestationem. num. 1.
Ratio diversitatis. 2.
Irnerium *hic Justiniani mentem non esse assecutum evincit* Gilkenius. 3.
Ratio ejusdem. 4.
Juramentum Advocatorum speciale post lit. contest. praestandum. 5.
Quod ab usu recessit, quia hodie generale juramentum initio praestari solet. 6.
Divino, et humano juri conveniens est, ut advocatus, comperta causae iniquitate, causam deserat. 7.
Debent superiores, si conscientiae suae consulere, et calumniis os obstruere velint, jura illa, quae in singulis causis juramentum calumniae ab advocato exigunt, in usum revocare. 8.
Secundum R. J. nuperiorem Procuratores, et Advocati, exceptis tantum Statuum Consiliariis, in causis eorum jurare tenentur. 9.
Ratio, cur ita jurare debeant Advocati? 10.
Abroganda est consuetudo, hoc praesertim malitioso saeculo, qua Advocatis calumniae juramentum remittitur. 11.
Contra jus civile reducendum, atque constituendum est, ut non solum Collitigatores, sed et Advocati, et Procuratores unusquisque in propriam, non alterius animam juret jejuno stomacho, majore solemnitate, quam huc usque magno Reipubl. detrimento, et pluribus perjuriis factum. 12.

Hic discrimen constituitur inter Judices Ro- 1
manos Ordinarios, et Municipales. Illis jurandum est, se facturos, quod justius, meliusque sibi videbitur. Horum vero Juramentum ad leges adstringitur; quia de illis ut doctioribus, et di- 2
gnioribus melius sperat lex, nam si illiterati, literatos tamen habent Assessores. Sed *Irnerium* 3
hic Justiniani mentem non esse adsecutum evincit *Gilkenius*, namque non minus majores, 4
quam minores secundum leges judicare tenentur. Vid. *Nov. ipsa.*

§. 1. Describit Juramentum Advocatorum spe- 5
ciale post litem contestatam praestandum; debet enim jurare Advocatus: quod omni virtute sua, omnique ope, quod verum, et justum existimaverit, Clientibus suis inferre procuraturus sit, quod omne studium in investiganda veritate sit positurus, et si compererit causam esse iniquam, se causae amplius non patrocinaturum, et si id in Processu compererit, se a causa recessurum; sed quia hodie generale jura- 6
mentum initio praestari solet, speciale ab usu recessit. Quamvis autem illud, quod Advocatus, 7
comperta causae iniquitate, causam deserere teneatur, displiceat *Zasio*, et aliis, juri tamen divino, et humano conveniens est, *Vid. Viv. decis.* 123. *num.* 10. et quos allegat *Doring. in Bibliothec.* in voce: *Advocatus num.* 297. Sed 8
debent Superiores, si conscientiae suae consulere, et calumniis os obstruere velint, jura illa, quae in singulis causis juramentum calumniae ab Advocato exigunt, in usum revocare, praesertim cum in nuperiore *Recessu Imperii* §. (*uber* 9
dieses verdammen wir,) hoc statutum, ut Procuratores, et Advocati, exceptis tantum Statuum Consiliariis, in causis eorum jurare teneantur. Nam si litigantibus incumbit hoc, ut prae- 10
stare teneantur juramentum calumniae, multo magis id incumbit Advocatis, qui potissimum intelligunt, utrum sit lis justa, vel injusta, super qua jurabitur, *Auctor disc.* (*von Justitien Werk*) *p.* 249. quem allegat *Auctor Parthenii*

litigiosi lib. 2. *c.* 6. *n.* 24. *et c.* 7. *n.* 11. Abro-
11 ganda igitur est consuetudo (sunt haec verba *Auct. Parth. litig. d. l.* 2. *c.* 7. *num.* 12.) hoc praesertim malitioso saeculo, quo Advocatis calumniae juramentum remittitur, et contra jus Civile in forum reducendum, atque constituendum,
12 ut non solum Collitigatores, sed, et Advocati, et Procuratores, unusquisque in propriam, non alterius animam juret, jejuno stomacho, majore solemnitate, quam huc usque magno Reipublicae detrimento, et pluribus perjuriis factum.

L. Sancimus. 15. et Auth. seq.

SUMMARIA

Judex eum, qui emansit, non debet audire, nisi restitutis prius expensis, juramento a parte taxandis. num. 1.
Ratio. 2.
Ampliationes. 3. 4. 5.
Eremodicium. 6.
Expensae retardati processus non debent servari ad finem litis, sed in quolibet juris articulo, qui processum impedit, victor condemnari debet, nec expectanda sententia definitiva. 7.
In has litium expensas judex etiam irrequisitus contumacem condemnare debet. 8.
Ratio. 9.
Prius expensae a judice debent taxari, deinde pars jurare. 10.
Ratio. 11.
Adjudicatio non in minus fieri debet, quam est taxatum, et juratum. 12.
In moderationibus expensarum ad solitum, et honestum morem respiciendum. 13.
Nec standum nudae assertioni creditoris, utut aliud in contractu conventum. 14.
An expensae hac etiam post sententiam peti possint, dubitatur. 15.
Quando victus expensas restituere teneatur, et an necessario petendae? 16.

1 Judex eum, qui emansit, non debet audire, nisi restitutis prius expensis, juramento a parte
2 taxandis. Ratio in *l. non debet* 71. de *R. J.* quam
3 Regulam duodecim ampliationibus exornat *Jason hic*, quas ordine recenset *Dn. Carpzov. lib.* 3. *Resp.* 30. *num.* 8. *et seqq.* inter quas Notan-
4 da est tertia, et quarta, quod hoc etiam in minore, et Praelato, imo in ipsa Ecclesia locum habeat, *Vasq. p.* 2. *lib.* 1. *Controv. cap.* 9. *num.* 19. *Thesaurus dec.* 9. *num.* 10. *Menoch. l.* 1. *A. Q. cas.* 36. *num.* 1. Atque in ficta contumacia hanc legem locum habere tradunt hic Doctores, *Jason num.* 15. qui tamen dubitat, sed et affirmat *Cephalus cons.* 770. *num.* 23. Caete-
5 ras Ampliationes, vide sis in *Carpz.* qui etiam aliam addit Ampliationem, quod contumax ne quidem in alia causa audiendus sit, nisi prius
6 solvat expensas parti illi, contra quam Eremodicio peccavit, per hanc *l. et l.* 26. §. 6. *ff. Ex*
7 *quibus causis majores*; et hae Expensae retardati processus non debent reservari ad finem litis, sed in quolibet juris articulo, qui processum impedit, victor condemnari debet, nec expectanda sententia definitiva, *l. pen. C. de fruct. et litium expens. Parthenius litigiosus lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 14. Et in has litium Expensas 8
omnis Judex etiam non requisitus, ad quem spectat potissimum reprimere malitiam litigantium, condemnare contumaces debet, per 9
ea, quae *d. loco* allegat *Auct. Parth. litig.* Conf. *Dn. Carpz. in tr. noviss. de process. tit.* 24. *art.* 3. Debent autem prius taxari expensae a Judice, 10
per *Auth. seq. Auctor in l.* 79. *ff. de judic. num.* 8. et postea jurat pars, *l.* 9. *C. unde vi.* quia 11
hoc juramentum est veritatis, secus in juramento affectionis, ubi post jusjurandum Judex moderatur, quia de ipsa affectione tantum praestatur, nec Juramentum hoc in desuetudinem abiit, ut testatur *hic Wesemb.* Demum sequitur Adju- 12
dicatio, quae tamen non in minus fieri debet, quam est taxatum, et juratum, altera pars tamen potest appellare, *c.* 1. *et* 3. *de Appell. in* 6. Collige: In moderationibus expensarum ad 13
solitum, et honestum morem esse respiciendum, *Zas. hic num.* 41. *Gail. l.* 1. *obs.* 51. *num.* 1. nec standum esse nudae assertioni Creditoris, 14
utut aliud in contractu conventum, *Colerus de process. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 127. quod autem *Berlich. dec.* 127. *num.* 5. has expensas etiam 15
post sententiam peti posse putet, de eo merito dubito. Quando autem victus expensas restituere 16
teneatur, et an necessario petendae? docet *Auctor in l.* 79. *ff. de jud. num.* 1. *et* 2.

L. Apertissimi. 16.

SUMMARIA

Quando judex est suspectus, potest a parte recusari. num. 1.
Varie potest fieri suspectus. 2.
Limitatio regulae n. 1. *traditae.* 3.
Quando judex tanquam suspectus est recusandus, tunc libellus recusationis in scriptis debet offerri, et suspicionis causa allegari, et quidem ante lit. contest. et alias prolatas exceptiones dilatorias. 4.
Limitatio. 5.
Judex tanquam suspectus recusatus non potest ulterius procedere. 6.
Ratio. 7.
Qui, ut incompetens declinatur, de sui competentia judicare potest. 8.
Sententia, quam judex recusatus de facto fert, est ipso jure nulla, et quidquid ultra factum, pro invalido, et attentato habendum. 9.
A partibus eligantur arbitri, qui de causis recusationis summarie cognoscant. 10.
Ratio. 11.

Quando Judex delegatus suspectus, v. g. si 1
adversarii amicus, meus hostis etc. si pro parte 2
mea litteras misit, *Dn. Mevius p.* 2. *dec.* 77. vel secreto cum adversario colloquatur, si similem causam habeat, vel in eadem causa fuit Patronus, si se ingessit, de quibus causis *Umm. ad*

process. disp. 1. *num.* 54. *Marant. p.* 6. *tit. de Appell. num.* 27. *et seqq. Lancellottus de Officio Praetoris in causis civ. tit. except. num.* 10. *et seq. Zang. de Except.* 2. *c.* 4. *Hillig. ad Donell. l.* 7. *c.* 25. tum pars eum judicem recusatura
3 (si modo eum prius non petierit , *c.* 2. *X. de offic. deleg.* vel suo consensu non approbaverit)
4 debet offerre Judici libellum Recusationis in scriptis, et suspicionis causam allegare, idque ante litem contestatam, et antequam alias proferat
5 exceptiones dilatorias (nisi nova postea causa suspicionis emergat, ut, si affinis fieret, *c.* 25. *de Off. deleg. c.* 4. *de except. l.* 32. §. 4. *ff. de Arbitris,* vel innotescat, *c.* 4. *de Exce-*
6 *pt. Hillig. d. l. lit. O.*) Quo facto, judex ulterius non procedat, *Scaccia l.* 1. *de judic. c.*
7 101. *num.* 20. Non enim potest judicare de suspicione Judex recusatus, sicut de sui compe-
8 tentia judicare potest qui, ut incompetens, decli-
9 natur. Sed si de facto sententiam ferat recusatus, ea ipso jure nulla est, et quidquid ultra factum, pro invalido, et pro attentato habendum, *Dn.*
10 *Mevius p.* 2. *dec.* 31. Sed a partibus eligantur arbitri, qui de causis recusationis summarie co-
11 gnoscant, quia judicia sine suspicione procedere debent; ideo, si Judex recusatus procederet, mera essent attentata, *Camill. Borell. l.* 2. *dec. tit.* 36. *num.* 285. et ipso jure nulla, *Scacc. d. l. num.* 16. *et Umm. d. l. num.* 60. Recusatio autem judicis ut suspecti per se, sine accessione alterius injuriae, non est poena digna, per tradita *Dn. Mevii part.* 1. *dec.* 51.

Auth. Si vero.

SUMMARIA

Litigator , cui judex ordinarius suspectus , petere debet, Episcopum adjungi judici. num. 1.
Idque ex necessitate , secundum communem opinionem. 2.
Dissentit Donell. 3.
Jure Canon. Judex ordinarius etiam recusari potest. 4.
In hac auth. tantum consilium continetur. 5.
Judex desuper imploratus per commissarios causam tractari jubet. 6.
Vel suspecto judici alium adjungit. 7.

1 Litigator, cui Judex Ordinarius suspectus, petere debet, Episcopum adjungi Judici, sed *An*
2 *hoc ex necessitate ?* Ita putant de jure Civili communiter, adeo ut Ordinarius in totum re-
3 cusari nequeat. Dissentit *Donell. lib.* 17. *c.* 25.
4 sed quod jure Canon. Ordinarius etiam recusari possit, nullum est dubium per *c.* 4. *de foro compet. et c.* 61. *X. de Appell.* quin etiam in *hac*
5 *Auth. et Nov.* 86. *cap.* 2. Consilium tantum contineri volunt *Umm. ad process. D.* 1. *num.* 25. *Hillig. in Donell. l.* 17. *c.* 25. *l. q.* Judex e-
6 tiam Superior desuper imploratus per Commissarios causam tractari, et decidi jubet, vel su-
7 specto Judici alium adjungit, qui, quasi fraeno, ipsum cohibeat, et in terminis juris, ac justitiae ipsum retineat, ut loquitur *Dn. Carpz. in nuperrimo tract. de process. tit.* 3. *art.* 4. *num.* 89. *etc.*

L. Certi juris est. 17.

SUMMARIA

In l. hac confirmatur potestas judicandi tribunis militum inter milites. num. 1.
Rationes h. l. 2.
Ii etiam , qui nullis litteris imbuti , rerum tamen, et consuetudinum sunt periti, ut judices admittuntur. 3.

Confirmatur potestas judicandi tribunis mili- 1
tum inter milites, *hic, et l. Magisterii* 6. *C. de Jurisdict.* Quia 1. peritiam habent rerum mili- 2
tarium, de quibus pleraeque sunt controversiae inter milites. 2. Quia et usus probavit. Unde colligitur: Eos etiam, qui nullis litteris imbuti, 3
rerum tamen, et consuetudinum sunt periti, in Judices admitti per *hunc textum, et l. expertes litterarum* 6. *C. de decur. lib.* 10. *Menoch. cons.* 110. *num.* 249. *et num.* 256. *Klock. cons.* 101. *num.* 256. *vol.* 3.

L. Cum specialis. ult.

SUMMARIA

Quando propter absentiam judicis suspecti recusationis libellus ipsi porrigi non possit , tunc sufficit libellum recusationis porrigere judici loci , ubi recusans degit. num. 1.
Hic autem coget partes ad eligendos intra triduum arbitros. 2.
Et arbitri hi compellendi , ut intra certum tempus de causis suspicionis cognoscant. 3.
Quod si partes dissentiant , arbitrium tertii eligant. 4.
Si arbitri causas suspicionis relevantes, et probatas esse pronunciaverint , aut adjungendus est ordinario Episcopus , aut causa principalis defertur ad superiorem. 5.
Sin vero irrelevantes dixerint , recusatus ipse cognoscit. 6.
Moribus nostris delegans , vel superior cognoscit de causis recusationis. 7.

Quando Judicis suspecti absentia facit, ut recu- 1
sationis libellus ipsi porrigi non possit, tunc sufficit libellum recusationis porrigere judici loci, ubi recusans degit, qui partes coget ad eligen- 2
dos intra triduum Arbitros, et hi Arbitri com- 3
pellendi, ut intra certum tempus de causis suspicionis cognoscant, *Scacc. d. l. num.* 26. et si illi dissentiant, Arbitrium tertii eligant, *Scacc.* 4
num. 27. Si autem Arbitri illi causas relevantes, 5
et probatas (quomodo probentur, vid. *Wesemb. in l.* 16. *h. t. num.* 28. *Ummius num.* 58. *Zang. num.* 26.) esse pronunciaverint, aut adjungendus est Ordinario Episcopus, aut causa principalis defertur ad superiorem, *Scacc. d. num.* 28. Si vero irrelevantes dixerint, recusatus ipse co- 6
gnoscit. Moribus nostris delegans, vel Superior 7
cognoscit de causis recusationis, *Knichen. de Saxon. non prov. jure c.* 2. *num.* 14. *Hillig. d. l.*

TITULUS II.

De Sportulis, ac sumptibus in diversis Judiciis faciendis etc.

L. Quisquis. 1.

SUMMARIA

Apparitor, sive nuncius, vel executor, qui semel ad causam deputatus, et sportulas exegit, idem maneat. num. 1.
Ratio. 2.
Lex h. ab usu recessit. 3.

1 Apparitor sive Nuncius, vel Executor, qui semel ad causam deputatus, et sportulas exegit,
2 idem maneat, ne, mutata persona, idem bis exigatur. Sed, quia pro ratione quantitatis petitae Sportulae hodie non exiguntur, Vide *DD.*
3 *ad* §. 24. *Inst. de act.* lex haec ab usu recessit.

L. Omnibus. 2.

SUMMARIA

Judices delegati a Principe, vel ab aliis ad universitatem possunt nuncios, et executores desides removere, vel mulcta afficere. num. 1.
Ordinarii judices etiam corporaliter possunt eos punire. 2.
Judices delegati possunt constituere, aut removere nuncios. 3.
Officialis citra causam removeri non debet. 4.
Delegatus Principis non potest mulctam indicere, nisi officiali suo in officio delinquenti. 5.
In judicio communi ob defectum potestatis, vel meri imperii non satis punitus, alii judicio puniendus offerri potest. 6.
Textus hic est notabilis. 7.

Judices Delegati a Principe, vel ab aliis ad Universitatem, possunt Nuncios, et Executores desides removere, vel mulcta afficere: Ordinarii 1 2
vero Judices etiam corporaliter punire. Collige: 3
Judices Delegatos posse constituere, aut removere Nuncios. Collige ex textu; verbis *Si cessaverint:* Officialem citra causam removeri non 4
debere, quod etiam ex argumento praecedentis legis patet, *Menoch. lib.* 1. *A. Q.* 69. *num.* 10. *Caeval. q.* 425. *num.* 16. *Mastrill. de Magistrat. l.* 1. *cap.* 27. et quos citat *Barbos. l.* 9. *C. de Advoc. div. judic.* et *Thomas Merckelbach. inter consil. Klockii vol.* 1. *cons.* 32. *num.* 43. Colligunt etiam ex hac lege: Delegatum Principis 5
non posse mulctam indicere, nisi Officiali suo in officio delinquenti, *Petr. Barbosa in l.* 2. §. *fin. num.* 94. *ff. de Judic.* quem allegat *hic Aug. Barbos. num.* 3. ex versic. *et ad Judices, quorum interest.* Colligitur etiam: aliquem in judicio 6
communi, ob defectum potestatis, vel meri Imperii, non satis punitum, alii judicio puniendum offerri posse, *Anton. Gomez. tom.* 3. *Resol. c.* 1. *num.* 40. *in quarta cond.* vers. *primo fecit*, ubi Textum hunc dicit esse Notabilem, 7
quem sequitur *hic Barbos. num.* 6.

TITULUS III.

De Pedaneis Judicibus.

L. Procuratori. 1.

SUMMARIA

Procurator Caesaris est Judex inter Fiscum, et Privatum. num. 1.
Non autem inter privatos. 2.
Non potest munus suum delegare. 3.
Si de facto delegaverit, et delegatus sententiam tulerit, illa ipso jure nulla est. 4.
Errantis nulla est voluntas. 5.

1 Procurator Caesaris est Judex inter Fiscum,
2 et Privatum, non autem inter privatos; quia ergo ipse inter privatos judicare nequit, nec
3 aliis hoc munus delegare potest, et si sententia a delegato ferretur, ipso jure ea nulla esset, 4
quia hic nulla est prorogatio facta, cum errantes ipsum adierint: Errantis autem nulla volun- 5
tas, *l. si per errorem ff. de jurisd.* Aliam rationem insinuat *Petr. Barb. in l.* 1. *art.* 1. *num.* 21. *et Aug. Barb. hic num.* 6. quod ipsius Jurisdictio non potuerit prorogari, quia non habuit inter privatos Jurisdictionem.

L. Placet nobis. 2.

SUMMARIA

Praesides ante Diocletianum causas quasvis delegare poterant, vel mandata jurisdictione, vel dato Judice Pedaneo in certa causa. num. 1.
Hac lege jubentur ipsi judicare. 2.

Ratio hujus dispositionis. 3.
Limitatio. 4.
Antea praeses non poterat judicare. 5.
Olim etiam propter privata impedimenta poterant delegare. 6.
Hodie nonnisi propter publica. 7.
Voluit Imp. restringere , quae antea dicta , ad eas causas , super quibus antea poterant delegare judices. 8.
Ratio. 9.
In causa ingenuitatis, vel libertinitatis praesides ipsi cognoscere debent. 10.
Nec possunt ullo modo eas causas delegare , de quibus ipsi ex speciali legis commissione cognoscebant. 11.
Tales causae quaenam? 12.

1 Praesides ante Diocletianum causas quasvis de-
legare poterant, vel mandata Jurisdictione, *l.*
1. *ff. de eo, cui mandata est Jurisdictio,* vel
dato Judice pedaneo in certa causa, *l.* 17. *ff.*
2 *de Jurisdict.* sed hic jubent Imperatores, ut ipsi
3 Praesides judicent propter multas absurditates ex
4 delegandi licentia ortas , nisi multitudine nego-
tiorum, vel aliis impedimentis constringantur.
5 Sed *An potuit Praeses antea judicare?* quod
non videtur per verba textus: *non potuisse.* Sed
Acc. et Donell. l. 17. *c.* 22. *lit. D.* de facti, non
juris impedimento intelligunt, scilicet hoc mo-
6 do: Olim etiam propter privata impedimenta,
quando non poterat ipse judicare, poterat de-
7 legare; Sed hodie non nisi propter publica, *vid.*
Don. d. l. et ibi Hillig. lit. D. et Gilken. hic,
qui multis disputat: et quos *hic* allegat *Barbo-*
sa, et Petr. Barbosa in l. 12. §. 1. *num.* 29. *et*
8 *seqq. ff. de judic.* Vel voluit Imperator restringe-
re, quae antea dicta ad eas causas, super quibus
9 antea poterant delegare judices; nam super a-
liis, quae sunt cognitionis praetoriae, neque ob
occupationes publicas licet delegationem facere.
Vid. Bacchov. ad l. 2. *Pand. tit. de Jurisd. man-*
data num. 6. *p.* 398. Et ideo versiculi, *dum ta-*
10 *men*, haec est sententia, quod in causa ingenui-
tatis, vel libertinitatis praesides ipsi cognoscere
debeant, *Barb. ad d. l.* 12. §. 1. *num.* 339. Sub
11 hoc praetextu tamen nullo modo possunt dele-
gare eas causas, de quibus ipsi ex speciali com-
12 missione cognoscebant , ut sunt causae Meri
Imperii, *l.* 1. *ff. de offic. ejus, cui mandata est Jurisd.* et Alimentorum, *l.* 8. §. 17. *ff. de Transact.* item causa status, propter ejus gravitatem, nam in his causis omnino ipsi judicare debebant. Sic etiam cognoscere debebant ipsi de Salariis Professorum, Medicorum, Obstetricum, et simil. *l.* 1. *ff. de Extraord. cogn.* de restitutionibus Minorum, *l.* 24. §. *ult. ff. de Minoribus*, et similibus, quas recenset *Donell. d. c.* 22.

L. Placet. 3.

SUMMARIA

Delegatus Judex , sive Pedaneus non debet causam indecisam ad delegantem remittere. num. 1.
Ratio. 2.
Alia ratio assessorum. 3.
Quorum est tantum consilium praebere , non vero judicare. 4.
Principis delegatus subdelegare potest. 5.
Limitatio. 6.

Delegatus Judex, sive Pedaneus, non debet 1
causam indecisam ad delegantem remittere, quia
tota Jurisdictio in illa causa mandata est , et 2
pars gravata habet remedium Appellationis: alia
ratio vero est Assessorum, quorum est tantum 3
consilium praebere, *l. ult. ff. de Assess.* non ve- 4
ro judicare, *l. ult. C. de Offic. Assess.* Quam-
vis autem Principis Delegatus subdelegare pos- 5
sit, si tamen eo faciat animo, ut se cognitione 6
causae exoneret, dolose irritabitur delegatio, et compelletur per se de causa cognoscere, per *c. pastoralis X. de Offic. deleg. Petr. Barbos. in l. cum Praetor* 12. §. 1. *num.* 403. *ff. de judic.*

L. Placuit. 4.

SUMMARIA

Pedaneo judice mortuo , aut propter rempublicam impedito , post litem contestatam alius Judex surrogetur , qui judicium coeptum persequatur. num. 1.
Ratio hujus. 2.

Pedaneo Judice mortuo, aut propter Rempu- 1
blicam impedito, post litem contestatam, licet
expirasse instantia videatur, propter utilitatem
tamen litigantium hic constitutum, ut alius Ju-
dex surrogetur, qui Judicium coeptum perse-
quatur, ut nova instantia opus non sit. Ratio 2
hujus, ne, quae a priori delegato gesta, in irritum vocentur, ut litigia perpetuentur; Ergo Judex delegatus surrogatus judicium a praedecessore coeptum continuabit. Conf. *Don. l.* 17. *c.* 26.

L. Quaedam. ultim.

SUMMARIA

Praeses absens, vel abfuturus , licet brevi rediturus speretur , causas humiliores delegare potest. num. 1.
Ratio. 2.
Est haec l. exceptio legis 1. *h. t.* 3.
In hoc , quod causae infimae etiam hodie delegari possint , omnes DD. conveniunt. 4.

Praeses absens, vel abfuturus, licet brevi redi- 1
turus speretur, causas humiliores delegare po-
test, nec expectandus illius reditus; ut scilicet 2
lites citius terminetur. Et ita *haec lex* Exceptio 3
legis primae est; et in hoc, quod scilicet cau-
sae infimae etiam hodie delegari possint, omnes 4
DD. convenire, scribit *Petr. Barbos. in d. l.* 12. §. 299.

TITULUS IV.

Qui pro sua Jurisdictione Judices dari, darive possunt.

L. In Causarum. unic.

SUMMARIA

Qui non habet jurisdictionem ratione causae, vel personae, delegare non potest. num. 1.
Nec cognitor datus ipsi debet obsequi. 2.
Omnia quae facit, sunt irrita. 3.
Ratio. 4.
Delegatorum potestas ex potestate delegantis dependet. 5.
Hodie ex consuetudine omnes judices delegare possunt. 6.
A delegato principis subdelegatio in alium facta sine distinctione causarum, vel personarum valet. 7.
Ratio. 8.
Limitatio. 9.
A subdelegato appellatur ad delegatum, non Imperatorem. 10.
In aliis ad primum delegantem. 11.
Si jurisdictio delegetur generaliter, ibi appellatio fit ad primum delegantem. 12.
Exceptio. 13.
Si certa causa delegetur, ad ultimum delegantem appellatur. 14.
Merum imperium a delegato principis subdelegari non potest. 15.
Ratio. 16.

1 Qui non habet Jurisdictionem ratione causae,
vel personae, delegare non potest, nec cognitor
2 datus ipsi debet obsequi, vel, si id faciat, omnia
3 sunt irrita, nec opus est Appellatione. Ratio:
4 *in l. privatorum* 3. *C. de Jurisd.* Nam ut aliis
causa delegari possit, necesse est, ut is, qui
delegavit de causa cognoscere potuerit, *Molin.*
tr. 5. *de Just. et Jur. disp.* 16. *n.* 3. ubi cum
Bartolo nullam esse sententiam dicit, licet par-
tes nihil opponant, nam delegatorum potestas 5
ex potestate delegantis dependet, *c. sane c.* 11.
et c. 29. *X. de Off. Jud. deleg.* Hodie omnes ex 6
consuetudine delegare possunt, *Auctor in l.* 12.
ff. de jud. num. 5. Sane a delegato Principis 7
subdelegatio in alium facta, sine distinctione cau-
sarum, vel personarum valet, quia potestas Prin- 8
cipis illimitata, ergo metienda delegati potestas
ex potestate delegantis Principis, et ideo dele-
gatus a Principe subdelegare potest, non vero
alius delegatus, *c.* 27. §. *si vero de officio jud.*
deleg. Gail. lib. 1. *obs.* 97. *num.* 8. *Hillig. in*
Donell. l. 17. *c.* 8. *lit. M. Petr. Greg. lib.* 5. *Pa-*
ratit. Jur. Can. tit. 5. *cap.* 4. *Auctor in l.* 12. *ff.*
de judic. num. 5. nisi personae industria electa, 9
quo casu nec delegatus Principis subdelegare
possit, *Petr. Greg. d. l. et Molina d. disp. num.*
2. Sed ubi subdelegatio tenet, ab hoc subdele- 10
gato appellatur ad delegatum, non Imperato-
rem; in aliis ad primum delegantem; Aliud 11
enim est, si Jurisdictio delegetur generaliter, 12
ubi Appellatio fit ad primum delegantem, exce-
pto Legato proconsulis, *l.* 2. *ff. Quis et a quo* 13
Appell. aliud, si certa causa delegetur, ubi ad 14
ultimum delegantem appellatur, per *hanc le-*
gem. Merum autem imperium a delegato Prin- 15
cipis subdelegari non posse communius rece-
ptum est, vide *Menoch. lib.* 1. *Arbitr. Quaest.*
54. *Jul. Clar.* §. *fin. q.* 41. *num.* 3. *Molin. d. tr.*
5. *d.* 17. *Scip. Gentilis lib.* 3. *de Jurisdict. cap.*
29. *Bacch. in Treutl. vol.* 1. *d.* 3. *th.* 6. *lit. E.*
et G. Cujus sententiae ratio est, quia Princeps 16
committendo alicui causam criminalem, perso-
nae industriam elegisse videtur, quia res maxi-
mi est momenti. Nec necesse est circa finem
legis in verbis: *causarumque habito tractatu*,
intelligere etiam criminalia, cum ad magnam
varietatem causarum civilium, commodissime
referri possint, et ideo ad eas, quae natura sua
delegabiles, *Bacchov. ad l.* 2. *Pand. sub. Rubr. de*
Imperio mero num. 5. *pag.* 367.

TITULUS V.

Ne quis in sua Causa judicet, vel jus sibi dicat.

L. Generali Lege. unic.

SUMMARIA

Ratio legis, et rubr. est in aequitate naturali, et suspicione posita. num. 1.
Eadem obtinet in personarum conjunctarum causis. 2.
Limitatur. 3.
Ratio dubitandi. 4.
Injuriam judici illatam ratione officii ipse judex ulcisci potest. 5.
Ratio. 6.
Limitatio. 7. 8.
Non facile magistratui ultio suae injuriae committenda, si poena arbitraria. 9.
Idem intelligendum de principe. 10.

Quamvis de honestate compromittere in arbitros debeat. 11.
Idem dicendum de Episcopo in causis Ecclesiae suae. 12.
Ratio dubitandi, 13.
Consuetudine, et statuto introduci putant nonnulli, ut quis in sua causa judicet. 14.
Quae sententia reprobatur. 15.
Ipsa naturalis ratio abhorret a judicio judicis suspecti. 16.
Deducitur hoc uberius. 17.
Boni principes in propriis causis solent causam suam agere coram deputatis. 18.
Non debet remitti causa ad judicem immediatum, si ipse culpae consors sit. 19.
An, et quando pater in causa filii Judex esse possit? 20.

1 Ratio Legis, et Rubricae est in aequitate naturali, et suspicione posita, *c.* 15. *de Off. deleg.*
2 *et c.* 16. *X. de Appellat.* idem est in conjunctarum personarum causis, quod scilicet de aliis nemo judicare debeat, *l.* 10. *ff. de Jurisdict.*
3 Quamvis utraque parte consentiente judicium
4 procedat, *l.* 77. *ff. de Judic.* ubi ratio dubitandi, quia Pater cum Filio eadem persona videtur;
5 injuriam tamen Judici illatam, ratione officii
6 (quia illa Reipublicae potius, quam personae infertur) ipse Judex ulcisci potest, *Gail. l.* 1.
7 *obs.* 36. *num.* 2. quod de facto notorio, vel injuria publice nota intelligo, juxta ea, quae habet *Farin. q.* 17. *num.* 45. *Trentac. Res. tit. de Judic. num.* 6. *et Barbosa hic num.* 11. et idem
8 intelligendum, si injuria illata Magistratui ratione officii, non vero ratione odii particularis, *Farin. d. quaest.* 7. *num.* 46. et quos allegat *Barbos. hic num.* 12. nec etiam facile Magistratui ultio suae injuriae committenda, si poena 9
arbitraria, *Farin. d. l. num.* 44. de Principe 10
idem putant per *l.* 3. *ff. de His, quae in testamento delentur*, *l.* 41. *ff.* de *Haered. Inst.* et per ea, quae hic allegat *Barbosa num.* 4. *et Schrad. de Feud. p.* 10. *Sect.* 2. *num.* 64. *et Hillig. in Donell. l.* 17. *c.* 2. *lit. B.* quamvis de honestate 11
compromittere in Arbitros debeat, *Knichen. de sublimi territ. jure c.* 1. *n.* 382. *Hillig. d. l.* idem
in Episcopo in causis Ecclesiae suae, *Trentac.* 12
l. 2. *Resol. tit. de Judic. Res.* 5. *num.* 7. Sed 13
hic dici potest Episcopum non de sua, sed Ecclesiae causa judicare. Haec, et similia alia
longa manu concedunt *DD.* et imo consuetudine, et statuto introduci posse putant, ut quis 14
in sua causa judicet, quae, et aliae limitationes non levibus argumentis destruuntur. Certe 15
ipsa naturalis ratio abhorret a judicio Judicis suspecti, *C. fin. c.* 3. *q.* 5. *c.* 41. *§. fin. X. de Appell.* Quis magis suspectus, quam judex in pro- 16 17
pria causa? utut enim aliquis perspectae sit fidei, et dexteritatis, homines tamen sumus, et nemo se non magis amat, quam proximum. Ideo vi-
demus Principes bonos in propriis causis solere 18
causam suam agere coram deputatis, *Auctor in l.* 17. *ff. de jud. num.* 2. et jubere, ut acta postea ad Collegium non suspectum transmittantur, quod etiam juri naturali conveniens est.
Ex hoc textu colligitur, non debere remitti 19
causam ad judicem immediatum, si ipse culpae consors sit, quale exemplum habet *Dn. Mevius p.* 6. *dec.* 157. Incidenter hic quaeri potest: An, 20
et quando Pater in causa Filii judex esse possit? Vide *Auct. in l.* 77. *ff. de jud.*

TITULUS VI.

Qui legitimam personam standi in Judiciis habeant, vel non.

L. Si cum esses. 1.

SUMMARIA

Sententia legis. num. 1.
Quaer. an valeat sententia interlocutoria contra pupillum in judicio agentem lata? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Respondetur ad l. obst. 4.
Ubi nullum judicium, ibi nequidem interlocutoria sententia valida esse potest, uti nec alia judicii acta. 5.
Potest impubes alimenta petere. 6.
Interdicto uti de libero homine exhibendo. 7.
Suam, suorumque injuriam vindicare. 8.
Limitatio. 9.

1 Sententia, contra Pupillum in Judicio agentem, lata, ipso jure non valet, secus si pro pupillo, *l. non eo minus* 14. *C. de Procurat.*
2 Sed *An ne valeat Interlocutoria?* Videtur quod sic, *ob l.* 3. *in fin. princ. ff. Ex quibus causis* 3
in possess. eatur. Sed ibi agitur de primo de- 4
creto, aliud in aliis Interlocutoriis, *Vantius de Nullit. tit. ex defectu inhabilitatis comparentium num.* 32. Nam ubi nullum judicium, ibi ne qui- 5
dem Interlocutoria sententia valida esse potest, uti nec ulla alia Judicii acta. Sed potest impu- 6
bes alimenta petere, *l.* 1. *C. de Aliment. pupillo praestand.* interdicto uti *de libero homine* 7
exhibendo, *l.* 3. *§.* 11. *de hom. lib. exhib.* idem si 8
suam, suorumve injuriam vindicet, per *l.* 11. *de accus.* cum tutore tamen, ut recte *Hillig. in* 9
Donell. l. 17. *c.* 4. *lit. R.*

L. In rebus. 2.

SUMMARIA

Nec pupillus, nec minor habent personam standi in judicio. num. 1.
Differentia inter pupillum, et minorem. 2.
Exceptiones. 3. *seqq.*

Minor non potest procuratorem constituere ad judicia sine curatore. Limitatur. 6. et 7.

1 Ut Pupillus, ita, et Minor non habent perso-
2 nam standi in judicio: hoc interest, quod ibi
omnia agat sua auctoritate Tutor, hic vero Mi-
3 nor, sed cum consensu Curatoris. Excipitur I.
Si minor aetatis veniam impetravit, vel II.
Experiatur interdicto de liberis hominibus exhi-
bendis, per *d. l.* 3. §. 11. *ff. de liber. hom. exhib.*
4 III. Si pro conjunctis personis agat, *l. exigendi*
5 12. *C. de Procurat.* IV. Si judicium sit Crimi-
nale, per verba textus: *privati judicii.* V. Cau-
sa Spiritualis, *c. fin. de Judiciis lib.* 6. VI. Mo-
6 mentaneum Possessorium, *l. seq. h. t.* Et ideo
Minor neque Procuratorem constituere potest
ad judicia sine Curatore, *argument. hujus l. et*
l. 11. *et* 14. *supr. de Procur. Carpz. p.* 1. *Ju-*
7 *rispr. const.* 1. *def.* 22. nisi juraverit etiam sine
Curatore, se non contraventurum Processui,
et sententiae ferendae, *Bocr. decis.* 92. *Trentac.*
l. 2. *tit. de Judic. Resol.* 6. *num.* 5.

L. Momentaneae. ult.

SUMMARIA

In causa momentaneae possessionis, seu restitutionis spolii et minor, et pupillus pubertati proximus agere possunt. num. 1.
Ratio. 2.
Limitatio. 3.
Hodie judiciorum ordo mutatus, et causa possessorii magni est praejudicii. 4.
Minori datur restitutio. 5.
Ad summariissimum possessorium hanc l. restringit Menoch. 6.
Colore hoc non potest litigare super proprietate. 7.
Quando pars adversa nihil opponit, sententia valebit. 8.

In Causa Momentaneae Possessionis, sive Resti- 1
tutionis spolii et minor, et pupillus pubertati
proximus agere possunt. Ratio: quia res parvi 2
praejudicii; causa enim proprietatis integra ser-
vatur, modo intelligat, quid agat, *Donell. d. c.* 3
4. Sed hodie, judiciorum ordine mutato, causa 4
possessorii magni praejudicii est, ideo non ma-
le quis dixerit, minori dari Restitutionem, cum 5
Trentac. d. Res. 6. *num.* 12. *Covarr. lib.* 1. *Re-*
sol. cap. 5. *num.* 8. nisi ad Summariissimum
Possessorium *hanc legem* restringamus cum *Me-* 6
noch. Rem. 15. *Recup. poss. num.* 294. non ve-
ro minor potest conveniri, *argum. l. quod fa-*
vore 6. *supr. de Legib.* Colore tamen hoc non 7
potest litigare super proprietate, praesertim, si
contra pupillum, vel minorem agat; quando 8
vero pars adversa nihil opponit, sententia vale-
bit, *d. l. non eo minus* 14. *sup. de Procurat.*

TITULUS VII.

Ut nemo invitus agere, vel accusare cogatur.

L. Invitus. unic.

SUMMARIA

Nemo invitus ad agendum, vel accusandum compelli debet. num. 1.
Incivile est, hominem compellere ad id, quod non potest. 2.
Causas agere omnes non sciunt. 3.
Superiorum est, non jubere litigia, sed prohibere. 4.
Limitantur n. 1. *dicta.*
Qui semel actionem movit, compelli potest, ut actionem persequatur. 6.
Creditores moneri possunt, ut, si contra aliquem praetensionem habeant, eam intra certum tempus moveant. 7.
Studiosus potest denunciare per programma publice spatium temporis, intra quod se conveniant, qui debitum praetendunt. 8.
Propter finem haeres vindicare tenetur necem defuncti. 9.

1 Regula est: Quod nemo invitus ad agendum
vel accusandum debeat compelli: ratio: Quia
2 incivile est hominem compellere ad id, quod
non potest, *l.* 9. §. 10. *ff. de poenis l.* 71. §. 2.
ff. de Condit. et Demonstr. Causas autem agere 3
non sciunt omnes, et Superiorum est non ju- 4
bere litigia, sed prohibere. Verum, qui semel 5
se adstrinxit ad agendum, potest compelli, ut
via eadem quam semel elegit, ambulet, et sic
qui semel Actionem movit, compelli potest, ut 6
actionem persequatur, et sic ulterius in judicio
agat, *Auth. qui semel C. Quomodo, et Quando*
Judex etc. Sic etiam, qui semel diffamavit me,
ex Practica *Legis Diffamari* se obstrinxit ad agen-
dum, nisi velit, ut sibi silentium imponatur.
Deinde volunt, posse alicujus Creditores moneri, 7
ut si contra me praetensionem habeant, eam
ob certam causam intra certum tempus moveant,
forte propter abitum meum, *Gomez. t.* 3. *Re-*
sol. c. 1. *num.* 23. *et Covarr. lib.* 2. *Resol. cap.*
18. *num.* 1. Sic studiosus potest denunciare per 8
programma publice spatium temporis, intra
quod se conveniant, qui debitum praetendunt,
et ratione officii semel suscepti agere compelli-
tur Procurator, Tutor, Curator, etc. Demum 9
ratione finis haeres vindicare tenetur necem de-
functi, si velit haereditatem retinere, *l.* 1. *C. de*
his quibus ut indignis. Alius casus est in *l.* 13. §.
penult. ff. de Act. Empt. l. 7. §. *penult. de Le-*
gat. 1. et sim. Conf. *Axiom. Barbos. locupletat.*
l. 1. *c.* 47. *axiom. ult.*

TITULUS VIII.

De ordine Judiciorum.

L. Adite Praesidem. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An causa status agi possit coram praeside? 2.
An qui de causa aliqua cognoscere nequit, possit id tantum facere incidenter? 3.
Bartolus *notatur.* 4.

1 Secundum *Donell. l.* 17. *cap.* 9. *lit. L.* haec est facti species: Testatori natus est posthumus, is per matrem, et tutorem haereditatem petit, ceu rupto per agnationem Testamento, Scriptus haeres negat, ipsum esse filium, Quaeritur: *An*
2 *causa status agi possit coram Praeside?* Et respondet Imperator posito, non concesso, Praesidem alias de statu cognoscere non posse, vel etiam hic non posse ob aliquam circumstantiam, forte quia pupillus ex alia Provincia est, quam ubi haereditas petebatur, posse tamen ipsum incidenter super statu pronunciare, quia omnium, quae ad rem in judicium deductam cognoscendam faciunt, Judici incumbit officium, *l.* 25. §. 8. *ff. de Ædil. Edict. l.* 2. *ff. de jurisd.* et Judex ita de statu non definitive pronunciat, sed principaliter de
3 haereditate. Nota bene: Qui de causa aliqua cognoscere nequit, potest id tantum facere incidenter, de quo videri potest *Donell. l.* 17. *cap.* 9. *et ibi Hillig. lit. X. Menoc. l.* 2. *A. Q. casu* 67. Sed in causa Spirituali id non concedunt Canonistae per *cap.* 3. *X. de Ord. cognit. cap.* 5. *X. qui filii sint legitimi*, quod tamen *Wesemb. in l.* 3. *C. de judic. num.* 8. ad quaestionem juris restringit, v. g. An validum sit matrimonium? Nam quando quaestiones matrimoniales de facto incidunt, v. g. an haec fuerit pro uxore habita, ac tractata, et haec incidat coram judice civili, omnino hic de ea ob connexitatem causae pronunciare potest, quamvis apud nos, si causa Spiritualis incideret in causam civilem principalem, non putarem remitti causam Spiritualem, vel matrimonialem ad Consistorium, vel si in causa criminali, v. g. Adulterii incideret quaestio matrimonii, an adultera fuerit in vero matrimonio? Certe non memini remissionis istius. Sed eo casu, ubi Judex de causa non potuit principaliter cognoscere, sed tantum incidenter, tunc sententia super illo incidenti puncto lata non potest exceptionem rei judicatae parere in alio judicio, ubi de incidenti princi-
4 paliter agitur: Sed quando de incidente puncto potuit principaliter cognoscere, tunc procedit distinctio *Bartoli*, an plene fuerit cognitum de incidenti puncto, an non, ut illo casu pariat exceptionem, hoc non, *Franc. de Clapperiis Caus.* 64. *quaest.* 2. *num.* 4.

L. Si quaestio. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Arbiter de proximitate incidenter pronunciare nequit. 2.
Judex in causa attentatorum ita procedere debet, ne praejudicium inferat causae principali. 3.
Causae praejudicialis decisio spectat ad judicem ordinarium. 4.
Qui se vult admitti ut talem, prius se talem esse probare debet. 5.

Mortuo Patruo meo, ago contra alterius Pa- 1
trui liberos, ut haereditatem mecum dividant, sed illi excipiunt defunctum Patruum meum non esse, nec me esse de cognatione illa, et familia; haec quaestio, quia praejudicialis, prius est decidenda, antequam judicium familiae herciscundae instituatur, nam praejudicialis quaestio est, an sim cognatus, quae prius decidenda; nam constitutus arbiter ad familiam herciscundam, si moveatur Quaestio de proximitate, sive genere, de hac causa incidenter pronunciare non 2
potest, ne praejudicium fiat haereditati, *l.* 5. §. 2. *ff. de Petit. Haer.* Ideoque tum praeses prius de proximitate pronunciabit. Sic Judex in causa 3
attentatorum ita procedere debet, ne praejudicium inferat causae principali, *Dn. Mevius p.* 4. *d.* 35. Ideoque quando causa aliqua committitur Commissariis, et quaestio praejudicialis incidat, haec omnino prius decidenda a Judice competente, et sic causae praejudicialis decisio 4
ad Ordinarium judicem remittenda. Colligit hic *Salyc. Qui* se vult admitti ut talem, debere prius 5
probare, se talem esse, *hic, et l.* 59. *C. qui accusare, Klock. v.* 2. *cons.* 39. *num.* 291.

L. Cum Civili. 3. et L. Quoniam. 4.

SUMMARIA

Criminalia, et Civilia judicia aeque principaliter non cumulantur. num. 1.
Criminale judicium prius civili est proponendum. 2.
Ratio decidendi. 3.

Facti species. 4.
Quaestio praejudicialis quid sit? 5.
Carpzovius *defenditur.* 6.
Criminalis, si non est praejudicialis, tunc una sententia ambae terminari possunt. 7.
Sensus l. 3. *hic.* 8.

1 Criminalia, et Civilia judicia aeque principaliter non cumulantur, *l.* 4. *ff. de Pub. Jud. l. ult. h. t.* v. g. si tu me convenias ob centum, ego te
2 ob homicidium reconveniam; nam Criminale
3 prius est proponendum, ne scilicet majori causae per minorem impedimentum inferatur, *l.* 54. *ff. de judic.* et cum altera alterius respectu non sit praejudicialis, *l. un. C. Quando Civil. Act.* sed minus principaliter Criminalia Civilibus adjungi possunt, per *l.* 3. *h. t. et l.* 2. §. 3. *ff. de*
4 *Vi Bon. Rapt.* v. g. Si petam decem ex instrumento, in quo excipiendo, tu crimen falsi arguis, et tunc utraque simul determinanda, aut prius quaestio incidens, si sit praejudicialis, *l.* 3. *et seqq. C. de Ord. Cognitionum*, quod in similibus etiam obtinet, *l.* 3. *C. de Judic. l. ult. C. de Ordine cognitionum, l.* 1. *ff. Fam. Hercisc. l.* 15. *ff. de Except.* Praejudicialis autem 5
quaestio est, quando totius causae status consistit in quaestione incidente, v. g. Si testes contra me productos de falso accusem, et jus totius causae in his testibus accusatis consistat, *Affl. dec.* 229. *Capyc. dec.* 53. *Ricc. Coll. dec.* 409. et hinc defendi potest *Responsum Carpzov.* 6
lib. 2. *quinquages. secund.* ubi totius causae cardo in eo consistebat, an Apocha crimine falsi laboret, et recte ideo supersedendum erat judici in civili judicio, donec de falsitate per inquisitionem esset cognitum. Alias, si crimina- 7
lis non sit praejudicialis, tunc una sententia possunt ambae terminari, si una principalis, altera incidens, de quo casu intelligunt *l.* 3. sed 8
secus, si ambae principaliter moveantur, tunc enim cessat Civilis, et Criminalis prius finienda, de eo *lex fin. h. t. Ricc. d. l.* Conf. *etiam Lancellottus de Attent. p.* 2. *cap.* 4. *lim.* 23. *et Clar.* §. *fin. quaest.* 2. *et Trentac. l.* 2. *Resol. tit.* de *judic. Resol.* 7. *Farinac. qu.* 100. *cap.* 2.

TITULUS IX.

De Litis Contestatione.

L. Res. unic.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Per litis contestationem res demum fit litigiosa. 2.
An etiam per simplicem ab una parte factam editionem libelli, aut narrationem litis, contestatio inducatur? 3.
Quid sit litis contestatio? 4.
An protestatio haec rei: se narrando litem non contestaturum, ipsum relevet? 5.
Litis contestatio est de substantia Judicii. 6.
Litis contestatio fit proposita exceptione peremptoria de jure quidem civili. 7.
Secus de jure Canonico. 8.
Qui excipit, non fatetur, neque negat. 9.
Quae observanda sint, ut valeat litis contestatio. 10.
An huic Authent. *renunciari possit?* 11.
Libellus est de essentia processus. 12.
In causis summariis libelli vicem repraesentat qualis qualis petitio. 13.
An per hanc Authent. *ubi de fidejussione a reo praestanda agitur, derogetur* leg. Sciendum 15. ff. de his, qui satisdare cogantur. 14.
Lex posterior generalis indistincte loquens limitanda est per specialem antiquiorem, et juxta illam intelligenda. 15.
Limitatio. 16.
Nullum infirmius argumentum, quam quod ex verbis generalibus sumitur ad particularium legum correctionem. 17.
Praestatio satisdationis a Reo an fiat aliquando etiam in rebus mobilibus? 18.
Reus praestita satisdatione judicem tamquam suspectum recusare potest. 19.
Judex a me electus, et petitus, recusari non potest. 20.

Vindico a te domum oblato Libello, vel po- 1
stulatione oretenus facta, tu postea domum vendis, Quaeritur: *An litigiosam rem vendideris, et ita incurras poenam, leg. Censemus C. de Litigiosis?* Sed respondetur, quod non; quia per 2
litis contestationem res litigiosa fit, per simpli- 3
cem autem ab una parte factam editionem libelli, aut narrationem, litis contestatio non inducitur, sed requiritur Narratio ultro citroque facta. Est enim Litis Contestatio Principalis ne- 4
gotii ab una parte Narratio, et alterius ad factum, et ex facto ortum jus, congrua responsio, *Bartolus hic, et Mascard. concl.* 431. *Ricc. decis. coll.* 403. et ideo hac responsione facta praesumitur litis contestatio facta, *Mascard. d. l. et Menoch. l.* 2. *praes.* 30. adeo, ut si protestetur Reus, se narrando litem non conte- 5
staturum, protestatio haec ipsum non relevet, si a Judice, vel statuto jussus sit litem contestari, *Gail. l.* 1. *obs.* 73. *num.* 5. *Mascard.* d. *concl. num.* 20. *et seqq.* et quos allegat *Berlich. p.* 1. *concl.* 26. *num.* 26. Collige ex hac lege: litis contestationem esse de substantia Judicii, 6
hic, et c. un. X. h. t. Myns. cap. 3. *obs.* 74. *Gail. lib.* 1. *obs.* 75. et quos laudat *Hillig. in Donell. l.* 24. *cap.* 1. *lit. F. Scacc. de Judic. l.* 1. *cap. ult. in fin. Masc. concl.* 33. *num.* 16. *Carpz. p.* 1. *Jurispr. const.* 10. *def.* 1. *et* 8. Fit autem 7
litis contestatio Jure Civili proposita peremptoria exceptione, secus Jure Canonico, per *c. fin.* 8
de Litis contestatione in 6. *Obrecht. tract. de Litis contest. cap.* 5. *num.* 15. Nam qui excipit, 9

non fatetur, neque negat, *c. Exceptionem d. R. J. in 6. Panorm. in c. un. X. h. t. num. 18. et Marcus Mantua ibid. n. 16. Gilken. hic n. 31.*

Auth. Offeratur.

10 Actor debet offerre libellum Judici, et deinde expensis suis etiam Reo, postea praebitis sportulis, et fidejussione praestita, juxta *Auth. generaliter C. de Episcop. et Cler.*; dandae Reo sunt induciae viginti dierum ad deliberandum, an cedere Actori, an vero Judicem recusare velit. Sed si haec forma non fuerit observata, non valet Litis contestatio; quamvis commu-
11 nius placeat, tacite huic Auth. renunciari posse, nisi quoad libelli oblationem, quae etiam ad informationem Judicis requiritur. Collige ex
12 hac Auth. I. Libellum esse de essentia Processus,
13 sed hujus vicem repraesentat qualis qualis petitio in causis summariis. II. Licet hic de fidejussione a Reo praestanda agatur, non tamen per
14 hoc derogari *l. sciendum 15. ff. de his qui satisdare etc.* ubi a Satisdatione liberantur Im-
15 mobilium Possessores, eo quod Lex posterior generalis indistincte loquens limitanda sit per specialem antiquiorem, et juxta illam intelligenda, nisi expresse illi contradicat, *gl. in d.* 16
l. sciendum Ant. Gabr. tit. de Legibus, concl. 1. num. 2. Barbos. in d. l. 1. p. 1. ff. Sol. Matr. num. 8. Sanch. de matr. lib. 2. disp. 24. num. 6. et hos citans *August. Barbos. hic num. 4. Hippolytus Riminaldus vol. 3. cons. 269. num. 42. et Donell. l. 1. c. 13. in fine, et ibi Hillig. lit. N.* ubi ex Fachineo *l. 5. c. 94.* ait, nullum esse infirmius argumentum, quam quod ex ver- 17
bis generalibus sumitur ad particularium Legum correctionem. Collige III. praestita satisdatione a Reo (quod hodie Jure Civili etiam ali- 18
quando in rebus mobilibus fieri volunt, per *l. 16. in fin. ff. de offic. Praesidis*) integrum tamen ipsi sit recusare judicem, tanquam suspe- 19
ctum, *Hippolytus de Marsil. sing. 227.* et quos hic citat *Barbos.* IV. Judicem a me electum, 20
et petitum, recusari non posse, *Farin. p. 2. fragm. lit. I. num. 692.* et quos allegat *Barbos. hic num. 8.*

TITULUS X.

De Plus Petitionibus.

L. Odiosas. 3.

SUMMARIA

Debito toto quinam privatur? num. 1.
Exceptio. 2.
Transactione antea commissus dolus purgatur. 3.
Transactio an ob enormem laesionem rescindi queat? 4.
Qui secunda vice facit, considerate facere videtur. 5.

1 Qui I. amplioris pecuniae, quam sibi debetur, cautionem, II. per dolum exegerit; III. adversario in jus vocato litem contestatus sit super ampliori quantitate, et IV. ea de re fuerit convictus, debito toto privatur, quae requisita conjungit *Kremberg. ad §. si quis agens 33. Inst. de Act. num. 5. et seq.* Excipitur 1. 2
Si Transactione compositum negotium; Unde colligitur, quod per Transactionem antea com- 3
missus dolus purgetur, *Cothm. vol. 2. cons. 53. num. 155.* ubi id ad quaestionem vulgarem applicat, an Transactio ob enormem laesionem 4
rescindi queat? de qua alibi. 2. Si reus geminata vice promiserit. Nota bene: Quod quis se- 5
cundo facit, illud considerate facere videtur, *hic, et l. si mulier 22. C. ad Senatus Consultum Vellej.*

TITULUS XI.

De Dilationibus.

L. Quoniam. 1.

SUMMARIA

Explicatio legis. num. 1.
In evocandis testibus ex transmarinis regionibus, vel instrumentis producendis, novem menses pro dilatione sunt dandi. 2.
Dilatio transmarina etiam jure Can. approbata. 3.
Secus si ex aliis provinciis. 4.
Vel eadem provincia. 5.
Per provinciam quid intelligatur? 6.
Dilatio est in arbitrio judicis posita. 7.
Explicatur. 8.
Limitatur. 9.
Abusus judicum in dilationibus. 10.
Ultra 9 menses dilatio non est concedenda. 11.
Eosque continuos. 12.
Dilatio non est danda nisi rerum urgentissima flagitet necessitas. 13.
Dilatio prima sine omni causae cognitione dari non debet. 14.
Judex judicare debet, an causa allegata sit probabilis, et probata in facto. 15.
Nudae allegationi credendum non est. 16.
Carpzovius *notatur. 17.*
Dilatio non est danda nisi semel ad probandum sc. et ob causam absentiae testium, vel instrumentorum. 18.

Omnis dilatio probatoria est peremptoria. 19.
Ampliatur. 20.
Praxis hodierna. 21.
Observantia Camerae. 22.
Dilatio non est danda, nisi petita sit. 23.
Neque ex officio. 24.
Limitatur. 25.

1 Agit *haec lex* de Dilatione Probatoria, seu
2 data ad probandum. Tria dicit haec lex: I. Si
testes evocandi sint ex transmarinis Regionibus,
vel instrumenta producenda, tunc novem men-
3 ses pro dilatioue dandi. Quae dilatio transma-
rina etiam jure Canon. appobata, in *cap. indu-
ciac. c. 3. quaest.* 3. et locum habet, ut dixi,
tam in instrumentis producendis, quam testi-
bus evocandis, *Guttierez l. 1. quaest. 54. cap. 6.*
4 *num. 2. et 5.* Si vero ex aliis provinciis conti-
5 nentibus, sex menses. Si vero ex eadem Pro-
6 vincia, tres menses. Per Provinciam autem Ci-
vitatem cum toto Territorio suo hic intelligit
Castrensis, moribus nostris autem Principatum,
Ducatum possumus intelligere. Et ex hac par-
7 te colligunt *DD.* Dilationem esse in Arbitrio
Judicis, *Menoch. de A. Q. l. 2. cas. 52. num. 2.*
et quos hic congerit *Barbos. num. 2.* Sed ita
8 intelligendum, ut Judex pro distantia locorum
possit minorem, vel majorem dilationem dare,
9 *Carpz. p. 1. cap. 16. d. l.* alias non est in ipsius
arbitrio dare dilationem, vel non, aut dare
plures pro arbitrio suo, ut mox audiemus,
10 quamvis plerique eam sibi sumant licentiam, et
frequentibus dilationibus lites faciant immorta-
11 les. Colligitur tamen ex his: Ultra novem Men-
ses dilationem nunquam esse extendendam, et
12 quidem continuos: Vid. *Ummius ad process.
D. 7. th. 5. num.* 20. II. Dilationem non esse
13 simpliciter positam in arbitrio Judicis, nec dan-
dam, nisi rerum urgentissima necessitas flagitet.
14 Ex quo sequitur, non dandam esse dilationem
primam sine omni cognitione causae, quia ju-
15 dicare debet Judex, an causa allegata sit pro-
16 babilis, et probata in facto, neque nudae al-
17 legationi credendum esse, quamvis *Dn. Carpzov.
de process. titul. 13. art. 1. num. 168. etc.* le-
viorem cognitionem causae in prima dilatione
danda requirat. Sed multi judices sine ulla cau-
sae cognitione pro lubitu dant dilationes etiam
18 probatorias. III. Non dandam esse nisi semel ad
probandum scil. et ob causam absentiae, te-
19 stium, vel instrumentorum. Et sic omnis dila-
tio probatoria est peremptoria, etsi in assigna-
20 tione dilationis verbum *peremptorie* non con-
tineantur, *Marant. p. 6. tit. de dilat. num.
2. Masc. concl. 517. num. 3.* et quos hic alle-
gat *Barbosa num. 8.* et praeter eos, *Gail. l.
1. obs. 91. num. 2. Auct. ad l. fin. ff. h. t.
num. 2. Scacc. de jud. l. 2. cap. 3. num. 21.
Hillig. in. Donell. l. 21. c. 6. lit. D.* quod Prag-
maticis paradoxum videri ibidem cum aliis con-
21 queritur. Apud nos Practicis solemne est, ut
ideo dilationis petant prorogationem ea nondum
lapsa, *Auct. ad l. 22. ff. de fer. et dilation.*
22 *num. 11.* In Camera per *Recessum Imperii de
Anno* 1651. dantur tres dilationes, et in tertia
eae solemnitates requiruntur, quae alias in quar-
23 ta dilatione danda requirebantur. Collige: Dila-
tionem non esse dandam, nisi petita sit, *Boer.*
24 *dec. 291. num. 5.* et ita non ex officio, *We-
semb. hic num. 2. Gilken. num. 3. Umm. d. D.
7. num. 16.* nisi Judex ob sua impedimenta. 25

L. Si quando. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Cui danda sit dilatio? 2.
Qui ad alienum judicem trahitur, instructus esse non potuit. 3.
Ratio decidendi. 4.
DD. *notantur.* 5.
Objectio. 6.
Diluitur. 7.
Lex haec notanda contra eos, qui impetrant commissiones, et tamen non veniunt in termino instructi. 8.
Actor ad ordinarium judicem aliquem vocans, audiri non debet petens inducias deliberatorias. 9.
Restrictio legis. 10.
Diffamanti non est danda dilatio? 11.
Ratio decidendi. 12.

Impetrasti Rescriptum, quo delegato Judici 1
mandatur, ut causam inter me, et te cogno-
scat, petis dilationem ad probandum, Quaeri-
tur: *An haec tibi danda?* Respondetur: qui 2
impetravit Rescriptum ad Judicem Extraordi-
narium, sive incompetentem, ei nullam dandam
esse dilationem, sed tantum Reo, qui non po-
tuit venire instructus ad probandam precum
falsitatem ad defensionem suam, quia instru- 3
ctus esse non potuit, qui ad alienum judicem
trahitur. Ratio decidendi duplex. I. Quia Actor 4
est, et alium ad judicium provocavit, et de-
buit venire instructus. II. Quia ad extraordi-
narium judicem spreto Ordinario vocavit. Et
ideo coram Ordinario non procedit, licet pri-
ma ratio ibi etiam militet. Scio quidem, aliter 5
explicare hanc legem *DD.* qui ita casum for-
mant: Actorem Rescriptum originale non ha-
buisse in promptu; et ideo petiisse Dilationem.
Vid. *et Umm. d. D. 7. num.* 7. Sed quia 1. Cae-
terae Leges de probatorio termino loquuntur,
2. Ea interpretatio est divinatoria, 3. Actoris
etiam non est probare precum veritatem, 4.
Rescriptum etiam delegati habere solent, 5. In
altero membro etiam de probatione negotii prin-
cipalis sermo est, ideo prior intellectus mihi
videtur magis amicus verbis legis. Nec obstat, 6
quod ante probationem debuit lis contestari;
Nam hic illud praesumendum est, si Actor ad 7
probandam suam intentionem voluit probato-
riam dilationem petere. Et ideo notanda esset 8
haec lex, contra eos, qui impetrant Commis-
siones, et tamen non veniunt in termino in-
structi. Colligitur tamen, et hoc: Actorem etiam 9
ad Ordinarium Judicem aliquem vocantem au-
diri non debere petentem inducias deliberato-
rias, quod ex *argumento* saltem *legis hujus* pro-
bari potest, *Camill. Borell. l. 1. decis. tit. 47.
num. 17.* Hanc legem ad diffamantem non es- 10
se extendendam, nec illi dilationem esse dan- 11
dam, cum ad agendum se obligaverit, notat 12
Ronchegall. ad rubr. de duobus reis num. 37.

Auth. Quod fieri.

SUMMARIA

Sensus Authenticae. num. 1.
Commoda rei sistentis se in judicio emanente Actore. 2.
Actori citato emanenti ulterior citatio denegatur. 3.
Nisi ad proximum de comparendo sufficienter caverit. 4.
Conciliatio hujus Auth. cum Auth. qui semel C. quomodo, et quando judex. 5.

1 Loquitur haec Authentica de Delegatis Judicibus, si actor me trahat ad Judicium extraordinarium, et dicat ille mihi certum terminum, si ego, Reus, veniam in Judicem, et me si-
2 stam, non vero Actor; debeo decem dies expectare in loco Judicii, postea possum petere absolutionem ab instantia hujus Judicii refusis
3 expensis; et denegatur actori ulterior citatio,
4 donec ad proximum de comparendo sufficienter caverit, *Nov.* 53. *c.* 1. *et c.* 1. *de dolo, et contum in* 6., vid. *Treutl. vol.* 1. *D.* 5. *th.* 4. *lit. A.*
5 Nota bene: *Authenticam hanc* loqui de tempore ante litem contestatam, *Auth. qui semel. C. Quomodo, et quando Judex etc.* de tempore ante, et post litem contestatam. Deinde *haec Auth.* loquitur de Judic. Extraordinario, sive delegato; *Auth. qui semel*, de ordinario.

L. Sive pars. 3.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Judicis officium, qui aliquam dilationem petitam, vel ejus partem dedit, conquiescit, nec potest ad ulteriora progredi. 2.
Quoties ad favorem alicujus tempus apponitur, non debet aliquid interim in praejudicium ejus attentari. 3.
Ampliatur. 4. 5.
Limitatur. 6. 8. 9. 10. 11.
Casus. 7.
Ulterius explicatur n. 1. *dicta.* 12.
Praxis hodierna. 13.
Forum Camerae. 14.

1 Si judex aliquam dilationem petitam, vel ejus
2 partem dederit, conquiescit ejus officium, nec potest ad ulteriora progredi, *Du. Mev. p.* 1.
3 *dec.* 5. *num.* 2. quoties enim tempus opponitur ad favorem alicujus, non debet aliquid interim in praejudicium ejus attentari, *l. fin.* §.
4 *donec. C. de jure Delib.* quod etiam in dilatione legali verum esse dicit *Lancellottus de*
5 *Attent. p.* 2. *c.* 7. et in conventionali, *Lanc. d.*
6 *l. num.* 8. Sed limitat *Lanc. num.* 10. nisi revocet Judex dilationem, de quo dubitant *Far. q.* 39. *num.* 10. *et Barb. hic num.* 5. sed ponendi termini habiles, si revocare potuit, v. g. si
7 dedit dilationem ad probandum aliquid, quod tamen probatum non relevaret, potest utique citare ad videndum revocari dilationem, et ferri sententiam. Sic Regula haec locum non ha- 8
bet, ubi progreditur in favorem ejus, cui dederat Judex dilationem, vel eo consentiente pro- 9
grediatur, vel ubi finita est causa dilationis, de 10
quo *Vasq. p.* 2. *l.* 2. *c.* 27. *num.* 18. vel nisi 11
suspicio nova emergat etc. quas, aliasque Limitationes late persequitur *Lancell. d. l.* Intelli- 12
genda etiam est Regula quoad illud punctum, in quo data dilatio est, non in aliis actibus, et dilatio etiam continua est, continens ferias, quod pragmatici limitant, nisi feriae absorbeant to- 13
tam dilationem, vel maximam ejus partem, *Maranta p.* 6. *tit. de Dilat. num.* 18. *Ruland. de Commiss. p.* 1. *l.* 2. *c.* 7. *Umm. d. D. num.* 20. *Auct. ad Rubr. ff. de Fer. et Dilat. num.* 2. quod forte *in Camera* interdum contingit, ob 14
concursum utriusque Calendarii, *d. c.* 7. *num.* 10.

L. A procedente. 4.

SUMMARIA

Non debet dari dilatio, nisi praecedente causae cognitione. num. 1.
Citato Adversario. 2.
Judice pro Tribunali sedente. 3.
Ex quo adversarius laedi potest, id requirit citationem adversarii. 4.
Quae cognitionem causae desiderant, de plano non expediuntur. 5.
Prima dilationis datio aliquam requirit causae cognitionem. 6.
Verbum, a procedente, quomodo intelligendum? 7.
Praxis hodierna. 8.

Non debet dari Dilatio, nisi praecedente cau- 1
sae cognitione, *l.* 41. *de Adult.* citato adversa- 2
rio, et judice pro tribunali sedente, unde enim 3
adversarius laedi potest, id requirit citationem 4
adversarii, *l.* 39. *ff. de adopt.* et quae cogni- 5
tionem causae desiderant, de plano non expediuntur, *l.* 9. §. 1. *et* 3. *ibique DD. ff. de Offic. Procons.* Vid. *Carpz. de process. d. t.* 13. *art.* 1. *n.* 160. *et seq. et Donell. lib.* 21. *c.* 1. Et sic verius est, primam dationem dilationis aliquam 6
requirere causae cognitionem, v. g. an probatio sit pertinens, possibilis, et necessaria, *Cynus in l.* 1. *h. t. n.* 8. quem allegat *Umm. d. D. num.* 17. ubi tamen dicit absente altera parte datam, per ipsius expressam, vel tacitam ratihabitionem confirmari. Illud suave est, quod 7
Barb. hic verbum, *a procedente*, intelligit de Processu ad ulteriora. Hodie ut plurimum sine 8
citatione dantur, cum hac tamen clausula, si probatio impedimentorum non statim offeratur, ut petens dilationem intra terminum una cum exhibitione sui producti, vel si terminus audientiae differatur, ut in termino doceat impedimenta, et sic dilatio datur cum periculo partis, quemadmodum multa alia periculo partis dari solent; quae praxis in paucis judiciis recepta, et mihi semper optima visa est.

L. Cum a nobis. 5.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
An, si causa per appellationem judicis ad principem fuerit delata, et princeps rescribat, quid suae voluntatis sit, judex inferior possit dare dilationem ? 2.
Princeps consuli non debet, nisi partes plene sint auditae. 3.
Rescriptum principis pro lege est. 4.
Et pro sententia definitiva. 5.
An in Consistorio Principis detur dilatio ? 6.
DD. *notantur.* 7.

1 Si causa per appellationem, vel consultatio-
2 nem Judicis ad Principem fuerit delata, et Prin-
ceps rescribat, quid suae voluntatis sit, Quaeritur: *An Judex inferior possit dare dilatio-*
3 *nem?* Negatur. quia Princeps consuli non debet, nisi partes plene sint auditae, ut causa
pleniore instructione non indigeat, *l.* 1. *C. de*
4 *Relationibus.* Nam Rescriptum Principis pro lege
5 est, *l.* 2. *C. de Legib.* et Rescriptum Principis
est pro sententia definitiva. Non igitur ex *hac*
6 *lege* inferendum, in Consistorio Principis nullam dari dilationem, nam hoc contra omnem
veniret aequitatem, et Princeps non posset causam cognoscere, cum probationes in continen-
7 ti semper produci non possent, et sic *DD.* intellectum circa hanc Legem merito refutat
Umm. d. Disp. 7. *num.* 11.

L. Inter privatos. Penult.

SUMMARIA

Fiscus agens cum privato, nihil speciale habet ratione dilationum. num. 1.
Fiscus jure communi utitur, quando in specie nullum expressum privilegium habet. 2.

Fiscus agens cum privato nihil speciale habet 1
ratione dilationum. Nota bene: Jure Communi 2
Fiscum uti, quando in specie nullum expressum Privilegium habet, *Peregr. de jur. Fisci lib.* 6. *tit.* 1. *num.* 4. *Farin. p.* 1. *fragm. lit. F. num.* 150. *Gail. lib.* 1. *obs.* 90. *num.* 2. et quos allegat *Klock. cons.* 81. *num.* 12. *v.* 2.

L. Nec de statu. ult.

SUMMARIA

Ampliatur lex prima *h. t. num.* 1.
An Judex habeat potestatem prorogandi dilationem ? 2.
De prorogatione dilationis, quae fit termino nondum elapso, remissive. 3.
Prorogationes hae apud nos nimis frequentes. 4.
Tempus a lege datum ob magnitudinem negotii non augetur. 5.

Est Ampliatio *legis primae,* quod scilicet Dila- 1
tio illa novem mensium ne quidem eo casu extendenda sit, si de statu agatur, aut omnibus bonis; Unde apparet, non posse ex *hac*
lege probari, quod Judex habeat potestatem 2
prorogandi; sed scilicet *Barbos. hic* occasionem
captavit de prorogatione dilationis, quae fit ter- 3
mino nondum elapso, aliquid dicendi, de qua pluribus agunt *Vasq. p.* 2. *contr. c.* 14. *Tiraq. de Retr. Convent.* §. 1. *gl.* 7. *num.* 41. *Gail. l.* 1. *Obs.* 91. *Berlich. p.* 1. *concl.* 30. *num.* 25. *et concl.* 38. *num.* 67. *et seq. Camillus Borell. ad tit.* 47. *n.* 48. *et seq.* Apud nos hae prorogatio- 4
nes nimis sunt frequentes, et cuivis nota haec
ars prorogationem impetrandi. Nota bene: Tem- 5
pus a lege datum ob magnitudinem negotii non augeri.

TITULUS XII.

De Feriis.

L. Quoniam. 1.

SUMMARIA

An fatalia interponendae, vel introducendae appellationis sint continua ? num. 1.
Per continua *quid intelligatur* ? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Tempora appellationis sunt continua, et currunt de momento in momentum. 5.
Dammum metuens litigator prorogationem, vel restitutionem petere potest. 6.
An appellatio die festiva etiam in honorem Dei instituta interponi possit ? 7.

Quaeritur hic: *An fatalia interponendae, vel* 1
introducendae Appellationis sint continua ? id
est, an etiam in iis computentur Feriae re- 2
pentinae, propter res prospere gestas a Prin-
cipe indictae? Videtur quod non, quia tales 3
feriae praevideri non potuerunt, *l.* 26. §. 7. *ff.*
Ex quibus Causis Maj. Sed affirmatur, quia 4
tempora Appellationis continua, et currunt de 5
momento in momentum, et quia damnum me- 6
tuens litigator prorogationem, vel restitutionem
petere potest. Unde Colligunt ex *hac lege*: Ap- 7
pellationem posse in die festiva etiam in honorem DEI instituta interponi, *Scacc. de Appell. q.* 21. *num.* 51. *Ayreri proc. p.* 1. *c.* 5. *Obs.* 6. *num.* 11. et per hanc legem, allegatis etiam *DD.* probat. *Ummius d. D.* 7. *num.* 41.

L. Ut in Die. 2.

SUMMARIA

Tenor legis. num. 1.
Ratio decidendi data a DD. 2.
Emancipatio, et manumissio sunt actus voluntariae jurisdictionis. 3.
Identitas horum cum Adoptione, Tutoris datione. 4.
DD. *notantur.* 5.
Vera ratio decidendi. 6.
Rationis ratio. 7.
Quae sint feriae in honorem DEI institutae? remissive. 8.
Feriae messium quomodo considerandae? 9.
Lex haec multis suspecta videtur. 10.
Rationes suspicionis. 11.
An tempora haec Messium vacationem etiam praebeant iis, qui circa messes non sunt occupati? 12.
Carpzovius *cum aliis notatur.* 13.

1 Die Dominica Emancipationem, et Manumissionem concedit, cujus rei rationem in eo *DD.*
2 collocant, (Confer. *Auct. ad l. 2. ff. de fer. et ad l. 1. eod. num. 1. nec non l. 3. h. t.*) quod
3 hi actus sint voluntariae jurisdictionis, et hinc
4 idem esse volunt in Adoptione, Tutoris Datio-
5 ne, *Maranta p. 4. dist. jud. 16. num. 80. Scacc. l. 2. de judic. c. 5. num. 96. et seqq.* Sed verior
6 videtur ratio in favore, et pietate negotii consistere, *Don. l. 24. c. 7.* sicut etiam propterea
7 causas pias omnes in feriis etiam divinis fieri posse volunt, *arg. l. 2. ff. h. t. Tiraq. priv. piae caus. 52. Umm. d. D. 7. num. 41.* et per ea, quae alleg. *Hill. d. c. 7. litt. CC.* reliquos Actus judiciales prohibet, et Ferias Christianorum, nec non Messium, et Vindemiarum de-
8 terminat. Sed *quae sint Feriae in honorem Dei institutae?* de iis agit *Ord. Cam. p. 2. tit. 53.*
9 De Feriis messium considerandae sunt Ordinationes Judiciorum variorum, nam Messis tempora diversimode designantur, et sic etiam *haec*
10 *lex* suspecta multis visa, quod 1. *Theodosio* ad-
11 scribatur, quia tamen *Constantino*, cujus est *lex 3. et 4.* longe recentior, 2. In antiquis Codicibus non habeatur; Vid. *Wesemb. in* π. *ff. h. t. num. 6. Speckhan. cent. 1. q. 71. num. 4.* et quos allegat *Hillig. d. l. 24. c. 7. lit. D.* Tem-
12 pora autem haec Messium vacationem praebere putant etiam iis, qui circa Messes non sunt occupati, *Auct. ad l. 1. ff. de fer. num. 2. 3.*
13 *Carpzov. p. 1. c. 3. defin. 22. Scacc. l. 2. de judic. c. 5. num. 147. Hillig. d. l. 24. c. 7. lit. O.* Sed contrarium probatur per *l. 1. C. de Agric. et Cens. lib. 11. ibid. Bart. specul. l. 2. par. 1. tit. de Feriis §. 1. num. 8.*; et sane ratio eorum, contrarium qui statuunt, hoc tantum concludit, quod si persona qua uti volunt litigantes, occupata sit, v. g. circa Messem, praebeat excusationem; quod nemo negat.

L. Omnes Judices. 3.

SUMMARIA

Die Dominica debent judicia, et artium officia quiescere. num. 1.
Exceptio ab hac regula. 2.
Lex haec quomodo accipienda? 3.
Die Dominica ab omni opere servili cessare jubemur. 4.
Scaccia *laudatur remissive.* 5.

Die Dominica debent judicia, et artium offi- 1
cia quiescere, *Auct. ad l. 1. ff. h. t. num. 11.*
exceptis operibus Rusticis tempore necessitatis, 2
ob publicam annonae utilitatem, *c. 3. X. eodem.* Nam de casu necessitatis *haec lex* meri- 3
to accipienda, ne contradicat juri Divino, quo
ab omni opere servili cessare jubemur, *Exod.* 4
12. v. 16. Numer. 15. v. 32. et seq. Scacc. de ju- 5
dic. l. 2. c. 5. num. 117. et hunc laudans *Hill. in Don. d. c. 7. lit. U.*

L. A nullo. 4.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Quidquid caret nomine, caret etiam effectu. 2.
Ratio legis non est obscura. 3.
Generales ferias condere ad Majestatis jura pertinet. 4.
Principis interest, ne feriae nimis multiplicentur. 5.
Nostro tempore plerique feriis ad voluptates, et laxandam disciplinam abutuntur. 6.
Objectio resolvitur. 7.
An Magistratus cujusvis loci particulares ferias in honorem Dei ob memoriam alicujus beneficii facere possit? 8.
An istae feriae etiam observandae extra territorium? 9.

Inferiores judices, cum non possint indicere 1
ferias Imperiales, effectu etiam earum carent
tales feriae. Nota bene: Quidquid caret nomine, 2
caret etiam effectu; Ratio legis non est obscu- 3
ra: Quia generales ferias condere ad jura Ma- 4
jestatis pertinet, et principis interest, ne feriae 5
nimis multiplicentur, praesertim nostro tempo- 6
re, quo plerique feriis ad voluptates, et laxandam disciplinam abutuntur. Nec huic contraria
lex 4. ff. h. t. et l. 7. ff. de Offic. Procons. Aliud 7
enim condere ferias, de *quo hic*, aliud vero a
Principe prius institutas moderari, *Hillig. d. c.*
7. lit. E. licet Magistratus cujusvis loci particu- 8
lares ferias, in honorem DEI ob memoriam
alicujus beneficii, facere posse putet *Wesemb.* π. *h. t. num. 4. Auct. ad d. l. 4. ff. h. t.* quae
tamen extra Territorium non valeant, *Hillig.* 9
d. l.

L. Publicas. 5.

SUMMARIA

Quomodo resolvitur l. obstans 12. ff. de publ. jud. *num.* 1.
Per res publicas *quid veniat intelligendum?* 2.
Quae causae feriis rusticis possint exerceri? 3. *et* 6.
Feriae rusticae quid sint? 4.
Sensus hujus legis. 5.

1 Causarum Fiscalium, non vero Criminalium,
ne obstet *l.* 12. *ff. de Public. jud.* sed Patrimo-
nialium, nec non Publicarum, hoc est, quae
2 ad Reipublicae Romanae salutem spectant, v.
3 g. Causarum pistoriarum, de quibus *vid. Cu-
jac. de divers. temp. praescript. c.* 13. *et Hillig.
d. l. lit. Bb.* hoc est Privilegium, ut etiam tem-
4 pore feriarum rusticarum, sive geminorum men-
sium, id est, aestivi, et autumnalis, possunt
exerceri. Nota bene: Quaecunque causae moram
non patiuntur, in feriis etiam rusticis expediri
5 possunt, de quibus feriis Rusticis non divinis
etiam hoc Privilegium intelligendum, *Farin. p.*
1. *frahm. lit. f. num.* 201. nisi in mora sit pe-
riculum, de quo casu loqui videtur *P. Bar-
bos. in l.* 1. *part.* 1. *num.* 51. *et seqq. ff. solut.*
6 *matrim.* ubi dicit, id esse intelligendum de ne-
gotiis principaliter publicam utilitatem concer-
nentibus, non vero quae secundario publicam
concernunt utilitatem, ut causa dotis.

L. Quadraginta. 6.

SUMMARIA

Tenor legis. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
*Tempore quadragesimae civilia judicia non clau-
sa, nec serviles operae vetitae.* 3.
An et quatenus haec lex *hodie observetur ?* 4.

1 Tempore Quadragesimae, omnes criminales co-
2 gnitiones sunt prohibitae, ob memoriam Pas-
sionis Dominicae eo tempore recolendam. Et
3 ideo nec Civilia judicia clausa, nec serviles ope-
rae vetitae: *Scacc. d. c.* 3. *n.* 115. Neque *hanc
4 legem* in Criminalibus causis hodie servari no-
tat *Clarus §. fin. q.* 50. *num.* 3. *et Wesemb. ad
Rubr. h. t. num.* 20.

L. Omnes. 7.

SUMMARIA

Enarratio feriarum. num. 1. *seqq.*
Quaenam feriae sint civiles ? 2.
Quae divinae. 3.
Diebus 15. *Pascalibus, ut ne quidem annonariae
functionis compulsio fieri possit, prohibet Im-
perator.* 4.
Ampliatio hujus. 5.
Ratio decidendi. 6.
*Spectacula diebus in honorem DEI consecratis
prohibentur.* 7.

1 Recenset I. Ferias Rusticas, ut aestivas fer-
voribus mitigandis, autumnales fructibus colli-
2 gendis destinatas. II. Civiles, ut dies Calenda-
rum Januarii, item diem Natalitium Veteris et
Novae Romae, id est, Constantinopolis. III. Di-
3 vinas, ut Ferias Paschatos, Natalitiorum Chri-
sti, Epiphanias, dies Apostolorum, et diem Do-
minicam. IV. Ferias Imperatoris solemnes. Sed
4 et 15. diebus Paschalibus prohibet, ut ne qui-
dem annonariae functionis compulsio iis diebus
fieri possit, licet utilitatem publicam spectet. 5
Quorum omnium ratio obscura non est. Spe- 6
ctacula etiam his diebus in honorem DEI con- 7
secratis, prohibentur; quod bene notandum.
Addit et Imper. diem Nativitatis suae, vel su-
sceptorum fascium Imperii.

L. Actus omnes. 8.

SUMMARIA

Verba legis. num. 1.
Ratio ejusdem. 2.
Illatio ex ratione. 3.
Alia decidendi ratio. 4.
*An Notarius die festo facere possit instrumen-
tum ?* 5.
*An pignoratio pro sententiae executione fieri
possit ?* 6.
Quid sentiendum de illatione quorumdam ad
num. 4. *datam rationem ?* 7.
Diversum quid in Tutorum constitutione. 8.
*Multae legum extensiones saepe super lubrico
fundamento extruuntur.* 9.

Omnes Actus Judiciales in diebus Paschali- 1
bus conquiescere debent, exceptis his, quae
pietatem respiciunt, ut Emancipationes, Ado-
ptiones, Decreta circa alienanda bona minorum
immobilia. Quia scilicet, ut supra diximus, ra- 2
tionem collocant in eo, quod hi sint actus Vo-
luntariae jurisdictionis, et sic inferunt, omnes 3
alios actus jurisdictionis Voluntariae licite die-
bus festis exerceri. Alii, ut *Menoch. lib.* 1. *A.* 4
Q. 30. *num.* 14. in eo rationem decidendi con-
stituunt, quia nullam causae cognitionem desi-
derant, et ex ea juncta priori ratione inferunt,
Notarium facere posse instrumentum die festo, 5
et pignorationem pro sententiae executione fie- 6
ri posse, et simil. Sed illa extensio ob ratio- 7
nem dubiam vix assensum merebitur. Sane de
tutorum constitutione habemus textum in *l.* 2.
ff. h. t. Sed ibi additur ratio: non, quia sit 8
Voluntariae jurisdictionis, sed quia sit pietatis,
Camill. Borell. d. t. 38. *num.* 102. ideo vide- 9
mus, quam multas legum extensiones saepe su-
per lubrico fundamento extrui.

L. Provinciarum. 9.

SUMMARIA

Exceptio est legis quintae. *num.* 1.
Summa legis. 2.
*Latronum causae etiam tempore quadragesimae
cognosci possunt.* 3.
Latrones diebus festis torqueri possunt. 4.
Quatenus procedat ? 5.
*An facinorosus super sociis interrogandus ? re-
missive.* 6.
Quid nonnulli ex hac lege colligant ? 7.
Ratio. 8.
*Sceleratorum consiliorum proditio per tormenta
quaerenda est.* 9.
Exceptio a regula num. 4. *data.* 10.

1 Est Exceptio *legis quintae:* Summa est*:* La-
2 tronum causae etiam tempore Quadragesimae
3 cognosci possunt, et diebus festis torqueri pos-
4 sunt, ut indicent socios criminis. Nota bene; Facinorosum torqueri posse, ut indicet soci-
5 um*:* sed id eo casu tantum, quando vel constat de sociis, vel crimen non solet sine sociis
6 patrari. De quo, et *An facinorosus super sociis interrogandus?* vid. *Farin. q.* 11. *num.* 19. *Clarus* §. *fin. q.* 64. *num.* 8. *Flamminius Chartarius de interrogationibus reorum lib.* 4. *c.* 1.
7 *num.* 85. *etc.* Colligunt etiam ex hac lege*:* Latronem etiam die feriato torqueri posse, ne
8 differatur sceleratorum proditio consiliorum,
9 quae per latronum tormenta quaerenda est, et idem in Reo Majest. Veneficis, Adulteris, et si-
10 mil. *l.* 3. *C. de Episc. Aud.* Sed Judex, ubi nullum periculum morae, minus recte faciet, si torturam exequatur in die cultui sacro consecrato, per ea, quae recte tradit *Clarus* §. *fin. qu.* 64. *num.* 34. *et qu.* 97. *num* 6. quem allegat, et sequitur *Dn. Carpzov. p.* 3. *pract. crim. qu.* 124. *num.* 4. *et Wesemb. in Com. C. h. t. num.* 21. *et Ummius d. D.* 7. *num.* 41. Ideoque illud de casu Necessitatis, ubi in mora periculum, accipiendum.

L. Dies festos. final.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Si dies Imperatoris natalis in diem incideret Dominicam, differri debet in sequentem diem. 2.
An citatio die feriata ad diem non festum fieri, et insinuari possit? 3.
Testes, si in die non feriato absolvi non potuerunt, die feriato adhuc examinari possunt. 4.
Limitatur. 5.
An Studiosi habeant privilegium, die Dominica studia Juridica tractare? 6.

Diebus Festis in honorem Dei dedicatis, prae- 1
sertim Dominicis, prohibentur omnes Cognitiones, Executiones, Vexationes, Admonitiones, Subhastationes; permittuntur tamen Transactiones, deinde prohibentur omnes Voluptates, Scenae Theatrales, Certamina, sub poena amissionis officii, et proscriptionis bonorum, adeo, ut si Natalis Imperatoris in diem Dominicam in- 2
ciderit, differri debeat in diem sequentem. Sed quaeritur*: An Citatio die feriata ad diem non* 3
festum fieri, et insinuari possit? Affirmat hoc *Gail. l.* 1. *Obs.* 53. *num.* 5. Sed negativa de jure, et per *l. hanc* verior. Ibi*: nulla admonitio:* item ibi: *Praeconis etc. Hillig. in Donell. d. c.* 7. *lit. A.* Testes etiam, si in die non feriato 4
absolvi non potuerint, in die feriato examinari posse, tradunt *Menoch. d. q.* 30. *num.* 15. *Farin. q.* 80. *num.* 55. *et seqq. Umm. d. num.* 41. Quod 5
intelligo, si testes cum magno detrimento suo, et producentis, alias diu detinendi essent, et quoties periculum adest, et simil. Quod Studiosi pri- 6
vilegium habeant, die Dominica studia juridica tractare, in legibus non reperio, sed potius summo Legislatori maxime displicens.

TITULUS XIII.

De Jurisdictione omnium Judicum, et de Foro competenti.

L. Non quidem. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Traditio Doctorum h. l. est contraria. 4.
Sensus legis. 5.
Distinctio Vulteji *approbatur.* 6.
Conciliatio l. 18. ff. de jurisdict. *cum hac nostra.* 7.

1 Procurator Fisci inter privatos sententiam, ipsis consentientibus, et Jurisdictionem proroganti-
2 bus, dixerat; Quaeritur*:* an valeat? Videtur quod non, quia Procurator in causis Fisci tantum Ju-
3 risdictionem habet; Sed respondetur Affirmative; quia incompetens Judex, si modo in aliis Jurisdictionem habeat, potest competens fieri consensu litigatorum, scientium, ipsum incompetentem esse, *l.* 1. *et* 2. *ff. de Judic.* Sed hoc 4
videtur repugnare traditioni Doctorum, quod prorogatio non fiat ad causas diversae formae, speciei, et naturae, *l.* 61. §. 1. *ff. de Judic. Petr. Barbos. ad l.* 1. *ff. de Judic. art.* 1. *num.* 96. *et seq. Vasq. p.* 2. *contr. c.* 14. *num.* 34. *Boer. de Jurisd. c.* 7. *num.* 43. quos sequi videtur *D. Mevius p.* 6. *dec.* 77. *num.* 6. Sed contra urget 5
hic textus, nam Procurator Fisci non tantum erat adstrictus ad personas, Fiscum, et privatum, ut putat *Augustin. Barb. hic*, sed etiam ad causas Fiscales; ideoque perplacet Distinctio *Vul-* 6
teji hic allegata *ab Hillig. in Don. l.* 17. *c.* 10. *lit. Aa.* Scilicet eamdem causae qualitatem requiri, si generalem, et summam requiras, qua causa alia Criminalis, alia Civilis. At in Civilibus sunt iterum qualitates speciales, ubi permittitur prorogatio a causa una ad aliam, si personae modo alias subjectae, aut si non sint, requiritur identitas causae in qualitate speciali, sicut ex *Vultejo* hoc explicat *Hillig. d. l.* Nec obstat *l.* 18. *ff. de Jurisdict.* Quia hic Judex erat adi- 7
tus, et sententiam dixerat, sed in *d. l.* 18. Judex

nondum erat aditus, sed placitum erat inter partes de proroganda Jurisdictione, ubi antequam adeatur Judex, licita est poenitentia, modo praestetur interesse. Conf. *Bacch. in Treutl. vol. 1. D. 3. th. 7. lit. E. Vivius dec. 126. Speck. c. 1. q. 89. Berlich. p. 1. concl. 5.*

L. Juris ordinem. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Re nondum tradita, actio non est realis. 3.
Actor sequitur forum Rei. 4.
Limitatur regula. 5.
Reus etiam conveniri potest in loco, ubi contractus celebratus. 6.
Verba, vel tempore contractus habuit, *quomodo sint accipienda? 7.*
An regula n. 1. *data juri sit consona? 8.*
Limitatur haec regula. 9.
Ampliatur. 10.
Objectio diluitur. 11.
Zaugerus *notatur. 12.*

1 Emerat Alexander a Maevio fundum, in alia Provincia situm, quam ubi domicilium habebat Maevius, qui postea domicilium in aliam Provinciam transtulit, Quaeritur: *An Alexander Maevium convenire possit in eo loco, ubi fundus*
2 *situs est?* ne scilicet cum incommodo suo venditionem sequi teneatur. Sed respondetur ne-
3 gative: quia nondum re tradita, non est actio realis, sed personalis, sed in domicilio suo conveniendus est, quod nunc habet, vel quod tempore Contractus habuit, id est, in foro loci contractus. Ex hac lege duas colligunt Regulas; I.
4 Est Notissima, scilicet Actorem sequi forum Rei,
5 quam Regulam limitant, nisi persona habeat Privilegium, ut Miserabiles, Clerici, et Studiosi, aut causa sit Ecclesiastica, vel continens, de quibus Limitationibus pluribus agitur a *Socino reg. 10. Doring. in voce*, actor, *num. 97. Riec. in Collect. decis.* 366. *et Tusch. concl.* 122. *lit. A.* Conferantur et *axiomata Aug. Barbos. locupletata lib. 1. c. 21. axiom.* 6. II. Regula est:
6 quod Reus conveniri etiam possit, ubi contractus celebratur; Nam non videtur, per verba,
7 *vel tempore contractus habuit*, hic locus domicilii prioris, ut talis, intelligi, scilicet ut possit quis Lipsiensis, qui jam Lubecam se tulit, Lipsiae, ut in loco domicilii conveniri, quamvis enim hoc aequitati consonum videatur, et ideo etiam *Duareno* placeat, quem citat *Hillig. in*
8 *Donell. lib. 17. cap. 12. lit. N.* non tamen videtur haec juri consona, quia in domicilio hic contraxit, et hoc probat etiam Part. *tantum*, nam alias daretur tertius locus, scilicet Contractus, *Donell. d. l. Auct. ad l. 9. ff. de Judic.*
9 *num. 11.* 15. Sed in loco Contractus tunc convenietur Reus, quando ibi invenietur, per *c. Romana §. contrahentes de Foro Compet. lib. 6.*
10 *Gail. l. 2. Obs.* 36. *num.* 11. quod etiam de eo casu intelligimus, si aliquis in loco Contractus ut Advena versetur mox discessurus, nam alias aliquis raro in loco contractus inveniri posset;
11 non obstat *l. 19. §. 2. ff. de judic.* quo textu in contrarium movetur *Zaugerus de Except. p.* 2. *c. 1. num.* 48. *(in alia editione num.* 120. *) et* 12
Dn. Carpzov. lib. 2. Resp. 30. *num.* 6. nam ibi non requiritur, ut tunc non sit Advena, quando agitur, quasi ex ea causa esset jus revocandi domum, sed ne tunc fuerit Advena, quando contractum est. Omnia enim ibi verba praeteriti temporis referunt se ad tempus negotii gesti, non vero litis motae. Vide notata ad *d. l.* 19. §. 2.

L. Privatorum. 3.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Jurisdictio ei, qui nullam habet, tribui nequit. 2.
Quod non est, prorogari non potest. 3.
Jurisdictio publico jure a lege, vel Principe defertur. 4.
Compromissa ad similitudinem judiciorum redacta. 5.
Compromissa an judiciorum vim habeant. 6.
Pactio, qua conventum, ut debitor si in mora extiterit, capi, et carceri privato includi possit, est irrita. 7.
Nemo se in possessione jurisdictionis fundare potest contra superiorem. 8.
Limitatur. 9.

Privatorum consensu potest quidem ejus, qui 1
jurisdictionem habet, jurisdictio prorogari, *vid. Auct. ad l. 1. ff. de Judic. num. 1. et ad l. 15. ff. de jurisd. num. 1.* sed non potest Jurisdictio 2
tribui ei, qui nullam habet, quia, quod non 3
est, prorogari nequit, *l. 5. ff. de Precar. Matth. Steph. de Jurisd. l. 1. c. 23. num.* 3. quia haec 4
publico jure a lege, vel Principe defertur. Aliud sunt Compromissa, quae quidem ad similitudi- 5
nem judiciorum redacta, *l. penult. supra de Arbit.* judiciorum tamen vim non habent, *Paurme-* 6
ist. lib. 1. de Jurisd. c. 25. num. 24. ideo pactio 7
irrita, qua conventum, ut debitor, si in mora extiterit, capi, et carceri privato includi possit, *Hillig. in Donell. l. 17. cap. 10. lit. O.* Exinde se- 8
quitur, neminem se in possessione jurisdictionis fundare posse contra superiorem, nisi et titulum 9
doceat, cum, licet exercuerit jurisdictionem, illi tamen, inter quos exercuit, eam concedere non potuerunt, sed superior, per tradita *Dn. Mevii p. 1. dec.* 44. et quos allegat *num.* 6.

L. Nemo. 4.

SUMMARIA

Verba legis. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Limitatur. 3.
Si Judex sententiam protrahit, pars appellare poterit a judice suo justitiam denegante, sive protrahente. 4.
Vel Promotoriales a superiori petere, aut mandata poenalia cum clausula. 5.

Nemo, lite semel constituta, se subtrahat co- 1
gnitioni Ordinarii Judicis competentis, *Auct. ad l. pen. ff. de jurisd. num.* 1. implorato auxilio

extraordinario, sed sententiam a Judice semel approbato expectet, quia si se gravatum senserit, potest appellare ad proxime Superiorem,
2 Ratio *in l. ubi coeptum* 30. *ff. de judic.* Ideo-
3 que haec lex de lite contestata intelligenda, ne obstet *l. si per errorem* 15. *ff. de jurisd.* videri potest *Bacch. ad Pand. ad d. l.* 15. *Confer. Auct. ad l.* 15. *ff. de Jurisdict. n.* 8. 9. 10. nisi
4 Judex protrahat sententiam, ubi pars, cui justitia protrahitur, poterit appellare a Judice suo justitiam denegante, et protrahente, *Pan. in c.*
5 *ex parte n.* 2. *X. de Appell.* vel poterit Promotoriales a Superiori petere, aut mandata poenalia cum clausula *etc.* vid. *Gail. lib.* 1. *Obs.* 24. *et* 74. *Cent.* 3. *obs.* 57. *Cent.* 5. *Obs.* 82. *Petr. Greg. de Appell. l.* 2. *cap. ultim.*

L. In Criminali. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Tribunus executionem militarem praebens capitaliter punitur. 2.
DD. *notantur.* 3.
Expositio nostra probatur ab auctoribus aliis. 4.
Probatur etiam per rationes. 5.

1 Quicumque Actor Reum in vetito examine, id est, coram Judice incompetente, sc. cujus jurisdictio non potuit prorogari, convenerit, vel executionem sententiae petierit, vel Instrumenti, et Reus errans responderit, vel Actor executionem militarem petierit, amittit suam Actionem, Reus vero, si in suo foro conventus declinaverit judicium, et falso ad alium Judicem provocaverit, pro condemnato habendus est.
2 Et Tribunus executionem militarem praebens capitaliter punitur. Quamvis autem *Trentac. l.*
3 2. *Resol. tit. de judic. Resol.* 8. *et Hillig. in Donell. lib.* 17. *c.* 22. *l. B. et DD. communiter*, nec non *Barbos. hic* hanc legem generaliter velint intelligere de omni judicio incompetenti; Expo-
4 sitio tamen nostra probatur rectius a *Vultejo hic et Berlich. part.* 1. *concl.* 5. *num.* 23. *et Dn. Carpzov. l.* 2. *Respons.* 38. et quidem ex his Ra-
5 tionibus: I. Quia vetiti judicii mentio fit, adeoque non habendus respectus ad Codicem Theodosianum abrogatum. II. Non concedendum est, voluisse Imperatorem totum jus prorogationis jurisdictionis abolere. Praeterea de eo casu hanc legem intelligunt, quando reus cum effectu tractus est ad judicium vetitum v. g. militare, per tradita *Menoch. cons.* 230. *num.* 97. *et num.* 118.

L. Magisteriae. 6.

SUMMARIA

Magistro militum competit potestas cognoscendi causas militum reorum. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Limitatio. 3.
Praxis hodierna. 4.
Observatur haec lex indistincte. 5.
Restringitur ad milites tantum actu militantes. 6
Illiteratus potest esse judex inter milites. 7.
Praxis hodierna. 8.

Magistro Militum competit potestas cognoscendi causas militum Reorum, (Nam si miles Reus, actor Rei Forum sequitur, *l.* 2. *et* 5. *h. t.*) et Causas quidem, non tantum Militares, sed etiam Civiles, quia hoc consuetudo introduxit, et nemo eos communibus coercere potest poenis, *Auct. ad l.* 2. *ff. de Re militar. num.* 1. 2. Quod intelligendum de delictis militaribus, vel etiam communibus non adeo enormibus, nam ob enormia delicta puniuntur a Praeside ob exemplum. Et ita *hunc textum* cum aliis declarat *Vinc. de franch. decis.* 88. Sed videmus tamen hodie milites actu militantes a suis Ducibus puniri, etiam ob delicta communia, et enormia. Ideoque *haec lex* observatur indistincte, nisi alibi, et non in loco militiae deliquerint. Non habet autem *haec lex* locum, nisi in militibus actu militantibus, *Vincent. de Franchis d. decis. num.* 6. *Franc. Vivius decis.* 251. Collige: Illiteratum posse esse judicem inter milites, *Gratianus disc. for. cap.* 186. *num.* 47. *et Barbos. hic num.* 5. quod hodie videmus, dum gregarii etiam milites in Judicio militari in causis Capitalibus suffragia ferunt.

(margin: 1 2 3 4 5 6 7 8)

L. Periniquum. ult.

SUMMARIA

Summa legis. num. 1.
Privata judicia possunt habere suos peculiares judices, sed in negotiis ad illud collegium pertinentibus. 2.
Explicatur haec regula. 3.
Collegiis istis, cum ordinario judice concurrentem jurisdictionem habentibus, data est jurisdictio non privative, sed cumulative. 4.
Jurisdictio in dubio data videtur cumulative. 5.
Limitatur. 6.

Loquitur *haec lex* I. De Militibus Togatae militiae omnibus, ut qui sunt in ministerio Principis. II. De omnibus Armatis, sed missis, vel adhuc quidem in expeditione versantibus, sed qui Negotiandi facultatem a Principe acceperunt; illi ergo omnes, si sint in collegio licito mercatorum, vel simili, quod Collegium peculiarem habet judicem, conveniri possunt coram eo, sed tantum de Negotio ad Collegii illius expeditionem pertinente, ita tamen, ut in arbitrio sit Actoris, artificem, vel membrum collegii coram Judice ordinario, vel coram speciali Collegii judice convenire, nec habeat miles declinandi hunc, vel illum judicem potestatem. Collige: I. Posse habere Collegia privata suos peculiares Judices, sed in negotiis ad illud Collegium pertinentibus, sicut etiam potestatem statuendi habent, tantum de iis rebus, quae mercaturam concernunt, vel processum in rebus mercaturam concernentibus, *Conf. Auct. ad l. fin. ff. de Colleg. et corp. Benev. Stracch. de Mercatura tit. quomodo in causa mercat. procedatur p.* 1. *num.* 8. Quorum statuta, etiamsi actus respiciant, non vero processum, in aliis Judiciis etiam obligant, *Straccha d. parte* 1. *num.* 10. II. Collige, talia Collegia cum Judice Ordinario habere concurrentem jurisdictionem, ita ut Prae-

(margin: 1 2 3 4)

ventioni locus sit, et ideo iis non privative, sed
cumulative data est Jurisdictio, *DD. hic, Gail.*
l. 2. *Obs.* 20. *Hillig. in Donel. lib.* 17. *c.* 9. *lit. Q.*
5 *et Stracch. d. tit. p.* 2. *num.* 12. Colligunt.
III. Jurisdictionem in dubio magis videri da-
tam cumulative, adjuvandi Superioris gratia,
quam privative, nisi in usumfructum, vel feudum 6
data sit, de quo *Myns. cent.* 6. *Obs.* 99. *Carpzov. p.* 1. *Constit.* 27. *def.* 11. *Menoch. lib.* 2.
praesumpt. 18.

TITULUS XIV.

Quando Imperator inter Pupillos, Viduas, vel alias miserabiles Personas cognoscat: Et ne exhibeantur.

L. Si contra. unic.

SUMMARIA

Personae miserabiles quaenam sint? num. 1. *seq.*
Sub Viduis etiam intelliguntur virgines. 2.
Licet divites. 3.
Ratio hujus assertionis. 4.
Limitatur. 5.
Carpzovius *notatur.* 6.
An Virgo etiam majorennis parente destituta pro miserabili habeatur? 7.
Ratio dubitandi. 8.
Ampliatur. 9.
Numerus miserabilium personarum nimis extenditur. 10.
Personae miserabiles extra ordinem ad Consistorium Principis trahi non possunt, ne quidem Rescripto. 11.
Hodie generale videtur. 12.
Personae miserabiles alios extra provincias ad curiam Principis trahere possunt. 13.
Sive oppressionem metuant, sive non. 14.
Observantia in foris Statuum Provincialium. 15.
Privilegium hoc etiam in criminalibus locum habet. 16.
Si miserabilis persona contra aliam agit, an locus sit huic privilegio? 17.
Ratio decidendi. 18.
Limitatur. 19.

1 Circa Pupillos, id est Orphanos, *l.* 239. *pr.*
ff. de V. S. vel etiam a patre emancipatos, *Vinc.*
de Franch. dec. 100. *num.* 17. *et Barbos. hic num.*
2 33. Viduas, per quas et Virgines intelligo,
3 *l.* 242. §. 3. *d. t.* licet divites, cum lex
4 non distinguat, et cum divites majori periculo
expositae, *Hillig. in Donell. lib.* 17. *c.* 20. *lit. B.*
et Dn. Carpz. lib. 2. *Resp.* 19. *num.* 19. *et seqq.*
5 non tamen luxuriose viventes, *Hillig. d. l. et*
Christinaeus Vol. 2. *dec.* 161. aliquid singulare
hic constituit Imperator. Virginem etiam majo-
6 rennem parente destitutam excipit *Dn. Carpzov.*
d. l. num. 9. *cum Covarr. et Vult. ibi allegato;*
7 Quod tamen videtur negari posse, et ita idem
Privilegium iis tribuendum esse, per *l.* 242. §.
8 *viduam de V. S.* et ratio hujus legis in iis etiam
militat, scilicet, Consilii inopia, imbecillitas se-
xus, et mariti, a quo defendatur, carentia, et
est haec sententia communiter recepta, teste
Trentac. lib. 2. *tit. de citat. Resol.* 2. *num.* 16.
Castillo l. 3. *controv. c.* 25. *num.* 25. et quos al-
legat *Hillig. d. lit. B.* et locum etiam habet hoc 9
Privilegium in maritata, si ei vir inutilis, *Covarr.*
in pr. 99. *cap.* 7. *num.* 2. *Vinc. de Franch. dec.*
100. *num.* 18. et quos allegat *Barbos. hic num.* 9.
Hillig. d. lit. B. Laborantes sontico morbo, alias-
que miserabiles personas, quas enumerat *Menochius lib.* 2. *A. Q. casu* 66. *num.* 13. *Alex. Trentac. d. tit. de citat. Resol.* 2. *num.* 28. *Thesaur.*
decis. 177. *num.* 1. *Mascard. concl.* 1061. *et Barb.*
hic prolixissime, et quos allegat idem, *Riccius* 10
dec. Coll. 1. quos tamen numerum miserabilium
personarum nimis extendere notat *Hillig. in Donell. l.* 17. *c.* 20. *lit. B.* circa hos, inquam, con-
stituit Imperator duo: I. Ut hae Personae extra 11
ordinem ad Consistorium Principis trahi non pos-
sint, ne quidem Rescripto, quod tamen hodie 12
generale videtur juxta *Nov.* 86. *c.* 1. quamvis quod
de Rescripto hic habetur, speciale adhuc sit.
II. Ut hae Personae extra Provincias ad curiam 13
Principis trahere possint alios, sive oppressionem 14
metuant, sive non, ex voce: *Praesertim.* Et huic
legi in Statuum Provinciis locus est, adeo ut v. 15
g. Vidua Adversarium ad tribunal Electoris v. g.
Brandenburgici trahere possit, licet respectu Im-
peratoris locum non habeat, *Carpzov. lib.* 2. *Resp. num.* 14. *et seq.* Et hoc privilegium etiam in 16
criminalibus locum habet per ea, quae tradit
Castillo l. 3. *controv. cap.* 25. *num.* 20. nec ei
renunciari potest, *Castillo num.* 23. et compe-
tit illis quoque, qui cum miserabili persona com-
munem causam habent, *Castillo d. l. num.* 29.
qui *num.* 30. idem privilegium etiam Ecclesiae
tribuit. Si tamen miserabilis persona contra aliam 17
ageret, non volunt huic privilegio locum esse,
per ea, quae tradit *Covarr. d. c.* 7. *num.* 4. *Vinc.*
de Franch. dec. 188. *et Trentac. d. l. num.* 18.
et Barb. hic num. 29. quia privilegiatus contra 18
privilegiatum utitur jure communi, *l.* 8. *ff. de*
Excus. Tutorum, et per allegata *Salgado in Labyr. p.* 1. *c.* 7. *num.* 46. quod tamen limitandum 19
est, nisi una persona sit alia magis privilegiata,
quemadmodum viduas, orphanos magis privile-
giatos, quam Scholares tradit *Salgado d. l. num.*
47. *Castillo d. l. num.* 27. De materia hujus le-
gis agunt *DD.* plurimi allegati *a Castillo d. l.*
cap. 25. *num.* 2. *et seq.*

TITULUS XV.

Ubi de Criminibus agi oporteat.

L. Quaestiones. I.

SUMMARIA

Intellectus legis. num. 1.
Forum delicti competens est triplex. 2.
Forum hoc neque miles detrectare potest. 3.
Neque Forensis. 4.
Ratio. 5.
In judicio , cui quis alias subjectus non est , delinquens prorogat jurisdictionem. 6.
Neque clarissimi. 7.
Limitatur. 8.
Judicem delinquentis , sub quo degit , requiri , ut eumdem ad locum delicti remittat , non est hodie necessitatis , sed urbanitatis. 9.
Ampliatur regula. 10.
Praxis judiciorum videnda. 11.
Forum delicti competens est vel inchoati , vel consumati. 12.
Locus est praeventioni. 13.
Absurdum est , ut eadem vox duobus praedicatis subjecta respectu unius aliter, quam alterius accipiatur. 14.
Lectio hujus legis *in Codice Theodosiano.* 15.
Subjiciuntur casus. 16.
Sententia haec est communis. 17.
Zangerus, et Carpzovius *notantur.* 18.
Locus ubi reperitur reus , non est domicilii. 19.
DD. *notantur.* 20.
Delinquens etiam in foro domicilii puniri potest. 21.
Ampliatur. 22.

1 Loquitur *lex* de Criminibus publicis, et privatis, modo extra ordinem agatur, id est Crimi-
naliter, non Civiliter, et in his est Forum com-
2 petens triplex: I. Forum est locus delicti com-
missi, *Auct. ad l.* 3. *ff. de Off. Praef. num.* 3.
3 quod nec miles detrectare potest, *l.* 2. *pr. ff. de*
4 *re Milit.* nec forensis, si in judicio hoc delinquat
5 injuriis, nam in judicio, cui quis alias subjectus
6 non est, delinquens prorogat jurisdictionem ejus,
7 *D. Mevius p.* 5. *dec.* 374. *num.* 2. nec Clarissi-
8 mi, *l.* 1. *C. ubi Senatores*, quando absque scrupulo est, si delinquens ibi deprehendatur, nam tunc contra eum elapsum ut jurisdictioni jam semel subjectum procedi potest; sed si ibi deprehensus non sit, tantum in bona, si quae eo loco habet, non vero contra Personam, nec bona, si quae alibi habet, instituitur executio, *Clement. Pastoralis* 2. *de Sent. et Re judic. c. Romana §. contrahentes de Foro Compet. lib.* 6. Potest
tamen citari absens per subsidium Juris, id est,
potest requiri Judex, sub quo degit, ut delin- 9
quentem ad locum delicti remittat, quod tamen
hodie non est Necessitatis, sed Urbanitatis, po-
tissimum, quando non sunt sub eodem Principe 10
judices, de quo pluribus agit *hic Wesemb. num.* 2.
Sed videnda est Praxis judiciorum, ideo alicubi 11
contrarium observatur, et confer. *Dn. Mevius p.* 2. *dec.* 4. Vid. *Dn. Carpzov. Pr. Crim. q.* 110. *num.* 47. *et seq.* II. Locus est, ubi crimen inchoatum, quod vulgo de Accusatione inchoata, ut in *l.* 13. *C. de Adult.* alii forte rectius de loco inchoati delicti intelligunt, quia hic de foro non praeventione sermo est, ergo melius est,
dicere forum delicti esse vel inchoati delicti, 12
vel consumati, adeo ut haec duo loca concur-
rant, et locus sit Praeventioni. Nam videtur ab- 13
surdum esse, ut eadem vox duobus praedicatis 14
subjecta, respectu unius aliter, quam alterius accipiatur; juxta opinionem enim *DD.* Crimen, quando dicitur, quod commissum sit, de ipso delicto intelligendum, quando vero dicitur inchoatum, per crimen intelligitur Accusatio, in una periodo, et fere unico commate, sicut, et
in Codice Theodosiano *haec lex* ita legitur, ut 15
vox *inchoata* ad crimina referatur. Et ita *hanc legem* intelligit *Wesemb. hic*, et *Hillig. in Donell. lib.* 17. *c.* 16. *lit. B. Rittersh. in Nov. p.* 9.
cap. 10. *num.* 56. Praesupposito igitur intellectu, 16
planior erit illa sententia, quando agens stat in uno Territorio, et sclopeto ferit alterum stantem in altero Territorio, quod nunc tam locus inchoati delicti, quam locus consumati delicti tribuant Jurisdictionem, et quod tunc locus sit praeventioni, sicut hanc sententiam proponit *Castr. in titul. seq. l. un. Clar. §. fin. q.* 37. *num.* 9. et plures allegans *Farinac. q.* 7. *num.*
46. ubi hanc communem vocat, licet cum *Zang.* 17
dissentiat *Dn. Carpzov. in pr. crim. q.* 110. *num.* 18
18. *et seq.* Sic si quis mulierem rapiat, et alio loco per vim stupret, uterque locus est delicti com-
missi. III. Locus, ubi reperitur Reus, quod tamen 19
DD. ad domicilii locum restringunt; Verum aliud est forum domicilii, aliud ubi reperitur, nec ab uno ad alterum institui potest illatio, et contra
illos *DD.* recte a *Donello d. l.* 17. *cap.* 16. *lit.* 20
F. urgetur *l.* 3. *ff. de Offic. Praesid.* ibi: *nec distingui, unde sint, l.* 3. *pr. ff. de Re Mil.* Conf. etiam *DD.* quos allegat *Hillig. d. lit. F. et Rittershus in Nov. d p.* 9. *c.* 10. *num.* 60. Adeoque non probo illorum sententiam, qui dicunt, tum demum facinorosum in loco extra delicti locum, ubi reperitur, accusandum esse, si sit vagabundus, *Cothmann. vol.* 3. *cap.* 30. *num.* 69. et quos refert *P. Barbos. in l. haeres absens* 19. *§. proinde in rubr. de foro delicti num.* 11. qui tamen *num. seq.* eum remittendum esse putat ad locum delicti. Conf. *Processus meus inquisi-*

torius, cap. 3. *num.* 5. Hoc tamen declarandum puto; si crimen sit notorium, aut facile probari possit, nam si difficilis probatio, potius remissionem ad locum delicti, ubi probationes sunt faciliores, suascrim. Sed IV. Dari potest Forum, scilicet domicilii, ab his tribus distinctum, de quo hic nihil sorte, quia est commune forum, et non speciale, voluit autem Imper. *hic* speciale forum delinquentium ut talium tra-
21 ctare; sed posse delinquentem etiam in domicilio puniri, dubium non est, per *l. seq. et l.* 7. §. 10. *ff. de interd. et Releg. Dn. Carpzov. d. quaest.* 110. *num.* 9. *Covarr. Pr. Q.* 11. *num.* 5. *et Matth. Steph. lib.* 1. *de Jurisd. c.* 10. *num.* 12.
22 Et quidem indistincte, sive notorium sit crimen, sive adhuc probandum, nam hoc forum est generale, et ordinarium.

L. Sciens. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Magistratus loci domicilii, vel habitationis potest delinquentem punire de delicto alibi commisso. 2.

1 Commiserat quis Plagium, et vendiderat sciens puerum liberum; qui puerum agnoscunt sibi sanguine junctum, volunt accusare Plagiarium. Quaeritur: *coram quo judice?* Resp. *hic* coram eo, sub cujus Jurisdictione degit, quod de domicilio cum *Salyc.* intelligendum. Diximus enim
2 ad *l. praec.* quod Magistratus loci domicilii, vel habitationis, indistincte possit delinquentem punire de delicto alibi commisso, *Vid. Covarr. d. l. Fachin. l.* 9. *cap.* 20. *et Farin. q.* 7. *num.* 24. *et seq.* ubi hanc receptiorem vocat sententiam.

Auth. Qua in Provincia.

SUMMARIA

Intellectus legis. num. 1.
Reus conveniendus est in loco delicti, rei sitae, vel contractus. 2.
Ratio decidendi. 3.
Quid juris circa conventionem Procuratoris Rei? 4.
Exceptio ab hac regula. 5.
Ratio exceptionis. 6.
Ratione delicti tum inchoati, tum consumati contrahitur forum. 7.
Ampliatur. 8.
An quilibet in solidum judicare possit? 9.
Ratio dubitandi 10.
Assumitur sententia Carpzovii. 11.
Ampliatur ulterius numer. 7. *exhibita regula.* 12.
Limitatur. 13.
Sed male. 14.
Casus legis. 15.
Poenae Advocati forensis in eo judicio, ubi injurias scriptas evomuit. 16.

Haec de foro competenti in Civilibus, et Cri- 1
minalibus loquitur, et dicit, conveniendum esse 2
Reum in loco delicti, vel rei sitae, vel contractus, quia paratior copia probationis eo in loco, 3
ubi Reus quis deliquit, vel contraxit, et minoribus etiam expensis probatio expediri potest; si vero convenio Procuratorem Rei, hic denunciat litem 4
Domino, ipsumque Auctorem laudat, et huic spatium temporis pro distantia locorum conceditur, postea, si non compareat, contra principalem, et procuratorem, ut contumaces proceditur. Est autem Exceptio hic, nisi Princeps 5
per Rescriptum Reum ad suum forum evocet. Rationem vide apud *Cujac. in expositione Nov.* 6
69. et constat ex *l.* 8. *pr. ff. Qui Satisdare et l.* 2. *ff. de eo, quod certo loco*, quia scilicet Actori eriperetur copia probandi, si alia in provincia agere cogeretur. Collige hic: I. Ratione 7
Delicti tum inchoati, tum consumati contrahi forum, ut vidimus *in l.* 1. quod hic ampliat 8
Barbos. num. 12. ut si in Confinio factum, et nesciatur, cujus in Territorio factum, uterque possit cognoscere, *Clarus d. q.* 38. *num.* 1. *Farin. d. q.* 7. *num.* 51. qui intelligunt, quod quilibet in solidum judicare possit, et locus sit Prae- 9
ventioni, sed quomodo alteruter Judex suam 10
Jurisdictionem in fundamento dubio collocare possit, non video. Semper enim excipere possit Reus, in tuo fundo non commissum delictum, et contrarii probatio incumberet Domino. Ideoque placet sententia *Dn. Carpzov. d. q.* 110. 11
num. 37. nisi conjecturae quaedam sint, ex quibus haec quaestio decidi possit, ambos Judices debere concurrere, nam ibi reus non potest negare competentiam, cum in alterutro loco delictum oporteat esse commissum, quae etiam sententia placet *Treutl. V.* 1. *disp.* 19. *Th.* 4. *et Bacchov.* Ampliat etiam *Barbos.* ut idem sit, 12
si in mari, adjacente Territorio meo, delictum commissum sit, quod de Territorio universali Principis si intelligatur, experientia etiam comprobat. Limitat vero in fure, quasi ille etiam in 13
loco, ubi furtivam rem contrectat, licet alibi deliquerit, puniri posset, sed imo contrectatio illa nihil aliud est, quam delicti continuatio, ergo adhuc in loco delicti punitur. Deinde, et haec 14
Limitatio, et reliquae nullae sunt, nam delinquens non habet unum forum scilicet delicti, sed etiam ubi deprehenditur. Collige II. Casum 15
ex textu: ubi Possessori domus, ex cujus aedibus mihi damnum datur, conceditur spatium nominandi suum dominum: alius Casus *in fin. in l.* 2. *C. ubi Rem actio*, ubi dicemus. Collige III. casum, ubi ante litem contestatam potest in contumaciam ad definitivam procedere Judex. Collige IV. Actionem Hypothecariam exerceri in loco rei sitae, *Tiraq. de Retr. Consang.* §. 8. *gl.* 5. *num.* 11. Collige V. Advocatum forensem 16
in eo judicio, ubi injurias scriptas evomuit, puniri posse, saltem ut interdicatur ei Advocatura, et procuratoribus interdicatur, ne quicquam ab iis in posterum recipiant judici offerendum, *Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 375.

TITULUS XVI.

Ubi de Possessione agi oporteat.

L. Ubi. unic.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi ratio. 3.
Exemplis illustratur. 4.
Non videtur alibi vis facta esse, quam ubi res est, vel reperitur. 5.
Limitatur haec regula. 6.
Reus translatione rei alio forum Actori mutare nequit. 7.

1 Speciem facti ponunt hanc: possideo Mutinae praedium, ad quod cum ire vellem Patavio, tu in territorio Bononiae, atque adeo in itinere me detines, ne ad meam illam possessionem ire possim, sicque me in possessione fundi mei turbas, Quaeritur; 1. *An coram Judice Bononiensi, et* 2. *An etiam in loco rei sitae te convenire*
2 *possim?* Videtur utrumque Negandum, quia non est in hoc judicium Reale, et sic in loco rei sitae non videtur instituendum, neque hic agitur de delicto; sed affirmatur utrumque, quia ju- 3
dicium hoc quidem est Personale, sed in Rem scriptum, quod etiam in loco rei sitae institui potest, *Menoch. Rem* 3. *Retin. Poss. num.* 3. 16. *et seq. q.* 51. *Tiraq. de Retr. Consang.* §. 8. *gl.* 5. *num.* 10. et igitur tam in Actionibus in rem scriptis, quam in Realibus proprium, et principale Forum est locus rei sitae tam in possessorio, quam in petitorio, sive agatur de Recuperanda Possessione, sive Retinenda, sive Adipiscenda, per *l. unic. infra Ubi de Haered.* Sic etiam quando violenter dejectus de pos- 4
sessione agit criminaliter, tunc locus attenditur delicti, *Gutt. l.* 1. *Quaest. Can. c.* 34. *num.* 5. Quando autem civiliter ad Recuperandam, vel Retinendam Possessionem agitur, tunc locus violentiae cum loco rei sitae concurret; non vide- 5
tur enim alibi vis facta esse, quam ubi res est,
vel reperitur, nisi res a Reo alio transferatur, 6
qui tamen Forum Actori hac translatione mu- 7
tare nequit, per *l.* 38. *ff. de jud. et l.* 47. *princ. de Legat.* 1. videatur etiam *Zanger. pact.* 2. *de Except. c.* 1. *num.* 116. *et Donell. et ibi Hillig. l.* 17. *cap.* 17. *lit. B.*

TITULUS XVII.

Ubi Fideicommissum peti oporteat.

L. Fideicommissum. un.

SUMMARIA

Confundunt DD. *duas quaestiones istas: Ubi fideicommissum, vel legatum, vel donatio mortis causa peti possit, et ubi solvi debeat. n.* 1.
Legatum, vel fideicommissum regulariter ibi peti potest, ubi haeres domicilium habet. 2.
Forum illud est ordinarium. 3.
Potest etiam peti ubi haereditas sita. 4.
Vel ubi major pars haereditatis. 5.
Excipitur casus. 6.
Datur optio legatario, ubi locorum petere velit legatum. 7.
An etiam in domicilio testatoris actio institui possit? 8.

1 DD. istas duas Quaestiones valde confundunt: I. Ubi fideicommissum, vel Legatum, vel Donatio mortis causa peti possit. Et II. Ubi solvi debeat, *Conf. Auct. ad l.* 38. *ff. de Judic. et ad l.* 47. *ff. de leg.* 1. De illa Quaestione *hic* agitur, 2
et Legatum, vel Fideicommissum ibi regulariter peti potest, ubi haeres domicilium habet, per *l. si fideicommissum* 50. *ff. de judic.* Nam hoc 3
est Forum Ordinarium; sed potest etiam peti, 4
ubi haereditas sita, per *hanc legem*, vel ubi
major pars haereditatis, adeo, ut haeres alibi 5
conventus, ad illum locum provocare possit,
per *d. l.* 50. *pr.* Si vero res sit speciei, vel de- 6
terminata in individuo, tunc illa res legata, ultra illa loca peti etiam potest, ubi talis res existit, per *l.* 38. *ff. de judic.* et datur Optio Le- 7
gatario, ubi locorum petere legatum velit, *Anton. Gomez. t.* 1. *Resol. cap.* 12. *num. ult. Molin. d. J. et J. d.* 195. *num.* 9. *Donell. lib.* 17. *cap.* 15. *et ibi Hillig. Pereg. de Fideicom. Art.* 53. *num.* 1. *et* 2. Sed alia Quaestio est, ubi haeres praestare rem velit? ubi electio haeredis, nisi res alio dolo translata, quia tunc praestanda, ubi
petitur, *d. l.* 38. In domicilio autem testatoris 8
institui actio nequit, quia cum testatore nihil contractum est, *Peregr. d. art.* 53. *num.* 2. *Dn. Kohl. ad const. March. q.* 19. *num.* 23. *et seq.*

TITULUS XVIII.

Ubi conveniatur, qui certo loco dare promisit.

L. Qui certo loco. un.

SUMMARIA

In contractibus speciale forum est locus contractus. num. 1.
Locus contractus est duplex. 2.
Quid juris, si nihil de loco expressum? 3.
Aliud observatur ratione solutionis, aliud ratione solemnitatis. 4.
Si loco destinatae solutionis non reperiar, an alibi, et omni loco conveniri possim? 5.
Casus Positio. 6.
Inducta ad unum finem non debent operari contrarium. 7.
Vocabulum ubique *quomodo accipiendum?* 8.
Si destinato loco non fit solutio, aestimabit judex, quanti intersit Actoris, vel Rei. 9.
Ratio. 10.
Qui alio quam destinatae solutionis loco agit, loci mentionem facere debet. 11.
Ratio. 12.
Clausula cautelaris. 13.

1 In Contractibus Forum speciale est locus Con-
2 tractus, qui duplex est, in quem destinata solutio, vel in quo contractum est, nam locus destinatae solutionis videtur esse ipse locus, in quo dicitur contractum; locus autem contractus intelligitur, ubi quid dari promissum est, seu in quo ut quis solveret, se obligavit, licet alibi contractus fuerit celebratus, *l. contraxisse* 21. *ff. de Obl. et act. Auct. ad l.* 19. *ff. de Jud. n.* 17. *et*
3 *ad d. l.* 21. *ff. de O. et A.* sin vero de eo nihil expresse dictum; tunc ubi Negotium gestum est, *l. haeres absens* 19. *in pr. ff. de judiciis. Dn. Carpz. lib.* 2. *Resp.* 29. *num.* 7. Notandum au- 4
tem: ratione solutionis, spectandum esse locum destinatae solutionis ratione solemnitatis autem locum contractus, *Donell. lib.* 17. *c.* 14. *Coll. Arg. titul. de Judic. th.* 219. *Rota Genuensis dec.* 161. Sed si in loco destinatae solutionis non 5
reperiar, et ita moram contraham, quaeritur: *An alibi conveniri possim?* v. g. Berolini pro- 6
misi, me Lipsiae soluturum, sed ego sum in mora, et tum etiam alibi conveniri possum, sed *an omni loco, ubi reperior?* Negatur, quia adjectus locus non potest facere, ut ibi conveniatur Reus, ubi alias nullo adjecto loco non conveniretur; vid. *Auct. ad l.* 1. *ff. de eo, quod cert. loco, num.* 1. 2. quia inducta ad unum finem 7
non debent operari contrarium, contra *l. nulla* 25. *ff. de LL.* et ideo vocabulum *ubi-* 8
que civiliter accipiendum, *Wesemb. in Comment. C. h. t. num.* 15. *Donell. lib.* 17. *cap.* 16. *Duarenus ad hunc tit. in ff. de Eo, quod. certo loco, cap.* 4. et sic intelligendus *Carpzov. l.* 2. *Resp.* 30. *num.* 13. et hanc esse communem sententiam testatur *Bacchov. in Treutl. vol.* 1. *Disput.* 23. *th.* 3. *lit. G. et de action. disput.* 8. *th.* 4. Sed aestimabit Judex, quanti intersit Acto- 9
ris, vel Rei, destinato loco non fieri Solutionem, *Auct. ad all. l.* 3. *ff. de eo quod certo loco*; ra- 10
tio *in l.* 3. *ff. Quod Certo loco, Wesemb. in ff. d. t.* ideo Actor, qui alio, quam destinato solu- 11
tionis loco agit, loci illius mentionem facere debet, ne alias plus loco petat, et in poenam 12
plus petentium incurrat, *Wesemb. in d. Comment. num.* 8. Et ideo summam promissam quidem petere potest Actor, sed cum hac clausula, ut quanti utriusque intersit ratione loci, et tem- 13
poris, ejus consideratio, ex aequo, et bono, nec non judicis arbitratu habeatur, *Wesemb. d. l. Bacchov. d. D.* 23. *th.* 3. *lit. F.*

TITULUS XIX.

Ubi in rem Actio exerceri debeat.

L. In Rem. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Possessor rei potest litem denunciare venditori, ut se Evictionis nomine defendat. 2.
Denunciatus auctor stare tenetur coram judice causae principalis. 3.
An opponere possit exceptionem fori? 4.

1 Pancratius fundum meum emerat a Titio, ego volo vindicare meum fundum a Pancratio, hic excipit, non se, sed Titium venditorem, qui alterius fori est, debere a me conveniri, quaeritur, *An tenear Titium convenire?* Videtur quod sic, quia Titius debet Pancratium defendere. Sed respondetur, non opus esse ut agam contra Titium, sed ago contra Pancratium, ut possessorem, cum haec sit natura actionis realis, ut Possessorem sequatur, §. 1. *Instit. de* 2
Act. sane Possessor potest litem denunciare venditori, ut se Evictionis nomine defendat, verum non opus est Titium coram suo judice conveniri, cum Titius nullo fori Privilegio se tueri possit, sed sequi debet judicium Emptoris, *hic et l. Venditor* 49. *ff. de judic. ibique Auct.* Denun- 3
ciatus enim auctor stare tenetur coram judice causae principalis, *Maranta p.* 6. *Spec. membr.* 5. *num.* 10. *Dn. Carpzov. p.* 1. *Constit.*

1 3. *def.* 78. nec opponere potest denunciatus exceptionem fori, licet sit Clericus, *Gail. lib.* 1 *Obs.* 37. *num.* 7. *Caballinus de Evict.* §. 13. *num.* 117. *Fachin. l.* 2. *contr.* 38. *qu.* 2. *Carpz. d. l.*

L. Si quis alterius. 2.

SUMMARIA

Contra quem detur rei vindicatio? num. 1.
Qui possidet, vel detinet rem, neque nominat verum possessorem, habetur pro eo, ac si liti se obtulisset. 2.
Si vero nominat, liti se eximere potest. 3.
Dummodo nominatio ista statim fiat in judicio. 4.
Limitatur a Maranta. 5.
Sed male. 6.
Confusio nominationis cum denunciatione Doctoribus solemnis est. 7.
Nominatio quid sit? 8.
Denunciatio quid? 9.
Quo in loco nominatus suscipere teneatur judicium? 10.
Quid fiat, si nominatus judicium non suscipiat? 11.
An is, qui primitus convenitur, si habeat jus in re, nominando auct. possit declinare judicium? 12.
Quinam habeant jus in re. 13.
Hoc ipsum num. 9. *dictum an ad mobilia, et actiones mixtas veniat extendendum?* 14.
Objectio tacita removetur. 15.

1 Rei Vindicatio non tantum datur contra eum,
qui suo, sed etiam intenditur contra eum, qui
alterius nomine possidet, vel detinet, *l.* 9. *ff. de
R. V.* vid. *A. ad d. l.* qui licet conductionis titulo, vel precario, in possessione sit, et ita pro-
2 prie non possideat, si tamen verum Possessorem, cujus nomine possidet, non nominet, et
ita suo nomine cum Actore litem contestetur, habetur pro eo, ac si se liti obtulisset, *hic*
3 *et l.* 13. §. 13. *ff. de Petit. Haered.* Sed illi Reo,
qui alieno nomine se possidere dicit, hic conceditur, ut eum, cujus nomine possidet, in Judicio laudare, atque se liti eximere possit, ea ta-
4 men nominatio, vel laudatio Auctoris per *hunc
textum* statim in judicio fieri debet, quod limi-
5 tat *Maranta part.* 6. *Spec. membr.* 6. *num.* 2. *et
Berlich. p.* 1. *concl.* 24. *num.* 125. nisi non ad declinationem Judicii, sed ut possit defensionibus
Domini uti, Domino denunciet, quod etiam forte post litem contestatam facere possit. Sed ita
6 confunditur nominatio Auctoris, cum denuncia-
7 tione, quae confusio Doctoribus fere solemnis
8 est: nam Nominatio est actus, quo actione reali,
vel in rem scripta conventus judicium intentatum transfert in dominum, seu eum, cujus nomine possidet, sui liberandi causa, *Ummius disp.*
9 11. *num.* 37. Denunciatio autem est Actus, quo
reus conventus petit, ut Auctor citetur sui defendendi gratia. Vid. *Processus meus civilis cap.*
10 11. Hic ergo de nominatione agitur. Nominatus
igitur Judicium eo in loco suscipere tenetur; quo non comparente lis pro contestata habetur, Praescriptio interrumpitur, et citato Reo, ac causa summarie cognita, Actor in rei petitae possessionem mittitur, salva adversario proprietatis quaestione, *hic, et c. fin.* §. *fin. X. Ut Lite
contestata.* Cujus ratio haec est; quia haec immissio non praejudicat nominato tertio, quia ille non vult defendere: neque nominanti, quia ille nominando possessorem se liti exemit, et se
possidere negat. Sed quid si is, qui primitus con- 12
venitur, habeat Jus in re, ut Vasallus, Emphy- 13
teuta, Usufructuarius, Maritus in rebus dotalibus, Creditor hypotecarius, et similes? Hic distinguendum, an actor Jus ipsorum impugnet, an vero ipsum dominium directum: illo casu nominando auctorem non possent declinare judicium, quia illorum proprium Jus impugnatur, sed hoc casu possunt, *Myns. cent.* 2. *Obs.* 58. licet dissentiat *Rosenthal. de Feud. cap.* 8.
conclus. 30. *num.* 8. Quod *DD.* etiam hic ad mo- 14
bilia, et actiones extendunt mixtas. Licet enim
lex haec, ut et *c. fin. X. ut lite non contestata*
de re immobili loquantur, quia tamen eadem 15
ratio in rebus mobilibus militat, ideo idem jus in iis esse videtur, quam sententiam Doctorum communem esse affirmat *Ummius ad proces. disp.* 11. *num.* 38. *Berlich. d. concl.* 24. *num.* 118. *D. Jo. Thomae in tr. de noxia anima c.* 6. *num.* 17.

L. Actor. ult.

SUMMARIA

Divisio in duas partes. num. 1.
Verba: Actor forum rei sequatur, *quid importent?* 2.
Reus si pluribus locis conveniri potest, electio est actoris. 3.
Nisi Judicum unus sit privilegiatus. 4.
Excipiuntur quaedam. 5.
Potest aliquis in foro rei sitae conveniri, licet ibi domicilium non habeat. 6.
Ratio hujus regulae. 7.
Clericus ratione rei coram judice saeculari conveniri potest. 8.
Ampliatio regulae sub n. 6. 9.
Casus positio. 10.
An dicta sub n. 6. *obtineant etiam quoad mobilia?* 11.
Usus fori. 12.
Ratio decidendi. 13.
An reus, qui reali actione pulsatur, tantum in rei sitae loco conveniendus sit? 14.
Donellus, et Hilliger *notantur.* 15.
Communis DD. *sententia.* 16.

Habet Duas Partes: in I. Continetur Regula; 1
Quod Actor forum Rei sequatur, i. e. Actor 2
convenire debet reum, coram eo judice, qui ratione Personae conventae, et causae, loci, vel
temporis, jus dicendi facultatem habet. Quando 3
autem reus pluribus locis conveniri potest, Ele-
ctio est Actoris, nisi judicum unus sit Privilegia- 4
tus, ad quem citatus Jus revocandi habet, ut
Auth. habita C. ne filius pro Patre. Exceptio 5
est in vagabundo, item in causa Ecclesiastica, et Feudali, in ratiociniis, *l.* 2. *ubi C. de Ratioc.* alia exceptio est in continentia causarum, *Myns. Cent.* 1 *Obs.* 4. de qua supra, *l.* 10. *de judic.* alia in Pupillis, *titul.* 14. *hoc libro*, de hac Regula vid. *DD.* quos copiose allegat *Barbos. l.* 1 *Axiom. c.* 24. *axiom.* 6. II. Pars legis agit de speciali foro
rei sitae, quod aliquis in foro rei sitae conveni- 6

ri possit, licet ibi domicilium non habeat, quia
7 hic major respectus habetur ad rem, quam ad personam, *l. 7. ff. de pub.* vid. *Auct. ad l. 38 ff.*
8 *de Jud. num.* 4. unde etiam Clericum, ratione rei, coram Judice saeculari conveniri posse receptius est, *Gail. lib. 1. obser. 17. num. 1. Myns. Cent. 1. obs.* 22. et quos laudat, ac sequitur *Hillig. in Don. l. 17. cap. 17. lit. A Rol. a Valle cons. 23 num. 13. lib. 1. Caeval. q. 36. num. 21. et seq. Christinaeus dec. 19. num. 9.* licet id neget *Petr. Barb. in l. Haeres absens §. proinde, Rubr. de foro rei sitae num. 21. ff. de judic.* quem
9 sequitur *August. Barb. hic num.* 7. Haec autem Regula ampliatur, ut idem sit in Actione in rem
10 scripta, v. g. si quis ratione spolii, vel turbationis in re hic sita te convenire velit, *l. unic. supra. Ubi de Possess. Tiraq. de Retr. Consangu. §. 8. gl. 5. num. 9. Trentac. l. 2. tit. de Act. Res. 1. num. 3. Petr. Barbos. d. l. num. 8. August. Barbos. hic num. 6. Donel. d. l. in pr.* Conf. *Ummius D. 3. ad process. th. 3. Treutl.* et ibi
11 *Bacchov. D. 3 th. 8 lit. G.* Idem in Mobilibus, *arg. l. 24. §. 2. de judic. Dn. Mevius p. 1. decis.* 74 quamvis *DD.* soleant distinguere, utrum res sit ibi aliquandiu mansura, an vero possessor ejus statim sit transiturus, ut illo casu, in loco rei sitae possit conveniri possessor, hoc casu vero non, quod sano sensu admittit *Dn. Mevius d. l.* vid. *Auct. ad l. 38. ff. de Judic. num.* 3. sed posse rem sequestrari, nisi Reus promittat, et caveat, se suo loco conventum, velle respondere, tradit *Trentac. d. l. num. 9. Petr. Barbos. d. l. num. 4. et August. Barbos. hic num.* 8. Sed *Azonis* sententiam, quod indistincte res ubi reperitur vindicari possit, sequuntur alii, et usu fori servari testatur *Sichardus hic num. 3. Matth.* 12
Steph. l. 1. de Jurisd. cap. 31. num. 16. Vult. ad l. 1. h. t. num. 19. quos laudat *Hillig. d. l. lit. M.* pro quibus ratio, quod hic non tam Perso- 13
na, quam Res consideretur. Sed hoc tamen certum, judicium ibi non institui, nisi possessor ibi reperiatur, quamvis per subsidium citari possit, *Trentac. d. l. num. 6. Treutl. d. th. 8. lit. G.* Sed contra *Vult. ad l. 1. h. t. num. 20. Zang. de Exc. p. 2. cap. 1. num. 100. Hillig. d. c. 7. lit. F. An autem Reus, qui reali actione pulsatur, tan-* 14
tum in rei sitae loco conveniendus sit? Quaeritur: Affirmat *Donel. l. 17. et ibi Hillig.* refuta- 15
tus, et recte a *Vultejo in l. 1. h. t. num.* 7. cujus sententiam sequitur *Matth. Steph. d. c. 31. num. 11. et seq.* et hanc sententiam, scilicet actionem Actori competere, an in loco domicilii, an vero loco rei sitae Reum convenire velit, nec Reum in loco domicilii conventum posse provocare ad locum rei sitae, a *DD.* communiter 16
hic teneri testatur *Trentacinq. d. Res. 1. in fin.*

TITULUS XX.

Ubi de Haereditate agatur, vel ubi Haeredes Scripti in Possessionem mitti postulare debeant.

L. Illic. un.

SUMMARIA

Legis partes duae sunt: I. Agit de Possessorio, 1
hoc sensu: Quando de possessione haereditatis 2
ago, et me in bona haereditaria mitti peto ex *l. fin. C. de Edicto D. Adr. toll.* tunc illud coram Judice tantum, ubi res sitae sunt, facere possum, nec alibi, quia hic de vacante haeredi- 3
tate sermo est, ob verbum, *postulare*, et debet haec missio fieri Officio Judicis, quia petitio 4
non dirigitur in certam personam. *DD. hic, et Menoch. Rem. 1. Adipisc. Poss. num. 101. Dn. Kohl. ad Const. March. q. 19. num.* 4. Si autem res quaedam haereditariae sint alibi, sententia 5
Judicis simpliciter decernentis missionem in possessionem rerum intelligitur saltem de his, quae sunt sub ejus Jurisdictione, *l. cum unus 12. §. 1. ff. de bonis auctor. jud. possid.* debebit igitur 6
Judex expresse decernere missionem in possessionem rerum, etiam alibi sitarum, et requirere officium illius Judicis, *Kohl. d. q. 19. num.* 8. Quando vero se offert Adversarius, tunc, vel in 7
loco rei sitae, vel in foro adversarii res expedienda est, quod etiam usu receptum est. Quan- 8
do vero in Petitorio versor *(quae est altera pars Legis)*, vel in loco rei sitae, si modo Reus ibi reperiatur, vel in loco domicilii ago, quia Persona Rei rem ad se trahit, quo casu sententiam judicis domicilii Judex loci, ubi res sita, exequi tenetur. Sed requirit *haec lex* ut si in 9

loco rei sitae conveniri debeat Reus, ut ibi degat, quod de loco domicilii intelligit *Donell.* quem recte refutat *Hillig. d. c.* 17. *lit. N.* quia
10 particula VEL, locum rei sitae, a loco domici-
11 lii secernit, nec congruit, prius perspicue dictum postea obscurius repeti. Sed nec illud du-
12 bio carere videtur, quod *Dn. Kohl. d. quaest.* 19. *num.* 19. verba illa: *si ibi degit*, ideo addita putat, quod facilius conveniri possit in loco rei sitae, si ibi moretur, non quod necessario requiratur, ut ibi moretur, quod verbis hujus legis conditionalibus vix convenit. Ideoque *Vult.* quamvis in actione in rem singularem non requiratur, ut Reus ibi reperiatur, in pe itione tamen haereditatis id necessarium putat *hic num.* 25. Quando vero haereditariae res sub pluribus 13
judicibus existunt, adiri potest Judex omnium Superior. Vid. *Hillig. d. l.* 17. *lit. N.*

TITULUS XXI.

Ubi de Ratiociniis, tam Publicis, quam Privatis, agi oportet.

L. Eum. 1.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Casus, ubi in civilibus remissioni etiam locus est. 2.
Lex haec in privatis etiam rationibus locum habet. 3.
Ratio decidendi. 4.
Restringi lex haec nequit. 5.
Si administrator, cum adhuc in administrationis loco degeret, rationem obtulit altero in mora accipiendi istas constituto, quid juris? 6.
Et cujus expensis? 7.
Surdus *notatur.* 8.
An Clericus, qui administrationem aliquam publicam saecularem coram judice saeculari acceptavit, ab ipso saeculari judice pro ratione administrationis reddenda, conveniri possit? 9.
Clerici sunt generales procuratores omnium miserabilium personarum. 10.
Cessat Scholarium privilegium fori. 11.
Casus positio. 12.

1 Quando de Ratiociniis reddendis agitur, ex administratione publica, vel privata, Tutelae, Curae etc. tunc ibi conveniri potest, ubi administratio gesta, et coram eodem judice, sub quo officium gessit, *Petr. Barbos. ad l.* 19 §. 1 *num.* 77. *ff. de Jud. Auth. ad l.* 19. *ff. de jud. num.* 6. *et l.* 45. *eod. num.* 1. *ad l.* 51. *ff. de Procur. num.* 3. sed *An tantum debeat ibi conveniri?* Quaeritur: Hoc affirmat *Vultej. hic et Bened. Carpzov. l.* 2. *Respons.* 33. licet ille *num.* 9.
2 de contraria Consuetudine testetur. Nota bene Casum, ubi in Civilibus remissioni etiam locus est. Confer. *Covarr. in pract. quaest. cap.* 10. *num.* 4. *in fin. Auth. ad l.* 19. *ff. de Jud. num.*
3 6. 7. *seq.* Et *lex haec* locum habet etiam in Privatis Rationibus, et recte probat *Hillig. in Do-*
4 *nel. lib.* 17. *cap.* 11. *lit. K.* Ratio est *in l.* 2. *in*
5 *fin. h. t.* nec restrictionem conceptio generalis hujus tituli, *ubi de Ratiociniis tam publicis, quam privatis*; nec verba in *hac l.* 1. *sive ex quocumque alio titulo*; neque *l.* 36. *in fin.* neque *l.* 45. *in pr. ff. de judic.* patiuntur, *Hillig. d. l.* qui consentientes allegat, *Vult. hic num.* 6. *et Cujac. in* ϖ. *h. t.* sicut et *Castrensis hic* negotiorum gestoris mentionem facit. Dissentit vero *Zang. p.* 2. *cap.* 1. *num.* 77. *et Matth. Steph. p.* 1. *de Jurisdict. cap.* 29. *num.* 37. *et Petrus Barbos. in l. haeres absens* §. 1. *de judic. num.* 74. *et seqq.* Sed quid si Administrator, cum ad- 6
huc in administrationis loco degeret, rationes obtulit, sed alter, v. g. minorennis, vel principalis est in mora accipiendi rationes? Et hoc casu quidem teneri in loco Administratorum negotiorum ipsum reddere rationem, sed expensis ipsius minoris, vel principalis recte statuit *Jo.* 7
Pctr. Surdus de Alim. tit. 1. *quaest.* 47. *num.* 10. quem sequitur *Jo. Guttierez de Tut. part.* 3. *cap.* 1. *num.* 126. Sed male dictus *Surdus* pro- 8
pterea liberari statuit *num.* 11. nam praeterquam quod hoc non possit ex legibus, vel rationibus Legum probari, ut recte *Guttierez d. l.* pugnat etiam hoc cum prius dictis, nam teneri ad rationes reddendas, licet expensis principalis, et liberari plane a rationibus reddendis, contraria sunt. Sed an Clericus, qui Administrationem ali- 9
quam publicam saecularem coram judice saeculari acceptavit, potest ab ipso saeculari judice pro ratione administrationis reddenda conveniri? Quaestionem hanc in utramque partem disputat, *Franciscus Munnoz. de Escobar in tr. de Ratiocin. cap.* 7. *num.* 8. *et seqq.* et tandem concludit *num.* 24. affirmative, si sui lucri causa acceperit administrationem, secus si miserabilis personae curam ex commiseratione suscipiat,
nam Clerici sunt generales procuratores omnium 10
miserabilium personarum. Sed scholarium privi- 11
legium fori cessare putat *Salgado in Labyr. p.* 1.
cap. 1. *num.* 93. ubi tradit, contra has leges nemi- 12
nem privilegiatum se tueri posse, quod forte dici posset, si v. g. Professor in loco Academiae alicujus civis oppidani filii tutelam suscepisset.

L. Nemo. 2.

SUMMARIA

Lex praesens transfert priorem legem ad Hypothesin. num. 1.
Ad ratiocinia militaria obligatus quando, et quo in loco conveniri possit? 2.

Publicae rationes in aedibus etiam publicis tantum reddi debent. 3.
Ratio. 4.

1 *H*aec *lex* priorem legem transfert ad Hypo-
2 thesin: Qui ad Ratiocinia militaria obligatus est, non tantum durante eo officio, sed etiam eo deposito, nec non alii Magistratus deposito officio, eo in loco conveniri possunt, ubi rationes gesserunt. Et ideo publicae Rationes non 3
in aedibus privatis, sed publicis reddi debent, ita ut cuilibet de populo detur facultas audiendi, et videndi dispunctiones rationum, *de Ratiocin. cap.* 7. *num.* 62. *et seq.* Nota bene in fine ratio- 4
nem: Quod in loco rationum gestarum, *instructio sufficiens, et nota testimonia, et verissima possint documenta praestari.*

TITULUS XXII.

Ubi causa Status agi debeat.

L. Ea quae a te. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ancillae aufugientis a Domino, et libertatem vindicare volentis forum quodnam sit? 2.
Ratio decidendi. 3.
Observantia Neo-Marchiae nostrae circa vindicationem hominis proprii, Rustici, vel subditi sui. 4.
Casus legis. 5.
Falsa illorum opinio, qui hac lege probari posse putant, servum, vel rusticum fugitivum propria auctoritate capere licere, et dominum loci tenere eum remittere ad locum, unde aufugit. 6.
Servus alibi degens, si neget, se alterius esse proprium hominem, et tamen se diffamari sciat, dominum praetensum ex Lege diffama-ri *ad judicem loci, ubi ille degit, vocare potest.* 7.

1 Ancilla, quae est in possessione servitutis (id
2 est, quae habetur pro ancilla,) atque aufugit a Domino in aliam provinciam, si se in libertatem vult vindicare, debet sequi Forum Domini, ra-
3 tio in *l. fin. C. ubi in Rem etc.* Hodie *haec lex* habet locum in hominibus propriis, et adscriptitiis. Sed ubi Dominus hominem suum proprium, alibi degentem, vellet vindicare, tenetur illum, in loco ubi degit, convenire, quod
4 experientia docet in Neo-Marchia nostra, et magis in Pomerania, ubi vindicaturus proprium hominem Rusticum, vel Subditum suum, eum in Foro eo, ubi ille degit, vindicare tenetur.
5 Sed *haec* lex agit de eo Casu, ubi Servus, vel homo proprius fatetur dominum esse in possessione servi, et se esse in possessione servitutis, sed negat se esse Servum, vel hominem proprium, ideoque ex Servitutis possessione, quam fatetur, in libertatem se vult vindicare; Nam regulariter actor forum rei sequitur. Neque ex
6 *hac lege* probari potest illorum opinio, qui statuunt Servum, vel Rusticum fugitivum propria auctoritate capere licere, et Dominum loci teneri eum remittere ad locum, unde aufugit, quippe *hic* non agitur de Remissionis necessitate praecisa, sed de eo casu, si servus velit se in libertatem ex servitutis possessione vindicare, *Donel. d. l.* 17. *cap.* 11. *et ibi Hillig. lit. A.* Sic etiam Servus, vel Rusticus alibi degens, (quod 7
tempore belli Germani eheu pluries ex necessitate factum!) si neget, se esse alterius proprium hominem, et se tamen diffamari sciat, potest ex practica Legis *diffamari* Dominum praetensum vocare ad Judicem loci, ubi ille degit, *Wesemb. hic num.* 6.

L. Procuratores. 2. et L. Jamdudum. 5.

SUMMARIA

An Procurator Caesaris sit judex competens in causa status, quando inter privatos agitur? num. 1.
Quatenus limitandum? 2.
In causa ingenuitatis nunquam est competens. 3.
Cur? 4.

Procurator Caesaris non est Judex competens 1
in causa status, quando inter Privatos agitur,
l. 2 *h. t.* Nisi, quando inter Fiscum, et priva- 2
tum agitur, *l.* 5. *h. t.* Sed in causa Ingenuitatis 3
nunquam competens est Judex, *dicta l.* 5. *et l. Penult. C. Ne de statu defunctorum etc.* quia 4
scilicet cognitio super Ingenuitate ad Praesidem pertinet, sed hae causae apud nos in usu esse desierunt. Sed ea tantum Quaestio adhuc ventilari solet: *An Titius sit meus proprius homo, vel non?* nisi huc referre velimus Quaestionem super statu in causis Feudalibus, de quibus *Rosenthal. de Feud. cap.* 2. *concl.* 32.

L. Si in Possessione. 3.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Dignitas actoris non mutat forum rei. 2.
Dignitas neminem liberat a probandi onere. 3.

Quaedam est in possessione libertatis, cui Se- 1
nator movet controversiam status, quia illa est Rea, hinc, et Senator hic ancillae forum sequitur. Nota bene: Dignitatem Actoris non mutare 2
forum Rei, quod notandum est contra illos, qui dignitate sua freti volunt sibi statim credi

debere, quod Titius sit suus Subditus, et ideo volunt, sine ulla cognitione causae, quicquid
3 miser dicat, restituendum esse. Sed dignitas neminem ab onere probandi liberat.

L. Si ex Possessione. 4.

SUMMARIA

Differentia hujus a lege prima. num. 1.
Amica conspiratio hujus cum lege tertia. 2.
Judicis officium in lite super possessione quodnam sit? 3.

1 Si vero Servus possidetur, et vult sese vindicare in libertatem, sequitur forum Domini ut Rei. Differt autem *haec lex a prima*, quod ibi servus erat fugitivus, hic in potestate adhuc domini actu secundo consistit, nec refragatur *legi*
2 *tertiae*, sed amice potius conspirat; *lex tertia* loquitur de servo, qui est in possessione libertatis: *haec quarta*, de eo, qui ut servus possidetur, *Menoch. Rem.* 10. *Recuperan. possess.*
3 *num.* 42. Sed cum interdum partes de possessione ipsa controvertant, videtur lubricum in hac collocari fori fundamentum, sed tunc Judex, ad quem provocatur, primum summatim, et nulla interposita mora cognoscet de possessione, uter ex contendentibus in possessione Juris sui, vel libertatis, vel servitutis, vel dominii sit, *Menoch. in Praelud. Recup. poss. num.* 25 ubi plures allegat, et *d. Rem.* 10. *num.* 43. unde facile cognoscit, an sua sit jurisdictio.

L. In Litibus. ult.

SUMMARIA

Quid juris circa provocationem ad ingenuitatem, vel alius in libertinitatem revocationem ante Justinianum fuerit? num. 1.
Cur sustulerit Imperator? 2.
Emendatio l. 1. l. 2. §. 1. l. oratio l. pen. ff. si ingenuus esse dicetur. 3.

Ante Justinianum ultra quinquennium qui vel 1
provocabat ad ingenuitatem, vel alium in libertinitatem revocabat, non audiebatur, nisi adito Principe, sed hoc sustulit Imperator exemplo caeterarum litium, id est, quia caeterae actio- 2
nes quinquennio non praescribuntur; et sic emendatur *l.* 1. *l.* 2. § 1. *l. oratio l. pen. ff. si* 3
Ingenuus esse dicetur, quod *hic Perez. num. fin.* ad Nobilitatis quaestionem accommodat.

TITULUS XXIII.

Ubi quis de Curiali, vel Cohortali, aliave conditione conveniatur.

L. Si quis. 1.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Homines ad obedientiam adstrictos perpetuam propria auctoritate capere licet, si periculum fugae, et praesto non sit Judex. 2.
Regula haec an applicanda ad Monachos? 3.
Limitatio regulae. 4.
Quam materiam h. l. DD. annectant, et num satis bene? 5. 6.

1 Curiae officio ornatus, vel Collegio cohortalium, id est, apparitorum Praesidis addictus, si fiat Miles; vel etiam dignitatem emendicaverit, hoc fine, ut curiae onera detrectet, si postquam aufugit, prehendatur, poterit ex domo Principis extrahi, *l.* 39. *C. de Decur.* Hinc Colligunt:
2 Homines ad obedientiam perpetuam adstrictos, propria auctoritate capere licere, si periculum fugae, et praesto non sit Judex, *l.* 54. *C. de*
3 *Decurion.* quam Regulam *hic* colligunt *Bart. Bald. Salyc. Castrensis*, atque ad Monachos hic applicat *Perez.* et tunc nullo obstante Privilegio militiae coram loci Judice, ubi reperitur, potest conveniri, et lis intra tres menses finienda, *d. l.* 54. Unde apparet illud, quod propria auctoritate capere eos liceat, non sit simpliciter intelligendum, sed de eo casu, quando fatetur 4
Reus conditionem istam, quod sit cohortalis, sed si hoc neget, tum causa haec coram Judice loci, ubi deprehenditur fugitivus iste ad perpetuam obedientiam (ut olim cohortales) addictus, et sic non simpliciter, et indistincte abduci possunt ab eo, cui obedientiam debent. Tractant hic *DD.* de Potestate apprehendendi alium propria auctoritate, ex contractu, et an cedi possit? Sed hoc loco paulo alieniore, videri 5
tamen potest *Bocr. dec.* 275. *num.* 5. *Tiraq. de*
Retr. Consang. §. 26. *gl.* 3. *num.* 24. et quos hic 6
citat *Barbos.* et praeter eos *Coler. de Process. Execut. p.* 2. *cap.* 2. *num.* 30. ubi *num. seq.* id limitat, nisi cessio fiat in potentiorem.

L. Hac perpetua. 2.

SUMMARIA

Intellectus legis. num. 1.
Extensio legis praecedentis. 2.
In publicis functionibus etiam lite non contestata ob contumaciam ad sententiam definitivam procedi potest. 3.

1 *Haec* a lege praecedenti excipit eos, qui se militiae armatae, sine fraude dediderunt, vel alias speciale Privilegium impetrarunt, his enim fori Exceptionem opponere concessum est. De-
2 inde legem praecedentem extendit, quod ne hi quidem, super exactiones, vel concussiones, quas in officio suo, quod gesserunt, perpetraverunt, Praescriptionem fori opponere possint, nisi in militia sint armata. Quod vero in fine contra contumaces ante litem contestatam sententia ferenda dicitur, id *h. l.* speciale est, odio eorum, qui in publicis male versantur, nam ante litem contestatam alias ad sententiam definitivam non pervenitur, unde *Bart. Bald. Salyc. et Castrens. hic* Regulam faciunt: In pu- 3
blicis functionibus etiam lite non contestata ob contumaciam ad sententiam definitivam procedi posse, per *hanc legem, et Nov.* 17. *cap.* 8.

TITULUS XXIV.

Ubi Senatores, vel Clarissimi civiliter, vel criminaliter conveniantur.

L. Quicumque. 1.

SUMMARIA

Magistratuum varius ordo. num. 1.
Constitutum Imperatoris de conventione Clarissimorum in criminalibus. 2.
Omnem honorem reatus excludit. 3.
Constitutum ejusdem circa Illustres, Spectabiles. 4.
Differentia inter Illustres, Spectabiles, et Clarissimos qualis sit, remissive. 5.
Nobiles in crimine deprehensi a judice loci merito puniuntur. 6.
Sive sit Civicus, sive Nobilis ille Judex. 7.
Quid si non fuerint deprehensi in crimine? 8.
Forum Electoratus. 9.
An immediate subjecti Imperio in loco, ubi deliquerunt, puniri possint? 10.
Ratio dubitandi. 11.
Quomodo sententia Vulteji salvari, et objectio removeri possit? 12.
Officiales Principis in Criminalibus coram quo conveniendi? 13.

1 Alii Magistratus erant Illustres, alii Spectabi-
2 les, alii Clarissimi; de Clarissimis constituit Imperator, ut ibi locorum conveniantur Criminaliter, ubi deliquerunt, additur in fine ratio; *quod*
3 *omnem honorem reatus excludit;* sed Illustres,
4 et Spectabiles ad Consistorium Principis sunt re-
5 mittendi. Quinam autem fuerint Illustres, qui Spectabiles, qui Clarissimi, de eo hic expresse agendum non est, sed de eo agitur alibi, et ab aliis etiam, ut *Tiraq. de Nobil. cap.* 2. *et Menoch. lib.* 2 *A. Q. Cas.* 68. et quos citat *Hillig. in Donell. lib.* 17. *cap.* 20. *lit. G.* quoniam igitur hic de Clarissimis tantum dicitur, quod in loco criminis commissi conveniendi, ideo ratio legis, et Regula, omnem honorem reatum excludere, de hujusmodi dignitate, et non alia intelligenda
6 est. Et ideo Nobiles, si in crimine deprehensi,
7 a Judice loci merito puniuntur, sive sit civicus
8 Judex, sive alius Nobilis, sed si non sint in crimine deprehensi, solent per subsidium citari;
9 sed in hoc Electoratu Nobiles delinquentes, si non sint in crimine deprehensi, coram Procuratore Fisci respondere tenentur. *Vultej. hic num.* 48. immediate Imperio subjectos in loco, 10
ubi deliquerunt, puniri posse putat, a quo recedit *Hillig. in Donell. d. l.* Status enim Impe- 11
rii sunt, qui immediate Imperatori subjecti coram solo Imperatore conveniendi in Criminalibus, *Heig. p.* 1. *quaest.* 9. *num.* 42. *et seq. Hillig. d. l.* Sed si sententiam *Vulteji* intelligas de 12
Statu Imperii in loco delicti deprehenso, et a judice citato, sententia *Vulteji* defendi potest modo in flagranti crimine deprehendatur. Officia- 13
les Principis etiam, non nisi coram Principe, *Heig. p.* 2. *quaest.* 25. *Matth. Steph. de Jurisd. p.* 2. *cap.* 2. *num.* 81. *et Hillig. d. l.*

L. Senatores. 2.

SUMMARIA

Sensus legis: et Senatores in provinciis degentes, ubi possint conveniri. num. 1.
Duo quis potest habere domicilia. 2.
Quod extenditur maxime ad Nobiles. 3.
Exemplo Nobilium Galliae. 4.
An per locum, ubi quis assidue vivit, tertium domicilium intelligendum sit? an vero hic locus conjungendus cum loco, ubi maxima pars bonorum sita? 5.
Varia lectio. 6.
Sententia Auctoris. 7.

Senatores, vel Personae Nobiles in Provinciis 1
degentes, in loco domicilii, vel ubi majorem bonorum partem habent, assidueque versantur, conveniri possunt, sed si in urbe degant, coram Praefecto Praetorio, vel Praefecto urbi, vel Magistro Officiorum conveniendi sunt. Colligunt exinde: Aliquem duo posse habere do- 2
micilia; sicut etiam confirmatur hoc per *l. assumptio* 6. *§. pen. ff. ad Municip. Gail. lib.* 2. *obs.* 35. *num.* 8. *et Bened. Carpz. l.* 2. *Resp.* 21. praecipue vero Nobiles, de quibus hic, qui pro di- 3
versis temporibus anni, diversa habent domicilia, ut de moribus Galliae constat, *Tiraq. de* 4
Nobilit. c. 37. *num.* 131. Illud vero hic dubium, an per locum, ubi quis assidue versatur, ter- 5
tium domicilium intelligendum sit, an vero hic

locus cum loco, ubi maxima pars bonorum sita
6 sit conjungendus? Decisio ex lectione, *an* (Aut) ut nonnulla legunt exemplaria, *an vero* (Et) legendum, ut pleraque legunt, *Menoch. d. cas.*
7 86. *num.* 12. Sed hic non praecise triplex puto domicilium insinuari, sed Imperatorem loqui de diversis conjecturis, et praesumptionibus, ex quibus quis domicilium contraxisse probari possit, v. g. si domicilium ibi cum expressa contestatione fixit, vel omnia sua bona ut perpetuo mansura eo transferat, an vero, si variet, eo in loco, ubi majorem partem bonorum habet.

L. Quoties. 3.

SUMMARIA

Viri illustres coram quo conveniri possint? num. 1.
Nobiles hodie torqueri non possunt, nisi consulto principe. 2.
Clerici nequeunt torqueri, nisi consulto eo principe, qui jura episcopalia exercet. 3.
Accusatio horum non obstantibus fatalibus finienda celerrime. 4
Potest alteri committi cognitio in criminalibus, ut tantum habeat jus solvendi, non condemnandi, et ubi noxius est puniendus, res ad principem referenda. 5.

Viri illustres in Criminalibus coram Principe 1
solo, vel ab eo delegato cognitore, tantum conveniri possunt, qui cognitor tamen non habet potestatem condemnandi, vel poenam exigendi, inconsulto Principe, sed tantum absolvendi; cui simile est, quod nobilis hodie torqueri non possit, nisi consulto Principe, per *l. nullus* 4. *C. de* 2
Crim. Majest. Carpz. p. 3. *Prax. Crimin. q.* 118. *num.* 93. *et seqq.* Sicut, et Clericos non torque- 3
ri, nisi consulto desuper Principe, qui jura Episcopalia exercet, praxis Facultatis nostrae jamdiu docuit. Est tamen Accusatio non obstanti- 4
bus fatalibus celerrime finienda: qui vero non propter administrationem Reipublicae, sed ex Privilegio Illustres sunt, poterunt coram Judicibus hic nominatis conveniri, sed condemnari non possunt, bene tamen absolvi. Colligitur: Pos- 5
se alteri committi cognitionem in Criminalibus, ut tantum habeat jus absolvendi, non condemnandi, sed ubi noxius puniendus, res ad Principem referenda, quod est Extraordinarium, et Singulare, *hic*, *et l. solent* 6. *ff. de Offic. Procons. Longovall. in l. Imperium* 3 *ff. de Jurisd. num.* 8. *Niger in l.* 1. *num.* 118. *ff. de Offic. ejus, cui etc. Menoch. lib.* 1. *A. Q.* 43. *num.* 13. *q.* 54. *num.* 4. *Idem Cons.* 715. *num.* 3.

TITULUS XXV.

In quibus Causis militantes fori Praescriptione uti non possint.

L. Omnes. un.

SUMMARIA

Privilegiorum fori divisio. num. 1.
Communium subdivisio. 2.
An milites in nonnullis casibus praescriptione fori uti non possint? 3.
Duae sunt legis partes. 4.
Prioris partis contenta. 5.
Specialiter privilegiati, et armati peculiares habent judices. 6.
Quando nec hi privilegio suo uti possint? 7.
Phrasis: per provincias sociari, *quomodo intelligenda?* 8.
Posterioris partis contenta. 9.

1 Privilegia fori sunt, vel privata, vel commu-
2 nia. et haec quidem, vel in persona Actoris, ut miserabilium Personarum, et Studiosorum, vel Reorum, ut miserabilium, Clericorum, Studiosorum, Magistratuum, Militum tam armatorum, quam togatorum. Quaeritur autem hic:
An milites in nonnullis casibus praescriptione 3
fori uti non possint? Sunt autem partes legis 4
duae I. Pars *legis* est de Militibus Palatinis, id 5
est, militibus Aulicis ad custodiam corporis Principis constitutis, et agentibus in rebus, id est, Procuratoribus in rebus Principum, et de aliis militibus togatis, qui Judicem Ordinarium declinare non possunt. Excipiuntur specialiter privilegiati, et milites armati, qui habent peculia- 6
res judices, sed, et hi non utuntur privilegio,
1. Si conveniantur ex causa functionum publi- 7
carum, id est, Tributorum, *hic*, *et l. fin. C. Ubi quis de Curiali etc.* 2. Si conveniantur ex causa privati negotii, et compendiorum ex *l.* 10. *de R. J.* 3. Si milites per Provincias socientur, id
est, mercaturae causa societatem Imperatoris 8
consensu contraxerint. 4. Si praedia conduxe-
rint vel Fisci, vel aliorum. II. Pars agit de 9
Militibus, qui negotiandi facultatem a principe impetrarunt, quod scilicet coram Judice Ordinario conveniri possint.

TITULUS XXVI.

Ubi causae Fiscales, vel Divinae Domus, Hominumque ejus agantur.

L. Non defensae. 1.

SUMMARIA

Causae fiscales a procuratore Principis decidendae. num. 1.
Facti species. 2.
Prius de corpore delicti debet constare, an defunctus occisus sit, antequam de caede inulta, et neglecta loquamur. 3.
De caede certi esse non possumus, nisi homicida de caede sit condemnatus. 4.
Si reus caedis mortuus, tunc contra haeredem agitur coram procuratore fisci de crimine caedis inultae. 5.
Sententia contra delinquentem principalem lata tunc praejudicat alteri, quando delictum commissum ab uno principaliter, et poena amissionis bonorum infligenda est alteri per consequentiam. 6.
Sensus legis. 7.
Sententia contra homicidam lata catenus haeredi occisi praejudicat, quod per illam constet de corpore delicti. 8.
Salva manet hoc casu haeredi defensio. 9.
Exceptiones, et defensiones ejusmodi remissive. 10.
Abolitio harum poenarum in aula. 11.
Tenetur tamen haeres denuntiare, et impensas erogare ad processum inquisitorium. 12.

1 Causae Fiscales a Procuratore Principis decidendae, sicut, et hodie bonis Regiis Principis est jurisdictio, *Dn. Mevius. p.* 6. *dec.* 144. *num.* 3. Sed fuit quidam haeres, qui defuncti caedem non vindicasse dicebatur, atque ita haereditas ipsi erat auferenda, et Fisco applicanda, *l. pen.*
2 *ff. de Jure Fisci.* Quaeritur: *An Procurator Fisci de Crimine ingrati haeredis cognoscere possit, antequam ipsum Crimen fuerit contra homicidam in Ordinario Judicio probatum?* Et
3 Respondetur, quod non, quia prius de corpore delicti debet constare, an defunctus occisus sit, quam de caede inulta, et neglecta loquamur; nam prius de caede facta certos esse nos oportet, quam de neglecta caede loquamur,
4 quod ratio docet. Sed de caede certi esse non possumus, nisi homicida de caede sit condemna-
5 tus. Sed quando Reus caedis mortuus, quia tunc non potest Judicium contra eum institui, ideoque tantum de Crimine inultae caedis contra haeredem coram Procuratore Fisci agendum. Hoc ipso tamen casu probari caedem prius erit
6 necesse. Colligunt ex *hac l.* Quando delictum est commissum ab uno principaliter, et poena amissionis bonorum infligenda est alteri per consequentiam, ut *hic*, quod tunc sententia contra delinquentem principalem lata praejudicet alteri, *Gomez. Tom.* 3. *Resol. cap.* 2. *num.*
90. quem allegat *Barbos. num.* 5. sed id in *hac* 7
lege non dicitur, sed hoc tantum, quod antequam haeres ob neglectam caedem conveniatur, necesse sit constare de caede facta, idque ex
sententia contra principalem lata. Ergo senten- 7
tia contra homicidam lata catenus haeredi occisi praejudicat, quod per illam constet de cor-
pore delicti, sed salva tamen manet haeredibus 9
defensio, quod v. g. ignoraverint homicidium,
Gomez. d. l. quae, aliaeque Exceptiones, et de- 10
fensiones proponuntur *a Peregrino de Jure Fi-*
sci l. 2. *tit.* 5. *num.* 15. *et seq.* Has poenas autem 11
ab Aula recessisse, notat *Peregr. d. l. in f. et*
Clarus §. *fin. num.* 79. teneri tamen putant *DD.* 12
haeredem ad denunciandum, si caedes, vel Auctor non sit publice notus, et ad Impensas processus inquisitorii erogare Magistratui. Ut tradunt *Dn. Struvius ad tit. Pand. de SC. Silan. th.* 50. *et Wesembach. ad d. t. th.* 8.

L. Non animadvertimus. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Deprehensus in crimine, vel de eo postulatus, si se ipsum interimit, habendus est pro condemnato, ac confesso. 2.
Limitatur. 3.
Cur confiscatio bonorum poenae vicem subeat? 4.
Causa haec coram procuratore fisci ventilanda. 5.
Judicia de crimine, et de bonis confiscandis sunt diversa. 6.

Reus Criminis alicujus Capitalis, dum apud 1
Proconsulem contra ipsum agitur, mortem sibi conscivit, ideoque Fiscus bona ejus vindicat apud Procuratorem Caesaris: Sed Arista haeres rei provocat ad cognitionem Proconsulis, quia coram eo coeptum judicium, et quia nondum constabat de crimine, ergo; per *legem praecedentem.* Verum hoc negant Imperatores, quia hic non principaliter de crimine quaeritur, sed de bonis, et de crimine tantum incidenter, et prius judicium morte rei finitum. Et hic nulla opus
est condemnatione, quia in crimine deprehen- 2
sus, vel de eo postulatus, si seipsum interimat,
habendus est pro condemnato, et confesso, nisi 3
scilicet Haeredes aliam causam probare possint, *Pereg. de jure Fisci l.* 1. *cap.* 1. *circa fin.* Ergo quia Procurator Fisci intentionem fundatam habet in ἀυτοχειρία, et prius judicium morte finitum, et quia de hoc maleficio occisionis sui ipsius
ex mala conscientia non restat alia poena, quam 4
confiscatio bonorum, ideo causa haec coram Pro- 5
curatore fisci ventilanda. Ex hac lege colligunt, 6

distincta esse judicia de crimine, et de bonis
6 confiscandis. Nam priusquam de crimine constet ex criminali judicio, et ejus fine, fiscus suum compendium non potest petere. Sed si, antequam Judex cognoscat, de crimine fiscus agat, causa non est remittenda ad judicem ordinarium, ut distinguit *Dn. Mevius pag.* 5. *decis.* 381. Hinc cum fisci compendio quaerendo intervenisset Senatus urbis, cui merum Imperium competebat, et ad se trahere causam volebat, repulsam tulit, referente *Dn. Mevio d. p.* 5. *dec.* 380.

L. Procurator. 3.

SUMMARIA

Sensus legis obscurus, et varius. num. 1.
Casus legis ex sententia Auctoris. 2.
Qui non habet jus pronunciandi, non habet jus exequendi. 3.

1 Sententia *hujus legis* est paulo obscurior, alii enim affirmative legunt, alii negative; alii de criminalibus intelligunt Negotiis, vel de Senatus Consulto Turpilliano. Mihi videtur ita casus for-
2 mandus esse: Appellaverat Heliodorus a sententia Praesidis, qui detulerat Appellationi; sed sub hac conditione, ut intra certum, vel legale tempus prosequeretur, sub poena certa. Heliodorus autem negligit Fatalia, Appellatio redditur deserta, hic Procurator Fisci inhians lucro, exigere vult poenam non prosequentis Appellationem. Resp. Imp. id ad eum non spectare, sed ad eum judicem, qui pronunciaturus est Appellationem desertam, ad eum etiam exactionem poenae spectare, cum Accessorium sequatur
3 suum Principale, et qui non habet jus pronunciandi, ille non habet Jus exequendi.

L. Cum vendente. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Judex interdum de negotio cognoscere potest, licet alias fori ejus non sit, si oriatur ex causa ad officium ipsius pertinente. 2.
Casus positio. 3.
Quando lis coram Procuratore fisci debeat ventilari? 4.
Procurator constitutus ad emendum, potest compelli ad pretium solvendum. 5.
Solvens Fisco ejus privilegia consequitur. 6.
Notatur Peregrinus. 7.
Etiam sine cessione solutio facta fisco, vel alii privilegiato creditori tribuit surrogationem in ejus locum. 8.

1 Maxima a Procuratore Fisci emerat Praedium Fiscale non sibi, sed Titio; ex ejus mandato Maxima Fisco solvere cogitur, et tradit praedium Titio, cumque cum in mora esset, ad restituendum pretium convenire vult coram Procuratore Fisci, et recte, quia lis haec nata erat ex contractu fiscali, et erat quasi causa Fi-
2 scalis; Collige: Judicem interdum de negotio cognoscere posse, licet alias fori ejus non sit, si oriatur ex causa ad officium ipsius pertinente, v. g. Si Fidejussor accedat causae Criminali; Er- 3
go licet Fisci Procurator non sit competens Judex inter privatos, si tamen lis dependeat a cau- 4
sa fiscali, seu contractu fiscali, causa coram Procuratore Fisci debet ventilari, et sic Fidejussoris causa, qui pro malefico fidejussit, coram eodem Judice debet ventilari, *Peregr. de Jure Fisci lib.* 7. *tit.* 1. *num.* 4. Illud etiam ex *hac lege* Colligitur: Procuratorem ad emendum con- 5
stitutum posse compelli ad pretium solvendum, per *hanc l.* nec hoc est Privilegium Fisci, sed Juris Communis, *Boerius decis.* 273. *num.* 5. Illud paulo videtur alienius, quod solvens fisco, 6
ejus privilegia consequatur, *Pereg. d. tit.* 1. *num.* 7. quod tamen de omni privilegiato Creditore verum est, ut illi solvens ejus privilegium consequatur, vid. *Auct. ad l.* 24. *ff. de rebus auctor. judic. num.* 9. 10. *seq.* Sed id non concedo *Pe-* 7
regrino d. num. 7. quod cessionem requirat, nam etiam sine cessione solutionem factam Fi- 8
sco, vel alii privilegiato creditori tribuere Surrogationem in ejus locum, receptum esse videtur per *l. si ventri* 24. §. *ult. ff. de Rebus auctor. jud. poss. l.* 1. *C. de His qui in prior. Cred. Carpzov. p.* 1. *Const.* 28. *defin.* 133. *et Auct. ad all. l.* 24. *ff. de rebus auctor. jud. poss. num* 15.

L. Ad Fiscum. 5.

SUMMARIA

Causarum fiscalium cognitio ad Rationalem Caesaris, sive Procuratorem fisci pertinet. num. 1.
Sed restitutio earum etiam coram Praeside peti potest. 2.

Causarum Fiscalium cognitio ad Rationalem 1
Caesaris, sive Procuratorem Fisci pertinet, quamvis restitutio etiam coram Praeside peti possit, 2
l. 2. *sup. Si adversus Fiscum.* Omnis tamen debet abesse concussio, id est, injectio terroris, nam haec, si a Judice fiat, publicum crimen est, *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 342. *num.* 11.

L. Si quis. 6. et L. Dominicis. 7.

SUMMARIA

Lite intercedente cum conductore bonorum Patrimonialium Caesaris, cognitio pertinet ad Comitem rerum privatarum, id est, Procuratorem Patrimonialium bonorum Caesaris. num. 1.
Distinctio inter bona fiscalia, et patrimonialia. 2.
Quilibet Princeps duplex patrimonium habet. 3.
Quidnam utrumque illud patrimonium? 4.
Praedia privata principis a reip. praediis sejuncta, et utrisque Procuratores singuli ab ipsis principibus constituti. 5.

Quando lis est cum Conductore bonorum Pa- 1
trimonialium Caesaris, non Fiscalium, tunc cognitio pertinet non ad Procuratorem Fisci, sed Comitem Rerum Privatarum, id est, Procura-

torem bonorum patrimonialium Caesaris; Nota
2 bene: Distinctionem inter bona Fiscalia, et Pa-
3 trimonialia. Quilibet enim Princeps duplex Pa-
4 trimonium habet, Alterum Fiscale, seu publicum, quod Rex, ut talis ratione dignitatis possidet, et quod ratione dignitatis adquisivit ita, ut dominium maneat Regni, nec potestas detur Principi alienandi. Aliud vero est Privatum, quod Princeps ratione personae possidet, vel ex fructibus Fisci colligit, et pleno jure possidet, et alienare potest, sicut ex *l. bene a Zenone ult. C. de Quadrienn. Praescript.* hanc distinctionem tradunt *Lucas de Penna in l. quicumque 7. C. de Omni agro deserto*, *Dauth. in prolegom. tract. de Testam. num.* 6. *Andreas Knichen. de Saxon. Provoc. jure* ad verba: *Ducum Saxoniae: cap. 7. n. 8. Myns. dec. 12. Resp. 4. num. 6. Junius Brutus in vind. contra Tyran. cap.* 3.
5 Ideoque praedia privata Principis a Reipublicae praediis sejuncta, et utrisque Procuratores singuli ab ipsis Principibus constituti leguntur, ut *hic Bodin. de Repub. l. 1. c.* 10.

L. Cum aliquid. 8.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Obstat l. fin. C. h. t. 2.
Respondetur dupliciter. 3.
Ad Praesidis officium pertinet, provinciam a malis hominibus purgare. 4.
Quicquid intra territorium alicujus situm est, regulariter ejus jurisdictioni subjacet. 5.

1 Quando Colonus patrimonialium bonorum Caesaris aliquid deliquit, Cognitio pertinet ad Praesidem, praesente tamen Procuratore Caesaris, id est Comite rerum Privatarum. Nec obstat
2 *l. fin. C. h. t.* quia *ibi* agitur inter Colonum
3 Caesaris, et privatum, *hic* autem est *Lis* inter Principem, et Colonum Caesaris, ut Resp. *Menoch. l. 2. Praesumpt.* 18. *num.* 28. Responderi etiam potest, *hic* agi de Causa Criminali, quae judicia regulariter ad Praesidem pertinebant, praesertim quando maleficus de ejus Territorio
4 erat, cum ad Praesidis officium pertineret, Provinciam a malis hominibus purgare, *l. Praeses 3. l. 13. ff. de offic. Praesid. et Lex ult. h. t.* videtur etiam localis, *Auct. ad l. alleg.* Collige ex textu: Quicquid intra fines Territorii situm
5 est, Regulariter ejus jurisdictioni subjacere, *l. Pupillus* 139. §. *territorium* 8. *ff. de V. S. l.* 1. §. 1. *ff. de Offic. Praes. Urb.* et ibi notata.

L. Universi. 9.

SUMMARIA

Tenor legis. num. 1.
Concutere quid sit? 2.
Ubi major occasio delinquendi, ibi major debet esse severitas. 3.
Obstat l. fin. C. ubi Senatores. 4.
Respondetur ad d. l. 5.
Conciliatio Castrensis improbatur. 6.
Severius in eos est animadvertendum, qui, quos defendere debebant, opprimunt. 7.

Si Rationalis (sive Procurator Fisci), vel actor 1
(id est Comes Rerum Privatarum) de Provin-
cialibus aliquem concusserit, id est terrore in- 2
jecto pecuniam extorserit, hic deposito officio coram Vicario Urbis, vel Praeside conveniendus est, et vivus cognita causa comburendus, ubi
enim major occasio delinquendi, ibi major de- 3
bet esse severitas. Nec obstat *l. fin. sup. Ubi Se-* 4
natores; Nam *ibi* Regula, *hic* Exceptio habetur: 5
quamvis *Castrensis hanc l.* de Bajulis, et mini- 6
stris Procuratoris rerum privatarum intelligat, unde per *d. l. fin.* dicit, se aliquem liberasse in Gallia; sed haec interpretatio videtur vim inferre textui, praeprimis cum notum sit, gravius plecti solere eos, qui habent occasionem grassandi majorem, et potestatem. Et forte Imperatori ignotum non fuit ejusmodi Officiales lucro inhiare solere. Caeterum de concussione, ejusque poena videatur *Damhouder. praxi Crimin. c.* 131. *Far. q.* 111. *n.* 3. *et alii Auct. ad l.* 1. *et* 2. *ff. de*
Concuss. Collige: Severius esse animadvertendum 7
in eos, qui, quos defendere debebant, opprimunt.

L. Nullum. 10.

SUMMARIA

Officiales Caesaris coram quo debeant conveniri? num. 1.
Famuli ad forum domini referuntur. 2.
Extenditur etiam ad Literatorum, et Clericorum famulos. 3.
Exempti in civilibus non statim sint exempti in criminalibus. 4.
Probatur exemplo studiosi. 5.

Officiales Procuratoris Caesaris coram Procu- 1
ratore Caesaris conveniri possunt in Civilibus, sed in Criminalibus coram Praeside. Collige: I.
Famulos ad forum Domini referri. Et sic privi- 2
legio fori frui Literatorum, et Clericorum famu- 3
los, *Matth. Steph. de jurisd. l. 2. p. 2. c. 2. n.* 86. *et l. 3. p. 2. c. 6.* et quos refert *Hill. ad Don. lib. 17. cap. 20. lit. K. p. m.* 193. quamvis addat,
Academias diverso jure uti. II. Exemptos in Civi- 4
libus non statim esse Exemptos in Criminalibus. Nam si ille Judex, cui per Privilegium subjiciuntur, habeat tantum Jurisdictionem Civilem, ad ejus forum pertinere non possunt in Criminalibus.
Ideo Studiosi, qui peculiarem habent Judicem Pri- 5
vileg. in Civilibus, in Criminalibus regulariter ad Judicem Ordinar. pertinent, vel Principis forum.

L. Hac Lege. ult.

SUMMARIA

Praesens lex est localis. num. 1.
An per hanc l. praecedentibus sit derogatum? 2.

Est lex localis, pertinens ad homines Caesaris 1
Patrimoniales in Cappadocia, qui Tamiaci dicebantur. Quam sententiam *Cujacii* malo amplecti,
quam *Perezii*, qui per *hanc l.* praecedentibus 2
esse derogatum putat; aut *Glossae*, quae Praesidem hic non excludi putat.

TITULUS XXVII.

Quando liceat unicuique sine Judice se vindicare, vel Publicam Devotionem.

L. Liberam. 1.

SUMMARIA

Nemo jus sibi dicere debet. num. 1.
De furibus nocturnis agrorum, et viarum obsessoribus quilibet vindictam sumere potest. 2.
Ratio hujus regulae. 3.
De furibus nocturnis telo se defendentibus, vel alias periculum minantibus, et agrorum depopulantibus remissive. 4.
Is, qui minatur, interfici potest. 5.
Dummodo minae cum atrocitate facti conjunctae. 6.
Limitatur tripliciter. 7.
Melius occurrere in tempore, quam post exitum vindicare. 8.
Non confundenda vindicta publica, privata, et defensio. 9.
Defensio licita omni jure. 10.
Vindicta privata jure naturae an licita? 11.

Lex prima agit de prima Rubricae parte, sci-
1 licet Regula est, Neminem sibi jus dicere debe-
2 re, *hic* vero Exceptio habetur in furibus nocturnis agrorum, (*die Land-Diebe*,) et viarum obsessoribus, de quibus vindictam quilibet su-
3 mere potest, quia odiosissima sunt delicta ex circumstantia temporis, et locorum, et in agris major est grassandi facultas, ac melius est occurrere in tempore, quam post exitum vindi-
4 care; Videatur de furibus nocturnis telo se defendentibus, et agrorum depopulatoribus impune occidendis, *Farin. q.* 125. *num.* 199. *et seq.*
5 *Auct. ad l.* 4. *ff. ad L. Aquil. num.* 5. Colligunt
6 ex hac lege: Eum qui minatur, interfici posse; quod intelligendum, si minae cum atrocitate facti sunt conjunctae, ut in hoc casu. Vide *Hillig. in Donell. lib.* 17. *c.* 2. *lit. O.* et *Farin. d.*
7 *q.* 125. *num.* 67. *et seq.* ubi hoc tripliciter limitat, 1. Si minans solitus sit exequi minas, quod de depopulatore facile praesumi potest, et sic licet illa prima limitatio ipsi *Farinac.* dubia videatur, non tamen facile est repudianda. 2. Limitandum, si periculum sit in expectatione, et 3. Si minae sint de occidendo, non si aliam intendant offensionem, ut rectissime restringit *Dn. Tabor. in loco mox citando in fine.* Caeterum hic notanda Regula: Melius occurrere in 8
tempore, quam post exitum vindicare; quae ex *hac l.* in materia defensionis aliisque casibus solet saepius allegari. *DD.* quosdam citat hic *Barbosa*, et reperiuntur passim plures. Non tamen 9
confundenda haec tria: 1. Vindicta publica. 2. Vindicta privata. 3. Defensio. Haec omni jure li- 10
cita, sed et prima in certis criminibus, sed privata nunquam, ne quidem jure naturali, ut con- 11
tra *Grotium* recte statuit *Dn. Tabor. in Armam. c.* 3. §. 3. *et seq. vid. A. ad l.* 3. *ff.* de *J. et J.*

L. Opprimendorum. 2.

SUMMARIA

Cuilibet privato licet desertorem militiae capere, atque captum judici sistere, vel resistentem occidere. num. 1.
Desertor, si occiderit alium, velox sit ejus supplicium. 2.
Verba: Velox sit ejus supplicium, *quid significent?* 3.
Causa severitatis hujus quae fuerit? 4.
Casus alii, quibus sibi jus dicere liceat, remiss. 5.

Cuilibet Privato licet desertorem militiae ca- 1
pere, atque captum Judici sistere, vel resistentem occidere; quod si desertor occiderit alium, 2
velox sit ejus supplicium, id est, sine ambiguo- 3
so Processu, atque ita publica devotio, seu quies etiam a privatis defendatur. Causa autem 4
severitatis erat, quia desertores militiae crimen Laesae Majestatis quodammodo committebant, *l.* 2. *ff. de Crimine Maj.* Vid. etiam *Farin. quaest.* 113. *inspect.* 1. *num.* 7. *et Tib. Decianus in Pr. crim. lib.* 7. *cap.* 15. Alii casus, quibus sibi 5
licet Jus dicere, videantur apud *Azon. Accurs. et Bart. in l. generali C. de Decurionibus.*

TITULUS XXVIII.

De Inofficioso Testamento.

L. Cum de inofficioso. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Querela inofficiosi datur tantum contra haeredem scriptum. 2.
Petitio haereditatis non datur contra titulo possidentem. 3.
Fideicommissarius loco scripti haeredis est. 4.
Querela, et haereditatis petitio possunt esse conjunctae. 5.
Contra fideicommissarium singularem non datur querela. 6.
An detur contra fideicommissar. universalem? 7.

1 Filius vult Matris Testamentum impugnare, et
simul haereditatem petere a Fideicommissario,
cui ex Testamento Matris haereditas est restitu-
2 ta; Videtur quod non recte: Quia 1. Querela
datur tantum contra haeredem scriptum. 2. Pe-
3 titio haereditatis non datur contra titulo possi-
dentem, *l. 9. ff. de Petition. Haered.* Sed Fi-
deicommissarius cum titulo possidet; Sed Resp.
4 recte agi, quia Fideicommissarius loco scripti
haeredis est, et per querelam hic enervatur ti-
5 tulus. Nota bene: Querelam, et petitionem hae-
reditatis posse esse conjunctas, ut illa causam,
haec actionem ipsam complectatur; patet ergo,
Regulam in *l. 16. et 18. ff. de Except.* hic quo-
dammodo limitationem pati. Nam videtur per
Inofficiosi Querelam praejudicium fieri petitioni
Haereditatis, cum illa contra verum haeredem,
haec vero contra eum qui pro haerede se ge-
rit, detur, sed Testamentum per querelam im-
pugnatum, post sententiam retroversus rescin-
ditur, nulliusque momenti quae in eo haeredis
institutio, *Donel. lib. 19. cap. 8.* Si autem actum
fuit contra Fiduciarium, et obtinuit filius, sen-
tentia nocebit etiam Fideicommissario, *L. Pa-
pinianus 8. §. fin. ff. h. t.* Si vero lite pendente
restituit haereditatem, transit instantia in Fidei-
commissarium, ut distinguit *Gomez. T. 1 Re-*
5 *sol. c. 11. num. 15.* plane contra Fideicommissa-
rium singularem non dari, ex ipsa Querelae
natura patet, *Gomez. d. l.* quamvis autem hodie
ex *Auth. ex causa C. de Liber. praeter.* hanc
7 Actionem contra Fideicommissarium etiam uni-
versalem non dari putet *Didacus Spino a Car-
cer. in Spec. testamentor. l. 20. prin. num. 91.*
id tamen non admittit *Franc. de Barry de Suc-
cess. lib. 10. tit. 8. num. 23.* Pluribus *hac de le-
ge prima* agit *Ferdinand. Vasq. lib. 3 de Suc-
ces. Resol. cap. 1.* qui Capitibus sequentibus re-
liquas hujus tituli leges explicat fusissime.

L. Quamvis. 2.

SUMMARIA

Intellectus legis. num. 1.
An bonorum possessio ita necessaria, ut omissa hac querela non obtineat? 2.

1 Sicut haereditatem potiturus prius eam adit
animo, et ita fundamentum futurae actioni prae-
struit, ita Querelam moturus filius emancipatus
ordinandae litis causa Bonorum possessionem
impetrare, atque ita litem praeparare solebat,
per quam tamen veram possessionem non acqui-
rebat, nec ea scripto haeredi erat auferenda,
sed Jus tantum transmittendi Querelam ad hae-
redes nanciscebatur, *l. 7. ff. h. t. Auct. ad l. 6.
ff. h. t. num. 2.* Quamvis autem *Gomez. lib. 1.*
2 *Resol. c. 11. num. 34.* putet hanc bonorum pos-
sessionem esse necessariam, adeo ut omissa hac
querela non obtineret, puto tamen, hoc nostris
in judiciis non obtinere, praesertim cum dubium
sit adhuc, an filius emancipatus se capacem red-
dere debuerit per hoc remedium, an vero tan-
tum transmissibilitatem impetrare voluerit, si
inter moras litis contestandae moreretur, ut vult
Vasq. p. 11. Controv. lib. 3. c. 106. num. 12.

L. Si mater. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio per distinctionem. 2.
Ampliatio decisionis gemina. 3.

Mater liberos duos haeredes instituerat, sed 1
post testamentum parit tertium Filium, et mo-
ritur. Quaeritur; *Qua via Filius natu minimus
matri succedere possit?* Imperatores distinguunt, 2
utrum mater post partum aliquandiu supervi-
xerit, et Testamentum mutare neglexerit, nam
tunc praeteritio materna pro exhaeredatione est,
et datur Querela, an vero in ipso partu deces-
serit, et tunc repentini casus iniquitas per con-
jecturas maternae pietatis est emendanda, id est,
praesumitur mater expectare voluisse partum,
et tunc corrigere Testamentum, neque cogita-
vit de tristi hoc eventu, *l. 71. de Condit. et De-
monstr.* et sic praesumitur Mater tertium filium
instituere voluisse, *Menoch. cons. 1210. num. 11.
et l. 4. praesumpt. 26. n. 20. et 30. et praesumpt.
29. Jo. del Castillo l. 4. contr. cap. 15. n. 80.
et seqq.* Et ampliatur hujus legis Decisio. I. Ut 3
locum etiam habeat, si liberi illi duo inaequali-
ter essent instituti, nam nihilominus posthumus
haberet virilem portionem tertiam haereditatis,
*Gl. hic, et DD. Vasq. p. 1. lib. 2. Controv. illustr.
cap. 66. num. 6. Gomez. T 1. Resol. c. 5. num.*
24. II. Ampliatur, ut locum etiam in patre ha-
beat, nam si credat rumori de filii morte spar-
so, et eum ideo praetereat; Institutio enim omni-
no videtur extendenda ad eum, qui mortuus
credebatur ex conjectura voluntatis, quam ut
dicamus Testamentum esse nullum, *Mantic. l.
4. de Conject. ult. vol. t. 2. num. 5. et seq.* licet
dissentiat *Gomez. d. l.* Verum si Extraneus in-
stitutus, tunc non dabitur virilis portio, sed
Querela, quia dispar personarum Conditio, et
pars virilis non potest nisi in tota haereditate
constitui, per *h. l. in fine, Menoch. cons. 130.
num. 16.* qui tamen in casu, ubi extraneus cum
fratre institutus, videtur dissentire cum *Vasq.
hic num. 16. et Alciato.* Sed *DD.* in hac lege, et
hoc casu putant esse querelae locum.

L. Cum ex causa. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Cur corruente testamento non tamen corruat fideicommissaria libertas? 2.
Qui testari non potest, neque etiam potest codicillari. 3.
Testamento contra pietatem facto corruente, corruit etiam Codicillus. 4.

Libertas per Fideicommissum ex Testamento da- 1
ta, impugnato licet Testamento, non rescindi-
tur. Atque idem hodie (nam olim secus) in li-
bertatibus directis, quae nec ipsae corruente Te-
stamento pereunt, per *Auth. ex causa C. de
Lib. praeter.* Cur autem directo legata libertas, 2
olim corruente Testamento perierit, Fideicom-

missaria non item, causam hic explicat *Vasquius*, quod illa tantum Testamento, haec etiam in Codicillo relicta fuerit. Sed contra hanc Ratio-
3 nem pugnare videtur, quod, qui Testari non potest, neque etiam possit Codicillari, *l.* 6. §. 3. *et l.* 8. §. 2. *ff. de Codicill.* et si Testamentum,
4 ut contra pietatem factum, corruit, quod etiam corruat Codicillus; nescio igitur, an non conjungenda etiam illa ratio, quod Fideicommissaria antiquitus voluntate haeredis, non vero necessitate niteretur, et sic haec duplici voluntate data sit.

L. Si pater. 5.

SUMMARIA

Sensus verborum legis. num. 1.
Quomodo praeparetur querela inofficiosi testamenti? 2.
Usus hodiernus. 3.
Explicatio l. 34. C. h. t. 4.
Objectio diluitur. 5.
Filius si expresse dicit, se nolle accusare, aut non potest, quia juste exhaeredatus, non datur locus Edicto successorio. 6.

1 Querela praeparata (quod fit per litis Contestationem, aut Bonorum Possessionem litis ordi-
2 nandae causa petitam, *l.* 2. *supra h. t.* vel comminationem, item libellum etc. *l.* 6. *et* 5. *ff. h. t. ibique A. num.* 28. imo sufficit, si tantum animum querelandi habuerit, et hunc animum aliquo actu exteriori declaraverit, ut *hic* post *Glossam*, et in specie *Vasquius num.* 5. ex quo apparet, bonorum possessionem litis praeparandae causa petitam non fuisse simpliciter neces-
3 sariam) etiam ad haeredes transmittitur. Hodie non tantum praeparata, sed etiam non repudia-
4 ta transmittitur, sed in descendentes, *l.* 34. *C. h. t. Auct. alleg. loc. num.* 3. In qua *l.* duo requiruntur, 1. Ut agatur de Testamento Ascendentium. 2. Ut Querelare volens habeat Descendentes, in eosque transmittat. Ergo si de Testamento descendentium agatur, querela non praeparata, non transmittitur a Parente in caeteros liberos, quia hic casus jure novo non est
5 exceptus, ergo manet sub Regula, nec obstat, quod eadem ratio parentum, quae liberorum, per *Nov.* 115. *cap.* 3. quia respondet *Rodericus Suarez in l. quoniam in prioribus ff. h. t. ampl.* 16. *num.* 8. quod eadem sit in potestate rumpendi, non in potestate transmittendi: Conf. *Hilliq.*
6 *l.* 19. *c.* 6. *lit. T.* Sed quid si Filius expresse dicat, se nolle accusare, aut non possit, quia juste exhaeredatus, an detur locus successorio Edicto, et detur querela nepoti? de eo *hic* prolixius agit *Vasquius.*

L. Cum Quaeritur. 6.

SUMMARIA

Tenor legis. num. 1.
Filii tum demum de inofficioso agunt, quando nihil, vel minus quarta habent. 2.
Quarta regulariter secundum tempus mortis computanda. 3.
Ratio decidendi. 4.
Bona supervenientia post mortem non augent legitimam liberorum. 5.
Quae ante mortem deminuta, in computationem legitimae non veniunt. 6.
Fructus legitimae debentur a morte parentis. 7.
Legitima vivo patre filio data, si tempore mortis pater fuerit locupletior, an augeatur? 8.
Tempus mortis considerandum etiam in aestimatione bonorum. 9.
Restrictio regulae n. 8. *datae.* 10.
Legitima non debetur nisi mortuo parente. 11.
Limitatur. 12.

Filii tum demum de inofficioso agunt, quando 1
nihil, vel minus quarta habent, quae regulari- 2
ter secundum tempus mortis computanda, cum 3
sit quota bonorum, quae ab intestato deferri 4
possunt ex causa successionis haereditariae; et ante mortem nec sciri potest, quid, et quantum tempore mortis futurum sit in bonis morientis, propter inopinatos casus, *Anton. Faber lib.* 3. *C. tit.* 19. *Def.* 27. *Carpzov. p.* 3. *Jurispr.*
Const. 12. *def.* 10. et sic bona supervenientia post 5
mortem non augent legitimam liberorum, *Afflict. dec.* 382. *Boer. dec.* 62. *num.* 3. Et quae an- 6
te mortem deminuta, in computationem legitimae non veniunt, *Fr. Caldas de Empt. c.* 10.
num. 6. et sic etiam fructus legitimae debentur 7
a morte parentis, *Ant. Faber lib.* 3. *C. t.* 19. *d.* 11. *Peregr. de Fideicom. art.* 36. *num.* 69. et praecipue *Franc. Barry de Success. lib.* 16. *tit.* 12. *per totum.* Et exinde etiam illorum senten-
tia videtur probabilis, qui statuunt, legitimam 8
a vivo patre filio datam augeri, si tempore mortis Pater fuerit locupletior, qua de re dicetur
infra ad *l. si quando* 35. *h. t.* Ex hac lege etiam 9
colligitur, tempus mortis etiam in aestimatione bonorum esse considerandum, ita ut legitima non tantum ex quantitate, sed etiam qualitate
judicetur, *Rimin. vol.* 2 *cons.* 227. *num.* 69. De- 10
claratur autem haec Regula, quod locum non habeat in Donatione inofficiosa, de quo dicetur
in *Auth. unde et si Parens h. t.* Illud etiam ex 11
hac *l.* colligitur evidenter: Legitimam non deberi nisi mortuo parente, non vivente, quod ut per se notum, multis tamen auctoritatibus ex abundanti confirmat *hic Barbos. num.* 7. cujus Limitationem notabilem proponit *Carpz. d. def.*
10. si scilicet liberi sint Orthodoxi, parens vero 12
Anabaptista, qui bona sua vellet in sectam illam prohibitam transferre.

Authent. Novissima.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Filia si renunciaverit jurato legitimae, an computanda? 2.
Ratio decidendi. 3.
Lubricum illorum fundamentum, qui dicunt, renunciationem fieri tantum in patris, non in fratrum favorem. 4.
Unde altera sententia Auctori probatur. 5.
Liberi, qui ad religionem transiverunt, et talem ordinem ingressi, ut nihil proprii possideant, partem haereditatis non faciunt. 6.
Ratio hujus asserti. 7.

Exhaeredatus rite filius pro mortuo habetur. 8.
Si nemo liberorum primi gradus, sed tantum nepotes ex uno filio supersint quinque, quid juris? 9.
Legitima parentum etiam est triens. 10.
Fratrum quoque an ita sit? 11.
Legitima quomodo relinquenda liberis? 12.
Authent. haec per Nov. 115. c. 3. *correcta.* 13.
Testamentum inter liberos, si liberi in legitima titulo honorabili institutionis non sint honorati, corruit. 14.
Parentes testatores rarius extraneos instituunt, frequentius inter liberos testantur. 15.
In computatione legitimae liberorum an etiam includenda portio statutaria Uxoris? 16.
Responsum facultatis Juridicae Lipsiensis, remissive. 17.

1 I. Determinat legitimae quantitatem: Si relicti sunt quatuor Filii, non quadrans, sed triens haereditatis seu omnium bonorum est Legitima:
2 Si vero plures, legitima est Semissis, Filia tamen, quae ob renunciationem juratam capere non potest, computata, ut communis est sen-
3 tentia, quia ipso jure non est incapax, et *arg. l. qui repudiantis* 17. *ff. h. t. Gail. lib.* 2. *observ.* 122 *num.* 17 *Myns. c.* 4 *observ.* 22 *Peregr. art.* 38. *num.* 12. *Barry de Succ. l.* 16. *tit.* 2. *num.* 9. *Dn. Manzius de Testam. tit.* 12. *q.* 4. *num.* 21. *Conf. A ad l.* 10. *ff. de bon. possess. contra tab. num.* 1. 2. *et seq.* Sed ab his Dissentit *Fachin. l.* 4. *c.* 31. qui Distinguit, utrum de minuenda, an vero de augenda legitima agatur, ut illo casu partem faciat, hoc non, atque hanc Distinctionem sequuntur *Dn. Carpzov. p.* 3. *Jurispr. Constit.* 10. *def. pen. et Berlich. p.* 3. *concl.* 12. *num.* 26. *et seq.* Sed cum durum videatur dicere, non esse Contrariorum eamdem rationem, et lubri-
4 cum putem eorum fundamentum, quod scilicet renunciatio fiat tantum in Patris non vero
5 in fratrum favorem; Ideo malim amplecti sententiam communem. Ideoque in simili quaestione, an, si ex statuto filia elocata, et dotata excludatur a successione paterna, v. g. Papiae, filiae faciant partem in computatione Legitimae, similiter id affirmarem, quam sententiam octo rationibus defendit *Cephal. cons.* 215. et rationibus satisfacit, et probat *Dn. Manzius in tr. de*
6 *Testam. tit.* 12. *q.* 4. *num.* 41. Qui autem ad Religionem transiverunt, et talem ordinem ingressi, qui nihil proprii possidere possunt, hos partem
7 non facere tradit *Boër. dec.* 104. *num.* 5. quia pro mortuis habentur *Boër. d. l. Barry d. t.* 2 *n.* 6 et eadem ratio exhaeredati rite Filii, qui etiam
8 pro mortuo habetur, et sic nec numerum facit, *Peregr. art.* 38. *num.* 11. *Fach. d. c.* 31. et quos allegat *Barry d. t.* 2. *num.* 5. *et Carpz. d. cons.* 10. *def.* 12. *et seqq.* Eadem ratio liberorum, qui repudiant haereditatem, *Dn. Manzius de Testam.*
9 *tit.* 12. *q.* 4. *num.* 59. Sed quid si nemo liberorum primi gradus, sed tantum nepotes ex uno filio supersint quinque, an horum legitima erit semis? Affirmat id *Dn. Carpoz. d. c.* 12. *def.* 11. quia hi non succedunt in Stirpes, sed in Capita.
10 Legitimam etiam Parentum ita volunt auctam, ut semper sit triens ex *Nov.* 18. *c.* 1. *Fach. l.* 4. *c.* 28. *Carpzov. d. def.* 11. *Barry d. t.* 2. *num.* 3. Pro quibus militat *Nov.* 18. *cap.* 1. *in fin.* Ibi: *hoc observando in omnibus personis, in quibus ab initio antiquae quartae ratio de inofficioso lege decreta est;* quae eadem ratio pro Fratrum 11
legitima militat, licet enim Fratrum legitimae vix ulla reperiatur in jure mentio, pro Fratrum tamen legitima ex eadem ratione concludunt *Donell. lib.* 19. *c.* 4. *et ibi Hillig. lit. Aa. Trentacinq. t. de Legitima Res.* 3. *num.* 5. *Fachin. l.* 4. *c.* 28. *Vasq. de Testam. Parent.* §. 10. *num.* 268. *Barry d. t.* 2. *num.* 4. II. *In hac Auth.* de- 12
finitur, quo titulo Legitima hodie relinquenda, et Respondetur, quocunque titulo relinqui eam posse, quod tamen per *Nov.* 115. *c.* 3. postea 13
mutatum, *A ad l.* 8. *h. t. num.* 15. Ubi injuriam liberorum Imperator tollere voluit *d. Nov.* 115. *c.* 3. *pr.* adeo ut etiam Testamentum inter libe- 14
ros, si liberi in legitima honorabili titulo institutionis non sint honorati, corruat, ut verior est opinio *DD.* aperto textu nixa, quam defendit rectissime *Dn. Carpzov. p.* 3. *Jurispr. Const.* 4. *def.* 21. *et cons.* 9. *def.* 3. *Covar. in c. Raynutius* §. 1. *num.* 4. *X. de Testam. Clarus in* §. *Testam.* 8. 9. *num.* 6. qui testatur de communi, et *Fachin. l.* 4. *cap.* 24. Nam pro hac sententia militat Regula, in qua merito manendum est, si Exceptio non probetur, nec probabile est, Imperatorem locutum esse de specie rariori, rarius enim Parentes testatores extraneos insti- 15
tuunt, frequentius inter liberos testantur. Legitimam, usufructu, uxori v. g. constituto, gravari non debere, probatur *hic*, et *l. quoniam in prioribus ff. h. t.* et in ejusdem legis repetitione *Roder. Suarez. Ampl.* 3. *Carpzov. d. Const.* 12. *def.* 7 licet per statutum hoc fieri possit, *Carpz. d. const.* 12. *def.* 6. Sed hic commode Quaeritur: 16
An in computatione legitimae liberorum etiam includenda portio statutaria uxoris? Quod aliquoties disputatum memini. Et ni fallor verissima est Decisio affirmativa *Dn. Carpzov. lib.* 6. *resp.* 48. per rationes ab eo allegatas, et ita a 17
Facultate Jurid. Responsum memini, et ideo quae habet *Carpzov. p.* 1 *Jurispr. Const.* 28. *def.* 100. *in fine*, ex *d. Responso* interpretanda.

Auth. Unde.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Textus hujus Autent. est quasi limitatio legis. 6. *hic.* 2.
In Donatione inofficiosa non tempus mortis sed donationis est respiciendum. 3.
Ampliatio. 4.
In computatione Legitimae aestimatio fieri debet omnium bonorum, quae pater habuit. 5.

Donatio inofficiosa facta uni liberorum, cate- 1
nus per reliquos retractatur, reliqui habeant suam legitimam, nec Filius Donatarius abstinere potest haereditate, et retinere integram donationem, sed debet supplere Legitimam caeterorum liberorum, et tunc potest abstinere, nam alias parenti liceret legitimam liberorum per donationem imminuere, et sic quod testamento non posset, posset per donationem. An autem quis laesus sit in legitima, attendendum est tempus donationis, non mortis, et sic quasi limitatio est *legis sextae*, scilicet in donatione 2
inofficiosa non tempus mortis, sed donationis 3
esset respiciendum, *Valascus consult.* 189. *Tiraq.*

in l. si unquam C. de Revoc. Donat. verbis: (*omnia, vel partem*) *num.* 35. *Trentac. d. t. de Legitima Res.* 2. *num.* 9. *Gilkenius in l.* 6. *h.*
4 *t. num.* 3 licet sit donatio remuneratoria, quia nihil non debent liberi Parentibus, *Trentac. d. l. Pinel. l.* 1. *p.* 3. *num.* 62. *vers. infertur un-*
5 *decimo de Bonis mat.* et quos hic allegat *Barbos. num.* 13. *et seq.* unde apparet, quod in computatione Legitimae aestimatio fieri debeat omnium bonorum, quae pater habuit, inclusis etiam iis, quae pater liberis donaverat, *Cothman. vol.* 2. *cons.* 99. *num.* 248. modo fuerit donatioi nofficiosa, *Cothman. d. cons.* 99. *num.* 268.

L. Neptem. 7.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Alius casus formatio. 4.

1 Filius Testatoris emancipatus praemortuus est, relicta Nepte, hanc Avus exhaeredat, videtur
2 quod non possit habere Querelam, cum pro ex-
3 tranea sit habenda; sed Affirm. quia Neptis concepta est ante emancipationem. Alii intelligunt
4 *legem* de eo casu, quando Filius, et Neptis (qui alias ex edicto Praetoris ab intestato avo conjunctim succederent) sunt exhaeredati, et Filius post testatorem mortuus. Et *hic textus* multo magis hodie militabit, quippe abolito discrimine inter suos, et emancipatos liberos quoad hanc partem, si enim neptis exhaeredata, habebit Querelam, si praeterita, Testamentum erit nullum.

L. Parentibus. 8.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Patri licet magnam inter liberos inaequalitatem observare, nec propterea vitiari potest testamentum. 2.
Qui non ab intestato succedere, neque etiam legitimam petere possunt. 3.
Legitima qualis intelligatur? 4.
Alimentum tamen petere possunt hi, licet denegata successione. 5.
A denegata legitima non colligitur denegatio alimentorum. 6.
Exemplo illustratur. 7.
Qui vel expresse, vel tacite approbavit voluntatem defuncti non habet querelam. 8.
Casus hujus regulae. 9.
Ratio decidendi. 10.
Querela quatuor modis deficit. 11.
Solutio aeris alieni haereditarii probat aditionem haereditatis. 12.
Ratio dubitandi. 13.
Sententia auctoris. 14.
Casus positio. 15.

1 Parentes liberam habent facultatem bonorum dividendorum inter liberos, modo legitimam singulis relinquant, quae est quarta, hodie triens vel semis omnium bonorum juxta §. *ult. Inst. h. t.* quando scilicet nullus alius ab intestato succedit, sed quando alii etiam simul succedunt, tunc est quarta, vel triens, vel semis portionis ab intestato debitae. Colligitur ex hac lege: I. Patri 2
licere inter liberos magnam inaequalitatem observare, nec propterea vitiari testamentum inter liberos, *Grassus* §. *Testamentum q.* 11. *num.* 8. *Clarus* §. *Testamentum q.* 14. *num.* 8. *Vasq. de Success. Progressu l.* 3. §. 30. *num.* 46. *Fachin. l.* 4. *cont. cap.* 2. *Barry de Succes. l.* 1. *tit.* 3. *num.* 4. *Finckelthaus. Obs.* 78. *num.* 9. *et seq.* et alii plurimi. II. Collige: quod illi, qui non possunt 3
succedere ab intestato, ne quidem legitimam petere possint, quod hic dicatur, legitimam es- 4
se Portionem ab intestato debitae partis. Et sic concludit post alios allegatos *Tiraq. de jure Primog. q.* 55. *num.* 9. *Menoch. Cons.* 8. *num.* 3. Alimentum tamen peti posse, denegata succes- 5
sione, et consequenter Legitima, tradit *Tiraq. d. q. in fine, et Surdus de Alim. Tit.* 8. *privil.* 33 *num.* 4. Nam a denegata Legitima non col- 6
ligitur denegatio Alimentorum, nam, v. g. libe- 7
ris Spuriis non debetur legitima, bene tamen alimenta, *Surdus d. l.*

§. 1. Qui, vel expresse, vel tacite approbavit 8
Voluntatem defuncti, non habet Querelam, v. g. cum debitum haereditarium pro ea parte, 9
qua sum haeres institutus, solvo, licet minus debito sit relictum, modo sim majorennis, Querela mihi non competit, ratio in *l.* 9 *ff. de Ne-* 10
got. Gest. et l. 8. §. 10. *ff. h. t. Auct. ad l.* 23. *ff. h. t. num.* 3. *it. l. pen. ff. h. t. num.* 5. Sed per *l. ff.* 30. *h. t.* minimo relicto non datur Querela, sed agitur ad supplementum. Collige igitur quatuor modis deficere Querelam: 1. Si in- 11
gratus sis. 2. Si per quinquennium tacuisti. 3. Si facto aliquo Testamentum approbasti. 4. Si, vel minima res relicta, *Julius Clarus in* §. *Testam. Qu.* 4. Colligunt exinde *DD.* ut et *ex l.* 2 *C. de Jure Deliberandi:* Quod Solutio aeris 12
alieni haereditarii probet aditionem haereditatis, *Mascard. de Probat. concl.* 44. *num.* 29. *et seq. et Barbos. hic num.* 10. id quod *Matthesilanus sing.* 35 merito miratur, cum hic actus citra 13
nomen haeredis fieri possit, et quilibet debitum alienum solvere possit, *l. solvendo de neg. gest.* Ego puto, non sufficere solutionem nudam, sed 14
si pro portione haereditatis sibi delatae debitum solvat, v. g. defunctus habuit tres liberos, unus 15
liberorum solvit integrum debitum, non putarem exinde aditionem satis probari, sed si pro tertia parte solvat, tunc duplex praesumptio concurrit, prima quod debitum haereditarium solvat, secunda quod pro ea portione, qua sibi delata est haereditas, solvat. Nam hoc animo Negotiorum Gestoris factum esse non videtur, et de hoc posteriori casu et *haec lex*, et *d. l.* 2. loquitur.

L. De innofficioso. 9.

SUMMARIA

Explicatio legis. num. 1.
An assertio praesentis legis mutata per Nov. 115. cap. 4. 2.
Negant nonnulli. 3.
Alii affirmant. 4.

1 Testamentum militis armati, licet jure communi fecerit, non militari, non tamen subjacet Querelae, quia datum hoc Privilegium ei est, ut
2 militi, *Auct. ad l. 27. ff. h. t. num.* 3. Sed an
3 hoc *per Nov.* 115. *c.* 4. mutatum? *Donellus* Negat *l.* 19. *c.* 5. quia scilicet *Nov.* 115. *c.* 4. ad Testamentum Militare non pertinet, quia hoc a jure communi non dependet, sed speciali Privilegio. Specialia autem Privilegia generali correctioni subjacere non solent, *Fachin. l.* 6. *cont. c.* 74. *Nicol. Reusnerus de Testam. p.* 2. *c.* 25. *num.* 7.
4 licet *DD.* multi contra nitantur; vid. *Covarr. in C. quia nos* 9. *num.* 9. *de Testament. Hillig. d. c.* 5. *lit. B. Salyc in l. h. t. num.* 4. *Wesemb. cons.* 17. *num.* 30. *Vasq. de Succ.* §. 22. *n.* 28. et alii.

L. Si haeredum. 10.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Querela competit etiam contra haeredem haeredis. 2.
Quatenus detur contra fiscum? 3.
Datur contra omnem successorem universalem. 4.
Fiscus, ubi non expresse reperitur privilegiatus, utitur jure communi. 5.

1 Quintilianus decesserat facto testamento, quo filium exhaeredaverat, et Extraneos haeredes instituerat, hi adeunt haereditatem, atque ita contra eos coeperat competere Querela, sed cum in eo esset, ut Filius contra eos agere vellet, perveniunt bona ad Fiscum, an ut bona vacantia, an vero per Fideicommissum tacitum, de eo disputat *Anton. Faber lib.* 17. *Conject. c.* 2. ubi verba illa: *utpote vacantia*, irrepsisse putat; hoc casu contra Fiscum ut successorem
2 universalem datur Querela. Collige: I. Querelam competere etiam contra haeredem haeredis, imo
3 etiam Fiscum, si haeredi successit, contra o-
4 mnem successorem Universalem, imo si Imperator ipse haeres sit institutus, contra eum daretur Querela, *l.* 8. §. 2. *ff. h. t. ibique A. num.*
5 5. 6. Collige II. Fiscum, ubi non expresse reperitur privilegiatus, uti Jure communi etiam in Testamento, *Peregr. de Jure Fisci l.* 6. *c.* 1. per totum, et praecipue *num.* 30.

L. In arenam. 11.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Filius turpem vitam eligens patri honesto an succedat? 2.
Non statim causa, quae sufficit ad exhaeredationem, sufficit ad excludendum a successione ab intestato. 3.
Infamis non potest evertere testamentum fratris, qui infamem personam instituit. 4.
Mores, quo quis in se probat, in alio reprobare non potest. 5.
Mater meretrix meretriculam filiam exhaeredare non potest. 6.
Limitatur, nisi mater anteactae vitae poenitens, et emendata esset. 7.
Exceptio vitii non opponi potest ab eo, qui ipse vitio eo laborat. 8.
Limitatur, nisi id faciat non ad proprium commodum, sed tertii. 9.
Vel aliter remaneat in lucro, excipiens in damno. 10.

Filius Patris honesti Arenariam vitam elegit, 1
et cum reliquis fratribus vult succedere Patri, 2
videtur quod non possit quia est Persona turpis, *l.* 1. *ff. de His qui not. Infam.* et haec est justa Exhaeredationis causa; Sed affirmatur, quia primo turpitudo per se non privat aliquem successione, nec causa, quae sufficit ad Exhaereda- 3
tionem, sufficit statim ad Excludendum a successione ab intestato, nec tamen propter hanc causam exhaeredare Pater posset, si simili infamia laboraret. Ex quo colligunt: Nec infamem 4
posse evertere Testamentum fratris, qui infamem Personam instituit juxta *l.* 27. *h. t.* Nam 5
mores, quo quis in se probat, in alio reprobare non potest, *Barbos. in l.* 40. *num.* 16. *ff. Sol. Matrim.* per *l.* 47. *ff. Sol. Matrim. Vasq.* de *Success. l.* 1. §. 10. *num.* 603. *Donell. lib.* 6. *cap.* 15. et quos citat *hic Barbos. num.* 6. Unde etiam 6
inferunt: Meretricem matrem, meretriculam filiam exhaeredare non posse, nisi mater anteactae 7
vitae poenitens, et emandata esset, *Peregr. de Fideicom. art.* 36. *num.* 51. *Surdus de Aliment. tit.* 7. *q.* 4. *num.* 15. *Aug. Barbos. hic num.* 7. *et seqq.* neque Exceptio vitii opponi potest ab 8
eo, qui ipse eo vitio laborat, *c. cum Apostolicae X. de Except.* nisi id faciat non ad proprium 9
commodum, sed tertii, vel aliter remaneret in 10
lucro, Excipiens in damno, *Petr. Barbos. in d. l.* 40. *ff. Sol. Matrim. num.* 17. *et seq.*

L. Si Pater. 12.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Multa valent ratione dubii eventus, quae per se non valerent. 2.
Probatur exemplo. 3.
Usus observat contrarium. 4.
Probatur, legem praesentem per l. 32. *h. t. esse sublatam,* 5. 6.

Pater habet Filium, Filiam, et Uxorem; Fi- 1
lio relinquit sex uncias, id est, semissem, Filiae quatuor, Uxori duas, et Liberos sibi mutuo per Fideicommissum substituit, (*das es von einem Kinde auff das andere falle*). Quaeritur: *An Filia habeat ob onus fideicommissi querelam?* Respondetur quod non, quia reciprocum fideicommissum est, et in quantum unus gravatur, tantum ab altero sperare potest. Collige: Multa valere ratione dubii eventus, vel recipro- 2
cationis, quae per se non valerent, v. g. Dona- 3
tio conjugum Reciproca, et similia. Sed ho- 4
die per *l.* 32. *h. t.* nec fideicommisso reciproco gravari legitima potest, *Hillig. ad Donell. lib.* 19. *cap.* 1. *lit. Mm.* et licet hanc *l. per d. l.* 32. 5
quoniam in prioribus etc. correctam non esse evincere nitatur *Vasq. hic num.* 3. quam singularem *Vasquii* sententiam nonnulli consulentes sequuntur, ut *Decius cons.* 456. *num.* 8. *Menoch.*

Cons. 166. *num.* 16. *et Petra de Fideicomm. q.*
6 15. *num.* 105. Verior tamen, et receptior est sententia, verbisque *d. l.* 32. convenientior, quod *haec lex* sit correcta, quam amplectuntur *Roder. Suarez. in celebri repetit. d. l. quoniam in prioribus Ampl.* 6. *num.* 5. *post glos. hic Grassus in Comm. in tit. de legit. Q.* 38. *num.* 6. *Anton. Gabriel. l.* 6. *Concl. Comm. tit. de legit. concl.* 1. *num.* 6. *Petr. Greg. lib.* 44. *Syntagm. c.* 5. *n.* 27. *Pruckm. Vol.* 1. *Cons.* 28. *num.* 95. *et seq. Vinc. Fusarius de Subst. Q.* 299. *num.* 23. *Steph. Gratianus t.* 2. *disc. for. c.* 247. *num.* 27. *et Franc. Barrius de success. lib.* 16. *tit.* 10. *num.* 7. *Donell. lib.* 19. *c.* 4. *lit. Mm. et ibi Hillig.*

L. Cum duobus. 13.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Mutata est haec lex per Authent. ex causa C. de liber. praet. 2.
Non absurdum, duas sententias contrarias super eodem facto inter diversas personas in diversis tribunalibus latas tolerari posse. 3.

1 Testamento pro parte rescisso, v. g. si alter haeres institutus est Frater, alter extraneus, pro parte etiam rescinduntur legata, quae in pecuniae praestatione consistunt, non vero libertas, quae pro parte dari nequit: Ergo dividua legata pro parte debentur, individua in solidum: sed haec
2 lex mutata per *Auth. ex causa C. de Liberis Praeter.* de qua suo loco. Interim hoc textu
3 notandum, quod super eodem facto duae sententiae contrariae inter diversas personas, et in diversis tribunalibus latae tolerentur, nam hic filius unum haeredem scriptum vicerat, ab altero victus erat, quod ut singulare notat *Salgado in Labyr. p.* 3. *cap.* 1. *num.* 124.

L. Eum qui inofficiosi. 14.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Qui habet duo remedia, si succumbit in uno, sibi non praejudicat in altero. 2.

1 Qui succumbit in Querela, potest tamen de falso accusare testamentum, et contra, est enim causa diversa: Querela enim ex impietate Testatoris oritur, falsum ex impietate Haeredis. Col-
2 lige: Qui habet duo Remedia, si succumbat in uno, sibi non praejudicare in altero, sic, qui dixit primo testamentum esse nullum, postea Querelam movere potest, et quamvis haec remedia duo videantur contraria, quia tamen ad unum finem tendunt, possent alternative cumulari, cum contraria, etiamsi ad unum finem tendant, possint ab uno intendi, *Cardinal. Tuschus conclus.* 1005. *num.* 25. *Barbosa locuplet. lib.* 3. *axiom. c.* 63. *axiom.* 8.

L. Filiam praeteritam. 15.

SUMMARIA

An filia a matre praeterita habeatur pro exhaeredata? num. 1.
Matri non licet sine causa liberos praeterire. 2.
Praeteritio habetur pro injuria. 3.

Filia praeterita a matre habetur pro exhaere- 1
data, §. *fin. Inst. h. t.* ergo Querela habet opus. Quod de Jure Novo usquequaque verum non est, sed ibi distinguendum, utrum sine causa an vero cum causa praeteriti sint liberi, ut illo casu testamentum ipso Jure sit nullum, nam
nec matri licet sine causa liberos praeterire, 2
Novell. 115. *c.* 3. *pr.* et praeteritio habetur pro 3
injuria, et ideo non opus est eo casu Querela, unde *haec lex* de ea praeteritione Jure Novo intelligenda, quae ex causa facta, *Clarus de Testam. q.* 47. *Bacchov. in Tr. v.* 1. *D.* 13. *th.* 1. *Bolognett. in Auth. ex caus. num.* 155.

L. Contra Majores. 16.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Non negligenti non currit praescriptio. 2.
Illustratur simili. 3.
Quod lex jubet intra certum tempus facere, si per me non stet, quo minus fiat, propterea non excludor. 4.
Qui sententiam impugnat ut nullam, ei non currit decennium, si probabilem nullitatis causam habuit. 5.
Qui duo habet remedia elective, quae ambo successive nec simul intendi possunt vigilans in uno, non praescribit alteri. 6.
Successive aliquis contraria dicere potest. 7.
Quoties pendente quaestione de nullitate contractus labitur quadriennium, post id tempus datur restitutio. 8.

Filius impugnat Matris Testamentum ut nul- 1
lum, interim labitur quinquennium, sed quia unum remedium non tollit alterum, Quaeritur: *An postea possit Querelam intendere?* Videtur quod non ob praescriptionem quinquennii; sed
Affirmatur, quia non negligenti non currit prae- 2
scriptio, quemadmodum impeditus minor facto 3
adversarii, quo minus restitutionis causa intra quadriennium ad finem perducatur, post illud quadriennium continuare Processum non prohi-
betur, *l. intra utile* 39. *ff. de Minoribus.* Cum 4
enim lex intra certum tempus aliquid facere jubet, si per me non stet, quo minus fiat, sed per adversarium, non videor propterea exclusus, *l. jure civ.* 24. *ff. de R. J. Rosenth. de Feud. cap.* 9. *memb.* 2. *Concl.* 94. *num.* 4. *et lit. F.* Ex quo
probare volunt, si quis sententiam ut nullam 5
impugnat, ei non currere decennium, si probabilem causam nullitatis dicendae habuit, *Tiraq. de Retr. Consang.* §. 1. *gl.* 10. *n.* 40. *et seq. Barbos. hic et Scacc. de Appel. Q.* 12. *num.* 169. licet de hoc merito dubitet *Guido Pap. de Appel. q.* 65. *num.* 47. *et Lancel. de Attent. p.* 2. *c.*

6 12. *limit.* 50. *pr. num.* 127. Collige: I. Qui habet duo remedia elective, quae ambo successive, non tamen simul intendi possunt, si in uno vigilet,
7 alteri non praescribitur. II. Collige: Aliquem successive contraria dicere posse, si prius dubi-
8 tabat. Collige etiam: Si pendente quaestione de nullitate contractus labatur quadriennium, post id tempus dari Restitutionem, *Caldas in l.* 3. *C. de Rest. Min.* verb. *infra legitimum tempus num.* 13. *Hillig. in Donell. l.* 21. *c.* 10. *lit. T.*

L. Cum Filium. 17.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Usus hodiernus. 3.

1 Sicut Mater, si praetereat liberos, exhaeredare videtur, ita etiam filius praeteriens matrem;
2 Ratio in §. *ult. Inst. h. t.* et ex natura correla-
3 torum. Sed Jure Novo juxta veriorem, et receptam sententiam, aliter haec res decidenda; aut enim praeteritioni matris annexa est causa, aut non; illo casu, si causa non probetur, datur Bonorum Possessio contra Tabulas, vel Querela; hoc vero casu, Testamentum filii ipso Jure est nullum, sicut etiam eo casu nullum est, quando ponitur causa, sed non legitima, *Wesemb. in π. ff. h. t. num.* 7. *Clarus §. Testam. Q.* 48. *Grassus Q.* 45. *Gomez. lib.* 1. *Resol. cap.* 11. *num.* 36.

L. Cum te pietatis. 18.

SUMMARIA

Intellectus legis. num. 1.
Usus hodiernus. 2.

1 Filia jussu Patris non divertens a marito, non potest ob id exhaeredari, sed habet Querelam, quia plus delinquit Pater quam Filia, *l.* 5. *C. de*
2 *Inst. et Substit. et Restit. sub Cond. factis.* Hodie hoc Testameutum ipso jure esset nullum, cum causa non sit a legibus probata: Nam hodie certae causae sunt, ergo si talis causa non exprimatur, Testamentum nullum est, *Donell. l.* 6. *c.* 12.

L. Si filiam tuam. 19. et Auth. Sed si.

SUMMARIA

Causae exhaeredationis ante Novell. 115. *erant arbitrariae. num.* 1.
Restringitur dicta Novell. 2.
Filia si in suum corpus peccaverit, etiamsi semel tantum alicui corporis sui copiam fecerit, exhaeredari potest. 3.
DD. *notantur.* 4.
Filia, quae poenitentiam rite peregit, exhaeredari non potest. 5.
Fallit haec limitatio. 6.
An quae de filia dicta, sint applicanda ad filium? 7.

Ante *Novellam* 115. causae exhaeredationis 1
erant arbitrariae, ideoque dicitur hic, Patrem posse filiam ob turpem vitam exhaeredare, si non inconsulto calore hoc faciat; sed dicta *No-* 2
vella hoc restringit ad eum casum, si filia infra 25. aetatis annum in corpus suum peccaverit, vel invito patre nupserit: Si enim 25. annis major hoc fecerit, imputandum hoc Patri est, quod prius eam non elocaverit. Colligunt nonnulli ex verbis: *Si in suum corpus peccaverit*, etiamsi semel tantum alicui corporis sui copiam fecerit, 3
exhaeredari posse, ut *Enenckel. Baro de Privil. par. et liber. priv.* 14. *part.* 1. *num.* 16. *et Joa. Petr. Surdus de alim. tit.* 7. *Q.* 4. *num.* 31. Li- 4
cet plures id negent, ut *Sanchez. de Matrim. l.* 4. *disp.* 24. *num.* 6. *Steph. Gratianus t.* 2. *disc. for. cap.* 231. *num.* 31. *et seqq.* et quos allegat *hic Barbosa num.* 3. qui tamen argumento, quod *Enenckelius* urget, non satisfaciunt. Post poeni- 5
tentiam rite peractam tamen exhaeredari filiam non posse, *Surdus d. t.* 7. *q.* 1. *num.* 28. et quos refert *Barbos. num.* 6. probant, nec opus esse puto triennio, si de digna poenitentia alias constet, nam tunc remissa etiam ei videtur aut remittenda utique fuit vita luxuriosa. Collige: Quamvis communiori calculo *DD.* non statuant justam causam exhaeredationis, ut videre est ex allegatis *Dn. Carpzov. p.* 2. *Jurispr. Eccl. def.* 54. *Harpprecht. ad pr. Instit. de Nupt. num.* 147. *Barbos. hic in Auth.* 12. secus tamen est, si 6
indignum non fortuna, sed moribus, et statu sibi elegerit, v. g. turpem personam, vel servum, quae causa ad gravem injuriam potest referri, *Enenchelius d. l. Gail. l.* 2. *observ.* 95. *num.* 17. quod autem in filia minorenni sine con- 7
sensu patris nubente dictum, id ad filium minorennem ducentem uxorem sine consensu patris extendit *Castrensis ad l.* 15. *h. t.* reprehensus tamen *a Riminaldo vol.* 2. *cons.* 133. *num.* 31.

L. Filia in orbitate. 20.

SUMMARIA

Idem continet lex argumentum cum lege 18. *num.* 1.
Speciale legis. 2.
Inconstantia in muliere praesumitur. 3.

Est ejusdem argumenti cum *lege* 18. nisi quod 1
hic filia jussu matris divertere noluerit, et no- 2
tatur simul inconstantia, quae in muliere praesumitur, juxta notata *Alciati de praesumpt. Reg.* 1. *praesumpt.* 47. *Tiraq. d. LL. Connub. l.* 9. *gl. part.* 1. *num.* 129. *et Menoch. de Praes. lib.* 6. *praes.* 37. *num.* 42. *et seqq.* qui *num.* 41. ideo facilius ab iis veritatem exsculpi posse tra- 3
dit, et sic primum torquendas.

L. Fratris vel Sororis. 21.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Nemo ultra fratres, et sorores in transversa linea querelam habet inofficiosi. 2.
Ratio decidendi. 3.
Graviter peccat is in conscientia, qui spretis proximis indigentibus, et frugi hominibus omnia extraneis relinquit. 4.

1 Ultra fratres, et sorores in transversa linea,
2 nemo habet Querelam licet falsum Testamen-
3 tum arguere possint. Ratio ex dictis circa *legem* 14. quia scilicet, qui falsum Testamentum accusat, impietatem Testatoris non accusat, sed haeredis: hoc variis exemplis declarat *Vasq. lib.* 1. *de succ. creat.* §. 10. *num.* 554. *et seqq.*
4 Interim *Barbosae* hoc concedimus in foro Conscientiae, eum peccare graviter, qui spretis proximis indigentibus, et frugi hominibus omnia extraneis relinquit. Cum et *Siracides* hoc inter ea, ni fallor, alicubi referat, quorum nos pudere debeat.

L. Si maritus tuus. 22.

SUMMARIA

Tenor legis. num. 1.
Quando minor contra haereditatem aditam restituitur, confusae actiones restituuntur suae naturae. 2.

1 Everso per Querelam Testamento, Actiones, quas scriptus haeres habuit contra defunctum, et quae aditione haereditatis erant confusae, reviviscunt, quod exemplo mariti instituentis uxorem, et exhaeredantis filiam declaratur *hic*, *et*
2 *l.* 21. §. *ult. ff. h. t.* Et ideo quando minor contra haereditatem aditam restituitur, confusae actiones restituuntur suae naturae, quia omnia pristino statui sunt reddenda, per *l. quod si minor* 24. §. *restitutio* 4. *ff. de Min.* Idem de restituta haereditate fideicommissario supra dixi.

L. Testamenti factione. 23.

SUMMARIA

Qui prohibet aliquem testari, juste exhaeredari potest. num. 1.
Imo non exhaeredatus indignum se reddit successione. 2.

1 Qui prohibet aliquem testari, potest juste ex-
2 haeredari, imo et non exhaeredatus indignum se reddit successione, eaque defertur Fisco, *l.* 2. *C. si quis aliquem testari, etc.* ubi dicemus DEO volente fusius. Conf. *Auct. ad tit. ff. si quis aliquem testari prohib. vel coeger.*

L. Testamentum militis. 24.

SUMMARIUM

Dicta legis nonae hic repetuntur.

Quod in *lege* 9. dictum, id hic repetitur, scilicet Testamentum Militis, etiamsi filiusfamilias sit, et de Castrensi Peculio testetur, non tamen subjacere Querelae, si pater ejus, vel liberi exhaeredati.

L. Filius matrem. 25.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Conditio addita legitimae, si respicit utilitatem liberorum, onus id non rejicitur a legitima. 2.
Exhaeredatio filii sine justa causa, ob utilitatem tamen exhaeredati facta, non vitiat patris testamentum. 3.
Pater ob commodum filii alienationem bonorum ipsi in legitimam assignatorum prohibere potest. 4.
Limitantur dicta. 5.

Nota bene: Mater bona mente, quia mariti 1
mores suspectos habet, liberos instituit sub conditione, si eos Pater emancipaverit, ne scilicet maritus Bonorum habeat Administrationem, Quaeritur: *An filii, quia sub conditione tantum instituti, habeant Querelam, quasi sub conditione in voluntatem Patris collata non debuerint instituti, sed pure?* Verum negatur Querela, quia hoc in eorum favorem factum. Unde 2
DD. communiter tradunt, si conditio addita legitimae respiciat utilitatem liberorum, id onus non rejici a legitima, cum per id melior reddatur conditio liberorum, *hic*, *et l. si emancipatus* 16. *ff. de Bon. Poss. Contra Tab. Jason. hic num.* 2. *Vasq. de succ. creat. lib.* 1. §. 10. *num.* 406. *et seq. Alciat. Reg.* 1. *praesumpt.* 2. *num.* 3. *Anton. Gabriel. tit. de legit. Concl.* 1. *num.* 20. *Roland. a Valle cons.* 3. *num.* 30. *lib.* 1. *Menoch. cons.* 57. *num.* 6. *et seqq. Surdus cons.* 970. *num.* 2. *Mastrillus decis.* 181. *num.* 21. *Berlich. dec.* 110. *num.* 4. Conf. *Auct. ad l.* 8. *ff. h. t. num.* 17. Sic exhaeredatio filii, etiam 3
sine justa causa, ob utilitatem tamen exhaeredati facta non vitiat patris testamentum, *Grassus* §. *legitima Q.* 39. *Auct. ad l.* 18. *ff. de liberis, et posthum. haered. num.* 1. 2. 3. Et Pa- 4
ter potest ob commodum Filii prohibere alienationem bonorum filio in legitimam assignatorum, *Franc. Barry de Succ. lib.* 16. *tit.* 10. Sed haec 5
omnia intelligenda sunt cum grano salis, nisi illud onus in praejudicium forte Patris tendat, *Rodericus Suarez in celeberrima repetitione legis Quoniam in prioribus. C. h. t. limitat.* 1. *num.* 11. *p. m.* 218. *Col.* 2.

L. Ex tribus unciis. 26.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Substitutio pupillaris salutaris pupillo est. 2.
An lex haec ad fideicommissariam substitutionem possit extendi? 3.

1 Filius impubes in legitima fuit institutus, et
ipsi pupillariter substitutus extraneus. Quaeritur:
An haec Substitutio gravamen contineat in legitima? quod Negatur *hic*, *et l.* 8. §. 7. *ff. h.
t. num.* 1. *ibique Auct. num.* 17. quia nihil adimitur filio, sed haeres ei tantum datur; aliud
est in Substitutione Obliqua, sive per Fideicommissum; Ratio in *leg.* 71. *pr. ff. de V. S. Do-*
2 *nell. lib.* 19. *c.* 4. *lit. LL.* quia Substitutio Pupillaris est commoda, salutaris, et provisionalis
pupillo. Sed requiritur: Ut Pater filium impuberem in tribus unciis id est, in legitima instituerit, *Vasq. de Success. lib.* 1. §. 10. *num.* 407.
3 Quamvis autem *gl. hic* videatur hanc legem extendere ad Fideicommissariam substitutionem, contradicit tamen ipsi *gl. in l. quoniam in prioribus h. t.* quam legem omnes sequi scribit *Rodericus Suarez. in d. repetit. limit.* 1. *num.* 13.

L. Fratres vel Sorores. 27.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Si a Fratre spurius institutus, an frater praeteritus habeat inofficiosi querelam? 2.
Ratio dubitandi, remissive. 3.
Decidendi. 4.
Limitatur, nisi spurius sit vir spectatae probitatis, honestatis et virtutis, et forte fratre praeterito dignior. 5.
Castillo *notatur.* 6.
Omnis macula virtute, pietate in DEUM, et probitate eluitur in coelo et in terra. 7.
Filius natus a personis desponsatis, alterutra ante nuptias mortua, pro maculata persona habendus non est. 8.
Filius naturalis legitimatus pro persona maculata non est habendus. 9.
An frater testimonium impugnet in totum, an vero usque ad legitimam? 10.
Macula tincti quinam hic dicantur? 11.

1 Querela Inofficiosi non datur Fratribus Uterinis, sed Consanguineis et Germanis, ut hic linea Paterna Maternae praeponderet, neque tamen hic semper datur, sed tum tantum, quando persona infamis, (id est, ipso jure notata) vel turpitudine notata, (id est, per sententiam) vel levis notae macula laboraret, (id est, infamia facti) vel cujus opinio apud honestos viros gravatur, vel si patronus libertum ingratum haeredem instituit. Aliud in servo necessario haerede instituto, quia justa hujus instituendi causa per §. 2. *Quibus ex causis manumitt. An au-*
2 *tem, si a fratre Spurius institutus, frater prae-*
3 *teritus habeat Querelam*, videatur *Hartmann.
Pist. p.* 1. *Q.* 30. qui id negat, et *Thoming.
decis.* 48. *num.* 26. *et seqq.* sed negari nequit, 4
levis notae maculam iis adhaerere, non quidem ex facto proprio, sed ex defectu natalium, *Heig. p.* 1. *Q.* 21. *Hillig. lib.* 6. *c.* 15. *lit. B. Dn. Carpzov. p.* 3. *Jurispr. Const.* 10. *def.* 10. Conf. *Mynsing. cent.* 4. *Obs.* 31. *et DD.* quos hic allegat *Barbos. num.* 14. *Auct. l.* 24. *ff. h. t. num.* 2. *et ad l.* 1. *ff. h. t. num.* 13. et spurius quoque habet querelam contra testamentum inofficiosum matris, per *l.* 20. §. 1. *ff. h. t. ibique Auct. num.*
5. Limitatur tamen hoc, nisi spurius esset vir 5
spectatae probitatis, honestatis, et virtutis, forte fratre praeterito dignior, *Alv. Valascus consult.* 17. *num.* 3. *Thesaur. decis.* 126. *num.* 6. *Castillo lib.* 1. *contr. cap.* 19. *num.* 53. Vid. *ibidem a num.* 46. *usque ad finem.* ubi videtur in seqq.
recedere. Sed male: nam omnis macula virtute, 6
pietate in Deum, et probitate eluitur in coelo, 7
et in terra, quidni etiam macula natalium? Fi-
lius natus a personis desponsatis non habendus 8
est pro persona laborante macula, quia in matrimonio, et ex matrimonio natus est, licet ob mortem alterius benedictio sacerdotalis non se-
quatur, *Auct. ad l.* 1. *ff. h. t. num.* 2. nec le- 9
gitimatus filius naturalis pro maculata persona habendus. Non minus dubium est, An frater
impugnet Testamentum in totum, vel usque ad 10
legitimam? Hoc volunt *Donell. d. c.* 15. *Cuchus de Legit.* §. *quaeri etiam potest ult. num.* 8. *Hillig. d. c.* 15. *lit. C. Afflict. dec.* 204. *Stephanus Gratian. disc. forens. tom.* 1. *c.* 135. *num.* 23. *et seqq.* et quos *hic* allegat *Barbos. num.* 10. li-
cet multi dissentiant. Quinam autem *hic* macu- 11
la tincti dicantur, de illis prolixe *Barbos. hic*, *et Ric. dec. Coll.* 675.

L. Liberi de Inofficioso. 28.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Praesumptio probitatis militat pro filio. 2.
Delictum non praesumitur. 3.
Exhaeredatio non favore, sed odio digna. 4.
Ille praesumitur inimicus meus, qui valde familiaris inimico meo. 5.

Quaeritur hic: *Si exhaeredatus neget, se fuis-* 1
se ingratum, cui probatio incumbat? Resp. Si liberi exhaeredati, praesumptio contra eos pro Parente militat, *l.* 22. §. *fin. C. ad L. Jul. de Adul.* nisi liberi se morigeros fuisse probent, si vero Parentes exhaeredati, praesumptio pro ipsis militat, sed hodie ingratitudinis probatio haeredi indistincte incumbit, *l.* 30. *h. t. et Novell.* 115. *c.* 3. *circa fin.* Et ideo causa ingratitudinis hodie non praesumitur vera, licet in Testamento expressa, *Mantica de Conject. ult. volunt. lib.* 4.
tit. fin. num. 33. Praesumptio probitatis pro fi- 2
lio militat, nec delictum praesumitur, *Enenchel.* 3
Baro de Priv. Par. et Lib. priv. 11. *p.* 1. *c.* 11. *num.* 26. *Rittershus in Nov. p.* 6. *c.* 3. *num.* 28. *Auct. ad l.* 10. *ff. h. t. confer. quae habentur*
ad l. 4. *ff. h. t. num.* 12. et exhaeredatio non 4
favore, sed odio digna, *l.* 19. *ff. de lib. et posthum.* Obiter etiam ex *hac lege* 28. ex verbis: *vel inimicis ejus suas amicitias copulavit*,
colligunt *DD.*: Illum praesumi Inimicum meum, 5
qui valde familiaris est inimico meo, *Farin. q.*

53. *num.* 36. ubi id in *seqq.* declarat *Mascard.* *concl.* 899. *num.* 31.

L. Quoniam. 29.

SUMMARIA

Donatio propter nuptias in legitimam computatur. num. 1.
Ampliatur. 2.
Ratio decidendi. 3.
Limitatur. 4.
Quicquid imputatur in legitimam, istud etiam confertur. 5.
Non attenditur, quis dotem promiserit, sed ex cujus bonis profecta est? 6.
Illustratur exemplo. 7.

1 Sicuti Dos, ita Donatio propter nuptias in Le-
2 gitimam computatur, licet ab Avo, et Proavo
3 profecta, *hic, et l. seq.* §. 2. *l.* 18. *C. Famil. hercisc.* ratio *in* §. 3. *Instit. de Donat.* Ergo Dos, et donatio propter nuptias conferuntur, sed
4 aliud in donatione simplici, cum ne quidem conferatur, *l. illud* 20. *in fine C. de Collat.* Quic-
5 quid autem imputatur in Legitimam, illud etiam confertur, *Anton. Faber h. t. def.* 30. Collige
6 etiam *ex hac lege:* Non attendi, quis dotem promiserit, sed ex cujus bonis dos profecta sit,
7 v. g. Si Vitricus, et mater simul dotem promiserint, non ex illius, sed hujus bonis profecta dos praesumitur, *arg. h. l. Ant. Faber d. d. def.* 31. *A. ad l.* 25. *h. t.*

L. Omnimodo. 30.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Si pater aliquam partem liberis reliquerit minorem legitima portione, quocumque etiam titulo, quid juris? 2.
Actio haec Expletoria non est quinquennalis. 3.
Limitatur. 4.
Favor actionis ad supplementum, et in quo casu? 5. 6.
Sensus vocaboli Militia. 7.
Silentiarii quinam? 8.
Novum feudum Filio a patre comparatum, computatur in legitimam. 9.
Quicquid vel legati vel fideicommissi titulo ex bonis defuncti ad filium pervenit, computatur in legitimam. 10.

1 *Princ. et* §. 1. Constituitur: Si pater aliquam
2 partem liberis reliquerit minorem legitima portione, quocumque etiam titulo (sed hodie titulus institutionis requiritur per *Novell.* 115. *c.* 3. Et sic Imperator juxta leges novas tantum subvenit Testamento, quod ideo impugnabatur, quod minus legitima portione relinquebatur, non vero quod impugnatur ex vitio Praeteritionis, et Exhaeredationis, quod ex *Spino de Carc. in Spec. Testam. gl.* 17. *pr. num.* 32. *notat Barbos. hic num.* 3. quod etiam bene Notandum) Filius non potest agere Querela, sed Actione Expletoria ad supplementum, ut ita sustineantur ultima elogia, et defuncti famae parcatur, et impudentiae liberorum occurratur, sed Actio 3
haec Expletoria quinquennalis non est, sed perpetua, *Gail. lib.* 2. *Obs.* 120. *num.* 7. *et Anton. Faber hic def.* 7. et quos allegat *Hill. in Don. lib.* 19. *c.* 4. *lit. Yy.* nisi ingrati liberi proben- 4
tur ab haerede. Si vero nihil relictum liberis, 5
tunc Querelae locus. *DD.* etiam adeo favent huic Actioni ad supplementum, ut etiam hypothecam filio dent, quorum sententiam sequitur *Negusant. de Pign. membr.* 4. *secundae partis princ. num.* 161. *vers. quam tamen conclusionem limitat, et Dn. Carpzov. lib.* 6. *Resp.* 46. *num.* 14. *et Cephal. cons.* 728. *num.* 21. Sed sententia haec communi calculo reprobatur, quia haec hypotheca nullibi habetur in jure, ideoque etiam diserte impugnat *Decius cons.* 235. *num.* 6. *M. Anton. Peregr. de fideicomm. art.* 36. *num.* 151. *Socinus in l.* 51. *ex toto num.* 3. *de Leg.* 1. *et Tuschus lit. L. concl.* 192. *num.* 13. ubi sententiam *Decii* dicit esse communem. Sed uno ca- 6
su possemus id concedere, si filio quid legatum, et ille nollet impugnare Testamentum patris, sed Legatum peteret, tunc enim ratione rei legatae haberet hypothecam, sed id ad actionem ad supplementum non potest extendi.

§. 2. Dicitur quod militia (id est, certi officii 7
reditus,) a parente filio empta computetur in legitimam, Exceptis Silentiariis, id est, Excu- 8
bitoribus Principis, *hic, et l. fin. C. de Silentiar.* Collige: Novum Feudum filio comparatum 9
a patre, ipsi computari in legitimam, *Hartman. Pistor. part.* 3. *quaest.* 38. *num.* 4. *et Carpzov. p.* 3. *Jurispr. Constit.* 10. *def.* 1. Et generaliter, quicquid vel legati, vel fideicommissi titulo ex bonis defuncti ad filium pervenit, in legitimam computatur, *Mantic. de conject. ult. vol.* 10. *t.* 10
2. *num.* 6. *Surdus cons.* 112. *num.* 3. *Carpzov. p.* 3. *Const.* 11. *def.* 1. *num.* 6. *et seqq. Schraderus de feud. p.* 7. *c.* 5. *num.* 44. *Jo. Guttierez. de Tutelis p.* 3. *c.* 5. *num.* 22.

L. Quae nuper. 31.

SUMMARIUM

Extenditur lex praecedens ad testamenta nuncupativa.

Haec extendit *totam legem praecedentem* loquentem de Testamentis in scriptis, ad Testamenta Nuncupativa, ut eadem sit ratio.

L. Quoniam in prioribus. 32.

SUMMARIA

Legitima debet libera relinqui, et sine onere. num. 1.
Gravamen in legitima quid sit? 2.
Aditum gravamen in legitima removendum. 3.
Nulla patris dispositio valida, quae fraudem legitimae portioni infert. 4.

An testator filium suum haeredem instituere possit, tertio cuidam usufructu omnium bonorum relicto? 5.
Liberi non tenentur stare taxationi bonorum a parente factae. 6.
Ratio negationis. 7.
Legitimae nec conditio potestativa addi potest. 8.
Ampliatur decisio legis. 9.
Legitima non potest assignari in pecunia. 10.
Nec in mobilibus praecise. 11.
An judicis arbitrio determinari possit? 12.
Limitatur. 13.
Filius exhaeredatus, cui quid ad supplementum legitimae legatum, agere non potest. 14.

1 Legitima debet libera relinqui, et sine onere,
v. g. sine Conditionibus, *argum. l.* 25. *h. t. A.*
ad l. 8. *ff. h. t. num.* 23. sine dilationibus, et
2 sine ullo alio gravamine: Gravamen autem est,
si legitima in Nominibus assignatur, si in re cer-
ta filio non proficua, et similibus, ubi additum
3 gravamen illud removendum est, vide *Carpzov.*
p. 3. *Jurispr. Const.* 12. *def.* 7. *et Roder. Sua-*
4 *rez. in Repetit. hujus legis.* Nulla etiam Patris
Dispositio valida est, quae fraudem legitimae por-
tioni inferat, *Dn. Carpzov. p.* 3. *Jurisp. const.* 7.
d. 24. Et ideo *Caepollam cautela* 21. statuen-
5 tem, testatorem filium suum haeredem institue-
re posse, tertio cuidam usufructu omnium bo-
norum relicto, recte ex *hac l.* refutat *Carpz.*
6 *p.* 3. *constit.* 12. *def.* 7. Sic etiam liberi non te-
nentur stare taxationi bonorum a Parente fa-
7 ctae, ne fraus fiat legitimae, *Carpzov. d. Const.*
8 12. *def.* 9. Nec addi potest legitimae conditio,
licet potestativa, per tradita *Roderic. Suarez in*
solemni illa hujus legis Repetit. Ampl. 5. et quos
allegat *Barbos. hic num.* 3. quibus addi potest
Franc. de Barry de Success. l. 2. *tit.* 2. *num.* 3.
Grassus §. *legitima* 439. *et Christoph. Besold.*
9 *p.* 4. *cons.* 167. *num.* 35. *et seqq.* Alias Amplia-
tiones videsis in *Barbosa hic*, sed praeter eas-
dem potest ampliari Decisio *hujus legis*, ut non
10 possit legitima assignari in pecunia, *Besold. con-*
sil. 197. *num.* 9. *Vult. Marp. cons.* 29. *num.* 125.
11 *vol.* 1. nec praecise in mobilibus, *Gratian. disc.*
404. *in fin. Besold. d. l. num.* 11. nam his ca-
12 sibus omnino liberi gravarentur: Sed Judicis ta-
men officio legitimam determinari posse in una,
vel altera re, *Grassus d.* §. *q.* 15. et quos alle-
gat *Besold. d. l. num.* 9. *Auct. alleg. loco num.*
23. 24. *et* 29. *et ad l.* 25. *ff. famil. herciscun-*
13 *dae num.* 11. Nonnulli etiam limitant, licet fi-
lius approbaverit Testamentum, nam legitimae
impositum onus eum non approbasse volunt *DD.*
allegati a Barbos. hic num. 16. quibus addatur
Vult. d. cons. num. 124. *et Besold. cons.* 167.
num. 32. *Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 15. Sed securius
fuerit, si contra gravamen protestetur, *Vult. d.*
l. num. 124. demum necesse est, ut in Legitima
liberi haeredes instituantur, *Dn. Mevius p.* 4.
dec. 14. per *l.* 35. §. 2. *h. t.* Limitationes hujus
Regulae varias proponit *Suarez. d. l. et Barb.*
hic num. 19. *et seq. Anton. Gabriel. lib.* 6. *tit.*
de legitima, concl. 1. *Menoch. l.* 1. *Praesumpt.*
196. *num.* 14. *et seq. Peregr. de Fideicommiss.*
art. 39. *num.* 61. *Vincent. Fusar. de Subst. Q.*
295. *num.* 58. *et multis seqq. Dn. Richter. dec.*
14 11. Illud vero certum est, exhaeredatum filium,
cui quid legatum ad supplementum Legitimae,
agere non posse, *Cephal. cons.* 667. *num.* 44.

L. Si quis. 33.

SUMMARIA

Poena scripti haeredis, legitimam testamento relictam nonnisi post sententiam judicis restituere volentis. num. 1.
An filius pro legitima ex propria auctoritate possessionem occupare possit? 2.
Ratio decidendi. 3.
Paulus *notatur.* 4.
Pater an adultum etiam filium sine ipsius culpa exhaeredare possit? 5.
Rationes decidendi. 6.
Iniquum est, quemdam alieno odio praegravari. 7.
Qui ingratus non esse, neque exhaeredari potest. 8.

I. Pars legis continet poenam haeredis scripti, 1
qui legitimam Testamento relictam nonnisi post
sententiam Judicis restituere voluit, scilicet ut
praeter legitimam debitam, et tertiam partem
relictorum in testamento restituat, ut ita filio
consulatur, et haeredis avaritia puniatur. Colligit
ex hac lege *Suarez. q.* 7. *num.* 12. Quod filius 2
pro sua legitima non possit propria sua aucto-
ritate possessionem occupare, et si occuparet,
non adquireret possessionem, quia legitima in-
telligitur deducto aere alieno, et sic est incer- 3
ta, cum quo faciunt *Bald. et Paul. de Castro*
in h. l. II. *in* §. 1. Reformat Sententiam Pauli, 4
qui scripserat odio mariti posse uxorem infan-
tem exhaeredare. Contra Imper. constituit, ut 5
neque adultum exhaeredare sine ipsius culpa
possit, quia 1. iniquum est aliquem alieno odio 6
praegravari, 2. alia via progredi potest juxta *l.* 7
25. *h. t.* nam potest liberos sub conditione, si
a Patre emancipentur, haeredes instituere. Et
ideo certa Regula: Qui ingratus esse non potest, 8
nec potest exhaeredari. Tempore quidem hujus
legis validum erat Testamentum, sed parata
Querela, sed postea per *Novellas* Testamentum
quo posthumus exhaeredatus, est nullum, per
tradita *Enenckel. Baronis de Privil. Par. Priv.*
14. *p.* 1. *c.* 3. *num.* 15. *Bacchov. in Treutel. V.*
1. *D.* 13. *th.* 2. *lit. A.* et quos allegat *Harp-*
precht. in §. 1. *Inst. de Exhaered. lib. num.* 8.
Auct. ad l. 3. *ff. de injusta rupt. num.* 2.

L. Si quis filium. 34.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Filius exhaeredatus inique an etiam querelam non praeparatam ad liberos suos transmittere possit? 2.
De jure veteri quid juris? 3.
Donellus *notatur.* 4.
Si querela non praeparata, vel denunciatione, vel bonorum possessione agnita, vel lite contestata, vel si pater renunciaverit expresse, vel tacite querelae, an actio suppletoria reliqua sit? 5.
Ratio decidendi. 6.
DD. *et* Bartolus *notantur.* 7.
An ad primogenituram lex h. applicari possit? 8.
Principes paterno affectu subditos suos prosequantur. 9.

1 Filius inique exhaeredatus, Querelam etiam
2 non praeparatam transmittere ad liberos suos potest, nisi repudiaverit prius Querelam, aut per quinquennium tacuerit ab adita haereditate.
3 te. Sed anne hoc etiam veteri jure fuit, per *l. pen. pr. ff. h. t.* varias vide sententias apud *Hillig. in Don. lib.* 9. *c.* 7. non videtur improbabilis sententia *Azonis*, successionem etiam veteri jure admittentis, quando sequens in eodem est gradu, quo deficiens, non si alterius ordinis; sicut in *l.* 14. *ff. h. t. vid. Auct. ad hanc legem et l.* 15. *ff. h. t.* nam dura exposi-
4 tio *Donelli*, quod Nepos antea venerit jure suo, hodie jure Parentis sui. Sed Quaeritur: si Que-
5 rela non praeparata, vel denunciatione, vel bonorum possessione agnita, vel lite contestata, vel si pater renunciaverit Querelae expresse, vel tacite, scil. tacendo per quinquennium, a tempore aditae haereditatis computandum, *l.* 36. *h. t.* §. 2. an actio suppletoria seu ad supple-
6 mentum reliqua sit? Et hanc quia triginta annos durat, omnino Nepotibus dandam, tradunt
7 *hic Bl. Paulus Castrensis, et Jason.* Imo *DD.* communiter, contra *Bartolum*, et *Berengarius Fernandus in l. in quartam* 91. *num.* 272. *ad*
8 *Falcidiam, ubi DD. commun.* Hanc legem ad Primogenituram applicat *Menoch. cons.* 211. *num.* 101. sed alibi ut *cons.* 105. *num.* 83. re-
9 stringit. Ex hac lege obiter probatur, Principes paterno affectu debere prosequi subditos. *DD.* plurimos recenset *Cothm. vol.* 4. *num.* 191.

L. Si quando. 35.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Princeps non praesumitur nova lege jura vetera plane subvertere voluisse. 2.
Inhabilis aliquis ad actum quemdam celebrandum dispensatus, quomodo dispensatus praesumitur? 3.
Illustratur casibus. 4.
Limitatur haec regula. 5.
Limitatio sublimitatur. 6.
Facti species. 7.
Ratio decidendi. 8.
Meritis magis filii ad paterna obsequia sunt provocandi, quam pactionibus adstringendi. 9.
Quo usque filius cum suis haeredibus onus legitimae impositum repudiare possit? 10.
Ratio decidendi. 11.
Notatur Cothmannus. 12.
Intellectus hujus §. 13.
Donatio inter vivos ab initio valida non computatur in legitimam. 14.
Filius simpliciter accipiens, quod est sibi donatum vel relictum pro legitima, non perdit jus ad supplementum agendi. 15.
Limitatur nisi specialiter renunciaverit. 16.
Is, qui renunciavit haereditati, salvam adhuc habet actionem ad legitimam. 17.
Nisi cum juramento renunciaverit. 18.
In jurata renunciatione omnes speciales renunciationes continentur. 19.
Rubeus *notatur.* 20.
Filia usque ad legitimam a patre, plures habente liberos, exclusa, caetera portione nepotibus filiae relicta an ab his solis an vero ab omnibus haeredibus suppletionem suae legitimae petere possit? 21.
Responsum Scabinorum Lipsiensum. 22.
Licet liberi paternum testamentum approbaverint, petere tamen possunt, ut gravamen a legitima removeatur, aut ea suppleatur. 23.
Legitima parentum aequiparatur legitimae liberorum. 24.

Princip. Concessio libere testandi facta a Prin- 1
cipe, intelligitur ita facta, ut servetur Juris ordo, illi vero qui non habet potestatem testandi, data videri tali rescripto. Collige: Non prae- 2
sumi Principem nova lege Jura vetera plane subvertere voluisse, et potestas libera alicui data intelligenda de casibus Jure non expressis. Ex *hac lege* constituunt Regulam: Inhabilem 3
dispensatum ad actum aliquem celebrandum, ea sub forma dispensatum praesumi, ut ea omnia observare teneatur, quae de Jure communi alias observare tenebatur, *Menoch. Rem.* 6. *Recup. Poss. num.* 33. ubi in Exemplo Patris, 4
cui facta licentia alienandi bona filii, et Monachi, cui facta potestas testandi, declarat; Sic etiam, si statutum permittat filio, ut testari posset, debet is testari salvo Jure ususfructus patri debiti, *Pinell. ad l.* 1. *C. de Bon. Mat. part.* 1. *num.* 44. Sed Regula nostra Limitatur, 5
nisi alias dispensatio, vel concessio potestatis libere disponendi aut testandi nihil operaretur, ut si ei data facultas libere testandi, qui alias Jure communi Jus testandi habebat, *Menoch. l.* 1. *A. Q. cas.* 7. *num.* 39. *Joan. Guttierez. in l. nemo potest de leg.* 1. *num.* 7. *Molina de Hispan. primogen. jure l.* 2. *c.* 5. *num.* 6. Ergo privilegium datum Inhabili non remittit solemnitates, sed privilegium testandi datum habili remittit easdem, *Castillo lib.* 4. *de conject. ult. vol. c.* 36. *num.* 69. quae limitatio sublimitatur, ut tamen hoc casu omnis solemni- 6
tas videatur remissa, cujus omissio fit absque injuria tertii, ut solemnitas numeri testium, *Guttierez. in d. l. nemo potest num.* 9. postquam enim concessio facultatis aliquid operata est, secundum Jus commune est restringenda, *Jo. Guttierez. p.* 2. *Pract. Quaest.* 67 *num.* 1. Sic dicerem, si potestas facta testandi super feudo, non videri remissam solemnitatem, sed tantum in materia Testamenti quid singulariter dispensatum, sed citra praejudicium tertii, jus radicatum habenti in re, non in spe.

§. 1. Pactus sum cum Patre, me acceptis 7
nonnullis rebus nolle impugnare Testamentum Paternum, sed hoc non obstat, quo minus post mortem Patris ejus Testamentum impugnare possim. Ratio in textu, *meritis magis filios ad* 8
Paterna obsequia provocandos, quam pactionibus adstringendos. Et sic Filius hic potest im- 9
pugnare Testamentum, quod sine pacto non pos- 10
set per *l.* 30. *h. t.* Sed quid si filius contra gravamen, v. g. de non alienanda re pro legitima relicta intra triginta annos non esset protestatus, neque ullum actum conditioni appositae contrarium fecisset, ne tum quidem post 30. annos prohiberi filium, vel ejus haeredes repudiare gravamen legitimae impositum, tradunt *Suarez. in l.* 32. *Ampliat.* 10. *h. t. et Hillig. lib.* 19. *cap.* 1. *Lit. Nn. pag.* 493. quia gravamen est in prohibitione alienationis, quae 11
merae facultatis est. Sed post mortem patris

potest filius gravamini in legitima apposito vali-
de et expresse consentire, *Roder. Suarez. per
hanc l. in d. l. quoniam ampl.* 10. *num.* 31. et
quos allegat *Barbos. hic num.* 11. Sed et viven-
te patre filius potest consentire gravamini, si
jurato fiat, *Cephal. cons.* 165. *num.* 25. *et cons.*
612. *num.* 26. Ex hac lege etiam dubitare licet
12 de responsione *Cothmanni*, quam ad quintam
dubitandi rationem reddit *vol.* 2. *cons.* 99. *num.*
73. Si tamen pater dedit dotem, et vult conten-
tam debere esse filiam, hoc valere, *Menoch.
cons.* 71. *num.* 21. quod de Jure Canon. con-
cedo.
13 §. 2. Filius qui simpliciter accepit sibi reli-
ctum vel donatum minus legitima, non prae-
judicat sibi, quo minus ad supplementum age-
re possit, quamvis Pater ea conditione relique-
rit vel donaverit, ut in legitimam computare-
tur; licet enim approbasse Patris voluntatem
videatur, approbavit tamen pro parte ratione
14 speciei sibi relictae. Collige: Quod Donatio in-
ter vivos, quae ab initio valida, non compute-
15 tur in legitimam. Ideo nota: Filium simpliciter
accipientem, quod est sibi donatum vel reli-
ctum, pro legitima non perdere Jus agendi ad
16 supplementum, absque speciali renunciatione,
quod ex *hoc* §. colligunt *DD.* magno numero
hic allegati a *Barbosa*, et noviss. *Dn. Carpz. lib.*
6. *Resp.* 46. *Auct. ad l.* 11. *ff. h. t.* Ideo eum,
17 qui renunciat haereditati, salvam tamen habere
actionem ad legitimam, tradit *Fabianus in re-
petit. Auth. Novissima h. t. num.* 225. *Hartman.
Pistor. p.* 4. *quaest.* 6. *num.* 19. Nisi quis cum
18 Juramento renunciasset haereditati, nam in ju-
19 rata Renunciatione omnes speciales renuncia-
tiones continentur, *Guttierez. de Juram. p.* 1.
cap. 19. *num.* 3. et quos allegat *Barbos. ad h.
20 l. num.* 18. Ideo suspecta sententia *Joannis Ru-
bei in l. Titia Sejo §. imperat. num.* 171. *et
seq. tom.* 3. *Repet. Juris Civ. de leg.* Sed quid
21 si Pater plures habens liberos filiam usque ad
legitimam exclusisset, caeteram autem ipsius
portionem Nepotibus ex filia reliquerat, Quae-
ritur: *An ab his solis, an vero ab omnibus
haeredibus supplenda filiae legitima?* Et prius
22 placuit Dominis Scabinis Lipsiensibus, prout
tradit, et eorum rationes allegat *Dn. Carpzov.
23 l.* 6. *Respons.* 47. Colligitur etiam ex hoc §. si
liberi Testamentum paternum approbaverint,
posse tamen petere, ut legitima suppleatur aut
gravamen a legitima removeatur, *Dn. Mevius p.*
4. *dec.* 15. *num.* 5.
§. *ult. Hic* §. extendit Praecedentem ad omnes
Personas Querelam habentes, et sic ad Parentes
24 etiam pertinet. Collige: Legitimam Parentum
aequiparari Legitimae liberorum, *Carpz. p.* 3.
Jurispr. Const. 11. *def.* 8. *num.* 7.

L. Scimus. 36.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
In pecunia vel re certa, quae fructus non fert, nec in ipsis fructibus filius legitimam acceptare tenetur. 2.
Legitima favorabilior Falcidia. 3.
Quatenus omnia, quae quis ab ipso parente acceperit, in legitimam imputentur. 4.
Casus hujus. §. 5.
Ratio dubitandi. 6.
Decidendi. 7.
Ampliatur per hunc §. lex 32. h. t. 8.
Tempus querelae currit a die aditae haereditatis. 9.
Haereditas quando a scripto haerede adiri vel reputari debeat? 10.
Ante aditionem haereditatis filio non currit praescriptio. 11.
Ratio decidendi. 12.

Si res Filio pro legitima relicta, eidem evin- 1
catur, non propterea Testamentum est nullum,
quasi nihil relictum esset, quia loco rei relicta
videtur aestimatio, quae si non sufficit, ad sup-
plementum est agendum, nec de legitima de-
trahenda est Falcidia, quia illa hac magis pri-
vilegiata et natura est debita. Suppletio autem
ex ipsa haereditate fieri debet, nec in legitimam
computatur adventitium lucrum, quod filio ex
substitutione Fideicommissaria, vel Jure accre-
scendi, et caeteris causis obvenit. Colligunt ex
hoc principio legis: In Pecunia, vel re certa, 2
quae fructus non fert, vel in ipsis fructibus,
non teneri filium acceptare legitimam, *Menoch.
l.* 2. *A. Q. cas.* 163. *num* 3. *Vasq. de Success.
creat.* §. 10. *num.* 258. quod, aliosque hic refert
Barbos. num. 9. et praeter eos *Berengar. Fer-
nandus in Repet. legis in quartam ff. ad L.
Falcid. cap.* 3. *num.* 45. *et* 55. *et seq. Claud.
de Battandier. in Tr. de Legit. c.* 7. *Marcus
Anton. Cuchus de legit. p.* 27. *et seq. Anton.
Gabriel. tit. de Legit. conclus.* 3. *Auct. ad l.* 8.
ff. h. t. num. 24. 29. Et ideo Filius institutus
in mille, loco legitimae suae potest recusare
mille, et petere legitimam, *Everh. in top. loco*
72. *num.* 2. Textus etiam hic manifesto dicit,
Favorabiliorem esse legitimam Falcidia. Colli- 3
gunt etiam ex *hac lege*, et quidem ejus *prin-
cipio*, in legitimam imputari omnia ea, quae 4
quis immediate ab ipso parente accepit, vel ex
Testamento, vel per Donationem, ob causam
scilicet dotis vel donationis propter nuptias, non
vero ea, quae quis ex fructibus bonorum, aut
per donationem irrevocabilem accepit, aut Ju-
re accrescendi acquisivit, *Fernandus d. c.* 3.
num. 65. *et seqq. Carolus Ruinus in d. l. num.*
27. *et seqq. Paulus de monte Pico in d. l. num.*
172. *et seqq. Claudius de Battand. de Legitim.
cap.* 11. *et seq. M. Anton. Cuchus d. tr. pag.*
44. *et seqq. Trentac. d. t. Res.* 5.
§. 1. Titius instituit Extraneum haeredem, sed 5
eum simul gravat, ut filio testatoris, cum mo-
rietur haeres, totam haereditatem, restituat,
vel post certos annos, et Quaeritur: *An filius
possit legitimam suam sine gravamine petere?*
et Respondetur hic de Fideicommisso Universa-
li, quod relictum est filio sub conditione vel
in diem, usque ad legitimam Filio debitam, de-
trahi debere conditionem vel tempus, in resi-
duo vero remanere; Ratio Dubitandi est, quia 6
illud, quod plus legitima est, dum tota haere-
ditas relicta est, videtur compensari debere cum
gravamine; sed Ratio Decidendi in fine *hic:* quia 7
ita consulitur haeredi quod ipsi debetur, quia
habet suam Trebellianicam, et filio Alimenta,
quorum loco legitima est, in diem suspendi
non possunt. Et ideo *hic* §. 1. continet Notabi- 8
lem Ampliationem *legis quoniam in prioribus*
32. *supr. h. t.* ut gravamen rejiciatur a legiti-

ma, licet filio per fideicommissum omnia bona sint relicta, et ideo gravamen universali fideicommisso videatur compensatum, nam nihilo magis gravamen valet, sed gravamen a legitima removendum, *Roder. Suarez. in Repet. d. l. quoniam ampliat.* 3. et quos *hic citat Barbos. n.* 20.

9 §. 2. Tempus Querelae seu quinquennium currit a die aditae haereditatis, quae ab haerede
10 scripto, si in eadem Provincia, intra 6. menses, si vero in alia Provincia, intra annale spatium, debet adiri vel repudiari, vel ad hoc a Judice compelli potest, et interim spem Querelae non praeparatae ad liberos transmittit filius. Notetur
11 igitur: Ante aditam haereditatem cum non possit agere Filius, non ei currere praescriptio-
12 nem, nam aditione demum vires sumit Testamentum, qua non secuta, Exhaeredatio nulla: Ergo rescissione non est opus, et potest fieri, ut scriptus haeres repudiet haereditatem, et tunc non opus esset Querela, *Don. et ibi Hillig. lib.* 19. *c.* 4. *lit. O. Duarenus ad tit. de Inoff. Testam. cap.* 9.

L. Cum antiquis. 37.

SUMMARIA

Peculium triplex. num. 1.
Paganicum peculium quotuplex? 2.
Peculium quasi castrense quidnam sit? 3.
Miles in expeditione existens an teneatur jure militari? 4.
Extenditur privilegium circa quasi castrense peculium ad alias certas personas. 5.
Advocati, Professores, Medici si sunt sui juris, omnino tenentur instituere parentes suos vel liberos. 6.
Etiam Clerici. 7.
Circa Clericos cessat hujus legis dispositio. 8.
Ratio, quia tenentur adhuc legitimam relinquere liberis, vel parentibus suis. 9.
Nihil mutatum quoad fratres. 10.

Triplex *hic* habetur Peculium: I. Paganicum, 1
quod vel profectitium, id est, a Patre profectum, 2
vel adventitium: II. Castrense: III. Quasi Ca-
strense, quod occasione officii Publici, vel ex 3
studio humaniorum artium acquiritur. De *se-
cundo* certum est, 1. quod filiusfamilias de eo
testari possit. 2. quod tale testamentum quere-
lae non subjaceat, et miles quidem in expedi- 4
tione existens Jure militari testabitur, Vetera-
nus autem Jure communi, *l.* 24. *h. t.* Erat 5
etiam in Quasi-Castrensi quibusdam Personis in-
dultum, sed Imperator illa duo Privilegia ad
omne peculium Quasi-Castrense extendit, v. g.
Professorum, Advocatorum, Medicorum, sed
secundum privilegium restringitur quamdiu fi-
liusfamilias est, eo enim sui Juris facto, Pecu-
lium cum caeteris bonis confunditur, et desinit
esse peculium desinitque etiam hoc privilegium.
Colligitur ergo ex *hac l. ultima,* Quasi-Castrense
Peculium, ut tale, habere privilegium, nam si
filiusfamilias fiat sui Juris, non amplius est pe-
culium, et sic non habet amplius hoc privile-
gium, ideo Advocatus, Professor, Medicus, si sui 6
Juris sint, omnino tenentur instituere Parentes
suos vel liberos. Deinde Imperator constituit *Nov.*
123. *cap.* 19. circa Peculia Clericorum, ut Cle- 7
rici in his teneantur liberos vel parentes institue-
re. Ergo in Clericis, licet Filiifamilias adhuc sint, 8
cessat dispositio hujus legis, nam legitimam ad- 9
huc tenentur relinquere liberis vel Parentibus
suis. Circa Fratres autem nihil mutatum, *Pe-* 10
rez. in h. t. num. 16.

TITULUS XXIX.

De Inofficiosis Donationibus.

L. Si ut allegatis. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Deciditur per Distinctionem. 2.
Probatur distinctio. 3.
Antonius Faber, et Hilliger notantur. 4.
Obstans l. haec prima refellitur. 5.
Querela haec non datur nisi post mortem donatoris. 6.
Ratio hujus asserti. 7.
Quatenus hic fructus sint restituendi? 8.

1 Matris Donatio, qua totam fere substantiam
aliis donaverat, sextante tantum relicto duobus
liberis, eoque legatis onerato, rescinditur ut
Inofficiosa, ad exemplum Inofficiosi Testamen-
ti, sed *an in totum?* Ita vult *Ant. Fab. l.* 3.
Conject. c. 17. *per l. ult. h. t.* sed *Don. l.* 19. *c.* 11.
plane negat. Communiter Distinguunt, 1. quod 2
donatio, aut in extraneum collata cum consilio
fraudandi, et tunc in totum rescindi donatio-
nem, *l. pen. in fine h. t. l.* 87. §. 3. *ff. de legat.*
2. *ad d. Auct. c. l.* Vel in extraneum sine consi-
lio, aut in aliquem liberorum cum consilio, et
tunc tantum usque ad legitimam rescindi, *Si-
chard. hic num.* 4. *Covarr. lib.* 1. *Resol.* 19. *n.*
12. *et quos allegat Hillig. in Don. d. l.* 19. *cap.*
11. *lit. K. Mozzius in tit. Quando annullatur
Donatio n.* 91. *etc. Trentac. l.* 3. *tit. de Donat.
Res.* 4. *num.* 2. *Bacchov. in Tr. v.* 2. *disp.* 9. *th.*
6. *in fine*, et quos allegat *Barbos. hic n.* 3. *etc.*
et hanc Distinctionem probant ex *l.* 5. *et* 8. *h.* 3
t. collata cum *l.* 87. §. 3. *ff. de Legat.* 2. Nec *Ant.
Fab. aut Hillig.* sufficienter ad *l.* 8. *h. t.* re- 4
spondere possunt, quin responsio *Hilligeri* vi-
detur Divinatoria, nec pro contraria *Donelli*
sententia quicquam facit *haec lex prima,* in qua
Extranei et liberi conjunguntur, nam hic non
tractatur in *l. hac prima*, in quantum rescin- 5
denda, sed an rescindenda. Quando autem plu-

res donationes diversis temporibus factae sint,
prima donatio non erit inofficiosa, et ideo non
revocatur, quia donatario Jus est quaesitum,
Bart. in h. l. 1. *n.* 5. *Baldus n.* 8. *Castrens.*
n. 6. *Sich. n.* 11. *Trentac. d. l. n.* 5. ut ita
non subsistant regulariter ea, quae habet *Ant.*
Fab. in C. h. t. def. 1. *et ult.* et *Perezius hic*
n. 6. Sed ea ad casum illum, ubi de animo
fraudandi constat, sunt restringenda, *Tuschus*
6 *Concl.* 41. *n.* 13. *lit. D.* Querela autem haec
non datur, nisi post mortem Donatoris, quia
7 ante mortem Patris filius in legitima laesus
esse dici non potest, *Sich. hic n.* 6. *Ant. Fab.*
d. tit. def. 7. *Perezius hic n.* 7. *et* 8. De
8 Fructibus distinguit *Trentac. d. Res.* 4. *n.*
13. utrum quoad legitimam tantum rescindatur donatio et tunc restituendos esse fructus,
secus si tota rescindatur, quia donatio transtulerat Dominium, sed quia in secundo casu inest
legitima, non video cur etiam saltem legitimae
fructus, etiam posteriori casu non sint restituendi. Caeterum Ampliationes hujus legis collegit *August. Barb. hic.*

L. Si Pater. 2.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Querela locum non habet, si dantur alia remedia. 2.

1 Quando donatio immodica facta Filiofamilias,
non opus est Rescissione, cum Donatio sit nulla, sed tamen Judex in Familia Erciscunda Judicium Patris sequi tenebitur, salva tamen Legitima reliquorum, *l.* 20. §. 3. *ff. Famil. Ercisc.* Sed si in Emancipatum collata donatio,
2 datur Querela sc. pro parte. Colligitur ex *hac*
l. ut et *quarta*, Querelae huic locum non esse,
quando alia dantur Remedia, ut *hic* datur Actio
Familiae Erciscundae, ergo non opus est Querela.

L. Precibus. 3.

SUMMARIA

Ampliatio legis praecedentis. num. 1.
Dispositum in causa testati per rationem aequitatis ad causam intestati extenditur. 2.
Ampliatur haec materia. 3.
Filius impugnare potest donationem, licet a patre haeres instituatur. 4.

1 Querela haec Inofficiosae Donationis datur,
etiamsi Pater intestatus decessisset, quod per
2 se planum, quia dispositum in causa testati,
per rationem aequitatis ad causam intestati extenditur et contra, *Auth.* Ex testamento. *C. de*
3 *Collat.* de qua infra. Alio modo potest ampliari
haec materia, quod filius impugnare possit donationem inofficiosam, licet a patre haeres in-
4 stituatur, quia filius legitimam petit non beneficio Patris, sed legis, et si aliter diceretur,
posset Pater immensas facere donationes et Filium in reliquis bonis haeredem instituere, et
sic fraudem legi facere, ut arguit *Cephalus*
cons. 393. *n.* 116. *et seqq.*

L. Si Filius. 4.

SUMMARIA

Facti Species. num. 1.
Ex concurrentibus duobus remediis extraordinariis eligendum est id, quod pinguius. 2.
Liberi et parentes reciproce habent querelam inofficiosi. 3.
Barbosa *notatur.* 4.
An restitutio habeat locum, ubi querela inofficiosi praesto est? 5.
Remedium magis extraordinarium cessat, ubi datur minus extraordinarium. 6.

Aristinae Filius minorennis, multa immodice 1
donaverat, et nondum majorennis factus decesserat, Mater vult per Querelam impugnare donationes. Respondetur, melius facturam, si ex
persona Filii juxta *leg.* 6. *ff. de Restit. in Integrum*, Restitutionem petat, tunc enim tota Donatio rescinderetur, scilicet si donatio alias valida, v. g. mobilium. Collige Quando duo re- 2
media Extraordinaria concurrunt, tunc esse
id eligendum, quod est pinguius. Deinde colligitur: Uti filii contra Donationes Parentum, 3
ita etiam parentes contra donationes liberorum habere querelam Inofficiosae donationis,
Molin. de J. et J. tr. 2. *Disp.* 283. *n. fin.*
Colligit etiam *Aug. Barbos. h. l.* Restitutionis Au- 4
xilium non habere locum, ubi querela inoffi- 5
ciosi praesto est, quod in *h. l.* non reperio,
sed potius contrarium, quod utrumque detur,
sed Restitutionem esse utiliorem; nec allegato
loco *Donellus* illam sententiam *Barbosae* probat, sed contra forte voluit dicere *Barbos.* ubi
Restitutionis Beneficium datur, ibi querelam
Inofficiosae donationis non habere locum, et
sic notat ex *h. l. Baldus et. Tiraq. ad l. si unquam.* 8. *C. de Revoc. Don.* voce: *libertis. n.* 6
114. remedium magis Extraordinarium cessare,
ubi datur minus extraordinarium, sc. Restitutio
in Integrum.

L. Si totas. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Legitima non debetur nisi parente mortuo. 4.
Ratio, quia bona ejus possunt augeri. 5.
Intellectus legis. 6.
Differentia hujus revocationis ab illa, quae fit ob supervenientes liberos. 7.

Donaverat Pater omnes facultates suas eman- 1
cipatis liberis, ideoque nihil contra pietatem
egit, postea alios liberos suscepit, et Nepotes;
Quaeritur; *An illa donatio ut inofficiosa retractari possit?* Videtur quod non, quia cum 2
alios liberos non habuerit, non potest dici, quod

3 contra pietatis officium egerit; Respondetur tamen quod revocari possit, usque ad legitimam, quia sufficit laedi eventu liberos. Et sic hoc casu filius nondum natus tempore donationis natus fingitur, *P. Barb. ad l.* 2. *pr. h. t. n.* 171. *Sol. matrim.* Sed *an vivo Patre illa donatio rescindenda?* Et quidem *Wesenbecius ad hunc tit. Cod. num.* 18. *et DD. communiter teste Hillig. ad Donell. lib.* 19. *cap.* 11. *lit. X.* unico hoc casu donatori ipsi hanc Actionem competere putant. Nam sicuti Extraneo qui donat, natis postea liberis, in totum revocat per *l. si unquam.* 8. *C. de Revoc. Donat.* ita, qui uni filiorum, si alios liberos postea suscepit, quibus legitima salva non esset, rata manente donatione, ea usque ad legitimam rescinderetur. Et hanc Revocationem fieri ipso Jure vivo parente, tra-
4 dit *Jo. Aloysius Ricc. dec. coll.* 181. quia autem legitima non debetur, nisi parente mortuo,
5 et vivo patre possint ejus bona augeri, de non
6 necessario a vivo patre revocanda donatione intelligenda *haec lex* videtur, et ideo pronior sum in sententiam *Donelli d. l. et Molinae allegati* ab *Hillig. d. l.* et considero hic tempus futurum. *Confer. Ant. Fab. h. t. Def.* 7. *Perez. in*
7 *h. t. n.* 7. *etc.* quod haec revocatio ab illa differat quae fit ob supervenientes liberos *ex l. si unquam* 8. *C. de Revoc. donat.* Illa enim favorabilior est, dum datur ex tacita voluntate patris, haec datur contra voluntatem patris, ut tradit *Matt. Cuno, olim Ordinarius nostrae Facultatis in tract. de Pactis c.* 16. *n.* 139. Et hic consideratur Legitima, quae tempus mortis respicit, *Cuno d. l. n.* 40.

L. Cum Donationibus 6.

SUMMARIA

Querela haec quibus non competat? num. 1.
Quicunque alienationi ab alio factae consentit, non potest illam revocare. 2.
Probatur exemplis, remissive. 3.

1 Querela haec non competit, I. Si quis volun-
2 tatem Patris approbavit, quicunque enim alienationi ab alio factae consentit, non potest il-
3 lam revocare, quod exemplis declarat. *Tiraq. de Retr. Consang.* §. 1. *gl.* 9. *n.* 136. II. Si Minorennis quis sit, qui habet Restitutionem, quia utilior est Restitutio, et inter duo subsidia id est eligendum, quod est pinguius et propius ordinario, de quo in *l.* 4. III. Si quis titulo Dotis vel Fideicommissi tantum habeat, ut inde legitima confici possit.

L. Si Mater. 7.

SUMMARIUM

Contra matrem, quae omnia bona in fratrem meum transtulit, adeo ut ne legitima mihi supersit, datur querela inofficiosi.

Si mater in fratrem meum omnia bona transtulit, adeo ut quartae partis dimidiam, quae Jure Veteri erat legitima, vel hodie trientis dimidiam habere non possim, datur mihi Querela Inofficiosae Donationis; ratio in praecedentibus.

L. Si liqueat. 8.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Donatio in unum liberorum facta, licet cum animo fraudandi caeteros, revocatur pro parte legitimae. 2.
Faber *notatur.* 3.
Casus §. 1. 4.
Ratio dubitandi. 5.
Decidendi. 6.
Ob feuda a parente empta, si filia in legitima laesa, datur actio ex hac l. 7.

Mater uni liberorum omnia fere bona dona- 1
verat, et reliquos legitima defraudaverat; Respondetur, retractari debere donationem, ut singuli habeant quartam omnium bonorum. Et ex *hac lege* manifesto probatur sententia communis supra a me relata, scilicet si donatio in 2
unum liberorum facta, licet cum animo fraudandi caeteros, revocari tamen pro parte legitimae. Nam quod *Ant. Faber* verba pro ratio- 3
ne quartae intelligat de numero liberorum quatuor, nimis frigida est expositio, ut recte ait *Bacch. v.* 2. *in Treutl. D.* 19. *th.* 7. *pag.* 134. *Hillig. in Donell. lib.* 18. *c.* 11. *lit. K.*

§. 1. Pater tuus donaverat Matri tuae Prae- 4
dium, constante matrimonio, quae donatio non est valida Mater donatum praedium consensu Patris tibi emancipato donat in fraudem legitimae reliquorum liberorum, Quaeritur: *An in successione Patris haec donatio retractanda sit?* Videtur quod non, quia non ex Patris 5
bonis illud praedium profectum. Sed responde- 6
tur affirmando, quia id praedium adhuc pro paterno habendum, quia prima donatio erat invalida. Ex hac lege etiam sequitur, quando consentio, ut tu rem meam dones Titio, quod donatio mihi adscribenda, quia donans ut nudus minister consideratur, *Petr. Barb. ad l. quae dotis* 31. *n.* 22. *et* 23. *solut. matr. Tiraq. ad LL. Connub. gl.* 5. *n.* 149. *et in l. si unquam verbis:* donatione largitus, *num.* 349. Et ita forte intelligendus *Aug. Barbos. ad h. l.* Ob Feuda a parente empta, si filia in legitima lae- 7
sa, datur ex *hoc tit. et h. l.* Actio, *Hart. Pist. p.* 2. *qu.* 38. *n.* 63. *Berlich. p.* 2. *Concl.* 55. *n.* 74. *Vult. de Feud. l.* 1. *c.* 9. *num.* 58. *Carpz. p.* 3. *Const.* 9. *def.* 28. *etc.*

L. Non convenit. ult.

SUMMARIA

Intellectus legis. num. 1.
Querelae inofficiosi testamenti, et donationis inofficiosae magna est affinitas. 2.
Falsa nonnullorum opinio fundata in Nov. 92. 3.

1 Haec actio Querelae Inofficiosi Testamenti in omnibus, atque adeo etiam in tempore aequiparatur, scilicet utraque tantum quinquen-
2 nium duret, nam inter Querelam Inofficiosi Testamenti, et Donationis Inofficiosae, magna affinitas est, ut etiam ab uno ad alterum argumentari liceat, prout per exempla declarat *Trentacinq. d. Res.* 3. *n.* 14. Sunt tamen nonnulli in ea sententia, ex *Nov.* 92. de immensis donationibus hodie actionem personalem et con- 3
dictionem ex lege liberis dari, quae non nisi triginta annis expiret.

TITULUS XXX.

De Inofficiosis Dotibus.

L. Cum omnia. un.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Dos si immodica, semper est donatio. 2.
Ampliatur. 3.
Objectio diluitur. 4.
Remedium hoc concurrit cum Remedio legis Hac edictali. *C. de secund. nupt.* 5.

1 Mater uni filiae immodicam dotem dederat, ut filii legitima fraudarentur; Respondetur, dari ad exemplum querelae etiam actionem ad re-
2 vocandam dotem immodicam, nam Dos licet absolute non sit donatio, si tamen immodica sit, quatenus talis, semper est donatio. Ita ea-
3 dem decisio locum habet, si mater immodicam dotem constituisset marito cum pacto de dote lucranda, fraudatis liberis primi matrimonii. Si autem, ut in priori casu dictum, filii ob dotatam sororem fraudati sint, possunt etiam constante matrimonio de inofficiosa dote queri, *Petr. Barb. ad l.* 2. §. 1. *ff. Sol. Mat. num.* 172. *Covar. de matrim. p.* 2. *c.* 8. §. 6. *num.* 16. *Castr. hic in fin.* et fere quoad rem convenit *Trentacinq. lib.* 3. *tit. de jure Dotium. Res.* 3. *num.* 3. Nec obstat *l. fin.* §. 1. *ff. Quae in fraudem credit. confer. Auct. ibid.* quia ibi de tota dote avocanda agitur. Quamvis autem in secunda specie 4
liberis ejusdem matrimonii hanc querelam denegent *Bald. num.* 4. *Castr. hic num.* 3. *Sich. num.* 3. *Trentac. d. l. num.* 4. *per Auth.* uxore mortua *C. de Secundis Nuptiis*, et quidem propterea, quia a Patre accipiunt liberi dotem Jure haereditario, licet Pater dum vivit habeat usum, sed quia ita tamen legitimam maternam non haberent liberi, ideo *Wesenb. hic in C. num.* 43. omnino et liberi ejusdem matrimonii dari hanc actionem ostendit, nam alias legitimam maternam non haberent, aut non sine gravamine, contra *l. quoniam in prioribus* 32. *C. de Inoff. Testam.* Et Remedium hoc concur- 5
rit cum Remedio *legis* hac edictali 8. *C. de Secundis Nupt.* nam primo petenda est legitima per *hanc l.* et postea aequaliter residuum dividendum inter liberos primi matrimonii et maritum secundum, *Br. Bl. Castr. hic et Trentac. d. l. num.* 6.

TITULUS XXXI.

De Petitione Haereditatis.

L. Senatus-Consultum.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Post litem contestatam omnis est malae fidei possessor. 2.
Intelligatur hoc assertum cum grano salis. 3.
An ex mala fide omnes fructus post litem contestatam restituere debeat malae fidei possessor? 4.
Malae fidei possessor hoc casu quinam sit? 5.

1 Possidet quispiam Haereditatem mihi debitam bona fide, putans se esse haeredem: Ego evinco Haereditatem; Quaeritur, an Senatus-Consultum, quod habetur in *l.* 20. §. 6. *ff. h. t.* hic etiam observandum sit? Respondetur, quamvis id de Fisco loquatur, eamdem tamen esse rationem in privatis, *vid. Auctor in d. l. num.* 11. ideoque non cogendum esse possessorem ad restituendas usuras pecuniae ex venditione rerum haereditariarum acquisitae, *per d.* §. 6. nec ad fructus perceptos, nisi quatenus locupletior factus, *hic* et *l.* 72. *l.* 75. §. 11. *ff. h. t.* i. e. si propter haereditatem possessam plus habeat in bonis quam haberet, si haereditatem non possedisset, *Mol. d. tr. d.* 216. *num.* 9. Secus in malae fidei possessore, *l.* 2. *h. t. l.* 25. §. 3. *ff. eodem. ibique Auctor num.* 5. qualis omnis 2
est post litem contestatam, *hic et l.* 25. §. 7. *ff. h. t. confer. Auctor num.* 8. Quia a puncto litis contestatae debuisset a fructuum consumptione abstinere, quousque exitus controversiae

motae cerneretur, vel si quid inde consumere volebat, suo periculo id faciat. Sed hoc, quod lite contestata bonae fidei possessor in mala fide
3 constituatur, cum grano salis intelligendum; quia enim bonae fidei possessor ob litem sibi motam non debet mortalitatem prestare, nec debet Jus suum indefensum relinquere, per *l. illud quoque.* 43. *pr. Conf. Auctor num.* 1. *ff. h. t.* Ideoque mala fides tunc demum inducitur, quando ita facta est denunciatio, ut possit malam fidem inducere, *Garcias de Expens. c.* 23. *num.* 44. *Hartm. Pist. par.* 4. *c.* 27. *num.* 7. *et seq.* vel ut *Hillig. in Don. lib.* 19. *c.* 14. qui convenitur petitione haereditatis, licet non cedat, praesumitur tamen bona conscientia se defendisse, nisi evidens calumnia ap-
4 pareat, *argum. l.* 49. *ff. h. t.* quod vero omnes fructus indistincte post litem contestatam restituere teneatur, non tam fit ex mala fide, sed ex vi litis contestationis et contractus, licet hujus respectu quasi malae fidei possessor habe-
5 atur. Magis vero malae fidei possessor est, qui litigiosam haereditatem emit, *Achil. Person. Tr. de pet. haer. num.* 651. non tamen qui in jure erravit, *l.* 25. §. 6. *ff. h. t. ibique Auctor. conf. Covar. lib.* 1. *resol. c.* 3. *num.* 8. *Person. d. l. num.* 638. quod forte ad fructus percipiendos restringi potest, quod eorum respectu pro bonae fidei possessore habeatur, vid. *Pinell. in l.* 2. *C. de Resc. Vendit. p.* 2. *Cap.* 4. *num.* 31. quem citat *Hillig. lib.* 19. *c.* 14. *lit. M.* Fructus autem hic etiam non petiti adjudicandi sunt, quia augent haereditatem, *d. l.* 20. §. 3. *ff. h. t. ibique Auctor. num.* 6. et, quia est Judicium universale, *Person. d. tr. num.* 698. *Carpz. p.* 1. *Jurispr. C.* 26. *D.* 8. *et lib.* 1. *Resp.* 70. *num.* 9. *post Bart. Bald. Salyc. Sich. aliosque hoc loco.*

L. Si post motam. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Objectio. 2.
Diluitur. 3.
Titulus singularis superveniens pet. haer. excludit. 4.

1 Menecrates scripserat haeredem Titium, sed Cajus agnatus impugnato Testamento petit Haereditatem a Titio; Titius metu litis Musaeo vendit haereditatem dimidiam, litis hujus non ignaro, igitur hic Musaeus mala fide possidet et ideo tenetur ad fructus percipiendos, i. e. qui a diligenti percipi potuerunt. Sed aliud, si ante litem motam pars haereditatis sit vendita, nam tunc a lite contestata demum fructus debentur,
2 cui objici poterat, frustra separatim de fructibus responderi, cum hi augeant haereditatem, eoque tanquam ejus pars cum ipsa haereditate
3 et peti et restitui intelligantur. Quae objectio refellitur in vers. *Fructibus enim etc.* cujus hic sensus: quod hoc obtineat in Petitione Haereditatis vera, quae datur contra eum, qui possidet ut haeres, secus autem in impropria, quae ita dicitur ratione objecti, et in qua adeo possessor titulo munitus singularum rerum nomine Jure convenitur, scilicet ut eadem ratio sit restituendorum vel lucrandorum fructuum, quae in vindicatione speciali; quae est interpretatio *Bacchovii*, quam totidem verbis proponit in *Treutl. V.* 1. *D.* 14. *th.* 4. *lit. C.* quam praefero Donelli explicationi *l.* 19. *c.* 19. quae nec ipsi *Hilligero* satisfecit ibidem *lit. Aa.* Ex hac lege 4
ejusque verbis finalibus 2. Colligunt, quod titulus singularis v. g. emptio rerum singularum post mortem defuncti superveniens, excludat petitionem haereditatis, nam sic de tempore, qui ante mortem emisset, nulla foret comparatio, *Achil. Person. de Petit. haered. num.* 754. *Fachin. l.* 11. *c.* 4. *quos refert Hillig. lib.* 19. *cap.* 12. *lit. U.*

L. Haereditas. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Obstantia refellitur. 2.
Si querela inofficiosi prius egerim et succubuerim, possum postea testamentum ut irritum impugnare. 3.

Peto Haereditatem Materterae ut Cognatus, 1
et succumbo, Quaeritur: *Anne eadem bona petere possim, ut per Fideicommissum a materterae marito mihi relicta?* Affirmatur; quamvis enim sint eadem bona quoad rem, non tamen eadem sunt relative, cum in secunda Actione considerentur, ut Mariti, in priori, ut materterae bona; nec est eadem causa petendi. Ergo non obstat Exceptio Rei Judicatae, per *l.* 2
11. *pr. ff. de Except. Rei judic.* Quid si autem 3
Querela Inofficiosi prius egerim et succubuerim, possumne postea Testamentum ut irritum impugnare, et ita haereditatem petere? Quod affirmatur per *d. l.* 13. *et* 14. *ff. de Except. Rei judicatae, et l.* 61. *sup. de Inoff. Testam.* quia scilicet non est eadem causa petendi.

L. In restituenda. 4. et L. de haereditate. 5.

SUMMARIA

Coactus petitori restituere haereditatem quid deducere possit? num. 1.
Putativus haeres rem aliam in haereditate repertam Domino vero restituens liberat possessorem. 2.
Putativus haeres, qui solvit creditoribus haereditariis, utiliter negotium haereditatis gessit. 3.
Conciliatur lex praesens cum l. 19. §. 1. ff. de condict. indeb. 4.
Impensae in alimentationem aegroti factae et funus aequiparantur. 5.
An alimentorum nomine expensae funebres veniant? 6.
Impensae funebres omnibus creditoribus praeferuntur. 7.

Quando quis cogitur haereditatem petitori re- 1
stituere, deducit id, quod in mortui infirmitatem et funus impendit, haec enim sunt Privi-

legiata, *l.* 4. Item quod Creditoribus bona fide exsolvit, quia Creditores suum receperunt, nec haeres debet locupletior reddi cum damno pos-
2 sessoris, *l.* 5. Ita etiam si putativus haeres rem alienam in haereditate repertam vero domino restituisset, liberatur possessor: Idem enim est ac si solvisset aut restituisset rem vero haeredi, qui evicit haereditatem, *Fr. de Cald. in tr. de Empt. c.* 10. *num.* 31. Proprie vero hic de credito sermo est, *Hill. l.* 14. *c.* 13. *in fin. Cal-*
3 *das d. l.* Nota bene: Qui putans se haeredem, solvit creditoribus haereditariis, utiliter negotium haereditatis gessit, *Don. lib.* 14. *c.* 13. ubi
4 cum ipso *Hilligero hanc l. cum* 19. §. 1. *ff. de cond. indeb.* conciliat, de quo *Zasius tom.* 5. *p.* 78. *num.* 14. *Petr. Barbos. in l. divortio.* 7. §. *fin. p.* 2. *num.* 5. *ff. Solut. Matr.* impensas
5 factas in alimentationem aegroti et funus aequiparari, *Mart. Colerus tr. de Aliment. lib.* 2.
6 *cap.* 1. *num.* 12. Unde probabilis reddi potest sententia illorum, qui statuunt, alimentorum nomine expensas funebres venire, sicut illam quaestionem *d. l.* tractat et declarat *Colerus.*
7 Deinde probari etiam potest eorum sententia, qui statuunt, sicut impensae funebres Creditoribus omnibus, et sic etiam hypothecam expressam habentibus, praeferuntur, *l. pen. ff. de Relig. ibique Auctor. num.* 1. *et seqq. Beutherus l.* 2. *de Priv. Cred. c.* 9. *Garcias de Expens. cap.* 8. *num.* 23. *Carpz. p.* 1. *Const.* 28. *def.* 39. ita idem in Expensis in curam aegroti factis, *Carpz. d. Const.* 28. *def.* 43. *Richter. de Privil. Credit. disp.* 4. *memb.* 4. *num.* 3.

L. Si putas. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Avus petit nepotum haereditatem ab injustis eorum tutoribus. 4.

1 Quidam Avus emancipaverat Filium retentis Nepotibus; filio mortuo, Nepotes putant se esse sui Juris, et ipsis datur ex errore Tutor: Avus autem dicit in sua esse potestate, Quaeritur: *Utrum Avus haereditatem Filii a tutori-*
2 *bus nepotum petere possit?* Videtur quod non, quia lis nulla inter Avum et Nepotes esse potest, *l.* 4. *ff. de judic. Exceptiones vide ap. Auctorem c. l. n.* 2. ita non haeres ab haerede
3 peteret. Sed respondetur, hic dari actionem, si appareat eos esse in Avi potestate, quia sufficit ad fundandum judicium, quod Nepotes pro patribus familias se gerant, et Avus ipso effectu haeres erat, Nepotes vero titulotenus, illis
4 scilicet temporibus. Collige: Avum haereditatem nepotum ab injustis eorum tutoribus petere.

L. Haereditatis. 7.

SUMMARIA

Actiones reales rerum immobilium praescribuntur decem vel viginti annis. num. 1.
An petitio haereditatis ita praescribatur? 2.
Ratio decidendi. 3.
Contra titulo singulari possidentem non datur petitio haereditatis. 4.
Ratio hujus asserti. 5.
Quando praescribatur haereditatis petitio. 6.
Deciditur per rationem. 7.
Rejicitur limitatio. 8.
Rei vindicatio quando excludatur? 9.

Actiones Reales rerum immobilium praescri- 1
buntur decem vel viginti annis, sed non ita peti- 2
tio haereditatis, quia 1. haec mixta est actio, et 2. 3
Possessor hic non habet titulum, id est, sine titulo singulari possidet pro haerede vel pro possessore, id est, dum putat se haeredem, pro haerede possidet, si nullum habet titulum, pro possessore possidet. Contra titulo singulari possi- 4
dentem non datur Petitio haereditatis, quia qui 5
Titulo singulari possidet, non negat jus haereditarium actoris, sed rem esse haereditariam; et jus possessoris, qui specialem titulum habet, potius est, quas aliasque rationes tractant *hic DD. et Covarr. pr. Q.* 12. *num.* 2. *Hondedaeus V.* 1. *Consil.* 22. *num.* 10. *et seqq. Cacher. decis.* 56. *n.* 4. *Card. Tusch. Concl.* 30. *per totam litteram H. Meischn. t.* 3. *dec.* 8. *num.* 19. *Socinus Reg.* 364. *Hillig. in Don. l.* 19. *c.* 12. *lit. U.* Collige ergo: Haereditatis Petitionem triginta annis prae- 6
scribi, per hunc textum, vid. *Balb. de Praescr. p.* 4. *prin. q.* 16. cujus rei nulla alia ratio, 7
quam quod sit mixta, licet a principaliore membro plerumque Realis dicatur, *Hillig. in Don. l.* 19. *c.* 12. *lit. A.* cujus rei Exceptionem statuunt, si, ut in quibusdam casibus fit, contra titulo possidentem detur, *Cacheranus d. dec.* 56. *num.* 9. *Achil. Person. de Petit. Haered. num.* 727. Quamvis autem *DD. in l.* 8. *C. de jure Delib. et Balbus d. p.* 4. *q.* 19. *num.* 6. ad 60. annos extendant praescriptionem, si actor tum ex testamento, tum ab intestato adire potuit, *arg. l.* 1. §. 11. *ff.* 8
de Succ. Edict. merito tamen hoc displicet *Wesenbecio in fine Rubricae.* Sed Rei vindicatio, 9
quae est specialis in rem actio, excluditur triennio in mobilibus, decennio vel viceunio in immobilibus.

L. Liber. 8.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Quando quis ex testamento vult petere Haereditatem, debet ante omnia constare, utrum testator habuerit potestatem testandi, quod per se clarum.

L. Si Scripti. 9.

SUMMARIA

Intellectus legis. num. 1.
Petitio haereditatis non datur contra titulo singulari possidentem. 2.

Si scripti haeredes repudiant haereditatem, qui 1
ab intestato veniunt, possunt petere haeredita-

tem, si modo res in eadem causa durent, id est, non sint translatae per Venditionem titulo
2 singulari; nam petitio haereditatis non datur contra titulo singulari possidentem, *l.* 2. *h. t.*

L. Si Filiusfamilias. 10.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Solemnitates extrinsecae annon praesumantur, nisi probentur? 2.

1 Filiusfamilias adiit haereditatem et possedit decem annis, eo mortuo quidam impugnare volunt hanc aditionem, ut sine jussu patris factam;
2 Respondetur, quamvis solemnitates extrinsecae non praesumantur, nisi probentur, quando tamen diuturnitas temporis, et possessio cum scientia ac patientia alterius concurrunt, praesumuntur etiam solemnitates extrinsecae, ut ex *h. l.* communiter probant *DD. uti Mascard. de Probat. Concl.* 1322. *num.* 1. *et seq. Menoch. l.* 3. *Praesumpt.* 132. *Cephal. cons.* 628. *num.* 84. et quos hoc loco recenset *Barb.* et praeter eos *Gail. l.* 2. *Obs.* 71. *et Tabor. in Axiom. Barb. locupl. lib.* 17. *c.* 37. *axiom.* 3.

L. Cogi. 11.

SUMMARIA

An et cur reus titulum vel causam possessionis allegare non teneatur? num. 1.
Exceptiones a Regula. 2.
Actore titulum non docente, debet reus probare, se priorem aut potiorem titulum habere. 3.

1 Reus non tenetur titulum vel causam suae possessionis allegare, ne arma actori subministret *add. Auctor. in l.* 4. *C. de Edendo per tot.*
2 Excipitur I. Petitio Haereditatis, ubi Reus titulum allegare debet. Cum haec actio non detur, nisi contra eum, qui pro haerede vel pro possessore possidet, *l.* 7. *h. t.* Quandocumque autem non possum agere simpliciter, sed ratione alicujus qualitatis, de qualitate illa prius constare debet, antequam agam, et sic interrogari potest, an pro haerede possideat, vel non? *l.* 2. *et* 3. *ff. de Interrog. in jure fac.* II. Excipitur, si actor Praesumptionem et intentionem fundatam pro se habeat, quam Reus allegatione tituli potest elidere, ut in *l. civile* 5. *C. de Furt. Carpz. p.* 1. *Jurisp. Const.* 27. *def.* 9. ubi id exemplo Vassalli declarat. III. Excipiuntur Beneficia Ecclesiastica, *c.* 3. *de Offic. jud. Ordin.*
3 *lib.* 6. Item, si actor titulum docuit, debet reus allegare et probare se priorem aut potiorem titulum habere; nam alias restituere rem tenetur, *Dn. Mev. p.* 6. *dec.* 151. Plures hujus Regulae limitationes proponit hic *Barbos. Taschus Concl.* 539. *lit. T.* et alii a *Barbosa* allegati et praeter eos remissive, *Dan. Moller. l.* 4. *Semest. c.* 38. *num.* 10. *Hartm. Pist. p.* 2. *q.* 46. *Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 8. *def. ult.* et alii, quos allegat *Riccius dec. coll.* 61.

L. Cum haereditatis. ult.

SUMMARIA

Jus vetus. num. 1.
Qualem Cautionem legatarius quacumque in causa praestare debeat? 2.
Aliud legatarii remedium. 3.
Legata rupto testamento non debentur. 4.
Res litigiosa ex causa necessitatis potest alienari. 5.
Casus §. 2. 6.
Petitio haereditatis ad bonae fidei judicia refertur. 7.
Ratio decidendi. 8.
Totius legis ratio. 9.

Princ. Olim Legatarii aliique Creditores contra haeredem agere non poterant, pendente causa petitionis haereditatis; per hanc autem constitutionem possunt, sed Legatarius debet 1
praestare cautionem de legato restituendo cum usuris quadrantalibus (id est, tribus pro centum) si pecunia legata, sin vero species legata, cavendum est de restituendis fructibus naturalibus vel civilibus, deductis tamen prius expensis necessariis et utilibus, cum Legatarius bona fide petat et possideat postea legatum, quin imo aliud legatario remedium hic datur, ut ipse litem in se transferre suo periculo possit, si evicta fuerit haereditas. 2
3

§. 1. Creditores vero etiam potuerunt petere sua credita pendente lite, sine ulla cautione: quia legata rupto testamento non debentur, credita vero semper; et potest creditor convenire non tantum possessorem, sed etiam actorem, qui si solvat et succumbat, solutum repetitur actione Negotiorum Gestorum, quia utiliter gessit negotium haereditatis, liberando eam aere alieno, vel condictione ex hac lege actor uti potest. Et sic est discrimen, utrum creditor agat ceu tertius, qui non debet expectare litis eventum, aliud, si unus ex iis, qui litigant, in hoc judicio vellet petere debitum vel rem sibi debitam titulo particulari, quia per hanc actioni universali non debet praejudicari per *l. si quis libertatem* 7. *ff. h. t. ibique Auctor n.* 2. *Alv. Valascus lib.* 1. *Consult.* 90. *num* 3. Unde colligunt: Rem litigiosam ex causa necessitatis, v. g. aere alieno urgente, posse alienari, *Tiraq. de Retr. Consang.* §. *fin. num.* 2. et quos hic allegat *Barb. num.* 4. Et praeterea res singulares hic per consequentiam vitio litigiosi afficiuntur, *Hillig. in Don. lib.* 19. *cap.* 11. *lit. N.* 4
5

§. 2. Si libertas alicui relicta, is annum expectare necesse habet, quo lapso et lite non finita, ipsi irrevocabiliter confertur libertas, quemcunque exitum habuerit petitio haereditatis, nisi Testamentum de falso convincatur. 6

§. 3. Petitionem haereditatis ad bonae fidei judicia refert, quia propius videtur ad negotiorum gestorum actionem accedere; inesse quippe videntur personales praestationes mutuae, quia ut reus ad pretia rerum distractarum et debita soluta, item ad res haereditatis causa, etsi sua pecunia emptas, ut restituat, tenetur, ita huic petitor ad refundendum pretium, sunt verba *Hillig. in Donell. lib.* 19. *cap.* 11. *lit. B.* Ratio totius legis haec esse videtur: ne Creditores et Legatarii praetextu motae hujus actionis calumniose extrahantur. 7
8
9

TITULUS XXXII.

De Rei Vindicatione.

L. Etiam. 1.

SUMMARIA

Identitas hujus cum §. 4. Inst. per quas personas. num. 1.
Malae fidei possessor nihil per servum acquirit. 2.

1 Idem dicit quod §. 1. *Inst. per quas personas etc.* Scilicet quod per servum bona fide possessum possessio acquiratur ex re ipsius possessoris, vel opera possessi servi. Sed hic Antithesis de malae fidei possessore adjungitur, quod sci-
2 licet malae fidei possessor nihil per servum acquirat, sed omnia restituat.

L. Si inferiorem. 2.

SUMMARIA

Lex haec quatenus locum habeat? num. 1.
Malae fidei possessor nec materiam diruto aedificio vindicare potest. 2.
Restrictio legis. 3.
Interpretatio Fachin. legis reprobatur. 4.
Objectio diluitur. 5.

1 *Haec lex* solum locum habet in eo, qui rem coeptam perfecit, et coepto aedificio superiorem partem imposuit; hic certum est, aedifi-
2 cantem amittere materiam inaedificatam, nec eam, si malae fidei possessor sit, etiam diruto aedificio vindicare posse, *l.* 7. §. 12. *ff. de Acquiren. rerum dominio, ibique Auctor num.* 19. *et seq.* §. 30. *Inst. de Rerum Divis.* Sed hic dicitur materiam ad Dominum redire, quod *Fa-*
3 *chin.* videtur ad eam speciem restringere *l.* 1. *c.* 55. quando sciente Domino fundi quid superstructum, nam partis inferioris Dominus scivit omnino, quid aedibus suis superstruatur, atque haec restrictio probari videtur ex *d.* §. 30. *et l.*
4 5. §. 2. *in fin. ff. de except. doli mali.* Sed non videtur satisfieri huic legi per hanc interpretationem. Malim sequi sententiam aliorum, qui dicunt non haberi in hoc loco, quod materia diruto aedificio ad malae fidei possessorem, qui non potest dici dominus, sed ad dominum, cujus fuit ista materia, redeat. Nam sermo est de eo malae fidei possessore, qui in alieno ex aliena materia aedificat, et addita exceptio in fine, ad eum, qui ex sua materia aedificat, pertinet. Atque hanc interpretationem sequitur *Donell. l.* 4. *c.* 33. *lit. I. Garcias de Expensis c.* 3. *num.* 22. et quos refert *Petr. Barb. ad l. divortio* 7. §. *fin. p.* 1. *num.* 83. *ff. solut. matr.* licet ipse recedat, cujus tamen interpretatio magis infert vim tex-
5 tui. Sed posset quis dicere: cur animus donandi hic excipitur, cum tamen semper animus donandi praesumatur? Resp. ita est, sed posset quis in alieno aedificare ex sua materia animo non donandi, v. g. si abradi possit; quid si protestatus sit de recuperandis materiis domo diruta? Conf. *Carpz. p.* 3. *Const.* 31. *def.* 10. *Schneidew. in* §. 30. *Inst. de R. D. n.* 9. *Menoch. l.* 3. *Praesumpt.* 32. *Gilken. in h. leg. num.* 3. *et seq.* et quae prolixe hic habet *Barbos. Redoanus de Reb. Eccles. non alien. Q.* 72. *cap.* 4. *num.* 4. *Cujac. l.* 10. *Obs.* 1.

L. Mater. 3.

SUMMARIA

Res aliena an vendi possit? num. 1.
Domino datur potestas rem vindicandi sine pretio. 2.
Nisi in utilitatem Domini versum probetur. 3.
Aliter limitatur. 4.
Consentiens alienationi rei suae vel sibi obnoxiae non potest rem repetere. 5.
Limitatur nisi dominus alio modo amiserit libertatem. 6.
Casus positio. 7.

Licet alias res aliena vendi possit in praejudicium 1
vendentis, *l.* 28. *ff. de Contrah. Empt. ibique Auctor. num.* 1. nemo tamen, imo nec mater alterius praedium in domini praejudicium vendere potest, *l. id quod nostrum est* 11. *de R. J.*
Sed domino datur potestas rem vindicandi sine 2
pretio, nisi in utilitatem domini versum probetur, 3
l. 65. *pr. ff. h. t. et l.* 19. *C. de Procur. Hillig. in Don. l.* 20. *c.* 2. *lit. H. Sich. hic num.* 4. ni-
si dominus consenserit in venditionem, ubi pre- 4
tium tantum recipit, actione negotiorum gestorum, *P. Barbos. loco mox allegando,* non rem, cum contractum eum sua ratificatione suum fecerit; sed pretium non recipit ab emptore, sed venditore. Eadem ratio Patris, *Pinell. de Bon. Mat. p.* 3. *num.* 29. *Hillig. in Don. l.* 20. *c.* 2. *lit. K.* Et ita colligitur Regula ex tex-
tu: quod consentiens alienationi rei suae, vel 5
sibi obnoxiae non possit rem repetere. Deinde
alia additur limitatio in textu, nisi dominus a- 6
lio modo miserit proprietatem, v. g. Tu ven- 7
didisti agrum meum bona fide Titio ante decem annos. Hic emptor a me conveniri non potest, quippe securus est praescriptionis exceptione, sed habeo actionem personalem contra venditorem ex negotio gesto, *Cephalus cons.* 210. *num.* 12. Idem est, si res apud emptorem perempta, nam tunc actio negotiorum gestorum datur in subsidium contra venditorem per tradita *P. Barb. ad l. quae dotis* 31. *num.* 141. *ff. sol. matr.* nec eam venditionem infringere, nisi id faciat ratione officii sui, ubi in re propria sibi non praejudicat per *l. cum quaedam Cod.* 26. *de Adm.*

Tut. Hartm. Pist. p. 2. *quaest.* 7. *num.* 11. *Rosenthal. de feudis c.* 9. *concl.* 78. *num.* 16. vid. tamen *Menoch. Cons.* 58. *per totum, et Gabriel. l.* 3. *Comm. Concl.* 2. *tit. de Rerum alien.*

L. Adversus. 4.

SUMMARIA

Quatenus domino a malae fidei possessore fundum ementi detur actio? num. 1.
Hodie cum mala fides venditoris obstet emptori, hic nunquam usucapit. 2.

1 Tum demum adversus eum, qui a malae fidei possessore fundum emit, datur domino actio, quando possessor nondum usucepit; Sed hodie
2 mala fides venditoris etiam obstat emptori, ideoque talis emptor nunquam usucapit, *Auth. malae fidei C. de Praescript. longi temp.* de qua suo loco.

L. Domum. 5.

SUMMARIA

Rem per injuriam et mala fide possidens restituere eam tenetur cum fructibus percipiendis, qui scilicet a petitore percipi potuissent et omni causa. num. 1.
Malae fidei possessor repetere potest impensas necessarias. 2.
Asserti hujus ratio. 3.
Item de fructibus percipiendis tenetur. 4.
An etiam utiles impensas deducere possit. 5.
Impensae fructus quatenus detrahantur? 6.
Labor personae etiam continetur sub impensis hisce. 7.
Malae fidei possessor an retinendo, an vero implorando officium judicis, expensas necessarias recuperare possit? 8.

1 Qui rem per injuriam et mala fide possidet, eam restituere tenetur cum fructibus percipiendis, qui scilicet a petitore percipi potuissent, *l.* 62. §. 2. *ff. h. t. et l.* 43. §. 1. *ff. de Legat.* 1. *l.* 4. *C. unde vi.* et omni causa, id est, utilitate,
2 quam Dominus habere potuisset. Deinde dicitur malae fidei possessorem repetere posse impen-
3 sas necessarias, quia deductio haec tribuitur causae, non Personae, et culpa esset in malae fidei possessore, si omitteret, vid. *Don. l.* 20. *c.* 7. et idem in impensis ratione fructuum factis, quia fructus non intelliguntur, nisi deductis impensis, *l.* 7. *ff. Solut. Matrim.* utiles vero non repetit, nisi sint melioramenta, quae ab aedibus, illaesis manentibus, separari possunt. Colli-
4 gitur igitur ex *hac l.* Malae fidei possessorem de fructibus etiam percipiendis teneri, quos scilicet petitor percipere potuisset, *l.* 62. §. 1. *ff. h. t.* quamvis a possessore non potuerint percipi, non enim spectatur, quid possessor habere potuerit, sed et quid petitor, re initio restituta, *l.* 20. *ff. h. t.* et quamvis hic de possessore verba sonent, quos percepit aut percipere poterat, hic tamen ea est species, ubi pensiones ab utroque pariter percipi potuerunt, *Don. lib.* 20. *c.* 5. *post. lit. I.* Deinde aperte hic 5
dicitur, malae fidei possessorem deducere impensas necessarias, non utiles, nisi sint separabiles, et ita non per aestimationem, sed per detractionem, impensas recuperabit, modo illa separatio et abrasio fiat salva re principali et sine laesione prioris status, *per hanc l. Garcias de expensis c.* 5. *num.* 1. *et n.* 22. *etc. Caldas de Empt. c.* 27. *num.* 58. datur tamen domino electio, ut possit offerre pretium, quantum valerent abrasae, non affixae, et potest impedire ne tollantur, per *l. in fundo* 38. *ff. h. t. ibique Auctor n.* 1. *Tiraq. de Retr. Convent.* §. 7. *v.* 6. *Caldas. d. l.* Impensae fructus causa 6
factae ita detrahuntur, ut tanto minus fructuum nomine praestetur, *argum. l.* 7. *ff. Sol. Matr. Sich. hic. num.* 7. *lit. E,* et sub his continetur 7
etiam labor Personae, *Hill. in Don. d. l.* 20. *c.* 7. *lit. F.* bonae fidei possessor utiles repetit, cum moderatione tamen juxta *l.* 38. *ff. h. t.* Conf. *P. Barb. ad l. divortio* 7. §. *fin. num.* 78. *et seqq. ff. Sol. matrim.* An vero M. F. possessor 8
retinendo, an vero implorando officium judicis, expensas necessarias recuperare possit, de eo agit *Barb. d.* §. *fin. p.* 2. *num.* 8. Sed in eo scrupulum quaerere videtur supervacaneum. Utrumque competere puto ob regulam: Cui damus actionem etc.

L. Si ex ea. 6. et L. Si ut proponis. 8.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Miles ex privilegio rem sua pecunia emptam vindicare vel actione mandati vel negotiorum gestorum condicere potest. 2. 3.
Actus in ejus commodum praesumitur factus, in cujus fieri debebat. 4.
Praesumptio haec qualis? 5.
Administrator Ecclesiae ex pecunia ejusdem rem emens acquirit Ecclesiae. 6.
Ampliatur haec regula. 7.
Maritus ex pecunia dotali praedium emens id non facit uxoris. 8.
Ratio, quia pecunia dotalis propria censetur mariti. 9.
Praedia empta pecunia ad augendum Majoratum aut fundum penes possessorem aut vassallum deposita cujusnam fiant? 10.

Ex pecunia mea, si meo nomine emas fundum 1
conscio venditore, tunc datur Rei Vindicatio, mihi contra te, quia hoc inter vos actum, ut mihi quaereretur Dominium; sed si ignoravit venditor, contra te emptorem mihi, si Mandatum intercessit, datur actio Mandati, sin minus, Actio Negotiorum Gestorum; sed si tuo nomine emisti, mihi nulla datur; nisi sim mi- 2
les, *l.* 8. *h.* t. qui ex privilegio rem sua pecunia emptam, vindicare, vel actione mandati vel negotiorum gestorum condicere potest, 3
idem est, si Tutor ex pecunia pupillari rem suo nomine emit, *l.* 2. *C. quando ex facto tutoris.* Ratio autem Exceptionis est, quia actus 4
in ejus commodum praesumitur factus, in cujus commodum fieri debebat, quae praesumptio hic 5

juris et de jure esse videtur, ideoque ea limitatio de omnibus administratoribus intelligenda cum *Hartm. Pist. p. 1. q. 7. num. 12. et seq.* Et
6 sic Administrator Ecclesiae ex ejusdem Ecclesiae pecunia emens, rem eam Ecclesiae adquirit per *c. fixum, c. 12. q. 4. Trentac. lib. 3. tit. de Empt. et Vendit. Resol. 1. num. 7.* Sed haec
7 omnia locum habent in Pupilli vel Ecclesiae vel civitatis pecunia, non quae ex re pupilli vendita redacta est, quae Pupillaris pecunia dici nequit, *Trentac. d. l. num. 6. vers. secundo*
8 *declarat.* Et exinde colligitur: Maritum ementem praedium ex pecunia dotali id non facere
9 uxoris, quia pecunia dotalis propria censetur esse mariti, *l. res quae 51. ff. de jure Dotium, ibique Auctor num. 1. Petr. Barb. p. 3. Rubr. ff.*
10 *Sol. Matr. num. 48.* Si etiam pecunia ad augendum Majoratum aut feudum penes possessorem aut vassallum deposita, ut praedia emantur, tunc praedia empta, licet possessor suo nomine emerit, adquiruntur tamen Majoratui vel feudo, quia debuit illuc converti, *Molina de J. et J. lib. 3. disp. 661. num. 3. seq. et Salgado in Labyr. credit. l. 2. c. 24. num. 53. et seqq.*

L. Partum. 7.

SUMMARIA

Liberi ratione status sequuntur matrem. num. 1.
Ratione vero dignitatis et familiae patrem. 2.

1 Ratione status liberi sequuntur matrem; et si mater Ancilla, cum hac vindicari possunt; sed
2 quoad dignitatem et familiam sequuntur patrem, *l. 19. ff. de Statu Hominum, ibique Auctor num. 1.*

L. Doce Ancillam 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Effectus Dominii est vindicatio. 4.
Sententia contra uxorem lata marito non praejudicat. 5.
Constitutio dotis est facti et probanda. 6.

1 Uxor mea vindicaverat Ancillam dotalem, et succubuerat, ego postea denuo vindico, *An mi-*
2 *hi poterit Exceptio rei judicatae opponi?* Re-
3 spondetur negando, quamvis enim jure Nat. et Gent. uxor domina dotis maneat, jure tamen Civili solus maritus est dominus, *l. in rebus 30. C. de Jure Dotium*, et solus ergo maritus
4 vindicare potest, non uxor, quia Dominii effectus Jure Civili est Vindicatio. Vel si dicamus, jure civili uxorem esse dominam dotis, id tamen dominium a jure civili est obfuscatum, ob quam obfuscationem illa non habetur pro Domina quoad effectus civiles, *Joan. del Castill. de usufr. c. 4. num. 22. P. Barb. ad l. dota-*
5 *lem. 62. num. 4. ff. Solut. matrim.* Ergo sententia lata contra uxorem mihi non praejudicat.
6 Collige: Constitutionem Dotis esse facti, et probandam, saltem conjecturis, si aliter de ea non constet, *Carpz. p. 2. Jurispr. Const. 16. def. 11.*

L. Cum super. 10.

SUMMARIA

Dominium servorum vel aliarum rerum quomodo probari possit. num. 1.
An etiam probetur interrogationibus servorum. 2.

Dominium servorum vel aliarum rerum, non 1
tantum Instrumentis, sed etiam Testibus probari potest; imo etiam interrogationibus servo- 2
rum ipsorum, quae tamen confessio sine aliis indiciis non sufficeret, *l. 7. ff. de Probat.*

L. Si quis sciens 11.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Circa plantam insitam in alieno fundo quid juris? 2.
Si Dominus fundi impensas restituere noluit, habet insitor beneficium retentionis. 3.
Possessor si plantam velit eradere, an possit. 4.
Ratio dubitandi. 5.
l. 53. ff. h. t. contrariatur l. in fundo 38. *eod.* 6.
Casus positio. 7.
Conciliantur. 8.
Ædificium non unitur cum terra, sed cohaeret solo. 9.
Ratio decidendi circa regulam num. 4. datam. 10.
Menochius notatur. 11.

Qui in alieno fundo plantam inserit aut se- 1
minat, (si modo planta radices egerit, ut pars fundi dici possit, §. 31. *Inst. de R. Divisione*)
non facit fundum suum, sed facit plantam il- 2
lius, cujus est fundus; Sed habet beneficium 3
Retentionis in fundo consito, vel in quo bona fide tanquam suo quid implantavit, et opponit exceptionem doli, si dominus fundi impensas restituere nolit, Conf. *DD. in d. §. 31. et seq. et Carpz. l. 1. Resp. 100.* Sed quid si possessor ve- 4
lit eradere plantam, quaeritur, *an possit?* quod videtur negari in *l. si fundi possessor 53. ff. h.* 5
t. quae videtur contrariari *l. ff. h. t. in fundo* 6
38. Sed communiter respondent, aequiparationem inter inaedificata et plantata in *d. l. in fundo* 38. accipiendam esse in iis casibus, in quibus militat eadem ratio. Si v. g. Dominus sit dives, 7
prout praecise cogitur solvere pretium aedificii, 8
sic etiam cogitur praecise, solvere pretium plantatorum per *hanc l.* Si vero Dominus pauper sit, et nihilominus eam impensam esset facturus, vel rem habet venalem, sicut his casibus cogitur solvere aestimationem aedificii, ita etiam aestimationem plantatorum, quia eadem militat ratio. Caeterum si dominus pauper sit, et non simus in aliquo casuum praedictorum, quamvis tunc concedatur melioranti aedificium auferre, non tamen idem permittitur in implantatis per *d. l. si fundi*, quia militat diversa ratio, cum aedificium non uniatur cum terra, sed solo cohae- 9
reat, et ab eo separari possit per abrasionem,
sed plantata uniuntur cum ipsa terra, et unum 10
cum ea efficiuntur, unde non permittitur plantatorum abrasio, sicut totidem verbis commu-

nem sententiam et conciliationem horum textuum proponit, et contra *Menochii* rationes defendit *Petr. Barb. ad d. l. divortio 7. §. fin. p. 1. num. 105. et seq. ff. sol. matr.* et ex hoc *Aug. Barb. in Collect. hic,* quae quia faciunt ad Explicationem *d. l. in fundo.* 38. lubens hic adducere volui.

L. Incivile. 12.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
In venditione servi fide de pretio non habita datur rei vindicatio. 2.
Ampliatur. 3.
Limitatur. 4.
Innominato contractu datur poenitentia. 5.
Nominatus contractus ne quidem Principis Rescripto retractari potest. 6.
Limitatur haec regula. 7.

1 Vendidi tibi servum vel fundum, fide de pretio habita, quod hic praesupponendum est, nam
2 alias fide non habita, daretur Rei Vindicatio per *l. quod vendidi.* 19. *ff. de Empt. ibique Auctor num.* 1. *et seqq. et per §. venditae* 41. *Inst. de R. D.* vid. *Hillig. in Don. lib.* 4. *c.* 16. *lit. D. Vasq. l.* 3. *controv. c.* 5. *in pr. Caldas Percira de Empt. c.* 23. *num.* 18. *Gail. l.* 2. *Obs.* 15. *num.* 4. *Carpz. p.* 1. *Jurisp. Const.* 28. *def.* 28. *num.* 6. imo
3 etiam licet fides sit habita, sed Emptor animum decoquendi habeat, Rei Vindicationem tamen competere putat *Carpz. p.* 1. *c.* 20. *d.* 18. quod
4 intelligendum, si modo dolus aliunde, quam ex paupertate probari possit, *Straccha de Decoct. p.* 3. *num.* 31. et quos citat *Petr. Barb. ad l. si cum dotem.* 23. *§. fin. in ff. Sol. Matrim.* Quia autem pretium non numeras, volo rem meam venditam repetere per *l.* 5. *pr. ff. de Condict. causa data etc. vid. Auct. ad eand. num.* 1. *et seqq.* Sed id negatur, quia lex ea perti-
5 net ad contractum innominatum, in quo da-
6 tur poenitentia: Nominatus vero contractus, ne quidem per Rescriptum Principis retractari
7 potest. Nisi intervenerit dolus, laesio enormissima, etc.

L. Ordinarii. 13.

SUMMARIA

Concurrentibus petitorio et possessorio, ex quo primum sit agendum. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Possessionis multa sunt commoda. 3.
Judex causae praeparatoriae, judex etiam est causae praeparatae. 4.
Illustratur exemplo. 5.
Coram quo ad exhibendum agitur, coram eodem rei vindicatio quoque debet institui. 6.

1 Si Possessorium et Petitorium concurrit, primum de Possessorio agendum, *hic et l.* 3. *C. de Interdict. et l. exitus* 35. *ff. de Acquirenda Possession. ibique Auctor num.* 1. *et seqq.* ut con-
2 stet, quis sit possessor, et cui onus incumbat probandi, nam Possessionis multa commoda 3
sunt, de quibus agitur in *§. retinendae.* 4. *Inst. de Interdict. l.* 15. *l. qui destinavit.* 24. *ff. h. t.* Colligunt ex *hac l.* Regulam: Quod judex 4
causae praeparatoriae, sit etiam judex causae praeparatae, v. g. Possessorium est Praeparato- 5
rium ad Petitorium, ideo qui Judex de Possessorio cognoscit, cognoscet etiam de Petitorio, *l. nulli C. de judic.* Sic ex eodem argumento educunt, quod si coram me ad exhibendum 6
actum fuerit, coram me etiam Rei Vindicationem institui non tantum posse, sed etiam debere, quam sententiam argumento hujus legis probari posse putat *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 361. *num.* 7. *duobus seqq.*

L. Cum a Matre. 14.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Personam defuncti quatenus quis repraesentet? 2.
Quem tenet actio de evictione, eumdem agentem repellit exceptio. 3.
Excipiuntur quaedam. 4.
An haeres succedens in feudis alienationem possit retractare? 5.
Praxis fori Communis. 6.
Certior legis declaratio. 7.
An obligatio defendendi in haeredibus sit dividua? 8.

Facti speciem ita refert *Molinaeus in tr. de Div. et. Indiv.* Pater nomine suo vendidit fundum de- 1
functae uxoris, et obiit relictis filio ex prima, et filia ex secunda uxore haeredibus; filius vindicat fundum ab emptore, qui excipit, agentem teneri de evictione et ideo esse inadmissibilem et interim ei ut haeredi et sorori denunciat litem cuique in solidum, filius actor replicat, se tantum esse haeredem pro dimidia parte, pro qua cedit intentioni actoris et vult tantum vindicare pro altera dimidia, in qua non est haeres. Emptor duplicat evictionis causam esse individuam. Sed pro filio respondetur, quod non teneatur ad evictionem praestandam, nisi pro dimidia tantum. Nam licet obligatio defendendi sit individua, non tamen descendit in haeredes, nisi sub expressa contemplatione partium. Conf. *Molinaeus d. tr. p.* 2. *num.* 487. *et seqq. multis, et num.* 498. *et seqq.* Ergo pro ea tantum parte, qua 2
quis successit defuncto, Personam ejus repraesentat, et pro ea parte ejus factum aut contractum impugnare non potest, licet defunctus de rebus ipsius haeredis aliquid disposuisset vel contraxisset, et Ratio, quia haeres una censetur persona cum defuncto, est in *l. ex qua persona.* 149. *ff. de R. J. et l.* 17. *ff. de Evict. ibique Auctor* ubi regula: Quem de evictione tenet Actio, 3
eundem agentem repellit Exceptio; et Successori etiam incumbit necessitas tradendi, ergo rem vindicare nequit, contra quem enim actio competit, multo magis ei opponitur exceptio. Sed Regula haec, quae in *hac l.* continetur, habet 4
suas Exceptiones, quas *DD. hic et Ant. Gabriel. lib.* 6. *Com. Concl. de R. J. Concl.* 11. congesserunt: praecipuae sunt hae: I. Quod teneatur approbare factum defuncti non in totum, sed

pro portione haereditaria, per *hanc l. Hartm. Pist. l.* 2. *qu.* 9. *num.* 12. Sic filius, qui pro parte dimidia haeres est, pro parte dimidia factum matris impugnare potest. II. Quando filius in legitima tantum institutus, et matris factum legitimae onus inferret seu gravamem, per *l.* 32. *sup. de Inoffic. Test. Gabriel. d. Concl.* 11. *num.* 25. nam quando factum defuncti tendit ad id, ut haeres privetur beneficio Legis aut Statuti, tunc haeres contravenire potest, *Tiraq. de Retr. lign.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 58. III. Si haeres succedat vi legis aut Statuti, tunc defuncti voluntatem approbare non tenetur; sic putant *Hartman. Pistor. d. l.* 2. *q.* 9. *num.* 40. *et seqq. et Du. Carpzov. p.* 2. *Jurispr. Const.* 48. *def.* 3.
5 scilicet putant haeredem in feudis succedentem alienationem feudi posse retractare, licet etiam haeres defuncti sit, quia proprio Jure ni-
6 titur. Sed vix in foro communi haec sententia obtinebit, praesertim cum in specie hujus legis Filius praesupponatur habere propriam domum a matre alienatam, ideoque nescio, an non tutius subsistamus in communi sententia, quam defendit *Rosenthal. de feud. cap.* 9. *memb.* 2. *Concl.* 59. *et Pinell. in l.* 1. *C. de Bonis Mat. p.* 3. *num.* 52. praesertim cum illi, qui proprio Jure venit, Exceptio doli opponi possit, *leg.* 73.
7 *ff. de Evict. vid. Auct. in l.* 17. *ff. eod.* Illa certior declaratio hujus legis et Regulae, quando filius haeres non directo venit contra factum defuncti, ut in jure Retractus, quia haeres retrahendo non improbat alienationem, sed confirmat, et se tandem surrogari petit, nec haeres hoc casu de Evictione tenetur, quia res non avocatur ex vitio rei vel defectu juris venditoris, sed ex Statuto generaliter loquente, *Pinell. d. p.* 3. *num.* 99. *Hartman. Pistor. p.* 1. *q.* 5. *num.* 16. *Jo. Guttierez l.* 2. *Pract. Quaest. cap.* 119. *Du. Mevius ad Jus Lubec. lib.* 3. *tit.* 7. *art.* 2. *num.* 3. *Tiraq. de Retr. Consang.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 51. *et* 58. *Jo. Balth. tit.* 10. *Resol. Bavar. Resol.* 15. *num.* 5. nisi aliud scilicet conveniret, *Tiraq. d. l. num.* 51. *et Guttierez d. l. num.* 3. IV. Si factum defuncti sit contra leges, et sic quando est factum improbatum et alienatio prohibita, quia tunc ipse, qui fecit alienationem, impugnare potest, ergo etiam haeres, *DD.* multos citat *Barbos. hic num.* 11. *et* Conf. *Rosenth. d. l. num.* 11. *et seqq. Hartm. Pist. d. qu. num.* 43. ubi contra *Pinellum* hoc defendit. Ex hoc
8 textu nonnulli DD. concluserunt, obligationem defendendi, etiam in haeredibus esse dividuam; quam sententiam pluribus examinat *Molinaeus in tract. de Dividuo et Indiv. p.* 2. *num.* 479. *et seqq.* Demum si factum Patris est nullum ob defectum consensus filii, qui ad Substantiam negotii requiritur, filius potest contra factum Patris venire, *P. Barb. ad L. Lucius Titius.* 38. *num.* 18. *et seq. ff. solut. matrim.*

L. Quoties. 15.

SUMMARIA

In re duobus vendita ille potior est, cui tradita prius. num. 1.

Dummodo contractus ad transferendum dominium aptus. 2.

Casus exceptus prior. 3.

An privilegium hoc Ecclesiae competat, aut Civitati? 4.

Casus exceptus posterior. 5.

Limitatur varie. 6.

Quando quis rem duobus vendit, aut donat, 1
non ille potior est, cui res prius donata, sed cui prius tradita, licet nondum tradita Instrumenta, ratio in *l. traditionibus* 20. *supra de Pactis*, si modo contractus ad transferendum do- 2
minium aptus, et bona fides adsit, et ignorantia juris alieni potioris, et ut possessionem sine vitio adquisiverit, etc. ut requisita recenset *Du. Mevius p.* 6. *dec.* 153. Excipitur I. Si Ecclesiae 3
quid donatum, *l. fin. supra de SS. Eccles. Anton. Gabriel. l.* 3. *tit. de Empt. Concl.* 2. *num.* 2. *Covarr. l.* 21. *Resol. cap.* 19. *num.* 2. Idem 4
privilegium Civitati etiam putant competere, *Covarr. d. l. num.* 2. *Molina tr.* 2. *d.* 369. *num.* 7. *Joan. Balthas. tit.* 7. *Resol. Bavar. Res.* 6. qui cum Molina recte hoc declarat, in Ecclesia vendente id locum non habere, neque in personis Ecclesiasticis, sive Vendentibus sive Ementibus; plures citat *Cothman. vol.* 1. *Consil.* 30. *num.* 205. II. Si Princeps quid donet, qua 5
de re videatur *Gail. lib.* 2. *Obs.* 55. *Covarr. lib.* 2. *Resol.* 19. *num.* 3. *Hartm. Pistor. part.* 2. *quaest.* 29. *Gomez. tom.* 2. *Variar. Resol. cap.* 2. *num.* 70. *Klock. v.* 2. *Cons.* 21. *num.* 48. *Christinaeus vol.* 5. *decis.* 27. *num.* 1. *et seq.* Sed hoc limitandum videtur, nisi Princeps per mo- 6.
dum contractus, non Privilegii, alteri concedat, *Gail. d. Obs.* 55. *num.* 6. *Rosenthal. de feud. cap.* 6. *Concl.* 10. *num.* 7. Siquidem Princeps in contrahendo praesumitur Jure Communi uti, *Rosenthal. d. l.* Maxime vero prima concessio gratiosa praevalet, si Princeps etiam superiorem recognosceus in prima concessione dixerit, se nullum alium in ea re investiturum, *Klock. vol.* 2. *Cons.* 1. *num.* 223. Est et alia Limitatio hujus Regulae, si secundus scivit Jus ad rem, quod priori competebat, nam tunc actionem Revocatoriam priori competere plures tradunt, *Gail. d. l. num.* 11. *Molin. d. l. num.* 9. *Covarr. d. l. num.* 5. *Jo. Fr. Balthas. d. l. num.* 4. et hanc sententiam *Cam. Spirens.* secutam esse ex *Meichsnero tom.* 1. *decis.* 20. colligit *Klock. d. Cons.* 21. *num.* 53. *Thomas Michael inter consilia Klockii v.* 2. *cons.* 42. *num.* 93. *Rosenthal. d. cap.* 6. *concl.* 12. *num.* 7. *Caldas de Emptione cap.* 26. *num.* 3. *Klock. vol.* 2. *Cons.* 4. *num.* 2. 21. Alia limitatio est, si primo vendita res cum pacto de non alienanda re coustituta desuper hypotheca speciali, *per l. si creditor.* 7. §. *ult. ff. de Distract. pign. ibique Auctor, Guttierez in rep. l. nemo potest* 55. *ff. de leg.* 1. *num.* 40. *Tiraq. de Retractu Convent.* §. 3. *gl. un. num.* 4. *Covarr. l.* 2. *resol. c.* 19. *num.* 7. *Menoch. Cons.* 1153. *num.* 65. *Cephal. cons.* 147. *num.* 11. *et cons.* 658. *num.* 4. Alia est, si primo quid donetur cum constituto possessorio, ita ut donator dicat, se donatarii nomine in posterum possessurum, *Tiraq. de Constit. poss. p.* 1. *num.* 23. *Menoch. d. l. num.* 61. *et seqq. Cephal. d. Cons.* 147. *num.* 7. *Thesaurus p.* 4. *q.* 61. *num.* 3. *et* 4. *Riminaldus vol.* 3. *Cons.* 212. *num.* 137. In Conductione etiam locum non habere hanc legem putat *Cephal. Cons.* 718. *num.* 35. Plures Limitationes videantur apud dictos Auctores, et *Barbosam hic.*

L. Si in Area. 16.

SUMMARIA

Quod in communi solo aedificatur, commune efficitur. num. 1.
Ædificanti h. m. debent ab eo, qui vindicat, sumptus restitui. 2.
Ratio hujus. 3.
In quonam melior conditio ejus qui in communi fundo, quam qui in alieno, aedificat? 4.

1 Quod in communi solo aedificatur, commune efficitur, sed aedificanti pro parte sumptus de-
2 bent restitui ab eo, qui vindicat, ratio in §. 30.
3 *Inst. de P. D.* ex quo patet, meliorem conditio-
4 nem esse ejus, qui in communi fundo aedificat, quam ejus, qui in alieno aedificat, nam hic habet retentionem solam, non actionem, per *l. si in area* 33. *ff. de Condict. Indeb. ibique Auctor per tot. Barbos. in l. divort.* 8. §. *fin. Part.* 2. *n.* 10. *ff. solut. Matr.* licet rectius alii, remedium *leg. Si me et Titium* 32. *ff. de Reb. Cred. add. Auctor d. l.* concedant, sed hic datur Actio communi Dividundo etiam amissa possessione.

L. Si fundum. 17.

SUMMARIA

Denunciatio domini fundi, emptori facta, ne eum emat ab alio, qui distrahendi potestatem non habet, I. *constituit emptorem in mala fide. num.* 1.
II. *facit, ut teneatur ad fructus restituendos.* 2.
Ut haec protestatio sit legitima, requiritur I. *ut denuncians habeat jus in re.* 3.
II. *ut fiat ante contractum.* 4.
Denuncianti in dubio credendum est. 5.
Rationes cur denunciatio malam fidem inducat? 6. *et* 7.
Sufficit si denunciatio ad domum facta. 8.
Si tertius nomine alterius denunciet, mandato opus est. 9.
Dissentit Tiraquell. 10.

1 Si Dominus fundi denunciaverit Emptori, ne eum emat ab alio, eo quod non habeat potestatem distrahendi, haec denunciatio facit, ut
2 emptor constituatur in mala fide, et teneatur ad fructus restituendos; Fiet autem legitime
3 protestatio. I. Si protestans sive denuncians habeat Jus in re, *l.* 13. *C. de Rescind. vendit.* II. Si
4 fiat ante contractum, *l. pen. ff. pro Empt. Menoch. l.* 2. *A. Q. Cas.* 225. *num.* 5. *Prückm.*
5 *vol.* 1. *Cons.* 4. *num.* 215. et denuncianti in du-
6 bio credendum est. Cur autem denunciatio malam fidem inducat, est quod is, cui denunciatio facta, non possit ignorantiam allegare, nam denunciatio omnes ignorantiae effectus tollit,
7 *Guido Pancirollus Cons.* 16. *num.* 17. et in Dolo versatur, qui denunciationem factam spernit et contra eam denunciationem actum aliquem facit, *Masc. de Probat. Concl.* 531. *num.* 53. imo licet sciat sibi faciendam esse denunciationem,
8 *Masc. num.* 54. Et sufficit si denunciatio ad domum facta, quia scire is praesumitur, cui facta, *Vinc. Hondedaeus Cons.* 83. *num.* 28. *v.* 1. Conf. *Cravetta Cons.* 193. *num.* 2. *Menoch. d. cas.* 225. *num.* 5. Sed quid si tertius nomine 9
alterius denunciet? Equidem mandatum hic requirit, *Menoch. d. l.* Sed contra disputat *Tira-* 10
quell. de Retr. lign. §. 36. *gl.* 2. *num.* 6. *et seq.* licet ipse in hypothesi et casu statuto retractus *num.* 12. Mandatum requirat.

L. Re tua. 18.

SUMMARIA

Qui ex errore rem suam ab alio vel conduxit, vel in pignoris locum accepit, sibi non praejudicat. num. 1.
Rationes hujus assertionis. 2. *et* 3.
Limitationes rationis secundae. 4. *et* 5.
Qui ex errore fatetur, rem suam esse alienam, onus probandi contrarium per istam confessionem in se transfert. 6.

Locasti mihi vel oppignorasti rem meam, 1
ego errans excipio ex *l.* 20. *C. Locati*, aut ego patrocinor tibi, et rem meam ex errore tuam esse defendo per *l.* 54. *ff. h. t. ibique Auctor*
n. 1. non mihi praejudico. I. Quia Errantis non 2
est voluntas, *l.* 15. *ff. de Jurisdict.* II. Quia nuda voluntate non transfertur dominium, ideo e-
tiam qui (ob secundam rationem) sciens rem 3
suam alienam esse confirmat, sibi in dominio non praejudicat, quamvis in Querela Inofficiosi Testamenti secus sit, *l. fin. ff. de Inoff. Te-*
stam. ibique Auctor. num. 6. ubi sufficit, si quis 4
qualicunque modo Judicium defuncti approba-
verit; Sane si quis pergat ad actum ad domi- 5
nium transferendum, tunc sibi quis praejudi-
cat, qui vero saltem fatetur rem esse alterius, 6
non praejudicat sibi, ob dictam secundam rationem, sed onus probandi contrarium per istam confessionem in se transtulit.

L. Indicia certa. 19.

SUMMARIA

Dominii probatio difficilis. num. 1.
Probari potest dominium non tantum per instrumenta et testes, sed etiam indicia certa. 2.
Casus. 1. *n.* 3.
Casus 2. *ex l.* 20. *C. de Agric. et Cens.* 4.

Dominium quamvis difficilis sit probationis, 1
non tamen tantum per Instrumenta et Testes, 2
sed etiam indicia certa probari potest; v. g. Si 3
cum domino contraxi, et eo patiente aliquot annos in possessione fui, praesumitur enim tra-
ditio facta; aliud exemplum in *l.* 20. *C. de Agri-* 4
colis et Censitis, ubi si Colonus mihi pensionem solvit, praesumor Dominus. De quibus et aliis Praesumptionibus videndus *Mascard. vol.* 1. *de Probat. Concl.* 539. *et seqq. Menoch. l.* 6. *Praes.* 63. *per totum, et lib.* 2. *A. Q. cas.* 42. *Carpz. lib.* 1. *Resp.* 76.

L. Non servum. 20.

SUMMARIA

Non possum agere contra servum, qui rem meam possidet, sed contra ejus dominum. num. 1.
Ratio hujus. 2.

1 Contra Servum, licet rem meam detineat,
agere non possum, sed contra Dominum. Ra-
2 tio in promptu, quia Servus non habetur pro
Persona, nec stare potest in Judicio.

L. A possidentibus. 21.

SUMMARIA

Contra possessorem condemnatum, si nolit rem restituere, admittitur actor ad juramentum in litem. num. 1.
Ratio hujus. 2.
Æquitas suadet, ut hoc in casu juramentum in litem actori concedatur. 3.
Potest tamen etiam hoc casu actor petere, ut manu militari res auferatur. 4.
Ratio hujus. 5.
Impugnare eam tentat Anton. Fab. 6.
Defendit eam Hillig. *in* Donell. 7.

1 Possessor in hoc Judicio condemnatus si no-
lit rem restituere, admittitur Actor ad Jura-
2 mentum in litem, quia duo ad Juramentum in
litem hic requiruntur, I. Ex parte Actoris prae-
sumptum dominium: II. Ex parte Rei contumacia,
Wesenb. in π. tit. de jurando in litem num. 5.
Causa autem hujus Juramenti deferendi satis ae-
3 qua. Nam cum actor cogatur vendere invitus rem
contumaci et qui dolo non vult restituere rem,
merito indulgendum est affectioni domini, ut
is possit aestimare rem suam, qua aestimatur,
quanti res est, non aestimatione communi, sed
singulari jurantis, *Bacch. in Treutl. V.* 1. *Disp.*
21. *th.* 11. *Lit. B.* et facit huc *lib.* 5. *de in li-
tem jurando, quo loco add. Auctor num.* 7. *et*
4 *seqq.* quamvis etiam petere possit, ut manu mi-
litari res auferatur, *l. qui restituere* 68. *ff. h.*
5 *t. Conf. Auctor. num.* 1. quia *l.* 1. *C. de officio
Militarium judicum,* de executione sententiae
non loquitur, et licet hanc decisionem *l.* 68.
6 impugnare tentet *Ant. Faber*, defensam tamen
7 vide apud *Hillig. in Donnel. l.* 20. *c.* 6. *lit. G.
et Bacch. de Act. d.* 7. *th.* 11.

L. Certum. 22.

SUMMARIA

Malae fidei possessor restituit omnes fructus. num. 1.
Bonae fidei possessor restituit tantum extantes nondum consumptos. 2.
Limitatio. 3.
Resolutio dubii alicujus circa hanc assertionem. 4.
Frustra hic DD. inter naturales et industriales fructus discrimen faciunt. 5.
Responsio ad l. 45. ff. de usur. obstantem. 6.
Distinctionem fructuum naturalium et industrialium ad conjugum donationem tantum spectantem male DD. ad bonae fidei possessorem in genere accommodant. 7.
Bonae fidei possessor post lit. contest. etiam omnes fructus tenetur restituere. 8.
Ratio hujus. 9.
Ob solam litis contestationem quis in mala fide non constituitur. 10.
Restrictio l. hujus 22. et l. 23. §. 7. ff. de pet. haered. 11.
Alia responsio ad cit. ll. 12.
Fructus ex re perperam adjudicata, sed revocata usque ad lit. contest. percepti non restituuntur. 13.

Malae Fidei Possessor restituit omnes fructus, 1
scilicet deductis tantum impensis, quaerendo-
rum fructuum gratia factis, *l.* 7. *ff. Solut. Ma-
trim. add. Auctor,* naturales et industriales, con-
sumptos et extantes perceptos et percipiendos;
Bonae Fidei Possessor non restituit fructus per- 2
ceptos; sed saltem extantes, nondum consum-
ptos, tam industriales, quam naturales, quam- 3
vis interim tam naturales quam industriales ac-
quirat, sed revocabiliter per *l.* 48. *princ. ff. de* 4
Acquir. Rerum Dominio, et l. 28. *princ. ff. de
Usuris, add. Auctor*; ut ita frustra *DD.* inter 5
naturales et industriales hic discrimen faciant.
Nam quod attinet *l.* 45. *ff. de usuris*, ea lex 6
habet specialem rationem decisionis *in l.* 5. §.
16. *et l.* 16. *et seq. ff. de Donat. inter virum
et uxorem, vid. Auctor ad d. l. et in d. l.* 45.
Bonae fidei possessor cum marito comparatur
secundum quid, quod scilicet neuter fructus
naturales acquirat irrevocabiliter, quia tam na-
turales quam industriales bonae fidei possessori
acquiruntur per *l. bonae fidei.* 48. *ff. de Acquir.
Rerum Domin.* sed in *d. l. fructus.* 45. *ff. de
Usuris,* non simpliciter de Bonae fidei possesso-
re sermo est, sed de conjuge, cui res aliqua con-
tra prohibitionem legis a conjuge donata est,
ex qua, si fructus sua industria percepit conjux,
ob id donator non est redditus pauperior, sed
si fructus naturales percepisset, quos etiam
conjux donans percipere potuisset, tunc donans
redditus fuisset pauperior. Ergo Distinctionem 7
hic fructuum naturalium et industrialium ad
Conjugum donationem tantum spectantem male
DD. ad bonae fidei possessorem in genere ac-
commodant, qua de re copiose et erudite dis-
serit *Hartman. Pist. p.* 2. *q.* 26. Illud vero ex 8
hac lege notandum, quod etiam Bonae fidei
possessor post litem contestatam omnes fructus
teneatur restituere, quia scilicet eos fructus lite 9
jam contestata bene custodire debuit, nec te-
mere consumere. Nam alias durum, imo cum 10
Legibus pugnare videtur, ob solam contestatio-
nem litis me in mala fide constitui, cum pos-
sessor ob litem motam non teneatur jus suum
indefensum relinquere, *l. illud quoque* 10. *ff. de
Petit. Haered.* Et ipsa ratio communis dictitat,
propterea me non in mala fide constitui, quia
mihi lis movetur: nam ita omnes bonae Fidei
possessores possent in mala fide constitui. Ideo- 11
que nonnulli, quod de hoc litis contestatae ef-
fectu *hic et l.* 23. §. 7. *ff. de Pet. Haered.* ali-
bique habetur, ad eum casum restringunt,
quando talis litis contestatio facta, ut possit ma-

lam fidem inducere, *Garcias de Expens. et meliorat. cap.* 23. *num.* 44. *Hartm. Pistor. p.* 4.
12 *q.* 27. *num.* 7. *et seqq.* vel potest dici, fructus post litem contestatam restituendos esse; non quia mala fides inducta, sed quia ratione hujus effectus, quasi mala fides inducta videatur, licet potius ex quasi contractu, qui per litis contestationem inducitur, ad custodiam fructuum obligetur, *Vid. Hillig. in Donell. l.* 19. *c.* 14.
13 *lit. O.* Ex hac lege etiam probari potest fructus, ex re perperam adjudicata, sed revocata, usque ad litis contestationem perceptos, non restitui, *Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 113.

L. Si mancipium. 23.

SUMMARIA

Rem furtivam vindicans non tenetur offerre pretium, quod possessor dedit. num. 1.
Limitatio. I. 2.
Limitatio. II. 3.
Cautela observanda iis, qui res furtivas emunt. 4.
Limitationem II. *in dubium vocant* Alciat. Boss. *et* Pingiz. 4.
Sed frustra, quia cum grano salis accipienda. 5.
Quod capitur in bello legitimo, res furtiva dicenda non est. 6.

1 Rem aliquam furto subtractam vindicans, non tenetur offerre pretium, quod possessor dedit,
2 nisi pretium in illius utilitatem versum, *l.* 65. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 2. v. g. Si pecunia creditori actoris debita soluta sit ab emptore, facit *l. si pretium.* 19. *C. de Procurat. Virgil. Pingizer. Quaest. Saxon.* 49. *num.* 17. *Fa-*
3 *rin. de Furt. qu.* 177. *ult. num.* 44. Item regula limitatur, nisi quis rem furtivam emerit ea conditione, ut rem alias abducendam domino restituat, ut limitat *Bart. Socinus in Regula* 534. quod in bello hoc saepius factum memini; Et
4 hanc ceu cautelam commendat alicubi *Caepolla*, *et Jason. in d. l. Si pretium.* 19. *C. de pro-*
5 *cur.* Quamvis autem hanc sententiam post *Alciatum de Praesumpt. c.* 29. *num.* 2. *et Bossium in tr. de Furt. num.* 50. in dubium vocet *Pingizerus d. Q.* 49. *num.* 2. *et seqq. Farin. d. qu. num.* 43. ea tamen nostram limitationem non
6 feriunt. Nam si indistincte id tribueremus protestationi, tunc posset dici homines ita ad emendas res furtivas invitari, sed loquimur de eo casu, ubi res est longius abducenda, v. g. latrunculatores eas res furto abstulerunt, easque secum abducturi in eam provinciam, ubi nulla spes recuperationis, de quo casu hanc limitationem ipse concedit *Pingizerus*, *num.* 6. *et num.* 18. de hoste non est quod faciamus men-
7 tionem. Nam quibuscum legitimum bellum est, ii si capiant res nostras, legitimo habent titulo, et res hae furtivae dici non possunt, plura apud *Pingizerum d. l. et Farinac. d. q. part.* 3.

L. Nullo justo. 24.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio ejus. 2.
Rationes decidendi. 3. 4. 5. *et* 6.
Ex longi temporis possessione non praesumitur dominium. 7.
In praescriptione 10. *vel* 20. *annorum allegatio et probatio tituli est necessaria.* 8.
Quod secus est in praescriptione tricennali. 9.
Uti etiam in praescriptione rerum incorporalium. 10.

Titius per longum tempus in captivitate detentus erat, illius fundus interea sine justo titulo occupatus fuit, quem vindicat Titius vultque contra praescriptionem restitui, ex causa absentiae necessaria per *l. fin. C. quibus ex causis majores.* Sed Respondetur non opus esse rescissoria Actione, quod enim non est, rescindi nequit, *l.* 5. §. *fin. ff. de Inoffic. Test.* sed uti potest directa actione, quia sine titulo si non vero tamen praesumpto l. putatitio, nulla est Usucapio, *pr. Inst. de Usucap. ibique Auctor.* Sumitur enim hic titulus pro causa habili ad transferendum dominium, quae si res est alienantis, transferret dominium, *Covar. in c. Possessor. p.* 2. §. 5. *num.* 2. unde ex *hac l.* probare solent *DD.* ex longi temporis possessione non praesumi dominium, *Mascard. d. Concl.* 1220. *num.* 2. *Vasq. p.* 1. *Contr. l.* 2. *c.* 61. *Fachin. lib.* 8. *Controv. c.* 30. Et sic in praescriptione decem vel viginti annorum allegatio et probatio tituli erat necessaria, *Covar. in d.* §. 5. *num.* 1. Aliud autem in Praescriptione tricennali, de qua *Vasq. in part.* 1. *Contr. lib.* 2. *c.* 87. *Gilken. de Praescript. p.* 2. *membr.* 1. *c.* 11. Sic nec in Praescriptione rerum incorporalium, titulum requiri, tradunt per *l. si quis diuturno.* 10. *ff. Si servit. vind. Menoch. Rem.* 5. *retin. poss. num.* 45. *Caevall. in Spec.* 47. *Bacch. in Tr. V.* 1. *D.* 17. *th.* 9. *lit. B. Balbus p.* 2. *q.* 4. *princ. q.* 2.

(Right-margin numbers for this paragraph, top to bottom: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10)

L. Solemnibus. 25.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Negatur quaestio. 2.
Limitatur. 3.
Adducitur ratio decidendi. 4.
Effectus solutionis publicarum et solemnium pensionum vel tributorum pro alieno fundo. 5.
Extenditur hic ad Emphyteusin. 6.
Per solutionem talem neque Emphyteutae, neque Domino intervertitur dominium. 7.
Ratio decidendi. 8.
Quaest. an ex catastro, si ex eo probetur, me tributa pro domo solvisse, statim acquiratur dominium? 9.
Quaest. an praedium in catastrum relatum praesumatur esse de jurisdictione illius civitatis, cujus est catastrum? 10.

Solemnes et publicas Pensiones vel Tributa 1
solvisti pro meo fundo, *An propterea es Dominus?* Neg. propter *l.* 20. *C. de Pactis.* nisi 2
intervenerit Venditio, ubi patientia mea esset 3
loco traditionis, *l.* 19. *h. t.* quia non nisi traditio 4
nibus transferuntur dominia, sed tamen solutio 5
illa tributorum hactenus mihi prodest, ne res

illa cedat in commissum, et Fisco cedat, cum
6 alius pro alio solvere possit. Sicut etiam in Emphyteusi, si alius possideat et non ipse Emphyteuta, et alius, scilicet possessor Canonem solvat, propterea non ammittit Emphyteuta jus suum, licet ipse per triennium non solverit, *Bl. et Cast. et Everhardus in loco a feudo ad Emphyteut. num.* 41. *Berlich. p.* 2. *Concl.*
7 46. *num.* 18. Sed haec solutio neque Emphyteutae, neque Domino obest ad amittendum Do-
8 minium, quia certi sunt modi, quibus Dominia rerum acquiruntur et amittuntur, in quorum numero hic modus non continetur, si alius pro Domino pensiones solverit. Sed si fiscus ob cessationem domini illud praedium ceu caducum vendiderit, tunc alia ratio est. Tractare etiam hic solent *DD.* de Probatione jurisdictionis Territorialis: sed haec ad *hanc l.* proprie non per-
9 tinet. Diversissimae enim sunt Quaestiones, an ex catastro, si ex eo probetur me tributa pro domo solvisse, statim dominium adquisiverim, et
10 alia est, an praedium in catastrum relatum praesumatur esse de jurisdictione illius civitatis, cujus est Catastrum? de illa hic agitur, de hac vero agit *Hieron. de Monte in tr. de finibus Reg.* 61. *Masc. de probat. Concl.* 273. *per totum, Menoch. Cons.* 147. *num.* 49. *et seq.*

L. Morae. 26.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Ratio decidendi. 3.
Praescriptio 30. *annorum per solam denunciationem interrumpitur.* 4.
Ratio hujus additur. 5.
Decennalis per litis contestationem. 6.
Triennalis vero per sententiam. 7.

1 Possedisti novem annos cum dimidio fundum meum, quem vindico, post litem contestatam
2 comples decennium; Respondetur, post litem contestatam non currere Praescriptionem, quia
3 Praescriptio in praeteritum aestimatur. Intelligenda autem *haec lex* de decem annorum Prae-
4 scriptione; illa enim, quae triginta annorum est, per solam denunciationem interrumpi solet, *l.* 3. *C. de Praescript.* 30. *ann.* Est enim communiter recepta *DD.* sententia, quae ex parte ex *hac* etiam *l.* probari solet, quod Praescriptio odiosa seu in odium negligentiae introducta, per solam citationem vel denunciationem interrumpatur, *l.* 3. *et* 7. *C. de Praescript.*
6 30 *annorum.* Decennalis per litis contestationem, *hic. et l.* 2. *ac* 10. *C. de praescript. longi Temp.*
7 Triennalis vero per sententiam, *l.* 2. §. *fin. ff. pro Empt. ibique Auctor, Gail. lib.* 1. *Obs.* 74. *n.* 22 *Rauch. p.* 2. *q.* 28. *Berlich. p.* 2. *Concl.* 9. *num.* 23. et quos allegat *Barbos. hic.*

L. Servum. 27.

SUMMARIA

Ex solo titulo venditionis non acquiritur dominium. num. 1.
Ampliatur haec assertio. 2.
Solus titulus non transfert dominium, nisi accedat traditio. 3.

Ex solo titulo venditionis non acquiritur do- 1
minium, licet res vendita tempore contractus 2
fuerit praesens, sed requiritur traditio, sive vera sive ficta sit, ut §. 41. *et seq. Inst. de R. D.* Collige Solum Titulum non transferre domini- 3
um, nisi accedat traditio, quod etiam in *d. l.* 20. *C. de Pactis* habetur, de quo ibi satis dictum.

L. Res alienas. 28.

SUMMARIA

Actore non probante reus absolvitur. num. 1.
Ampliatio. 2.
Ratio hujus. 3.
Reus fundare se potest in jure tertii. 4.
Limitatio hujus assertionis. 5.
Rationes ejusdem. 6. 7.
Sententia, qua reus absolvitur propterea quod actor suam intentionem non probaverit, videtur mera interlocutoria. 8.

Actore non probante absolvitur Reus, licet 1
hic nullam possidendi causam habeat, neque 2
enim Actor se fundare potest in jure tertii, si 3
dicat Reum injuste possidere, quia fundus sit 4
Titii. E contrario Reus in hoc judicio fundare 5
se potest in jure tertii, quando per exceptionem juris tertii eliditur intentio actoris, seu quando jus tertii est exclusivum juris agentis, *Riminald. cons.* 112. *num.* 114. v. g. Si dicat Reus: tu nihil juris habes in re illa, ideoque 6
tibi nulla contra me Actio competit sed Titio, ut *argumento hujus l.* probant *Thesaurus Decis.* 4. *Surdus decis.* 141. *num.* 19. *Petrus Barbos. ad l. si alienam ff. Solut. Matrim. Hillig. in Donel. l.* 20. *c.* 7. Et ideo Reus Actori dicere 7
potest, quoad te liberas aedes possideo, ex *l. loci corpus.* 4. §. *penult. ff. Si Servit. vind.* de defectu enim juris agentium licite opponitur, cum hoc ipsum proprie non sit excipere, *Rota Genuensis in Mercaturae negot. dec.* 14. *num.* 55. *Casp. Klock. V.* 1. *Cons.* 29. *num.* 81. Licita enim est exceptio de non jure agentis, etiam si non constaret de jure suo, *Fr. Viv. dec.* 291. *num.* 2. *Klock. d. Cons. num.* 82.

Sed tamen quando Reus absolutus est propte- 8
rea quia Actor suam intentionem non probavit, haec sententia videtur mera Interlocutoria, et actor, non obstante rei judicatae auctoritate, denuo agere posset, nisi reus de jure suo docuerit, *argum. l. Si inter me* 15. *in fin. ff. de Exc. Rei jud c. Sardus Cons.* 149. *num.* 40. *Cravetta Cons.* 503. *num.* 7. *Menoch. Cons.* 795. *num.* 30. *Klock. V.* 1. *Cons.* 10. *num.* 107. *et V.* 2. *Cons.* 15. *num.* 35. *et Cons.* 98. *num.* 13.

TITULUS XXXIII.

De Usufructu et Habitatione et Ministerio Servorum.

L. Si Ususfructus. 1.

SUMMARIA

Ususfructus omnium bonorum est partim proprius, partim improprius. num. 1.
Utriusque nomine cautio est praestanda per fidejussores vel pignora. 2.
Cautio in usufructu proprio. 3.
Cautio in usufructu improprio. 4.
Quaest. An haec cautio a testatore remitti possit? Neg. 5.
Ratio negationis additur. 6.
Respondetur ad l. obstantem. 7.
Confectio inventarii simpliciter remitti non potest. 8.
Limitatur praecedens negatio. 9.
Vidua ratione dotalitii, quod ususfructus species est, ad cautionem quoque obligatur. 10.
Dissentiunt Rauch. Pruckm. Sim. Ulr. Pist. 11.
Qui tamen cum aliis conciliantur. 12.
Quaest. An non haeres cautionem talem remittere possit? Affirm. 13.
Ratio habetur in l. 71. ff. ad L. Falcid. 14.
Haeredi quandoque plus licet, quam defuncto. 15.

1 Ususfructus omnium bonorum est partim pro-
prius ratione eorum, quae usu non consumuntur,
partim improprius ratione eorum, quae consu-
muntur, ut olei, frumenti et similium; utrius-
2 que ratione praestanda est cautio per fidejusso-
3 res, vel pignora. In illo promittit usufructuarius,
se usurum boni viri arbitrio, et finito usufru-
4 ctu rem restituturum; sed in Improprio tan-
tum promittit, se tantundem restituturum. Sed
5 quaeritur hic, *An haec cautio a testatore remit-*
6 *ti possit?* Quod negatur, quia esset contra jus
pubblicum, et invitaretur usufructuarius ad de-
7 linquendum. Nec obstat *l. pen. infra, tit. Ut in pos-*
sessionem legatorum, quia ibi cautio in favorem
8 testatoris requiritur, unde nec confectio Inven-
tarii simpliciter remitti potest, *Jo. de Castillo*
in Tr. de usufruct. cap. 15. *num.* 17. *et seq.*
Gail. lib. 2. *obs.* 144. *num.* 16. *Bened. Carpz. p.*
9 3. *Jurispr. Const.* 13. *def.* 14. Secus tamen est,
si in ipso Testamento per contractus modum
(intellige in casu ubi contractus in testamento
fieri potest) remittatur, post *Alciatum et Simo-*
nem de Pratis, Castillo d. c. 15. *num.* 15. Et
10 vidua ratione Dotalitii, quod ususfructus species
est, ad cautionem hanc obligatur, *Wesenb. Cons.*
91. *num.* 15. *et seqq. Joan. Koeppen. dec.* 33.
num. 12. *Hartm. Pist. obs.* 2. *Carpz. p.* 2. *Ju-*
11 *rispr. Const.* 42. *def.* 7. licet negent *Rauch. p.*
1. *q.* 30. *Pruckman. V.* 1. *Conf.* 47. *num.* 125.
et Simon. Ulr. Pist. in addit. ad Hartm. Pist. d.
12 *l.* quorum sententia ratione consuetudinis potest
admitti, quae tamen consuetudo in terminis iis,
ubi dilapidatio metuitur, obtinere non praesumi-
13 tur. Sed, *An non haeres remittere possit?* quod com-
muniter affirmatur per *l.* 71. *ff. ad l. Falcid.* ubi 14
habetur, id quod in favorem haeredis dispositum,
ab eodem remitti posse et ita hic plus licet haere- 15
di, quam defuncto, *DD. hic, Castillo d. cap.* 15.
num. 14. *et Carpz. p.* 3. *Const.* 13. *def.* 12. *in*
pr. Guttierez ad l. nemo potest de Legat. 1. *num.*
280. *et seqq.* et quos *Barb. hic num.* 8.

L. Verbis. 2.

SUMMARIA

Proprietarius potest proprietatem fundi obligare alteri sine consensu usufructuarii. num. 1.
Limitatio. 2.
Ampliatio. 3.
Rationes decidendi. 4.
Usufructuarius contra non potest usumfructum suum alteri vendere inconsulto domino. 5.
Limitatio. 6.

Proprietarius potest proprietatem fundi alteri 1
obligare sine consensu Usufructuarii, modo hu- 2
jus conditio non reddatur deterior; imo et alie- 3
nare, quia proprietarius solam proprietatem o-
bligat, quisque autem rei suae moderator et ar- 4
biter est, ut usufructuarius id potest prohibere,
quod sibi non nocet, alteri prodest, *l.* 2. §. 5.
ff. de Aq. pluvia arcenda. Sed usufructuarius u- 5
sumfructum suum non potest alteri vendere in-
consulto Domino, ut ita durior sit hujus condi- 6
tio, quam proprietarii, nisi velit commoditatem
suam in alterum transferre ad vitam suam, ut
ita Emptor vel Locator loco Usufructuarii re u-
tatur, *l. arboribus* 12. §. 2. *et l.* 67. *ff. h. t.*
Molina de J. et J. tr. 2. *Disp.* 7. *num.* 19. *Car-*
pz. part. 2. *Jurispr. Const.* 42. *def.* 9. *Donell. lib.*
10. *c.* 8. *lit. G. et ibi Hillig.*

L. Si Patri. 3.

SUMMARIA

Modi, quibus tollitur ususfructus. num. 1.
Non tollitur morte proprietarii. 2.
Ratio hujus. 3.
Quaest. Quid si ususfructus ita relictus, ut post mortem legatarii ususfructus revertatur ad proximos testatoris cognatos, quonam tempore proximitas illa considerari debeat? 4.
Decisio habetur. 5.

Morte Usufructuarii, imo et capitis diminu- 1
tione media et maxima, tollitur ususfructus,
non vero morte proprietarii, quia ususfr. jus 2
personale, §. *finitur Inst. h. t.* ratione personae 3
utentis fruentis non proprietarii. Sed quid si u- 4
susfructus ita relictus, ut post mortem Legata-

rii ususfructus revertatur ad proximos testatoris cognatos, dubitari potest, quonam tempore proximitas ista considerari debeat, quoniam fieri potest, ut alia linea testatori propior sit, alia vero tempore eo, quo ususfructus cum proprietate consolidatur, et plerisque placuit, usum-
5 fructum ad eum reverti, qui proximus fuit tempore mortis testatoris, ad quem statim translata fuit proprietas, *Hartm. Pist. obs.* 75. *Dn. Carpz. p.* 3. *Const.* 13. *def.* 16. *et lib.* 6. *Resp.* 35.

L. Usufructu. 4.

SUMMARIA

Cautio usufructuarii in omni usufructu necessaria est. num. 1.
Si non potest satisdare propter paupertatem usufructuarius, ad juratoriam cautionem secundum communem DD. opinionem est admittendus. 2.
Limitatio hujus assertionis. 3.
Si usufructuarius est sublestae fidei, res usufructuaria sequestranda est, et a sequestro fructus usufructuario exhibendi et praebendi. 4.
A necessitate praestandae cautionis excipitur I. *Fiscus.* 5.
II. *Pater.* 6.
Usufructuarius non facit suos, sed tenetur restituere fructus, quos ante praestitam cautionem percepit. 7.
Limitatio hujus. 8.
Fundo tradito, nondum praestita cautione, non videtur remissa cautio. 9.

1 Cautio usufructuarii, de qua ad *l.* 1. in omni usufructu necessaria est, sive in Testamento, sive inter vivos constituatur, sed quid *si non*
2 *possit satisdare propter paupertatem?* Respondetur communiter, juratoriae Cautioni eum com-
3 mittendum esse, nisi alias suspectus sit, *Wesenbec. in* ϖ. *tit. usufruct. quemadmodum caveat*
4 *num.* 3. Quo casu si usufructuarius sublestae fidei sit, volunt rem, cujus ususfructus debetur, sequestrandam esse, et a sequestro fructus usufructuario exhibendos et praebendos, ut ita utriusque securitati consulatur, *Gail. lib.* 2. *obs.* 47. *Myns. cent.* 6. *obs.* 48. *Surdus dec.* 141. *Donell. l.* 10. *c.* 13. *Sich. et DD. ad hanc l.* 4.
5 *Fachin. l.* 8. *c.* 40. Sed a necessitate praestandae Cautionis excipitur et ita a *lege* etiam *hac* Fiscus, *l.* 1. §. 18. *ff. ut Legat.* Quia Fiscus semper solvendo esse praesumitur. Excipitur e-
6 tiam Pater, qui non oneratur cautione, *l. ult.*
7 *C. de bonis quae liberis.* Usufructuarius autem si nondum praestita cautione utatur, fruatur,
8 fructus restituit, nec facit suos, si scilicet malitiose distulit cautionem, et cautio sit petita, quae communis est *Gl. et DD.* sententia juxta *Hieron. de Cacvallos in spec. q.* 408. *Tuschum*
9 *Concl.* 306. *lit. U.* et ideo si fundus traditus, nondum praestita cautione, non ideo remissa cautio, *l. etsi ususfr.* 7. *ff. usufruct. quemadm. cav. ibique Auctor num.* 1. *et seqq.*

L. Si Pater. 5.

SUMMARIA

Ususfructus etiam concisus constitui potest. num. 1.
Termino lapso si pergit usufructuarius fructus percipere, mala fide percipit. 2.
Ratio hujus 3.
Adeoque tenetur ad eorundem restitutionem. 4.
Usufructuarius fructus a solo separatos et perceptos ad haeredes suos transmittit. 5.
Ampliatio. I. 6.
Ampliatio II. 7.
Fructus vero adhuc pendentes, licet maturi sint, ad proprietarium pertinent. 8.
Limitatio. 9.
Fructus civiles e. g. annua pensio, etiamsi nondum sit soluta, tota ad fructuarium pertinet. 10.
Ratio hujus assertionis. 11.
Limitatio. 12.

Ususfructus non tantum ad tempus vitae, sed 1
etiam concisus constitui potest, v. g. dum liberi adoleverint, et tunc termino lapso, si pergat 2
fructus percipere, usufructuarius mala fide percipit, *argum. l.* 33. *ff. de Rei Vind. add. Auctor. num.* 1. nam sciens eos de alieno percipit. 3
Collige: Usufructuarium, quando finito tempore 4
ususfructus, possidet rem, et fructus percipit, eos mala fide acquirere et teneri ad restitutionem. Sed quos usufructuarius bona fide perce- 5
pit, h. e. a solo separavit, vel alius ejus nomine, 6
eorum ipse sit Dominus eosque ad haeredes suos transmittit, *l.* 13. *ff. Quib. mod. ususfr. amit. ibique Auctor num.* 1. etiamsi nondum sint 7
reconditi, *Tiraq. de Retr. Convent.* §. 5. *gl.* 4. *num.* 1. Sed si nondum percepit fructus, sed 8
pendeant adhuc, licet maturi sint, ad proprietarium pertinent, ut tamen culturae impensae, 9
si quas fecit usufructuarius, ejus haeredibus restituantur, *argum. l.* 51. *ff. Famil. Hercisc. Bald. hic, Castillo de usufructu c.* 77. *num.* 5. *et seq.* Sed quid in fructibus Civilibus, v. g. locavit 10
fructuarius commoditatem sui juris Titio, hic fructus collegit, sed pensionem nondum solvit; et respondetur pensionem totam fructuarii esse 11
quod etiam ex dictis patet, quia Conductor nomine fructuarii fructus collegit, ergo ipse fructuarius percepisse videtur. Et hoc ita, si fructus 12
fundi semel colliguntur per annum, ut in praedio rustico; sed aliud in usufructu aedium, quarum fructus tantum est in continuo usu aedium, et ideo pensio nondum soluta pro rata temporis debetur quo stetit ususfructus et hic, in *l.* 26. *et* 58. *ff. h. t.* vid. *Don. et ibi Hillig. lib.* 20. *cap.* 9. *lit. C. Castillo d. c.* 77. *num.* 20. *et seqq. Bacch. ad Treutl. V.* 1. *Disp.* 16. *th.* 8. *lit. D.*

L. Interest. 6.

SUMMARIA

Maritus non potest usumfructum in dotem acceptum pignori dare. num. 1.
Potest tamen fructus oppignorare vel obligare. 2.
Si proprietas fundi in dotem data, et quidem aestimato potest obligare fundum. 3.
Ratio hujus. 1. *et* 5.
Sin vero non aestimato, potest quidem dare pignori, sed jus pignoris, resoluto jure oppignorantis, resolvitur. 6.

Ipsa ususfructus commoditas et oppignorari et vendi potest. 7.
Limitatio. 8.
Quaest. An fundus, si aestimato quidem in dotem datus, sub hac tamen conditione, ut fundi ipsius possessio restitueretur, vendi possit? Neg. 9.
Ratio negationis. 10.
Genuinus legis sensus. 11.

1 Maritus, qui recipit usumfructum in dotem, non potest pignori dare usumfructum ipsum
2 quamvis fructus ipsos pignori dare vel obligare
3 possit, *arg. l. fin. ff. de Usuris.* Sed si proprietas fundi data in dotem, et quidem aestimato,
4 potest obligare fundum, quia aestimatio facit venditionem, *l. plerumque* 10. *ff. de jure Dot.*
5 Et in arbitrio mariti est, utrum fundi proprietatem, an aestimationem restituere malit, *d. l.*
6 *plerumque* 10. *§. fin.* Sed si non aestimato accepit, potest dare pignori, sed jus pignoris, resoluto jure oppignorantis, resolvitur per *l. lex vectigali* 31. *ff. de Pignor. ibique Auctor.* Unde colligitur a contrario sensu in vers. *nam Usu-*
7 *fructuarius etc.* ipsam ususfructus commoditatem oppignorari posse, cum et vendi possit, *Neguzant. de Pign. p.* 2. *memb.* 3. *num.* 9. *et seqq. Don. l.* 10. *cap.* 8. *lit. H. Et ibi Hillig.*
8 *Castillo c.* 70. *num.* 6. *et seqq.* Sed, ut dixi, resolvitur hoc jus pignoris finito usufructu. Sed
9 quid de eo casu, quando quidem fundus in dotem datus, sed aestimatus, hac tamen sub conditione, ut fundi ipsius possessio restitueretur, quem casum proponere videtur Imp. *in princip.*
10 *legis.* Sed potest responderi, hunc fundum ven-
11 di non posse, quia aestimatio hic non facit venditionem, sed ideo videtur tantum facta, ut sciretur quantitas dotis promissae, ut si quando fundus alienatus esset, aestimatio iniri possit, non vero hoc agatur, ut ob hanc ipsam aestimationem liceret vendere, *l. cum post* 69. *§. antepen. ff. de jure Dot.* Et ideo casu proposito implicite videtur respondisse Imp. mente *Petri Barb. in l. aestimatis* 51. *num.* 29. *et seq. ff. Sol. Matr.* quem hic allegat *August. Barb.* Erit
12 igitur hic sensus legis: Distinguendi sunt duo casus, an ususfructus fundi marito sit in dotem datus, an vero proprietas; illo casu fundum alienari non posse, hoc casu posse, si scil. aestimato datus sit, sed si inaestimato datus in dotem aut aestimato quidem sed non hoc fine, ut venditio fieret, sed ut ipse fundus restitueretur, ratione vero culpae in omnem eventum facta esset aestimatio, hoc casu non esse licitam alienationem, ex Regula communi, quae impedit alienationem.

L. Eum ad quem. 7.

SUMMARIA

Usufructuarius tenetur quidem res proprietario sartam tectam conservare. num. 1.
Potest tamen magnos sumptos in rem usufructuariam factos repetere. 2.
Quinam sint magni sumptus, judici aestimandum relinquitur. 3.
Impensae, quae fructuum colligendorum gratia fiunt, regulariter usufructuario ferendae. 4.
Fructus non intelliguntur nisi deductis expensis. 5.
Omnes meliorationes usufructuarius potest repetere. 6.
Si fructuarius velit fundum deserere, nec ad modicas expensas tenetur. 7.
Limitatio. 8.
Collectae et tributa sunt onera fructuum. 9.
Et propterea etiam eorum solutio ad fructuarium pertinet. 10.
Limitatio. 11.

Usufructuarius tenetur rem proprietario sartam 1
tectam conservare, si autem plus impenderit, 2
quam forte tenebatur impendere, illud a proprietario repetet; qui autem sint magni sumptus, 3
in arbitrio judicis consistit. Judex enim considerabit quantitatem fructuum et respectu horum sumptus magni vel mediocres dicentur.
Sed regulariter illae impensae, quae fructuum 4
colligendorum gratia fiunt, usufructuario ferendae per *l. fin. ff. de impensis in re dotali factis,* cum alias fructus non intelligantur, nisi 5
deductis expensis, *l. fructus* 7. *ibique Auctor, l. divortio* 8. *ff. Sol. Mat. Pist. p.* 1. *q.* 46. *num.* 25. *et seq.* v. g. si reficienda, quae vetustate collapsa sunt, hos sumptus usufructuarius repetit, *l.* 7. *§.* 2. *ff. h. t. add. Auct. n.* 5. *Gomez. T.* 2. *Resol. cap.* 15. *num.* 7. *Castillo cap.* 56. *num.* 3. *et seqq. Carpz. p.* 3. *Const.* 31. *Def.* 9. Sicut et omnes meliorationes. Sed si vellet 6
fundum deferre, nec ad modicas expensas te- 7
neretur fructuarius, *l.* 46. *ff. h. t.* nisi per cul- 8
pam fructuarii damnum datum sit, *l.* 64. *et seq h. t. conf. Auct.* Quia autem Collectae et Tribu- 9
ta sunt onera fructuum, fructus autem percipit fructuarius, ad hunc igitur etiam tributo- 10
rum et collectarum solutio pertinebit, quod tamen limitandum, nisi fructus supereutur ab o- 11
neribus, ut hodie interdum fieri solet, vid. *Dn. Carpz. lib.* 1. *Resp.* 105. *Christoph. Phil. Richt. Decis.* 2. *Franc. Barry in tr. de success. lib.* 9. *tit.* 24. *num.* 38. et quos hic allegat *Barbos. num.* 7.

L. Neque fructuarium. 8.

SUMMARIA

Nec fructuarius, nec ejus haeres rem usufructuariam usucapere possunt. num. 1.
Rationes decidendi habentur. 2. 3.
Triginta annis sicuti omni actioni, ita quoque dominio directo praescribitur. 4.

Nec fructuarius, nec ejus haeres rem, cujus 1
habent usumfructum, usucapere possunt, quia
Naturaliter tantum possident, non Civiliter, *l.* 2
12. *pr. et l.* 49. *pr. ff. de Acquir. Possess.* Nec ha- 3
bet justum titulum ad transferendum dominium habilem, ob quam secundam rationem non usucapiet successor, etsi animo dominii sibi possideat. Cum enim defunctus nullum habuerit 4
titulum, nec successor ejus titulum habere poterit, sed triginta annis omni actioni, et ita etiam dominio directo praescribitur, *tit. C. de Praescript.* 30. *Annorum.*

L. Usufructu matri. 9.

SUMMARIA

Cui relictus est ususfructus, vel operae, sive ministerium servorum, vel habitatio, non potest rem alienare, nec servum manumittere, nec habitationem legare. num. 1.
Ratio horum omnium habetur. 2.
Quaest. Quomodo ususfructus locari, vendi etc. possit et non possit? 3.
Expeditur quaestio per distinctionem inter ipsum usumfructum et ejus commoditatem. 4.
Haec distinctio uberius dilucidatur. 5.

1 Cui relictus est ususfructus vel operae, sive ministerium servorum, vel habitatio, non potest rem alienare, nec servum manumittere,
2 nec habitationem legare. Ratio horum omnium est: quia sunt jura personalia quae in alium transferri non possunt, et nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet: jam Usufructuarius, vel is, cui operae legatae sunt, aut qui habitationem habet, rem illam in dominio non habet, ergo et per consequens dominus proprietatis talem servum manumissum vel rem alienatam vindicare potest
3 a tertio, per *l.* 11. *h. t.* Tractat hic *Barbosa* illam materiam, quomodo ususfructus locari, vendi etc. possit et non possit; sed res est clara,
4 si distinguamus inter ipsum Usumfructum et ejus Commoditatem, seu planius: possum ego
5 fructuarius usumfructum ita vendere, ut meo loco, meo nomine quamdiu vivo, fructus colligat, et sibi retineat; sed non possum abdicare usumfructum meum meis ossibus inhaerentem, et in alterum ita transferre, ut ille suo jure, et quamdiu ille vivit, fructus percipiat. Conferantur praeter *DD.* quos. *August. Barb.* allegat *Carpz. p.* 2. *Const.* 42. *def.* 6. *Bacch. in Tr. Vol.* 1. *D.* 16. *th.* 10. *lit. A. et Donell. lib.* 10. *c.* 8. *lit. G. Klock. Cons.* 35. *num.* 227. *et seq. vol.* 1. *et alii DD. Castillo de usufr. c.* 69. *num.* 16.

L. Si Domina. 10.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans: an morte conductoris finiatur locatio. 2.
Ratio dubitandi adducitur. 3.
Affirmatur quaestio. 4.
Ratio decidendi habetur. 5.
Veterum interpretum interpretatio, summa, atque correctio legis. h. 6.
Quae tamen notatur ab Auctore. 7.
Petri Barbosae *sententia super hac lege adducitur.* 8.
Specialis casus hujus legis notatur. 9.
Et specialitatis ratio adducitur. 10.

1 Domina proprietatis alicui solum usumfructum
2 locavit, Quaeritur: *An morte conductoris finiatur*
3 *locatio?* Videtur quod non *ob l.* 10. *C. Locati.*
4 *et l.* 18. *in fine C. de jure Dotium.* Sed Affirmatur, quia haec est natura ususfructus, §. *finitur. Inst. de usufr.* Et aliud est Locatio ipsius 5
rei sive proprietatis, quae morte conductoris non finitur, et aliud Locatio ususfructus; si tamen usufructuarius locet usumfructum, morte locantis finitur ususfructus, non morte Conductoris, *ut in d. l.* 18. Nonnulli quidem ve- 6
terum interpretum *hanc legem* de morte locatricis intelligunt, dum ita summant: morte Domini non finitur locatus ususfructus, ideoque pro verbo, *locavit*, legendum esset, *conduxit*, et pro nomine *conductricis* esse ponendum *locatricis*, et loco verborum, *Uxori tuae*, legendum esset *ab uxore tua.* Ex quo aperte appa- 7
ret, hunc intellectum vim inferre textui, ut mirer eum *Augustino Barbosae* placere potuisse. Allegat quidem *Petrum Barb. in l. divortio* 8
8. *pr. parte* 2. *num.* 34. *et in l. usufructu num.* 7. *ff. Sol Matrim.* sed utroque loco *Petrus Barbosa* sequitur illum intellectum, quod, quando proprietarius locat usumfructum proprium alteri, morte conductoris extinguatur locatio, neque transeat ad haeredes. Et ita habemus textum 9
singularem, quod conductio non transeat in haeredem, ut notat *Cremen. Singul.* 171. *Petrus Ravenn. Singul.* 375. Causa etiam manifesta est, quia 10
Proprietaria jus ususfructus ipsum, non vero commoditatem in conductricem contulerat, sed Usufructus morte usufructuarii expirat, sicut et ita *hanc legem* intelligit *Hillig. in Don. lib.* 10. *c.* 5. *Lit. C.*

L. Habitatio. 11.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans negatur, addita statim ratione. 2.
Nullam haec lex videtur habere dubitandi rationem. 3.

Erat alicui Habitatio relicta, legaverat ille al- 1
teri post mortem suam habitationem: Quaeritur, an recte? Resp. quod non; nam non potuit 2
is, qui tantum servitutem habitationis habet, alii relinquere, quia jus illud morte finitur, et ideo domino aedium datur vindicatio. Vix 3
habere videtur haec lex rationem dubitandi.

L. Ambiguitatem. 12.

SUMMARIA

Sunt duo casus hujus leg. num. 1.
Primus casus habetur. 2.
Ratio dubitandi circa eum. 3.
Deciditur addita ratione. 4.
Sensus talis legati: Relinquo tibi usumfructum quousque Titius ad pubertatem pervenerit. 5.
Secundus casus. 6. *Quaest. inde resultans.* 7.
Ratio dubitandi. 8.
Affirmatur quaestio. 9.
Ratio decidendi additur. 10.
Interdum adversam fortunam durare praesumitur in favorem tertii. 11.
Casus novus adducitur et deciditur. 12.

1 Sunt duo casus: I. Relinquo tibi usumfructum,
quousque Titius ad pubertatem pervenerit, si
2 autem Titius interim moriatur, nec ita perve-
nerit ad pubertatem, Quaeritur: *An extingua-*
3 *tur Ususfructus?* Videtur quod sic, ob *l.* 16. *ff.*
de Manumiss. Testam. et l. si cui legetur. 49.
4 *princ. ff. de legat.* 2. Sed negatur, quia hic non
sub conditione relictus est, sed pure; Resolutio
enim ususfructus tantum sub Conditione ordi-
nata hoc sensu: Relinquo tibi usumfructum pu-
5 re, sed simul ac Titius pubertatem nactus fue-
rit, finietur ususfructus; ubi pubertas Titii non
suspendit usumfructum, sed finit, et Testator
non praecise ad vitam Titii, sed ad numerum
annorum respexit. Non vero dubium est, quin
fructuarius eo tempore, quo Titius si vixisset,
ad pubertatem venisset, cedere debeat usum-
fructum tempore finitum, *Cavalcanus de usu-
fruct. mulieri relicto num.* 137. *Lud. Rom. sing.*
147. ubi plus quam quinquies se ita consuluisse
6 dicit. II. Casus est in versiculo: *sin autem ta-
lis*; Relinquo tibi usumfructum, donec Titius
ad sanam mentem revertatur; sed Titius in fu-
7 rore moritur: Quaeritur, *An continuetur usus-*
8 *fructus?* Videtur quod non, quia adversus ca-
sus spectandus vel sperandus non est, *l. inter
stipulantem.* 83. §. 5. *versic. et casum. ff. de V.*
9 *Obl.* Sed respondetur quod sic, quia cum Titius
10 usque ad mortem in furore perseveraverit,
praesumitur Titius in eo furore duraturus fuis-
se, si diutius vixisset; Et ad vitam tibi ususfru-
11 ctus relinquendus est. Nota bene; Interdum ad-
versam fortunam durare praesumi in favorem
12 tertii. Sed quid si reliquerim Cajo usumfructum
ad decem annos et postea Titio, Cajus autem
ante lapsum decem annorum moritur, an sta-
tim succedit Titius? Hoc affirmant multi, quia
dispositio illa loquitur de eo casu, quando Ca-
jus decem annos vivit, sed de eo casu, si in-
terea moriatur, non loquitur; ergo is casus re-
linquendus est dispositioni Juris Communis *in
l. a filia* 62. §. 1. *ff. ad SCtum Trebell. ibique
Auctor. num.* 2. *Castr. hic num.* 4.

L. Cum Antiquitas. 13.

SUMMARIA

Concesso usu aedium ad necessitatem tantum uti potest aedibus usuarius, non vero locare usum. num. 1.

Concesso vero usufructu aedium, omnis utilitas atque adeo locandi potestas competit. 2.

Habitatio in effectu cum usufructu coincidit. 3.

Differentia inter usumfructum et habitationem. 4.

Quandoque ex verbis et conjecturis apparet, per habitationem non servitutem, sed plenum dominium intelligi. 5.

Quod tamen secus est, si habitationem domus meae legaverim. 6.

Ratio hujus assertionis. 7.

Limitatio 8.

Donellus notatur. 9.

Hilligeri contra sententia, qua statuitur, duos in h. l. contineri casus diversos, approbatur. 10.

Plus est in legato, quando ususfructus habitationis legatur: minus vero, quando habitatio simpliciter legatur. 11.

Moribus nostris et idiomate Germanico vox habitationis communissime pro ipso dominio sumitur. 12.

Extenditur l. ad omnes modos, quibus constitui potest habitatio. 13.

Diversa lectio adducitur. 14.

Posterior tanquam commodior approbatur. 15.

Dominus aedium potest alteri relinquere usum 1
aedium, ubi alter aedibus ad necessitatem tan-
tum uti potest, non vero locare usum, vel Do-
minus aedium relinquit usumfructum, ubi usu- 2
fructuarius habet omnem utilitatem et potesta-
tem locandi, *Castillo de ususfr. c,* 73. *num.* 26.
et 28. vel relinquit habitationem, et haec in 3
effectu cum usufructu coincidit, nisi quod hic 4
morte et capitis diminutione, habitatio vero so-
la morte finiatur. Sed interdum ex verbis et 5
conjecturis apparet, per habitationem non ser-
vitutem, sed plenum dominium intelligi, secus 6
si habitationem domus meae legavi, ubi servi-
tus tantum est; ratio horum *in* §. 2. *et* 5. *Inst.* 7
de Usu et Habitatione. Sed si domus ad habi- 8
tandum legetur, plena proprietas intelligitur le-
gata, *Mantica de Conject. ult. vol.* 9. *tit.*
4. *num.* 9. *Castillo de Usufr. cap.* 28. *num.* 20.
Quamvis autem ex *hac l.* colligat *Donell. lib.* 9
10. *cap.* 21. *lit. A.* Habitationem esse pro usu-
fructu, et ita unum et idem esse, licet jure
Digestorum diversa essent, merito tamen ab
ejus sententia recedit *Hillig. d. cap. lit. A.* qui 10
recte statuit in hac lege diversos proponi casus:
I. Quando habitatio simpliciter legatur, ubi hoc 11
tantum deciditur, non usumfructum censeri
relictum, sed locationis licentiam competere
fructuario. II. Quando ususfructus habitationis
legatus, hoc casu verus ususfructus est consti-
tutus et quidem moribus nostris, et idiomate 12
germanico vox habitationis communissime su-
mitur pro ipso dominio, (*meine Wohnung, in
der oder jener Strassen.*) Quamvis autem de 13
habitatione legata lex loquatur, procul dubio
tamen *haec lex* de omnibus modis, quibus con- 14
stitui potest Habitatio per ultima verba, ibi
omnibus locis, seu ut alia exemplaria teste *Ac-
cursio* habent, *omnibus modis,* quae lectio com-
modior, cum de locis non possit esse dubitatio, 15
sed de modis, *Don. d. c.* 21. *in pr.*

L. Antiquitas. 14.

SUMMARIA

Casus legis num. 1.

Quaestio inde resultans negatur. 2. *Ratio decidendi.* 3.

Appellatio haeredis relata ad id, quod de sua natura ad haeredem non transit, primum tantum haeredem complectitur. 4.

Secus est, si res de sua natura ad haeredem transeat. 5.

Nulla videtur esse difficultas in ratione decidendi. 6.

Legavi proprietatem fundi Cajo, sed usum- 1
fructum Titio et ejus haeredibus, Quaeritur:
An ususfructus transeat in infinitum in omnes 2
successores? Negatur, sed transit tantum ad
haeredes primos, ne proprietas nuda domi- 3
no sit inutilis: Nota bene: Appellationem Haere- 4
dis relatam ad id, quod de sua natura ad hae-

redem non transit, primum tantum haeredem
5 complecti, secus, si res de sua natura ad haeredem transeat, *Tiraq. in Tr. le mort saisit le vif p.* 4. *decl.* 4. *num.* 2. *et de Retr. Convent.* §. 1. *gl.* 6. *num.* 12. *Guttierez de juram. confirm. p.* 1. *c.* 43. *num.* 8. 9. *Mantica l.* 8. *de Conject. cap.* 11. *num.* 21. *Castillo de usufr. c.* 61. *num.* 26. *et seqq.* et quos allegat *Barbos. hic*, quibus adde *Goedd. in l.* 65. *de V. S. num.* 7. *Don. et Hillig. lib.* 10. *c.*
6 17. *lit. C.* Et sic nullam video difficultatem in ratione decidendi, de qua plura *allegat Barb. d. l.*

L. Inter Antiquam. 15.

SUMMARIA

Ususfructus per servum Domino acquisitus non transit pro parte, quamvis pro parte dimidia servus alienetur. num. 1.
Ratio hujus. 2.
Extensio ad monachum de uno monasterio in aliud transeuntem. 3.

1 Si per servum ususfructus domino acquiratur, et servus pro parte dimidia alienetur, non tamen
2 transit ususfructus pro parte, quia sufficit quod semel totus fuerit domino acquisitus. Colligunt
3 inde *DD.* licet Monachus de uno Monasterio transeat in aliud, non tamen secum transferre, quae priori semel acquisivit.

L. Corruptionem. 16.

SUMMARIA

Lex haec tria constituit, quibus jus antiquum aut corrigitur, aut certe declaratur. num. 1.
I. Olim ususfructus amittebatur per non usum anno vel biennio. 2.
Hodie non nisi decem annis inter praesentes, et 20. *inter absentes.* 3.
Quod locum quoque habet in rebus mobilibus. 4.
Dubium movetur ex ipsa l. num. 5.
Resolvitur. 6.
II. Tam actio personalis quam realis, ad constituendum usumfructum competens decem annis praescribitur. 7.
Ratio dubitandi et decidendi. 8.
Distinctio DD. inter primaevam seu primordialem actionem personalem, quae pro constituendo usufructu competit, et inter eam, quae sequitur usumfructum constitutum, notatur. 9.
Verbis legis magis amica interpretatio adducitur. 10.
III. Olim etiam per minimam capitis diminutionem ususfructus tollebatur. 11.
Contra lex h. statuit, ut tantum media vel maxima tollatur. 12.

1 *Lex haec* tria constituit, quibus jus antiquum aut corrigitur, aut certe declaratur. Nam I.
2 olim ususfructus amittebatur per non usum anno
3 vel biennio, hodie non nisi decem annis inter praesentes, et viginti inter absentes, etiam in re-
4 bus mobilibus, per *l. pen. tit. seq.* Per non
5 usum amittitur: quamvis enim Imp. hic dicat, tanti temporis spatio amitti usumfructum, quanti temporis Exceptio dominium vindicanti obstaret; vindicanti autem rem mobilem obstat exceptio triennii; quia tamen Imper. hic non 6
subjectum, sed ipsum usumfructum considerat, et pro re immobili habet, et distinctionem inter praesentem et absentem allegat, quae in Praescriptione triennali non consideratur, ideo de longi temporis praescriptione indistincte hanc legem intelligit *Gl. Salyc. et Bacch. in Tr. Vol.* 1. *Disp.* 26. *th.* 14. *lit. H.* II. Non tantum Actio 7
Realis, sed etiam Personalis, ad constituendum usumfructum competens, decem annis praescribitur, quod hic singulare favore libertatis; nam 8
alias actio personalis tantum triginta annis praescribitur, et licet non sit segnis actor in utendo, tamen est segnis in petendo, *Castillo de Usufr. cap.* 76. *num.* 5. Quamvis enim *DD.* so- 9
leant in hac materia distinguere inter primaevam seu primordialem actionem personalem, quae pro constituendo usufructu competit, et inter eam, quae sequitur usumfructum constitutum, quorum sententiam refert *Jo. del Castillo de usufr. cap.* 67. *num.* 6. videtur tamen sententia a simplicitate textus paulo alienior, et verbis magis amica ea interpretatio, 10
quae primordialem pro constituendo usufructu competentem actionem longi temporis praescriptioni subjicit, quam sententiam *d. l. num.* 7. *et seq.* pluribus comprobat *Castillo. Perez. hic num.* 24. III. Olim etiam per minimam capitis 11
diminutionem, v. g. Emancipationem vel Adoptionem, tollebatur ususfructus, sed *haec lex* constituit, ut tantum media vel maxima capi- 12
tis diminutione tollatur, *Molin. de J. et J. Tr.* 2. *Disp.* 9. *num.* 2. et 3. *Castillo d. Tr. c* 66.

L. Ex libris. ult.

SUMMARIA

Ususfructus relictus filiofamil. vel servo, non extinguitur, neque media, neque maxima capitis diminutione, neque morte filii, aut servi. num. 1.
Ratio hujus assertionis. 2.
Ampliatio. 3.
Ampliationis ratio. 4.
Obstat l. cum oportet D. de bon. quae lib. 5.
Responsio ad eam datur. 6.
Legatum filiofamilias in potestate existenti relictum ejus contemplatione, non patris, videtur relictum. 7.
Acquiritur tamen nihilominus per filium patri verus ususfructus, secundum Castil. 8.
Dissentit Glos. 9.
Quaer. an pater in feudo filii habeat usumfructum. 10.
Affirmant quaestionem Schard. et Bacchov. 11.
Rectius contra negant Wesenb. et Vult. 12.
Ratio negationis. 13.
Feuda dantur propter servitia a persona praestanda. 14.

Si ususfructus sit relictus filiofamilias vel servo, 1
non extinguitur neque media neque maxima capitis diminutione, neque morte filii aut servi;
quia in dubio, in favorem patris vel domini re- 2
lictus videtur, quando vero praemoritur Pater 3

4 aut capite diminuitur, nec sic extinguitur U-
susfructus, vel duae servitutes videntur relictae,
patris et filii. Vide *Donellum l.* 10. *c.* 17. Neque
5 huic legi derogat *l. cum oportet. C. de Bonis*
6 *quae Liberis*, cum haec praesens sit una ex 50.
Decisionibus, *Castillo de Usuf. c.* 63. *n.* 2. Colligitur
7 ex *hac l.* Legatum filiofamilias in potestate exi-
stenti relictum, ejus contemplatione, non Pa-
tris, videri relictum, *Mantica de Conject. ult.*
volunt. l. 8. *tit.* 16. *num.* 4. *Castillo de Usuf.*
8 *d. c.* 63. *num.* 5. qui tamen *num.* 20. *et seq.* nihi-
lominus per filium patri verum usumfructum
acquiri contra *Glossam* argumentis probabilibus 9
probare nititur. Unde porro dubitari poterat, 10
annon pater in feudo filii habeat Usumfructum, 11
quod tradunt *Schrad. de Feud. cap.* 6. *num.*
6. *et Bacch. in Treutl. V.* 1. *Disp.* 16. *th.* 2. *lit.*
B. quamvis id rectius neget *Wesenb. de Feud.*
c. 5. *num.* 4. *Vult. de Feud. l.* 1. *c.* 4. *num.* 8. 12
quia servitus servitutis esse nequit, et jura, quae 13
patri usumfructum deferunt in bonis filii, de
allodialibus loquuntur, quae pleno Jure a filio
possidentur, et feuda dantur propter Servitia a 14
persona praestanda.

TITULUS XXXIV.

De Servitutibus et Aqua.

L. Si quas. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio ejusdem. 2.
Decisionis limitatio. 3.
Limitationis ratio. 4.
Nemo plus juris in alium transfert, quam ipse habet. 5.
Dubium movetur contra legis intellectum. 6.
Respondetur ad idem. 7.
Tertia legis lectura secundae et primae, adductis simul rationibus, praefertur. 8.
Servitutes negativae absque prohibitione praecedente nunquam praescribuntur, sed a tempore demum prohibitionis currere incipit praescriptio. 9.
Ratio hujus additur. 10.
Exemplis assertio praecedens illustratur. 11. 12.

1 Domus tua debebat domui meae servitutem
altius non tollendi, quam praescriptione acqui-
sitam esse assero, sed contra servitutem altius
2 aedificas. Respondetur, te condemnari debere,
3 si modo nec vi, nec clam, nec precario tuas
4 aedes possideres, vitiosa enim possessio facit, ut
neque expresse per pactum mihi vel meo aedi-
ficio in tuis aedibus possis constituere servitu-
tem, nec tacite per praescriptionem, *arg.* §. 3.
Inst. de Servit. l. 1. *et* 5. *ff. eod. ib. Auct. num.*
1. et per consequens contra te praescribere non
5 possum; nemo enim plus juris in alium trans-
fert, quam quod ipse habet; et hic est tertius
6 intellectus hujus legis, quem *Gl.* recenset. Cui
non obstant ea, quae contra hunc intellectum
ex *Guillelmo de Cugno* movet *Padilla num.* 18.
quasi vitium possessoris non impediat praescri-
ptionem in praescribente, cum fundus sit, qui
7 praescribatur. Nam non admitto illam rationem,
quia non potest haberi quasi possessio absque
scientia et patientia illius, quae dominus prae-
dii servientis vel pro domino possidet, quae juncta
usui meo instar traditionis. est, *l. quoties* 15. *et*
20. *l. pen. ff. h. t. Conf. Auct. ambobus loc. l. et*
si forte 6. §. *sciendum* 1. *ff. Si Serv. vind. Conf.*
8 *Auct. num.* 2. Et lectura haec tertia omnium
maxime litterae congruit. Nam prima lectura,
quae verba ultima ad praescribentem refert,
difficilis est, propter verbum, *pulsatur*, quod
ad praescribentem et agentem commode non
potest referri. Secundus vero Intellectus, quo
lex de praescriptione libertatis intelligitur, im-
pingit in vocem servitutis, ubi durum est, su-
baudire *amissae*, et si tales voces subintelligere
vellemus, quemcunque sensum legibus affrica-
re possemus. Illud vero memorabile est, quod
ex *hac lege* collegit *Gloss. et DD. hic commu-*
niter: Quod Servitutes Negativae, qualis est hic 9
altius non tollendi, absque prohibitione prae-
cedente nunquam praescribantur, sed a tem-
pore demum prohibitionis currere incipiat prae-
scriptio. Quia per solam prohibitionem junctam 10
cum patientia adversarii praescribens constitui-
tur in quasi possessione servitutis negativae, *An-*
ton. de Padilla hic num. 14. *Schneidevv. in* §.
ult. Inst. h. t. num. 7. *Balbus de Praescript.*
p. 1. *part.* 5. *pr. quaest.* 5. *num.* 3. *Dn. Carpz.*
lib. 1. *Resp.* 36. *num.* 8. *et seq.* Qui exemplis 11
hoc declarat 1. Vassallorum, si per mille annos
non fuerint venati, quod tamen non amiserint
jus venandi, et princeps non adquisivit jus pro-
hibendi, nisi Princeps semel prohibuerit, et
in ea prohibitione Vassalli acquieverint per lon-
gum tempus, per ea quae allegat hic *Padilla*
num. 19. Sic 2. si quis per multos annos triti- 12
cum suum in molendinum meum triturari de-
tulerit, non sum in possessione compellendi eum,
ut ad meum molendinum etiam in posterum
accedat, nisi aliquando prohibuerim, ne ad
aliud molendinum eat, et ipse adquiescat, *Pa-*
dill. num. 20. *Dn. Carpz. lib.* 1. *Resp.* 43. *num.* 15.

L. Si aquam. 2.

SUMMARIA

Duo sunt h. l. membra. num. 1.
Primum est, quod servitus acquiratur longo tempore ad exemplum immobilium. 2.
Requiritur etiam ad hanc praescriptionem scientia domini sive possessoris fundi servientis. 3.
Ratio hujus. 4.
Quasi possessio in servitutibus est usus in alieno patiente domino. 5.
Includit ergo quasi possessio servitutis patientiam, et adeo scientiam domini. 6.
In praescript. servitutis scientia domini requiritur. 7.
Secus est in corporalibus. 8.
Titulus vero in servitutibus realibus, secus quam

in personalibus, non requiritur secundum communem DD. opinionem. 9.
Ratio hujus. 10.
Secundum est, quod si irrupta sit quasi possessio vel per litis contestationem vel denunciationem factam per ministrum judicis, tunc non amplius currat praescriptio. 11.
Ratio. 12.
Variae sunt circa h. l. DD. opiniones. 13.
Harpr. *notatur.* 14.
Notatur etiam Wesenb. *qui distinctionem inter servitutes continuas et discretas subvertere conatur* 15.
Quae tamen tot auctoritatibus confirmata tutius in hac materia retinetur. 16.
Notatur quoque Hillig. *quod sententia ejus magis sit subtilis, quam vera, cum sit contra expressum textum.* 17.
Quandocunque titulus a tertio ostendi potest etiam in discontinuis servitutibus, tempus ordinarium sufficit ad praescriptionem. 18.

1 Duo legis membra sunt: I. Quod Servitus ad-
2 quiratur longo tempore, id est, decem vel vi-
3 ginti annis ad exemplum immobilium, sed re-
4 quiritur hic etiam scientia domini s. possessoris
fundi servientis, quod ex hac ratione probatur:
quod sine possessione nulla currat Usucapio vel
Praescriptio, ergo etiam in praescriptione ser-
5 vitutis quasi possessio requiritur: sed quasi pos-
sessio in Servitutibus est usus Juris in alieno,
patiente domino. Nam licet jure in alieno
utar, non tamen utor ut servitute, nisi id con-
cedente et patiente atque adeo sciente domino
6 fiat. Ergo ipsa quasi possessio servitutis patien-
tiam, et adeo scientiam Domini includit, et hinc
7 in praescriptione servitutis scientia Domini re-
8 quiritur, licet in corporalibus scientia Domi-
ni non requiratur, *l. ult. §. ult. C. de Praescri-*
9 *pt. longi temporis*, sed titulum in Servitutibus
Realibus (secus in Personalibus) non requiri,
communiter hic statuerunt Interpretes. Videa-
10 tur etiam *Donellus lib. 11. cap. 12.* Nam ubi
Titulus requiritur, ibi non requiritur scientia,
et contra, *d. l. ult. §. ult.* et probat hoc *Donellus*
ex l. 1. §. ultim. ff. de Aqua Pluvia arcenda.
11 II. Si autem interrupta sit quasi possessio ser-
vitutis, vel per litis contestationem, vel denun-
ciationem factam per ministrum Judicis, tunc
12 non currit praescriptio, quia non amplius me
patiente servitute uteris et sumptus postea facti
mala fide facti videntur, ergo nec sunt restitu-
13 endi, et adeo interrupta est quasi possessio. Sed
circa hanc legem multae sunt et variae Docto-
14 rum Opiniones. Cavendum autem puto ab *Harpr.*
qui *in pr. Inst. de usucap. num.* 224. scientiam
hic in thesi non requiri putat, sed ideo, quia
15 consulens in facto ejus mentionem fecerat. Di-
stinctionem etiam illam, quae est inter Servitu-
tes continuas et discretas, quam *Glossa hic*
insinuat, multis subvertere conatur *Wesenb. in*
16 *π. h. t.* Sed cum Distinctio illa tot Auctori-
bus sit confirmata, rationibusque *Wesenbecii* oc-
curri possit, tutius in doctrina ista permane-
bitur. Titulum etiam hic semper requiri putat
Hillig. lib. 11. cap. 12. l. c. licet non a Domi-
no, quia sic raro praescriberetur Servitus. Sed
17 subtilis magis quam vera sententia *Hilligeri*,
quia expressum habemus textum *in l. Si quis*
diuturno 10. pr. ff. Si Servit. Vindic. Confera-
tur Auctor d. l. per tot. Caevall. quaestion. 47.
Menoch. Rem. 5. retin. possess. num. 45. Pa-
dilla et quos magno numero *hic* allegat *num.*
10. *Bacch. in Treutl. Vol. 1. D. 17. th. 9. lit.*
B. Quandocunque autem titulus a tertio ostendi 18
potest etiam in discontinuis servitutibus, tem-
pus ordinarium sufficit ad praescriptionem. *l. fin.*
in fine ibi: *bono initio, item nulla scientia vel*
etc. C. de Praescr. longi temporis, Caepolla de
Servit. Urb. Praed. cap. 19. num. 9. Mascard.
de Probat. Concl. 121. num. 74. Gomez tom.
2. Resol. cap. 15. num. 28. Castillo de Usufr.
cap. 68. num. 2. et 9.

L. Et in Provinciali. 3.

SUMMARIA

Praedia provincialia certum pendebant tributum. num. 1.
Quaer. An Domini eorum servitutem praedio imponere possint? 2.
Ratio dubitandi quam habet Glossa. 3.
Quae reprehenduntur a Padilla. 4.
Verior dubitandi ratio. 5.
Ratio decidendi. 6.
Receptissima est DD. sententia, quod Emphyteuta possit imponere servitutem. 7.
Dissentit Clarus. 8.
Limitatur sententia communis. 9.
Ampliatur. 10.
Ratio ampliationis. 11.
Ad l. obstantem respondetur. 12.

Praedia Provincialia certum pendebant tribu- 1
tum, de his Quaeritur, An Domini eorum ser- 2
vitutem praedio imponere possint? Rationem du- 3
bitandi in eo cum *Glossa* nonnulli constituunt,
quod Fiscus habeat proprietatem seu dominium
directum. Sed hanc rationem merito reprehen- 4
dit *hic Padilla*: nam si proprietas horum prae-
diorum apud Fiscum esset, non essent Fisco
obligata pro praeteritis pensionibus: sed sunt
obligata Fisco per *l. Imper. ff. de Publican. ibi-*
que Auctor. Ideoque verior ratio dubitandi in eo 5
videtur consistere, quod Dominus servitutem
imponendo, videatur Fisco, cui affecta sunt il-
la praedia, praejudicare, sed ratio decidendi, 6
in eo, quod haec praedia sunt in dominio Pro-
vincialium: de illa tamen ratione dubitandi quam 7
DD. cum *Glossa* communiter sequuntur fluit
illa receptissima Doctorum sententia, quod Em-
phyteuta possit imponere servitutem, *Caepolla*
de Servit. Urb. Praed. cap. 14. num. 2. et quos
hic allegat *Padilla num. 6.* ut et *Donellus Enucl.*
lib. 9. cap. 13. lit. K. Boër. dec. 181. Roman.
sing. 334. licet dissentiat *Clarus in §. Emphyteu-*
sis. n. 20. Non tamen diutius durat hoc jus, quam
durat Emphyteusis, resoluto enim jure datoris, 8
quod hic fit, si finiatur Emphyteusis, resolvi-
tur et jus accipientis, *l. lex vectigali 31. ff.*
de Pignoribus, adde Auctor. per tot. Sed si non 9
finiatur Emphyteusis, sed emphyteuticus fundus
consentiente Domino, vel fundus provincialis
vendatur, Servitus etiam in emptorem transit. Et
sic servitutes Reales quemcumque successorem 10
singularem comitantur, qui scilicet jus habet 11
ab eo, qui constituit servitutem. Nec obstat *l.* 12
pen. ff. de Servit. Rust. Praed. quae non de

Reali, ut tali, sed de Personali Servitute loquitur. Vid. *Ursillus ad §. aeque Inst. de Act. num.* 88. *Harpr. in tr. de Servit. num.* 57. *Padilla hic num.* 28.

L. Aquam. 4.

SUMMARIA

Duplex est l. hujus intellectus. num. 1.
I. *An Dominus, qui mihi concessit servitutem aquae ducendae, ejusdem aquae usum etiam alteri me inconsulto concedere possit? Negatur.* 2.
Limitatur. 3.
II. *An is, cui constitutus est aquaeductus, possit ejusdem aquae usum aliis concedere?* 4.
Distinguit Glossa : *utrum ingressa aqua fundum ejus, qui habet servitutem, an non?* 5.
Aliter distinguit auctor ex l. 33. n. §. 1. ff. de S. R. P. 6.
Prior intellectus magis litterae convenit. 7.

1 Duplex est legis hujus intellectus: I. an Do-
2 minus, qui mihi concessit servitutem aquae ducendae, ejusdem aquae usum etiam alteri, me inconsulto, concedere possit? Et hoc merito
3 negatur, si mihi id praejudicet, *l. per quam* 11. *ff. de Servit. Rust. Praed. ibique Auct. Padilla*
4 *hic. num.* 4. II. Intellectus est, an is, cui constitutus est aquaeductus, possit ejusdem aquae
5 usum aliis concedere? et *hic Gl.* distinguit, utrum ingressa aqua fundum ejus, qui habet servitutem, an non, ut illo casu possit concedere, hoc non, per *l. ex meo* 24. *ff. de Servit. Rustic. Praed. ubi addatur Auctor num.* 1. quam Distinctionem *hic Bald. Salic. Paul. et Padilla*
6 sequuntur. Sed forte distinguendum etiam esset ex *l.* 33. §. 1. *ff. de Serv. RP.* an pactum intercessit de commodanda alteri aqua, an non; ut illo casu liceat commodare, et dominus repellatur exceptione pacti. Conf. *Donnell. lib.* 11. *cap.* 11 *lit. C. Bacch. in Treutl. Vol.* 1. *Disp.* 17 *th.* 10. *lit. A. Petrus Barb. ad l. Usufructu.*
7 *ff. Sol. Matr. num.* 9. Sed pene dixerim priorem intellectum litterae magis convenire: nam per usum aquae proprietatem intelligendam esse, ut putat *Glos.* mihi duriusculum videtur.

L. Si quid. 5.

SUMMARIA

Quod contra debitam servitutem injuriose extructum est, ad pristinam formam debet revocari. num. 1.
Et quidem sumptibus ejus, qui fecit. 2.
Damnique ratio habenda. 3.
Petitur hoc actione confessoria. 4. 5.
Exemplum. 6.

1 Quod contra debitam servitutem injuriose, id est, contra jus extructum est, ad pristinam formam debet revocari, destructo eo, quod fa-
2 ctum est, *Nov.* 63. et quidem sumptibus ejus,
3 qui fecit, *l.* 8. *h. t.* et damni ratio habetur, *l.* 4. §. 1. *ff. Si Servitus vindicetur*; *conf. Auct. per Brunneman. in Codicem.* Tom. I. *tot.* Idque omne petitur Actione Confessoria. 4
Colligunt ex *hac l. DD*: In Actionem Confesso- 5
riam venire etiam damna, de quo *hic Padilla*,
v. g. Si contra Stillicidium mihi debitum ali- 6
quid in tuo extruas, per quod in jure meo turbor, sed si in meo fundo extruxisses, possem ego propria auctoritate destruere, *l. quemadm.* 29. §. 1. *ff. ad L. Aquil. ibique Auctor, Bart. ad l.* 1. §. *nunciatio ff. de Novi Op. Nun. Surdus decis.* 160. *Hillig. in Donellum lib.* 15. *cap.* 45. *lit. Q.*

L. Praeses. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Quae negatur. 3.
Ratio. 4.
Nemo tenetur alienam salutem suae praeferre. 5.
Ordinata charitas incipit a seipso. 6.
Extensio legis ad pascua, quae ovibus domini praedii servientis non sufficiunt. 7.
Quae fundatur in l. venditor 13. §. constat ff. comm. praed. *n.* 8.
Extenditur ulterius lex ad ligna vel nemora, quae domino non sufficiunt. 9.
Padilla *notatur, et ejus ratio, qua intellectum legis impugnat, refutatur.* 10.
In distributione aquae, potius domini, quam aliorum, qui aquaeductum habent, ratio est habenda. 11.

Habeo in meo agro fontem, qui ex consue- 1
tudine meum prius agrum, et postea etiam alios jure servitutis irrigavit, sed fons ille exinanitus est, ut meo agro irrigando vix sufficiat,
Quaeritur: *An vicini nihilominus aquam in suos* 2
agros derivare possint? Quod negatur, Servi- 3
tus enim ita videtur constituta, nisi ipse ea aqua
egeam, *argum. l.* 19. *ff. de Re jud.* Colligunt 4
inde; Jure neminem teneri alienam salutem 5
suae praeferre, et ordinatam charitatem incipere
a seipso, de qua regula *Ricc. coll. decis.* 416. 6
et quos hic allegat *A. Barbosa.* Hinc etiam colligunt: Si in meo prato tibi Jus pascendi com- 7
petat, et postea pascua, casu aliquo, meis ovibus non sufficiant, quod te ab usu Servitutis prohibere possim; per ea quae tradit *Covar. lib.* 1. *resol. cap.* 17. *num.* 11. *vers. his vero quae de jure pascendi. Panorm. in cap. dilecti Filii. num.* 7. *de Arbitr. Afflictus dec.* 290. *num.* 6. et hoc *ex l. venditor* 13. §. *constat ff. Comm.* 8
Praediorum, probari hic fatetur *Padilla num.*
13. *conf. Auct. ad d. l.* Sic etiam ubi ligna vel 9
nemora non sufficiunt Domino, et simul ei, qui jus lignandi in aliena sylva ex praescriptione praetendit, similiter Dominus loci, contra quem praescriptum, praeferendus foret, *Aflict. ad consuetudin. regni lib.* 3. *Rubr.* 37. *num.* 8. *Ant. Gabriellius lib.* 5. *Com. Concl. tit. de Praescriptione Concl.* 1. *num.* 10. quos sequitur *Thomas Merkelbach. Cons.* 21. *inter consilia Klockii*
num. 137. *et seq.* ubi plures citantur. Quamvis 10
autem *Padilla* hunc intellectum falsissimum vocet, utitur tamen debili ratione, quia donatio non potest revocari: quasi vero non sit aliud donatio, aliud concessio aquae: Illa est actus momentaneus,

hic successivus et tractum temporis habens, et
ipso loco antea allegato fatetur hanc sententiam
ex *d. l. venditor paragraph. constat* probari
posse et in eo intellectu, quem sibi tribuit et
11 fine exponit, ipse urget in distributione aquae
potius prisci ceu domini, quam aliorum, qui
aquae ductum habent, rationem esse habendam,
et aquam distribuendam esse potius fundo pri-
sci, quam aliis. Sed huic ipsi intellectui ratio prae-
fata, quod donatio semel collata revocari non
possit, obstat. Ideoque non obstante illa ratione
dubitandi, subsistimus in communi illo intelle-
ctu, qui etiam litterae hujus congruit.

L. Si manifeste. 7.

SUMMARIA

Si praedium Fiscale servitatem aquae vicinis praediis debeat, haec consuetudo mutari nequit. num. 1.
Fiscus enim in casibus non expressis utitur jure communi. 2.
Et consuetudo in aquis custodienda est. 3.
Quaest. An is, qui multis retro annis habuit constructum molendinum, possit prohibere alium volentem paulo superius aliud molendinum in eodem flumine extruere? 4.
Padilla *distinguit inter flumen privatum et publicum, ac quoad hoc quaestionem affirmat.* 5.
Limitat. 6.
Alii aliter distinguunt. 7.
Limitant. 8.
Ne quidem si commodum civile tantum adimatur veteri molendino, novum extrui permittitur. 9.

1 Si praedium Fiscale Servitutem aquae vicinis
praediis debeat, haec consuetudo mutari ne-
2 quit, quia Fiscus in casibus non expressis utitur
Jure Communi, *l.* 3. *C. de Rescind. Vendit. l.*
3 12. *ff. de Compensat.* Consuetudo enim in a-
quis custodienda est, *Dn. Mevius p.* 4. *decision.*
39. *num.* 4. *et decision.* 40. *num.* 6. Quia autem
hic dicitur, nihil contra veterem formam at-
que solemnem morem innovandum esse, ideo
Gloss. et DD. movent et tractant hic controver-
4 siam; *An is, qui multis retro annis habuit con-
structum molendinum, possit prohibere alium
volentem paulo superius aliud molendinum in
eodem flumine extruere?* Et *Padilla* quidem
5 hoc loco distinguit inter flumen privatum et
publicum, ut in illo liceat aliud extruere, licet
6 priori incommodet, modo non ex aemulatione
fiat, aliud in flumine publico, *l.* 2. §. *merito*
7 *ff. quod in loco publico.* Sed alii non adhibita
ista distinctione aliter distinguunt, an scil. per
posterius molendinum naturale commodum a-
quae alteri adimatur, an vero civile tantum,
an vero neutrum, ut ultimo casu indistincte li-
ceat, primo casu non liceat, sed secundo id
liceat, Vid. *Schneidew. in* §. 2. *Inst. de Rerum
Divis. Koppen. dec.* 20. *num.* 12. *Joach. Sche-
plitz. in Prompt. Juris tit.* 37. §. 2. *num.* 3.
8 modo qualitas et quantitas fluminis non mute-
tur, *Schurff. cent.* 2. *Cons.* 45. *num.* 3. In Mar-
9 chia Brandenb. ne quidem si commodum civile
tantum adimatur veteri molendino, novum e-
xtrui permittitur, *Scheplitz. d. l. num.* 4. *et de
Consuet. March. part.* 4. *tit.* 23. Conf. *Caepolla
de Servit. Rust. Praed. cap.* 4. *Wesenb. p.* 2.
Consil. 67. *Mindan. de Process. lib.* 2. *cap.* 38.
Cothm. vol. 3. *Cons.* 7. *num.* 18.

L. Altius. 8.

SUMMARIA

Quilibet altius aedificare potest. num. 1.
Limitatio. I. 2.
Ratio assertionis. 3.
Limitatio. II. 4.
Limitatio. III. 5.
In Alieno pariete fenestram aperire non licet. 6.
Ampliatio. 7.
In suo aedificanti vicino licet contra aedificare. 8.
Res quaelibet praesumitur libera. 9.
Qui aliquid aedificat clam in meo pariete, vel fenestram facit, tenetur etiam suis sumptibus parietem integrum praestare, et omnia in priorem statum reponere. 10.

Quilibet altius aedificare potest, si servitutem 1
altius non tollendi non debeat alteri; cuique 2
enim licet in suo aedificare ad suum usum, *l.* 1. *pa-* 3
ragraph. 11. *ff. de aqua pluvia arcenda*, nisi 4
certa sit aedium forma, juxta *l.* 1. *h. t.* et nisi 5
fiat ad aemulationem vicini, *Gail. lib.* 2. *Observ.*
69. *per tot.* Sed in alieno pariete fenestram a- 6
perire non licet; sed facta tollenda sumptibus
facientis, imo nec in communi pariete licet, *l.* 7
8. *l.* 26. *l.* 40. *ff. de Servit. Urb. Praed.* Sed bene 8
in suo, cui tamen vicino licet contra aedifiare,
argumento l. 11. *ff. de Serv. Urb. Praed. Me-
noch. lib.* 2. *A. Q. casu* 156. *Caepolla de Ser-
vit. Urb. Praed. capit.* 5. *et* 62. *Menoch. Cons.*
1237. *num.* 47. *et seq. ubi refert plures.* Con-
feratur *Carpzov. p.* 2. *Jurispr. Const.* 41. *def.*
12. *Donell. lib.* 11. *cap.* 5. *lit. F. et ibi Hill.
Bacch. d. D.* 17. *th.* 3. *lit. A.* Colligunt ex *hac
lege*, Rem quamlibet in dubio praesumi liberam, 9
Glossa et Padill. hic num. 1. *et seq.* ubi id e-
xemplis declarat; et aliquot inde consequentia
deducit *Riccius decis. Collect.* 606. *Carpz. p.* 1.
Jurispr. Const. 17. *def.* 7. Notetur ex *hac lege*
Eum, qui aliquid aedificat clam in meo parie- 10
te, vel fenestram facit, teneri etiam suis sum-
ptibus parietem integrum praestare, et omnia
in priorem statum reponere, *hic*, et *l.* 3. §. 2.
Sup. de Alienat. judicii mutandi causa facta.

L. Si in Aedibus. 9.

SUMMARIA

Aedificans contra debitam servitutem tenetur id demoliri suis sumptibus. num. 1.
Si servitus non inveniatur imposita, nemini prohibitum est altius aedificare. 2.
Aedes praesumuntur liberae. 3.
Servitus est probanda. 4.
Ampliatio. 5.
Possessio possidentem non relevat. 6.

Aedificans contra debitam servitutem tenetur 1
id demoliri suis sumptibus. *l.* 5. *et* 8. *h. t.* Si

2 vero Servitus non inveniatur imposita, nemini prohibitum est altius aedificare, per *l. praeced.*
3 Collige: Aedes liberas praesumi, et servitutem
4 esse probandam etiam ab eo, qui in quasi pos-
5 sessione servitutis est, ita ut possessio, quia
6 contra naturam rei primaevam est, possidentem non relevet, Vide *Mascard. de Probat. Concl.* 1306. *Pactanus de Probat. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 10. *et seq. Bes. p.* 3. *Cons.* 118. *num.* 16. *et seq. Padill. hic et DD.*

L. Si tibi. 10.

SUMMARIA

Servitus aquaeductus per non usum intra decennium amittitur. num. 1.
Servitus non praesumitur, sed probanda est. 2.
Si non probatur, dominus quidvis in suo pro lubitu aedificare vel efficere potest. 3.

1 Servitus aquaeductus, si ea per decennium non fuerim usus, amittitur per non usum, et tunc dominus fundi factis aggeribus in suo aquam continere potest, quod multo magis procedit, si servitutem probare non possim. Nam,
2 ut antea dictum, servitus non praesumitur, sed probanda est, et si non probetur, dominus
3 quidvis in suo pro lubitu aedificare vel efficere potest.

L. Per agrum. 11.

SUMMARIA

Per alienum agrum ire citra servitutem non licet. num. 1.
Limitatio I. 2.
Limitatio II. 3.
Ratio ejusdem. 4.
Destructa propter casum via pubblica, vicinus debet per suum fundum concedere transitum, idque non per actionem, sed per implorationem officii judicis. 5.
Quo casu a Fisco restitui debet pretium. 6.
Quod secundum Glossam *usu non observatur.* 7.
Cui contradicunt Natta, Hipp. Rim. Rol. a Valle. 8.
Limitat. III. 9.
Ratio ejus consistit in necessitate. 10.
Limitat. IV. 11.
Ad dilatandum coemeterium vicinus ad vendendum agrum suum compelli potest justo pretio. 12.

1 Per alienum agrum ire citra servitutem non
2 licet, nisi I. Domino consentiente; II. Nisi via
3 publica propter inundationem transiri non pos-
4 sit, *L.* 14. §. 1. *ff. Quemadmodum servit. amit-*
5 *tantur.* Quando enim casu destructa est via publica, vicinus debet per suum fundum concedere transitum, idque non per actionem, sed per implorationem officii Judicis, *Ludov. Romanus Singul.* 299. *Petr. Greg. l.* 4. *cap.* 14. *num.*
6 3. Sed restitui debet pretium a Fisco, quod li-
7 cet usu non observari dicat *in d. l.* 14. *Glossa,*
8 tamen contradicit *glossae Natta Cons.* 554. *num.* 5. *tom.* 3. *Hippol. Rimin. lib.* 2. *Cons.* 199. *num.* 181. *Rol. a Valle Cons.* 69. *num.* 46. *vol.* 2. III.
Ob Thesaurum et fructus legendos, *l.* 15. *ff.* 9
ad. exhib. l. un. ff. de Glande Legenda; nam 10
hoc suadet necessitas. IV. Favore Religionis ad 11
sepulchrum per alienum agrum ire licet, *l.* 12.
pr. ff. de Relig. unde etiam probant, ad dila- 12
tandum coemeterium, vicinum ad vendendum agrum suum compelli justo pretio posse, *Mind. de Interd. d. tit.* 3. *num.* 49. *Dn. Carpz. l.* 2. *Jurispr. Eccl. def.* 338. Conf. *Riccius decis. collect.* 30. quas Exceptiones aliasque *hic* congessit *Anton. de Padilla.*

L. Non modus. 12.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Decidendi ratio. 3.
Ratio dubitandi desumitur ex l. 23. ff. de S. U. P. 4.
Ad quam respondetur. 5.
Addita diversitatis ratione. 6.
Communiter l. h. accipiunt de augmento extrinseco, non intrinseco. 7.
Cephali *decisio de molendino in domo extructo pro dubia declaratur.* 8.
Restringitur l. I. *ad casum, quando infertur damnum ex augmento servitutis praedio servienti.* 9.
II. *Quando ab initio servitus erat limitata.* 10.
Servitus facilius augetur, quando magna utilitas accedit dominanti praedio, et parum incommodi accedit servienti. 11.
Aucta familia praedii dominantis non aucta videtur servitus. 12.
Aucto vero praedio serviente per alluvionem augetur quoque servitus. 13.
Quaer. an aucto praedio augeatur quoque jurisdictio praedio data? 14.
Respondet Covarr. *per distinctionem.* 15.
Quae rationabilis quidem est, sed male hic applicata. 16.
Ratio additur. 17.
Beneficia principum non sunt restringenda, sed extendenda. 18.
Concessione jurisdictionis nemo gravatur. 19.

Concesseram tibi jus aquae ducendae ad irri- 1
gandos agros tuos, sed tui agri alluvione, vel alio modo excreverunt, et nihilominus totam a-
grorum multitudinem ex meo fundo vis irriga- 2
re, sed hoc minus recte, quia servitutis conces- 3
sio debet attendi, non agrorum latitudo. Nec
obstat *l.* 23. *de Servit. Urb. Pred.* quia ibi con- 4
trahentes de futuris etiam fenestris censuisse 5
verisimile est. Non enim videtur is, qui cavet, 6
ne luminibus suis officiatur, viam sibi praecludere, quin possit fenestras alias vel ampliores facere, *Coras. de Servit. in rubr. num.* 31. *Covar. lib.* 1. *Var. Resol. c.* 13. *num.* 9. *v.* 7. *Harpr. in* §. 1. *Instit. de Servit. num* 46.
et seq. Communiter autem hanc legem de aug- 7
mento extrinseco non intrinseco accipiunt, teste
Cephalo Consil. 273. *num.* 15. cujus tamen de- 8
cisio de molendino in domo extructo dubia est.
Deinde restringunt hanc legem, quando infer- 9
tur damnum ex illo augmento servitutis prae-

10 dio servienti, et quando ab initio servitus e-
rat limitata, *Thessaurus p.* 1. *q.* 8. *num.*
11 1. Praesertim vero servitus facilius augetur,
quando magna utilitas accedit dominanti prae-
dio, et parum incommodi accedit servienti,
per tradita *Decii Cons.* 211. *in fine et Menochii*
Cons. 1172. *num.* 8. Collige ex *hac lege*: Aucta
12 Familia dominantis praedii, non auctam videri
servitutem, *Jo. Koeppen. decis.* 17. *Dn. Car-
pzov. lib.* 1. *Resp.* 45. ubi tamen in casu con-
13 troverso aucto praedio serviente per alluvionem,
servitutem etiam augeri existimat, *argum. l.* 18.
14 §. 1. *ff. de Pign. Act.* Hinc quaeritur: *An si*
Jurisdictio praedio meo data, illudque auctum,
15 *Jurisdictio etiam aucta videatur?* et distinguit
Covar. Pr. Q. 2. *num.* 1. utrum jurisdictio sub
nomine universitatis vel castri, an vero loco
suis limitibus definito et circumscripto data sit,
16 quae distinctio rationem suam habet, sed huic
17 materiae non bene applicatur. Nam etiamsi ser-
vitus castro concessa, non tamen debebit ser-
vitus augeri. Forte dicendum videtur, aliam
18 esse jurisdictionis rationem, quia beneficia Prin-
cipum non sunt restringenda, sed extendenda,
19 et concessione jurisdictionis nemo gravatur.

L. Sicut. pen.

SUMMARIA

Ad exemplum ususfructus servitutes reales non utendo amittuntur. num. 1.
Olim amittebantur biennio. 2.
Hodie decem vel viginti annis. 3.
Ille non usus pluribus modis contingit. 4.
Non uti videtur ille non tantum, qui nullo modo utitur, sed etiam is, qui non utitur, ut jure suo, it. qui non eo modo utitur, quo servitus est constituta. 5.
In urbanorum praediorum servitutibus ad non usum requiritur libertatis contrariae per aliquem actum usucapio. 6.
Ratio diversitatis. 7.

1 Ad Exemplum ususfructus Servitutes Reales
2 non utendo admittuntur, non biennio, ut olim,
3 sed decem et viginti annis, sed ille non usus
4 pluribus modis contingit, ut si nullo modo utatur,
5 vel non utatur ut jure suo, *l. fin. ff. quemadm.*
Serv. amitt. vel non eo modo, quo servitus consti-
tuta, *l.* 15. *ff. Quib. modis ususfr. amitt.* v. g. si
certo tempore et loco uti debui servitute, et
alio tempore vel loco usus sim amitto servitu-
tem, *l. si communem* 10. §. 1. *ff. Quibus mo-
dis ususfructus amittatur.* Item, si debeatur
Servitus pascendi cum certo genere pecudum,
et ego cum alio genere pecudum usus sim ser-
vitute, amisi eam, *Caepolla de S. R. P. c.* 9.
num. 37. Aliud si mihi debeatur servitus cum
certo numero pecudum et ego ampliori nume-
ro usus sim, *arg. l.* 11. *ff. d. t. Caepolla d. l.*
6 *num.* 32. Sed in urbanorum Praediorum servi-
tutibus ad non usum requiritur libertatis con-
trariae per aliquem actum usucapio, *l.* 6. *ff.*
7 *de Servit. Urb. Praed.* Nam requiritur a parte
alterius actus aliquis positivus, v. g. prohibitio,
vel obturatio, vel demolitio, *Wesenb. in* ϖ. *tit.*
de Servit. num. 5. *Cujac. T.* 2. *operum suorum*
p. 400. *Donnell. lib.* 11. *cap. ult. lit. D. Harpr.*
§. ult. h. t. num. 31. *et seq.*

L. Cum talis. ult.

SUMMARIA

In princ. l. continetur casus. num. 1.
Quaest. inde resultans deciditur negative. 2.
Quae negatio extenditur quoque ad casum, si singulis annis una tantum die liceret transire per alicujus agrum. 3.
Servitus praedialis, quae habet sui usum per intervalla, praescribitur tempore duplicato 20 *annis.* 4.
Quod spatium tam inter absentes quam praesentes sufficit. 5.
Obstat l. si sic constitutum. 7. ff. quemadm. serv. amitt. 6.
Respondetur. 7.
Donelli sententia notatur. 8.
Absurditas ejus ostenditur. 9.
Ultra duplicationem ulterior temporis multiplicatio in hac materia non admittitur. 10.
Servitutes discontinuae seu intervalla habentes non acquiruntur, nisi tempore immemorabili. 11.
Amittuntur tamen vicennio. 12.
Ratio diversitatis. 13.
Levius obstat l. 1. §. fin. ff. quib. mod. usufr. amitt. 14.
Respondetur ad illam. 15.
Consuetudo unico actu contrario interrumpitur, si nondum legitime est praescripta. 16.
Secus est, si legitime praescripta. 17.
Servitus habens usum discontinuum perditur tempore duplicato. 18.
Si area mea indigeat vento et libero aëre ad secernendas paleas, eumque aliunde recipere non possit, prohiberi potes, quo minus aedes tuas altius aedifices. 19.
Ampliatio I. 20.
Ratio. 21.
Ampliatio. II. 22.
Hic textus plane est singularis. 23.
Nonnullorum opinio de intellectu h. l. notatur. 24.
Est in h. l. casus specialis, et in praediis tantum rusticis locum habet. 25.
Quaer. an vendere quis compellatur viam per suum agrum ad meum? 26.
Affirmatur quaestio. 27.
Ratio. 28.
Limitatio. 29.
Restrictio fit ad praedia rustica. 30:

Princip. Casus proponitur: Si primo tantum 1
die Jus eundi ad agrum tuum per totum quin-
quennium tibi concessero, an ea servitus decem
annis non utendo amittatur? Quod negatur, sed 2
tempore duplicato Idem esset, si singulis an- 3
nis una tantum die liceret transire per tuum
agrum, ut recte *hic Paulus.* Et sic servitus 4
praedialis, quae habet sui usum per intervalla,
praescribitur tempore duplicato 20. annis. Sed 5
videtur ita amitti inter praesentes, aliud vero
inter absentes, ubi 40. anni requiruntur, per *l.* 6
si sic constitutum ff. Quemadmodum Servit.
amitt. Sed Resp. *hic Gl. et DD. communiter*, 7
quos hic *Padilla* sequitur *num.* 2. Legem *si*
sic, quae mandat tempus duplicari, intelligi
debere respectu longi temporis 10. annorum
non respectu 20. annorum, qui sunt a lege
duplicati. et causam non esse cur iterum du-
plicentur. Et sic observare obiter licet, non

8 posse probari sententiam *Donelli*, si per intervalla trium annorum amittatur servitus, triplicandum esse tempus, *Donell. lib.* 11. *cap. ult.*
9 *lit. C.* Nam sic nostro casu quintuplicandum esset tempus contra *textum nostrum;* et sic ultra
10 duplicationem ulteriorem multiplicationem recte non admittit *Caepolla de servit. Urb. Praed cap.* 24. *num.* 5. *Thoming. decis.* 54. *num* 7. quos refert *Hillig. in Donell. d. l. lit. C.* Cur.
11 autem servitutes discontinuae, seu intervalla habentes, non acquirantur, nisi tempore immemoriali, ut per *l. hoc jure* 3. §. *ductus aquae* 4. *ff. de Aqua quot. et aestiv.* communiter probari intendunt *DD.* quos allegat et sequitur *Covar. lib.* 1. *Resol. c.* 17. *num.* 11. et
12 tamen amittantur vicennio, ratio non ita est
13 difficilis, cum facilius in jure sit fundum servientem liberari, quam libero servitutem imponi, *per l. Arrianus.* 47. *ff. de O. et Act. Padilla hic num.* 4. licet prius non videatur adeo certum et exploratum, vid. *Don. num.* 11. *c.* 11. *post lit. K. Carpz.*
14 *p.* 2. *Const.* 4. *def.* 8. Levius vero obstat *huic legi l.* 1. §. *fin. ff. Quib. mod. ususfr. amitt.* cum loquatur
15 de Servitute personali, ut *Glossa* secundo loco respondet, quam sequuntur *DD.* Nec illud prae-
16 tereundum, quod *Bl.* ex *hac lege* probare intendat consuetudinem unico actu contrario in-
17 terrumpi; si nondum sit legitime praescripta, aliud si praescripta, quem refert *Padilla hic*
18 *num.* 8. Hinc colligunt: Servitutem praedialem, quae sui usum habet per intervalla divisum, praescribi tempore duplicato, seu servitus habens usum discontinuum perditur tempore duplicato.
19 §. 1. Si area mea indigeat vento et libero aëre ad secernendas paleas, eumque aliunde recipere non possit, tamen prohiberi potes, licet 20
servitutem nullam debeas, quo minus aedes tuas altius aedifices. Ratio est in favore annonae, 21
quasi servitus ipso jure imposita esset. Imo, si ab ea parte, a qua area vento indiget nullum 22
sit aedificium, potest ab ea parte prohiberi alter, ne omnino aedificet, et ideo *hunc textum* 23
plane singularem esse volunt *DD. hic* et quos allegat *Boër. dec.* 320. *num.* 14. *Padilla hic. Portius Cons.* 17. *num.* 22. ubi dicit ob publicam utilitatem id fieri, cui cedit privata, *Caepolla de Servit. Urb. praed. c.* 27. *num.* 4. *et c.* 29. *num.* 3. *et quos refert Cothman. vol.* 2. *Cons.* 93. *num.* 22. *et seqq. qui num.* 86. refert nonnullorum opinionem, quasi hic Imp. de 24
servitute constituta loquatur: Sed illa opinio erronea. Potius dicendum, esse casum specialem 25
et in praediis rusticis tantum locum habere, v. g. horreis, non vero in urbanis; licet quis liberum aërem adimat meis aedibus, ut *idem Cothm. d. Cons.* 93. *num.* 87. Quod si ad agrum meum non possim habere iter vel viam, nisi per tuum agrum, *An tu mihi vendere compel-* 26
leris viam per tuum agrum? putarem id affir- 27
mandum esse per rationem hujus constitutionis, 28
cum idem sit favor agricolturae, quod etiam affirmat *Padilla in pr. ff. h. t. in fin.* ubi ta- 29
men limitat, nisi vicinus praebiturus viam insigniter laedatur, quod non capio, si idoneum pretium accipiat. Sane hoc concedo, hoc ad 30
Praedia Urbana non facile extendendum, cum favore agricolturae hoc placuerit, *Aug. Barb. in Collect. ad h. l.*

TITULUS XXXV.

De Lege Aquilia.

L. Damnum. 1. et L. Si Legis Aquiliae. 2.

SUMMARIA

Qui per injuriam sive non jure ignem in sylvam vicinam misit, licet citra propositum, tamen tenetur ad damnum resarciendum. num. 1.
Ampliatio. I. 2.
Ampliatio. II. 3.
Argumentum l. 2. *h. t.* 4.
Actione legis Aquil. agitur ad resarciendum damnum, quod ab alio datum est, etiam per culpam levissimam. 5.
Verba fin. h. l. Glossa *de interdicto* quod vi aut clam *interpretatur.* 6.
Quae tamen propterea notatur. 7.
Etiam L. Aquil. actione agi potest ad reintegrandam rem, si res in pristinum statum restitui possit. 8.
Melior est sententia Glossae, *quam* Cyni. 9.
Ratio 10.
Conventus actione L. Aquil. vel etiam condemnatus, potest se liberare, rem in pristinum statum reponendo. 11.
Limitatio. 12.

Qui per injuriam, id est, non jure, ignem 1
in sylvam vicinam misit, licet citra propositum, tamen tenetur ad resarciendum damnum ex hac Lege Aquilia, *l.* 1. *h. t. et l.* 27. §. 5. *ff. eod.* Idem si exciderit sylvam, per verba te- 2
xtus, *vel excisa;* vel quod de sylva nondum 3
caedua, vel de sylva caedua quidem, sed immature caesa intelligendum, vel mature quidem, sed lignis non surreptis; nam alias esset actio furti, *l.* 27. §. 26. *ff. h. t.* Ejusdem argumenti est *lex secunda*, nisi quod 4
agat de domo concremata, (quod gravius est) vel deposita, seu diruta, scilicet non jure, per *l.* 45. §. 4. *ff. h. t. l.* 7. §. 4. *ff. Quod vi aut clam*, vel aqua alio citra Jus servitutis et per injuriam derivata, (ita etiam hanc legem 2. intelligunt *Decius Cons.* 244. *num.* 6. *et Cothmann. vol.* 3. *cons.* 7. *num.* 21.) Nam et haec restituenda est; 5
Certum enim, ex hac actione agi ad resarciendum damnum, quod ab alio datum est, licet per culpam levissimam, *l.* 44. *ff. h. t.* Sed illud *hic in lege* 2. singulare et notandum, quod in fine legis secundae subnectitur: *si aqua per injuriam alio derivata sit, ut in priorem statum restituatur, ejusdem Judicis cura impetrandum esse.* Quod de interdicto *Quod vi aut clam*, per *l.* 1. *pr. ff. Quod vi aut clam*, interpretatur 6
Glossa hic: quod tamen cum *Rubr.* non vide- 7
tur convenire, ideoque alii cum *Cyno* putant

8 etiam legis Aquiliae actione agi posse ad redintegrandam rem, si res in pristinum statum re-
9 stitui possit. Sed melior est sententia *Glossae*,
10 quia de utroque quaesitus Imperator, et ideo ad utrumque respondet, et infrequens non est, ut diversarum actionum in uno paragrapho men-
11 tio fiat. Sane illud Observationem meretur: Quod *Gl. ex hac l.* colligit, et amplectitur *Castrensis*: Quod conventus Actione Legis Aquiliae, vel etiam condemnatus, possit se liberare, rem in pristinum statum reponendo, quod eatenus con-
12 cedo, quatenus per illam repositionem damnum effective restitueretur et interesse medii temporis.

L. Ex morte. 3.

SUMMARIA

Si ancilla usque ad mortem caesa, ex hoc delicto et civilis et criminalis actio oritur. num. 1.
Limitatio. 2.
Neutra alterius executionem tollit. 3.
Ratio. 4.
Si utraque actio ex delicto orta tendat ad vindictam, una alteram consumit. 5.
Qui ob inopiam probationum absolutus fuit in judicio civili, denuo in criminali conveniri potest. 6.
Secus est, si propterea absolutus, quod innocentiam suam deduxerit. 7.
Limitatio. 8.

1 Ex eodem delicto, ut si Ancilla usque ad mortem caesa, duplex oritur Actio una Civilis, al-
2 tera Criminalis, si scilicet dolus admissus fuit,
3 *l. 7. ff. de Sicariis.* Neutra Executionem alteri-
4 us tollit, quia una Restitutoria est, altera Poe-
5 nalis, et ideo aliud est, si actio utraque ad vindictam tenderet, ut actio Injuriarum Civilis et Criminalis, ubi una actio omnino consumit alteram, cum utraque ad vindictam tendat. Et
6 absolutus in civili Judicio, denuo in criminali conveniri potest, si ob inopiam probationum
7 fuerit absolutus, non si innocentiam suam deduxit et propterea fuerit absolutus; nam hoc casu non posset denuo accusari de Crimine, de quo fuit Civiliter conventus et absolutus,
8 nisi a tertio conveniretur, post *gl. hic et Castrensem Maranta in spec. tit. de inquisit. num.* 89. *et seq. Bossius tit. de Sentent. num.* 77. *Clarus §. fin. q.* 57. *et Farinac.* hos allegans *q.* 4. *num.* 10. Plura hac de re infra, *Quando Criminalis Actio etc.*

L. Contra negantem. 4.

SUMMARIA

Quando reus negat se damnum dedisse, actorque probat, reus condemnatur in duplum totius interesse et damni. 1.
Ampliatio. 2.
Limitatio. 3.
Quaest. Si reus non ipsum delictum, sed ejus tantum qualitatem et circumstantiam negaverit, an tunc in duplum condemnandus? 4.
Affirmant quaest. Baldus et Sichardus. 5.
Limitant. 6.
Sichardi *sententia notatur.* 7.
Poena haec non eventu aliter in libello, sed post litem demum contestatam peti potest. 8.
Ratio hujus. 9.
Judicantis aequitas postulat, ut quando ex facto adversarii, cujus probabilis est ignorantia, novum quid emergit, libellus suppleri et emendari possit. 10.
Cautela Molin. *circa hunc casum notatur.* 11.

Quando Reus negat a se Damnum datum, 1
Actorque probat, Reus condemnatur in duplum totius interesse et damni, *hic et §. 1. Instit. de Poena tem. litig.* Procedit hoc in omni Actio- 2
ne legis Aquiliae, et utili, et in factum, quod *Bargalius in tr. de Dolo c.* 14. *num.* 13. probat ex *l. seq.* si modo in negatione perseveret, *l.* 3
alia caus. 6. *C. de His quibus ut indignis*, et Actor damnum datum probaverit, nec suo juramento asseveraverit, *l.* 30. *ff. de jurejurand.* Nam si ex jurata assertione Actoris, vel Rei Confessione, id constet, Poena dupli locum non habebit, *Molina tr. de J. et J. d.* 697. *num.* 36. *Tiraq. de Retr. Convent. §. 1. gl. 5. num.* 20. Sed quaerunt: *Si reus non ipsum delictum, sed* 4
ejus tantum qualitatem ac circumstantiam negavit, an tunc in duplum condemnandus? quod concedunt *hic Baldus et Sichardus*, si in cir- 5
cumstantia illa delicti substantia consistat. Sed 6
Sichardo non assentimur, dum dicit, hanc poe- 7
nam eventualiter in libello esse petendam, sed 8
eam post litem contestatam peti demum posse statuimus cum *Baldo, Castrensi et Salyceto hic.* Quomodo enim actor praevidere potuit, Reum 9
malitiose factum negaturum? ergo poterit, hoc insperato eventu secuto, libellus suppleri, cum hoc maxime judicantis aequitas postulet, ut 10
quando ex facto adversarii, cujus probabilis est ignorantia, novum quid emergit, libellus suppleri et emendari possit per *l. 4. §. pen. de Nox. Act.* et cum aptitudine sua tacita insit Actioni Legis aquiliae, *Bald. hic num.* 4. *Salyc. num.* 1. *Bacch. in Tr. V. 1. D. 18. th. 10. lit. E.* et ideo nec necessariam puto cautelam a *Molina* 11
tr. 3. *Disp.* 697. *num.* 36. traditam, qua putat, tutius esse in libello eam poenam petere, quamvis ex *l. seq.* pateat ita agi posse.

L. De Pecoribus. 5.

SUMMARIA

De pecore occiso agitur in duplum contra negantem. 1.
Loquitur h. l. de actione L. Aquil. utili. 2.
Ratio. 3.
Jure civili animal quod damnum dedit, eo fine includi potest, ut sciatur quis damnum dederit. 4.
Quod ipsum etiam consuetudine passim receptum. 5.
Non sunt fame enecanda animalia inclusa, sed pascenda interim et impensae a domino restituendae. 6.
Secus qui fecerit, L. Aquil. tenetur. 7.
Ampliatio. 8.
Ratio. 9.

De Pecore occiso in duplum agitur, scilicet 1
contra negantem, per *l. praeced.* et loquitur

2 *haec lex* de actione legis Aquiliae Utili, quia
3 in *hac lege* occasio tantum damni data, *hic et*
4 *l.* 53. *ff. eod.* Licet enim etiam Jure Civili animal, quod damnum dedit, eo fine includi possit, ut sciatur quis damnum dederit, *Menoch. Rem.* 9. *Recup. Poss. num.* 282. ubi in genere loquitur, in specie vero magis, *Molina d. l. num.* 23. *Bacch. in Treutl. V.* 2. *Disp.* 18. *th.* 2. *lit.*
5 *C. in fine;* imo, licet etiam inclusiones illae et pignorationes de consuetudine passim sint receptae, ut praeter experientiam etiam testatur *Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 27. *Def.* 1. non ta-
6 men fame enecanda sunt animalia inclusa, sed pascenda interim, et impensae a Domino re-
7 stituendae, *Carpzov. d. Const. Def.* 2. Nam alias is, qui inclusit et alimenta non praebuit,
8 sed fame enecavit, tenebitur ex Lege Aquilia,
9 licet jure incluserit, *Dn. Jo. Thomae de Noxia animalium c.* 25. *num.* 19. Nam pignorans tenetur ad conservationem rerum pignoratarum, talemque diligentiam, quam in suis rebus praestat, *Dn. Mevius p.* 1. *dec.* 31. *num.* 18.

L. De his. ult.

SUMMARIA

Alienum agrum vel pratum depascens tenetur actione L. Aquil. 1.
Ratio. 2.
In specie hujus l. videtur dari actio de pastu pecoris. 3.
Hujus actionis mentio fit in l. 14. §. ult. ff. de P. V. 4.
Differentia inter actionem de pastu pecoris, et actionem. L. Aquil. 5. (*quam tamen improbat* Jo. Thom.) 6.
Actio L. Aquil. cum negatoria quandoque concurrere potest. 7.
It. cum actione injuriarum. 8.
It. cum interdicto uti possidetis. 9.
Requisitum, ut ex pastu detur actio L. Aquil. contra dominum. 10.
Ex culpa pastoris, praesertim communis, non statim sequitur culpa domini. 11.

Alienum Agrum vel Pratum depascens, tene- 1
tur actione Legis Aquiliae, quia in hac omne 2
datum damnum vindicatur. Sed in specie *hujus* 3
legis videtur dari Actio de Pastu pecoris, ex *l.* 4
12. *tabularum*, cujus mentio in *l.* 14. §. *ult. ff. de Praescriptis Verbis.* Verum Actio de Pa- 5
stu tunc datur, quando sine Domini vel custodis culpa pecus agrum ingressum est et depaverit, sed Actio Legis Aquiliae datur, cum domini culpa praecessit, ita *Hillig. in Don. lib.* 15. *c.* 44. *l. F.* Sed *Dn. Jo. Thomae in tract. de Noxia Animalium c.* 16. *num.* 61. rectius tradit, in casu, quando culpa Domini concur- 6
rit, concurrere etiam posse Actionem legis Aquiliae cum actione de Pastu, quod etiam tradidere alii ab ipso allegati, sicut etiam Actio 7
Legis Aquiliae cum actione Negatoria, si forte qui immiserat opinione Servitutis id fecit, *argum. l.* 8. §. 5. *ff. Si Servit. vind.* aut si ani- 8
mo me impediendi in usu rei meae cum actione Injuriarum, *l.* 13. §. *fin. ff. de Injur.* aut cum Interdicto *Uti Possidetis, d. l.* 8. §. 5. Ut 9
autem ex Pastu detur Actio legis Aquiliae con- 10
tra dominum, Pastus implicet necesse est culpam Domini, neque ex culpa Pastoris, prae- 11
sertim communis, statim sequitur culpa Domini, sicut haec accurate *d. l. num.* 68. *et seqq. d. Dn. Jo. Thomae* probat.

TITULUS XXXVI.

Familiae Erciscundae.

L. Si non omnem.

SUMMARIA

Petitio haereditatis est quidem universalis, datur tamen etiam ad res singulas. 1.
Limitatio. 2.
Ratio. 3.
Actio famil. ercisc. ad res singulas nunquam datur. 4.
Differentia inter haeredit. petit. et famil. ercisc. judicium. 5.
Quaest. an divisa extra judicium haereditate, s quaedam res manserint indivisae, institui possit propter illas actio famil. ercisc. 6.
Affirmatur. 7.
Ratio. 8.
Intellectus legis communis et approbatus. 9.
Intellectus verborum legis: nec supra ea re etc. 10.

1 Petitio Haereditatis est quidem Universalis, sed datur tamen etiam ad res singulas, si eas pe-
2 tam ut haereditarias, ubi etiam Actor petit se
3 haeredem declarari, et Jus suum metitur non ex eo, quod adversarius possidet, sed quod ipse habet, *l.* 1. §. 1. *ff. Si Pars Haered. pet.* Sed
Actio Familiae Erciscundae ad res singulas nun- 4
quam datur, et ita illa saepius, haec semel in- 5
tenditur, *l.* 20. §. 4. *ff. h. t.* Jam vero divido 6
tecum Haereditatem extra Judicium, remanserunt quaedam res indivisae, Quaeritur: *An ratione harum possim uti Actione Familiae Erciscundae?* Quod affirmatur: quia Extrajudicialis 7
divisio Imperfecta non impedit, quominus postea 8
hac Actione experiri possim divisionem totius haereditatis, nec ita, nisi semel Actio intenditur. Nota igitur: facta licet Extrajudiciali divisione hac actione me uti posse. Hic enim intel- 9
lectus communiter est approbatus, ut post veteres testatur *Padilla in l. si post divisionem* 4. *num.* 4. *C. de Iuris et facti Ignorantia, Alvar. Valascus in praxi petitionum et collationum cap.* 2. *num.* 35. *et c.* 39. *num.* 65. et quos hic refert *August. Barbosa, et Treutlerus*, ac ibi *Bacchov. Vol.* 1. *Disp.* 19. *th.* 11. *lit. B.* Verba au- 10
tem illa hujus legis: *nec super ea re sententia dicta, vel transactio subsecuta est*, ita intelligit *Perez. in h. t. num.* 3. *nisi cum super ea re*, an scilicet omnia bona divisa fuissent, dubitatum, et postea transactum vel judicatum fuerit.

L. Uxor tua. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Rationes decidendi. 3.
Ratio dubitandi. I. *n.* 4.
Respondetur ad dubium. 5.
Respondetur etiam ad l. 16. ff. *de* Castr. pecul. 6.
Ratio dubitandi. II. *n.* 7.
In LL. Codicis a contrario sensu non argumentamur. 8.
Responsio ad dubium. II. 9.

1 Quando Filiusfamilias Nuptias contrahit, et pater accipit dotem, tum mortuo Patre, quando Judicium Familiae Erciscundae inter Fratres red-
2 ditur, constante matrimonio, filius deducit Do-
3 tem tanquam praecipuam, quia Dos apud eum esse debet, qui fert onera matrimonii, *l.* 56. §.
4 1. *ff. de Jure Dot.* Et in his terminis, quando filius sustinuit onera matrimonii, res videtur indubia esse, ut Filius non teneatur Dotis lucrum, si ratione pacti vel statuti dotem lucretur, cum fratribus communicare, quia sunt haec Bona Adventitia, *l.* 1. *et* 2. *C. de Bonis Quae liberis,* et Adventitia non communicantur inter fratres, *l. fin. C. de Collat. Bald. Nov. de Dote p.* 6. *Priv.* 37. *num.* 1. *et* 2. *Roland. a Valle de Lucro Dotis Q.* 110. *pen. num.* 3. *Petr. Barb. in l. si cum dotem.* 23. §. *transgrediamur num.* 40. *ff. solut. matr.* Sed quid *Si Filius non su-*
5 *stinuit onera matrimonii, sed Pater?* Equidem tunc non militat illa ratio, quod Filius tulerit onera matrimonii, militat tamen altera ratio, quod lucrum illud ad bona adventitia pertineat,
6 *Barb. ad d. l.* quia ad *l.* 16. *ff. de Castr. Pecul.* respondet, quod de Jure ff. loquatur, secus au-
7 tem esse Jure Codicis. Sed quid si tempore mortis paternae matrimonium non constet, quaeritur, annon tunc filius dotem Uxoris ut praecipuum quid petere possit? quod licet Negandum videatur, ob contrarium sensum, quia tamen in
8 legibus Codicis a contrario sensu non argu-
9 mentamur, ideo contrarium placuit *DD. in h. l. et Phanutio de Phanutiis in Tr. de Lucro Dotis gl.* 8. *num.* 30.

L. Adversus. 3.

SUMMARIA

Contra cohaeredem, qui aliquid ante aditam haereditatem subtraxit, non datur actio expilatae haereditatis extraordinaria, sed familiae ercisc. ordinaria. num. 1.
Ratio. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Ratio Decidendi. 4.
Rationis ratio. 5.
Ampliatio. 6.
Si evidens cohaeredis dolus sit, scienter ultra suam partem aliquid ceu alienum, vel non suum surripientis, concurrere potest actio criminis extraordinarii, expilatae sc. haereditatis. 7.
Ratio dubitandi. 8.
Limitatio. 9.

Quando cohaeres subtraxit quippiam ante adi- 1
tam haereditatem ex haereditate, non datur Actio Expilatae haereditatis Extraordinaria, sed Familiae Herciscundae ordinaria: quia ubi datur 2
Actio Ordinaria, non habet locum Extraordinaria. Sed cur concurrit Petitio haereditatis cum 3
accusatione Expilatae haereditatis, per *l.* 3. *ff. de Expilat. Haered.* Respond. illa ratio, quae 4
redditur, non est sufficiens, sed haec accedit, quia inter cohaeredes non datur actio expilatae haereditatis, *hic et l.* 1. *C. de Expil. Haered.* Ratio rationis est haec, quod lex praesumat 5
cohaeredem accepisse aliquid ex bonis haereditariis ratione partis suae sibi competentis, non vero animo malo aliquid subtrahendi, *l. merito* 51. *ff. Pro Socio, Menoch. l.* 4. *Praes.* 18. *num.* 3. et eadem ratio in Societate est, *Anton. Matth.* 6
in lib. 47. *ff. tit.* 12. *cap.* 1. *num.* 4. Et ideo non puto absurdam esse illam sententiam *Duareni ad tit. de Crim. Expilatae haeredit.* si evidens dolus cohaeredis sit scienter, ultra suam 7
partem aliquid ceu alienum, vel non suum surripientis, concurrere posse actionem criminis extraordinarii, expilatae scil. haeredit. cum quo consentit etiam *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 300. *num.* 7. eo, quod hic cesset ratio hujus legis probata ex *d. l.* 51. Sed videtur obstare, quod 8
expilatio haereditatis sit species furti: actio autem furti inter Socios non datur, *Michalorius de Fratribus p.* 3. *cap.* 55. *num.* 12. *et seqq.* in quo capite multa habet ad explicationem hujus legis facientia. Nam loquor de causa, ubi furan- 9
di animus manifestus est.

L. Si filius-familias. 4.

SUMMARIA

Peculium castrense non debet conferri fratribus. num. 1.
Ratio. 2.
Ad peculium Castrense pertinent mobilia, quae pater filio in militiam profecturo donat, non vero immobilia. 3.
Limitatio. 4.
Ratio posterioris. 5.
Praesumitur miles in dubio peculii causa accipere. 6.
Idem dicendum de peculio quasi-Castrensi. 7.
Ad peculium quasi-Castrense referuntur sumptus ad dignitatem. 8.
Quae ob dignitatem adipiscendam alicui liberorum a parente donantur, non sunt conferenda. 9.
Ratio. 10.

Peculium Castrense non debet conferri fratri- 1
bus, ratio *in l.* 2. *ff. ad SCtum Maced.* ubi dicitur, quod filiifamilias in Castrensibus loco pa- 2
trumfamilias habeantur. Ad peculium autem Ca- 3
strense pertinent Mobilia, quae Pater filio in militiam profecturo donat, non vero Immobilia, nisi ea occasione belli ex stipendio acquisi- 4
verit, *hic et l.* 1. *C. de Castr. Pecul.* quia im- 5
mobilia militi nulli usui: Ergo tantum ea, quae occasione militiae filiofamilias donata, et quidem mobilia, ad peculium Castrense pertinent. Vid. 6
Enenck. Baro in Tr. de Priv. Mil. lib. 2. *Priv.*

23. *num.* 22. *et de Privil. Parent. Priv.* 10. *num.*
6 6. Et praesumitur in dubio miles peculii c usa
accipere, *Menoch. l.* 3. *Praesumpt.* 68. Nota be-
7 ne: Idem esse in Peculio Quasi-Castrensi, v. g.
8 in sumptibus dignitatum, et ex *hac lege*, uti et
ex *l. unica C. de Periculo successorum parentis*
9 colligi potest: Quod ea, quae ob dignitatem adi-
piscendam alicui liberorum a parente donantur,
10 non sint conferenda: Quia ad Patris honorem
spectant, nec extant hae expensae tempore
mortis, et filiusfamilias etiam fert onera mune-
ris publici, per *l.* 1. §. 16. *ff. de Collat. Carpz.*
p. 3. *Const.* 11. *Def.* 17. *et seq. Schepliz. p.* 3.
Consuet. March. tit. 3. *num.* 19. Conf. *Barri*
lib. 14. *tit.* 4.

L. In ipsius mariti. 5.

SUMMARIA

Dispositio odiosa facta in testamento, non tantum expresse, sed etiam tacite, stante testamento mutari potest. num. 1.
Haec mutatio probatur per indicia. 2.
Ultima voluntas favorabilis, licet ex signis tantum praesumatur, praevalet scripturae odiosae testamenti. 3.
Ex conversatione mutua injuriantis et injuriati praesumitur remissio injuriae. 4.
Limitatio. 5.
Ex meritis praesumitur aliquis placatus. 6.
Inimicitia adhuc durare praesumitur, nisi de reconciliatione saltem ex conjecturis constet. 7.
Ampliatio. 8.
Exhaeredatio videtur revocata ob merita. 9.
Dubitat de hoc Petr. Barb. 10.
In filium non videntur cadere merita. 11.
Ratio. 12.
Licet filius omnia, quae ab homine praestari possunt, in patrem conferat, non tamen de patre bene meritus dici potest. 13.

1 Dispositio Odiosa facta in Testamento, v. g. in
poenam servorum et liberorum, quae in Testa-
mentis habetur, non tantum expresse, sed etiam
tacite, stante Testamento, mutari potest. Quae
2 mutatio probatur per Indicia, *Argum. l.* 19. *C.*
de R. V. v. g. ex meritis, ex quibus remissio
rancoris colligitur. Bene notandum itaque: Ulti-
3 mam voluntatem favorabilem, licet ex signis
tantum praesumatur, praevalere scripturae odio-
sae testamenti, *Salyc. hic.* Et inferunt nonnul-
4 li ex *hac lege*, quod ex conversatione mutua
injuriantis et injuriati praesumatur remissio inju-
5 riae, quod quidem de eo casu concedo, quan-
do non praecessit revocatio ad animum vel pro-
testatio, per allegata *Farinac. q.* 5. *num.* 11.
6 *Ampliat.* Secunda vero melius probatur: ex me-
ritis praesumi aliquem esse placatum, quod ver-
ba expresse innuunt, *Tiraq. in l. si unquam,*
verbo, *donatione largitus, num.* 51. *C. de Rev.*
7 *Donat.* et inimicitiam adhuc durare praesumi,
nisi de Reconciliatione saltem ex conjecturis
constet, *Menoch. Cons.* 430. *num.* 71. *et l.* 5.
8 *Praes.* 43. *num.* 7. Hoc ampliatur, si quis ha-
beret plures liberos, et duos ex his ob deme-
rita alere desiisset, licet postea in testamento
quibuscumque liberis alimenta legasset, ex ista
tamen generalitate non praesumitur, quod e-

tiam de duobus illis ingratis senserit, *l. Lucius*
88. §. 11. *ff. de Legat.* 2. Inferunt etiam ex *hac* 9
lege: Exhaeredationem videri revocatam ob me-
rita Filii, *Tiraq. d. l. num.* 51. et quos magno
numero citat *Pet. Barb. in l.* 1. *p.* 4. *num.* 44. 10
qui tamen de eo dubitat. Et sane in filium non 11
videntur cadere merita, qui omnia patri debet, 12
et ideo licet omnia, quae ab homine praestari 13
possunt, in patrem conferat, non tamen de
Patre bene meritus dici potest, *Menoch. l.* 3.
Praes. 29. *num.* 13. Conf. *Mantica de Conject.*
Ult. Vol. l. 12. *t.* 1. *num.* 23. *et* 25.

L. Esaquae. 6.

SUMMARIA

Nomina non dividuntur. num. 1.
Ratio. 2.
Limitatio. 3.
Ratio dubitandi. 4.
Differentia inter bona corporalia haereditaria, et nomina. 5.
Licet uni haeredum totum nomen assignetur, omnes tamen haeredes, quatenus tales, habent jus aliquod in nomine isto. 6.
Directae actiones ex nominibus competentes omnium cohaeredum ossibus infixae sunt. 7.
Si unus haeredum ex nomine adjudicato agit in solidum videtur esse mandatarius, et cessionarius suorum cohaeredum. 8.
Pactum haeredum Creditoris in praejudicium debitorum non valet. 9.

Nomina non dividuntur, quia ipso jure per 1
l. 12. *tabul.* sunt divisa, quamvis interdum uni 2
adjudicari possint, *l.* 2. *et* 3. *ff. h. t.* Sed objici 3
poterat, quod et haereditas sit ipso jure divisa, 4
et in Corporalibus rebus quilibet haeredum suam
partem habeat. videatur *hic Gl. et Salyc.* Mihi
videtur hoc colligendum esse ex eorum dictis:
Bona Corporalia ita dividi posse, ut penes unum 5
cohaeredum nihil juris remaneat in re corpora-
li alteri assignata: Sed aliter in nomine, quod
licet uni haeredum totum assignetur, omnes 6
tamen haeredes, quatenus tales, habent jus ali-
quod in nomine isto; habent enim directas a- 7
ctiones, quae sunt ossibus eorum infixae, et qua-
tenus unus haeredum agit ex eo nomine in so- 8
lidum, videtur esse mandatarius et cessionarius
suorum cohaeredum. Colligunt etiam ex *hac le-*
ge, Pactum haeredum creditoris in praejudi- 9
cium debitorum non valere, *Boer. dec.* 57. *num.* 3.

L. Si qua. 7.

SUMMARIA

In hoc judicio non jure actionis, sed judicis officio ea, quae uni cohaeredi praelegata sunt, vel alteri per fideicommissum relicta, iis assignari debent. num. 1.
Ratio. 2.

In hoc judicio non jure actionis, sed judicis 1
Officio ea quae uni cohaeredi praelegata sunt,
vel alteri per fideicommissum relicta, iis assi-

2 gnari debent. Ideo autem non jure actionis, quia per actionem Familiae Erciscundae petitur divisio haereditatis; at quae uni praelegata sunt non sunt res haereditariae, verum Legatarius habet actionem realem. Officio judicis igitur praelegata in divisione haereditatis uni assignanda sunt, *hic et l.* 4. *pr. et l.* 8. *et seq.*

L. Bona. 8.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Decisio affirmative facta. 3.
Ratio decidendi. 4.
Actiones etiam diversae naturae uno libello expediri possunt. 5.
Quadruplex hic a Salyceto *statuitur cumulatio.* 6.

1 Est mihi tecum dividenda Haereditas Pater-
2 na, Materna, et Fratrum; *An uno judicio haec*
3 *expediri possint, Quaeritur?* quod affirmatur,
4 quia sunt unius generis et naturae, ergo uno judicio bene expediri possunt, per *l.* 25. §. 3. *ff. h. t.* et evitanda est pluralitas judiciorum. Imo quamvis diversae essent naturae uno tamen libello expediri possent, qui tamen diversorum
5 libellorum vicem suppleret, cum certum sit, actiones etiam diversae naturae uno libello expediri posse, *l.* 11. *pr. ff. de Jurisd.* Notandum,
6 hic a *Salyceto* quadruplicem statui cumulationem, I. Alia haereditatum tantum, II. Alia haereditatum et personarum, quarum utraque admittitur per *hunc textum d.* §. 3. *l.* 25. *ff. h. t.* III. Alia personarum tantum et illa non admittitur, nisi causa connexa sit, *arg. l.* 10. *ff. de Appellat.* IV. Alia actionum tantum, et de hac alibi, ubi disputatur, quae actiones cumulari possint.

L. Non est ambiguum. 9.

SUMMARIA

Quaest. an in judicio fam. ercisc. etiam fructus repeti possint a b. f. possessore, tam consumpti, quam extantes. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decisio affirmativa. 3.
Rationes decidendi. 4.
Bonae fidei possessor fructus suos facit tantum in judiciis singularibus. 5.
Secus est in judiciis universalibus. 6.
Dos quando per collationem efficitur haereditaria, debet conferri cum fructibus a tempore morae. 7.
Fructus in judiciis universalibus sunt de natura petitorum. 8.
An in libello censeantur comprehensi, licet non sint expressi in conclusione et petitione. 9.
Atque adeo judex super fructibus, etiam non petitis, cognoscere debet. 10.
Obstat l. 44. §. 3. ff. h. t. 11.
Responsio ad eam. 12.
Nemo cum alterius damno locupletandus. 13.

1 Quaeritur: *An in hoc judicio famil. ercisc. etiam fructus repeti possint a bonae fidei possessore, tam consumpti quam extantes?* Vid. 2
quod non ob *l. certum. sup. de Rei Vindicat.* Sed affirmatur *hic, et l.*20. §. 3. *ff. de Pet. Haer.* 3
quia 1. Haec Actio bonae fidei. 2. Universalis, 4
in qua fructus non veniunt accessorie, sed principaliter ut haereditatis pars, quia fructus augent haereditatem; et in hoc consistit discrimen inter Universalia judicia et Singularia, quod in his fructus veniant accessorie, in illis principaliter ut pars universitatis, *Covar. l.* 11. *Resol. c.* 3. *num.* 6. Et ideo quando dicitur, bonae 5
fidei possessorem fructus suos facere, id in judiciis singularibus verum, v. g. Rei vindicatione. Sed aliud in judiciis Universalibus, ubi fru- 6
ctus propria actione petuntur, *l.* 2. *sup. de Petit. Haer. l.* 20. §. 3. *ff. de Petit. Haer. Sich. hic.* Ex quo infertur dotem, cum per collationem 7
efficiatur res haereditaria, debere conferri cum fructibus tempore morae; Vid. *Valascus de partit. et Collat. cap.* 13. *num.* 14. *etc.* Ex dictis etiam colligi potest, cum fructus in judiciis uni- 8
versalibus sint de natura petitorum, ac in libello censeantur comprehensi, licet non sint ex- 9
pressi in conclusione et petitione, super fructibus, etiam non petitis, judicem cognoscere 10
debere, *post Jason. in* §. *actionum num.* 52. *et Schneidew. ibid. num.* 39. *Hartm. Pist. Observ.* 102. *num.* 8. *et Carpz. l.* 1. *Resp.* 70 11
num. 8. Nec vero obstat *lex* 44. §. 3. *ff. h. t.* ubi dicitur, quando quis percepit fructus ex re, non ut haeres, sed ut Emptor, quod non detur actio familiae herciscundae, si scilicet nesciat rem esse haereditariam, quia §. *iste* 12
de Directa Actione loquitur, quia ratio legis nostrae etiam eo casu militat, quod scil. sit actio bonae fidei et universalis, nec aliquis cum al- 13
terius damno locupletandus, quam Responsionem *Glossae* hic sequuntur *Salyc. et Sych. in fine.*

L. Quoties. 10.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans. I. 2.
Quae affirmatur, cum limitatione tamen. 3.
Ex prima quaestione resultat alia. 4.
Quae expeditur per distinctionem. 5.
Quaestio ex casu resultans. II. 6.
Respondetur ad eamdem negative. 7.
Ratio additur. 8.
Verba indefinita ultimo loco posita limitantur et declarantur per species praecedentes. 9.
Limitatio. 10.

Instituerat quis tres filios haeredes aequaliter 1
postea vero dividit inter eos bona nonnulla, velut praelegata inaequaliter, dum uni vineam, alteri aedes, tertio agrum assignat, et cum fundis certa distribuit mancipia, demum mancipia omnibus commendat. Quaeritur I. *cum aequa-* 2
liter primo omnes instituerit haeredes, an postea dividere potuerit illa praedia inaequaliter? Respond. Praelegata valere, si modo singuli ha- 3
beant Falcidiam salvam, i. e. legitimam. Quamvis etiam de Falcidia proprie dicta intelligi possit, si praesupponamus, extraneos haeredes fuisse institutos. Sed Quaeritur: *Quid si non in-* 4

stituit prius aequaliter, sed statim divisit inter eos bona haereditaria? ubi Gl. et DD. hic
5 ita distinguunt: aut fecit hoc cum numero solemni septem testium, et praesumitur voluisse testari, aut fecit cum minori numero testium, et divisit per quotas, et non videtur testari voluisse, nisi diviserit inter liberos, *ex l. hac consultiss. §. ex imperfecto C. de Testam.* Si vero per singulas res divisit bona, tunc videtur voluisse codicillari, nisi fecerit expressam mentionem Institutionis. Quando autem omnibus liberis singulas res reliquit, nemine instituto, non potest aliquis liberorum conqueri, quod non sit institutus, *Bl. Salyc. Castr. et Sich. ad hanc*
6 *l.* II. Quaeritur: *Annon per condemnationem illam mancipiorum factam omnibus ab inaequali*
7 *divisione recessisse videatur?* Et Resp. per commendationem generalem in fine factam non voluisse recedere a distributione servorum inae-
8 quali; quia hanc generalem commendationem censetur retulisse ad quemlibet eorum, quibus hic vel ille servus assignatus erat. Unde *DD.* allegati colligunt hic Regulam, quam prolixe
9 explicant: Quod verba indefinita ultimo loco posita limitentur et declarentur per species prae-
10 cedentes, secus, si praecedentia essent generalia et obscura, sequentia vero expressa et specialia, *Sichard. hic num.* 8. *et Axiom. Barbos. lib.* 14. *c.* 52.

L. Inter filios. 11.

SUMMARIA

In Allodialibus Fratres et Sorores ab intestato aequaliter patri succedunt. num. 1.
Secus est in feudalibus. 2.

1 In Allodialibus Fratres et Sorores ab intestato aequaliter Patri succedunt, nec filiis praeroga-
2 tiva debetur, sed secus in Feudalibus, quod sua luce patet.

L. Non ideo 12.

SUMMARIA

Divisio haereditatis etiam sine scriptura fieri potest. num. 1.
Ratio hujus. 2.
De casibus, in quibus scriptura requiritur, agitur remissive. 3.

1 Divisio Haereditatis etiam sine scriptura fieri
2 potest. Ratio in *l.* 9. *et* 10. *C. de Fid. Inst.* quia divisio non requirit ad essentiam suam scripturam, et sine instrumentis potest probari. Et quia divisio haereditatis non reperitur inter eos casus, in quibus scriptura requiritur; de qui-
3 bus hic remissive *Barbosa et Card. Tuschus Concl.* 77. *lit. S.* et quos hic allegat, et alii, de quibus *in Tit. de Fide instr.*

L. Certum est. 13.

SUMMARIA

Peculium profectitium quodnam? num. 1.
Cum fratribus conferri debet. 2.
Quaer. an, si filius peculium habens, ignorante patre se alteri obligarit, mortuo patre habeat actionem contra haeredes, ut se ab actione illa liberent? 3.
Negatur quaestio, cum limitatione tamen. 4.
Ratio limitationis. 5.
Profectitia bona, quae a patre collata, ut non effecta fuerint filii, in iis non habet locum collatio proprie dicta. 6.
Ratio hujus. 7.
Dicuntur haec bona ad communionem revocari. 8.
Et si sunt revocata, jus et nomen peculiorum amittunt conversa scilicet in causam haereditatis, eamque augentia. 9.
Peculium non patrumfamil. sed filiorumfam. 10.
Filiusfam. mortuo patre filius esse desinit, ac paterfamilias esse incipit. 11.
Post mortem patrum peculium liberorum ita per Anaphoram vocatur. 12.
Filiusfamilias, quamvis velit esse contentus peculio profectitio, non tamen potest effugere collationem. 13.
Filia vero dote contenta eam effugere potest. 14.
Ratio diversitatis. 15.

Peculium Profectitium, id est, a Patre profe- 1
ctum cum Fratribus conferri debet. Sed quid 2
si filius iste peculium habens, ignorante patre 3
se alteri obligarit, an mortuo patre habebit a-
ctionem contra haeredes, ut se ab actione illa 4
liberent? Resp. Neg. nisi quatenus in Peculio
est, cum pater ignorans ipse non nisi peculio- 5
tenus per filium obligetur, §. 4. *Inst. Quod cum eo etc.* Ergo non aliter ejus haeredes obligabuntur. Ratio *in l.* 2. §. 2. *ff. de Verb. oblig.* ubi dicitur ex persona haeredis obligationem non
mutari. Colligitur ex *hac l.* Profectitia bona, 6
quae a patre collata, ut non effecta fuerint filii, in iis non habere locum collationem presse
vel proprie sumptam; quia proprietatem bono- 7
rum paternorum nunquam exierunt. Ideo dici-
tur hic ad communionem esse revocanda et po- 8
stea dividenda; nam tunc jus et nomen pe- 9
culiorum amittunt, conversa in causam haereditatis eamque augentia. Cum enim Peculium 10
non sit patrumfamilias, et vero filiusfamilias 11
mortuo patre filius esse desinat, ac Paterfamilias esse incipiat, necesse est peculium quoque perire, ut *ex Ant. Fab. lib.* 20. *Conject. cap. ult.* refert *Hillig. in Don. l.* 14. *c.* 19. *in* 8.
Concl. ubi addit peculium hic vocari per ana- 12
phoram, ratione habita ad tempus vitae paternae, sicut et saepe haereditas adita vel acquisita. Cujus observationis effectus in eo esse po-
test, si filiusfamilias contentus esse velit pecu- 13
lio profectitio, quod possidet et a caeteris pa-
rentis sui bonis abstinere, (sicuti filia Dote 14
contenta collationem effugere potest) non esset
audiendus filius in proposito casu; quia filius 15
omnimodo id reddere tenetur acervo inter filios dividendo, cum proprietatem bonorum paternorum ea, quae peculii profectitii sunt, nunquam excesserint. Vid. *l.* 12. *inf. de Collat. Lud. Molina Tr.* 2. *de just. et Jure Disp.* 237. *num.* 9.

L. Si Familiae. 14.

SUMMARIA

Ex divisione facta inter partes, vel a judice, etsi evictio expresse promissa non sit,

cohaeredes tamen tenentur ad eam. num. 1.
Ratio. 2.
Datur hoc in casu actio praescriptis verbis *contra cohaeredes.* 3.
Carpzov. *videtur aliud statuere in nominum divisione.* 4.
Sed rectius intelligitur de casu speciali. 5.
Dispositio hujus legis de praestanda evictione etiam obtinet regulariter in nominum divisione. 6.
Ampliatio assertionis, quae n. 1. *habetur.* 7.
Non tenentur cohaeredes ad evictionem, si a testatore divisio facta. 8.
Ratio. 9.
Divisio a testatore facta habet se instar praelegati. 10.
Ab hac sententia recedit quidem Bacchov. *sed ex infirmis rationibus.* 11.
Limitatio. I. *assertionis* n. 1. *propositae.* 12.
Limitatio II. *ejusdem.* 13.
Quae tamen non est nova limitatio. 14.
Declaratur hoc. 15.
Haeredi scienti rem subjacere periculo, non datur evictio. 16.
Limitatio. 17.
Cohaeres ubi ad evictionem tenetur, non aliter tenetur, quam pro parte haereditaria. 18.

1 Ex divisione facta inter partes, vel a judice, etsi Evictio expresse promissa non sit, cohaeredes tamen tenentur ad evictionem, si uni possessio alicujus rei evincatur, *l.* 7. *C. comm. utriusque judic. l. haeredes* 25. §. *pen. ff. h. t.* Li-
2 cet enim Judex debeat partes compellere, ut sibi mutuo de Evictione caveant, non tamen exinde sequitur, si non caveant, ad Evictionem eos non esse obligatos; sed hoc tantum sequitur, quod ex Stipulatu non sint obbligati; in-
3 terim tamen *Praescriptis Verbis* datur Actio, *Cujac. in d. l.* 25. §. *pen. tomo primo operum pag.* 1130. et quos allegat *Treutl. D.* 19. *th.* 12.
4 *lit. D.* Licet autem in Nominum divisione diversum statuere videatur *Carpz. p.* 3. *Jurispr. Const.* 4. *defin.* 19. ex verbis tamen et allegato *Castr. in hanc l.* apparet, loqui *Carpzovium* de
5 eo casu, quando unum nomen inter plures divisum, et unus haeredum suum consequi non potest, quia idem periculum omnes haeredes verentur, quo casu evictio locum non habet,
6 *Barb. in Coll. hic num.* 4. Sed si uni haeredum. Nomen unum, alteri aliud Nomen assignandum,
7 vel si Nomen unum inter cohaeredes divisum, et essent plures alii cohaeredes, procul dubio dispositio hujus legis de praestanda Evictione obtineret. Idem est, si unus haeredum ignorans onus vel qualitatem rei, rem acceptavit,
8 *d. l. in f. Comm. utr. jud.* Aliud autem, si divisio esset a Testatore facta, *l.* 21. *h. t. l. cum*
9 *pater.*77.§.8. *ff. de leg.* 2. quia si partes dividunt, est quaedam Permutatio, ideoque cohaeres ad Evictionem, pro portione tamen haereditaria, actione Praescriptis Verbis compelli potest; Si
10 vero Testator dividat, Permutatio nulla est; sed habet divisio a Testatore facta se instar praelegati, *Petr. Sanz Tr. de divis. bonorum c.* 8. *num.* 13. *Peregr. de Fideicomm. art.* 52. *num.* 72. et quos hic allegat *Barb. num.* 8. et praeter eos *Menoch. l.* 3. *Praes.* 118. *num.* 1. *et Cons.* 87. *num.* 98. *Vincent. Fusarius de Substit. q.* 619.
11 *et Caballinus de Evict.* §. 4. *num.* 23. a qua tamen sententia communiter recepta, recedit quidem *Bacch. in Treutl. vol.* 1. *disp.* 19. *th.* 12. *lit. D.* Sed illius Rationes tantae non sunt, ut vel expresso textui vel sententiae communi obloquantur; Ponamus enim, non fuisse actualiter factam separationem bonorum per divisionem paternam, esto, pater existimaverit res suas, non tamen inde evertitur ratio *d.* §. 8. et si scivisset rem alienam esse, forte non praelegasset ex §. 4. *Inst. de legat.* Aliae autem sunt 12
Limitationes Regulae, scilic. quod cohaeres cohaeredi non teneatur ad Evictionem, si conventum est, ne de Evictione ageretur, uti ex verbis hujus legis, *nihil super Evictione etc.* colligunt *Gomez. tomo* 2. *Resol. c.* 2. *num.* 31. *et Menoch. de Praesumpt.* 118. *num.* 13. et quos congessit *Barbos. hic num.* 6. item si res sui na- 13
tura patiatur Evictionem; ut si feudum Filio assignetur, qui postea moritur, ut auctoritatibus comprobat *Barb. hic num.* 7. quamvis haec non sit nova limitatio. Aut enim scivit qualita- 14
tem rei cohaeres, illam rem nanciscens, et non 15
datur Evictionis praestatio, quia si haeredes 16
sciverunt rem subjacere periculo, tunc scienti non datur actio, ut in terminis *Menoch. de Praesumpt.* 118. *num.* 21. nisi expresse sibi ca- 17
verit de Evictione in re alienari prohibita, ut feudo et Fideicommisso, *Glossa hic in additione, quam probat Cephalus Cons.* 379. *num.* 80. aut ignoravit, et sic v. g. res Feudalis pro Allodiali data, merito hic praestatio Evictionis peteretur. Haeres autem in nostro casu, ubi ad 18
Evictionem tenetur, non aliter tenetur, quam pro parte haereditaria, v. g. Si duo tantum cohaeredes, unus ex dodrante, alter ex quadrante, hic pro quarta parte Evictionem priori praestare tenetur, et ad id compellitur Actione *Praescriptis Verbis* quasi ex contractu Innominato Permutationis.

L. Si divisionem. 15.

SUMMARIA

Casus legis, atque ejusdem decisio. num. 1.
Ex nuda conventione divisionis dominium non transfertur, nec datur jure civili actio sed de novo ad divisionem agitur. 2.
Ex pacto divisionis non transfertur dominium, sed bene sententia divisoria. 3.
Secus est in aliis judiciis. 4.

Pater meus cum Fratre suo habuit bona com- 1
munia, convenit inter ipsos de bonis dividendis, quod si sequatur realis divisio, transiit rerum dominium, et mortuo Patre mihi datur Rei Vindicatio contra omnem possessorem; si vero nulla realis divisio secuta, sed in terminis nudae conventionis res subsistit, Actione Familiae ercisc. ad novam divisionem agi potest. Collige: Ex nuda conventione divisionis domi- 2
nium non transferri, nec dari jure Civili actionem, sed de novo ad divisionem agi posse. Col- 3
lige: Ex pacto divisionis non transferri dominium, sed bene ex sententia divisoria, per §. *ult. Inst. de Offic. Jud. Valasc. in praxi partit. c.* 2. *num.* 6. quod in aliis judiciis, praeterquam in 4
his tribus judiciis divisoriis, locum non habet, *Harpr. in d.* §. *ult. num.* 2. *et seq.*

L. Filii 16.

SUMMARIA

Casus legis. num 1.
Respondet Imperator ad casum: qualemcunque voluntatem patris, etiam non solemnem in dividenda haereditate observandam esse. 2.

1 Pater quidam coram tribus Testibus Fideicommissa universalia suis liberis distribuerat, et Heraclio injuxerat, ut omnia fere bona restitueret fratribus. Hic impugnat 1. Materialia, id est, accusat Testamentum ut Inofficiosum, quam viam Imper. dissuadet ob *l.* 28. *supra de inoffic. Testam.* quia eo tempore filios exhaeredatos, si vellent inofficiosi testamenti querelam movere, oportebat probare, se gratos fuisse, quae probatio perdifficilis erat. Impugnat 2. Formalia
2 Testamenti. Sed resp. Imp. qualemcunque voluntatem patris, etiam non solemnem, in dividenda haereditate observandam esse. Restat igitur, ut petat Legitimam ab onere omni liberam, sive Trebellianicam.

L. Cohaeredibus. 17.

SUMMARIA

Divisio inter quosdam cohaeredes facta absentibus et ignorantibus non praejudicat, sed hi portionem suam in singulis rebus communibus pro indiviso retinent. num. 1.
Ratio. 2.
Familiae erciscundae judicium et inter pauciores haeredes ex pluribus accipi potest. 3.
Haeredes praesentes inter se haereditatem dividere possunt, jure tamen absentium minime laeso. 4.
Hoc ipsum potest hoc bellicoso saeculo utiliter allegari. 5.
Quaestio. 6.
Difficultati ejus provisum jure Hispanico. 7.
Sed in jure communi adhuc est dubia. 8.
Auctoris circa quaestionem propositam sententia. 9.

1 Divisio inter quosdam cohaeredes facta aliis absentibus et ignorantibus non praejudicat, sed hi portionem suam in singulis rebus communi-
2 bus pro indiviso retinent. Ratio *in t. t. C. Inter alios acta vel judicata aliis non nocere.* Colligitur ex *hoc textu* et *l.* 2. §. *pen. ff. h. t.*
3 Familiae erciscundae judicium et inter pauciores haeredes ex pluribus accipi posse. Si i-
4 gitur quidam ex haeredibus sunt praesentes, alii absentes, praesentes inter se dividere haereditatem possunt, jure tamen absentium minime laeso, *Alv. Valasc. tr. de partit. c.* 7. *num.* 7. *Petr. Sanz. d. tr. de Divis. Bonorum l.* 1. *c.* 2.
5 *num.* 1. Et quidem hoc poterit utiliter allegari bellicoso hoc saeculo, ubi cohaeres unus vel
6 alter saepe castra sequitur. Sed quaeritur, *si absens certo loco degat, et Reus ad divisionem provocatus petat, ut simul citetur absens, ne postea denuo cum absente judicium suscipere cogatur, an ille sit audiendus?* Provisum huic
7 difficultati jure Hispanico, cujus verba allegat *Valascus d. c.* 7. *num.* 8. si scilicet certo loco vivat absens, et citari de facili possit, ipsum omnino citandum esse; Sed in jure communi 8
id dubium. Verum si non subterfugia quaerat 9
reus provocatus, non putarim ipsum iniqua petere, praesertim cum hoc faceret ad lites minuendas, nec per divisionem istam a communione perfecte recederetur, et semper metuenda esset utrique lis a cohaerede absenti, cui praejudicari facile de facto potuit, licet non de jure.

L. Filiae. 18.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Quae affirmatur, addita ratione. 3.
Limitatio. 4.
Communis circa hanc quaestionem DD. praesuppositio. 5.
Si donata res a patre filio non est tradita, donatio non confirmatur morte Patris. 6.
Intellectus legis Bartoli aliorumque divinatorius est. 7.
Ratio hujus assertionis. 8.
Sententia Imperatoris. 9.
Barbosae *intellectus notatur.* 10.
Ratio. 11.
Donatio simplex a patre in filiumfam. collata, et morte patris confirmata, conferenda fratribus non est. 12.
Probatur haec sententia ex l. illud 20. C. de Collat. 13.
Ratio dubitandi. 14.
Ratio decidendi. 15.
Pater emens rem nomine filii, videtur donare. 16.
Notatur sententia Menochii, qui putat, patrem non videri nomine filii emere, si ei non tradiderit. 17.
Ratio notationis. 18.
Non obstat l. 20. §. 1. C. de Collat. 19.
Quae restringitur ad specialem casum. 20.
Si filius bona fide sumptus facit in communem haereditatem, eos repetere potest actione famil. ercisc. si necessario facti. 21.
Negotiorum vero gestorum actione, si sponte facti. 22.

Pater nomine Filii rem quamdam emerat, 1
Quaeritur: *An illam rem Flius praecipuam habere debeat?* Resp. Aff. Ratio in voluntate Pa- 2
tris, qui eam rem filii praecipuam esse voluit, 3
nisi haec expresse vel tacite mutata reperiatur. 4
Communiter *DD. hic* praesupponunt, Patrem 5
etiam tradidisse rem comparatam filiofamilias, quia scilicet, si donata res non fuisset tradita, 6
donatio non confirmaretur morte Patris. Sed intellectum hunc *Bartoli* et aliorum merito di- 7
vinatorium appellat *Petr. Barbosa in l. quae dotis* 34. *num.* 139. quia de donatione vel tra- 8
ditione ne verbulum quidem hic habetur. Sententia igitur videtur esse Imperatoris, quod so- 9
la illa voluntas Patris, qua Pater filio destinavit rem, et ejus nomine eam comparavit, hoc operetur, ut res illa in judicio familiae erciscundae filio adjudicetur ut praecipua, quem intellectum tribuit *Barb. d. l. et ad l.* 2. §. *quod si in patris num.* 9. *ff. sol. matr. Salyc. et alii.* Sed in eo non videtur dubio carere hic in- 10

tellectus, quod *Barbosa* putet filio quidem hanc rem nomine ejus comparatam ut praecipuam assignandam, sed aliis haeredibus tantundem ex haereditate reliqua compensandum, quem intellectum non videntur admittere verba legis:
11 *ut praecipuus adjudicari.* Nam, ni fallor, non haberet Filius rem illam praecipuam, si aliis cohaeredibus tantundem ex aliis bonis esset adjudicandum; et puto ex natura verbi, *praecipui*, in reliquis Filium succedere aequaliter cum caeteris, si hi in legitima non sint gravati. Et
12 sic intelligendi *DD.* illi, qui statuunt Donationem simplicem a Patre in filiumfamilias collatam et morte Patris confirmatam conferendam Fratribus non esse, quam sententiam etiam
13 probant ex *l. illud* 20. *C. de Collat.* Nam licet
14 hic de donatione per traditionem consumata non agatur, quae sola morte patris confirma-
15 tur; *argumento* tamen *hujus legis* ea sententia probatur hoc modo, si propterea quod Pater nomine filii comparavit rem, filio eam rem debet habere praecipuam, multo magis si filio donavit et tradidit, atque ita recte videtur haec conclusio ex *hac l.* inferri, quam conclusionem tradunt *Fachin. lib.* 5. *cap.* 8. *Molin. de J. et J. Tr.* 2. *disp.* 213. *per totam*, licet, si ex asse intellectum *Barbosae* sequi velimus, contrarium sequeretur; Sicut et illud ex *hac*
16 *lege* non male concluditur: Patrem, ementem rem nomine filii, videri donare, *Tiraq. de Retr. Consang.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 63. Illud vero non
17 video, quomodo ex *hac lege* colligat *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 88. *num* 11. *et l.* 3. *Praesum.* 30. *num.* 7. Patrem non videri nomine filii e-
18 mere, si ei non tradiderit. Namque id ex communi etiam intellectu non sequitur, nam *Bart.* et alii propterea traditionem hic praesupponunt, ut illa donatio possit morte Patris confirmari; nam nomine filii quin comparari possit, non est dubitandum, et si sequamur *Barbosae* et aliorum sententiam, nomine filii videbitur res empta, licet in rebus patris reperiatur, ut supra dixi-
19 mus. Nec obstat *l.* 20. §. 1. *C. de Collat.* quia
20 *d. l.* 20. de speciali casu loquitur, quando Pater simpliciter uni, alteri ob causam donat. Vid. *Wesenb. in* ϖ. *de Collat. Dotis num.* 12. *Suarez in C. h. t. Treutl. Disp. de Collat. Vol.* 2. *th.* 5. *lit. C. et ibi Bacch. et Hun. et Gilk. in Auth. ex Testam. num.* 5. *C. de Collat.*
21 §. 1. Si Filius bona fide sumptus fecerit in communem haereditatem, eos repetere potest Actione Familiae erciscundae, si necessario
22 facti, vel actione negotiorum Gestorum, si sponte facti. Vid. *l.* 3. *supra de Negot. Gest.*

L. Incerti juris. 19.

SUMMARIA

In judicio familiae ercisc. habetur ratio rerum ab uno haerede subtractarum vel deterioratarum. num. 1.
Limitatio. 2.
Ratio Limitationis. 3.
Cohaeres eamdem diligentiam rebus haereditariis praestare tenetur, quam suis adhibet. 4.
Ratio. 5.

1 In hoc judicio habetur ratio rerum ab uno haerede subtractarum vel deterioratarum, scili-
2 cet si hoc factum est post mortem patris, *l.* 16. §. 4. *ff. h. t.* Nam quaecunque aliquis 3
haeredum vivo testatore subtraxit ea non subtraxit ut haeres, cum viventis haeres nemo sit, sed quae mortuo testatore vel eo, cujus haereditas relicta, subtracta sunt ab aliquo haeredum, ea demum in hanc actionem veniunt, *per d. l.* 16. Sed quia rerum deterioratarum fit mentio, Quaeritur: *Quam culpam praestet cohaeres cohaeredi?* Resp. *in l. haeredes.* 26. §. 16. *ff. h. t.* debere cohaeredem eamdem diligentiam rebus 4
haereditariis praestare, quam suis adhibet, et sic culpam latam tantum praestare; quia neces- 5
sitas gerendi ipsum excusat, *Donell. lib.* 7. *cap.* 27. *circa finem. Cujac. in d.* §. 16. *tomo* 1. *p.* 1127.

L. In Familiae. 20.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Ad quam respondetur per distinctiones et sub distinctiones. 3.
In casu proposito actio familiae erciscundae non datur. 4.
Ratio. 5.
Nec datur haereditatis petitio. 6.
Ratio. 7.
Limitatio. 8.

Vendidit quidam cohaeres rem haereditariam; 1
Quaeritur: *Qua actione ad restituendum pretium venditor conveniri a Cohaeredibus possit?* 2
Respond. Aut in solidum vendidit suo et cohae- 3
redum nomine, et quidem vel Mandato eorum, ubi datur Actio Mandati; vel sine mandato reliquorum, et datur Actio Negot. Gest. ut restituat partem pretii, si scilicet cohaeres, acturus contra cohaeredem, qui vendidit rem, venditionem illam velit ratam habere. Nam si ratam habere nolit suam partem, utpote sine sua voluntate venditam, a tertio possessore vindicare poterit. Sed Actio Familiae ercisc. hoc casu 4
non dabitur; quia ubi suam solam partem cohae- 5
res vendere potuit, et tamen vendidit rem totam, ibi non datur Actio Familiae ercisc. sed Negot. Gest. per *l.* 40. *ff. de Neg. Gest. l.* 6. §. 2. *ff. Com. Divid.* Nec datur Petitio Hae- 6
reditatis: quia haeres vendens in portionibus 7
cohaeredum non dicit se esse haeredem, sed si rem eam vendidit ut suam in solidum, datur con- 8
tra ipsum petitio haereditatis, quia se solum praetendit haeredem, unde necessaria est declaratoria sententia judicis, quis haeres sit. Vid. *Petr. Santz. de Decis. Bonor. l.* 1. *c.* 2. *n.* 45. *et seqq.*

L. Si cogitatione. 21.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Ratio decidendi. 3.

Pater divisit quasdam res citra Solemnitatem 1
Testamenti, quasdam non: in illis Arbiter sequetur judicium defuncti salva legitima has ae- 2
qualiter dividet. Ratio: Quia Arbiter seu Judex 3
in dividenda inter fratres haereditate, voluntatem Patris licet intestati, licet voluntas non solemnis sit, sequi tenetur, *l.* 16. *h. t.*

L. Servum communem. 22.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Ratio I. *Errantis non est consensus.* 3.
Ratio II. 4.
Donatio non praesumitur. 5.
Errore cohaeredum alteri non acquiritur dominium. 6.
Qui possidet rem alienam, licet domino sciente et per errorem consentiente, sine titulo tamen non acquirit rem, vel usucapit. 7.
Qui cum putativo haerede dividit, cognito errore divisionem retractare potest. 8.
Limitatio, si extra judicium sit facta divisio. 9.
Secus est, si judex adjudicaverit, et haeres cohaeredi solverit. 10.
Ratio hujus. 11.
Limitatio. 12.
Res haereditaria non praescribitur per longum tempus, si titulus deficiat, sed per lapsum 30. *annorum.* 13.
Limitatio. 14.

1 Cohaeres servum mihi cum ipso communem (me per errorem id patiente, nec contradicente) pro suo in solidum possidet; hic mihi non
2 praejudico tum quia Errantis non est consen-
3 sus, *l.* 15. *ff. de Jurisdict.* tum quia nullus est
4 titulus ad transferendum dominium aptus; Do-
5 natio enim non praesumitur. Collige: Errore
6 cohaeredum alteri non acquiri dominium; etiam
7 eum, qui possidet rem alienam, licet domino sciente et per errorem consentiente, sine titulo tamen non acquirere rem vel usucapere, de
8 quo suo loco fusius. Sic si quis cum putativo cohaerede dividat, cognito errore, divisionem
9 retractare potest, si divisio extra judicium sit facta, *l. cum putarem* 36. *ff. h. t. Modest. Pist.*
10 *Cons.* 517. Si vero Judex adjudicaverit et haeres cohaeredi putativo solverit, repetitio cessat, cum
11 ex causa judicati solvisse dicatur, *Berlich. p.* 2.
12 *decis.* 263. *num.* 17. si modo decretum vel sententia in judicio contradictoria lata sit, *Decius Cons.* 351. *num.* 7. *et Berlich. d. l. num.* 56. et ex parte cohaeredis non committatur dolus et calumnia, *Modest. Pistor. in intell. sing. ad d. l.* 36. *Jac. Schult. ad d. quaest.* 140. *Mod. Pist. num.* 133. *Berlich. d. l. num.* 47. Probat etiam *Valascus in Tr. de partit. capit.* 38. *num.*
13 1. per *hanc legem*, Rem Haereditariam non praescribi per longum tempus, cum titulus deficiat, sed demum per lapsum 30. annorum;
14 scilicet si rem haereditariam ut propriam possideat, secus si rem haereditariam ut communem possideat, nam tunc ne quidem 30. annis praescribitur, *Valasc. d. l. num.* 3. *ac ex Ayora hic Barbos. num.* 3. et praeterea *Caevall. qu.* 820. *Balb. de Praescript. p.* 4. *partis* 4. *princ. quaest.* 13. *Balth. titul.* 9. *Res. Bav.* 4.

L. Licet. 23.

SUMMARIA

Pactum cohaeredum non praejudicat quidem creditoribus, valet tamen inter cohaeredes. num. 1.
Pactum traditione munitum parit actionem quasi praescriptis verbis. 2.
Ex contractu innominato datur praescriptis verbis *actio.* 3.
Hodie ex omni pacto, considerate tamen inito, datur actio. 4.

Pactum cohaeredum non praejudicat Creditori- 1
bus, *l.* 26. *C. de Pactis*, sed si v. g. placeat, ut cohaeres omnia debita solvat, hoc quidem pacto caeteri cohaeredes se tueri non possunt contra Creditores, sed coguntur solvere. Contra haeredem tamen habent Actionem ex stipulatu, si stipulatio intercessit, vel Actionem *praescriptis verbis*; quia divisio facta est et pactum traditione rerum munitum. Nam licet ex pacto nudo non detur actio, si tamen illud sit
traditione munitum, ex eo etiam datur actio 2
quasi praescriptis verbis, sicut ex contractu in-
nominato datur *praescriptis verbis* actio. Sed 3
cum hodie ex omni, etiam Nudo Pacto, consi- 4
derate tamen inito, detur Actio, non opus est, ut de genere actionis multum simus solliciti.

L. Filium. 24.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Deciditur. 2.
Sensus legis. 3.
Ratio ejusdem petitur ex l. 91. *ff. ad L. Falcid.* 4.
Quaenam in quartam Falcidiam et quae contra in Trebellianicam imputentur. 5.

Pater habens Filios tres, eos haeredes institu- 1
it, sed a primo petiit, ut portionem suam haereditariam fratribus restitueret et aliis cognatis, sub conditione, si in bellum proficisceretur primus, et si caeteri fratres ipsi prius solverent decem, praetereaque dederat antea parens filio fundum in peculium. Eveniente conditione, petunt cohaeredes restitutionem. Primus vult detrahere Trebellianicam; Quaeritur: *Quid in quar-*
tam Trebellianicam imputandum sit? Resp. 1. 2
imputari debere portionem haereditariam, quam in fundo habet, scil. tertiam partem fundi: 2. illa decem, quae accepit a cohaeredibus. 3. Si aliquid desit ad Trebellianicam, debebunt cohaeredes de suis partibus, quas in fundo ha-
bent, supplere, ut sit sensus: Filius, qui titulo 3
donationis ante, id est, a Patre acceperat fundum, et a Patre rogatus erat, ut acceptis decem suam portionem haereditariam ut fideicommissum cohaeredibus restitueret, acceptis illis decem, debet portionem suam haereditariam cohaeredibus solvere, sed salva Trebellianica, in quam computanda pars haereditaria, quam in fundo habuit, deinde illa decem, et postea id, quod cohaeredes in fundo dato habent, ipsi supplementi loco est addendum; id quod superest, resttiuen-
dum est. Ratio horum in *l.* 91. *ff. ad L. Falcid.* 4
ubi dicitur: in quartam Falcidiam ea quidem non 5
imputari, quae quis titulo legati, vel implendae conditionis causa accepit, sed secus in Trebellianica, per *d. l.* 91. Cujus ratio partim in verbis utriusque legis, partim in favore praesumpto testatoris, quo magis amplecti praesumitur haeredem,

quam legatarium, et e diverso plus fideicommissarium, *Fachin. l.* 5. *cont.* 15. *Donnell. l.* 8. *cap.* 26. *et ibi Hillig. lit. Hh. Franc. de Barry de Succes. lib.* 15. *tit.* 4. *Thesaur. lib.* 1. *quaest.* 17. *num.* 16. Aliter autem obscuram *h. l.* accipit Jul. Pacius, *l.* 6. *Enant. Q.* 51.

L. Ex Causa. 25.

SUMMARIA

Quicunque avo vel alii non vult succedere, non cogitur etiam conferre ea, quae ab Avo donata, vel alio titulo acquisita. num. 1.
Restringitur lex ad donata. 2.
Peculium profectitium proprie non dicitur donatum. 3.

1 Quicunque Avo vel alii non vult succedere, non cogitur etiam conferre ea, quae ab Avo donata, vel alio titulo acquisita sunt, *l. fin. C.*
2 *de Collat. Don.* De donatis ergo hic sermo est,
3 non de Peculio Profectio, quod proprie non dicitur donatum. Ideoque Filius non potest retinere Profectitium Peculium et a paterna haereditate abstinere, sicut supra in *l.* 13. *h. t.* notatum.

L. Inter omnes. ult.

SUMMARIA

An voluntas patris sine omni solemnitate, manifestata saltem indiciis, valeat inter liberos? num. 1.
Optimum consilium pater pro liberis suis capere intelligitur. 2.
An haec lex tantum de patre, an vero etiam de matre sit intelligenda. 3.
An divisio paterna, de qua h. l. agitur, differat a testamento inter liberos? 4.
Notatur sententia Carpzovii, quam ex DD. tradit. 5.
An legi huic sit derogatum? 6.
An avus in testamento nepotes, superstite eorum patre, instituere, et quid praeterea de eorum successione disponere possit? 7.
An parentes inter liberos teneantur aequalitatem in haereditatis distributione observare? 8.
Ex hoc judicio paterno extranei nihil possunt sperare. 9.

1 Voluntas Patris sine omni solemnitate, manifestata saltem indiciis, valet inter liberos, licet alias ab intestato succederetur, salva tamen Quarta legitima seu Trebellianica, non tamen valet quoad alios extraneos. Ratio legis est: quia
2 Pater optimum consilium pro liberis suis capere intelligitur, cum nullus affectus sit, qui vincat Paternum, *l.* 22. §. *ult. ff. ad L. Jul. de Adult. l. fin. pr. C. de Curat. Furios.* Et quia in hac dispositione jus gentium attendendum est, non civile, ut volunt *DD.* Collige: Hanc le-
3 gem non tantum de Patre, sed etiam de Matre esse intelligendam, quia non suorum tantum liberorum, sed et emancipatorum meminit, ex quo concluditur, non esse rationem decidendi in patria potestate collocandam, sed in parentela, quae patri pariter ac matri communis est. Recte autem monet *Harprecht. in* §. 3. *Inst. de Testam. Ordin.* 206. *et seqq. et Carpz. p.* 3. *C.* 4. *def.* 23. divisionem 4
paternam, de qua hoc loco agitur multum differre a Testamento inter liberos, quae tamen Interpretes mire confundunt, quia hic etiam ab intestato, illic ex testamento succeditur. Et de liberis ab intestato succedentibus hic agi docet *Cothman. vol.* 1. *Const.* 6. *num.* 64. Et cum parium in gradu hic mentionem faciat Imperator, non videtur subsistere sententia, quam ex *Doctoribus* tradit *Dn. Carpzov.* 5
d. Const. 4. *def.* 16. quod scilicet Avus etiam inter Nepotes, horum patre adhuc vivente, ex hac lege disponere possit. Nam hoc quod de paribus in gradu hic habetur, id est, Nepotibus, jure repraesentationis parentem defunctum repraesentantibus ab intestato, id nullibi correctum; nam §. *ex imperfecto testamento*, loquitur de Testamento, non vero de dispositione patris de dividenda haereditate ab intestato. Quin et hoc ipsum controversum etiam est, an valeat Testamentum imperfectum inter nepotes, superstitibus adhuc eorum parentibus. Sed posita hac sententia non poterit tamen dici per *d.* §. *ex imper-* 6
fecto huic legi derogatum esse, quia *haec lex* non praecise de testamento inter liberos, sed de voluntatis paternae declaratione loquitur, quomodo bona a judice dividenda inter liberos ab intestato, ipso fatente *Dn. Carpzov.* Ergo non potest huic textui derogari per eum textum, qui de dispositione testamentaria, de qua in *d.* §. *ex imperfecto* loquitur. Et manifeste inter haec duo est differentia. Nam avus in testamen- 7
to quidem nepotes, superstite eorum parente, potest instituere haeredes, sed in epistola non potest disponere, quid ab intestato nepotibus his assignandum, et quomodo inter Eos dividenda haereditas, cum ab intestato plane hi non vocentur. Relicto ergo Testamento inter liberos, Quaeritur; *An requiratur, ut aequalitatem* 8
inter liberos observet Pater vel Mater? Et recte hoc negatur. Nam si parens voluisset, ut praecise ab arbitro observaretur aequalitas, hoc expressisset Imperator, licet dici possit, ex natura successionis ab intestato hoc fluere, sed fortius pro illa sententia militant verba, *Servato Senatus-Consulto.* Nam si praecise in judicio dividendae haereditatis aequalitas requiratur, cui usui erit beneficium Senatus-Consulti Trebelliani vel Legitima? *Carpz. l.* 6. *Respons.* 13. *num.* 28. Notetur etiam: Ex hoc judicio Pater- 9
no Extraneos nihil posse sperare. Caetera, quae hic movent Interpretes, ad alium locum pertiuent.

Auth. Si modo.

SUMMARIA

Requisita omnis dispositionis paternae inter liberos. num. 1.
Ratio cur tot requisita observari debeant. 2.
Testamenta fraudibus sunt obnoxia. 3.
Practici hanc auth. saepe adducere solent ad evertendi parentum testamenta inter liberos. 4.
Auth. haec loquitur de casu, quando parens quid disponere voluit sine testibus in scriptura. 5.

Quo casu manus ipsius testatoris vel subscriptio liberorum requiritur. 6.
Secus est si duos testes adhibuit. 7.
Correctio legis particularis. 8.

1 In omni dispositione Paterna inter liberos requiritur 1. scriptio vel subscriptio ipsius parentis; 2. ut ipse tempus declaret quo si plures epistolae patris reperirentur, constare posset, utra prior, utra posterior, quae alii derogat. 3. Nomina Filiorum suorum et alia non consignet notis, sed integris dictionibus: 4. Uncias per totas literas exprimat; 5. Si desit subscriptio parentis, ipsi liberi subscribant, *hic, et Nov.* 107. Ratio est unica: ut evitentur fraudes, 2
quibus alioquin Testamenta obnoxia. Quamvis 3
autem hanc Authenticam practici saepe addu- 4
cere soleant ad evertenda parentum Testamenta inter liberos, notandum tamen, quod haec
Authentica loquatur de eo casu, quando parens 5
quid disponere voluit sine testibus in scriptura:
Nam tunc manus ipsius testatoris, vel liberorum 6
subscriptio requiritur: Secus ergo si duos testes 7
adhibuit, *Cothmann. Cons.* 99. *num.* 202. *vol.* 2.
Et Authentica haec *l. fin.* corrigit quatenus *lex* 8
fin. de Testamento inter liberos, non quatenus de divisione paterna loquitur, *Hartm. Pist. p.* 142 *num.* 25. *et seqq.*

TITULUS XXXVII.

Communi dividundo.

L. Frater. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Deciditur Affirmative. 3.
Rationes decidendi cum limitatione. 4.
Postquam ad divisionem provocatum, et lis contestata, socius suam partem, ut litigiosam, alienare nequit. 5.
Actiones reales sola citatione fiunt litigiosae. 6.
Ratio cur ad casum propositum n. 5. *requiratur litis contestatio.* 7.
Unus ex consortibus potest altero consorte irrequisito alienare. 8.
Limitatio. I. 9.
Limitatio. II. 10.
Judicium divisorium est mixtum in rem et personam. 11.
Et ideo sequitur possessorem etiam secundum et tertium. 12.
Si res commode dividi potest, est dividenda regionibus. 13.
Sin vero non commode dividi potest ad licitationem agendum, ut plus licitanti vendatur. 14.
Limitatio. 15.
Si idem licitantur consortes, tunc admittendus is, qui majorem habet partem. 16.
Judex ad licitationem pervenire non potest, si res commode dividi possit. 17.

1 Socius rei communis partem suam Extraneo
2 vendiderat, socio inconsulto. Quaeritur, *an re-*
3 *cte?* Respondetur quod sic, cum venditio par-
4 tis propriae a socio fieri potuerit, sed contra
emptorem extraneum datur actio *communi divid.* ut si res divisionem respuat, v. g. gemma, fiat licitatio, ut is rem accipiat integram, qui rem pluris licebitur, id est, aestimaverit, si autem res dividi commode possit, ad divisionem hanc *communi dividundo* actione contra novum possessorem agitur, ut suis regionibus dividatur;
5 Sed postquam ad divisionem provocatur et lis contestata, socius suam partem ut litigiosam alienare
6 nequit. Sed cur hic requiritur litis contestatio, cum tamen actiones reales sola citatione fiant li-
7 tigiosae, per *Auth. litigiosae C. de litig.* Resp. *hic DD.* esse hanc actionem mixtam, nec hic agi principaliter de dominio, sed solum de dividendo, *Castr. hic num.* 6. Colligit ex hac lege *Sa-* 8
lyc. I. Quod unus ex consortibus possit altero
consorte irrequisito alienare, nisi statuto aliud 9
receptum, v. g. si statuto receptum, ut Socius vel Cognatus praeferatur, *argum. C. Constitutum. X. de Restit. in Integrum,* qua de re *Carpz. p.* 3. *Jurispr. Const.* 15. *def.* 34. *et seqq.* vel,
nisi alter socius majorem partem in re habeat, 10
l. 34. §. 2. *C. de Donat. Carpz. d. Const.* 15. *def.* 34. *Simon. Ulrich. Pistoris ad Obs.* 147. *Hartm. Pist.* de quo vide *in fine.* II. Colligit: 11
Judicium divisorium esse mixtum in rem et personam, et ideo sequi possessorem etiam secun- 12
dum et tertium; nam hic dicitur agendum esse
contra Emptorem, si scilicet possideat. III. Quod 13
si res commode dividi possit, rem esse dividendam regionibus; sed ubi commode non potest 14
dividi, ad licitationem agendum, ut plus licitanti vendatur, primo quidem uni ex consorti- 15
bus, deinde aliis etiam extraneis; sicut dicitur in *l. ad officium* 3. *h. t.* de qua postea. Quid
si vero idem licitentur consortes tunc eum ad- 16
mitti putat *Tiraq.* qui majorem habet partem, *de jure Primogen. Cap.* 60. *num.* 16. Sed anne 17
Judex ad licitationem pervenire poterit, licet res commode dividi possit, et hoc petat, alter? Et negat hoc *Jason. in* §. *quaedam Inst. de Act. num.* 59. et hunc referens *Alv. Valasc. de Partit. cap.* 22. *num.* 7.

L. Si Prolatum. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Decisio. 3.
Ratio decidendi. 4.
In quibus differat h. l. a praecedenti? 5.
In quibus conveniant? 6.
Si exceptio praeposterationis non fuit opposita, et quis intentet judicium communi dividundo, *priusquam partem suam vindicet, probetque rem esse communem, judicium propterea non est nullum.* 7.
Licet reus non neget dominium vel communionem, caute tamen facit actor, si probet. 8.
Qua cautela hodie non opus est, si juxta no-

viss. Constitut. Imper. reus ad omnia libelli membra specifice respondeat fatendo vel negando. 9.
Emendo rem communem videmur societatem contrahere. 10.
Limitatio. 11.

1 Socius et Frater Aviti (militis) vineas communes in solidum creditori suo pignoris loco tradiderat, contra *l. si rem alienam* 9. *ff. de*
2 *Pign. Act.* Quid agendum Avito? prius debet
3 partem suam vindicare cum fructibus, ut declaretur Dominus, postea poterit provocare ad
4 divisionem, uti in *l. praeced.* Si enim prius provocaret ad divisionem, esset praeposteratio, et opponetur ipsi Exceptio Ordinis; nam prius debet constare, an Avitus sit Dominus. Quando autem ad divisionem provocat possessor, tunc per licitationem plus licitanti tota vinea addicitur vel dividitur prout aequum videtur Judici. Ex quibus apparet, in quo differat haec lex a
5 praecedenti; nam 1. ibi partem dedit, hic totam rem tradidit. 2. ibi vendidit, hic obbligavit. 3. ibi possessor non negabat actorem socium, hic vero negabat et ideo erat necessaria Rei
6 Vindicatio. Conveniunt autem in eo, 1. quod ut ibi, ita et hic Actio *Communi Dividundo* sequatur Possessorem, et hoc loco Creditorem. 2. ut pariter et hic, si res commode non possit dividi ad licitationem perveniri possit. Si ta-
7 men exceptio praeposterationis non fuit opposita, et quis intentet Judicium *communi dividundo*, probetque rem esse communem, Judicium propterea non est nullum, per *l.* 34. §. 1. *ff. de Evict. gl. hic et Salyc. num.* 5. *Castr. num.* 2. *et alii.* Monet tamen *Castr.* et ex eo, *Sich. num.*
8 6. licet Reus non neget dominium vel communionem, tamen Actorem caute facere, si pro-
9 bet. Verum hac cautela opus hodie non esset, si juxta Novissimam Constitutionem Imperii Reus ad omnia libelli membra specifice respondeat
10 fatendo vel negando. Ex hac lege volunt etiam probare, quod emendo rem communem videmur societatem contrahaere, *Masc. de probat. Concl.* 1316. *num.* 10. *et Barbosa hic num.* 3. *et Hillig. in Donell. lib.* 13. *capit.* 15. *lit. G.* quod forte melius ex *l.* 2. *C. Pro Socio* proba-
11 tur. Inter ipsos autem Creditores si agatur, tunc tantum debitum aestimatur, *l.* 7. §. 12. *ff. h. t.*

L. Ad Officium. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Decisio. 3.
Ratio decidendi. 4.
Judex delegatus contra unum non potest causam cognoscere, quam debeo contra alium. 5.
Ampliatio hujus. 6.
Limitatio. 7.
Forma libelli hic describitur. 8.
Requisita, ut tertius licitator prae consortibus admittatur. 9.
Si alter consortium justum pretium offerat, non est tertius licitator admittendus. 10.
Non est tertius licitator admittendus si a neutra parte fuerit submissus. 11.
Ratio. 12
Tunc res videtur commode dividi posse, quando pars separata eam utilitatem praestat, quantam posset praestare alteri unita, et nemo sociorum ex divisione damnum allegare et probare possit. 13.
Quando consors vel socius unus majorem caeteris partem habet, ipsi permittendum est jus optionis. 14.
Dubitat de hoc Tiraquell. 15.
Obtinuit tamen communior sententia. 16.

Remanserunt mihi cum fratre quaedam com- 1
munia, quorum nonnulla frater pro sua parte alienaverat, provoco ad divisionem, Quaeritur: 2
Contra quem agendum sit? Resp. Agendum es- 3
se cum Emptore sive Possessore, quia judicium 4
est Reale, et si res commode dividi possint, suis regionibus dividendae, et si res dividi non possint, procedendum juxta *l.* 1. per licitationem, vel res tota uni adjucanda, et dimidium pretii alteri restituendum; si vero neuter tantum pecuniae habeat, etiam extraneus emptor admittitur. Ex *principio* collige: Judicem dele- 5
gatum contra unum non posse causam cognoscere, quam habeo contra alium. Et licet, si 6
rem communem cum pluribus haberem, possim eos coram uno Judice convenire *t. ff. de quibus rebus ad eundem judicem eatur;* id tamen non est, si habeam unam rem commu- 7
nem cum uno, et alteram cum altero, *Bald hic num.* 2. *Cast. hic num.* 3. Unde fluit, diversos etiam esse dandos libellos, *Castr. hic num.* 4. *et Salyc. num.* 2. Formam libelli hic describunt 8
Br. et Bl. Notetur ex *hoc textu*: Tertium Lici- 9
tatorem non admitti, nisi duo haec copulative reperiantur, scilicet si alter consortum minus dignum pretium offerat, et alter ob paupertatem non sit idoneus ad idem pretium solvendum, nedum augendum; nam eo casu tertius licitator ab altero consortum, pauperiore scilicet, submissus admittitur, *Castr. hic num.* 6.
Unde probatur sententia Doctorum, si alter 10
consortum justum pretium offerat, non esse tertium licitatorem admittendum, *Castr. hic d. l. et Salyc. num.* 2. et multo minus admitten- 11
dus tertius licitator, si a neutra parte fuerit submissus; quia non licet extraneo compellere 12
alterum ad hanc venditionem, quae ex licitatione consurgit, et iste extraneus non habet jus in processu, *Bald. hic num.* 6. *Castr. hic num.* 6. *infra, et Salyc. num.* 2. et ideo dubia decisio *Dn. Carpz. p.* 3. *Jurispr. Const.* 5. *def.* 40. Quia autem saepe in hac materia mentio fit rei dividuae et individuae ideo hinc non male
Barbos. rem quae commode dividi possit, hanc 13
esse dicit, *num.* 8. quando pars separata eam utilitatem praestat, quantam praestare posset alteri unita, etsi nemo sociorum ex divisione damnum allegare et probare possit, *Guttier. de juram. Confirm. p.* 1. *cap.* 58. *num.* 6. quem allegat. *d. l. Barb.* In eo sane casu, quando
consors vel socius unus majorem caeteris partem 14
habet, ipsi permittendum esse jus optionis, ex *l.* 31. §. 2. *C. de Donat.* tradunt *Capyc. Dec.* 36. *num.* 1. *Petrus Sanz Morquecchi de Divis. Bon. l.* 2. *cap.* 10. *num.* 7. *et Valasc. de Part. c.* 22. *n.* 3. *Carpz. part.* 3. *Jurispr. Const.* 15. *def.* 31. et quos hic *Barbosa* allegat. Sed de eo
videtur dubitare ipse *Tiraq. de Primogen. Q.* 15
60. *num.* 16. et communior sententia obtinuit. 16

L. Si major. 4.

SUMMARIA

Divisioni standum est. num. 1.
Ampliatio. 2.
Limitatio. 3.
Si minor per divisionem est laesus, datur restitutio in integrum. 4.
Quae manserunt indivisa, ad eorum divisionem adhuc agi potest. 5.
In divisione ratio est habenda sumptuum ab haerede uno factorum. 6.
Item fructuum perceptorum, nec non doli admissi et culpae. 7.
Ratio horum. 8.
Divisionem esse factam, est facti, et propterea probandum. 9.
Si fratres pro diviso feudum possederint per longum tempus, videntur et praesumuntur inter se divisisse. 10.
Limitatur. 11.
Quae limitatio quamvis displiceat Saliceto, Jasoni et Cephalo. 12.
Vindicatur tamen ab auctore, addita insimul limitatione. 13.

1 Divisioni standum est, licet nullum Instru-
2 mentum desuper confectum, modo aliunde
3 probari possit, *hic et l. 12. tit. praeced.* Si ta-
4 men minor quis laesus sit, datur Restitutio, et,
5 si quae manserunt indivisa, ad eorum divisio-
6 nem adhuc agi potest, et habenda est ratio sum-
7 ptuum ab uno haerede factorum, item fructuum
perceptorum, nec non doli admissi et cul-
8 pae, *l. 3. ff. h. t.* quia praestationes personales in
hoc Judicium veniunt, per *d. l. 3. ff. h. t.* Col-
9 ligitur ex *hac l.* Divisionem esse factam, esse
facti, et ideo hoc probandum ab eo, qui alle-
gat, *Mascard. Concl.* 527. *in tract. de Probat.*
Quaestionem autem hic post *glossam* omnes tra-
10 ctant: *An si fratres pro diviso fundum posse-
derint per longum tempus, videantur et prae-
sumantur inter se divisisse?* Quod hic *glossa
Br. Bl. et caeteri Interpretes* affirmant per *l.*
64. *ff. pro Socio, Menoch. lib.* 3. *Praes.* 60. *Pe-
tr. Sanz in tract. de Divisione Bon. lib.* 1. *cap.
ult. Morzius de Natura Societatis num.* 46. et
11 quos hic allegat *Barbos.* Sed multi requirunt,
12 ut aequalitater possideant, quod displicet *hic
Saliyc. num.* 2. *Jasoni lib.* 3. *Consil.* 2. *et*
13 *Cephalo Cons.* 737. *num.* 15. Sed puto omnino,
si nulla sit proportio inter partes, non videri fa-
ctam divisionem, quamvis praecise aequalitatem
non requiri putem; nam sic raro praesumi pos-
set divisio, cum facile non possit contingere
talis casus, in quo non aliqua inter partes inaequalitas vel in quantitate vel qualitate allegari possit.

L. In Communione. 5.

SUMMARIA

Nemo invitus in communione detinendus. num. 1.
Ratio. 2.
Ampliationes. 3. 4. 5.
Si ad certum tempus placuerit communio, ea retinenda. 6.
Limitatio. 7.
Quando inevitabiles discordiae ex communione orirentur, possunt partes ad evitandum peccatum ad divisionem procedere, licet pactum juramento confirmatum de non recedendo a communione additum. 8.
Quaedam personae non possunt provocare ad divisionem, possunt tamen provocari. 9.

Nemo invitus in communione detinendus, quia 1
haec mater discordiae, *hic et l.* 26. §. 4. *ff. de* 2
Condict. Indeb. etiamsi ita conventum sit, *l.* 14. 3
§. 2. *ff. h. t.* et licet per 30. vel plures annos
steterint in communione, *Simon. Pist. Cons.* 5. 4
quaest. 3. *Schurff. cent.* 2. *Cons.* 37. *num.* 18.
licet Testator injunxerit haeredibus, ut in com- 5
munione mancrent, *Goedden. Cons.* 19. *num.*
10. *et seq. Oldradus Cons.* 241. *Boër. decis.* 87.
num. 3. *et Cons. seq. Viv. decis.* 294. *Schurff.
d. l. num.* 14. *Carpz. lib.* 1. *Resp.* 103. *Cothmann.
Cons.* 38. *num.* 105. *et seqq. Vol.* 1. Sed si 6
ad certum tempus placuerit communio, ea
retinenda, *d. l.* 14. §. 2. *ff. h. t.* nisi pro- 7
pter discordiam utilius sit a communione re-
cedere, *l.* 14. *in fin. ff. Pro Socio, Schurff.
d. l. num.* 20. Et hoc casu, quando discordiae 8
inevitabiles ex communione orirentur, conce-
derem, licet pactum juramento confirmatum
de non recedendo a communione, posse tamen
partes ad evitandum peccatum ad divisionem
procedere, et ita admitto sententiam *Bacchovii
in Treutl. vol.* 1. *Disp.* 19. *th.* 14. *lit. I.* Conf.
et *Menoch. Cons.* 609. *num.* 31. *et seqq. Lud.
Gomez. ad d.* §. *quaedam num.* 24. *Inst. de Act.
Rol. a Valle Cons.* 84. *num.* 10. *et* 22. *Schraderus
in miscell. cap.* 21. et quos allegat *hic
Barbosa.* Excipiuntur 1. Minor. 2. Maritus in fun-
do dotali, et 3. Ecclesiae habentes fundum 9
cum privato communem, qui non possunt pro-
vocare ad divisionem, sed provocari, *l. pen. C.
de Praed. Min. l.* 1. *et* 2. *C. de Fundo Dot.*

TITULUS XXXVIII.

Communia utriusque Judicii, tam Familiae Erciscundae quam Communi Dividundo.

L. Divisionem. 1.

SUMMARIA

Divisio emptionis instar est. num. 1.
Limitatio. 2.
Ratio. 3.
Obligat divisio ad evictionem. 4.
Divisio transfert dominium vel usucapiendi conditionem. 5.
Ubi alienatio prohibita, ibi etiam divisio prohibita censetur. 6.

Dubitat de hoc Auctor. 7.
Ratio dubitandi. 8.
Maritus fundum dotalem potest dividere, quando ad divisionem provocatur, non vero alienare. 9.
Ratio diversitatis. 10.
Ubi alienatio et venditio prohibita, ibi ea tantum prohibita est, quae est voluntaria. 11.
Is qui prohibitus est alienare, non potest ad divisionem provocare. 12.
Limitatio. 13.
Distinguendum est hic inter alienationem simpliciter prohibitam, et in extraneum. 14.
Bona cum pupillis vel minoribus communia auctoritate tutorum vel curatorum dividenda. 15.
Comparatio inter emptionem et divisionem, item inter emptionem et permutationem, secundum quid intelligenda est. 16.
Ratio. 17.

1 Divisio Emptionis instar est, praesertim quan-
2 do ad licitationem proceditur. Permutatio enim
3 est similis Emptioni, Divisio autem est species
4 Permutationis, et obligat Divisio ad Evictionem,
5 *l. 7. h. t.* et transfert dominium, vel usucapien-
6 di conditionem, *l. 17. ff. de Usucap.* Hinc nonnulli, ubi alienatio prohibita, ibi etiam divisio-
7 nem prohibitam esse putant, de quo tamen du-
8 bito. Nam certum est, exempli causa, Feuda non Regalia inter cohaeredes dividi posse, vel eos qui communia Feuda possident; cum tamen alienatio Feudorum sit illicita, videatur *Rosenthal. de Feud. cap. 9. memb. 1. Concl. 54.*
9 *et seq.* Hinc maritus etiam fundum dotalem potest dividere, quando ad divisionem provocatur, per *l. ult. tit. praeced.* Sed alienare non potest,
10 per *L. Juliam.* Ratio est: Quia divisio, quando ad eam a socio provocor, est quidem species
11 alienationis, sed necessariae. Ubi autem Alienatio et Venditio prohibita est, ibi ea tantum prohibita est, quae voluntaria, non necessaria, *l. alia ratione 13. ff. Famil. ercisc. l. 5. ff.*
12 *de Petit. Haered.* Breviter ergo dicendum videtur, eum qui prohibitus est alienare, non
13 posse ad divisionem provocare, nisi sibi expediret, v. g. minorem, sed posse provocari. Dein-
14 de distiguendum inter alienationem simpliciter prohibitam, et in extraneum; si illa prohibita, divisio etiam prohibita, sed si haec, non item. Vid. *Rodoanus de Reb. eccles. non alien. Q. 2. cap. 35. Fusarius de Substit. q. 707. num. 1.*
15 *et duobus seqq.* Quando vero bona cum pupillis communia dividenda, vocandos esse tutores et curatores, tradit *A. Faber in C. h. t. Def.*
16 20. Demum notandum, comparationem istam inter Emptionem et Divisionem, item inter emptionem et permutationem, secundum quid
17 intelligendam esse: nam emptio solo consensu constat, non ita permutatio aut divisio, *Bacch. ad l. divisionis 45. ff. de pactis.*

L. Etiamsi. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decisio ejus. 4
Executio parata non potest tribui sententiae nullae, consensu tamen partium approbatae. 5.
Sententia, quae ob incompetentiam judicis nulla est, partium consensu valida redditur. 6.
Limitatio. 7.
Specialis legis ratio. 8.
DD. hunc textum de omni sententia ab incompetente judice lata intelligunt. 9.
Actus nullus ob supervenientem consensum fit validus. 10.

Clericus et Laicus, quorum ille ab hoc pro- 1
vocatus erat, judicio divisorio agunt coram seculari judice, atque ideo incompetente, sed partes approbant ipsius sententiam, et quilibet acceptat sibi assignatam portionem. Quaeritur, *An* 2
valeat divisio? Videtur quod non, ob *l. pri-* 3
vatorum sup. de Jurisd. Resp. valere divisionem 4
non ob auctoritatem sententiae, sed ob consensum partium; et ob pactum seu contractum, ut notat *hic Bart. Bl. Castr. et alii, Afflict. dec. 117. num. 6.* Cujus observationis effectus est,
ut executio parata non possit tribui sententiae 5
nullae, consensu tamen partium approbatae, *Dec. Cons. 499. in fin.* Possunt conferri, quos magno numero hic allegat *Barbos. num. 8.* Col-
ligunt inde: Sententiam, quae ob incompeten- 6
tiam judicis nulla est, partium consensu validam
reddi modo jurisdictio potuerit prorogari. Con- 7
feratur *Hillig. in Don. lib. 17. Cap. 22. lit. B.*
quamvis hic etiam specialis ratio in odio com- 8
munionis sita esse videatur; sed *DD.* generali- 9
ter *hunc textum* de omni sententia ab incom-
petente judice lata intelligunt. Imo actus nul- 10
lus ob supervenientem consensum fit validus, ut ex *lege hac* colligunt *hic Doctores*, et ex iis *Thomingius Cons. 8. num. 61.*

L. Majoribus. 3.

SUMMARIA

Communis legis intellectus. num. 1.
Loquitur h. l. de extrajudicialibus divisionibus. 2.
L. 2. C. de resc. vend. *et in aliis b. f. contractibus locum habet.* 3.
Regula ex h. l. 3. et cit. l. 2. deducta. 4.
Ratio, cur majorem in h. l. mentio facta? 5.
Sententia Ant. Fab. h. l. restringentis notatur. 6.
Ratio notationis. 7.
Limitatio I. *regulae supra traditae.* 8.
Ratio Limitationis. 9.
Limitatio II. *num.* 10.
Is quoque restituendus, qui ipse divisit, et alteri optionem dedit. 11.
Berlichii et Mevii *sententia notatur.* 12.
Ratio. 13.
Saepissime una lex generaliter loquens ex alia restrictionem accipit. 14.
Berlichii et Mevii *sententia in judiciis recepta multas patitur exceptiones.* 15.

Hanc *legem tertiam* commun. *DD.* intelligunt, 1
non tantum de laesione alterius dolo facta, sed de enormi laesione ultra dimidium. Licet enim
verba generaliter sonent, loquitur tamen de 2
Extrajudicialibus Divisionibus. Nota bene: *legem* 3
secundam C. de Resc. Vendit. et in aliis con-

tractibus bonae fidei locum habere. Regula est
4 itaque, Majorennem dolo alterius laesum, vel si dolus tantum sit in re et non in animo, quod tunc ex hac lege possit implorari officium judicis et sententiae reformatio peti, sicut hic inferunt Interpretes, sufficere in libello *ex h. l. vel l.* 2. *de Rescind. Vend.* concludere ad re-
5 formationem divisionis. Propterea autem majorum meminit, quia de minoribus non est dubium, quin ii etiam ob laesionem non enormem, notabilem tamen, restitui possint. Et li-
6 cet *hanc legem* ad casum nondum impletae divisionis restringere velit *Ant. Faber dec.* 8.
7 *Err.* 1. alind tamen verbis et sententiae hujus legis convenire videtur, ut recte *Dn. Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 34 *def.* 11. Sed additur hic
8 limitatio, nisi a Judice facta esset divisio, quia
9 scilicet res judicata non potest ob laesionem
10 rescindi. Altera limitatio *ex l.* 7. *C. h. t.* si sciens pretium ita laesus quis esset, *Carpz. d. def.* 11. *et p.* 3. *Const.* 15. *def.* 19. et 20. et eum
11 quoque restituendum esse, qui ipse divisit et alteri optionem dedit, tradit *Ant. Fab. in C.*
12 *in hoc titulo def.* 5. Quamvis autem *Berlich. part.* 1. *Decis.* 146. *et. p.* 3. *Concl.* 21. *num.* 72. nec non *Dominus Mevius de jure Lubec. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 29. *num* 13. *et seqq.* putarint divisionem privatim factam, etiamsi non sit enormis laesio, tamen emendari, id video com-
13 muni sententiae repugnare, et quamvis hujus legis verba generalia huic sententiae singulari favere videantur; non tamen infrequens est, ut
14 una lex generaliter loquens, ex alia restrictionem accipiat. Interim suo loco istam sententiam
15 relinquo, et vereor, ne ista sententia in judiciis recepta multas pariat lites.

L. Si patruus. 4.

SUMMARIA

Hanc l. notabilem fecit Bartolus. *num.* 1.
Casus legis. 2.
Quaestio inde resultans. 3.
Deciditur negative. 4.
Ratio negationis. 5.
Limitatio 1. *num.* 6.
Limitatio 2. *num.* 7.
Res ex pecunia communi empta, non est communis. 8.
Res ex pecunia mea empta non est mea, sed ementis. 9.
Si quis non dixerit, quo nomine emat, in dubio pro se et suo nomine emere praesumitur. 10.
Limitatio. 11.
Extenditur h. l. ad pecuniam communiter repertam, et praedia ex ea comparata. 12.
Si societas particularis, quaesita nomine proprio etiam ex pecunia communi non veniunt communicanda, sed tantum pars pecuniae communis. 13.
Personae, quae a regula superiori excipiuntur. 14.

1 Hanc legem Notabilem fecit *Bartolus.* Patruus meus mecum communia habet bona, quaedam
2 bona vendit, pretium exinde redactum non est commune, *argum. l.* 48. §. *fin. ff. de Furt.* Ex pretio illo fundum comparat suo nomine; nam si communi nomine comparasset, communis foret, *l.* 24. *ff. de Negot. Gest.* Quaeritur: *An* 3
mihi detur Actio, ut fundum emptum mecum communicet? Quod negatur, quia in fundo illo, 4
quem ille suo nomine emit, nullum jus habeo, 5
nisi sit socius omnium bonorum, qui rem etiam 6
suo nomine emptam semper tenetur communicare, *l.* 74. *ff. Pro Socio,* aut nisi fuerit meus 7
Tutor, *l. si Curator* 3. *C. Arb. Tut.* alias agendum tantum est ad communicandum pretium, ex bonis communibus redactum, *argum. l. penult. tit. praeced.* Collige: Rem ex communi 8
pecunia emptam non esse communem, et rem ex pecunia mea emptam non esse meam, sed e- 9
mentis, quod auctoritatibus Doctorum confirmat *hic Barbosa.* Videatur et *Card. Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 6. *tit.* 16. *num.* 21. *et seq.* et si non dixerit aliquis, quo nomine emat, in 10
dubio pro se et suo nomine emere praesumitur, *l. et magis.* 4. *ff. de Solut. l. si pactum.* 9. *ff. de Probat.* nisi conjecturae, quibus hic mul- 11
tum tribuit *Baldus,* aut loci consuetudo aliud suadeat, *Mant. d. lib.* 6. *tit.* 17. *num.* 1. *et seq. et Barbos. hic in fine.* Potest etiam aliter *haec* 12
lex intelligi de pecunia communi reperta, et ex ea praediis comparatis, et secundum hunc intellectum, si societas particularis, quaesita 13
nomine proprio etiam ex pecunia communi (nam in secundo intellectu hoc praesupponitur) non veniunt communicanda, sed tantum pars pecuniae communis, *Petr. Barb. ad l.* 1. *p.* 1. *n.* 37. *ff. Sol. Matr.* Excipiuntur a Regu- 14
la superiori Miles, Pupillus, Minor et Ecclesia, partim per textum, partim *argumento l. si ut proponis* 8. *C. de Rei Vind. Corsetus sing.* 112.

L. De Instrumentis. 5.

SUMMARIA

Instrumenta communia apud quem deponenda? num. 1.
Apud quos non sunt deposita, illis descripta recognitaque tradenda seu copiae judiciales 2.
Possessor debet cavere de exhibendis originalibus si iis opus est. 3.
Etiam sorti hic potest esse locus. 4.
Ad licitationem hoc casu non deveniendum. 5.

Instrumenta communia, vel apud digniorem 1
haeredem, *l. fin. ff. de Fid. Instrum.* vel apud eum, qui majore ex parte haeres est, *l.* 5. *ff. Famil. ercisc.* vel apud Sequestrum vel Judicem debent deponi, caeteris descripta recogni- 2
taque tradenda, seu copiae judiciales; et posses- 3
sor debet cavere de exhibendis Originalibus, si iis opus sit, vel poterit etiam res sorti commit- 4
ti, de quo vid. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 149. *num.* 9. *Myns. cent.* 4. *Obs.* 37. *num.* 14. *Meischn. t.* 3. *d.* 13. *n.* 228. *et decis.* 24. *num.* 5. *Wesenb. in* π. *Famil. ercis. num.* 6. Sed ad licitationem 5
deveniendum non est, *l.* 6. *ff. Famil. ercisc.*

L. Si cum patruo. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.

Ratio dubitandi. 3.
Negatur quaestio. 4.
Ampliatur decisio. 5.
Conditio jurisjurandi in testamento reprobatur. 6.
Conditio jurisjurandi de futuro reprobatur. 7.
Si perjurium factum, ex l. fin. *ff.* de crim. Stell. *agendum.* 8.

1 Dividunt Socii inter se bona, alter autem promittit, se aliquem agrum alteri integrum permissurum, si jurarit se nullum dolum adhibuisse; sed alter juramentum non praestitit, nihilominus tamen vult retinere agrum, ejusque in-
2 strumenta, Quaeritur: *An possit non praestito*
3 *juramento retinere?* Videtur quod sic, quia improbatur conditio jurisjurandi *in lib.* 8. *ff. de*
4 *Condit. instit.* Sed negatur hic; quin imo hac
5 conditione juramenti non impleta, potest etiam
6 agi ad divisionem agri, quia reprobatur conditio jurisjurandi in testamentis, non contractibus, et praeterea conditio haec de praeterito
7 est, quae alias non reprobatur, licet bene conditio jurisjurandi de futuro reprobetur. Si ta-
8 men pejeret, ex *l. fin. ff. de Crim. Stellionatus* agendum esse, hic monent *DD.* et instruunt, non esse mentionem faciendam de violata religione, sed saltem de interesse deferentis, quod ex communi intellectu *l.* 2. *C. de rebus Creditis* ortum videtur, de quo *infra.*

L. Si fratres. 7.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Ad quam respondetur per distinctionem. 3.
Limitatio. 4.
Sublimitatio. 5.
Ex divisione agi potest ad evictionem. 6.
Quaer. an cohaeres, qui renunciat evictioni, ad partem pretii agere possit? 7.
Affirmatur quaestio. 8.
Sensus l. emptorem §. fin. ff. de act. empt. 9.
Alia quaestio. 10.
Circa quam fluctuat Baldus *et inclinat contra Gl.* 11.
Quae tamen defenditur. 12. *et* 13.
Rationi Baldi *respondetur.* 14.
Non statim quis scire rem esse alienam praesumitur, qui evictioni renunciat. 15.
DD. qui statuunt, in proposito casu non posse agi ad praestandam evictionem, sententia non est adeo improbabilis. 16.
Variae DD. circa casum propositum opiniones. 17.
Auctor rem totam distinctione quadam expedit. 18.

1 Frater meus fundum, qui pro indivisis partibus communis erat, sine meo consensu pignori obligavit suo creditori, et cum postea divideremus, ego illum fundum sortior; sed frater nullam mentionem pignoris facit. Postea Creditor contra me agit actione hypothecaria ratione totius fundi; sed quia frater suam tantum partem obligare potuit, per *l. si rem alienam* 9. *pr. ff. de Pig. Act.* ideoque evincitur ipsius tantum pars, alteram vero partem, quam frater obligare non potuit, retineo. Quaeritur: *qua* 2
actione possim ob partem fundi evictam agere contra fratrem? et Respond. me agere posse 3
contra fratrem ad praestandam evictionem actione ex stipulatu, si scilicet stipulatio intercessit. Sed si nulla stipulatio facta, *praescriptis verbis* ago, quasi ex permutatione, dum loco fundi ejus, quem ego adeptus sum, frater alia bona adeptus est, et ago ad id, quod interest, fundi partem mihi evictam non esse. Si vero 4
sciverim fundum esse obligatum, non possum agere ad praestandam evictionem, nisi ea ex- 5
presse mihi promissa sit, per *l. si fundum* 27. *C. de Evict.* Collige: Ex Divisione agi ad evi- 6
ctionem, de quo actum supra in *l.* 14. *C. Famil. ercisc.* Sed quaeritur hic: *An cohaeres,* 7
qui renunciat evictioni, ad partem pretii agere possit? quod affirmandum videtur ex *l. em-* 8
ptorem §. fin. ff. de Act. Empt. cujus sententia haec est, quando in contractu expressum 9
fuit, ut de evictione non teneretur, tunc quidem venditor de evictione non tenetur ad interesse vel ad damna, tenetur tamen ad pretium restituendum, si nihil specialiter expressum, quod etiam ad hoc nolit teneri, de quo *Ant. de Burgos in rep. c. fin. num.* 15. X. *de Empt. Romanus sing.* 387. *Caballinus de Evict.* §. 2. *num.* 23. *et* §. 5. *num.* 25. *Covar. lib.* 3. *Resol. cap.* 17. *num.* 2. *Molina de J. et J. d.* 280. *num.* 18. *Jo. Franc. Balth. tit.* 8. *Resol. Bavar. Res.* 5. Quaeritur igitur: *An ille cohaeres, qui renun-* 10
ciavit evictioni, nihilominus ad tantumdem proportionabiliter restituendum teneatur? Interpretes hic, praesertim *Baldus* fluctuant, et contra 11
glossam inclinant in eam sententiam, quod possit alter, cui res evincitur, uti *condictione ob causam*, non quasi re evicta, sed quasi re non tradita; putant tamen subtiliter dici posse, si 12
quis scienter rem alienam accipit, tunc non esse contractum *do ut des*, sed *ut facias*, scilicet *tradas*; nec esse locum poenitentiae, quia contractus erat hinc inde impletus juxta intentionem contrahentium. Aliam rationem pro *glossa* 13
addit *Gomez. tomo* 2. *Resol. c.* 2. *num.* 34. quod hic ob mutuum periculum non possit agi ad restitutionem, quod omnes communi periculo evictionis subjaceant. Sane *Baldi* rationi, qua 14
salvare vult *glossam*, potest responderi, quod 15
non statim aliquis sciat rem esse alienam, qui evictioni renunciat. Conferantur etiam *DD.* quos 16
hic Barb. allegat *num.* 6. qui statuunt, non posse agi ad praestandam evictionem; quorum sententiam non puto adeo esse improbabilem ex ratione *Gomezii*, quamvis DD. ab eo allegati 17
diversimode loquantur. Nam *Gail. l.* 2. *Obs.* 139. *num.* 15. de cohaerede sciente rem alienam loquitur. *Caballinus de Evict.* §. 4. *num.* 52. paucis verbis id attingit, et in specie non quaerit: an non ad partem pretii restituendam teneatur. Puto distinguendum esse: Aut cohaeredes omnes 18
accipiunt nomina, aut immobilia pariter periculo subjecta, et tunc si placet, ne praestetur evictio, cohaeredem cohaeredi non obligari ad partem pretii; aut unus accipit pecuniam, alter fundum; aut unus praedium sine controversia liberum, alter aliud periculo subjectum, et quia tunc cessat ratio mutui periculi, utique tunc ad pretii partem tantum agi potest ex *l.* 11. §. *fin. ff. de Act. Empt.* et sic distinguit *Steph. Gratianus parte* 2. *discept. for. c.* 234. *num.* 10.

L. Si inter vos. 8.

SUMMARIA

Quando divisio facta non possit retractari. num. 1.
De jure Canon. sicuti omnia pacta, ita quoque pactum divisionis suam firmitatem habet. 2.

1 Quando divisio facta 1. inter majorennes. 2. Sine dolo. 3. Sine enormi laesione. 4. per traditionem et acceptionem rerum divisarum, vel per stipulationem fuit consummata, *hic et l.* 45. *ff. de Pact.* tunc ea retractari nequit, *Don. lib.*
2 9. *cap.* 11. De Traditione, quod hic additur ex jure Canonico, non est necessarium, sicut enim omnia pacta, ita etiam divisionis pactum suam firmitatem habet.

L. Familiae. 9.

SUMMARIA

Non potest agi judicio divisorio, nisi bona sint in rerum natura et nondum divisa. num. 1.
Limitatio. 2.
Ratio. 3.

1 Non agi potest judicio divisorio, nisi bona sint in rerum natura, et nondum divisa, scilicet ad
2 ea dividenda, bene tamen ad praestationes Personales, per *l.* 18. *C. Famil. ercisc.* Nam licet
3 res communes sint divisae, vel in rerum natura non amplius sint, ad praestationes tamen personales, et quidem saepius agere possum.

L. Scriptura 10.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde proveniens. 2.
Quae deciditur affirmative, addita statim ratione. 3.
Limitatio. 4.
Verba enunciativa in Testamento non probant. 5.
Regulae hujus declaratio adducitur remissive. 6.

1 Diviserat Testator inter liberos omnia bona, et dixerat se nulla alia habere; post mortem autem nonnulla a Patre non nominata unus
2 cohaeredum detinet, Quaeritur: *An eorum divisionem petere possint caeteri?* Aff. quia verbis
3 testatoris dispositionis statur, non enunciationis
4 per *l. verba* 6. *C. de Testam.* nisi juraverit, se nulla alia habere, *Nov.* 48. *et Auth. quod obtinet. C. de Probat.* Colligunt *ex hac lege DD.*
5 celebrem illam Regulam: Quod verba enunciativa in Testamento non probent, *hic et l.* 7. *C. de Testam. Militis, l.* 14. *C. de Stipulat.* quam
6 Regulam declarant *Mascard. Concl.* 622. *Cardin. Mantic. de Conjecturis ult. volunt. lib.* 3. *tit.* 12. *Trentac. de V.* 5. *Resol.* 2. *Besold. p.* 2. *consil.* 31. *et p.* 3. *Cons.* 118. *Moller. diff.* 67.

L. Possessionum. 11.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Uxor a marito non debet divelli. 2.
Pacta, quae pro familiarum conservatione sunt inita, sunt favorabilia, et merentur Caesaream confirmationem. 3.

Familia servorum sive Adscriptitiorum, cognationis vinculo vinctorum, integra uni adju- 1
dicetur, non separetur, ne Pater a filio neve uxor 2
a marito divellatur, *Dn. Mevius part.* 6. *decis.*
102. *num.* 2. Ex qua lege colligunt DD. Pacta 3
ea, quae pro familiarum conservatione sunt inita, esse favorabilia, et confirmationem mereri Caesaream, de quo *Gail. lib.* 2. *obs.* 127. *Rosenthal. de Feud. p.* 1. *cap.* 2. *Concl.* 38. et quos hic allegat *Barb.*

L. Illud aequitatis. ult.

SUMMARIA

Casus. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Quae affirmatur. 3.
Limitatio 1. *num.* 4.
Limitatio 2. *num.* 5.
Legis ampliatio. 6.
Extenditur quoque lex ad donationem propter nuptias. 7.
Decisionis ratio. 8.
Duo casus notentur, quibus filia dotem habet praecipuam. 9.
In dubio pater aequalitatem inter liberos servare velle praesumitur. 10.
Legis hujus hodie non adeo magnus est usus. 11.
Excipitur versic. Sin autem extranei etc. 12.
Filius extraneo conferre non tenetur. 13.
Liberi cum extraneo instituti inter se quidem etiam hodie conferunt, sed non extraneo. 14.

Pater elocavit Filiam natu majorem, deditque 1
dotem, elocavit etiam minorem, data ipsi dote; sed hujus (minoris) maritus moritur, ideoque dos revertitur ad patrem, atque ita dos minoris cum caeteris paternis bonis consolidatur, et ita dos inter utramque sororem dividenda erat, cum tamen major natu suam dotem retineret, cum eo tempore in haereditate testati cessaret
collationis Jus, *leg.* 1. *C. de Collat.* Quaeritur: 2
annon etiam minor suam dotem et praecipuam
habere debeat? Affirm. si pater filias instituerit 3
haeredes, et si dotes sint aequales, alias si mi- 4
noris filiae amplior sit dos, tantum praecipit, 5
quantum major filia habet. Si vero cum extra- 6
neo filia minor instituta, tunc semper dotem
suam praecipit totam. Idem ad Avum *in fine* 7
extenditur, et eadem ratio in patre, qui pro
filio dedit donationem propter nuptias. Decisio- 8
nis ratio est favor aequitatis et aequalitatis inter
fratres et sorores. Et ita colligitur, duobus ca- 9
sibus filiam habere dotem praecipuam: 1. quando reliquae sorores dotem similem acceperunt. 2. quando cum extraneis instituta filia haeres,

P. Barb. in l. si cum dotem 23. §. *si pater n.* 21. *ff. solut. matrim.* Conferatur idem ad *l. post dotem* 41. *num.* 31. *et seq. ff. solut. matrim.* Col-
10 ligitur etiam ex hac lege, patrem in dubio aequalitatem inter liberos servare velle praesumi, nisi contrarium appareat, *Cuno de Pactis cap.* 15. *num.* 54. Sed cum hodie major natu con-
11 ferre dotem teneatur, Legis hujus usus non adeo magnus. Versiculus autem, *sin autem ex-* 12
tranei etc. omnino etiam hodie locum habet, cum filius extraneo conferre non teneatur. Nam 13
liberi cum extraneo instituti inter se quidem et 14
hodie conferunt, sed extraneo etiam defuncti fratri, nihil conferunt, *Valasc. de Partit. cap.* 12. *num.* 32. *Vasq. de Succ. Resol.* §. 19. *n.* 12. *Franc. Barry de Success. lib.* 14. *tit.* 1. *n.* 3.

TITULUS XXXIX.

Finium Regundorum.

L. Regionem. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decisio negativa. 4.
Ratio 5.
Termini sunt observandi prout nunc sunt, non prout fuerunt antiquitus. 6.
In venditione fundi non attenduntur fines antiqui. 7.
Venditor fundi fines fundo pro lubitu assignare potest. 8.
Fines non praesumuntur mutati. 9.
Princeps concedendo castrum sub certis demonstratis finibus, non tenetur fines praestare antiquos. 10.

1 Fundum meum, sed mutatis finibus et detracta aliqua parte vendo tibi, tu postea agis contra me, et petis ut secundum antiquos fines
2 praestem fundum; Quaeritur an recte? Videtur
3 quod sic, quia antiqui fines attendendi, per *leg.*
4 *ultim. ff. h. t.* Sed Resp. id non recte peti,
5 quia dum secundum novos fines tibi fundum
6 vendo, servo venditionis fidem. Nota: terminos esse observandos, prout nunc sunt, non prout fuerunt antiquitus, *hic et l. penult. ff. h. t.*
7 Collige: In Venditione fundi non attendi fines
8 antiquos, sed in venditione expressos, et Venditorem fundi fines fundo pro lubitu assignare
9 posse. Licet alias fines non praesumantur mutati, sed antiqui mansisse videantur, si non probetur mutatio, per *l. seq. Bald. et Salyc. hic, et Hier. de Monte in Tr. Fin. Regund. cap.* 21. *n.*
10 1. *et* 2. et hinc probatur, Principem concedendo castrum sub certis demonstratis finibus, non teneri fines praestare juxta fines antiquos, *Baldus hic, et de Monte d. c. num.* 3.

L. Successionum. 2.

SUMMARIA

L. haec extendit legem praecedentem. num. 1.
Ratio extensionis. 2.
Ampliatio 3.
Si venditor novum possessorem non certioraverit de finibus mutatis, in dubio juxta antiquos fines venditio facta praesumitur. 4.
Casus, quando in terminis aestimandis ne quidem monumenta vetera attendenda, aut census auctoritas. 5.
Subditi non adito magistratu per viam Transactionis fines pro lubitu dirigere et mutare possunt. 6.
Ratio dubitandi. 7.
Ratio decidendi. 8.
Potest etiam judex novos fines dirigere amovendae obscuritatis gratia. 9.

L. 2. Extendit *legem praecedentem*, si muta- 1
tione dominorum et successorum vel vicinorum consensu mutati sint termini; non enim veteres sed novi sunt custodiendi. Nam quamvis in 2
finalibus quaestionibus vetera monumenta et census auctoritas attendenda sit, secus tamen est, 3
si varietate successorum, et arbitrio possessorum fines mutati sint, per *dict. leg. ult.* sed si 4
venditor novum possessorem non certioraverit de finibus mutatis, in dubio juxta antiquos fines venditio facta praesumitur, juxta tradita *Hieronymi de Monte Tr. Fin. Regund. cap.* 21. *n.* 4. *Mascard. de Probat. Concl.* 393. *num.* 9. *et Concl.* 403. *num.* 7. *conclus.* 1083. *num.* 6. *Menoch. l.* 6. *Praes.* 43. Ideoque quando varietate suc- 5
cessionum et arbitrio possessorum, fines, additis vel detractis nonnullis portiunculis, postea permutatos esse probetur, ne quidem monumenta vetera attendenda sunt, aut census auctoritas, per *l. in finalibus* 11. *ff. h. t.* et ita sub- 6
diti, etiam non adito magistratu, per viam Transactionis fines pro lubitu dirigere et mutare possunt, *Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 41. *def.* 17. licet jus dirigendi fines partem jurisdictionis 7
esse dicat *Klock. cons.* 10. *num.* 489. *Vol.* 1. Nam hoc intelligendum est, quando partes con- 8
venire in finium quaestione non possunt, nam tunc fines dirigere controversos jurisdictionis est. Et si a partibus potest fieri mutatio, po- 9
test etiam a Judice fieri, ut novos fines dirigat amovendae obscuritatis gratia, *l.* 2. *ff. h. t. et Wesenb. in* ϖ. *ibid. num.* 7.

L. Si quis. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Circa quaenam hoc in casu quaerendum? 2.
Qualis hic requiratur probatio. 3.
In finium regundorum causa, oculari opus est inspectione. 4.
Mittendus ergo agrimensor utriusque partis sumptibus. 5.

Processus circa finium regundorum causam, in casum unius partis contumaciter absentis. 6.
Baldus *hic fluctuat, et tutius esse dicit, in regula permanere.* 7.
Bartoli *sententia verior.* 8.
Ratio. 9.
Plenius est judicium divisorium, quam alia. 10.
Ratio hujus assertionis. 11.
Quaestio quaedam. 12.
Cujus prius membrum approbatur a Baldo. 13.
Possessio hic probatur per culturam, et potissimum per perceptionem fructuum. 14.
Probatio per ocularem inspectionem omnibus aliis derogat, nec per rem judicatam excluditur. 15. *et seqq.*

1 Ago contra Vicinum judicio *Finium Regundorum*, et conqueror, ipsum de meo agro aliquid
occupasse, peto, ut termini reponantur in priorem locum, hic 1. de possessione quaerendum
2 est, quantum ego et vicinus hactenus possederimus, postea de proprietate, quo jure quisque
3 possideat, quod instrumentis vel testibus proba-
4 tur, et quia decisio fieri nequit sine oculari in-
5 spectione, ideo mittendus agrimensor utriusque
partis sumptibus, licet unus tantum petierit, *l.*
4. §. 1. *ff. h. t.* qui terminos collocet, quod
per sententiam Judex comprobat, et hic pro-
6 cessus observabitur, etsi altera pars contumaciter se absentet. Quod hic speciale, dum lite non
contestata, etiam iu principali causa in contuma-
7 ciam proceditur, quamvis autem hic fluctuet *Baldus*, et tutius esse dicat in Regula manere, quae
vult, ut lite non contestata ad sententiam definiti-
8 vam perveniri non possit, verior tamen est senten-
tia *Bartoli hic, et Castrensis, et Sichardi hic num.*
9 9. *et* 10. Nam hic aliis remediis, praesertim vero per missionem in rem litigiosam, non posset
consuli actori, et consentit *Covar. l.* 2. *Resol.*
c. 13. *in fin. Hier. de Monte d. Tr. c.* 31. *n.* 4.
10 Collige etiam: Plenius hoc esse judicium diviso-
11 rium, quam alia. Nam in prioribus non poterat
de proprietate vel dominio disputari, sed de iis
partes oportebat per institutam Rei Vindicationem et impetratam sententiam esse certas, sed
judicio huic quaestio possessionis quomodo hactenus fines vel agros possederint, et proprietatis, quousque dominium agri se extendat, an-
12 nexa est. Sed Quaeritur hic: *An agrimensores prius ponere terminos, et postea hi a judice approbari debeant: An vero Judex prius pronunciare debeat, et postea agrimensores terminos*
13 *ponere?* Et prior Practica approbatur *hic a Baldo num.* 2. *et Sichardo num.* 7. cum vix alias
judicis sententia possit esse certa. Sed Quaeritur
hic: *Quomodo possit probari Possessio?* Resp.
14 *Glossa* per culturam, potissimum vero per perceptionem fructuum, de quo *hic DD. et Tiraq.*
de Praescript. §. 1. *gl.* 5. *Mascard. Concl.* 1118.
et seq. et quos *hic* allegat *Barb. num.* 8. Note-
15 tur hic bene Modus probandi per Ocularem inspectionem, quae probatio omnibus aliis derogat probationibus, et nec per rem judicatam
excluditur, *Mascard. de probat. in proem. quaest.*
16 8. *Rulandus de commiss. p.* 2. *lib.* 3. *c.* 1. *Ber-*
17 *lich. p.* 1. *Concl.* 47. *in princ.* Missus autem agrimensor, licet ocularis inspectio ab uno petita
sit, ab utroque mercedem petit, *l.* 4. §. 1. *ff. h.*
t. Praxis autem hujus Ocularis inspectionis videatur ulterius *apud Hier. de Monte d. c.* 31. *et c.*

101. Sed notetur *ex l.* 5. *C. Unde vi*, quae cum 18
hoc textu juncta unum Rescriptum efficit, *Cujac. lib.* 19. *obs.* 16. praeterea invasorem finium alienorum ad poenam teneri, de qua in *d. l.* 5. *et in l.* 4. *seq.*

L. Si constiterit. 4.

SUMMARIA

Poena constituta in eum, qui finium regundorum *agit, et non expectata sententia aliquid de fundo vicini invadit. num.* 1.
Ratio poenalis hujus constitutionis. 2.
Remedium h. l. est unum ex remediis recuperandae possessionis, magnamque affinitatem habet cum l. si quis in tantam C. unde vi. 3.
Differentia inter h. l. et l. si quis in tantam. C. unde vi. 4.
Si aliquis ante litem motam invaserit alienum, tunc locum habet remedium h. l. 5.
Ratio dubitandi. 6.
Responsio ad hoc dubium. 7.
In rescriptis ad certam speciem directis non facile admittitur argumentum a contrario sensu. 8.
Interpretatio verborum, usurpare voluisse 9.
Alia interpretatio. 10.
Cum grano salis accipiendum quando a nonnullis DD. statuitur non incurrere poenam, qui tantum tentavit, sed non perfecit. 11.
Ratio. 12.
Unusquisque contentus esse debet suo, nec appetere rem alienam. 13.
Interdum concurrere potest actio ad interesse, vel juramentum in litem. 14.

Qui *finium regundorum* agit, et non expe- 1
ctata sententia aliquid de fundo vicini invadit,
ille, si justam habeat actionem, ea cadit, per
l. 13. *ff. Quod Met. caus.* si injustam, partem
occupatam non tantum, sed etiam tantundem
de suo restituere debet. Ratio in textu; *quod* 2
magis unusquisque contentus suo, rem non expetat juris alieni. Atque ideo hoc remedium 3
est unum ex remediis recuperandae possessionis, magnamque affinitatem habet cum *l. si*
quis in tantam C. Unde Vi, et *l. extat* 13. *ff.*
Quod Metus causa, et differt a *d. l. si quis in* 4
tantam, quod haec in immobilibus tantum et
horum finibus locum habet, et quidem si mutatio illa fiat post litem contestatam, ut ex
glossa hic communiter colligunt *DD.* Sed quid
dicendum, si aliquis ante litem motam invase- 5
rit alienum, et tunc locum habere dicit Remedium *hujus legis*, juncta tamen *d. l. extat, et*
l. si quis in tantam, Molina de J. et J. Disp.
695. *num.* 10. et quamvis delatae quaestionis 6
hic fiat mentio, responderi tamen possit, id ita 7
in specie facti fuisse narratum, et hanc constitutionem ad certam facti speciem esse directam, et ex talibus Rescriptis non facile admit- 8
ti argumentum a contrario sensu. Verba „ *usur-* 9
pare voluisse, ita hic interpretantur, quod volens usurpaverit, sicut in *l. fin. ff. de Rerum*
Divis. quamvis etiam dici possit, tunc cum ef- 10
fectu non occupasse, ut perpetuo possideret:
occupavit enim, sed detecta est occupatio: quare dicitur, eum voluisse occupare cum ad ef-

fectum, ut proposuerat, non perduxerit, *Menoch. Rem.* 9. *Recup. poss. n.* 333. Unde cum grano salis accipiendum id, quod habet *Hieron.*
11 *de Monte d. Tr. c.* 34. *num.* 11. *et Farin. qu.* 178. *num.* 415. *et Barbosa hic num.* 6. quod is non incurrat poenam, qui tantum tentavit, sed
12 non perfecit. Nam si actu occupavit, licet non retineat ob detectum crimen, pro eo, qui non perfecit crimen habendus non est. Demum recte omnibus hic inculcant *DD.* Morale illud:
13 Unumquemque contentum esse debere suo, et rem non debere repetere juris alieni; quod utinam omnes, et in specie illi, qui jura tra-
14 ctant, observarent! Notetur obiter: Quod etiam interdum concurrere possit actio ad interesse vel juramentum in litem, per tradita *Hieron. de Monte d. Tr. c.* 34. *num.* 9. *et c.* 69. *num.* 1. *et.* 2.

L. Quinque. 5.

SUMMARIA

Olim judicium finium regundorum de re modica non dabatur. num. 1.
Hoc abrogatum est in h. l. num. 2.
Ratio. 3.
Sensus hujus l. receptissimus. 4.
Ratio dubitandi. 5.
Sententia illa, quod extraordinarium remedium non detur ob rem modicam ex l. scio ff. de restit. in integr. *non est undiquaque certa.* 6.
Variorum interpretum difficilis hujus legis intellectus. 7. 8.
Finium regundorum judicio 30. *annorum spatio praescribitur.* 9.

1 Olim hoc judicium de re modica, id est,
2 quinque pedibus, non dabatur; id *hac lege* a-
3 boletur, quia judicium est Ordinarium, quod
4 de re modica etiam dari solet. Est enim hic sensus receptissimus traditus *hic a Gl. Baldo,*
5 *Salyc. Castr. et aliis*, quamvis non habeamus vestigium in jure, super termino 5. pedum non licuisse jurgium movere finale, quamvis
6 etiam sententia illa, quod Extraordinarium remedium non detur ob rem modicam, ex *l. scio.* 4. *ff. de Rest.* non sit undiquaque certa; Certe ex illa lege non probatur, de quo alibi.
7 Ideoque alium huic legi perdifficili sensum tri-
8 buerunt alii. *Kremberg.* ad §. *quaedam.* 20. *Inst. de Act. num.* 6. ita interpretatur, quod spatium quinque pedum inter confines agros aratorios sit reliquendum, quo ire, agere uterque dominus possit, et aratrum circumduci: Quod spatium 5. pedum usucapi vetabat *l.* 12. *Tabb.* Si vero ultra quinque pedes lis moveatur de fini-
9 bus terrae, tunc locus est judicio *finium regundorum*, cui tamen 30. annorum spatio praescribitur, si tamdiu vicinus quiete limites agri sui possederit. Ita *Kremberg. d. l.* ubi refert *Balbum de Praescr. p.* 4. *partis* 4. *qu.* 14. *et Heigium ad d.* §. 20 *num.* 39. Conf. *Andr. Alciat. in hanc legem*, cujus repetitio reperitur *vol.* 7. *repetit. juris Civil. et Ludovicum Catum* et quos hic allegat *Barbosa*, quorum tamen omnium disputationes ut meras conjecturas, aliis ventilandas relinquimus.

L. Cunctis. 6.

SUMMARIA

Actioni fin. regundorum non praescribitur 10. *vel* 20 *annis, sed* 30. *num.* 1.
Ratio. 2.
Dominium rei immobilis 10. *vel* 20. *annis acquiritur.* 3.
Exceptio. 4.
Indirecte huic actioni praescribitur 10. *annis.* 5.
Casus. 6.
Bacchovii sententia tanquam durior notatur. 7.
Lex Codicis emendans Pandectas non semper Justiniani est. 8.
Finibus nondum turbatis non nata est actio finium regundorum. 9.
Tempore finium turbatorum currit praescriptio. num. 10.
Limites regnorum, et Parochiarum, nunquam praescribi possunt. 11.
Limitatio. 12.

Actioni *Finium Regundorum* non praescribi- 1
tur 10. vel 20. annis, sed 30. 1. quia occupans 2
partem fundi alieni non habet titulum: 2. haec actio est mixta et simul personalis, quamvis e-
nim dominium rei immobilis 10. vel 20. annis 3
acquiratur, Exceptionem tamen id habere vide- 4
tur in re cum alio communi, ob naturam actionis mixtae: sed indirecte tamen huic actioni 5
praescribitur 10. annis, quando fundum cum 6
finibus usucapio, *l.* 2. §. 6. *ff. pro Empt.* quia Universitatem possedi, non singulas partes, *Balb. de Praescript. part.* 4. *partis quartae principal. quaest.* 14. *num.* 5. *et* 6. *Hier. de Monte d. Tr. c.* 74. *num.* 3. Vel dici posset, fundum amplioribus finibus possessum ita a me esse emptum, et sic habeo titulum. Si ergo ampliores quis fines possideat ex titulo, quia scilicet auctor ejus eosdem fines ita demonstravit, tunc per praescriptionem longi temporis fines cum fundo erunt usucapti; Si vero ipse vicinus ampliores fines usurpavit ignorans, tunc, quia titulus deest, praescribitur 30. annis, quae praescriptio alias etiam in actionibus mixtis locum habet, *l.* 8. *C. de Petit. Haered.* Illud sane durius vide-
tur, quod *Bacch. in Treutl. D.* 19. *th.* 8. *lit.* 7
C. D. statuit, dicto §. 6. esse derogatum per *hunc textum*, qui tamen non est Justiniani,
quamvis non dicam, legem Codicis emendan- 8
tem Pandectas semper Justiniani esse debere.
Illud sane certum est, finibus nondum turba- 9
tis non natam esse actionem finium regundo-
rum, et sic praescribi non posse; sed a tem- 10
pore turbatorum finium demum currit praescriptio, *Hieron. de Monte d. cap.* 74. *num.* 2.
Balb. d. q. 14. *num.* 2. Limites Regnorum, 11
Parochiarum etc. nunquam praescribi posse, si
de finibus constet, tradunt Canonistae per *c.* 12
super eo de Parochiis. Mynsing. cent. 6. *obs.* 28. *Menoch. Cons.* 21. *num.* 21. *Auctor in l.* 16. *ff. h. t. num.* 16.

TITULUS XL.

De Consortibus Ejusdem Litis.

L. Explosis. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Quae videtur expediri posse per distinctionem. 3.
Consors alicujus litis pro sua parte agere potest. 4.

1 Reus agenti uni ex consortibus ejusdem litis Exceptionem opponit: tibi soli non competit actio, ideoque nolo respondere, nisi adsint con-
2 sortes. Quaeritur: *An Reus hac Exceptione se*
3 *defendere possit?* Et respondetur, si actor tantum agat de sua parte vel quota, hanc Exceptionem opponi non posse, *l.* 44. *ff. de judic.*
4 *l.* 9. *ff. de lib. caus. ibique Auctor.* Nota: Consortem alicujus litis pro sua parte agere posse.

L. Commune. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio exinde promanans. 2.
Affirmatur quaestio, addita limitatione. 3.
Consortes litis quinam? 4.
Plenius in h. l. distinguit Bart. 5.
A quo ex parte dissentiunt Cujac. et Vult. 6.
Casus excepti, quibus quis consors non admittitur cum cautione de rato, remissive adducuntur. 7.
Post litem contest. dilatoria exceptio opponi potest. 8.
Limitatio. 9.
Mandatum jurandi in animam omnium unus consortum procuratori dare nequit. 10.

1 Plures litis ejusdem consortes, acturi, vel se defensuri, contestantur litem, postea comparet tantum unus consors litis, et vult nomine omnium agere vel excipere; Quaeritur: *An pos-* 2
sit? Aff. Si praestiterit Cautionem de Rato, quan- 3
do Actor est, vel Cautionem judicatum solvi, quando Reus est. Sunt autem consortes litis pro- 4
prie, qui habent communem causam, et habent idem jus, id est, eandem causam agendi vel se defendendi, *Berlich. p.* 1. *Concl.* 14. *num.* 45.
Plenius autem in *hac lege* distinguit *Bart.* quem 5
etiam sequitur *Castrens.* Aut res scilicet est individua, et unus solus potest agere vel defendere, *l.* 4. *si ex Noxali Causa agatur, l. loci Corpus* 4. §. 3. *ff. si Servit. Vind.* Aut res dividua est, et tunc vel lis nondum est contestata, et non potest unus agere, nisi pro sua parte, per *l.* 1. *h. t.* (in quo tamen *Cujac. hic et Vult.* 6
l. 2. *jurispr. c.* 30. *num.* 29. laudati a *Berlich. d. l. num.* 54. dissentire videntur; sed horum interpretatio verborum, post litem ordinatam durior.) Defendere vero quis posset in solidum, sicut quilibet extraneus, *l. solvendo de Negot. Gest. l. Solutio ff. de Solut.* aut post litem contestatam; et vel vult agere aliis invitis et contradicentibus, et non potest, *l. si petitor ff. de judic.* aut aliis ignorantibus, et tunc potest agere praestita cautione de rato, ut hic. Et non obstat *l. Pomponius* 40. §. *ratihabitionis* 3. *ff. de Procur.* quia *ista lex* loquitur de emergentibus ante litem contestatam, quibus contestatio finem imponit. Casus exceptos, quibus quis consors 7
non admittitur cum cautione de rato, breviter enumeratos habes in *Berlich. d. num.* 56. et quos hic allegat; et quamvis nonnulli eo in casu, in quo Speciale Mandatum requiritur, dubitent, eos tamen refellit *Covar. lib.* 1. *Resol. c.* 6. *n.* 6. quia etiam hic post litem contestatam opponitur exceptio mandati deficientis. Ex eo colligunt *DD.* post litem contestatam dilatoriam 8
exceptionem opponi posse, quando ea post 9
litem contestatam demum ortum habet, *Maranta p.* 7. *memb.* 9. *num.* 8. et quos hic allegat *Barbosa num.* 3. *et Umnius ad process. disp.* 8. *num.* 56. Mandatum sane jurandi in animam 10
omnium unus consortum procuratori dare nequit, *Du. Mev. p.* 5. *dec.* 391.

TITULUS XLI.

De Noxalibus Actionibus.

L. Si extat. 1.

SUMMARIA

De furto in servitute commisso contra dominum servus manumissus conveniri nequit. num. 1.
Limitatio. 2.
Potest tamen res surrepta, si extet, vindicari. 3.
Noxa caput sequitur. 4.
Servus manumissus propter furtum antea extraneo factum conveniri potest. 5.
Ratio differentiae. 6.

De Furto in Servitute commisso contra Do- 1
minum, servus manumissus conveniri nequit, nisi postea de novo contractet, id est, de lo- 2
co in locum transferat. Sed si res surrepta ex- 3
tet, vindicari potest, *l.* 1. *ff. Si is qui Testamento liber est.* Aliud est, si contra extraneum deliquisset, nam tunc vera illa Regula est,

4 Noxam Caput sequi, §. *omnis* 5. *et seqq. Inst.*
5 *h. t.* Cur autem ex furto extraneo facto, manumissus possit conveniri, non vero ex furto
6 facto domino, ratio est, quia extraneo statim nata actio contra servi dominum, quae actio semel nata sequitur secundum dominum vel ipsum caput, sed inter dominum et servum ab initio nulla constitit obligatio vel actio, *Sich. hic num.* 4. *et DD. ad* §. *Omnis, ibique Auctor.*

L. Si Servi. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decisio affirmativa. 4.
Ratio decidendi. 5.
In dubio Statuta non adimunt beneficia juris communis. 6.
Ratio. 7.
Consuetudo etiam secundum jus commune interpretationem accipit. 8.
Limitatio communis regulae nostrae legis. 9.
Statuta et consuetudinem ita interpretari debemus, ut quam minimum fieri potest, a jure communi recedatur. 10.

1 Statutum est, ut si quis salicem succidat, puniatur 30. aureis, servus meus id fecit me igno-
2 rante; Quaeritur: *An non obstante hoc statuto servum noxae dedendo liberari possim, quema-*
3 *dmodum id in aliis delictis licet?* Videtur quod non: quia statuta sunt stricti Juris et debent aliquid operari ultra jus commune. Sed resp.
4 quod sic, ob Regulam quae *ex hac lege* probatur:
5 quod Statuta accipiant interpretationem ex jure communi, nisi in specie aliquid contra jus com-
6 mune faciant; nam in dubio statuta non adi-
7 munt beneficia juris communis, ne aliquis da-
8 mnum patiatur. Et idem de consuetudine dicendum, quod et illa secundum jus commune interpretationem accipiat, per *c. cum dilectus X. de Consuetud. Baldus et Salyc. hic*, quorum hic latissime de Interpretatione Statutorum agit, et *Caeval. qu.* 374. *et Alder. Masc. in Tract. de gen. Int. Stat. Concl.* 2. *per tot. Tusc. Concl.* 573. *num.* 2. *seqq. Tit.* 5. *et DD.* quos *hic* magno numero allegat *Barbos. num.* 2. *et seqq.* communiter Limitatur, ut haec regula non
9 habeat locum in statutis juri communi derogantibus, et ubi statuti mens fuit juri communi derogare, *Gail. lib.* 2. *obs.* 33. *num.* 1. Conferantur et ea, quae cumulata sunt *in tract. axiom. Barbos. lib.* 17. *c.* 19. *axiom.* 1. Simile est quod
10 dicitur, Statuta, ut et consuetudinem ita nos interpretari debere, ut quam minimum a communi jure recedatur *l. un. C. de Inoff. Dot. d. c. cum dilectus Hartm. Pistor. p.* 1. *q.* 13. *in fin.*

L. Sive Servum. 3.

SUMMARIA

Pro delicto publico potest criminaliter agi contra servum, vel civiliter contra dominum. num. 1.
Qui tamen a solidi praestatione, dedendo servum noxae, se liberare potest. 2.
Limitatio. 3.
Verbum probaveris *in hac l. non ad omnia praecedentia referendum est.* 4.
Ratio. 5.
Cujac. et Gothofred. *notantur.* 6.
Ratio. 7.
Consentiens dominus eligendi jus amittit. 8.
Licet servi civili actione non possint pulsari, possunt tamen criminaliter puniri. 9.
Limitatio. 10.
Inscriptio ad poenam talionis etiam in Persona vilissima accusata locum habet. 11.

Pro Delicto Publico potest criminaliter agi 1
contra servum, vel Civiliter contra dominum,
qui tamen in effectu in solidum non obligatur, 2
sed dedendo noxae servum, liberatur, quando 3
eo ignorante delictum publicum est commissum,
v. g. plagium, ubi nota, verbum, *probaveris*, 4
non ad omnia praecedentia referendum esse,
quia alias negativam, dominum scilicet non 5
consensisse, teneretur probare, et ipsius actoris intentioni prosit, quod dominus consenserit, ut observavit *Dn. Jo. Thomae in Tr. de Noxia anim. c.* 8. *num.* 2. Et ideo non video, cur particula *non* transponenda sit ex Basilicis,
ut vult *Cujac. l.* 5. *obs. ult. in fine, et* ex eo 6
Gothofredus. Nam verbum, *probaveris*, ad non 7
consensisse, non refertur, sed ea verba, *eo non consentiente*, eo pertinent opinor, quod
consentiens dominus eligendi jus amittat. Colli- 8
ge: Licet servi civili actione pulsari nequeant, 9
posse tamen eos criminaliter puniri, ubi poena 10
est corporalis, non vero ubi poena relegatio vel pecuniaria, per *l. hos accusare.* 12. §. *ult. ff. de Accus.* quod *Br.* intelligit tantum de poena quotitativa bonorum. Sed generalius id cum *glossa hic* intelligit *Salyc.* qui etiam recte
colligit ex verbo, *solemniter*, inscriptionem ad 11
poenam talionis in persona vilissima accusata, locum habuisse.

L. Si Servus. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Deciditur per distinctionem. 3.
Actio vi bonorum raptorum intra annum in quadruplum, post annum vero in simplum competit. 4.
Noxalis actio non est nova species, sed qualitas actionis alias competentis. 5.
Illustratur hoc exemplo. 6.
Si sciente domino servus deliquit, dominus tenetur in solidum, nec dedendo servum liberatur. 7.
Si quid ex delicto ad dominum pervenit, id sine noxae deditione repeti potest. 8.
Propter raptum uxoris servus criminaliter conveniri potest. 9.
In effectu pro iisdem habentur, nescire, et scire quidem, sed impedire non posse. 10.
Damnatus Dominus ex delicto servi, si nulla culpa intervenerit, habet tamen adhuc optionem an velit noxae dedere mancipium, an vero solvere poenas et damna. 11.

Casus ubi dominus praecise poenam et damna solvere tenetur. 12.

1 Servus tuus uxorem Titii et ejus bona rapue-
2 rat. Quaeritur: *Quae actiones dentur contra te?*
3 Resp. Si te ignorante, seu sciente quidem, sed
4 prohibere non valente fecit, tum teneris Actione vi bonorum raptorum in quadruplum intra annum, post annum in simplum, sed dedendo
5 noxae servum liberaris: quia noxalis actio non est nova actionis species, sed qualitas, ideoque sicut actio vi bonorum contra raptorem datur in quadruplum, ita etiam datur contra raptoris dominum, sed ibi habet hanc qualitatem, ut
6 dominus dedendo servum se possit liberare, si servus domino ignorante quid deliquit; nam si
7 eo sciente factum, Dominus in solidum obligatur, nec dedendo servum liberatur. Si vero ex
8 rebus ad te aliquid pervenit, id sine noxae de-
9 ditione repeti potest. Propter raptum uxoris vero ipse servus criminaliter conveniri potest. Collige ex hoc textu: Quomodo hic conferan-
10 tur, et in effectu hic pro iisdem habeantur nescire, et scire quidem, sed impedire non pos-
11 se. Collige etiam: Damnatum dominum ex delicto servi, si nulla domini culpa intervenerit, habere tamen optionem, an velit noxae dedere mancipium, id est, dominium ejus in actorem transferre, vel solvere damna et poenas. Sane
12 si lis contra dominum mancipii sit contestata, et de delicto mancipii constet, et Reus adeo sit in mora tradendi, si mancipium postea moriatur, Dominus non habet amplius electionem, sed praecise poenam et damna solvere tenetur, *arg. l.* 1. *h.t. Molin. de J. et J. tr.* 2. *d.* 701. *num.* 4.

L. Si tibi. ult.

SUMMARIA

Ob furtum servi domino sciente factum servus ipse non convenitur, sed tenetur dominus. num. 1.
Et quidem ad integram litis aestimationem. 2.
Ampliatio. 3.
Idem in famulis hodiernis dici potest et liberis. 4.
Patresfamil. suorum liberorum et famulorum delictis obviare debent. 5.
Extenditur lex ad magistratum subditos non avertentem. 6.
Quaest. an in foro conscientiae dominus pro delicto servi teneatur, tractatur remissive. 7.

Ob Furtum servi domino sciente factum, ser- 1
vus ipse, qui bona non habet, non convenitur, sed tenetur dominus Actione furti, Condictione Furtiva, et Rei Vindicatione, adeo ut tradendo
servum Dominus non liberetur, sed ad integram 2
litis aestimationem, perinde ac si jussisset, o-
bligetur, *l.* 2. *cum seq. h. t.* licet interim ser- 3
vum manumiserit, *l.* 2. §. 1. *et l.* 5. §. 1. *ff. h.*
t. Idem in famulis hodiernis dici potest, et li- 4
beris. Si enim hi crimen committunt vel delictum scientibus patribusfamilias, et impedire valentibus, ad poenam, pecuniariam praesertim,
obligari ipsos patresfamilias, qui suorum libero- 5
rum et famulorum delictis obviare debebant, *l.*
2. *ff. h. t.* idem etiam de Magistratu subditos 6
non avertente. Vid. *Cagnolus in l. culpa caret. num.* 3. *ff. de R. J. Gomez lib.* 3. *Resol. cap.* 3. *num.* 4. vers. *Secus vero si sit Filius vel Servus vel persona subjecta ei etc. Farin. Pr.*
Crim. q. 51. *num.* 40. An autem in foro con- 7
scientiae, Dominus pro delicto servi teneatur, Vid. *Ludov. Molin. d. Tr.* 2. *d.* 713. *per totam.*

TITULUS XLII.

Ad Exhibendum.

L. Si Dominium. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta affirmatur. 2.
Limitatio. 3.
Legitima liberorum omnis gravaminis debet esse expers. 4.
Actio ad exhibendum est praeparatoria rei vindicationis. 5.
Ratio. 6.
Potest etiam aliis actionibus praeponi hoc judicium praeparatorium. 7.
Potest hoc judicium cum ipsa rei vindicatione vel causa principali cumulari. 8.
Limitatio. 9.
Ex persona matris filius venire potest contra factum patris. 10.
Limitatio. 11.
Non obst. l. cum a matre C. de R. V. 12.
Probatio interesse vel dominii, praesumptiva in hoc judicio facta, non relevat actorem in judicio principali a plena dominii, et juris sui probatione. 13.
Probatio in hoc judicio praeparatorio facta non sufficit in principali. 14.
Ratio. 15.
In judicio exhibitorio sufficit summaria cognitio. 16.
In summaria cognitione admittuntur praesumptiones. 17.
Si res parvi est praejudicii, juramento interesse probari potest. 18.
Hilligeri sententia notatur. 19.
Super iisdem articulis, qui fuerunt exhibiti in hoc judicio praeparatorio, possunt etiam testes in principali judicio exhiberi. 20.
Mutata forma judicii, etiam probationis natura mutatur. 21.
In hoc judicio non admittuntur exceptiones, quae sunt altioris indaginis. 22.

Pater tuus alienaverat servum dotalem, Matre 1
tua ignorante, hunc vindicaturus, ut servum certius cognoscas, intendis praeparatorium ju-
dicium *ad Exhibendum*; Quaeritur, *an recte?* 2
Resp. Affirmative, si non fueris haeres Patris, 3
aut non nisi in legitima, quae omnis gravami- 4
nis debet esse expers, per *l.* 32. *supra de Inoff.*

5 *Testam.* Collige: Actionem *ad exhibendum* esse praeparatoriam rei vindicationis. Nam per
6 hanc actionem non petit se instrui actor a reo, sed vult tantum certo scire, an haec res sit, quam petere intendit, ne in cassum laboret, *Hillig. in Donell. lib.* 20. *c.* 9. *lit. C.* quamvis
7 etiam aliis actionibus praeponi possit hoc praeparatorium judicium, *Sich. ad Rubr. h. t. et l.* 1. et quos citat *Hillig. d. c.* 9. *lit. A.* Et sic cum prae-
8 paratorium sit hoc judicium, cum ipsa rei vindicatione vel causa principali cumulari potest,
9 licet hoc citius expediendum. *Oldendorp. cl.* 3. *Act. I. Q.* 7. *Sich. ad Rub. h. t. num.* 8. *Hillig. d. c.* 9. *in fin. Gylman. l.* 2. *Rerum judic. Decis.* 52. *num.* 1. Colligunt praeterea ex hac lege *hic*
10 *Bl. Salyc. Castr. Sich.* ex persona Matris posse
11 filium venire contra factum patris, si hujus hae-
12 res non sit, ne obstet *l. cum a matre* 14. *C. de Rei Vind.* Deinde Probatur ex *hac lege*, li-
13 cet quis interesse suum vel dominium praesumptive probaverit in hoc judicio *ad exhibendum*, tamen in ipso judicio principali plene de dominio ac jure actoris probandum esse,
14 nec probationem in hoc judicio praeparatorio
15 factam sufficere in principali, quia in judicio *ad Exhibendum* non fit praejudicium magnum
16 ei, qui cogitur exhibere, ideo summaria co-
17 gnitio sufficit, in qua cognitione admittuntur praesumptiones, quae animum judicis eo permovent, ut pronunciet rem esse Exhibendam. In Rei Vindicatione autem, cum de proprietate ibi agatur, magnum fit praejudicium, ut ex verbis finalibus hoc probat *Sich. hic num.* 7.
18 imo si parvi res praejudicii, juramento interesse hoc probari potest, *l.* 5. *ff. h. t.* Quod vero
19 *Hillig. d. c.* 9. *lit. X.* eo ipso dicit probatum esse interesse, quod actor vult vindicare, in eo ipsi non assentior; nam ita vindicanti nulla foret probatio necessaria. Ex dictis fluit etiam hoc,
20 quod super iisdem articulis, qui fuerunt exhibiti in hoc praeparatorio judicio, possint etiam Testes in principali judicio examinari. Nam mu-
21 tata forma judicii, etiam probationis natura mutatur, *Hillig. d. l.* Nec in hoc judicio attendun-
22 tur vel admittuntur Exceptiones, quae sunt altioris indaginis, sed eae principali judicio reservantur, *l.* 3. §. 13. *ff. h. t. et ibi Bart. et Hillig. d. c.* 9. *lit. T.*

L. Si criminis. 2.

SUMMARIA

Criminale judicium contra ipsum servum datur, non dominum. num. 1.
Limitatio. 2.
Etiam in criminalibus judicium ad exhibendum, *ut judicium praeparatorium institui potest.* 3.
Intellectus Accurs. Salyc. aliorumque *h. l. notatur.* 4.
Ratio hujus notationis. 5.
Florentina lectio prae vulgari approbatur. 6.
Ipse servus, non dominus, criminis reus postulari dicitur. 7.
Ratio, cur in criminali judicio exhiberi debeat servus. 8.

1 Criminale judicium contra ipsum servum datur, non Dominum, per *l.* 3. *tit. praeced. Ad Exhibendum* tamen prius contra dominum agi 2
potest, ut sciatur, quis sit servus, qui delictum fecit, Collige etiam: In Criminalibus Judicium 3
ad exhibendum, ut Judicium Praeparatorium, institui posse. Licet enim *hanc legem* 2. de cau- 4
sa civili accipiant hic *Accurs. Salyc. Castr. et Sichard.* hoc sensu, quando ob crimen servi laesus contra dominum vult agere, ut noxae det vel damnum resarciat, utuntur tamen hi omnes et quotquot ipsos sequuntur, falsa hypothesi. Allegant enim *l.* 13. *ff. h. t.* ubi juxta 5
veterem lectionem requiri *pecuniarium* interesse videbatur. Sed mendosa illa lectio et melior Florentina, quae legit *peculiariter*, ut probat 6
Hillig. in d. c. 9. *lit. T.* Et certe servus ipse 7
(non Dominus) criminis Reus postulari dicitur, facit *l.* 2. *et* 7. *C. de Accus. et l.* 2. *C. de custod. Reorum.* quin et justa ac probabilis hic 8
causa exhibitionis, ut servus praesens accusetur, cum testibus componatur, ac ut socios et complices indicet, *Don. d. c.* 9. *et ibi Hillig. lit. P.*

L. Neque. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Duo sunt requisita actionis ad exhibendum. 2.
Quaestio ex casu orta. 3.
Decisio negativa cum ratione decidendi. 4.
Absolutio non obest, quando ex nova causa agitur. 5.
Cessante causa finali seu primaria rei judicatae, non nocet exceptio rei judicatae. 6.
Legis dispositio extenditur ad rei vindicationem. 7.
Quomodo judex in rei vindicatione debeat absolvere reum, si actor quidem probaverit dominium, non vero possessionem. 8.
Notabilis est l. si a te 9. ff. de exc. rei judic. 9.
Casus quo prior sententia sine novo processu executioni traditur. 10.
Quando ex sententia resultare possunt diversi effectus, causam exprimat judex, ob quam absolvat reum. 11.
Ratio. 12.
Ex causa nova superveniente semper licitum est, non obstante acceptione rei judicatae, denuo agere. 13.
Quaest. an si egerim vel ad exhibendum *vel* rei vindicatione, *et succubuerim, velim tamen ex alia nova causa agere, admittendus sim?* 14.
Quae expeditur per communem distinctionem. 15.
Quaestio alia. 16.
Quae negatur. 17.
Quotiescunque in judicio mutatur aut res, aut persona, aut causa, tunc non obstat exceptio rei judicatae. 18.

Egi contra te *ad Exhibendum*, sed quia forte 1
non possidebas, aut ego nullum interesse tunc habui, quae duo sunt requisita hujus actionis, 2
l. 3. §. 9. *et fin. ff. h. t.* fuisti absolutus. Sed quia jam possides, *ad Exhibendum* tecum iterum ago. Quaeritur: *An mihi obstet Exceptio rei* 3
judicatae? Negatur, quia ex nova causa ago et 4
cumulata lis est, seu in aliam naturam translata. Cum enim ex diversa causa agitur, non est eadem lis, nec obstat Exceptio rei judica-

tae, *l.* 11. §. 4. *ff. de Exc. Rei Judic.* Collige;
5 Absolutionem non obesse, quando ex nova cau-
6 sa agitur. Cessante enim causa finali seu primaria rei judicatae, non nocet Exceptio rei judicatae, *hic et l.* 9. *pr. ff. de Except. Rei jud. Surdus Cons.* 268. *num.* 28. *Zang. de Except.*
7 *p.* 3. *c.* 17. *num.* 49. *et seqq.* Idem in Rei Vindicatione si non probata possessio, ubi tamen
8 Notandum, si Actor probaverit dominium, non vero possessionem, non debere judicem absolute reum absolvere, sed ita pronunciare: Declaramus actorem esse dominum, sed reum, quia non possidet, absolvimus ab instantia, per
9 practicam notabilis *legis si a te.* 9. *ff. de Exc. Rei jud. Castr. hic num.* 2. *Sich. num.* 3. *et seq. Zas. in d. l.* 9. et tunc si postea possidere
10 incipiat reus, sine novo processu prior sententia executioni traditur contra reum, nec opponitur Exceptio rei judicatae, *Petr. Barb. in l. si constante* 24. §. *fin. num.* 13. *ff. Sol. Mat.* Si autem Judex ita non pronunciavit, sed simpliciter Reum absolvit, tunc quidem processu novo opus est, quia non potest constare, ex qua causa absolverit. Sed opponi non poterit Exceptio rei judicatae, ideoque in hoc casu utile est,
11 ut exprimat causam Judex, ob quam causam absolvat reum, quod toties etiam necesse est, quando ex sententia resultare possunt diversi ef-
12 fectus, ne sententia noceat indefinite et generaliter concepta, post *Socinum Zas. d. l.* Cer-
13 tum ergo est indistincte ex causa nova superveniente, semper licitum esse, non obstante Exceptione rei judicatae, denuo agere. Sed quid
14 si egerim vel *ad Exhibendum* vel *Rei Vindicatione* et succubuerim, velim tamen ex alia causa non quidem nova et superveniente, sed praeexistente, sed in judicium nondum deducta agere, *An admittendus sim?* Et communis est
15 Distinctio, quam hic post glossam tradunt *Salyc. num.* 2. *Castr. num.* 3. *Sich. nu.* 5. utrum causa specialis in judicium ante deducta, an tantum in genere de dominio actum: si illud, ex alia agere possum, sin hoc, non possum agere, quia omne meum jus in judicium deduxisse videor, per *l. si mater* 11. *pr. et* §. 1. *et* 2. *et ibi Zasius ff. de Except. Rei judic. Zang. d. c.*
16 17. *n.* 57. *et seqq.* Illud autem hic quaerit *Salyc.* si in casu hujus legis absolutus reus, quod non possideret, cum tamen vere et illo tempore possiderit, an reus possit excipere: imo etiam tempore sententiae possedi. Et omnino pu-
17 to, reum non posse hoc allegare citra notam turpitudinis, quidquid dicat *Salyc.* Demum ob-
18 serva ex *hac lege*; Quotiescunque in judicio mutatur aut Res, aut Persona, aut causa, tunc non obstare Exceptionem Rei Judicatae, *l.* 3. *ff. de Except. Rei jud. Sich. hic num.* 3.

L. Non ignorabit. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quamvis ex praeteriti temporis possessione non nisi in immobilibus praesentis temporis possessio praesumatur, idem tamen in re mobili est. 2.
Limitatio. 3.
Ratio. 4.
Delicta non praesumuntur. 5
Actio ad exhibendum est arbitraria. 6.
Contra non exhibentem, aut nimis sero exhibentem, datur juramentum in litem veritatis. 7.
In ff. et Institutionibus saepe legimus contra eum, qui mala f. rem dissipavit, agi ad exhibendum. 8.

Tu possides Instrumenta mea, quae exhibere 1
jussus, recusas, datur mihi potestas jurandi in litem, id est, juramento asserendi, tanti mea interfuisse, rem fuisse exhibitam, aut saltem citius fuisse exhibitam, *l. pen. ff. de in Lit. Jur.* Collige: Quamvis ex praeteriti temporis 2
possessione non nisi in immobilibus praesentis temporis possessio praesumatur, per *l. sive possidetis* 16. *C. de Probat. Ant. Gabriel. lib.* 1. *tit. de Praesumpt. Concl.* 10. *num.* 2. *et* 3. *Mascard. de Probat. vol.* 3. *Concl.* 1202. *num.* 22. *Menoch. lib.* 6. *Praesumpt.* 94. *num.* 24. *Alciat. Reg.* 2. *praes.* 21. *num.* 7. idem tamen in re mobili esse, si quis eam tempore litis motae 3
possedit; nam tunc etiam adhuc eam rem pos- 4
sidere videtur, ut ex *hac l.* colligunt *hic DD.* et *Menoch. d. l. num.* 28. nam alias rem litigiosam alienasset, quod foret delictum: delicta autem 5
non praesumuntur. Collige ex hac lege: I. Hanc actionem esse Arbitrariam. II. Contra non Exhi- 6
bentem, aut nimis sero Exhibentem, dari 7
juramentum in litem, non quidem Affectionis, sed Veritatis, quo juro, tanti mea interfuisse exhibitionem non fuisse dilatam, *Setserus de juram. l.* 5. *c.* 5. *n.* 30. *Afflict. dec.* 330. *num.* 3. quem refert *Farin. quaest.* 176. *num.* 46. quae utilitas ipsa re exhibenda interdum potest esse major, *l.* 9. §. *fin. ff. h. t.* et ideo saepe legimus in *ff.* et *Institutionibus*, quod contra 8
eum, qui mala fide rem dissipavit, agatur *ad Exhibendum*, ut in §. 2. *Inst. Quib. alien. licet*, ubi dicitur de nummis alienis mala fide consumptis. Hi omnes textus intelligendi sunt, eo fine dari *ad Exhibendum* actionem, ut jurari possit in litem.

L. Ad Exhibendum. 5.

SUMMARIA

Contra possidentem haec datur actio. num. 1.
Ampliatio. 2.
Ratio hujus. 3.
Is, qui dolo desiit possidere, ad exhibendum, vel potius ad interesse tenetur, quod res exhibita non sit, nec exhiberi possit. 4.
Ratio. 5.
Haec actio non datur contra haeredem. 6.

Contra Possidentem datur haec actio, *l.* 3. §. 1
ult. ff. h. t. Auctor in l. 5. *ff. h. t. num.* 11. aut si dolo possidere desiit, *hic et l.* 14. *et* 2
l. 9. *pr. et* §§. *seqq. ff. h. t. Auctor in l.* 9. *ff. h. t. num.* 1. Ex quibus enim causis, si res ex- 3
tent, in rem agitur, ex iis, si vel celentur, vel mala fide sunt consumptae, *ad Exhibendum* agitur, non ad id quidem ut exhibeantur, quod fieri non potest, sed ut in litem juretur, juxta *l. praeced.* Collige: Eum qui dolo desiit 4
possidere, ad exhibendum, vel potius ad inte-

resse teneri, quod res exhibita non sit, nec e-
5 xhiberi possit; omnia enim fere eadem, quae
in Rei Vindicatione, nam hic quoque poena
inficiantis, quae est *in l. fin. ff. de Rei Vind.*
locum habet, *Oldend. d. l. in fin. Hillig. d. c.
9. lit. Z.* cum major hic culpa in denegata
Exhibitione, quae minoris praejudicii, quam
6 in restitutione denegata. Sic nec haec actio da-
tur contra haeredem, nisi quatenus ex dolo de-
functi locupletior redditus, *l. 12. §. ult. Hill.*
lit. *Zz. d. c. 9.*

L. Instrumenta. 6.

SUMMARIA

Concurrit quandoque accusatio criminalis cum actione ad exhibendum. *num.* 1.
Invasio hic dicitur etiam de mobilibus. 2.
Invasio de immobilibus proprie dicitur. 3.
Invasio proprie dicitur de violentia. 4.

1 De Instrumento meo per vim ablato datur
accusatio Criminalis de vi publica vel privata,
et actio quoque *ad Exhibendum.* Collige: Con-
2 cursum hujus actionis cum criminali judicio.
3 Obiter hic notetur: Invasionem hic dici etiam
4 de mobilibus, cum tamen de immobilibus pro-
prie haec vox usurpetur, et invasionem pro-
prie dici de violentia: nam alias criminaliter
non posset agi, nisi per vim instrumenta fuis-
sent praerepta. Si enim tantum clam surrepta,
non daretur Criminalis actio, nisi esset Testa-
mentum ex cujus surreptione et occultatione,
non vero alterius Instrumenti, oritur accusatio
criminis falsi, *l. 2. ff. ad L. Corn. de Falsis,*
DD. hic de quo alibi.

L. Exhibitionis. 7.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Negatur quaestio. 4.
Ratio negationis. 5.
Actio ad exhibendum *concurrit quandoque cum actione L. Aquiliae.* 6.
Lex h. est singularis et difficilis. 7.
Actio ad exhibendum est personalis. 8.
Realem illam vocat Donell. 9.
Prior sententia videtur verior. 10.
Oritur autem haec actio ex obligatione legali. 11.
Vocatur in rem scripta. 12.
Ratio. 13.
Non clam res possidere decet. 14.
Quaer. quid in libello hujus actionis in factum petere debeam? 15.
Respondetur. 16.
Quaer. an si rem deterioratam sciens accipiam, mihi praejudicem? 17.
Negatur quaestio. 18.

1 Egi contra te ad Exhibendum equum, jussus
etiam es exhibere eundem, sed exhibuisti cum
deterioratum, Quaeritur: *An adhuc agere pos-* 2
sim ad Exhibendum? Videtur quod sic, ob *l.* 3
9. §. 3. *ff. h. t.* Sed negatur, quia interest, u- 4
trum forma rei sit mutata, v. g. Scyphi, de 5
quo *d. l. 9.* agit, an vero tantum qualitas dete-
riorata, ubi non *ad Exhibendum*, sed in factum
ago ex jussu judicis, quia jussus scilicet est exhi-
bere, quod quidem fecit, sed exhibuit deterio-
rem, concurrit tamen haec Actio cum Actione 6
Legis Aquiliae, *l. 42. ff. ad L. Aquil.* Notant hic
Interpretes *Br. Bl. Salyc. Castr. et Sich.* (qui 7
omnes hanc legem commendant seu singularem
et difficilem) Actionem *ad Exhibendum* esse 8
Personalem. Nam licet *Donell. d. l. 20. c. 9.* Rea- 9
lem vocet, *Bacch.* vero in *Wesenb. num.* 1. du-
bitet, verior tamen est sententia ab Interpreti- 10
bus hujus legis non tantum, sed et passim re-
cepta, quod sit Personalis, quae non quidem
ex contractu vel delicto descendat, sed ex Obli- 11
gatione legali, ut loquuntur, ad quam se ille
adstringit, qui rem illam possidet, unde in
rem scripta vocatur, quia possessorem sequitur. 12
Nam quicumque rem aliquam possidere incipit, 13
hoc ipso se quasi obligat (liceat mihi ita loqui)
ad Exhibendam illam rem omnibus, qui inte-
resse aliquod et praetendunt et probant: non
enim clam res possidere decet, *Vid. Oldend. d.* 14
l. Q. 2. Gylman. d. l. num. 3. Mindanus l. 2.
de Mandat. Cap. 50. num. 4. Hillig. d. c. 9. Lit.
B. et seqq. Setserus de juram. d. l. 5. c. 5. num.
29. Sed quaeritur: *Quid in libello hujus Actio-* 15
nis in factum petere debeam? Resp. *DD. hic*
debere narrari, quod quidem rem illam exhi- 16
buerit reus, sed non integre, verum culpa sua
deterioratam, ideoque petere me debere per
hanc novam actionem in factum, ut aestima-
tionem illius detrimenti mihi solvat. Quaeritur 17
etiam: *Si rem deterioratam sciens accipiam,*
an mihi praejudicem? quod negat *hic Sich. n.* 18
8. quamvis utilius videatur et securius, si acce-
ptem cum Protestatione, ob incertum litis e-
ventum et periculi metum.

L. Si res tuas. 8.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Affirmatur. 3.
Ex pacto alterius circa rem meam, et in utilitatem meam apposito habeo actionem utilem. 4.
Exceptio habetur in h. l. a *regula, quae traditur in* §. alteri l. de inutil. stipul. 5.
Si procurator circa rem meam stipulatur quid, tunc mihi datur actio utilis. 6.
Cum l. h. conjungenda est l. si cum venderet 13. ff. de pignor. 7.
H. l. argumentum. 8.
Quando in resolutionem contractus pactum est circa rem meam initum, tunc revertetur ipso jure ad me dominium non tantum, sed ex ipso pacto resolutivo circa rem meam habeo actionem utilem.

Titius res meas deponit apud te hac conditio- 1
ne, ut mihi restituantur, hic plures actiones mi-
hi competunt: nam contra te ut possessorem

habeo Actionem Realem et ad Exhibendum.
2 Sed quaeritur; *An mihi contra te detur Actio*
3 *Depositi?* Quod affirmatur, sive Titio successi sive
non, ut hoc casu detur actio utilis. Notant hic
4 DD. Ex Pacto alterius circa rem meam et in
utilitatem meam apposito, me habere actionem
utilem, *hic et l.* 13. *ff. de Pign. Act.* et sic ha-
5 beremus Exceptionem ad §. *alteri Inst. de inu-*
6 *til. Stipul.* Unde etiam inferunt, si procurator
circa rem meam quid stipuletur, quod tunc
mihi detur actio utilis, *Mantica de tac. et amb.*
convent. lib. 14. *tit.* 24. *num.* 6. Posset etiam
7 dici, conjungendam esse *legem Si cum vende-*
ret 13. *ff. de Pignor. Act.* ubi similis habetur
8 facti species, et tamen juxta veriorem Docto-
rum sententiam propterea dicitur ex pacto Cre-
ditoris debitori in factum actio competere, quia
pactum ita erat conceptum, ut sonaret resolu-
9 tionem contractus. Nam quando in resolutionem
contractus pactum est circa rem meam, tunc
revertetur ipso jure ad me dominium non tantum, sed ex ipso pacto resolutivo circa rem meam habeo actionem utilem, *Tiraq. de Retr. Convent.* §. 1. *gl.* 7. *num.* 14. *Rolandus de Valle Cons.* 62. *num.* 41. *et seqq. vol.* 2. et quos allegat *Thomas Michael inter Consilia Klockii vol.* 2. *Cons.* 24. *num.* 308. *et seqq.*

L. Si ex quocumque. ult.

SUMMARIUM

Ei, qui Debitori solvit, competit actio ad exhibendum instrumentum obligationis.

Debitori qui solvit, et ita naturaliter est liberatus, competit actio ad exhibendum Instrumentum Obligationis, *hic et l. dissolutae* 2. *C. de Condict. ex lege, et sine causa.*

TITULUS XLIII.

De Aleatoribus et Alearum lusu.

Legem 1. *et* 2. *ut et Authent.* consulto praeterimus. *Lex vero* 3. in aliis Codicibus est *ultima tituli ultimi*, nam ibi in titulo cum Religiosis Aleatores conjunguntur.

L. Alearum Usus. 3.

SUMMARIA

Aleae lusus quinam? num. 1.
Pro pecunia ludere semper est prohibitum. 2.
Limitatio. 3.
Quicquid in Ludo solvitur, per h. l. condici potest ab eo, qui dedit, vel a parentibus, vel dominis, si filii vel servi luserint. 4.
A liberis, quae a parentibus lusu sunt deperdita, usque ad legitimam repeti possunt. 5.
Omnes contractus et promissiones factae in ludo prohibito vel occasione ludi prohibiti sunt invalidi. 6.
Venditio inter collusores celebrata nulla est, nec actio ad evictionem datur, nec mutuum. 7.
Quaest. An collusor in foro conscientiae ultro teneatur restituere, quod per lusum acquisivit? 8.
Videtur affirmanda. 9.
Limitatio. 10.
Ratio. 11.
Covarr. *et* Molin. *sententia tanquam periculosa notatur.* 12.
Ratio cur sit periculosa. 13.
In dubio praesumi non potest, quod collusor amissam pecuniam nolit repetere. 14.
Securior et communior Theologorum moralium sententia. 15.
Donatio non praesumitur. 16.
Si recuset collusor acceptare, tunc juste retinet alter, quod per lusum acquisivit. 17.
Pauci animae suae saluti consulunt. 18.
Restitutio lucri per lusum acquisiti non injungitur in poenam, sed quia nullo justo titulo acquisitum. 19.
Si is, qui perdidit in lusu, nolit illud repetere, repeti illud potest a municipio, et demum a Fisco. 20.
Limitatio. 21.
Ludus virtutis omnino concessus est. 22.
Ad unum solidum ludere concessit Justinianus. 23.
Quaer. an consuetudine introduci possit, ut cesset repetitio? 24.
Probabiliter hoc negatur. 25.
Ratio dubitandi. 26.
Ratio decidendi. 27.
Contra Decalogum agere videntur, qui circa notabilem quantitatem ludunt. 28.
Potest consuetudo ludum facere impunitum, sed non licitum. 29.
Qui filiosfamilias, et studiosos in Academiam missos pecuniis emungunt, illi mala fide et cum salutis jactura lucrum retinent. 30.
Ratio 31.
Si juramento quis promiserit, se velle pecuniam solvere lusu perditam, juramentum quidem est praestandum, sed postea potest repeti, quod est solutum. 32.
Si collusor nolit recipere, ad fiscum lucrum pertinet, ut turpiter quaesitum. 33.
Incommoditates ex ludo provenientes. 34.
Jus circa Sponsiones, remissive. 35.

Aleae lusus est omnis ille, qui fortuna niti- 1
tur, et ubi pro pecunia luditur, quod semper 2
prohibitum, nisi fiat pro rebus, quae esui et 3
potui apponuntur, *l. fin. ff. h. t. ibique Auctor*
num. 1. et quicquid in ludo solvitur, per *h. l.* 4
condici potest ab eo, qui dedit, vel a Paren-
tibus vel Dominis, si filii vel servi luserint, *l.*
ult. §. 1. *ff. h. t. et hac l.* 3. *Molin. de J. et J.*
D. 519. *et seq.* Et sic etiam a liberis, quae a 5
Parentibus deperdita sunt lusu, usque ad legi-
timam repeti posse statuunt, *Tiraq. de LL. Con-*
nub. gl. 5. *num.* 81. *Farin. Q.* 109. *num.* 187.
Doring. in Biblioth. sua verbo, *alea, num.* 82.
Imo omnes Contractus et promissiones factae 6
in ludo prohibito vel occasione ludi prohibiti,

7 sunt invalidi, *l. ult. C. h. t.* et ideo venditio
inter collusores celebrata nulla est, nec actio
ad Evictionem datur, nec mutuum etc. *Farin.
d. Quaest.* 109. *parte* 6. *per totam, Doring. d.
l. num.* 83. *Mozzius in tit. de Mutuo Column.*
8 7. *num.* 10. Sed, *an collusor ultro id restitue-
re teneatur in foro conscientiae, quod per lu-*
9 *sum acquisivit?* Videtur id affirmare, praeser-
10 tim si alium ad id provocaverit, *Farin. d. Q.*
11 109. *parte* 5. *num.* 182. nam taliter acquisitum
caret titulo et bona fide, *Farin. d. Q. num.* 184.
12 Sed *Covarr. in regul. peccatum. p.* 2. §. 4. *n.* 8.
Molin. de J. et. J. D. 514. *num.* 2. putant pos-
se aliquem lucrum tamdiu retinere, donec per
13 sententiam condemnetur. Sed periculosa haec
sententia. Posset dici, juste posse retineri illud
lucrum donec repetatur. Nam si non repetatur,
argumento est, ipsum, qui perdidit, non repeti-
turum, sed potius suo pudori consulere. Sed ubi
14 non habet istam praesumptionem, quod collusor
amissam pecuniam repetere vel oblatam recipere
nolit, quemadmodum hoc in dubio praesumi non
potest, tunc tenetur ante repetitionem restituere
15 collusori, quia titulus deest. Securior igitur et
communior Theologorum Moralium sententia est,
restituendum aut offerendum illud lucrum, si
16 sit considerabilis summa, quia donatio non prae-
17 sumitur, sed si recuset acceptare alter, tunc
juste retinetur, si alter sui juris sit, *Thes. p.*
18 1. *q.* 19. *num.* 2. Sed quam pauci animae suae
saluti consulunt; Multo magis igitur restituen-
dum lucrum, quando repetit, qui perdidit, e-
tiam extra judicium; jam enim certus est de
voluntate alterius, et destituitur bona fide, quia
contra leges acquisivit, et destituitur etiam titu-
lo. Qua conscientia ergo retinere poterit usque ad
19 sententiam? Et restitutio lucri non injungitur
in poenam, sed quia nullo justo titulo acquisi-
20 tum et contra leges, vel si is, qui perdidit,
nolit repetere, repeti a municipio, et demum
21 a Fisco potest; nonobstante, nisi quinquaginta
22 annorum praescriptione. Ludus sane virtutis o-
mnino concessus est, *l.* 2. *et.* 3. *ff. h. t.* sicut e-
23 tiam ad unum solidum ludere concessit Justini-
anus. Sane quia consuetudine plerique volunt
introduci posse, et introductum esse, ut non
detur repetitio, quaeritur: *An haec opinio va-* 24
leat? Probabilior videtur Negans, quae est *Pe-* 25
tri Heigii part. 2. *quaest.* 10. *num.* 33. *Rauchb.
p.* 2. *Q.* 25. *et Farin. in tract. de Divers. Cri-
min. Quaest.* 109. *num.* 46. *et multis seqq.* Quam-
vis enim ludum fortunae in puncto juris natu- 26
ralis, extra prohibitionem juris civilis conside-
ratum, licitum esse velit *Molin. de J. et J. d.*
510. *in f. et d.* 511. *in fine*, sententia tamen haec
suspecta et falsa. Nam de bonis temporalibus 27
ludere, et res suas fortunae committere, pro-
cul dubio etiam juri naturali repugnat. Nam cum
hic non sit modus acquirendi dominii, certe
oportet contra Decalogum agere eos, qui circa 28
notabilem quantitatem ludunt. Ideoque hoc qui-
dem consuetudo introducere potest, ut non sit
necesse restituere pecuniam, non vero ludum
posse fieri licitum; potest consuetudo facere lu- 29
dum impunitum, sed non licitum, quam di-
stinctionem refert *Farin. d. Q.* 52. Conf. *Clu-
dius de Cond. Indeb. c.* 6. *num.* 63. *Carpz. lib.*
6. *Resp.* 96. *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 12.
Si igitur, qui ludo quid adquirunt, restituere 30
tenentur lucrum, quid dicendum de iis, qui
ludunt cum filiisfamilias, cum Studiosis in Aca-
demiam transmissis, et eos pecuniis emungunt,
qui tamen non sunt domini pecuniarum pater- 31
narum, nec liberam earum administrationem,
nec dissipandi facultatem habent? Illi certe con-
sentientibus omnibus mala fide et cum salutis
jactura lucrum retinent. Sed quid si collusor
sub juramento promittat, si ludo victus, se
velle pecuniam solvere? Resp. juramentum es- 32
se servandum, sed postea posse repeti, *Thes.
d. l.* aut si alter nolit recipere, ad Fiscum per- 33
tinebit, ut turpiter quaesitum. Satis de ludo,
quo saepe non luditur, sed DEUS blasphema- 34
tur, tempus perditur, sanguis humanus fundi-
tur. Sed opera luderetur, si plura de ludo di-
cere vellemus. Nam insedit haec corruptela ita
hominum mentibus, ut nec atrocissimis cala-
mitatibus eximi potuerit, nec possit. Quid juris 35
circa Sponsiones, Auctor docet in *l.* 3. *ff. h. t.
per tot.*

TITULUS XLIV.

De Religiosis et Sumptibus Funerum.

L. Si Vi. 1.
L. Si nec dum. 10. et l. ult.

SUMMARIA

Corpora defunctorum alicubi eo animo sepulta, ut ibi perpetuo maneant, sine concessione principis effodere non licet. num. 1.
Limitatio. 2.
Quaestio l. 1. h. t. 3.
Responsio. 4.
Ratio decidendi: quia, quae a solo Principe conceduntur, reputantur inter impossibilia. 5.
DD quorundam circa quaestionem propositam sententia. 6.
Legari etiam possunt ea, quae parari difficulter possunt. 7.
Auctoris sententia. 8.
Ut cadaver defuncti transferri possit, duo requiruntur. 9.

Corpora defunctorum alicubi eo animo sepul- 1
ta, ut ibi perpetuo maneant, *l.* 10. *h. t. et l.*
40. *ff. eod.* (non deposita ad tempus, *d. l.* 10.) 2
sine affectu, id est, concessione Principis ef-
fodere non licet, *l. ult.* Sed si justa causa adsit,
v. g. si vis fluminis contingat sepulcrum, potest
tolli corpus, probata Praesidi causa, hodie E-
piscopo, *l.* 1. *h. t.* In dicta autem *l.* 1. quae-
runt *Castrensis, et Sichardus*: *An si testator* 3
*jusserit, ut suum corpus semel sepultum, vel
etiam liberorum corpora semel sepulta, in ali-
um locum transferantur, sub poena privationis
haereditatis, an haeredes sub poena amissio-
nis facere id teneantur?* Et respondent quod 4

5 non, quia quae a solo Principe conceduntur,
reputantur inter impossibilia: sed alii, ut *Vasq.*
6 *de Success.* §. 7. *num.* 10. *Spino in Spec. Testam. gl.* 2. *princ. num.* 8. quos hic *Barbos. in collect.* sequitur *num.* 3. contrarium statuunt, quia quod etiam a Principe conceditur, non
7 reputatur inter impossibilia, et legari etiam possunt ea, quae parari difficulter possunt, *l.* 39.
8 §. 7. *ff. de Leg.* 1. Ergo, si talis casus offerretur, causam dispositionis attenderem, si ea probabilis, suaderem, ut haeres peteret translationem, sin vero nulla probabilis causa translationis esset, non puto teneri haeredem, ut hanc
9 petat; nam duo in *l.* 1. requiruntur ad translationem cadaveris: I. Justa causa, II. Consensus superioris: frustra autem hic peteretur, si justa causa deficiat, cum ambo copulative requirantur.

L. Invito. 2.

SUMMARIA

Locus religiosus fit, si domino fundi consentiente mortuus inferatur. num. 1.
Locus religiosus commercio hominum eximitur. 2.
Non fit religiosus locus, cui invito Domino mortuus illatus est. 3.
Huic derogatum c. 3. *X.* de sepult. 4.
Quaestio: an propria auctoritate eximere liceat Domino loci mortuum, qui ipso invito est illatus? 5.
Ratio dubitandi. 6.
Ratio decidendi. 7.

1 Locus religiosus fit, si domino fundi consen-
2 tiente mortuus inferatur, et tunc commercio
3 hominum eximitur, non autem si domino ignorante vel invito fuerit illatus, §. 9. *Inst. de R.*
4 *D.* Huic derogatum c. 3. *X. de Sepultur.* Sed
5 quaeritur: *An propria auctoritate eximere li-*
6 *ceat Domino loci?* Videtur quod sic, quod enim me invito in proprio factum, id propria auctoritate demoliri possum, *l. quemadmodum*
7 39. §. 1. *ad ff. L. Aquil.* sed favore religionis aliud placuit, per *l. ossa.* 8. *ff. h. t. Sich. ad l.* 1. *C. h. t. num.* 7.

L. Legatum. 3.

SUMMARIA

Legatum alicui relictum non impedit, quominus possit legatarius repetere sumptus in cura defuncti et funere factos. num. 1.
Ratio. 2.
Sumptus funebres funeraria actione petuntur. 3.
Expensae funerariae tantum privilegium habent, ut omni aeri alieno praeferantur. 4.
Expensae funebres cum expensis in curam aegroti factis hic conjunguntur. 5.
Expensae in curationem aegroti factae par habent privilegium cum expensis funebribus. 6.
Limitatio. 7.
Sententia haec notatur. 8.
Ratio. 9.
Consuetudine tamen est recepta. 10.
Forte ex erroneo h. l. intellectu. 11.
Expensarum in curam aegroti factarum difficilis est probatio. 12.
Ideoque verisimilibus conjecturis, itemque juramento probari possunt. 13.
Possunt hae impensae repeti, etiamsi invito aegroto factae. 14.
Idem dicendum de impensis funerariis. 15.
Legatarius non videtur animo non repetendi ejusmodi impensas fecisse. 16.
Filius non praesumitur animo repetendi, sed ex sola pietate, tales sumptus fecisse. 17.

Legatum alicui relictum, non impedit, quo- 1
minus possit Legatarius repetere sumptus in cura defuncti et funere factos, quia ex diversis 2
causis debentur, Legatum enim petitur Actione ex Testamento, sumptus curae Actione Negot. Gest. *l. quod in uxorem* 13. *C. de Negot. Gest.* ex aequitate scilicet, licet nec cum defuncto, nec cum haerede negotium gestum, *l.* 14. §. 6. *ff.*
h. t. sumptus funeris, funeraria actione; nec 3
donatio praesumenda est. Quoniam igitur ex- 4
pensae funerariae tantum privilegium habent, ut omni aeri alieno praeferantur, *l.* 14. §. 1. *et l.* 18. *et aliis LL. ff. h. t. Carpz. p.* 1. *Jurispr. Const.* 28. *Def.* 39. *Koppen. decis.* 28. *Garcias de Expensis cap.* 8. *Hillig. in Don. l.* 23. *c.* 15. *lit. H. Auctor in l. pen. ff. h. t. num.* 1. et alii, quos allegat *hic. Barbosa*; et quoniam hic Ex-
pensae funebres cum expensis in curam aegro- 5
ti factis conjuguntur, ideo exinde, ut et ex *l.*
4. *C. d. Petit. Haered.* concludunt *DD.* has Ex- 6
pensas in curationem aegroti factas par habere privilegium cum expensis funebribus, ita tamen,
ut his funeribus illae in curam factae postpo- 7
nantur, *Carpz. d. Const.* 28. *def.* 43. *Berlich. p.* 1. *Concl.* 44. *num.* 94. *Colerus l.* 2. *Tract. de Alim. cap.* 1. *Dn. Richt. de Privil. Credit. Disp.* 4. *p.* 94. *et seq. Mascardus de Probat. Concl.* 805. *in fine. Surdus Decis.* 112. *et hic*
Barb. in fine. Sed, quod pace tantorum viro- 8
rum dixerim, ex *h. l. et d. l.* 4. hoc non pro-
batur. Nam nulla est consequentia: Sunt hae 9
actiones hic in hoc rescripto conjunctae, ergo pari nituntur privilegio. Eadem enim ratione possem etiam dicere, petitionem Legati hic conjungi cum his, ergo etiam legati petitio omnibus creditoribus praeferetur, quod esset absurdum. Sed quidquid sit de jure scripto, de
consuetudine sane hoc receptum esse fateor, 10
quae forte ex erroneo intellectu hujus legis or- 11
tum traxit. Et cum hae impensae probandae sint, ut hic dicitur, et vero in debitoris curam factae soleant particulariter impendi, ideoque
difficilis earum probatio, et ideo per verisimiles 12
conjecturas, arbitrio boni viri simul adhibito, 13
accedente etiam Juramento, probari possunt, *argum. l.* 36. *in fin. pr. C. de Donat. Glossa in l. ult.* §. 9. *C. de Jure Delib. Sichard. ad l.* 4. *C. de Petit. Haered. Berlich. d. Concl.* 44. *n.* 44. *Basil. Disp. Vol. noviss. D.* 2. *th.* 104. et haec
repetitio locum habet, licet etiam invito aegro- 14
to impensae factae, *Surdus Dec.* 255. Sicut etiam 15
impensae funerariae invito haerede factae repetuntur, *Surdus d. l. n.* 15. Sed cum etiam de Legati petitione hic agatur, videtur, quod Legatarius compensandi animo fecerit impensas, in quo forte ratio dubitandi consistebat ex parte. Sed
Resp. Negative. Nam licet legatarius ex gratitu- 16

dine, animo pietatis, fecisse videretur, non tamen propterea animo non repetendi, *Baldus*
17 *Novell. de Privil. Dot. p. 5. num.* 9. Sed Filius non praesumitur animo repetendi impendisse in funus, sed ex sola pietate, *Menoch. Cons.* 416. *num.* 2.

L. Si sepulcrum. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Ratio decidendi. 3.
Sepulcra familiaria omnibus haeredibus accedunt, nec per divisionem uni acquiruntur. 4.
Quamvis discrimen sit inter monumentum et sepulcrum, interdum tamen idem significant. 5.
Sepulcrum non potest vindicari. 6.
Jus inferendi mortuum per confessoriam actionem intendi potest. 7.

1 Titius et tu eratis cohaeredes ejusdem extranei, in qua haereditate erant duo praedia cum domibus, et juxta domum unius erat pratulum ad ejus usum deputatum, et in angulo pratuli erat sepulcrum defuncti: illa domus cum pratulo obvenit Titio, tu volebas mortuum tuum ibi sepelire, et cum ille contradicat, vindicas
2 sepulcrum tanquam commune. Sed hoc non
3 recte, quia ille locus est Divini juris, actione tamen in factum agere potes, *l.* 43. *ff. de Rei Vind.* quia sepulcrum fuit factum pro defuncto et ejus familia, ideoque videtur, exemptum dominio Titii, neque tamen totum pratulum
4 est religiosum. Collige: Sepulcra familiaria omnibus haeredibus accedere, nec per divisionem
5 uni acquiri. Collige discrimen inter Monumentum et Sepulchrum, sed interdum idem significare, *Molin. de J. et. J. D.* 214. *num.* 7. Ul-
6 terius collige: Sepulchrum non posse vindicari, licet quidam actionem in factum concedant, de quo *Wesenb. ad tit. C. de R. V. num.* 26.
7 Facio cum illis, qui jus inferendi mortuum per Confessoriam Actionem utilem intendi posse putant, *Corasius in l.* 11. §. *Servitus. num.* 8. *ff. de Servit. Klock. V.* 1. *Cons.* 10. *num.* 488.

L. Militis. 5.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Ex imperfecto testamento haeres obligatur ratione conscientiae. 2.
Limitatio. 3.
Saepe in foro exteriori aliquid non punitur, a quo tamen quis ratione conscientiae arcetur. 4.
Quod Ethnicus Imperator confessus, magis ponderandum est Christianis. 5.
Non omnia, quae jure civili, etiam in conscientiae foro licita. 6.

1 Quando defunctus jussit sibi aptari Monumentum, et haeres id non facit, propterea quidem haereditate non privatur, *l.* 5. *C. de his quibus ut indig.* ad id tamen ob honorem defuncti, et ob conscientiam suam, officio judicis compelli potest. Colligunt: Ex Imperfecto Testamento 2
haeredem obligari ratione conscientiae, si sciat 3
hoc defunctum voluisse. Sed de hoc alibi. Interim ex *hac lege* colligitur: Poenam saepe remitti in jure, imo non aliquid puniri in foro 4
exteriori, a quo tamen aliquis ratione conscientiae arcetur, et facere prohibetur. Si hoc Ethnicus Imperator confessus est, nonne magis 5
hoc nobis Christianis ponderandum, non omnia 6
quae licita jure civili, etiam in conscientiae foro licere?

L. Monumentorum. 6.

SUMMARIA

In monumento, cui quis inscripsit, quod fecerit pro haeredibus et liberis suis, non habent jus sepeliendi liberti. num. 1.
Casus l. 6. in fin. pr. ff. h. t. *num.* 2.
Limitatio. 3.
Ratio obscura est. 4.
Sola inscriptio in hac materia non est sufficiens ad probationem. 5.
Castrensis *explicatio circa hanc* l. *num.* 6. *quae notatur.* 7.
Inscriptio talis in favorem libertorum non probat. 8.
Ratio. 9.
Ex h. l. *generaliter non est probandum, quod inscriptiones monumentorum non probent.* 10.

In monumento, cui quis inscripsit, quod fecerit pro haeredibus et liberis suis, non habent 1
jus sepeliendi liberti: sic enim ex *l.* 6. *in fine* 2
pr. ff. h. t. casus videtur formandus, nisi jus 3
sepeliendi praescripserint. Nam hoc jus, non ipsum Monumentum praescribi potest, sed quae 4
prioris ratio sit, obscurum est. Nam si familiare est, omnino liberti inferendi, cum nomine familiae veniant. Sed forte dicendum, solam 5
inscriptionem in hac materia non esse sufficientem ad probationem. Vid. *Cravetta de Antiq. temp. Sect.* 8. *num.* 13. *Finckelthaus. de jure Patronatus c.* 8. *num.* 45. Sed *Castrensis* putat in Monumento non fuisse mentionem factam 6
familiae, sed tantum haeredum, cujus lecturae etiam meminit inter alias *Glossa.* Sed sic *haec* 7
lex ratione dubitandi careret: nam si pro haeredibus positum, non potuisset dici quod inscriptio non transferat jus, cum nulla libertorum mentio, ideoque probabiliter dicendum, fuisse mentionem libertorum factam, sicut et hoc probat *lex* 6. *in princ.* vers. *liberti, ff. h. t.* Sed cum dubium sit, an hanc inscriptionem sibi fieri voluerit Testator, an vero curator funeris forte ipse libertus, ideoque hic talis inscriptio 8
in favorem libertorum non probat, cum prae- 9
sertim insolitum esset, ut Patroni cum libertis haberent unum et idem sepulcrum vel monumentum. Sed generaliter non est probandum 10
ex *hac l.* quod inscriptiones monumentorum non probent, sed hoc tantum, si non appareat de voluntate ejus, cui positum hoc monumentum, *Menoch. l.* 2. *Praesumpt.* 59. *num.* 7.

L. Statuas. 7.

SUMMARIA

Concesso monumento vel sepulcro, etiam videtur potestas erigendi statuam vel figuram honorificam concessa. num. 1.
Cum jure suo eorum, quae minus prohibita sunt, unicuique facultas libera non denegetur. 2.
Quilibet in suo aedificare potest pro lubitu, quod velit. 3.
Limitatio. 4.
Permissa omnia videntur, quae non reperiuntur prohibita. 5.
Qui emit in loco religioso locum sepulcri, omnino etiam jus ponendi monumenti et statuae videtur simul comparasse. 6.

1 Concesso Monumento vel Sepulcro, etiam vi-
detur potestas erigendi statuam vel figuram ho-
norificam concessa. Nota bene Regulam in fi-
2 ne textus: *cum jure suo eorum, quae minus
prohibita sunt, unicuique facultas libera non de-
3 negetur:* Unde colligit *hic B.* quemlibet in suo
aedificare posse pro lubitu, quod velit, modo
4 illud non lege vel statuto sit prohibitum. Et
generaliorem Regulam colligunt hic *Salyc. et
5 Castr.* permissa omnia videri, quae non repe-
riuntur prohibita, *l. nec non* 28. §. 2. *ff. ex
Quib. caus. Maj. Axiom. Barbosae l.* 14. *c.* 93.
ax. 21. *Mascard. concl.* 1213. *num.* 2. Et ut ad
6 speciem nostrae legis revertar, si quis emerit
in loco religioso locum sepulcri, omnino etiam
jus ponendi monumenti et statuae videtur si-
mul comparasse, *Castr.* hic, licet de hoc ni-
hil dictum.

L. Jus Familiarium. 8.

SUMMARIA

Appellatione familiae non continentur cognati. num. 1.
Cognati quinam. 2.
Limitatio. 3.
Familiare sepulcrum ad agnatos eorumque haeredes, non vero ad cognatos pertinet. 4.
Sequior quandoque est conditio sexus foeminei, quam masculini. 5.
Haereditarium sepulcrum omnibus haeredibus competit. 6.
Ampliatio. 7.

1 Appellatione Familiae non continentur Cogna-
2 ti, id est, per foeminas juncti vel affines, si
3 hi vel illi haeredes non instituti sint, quando
4 de familiari Sepulcro agitur. Nam in familiari
sepulcro jus sepulturae habent familiae per li-
neam masculinam deductae et multiplicatae, et
haeredes cujusque illorum, etiamsi extranei sint,
et in quacunque parte etiam minima instituti.
Conf. l. familiaria 5. *cum l. seq. ff. h. t.* Sed
ad Affines et Cognatos in specie, i. e. per foe-
mininum sexum propagatos, hoc se non e-
5 xtendit. Unde hic obiter sequior conditio foe-
minei sexus deprehenditur, et potest addi *l.* 1.
6 §. *ult. ff. de jure Immun.* Sed haereditarium se-
pulcrum omnibus haeredibus competit, etiam
extraneis, per *d. l.* 5. *et seq. Molin. de J. et J.* 7
D. 214. *num.* 5. *et* 6. *Thesaurus p.* 1. *Quaest.* 11.

L. Locum. 9.

SUMMARIA

Locus religiosus non potest vendi. num. 1.
Locus cohaerens religioso profanus est, et propterea vendi potest. 2.
Invaluit mos, ut Ecclesiae aliquid pro loco in Ecclesia soleat dari. 3.
Hic mos contra juris Civil. et Canon. prohibitionem invaluit, et in Ecclesias etiam Reformatas redundavit. 4.
Non opus esset de hoc more disputare, si juxta dispositionem l. 11. ff. h. t. *corpora extra urbem in loco consecrato sepelirentur.* 5.
Sepulcrum semel comparatum per venditionem, in alium transferri nequit. 6.
Extenditur hoc ad jura subselliorum. 7.

Locus religiosus non potest vendi, sed cohae- 1
rens locus omnino, qui profani juris est, ut 2
supra dictum in *l.* 4. *h. t.* Invaluit tamen mos, 3
ut Ecclesiae aliquid pro loco in Ecclesia soleat
dari, quem morem contra juris Civilis et Ca- 4
nonici in *c.* 8. *c.* 9. *c.* 29. *et c.* 41. *X. de Si-
mon.* prohibitionem invaluisse, et in Ecclesias
etiam reformatas redundasse refert *Carpz. in
Jurispr. Eccl. l.* 2. *def.* 391. quem morem ne-
que laudo, neque improbo, sed non opus fo- 5
ret de hoc disputare, si juxta dispositionem *l.
mortuorum* 12. *h. t.* corpora extra urbem in
loco consecrato sepelirentur. Id tamen manet:
Sepulcrum semel ita comparatum per venditio- 6
nem in alium transferri non posse sicut neque
jura subselliorum, ut notum est, transferuntur. 7

L. Obnoxios. 11.

SUMMARIA

Supplicio affectorum corpora omnino sunt sepelienda. num. 1.
Consuetudo Germaniae, qua cadavera punitorum in furca et rota relinquuntur insepulta, magis tolerabilis est ob exemplum, quam rationabilis. 2.
Solet princeps facile permittere, ut eorum, qui alias non erant sepeliendi, corpora sepulturae tradantur. 3.
Ratio. 4.
Quae notatur. 5.
Ratio. 6.
Corpus Furis in furca suspensum, vel in rota defixum, Judex sine consensu principis deponi haud tuto curat. 7.
Limitatio. 8.
Non potest cum injuria cognatorum fieri, quod Reip. causa fit. 9.
Consuetudo obtinet, ut a principe haec cadavera petantur. 10.
An defunctorum corpora ob debita detineri possint, et quid juris circa usurarii cadaver, remissive. 11.

1 Supplicio affectorum corpora omnino sunt sepelienda, *et C. hic quaesitum* 30. *C.* 13. *quaest.* 2.
2 Collige ex *l. nostra*: Consuetudinem Germaniae, qua cadavera punitorum in furca vel rota relinquuntur insepulta, tolerabilem magis, ut ex *Heig. p.* 2. *q.* 37. *n.* 18. loquitur Auctor *Colleg. Argent. in tit. ff. de Cadaveribus Punito-*
3 *rum*, quam rationabilem. Solet tamen Princeps facile permittere ut eorum, qui alias non erant sepeliendi, corpora sepulturae tradantur, *hic et l.* 3. §. *fin. ff. d. t. Petr. Greg. lib.* 32. *Syntagm. c.*
4 *ult.* Nam Principis consensum hic nonnulli requi-
5 runt *argum. l.* 2. *ff. d. t.* Sed recte consequentiam negat *Ant Matth. in suo tract. crim. in l.*
6 48. *ff. tit.* 17. *c.* 6. *n. fin.* Nulla enim consequentia esse videtur: Corpora deportatorum transferri non possunt inconsulto Principe, Ergo nec corpora punitorum sepelienda inconsulto Principe. Et in *l.* 1. *ff. d. t.* nulla Principis mentio, et hic nullius specialis concessionis fit mentio: Pilatus quoque inconsulto Principe Salvatoris nostri, quem ipse, ut maleficum, totius orbis in salutem et errore nobis omnibus salutari condemnaverat, Corpus Josepho tumulandum concessit. Et ut maxime quandoque obtinuerit, antiquatum tamen recte dixeris Constitutione Imper. in hac lege, ubi scripserunt, se non vetare, quo minus supplicio affecti sepulturae tradantur. *Ant. Matth. d. l.* dehortatur judices, ne exemplo Verris pecuniam pro
7 cadavere accipiant. Sed si furis Corpus in furca suspensum vel in rota defixum, nolim judici Auctor et suasor esse, ut propria auctoritate deponi curaret, sed consensus Principis tutissime
8 requireretur, maxime quando cadavera Medicis conceduntur ad Anatomiam consensu Principis Vid. *Carpz. in pr. Crim. part.* 3. *Q.* 137. *num.*
9 69. *et seq.* Nec potest cum injuria cognatorum fieri, quod Reip. causa fit, *l. quod Reip.* 33. *ff. de Injur. uti Salmanticensem Academiam Carolo V. respondisse* testatur *Gomez lib.* 3. *Resol. c. ult. n. fin.* et ex eo *Ant. Matth. d. l.*
10 Consuetudo obtinet autem, ut a Principe haec cadavera petantur, *Clarus* §. *fin. Q. fin. n.* 2.
11 An autem alias defunctorum corpora ob debita detineri possint, et quid juris hoc in passu circa usurarii cadaver, docet *Auctor in l.* 38. *ff. h. t. per tot.*

L. Mortuorum. 12.

SUMMARIA

Lex 12. *Tabb. prohibet in civitate sepeliri corpora, et omnem consuetudinem contrariam abrogat. num.* 1.
Non obstante L. 12. *Tabb. prohibitione, tempore Gregorii M. Pontif. Rom. Clerici coemeteria in urbem transtulerunt.* 2.
Optandum esset, ut lex h. in usum revocaretur. 3.
Sicuti in nonullis civitatibus est revocata. 4.
Ratio decidendi ex Physicae scientia et Facultate Medica depromenda. 5.

Lex 12. *Tabb.* prohibet in civitate sepeliri 1
corpora, et omnem consuetudinem contrariam abrogat, *hic et l.* 3. §. 5. *ff. de Sepul. Viol.* Sed non obstante illa prohibitione tempore Grego- 2
rii Magni Pontificis Romani, Clericos coemeteria in urbem transtulisse, ex *Waremundo ab Ehrenbergk* narrat *Carpz. d. def.* 391. *num.* 4.
Et sane optandum esset, ut *lex nostra* in u- 3
sum revocaretur, sicut etiam in nonnullis Urbi- 4
bus revocata est. Causa decidendi ex Physicae 5
scientia et Facultute Medica depromenda.

L. Jus Sepulcri. 13.

SUMMARIA

In sepulcro familiari omnes de familia sepeliri possunt. num. 1.
Limitatio. 2.
Ampliatio. 3.
In haereditario haeredes soli. 4.
Ratio, cur haeres restituens haereditatem ex SCto. Trebell. retineat sepulcrum haereditarium? 5.
Quae obtinet quoque in eo, a quo tanquam indigno ablata est haereditas. 6.
Fideicommissarius non est sepeliendus in monumento defuncti. 7.
Hodie ex praxi patet, omnia sepulcra esse familiaria. 8.

In sepulcro familiari omnes de familia sepeliri 1
possunt, Agnati tamen, per *l.* 8. *h. t.* licet non 2
sint haeredes; in haereditario vero haeredes so- 3
li, per *l. hanc.* Et hinc colligitur ratio, quare 4
haeres restituens haereditatem ex SCto Trebel- 5
lianico retineat sepulcrum haereditarium, quia haeres Fiduciarius haeres manet, *l.* 42. §. 1. *ff. ad Trebell. Molina de J. et J. D.* 188. *num.* 6. *Donell. l.* 7. *cap.* 25. *circa Lit. E. pag. m.* 556.
Eadem ratio ejus, a quo tanquam ab indigno 6
ablata haereditas, *l.* 33. *ff. h. t.* Et ideo Fidei- 7
commissarius non est sepeliendus monumento defuncti, *Thesaur. p.* 1. *quaest.* 11. *num.* 5. Ho- 8
die ex praxi patet, quod omnia fere monumenta sint familiaria, in usum agnatorum comparata, adeo ut neque cognati, neque haeredes extranei ad ea monumenta sint admittendi, *Vid. Thes. d. l. num.* 3.

FINIS LIBRI TERTII

LIBER IV.

CODICIS

TITULUS I.

De Rebus Creditis et Jurejurando.

L. Causa. I.

SUMMARIA

Si quis deferente vel consentiente adversario juraverit, causa est decisa. num. 1.
Ampliatio. 2.
Ratio Ampliationis. 3.
Non potest causa decisa retractari, etiamsi quis vellet probare perjurium. 4.
Ampliatio. 5.
Is, qui juravit, non tenetur respondere positionibus aut interrogationibus. 6.
Ratio. 7.
Limitatio. I. 8.
Limitatio. II. 9.
Limitatio. III. 10.
Licet in juramento judiciali nulla detur actio contra jurantem, perjurium tamen per fiscum vindicari potest. 11.
Ratio: quia omne lucrum turpiter quaesitum fiscus vindicat. 12.
Quod etiam in Sabaudia receptum. 13.
Ampliatio. 14.
Si per testes juramentum probari possit, fisco competit actio ob turpe lucrum extorquendum. 15.
Juramentum remissum habetur pro praestito. 16. *et* 3.
Quisnam juramentum remittat. 17.
Remissio juramenti non potest fieri a pupillo. 18.
Nec a tutore. 19.
Ratio. 20.
Limitatio. 21.
Qui ei, quem pejeraturum scit, vel probabiliter existimat, defert et non remittit juramentum, plus quam homicida est. 22.
Consequentia inde deducta. 23.
Quoties ex juramento a parte vel in judicio vel extra judicium delato sententia fertur, per transactionem videtur res decisa. 34.
Et tunc postea non auditur, qui detulit. 25.
Ampliatio. 26.
Ratio. 27.
Limitatio. 28.
Ratio hujus. 29.
Probatio, quae fit per juramentum necessarium, est privilegiata. 30.
Quaecunque sententia ex privilegiatis probationibus lata est, illa semper veras per probationes potest retractari. 31.
Ratio dubitandi. 32.
Respondetur ad dubium. 33.
Jura sunt faventiora, quando quis ex necessitate quid admittere tenetur, quam si sponte hoc faciat. 34.
Favorabilius agitur cum eo, cui praestanda necessaria satisdatio, quam qui voluntarie satisdat. 35.

Si quis deferente vel consentiente Adversario 1
juraverit, aut cum jurare vellet, juramentum 2
ipsi ab adversario est remissum (nam remissum 3
juramentum habetur pro praestito, *l.* 5. §. *ult. l.* 9. §. 1. *ff. de jurejur. et l. satisfactio* 52. *de Solut. juncta l.* 1. *ff. qui satisdare cog. Auctor in l.* 6. *ff. h. t. n.* 1. exceptis certis casibus ubi remissum pro praestito non habetur, quos habet Auctor *in l.* 9. *ff. h. t. num.* 9. *seqq.*) causa
est decisa, et licet quis vellet probare perjurium, 4
res tamen decisa retractari nequit; Et sic nec
per appellationem sententia ex judiciali jura- 5
mento decisa impugnari potest, *Auctor in l.* 5. *ff. h. t. num.* 3. *seq. Menoch. Cons.* 217. *num.* 16.
Nec is, qui juravit, tenetur respondere positio- 6
nibus aut interrogationibus, *Thes. lib.* 4. *dec. ult. num.* 4. Ratio: quia deferens jus suum pactione 7
et delatione deterius facere potest, *l. pen. C. de pact. l. non videtur ff. de R. J.* nisi scilicet ipsa 8
lex hoc permittat, ut in casu *l. si de falsis pen. C. de Transact. et in casu l. ult. h. t.* in instrumento Testamenti, *l. de his* 6. *ff. de Transaction.* aut si juramentum ea lege seu condi- 9
tione delatum, ut si probaretur, adversarium pejerasse, liceret juramentum retractare, *Kremberg. ad* §. *item si quis postulante* 11. *num.* 42. I. *de Act.* Sane in juramento necessario sive 10
suppletorio, quod Judex defert, alia ratio, per *l. admonendi* 31. *ff. h. t. Thes. d. l. num.* 5.
Sed licet in juramento judiciali nulla detur actio 11
contra jurantem, perjurium tamen puto per
Fiscum vindicari posse; cum is omne lucrum 12
turpiter quaesitum vindicet, *l. Lucius* 9. *ff. de jure Fisci,* quod etiam in Sabaudia receptum 13
refert *Thes. d. dec. ult. num.* 3. Et sic existimo,
licet falsitas juramenti necessarii per sola instru- 14
menta, et non per attestatum probetur, *per l. admonendi ff. h. t.* si tamen per testes perju- 15
rium probari possit, Fisco puto actionem competere ad turpe lucrum extorquendum. Collige
ex hoc textu: I. Remissum juramentum haberi 16
pro praestito. Remittit autem ille, qui ei qui 17
suscepit juramenti delationem et jurare paratus est, ejus gratiam facit, voluntate suscepti Jurisjurandi contentus. Et de tali remissione loquitur etiam lex *pen. ff. h. t. Don. et ibi Hillig. lib.* 21. *c.* 13. *lit. H.* Remissio autem haec non po- 18

test fieri a Pupillo, *l.* 32. *ff. h. t. Auctor in l.*
19 6. *ff. h. t. n.* 4. nec a Tutore, quia donatio est,
20 nisi post delationem compererit Reum non de-
21 bere, quia temere non debet deferri, *argum.*
l. 9. §. 6. *ff. h. t. Auctor in d. l.* 6. *ff. h.*
22 *t. num.* 1. et qui etiam ei, quem pejeraturum
scit vel probabiliter existimat, defert et non re-
mittit juramentum, plus quam homicida est,
c. ille qui hominem 5. *Caus.* 22. *q.* 5. *Auctor*
23 *in d. l.* 6. et ideo omnes, qui deferunt jura-
mentum, si sciant vel probabiliter credant pe-
jeraturum alterum, cui detulerunt, potius pa-
rato remittere debebunt, si conscientiae suae
24 consulere velint. II. Colligitur: Quoties ex jura-
mento a parte vel in judicio vel extra illud de-
lato, sententia fertur, per transactionem videri
25 rem esse decisam, et tunc postea non audiri
26 eum qui detulit, licet per evidentiores proba-
27 tiones perjurium velit docere, quia imputare si-
bi debet, quod alteri juramentum detulerit. Sed
28 secus est, si per necessarium juramentum res
29 a Judice decisa, quia deficit in necessario illa
ratio, quia non defertur a parte, et praeterea
necessarium juramentum qui praestat, ille con-
stituitur Judex in propria causa, et ideo haec
30 probatio est privilegiata, ergo haec retractari
potest. Unde *Sichardus hic* talem Regulam facit:
31 Quaecunque sententia ex privilegiatis probatio-
nibus lata est, illa semper per veras probationes
potest retractari: v. g. ex Praesumptionibus, ex
32 judicio Chirurgorum. Sed ea ratio non satis qua-
drare videtur ad *l. admonendi ff. h. t.* Nam si
propterea, quia probatio privilegiata est, retra-
ctaretur haec sententia, posset per omne pro-
bationum genus, et sic etiam per testes, retra-
ctari, cum tamen *l. admonendi*, tantum
velit per Instumenta retractari posse sententiam,
non vero per Testes, *Unmius Disp.* 11. *ad Pro-
cess. num.* 100. *Hillig. in Donell. l.* 24. *c.* 9.
Lit. ff. Setserus de juram. lib. 4. *cap.* 17. *num.*
33 9. *et seq.* Sed salvari potest haec ratio, quod
Testes non admittantur ob religionem juramen-
ti, et quia probatio non est ita evidens et ex-
pedita, ut per Instrumenta. Et hinc III. ex di-
34 ctis etiam colligitur: Jura esse faventiora, quan-
do quis ex necessitate quid admittere tenetur,
35 quam si sponte hoc faciat, sicut favorabilius a-
gitur cum eo, cui praestanda necessaria satis-
datio, quam qui voluntarie satisdat, *l.* 7. §. 1. *ff.
Qui satisdare. Sichard. hic num.* 3. *Hillig. in
Donell. l.* 24. *c.* 19. *lit. Ee. Bacch. in Tr. V.* 1.
Disp. 21. *th.* 10. *lit. E.*

L. Jurisjurandi. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Quae negatur. 3.
Ratio. 4.
Quae non adaequata videtur. 5.
Perjurium inquiri non oportet. 6.
Quaest. an Jure civil. Justinian. perjurium sit impunitum? 7.
Haec l. tantum de judiciali juramento est accipienda. 8.
Quoddam perjurium punitur, sed diversimode. 9.
Varie haec l. a DD. explicatur. 10.
Antonii Matthaei JCti acutissimi, explicatio hujus l. 11.
Auctoris explicatio. 12.
Jure Canonico omnino punitur perjurium. 13.

Deferente adversario quidam juraverat, per 1
Deum et per salutem et venerationem Princi-
pis, sed falso. Quaeritur: *An si perjurium In-* 2
*strumentis probari possit, is propterea puniri
debeat corporaliter, et quasi Criminis Majesta-
tis reus?* Neg. quia pejerans DEUM ultorem ha- 3
bet, *l.* 15. *ff. de Except. Nov.* 82. *c.* 11. §. 1. 4
quae ratio tamen adaequata esse non videtur, 5
sed potius illa in *l. praeced.* quod in illud 6
perjurium inquiri non oporteat. Sed *an Jure* 7
Civili Justinianeo perjurium sit impunitum? Resp. 8
haec l. 2. tantum de judiciali juramento a par- 9
te delato est intelligenda, ideoque dicendum
quoddam perjurium non puniri, ut *d. l.* 15. *et
Nov.* 82. quoddam puniri, sed diversimode, ut 10
l. 2. *C. de Indict. viduit. toll. l.* 22. *de Dolo.
l. ult. de Stellionatu. l. si duo* 13. §. *si quis* 6.
ff. h. t. etc. Vid. *Don. et ibi Hillig. l.* 24. *c.* 17.
lit. L. Carpz. Pr. Crim. p. 1. *q.* 46. *Bronchorst.
cent.* 2. *Enant. assert.* 25. *Pacius cent.* 3. *q.*
79. *Unmius Disp.* 11. *num.* 34. *th.* 6. Varie
quidem *hanc legem* explicant *DD.* ut videre est
apud *Dn. Carpz. d. l.* Nuper autem *Dom. Ant.* 11
Matth. JCtus acutissimus in tract. crim. in lib.
47. *tit. ult.* ita hanc legem explicat: Alexan-
drum Imperatorem hoc non velle, non posse
extra ordinem accusari perjuros, sed non esse
proditam publicam accusationem, frustraque
adeo timeri poenam legis Juliae Majestatis. Quod
vero adjicit, Jurisjurandi contemptam religionem
satis DEUM ultorem habere, id ad inconsulta
et calore facta perjuria referendum est, ad quae,
tametsi jus civile connivet, Deus tamen Opt.
Max. impunita ea non relinquit. Haec *Ant. Mat-
th. d. l.* tentavit aliquando, an ita possit intel- 12
ligi Textus, ut in illis verbis habeatur ratio
dubitandi, quod quidem perjurium sit gravis-
simum crimen, quod praesentem divinam vin-
dictam eamque gravissimam secum trahere so-
leat; non tamen esse pro Majestatis Crimine
habendum, ita et per verba illa non exclude-
retur poena Magistratus, et vocabulum, *satis*,
non excluderet poenam Judicis, sed exaggera-
ret tantum poenam Divinam et criminis gravi-
tatem, et ita non significat, quod nihil super-
sit; quae explicatio probabiliter ex adversativa
particula, *autem*, et implicativa sententia, *etsi
per principis*, probari potest. Quicquid sit de Jure
Civili, Jure Canonico omnino punitur perjuri- 13
um, *c.* 39. *C.* 23. *Q.* 5. *et.* per *Const. Crim. Ca-
rolinam Art.* 107. *et seq.* in casibus ibi expressis.

L. In bonae fidei. 3.

SUMMARIA

Actore suam intentionem non probante, reus absolvitur. num. 1.
Limitationes hujus regulae. 2. 3. 4.
Tunc deferendum est a judice necessarium juramentum, quando inopia probationum adest. 5.
Ratio 6.
Juramentum, de quo hic agitur, tunc demum lo-

cum habet, quando semiplene, vel plus quam semiplene est probatum. 7.
Haec sententia notissimo judiciorum usu est approbata. 8.
Si actor semiplene probavit, actori deferendum est juramentum, si vero reus, reo. 9.
Si uterque semiplene probaverit, in arbitrio judicis est, cui deferat. 10.
Melius tamen defertur reo. 11.
Ratio. 12.
Juramentum credulitatis in facto tertii pro suppletorio est. 13.

1 Quando Actor suam intentionem non probat,
tunc Reus absolvitur, *l. qui accusare* 4. *sup.*
de edendo, c. fin. §. fin. X. de Jurejur. Sed li-
2 mitatur hoc: Nisi 1. Actor velit deferre jura-
3 mentum, *l.* 8. *h. t.* 2. Nisi contra reum prae-
sumptio quaedam militet, ut purgare se per
juramentum habeat necesse, *l.* 6. §. 4. *vers.*
sic ubi C. de his qui ad Eccl. l. fin. C. de fide
Instrument. l. fin. §. Licentia 10. *C. de jure*
4 *Delib.* Nisi Actor semiplene probaverit, v. g.
unico Teste omni exceptione majore, vel In-
strumentis domesticis, tunc enim Judex prae-
cedente causae cognitione (qua disquiritur, u-
trum semiplene probatum, et uter sit majoris
fidei aut dignitatis, uter plus probarit, vel ma-
jorem habeat rei scientiam, et an etiam causa
juramentum hoc admittat,) juramentum Sup-
pletorium vel Necessarium parti imponet, *h.*
l. etiam (ut communis opinio est ex *l.* 31.
ff. de jurejur. et l. 12. §. 2. *h. t. Gail. lib.* 1.
Obs. 108. *num.* 4. *Dn. Mevius. p.* 4. *dec.* 121. *n.*
1. *Fach. lib.* 1. *Cent.* 26.) non rogatus, *Mollerus*
p. 1. *Const. Saxon.* 23. *num.* 5. *Hillig. in Do-*
nell. lib. 24. *cap.* 19. *lit. X. Dn. Carpz. p.* 1. *Const.*
23. *def.* 2. Nam vocabulum, *oportet*, quod hic
reperitur, necessitatem importat, *l. verbum o-*
portere 37. *ff. de V. S.* Et sane Judex alio mo-
do decidere hanc litem non posset, *Salyc. hic*
num. 5. *Matth. Col. de Process. Execut. p.* 1.
c. 10. *num.* 141. et quos allegat *Carpz. d. l.* li-
cet dissentiat *Donell. d. l. et Berlich. p.* 1. *Con-*
5 *cl.* 53. *num.* 53. Sed tunc deferendum a Judice,
quando inopia probationum est, per *hanc le-*
6 *gem.* Nam ideo necessarium hoc juramentum
dicitur, quod Judex non possit aliam causam de-
cidere, nisi hoc juramentum deferat, *Ummius*
d. Disp. 14. *num.* 68. Sed aliquid tamen proba-
tum esse oportet. Ideoque Doctorum commu-
7 nis est sententia, tunc huic Juramento neces-
sario, de quo hic tantum agitur, locum esse
quando semiplene, vel plus quam semiplene
8 est probatum, quae sententia notissimo judi-
ciorum usu est approbata, *Carpz. d. Const.* 23.
def. 3. *Hillig. d. c.* 19. *lit. d. Setserus de ju-*
ram. l. 4. *c.* 12. *Umm. d. l. num.* 74. Si ergo
9 Actor semiplene probaverit, Actori deferendum
est juramentum, si vero Reus, Reo. In dubio,
Regulae initio traditae standum, *Dn. Mev. p.*
10 4. *dec.* 155. Si tamen uterque pariter semiple-
ne probaverit; in arbitrio judicis est, cui defe-
11 rat, melius tamen reo deferet, cujus par-
12 tes sunt favorabiliores, *Jason. in l. admonendi*
num. 260. *Menoch. l.* 2. *A. Q. Cas.* 190. *num.*
19. *Ummius d. D.* 14. *num.* 74. *Auctor in l.*
13 31. *ff. de jur. num.* 5. Interdum etiam juramen-
tum credulitatis in facto tertii pro Suppletorio
est, *Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 121. *in fine.*

L. Si ad excludendam. 4.

SUMMARIA

Ex jurejurando delato vel praestito actio actori, exceptio reo competit. num. 1.
Limitatio. 2.
Legis dispositio extenditur. 3.
Ratio extensionis. 4.
Illi soli deferunt juramentum, qui potestatem habent litis decidendae sive transigendae. 5.
Si juramentum a pupillo delatum tendat ad liberandum, ipso jure quidem valet delatio, sed pupillo datur replicatio. 6.

Ex Jurejurando delato vel praestito actio Acto- 1
ri, Exceptio Reo competit, *l.* 9. §. 1. *ff. de*
Jurejur. Sed hoc si actor jus deferendi habuit:
quod si pupillus tutori suo, qui propter tem- 2
poris a Parente praestituti, §. *sed et usque*
2. *Inst. Quib. mod. tut. finiat.* lapsum, aut e-
ventum conditionis desiit esse tutor, detulerit
juramentum super actione tutelae, haec delatio
nulla est, *h. l. et l.* 9. *ff. de Auctor. Tut. et t.*
C. Qui legit. pers. stand. Auctor in l. 17. *ff.*
de jur. n. 7. Vel etiam potest *lex haec* intelli- 3
gi de eo casu, quando per aetatem adultam
finita est tutela, et ille adultus actione tutelae
egisset contra tutorem, ac juramentum ei de-
tulisset in judicio. Nam sive curatorem habeat, 4
sive non habeat, delatio haec ipso jure nulla
est, quia minor curatorem non habens non ha-
bet personam standi in judicio et multo magis
nulla est delatio, si curatorem habeat, illi enim
soli deferunt juramentum, qui potestatem ha- 5
bent litis decidendae seu transigendae ac remit-
tendae, *Donell. lib.* 24. *cap.* 12. *Auctor in l.* 17. *ff.*
de jur. n. 1. Si autem juramentum tendat ad li- 6
berandum, ipso jure quidem valet delatio, sed
pupillo datur Replicatio. *l.* 17. §. 1. *ff. t. Sich. hic*
num. 7. *Hillig. d. c.* 12. *lit. C. Setserus lib.* 4.
cap. 2. *num.* 27. ubi hanc legem de pupillo in-
telligit. Eadem autem ratio minoris habentis cu-
ratorem, per *l.* 3. *C. de Rest. Min. Donell. d.*
cap. 12. et quos ibi allegat *Hillig. lit. D. Goedd.*
ad l. 21. *de V. S. num.* 11. *Auctor in l.* 17. *ff.*
h. t. num. 9.

L. Cum etiam. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta affirmatur. 2.
Ratio. 3.
Alia quaestio. 4.
Ratio dubitandi. 5.
Decisio 6.
Ratio decidendi. 7.
Tutor in specie hujus l. jurat de facto proprio. 8.

Pupillo meo, cujus ego tutor sum, injunctum 1
est, ut Fideicommissum tibi solvat, tu vis age-
re mecum, quaeritur an possis? Quod Affirma- 2
tur, quia quod pupillo injunctum, mihi etiam 3
injunctum videtur, qui pupilli sum defensor.
Sed an mihi juramentum deferri potest? Vi- 4

5 detur quod non, ob *l.* 34. §. 3. *ff. de Jureju-*
6 *rando, l.* 4. *ff. de in lit. jur.* Sed Resp. quod
7 sic: quia alia est ratio juramenti in litem, quod Affectionis est, jam vero omnium non est una affectio, et alia juramenti in litem Veritatis, alia etiam ratio Procuratoris, in *d. l.* 34. §. 3. *ff. de Qur.* et Tutoris, nam ibi poterit domino principali deferri juramentum, hoc casu non potest domino, pupillo scil. deferri, *Duar. ad tit. ff. de Jurejur. c.* 4. *relatus ab Hillig. l.* 21.
8 *c.* 21. *lit. X.* et tutor in specie hujus legis jurat de facto proprio, scil. se legisse testamentum, et tamen se non invenisse Fideicommissum, *Don. d. c.* 21. *lit. X. Sichard. et Gilken. ad hanc l. quos d. l. citat. Hillig.*

L. Cum proponas. 6.

SUMMARIA

Juramentum etiam in causa ingenuitatis deferri potest. num. 1.
Non vero in causa servitutis. 2.
Ratio differentiae. 3.
Sicut super servitute non licet juramentum deferre contra libertatem, ita nec contra matrimonium. 4.
Ratio. 5.
Ampliatio. 6.
Arbiter in causa status adiri non potest. 7.
Exceptio Glossae. 8.

1 Juramentum etiam in causa ingenuitatis deferri potest; sed *an in causa servitutis?* Id *Gil-*
2 *ken. hic* negat per *l.* 32. §. 8. *ff. de Arbitr. argum. l. inter stipulationem* 83. §. 5. *ff. de*
3 *V. O.* quia non est in potestate partium, se in servitutem conjicere; quae autem in potestate partium non sunt, seu de quibus partes non possunt transigere, super iis non potest juramentum deferri. Et si ideo super servitute non possit juramentum deferri a parte, multo minus deferri posset a Judice necessarium juramentum cum hoc in arduis causis non deferatur, *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 190. *num.* 18. *Gail. lib.* 2. *obs.* 13. *num.* 2. *Mascard. Concl.* 956. *num.* 30. *et alii.* Que-
4 madmodum autem super Servitute non licet juramentum deferre contra libertatem, ita nec contra
5 Matrimonium, quia non est in potestate partium matrimonium dirimere, si contractum sit, *Schneidew. in* §. 11. *num.* 26. *Inst. de Act. Beust. de Sponsal. cap.* 45. *Gail. l.* 2. *obs.* 94. *num.* 14. *Setserus de juram. d. c.* 4. *num.* 7. *et*
6 *Hillig. in Donell. l.* 24. *c.* 17. *lit.* I. Et sic multo minus Judex necessarium Juramentum defe-
7 ret. Quamvis autem Arbiter alias in causa sta-
8 tus adiri non possit, putat tamen *hic glossa* super eo puncto, an potuerit juramentum deferri, arbitrum aditum fuisse.

L. Nec Filius. 7.

SUMMARIA

Neque maritus in praejudicium uxoris, neque filius in praejudicium patris, juramentum alteri deferre potest. num. 1.
Ratio. 2.
Tutor et curator possunt deferre. 3.
Non vero procurator. 4.
Limitatio. 5.

Ut nec Maritus in praejudicium Uxoris, ita 1
nec Filius in praejudicium Patris, juramentum alteri deferre potest, *l.* 24. *in fin. ff. de jur.* Ratio 2
in *l.* 155. *de R. J. factum cuique suum etc.* Illi enim soli possunt deferre juramentum, qui potestatem habent transigendi, *l. jusjurandum* 17. *ff. h. t. Donell. l.* 24. *c.* 12. *lit. A.* Hinc tutor 3
et curator possunt deferre, *d. l.* 17. §. *penult.* Procurator non item, nisi vel super facto ejus, 4
cujus ipse solus conscius est, et cum libera, 5
vel omnium bonorum, *d.* §. *ult.* Ex quo patet, maritum in re uxoris sine mandato speciali deferre non posse, licet agendo cum Cautione de rato admittatur, *l. maritus* 21. *C. de Procur.*

L. Actori. 8.

SUMMARIA

Juramento delato et praestito, vel remisso, datur quandoque exceptio. num. 1.
Quandoque actio ex empto vel stipulatu utilis. 2.
Quandoque actio in factum. 3.
Illud ex h. l. colligi non licet, veterem actionem esse sublatam per juramentum praestitum. 4.
Ratio. 5.
Nec ex judicato vetus actio permittitur. 6.

Quando de referente juravi, rem mihi deberi 1
vel meam esse, aut jurare mihi parato tu remittas, datur mihi contra te petentem Exceptio, si possideo; si vero non possideo, sed juravi, ex Empto, vel stipulatione, vel simili 2
contractu mihi deberi, tunc datur Actio utilis ex Empto, vel stipulatu, *l. si duo* 13. §. 3. *ff. de jurej.* Sed si deberi juraverim ex contractu 3
innominato, vel rem meam esse, tunc datur actio in factum, idque sive in judicio, sive extra judicium juratum sit, ob *hanc l.* juncta *l.* 3. *pr.* et §. 1. *et l.* 17. *ff. de jurej.* Sed id ex 4
hac lege colligi non potest, veterem actionem esse sublatam. Nam v. g. si rem meam esse ju- 5
raverim, et vellem postea repertis novis probationibus rem a possessore vindicare, improbe faceret possessor, si opponeret mihi: imo tu jurasti rem tuam esse, ergo Rei Vindicationem non habes, quippe eo minus restitutionem remorari debebat. Et sane nec ex judicato vetus 6
actio perimitur, ideo nec juramento, et noxium id foret actori, qui actionem in factum tantum haberet contra eum, qui detulit juramentum; actionem autem in rem posset intendere contra quemcunque possessorem, *Hillig. in Donell. l.* 24. *C.* 16. *Lit. D.*

L. Delata. 9.

SUMMARIA

Reus, si actor de calumnia juraverit, omnino debet jurare, vel referre juramentum, vel solvere. num. 1.
Nolens jurare habetur pro confesso. 2.

Ratio. 3.
Limitationes. 4. 5.
Si deferens juramentum nolit jurare de calumnia, ille cui defertur non potest compelli ad praestandum juramentum delatum. 6. 7.
Detrectans juramentum calumniae habetur pro eo, ac si remisisset juramentum delatum. 8.
Evidens est vitium in Florentina editione in l. 34. §. 4. ff. h. t. 9.
Is cui delatum est juramentum, potest illud referre. 10.
Casus, ubi juramentum delatum referri non potest. 11. 12. 13. 14.
In his eventibus ubi referri non potest, praecise praestari debet. 15.
Sententia, qua statuitur turpem personam non posse deferre juramentum, notatur. 16.
Casus ubi praecise juramentum delatum praestari debet. 17.
Ratio decidendi. 18.
Intellectus cap. ult. X. h. t. 19.
Per h. l. non excluditur is, cui delatum est juramentum, si velit contrarium vel suam intentionem plene probare. 20.
Ratio. 21.
Qui detulit juramentum, si ipsi referatur illud, non potest hoc probationibus evitare. 22.
Ratio. 23.
Jure communi tamen illud valde dubium. 24.

1 Reus, si Actor de calumnia juraverit, *l.* 34.
§. *qui Jusjurandum* 4. *l.* 37. *ff. h. t. l. fin. C.*
de Fideicommissis, omnino debet jurare, vel
referre juramentum, vel solvere. Nota bene:
2 Nolens jurare habetur pro confesso: ratio *in l.*
3 *manifestae* 38. *ff. de jurej.* Sed hoc intelligen-
4 dum, si judex delationem approbaverit, *l.* 12.
5 §. 1. *h. t.* et Reus conscientiae religionem idoneis probationibus supplere nolit, aut nequeat,
Wesemb. π. h. t. num. 9. *Carpz. p.* 1. *Jurisp. C.*
6 14. *def.* 17. Colligitur ex *hac l.* I. Si deferens
juramentum nolit jurare de calumnia, quod
7 tunc ille sit in mora, atque ille cui defertur
juramentum, non possit compelli, ut ipse ju-
8 ramentum praestet, imo detrectans juramentum
calumniae habetur pro eo, ac si remisisset juramentum delatum, *l.* 37. *ff. h. t. Carpz. p.* 1. *Jurisp.*
C. 15. *def.* 28. *Auctor in l.* 34. *ff. h. t. n.* 11. Nemini
enim remittitur, nisi certis personis, v. g.
Parenti et Patrono, *l.* 16. *ff. h. t.* et ideo
9 evidens vitium in Editione Florentina *in l.*
34. §. 4. *h. t.* ubi *neque* pro *aeque* positum,
Donell. l. 21. *cap.* 21. *lit. D.* Quibus alias remittitur, de iis *Donell. d. c. et Ummius Disp.*
10 *ad Process.* 12. *th.* 8. Colligitur II. Eum, cui
delatum est juramentum, posse referre juramentum, quod tamen in nonnullis casibus lo-
11 cum non habet, quando enim agitur de delicto
12 ejus, cui delatum est, vel super facto ejus, cujus ipse solus conscius est, et quod nemo melius ipso scire potest, non potest referri, *l.* 11.
§. *ult. et l. fin. ff. Rerum Amot. Don. d. cap.*
13 21. *lit. O.* Idem est, si agatur de rebus subreptis aliis, *Pruckm. vol.* 1. *Cons.* 2. *num.* 472. et
14 ubi deferens verosimiliter factum ignorat, *Um-*
15 *mius D.* 14. *num.* 50. et in his eventibus, ubi
referri non potest, praecise praestandum est
juramentum, *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 189. *num.*
8. *Fachin. lib.* 1. *cap.* 21. *Setserus de Juram.*
l. 4. *c.* 3. *num.* 41. *et Ummius d. l. num.* 52.
Auctor in l. 14. *ff. h. t. num.* 21. *seqq.* Et ideo 16
non videtur esse firmum fundamentum, quo
quidam nituntur probare, turpem personam
non posse deferre aliis juramentum, quia scilicet illi referri non possit, nam consequentia
haec labilis est, per tradita *Donelli d. c.* 21.
lit. Hh. et Duar. in priori Comment. tit. ff. de
Jurejur. cap. 2. *et poster. c.* 3. *Ummius d. D.* 14.
num. 42. licet ex hoc labili fundamento turpem
et infamem personam a delatione juramenti prohibeant *Setser. l.* 4. *cap.* 8. *num.* 12. *Beust. ad*
Rubr. ff. h. t. n. 99. *Anton. Fab. in Codic. suo h. t.*
Def. 17. *Auctor in l.* 35. *ff. h. t. n.* 5. *et* 6. Colligitur
III. Eum cui delatum est juramentum, si deferens 17
juramentum de calumnia velit praestare, nec
is, cui delatum, referre velit, praecise teneri
jurare vel solvere, nec audiendum eum esse,
si aliquam probationem vel adminiculum requirat, quae sententia uti ex *hac l.* 9. *et l.* 34. *ff. h. t.*
probari potest ex ea ratione, quod in hac ma- 18
teria nulla lex probationem semiplenam vel praesumptionem vel simile quid requirat, *Donell. et*
Hillig. l. 24. *cap.* 20, *lit. D.* et quos hic allegat *Carpz. p.* 1. *cap.* 12. *D.* 2. *et Lib.* 1. *Resp.*
77. *Berlich. p.* 1. *Concl.* 29. *num.* 8. *Caevall. q.*
305. *Fachin. l.* 1. *contr. cap.* 19. *Setserus d. l.*
4. *c.* 2. *in fine, et Ummius d. l. num.* 41. Nam
capit. ult. §. *ult. X. h. t.* de juramento Purga- 19
torio et Suppletorio loquitur. Non tamen per 20
hanc legem excludetur is, cui delatum hoc est,
si velit contrarium vel suam intentionem plene
probare, per *l.* 30. *pr. ff. h. t. et lib.* 1. *Feud.*
tit. 4. *pr.* nam religione magis quam conscien- 21
tia adductus videtur juramentum declinare, *l.*
8. *ff. de Condict. Inst. Bart. in l.* 14. §. 3. *C.*
de Non numerata pecunia, Schneidew. §. 11.
Instit. de Act. num. 93. *Herculanus de Probanda Negat. num.* 204. *Hillig. d. c.* 24. *Lit. ff. de*
Rauchb. p. 2. *quaest.* 3. *num.* 19. *Ant. Faber*
C. h. t. Def. 3. *Carpz. lib.* 3. *Resp.* 50. *num.* 4.
Aliud vero in deferente esse volunt, si ipsi 22
referatur juramentum, nam hoc probationibus
evitare ipsum non posse, cum ipse primus hanc 23
viam elegerit, volunt *Carpz. d. Const.* 14. *Def.*
4. *Berlich. P.* 1. *Concl.* 33. *num.* 11. licet ju- 24
re communi id valde dubium. Vid. *Berlich. d.*
l. num. 10. *et Dan. Moll. ad d. Const.* 14. *num.*
17. *Auctor in l.* 30. *ff. h. t. num.* 10. 11. *et l.*
34. *num.* 19. *et l.* 38. *eod. num.* 25. 26.

L. in Actione. 10.

SUMMARIA

In Deposito licet compensatio locum non habeat, potest tamen juramentum deferri depositario. num. 1.
Limitatio. 2.
Rationes hujus. 3.
Dolus requirit probationem liquidissimam. 4.
In actione injuriarum criminali deferri non potest juramentum. 5.
Sententia Carpz. tanquam minus tuta, aut juri consentanea notatur. 6.
Ratio. 7.
Actorem etiam in criminalibus reo seu accusato juramentum deferre posse statuunt DD. communiter. 8.

DD. citati a Carpzov. de juramento necessario loquuntur. 9.

1 In Deposito, licet Compensatio locum non habeat, tamen juramentum deferri depositario po-
2 test. Hoc quamvis eo casu, ubi de dolo depositarii agitur, non putet habere locum *Dn. Car-*
3 *pz. d. Const.* 12. *Def.* 31. quia 1. in actione Famosa locum non habeat juramenti delatio, 2.
4 nec in criminalibus, 3. quia dolus requirit probationem liquidissimam, ex quibus rationibus
5 in actione injuriarum criminali deferri posse juramentum negat in *l.* 2. *Pract. crim.* Q. 95. *n.* 67. *et seq.* tamen, quod pace tanti Viri di-
6 xerim, non videtur haec sententia tuta aut juri
7 consentanea. Nam sic sequeretur ex prima ratione hanc actionem Depositi regulariter respuere juramentum, quia regulariter infamat, et in famosis actionibus locum habere juramentum, per plures textus, praesertim *l.* 9. §. 2. *ff. h. t.* probat *Hillig. in Don. d. cap.* 21. *Lit. Q.* Secunda etiam ratio communiter negatur, quia nullibi in jure criminalia excipiuntur, quasi scilicet reo non posset deferri juramentum: nam
8 de hoc casu loquor. Actorem reo seu accusato hoc deferre posse statuunt *DD.* communiter, *Schneidew. in d.* §. 11. *num.* 23. *Beust. ad l.* 3. *ff. h. t. num.* 56. ubi ita judicatum refert *Hillig. in Don. lib.* 24. *cap.* 17. *Lit. J.* et DD.
9 quos pro sua sententia *d. l.* citat *Dn. Carpz. num.* 3. de juramento necessario loquuntur. Nec tertia ratio stringit, quia si Reus jurat, non probatur dolus, sed excluditur.

L. Si quis Jusjurandum. 11.

SUMMARIA

Legis dispositio. num. 1.
Ratio. 2.
Probatione licet suscepta, juramenti delationi locus superest, tam qua actorem, quam reum. 3.
Intellectus l. Donelli. 4.
Intellectus l. Gilken. 5.
Ummii *sententia.* 6.
Gilkenii *sententia communior.* 7.
Si juramentum delatum est acceptatum, non est integrum deferenti illud revocare. 8.
Consilium pro eo, cui juramentum est delatum. 9.
Limitatio. 10.
Hujus ratio. 11.
Bartoli *sententia notatur.* 12.
Si super juramento delato sententia lata, non amplius revocatio locum habet. 13.
Ratio. 14.
Potest sententia ferri sub conditione intrinseca. 15.
Ratio dubitandi. 16.
Quae resolvitur. 17.
Litis unius finis non debet esse alterius exordium. 18.
Nec lites serendae ex litibus. 19.
Licet injuncta sit probatio, et terminus nulla probatione facta lapsus sit, nihilominus adhuc juramentum deferre licet. 20.
Ratio decidendi. 21.
Ratio dubitandi. 22.
Quae resolvitur. 23.
Renunciatio praesumitur. 24.
Diversa sunt remedia, probare et deferre juramentum. 25.
Ut ab illo datur recursus ad hoc, ita vice versa. 26.
Limitatio. 27.

Qui semel detulit juramentum, ille potest re- 1
vocare delationem et suam intentionem idoneis testibus vel aliis probationibus probare, sed si iterum vellet probationis via relicta, juramentum deferre, non esset audiendus quia tam saepe variare esset levitatis, *Thes. l.* 1. 2
quaest. 16. *num.* 4. Et probatione licet suscepta, 3
juramenti delationi locus superest tam qua actorem, quam reum, *Dn. Mevius Parte* 4. *decis.* 5. *num.* 5. Sed, *an verba legis generaliter intelligenda? Don. l.* 24. *Cap.* 14. *Lit. C.* ad eum casum ea 4
restringit, quando ita delatum jusjurandum, ut intra certum tempus juretur; *Gilken.* vero ad 5
eum casum, quando pars, cui delatum, nondum acceptavit. Sed generalius esse intelligenda contra utrumque statuit *Umm. d. D.* 14. *num,* 6
2. *et. Hillig. d. l. Lit. C.* Sed communior videtur sententia esse *Gilkenii*, quod scilicet *haec* 7
lex ante acceptatum ab altero juramentum locum habeat. Postquam vero acceptavit alter, 8
non esse integrum deferenti illud revocare, adeo, ut consilium dare soleant DD. illi cui ju- 9
ramentum delatum est, ut si metuat, ne forte revocetur, statim acceptet delationem, *Thes. l.* 1. *q.* 16. *num.* 1. nisi novas probationes sibi jam 10
supervenisse referat, aut documenta nova alleget; nam tunc etiam post sententiam deferen- 11
tem iterum audiendum esse statuit *Bart. in l.* 5. §. *ult. ff. h. t. et* ibidem *Zasius num.* 4. *Moll.* 3. *Semest. cap.* 3. *n.* 10. *Carpz. p.* 1. *Const.* 12. *Def.* 4. *Berl. P.* 1. *Concl.* 32. *n.* 6. licet sententia illa *Bartoli* non sit sine scrupulo: nec enim hoc 12
effectu paria sunt, acceptare et in continenti jurare, ut poenitentia excludatur. Quid si vero 13
ita sententia lata, si juraverit, dato illi decem: anne post sententiam, si transit in rem judicatam revocatio fieri potest? Negatur, propter au- 14
ctoritatem rei judicatae, potest enim sententia 15
ferri sub conditione intrinseca, v. g. si juratum per *l.* 11. *C. de Sentent.* Sed adhuc manet dif- 16
ficultas, cur non praestito juramento judiciali (nam de necessario non agi contextus docet) judex definitivam tulerit sententiam et non juramenti praestationem expectarit. *Salyc* respon- 17
det. forte illud tempus instantiae fere esse praeterlapsum, vel definitivam sententiam hic pro Interlocutoria poni, ut *gl.* aut per sequentem hanc corrigi, quod paulo frigidius est. Collige etiam ex *fine legis*: Litis unius finem non de- 18
bere esse alterius exordium, et lites non esse 19
serendas ex litibus. Ex *hac lege* etiam colligitur, licet mihi injuncta probatio, et Terminus nulla 20
probatione facta lapsus sit, quod tamen deferre possim juramentum, nam haec lex ita demum 21
prohibet delationem, si jam antea ante probationem susceptam facta. Si ergo antea non sit 22
facta delatio, non videtur sola susceptio probationis me excludere a delatione. Quamvis autem *Setserus de juram. l.* 4. *c.* 2. *num.* 41. respondeat, me, dum illam sententiam interlocutoriam

passus sum transire in rem judicatam, renun-
23 ciasse delationi juramenti. Sed haec est petitio
24 principii: Renunciatio non praesumitur; diver-
25 sa sunt remedia, probare et deferre juramen-
26 tum, adeoque ut ab illo datur recursus ad hoc,
27 ita vice versa, modo non secunda variatio fiat
per hanc legem.

L. Generaliter. 12.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Legis dispositio. 2.
Probationes non sunt coangustandae, sed adjuvandae et ampliandae. 3.
Si sententia lata sub forma et praestatione juramenti, potest praestari juramentum non obstante appellatione interposita. 4.
Ratio. 5.
Quando periculum est in mora, tunc si fiat appellatione pendente, non dicitur attentatum. 6.
Juramenta in praesentia judicis praestanda. 7.
Ratio. 8.
Alia est ratio juramenti defuncto delati, et ab haerede praestandi. 9.
Ratio. 10.
Juramentum delatum a defuncto acceptatum habetur pro praestito. 11.
Ex parte contrarius huic sententiae est Auctor. 12.
Berlich. *vero absolute contrarium statuit.* 13.
Etiam termino probatorio praeterlapso potest deferri juramentum. 14.
Ratio. 15.
Juramento praestito standum est. 16.
Limitatio. 17.
Is, cui delatum est juramentum, si hoc recusaverit, habetur pro convicto. 18.
Ratio. 19.
Si tamen pro confesso fuerit condemnatus, habet beneficium appellationis. 20.
Ratio. 21.
Parti, quae detulit juramentum, nulla datur appellatio. 22.
Delatio juramenti valida non est, nisi prius eam judex approbaverit. 23.
Licet juramentum recusare ex justis causis. 24.
Justae causae. 25. *et* 28.
Is cui jusjurandum delatum, spatium deliberandi potest petere. 26.
Limitatio. 27.
Potest conditio juramenti non displicere, sed conceptio et formula. 29.
Limitatio regulae, quod juramentum delatum non possit recusari. 30.
A sententia definitiva super juramento praestito lata appellatio non admittitur. 31.
Ratio. 32.
A delato juramento necessario datur appellatio. 33.
Ratio. 34.
Processus, quando absentibus juramentum delatum. 35.
Citatio deferentis ad actum praestationis est necessaria. 36.
Judex determinabit, cujus impensis actus jurandi explicandus. 37.
Ratio. 38.
Jure civili per alium juramentum praestari vix potest. 39.
Limitatio. 40.
Ratio. 41.
Ampliatio. 42.
In foro Saxon. indistincte in persona juramentum praestari debet. 43.
Propter appellationem ab uno articulo interpositam non inhibetur cognitio aliorum articulorum. 44.
Ratio. 45.
Limitatio regulae num. 7. propositae. 46.
Non abs re foret, si juramenta majori cum solemnitate praestarentur in judiciis adhibito Theologo, vel in loco Sacro. 47.
Alia de juramento calumniae, aliisque juramentis statuta hac lege non abrogantur. 48.

Si Judex parti, vel pars parti approbante hoc 1
judice (nam de judiciali et necessario juramento,
non voluntario hic sermo) juramentum detulisset,
et vero alter appellasset, fiebat ut interim
mortuo eo, cui delatum juramentum, et qui
scientiam rei habuit, facultas probationis superstiti
praecideretur, sancit igitur Imper. liberam 2
esse facultatem Judici vel parti, vel in principio
litis vel medio vel in sententia exigere Juramentum,
neque Appellationem suspendere probationem.
Collige: I. Probationes non esse 3
coangustandas, sed adjuvandas et ampliandas.
Videantur in hanc rem congesta in *tract. regularum Barbosae, l.* 14. *C.* 86. *axiom.* 4. Collige:
II. Si sententia lata sub forma et praesta- 4
tione juramenti, posse praestari juramentum,
non obstante appellatione interposita, ne scili- 5
cet probatio pereat, *Lancellottus de Attentat.*
p. 2. *cap.* 12. *Limit.* 43. *num.* 13. Quando enim 6
periculum est in mora, tunc, si quid fiat appellatione
pendente, non dicitur Attentatum,
Lancell. d. limit. 43. *num.* 1. Collige: III. cum
Gilken. hic num. 6. juramenta sub ipso judice, 7
id est, in praesentia judicis praestanda esse,
ipsius enim est judicare, quantum juramento 8
tribuendum, et quibus gestibus juraverit. Collige:
V. Aliam esse rationem juramenti defuncto 9
delati, et ab haerede praestandi, quia forte non 10
est par facti scientia, nec animi conscientia.
Defuncti igitur fides cum eligitur, non potest
haeres, si nolit deferens, jurare, *Menoch. l.* 1.
A. Q. 68. *num.* 30. et quos allegat *Hillig. lib.*
24. *cap.* 13. *Lit. A.* Sin vero defunctus expres- 11
se delatum juramentum acceptaverit, hoc pro
praestito habendum esse nonnulli volunt, *Berlich. p.* 1. *Concl.* 55. *num.* 11. qui allegat *Mynsing. Cent.* 1. *Obs.* 13. *et Gail. l.* 2. *Obs.* 43.
Sed hic de juramento in litem loquitur. Sed de 12
juramento judiciali aliud dixerim cum *Hillig.*
in Donell. l. 24. *cap.* 13. *pr. et cap.* 19. *Lit. Y.*
p. 1283. et videtur *Berlich. num.* 9. in aliam sen- 13
tentiam declinare, ubi dicit, si juramentum
delatum et susceptum sit, suscipiens autem ante
praestitum juramentum decedat, partem adversam
intentionem suam legitime probare debere.
Collige: VI. Etiam termino probatorio 14
praeterlapso posse deferri juramentum, cum
sub ipsa sententia delatio locum habeat; de quo 15
Donell. et Hillig. l. 24. *c.* 13. *lit. E. Carpz. p.*
1. *Const.* 12. *Def.* 1. *num.* 1. *Nebelkrah. Decis.*
12. *Berlich. P.* 1. *Concl.* 29. *num.* 51. *Rauchb.*
p. 1. *Q.* 9. *num.* 23. *Setserus de juram. l.* 4.
cap. 5. *num.* 26.

§. 1. 2. *et* 3. Juramento autem praestito stan- 16

17 dum est, si legitima delatio judicis vel partis,
et hoc casu judicis approbatio praecessit. Si au-
18 tem is, cui delatum, retulit alteri juramentum,
hic, cui relatum est, non potest recusare, a-
lias habetur pro convicto, et ipse non habet
19 beneficium appellandi. Ratio *in fine* §. 1. quod
ferendus non sit appellans in his, quae ipse fa-
cienda procuravit, dum scilicet juramentum
prius detulit, *Setserus l.* 4. *cap.* 8. *num.* 8. Si
vero is, cui delatum jusjurandum, recusaverit
illud, potest ipsum judex condemnare ut con-
fessum, recusatio enim juramenti est confessio,
20 *l.* 38. *ff. de jur.* sed habet beneficium Appellatio-
nis in qua appellationis instantia examinandum,
an bene illatum sit juramentum, vel an bene
21 recusatum etc. quia fieri potest, ut habuerit
22 causam justam recusationis. Parti autem, quae
detulit Juramentum, nulla datur appellatio. No-
23 ta bene; I. Delationem juramenti validam non
esse, nisi prius eam Judex approbaverit, *Donell.*
de juram. c. ult. num. 3. *Ummius ad process.*
24 *d. D.* 14. *num.* 35. II. Licere Juramentum re-
cusare ex justis causis, v. g. 1. ex persona de-
25 ferentis, si pupillus, de qua supra. 2. persona
ejus, cui defertur v. g. si procuratori et de-
fensori deferatur, quia tales non coguntur ju-
rare, cum probabilem facti ignorantiam habeant,
et ideo non sunt cogendi, ut sub alieni com-
pendii emolumento anceps perjurium subeant,
l. jusjurandum 34. §. 3. *ff. h. t. l. videamus*
4. *ff. de in litem jur. Setserus d. l.* 4. *cap.* 3.
26 *num.* 19. Et sic is, cui delatum jusjurandum,
potest spatium deliberandi petere, si de facto
27 aliquo ex omni parte certus non sit maxime ubi
periculosum referre, per *d. l.* 34. *pr. Auctor*
in l. 34. *ff. h. t. num.* 1. et hanc consuetudi-
nem judiciorum ex *Claro* allegat *Setserus l.* 4.
28 c. 5. *num.* 24. 3. Ratione loci non competentis.
4. Ratione actionis institutae. 5. Ob competen-
tentem exceptionem. 6. Cum tractatur de facto
alieno. 7. Si aliter de calumnia non juraverit. 8.
Si actor plene probaverit. 9. Si post conclusio-
nem causae delatum *etc.* quas aliasque declara-
29 tiones hic cumulat *Gilkenius.* Potest etiam con-
ditio juramenti non displicere, sed conceptio
et formula, *Cujac. hic tom.* 3. *p.* 248. III. Non
licere ei, qui prius detulit juramentum, si ei
sit relatum, illud recusare, nec ferendum esse
eum, qui ad appellationis venit auxilium in his,
quae ipse facienda procuravit, *Maranta p.* 6.
tit. de Appell. num. 332. *Barb. hic num.* 14. Sed
30 hoc intelligunt *DD.* si recusaverit simpliciter. Sed
aliud si religionem conscientiae idoneis proba-
tionibus velit supplere, praesertim si novas pro-
bationes sibi supervenisse alleget. Vid. *Anton.*
Fab. l. 4. *Cod. tit.* 1. *Def.* 3. *num.* 4. *et seq.*
Schneidew. ad §. 11. *Inst. de Act. num.* 92. *et*
ibi Wesemb. Mollesus l. 3. *Semest. cap.* 3. *in fi-*
ne, et Carpz. P. 1. *Const.* 14. *Def.* 4. IV. ex §.
31 3. Quod a sententia definitiva super Juramento
praestito lata appellatio non admittatur, quia
32 deferens adversarium judicem constituit in pro-
pria causa, et Juramentum praestitum habet
vim rei judicatae, et alias fieri posset, ut in
secunda instantia ex novis probationibus Jura-
mentum praestitum rescinderetur, ex quibus
rationibus recte ita concludit *Carpz. P.* 1. *Const.*
15. *Def.* 7. ubi refutat *Dan. Moll. et Mynsing.*
Conferatur *Scaccia de Appell. Q.* 17. *Limit.* 34.
33 *Hillig. lib.* 24. *cap.* 17. *lit. A.* Sed a delato neces-
sario Juramento, dari appellationem palam est,
cum deficiant superiores rationes, *Carpz. d.* 34
34. *Const.* 15. *def.* 8. *Dn. Mevius p.* 1. *dec.* 13. *num.*
2. *et seqq.*

§. 4. Absentes, quibus defertur Juramentum, 35
debent citari, datis certis indiciis, aut si in lon-
ginquo sint, potest Judex magistratui illius loci
delegare, ut sub actorum testificatione Jura-
mentum ab iis praestetur, vel refutetur, vel
recusetur. Citatio tamen deferentis ad actum 36
praestationis est necessaria, *hic et l. de uno-*
quoque 14. *pr. ff. de. Re judic.* et Judex etiam 37
determinabit, cujus expensis hic actus expediri
debeat, quia circumstantiarum maxima varietas, 38
et interim non suspendendum judicium, sed a-
ctus alii expediri poterunt. Collige: I. Jure Ci- 39
vili per alium Juramentum praestari vix posse,
praesertim si ob circumstantias jubeat Judex, 40
ut pars ipsa sui praesentiam faciat, per *l. fin.*
C. de Procurat. Videatur *Parthen. litigiosus p.*
1. *cap.* 15. *num.* 33. Nam magis soliciti sunt li- 41
tigantes de salute animarum, si ipsi jurent,
nec tam facile ad jurandum prosiliunt, et ex
juraturi vultu judex pejerandi voluntatem ma-
gis animadvertere potest et juraturum dehorta-
ri. Ideoque quamvis speciale Mandatum dari posse 42
non negaverim, si tamen deferens velit ut al-
ter in persona hoc praestet, ipsum ad hoc com-
pelli debere per *hanc legem* statuo, quod et ju-
re communi ita se debere statuit *Carpz. p.* 1.
Jurispr. Const. 12. *def.* 30. ubi in Foro Saxon. 43
indistincte in persona praestari debere Jura-
mentum asserit. II. Collige cum *Bart. hic, et*
Salyc. in fin. Bl. num. 6. *et Gilken. hic in fine.*
Quando appellatio ab uno articulo interposita 44
non propterea inhiberi cognitionem aliorum
articulorum, quibus prior articulus praejudica-
re non poterat, et Appellatio interposita in uno 45
articulo non suspendit Jurisdictionem judicis in
aliis articulis separatis et non connexis, *Lancel-*
lot. de Attent. p. 2. *c.* 12. *Limit.* 2. *num.* 5.

§. 5. Supra sub ipso judice jurari debere di- 46
xit Imp. illud hic temperatur, ut ipsa praesta-
tio tamen etiam in aedibus fiat, si persona egre-
gia, *l.* 15. *ff. h. t.* vel Clericus, *Auth. sed judex*
C. de Episc. vel in oratorio *etc.* Et non abs re 47
foret, si juramenta majori cum solemnitate prae-
starentur in judiciis, adhibito Theologo, vel in
loco sacro *etc.* Sicut in juramento calumniae
admonet *Parthenii litig. Auctor lib.* 2. *c.* 6.
num. 24.

§. *Ult.* Alia, de juramento calumniae, aliisque 48
juramentis, statuta, hac lege non abrogari di-
cit, quod per se planum.

L. Cum quis. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta cum ratione dubitandi. 2.
Decisio cum ratione decidendi. 3.
Juramentum est quasi species transactionis. 4.
Ampliatio. 5.
Ratio. 6.
Quae quamvis generalis sit, non tamen nisi in hac specie concludit. 7.
Ex h. l. non concluditur, ob nova instrumenta retractari juramento decisa. 8.
Lex haec tantum de testamentariis controversiis loquitur. 9.

Dissentit Donell. 10.
Ratio praecedentis assertionis. 11.
Antonii Fabri sententia notatur. 12.
Quae tamen aliquo modo salvatur. 13.
A communi sententia hic non facile est recedendum. 14.

1 Tu me deferente jurasti, a meo Patre tibi
legatum esse relictum, ego solvo, sed falso ju-
2 rasti, *An repeti potest?* Videtur quod non, ob
3 *l.* 1. *hic.* Sed Affirmatur, quia hic est specialis
ratio; sicut enim de Testamento relictis non li-
cet transigere, verbis Testamenti non inspectis,
l. 6. *ff. de Transact.* ita nec juramentum defer-
4 re, cum quasi species transactionis sit. Sed si
5 vere tibi relictum quid est, et juraveris, Falci-
diam mihi non competere? Resp. eadem ratio-
6 ne dari repetitionem: ratio *hic in fin.* ne quis
ex delicto sibi impium lucrum adferat. Quam-
7 vis autem haec ratio generalis esse videatur,
8 non tamen ea, nisi in hac specie, concludit,
idque favore Ultimae Voluntatis. Non igitur ex
hac lege concluditur, ob Nova Instrumenta re- 8
tractari juramento decisa. Sed nostra lex tantum 9
de Testamentariis controversiis loquitur. Con-
sentiunt hic *Gl. Bald. Salyc. Fulg. Kremberg.*
ad §. *item, si quis postulare.* 11. *num.* 41. *Inst.*
de Act. qui tamen addit aliam rationem; eviden-
tiam facti, quae oculis observatur, licet dissen- 10
tiat *hic Donell.* Nam nisi hic specialis ratio es- 11
set, lex 1. *h. t. et l.* 31. *ff. h. t.* per *hanc le-*
gem essent correctae, quod dici non debet fa-
cile, et specialitatis ratio sua luce apparet. Nec
subsistere puto sententiam *Ant. Fabri defin.* 21. 12
h. t. ubi probationem per Nova Instrumenta
contra hoc juramentum admittere videtur, ni-
si dicamus, hanc esse decidendi rationem prae- 13
cipuam, quod ex ostensione documenti quasi
ex oculari inspectione fuerit convictus perjurii,
quod si ita est, nihil vetat in aliis similibus idem
dici, sed puto a communi sententia, quae ra- 14
tionem in testamento constituit, non esse faci-
le recedendum.

TITULUS II.

Si Certum Petatur.

L. Neque. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Ratio decidendi. 3.
Cohaeredes pro partibus haereditariis tenentur ad aes alienum solvendum. 4.
Limitatio. 5.
Et ad Falcidiam conferunt legatarii, et ad legitimam. 6.
In solidum quandoque convenitur, qui tantum ex parte haeres est. 7.
Qui renunciat beneficio alicui in specie, videtur certioratus de hoc beneficio. 8.
Limitatio 9.

1 Testator instituit duos haeredes aequaliter, sed
uni praelegavit fundum. Creditores conveniunt
haeredes, igitur haeredes ambo caverant ae-
qualiter. Sed Modestinus unus haeredum putat
cohaeredem suum propter praelegatum fundum
plus debere solvere creditoribus, quam se, qui
minus lucrum habeat, per *Reg. in l. secundum*
2 10. *ff. de R. J.* Sed negatur, quia Cohaeredis per-
3 sona consideratur, vel ut cohaeres, et sic ad
aequalem tenetur proportionem, *l.* 2. *C. de Haer.*
Act. aut ut Legatarius ratione fundi praelegati,
et sic nullum aes alienum cognoscit: accedit
cautio ipsius Modestini, quae aequalis erat. Col-
4 lige: Cohaeredes pro partibus haereditariis tene-
ri ad aes alienum solvendum, nullo habito re-
spectu ad praelegata. Nisi scilicet haereditas non
5 sufficeret ad legata, *l.* 35. §. 1. *ff. de haered. inst.*
tunc enim etiam ex legatis solvi deberet aes
6 alienum, imo et ad Falcidiam conferunt Lega-
tarii, et ad Legitimam. Sed in solidum tamen
7 ille, qui ex parte haeres est, convenitur, si ex
obligatione rei indivisibilis conveniatur, *l.* 2. *et*
l. in executione ff. de V. O. vel si rem litigiosam
solus possideat, *l.* 6. *ff. de R. V.* quas Exce-
ptiones hic ponit *Cujac. tom.* 3. *p.* 351. *Ex fine*
etiam *legis* recte hic colligunt *Salyc. et Sichard.*
Ex interpositione cautionis, Modestinum hic sa-
tis fuisse instructum, et ideo qui renunciat be- 8
neficio alicui in specie, videri certioratum fuis-
se de hoc beneficio, nec certiorationis probatio-
nem petendam esse, quod puto locum habere, 9
si in nota lingua fiat renunciatio.

L. Quamvis. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Decisio est negativa. 3.
Non ex numeratione sola alienae pecuniae ante consumptionem mihi quaeritur actio, sed per stipulationem. 4.
Mozzius circa hanc quaestionem distinguit. 5.
Si tuo nomine alteri credam pecuniam, tibi acquiritur actio. 6.
Si tuo nomine stipuler, tibi nihil acquiro. 7.
Cujus pecunia per alium est alii credita, modo habet rei vindicationem, modo directam actionem ex mutuo, vel stipulatu, modo utilem. 8.

Asclepiades Hermogenis pecuniam, sed suo 1
nomine Titio credidit, et sibi restitui cum u-
suris stipulatus est: Quaeritur: *cum mutuum con-* 2
trahi nequeat, nisi dans sit Dominus pecuniae,
l. 2. §. 4. *ff. h. t. an contra Titium ex contra-*
ctu agere Hermogenes possit? quod negatur, 3
quia Asclepiades sibi stipulando, quaesivit actio-
nem, *l.* 7. *h. t.* Sed ille agere debet cum A-
sclepiade, ut sibi cedat actionem, item agere
potest *Negot. Gest. Actione*, quae in subsidium
datur, *argum. l. matr.* 3. *C. de R. V.* Notetur

4 igitur: Non ex numeratione sola pecuniae alienae ante consumptionem mihi quaeri actionem, sed per stipulationem per quam non minus, ac per consumptionem, mutuum rei alienae concilietur, *hic et l.* 67. *ff. de Jure Dot. DD. hic*, et praecipue *Cujacius*, *Mozzius de Mutuo col.* 2.
5 *num.* 23. qui *num. sequenti* distinguit; an numeratio paulo ante stipulationem intervenerit, et tunc numerationem videri factam causa implendae stipulationis; an vero diu post numerationem intervenerit stipulatio, et tunc, nisi animo novandi facta, tam ex mutuo, quam ex stipu-
6 latu agi. Colligitur etiam: Si tuo nomine alteri credam pecuniam, tibi acquiri Actionem, cum
7 tamen si tuo nomine stipuler, tibi acquiram, *Cujac. hic.* Notetur hic: Quam Actionem ha-
8 beat dominus pecuniae; utique si extat, habet Vindicationem; si non extat, habet directam actionem ex mutuo vel stipulatu, si cessa est, ab eo qui mutuo dedit suo nomine; sed utilem etiam Domino dari actionem ex *l. si me et Titium.* 32. *ff. h. t.* judicat *Cujac. hic*, quando scilicet cedere is, qui numeravit, non posset, tunc enim quia iniquum, ut res domini apud alium sine causa maneat, datur mihi utilis conditio, de quo remedio subsidiario *in d. l. si me et Titium*, quam *DD.* auream vocant. Vid. *Castr. in l.* 9. *C. Famil. ercisc. Natta cons.* 147. *num.* 2. *Menoch. Rem.* 4. *Recup. Posses per totum. Hillig. in Donell. l.* 12. *cap.* 4. *Lit. A. Caspar Klock. vol.* 2. *Cons.* 50. *num.* 8. *et in Tr. de Contribut. cap.* 19. *num.* 496.

L. Eos. 3.

SUMMARIA

Emere et vendere administratoribus non licet. num. 1.
Mutuo dare magistratibus, et omnibus, qui officia administrant, prohibetur. 2.
Ratio utriusque. 3.
Limitatio. 4.
Quae in dubium vocatur. 5.
Ratio. 6.
Melior limitatio. 7.
Ratio ejus. 8.
Haec l. cum aliis hodie non attenditur. 9.
Quod non possum ipse meo nomine facere, id neque per aliam interpositam personam facere possum. 10.
Ampliatio. 11.

1 Ut Emere et vendere Administratoribus non licet, per *l.* 46. *ff. de Contrah. Empt.* ita et
2 Mutuo dare Magistratui, et omnibus qui officia administrant, prohibetur, *hic et l. Principa-*
3 *libus* 33. *ff. h. t.* ob metum Concussionis et impressionis, *l. si per impressionem* 11. *C. quod*
4 *metus causa*, *l. un. C. si Rector provinc. etc.* Restringunt autem communiter *DD.* hos textus ad Magistratus temporales per *d. l. Principalibus* 33. *ff. h. t. et ibi Zas. num.* 1. *et* 14. *Peregr. de Jure Fisci l.* 1. *tit.* 7. *num.* 10. *Treutl. vol.* 1. *d.* 20. *th.* 1. *Lit. B.* de quo tamen me-
5 rito ibi dubitat *Bacch.* cum metus impressionis
6 etiam in perpetuis Magistratibus militet, et *l. un.* §. 2. *C. de Contr. jud. et l.* 3. *C. h. t.* indistincte loquantur. Et ratio *d. l. Principalibus* 33. convenit quidem officialibus Praesidum, sed 7
non ipsis Praesidibus, nec est ratio adaequata. Sane in patria sua si quis Praeses sit, potest 8
ibidem palam et bona fide mutuum contrahere, quia melius leges praesumunt de conterraneis, quam peregrinis, *l. eos* 65. *ff. de Ritu Nupt.* quas aliasque limitationes in *d. l. Principalibus* 33. *Jason. Decius etc.* proponunt, ut et *Mozzius de Mutuo Col.* 1. *num. ult. Ord. num.* 18. *Peregrinus d. cap.* 7. *num.* 9. Quaeritur ta- 9
men *Zasius d. l.* non immerito harum legum 10
prohibitionem hodie non attendi. Colligitur: Quod non possum facere meo nomine, id neque me per interpositam personam facere posse, *c. quod alicui non licet. de Reg. Juris in* 6. *Menoch. l.* 2. *A. Q. Casu* 459. et quos *hic* allegat *Barbosa in fine.* Idem in Magistratu urbano esse putat 11
Auctor Collegii Argent. h. t. th. 10.

L. Si absentis. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Si quis meo nomine meam pecuniam alteri credat, mihi datur ex alterius contractu actio directa. 3.
Hoc singulare est in mutuo. 4.
Ratio dubitandi. 5.
Ad quam respondetur. 6.
Ratio decidendi. 7.
Divisio mutui. 8.
Licet mutuo dationem meo nomine factam non approbem, tamen habeo actionem directam ex mutuo. 9.
Ratio. 10.
Negotiorum gestor suo nomine habet utilem actionem. num. 11.

Maximus pecuniam meam, me ignorante, ri- 1
xoso cuidam meo nomine mutuo dedit, ego reprobo nomen, et nolo ipsum habere debitorem, dicitur hic, me cedere sive mandare posse a- 2
ctionem meam directam Maximo, ut ille conveniat debitorem, aut si nolim cedere, ex aequitate Maximo datur utilis actio. Nota bene: Si quis meo nomine meam pecuniam alteri credat, 3
mihi datur ex alterius contractu actio directa, quod hic est singulare in mutuo, per *hanc le-* 4
gem et l. singularia 15. *ff. h. t. Auctor in l.* 9. *ff. h. t. num.* 3. *seqq.* Non obstat Regula vul- 5
garis; quod alteri per alterum obligatio vel actio non possit acquiri, nisi sit in ejus potestate, quia illa regula obtinet, si Civiliter acqui- 6
ratur per stipulationem, aliud si acquiratur Naturaliter per numerationem, *l. ea quae civiliter* 53. *ff. de Acquir. Rer. Domin. Borcholt. de Reb. Cred. c.* 5. *num.* 15. *Donell. l.* 9. *cap.* 7. *Mantica de Tac. et Amb. Convent. lib.* 8. *tit.* 9. *Zas. in l.* 9. §. 8. *ff. h. t. num.* 10. et hoc propter frequentiam mutui ex utilitate receptum 7
esse vult *Zas. d. l. num.* 11. *et seq.* et hinc colligitur: I. Magistralis mutui distinctio; quod a- 8
liud sit 1. mere naturale, quando meam pecuniam alteri mutuo do. 2. mere Civile, ut in Contractu literario. 3. Naturale, cui jus civile suffragatur, ut *in hac et l.* 4. Civile, cui natura cooperatur, quando cum stipulatione realis da-

tio concurrit. Vid. *Mozzius de Mutuo tit. de Divis. Mutui. Wesenb. hic in rubr. in tract. postumo num.* 7. *Hieron. Butiquella in repet. l.* 2. §. *in mutuis ff. h. t. num.* 4. *Tuschus Concl.* 445. *Lit. M. Bacch. in Tr. d. D.* 20. *th.* 1. *Lit. D.* II.
9 Licet mutuo dationem non approbem, tamen
me habere actionem directam ex mutuo, quia
10 negotium ad me pertinuit, et sic ipso jure si-
ne ulla ratihabitioue fuit meum negotium ge-
stum, in aliis secus, per *l.* 62. *ff. de solut.* Vid.
hic Gilken. quia si sciam, alium meo nomine
contrahere et non improbem, videor probare,
11 *Decius cons.* 58. *num.* 2. III. Negotiorum gesto-
rem suo nomine utilem habere actionem, quae
omnia hic singularia.

L. Si non singuli. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio negativa. 2.
Rationes decidendi. 3. 4.
Ex contractu mutui nemo obligatur ultra id, quod realiter accepit, et quod ad eum pervenit. 5.
Exceptiones h. regulae. 6.
In dubio mutuum ad utrumque pervenisse praesumitur. 7.
Limitatio. 8.
Quando duae personae conjunguntur in contractu, viriliter obligantur. 9.

1 Petierunt tres mutuo oleum a Titio, qui hoc
ipsis spopondit, se mutuo daturum certam quan-
titatem olei, ideoque chirographo spe futurae
traditionis fatentur se accepisse tot amphoras
olei, sed postea tertius solus loco olei pecuniam
acceperat, et creditor contra duos priores agit
2 in solidum. Sed male, ut decidit Imp. I. Quia
3 competit ipsis Exceptio non numeratae pecuniae,
si nondum praeterfluxit biennium, nisi inter-
4 cesserint vel fidejusserint pro tertio. II. Quia
non oleum, sed pecunia tradita, ideoque intra
biennium contra istud chirographum solemniter
protestari debent. Sed tertius, qui accepit pe-
cuniam, ad hujus restitutionem obligatur. Col-
5 lige: Ex Contractu Mutui neminem obligari ul-
tra id, quod realiter accepit, et quod ad eum
pervenit, *l. rogasti* 11. §. 1 *ff. h. t. Carpz. p.*
6 2. *Decis.* 146. Sed habet haec Regula hic exce-
ptiones, 1. Nisi plures rei in solidum constitu-
antur. 2. Nisi alter pro altero intercesserit. 3.
Nisi biennium praeterlapsum, in quo exceptio
non numeratae pecuniae opponi potest, de quo
7 suo loco plura. In dubio sane mutuum ad u-
8 trumque pervenisse praesumitur, nisi unus tan-
tum habeat administrationem, *Ant. Faber l.* 4.
C. t. t. 14. *Def.* 21. Conf. *Ronchegallus in l.* 9.
princ. ff. de Duobus Reis num. 279. Collige:
9 quando duae personae conjunguntur in contra-
ctu, quod sint viriliter obligatae, *Baldus cons.*
54. *num.* 5.

L. Si ex pretio. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Decisio cum ratione decidendi. 3.
Limitatio. 4.
Ratio hujus. 5.
Non opponi potest exceptio simulationis, quando omnino aliquid est actum. 6.
Obstat l. 15. ff. h. t. 7.
Ad quam dupliciter respondetur. 8.
Hodie pacta stipulationibus in effectu exaequata sunt. 9.

Debeo tibi ex Venditione centum, sed cum 1
ea solvere non possim, transfundo eam obliga-
tionem in mutuum, ut sub annuis usuris eam
summam retinere possim secundum *l. cos* 21.
C. de Usur. Quaeritur: *An id fieri possit?* Resp. 2
quod sic; substantia enim Obligationis non de- 3
fecit, *l.* 3. *ff. de Sol. et l.* 2. §. *circa* 3. *de
Except. Doli mali*, id est, tam stipulatio quam
pecunia intercessit, et falsa demonstratio noce-
re non debet, *l. falsa* 33. *ff. de Cond. et Dem.*
Sed si sine stipulatione id placuisset, non de- 4
berentur usurae, quia nudum pactum non 5
est efficax ad faciendam Novationem, *l.* 2. *ff.
de novat. et l. singularia* 15. *ff. h. t.* unde proba-
tur, non opponi posse Exceptionem simulatio- 6
nis, quando omnino aliquid actum est, et eadem
rei substantia manet, *Sich. et DD. hic.* Sed huic
legi, cum qua etiam consonat *l.* 34. *ff. Man-
dati*, videtur repugnare *d. l. singularia* 15. *ff.* 7
h. t. in 2. *Exemplo*: Alii distinguunt inter jus 8
rigidum, et aequum, alii in *d. l.* 15. vocem *con-
venerit* interpretantur ita, ut stipulatio inter-
cesserit, quam interpretationem pluribus pro-
bat *hic Gilkenius num.* 20. *et seq.* Conf. *Wesenb.
in π. h. t. num.* 12. *Pacius Cent.* 3. *Q.* 64. *Cujac.
in d. l.* 34. *Bacch. in Tr. d. D.* 20. *th.* 3. *in
pr. Roderic. de Censibus lib.* 3. *c.* 11. *num.* 63.
Fach. l. 2. *cap.* 73. Sed cum hodie Pacta sti- 9
pulationibus in effectu exaequata, non dubita-
rim dicere, Nudo pacto, si hoc expresse actum,
quasi ex mutuo teneri debitorem. Conf. *Cothm. l.
1. cons.* 18. *num.* 149.

L. Non unde. 7.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Quorundam DD. sententia notatur. 3.
Limitatio. 4.
Ratio decidendi. 5.

Mutuo quis dederat centum, et postea petit 1
debitum, Reus opponit illi exceptionem domi-
nii, et dicit, actorem debere probare, suam
fuisse pecuniam, hoc enim esse fundamentum
intentionis ejus, cum in mutuo ex meo fieri
debeat tuum. Sed Resp. Imp. hoc actorem 2
non teneri probare et demonstrare unde habue-
rit, sed sufficere, si ut suum mutuo dederit.
Quamvis enim fuerint, qui dixerint, omnino a- 3
ctori probandum esse dominium, licet origi-
nem non teneatur demonstrare, tamen intel-
lectus hic communiter reprobatur. Vid. *Sich. et
Gilken. aliique hic DD.* et quidem ex verbis le-
gis, *Si ut proprium numeravit.* Sed si superve- 4
niret verus Dominus, haberet Rei Vindicatio-
nem, si pecunia extaret, si autem esset consum-

pta, hocque possit probare, suam fuisse, habebit beneficium *Legis Si me et Titium* 32. *ff.*
5 *h. t.* Cur autem debitor non possit excipere, quod actor non fuerit dominus, elegans redditur causa *a Petr. Barb. ad l. si alienam* 12. *ff. Sol. Matr. n.* 6. *et Steph. Gratiano tom.* 2. *disc. For.* 261. *n.* 11. *et seq.* Quod reus ab actore causam habeat, quia hic illi mutuo dedit. Cum igitur actor ei pecuniam, ut suam mutuo dederit, et reus tanquam a Domino acceperit, resultat quaedam tacita confessio accipientis, actorem esse dominum pecuniae numeratae: nam alias improbe accepisset, quae tacita confessio ipsi praejudicat. Sed si ipse reus probare vellet, actorem non fuisse dominum, et probare posset sui interesse, ne solvat, utique audiendus esset, *Barb. d. l.*

L. Si pro mutua. 8.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decisio. 3.
Potest species utriusque consensu aestimata converti in mutuum. 4.
Quod mutuum contrahitur fictione brevis manus. 5.
Ad quem periculum rei datae hoc in casu pertineat, ostenditur. 6.
Obstat l. 34 pr. ff. mand. 7.
Ad quam respondetur. 8.
Utile per inutile non vitiatur. 9.
Contractus per adjectionem pacti usurarum non fit illicitus. 10.
Si pignus debito non respondeat, non prohibetur creditor residuum petere. 11.
Obstat l. 15. §. 3. ff. de re Judic. 12.
Responsio ad eam. 13.

1 Petenti mihi Mutuum tu dedisti jumenta certo pretio aestimata, et ego dedi pignori aurum, promisi usuras illicitas, et ampliores centesimis, puto me ad restitutionem sortis et usurarum non
2 teneri, quia est contractus usurarius, et quia pignus minus est sorte et legitimis usuris. Sed
3 respondet Imp. mihi omnino solvendam esse sortem cum legitimis usuris. Collige: I. Posse
4 speciem utriusque consensu aestimatam, converti in mutuum, *Cothmann. cons.* 18. *num.* 148.
5 *et* 151. Et hoc mutuum contrahitur fictione brevis manus; et re vendita, antequam uta-
6 tur alter pretio, periculum est accipientis, sed si res pereat, antequam vendatur, periculum est dantis, si alias rem venalem habuit, alias est petentis seu accipientis, *l. rogasti*
7 11. *ff. h. t.* Sed obstare videtur *l.* 31. *ff. Mandati,*
8 ad quam responderi potest, Dominum ibi voluisse, ut pretium reportaretur, ut, quantum liberet, mutuo daret, uti ex *Rubr.* probat
9 *Zas. in d. l. rogasti num.* 4. II. Utile per inu-
10 tile non vitiari, et ita contractus per adjectionem pacti usurarii non fit illicitus, *Gail. l.* 2.
11 *obs.* 4. III. Si Pignus debito non respondeat, non tamen prohiberi creditorem residuum pe-
12 tere. Nec obstat *l. a Divo Pio* 15. §. 3. *de Re*
13 *jud.* ubi specialis continetur casus, si scil. res sint subhastatae pro executione debitorum, et Emptorem non invenerint, pignora capta a judice addicuntur Creditori pro ea quantitate, quae debetur, ut, etsi pignus addictum in eam quantitatem non sufficiat, nihil amplius petere possit, sua veluti transactione exclusus, *Zas. in d.* §. 3. *num.* 3. *Donell. lib.* 27. *c.* 3. *lit. Aa.*

L. Cum te in Gallia. 9.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde orta. 2.
Decisio negativa. 3.
Limitatio. 4.
Singulis mutuo alicui dantibus pro parte competit actio, non in solidum. 5.
Creditum commune sive duorum fratrum de eadem summa, intelligitur cuique eorum deberi pro virili portione. 6.

Duo pecuniam credunt mihi. Quaeritur: *An* 1
uterque in solidum habeat actionem contra me? 2
Quod negatur, sed quilibet pro parte tantum, 3
nisi per stipulationem se constituerint correos 4
credendi vel stipulandi, aut nisi alter Procuratorio partim, partim suo nomine agat, vel nisi alter alteri successerit ut haeres. Collige: Sin- 5
gulis mutuo alicui dantibus pro parte competere actionem non in solidum. Et ita Creditum 6
commune, seu duorum fratrum de eadem summa, intelligitur cuique eorum deberi pro virili portione, *l. reos* 11. §. *cum tabulis ff. de Duobus Reis, l. si mihi et Titio* 10. *pr. ff. de V. O. Alex. cons.* 196. *in fin. Lib.* 7. *Ronchegallus in d.* §. *cum tabulis num.* 23.

L. Eo quod a multis. 10.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Ratio decidendi. 3.
Non obligationem, sed probationis facultatem scriptura metitur. 4.
Intellectus secundae partis h. l. 5.
Sera poenitentia, quod semel placuit, revocari non potest. 6.
Pluribus testamentis una subscriptio Notarii sufficit. 7.
Limitatio. 8.
Plures debitores uno libello conveniri possunt. 9.

Dedi tibi centum mutuo, alteri 200, tertio 1
150, et quid acceperitis, scribitis singuli in uno chirographo, postea convenio te solum, ut solvas centum, quae, tibi credidi. Excipis, consortes litis simul citandos esse. Resp. Imp. Exce- 2
ptionem hanc nullam esse, non enim estis so- 3
cii obligationis, sed singuli pro pecunia accepta obligati estis, et non obligationem, sed 4
probationis facultatem scriptura metitur, *l. contrahitur* 4. *ff. de Pign.* In altera parte Legis 5
dicitur, si pro pecunia mutua creditor stipulatus sit vinum, sera poenitentia, quod semel 6
placuit, revocari non posse. Collige: I. Si plu- 7

ribus testamentis una subscriptio Notarii subjungatur, quod valeat, *hic Bl. Salyc. et*
8 *Gilken.* quod tamen intelligo, si Notarius expresse in sua scriptione dicat, se subscribere tali testamento utriusque testatoris nomine, separatim eos et specifice nominandos, *Gail. l. 2. Obs.* 117. *num.* 2. *Carpz. p.* 3. *Jurispr. Const.* 7. *def.*
9 22. quod tamen videtur dubium. II. Posse plures debitores uno libello conveniri.

L. Incendium. 11.

SUMMARIA

Si certa species debetur, hujus interitus liberat debitorem. num. 1.
Limitatio. 2.
Ratio Limitationis. 3.
A mora excusat difficultas. 4.
Si genus debetur, non perit creditori, sed debitori. 5.
Ratio. 6.
Limitationes. 7. 8. 9. 10. 11.
Si per tabellarium a se electum creditor rogatam pecuniam miserit, et ista pecunia perierit, periculum pertinet ad creditorem. 12.
Ratio. 13.
Limitatio. 14.
Ampliatio. 15.

1 Quum certa species debetur, hujus interitus liberat debitorem, *l. quod te.* 5. *ff. h. t.* Sed si
2 semel contraxit moram debitor speciei, per interitum rei non liberatur, *Auctor in l.* 5. *ff.*
3 *h. t. num.* 1. Nam mora semel contracta transfert periculum rei in Debitorem, *Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 26. *Def.* 25. *et Const.* 30. *Def.*
4 14. Sed a mora excusat difficultas, per *d. l.* 5. quod ad obligationem facti et dandae speciei restringit *Bart. ad d. l.* 5. licet generalius id intelligat *Zas. ib. num.* 38. *Covarr. in c. quamvis de Pactis p.* 2. §. 5. *num.* 6. *Arumaeus de*
5 *Mora cap.* 6. *num.* 22. Sed si genus v. g. pecunia debeatur, non perit Creditori, sed Debi-
6 tori, quia hic fert casum fortuitum, *argum l. in ratione* 30. §. *incerta* 5. *ff. ad L. Falcid.* Nisi
7 1. Creditor periculum in se suscepit, ut in pecunia trajectitia, *l.* 3. 4. 5. *C. de Nautico Foe-*
8 *nore.* 2. Nisi debito modo obtulerit pecuniam
9 debitor, *l.* 72. *ff. pr. de Solut.* 3. Aut res incerta loco certo circumscripta sit, *l. in navim* 31.
10 *ff. Locati.* 4. Aut aliud in petitione, aliud in
11 solutione, ut in Noxalibus. 5. Excipitur bonae fidei possessor haereditatis, qui pretium, unde factus non est locupletior, solvere non tenetur, *l.* 23. *ff. de Petit. Haered.* quae omnia hic fusius exsequitur *Gilken. et Gabriel. lib.* 3. *Tit. de Reb. Credit. Concl.* 1. ad quos remitto. Col-
12 ligitur etiam ex *hac l.* 11. Si per tabellarium a me electum, ego creditor rogatam tibi misero pecuniam, et perierit ista pecunia, aut fraudulentia ac negligentia tabellarii, vel sine ejus culpa solo casu, quod illa pecunia mihi pereat,
13 quia nondum transtuli dominium neque in te, neque in nuncium tuum, aut Procuratorem tuum, *Mozz. de Mutuo tit. de Natur. Mut. num.*
14 15. Si vero translatum sit dominium, periculum est accipientis, quod idem *Mozzius num.*
15 16 *d. l.* affirmat etiam de pupillo, licet dominium transferri non possit, quia alias deterioris conditionis esset, quam major.

L. Si in rem. 12.

SUMMARIA

Casus. num. 1.
Variae in proposito casu dantur actiones. 2.

Mutuo sumpsi in rem communem mutuum 1
cum Fratre, et non obligavimus nos in solidum, si postea creditori solvam solidum, tunc possum partem repetere a fratre Actione Neg. Gest. Utili; si vero Socii sumus, etiam Actione pro 2
Socio. Sed pone eos in solidum se obligasse, tunc non datur actio Negot. Gestorum; ut contra *Accurs.* recte *Cujac. in l.* 9. *h. t.* at dabitur Actio pro Socio, si socii fuerint, vel etiam actio Mandati, si vice mutua fidejusserint et solverint, partim suo nomine, partim fidejussorio, *l. reos* 11. *ff. de Duobus Reis, Cujac. d. l.*

L. Eum, qui mutuam. 13.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An mutuum pro absente mandante sumens, pro eo ex mutuo teneatur? 2.
Ratio dubitandi. 3. *Decisio.* 4.
Ratio decidendi 5. *Limitatio.* 6.
In dubio ad conjecturas recurrendum est. 7.
Glossa et interpretes notantur. 8.
Quandoque in dubio respiciendum est ad principalem, non procuratorem. 9.

Ego mutuum sumpsi in usus fratris absentis, 1
sed creditor expresse dicit, se non sequi fidem fratris, a quo mandatum habeo. Quaeritur: 2
An ego ex mutuo tenear? Videtur quod non, quia 3
tantum sum Procurator. Sed resp. omnino me 4
teneri, quia mecum, non cum fratre contra- 5
xisse videtur, ideoque si utriusque contempla- 6
tione crediderit, et ego et frater tenebimur, *l. si littera.* 7. *C. Mandat.* Sed quid in dubio ju- 7
dicandum? Pone conjecturam esse, quod fecerit intuitu procuratoris. Nam, quicquid *hic Glos-* 8
sa et *Interpretes* distinguant praeter necessitatem, quibus distinctionibus magis involvitur haec res, certum est ad conjecturas confugiendum esse. Sane si dixerit procurator in cujus 9
utilitatem accipiat, et creditor nullo signo manifestet, se respicere tantum personam procuratoris, et Principalis talis persona sit, quam respicere posse creditorem sit probabile, dixerim in dubio respiciendum esse ad Principalem.

L. Mutuae pecuniae. 14.

SUMMARIA

Casus legis num. 1.
Decisio. 2.
Subscriptio eorum, quos negotium non contingit, ad probationis causam, non obligationis pertinet. 3.
Ratio decidendi. 4.

Limitatio. 5.
Qui subscripsit instrumento, non statim illud approbare videtur. 6.
Limitatio. 7.
Scripturae alicui subscribens, omnia in ea contenta approbare videtur. 8.
Limitatio. 9. 10.
Subscriptio non obligat subscribentem, quando in subscriptione ipsa protestatur, non animo obligandi se subscribere. 11.
Ampliatio. 1. *num.* 12.
Ampliatio. 2. *num.* 13.
Quae nostris temporibus non convenit. 14.
Is, qui subscripsit instrumento ei, in quo ille nominatus non est ut contrahens, praesumitur ut testis subscripsisse. 15.

1 Quidam tibi dedit mutuo centum, ego sub-
2 scripsi forte ut testis, creditor ex subscriptione
3 contra me agit: Resp. Subscriptio eorum, quos
negotium non contingit, ad probationis causam,
non obligationis pertinet, *l. Scripturas* 11. *C. Qui
potiores* §. *sed num paulatim* 3. *Inst. de Te-*
4 *stam.* Praesumor enim ut Testis subscripsisse, nisi
5 Contractus factus super re mea, *c. ex litteris*
6. *X. de Transact.* Collige: Eum, qui subscri-
6 psit instrumento, non statim illud approbare,
7 nisi negotium ad ipsum pertineat. Licet enim
8 scripturae subscribens omnia in ea contenta ap-
probare videatur, ut per *l. fin.* §. 2. *C. de ju-
re Delib. l.* 8. §. *non videtur. ff. Quibus modis
Pign. solv.* pluribus tradit *Mascard. de Probat.
Concl.* 1348. *num.* 2. *et seqq. Gabrielius lib.* 1.
tit. de Praesumpt. Concl. 3. item *axiom.* 1. *lib.*
17. *cap.* 60. *axiom. Barbosae*, *Menoch. l.* 3.
9 *Praes.* 66. aliud tamen est, si ut testis se sub-
scripsit, *l. Titia* 31. §. *Lucia ff. de legat.* 2. *l.
Gajus* 39. *ff. de Pign. Act. Masc. d. l. num.* 24.
10 *Anton. Gabriel. d. l. num.* 22. aut subscriptio fa-
cta non lectis verbis Instrumenti, quod tamen
a subscribente probandum, *l. ult. C. Plus va-
lere quod agitur, Masc. d. l. num.* 19. Plures
limitationes vide apud *Gabriel. d. l.* Et subscri-
11 ptio non obligat subscribentem, quando in sub-
scriptione ipsa protestatur, non animo se obli-
12 gandi subscribere, licet in instrumento de eo
obligando actum fuerit, de quo pluribus *Carpz.*
13 *lib.* 5. *Resp.* 3. Sed et plus ex *hac l.* probatur,
licet in instrumento dictum, subscribentem se
obligare pro hoc mutuo, si nulla stipulationis
mentio in eo facta, nec explicite nec implicite,
cum etiam, qui simpliciter subscripsit, non o-
14 bligari. Sed id nostris temporibus, quibus per
nuda etiam pacta obligamur, non convenit. Dein-
15 de collige: Is qui subscripsit Instrumento ei,
in quo ille nominatus non est ut contrahens,
praesumitur ut testis subscripsisse.

L. Non adversus. 15.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Ratio 3.
Creditor invitus non potest compelli, ut contra debitores agat, vel ut nomina in solutum accipiat. 4.

1 Tu mihi credidisti centum, illa iterum credo
2 fratri, tu non poteris compelli, ut convenias
fratrem, sed tibi contra me competit actio et
mihi contra fratrem. Ratio in *l.* 13. *h. t.* Colli- 3
ge: Creditorem invitum non posse compelli, 4
ut contra debitoris debitores agat, vel ut no-
mina in solutum accipiat.

L. Quisquis. pen.

SUMMARIA

Ut administratori non licet a provincialibus, ita nec judici licet mutuam pecuniam sumere a litigantibus. num. 1.
Ratio. 2.
Tenet tamen hoc mutuum, quamvis exilio plectatur. 3.
Quando praeses prohibetur mutuum accipere. 4.
Praesides quamvis mutuum dare non possint, possunt tamen accipere. 5.
Ratio differentiae. 6.
Per h. l. *judicium ambitus restituitur.* 7.
Ratio. 8.
Intellectus. h. l. 9.

Ut administratori non licet a Provincialibus, 1
ita nec judici licet mutuam sumere pecuniam
a litigantibus, ne sub praetextu foenebris pecu- 2
niae corrumpatur Judex, et libidinosam sen-
tentiam ferat. Requiritur ergo, ut sit judex,
et accipiat mutuum ab alterutro, inter quos
judicat, ubi quidem tenet mutuum, sed ob id 3
exilio plectitur, *Pacius cent.* 3. *qu.* 75. *Donell.
et ibi Hill. l.* 12. *c.* 23. *lit. g.* Ab aliis vero bona
fide sumere potest, *l* 34. §. 1 *ff. h. t.* Vel di-
cendum, ita prohiberi Praesidem mutuo acci- 4
pere, si leges vendat, id est, si dans a Praesi-
de, quem obaeratum habet, quidvis redimere
possit, vel si collectarius ad ambiendos hono-
res dederit praesidi mutuo. Vid. *Burcholt. c.*
3. *num.* 43. *et seq.* Alias autem Praesides acci- 5
pere mutuo possunt *d. l.* 34. §. 1. *ff. h. t.* licet
non dare, *Auctor in l.* 33. *ff. h. t. num.* 1. ne
ipsis inopiae praesidium auferatur. Aliter *Nic.* 6
Mozz. de Mutuo Rubr. de Personis num. 18.
Neque per hanc legem judicium ambitus resti- 7
tuitur, cum proximo loco *titul. seq.* constitu- 8
tio imperatoria contraria habeatur, *Ant. Matth.
in opere suo Crim. l.* 48. *tit.* 11. *c.* 1. *num.* 4.
ubi hanc sententiam hujus legis esse dicit, col- 9
lectarium (i. e. coactorem argentarium, num-
mularium *etc.* de quo *Lexicographi et hic Gil-
ken.*) qui honoris pretium dederit ambienti,
una cum Praeside in exilium esse mittendum,
et Praesidem quidem non quod ambierit, sed
quod pecunia collectarii praeses factus, se et
honorem suum quodammodo collectario man-
cipaverit.

L. Super. ult.

SUMMARIA

Debitum regulariter duobus testibus vel instrumentis probari potest. num. 1.
Exceptio. 2.
Ratio hujus. 3.
Ubi agitur de magno praejudicio, magna etiam cautela opus est. 4.
Quidam h. l. *de contractibus ruri celebratis intelligendam esse volunt.* 5.
Quae sententia notatur. 6.

Ratio. 7.
Consequentia theseos. num. 5. *negatur.* 8.
Sensus h. l. 9.
Per libram auri intelliguntur 72. *solidi.* 10.

1 Cum debitum excedit 50. libras auri, tunc licet alias sufficiat vel duobus testibus probare debitum, *l. ubi* 12. *ff. de Testibus,* vel Instru-
2 mentis, eo tamen casu, cum res scripto geritur, requiritur ut Chirographum, vel etiam Quietantia super solutione ejus mutui data trium testium subscriptione sit firmata, alias nihil probat. Ra-
3 tionem assignat *Lex ipsa*, scilicet communem
4 utilitatem, et quia ubi agitur de magno praejudicio, magna etiam cautela opus est, et provisione. Quia autem in fine *Authent. seq.* dicitur, quod in agris, quae ante valuerint, adhuc
5 firma sint, ideo volunt nonnulli *hanc legem* de contractibus ruri celebratis esse intelligendam,
6 quos sequitur *hic Sich. in pr.* Sed horum sen-
7 tentia mihi non arridet, quia nullum verbum hic habetur, quod inferat, hanc legem ad contractus mutui ruri celebratos restringendam es-
8 se. Neque ulla est consequentia: Quae ruri valuerunt hactenus, ea etiam in posterum valeant; Ergo *lex praecedens* loquitur de ruri initis
9 contractibus. Quin potius ea verba videntur habere hunc sensum: Quod is testium numerus ruri non requiratur, sed secundum observantiam hactenus introductam in posterum etiam observandam, ibidem agendum esse, ut videtur intelligere *Frideric. Schenck. in Tr. de*
10 *Testibus n.* 60. Per libram auri autem intelliguntur 72. solidi, per *l. quotiescunque C. de Suscept. praepos. etc. l.* 10. *Schen. d. tr. num.* 61. *Covarr. de Collat. vet. Numism. c.* 4. *num.* 2. *Cujac. lib.* 17. *Obs.* 11. *Mozz. de Mutuo tit. de Substant. Mutui num.* 15.

Auth. Sed novo Jure.

SUMMARIA

Si contractus in Civitate fit in scriptis supra libram auri ab imperito litterarum, tunc requiruntur quinque testes, bonae opinionis. num. 1.
Ratio. 2.
Si vero sine scriptis contrahatur, sufficit contractum testibus vel juramento probari. 3.
Contractus ruri celebrati manent veteri loco secundum observantiam cujusque loci. 4.
Inter quinque testes n. 1. *requisitos Tabellio quoque connumerandus est.* 5.
Per h. auth. *corrigitur* l. *praecedens.* 6.
Quod de tribus aut quinque testibus adhibendis hic proponitur, ab usu recessit. 7.
Et est inauditum, in contractibus aut apochis 5. *testes requiri.* 8.
Hae constitutiones in foro non observantur. 9.

Nov. 73. *c.* 8. *et seq.* distinguit: utrum con- 1
tractus ruri celebretur, an in civitate, ut hoc casu, quando contractus fit in scriptis supra libram auri ab imperito litterarum, tunc requirantur quinque testes bonae opinionis, quia imperiti facilius negant ea, quae sunt literis 2
comprehensa; si vero sine scriptis contrahatur, 3
sufficiat contractum testibus vel juramento probari. Contractus vero ruri celebrati manent ve- 4
teri loco, secundum observantiam cujusque loci. Sed inter hos 5. testes Tabellionem connu- 5
merandum esse non male dixerimus cum *Fr. Schenck. d. l. num.* 60. et ita, quicquid dicat *Sich.* certum est, corrigi per *h. Auth.* legem 6
praecedentem, dum hic 1. distinguitur inter contractus ruri celebratos et in civitate, 2. inter imperitos *etc.* 3. hic non 50. librae, sed una requiritur, 4. illic tres, hic quinque requiruntur testes. Conf. *Donell. l.* 25. *c.* 15. *lit. D. et seqq.* Sed quae de tribus aut quinque te- 7
stibus adhibendis hic in *l. ult. et in hac Auth.* proponuntur, ab usu recesserunt, et inauditum 8
est in contractibus aut apochis 5. testes requiri, teste *Gudelino de Jure Noviss. l.* 4. *c.* 11. *num.* 46. *Christinaeo vol.* 3. *dec.* 5. *num.* 8. et quos refert *Simon a Groenvvegen.* Et sane nun- 9
quam vidi has constitutiones in foro observari.

TITULUS III.

De Suffragio.

L. Si qui. unic.

SUMMARIA

Vulgo h. l. *exponunt de salariis advocatorum, quod scil. etiam nudo pacto promissa debeantur. num.* 1.
Rectius vero per suffragia intelliguntur commendationes aulicorum, qui desideria supplicantium et aliquid ambientium sua suffragatione adjuvare solent. 2.
Limitatio. 3.
Nullo casu suffragator propria auctoritate ea, quae promissa sunt arripere potest. 4.
Casus, ubi ad contractum requiritur scriptura. 5.
DD. veterum error notatur. 6.
Salarium Advocato debetur, licet causa non sit finita. 7.
Limitatio. 8.
De Suffragatorum opera eleganter scripsit Tabor. 9.

Vulgo *hanc legem* exponunt de Salariis Ad- 1
vocatorum, quod scilicet etiam nudo pacto promissa debeantur; Sed rectius alium sensum 2
constituunt *hic Cuj. Duaren. Gilken. Alciat. lib.* 2. *paradox. c.* 14. *et Zas. in l.* 2. *verbo,* suffragio, *ff. de Orig. Juris, Tiraqu. de Nobilit. cap.* 29. *num.* 27. *Hillig. in Don. l.* 18. *cap.* 3. *lit. HHH. Pinell. ad l.* 1. *C. de Bon. Mat. p.* 3. *num.* 62. *vers.* infertur octavo, quam sententiam amplectitur etiam *Ant. Matth. in lib.* 48. *tit.* 11. *c.* 1. *num.* 4. Scilicet per suffragia intelligendae

sunt commendationes aulicorum; qui desideria
supplicantium, et aliquid ambientium, sua suf-
fragatione, adjuvare soleat. His si quid promis-
sum sit, et supplicans id impetraverit, solvi de-
3 bet quod promissum, si sit res mobilis, si vero
immobilis, gesta scripta sive monumenta scri-
4 pturae requiruntur, nullo tamen casu suffra-
gator propria auctoritate ea, quae promissa sunt,
arripere potest. Studio omitto, quae *hic DD.*
veteres de Salariis Advocatorum accumulant,
et post eos *Aug. Barbosa.* Colligitur tamen ex
5 *hac lege* casus, ubi ad contractum requiritur
scriptura: quod quidem *DD.* veteres erronee 6
intelligunt de casu promissi Advocato Salarii in
re immobili, sed rectius allegati *DD.* nostri id
intelligunt de casu promissae rei immobilis Au-
lico. Colligunt etiam *DD.* veteres: Salarium Ad- 7
vocato deberi, licet causa non sit finita, mo-
do per Advocatum non steterit, de quo *Carpz.* 8
l. 3. *Resp. num.* 1. *num* 26. *et Resp. seq. Do-
ring. in voce*, advocatus, *n.* 564. Scripsit etiam
de Suffragatorum opera Tractatum ex more 9
accuratiss. seculi nostri lumen *Dn. Joh. Otto
Tabor.*

TITULUS IV.

De Prohibita Sequestratione Pecuniae.

L. Quoties. unic.

SUMMARIA

Sequestratio alia voluntaria, alia necessaria. num. 1.
Haec fieri non debet. 2.
Ratio. 3.
Qui sequestro necessario resistit, non incurrit poenam. 4.
Limitatio I. 5.
Ratio. 6.
Limitatio. II. 7.
Limitatio III. 8.
Quando partium jura sunt dubia, debet ex necessitate constitui sequester, qui fructus colligat, fundum colat etc. 9.
Limitatio IV. 10.
Limitatio V. 11.
Appellatione pendente contra possessorem appellantem non potest fieri sequestrum. 12.
Ratio. 13.
Ampliatio. 14.
Limitatio. 15.
Ubi concessa sequestratio, summarie constare debet de jure sequestrum petentis. 16.
Quae summaria cognitio accurata esse debet. 17.
Quaenam judex ponderare debeat, antequam concedat sequestrationem. 18.
Quando uterque diverso modo in possessione defendendus, sequestratio fieri non debet, sed modus possidendi utrique praescribendus. 19.

1 Sequestratio alia voluntaria, alia necessaria est:
2 haec fieri non debet, quia debet primo debitor
3 convinci, et sic demum ad solutionem compel-
li, *hic et l.* 1. *et l. fin. C. de Execut. Rei Judic.*
Et nemini possessio rei suae sine causae cogni-
tione auferenda, §. 4. *Inst. de Interd.* Hinc qui
4 sequestro pro defendenda possessione resistit,
non incurrit poenam per ea, quae tradit *Dn.*
5 *Mevius p.* 5. *dec.* 308. Nisi I. satisdatum non sit,
et persona sit suspecta, *l.* 7. §. *fin. ff. Qui sa-
tisdare cog.* Nam et tunc relaxari non debet
sequestrum oblata etiam cautione juratoria,
Myns. Cent. 2. *obs.* 11. *Christin. vol.* 5. *dec.*
6 174. *num.* 3. Nam si arestum, vel sequestratio,
vel pecuniae depositio injungatur parti, et po-
stea satisdationem praestet, tunc depositionis
mandatum revocandum, et si pecunia contro-
versa alii sit credita, post mandatum dirigi ad
debitorem de non solvendo sub poena redden-
di alterius tanti, de quo *Dn. Mevius p.* 1. *dec.*
167. Aut II. Possessor sit contumax in cavendo, 7
l. 1. §. 10. *ff. de collat.* III. Aut metus sit, ne 8
partes ad arma veniant, *arg. l. si cujus* 13. §.
Sed si inter 3. *ff. de usufr. l. fin.* §. *si tamen*
1. *ff. de offic. Procur. Caes.* si scilicet jura
dubia partium *Gail. lib.* 1. *Obs.* 8. *num.* 6. *et
seq. Myns. d. l.* quo casu debet ex necessitate 9
constitui sequester, qui fructus colligat, fundum
colat etc. *Dn. Mevius p.* 2. *dec.* 239. Aut IV. quis 10
ab executione provocet, *l. ab executione* 5. *C.
quorum Appell. non recip.* V. Casus est in *c.* 11
litteras 13. *X. de Rest. spoliat.* quos Casus hic
recenset *Gilkenius et Gilhausen in Arb. cap.* 10.
§. 3. *num.* 12. *et seqq.* et fusius *Camillus Borell.
tit.* 37. *tom.* 2. *Resol. comm. a n.* 26. *usque ad
num.* 84. *Alex. Trentac. lib.* 3. *tit de Solut.
Res.* 12. *n.* 4. *et seq. Gail. lib.* 1. *Obs.* 47. *et li-
bro singul. de Arestis, Franc. Curtius, Angelus
Perusinus, et Jacobus de Arena Tr. de Sequest.
in vol.* 5. *Tract. Tractatuum*, ut et *Jo. Goed-
deus, Cludius, Carocius, Baumannus, et Gui-
do Fojanus in Tr. de sequestris.* Habetur et a-
lius casus sequestrationis permissae in *l. post-
quam* 5. §. 1. *ff. ut Legatorum Nomine cavea-
tur.* Licet enim Appellatione pendente contra 12
possessorem appellantem non possit fieri seque-
strum, cum integer debeat esse illius status, 13
Lancellotus de Attentatis p. 2. *cap.* 12. *limit.*
12. *num.* 1. nam licet pars altera de attentatis 14
pendente Appellatione conveniatur, ad seque-
strationem res deducenda non est, *Dn. Mev. p.*
5. *dec.* 307. quandoque tamen pendente appel- 15
latione potest fieri sequestratio, ut in *c.* 2. *X.
de Appellat. c. fin. X. de sequest. poss. Lancel-
lottus d. l. ut in casu d. l.* 5. §. 1. de qua *Ne-
guzant. de pignor. part.* 3. *Memb.* 2. *num.* 6.
vers. 110. *fallit Lancell. d. c.* 12. *Lim.* 15. *num.*
1. Ubi autem concessa sequestratio, summarie 16
constare debet de jure sequestrum petentis, et
quod illud petat ad conservationem juris sui,
Myns. d. obs. 11. Licet autem summaria haec
sit cognitio, accurata tamen esse debet, et ju- 17
dex cavebit, ne ex praecipitantia peccet. De-
bet enim considerare 1. jus, quod habet is, qui 18
petit sequestrationem. 2. causam, cur petatur.
3. conditionem ejus contra quem petitur. 4. an-
non meliori medio petenti sequestrationem pro-

spici possit. Et tutissime faciet, si alteram partem desuper audiat, nisi in mora periculum, ut rectissime monet *Dn. Mevius p.* 3. *dec.* 246.
19 ut et *def. seq.* Quando vero uterque diverso modo in possessione defendendus, sequestratio fieri non debet, sed modus possidendi utrique praescribendus per tradita *Dn. Mev. p.* 5. *dec.* 233. *et seqq.*

TITULUS V.

De Condictione Indebiti.

L. Pecuniae. 1.

SUMMARIA

Ex errore indebite solutum, etiam haeres potest repetere. num. 1.
Limitatio I. 2.
Eadem ratio est juramenti. 3.
Jure Can. quandoque etiam scienter solutum vi juramenti repeti potest. 4.
Limitatio II. 5.
Ad condictionem indebiti requiritur error facti. 6.
Quod ex causa judicati solutum, non potest repeti. 7.
Ratio. 8.
Sententia de indebito facit debitum. 9.
Limitatio. 10.
Ratio hujus. 11.
In condictione indebiti hoc tantum probandum, quod indebitum solutum sit. 12.
Ratio. 13.
DD. sententia notatur. 14.
Nemo suum jactare videtur. 15.
In hac actione probandum 1. se tantum solvisse. 2. tantum non debuisse. 16.
Negativa hic probanda actori. 17.
Ratio. 18.
Error hic non probandus, sed praesumitur. 19.
Nec indebiti probatione semper onerandus est actor. 20.
Casus ubi haec regula obtinet locum. 21.
Haeredi etiam competit haec condictio indebiti. 22.
Non obstat l. 49. *ff.* h. t. 23.
Ratio. 24.
In hanc actionem non veniunt usurae, sed ea solum quantitas venit, quae soluta est. 25.
Limitatio. 26.

1 Solum indebite, si errore, non scienter indebite solutum, repetere etiam potest haeres. Ex-
2 cipitur hic I. Nisi ex causa judicati solutum. Ratio in auctoritate rei judicatae, *l.* 16. §. 6. *ff.*
3 *de Pign. l. nepoti* 6. *ff. de Instr. Leg.* Eadem ratio juramenti, *l.* 9. *pr. ff. de jurej.* §. *item si*
4 *quis Instit. de Act.* Quamvis in quibusdam casibus jure Canonico vi juramenti, quod etiam scienter solutum, possit repeti; et Transactionis, per *l.* 63. §. 1. *ff. h. t. l.* 2. *C. h. t.* II.
5 Excipiuntur usurae pecuniae solutae, quia si pecunia solvatur, est condictio certi et stricti juris, et usurae non currunt, nisi lite contestata, *l. lite* 35. *ff. de usur.* Alia ratio est fructuum, *l.* 15. *pr. l.* 26. §. 12. *l.* 65. §. 5. *ff. h. t.*
6 Colligitur I. *ex hac lege*: Ad Condictionem indebiti requiri errorem scilicet facti, de quo ulterius in *l.* 6. *h. t.* agetur. II. Si ex causa judi- 7
cati id solutum sit, quod alias solvere non teneor, non posse me illud repetere, ob auctoritatem rei judicatae. Si quis enim ex auctoritate 8
rei judicatae solverit, repetitio cessat, cum ex causa judicati solvere praesumatur, per *l. cum putarem* 36. *ff. Fam. ercisc. Modest. Pist. ad h. l.* 36. *Berlich. p.* 2. *decis* 263. *n.* 17. *Jacob. Schultes ad quaest.* 140. *Modest. Pist. num.* 33. *Decius cons.* 351. *num.* 7. Sententia enim de 9
indebito facit debitum, *Surdus decis.* 47. *num.* 10. quod intelligendum est in foro seculari, 10
secus in foro Ecclesiastico, et minime in foro conscientiae. Nam in foro Ecclesiastico seu poe- 11
nitentiali datur denunciatio Evangelica. Nam licet habeas rem judicatam pro te, et reus ex errore vel taedio litium vel alia probabili de causa non appellaverit, pecuniam tamen ex re judicata solutam juste retinere non potes. Confer. a me notata *in Processu Civ. c.* 1. *num.* 8. *etc.* III. In hac actione hoc tantum probandum 12
esse, quod indebitum solutum sit, quia Imper. 13
hic requirit, ut tantum probetur amplius quid solutum esse. Ideoque licet *DD.* dicant, duo extrema probanda esse, scilicet indebiti solu- 14
tionem, et secundo ignorantiam seu errorem, hoc tamen praesumi dixerim. Nam si probaverim, me amplius non debuisse, putarem hoc sufficere, cum nemo suum jactare videatur. 15
Vid. *Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 28. *def.* 21. Sed primum extremum duo membra continet. Nam debet probare, 1. se tantum solvisse, 2. 16
tantum non debuisse: nam negativa probanda 17
hic actori, cum ex solutione contra eum prae- 18
sumptio exurgat, *Vesenb. in Com. C. h. t. n.* 13. Error requiritur quidem, sed probandus 19
non est, ac praesumitur, donec contrarium probetur. Sed nec indebiti probatione semper 20
onerandus actor est, quando scilicet solutionem 21
negat reus, *l. cum de indebito* 25. *pr. ff. de Probat.* vel quando is, qui condicit, est Pupillus, Minor, vel Mulier, *d. l. cum de indebito* 25. §. 1. IV. Haeredi etiam competere hanc condictio- 22
nem Indebiti. Nec obstat *l.* 49. *ff. h. t.* quia 23
haec *l.* 49. haeredem non excludit, sed eos tan- 24
tum, quorum nomine gestum non est, aut si eorum nomine gestum est, qui ratum non habuerunt, aut quorum in rem pecunia non est conversa, vid. *Hill. in Donell. l.* 14. *c.* 18. *lit. A. Harprecht. in* §. 1. *Inst. Quibus modis re contrahitur obligatio num.* 89. V. In hanc A- 25
ctionem non venire usuras, sed eam solum quantitatem venire, quae soluta est, *Cludius in Tr. de condict. ob turpem causam c.* 4. *num.* 53. Quod tamen de usuris his, quas praetendit 26
actor ante litem contestatam sibi deberc, a tempore scilicet solutionis indebitae usque ad tempus litis contestatae. Sed usurae post litem contestatam omnino debentur, *Franc. Caldas de Emptione cap.* 23. *num.* 45.

L. Si citra. 2.

SUMMARIA

Transactio ex indebito facit debitum. num. 1.
Limitatio.
Si sine transactione per delegationem solvere alterius Creditori promisi, an possim condicere? 3.
Affirmatur. 4.
Ratio decidendi. 5.
Quicquid ex causa transactionis solutum, non potest repeti tanquam indebite solutum. 6.
Ratio. 7.
Magnum lucrum est a lite recedere, et pacem redimere. 8.
Transactio invalida non habet talem effectum. 9.
Limitatio. 10.
Quando quis a te se delegari patitur creditori tuo, quasi tibi debeat, habet hic delegatus contra te condictionem. 11.
Ratio. 12.
Ratio dubitandi. 13.
Respondetur ad hoc dubium. 14.
Si solvero pro te, et tuo loco creditori tuo, contra te mihi datur actio. 15.
Limitatio. 16.

1 Transactio, si modo calumnia absit *per l. in*
2 *summa ff. h. t.* ex indebito facit debitum, per *l.*
65. §. 1. *ff. h. t. Auctor in l.* 23. *ff. h. t. num.*
3 4. *seqq.* Sed *si sine transactione per delegationem solvere promisi tuo creditori, an possum*
4 *condicere?* Resp. Quod sic, quia Delegatio in-
5 star solutionis, *l.* 1. *pr. et* §. 1. *et l.* 18. *ff. de Novat.* Sed non repeto a creditore tuo, cui obligatus sum per stipulationem, sed a te, a
6 quo fui delegatus. Collig. I. Quicquid ex causa transactionis solutum, non posse repeti tan-
7 quam indebite solutum, quia hoc ipso quod a
8 lite receditur, debitum fit; namque magnum lucrum est a lite recedere, et pacem redimere, et hoc favore litium expediendarum placuit, *Anton. de Padilla in l. si non transactionis* 6. *num.* 4. *C. de Juris et Facti Ignor. Mozzius de Condict. Indeb. tit. de causis, quae cessare faciunt. num.* 7. Et ideo Exceptio haec regula non est, sed tantum Declaratio. Sed si
9 transactio invalida, non habet hunc effectum, v. g. si post rem judicatam inita, nisi aut sen-
10 tentia suspensa per appellationem, aut de valore sententiae dubitetur, *l. eleganter* 23. *ff. h. t.* Conf. *Card. Mant. de tac. et amb. convent. l.* 26. *tit.* 1. *num.* 21. *Gutierez de juram. confirm. p.* 3. *c.* 4. *num.* 1. *et seqq.* II. Quando
11 quis a te se delegari patitur creditori tuo, quasi tibi debeat, habere hunc delegatum codictionem
12 contra te, non contra creditorem. Nam creditori tuo se obligavit per stipulationem, et non
13 obstat, quod se obligaverit, quasi deberet ali-
14 quid tibi, hoc enim nihil ad Creditorem, cui fit delegatio, *hic et l.* 12. *et* 13. *ff. de Novat.*
15 Quin etiam si solvero pro te et tuo loco creditori tuo, non contra creditorem, qui suum suscepit, sed contra te mihi datur actio, secus
16 si meo nomine solvissem, ut communis est distinctio, quam probant ex *l.* 15. §. 1. *et l.* 19. §. 1. *et l.* 65. §. *fin. ff. h. t. Pacius cent.* 4. *Q.* 1. *Cujac. lib.* 8. *Obs.* 9. *Mozz. de Condict. Indeb. col.* 2. *num.* 10. *Donell. et ibi Hillig. lib.* 14. *c.* 13. *lit. A.*

L. Cum et soluta. 3.

SUMMARIA

Qui potest solutum repetere, multo magis habet contra promissionem Chirographo factam exceptionem doli. num. 1.
Vel potest etiam liberationem condicere a promissione indebita. 2.
Ratio. 3.
Cui datur actio, illi multo magis datur exceptio 4.
Sedes hujus regulae est in l. 156. §. 1. ff. de R. J. 5.
Exemplum, ubi quis errore juris lapsus indebitam cautionem praestitit, eamque repetere potest. 6.
Datur tamen hoc in casu non rigore juris, sed ex benignitate quadam condictio. 7.

Qui potest solutum repetere, multo magis ha- 1
bet contra promissionem Chirographo factam
exceptionem doli, quod dolo ex tali instrumen- 2
to agas, vel potest etiam liberationem condicere a promissione indebita. Ratio *in l.* 1. §. 4. *ff.*
de superf. quia hic dicitur multo facilius dari 3
condictionem cautionis vel exceptionem. Ideo 4
colligunt ex hac lege regulam: Cui damus actionem, multo magis exceptionem; sed es hujus Re- 5
gulae est in *l. invitus* 156. §. 1. *de R. J.* quam Regulam
hic tractat *Barbosa.* Exemplum sane, ubi quis 6
errore juris lapsus, indebitam cautionem praestitit et repetere potest, habetur in *l.* 1. *ff. Ut*
in Possess. legat. ubi non quidem rigore juris, 7
sed ex benignitate quadam condictio datur.

L. Ea quae. 4.

SUMMARIA

Tres sunt in jure causae, in quibus agitur contra confitentem in simplum, contra negantem vero in duplum. num. 1.
In his non habet locum condictio indebiti. 2.
Ratio hujus. 3.
Quae contra alios defenditur. 4.
Qui poenae evitandae causa solvit, repetere non potest. 5.
Ratio hujus. 6.

Tres in jure sunt causae, in quibus agitur 1
contra confitentem in simplum, contra negantem in duplum: ut Actio L. Aquil. *l.* 23. §.
pen. ad l. Aquil. Depositi, Tumultus, Incendii, Naufragii causa, *l.* 1. *ff. Depos.* Legatorum Piorum, §. 26. *Inst. de Act.* Hic si indebite quis
fateatur, se v. g. damnum dedisse, non datur 2
soluti repetitio. Ratio, quia qui fatetur damnum, 3
solvere videtur transactionis causa, ne incidat in poenam dupli, quae autem ex transactione solvuntur, non repetuntur ut indebita, *l.* 2. *supra h. t.* Sive ut *Donell. l.* 14. *c.* 15. habet, datur actio in simplum contra confitentem a lege, ideo quia confitetur, §. *fin. Instit. de Obl. quae quasi ex contractu.* Confer. *Mozz. de Con-*

dict. Indeb. Rubr. de causis quae faciunt cessare Cond. Indeb. n. 2. *Wesenb. in* π. *h. t. n.* 7.
4 Quamvis autem rationem hanc, quod in his casibus videatur solvens transigere, alii videantur rejicere, et subrogent aliam, quod scilicet solvens poenae amovendae et evitandae causa videatur dare, haec ipsa tamen ratio praesupponit eam rationem, quae communiter assignatur a Doctoribus. Nam poenae evitandae causa videtur dedisse. Respondet *Harpr. in* §. 1. *de Oblig. quae Re contrahuntur n.* 77. At ulterius
5 quaero: *Cur is, qui poenae evitandae causa*
6 *solvit, repetere non potest?* Nulla alia ratio dari potest, quae ex legibus probari queat, nisi quia videtur transigere.

L. Si a Patre. 5.

SUMMARIA

Filius, qui non agnovit paternorum bonorum possessionem intra annum, sed postea ut haeres solvit debita paterna, repetere potest soluta, vel haeredi imputare. num. 1.
Qui haereditatem adire potuit, si per repudiationem expressam, aut tempore exclusus adire non potest, potest postea solutum repetere. 2.
Nullo alio jure, nisi per bonorum possessionem Praetoriam ad paterna bona filius emancipatus venire potest. 3.
Hoc jure novissimo mutatum. 4.
An ex hac l. colligatur, errore juris soluta etiam repeti posse? 5.

1 Filius non agnoverat paternorum bonorum possessionem intra annum, sed postea ut haeres solvit debita paterna. Resp. licet sit filius, quia tamen haeres non est, repetit soluta a creditore, vel vero haeredi imputat, *l. fin. C. de Petit. Haered. l. si pupilli* 6. §. *pen. ff. de*
2 *Negot. Gest.* Colligitur ex *hac l.* Eum, qui haereditatem adire potuit, seu cui delata est haereditas, si per repudiationem expressam, aut tempore exclusus adire non potest, posse postea solutum repetere. Non obscure autem colligi-
3 tur ex *hac l.* Filium emancipatum nullo alio jure, nisi per bonorum possessionem praetoriam ad paterna bona venire posse. Sed hoc
4 jure Novissimo per *Nov.* 18. mutatum, quo filius emancipatus jure civili parenti succedit.
5 Quamvis autem *ex hac l.* videatur colligi, Errore juris soluta etiam repeti posse, cum fieri vix posset, ut lapso tempore possessioni bonorum dato aliquis citra errorem juris solvat: hoc tamen non necessario sequitur, cum etiam per errorem facti fieri possit, ut quis putet non praeteriisse annum, sicuti etiam respondet *Vult. in* §. *sequens* 16. *num.* 55. *Inst. de Action. et Cothman. l.* 1. *Cod. ad titul. de juris et facti ignor. num.* 34.

L. Si per Ignorantiam. 6.

SUMMARIA

Quod tu meo nomine solvis indebite, etiam ego repetere possum. num. 1.
Ampliatio. 2.
Ut ex mutuo ita ex Promutuo seu condictione indebiti per liberam personam actio nobis acquiritur. 3.
Error juris non parit condictionem indebiti. 4.

Quod tu meo nomine solvis indebite, illud 1
etiam ego repetere possum, ita ut mihi per te quaeratur actio, *l.* 46. 47. *et* 57. *ff. h. t.* quod idem est, si mihi non imputas, *l. ult.* §. 1. *ff. h. t.* 2
Colligitur: Ut ex mutuo, ita ex Promutuo seu Condictione indebiti per liberam personam a- 3
ctionem nobis acquiri, *hic et l.* 9. §. 8. *ff. de Rebus Cred. Cujac. lib.* 8. *obs.* 34. *Harpr. in* §. 1. *Inst. Quib. modis re contrahitur Obligatio. num.* 2. ubi et alias convenientias et differentias recenset. Collige ex *hac l.* etiam: Er- 4
rorem juris non parere condictionem indebiti. Sed de hoc *in l. seq.*

L. Fideicommissum. 7.

SUMMARIA

Legatum vel Fideicommissum indebitum errore facti solutum repeti potest. num. 1.
Secus est, si errore juris solutum. 2.
Solutum per errorem juris non potest repeti. 3.
Dissentit Sichard. Wesenb. et Bacchov. 4.

Quando legatum vel Fideicommissum indebi- 1
tum errore facti solvitur, v. g. ultra vires haereditatis, cum amplius esse patrimonium putarem, datur repetitio. Sed si errore juris v. g. 2
ex testamento imperfecto, vel non detracta Falcidia, non datur, *juxta l.* 10. *sup. de Jur. et Fact. ign.* Colligunt ex *hac et praeced. l.* Solu- 3
tum per errorem juris non repeti, sed per errorem facti, *l.* 10. *C. de Ign. Juris et facti. Dn. Carpz. p.* 3. *Jurispr. Const.* 15. *Def.* 47. *Donell. l.* 14. *c.* 14. et praecipue *Harpr.* hoc pro more suo latissime tradens *in d.* §. 1. *et seqq. Inst. Quib. mod. re contr. num.* 54. Licet 4
autem *Sich. in l.* 1. dissentiat et *Wesenb. in* π. *h. t. num.* 9. *et Bacch. Dist.* 4. *de Action. th.* 17. verior tamen videtur sententia prior.

L. Creditoris. 8.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Decisio. 3.
Ratio decidendi. 4.
Obstare videntur l. 14. ff. de condict. caus. dat. caus. non secut. et l. falsus C. de furt. 5.
Horum textuum dissonantiam tollere nititur Glossa. 6.
Non videntur esse contraria, dari actionem furti et condictionem furti. 7.
Ratio. 8.

Debebam tibi 10. haec ei solvi, qui falso se 1
pro tuo Procuratore gessit; Quaeritur: *An, et* 2
contra quem detur condictio indebiti? Resp. con- 3

1 tra Procuratorem falsum; cujus ratio est, quia indebite accepit. Non vero possum condicere a te liberationem, quia hac solutione liberatus
5 non sum. Sed huic videtur contraria *l.* 14. *ff. de Condict. Causa data*, ubi dicitur dari condictionem causa data *etc.* et deinde videtur ob-
6 stare *l. falsus* 19. *C. de Furtis*, quorum textuum dissonantiam *glossa* tollere nititur in *d. l. falsus*, qua de re etiam agit *Zas. in d. l.* 11.
7 Equidem puto non esse contraria, dari actionem furti, et condictionem furti. Nam licet non
8 transtulerim dominium, et sic nulla videatur condictio translata, animus tamen meus fuit abdicare dominium, et itaque respectu meae personae habeo condictionem rei abdicatae, licet non perfecte alteri requisitae, ratione igitur alterius datur etiam actio Furti. Hinc si personam Procuratoris falsi respiciam absolute, quatenus sibi in rei veritate acquirere voluit, datur condictio indebiti; sed quatenus egit pro Procuratore, datur condictio sine causa, quia non vertit in eam causam, in quam dedi. Alii aliter.

L. Indebitum. 9.

SUMMARIA

Scienter indebitum solvens non potest condicere solutum. num. 1.
Hoc exemplo declaratur. 2.
Ratio regulae n. 1. *propositae.* 3.
Limitatio. 4.
Si accipiens sciat esse indebitum, et forma donationis non fuerit observata, adhuc succurritur danti. 5.

1 Habetur Regula: quod scienter indebitum solvens non possit condicere solutum, *hic et l.* 1. §. 1 et *l.* 24. *et l.* 26. §. 5. *ff. h. t.* aliisque
2 locis, *Donnel. lib.* 14. *c.* 14. Hoc declaratur exemplo: Tu rem meam vendidisti sine mandato fratri tuo, huic res evincitur, ego defendo, et pretium loco tui emptori fratri tuo restituo, sed quia indebite hoc solutum, cum non recte evicta res sit, utpote ad me pertinens, an id repetere possum? Resp. quod non, quia satisfaciendo emptori ratum habeo contractum em-
3 ptionis, et sic sciens indebitum solvo. Ratio ejus est *in l. Cujus per errorem* 53. *ff. de R. J.*
4 Si modo et accipiens non deberi sciat: nam alias ignoranti non donatur, *l.* 18. *ff. de Reb. Cred. Tiraq. in l.* 8. *C. de Revoc. Donat. verbo*, donat, *num.* 342. *Menoch. l.* 3. *praes.* 31. *Hillig. in Donell. l.* 14. *c.* 14. *lit. A.* Sed tunc. competet condictio sine causa, *Mozz. in tit. de Cond. Ind. Col.* 1. *num.* 5. *Molin. disp.*
5 567. *num.* 3. Si autem accipiens sciat esse indebitum et forma donationis non fuerit observata, adhuc succurritur danti, *Costa de Scient. et ignor. cent.* 1. *dist.* 28. *num.* 17.

L. Si quis. 10.

SUMMARIA

Si duabus rebus disjunctim promissis utraque sit soluta, electio est actoris vel solventis, utram velit condicere. num. 1.
Ratio. 2.
Limitationes. 3. 4.
Per h. l. *videtur derogatum* l. 26. §. 13. ff. h. t. 5.

Si duabus rebus disjunctim promissis utraque 1
sit soluta, est electio actoris vel solventis, utram velit condicere, quia electio solvendi, 2
quae ab initio ipsi competiit, ob errorem supervenientem ipsi adimi nequit, nisi 1. non 3
ipsi, sed Creditori antea competiit electio, *l. plerumque* 10. §. *ult. ff. de jure Dot.* 2.
Nisi res duae disjunctim a duobus debitae, et 4
a singulis una soluta, ubi solventibus non potest competere electio, cum in unam rem electio non cadat, *l.* 21. *ff. h. t.* Et ideo per *hanc* 5
legem videtur derogatum *l.* 26. §. 13. *ff. h. t.* ut sentiunt *Donell. l.* 14. *cap.* 18. *et Cujac. lib.* 3. *obs.* 35. *Duaren. h. t. cap.* 9. *Molin. de Just. et J. l.* 2. *disp.* 569. *num.* 11. *et seq.* Conf. *et Andr. Cludius in d. Tr. de Condict. Indeb. cap.* 6. *num.* 64. *et. seq. Harpr. d.* §. 1. *num.* 97.

L. Pro dubietate. ult.

SUMMARIA

Ignorans, errans et dubitans in hac materia aequiparantur. num. 1.
Qaer. an ei, qui dubitat, debeat dari repetitio? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Ratio decidendi. 4.
Transactio nullo dato vel promisso non procedit. 5.
Magis favendum repetenti, quam adventitio lucro. 6.
Is qui dubitat, non donat, nec transigit. 7.
Idem dicendum, si quis dolo inductus et persuasus solverit. 8.
Dubitans ab ignorante non distinguitur. 9.
Ratio hujus. 10.
Dubitans in mala fide non est. 11.
Testis dubitative deponens nihil probat. 12.

Ignorans, errans et dubitans in hac materia ae- 1
quiparantur, *et ideo ei qui dubitat, num debeat* 2
dari repetitio, hic quaeritur? Ratio dubitandi: quia videtur transactio praesumenda, quae est 3
de re dubia. Ratio decidendi: nec dubitans ha- 4
bet animum donandi, nec praesumenda transactio, quae nullo dato vel promisso non pro- 5
cedit, *Hillig. l.* 14. *cap.* 14. *lit. C.* Et est ratio in *l. non debet* 42. §. *in re obscura* 11. *ff. de R. J.* quod magis favendum repetenti quam adventi- 6
tio lucro. Collige: Eum, qui dubitat, non do- 7
nare, nec transigere, *Duar. h. t. cap.* 3. *Don. et ibi Hillig. lib.* 14. *cap.* 14. *lit. C. Harprecht.* §. 1. *num.* 50. *Vasq. lib.* 3. *Controv.* 63. *num.* 1. *Surdus Dec.* 265. *num.* 62. *et num.* 72. Idem 8
est, si quis dolo inductus et persuasus solverit, *l.* 25. *in pr. ff. de Probat. Vasq. d. l. num.* 12. Collige etiam ex *hoc textu*: Dubitantem ab i- 9
gnorante non distingui, quia condictio non da- 10
tur scienti rem alienam, sed ignoranti, et datur tamen etiam dubitanti, ergo dubitans pro ignorante habetur. Vid. *Axiom. A. Barbos. locupletata l.* 1. *cap.* 52. *axiom.* 2. et ideo dubi- 11
tans in mala fide non est, *Dn. Mev. p.* 2. *decision.* 163. *num.* 7. Colligitur etiam: Testem 12
dubitative deponentem nihil probare, *Barbos. d. l. Farin. quaest.* 68. *num.* 1.

TITULUS VI.

De Condictione ob Causam Datorum.

L. Pecuniam. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Decisio negative fit. 3.
Ratio decidendi. 4.
Limitatio. 5.
Contractu principali corruente collabuntur etiam pacta adiecta. 6.
Verae dotis privilegia putativae doti non competunt. 7.
Privilegia verae dotis. 8.
Tiraquellus *vocatur locupletissimus scriptor.* 9.
Intellectus legis. 10.
Papinianus *existimavit, jure naturali non improbari nuptias inter avunculum et sororis filiam.* 11.
Non omnium incestarum nuptiarum poena est confiscatio dotis. 12.

1 Ex errore, non scienter (nam alias dos devolveretur ad Fiscum, *l.* 4. *C. de Incest. Nupt.*) duo matrimonium contraxerunt; sed id propter consanguinitatem postea cognitam, fuit diremptum: Quaeritur inde: *An maritus quae dotis loco ipsi promissa erant possit petere?* Resp.
3 quod non, cum etiam ea, quae dotis loco ac-
4 cepit, retinere non possit, et pactum dotale ipsum reddatur irritum, ideoque nec maritus aliquid ex pacto lucrari potest, sublato enim
5 principali etc. Sed alia ratio fructuum dotis, quos lucratur pro ratione temporis, quo matrimonii etiam putativi onera sustinuit, *l.* 42.
6 *ff. Sol. Matr.* Collige: Contractu principali corruente, collabi etiam pacta adjecta, nec enim
7 verae dotis privilegia putativae doti competunt,
8 v. g. quod respuat compensationem, quod maritus lucretur dotem ex pacto vel statuto, quod maritus eandem lucretur ex uxoris adulterio, et quod solutio dotis habeat dilationem, et similia, quae pro more suo copiose adducit locupletis-
9 simus scriptor *Tiraquell. de Legibus Connubialibus gl.* 8. *num.* 236. *et aliquot seqq. Covarr. de Spons. p.* 2. *cap.* 7. §. 1. *num.* 9. *Baldus Novell. de Dote p.* 11. §. *hactenus, num.* 23. *et* 29. quos allegat *hic Barbos.* Sed posset dici,
10 *hanc legem* posse intelligi de ea, quae sciens vinculum sanguinis, in jure erravit, putans illud vinculum non obstare; nam et eo casu haberet repetitionem *ex condictione sine causa*, v. g. si virgo nubere vellet avunculo, per *l. fin. ff. d. t.* ubi Papinianus ait hanc dotem non datam ob turpem causam, licet sciens dederit, quia non ob stuprum datum, sed ob matrimonium. Vid. *Cujac. ad d. l. fin. tom.* 4. *p.* 234. *Petr. Barb. ad l. si ante* 6. *num.* 27. *ff. Sol. Matr.* ut non adeo necesse videatur adstringere legem ad casum ignorantiae vinculi, ut *Donell. l.* 14.
11 *cap.* 23. Et forte Papinianus existimavit, jure naturali non improbari nuptias inter Avunculum et Sororis filiam. Nec omnium incestarum nuptiarum poena est confiscatio dotis, de quo suo 12
loco.

L. Si ut proponis. 2.

SUMMARIA

Donatio omnis ea lege facta, ut aliquid fiat, revocari potest, si donatarius promissis non steterit. num. 1.
Non obst. l. 1. C. de donat. quae sub mod. fiunt. 2.
Responsio ad eandem. 3.
Non obstat l. 14. C. de Rescind. vend. 4.
Responsio ad d. l. 5.
Donatio sub modo est contractus innominatus. 6.
Cujacii *Resolutio* 7.

Si filius, cui pater aliquid donavit ea lege, ut 1
is creditoribus paternis satisfaceret, non stetit promissis, potest revocari donatio, et hoc in omni donatione sub modo locum habet. Nec 2
obstat *l.* 1. *C. de Donat. quae sub modo fiunt*, cum ibi sit specialis casus propter favorem ali- 3
mentorum, ut ibi sit vindicatio. Nec obstat e- 4
tiam *l.* 14. *C. de Resc. Vendit.* quia ibi est 5
contractus nominatus. Ergo recte agitur ad id, quod interest, non ad interemptionem contractus. Donatio vero sub modo est contractus in- 6
nominatus; Ita respondent *DD.* communiter. Sed *Cujac.* ad *hanc legem* dicit, etiam in con- 7
tractibus nominatis dari actionem hanc, v. g. si dedi 10. ut mihi servum emas, Mandatum est, quod si re integra revocavero, datur haec condictio, *l.* 5. §. 2. *ff. de Condict. causa non secuta.* Item, si dedi, ut rem venditam, locatam redderes, mihi competit actio empti, locati. Sed ubi debes ex causa Testamenti vel stipulationis, datur condictio, *l. ultim.* §. 1. *ff. de Condict. ob turpem causam.* Ideoque ad *d. l.* 14. *et l. si donationes C. de Empt.* aliter respondet *Cujac.* quod ibi hoc non sit actum, ut datum redderetur.

L. Ea lege. 3.

SUMMARIA

Cum lege vel testamento interdicta est alienatio, tunc ipso jure nulla est alienatio facta. num. 1.
Si per donatorem ipsius rei donatae alienatio est prohibita donatario, valet alienatio; sed datur donatori condictio ad aestimationem consequendam. 2.
Limitatio. 3.
Hujus sublimitatio. 4.
Res prohibita alienari transit ad haeredem legitimum, non testamentarium. 5.
Sensus h. legis. 6.
Si pactum donationi adjectum sonet resolutionem contractus, tunc ad priorem dominum ipso jure redibit dominium, et sic alienatio de facto facta erit nulla. 7.

Quando vero pactum non sonat resolutionem contractus, nec sibi donator exprèsse reservavit dominium vel simile quid, tunc dabitur condictio personalis. 8.
Ad quem tamen casum lex non est adstringenda. 9.
Ratio. 10.
Ob non servatam legem donationis etiam haeredi donatoris datur actio. 11.
Limitatio. 12.
Ratio hujus. 13.

1 Cum lege vel Testamento interdicta est alienatio, tunc ipso jure nulla est alienatio facta, *Vaud. l. 1. Q. 43. num. 9. et 10.* per *Auth. res quae Cod. de leg.* et per *l. peto 69. §. pen. ff. de Leg. 2. Peregr. de fideicom. art. 51. num. 72. et seq. Vivius dec. 4. 71. num. 1. Thesaur.*
2 *p. 2. quaest. 81. num. 1.* Sed si per donatorem ipsius rei donatae alienatio sit prohibita donatario valet alienatio: sed datur donatori condictio et consequitur aestimationem, alienatio tamen manet rata, *l. pen. ff. de Pact.* aut si aliquid
3 interest ex stipulatu agere potest. Sed si donator sibi reservavit jus in re, vel hypothecam, vel resolutionem contractus, res donata a do-
4 natario alienata revocari potest, praesertim si hypotheca specialis, et concurrat juramentum, *Thesaur. d. qu. 81. num. 8. et seqq.* Sed *anne res prohibita alienari transit ad haeredem?*
5 Resp. ad legitimum non vero testamentarium. Vid. *Donell. l. 9. cap. 10. Vesenb. in Rubr. h.*
6 *t. num. 41.* Ergo haec mihi videtur esse sententia legis hujus, si quis duobus rem donasset hac lege, ut neutri alienandae suae portionis facultas ulla competeret, alterum horum actum videtur; videlicet ne dominium ab altero prorsus alienetur, vel ut donator re alienata habeat condictionem hanc. Quando autem ipsa alienatio impediatur, id hic non explicat, sed alibi. Nam
7 si pactum ita sit conceptum, ut sonet resolutionem contractus, tunc ad priorem dominum ipso jure redibit dominium, et sic alienatio de facto facta erit nulla, per *l. si cum venderet ff. de Pign. act.* idque exemplo Pacti Legis Commissoriae, et Addictionis in diem ostendit *Roland. de Valle Const. 62. num. 41. vol. 2.* ubi ibidem dicit esse in omnibus pactis habentibus vim resolutivam principii contractus et traditionis, *Tiraq. de Retr. convent. §. 1. gl. 7. num. 14. Klock. vol. 2. Cons. 42. num. 308. et seq.* quo possunt etiam referri allegata *Aug. Barbos. hic num. 6.*
8 *et 7.* Quando vero pactum non sonat resolutionem contractus, nec sibi donator expresse reservavit dominium vel simile quid, tunc da-
9 bitur condictio personalis. Sed ad hunc casum restringere hanc legem nolo, ut videtur facere
10 *Klock. d. l. num. 311.* non enim praesumendum est, Imperatorem de jure dubitasse. Colligitur
11 etiam ex *hac l.* Ob non servatam legem donationis etiam haeredi donatoris dari actionem; quod se-
12 cus est in revocatione donationis ob ingratitu-
13 dinem, *l. fin. C. de Revoc. Donationib.* quia haec vindicatio vindictam sapit.

L. Si cum exiguam. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Causa non secuta liberatio condicitur ab eo, ob quod facta est obligatio. 3.
Ratio. 4.
Duplex hic videtur contractus esse. 5.

Accepi mutuo centum a te, sed in Chirographo scripsi me ducenta accepisse, hoc fine, ut 1
tu patrocinium meae causae susciperes, quod non praestisti. Ab illis centum non acceptis pos- 2
sum liberationem condicere: nam datum hic intelligitur, quod promissum *l. 9. §. 1. ff. de Condict. causa data*, nam et stipulando capio, *l. 24. de Acq. Haered.* ideoque causa non secu- 3
ta liberatio condicitur ab eo, ob quod facta est obligatio: nam certum est, ultra id, quod re- 4
vera in mutuo mihi numeratum est, me non obligari per *l. rogasti 11. §. 1. ff. si certum pet.* Ergo duplex videtur hic contractus esse: 5
1. Mutui, ratione centum mutuo datorum, 2. Innominatus, ratione aliorum centum, do ut patrocineris. In hoc ultimo contractu, quia non stetisti promissis, datur mihi condictio.

L. Si militem. 5.

SUMMARIA

Quod militi eo fine datur, ut procuret mea negotia, repeti potest. num. 1.
Obstat l. 8. C. h. t. 2.
Resolutio hujus legis. 3.
Donelli Interpretatio aliis h. l. *praefertur.* 4.

Quod Militi eo fine datur, ut procuret mea 1
negotia, quia facere hoc non potest, possum repetere. Sed videtur obstare *l. 8. C. h. t.* 2
Resp. militem procurare, non est impossibile 3
absolute, sed ex accidenti: si enim ei non sit opposita haec exceptio, potest procurare, *l. 8. §. 2. ff. de Procur. Donell. l. 14. cap. 23.* licet aliter *Sarmient. lib. 2. select. cap. 3. num. 8. et seqq.* quem in *Donellum* allegat *Hillig. d. cap. 23. lit. A. et Aug. Barbosa hic num. 4.* Sed praefero *Donelli* Interpretationem, quam 4
etiam *Sichard.* amplectitur et *Salyc. num. 2.* et fere *Bacch. in Tr. vol. 1. D. 22. th. 1. lit. E.* ubi dicit, *in hac l. 5.* contineri non per se prohibitum, sed certae personae intuitu.

L. Cum ancillam. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Limitatio. 3.
Perfecta et pura donatio non potest revocari. 4.
Ratio. 5.
Quando ob causam impossibilem aliquid datum est, si pro possibili habita fuit, datum repeti potest. 6.

Dedi Ancillam, ut Filiam tuam, quam puta- 1
vi esse ancillam, manumitteres, causa est impossibilis, sed quia erravi in facto, datur con- 2

dictio, quia erranti datur haec actio, *l.* 7. *ff. h.*
3 *t.* nisi simpliciter donata sine conditione esset.
4 Collige: I. Perfectam et puram donationem,
5 quia non a futuro eventu dependet, non posse
revocari, *Tiraq. in l. si unquam C. de Revoc.*
6 *Donat.* voce, *libertis, num.* 19. II. Quando ob
causam impossibilem aliquid datum est, si pro
possibili habita fuit, datum repeti potest, *arg.*
l. non solum 31. *ff. de O. et A.* ibi *in fine*
apposita ea conditione, quam sciunt esse impossibilem.

L. Si repetendi. 7.

SUMMARIA

Causa dandi in animo retenta seu non expressa non inducit condictionem. num. 1.
Ratio. 2.
Voluntas addendi causam vel conditionem nihil operatur. 3.
Ratio. 4.
Limitatio 5. 6.
Protestatio absente parte facta nullius est momenti. 7.

1 Causa dandi in animo retenta, seu non expressa,
etiamsi non impleatur, non inducit condictio-
2 nem, quia verba in animo retenta nihil ope-
rantur. *Vid. l.* 25. *supr. de Transact.*, seu vo-
3 luntas addendi causam vel conditionem nihil
4 operatur, nec enim sufficit testatorem aliquid vo-
luisse, nisi et ipse disponat, *l. quidam cum filium* 46. *ff. de Haer. Instit. Mantica l.* 3. *Conj.*
ult. vol. tit. 4. *num.* 6. *Tiraq. in d. voce,* libertis, *n.* 20. nec sufficit aliquid esse in intentione. Conf. *Axiom. Aug. Barb. locuplet. lib.* 19.
cap. 41. *num.* 31. Sed haec omnia notabiliter
5 limitat *hic Baldus num.* 2. nisi causa subintelli-
gatur finalis ab utraque parte, ex natura actus,
v. g. in iis, quae donata sunt sponsae, quia in-
telliguntur ob nuptias secuturas data, vel nisi
6 aliud actum esse appareat, *l.* 38. *ff. Mandati*,
vel ex consuetudine, *argum. l. semper* 34. *ff. de*
R. J. et ibi *DD. Wesenb. ad Rubr. hanc n.* 14.
7 Ex *hac etiam lege* colligit *Sich.* Protestationem
absente parte factam, nullius esse momenti.

L. Dictam legem. 8.

SUMMARIA

Quae dantur sponsae vel alii personae, sub causa possibili, possunt ab ea repeti et a successoribus. num. 1.
Si vero est causa impossibilis, non possunt repeti. 2.
Ratio. 3.
Limitatio. 4.
Sub conditione impossibili contractus a scientibus initus ipso jure est nullus. 5.
Limitatio. 6.
Causa vel modus, quem certum est non extiturum, actum suspendere nan potest. 7.

1 Quae dantur sponsae vel alii personae, sub
causa possibili, possunt ab ea repeti et a suc-
cessoribus: si vero sit causa impossibilis, non 2
possunt repeti, quia ita videntur donata, secus 3
si dans possibilem esse putavit, *l.* 1. *et* 6. *C. h.* 4
t. l. 5. §. 5. *ff. h. t.* Ergo sub conditione im- 5
possibili contractus a scientibus initus ipso jure
est nullus, *l.* 31. *ff. de Oblig. et Act.* Et sic si naturam conditionis respicias, non videtur dominium
transferri, non ergo condictio dabitur. Sed si 6
ponamus dantem scivisse impossibilitatem, et
tamen sub hoc modo impossibili dedisse rem aliquam, dici posset cum *Bacch. in Treutl. V.*
1. *D.* 22. *th.* 1. *lit. E.* quia causa vel modus, 7
quem certum est non extiturum, actum suspendere non potest, ideo dationem pro pura habendam esse, et dantem donasse videri.

L. Si liber constitutus. 9.

SUMMARIA

Si a libero homine quid accepi, ut faciam, si non faciam, datur ipsi condictio. num. 1.
Secus est, si a servo meo accepi. 2.
Ratio. 3.
Limitatio. 4

Si a libero homine quid accepi, ut faciam, si 1
non faciam, datur ipsi condictio, secus si a 2
servo meo accepi, quia inter servum et Domi- 3
num nulla constat obligatio, *l. interpositas* 13.
C. de Transact. Sed si hac lege accepi, ut ma- 4
numittam servum, favore libertatis constitutum,
ut per judicis officium nobile compelli possim
ad manumittendum.

L. Pecuniam. 10.

SUMMARIA

Si causa dationis non fuit secuta, non culpa accipientis, sed casu fortuito, tunc non datur repetitio. num. 1.
Limitatio. 2.
Distinctio Bacchovii *circa casum* h. l. 3.
Alia distinctio additur. 4.
Carpzovii *sententia non male attenditur in hoc intricatissimo negotio.* 5.

Si causa dationis non fuerit secuta, non cul- 1
pa accipientis, sed casu fortuito, tunc non da-
tur repetitio; quod intelligunt *DD.* communiter,
si casus contingat in persona dantis, v. g. Si 2
Medico data pecunia, et aeger casu moriatur:
aliud si in persona accipientis, v. g. Si Medicus
moriatur. Aliter distinguit *Bacch. in Tr. vol.* 1. 3
D. 22. *th.* 2. *lit. A.* qui melius primo distinguit
in casu illo, si causa illa, ob quam aliquid dedi, in facto consistat, et quidem tali, quod
magis causa tertii, quam dantis sit adjectum,
v. g. si dedi, ut manumitteres servum, et ille
mortuus, hoc casu cessat repetitio, *l.* 3. §. 4.
ff. de Cond. Causa data, etc. nisi eo facto defunctus sit, ut apud dantem etiam eodem casu
fuisset moriturus, etiam non praecedente illo
contractu, *l.* 5. §. *ult. d. tit.* an vero causa consistat in dando, vel tali facto, quod commodum dantis respiciat, et hoc casu datur repetitio,

l. 4. *C. de Condit. insert. juncta l.* 3. §. 3. *et l.* 6. *ff. d. t.* Deinde distinguit *Bacch. d. l.* an casus sit absolute talis, ut nemo casum praestare possit, quo casu cessat condictio; an vero in persona tantum accipientis. Conf. *Donell. l.* 14. *cap.* 21. *et ibi Hillig.* Addenda etiam alia distin-
4 ctio, quam proponit *Zas. in d. l.* 3. §. 3. *et* 4. an accipiens fuerit in mora an non, ut illo casu, si forte tempus certum ipsi constitutum, quod lapsum est, vel si nullum tempus praefinitum, tantum tamen lapsum est, intra quod illud fieri potuisset, possit conveniri *condict. causa data, causa non secuta*, hoc casu non. Conf. *Vult. in* §. 16. *Inst. de Act. num.* 30.
5 Non male in hoc negotio intricatissimo Judex sequetur sententiam *Carpzov. part.* 2. *Jurispr. Const.* 35. *Def.* 24. statuentis, ob diversitatem factorum vix hoc posse generali regula definiri, sed ex aequitate esset decidendum, et considerandum, utrius causa potior sit, ne moretur in damno, in dubio huic legi standum esse.

L. Advocationis. ult.

SUMMARIA

In Advocatis hoc speciale est, ut quae ipsis dantur, non repetantur, si casu fortuito etiam in ipsorum persona contingente impediantur. num. 1.
Ratio 2.
Limitatio. 3.
Ampliatio 4.
Hujus limitatio. 5.
Integra salaria Consiliariorum, Adsessorum, Professorum et Theologorum haeredibus debentur, si intra annum moriantur. 6.

In Advocatis hoc speciale est, ut quae ipsis dan- 1
tur non repetantur, si casu fortuito etiam in ipsorum persona contingente impediantur, *hic et l.* 1. §. 13. *ff. de var. et extraord. cogn.* quia, 2
quod ipsis datur, non datur mercedis, sed honoris loco. Sed si culpa Advocati fiat, quo minus 3
stetur promissis, tunc ea repetuntur. Simile est, 4
quod Adsessoribus Judicum salarium debeatur, licet absque culpa sua in administratione officii sui cessent, v. g. ob mortem Legati Caesaris. Aliud 5
autem si alius Legatus surrogatus, quia forte ob delictum avocatus est, cujus delicti praesumitur particeps Assessor per *l. diem functo* 4. *ff. de Adsess. et ibi Cagnolus, Donell. et Hillig. lib.* 18. *cap.* 2 *lit. FF.* Ex hoc fluxit: Integra sala- 6
ria Consiliariorum, Adsessorum, Professorum et Theologorum haeredibus deberi, si intra annum moriantur, *Rauchb. p.* 1. *q.* 25. *Gail. l.* 1. *Obs.* 44. *num.* 12. *Carpz. p.* 2. *Const.* 5. *Def.* 10.

TITULUS VII.

De Condictione ob turpem Causam.

L. Si ex cautione. I.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Alter casus h. legis. 2.
In quo secundum Gloss. et Salyc. *utriusque fuit turpitudo.* 3.
Ubi par utriusque turpitudo est, melior conditio est rei. 4.
Sententiae Gloss. et Salyc. *amica sunt verba legis*, quam fieri prohibitum est. 5.
Differt exceptio non numeratae pecuniae ab exceptione doli. 6.
Casus, quando exceptio non numeratae pecuniae locum habet. 7.
Casus, quando exceptio doli locum habet. 8.
Exceptio doli perpetua est. 9.
In foro exteriori meretricibus sui quaestus gratia corpus prostituentibus datur actio et retentio, et in foro conscientiae potest petere et retinere quod est promissum vel datum. 10.
Ratio. 11.
Rectius statuitur, moribus nostris, imo et veterum Romanorum etiam meretricis turpidudinem hic versari. 12.
Ratio. 13.
Ob quam etiam meretrix promissam mercedem petere non potest. 14.
Contrarium statuentes Covarruvias aliique *refutantur?* 15. 16.
Si turpis causa expressa in conventione, haec ipso jure nulla est, si non expressa, valida quidem est, sed obstat exceptio. 17.
In h. l. *probatio non est referenda ad negativam, pecuniam non esse acceptam, sed ad id, quod ob turpem causam interposita fuerit cautio.* 18.
An meretrix secuta copula mercedem sibi ob eam copulam promissam apud judicem exteriorem petere possit? 19.
An rem cum prostibulo habens a judice cogi possit, ut solvat mercedem? 20.

Nonnulli sic formant casum: Dedi Usurario 1
Instrumentum, quo usuras converti in sortem, hic est turpitudo solius usurarii accipientis, non mea. Vel potest alius casus poni: ubi aliquis ex 2
turpi causa accipit cautionem quasi mihi mutuo dedisset, cum tamen nihil dederit, sed ego dedi cautionem, ne mihi vim, vel injuriam faciat. Ille me ex instrumento convenit, ego offero me probaturum, me nullam pecuniam accepisse vi illius instrumenti, sed usurariam subesse pravitatem. Hoc si probavero, (ut mihi probatio incumbit proter praesumptionem, quae pro instrumento militat) absolvi debeo. *Gl. et Salyc.* 3
hic in specie facti dicunt, utriusque fuisse turpitudinem, et reum ex cautione conventum absolutum fuisse, quia ubi par utriusque turpitu- 4
do est, melior utique est conditio rei. Et fateor, huic intellectui amica esse verba legis, *quam* 5
fieri prohibitum est. Sed quaeritur: *An haec sit exceptio non numeratae pecuniae?* Negat hoc recte *Gl. et Salyc. aliique.* Nam exceptio 6
non numeratae pecuniae tunc locum habet, quando spe numerandae pecuniae data est cautio, quod hic factum non est. Sed hic locum habet 7

8 exceptio doli, quia ex turpi causa factum est mutuum. Et ideo haec exceptio etiam post biennium locum habet, quia non est exceptio
9 non numeratae pecuniae, sed doli, quae perpetua est, *Auctor in l.* 5. *ff. de dol. mal. except. n.* 1. *Glossa hic, et Barbosa* movet hic quaestionem:
10 *An in foro exteriori meretricibus sui quaestus gratia corpus prostituentibus detur actio et retentio, et an in foro conscientiae possit petere, et retinere quod est promissum, vel datum?* plures *DD.*
11 allegat *Barbos. n.* 6. Et quidem *Ulpian. in l.* 4. §. 3. *ff. h. t.* nova ratione statuit, meretricem non turpiter accipere, cum sit meretrix, quasi non insit sordities huic acceptioni, *Auctor in l.* 4. *ff. h. t. n.* 1. non secus, ac si dicerem, latronem non accipere turpiter, quia sit latro, usurarium non
12 accipere turpiter, quia sit usurarius. Sed rectius alii moribus nostris, imo et veterum Romanorum, etiam meretricis turpitudinem hic versari,
13 cum sordes hic interveniant, post *Bald. Jason. et Castr. in d. l.* 4. *Wesenb. in Comm. C. in hoc tit. n.* 9. *Donell. lib.* 14. *c.* 25. *lit. F.* et pro-
14 missam etiam mercedem meretricem petere non posse ob eandem rationem, quod utriusque hic intercedat turpitudo, intrepide statuo *in Commentario meo ad l.* 4. *ff. h. t. n.* 5. *et* 6. cum *Hillig. d. l. Bacch. Disp.* 4. *de Act. th.* 18. *Wesenb. et Zasio ab Hillig. allegatis*, quicquid
15 in contrarium statuant *Covarr. in c. peccatum de R. J. lib.* 6. *pr.* §. 2. *n.* 1. *et* 2. et alii, quos allegat *Hillig. et Barb. dd. ll.* quia frustra quae-
16 reretur, an datum repeti possit, si promissum tantum peti posset, *Auctor in d. l.* 4. *num.* 6.
17 si autem causa turpis expressa in conventione, haec ipso jure nulla, si non est expressa, est valida, sed obstat exceptio, *Salyc. in l.* 2. *C. de his, quae vi metusve etc. Bacch. d. th.* 18.
18 *Auctor in d. l.* 4. *num.* 8. Nota in hac lege probationem non esse referendam ad negativam, pecuniam non esse acceptam, sed ad id, quod ob turpem causam interposita fuerit cautio, *Dn. Jo. Thomae in tr. de Noxa animal. c.* 8. *n.* 2.
19 Quaestionem istam: an etiam meretrix apud Judicem exteriorem petere possit, secuta copula, mercedem sibi ob eam copulam promissam? prolixe ventilavit Auctor *in l.* 4. *ff. h. t. num.* 10. *seqq.* ubi etiam *n.* 10. Covarruviae sententiam statuentis eum, qui cum meretrice publi-
20 ca vel prostibulo rem habuit, absque expressa conventione, a judice cogi debere, ut solvat mercedem venerei usus solvi solitam, improbat.

L. Cum te. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio cum ratione decidendi. 2.
In pari causa melior est causa possidentis. 3.
Ampliatio. 4.
Obst. l. 4. §. 3. ff. h. t. *resolvitur.* 5. 6.
Si turpis causa non est expressa, contractus potest transferre Dominium. 7.
Contractus ob causam impulsivam et finem prohibitus non est ipso jure nullus. 8.
An pignus datum vindicare possit is, qui dedit turpiter? 9.
Affirmatur communiter. 10. 11.
Nemo turpitudinem suam allegare debet. 12.
Reus excipiendo, vel actor replicando potest suam et adversarii turpitudinem allegare, si agat contra alium de lucro certantem. 13.
Exemplum. 14.
Limitationes regulae, num. 12. *propositae remissive adducuntur.* 15.
Scelere quaesita solet Fiscus auferre. 16.

Dedit quidam ob inhonestam causam foeminae domum, quam postea vult repetere quasi turpiter datam. Sed Resp. quia etiam ipsius dantis turpitudo versatur, ideoque in pari causa melior est causa possidentis, *hic et per l. in pari caus.* 128. *ff. de R. J.* aliosque textus allegat *Gl. et Nevizan. cons.* 79. *num.* 27. aliique quos hic allegat *Barb.* et quae allegantur *in Axiom. jur. frequent. Axiom.* 182. *n.* 5. Unde si promissa tantum esset domus, ob eandem rationem peti non posset. Sed obstare videtur *d. l.* 4. §. 3. *ff. h. t.* Si enim meretrix non turpiter accipit ex mente Ulpiani et Justiniani non versatur hic utriusque turpitudo. Sed resp. *hic Sichard. pr.* non hic de foemina meretriciam artem profitente et palam exercente, sed impudica sermonem esse. Sed quaeritur *Quomodo hic contractus, turpem causam habens possit transferre dominium?* Respondeo: si turpitudo non est expressa, potuit transferri dominium, ut distinxi ad *l. praeced.* Deinde distinguit *Sich. hic*, an contractus ob substantiam et formam sit prohibitus, an vero ob causam impulsivam et finem, ut hoc casu prohibitus contractus non sit ipso jure nullus. Sed *an pignus datum vindicare is potest, qui dedit turpiter?* Aff. communiter, quia fundat se super dominio, non turpitudine principaliter. Nam licet nemo turpitudinem suam allegare debeat, *l.* 30. *C. de Transact. Mod: Pist. p.* 4. *qu.* 140. *Viv. l.* 1. *dec.* 67. reus tamen excipiendo, vel actor replicando, potest suam et adversarii turpitudinem allegare, si agat contra alium de lucro certantem, *Sich. hic num.* 7. *et* 8. *Card. Tusch. Concl.* 404. *n.* 74. *lit. T. Axiom. Barb. l.* 18. *tit.* 33. *axiom.* 5. Ergo si dans turpiter vindicaret rem alteri pignoris titulo datam ut suam, et rea exciperet de pignore, actor posset replicando allegare turpitudinem, quamvis ad hunc tit. *Cujac. in fine* non subsistere pignus putet, cum nec Fidejussor subsistat, *Nov.* 14. Plures hujus regulae, turpitudinem suam allegantem non esse audiendum, limitationes videantur apud *Barb. in d. axiom.* 5. *et Schrader. de Feud. p.* 10. *sect.* 20. *num.* 200. *et Klock. cons.* 2. *num.* 56. *vol.* 1. Sed scelere quaesita solet Fiscus auferre, *l.* 9. *in fine ff. de jure Fisci, l.* 5. *ff. de Calumn.. Wesenb. hic num.* 10.

Margin numbers beside the preceding paragraph, in order: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16.

L. Quod evitandi. 3.

SUMMARIA

Quaest. an is, qui dedit aliquid officiali, ne cogatur militare, possit id repetere? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decisio affirmativa cum ratione decidendi. 3.
Donelli *intellectus* h. l. 4.
Veterani non sunt exaequandi tyronibus. 5.
Casus, ubi solius accipientis est turpitudo. 6.
Officialis, qui aliquid extorsit metu potestatis,

praeter accepti restitutionem tenetur etiam ad poenam concussionis. 7.

1 Qui dedit aliquid officiali, ne cogatur militare, Quaeritur: *an id possit repetere?* Videtur
2 quod non, quia et subtrahens se militiae turpiter
3 agit. Sed resp. quod sic, quia hic de eo, qui jure excusatus est, sermo est, et tale crimen concussionis extra ordinem a judice punitur.
4 Rectius forte *Donell. l.* 15. *c.* 39. illam legem intelligit de centurione, qui veterano imponit
5 ea, quae tyronibus conveniunt, cum veterani exaequandi non sint tyronibus. Collige: Ubi est
6 solius accipientis turpitudo, v. g. si dem Officiali, ne me vexet; sic si beneficium Ecclesiasticum legitime acceperim et indebite vexer ab Officiali vel Episcopo, et ipsi dem aliquid, ne me porro pergat vexare, non est Simonia, ut recte *hic. Sich.* et sic datum repeto, quicquid enim sponte et gratis facere debebas, si accepta pecunia facias, turpiter accipis, idem etiam si judici dem, ut maturet judicium, non vero ut pro me judicet etiam in causa justa, *l.* 2. *ff. h. t. Donell. l.* 14. *c.* 25. *et ibi Hillig. lit. C. Bach. in Treutl. V.* 1. *D.* 2. *th.* 3. *lit. F.* De-
7 mum notetur hic: Quod officialis, qui aliquid extorsit metu potestatis, praeter accepti restitutionem teneatur etiam ad poenam concussionis, de qua *Farin. q.* 111. *art.* 3. *Menoch. l.* 2. *A. Q. Casu* 312. *Decian. l.* 8. *c.* 35. *et Ant. Fab. l.* 4. *Cod. h. t. Def.* 1.

L. Quoties. 4.

SUMMARIA

Quando dantis etiam est turpitudo, nulla datur repetitio. num. 1.
Si solius accipientis est turpitudo, usurae etiam non repetuntur. 2.
Ratio. 3.
Limitatio. 4.

1 Quando dantis etiam est turpitudo, nulla datur repetitio per *l.* 2. *ff. h. t. ibique Auctor.*
2 Sed si solius accipientis, quaeritur an etiam
3 usurae repetantur? Negatur quia est stricti juris judicium, in quo usurae non debentur,
4 nisi lite contestata, aliud in fructibus. Vid. *l.* 1. *supra de Cond. indeb.*

L. Mercalem. 5.

SUMMARIA

Casus legis ejusque decisio cum ratione decidendi. num. 1.
Ampliatio. 2.
Consectaria ex h. l. *deducta.* 3.
Questio: An maritus propriam turpitudinem allegans condemnari possit? 4.

1 Maritus de prostituenda uxore certo pretio pactus erat, et acceperat id, repetitio non datur danti, quia utrinsque turpitudo est. Sed si
2 non accepit promissum pretium, non potest petere. quia ita propriam allegaret turpitudinem, scilicet lenocinium, quod fieri non debet. Collige: I. Non esse audiendum eum, qui pro- 3
priam allegat turpitudinem, de qua Regula supra ad *l.* 2. Collige II. ex textu cum *Salyc. hic*: Promissum marito causa lenocinii uxoris, non posse ab eo exigi, sicut nec ei solutum potest repeti. III. Collige cum *Baldo et Salyc.* Qui excludit seipsum proponendo, seu memorat talem exceptionem, quae ipsum potest repellere, hunc a judice ex officio esse repellendum, et sic non debet judex compellere reum, ut ad libellum respondeat, quando ex ipso libello apparet exceptio. Quaerunt autem *hic DD. An possit maritus ex ista confessione condemnari?* 4
Resp. *Bl. Salyc. et alii* Negative, quia non est judicium criminale, sed civile. Sed ansam praeberet haec confessio ad inquirendum.

L. Ob restituenda. 6.

SUMMARIA

Si fur pecuniam accepit, ut subtracta restituat, id accepit ex turpi causa, et tenetur restituere. num. 1.
Regula ex hac l. *deducta.* 2.
Exemplum. 3.
Limitatio. 4.
Ratio ejusdem. 5.

Cum accipis propter causam, ad quam jure 1
tenebaris, id accipis turpi ex causa, et teneris restituere, ideoque si fur pecuniam accipiat, ut restituat subtracta, tenetur condictione ob turpem causam. Unde Regula confirmatur: Quicquid gratis facere debebas, si pecuniam 2
extorqueas, id turpiter accepisse, et ad restituendum teneri, v. g. si dem, ut a maleficio 3
abstineas, hoc mihi probro quidem non est, quia licet praemio illos a maleficio deflectere, qui alias amore virtutis et honestatis aut poenarum metu non deterrentur, *l.* 1. §. 1. *ibi*, exhortatione praemiorum, *ff. de justitia et jure.* Sed licet etiam judex in causa justa juste 4
pronunciare debeat, et sic turpiter accipiat, nihilominus tamen pars justitiam causae habens, si aliquid dederit judici, ut juste judicaret, non potest repetere, quia res est mali exempli, *l.* 2. §. *ult. ff. h. t.* Nam licet in hac causa non cor- 5
rumpam judicem, tamen animum ipsius corrumpo, dum eum accipiendis muneribus et vendendis sententiis adsuefacio, *Donell. et ibi Hillig. d. l.* 14. *c.* 25. *Lit. C. Bacch. d. D.* 22. *th.* 3. *Lit. C.*

L. Eum. ult.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Fur etiam eorum, quae casu fortuito amissa et deperdita, aestimationem praestare tenetur. 2.
Fur semper in mora esse praesumitur. 3.
Ampliatio. 4.
DD. quorundam sententia adducitur. 5.

Idem dicitur de Abactore Pecorum, et addi- 1
tur hic, hunc etiam teneri de iis, quae fortuito

casu mortua sunt, cum committat moram in re, id est, sine ulla denunciatione, vel interpellatione, ex solo tempore tardae solutionis vel restitutionis, *l.* 8. §. 1. *et l. ult. ff. de Cond. furt. l.* 19. *de vi arm.* ideoque hi a tempore delicti in mora sunt, ergo periculum est illo-
2 rum, per *l. quod te* 5. *ff. de Reb. Cred.* Ergo Fur etiam eorum, quae casu fortuito amissa et deperdita, aestimationem praestare tenetur, quia
3 fur semper in mora esse praesumitur, et ideo furi semper perit, *l. in re furtiva* 8. *ff. de Condict. furt.* nisi moram purgaverit per oblationem voluntariam justo tempore locoque factam, *Cludius in Tr. de Condict. Furt. cap.* 11. Sed etiam aestimationem eam tenetur sol- 4
vere fur, quo tempore maximi fuit, per *d. l.* 8. quod *Ant. Fab. l.* 16. *Conject. cap.* 11. ad tempus, quod litem contestatam sequitur, vult restringere. Sed contra *Bacchov. de Act. D.* 4. 5
th. 20. *Lit. B. et in Treutl. d.* 22. *th. fin. Lit. G.* quod tamen temperat *Covar. in c. peccatum p.* 2. §. 6. *num.* 2. scilicet ut locum habeat, si dominus eo tempore, quo res pluris potuit vendi, rem fuisset venditurus.

TITULUS VIII.

De Condictione Furtiva.

L. Praeses. 1.

SUMMARIA

Quando agitur contra multos actione furti, singuli in solidum tenentur. num. 1.
Secus est, si agatur condictione furtiva. 2.
Regulae ex h. l. *deductae.* 3.
Condictio furtiva est rei persecutoria, et datur contra haeredem in solidum. 4.

1 Quando agitur contra multos, (scilicet si ut multi, non si ut Collegium vel corpus peccarunt, v. g. Familia, Senatus, Civitas, *l. si familia* 9. *ff. de jurisdict.*) actione furti, tunc singuli tenentur in solidum, nec si unus poenam dupli solvat, reliqui liberantur, quia quisque sui delicti poenam solvit; si vero agatur
2 Condictione Furtiva, quia haec est rei persecutoria, et unum bis restitui nequit, *l. bona fides* 57. *ff. de R. J.* ideoque omnes quidem tenentur in solidum, nec habent beneficium divisionis, sed unius solutione caeteri liberantur, ita ut nec solvens contra illos regressum habeat, *Auctor in l.* 6. *ff. h. t. num.* 1. *et* 2.
3 Collige I. ex textu: Fures plures, quia singuli deliquerunt, singulos etiam teneri actione poenali, nec solutione ab uno facta liberari alios, *hic, et l. vulgaris* 21. §. *si duo* 9. *ff. de Furtis, Boër. dec.* 310. *num.* 4. *Covar. in Clement. Si furiosus tit. de Homicid. p.* 2. §. 2. *num.* 3. *Carpz. Pr. Crim. Q.* 78. *num.* 34. ubi tamen ut et *num.* 73. dicit, hoc non habere locum in suspendio seu poena corporali. Collige II. Quod si plures teneantur quidem ex delicto, sed ad rem vel ad interesse, et non ad poenam, solutione ab uno facta liberari alios, sicut hic solutione interesse facta ab uno, qui conveniebatur condictione furtiva, caeteri liberantur, *Gomez t.* 3. *cap.* 1. *num.* 88. vers. *ex quo infertur. Baldus hic* putat, si ex quasi delicto vel per statutum ex non facto plures teneantur ad poenam, unius solutione caeteros liberari, licet ad poenam teneantur, quod suo lo-
4 co relinquo. III. Collige: Condictionem Furtivam esse rei persecutoriam, unde fluit etiam, eam contra haeredem (qui scil. unicus est haeres) dari in solidum, non quantum ad eum pervenit, §. *ult. Inst. de oblig. ex delict.* quod ex *l. in Condictione* 9. *ff. h. t.* probant *Cludius in Tr. de Cond. Furt. c.* 44. *Bacchov. in notis ad Wesenb. num.* 7. *et in Treutl. d. D.* 22. *th.* 13. *Lit. D. Gomez d. l. num.* 85. *Virgil. Pingizer. q.* 49. *num.* 51. *Auctor in l.* 9. *ff. h. t. num.* 1.

L. Ante oblationem. ult.

SUMMARIA

Fur semper est in mora, ideoque si res surrepta casu pereat, periculum est furis. num. 1.
Limitatio. 2.
Consectaria ex h. l. 3. 4.

Quia Fur semper in mora, per *l. ult. tit. praeced. ibique Auctor*, ideoque si res surrepta 1
casu pereat, periculum est furis, nisi offerendo 2
eam purget moram, quo casu si dominus accipere nolit, ipse est in mora et in periculo, *Auctor in l.* 8. *ff. h. t. num.* 1. *et* 6. Collige: I. Furem semper in mora videri ante oblatio- 3
nem. II. Licet Furtiva res perierit casu, tamen furem teneri ad aestimationem rei, quando convenitur condictione furtiva, et quidem quanti plurimi fuit, et licet expensis furis sit melior facta, has tamen expensas non esse restituendas furi, sed tantum necessarias, hae ipsae tamen necessariae expensae cum interesse eo, quod ob carentiam rei praetendit Dominus, pro concurrente quantitate compensandae, et sic v. g. res non tantum cum incremento intrinseco, v. g. vaccae aestimatio cum vituli interim nati aestimatione, sed etiam quanto carius jam aestimari possit ob augmentum labore et impensa furis restituenda, quod accessit, per *l. ex argento* 13. *ff. h. t. l. pen. ff. Rerum amot.* Vid. *Garcias de Expens. Cap.* 2. *num.* 12. *Covarr. in c. peccatum p.* 2. §. 6. *num.* 3. *Petrus Barbos. in l. divortio* 8. §. *fin. p.* 1. *num.* 63. *Fagundez. ad* 7. *praecept. decal. l.* 7. *c.* 15. *n.* 1. *et seq.* et praecipue *num.* 4. qui ibidem tractat, quid in foro conscientiae. III. Colligitur: 4
Quia dominus post oblationem rei oblatae a fure factam, si nolit accipere, constituitur in mora, semper ultimam moram nocere etiam in delictis, *l.* 17. *ff. de Periculo et commodo Rei venditae. Card. Tusch. Concl.* 327. *Lit. M. Sig. Scaccia de commerc. gl.* 6. *num.* 13. *et Axiom. Barb. lucup. l.* 11. *c.* 48. *num.* 17.

TITULUS IX.

De Condictione ex Lege, et sine Causa, vel Injusta Causa.

L. Licet. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Decisio cum ratione dubitandi et decidendi. 3.
Quandoque debitor etiam ante tempus conveniri potest. 4.
Privilegium Fisci. 5.
Quod non habet locum extra casum necessitatis. 6.
Vitanda est legum correctio. 7.
Extenditur privilegium ad alios. 8.
DD. *notantur.* 9.
Causa primipilaris prae fisco habet quaedam singularia. 10.
Si creditor ante diem petat, oblato interusurio temporis, audiendus non est. 11.
Extensio h. l. 12.

1 Debitor Fisci non est solvendo, id ut constet,
prius ille exeuti debet, sed debitori alius debet
centum, verum tempus solutionis nondum ve-
2 nit, Quaeritur: *An Fiscus ob necessitatem suam,
quae praesumitur, debitoris sui debitum ante
tempus exigere possit?* quod per *hanc l.* ex
3 privilegio conceditur. Ratio dubitandi in *pr. le-
gis,* quod ante tempus debita exigi non possint:
ratio decidendi in fine, quod Fisci ob necessi-
tates publicas potior esse debeat causa, interu-
surium temporis tamen intermedii remitten-
dum; quia autem hoc privilegium Fisco ob ne-
cessitatem datur, hinc concludunt nonnulli,
4 privatis etiam licere ante tempus suum debito-
rem convenire, quando ille molitur fugam, *arg.
l.* 6. *ff. ex quibus causis in poss.* idem si noto-
rie labatur facultatibus, vel dilapidet bona, tunc
etiam ante diem capi, et ad cautionem praestan-
dam compelli potest, *l.* 41. *ff. de judiciis, Cole-
rus. de Process. Execut. p.* 3. *c.* 3. *num.* 106.
Hilliger. in Donell. l. 15. c. 8. *lit. A.* vel si
constituto tempore usurae non solvantur, pu-
tant ante tempus conventum sortem repeti pos-
se per *l. qui in futurum* 37. *ff. de pactis tra-
dit Georg. Schultz. de oblat. c.* 4. *num.* 25. No-
5 tetur ex *hac l.* Privilegium Fisci, quod possit
exigente necessitate publica debitoris sui debito-
res executere etiam ante tempus, soluto tamen
interusurio temporis intermedii, *Peregrinus de
jure Fisci lib.* 6. *tit.* 7. *num.* 21. *Surdus de Alim.
tit.* 8. *Privil.* 77. *num.* 9. et quos *hic Barbosa*
allegat. Sed Quaeritur; *An hoc Privilegium Fi-
scus possit praetendere extra casum necessitatis?*
6 Et videtur quod non, *ob. l. justas C. de jure
Fisci lib.* 10. et ita puto tutissime dici, extra casum
necessitatis *hanc legem* non habere locum, quia
7 fundat se haec lex super necessitate, et vitan-
da est legum correctio, et ipsa aequitas favet
huic restitutioni, *Roder Suarez, in rep. l. post
rem judicatam ff. de Re judic. lib.* 7. *num.* 7. et
ex hac lege deducit *Bl. et Hippolitus de Marsil.
sing.* 355. Emptores Gabellarum teneri immi- 8
nente Reipubl. utilitate pretium ante tempus
numerare, restituto interusurio temporis. Et
procul dubio ex hac lege traxit originem, quod
contractores vectigalium non tantum, sed et
Quaestores soleant interdum compelli, ut cer-
tam quantitatem Principi praenumerent, immi-
nente aliqua necessitate Reipubl. Haec ita *DD.* 9
liberalissime contendunt. Sed vereor ne haec la-
tius extendantur, contra propositum Justiniani;
nam de primipilo hic tantum quaestionem esse, ex
litera patet, et solet causa primipilaris prae Fi- 10
sco habere singularia quaedam, quae recenset
Petr. Barb. ad l. 1. *p.* 7. *num.* 1. *ff. Sol. Matr.*
Sed quia communiter ita *DD.* extendunt hanc le-
gem, non est ut divertamur ab hoc intellectu legis
communiter recepto. Interim obiter observes:
Si creditor, cui in diem aliquis debet, vellet 11
ante diem petere oblato interusurio temporis,
licet non videatur plus tempore petere, audien-
dum tamen eum non esse, quia hoc speciale
est in primipilo, et juxta intellectum Doctorum
in Fisco; quamvis in Fidejussorem, labente 12
facultatibus debitore, hanc legem ex aequitate
transferat *Hering. de Fidejuss. c.* 20. §. 15. *num* 32.

L. Dissolutae. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio cum ratione dubitandi et decidendi. 2.
Alia quaestio. 3.
Tutissimum est chirographum simul et apocham petere. 4.
Quid juris, quando creditor chirographum restituere non potest. 5.
Judicis factum pro facto partis habetur. 6.

Debitor dedit Instrumentum obligationis cre- 1
ditori, sed postea successu temporis solvit debi-
tor, creditor se excusat, quod Chirographum
non habeat ad manus, ut dici solet, se velle
id quaerere, et restituere; interim se dare vel-
le apocham super solutione; Quaeritur, si
debitor videat posse creditorem restituere Chi-
rographum, an non possit compellere eum per
aliquam actionem? Et possit videri quod non, 2
quia satis cautum esse potest per apocham; sed
affirmatur hic, quod detur contra creditorem
condictio sine causa, qua debitor dicit, sine cau-
sa Chirographum vel instrumentum debiti esse
penes creditorem, cum debitum sit solutum.
Vid. *Vult. l.* 2. *Jurispr. c.* 8. *Treutl. Vol.* 1. *Di-
sp.* 22. *th.* 11. *Lit. C.* ratio legis manifesta est,
quia apochae facile amitti possunt, et possit cre-
ditor ex istrumento agere, quia praesumptio est
pro creditore penes quem Chirographum repe-

3 ritur. Sed quaeritur, si Creditor reddere Chirographum paratus, sed apocham super solutione dare renuat? Et Creditorem apocham simul dare debere in *Comm. C. h. t.* dicit *Wesenb. num.* 13. nam posset creditor testibus probare debitum, et licet istrumenti redditio faciat aliquam praesumptionem solutionis, *Menoch. de praesumpt. l.* 1. *Q.* 18. posset tamen negare creditor redditum a se Chirographum, ideoque tu-
4 tissima via videtur Chirographum simul et apo-
5 cham petere. Sed quid si creditor chirographum restituere non possit, v. g. Titius credidit tibi, ego Titio, et ago per arestum contra te, ceu debitoris debitorem, tu compelleris ad solutionem justificato aresto, sed petis tibi reddi chirographum, quod dedisti Titio; Sed in manibus id non est meis, ergo possum petere a judice, ut judicialiter mortificetur, est quod instar liberationis a creditore factae: factum enim judicis
6 pro facto partis habetur, *Dn. Mev. p.* 6. *dec.* 94.

L. Mala fide. 3.

SUMMARIA

Malae fidei possessor, si res evincatur, non tantum rem, sed etiam fructus tenetur restituere. num. 1.
Differentia tamen est inter fructus consumptos et extantes, quoad actionem. 2.
Etiam b. f. possessor fructus nondum consumptos restituere tenetur. 3.

1 Malae fidei possessor, si res evincatur, non tantum rem, sed etiam fructus omnes restituere tenetur, per *l. certum* 22. *C. de R. V.* Extan-
2 tes repetuntur Rei Vindicatione, consumpti vero, quia qua tales vindicari non possunt, per Condict. sine causa juste repeti possunt. Sed de Malae fidei possessore supra *in d. l. certum* satis
3 actum. Sed etsi bonae fidei possessor quis sit, si tamen bona fide fructus perceperit, eosque nondum consumpserit, factus est quidem eorum dominus, per *l.* 48. *ff. de Acquir. Rer. Domin.* sed condici possunt fructus a bonae fidei possessore percepti nondum consumpti, *Struv. Syntagm. juris civ. Exerc.* 41. *th.* 52. Nam probato non jure possessoris, id est, quod injuste possideat, sine causa apud bonae fidei possessorem esse videntur, *Bacch. in Treutl. d. D. th.* 11. *Lit. C. Wesenb. in comm. C. h. t. num.* 8. *et* 14.

L. Si non est numeratum. ult.

SUMMARIA

Casus ubi locum habet exceptio non numeratae pecuniae. num. 1.
Potest etiam in hoc casu istrumenti condictio sine causa institui. 2.
Condictiones sunt rei persecutoriae atque perpetuae, excepta condictione ex h. l. 3.
Quandoque tamen et haec est perpetua. 4.

Quando spe futurae numerationis data est cautio vel Chirographum, et numeratio non est secuta, tunc datur Exceptio non numeratae pecuniae intra biennium. Sed si creditor non agat ex Chirographo, Quaeritur *An possit is, qui dedit, instrumenti condictionem sine causa instituere?* Quod Affirm. quia instrumentum debiti sine causa penes creditorem est, cum pecunia nulla numerata sit. Et quamvis alias condictiones sint persecutoriae et ita perpetuae, haec tamen condictio biennalis est, per *hanc legem*, quia in locum dictae exceptionis surrogata, *argum. l.* 7. *C. de non num. pecun. Oldend. classe* 6. *act.* 5. quod *Auctor Collegii Argent. th.* 4. ita intelligit, si instituatur haec actio cum privilegio exceptionis non numeratae pecuniae, id est, si velit onus probandi (solutam esse illam pecuniam) derivare in creditorem; alias vero, si velit onus probandi in se suscipere, perpetua erit actio. De formula libelli condictionis hujus vid. *Oldendorpius d. l. in fine, Wesenb. in Comm. C. h. t. num.* 15. *et seq.*

(Marginal numbers in right margin of this paragraph: 1, 2, 3, 4)

TITULUS X.

De Obligationibus et Actionibus.

L. Data. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Mulieri succurritur per SCtum Vellejanum, si se pro alio obligat. 3.
Mandatum factum procuratori in rem suam seu cessio nominis, non finitur morte mandantis nec mandatarii. 4.
Directa actio cum actione utili facta cessione, potest concurrere. 5.
Differentia inter actionem directam et utilem. 6.
Licet cedens moriatur lite contestata a cessionario, non tamen extinguitur mandatum. 7.

Valeria pro Titio debitore Creditori Sempronio solvit; cessis sibi a Creditore actionibus seu mandatis, et ita solvit pretium emptae actionis, *Cujac. lib.* 2. *obs.* 31. Antequam autem Titius litem contestaretur et sic re integra, Creditor, qui mandaverat actiones, moritur, nullo relicto haerede, ideoque expirat mandatum, *l.* 23. *C. de Procur.* nec competit actio directa. Nam si creditor haeredem habuisset, haeres debuisset fidem implere defuncti, et deberet in eodem mandato perseverare; Superest tamen Valeriae actio utilis, quae etiam competeret empta actione. Collige I. ex textu: Mulieri succurrere SCtum Vellejanum, si se pro alio obliget, non si pro alio solvat, *l.* 4. *in fin. l.* 5. *ff. de SCto Vellej. Cujac. tom.* 3. *in hanc l. p.* 281. Mandatum factum

procuratori in rem suam seu cessionem nominis, non finiri morte mandantis, nec mandatarii, sed haeredem etiam obligari, et in haeredem transire cessionem, secus si haredem non reliquerit, *Cujac. d. l. Jo. a Sande de Cessionib. c. ult. num.* 2. *Auctor in l.* 26. *ff. man-*
5 *dati. numer.* 2. III. Directam actionem, cum actione utili, facta cessione, posse concurrere. Licet enim communiter putent, directa actione ceu digniore tolli utilem tanquam minorem, *argum. l.* 13. *ff. de Duobus Reis,* ita ut utilis in subsidium competat, hanc tamen opinionem rejicit *Jo. a Sande in tr. de Cessionib. Cap.* 8. *n.* 22. per *l.* 55. *ff. de Procur. Auctor in l.* 11. *ff. de praescript. verb.* cui addo textum *in l.* 5. *C. de Haered. vendit. et l.* 7. *d. t. et Franc. Caldas in tr. de Empt. c.* 24. *num.* 27. nixus ipsa *h. l.* 1. quam caeteri pro se adducunt. Nam hic actio cessa directa, nec tamen directa sustulit utilem, alioquin cessionarius directa actione cessa et hac extincta non potuisset utili postea uti.
6 Fusius *hic DD.* agunt de actione directa et utili; illa est ipsa actio, quam habebat cedens, qui exercitium suae actionis in utilitatem cessionarii huic cessit. Utilis autem non ex cessione, sed ex contractu praecedente datur beneficio Imperatoris Divi Pii. Nam cum vendito nomine et venditore mortuo nemo esset, qui mihi posset, ut ita loquar, tradere actionis exercitium, Pius Imperator dedit actionem utilem etiam sine cessione, vel cessione extincta, ut *hic.* IV.
7 Licet cedens moriatur, lite contestata a Cessionario, non extingui mandatum, quia non est amplius res integra post litem contestatam, sed cessionarius seu procurator in rem suam dominus litis factus est, *argum. l.* 22. *C. de Procurat. Cujac. d. l.*

L. Nominibus. 2.

SUMMARIA

Non solum res corporalis vendita debet tradi, sed etiam actio seu nomen venditum quasi tradi debet, ut transferatur dominium. num. 1.

Emptor nominis etiam sine cessione actionem utilem habet. 2.

Ampliatio. 3.

Verius est generaliter ex omni causa, ex qua alias jure communi dominium transfertur, accedente traditione, actionem utilem beneficio Imper. sine cessione competere. 4.

Jure novo etiam ex causa lucrativa actio utilis concessa est. 5.

Ad leges contrarias respondetur. 6.

1 Sicut ei, qui rem corporalem vendit, necesse est, si velit transferre Dominium, eam etiam tradat, *l.* 20. *C. de Pact.* ita quoque qui Nomen seu actionem vendit, debet id etiam quasi tradere, id est, cedere sive mandare. Sed quia Venditores Nominum saepe sine haerede moriuntur, ideoque in actionibus introductum est,
2 ut Emptor nominis etiam sine cessione actionem utilem habeat ad venditionis exemplum;
3 idem statuitur hic in datione dotis, si nomen mihi in dotem detur. Sic etiam idem in donato nomine, *l.* 33. *C. de Donat.* vel Legato, *l.* 18. *C. de Legat.* vel pignori dato, *l.* 20. *ff. de Pignoribus,* et ideo hoc ad has species nonnulli restringere videntur. Alii vero distinguunt inter contractus nominatos et innominatos. Vid. *Trentacinq. l.* 3. *Resol. tit. de Solut. Resol.* 13. *num.* 7. *et. seq.* Sed verius est, generaliter ex omni 4
causa, ex qua alias jure communi dominium transferri solet, accedente traditione, actionem utilem beneficio Imperatoris sine cessione seu mandato competere, praesertim jure novo, quo 5
utilis actio etiam ex causa lucrativa concessa est, per *d. l.* 18. *C. de Legat. et d. l.* 33. *C. de Donat.* multo magis ergo in causis onerosis, et specialitatis ratio nulla reddi potest, et accedit *l.* 1. *§.* 13. *ff. de Tutelae et rat. distrah.* adeoque le- 6
ges, quae non nisi per cessionem seu mandatum in aliis casibus actionem alicui competere aiunt, vel de jure veteri agunt, ut *l.* 5. *ff. de Pecul.* vel de actionibus directis, ut *l.* 3. *ff. pro Socio. Joan. a Sande d. tr. c.* 8. *Franc. de Caldas d. tr. de Empt. Cap.* 24. *num.* 15. *in fine et num, seq.* Et sic non erit opus, Nomen in solutionem dotis datum quasi pro vendito accipere, ut interpretari vult, praesupponens communem illam sententiam, *Petrus Barbos. in l. aestimatis* 51. *num.* 8. *ff. Solut. Matrim.*

L. Ob causam. 3.

SUMMARIA

Ob debitum locatoris seu domini non potest conveniri conductor. num. 1.

Limitatio. 2.

Debitor debitoris mei non potest conveniri a me. 3.

Quandoque conductor a locatoris creditore conveniri potest. 4.

Ob debitum Locatoris seu domini non potest 1
conveniri conductor, quia est obligatio personalis si scilicet pensiones solvat conventas. Si tamen esset obligatio realis, et dominus absens, 2
potest conductor compelli, v. g. ut reficiat viam, et postea hoc domino imputabit. Collige: I. De- 3
bitorem debitoris mei non posse conveniri a me, de quo infra peculiari titulo *Quando Fiscus etc.* II. posse Conductorem a locatoris creditore 4
conveniri, si locator condemnatus prius sit, *l.* 2. et 3. *infra, Quando Fiscus vel privatus etc.* quod hic probari potest ex verbis, *Pensionibus ex placito satisfacientes,* a contrario sensu, ergo si pensiones debeat, potest conveniri, condemnato prius locatore.

L. Bonam fidem. 4.

SUMMARIA

Si dolus commissus dedit causam contractui b. f. ipso jure contractus est nullus. num. 1.

Secus est in contractibus stricti juris. 2.

Dolus incidens in contractibus b. f. purgatur actione ex contractu. 3.

In contractibus vero stricti juris per actionem vel exceptionem doli. 4.

In Contractibus considerari debet, num b. f. 1
fuerit adhibita, tam in contractus celebratione,

quam consummatione. Si vero dolus commissus sit, et quidem causam dans contractui b. f. est ipso jure contractus nullus, per *l. et eleganter 7. pr. ff. de Dolo, Auctor in d. l. 7. ff. de dol. num. 2. et Struv. Syntagm. jur. civil. Exerc.* 8.
2 *th.* 27. *ubi plures allegat auctores.* In Contractibus stricti juris est contractus validus, sed datur actio doli vel Exceptio, *Auctor in d. l.*
3 7. *ff. de dolo num.* 9. Si vero dolus incidens, tunc hic in contractibus bonae fidei purgatur actione ex contractu, v. g. actione Empti, *l. Julianus* 12. §. 1. *ff. de Act. Empt. Idem Struv.*
4 *th.* 33. In Contract. juris stricti, purgatur per Exceptionem vel actionem Doli. Conf. *Gail. l.* 2. *Obs.* 2. *Dn. Carpz. p.* 2. *Jurisp. Const.* 34. *Def.* 9. *Bacchov. in Treutl. Vol.* 1. *D.* 20. *th.* 2. *Lit. F. et DD. communiter. Idem Struv. th.* 32. *et Auctor in d. l.* 7. *ff.* de dolo *num.* 9.

L. Sicut initio. 5.

SUMMARIA

Contractus ab initio sunt voluntatis. num. 1.
Limitatio. 2.
In Contractibus innominatis ille, qui a sua parte implevit contractum, potest resilire a contractu, si alter non implevit. 3.
Limitatio. 4.
Ad contrahendum nemo potest compelli. 5.
Contractus simul initus est necessitatis. 6.
Quae regula locum habet tantum in iis contractibus, in quibus ad perseverantiam obligatio contracta fuit. 7.
Lex vel statutum, ubi in contractum transiit, revocari non potest. 8.
Ampliatio ulterior. 9.
Ad cessionem bonorum regula h. l. *accomodari nequit.* 10.

1 Contractus initio sunt voluntatis, cum ad contrahendum nemo cogi possit, *hic, et l. invitum* 11. *C. de Contrah. Emption. l. nec emere* 16.
2 *C. de jure delib.* nisi publica necessitas aut utilitas aliud suadeat, sed postquam contractum est, jam illud, quod initio voluntatis, fit ne-
3 cessitatis. Sane in contractibus innominatis receptum, ut ille, qui a sua parte implevit contractum, si alter nondum implevit, a contractu resilire possit, *l.* 5. §. 2. *l.* 6. *pr. ff. de condict. causa dat. causa non secuta, Mantica de Tac. et Amb. Convent. lib.* 1. *tit.* 8. *num.* 13. *Molina de J. et J. Tr.* 2. *d.* 258. *num.* 3. nisi
4 stipulatio concurrat, *l.* 7. *ff. de rerum permut.* (quam tamen non praesumi ex verbis, *Promisit permutare*, tradit *hic Baldus num.* 5. immerito reprehensus *a Salyceto hic in fine*) vel nisi transactio concurrat, *l.* 39. *C. de Transact. Mantica d. l. num.* 37. *et* 39. nisi etiam ad piam causam quid sit datum, per *l. si ego* §. 1. *ff. de jure dot. c. verum X. de condict. appos. Tiraquell. Priv. piae causae* 33. *Mantica d. l. num.* 23. Collige igitur ex textu celebres illas duas regu-
5 las: I. Ad contrahendum neminem compelli posse. II. Contractum esse ab initio voluntatis, po-
6 stea vero, postquam semel initus est, esse necessitatis, ut ab eo invito altero recedere non liceat, sicut hanc regulam tractant allegati *a Barbos. hic num.* 4. et in *Axiom. Barbosae locupletatis lib.* 3. *cap.* 62. *axiom.* 25. Sed cum hoc videatur pugnare, quod in quibusdam casibus datur poenitentia etiam in contractibus nominatis, ut in societate, mandato, Deposito, in quibus uni licet poenitere, ideoque *DD.* nonnulli in his exceptionem statuunt, sed *Bart. hic* negat regulam fallere, nam in istis exemplis valet etiam regula, postquam ille qui renunciare vult, est obligatus ad aliquid alteri, v. g. mandatarius non potest renunciare, postquam est obligatus. Sed melius, ut puto. *Salyc.* qui 7
dicit hanc regulam habere locum tantum in iis contractibus, in quibus ad perseverantiam obligatio contracta fuit, nam tunc poenitentiae locus non est, quamdiu perseverantia durare debet etc. Colligunt, etiam alii ex *h. l.* legem vel 8
statutum, ubi in contractum transiit, revocari non posse, *Hippolyt. de Marsil. sing.* 333. *in fine.* Hanc regulam ad judicialia etiam accom- 9
modant (nam in judiciis quasi contrahitur) *Dn. Carpz. p.* 1. *Jurispr. Const.* 11. *D.* 1. *et Const.* 14. *Def.* 15. Ad cessionem bonorum re- 10
gula hujus legis accommodari nequit, quia qui cessit bonis, licet creditores acceptaverint, eandem, potest revocare cessionem, quia cessio bonorum non est actus obligatorius, arg. *l. legis C. qui bonis cedere*, sed beneficium a lege debitori concessum, *Cephalus cons.* 193. *num* 5. *et seq.*

L. Si in solutum. 6. Et L. Si a creditore. 7.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Decisio. 3.
Quicquid juris habet cedens, id etiam habet cessionarius. 4.
Alia quaestio. 5.
Decisio cum ratione decidendi. 6.
Cessa actione aliqua, cessae videntur etiam actiones accessoriae. 7.
Limitatio. 8.
Mulier privilegium simul cessura constituat simplicem procuratorem. 9.
Facta cessione a pupillo privilegium pupilli personale cessum non videtur. 10.
Hypotheca sive tacite, sive expresse per cessionem translata cum sua causa transit. 11.
Duae exceptiones, per quas actio hypothecaria elidi potest. 12.

Dedi tibi in solutum, juxta *l.* 6. vel vendidi 1
tibi juxta *l.* 7. nomen, hoc est centum, quae debet mihi Titius, pro illo nomine obligata erant duo praedia, Quaeritur: *An licet non ces-* 2
serim hypothecam, tamen actionem hypothecariam habeas contra possessores praediorum? Quod affirm. quia cesso nomine omne id vide- 3
tur translatum, quicquid juris ego habebam; et quicquid juris habet cedens, id etiam habet ces- 4
sionarius, v. g. Fidejussorem. Sed alterum praedium prius erat alii obligatum, et ab eo jure pignoris distractum. Quaeritur: *An is contra eum,* 5
cui prior creditor vendidit, habeat actionem? Resp. quod non, quia transtulit cum omni causa, Ergo 6

quia ego non habui jus prioritatis, non potui id transferre. Colligitur I. ex Legibus duabus: Quod
7 cessa Actione aliqua cessae videantur etiam actiones accessoriae, v. g. actio contra Fidejussores, *arg. l. 2. infra Per quas personas. Sich. in l. 6. num. 5. h. t.* et actiones hypothecariae seu Reales, sive sit hypotheca generalis, sive specialis *Boer. Dec.* 335. *num.* 1. et sic una cum cessa personali actione, et tacite cesso jure hypothecae, tacite cessum etiam videtur jus distrahendi, *d. l. 7. h. t. Neguzant. de Pignor.*
8 *p. 6. memb. 1. num.* 19. Sed non videntur jura Personalia cessa, ut Privilegium viduae competens ratione dotis, ut etiam prioribus hypothecis praeferatur, Personale est, et ita cessionario non competit, *Jo. a Sande d. Tr. de Cess. c. 9. num. 9. Nicol. Noalis in Tr. de Transm. cas. 3. num. 21. Petrus Barbos. in l. qui tale 14. ff. Sol. Matr. num.* 21. Quamvis autem *DD.* quidam post *Bartolum* distinguant inter voluntariam et necessariam Cessionem, ut in illa non transferantur personalia privilegia, sed in hac, *Afflict. dec.* 306. *num.* 7. *Anton. de Padilla in Auth. res quae C. Comm. de Legatis num.* 107. *plures citans*, videtur tamen sententia illa impugnari posse per *l. ex pluribus* 43. *ff. de Admin. Tut.* quia ibi fuit cessio necessaria, *Petr. Barb. in l. post dotem* 41. *num.* 58. *ff. Sol. Matr.* Alii *DD.* distinguunt, utrum mulier, dotale nomen quae cessit, vivat, an vero mortua sit, ut illo casu privilegio personali cessionarius, directa actione utens, uti possit, non hoc, *Alex. in Tartag. d. l. post dotem num.* 32. *seqq.* de
9 quo tamen dubito. Securior cautela est, ut mulier privilegium simul cessura, constituat simplicem procuratorem, non in rem suam, *Joan. a Sande d. Tr. c. 9. num.* 15. Sic facta
10 cessione a Pupillo, privilegium tamen pupilli personale cessum non videtur, *l. ex pluribus* 43. *et ibi Gl. et DD. ff. de Admin. Tut.* et ibi *Cujac.* Si etiam vidua suam actionem cedat, non videtur cessum privilegium, *tit. C. quando Imp. inter pupillos etc. Salyc. in l. per diversas C.*
11 *Mandat. n.* 17. II. Collige: Hypothecam quando illa sive tacite sive expresse per cessionem transfertur, semper transire cum sua causa, v. g. quando quis habet prius jus, ille etiam
12 me praecedit, *Sich. hic in fine.* Collige III. Duas exceptiones, per quas actio hypotecaria elidi possit: 1. si Possessor hypothecae habeat jus prius vel antiquius. 2. Si possederit annis decem inter praesentes, vel viginti inter absentes, ut est *gl. hic notabilis in l. 7. Lit. K. Corvinus in C. t. de Praescript.* 30. *annorum, et ibi Perez. num.* 5. Sane si ipse debitor possideat, aut ejus haeres, quadraginta demum annis praescribitur, infra *l. 7. C. d. t. de Praescript.* 30. *an.*

L. Si quidem. 8.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Decisio cum ratione decidendi et resolutione l. contrariae. 3.
Limitatio. 4.
Contra procuratorem, cui mandatum est, ut mihi solveret, nulla datur actio. 5.
Donatio perfecta non revocatur, licet sperata remuneratio non sequatur. 6.
Mandatum finitur morte, si res est integra. 7.

Dedi Titio nomen affectione et animo donandi, 1
ille, ut remuneraretur me, jussit procuratorem suum, ut mihi numeraret triginta, sed antequam Procurator exequeretur mandatum, moritur Titius; Quaeritur: *An possim petere illa* 2
30. *a procuratore?* Resp. Quod non, quia prior 3
donatio perfecta est, haec posterior non, nam morte mandantis solvitur mandatum, *hic, et* §. 10. *Inst. de Mandat.* Nec obstat *l. illam* 33. *C. de Donat.* quia illa loquitur de Procuratore in rem suam et actione cessa, et sic haec lex non est correcta per *d. l.* ut putat *Gothofred.* quam refutat *Bacchov. in Not. ad Wesenb. de Donat. num. ult.* Aliud autem esset, si 4
mutuo dedissem illud Nomen, et Titius Procuratori mandasset mihi solvi, quia tunc cum haerede recte agitur, nisi novandi animo a delegato, id est procuratore stipulatus essem, nam tunc mutuum in alium contractum transiret. Collige: I. Quando mandasti Procuratori 5
tuo, ut mihi solveret, me nullam habere actionem contra Procuratorem, quia nulla mihi fuit actio cessa, ut *in l. illam. C. de Donat.* et ne utilis quidem actio in Procuratorem competit, cum donatio imperfecta sit, et donatio nulla intercesserit stipulationis jure, et ideo nec nulla actio ex stipulatu contra Procuratorem datur, citra delegationem, *Cujac. hic.* II. Donationem perfectam non revocari, li- 6
cet sperata remuneratio non sequatur, *l. si repetendi supr. de condict. ob causam.* Colligitur III. Regula Vulgaris: Mandatum morte finiri, si sit 7
res integra, *hic et l. mandatum* 15. *C. Mandati, Ricc. Coll. Decis.* 321. Regulae limitationes *hic Sich. Hippol. Marsil. sing.* 44. *Sebast. Med. in Tr. mors omnia solvit, p. 2. Concl.* 64. *Anton. Gabriel. l. 2. tit. de Procur. concl.* 2. Casus, ubi mandatum morte non finitur, habet *Auctor in l. 26. ff. mandati num.* 1. 3. *et* 4.

L. Negantes. 9.

SUMMARIA

Debitum non armata vi, sed actione in judicio proposita exigendum. num. 1.
Limitatio. 2.
Aliae exceptiones. 3.

Debitum non armata vi, sed actione in judi- 1
cio proposita exigendum. Ratio in *l. nulli C. de judic.* quod limitant *DD.* nisi debitor sit in fuga, et copia nulla judicis haberi possit, *l. ait praetor* 10. §. *si debitorem* 16. *ff. Quae in fraudem Credit. Gail. l. 2. Obs.* 44. Sed pecuniam 2
illam ereptam cum caeteris creditoribus communicare teneor, si a Creditoribus possessa sint bona, alias non, per *d.* §. 16. *ibique Jason. in pr. Inst. de Act. num.* 72. *Sich. num.* 5. *Stracha de Decoctoribus parte.* 7. *num.* 13. *Zas. in d.* §. 16; *Alphan. Coll.* 613. Aliam exceptionem hic 3
habet *Sich. num.* 3. in desertore militiae, *l.* 1. *et* 2. *C. Quando liceat unicuique sine auctor. jud. se vindicare num.* 7. in Legatario ap-

prehendente rem legatam a nemine possessam, *l.* 1. §. 1. *ff. Quod Legatorum.* Et hae Limitationes pertinent etiam *ad l. extat* 13. *ff. Quod metus causa.*

L. Adversus. 10.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Decisio cum ratione decidendi. 3.
Ad l. obstantem respondetur. 4.
Actio hypothecaria non tollit personalem, nec contra. 5.
Creditor, si obtinuit rem sibi oppignoratam, pro residuo retinet ipsum debitorem obligatum. 6.
Ipsa Hypotheca vel pignore perempto, tamen manet debitor obligatus. 7.

1 Dedi tibi Pignora pro debito cum potestate distrahendi: vendis pignora, sed totum debi-
2 tum conficere non potuisti. Quaeritur: *An de residuo actione personali agere possis contra*
3 *me?* Resp. Quod sic; nam actio hypothecaria non tollit personalem, *l.* 3. *inf. de Distract. Pign.* uti nec hypothecariam respectu aliorum
4 bonorum, *l.* 19. *C. d. t.* Nec obstat *l. a divo Pio* 15. §. 3. *ff. de Re Judic.* quia de alio casu loquitur, quando scilicet res subhastatae pro executione emptorem non inveniunt, et pignora capta per judicem addicuntur actori pro ea quantitate, quae debetur. Nam licet pignus addictum in eam quantitatem debiti non sufficiat, nihil amplius tamen petere potest creditor, sua veluti transactione exclusus, *Donell. lib.* 27. *c.* 3. *Lit. Aa. Zas. in d.* §. 16. *num.* 3. Col-
5 ligitur ex hac lege: I. Quod actio hypothecaria non tollat personalem, nec contra; Sic qui immissus est in bona debitoris, nihilominus potest intentare personalem et petere debitorem in carcerem detrudi, secundum formam statuti,
6 *Boer. Decis.* 309. *num.* 3. II. Si Creditor obtinuit rem pignoris titulo sibi obligatam, pro residuo tamen retinere ipsum debitorem obligatum, *Neguzant. de Pign. p.* 8. *memb.* 1. *n.* 46.
7 III. Hypotheca vel pignore perempto, obligatum tamen manere debitorem, *Covar. lib.* 3. *Resol. c.* 7. *num.* 5. *Garcias de Expensis c.* 4. *num.* 43. *Guttierez l.* 2. *Quaest. pract. q.* 177. *num.* 3.

L. Nimia. 11.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Nuda praesentia nemo se, ne dum alium obligat. 2.
Dominus pro colono non tenetur, nec viceversa. 3.
Nimia credulitas culpanda est. 4.
Probabilis est credulitas, quae oritur a viro digno. 5.

1 Si Colonus tuus aliquid mutuo sumpsit a me in utilitatem suam, etiamsi Actores tui vel Procuratores praesentes fuerint, contra te tamen nullam habeo actionem, quia de te obligando nihil actum, et nuda praesentia nemo 2
se, nedum alium obligat, aliud autem est, si in rem sive utilitatem tuam mutuo sumpsisset, et tuo nomine, *l.* 7. *C. Quod cum eo etc.* secus si nomine suo colonus mutuasset, licet in rem domini vertisset, *l.* 3. *Sup. si certum petatur.* Collige: I. Sicut dominus pro colono non te- 3
netur, *l.* 3. *h. t.* ita nec colonus pro Domino, per *hanc l. DD. hic.* II. Nimiam credulitatem 4
culpandam, *l.* 1. §. 1. *de eo per quem factum etc.* nimia enim credulitas stultitia est, *Nevizan. in Sylva Nupt. in l.* 4. *num.* 55. *Tiraq. de poenis temper. causa* 51. *num.* 26. *et seq.* Est autem probabilis credulitas, quae oritur a Viro 5
digno, *Ant. Gabriel. lib.* 7. *comm. Concl.* 8. *num.* 36. *et seqq. Menoch. Cons.* 406. *num.* 82. qui etiam *Const.* 107. *num.* 25. credulitatem in praejudicium tertii tendentem excusare dicit, in quo merito dissentit *Ant. Gabriel. d. l. num.* 46. Gradus credulitatis ponit *Ant. de Butrio in tr. de Notorio art.* 1. *num.* 4. *et seqq. vol. tr.* 5. Illud paulo infirmius, quod ex *hac lege hic* vult colligere *Barbosa num.* 2. *et Tiraq. ad l.* 9. *Connub. Gl.* 1. *p.* 9. *num.* 137. Foeminas nimium esse credulas.

L. Ob aes alienum. 12.

SUMMARIA

Liberi homines nec ob debitum proprium, nec alienum, servituti mancipari possunt. num. 1.
Nec obstat l. fin. C. de postlim. revers. 2.
Valet obligatio, qua debitor se ad carcerem obligat. 3.
Limitatio. 4.
Ampliatio. 5.
Ex conventione jurata debitor invitus detineri potest. 6.

Liberi homines nec ob debitum proprium nec 1
alienum servituti mancipari possunt. Ratio: quia libertas est res inaestimabilis, §. *ult. Inst. Quibus ex causis manumittere etc.* Et ideo vocem, Liberos, non praecise de filiis, sed quibusvis hominibus liberis accipiunt *Cujac. et Ant. Faber,* quos refert *Hill. in Donell. l.* 15. *c. ult. in fine.* Nec obstat *l. fin. C. de Postlim. rever.* ubi ra- 2
tio quinquennalis servitii, quia antea hostium servus fuit. Valet tamen obligatio, qua debitor 3
se ad carcerem obligat, per tradita *Gail. l.* 2. *Obs.* 45. *num.* 3. *et seqq. Coler. de Process. Execut. p.* 1. *c.* 6. *num.* 49. *et seqq. Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 21. *Def.* 1. *et seqq. Struv. Synt. juris civ. Exerc.* 44. *th.* 33. Sed observandum, 4
non de privato, sed publico carcere id esse intelligendum, *Colerus d. num. et seq.* Nam lex haec de obligatione, quae fit privato loquitur. Aliud, si quis se obstrinxerit, si non solverit, taedii causa in publicum carcerem iturum, *Kremberg. ad* §. *cum eo quoque Inst. de Act.* Sicut et teneri putant, si debitor se ad 5
serviendum seu operas serviles praestandas obligaverit, quia isto casu debitor non fit servus, sed liber remanet, et tantum tenetur servire tanquam famulus, *Gomez T.* 2. *Resol. c.* 11. *num.* 25. *in fine*, de quo, si praestitum jura- 6
mentum, vix ulli hac de re, quin liceat ex con-

ventione jurata debitorem invitum detinere, du-
6 bium esse potest, *Covar. l.* 2. *Resol.* c. 1. *n.* 1. *in fine*. Et talia Statuta valere, ut scilicet debitor tradatur creditori ad serviendum, tradit *Oldrad. Cons.* 54. *et Petr. Barb. ad l. alia* 35. §. *eleganter num.* 55. *ff. Sol Matr. Struv. Synt. juris civil. Exerc.* 44. *th.* 30.

Auth. Imo a debito.

SUMMARIA

Tempore Justiniani prava consuetudine invaluit, ut liberi ob debitum paternum vinculis detinerentur. num. 1.
Haec auth. leg. praeced. non corrigit. 2.
Sed per illam prava illa consuetudo tollitur addita poena. 3.
Quoties plures poenae junguntur, una per alteram non tollitur. 4.
Si creditor liberos debitoris detinet, et ad servile ministerium inducit, jus crediti amittit. 5.

1 Quia tempore Justin. consuetudo invaluerat, ut liberi ob debitum paternum vinculis detinerentur, non quidem certo jure, vid. *Hillig. in Donell. l.* 15. *cap. ult. lit. C.* sed prava consuetudine, ideo in *hac Auth. ex Nov.* 134. *c.* 7.
2 (quae legem praeced. non corrigit, sed extendit)
3 hoc tollit Imper. et constituit triplicem poenam creditorum. 1. Amissionem debiti. 2. Restitutionem tautidem. 3. Poenam corporalem, si scilicet in privato detineant carcere, *l.* 1. *infra de Priv. Carc.* Alias poena extraordinaria locum
4 habet. Collige: I. Quoties plures poenae junguntur, unam per aliam non tolli, *Sich. hic num.*
5 2. II. Si creditor liberos debitoris detineret, et ad servile ministerium induceret, jus crediti amittit, ut ex *hac Auth. et Nov.* 134. probat *Menoch. Rem.* 5. *Recup. possess. num.* 20. licet ibidem sic creditorem pacisci esse putet, *num.* 21. *cum Zasio l.* 2. *singul. Respons. c.* 8.

L. Eum. 13.

SUMMARIA

Debitor est conveniendus, non ille qui a debitore pretium rerum, quas hic vendidit, accepit. num. 1.
Actio personalis non datur contra tertium, sed personam sequitur obligatam. 2.
Exemplum. 3.

1 Debitor est conveniendus, non ille, qui a debitore pretium rerum, quas hic vendidit, accepit,
2 quia actio personalis non datur contra tertium, sed personam sequitur obligatam, quam regulam ex *hac l. et l.* 36. *ff. de Serv. Rust. Praediorum* colligit *Surdus decis.* 90. *num.* 3. *Afflict. Decis.* 162. *num.* 5. *et Sanchez de Ma-*
3 *trim. lib.* 9. *Disp.* 4. *num.* 29. v. g. licet dominus praedii se obligaverit ad annuas praestationes, si fundum ipsum non obligaverit pignori, tunc non obligatur emptor, licet expresse dictum, ut ea conditione veniret fundus, qua habuit venditor, quia hae sunt praestationes personales, per *l. fin.* §. *fin. ff. de Contrah. Empt. Boer. decis.* 66. *num.* 4. *Anton. de Padill. in l.* 3. *C. de Serv. num.* 23. *Klock. V.* 2. *Cons.* 40: *num.* 65. *et seqq. et Donell. l.* 19. c. 21. *et ibi Hillig. lit. L.*

L. Est in arbitrio. ult. Cum Auth. Sed hodie.

SUMMARIA

Creditori licitum est vel agere actione personali contra debitorem, vel hypothecaria contra possessorem, vel utraque experiri. num. 1.
Hoc immutatum per Nov. 4. 2.
Limitatio. 3.
Quam impugnat Fachin. *et Dn.* Franzk. 4.
Sed rationibus firmis fulcitur. 5.
Non semper in Novellis *jus speciale continetur.* 6.

Creditori licitum est, vel agere personali actione contra debitorem, vel actione hypothecaria contra possessorem pignorum, vel utraque simul experiri. Sed per *Nov.* 4. hodie contra extraneos possessores pignorum, id est, si alius, quam ipse debitor pignus possideat, non licet experiri, sed agendum est cum debitore, postea contra Fidejussorem, demum contra possessorem pignoris tertium, alias hic debet exceptionem Excussionis, quod tamen de eo casu intelligendum, quando non est hypotheca specialis. Nam possessor hypothecae specialis, etiam non excusso principali debitore conveniri potest per *Nov.* 112. *c.* 1. §. *prim. vers.* ad hoc autem, *Ben. Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 18. *Def.* 18. *Thesaur. Decis.* 51. *num.* 1. *Berlich. p.* 1. *Concl.* 24. *num.* 71. Sed ab ea sententia recedit *Fachin. lib.* 8. *controv. c.* 105. *et Dn. Franzkius lib.* 1. *Resol.* 12. *per totam.* Nam praesupponunt *hi DD. in d. Nov.* 112. *c.* 1. non esse quaestionem de hypotheca, ubi nulla lis praecessit, quia de eo, an liceret rem pignoratam distrahere, nulla poterat esse quaestio, quia hoc fieri posse jamdudum erat constitutum per *l.* 9. *C. de Pign. et hyp.* Sed de eo casu ubi vel super ipso debito personali, vel super hypotheca mota erat lis, et lite pendente res fuit alienata, et sic de casu speciali loquitur, maxime cum *Novell.* inscribatur *de Litigiosis*, et in *d. Nov.* 112. *c.* 1. etiam de generali hypotheca sermo sit, et quod ea multo minus *Litigiosi* vocabulo contineatur. Certe haec non destituuntur probabilitate, sed pro *Carpzov.* sententia facit 1. Quod in *d. c. prim.* §. , *ab hoc autem litigiosi vocabulo etc.* nulla fiat mentio litis motae. 2. Nec argumentum a Rubro adeo firmum, ut ipse fatetur *Dn. Franzkius Resol.* 12. *num.* 7. 3. Mallem videre rationem, cur creditor, pignore alienato, postquam lis mota personalis, statim posset agere contra successorem singularem. Respondet *Franzkius* de eo emptore, qui scivit qualitatem pignoris in re empta, sed ego non video hujus rationem ullam in textu. 4. Si lis in judicio pendet super ipso debito vel super hypotheca, quo jure, lite adhuc pendente, teneretur ex pretio sa-

Margin numbers in the right column, in order beside the lines: 1 (beside "Creditori licitum est"), 2 (beside "que simul experiri... hodie con-"), 3 (beside "cialis. Nam possessor"), 4 (beside "1. Berlich... Sed ab ea"), 5 (beside "te haec non destituuntur").

tisfacere creditori, quasi hujus creditum esset liquidum, et quomodo daretur actio contra tertium, cum tamen lis de actione personali vel jure hypothecae nondum sit finita? 5. Duae sunt in isto §. quaestiones; una principalis: *An hypothecae specialis nexus impediat alienationem?* 2. *An Creditor specialem hypothecam possit vindicare?* Quae Quaestiones bene sunt distinguendae, prima est primaria, altera secundaria et illativa. Primam extendit (non secundam) ut multo magis hypothecas generales liceat alienare. 6. Nec semper in Novellis jus spe- 6
ciale continetur, vel potius non omnia in novellis sunt nova. Illud novum, quod de religiosis dixerat. Ne autem id, quod de litigiosis in judicium saltem deductis non alienandis dixerat, alii ad hypothecam, quasi illa etiam vitio alienationem impediente esset affecta, extenderent, ea occasione quasi in transitu etiam de hypothecis agere videtur.

TITULUS XI.

Ut Actiones et ab Haeredibus et contra haeredes incipiant.

L. Cum stipulationes. unic.

SUMMARIA

Olim post mortem suam non poterat aliquis stipulari, neque post mortem promittere. num. 1.
Hoc sustulit Justinianus. 2.
Potest quis alteri sua bona donare vel promittere post mortem. 3.
Cautela, ut possit quis facere, ut poena ad haeredes transeat. 4.

1 Olim post mortem suam non poterat aliquis stipulari, neque post mortem promittere. Idem in Legatis, §. *post mortem* 13. *Inst. de inutil. Stipul.* Ratio erat, quia mortuus ut non dare, ita nec accipere potest, et alias plus haberet juris hae-
2 res, quam defunctus. Sed hoc sustulit *Justin. hic et in l.* 11. *C. de Contrah. Stipul. et d.* §. 13. quia potius voluntas contrahentium, quam verborum subtilitas attendenda; et cum haeres cum defuncto eadem persona esse videtur, ipse defunctus solvere videtur, quod haeres solvit ex voluntate defuncti, *argum l. haeredem* 60.
3 *ff. de R. J.* Colligatur ex *l. hac*: I. Quod quis bona sua possit alteri donare vel promittere post mortem. Nec dicitur tunc pactum de futura successione, quia non promittitur ut futura successio, quae non potest deberi nisi ex testamento aut ab intestato. Sed hoc casu bona debentur ex promissione et obligatione, statim effectum habente, quantum ad obligationem, licet differat quantum ad exactionem, *Roder. Suarez in repet. legis Quoniam in prioribus C. de Inoff. Testam. Lim.* 5. *num.* 16. *Tiraq. de Retr. Consang.* §. 1. *gl.* 10. *num.* 118. Colligunt II. *DD.* Cautelam; ut possit quis fa- 4
cere, ut poena ad haeredes transeat. Dominus enim feudi si velit, ut poena caducitatis transeat ad haeredem, potest id in conventionem deducere et pacisci, ut si Feloniam committeret Vassallus, feudum ad dominum rediret. Si etiam dominus praedii emphyteutici velit, ut poena commissi transeat in haeredem, ut scil. haeres teneatur, tunc poterit hoc in conventionem deducere, ut si emphyteuta pensionem non solvat, emphyteusis amittatur. Utroque enim casu declaratio Feloniae vel commissae emphyteuseos contra haeredem Vasalli vel emphyteutae fieri potest, *Ant. Gabriel. lib.* 7. *Comm. Concl.* 35. *num.* 14. *Petr. Barbos. in parte* 1. *legis secundae pr. ff. Sol. Matr. num.* 137.

TITULUS XII.

Ne uxor pro marito, vel maritus pro uxore, vel mater pro filio conveniatur.

L. Frustra. I.

SUMMARIA

Uxor pro contractu mariti non potest conveniri. num. 1.
De superfluis non est disputandum, et impertinentes articuli sunt rejiciendi. 2.
An valeat statutum, quod uxor teneatur pro marito? 3.

1 Uxor pro contractu mariti non potest conveniri, licet pro contractu mariti fidejusserit, ob SCtum Vellejanum: aliud autem si nomine uxoris et in ipsius utilitatem sit contractum, *l. Contractus* 24. *C. de Locato.* Nota bene: De superfluis non esse disputandum, et imperti- 2
nentes articulos esse rejiciendos, cum Imperator hic respondeat, frustra hic disputari de contractibus mariti, cum uxor jure communi sit secura. Sed quaeritur: *Annon valeat statutum, quod uxor teneatur pro marito?* sicut statuta 3
alia novi, et ex actis transmissis didici, ita valere volunt *DD. Mynsing. Cent.* 1. *Obs.* 29. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 90. *num.* 1. *Campeg. de Dote p.* 5. *Q.* 2. *num.* 3. *Coler. Decis.* 31. *Hill. in Donell. lib.* 15. *c. ult. Lit. B.*

L. Ob. maritorum. 2.

SUMMARIA

Uxor pro debito mariti ne quidem a Fisco inquietari debet. num. 1.
Ob male a marito administratum munus mulier nec a Fisco conveniri potest. 2.
Exceptio. 3.
Nec maritus tenetur ob aes alienum uxoris, et uxore damnata non fiet executio in bonis dotalibus constante matrimonio. 4.
Bona reperta in possessione et domo mariti praesumuntur esse mariti. 5.

1 Ut Uxor nec pro debito mariti, ita nec pro culpa ejus in bonis suis, si ea sua esse probaverit, quod necesse est, ne quidem a Fisco inquietari debet, quia culpa et delictum suos tenere debet Auctores, *l. Sancimus* 22. *C. de Poenis, Sichard. in l.* 2. *h. t. ab init.* Praesumendum enim hoc loco, maritum ex administratione bonorum Fiscalium Fisco esse obligatum, et tamen uxorem in rebus suis non deberi pati da-
2 mnum. Collige ergo: I. Si a Fisco Mulier ob male a Marito administratum munus non potest
3 conveniri, *Gail. lib.* 2. *Obs.* 86. nisi in causa primipili, de qua *in l.* 1. *C. in quibus causis pignus tacite contrahatur*, utique neque a privatis creditoribus mariti inquietanda erit, *Berlich. P.* 1. *Concl.* 81. *num.* 47. *Neguz. de Pign. part.* 5. *m.* 1. *num.* 29. *et seq. Baldus Nov. de Dote*
4 *p.* 7. *priv.* 18. *et* 21. II. Nec e contrario maritum teneri ob aes alienum uxoris, et uxore damnata non fiet executio in bonis dotalibus constante matrimonio. Nam aut ante matrimonium debitum contractum est, et tunc nihil possit in dotem dari, nisi quod deducto aere alieno reliquum esset; aut tempore constantis matrimonii debitum contractum, et tunc non fiet executio in dotalibus, *argum. l. quinque legibus* 3. *ff. de Bonis Damnat. Guido Papae Dec.* 117. *Petr. Barb. in l. si constante* §. *fin. num.* 1. *et l. si ab hostibus* §. *fin. num.* 74. *ff. Sol. Matr. Jo. Aloys. Ricc. dec. coll.* 1533. III.
5 Bona reperta in possessione mariti et in domo mariti, praesumi esse mariti, et contrarium uxori esse probandum, ibi in textu: *domini tui esse probaveris. Didac. Spino in Spec. Testam. gl.* 11. *num.* 90. *et A. Barb. hic. num.* 4.

L. Cum te possessiones. 3.

SUMMARIA

Casus legis, num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Decisio. 3.
Ex alterius contractu nemo obligatur. 4.
In bona dotalia (ut nonnulli volunt,) creditores immissionem quidem petere possunt, sed non ex secundo decreto immitendi. 5.
An et quatenus fructus dotis sint mariti? 6.
Quatenus creditor in fructus dotalis praedii immitti, et eos percipere possit? 7.
Ex fructibus paraphernalium non poterit creditor mariti solutionem petere. 8.
Bona uxoris receptitia quaenam? 9.
In iis creditoribus mariti nihil juris competit. 10.
Bona filiae data ad sustentationem videntur esse dotalia. 11.
Dotis finis est sustentatio filiae et liberorum ejus. 12.

Mater filiae extra dotem dederat praedium, 1
ut ipsa se ex eo sustentaret vel liberos, et sic est receptitium. Maritus ob civilia munera vel ex administratione tutelae alterius debitor fit, Quaeritur: *An Creditor mariti in hoc praedium im-* 2
missionem petere possit? Resp. Uxoris praedium 3
non teneri pro marito, sicut nec mater loco liberorum conveniri potest. Additur ratio, cum nec maritus loco uxoris teneatur, multo minus uxor loco mariti. Nota bene Regulam, quae saepe allegatur: Ex alterius contractu neminem 4
obligari, *Sichard. in Cod. l.* 3. *h. t. num.* 2. ubi casus quosdam allegat ab hac regula exceptos. Volunt nonnulli in bona dotalia credito- 5
res immissionem petere posse, quod tamen hic negat *Baldus in fine*, sicut etiam verum est, ex secundo decreto creditorem in bona dotalia immitti non posse. Nam licet fructus dotis sint 6
mariti, atque adeo in fructus immissio fieri posse videatur, hoc tamen inteligendum puto, si maritus ex labore vel arte sua uxorem alere et onera matrimonii ferre possit. Nam tunc cum 7
alimenta sua a marito habeat, non posset mea opinione quidem impedire, quo minus mariti creditor in fructus dotalis praedii immiti et eos tamdiu percipere possit, quamdiu matrimonium constat, cum fructus mariti sint. Sed si maritus non ferat onera matrimonii ob paupertatem, et uxor ea ferre teneatur, iniquum foret, si creditor fructus dotalis praedii, ad ferenda onera matrimonii destinatos auferat, sed ex illis fructibus mulier maritum et liberos alet, *l. mutus* 73. §. 1. *ff. de jure Dot. Gail. lib.* 2. *Observ.* 83. *num.* 17. *Petr. Barb. in l. si constante num.* 46. *ff. Sol Matrim. Molina de J. et J. d.* 429. *num.* 2. *Card. Mantica de tac. et amb. convent. l.* 11. *tit.* 30. *num.* 10. Multo minus etiam ex fructibus Paraphernalium poterit 8
creditor solutionem petere quia paraphernalium bonorum fructus ad maritum non pertinent. Ergo nec ullo colore creditor eos petere potest, *Gail. d. Obs.* 83. *num.* 3. *Petr. Barb. in d. l. si constante pr. num.* 8. Ergo in Receptitiis bonis, quorum cum nec admini- 9
stratio marito competat, creditoribus ma- 10
riti nil juris competet. Colligunt etiam, bona 11
filiae data ad sustentationem videri esse dotalia. Nam quia hic addit Imp. verba (*extra dotis causam*) hoc ipso innuens aliud esse, si simpliciter data pecunia ad sustentationem filiae, sicut hoc latius deducit *Cephalus Cons.* 157. *num.* 19. Et sane dotis finis est sustentatio filiae et 12
liberorum ejus. Ergo, quia dos cum bonis ad sustentationem dotis fine conveniunt, videntur ejusdem esse conditionis. Ex hoc etiam sequitur in bona paraphernalia creditorem mariti missionem petere non posse, ut supra dictum.

L. Cum te ideo. 4.

SUMMARIA

Mater, si quaedam debita pro filio solvit, ad reliqua etiam solvenda compelli non potest. num. 1.
Qui gratis solvit pro alio partem debiti, non ideo solvere tenetur totum. 2.
Qui reditus solvit certorum annorum, non obligat se in perpetuum et futurum. 3.
Limitatio. 4.
Quicquid jure familiaritatis fit, non constituit alium in possessione ad praescribendum. 5.
Pater, si pro filio partem solvit, non tenetur ad totum debitum. 6.
Si quis habet exceptionem contra actionem, et partem postea solvit, contractum de novo approbare videtur, et in solidum tenetur. 7.
Ampliatio. 8.

1 Mater debita quaedam pro filio solverat, Quaeritur, *an ad reliqua etiam solvenda compelli possit?* Videtur quod sic, per *Auth. Sed cum Testator C. ad l. Falcid. et l.* 1. *C. de Fideicomm.* Sed negatur, quia in *dd. LL.* subfuit obligatio naturalis ad omnia, licet non civilis, et accedebat favor ultimarum voluntatum, et alimentorum in *d. l.* 1. *Flores de Diez l.* 3. *quaest.* 23. *num.* 8. Nam sola obligatio naturalis non sufficit, per *l.* 28. *C. de Pactis.* Sed hic nulla obligatio naturalis, nec favor allegatus: ideoque gratuita est ista solutio, et in sola voluntate solventis sita, quem neque Creditor, neque debitor cogere possunt, ut de re sua faciat aliquid invitus, *Hering. de fidejuss. c.* 5. *num.*
2 178. Nota bene: Qui gratis solvit pro alio partem debiti, non ideo solvere tenetur totum, *Natta tomo* 1. *Cons.* 77. *num.* 6. *et t.* 2. *Cons.* 446. *num.* 19. *Surdus Cons.* 212. *in fine*, et quos hic allegat *Barb. num.* 2. Colligit idem *num.* 4.
3 eum, qui reditus solvit certorum annorum, non obligare se in perpetuum et futurum, nisi
4 praescriptio tricennalis concurrat, *l. cum de in rem verso* 6. *ff. de usuris, et l. si certis* 28. *C. de Pactis, Baldus de Praescript. p.* 2. *m.* 1 *c.* 4. *per totum et p.* 6. *princ. m.* 4. *q.* 5. *num.* 2. et quos allegat *Barbosa d. l. ac Menoch. l.* 3. *Praesumpt.* 131. *num.* 51. *Carpzov. p.* 2. *Jurisprudent. Const.* 2. *Def. ult.* Colligit
5 etiam *Barbosa hic num.* 5. Quicquid jure familiaritatis fit, non constituere alium in possessione ad praescribendum, per *l. qui jure familiaritatis* 41. *ff. de Acquir. Possessione,* et quos ibi allegat, et praeter eos *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 160. *num.* 13. *Honded. Vᵹ.* 1. *Consult.* 65. *num.* 57. *Kloch. vol.* 1. *cons.* 21. *num.* 99. *et seq. et cons.* 29. *num.* 561. *et seqq. et cons.* 51.
6 *num.* 254. Ex textu collige: Si filius tuus mihi debeat mille, et, filio mortuo, tu Pater mihi offeras nomen pro filio, pro parte debiti, te non teneri propterea mihi in toto, multo minus, ut tu tenearis totum debitum in parata pecunia solvere. Si enim ille ad totum debitum se non adstrinxit, qui partem debiti solvit, multo minus, qui partem debiti in nomine obtulit, quem casum in facto habui. Si tamen quis ha- 7
beat exceptionem contra actionem, et partem postea solvit, videtur de novo approbare contractum, et in solidum tenetur, *l.* 7. *§. penult. et ult. ff. ad SC. Macedon. Mozz. de Mutuo Rubr. quomodo finiatur, num.* 24. Et qui nomi- 8
ne proprio in vim causae praeambulae ordinatae ad obligandam partem solvit, non videtur non totum agnovisse, nisi fecerit necessitate coactus, ubi protestatio necessaria, *Hering. d. num.* 178. *et seq.*

Auth. Sed omnino.

SUMMARIA

Qui alium pro alio exigit, debito cadit, et deinde quadruplum ejus, quod vi occupavit, solvit. num. 1.
Prohibitae sunt repressaliae. 2.
Limitationes. 3.
Maritus pro uxore non tenetur ex Castrensibus bonis. 4.

Qui alium pro alio exigit, et a me v. g. extor- 1
quet, quod ille debebat, ille debito cadit, et deinde solvit quadruplum ejus, quod vi occupavit. Prohibitae itaque sunt repressaliae per 2
Recess. Imp. Spir. Anno 1570. quando quis alicujus civitatis cives detinet, nisi id fiat in casu 3
denegatae justitiae et consensu Superioris, *DD. hic*, quod tamen non nisi de consensu summi Principis intelligendum; et eo casu, quando legitimi belli causa adest. Si enim Judex aliquis non habens Superiorem, nobis, officium ejus implorantibus, justitiam denegasset, et hoc Principi meo probaverim, tunc ad instantiam meam poterunt per retorsionem detineri bona subditorum alterius Principis, de quo jure Repressaliarum videatur *Baldus hic, Bart. Martinus Laudensis, et Jacobus a Canibus in Tract. de Repressal. Frid. l.* 2. *de Process. cap.* 49. *Gilhausen Arb. Civ. cap.* 1053. *Carpzovius part.* 4. *Jurisprud. Const.* 16. *Definit.* 4. *et seq. Caesar. Consil.* 1. *et* 2. *pag.* 1 *et Barbos. hic prolixe.* Sed quaeritur hic: *An non maritus pro* 4
uxore teneatur etiam ex Castrensibus bonis? Talis casus non ita pridem ad facultatem nostram deferebatur. Quamvis autem dicendum videbatur quod sic, ob societatem et communionem bonorum, de qua *Scheplitz part.* 3. *Consuet. tit.* 2. *§.* 1. *et Mevius de jure Lubec. lib.* 1. *tit.* 4. *Art.* 51. contrarium tamem decisum per tradita *Pruckman. Vol.* 2. *Cons.* 1. *n.* 374. *et Dn. Kohl. de Const. March. Q.* 1.

TITULUS XIII.

Ne Filius pro Patre, vel Pater pro Filio Emancipato, etc.

L. Neque. 1.

SUMMARIA

Sensus legis num. 1.
Lectio legis vitiosa est. 2.
Pater ex mutuo filiofamilias dato ne quidem peculiotenus tenetur. 3.
Neque ex delicto in peculium profectitium fit executio. 4.
Limitationes regulae num. 3. *traditae.* 5.
Si pater post mortem filii aliquid in honorem ejus solvit, ad reliqua solvenda non tenetur. 6.
Ex statuto Pater pro filio ad poenam pecuniariam usque ad legitimam teneri potest. 7.

1 Si Filio meo emancipato, vel ei qui adhuc in potestate est, mutuo dederis, ego non teneor, nisi meo jussu id feceris, et si extorseris mihi solutionem, ad quam non teneor, condictione ago contra te indebiti. Ratio in *SCto Macedoniano, et in* §.7. *inst. Quod cum eo etc.* Caete-
2 rum lectio versic. *neque si contra*, est vitiosa, ideoque particula *Si* vel omittenda vel ante conjunctionem *neque* ponenda, per tradita *Colleg. Argent. lib.* 14. *tit.* 6. *th.* 9. *num.* 3. per *l.* 9. §. 2. *ff. l.* 6. *C. de SCto Maced.* Colligitur
3 exinde: Pater ex mutuo filiofamilias dato, ne quidem peculiotenus teneri, qua de re infra in
4 *l. pen. ad SCtum Maced.* neque ex delicto in peculium profectitium fieri executionem, *Cla-*
5 *rus* §. *fin. q.* 86. *num.* 3. Caeterum illam Regulam multipliciter limitant *DD.* scilicet quod ex debito vel mutuo filii non teneatur Pater, nisi Filius in rem Patris vertisset mutuum, per *l.* 2. *C. ad SCtum Macedon. Auctor in l.* 7. *ff. h. t. num.* 9. ubi plura notabuntur. Si etiam pater praeposuerit filium negotiationi, non poterit detrectare solutionem, *l.* 7. §. 11. *ff. ad SCt. Maced. Mozz. in tit. de mutuo tit. quomodo deficiat et finiatur mutuum, num.* 26. *Gomez tomo* 2. *Resol. c.* 6. *num.* 2. *limit.* 9. et quos allegat hic *Barbos. num.* 5. Si etiam filiusfamilias palam patre sciente, licet non expresse id ei mandaverit, sed tacite permiserit, tenetur pater pro filio solvere *ob l.* 7. §. 11. *ff. ad SCt. Maced. Afflictus dec.* 308. *Ludovicus dec.* 55. *Sichard. in C. l.* 1. *num.* 1. et quos refert *Thesaurus lib.* 4. *quaest.* 79. Hanc etiam limitationem proponit *Barbos. num. seq.* si pater solitus sit pro filio solvere, *Gomez d. c. num.* 2. *limit.* 11. *Trentac. lib.* 3. *Resol. tit. de solut. Resol.* 6. *num.* 13. *Card. Mantica de Tac. et Amb. Convent. l.* 8. *tit.* 7. *num.* 3. allegati a *Barbosa.* Sed id cum grano salis intelligendum, si scilicet vivo filio solitus erat Pater debita filii solvere, et ita creditor fidem potius parentis secutus esset, de qua specie *Doctores* loqui ex
6 ipsorum verbis apparet. Sed si mortuo filio, unum et alterum ejus nomen solvisset Pater in honorem filii, non esset Pater obligatus ad alia nomina filii solvenda, *argum. l. fin. tit. praeced.* Hic Quaerunt *DD. An Pater pro filio ex* 7
statuto ad poenam teneri possit? et affirm. de poena pecuniaria, non vero corporali, *Sichard. in C. l.* 1. *num.* 5. quamvis statuta talia in genere oppugnet *Meichsn. vol.* 3. *Decis. Camer.* 20. *num.* 51. *et seqq.* Sed defendit ea Statuta *Bald. hic num.* 3. *et Sich. hic num.* 3. *et Baldus in Tr. de statut. verbo*, Parentes, *num.* 14. Et quidem plerique Interpretes restringunt hanc poenam ad Legitimam filii, quam haberet, si Pater statim mortuus esset. Vid. de hac *Quaest. Hippol. de Marsil. sing.* 362. *Clarus* §. *fin. in Q.* 86. *num.* 7. *Covar. lib.* 2. *Resol. cap.* 8. *n.* 7. *et Acacius Enenkelius Baro in Tr. de Privil. Parentum Priv.* 9. *num.* 4.

L. Ne contra. 2.

SUMMARIA

Filius ut filius non tenetur pro debito patris, si non sit haeres. num. 1.
Possum in libello petere, ne inquieter, si actus inquietativus praecessit. 2.

Filius ut Filius, si non sit haeres, non tene- 1
tur pro debito Patris, et sic nec pro male administrato officio a Parente. Ratio dubitandi forte fuit, quod pater consentiens, ut filio munus publicum deferretur, pro filio in solidum teneatur, *l. si filius fam.* 7. *ff. de Administ. Rerum ad Civit. pert. l.* 2. *l. libertus ff. ad Municipalem.* Ergo idem videretur dicendum, si pater consentiente filio eligeretur ad munus publicum. Sed nemo non videt diversitatem rationis, quia non aeque filius patrem in potestate habet, ut pater filium. Colligunt *Bald. et Salyc.* 2
hic: Posse in libello peti, ne inquieter, quando scilicet actus inquietativus et turbativus praecessit, ut fit in Interdicto *Uti possidetis.*

L. Si filiusfamilias. 3.

SUMMARIA

Pater non tenetur pro filio, si ipso invito hic munus publicum suscepit. num. 1.
Ut pater invitus aut contradicere dicatur, opus est expressa contradictione. 2.
Taciturnitas hic magis consensui, quam dissensui applicatur. 3.
Invitus pater consentire non cogitur. 4.
DD. *quidam male statuentes notantur.* 5.

Diximus jam Parentem obligari pro filio, si 1
consentiente patre officium publicum suscepit

filius, ex quo a contrario sensu colligitur, aliud
2 esse, si invito parente creatus sit. Ut autem invitus pater aut contradicere dicatur, opus est expressa contradictione. Nam si taceat, licet expresse non consentiat, pro consentiente tamen habetur, *l.* 2. *pr. ff. ad Municip.* et sic
3 taciturnitas, quae alias media est inter consensum et contradictionem, consensui magis quam dissensui hic applicatur, *Enenkelius Baro Pri-*
4 *vil.* 9. *num.* 28. Sed invitus Pater consentire non cogitur, *l. honor* 14. §. 4. *ff. de Muner. et Honor.* Caeterum *Barbosa hic num.* 3. *DD.* al-
5 legat statuentes, si filius consentiente Patre mutuum accipiat, patrem pro eo teneri, quod paulo ab hoc loco alienius. Nam alia ratio suscepti muneris publici, et alia ratio mutui vel debiti privati: Consensus facilius in illo, quam in hoc praesumitur, nec hic silentium pro consensu habebitur, ut illo casu.

L. Patris. 4.

SUMMARIA

Patre adhuc vivente, filius non potest conveniri pro debitis illius, vel pro administratione publ. muneris. num. 1.
Argumentum a contrario sensu non valet in legibus Codicis ad certam speciem facti directis. 2.
In verbo, personali, *latet declaratio legis.* 3.
Duo casus, ubi actione reali filius conveniri possit. 4.

1 Patre adhuc vivente, Filius non potest conveniri pro debitis illius, vel pro administratione publici muneris. Ergo, inquies, mortuo Patre poterit conveniri, a contrario sensu. Sed et hoc
2 negatur per *l.* 2. *h. t.* nec Argumentum a contrario sensu valet in Legibus Codicis ad certam
3 speciem facti directis. Sed in verbo, *personali*, latet declaratio legis, scilicet quod actione reali
4 aliquo casu filius possit conveniri, si pater peculium obligavit. Item si haeres sit patris, potest etiam personali actione conveniri.

L. Ex Patroni. 5.

SUMMARIUM

Neque patroni contractus libertum, neque domini servum obligat.

Haec lex ad libertum et Patronum Rubricam extendit, quod scilicet Patroni contractus libertum non obliget, ut nec contractus Domini servum, ob rationem in *l. penult. supr. de Obl. et Act.*

Auth. Habita.

SUMMARIA

Tres sunt hujus constitutionis partes. num. 1.
Prima docet, quibus privilegia infra scripta sint tributa. 2.
Secunda pars continet rationes. 3.
Quicquid ad studia continuanda Studioso legatum vel donatum est, id censetur factum ad pias causas. 4.
Tertia pars ipsum privilegium continet, quod est duplex. 5.
Gladii potestas legem specialem desiderat, nec continetur generali, et indefinita oratione. 6.
Non est verosimile, Fridericum plus studiosis indulgere voluisse, quam militibus, et clarissimis viris. 7.
In Academiis plerumque sunt peculiaria statuta et privilegia. 8.
Statutum Academiae Francofurtanae. 9.
Commentatores in h. authent. 10.

Tres hujus novae constitutionis sunt partes. I. 1
Docet, cui privilegia infra scripta sint tributa, 2
scilicet 1. Scholaribus, id est, literarum Studiosis in probatis Gymnasiis publicis studia sua tractantibus, et in numerum Studiosorum ibi, seu in Album relatis. Vid. *Gail. lib.* 1. *Observ.* 21. *num.* 5. *et* 9. *Menoch. p.* 2. *Praes.* 18. *num.* 3. et aliis, qui in Patria Academia studiis invigilant, ut *hic Gilken. num.* 21. cum sola peregrinatio non sit causa privilegii, et competunt etiam Clericis et Professoribus. 2. Scholarium etiam Nunciis, ne tabellarius quis morando, ipsos studiosos aliqua via oppugnet, atque adeo etiam nuntiis Universitatis haec competent, *Gilken. hic num.*
22. II. Pars continet rationes: 1. a fructu stu- 3
diorum, *quorum scientia etc.* Nota bene: Omne ingenii acumen, cogitationes et consilium eo intendendum, ut homines omnes vitam ad obedientiam Divini Numinis instituant. 2. Quia amore scientiae peregrinantur et quasi exules fiunt. 3. Se multis sumptibus exhauriunt. 4. Periculis multis se exponunt. Ex quibus rationibus colligunt *DD.* quicquid ad studia conti- 4
nuanda Studioso legatum vel donatum est, id censeri factum ad pias causas, *Bolognettus hic num.* 283. *Tiraq. de Priv. Piae causae in Praefat. num.* 26. *Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 13. *tit.* 14. *pr.* Atque ita pro testamento, in quo studiorum causa quid relictum, respondit aliquando nostra Facultas Juridica, etc. III.
Ipsum Privilegium continet, quod est duplex: 5
1. Quod ob alterius provinciae debitum aut delictum, nullo casu ne quidem si bellum exarserit, scholari ulla injuria inferenda, sub poena restitutionis quadrupli ablati restituendi a violatore, vel Praeside hoc non vindicante, 2. Quando Scholaris conveniendus est, tunc id fieri debet vel coram Domino, id est Nutritio Academiae, vel Magistro, id est Rectore et Senatu Academico, vel Episcopo loci, qui plerumque est Academiae Cancellarius; qui vero coram alio convenerit judice, actionem amittit, *hic* et *l.* 5. *C. de Jurisdict.* quod ultimum tamen multi *DD.* de Criminalibus etiam causis intelligunt, sed ab iis non sine gravibus rationibus discedit *Ant. Matthaei ad lib.* 48. *ff. tit.* 13. *cap.* 5. *num.* 14. cum Imperator ultimo casu ne verbulo quidem meri Imperii mentio-
nem faciat, cum gladii potestas legem specia- 6
lem desideret, nec contineatur generali et indefinita oratione, *arg. l.* 1. *ff. de Offic. ejus cui mandata est jurisdict.* et Imperator causa cadere vult eum qui Studiosum ad Judicem non suum traxerit: id autem accusationi quadrare non videtur, et vetat Fridericus studiosos ob alte-

rius delictum clarigari et conveniri in primo Privilegio; ob suum ergo delictum conveniri
7 possunt. Nec verosimile est, Fridericum plus studiosis indulgere voluisse, quam militibus et Clarissimis Viris indultum, quorum admissa ab ordinario judice vindicantur, *l.* 1. *C. ubi Senatores, Nov.* 8. *c.* 12. *etc.* Hae sunt rationes *Antonii Matthaei*, quibus non puto solide ex omni parte responderi posse, ideoque libens in
8 ejus sententiam transeo. In Academiis plerumque sunt peculiaria statuta et privilegia. In Nostra Academia Francofurtana Juris est, ut Stu- 9
diosus crimen publicum committens a Serenissimo Electore nostro puniatur. Caeterum quia interpretes hic maxime excoluerunt *hanc Au-* 10
thenticam, et praecipue *Gilkenius*, nonnulli etiam *integros tractatus* ediderunt, ut *Bolognettus, Rebuffus, Christophorus Kuppenerius*, et praecipue *Excellentiss. Dn. D. Godofredus Suevus Professor in Wittenb. Academia celeberrimus p. m.* hanc Anthenticam aliquot Disputationibus illustravit doctissimis, nolo hic diffluere.

TITULUS XIV.

An Servus pro suo facto post Manumissionem teneatur?

L. Quamvis. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Decisio cum ratione dubitandi et decidendi. 3.
Non habetur pro actu, quod est in proxima potentia. 4.
Studiosus non consequitur privilegia Academiae specialia, antequam in matriculam relatus. 5.
Ad l. obstantem respondetur. 6.

1 Servo suo aliquis sub conditione libertatem dedit, et ea condictione pendente cum alio contraxit servus, postea extitit conditio et liber ef-
2 fectus est. Quaeritur: *An etiam liber factus te-*
3 *neatur*? Resp. licet videri possit quod sic, quia proxima potentia liber est, deciditur tamen haec quaestio negative, quia actu liber non est, sed Servus. Unde Regulam *hic* colligunt *DD.* quos
4 sequitur *Sich. num.* 1. Non haberi pro actu, quod est in proxima potentia. Similis textus in *l. ex eo tempore* 42. *ff. de Testam. Milit.* ubi dicitur ex eo tempore milites habere privilegia testandi jure militari, ex quo in matriculam relati, unde etiam hic probat *Sich. d. num.* 4. hanc the-
5 sin, quod Studiosus non consequatur Privilegia, antequam in matriculam sit relatus, quod de Privilegiis specialibus illius Academiae intelligo. *Similis* lex in *l.* 52. §. 5. *de Legat.* 3.
6 Sed videtur contraria *l. pen. ff. de Testam. Milit.* Vid. *Guilhelmus a Monfr. in Tr. de Success. Reg. dub.* 3. *num.* 5. *Tiraq. de LL. Connub. Gl.* 2. *num.* 30. *et* 43. *Goedd. ad l.* 176. *num.* 4. *de V. S.* Sed *haec lex* ad contractus pertinet, nam in Criminalibus diversa est ratio, *l. moris* 9. §. *fin. ff. de Poenis.*

L. Creditoribus. 2.

SUMMARIA

Servus cui mutuum est datum, nec liber factus tenetur. num. 1.
Ampliatio. 2
Distinguitur inter servum orcinum, et fideicommissarium. 3.
Servus manumissus tenetur praestare indemnitatem haeredi. 4.

Si Servo Titii mutuo dederis, Servus liber fa- 1
ctus non tenetur, sed quia Imperator addit, *maxime cum peculium tibi non esse legatum proponas*, Quaeritur: *Quid si peculium legatum?* Et nec hoc casu teneri servum manumissum, 2
ex particula implicativa *maxime* colligit *Glossa*, ex qua tamen *Cujac.* videtur *in hoc tit. tomo* 3. contrarium colligere. Distinguendum autem 3
inter libertum orcinum et fideicommissarium, *ut Gl. h. l.* Dicendum secundo, servum manu- 4
missum teneri tamen praestare indemnitatem haeredi. Conf. *l.* 1. §. 10. *de Dote Praeleg. et l.* 18. *ff. de Pecul. leg.*

L. Promissae. 3.

SUMMARIA

Servus domino tenetur post manumissionem ad praestandum id, quod pro libertate promisit. num. 1.
In libertate videtur actum, quod in tempus libertatis confertur. 2.
Actio, quae hoc in casu competit in factum est subsidiaria actionis praescriptis verbis. 3.
Si dolo expresserit servus manumissionem, datur actio de dolo. 4.

Si servus meus mihi promisit decem, si eum 1
manumisero, manumissione praestita tenetur, et potest conveniri actione in factum, quod videtur esse singulare, quia videtur in libertate 2
actum, quod in tempus libertatis confertur. Sed haec actio in factum est subsidiaria actionis 3
prescriptis verbis. Nam licet civile negotium gestum esse videatur, v. g. facio ut des, vel do ut facias, hic tamen ea actio locum non habet, quia cum servo negotium contrahi civile nequit. Si autem dolo expresserit Servus manumissio- 4
nem, datur actio de dolo, *l. et eleganter* 7. §. 8. *ff. de Dolo.*

L. Licet. 4.

SUMMARIA

Servus ob furtum extraneo factum etiam post manumissionem tenetur. num. 1.
Limitatio. 2.

1 Si Servus non domino sed extraneo furtum fecit, de furto etiam post manumissionem tenetur, quia noxa caput sequitur, et ideo Noxalis actio sequitur Servum manumissum, quia actio
2 furti est noxalis, non autem condictio furtiva, quae servum manumissum non sequitur, *l. quod ab alio* 15. *ff.* de *Condict. Furtiv.*

L. Si ut allegas. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Decisio cum ratione decidendi. 3.

1 Dominus servum, qui erat colonus domini et praedium coluerat, manumisit, adempto ipsi peculio, postea apparuit, servum aliquid ex administratione et cultura debere domino. Quae-
2 ritur: *An ob ea reliqua manumissus a domino conveniri possit? Et an res ejus postea acquisi-*
3 *tae inquietari possint?* Utrumque negatur, quia ex contractu et gestione in servitute facta post manumissionem non tenetur, per *l.* 1. *h. t.* praesertim cum hic sit ademptum peculium. Sed si peculium legatum, tenebitur libertus, juxta distinct. *glossae in l.* 1.

L. Sive Servi. fin.

SUMMARIA

Si servus in dominum deliquit tempore servitutis, tunc nulla inter dominum et servum est actio. num. 1.
Exceptio. 2.
Poterit tamen servum ob domesticam jurisdictionem corripere. 3.
Servus post manumissionem in dominum non impune delinquit. 4.

Si Servus in ipsum Dominum deliquit tempo- 1
re Servitutis, tunc nulla inter dominum et servum actio, *l. lis nulla* 4. *ff. de judic.* nisi in 2
casu *l. vix certis* 53. *ff.* d. *t.* Sed poterit do- 3
minus ob domesticam, ut ita loquar, jurisdictionem corripere servum per *l. congruentius* 4. *C. de Patr. Potest.* Si autem hoc non fecerit, post manumissionem cum servo ea de re agere non potest, cum in potestate corripere potuerit. Et videtur injuriam remisisse, dum ipsi immensum beneficium libertatis contulit.
Sed si post manumissionem quid commiserit, 4
impune hoc non faciet, cujus exemplum est in *l. Servi* 17. *ff. de Furtis*, si tempore Servitutis rem subreptam contrectaverit.

TITULUS XV.

Quando Fiscus vel Privatus Debitoris sui Debitores convenire possit vel debeat?

L. Propter. 1.

SUMMARIA

Res tutoris non sunt inquietandae propter aes alienum pupilli. num. 1.
Limitationes. 2.

1 Res Tutoris non sunt inquietandae propter aes alienum pupilli, nec tutor debet immissionem pati in bona sua ob debitum pupilli, tum ne officium suum ei sit damnosum, cum ex necessitate officii sui non voluntarie contraxerit, tum quod executio non fieri debeat, nisi in bonis eorum, quorum nomine contractum
2 est, *l.* 1. *C. Quando ex facto tut.* nisi tutor proprio nomine se obligasset, *Matthias Colerus de Proc. Execut. p.* 2. *cap.* 3. *num.* 244. *et seqq. Dn. Carpz. de Process. Tit.* 25. *art.* 1. *num.* 39. aut si ex dolo tutorum agatur, *l. Julianus* 13. §. 7. *ff. de Act. Empt. Carpz. d. l.* aut si in contumaciam tutoris procedatur, qui poterat ex mobilibus bonis pupilli redigere pecuniam et solvere. Nam tunc in contumaciam contra tutorem procedi potest, *l. un.* §. 2. *ff. si quis Jus dicenti non obtemperaverit, Bl. et Salyc. hic.*

L. Si in causa. 2.

SUMMARIA

Si debitor condemnatus, et excussus neque mobilia, neque immobilia bona habeat, executio potest fieri in nomina. num. 1.
Limitatio. 2.
Quandoque debitor est audiendus, si malit executionem fieri in nominibus. 3.
Quandoque in nomina statim executio fieri potest. 4.

Si debitor condemnatus et excussus nihil ha- 1
beat in bonis, quid sine controversia pignoris titulo capi, et, quae executio fieri possit; et si deficiant mobilia, et immobilia, tunc executio fieri potest in nomina: seu potest victrix pars seu creditor venire contra debitores sui debitoris, *hic et leg.*

a Divo Pio 15. §. 2 *et* 8. *ff. de Re judic.* mo-
2 do ille debitor seu tertius se fateatur debere: nam alias sine processu ordinario non condemnaretur novus debitor, *Colerus dict. Tr. de Process. Exec. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 461. *Dn. Mevius p.* 4. *decis.* 65. *Berlich. part.* 1. *Conclus.* 80. *num.* 37. *Surdus Cons.* 4. ubi tamen contra *glossam hic*, si tertius ille malitiose neget, per instrumenta convinci posse tradit *num.* 27. Si
3 tamen ipse debitor, existentibus licet aliis bonis, malit executionem fieri in nominibus, et nomina sint facilia exactu, nec creditor habeat hypothecam, tunc debitorem audiendum esse tradit ob constitutionem Electoralem Saxonicam *Dn. Carpzov. in tract. de processu tit.* 25. *Art.* 2. *num.* 25. Sed id alibi, licet aequum sit, forte non admittetur. Hoc vero certum, si omnia bona generaliter, vel nomen aliquod specialiter
4 obligatum, in nomina statim executionem fieri posse, *l. nomen* 4. *C. Quae Res Pign. si convenerit* 18. *pr. ff. de Pign. Act.*

L. Si debitum. 3.

SUMMARIA

Fiscus etiam non condemnati debitoris debitores convenire potest. num. 1.
Limitatio. 2.

1 Fiscus habet hoc privilegium, ut etiam debitoris non condemnati debitores convenire possit et exigere, quia Fiscus habet legalem hypothecam in omnibus bonis debitoris sui, et sic etiam in Nominibus, *leg.* 2. *C. de Privil. Fisci.*
2 *tit. C. sine censu, vel reliquis etc.* modo debitor debitoris non inficietur debitum, nec habeat exceptionem peremptoriam, quia confessum et liquidum oportet esse nomen, in quod fit executio, *d. l. a Divo Pio* 15. §. 9. *ff. de Re judic.* videatur *Peregrinus de Jure Fisci lib.* 6. *tit.* 7. *num.* 37. *et. seqq. Franc. Caldas ad tit. de Empt. c.* 12. *num.* 18.

L. Non prius. 4.

SUMMARIA

Fiscus non potest agere contra debitoris sui debitorem, nisi prius excusso debitore principali et primo. num. 1.
In quo nihil videtur habere peculiare. 2.
Fiscus tacitam habet hypothecam. 3.
Non requiritur excussio, quando debitor ex pecunia fiscali alteri mutuo dedit, vel ex contractu fiscali debitores conveniantur. 4.
De credito debitoris plene constare debet. 5.
Debitor secundus coram suo judice conveniendus. 6.

1 Fiscus non potest agere contra debitoris sui debitorem, nisi prius excusso debitore princi-
2 pali et primo. Unde videri poterat, nihil hic peculiare in fisco esse statutum. Nam et privatus potest excusso principali venire contra nomina. *Perez. in C. hoc tit.* putat in eo esse quid singulare quod non expectanda sit condemnatio. Sed hanc praecessisse puto, et in hac lege praesupponendam. Nam vix potuit aliter patere, quod principalis debitor non sit solvendo, nisi prius sit excussus primus debitor, excuti autem non potuit, nisi praecedente sententia. Et Fiscus non habet electionem, an prius personalem, an hypothecariam actionem instituere velit, *l. Moschis* 47. *ff. de jure Fisc.* Ideoque putarem dicendum: quod Fiscus habeat tacitam 3
hypothecam, in hoc esse quid singulare, quod autem agat cum debitoris debitore, fretus illa hypotheca tacita, hoc non fieri proprio jure. Nam et quilibet creditor hypothecarius idem habet, *Cujacius ad l.* 3. *C. de O. et A. in fine t.* 3. *pag.* 283. Sed nec requiritur excussio, 4
quando debitor ex pecunia fiscali alteri mutuo dedit, vel ex contractu fiscali debitores conveniantur, *l. non intelligitur* 3. *ff. de jure Fisci, Peregrin. d. Tract.* 7. *n.* 26. Debet autem de credito debitoris plene constare, per tradita 5
Peregr. d. t. 7. *num.* 27. et debitor secundus 6
coram suo judice conveniendus, *Peregr. n.* 28.

L. In solutum. ult.

SUMMARIA

Si in solutum detur nomen, actio duplex cessionario competit. num. 1.
Si directa agit actione cessionarius, in reconventione cedentem defendere debet. 2.
Limitatio. 3.
Secus est si agat actione utili. 4.
Differentia inter actionem directam et utilem. 5.
Legitimatio personae debet esse primus actus. 6.

Si in solutum detur Nomen, actio cessionario 1
datur duplex, scilicet 1. directa ex cessione et ex persona cedentis. 2. Actio utilis, quae dativa est, quam habet cessionarius ex Constitutione Divi Pii. Ideoque in illa libellum format ex persona cedentis, ut et totum processum, *hic et leg. ultim. Cod. de Haered. Vendit. Joan. a Sande in tract. de cession. act. cap.* 8. *num.* 19. Actio illa directa contra cedentem non datur, si ad ipsum res, cujus nomine actio cessa erat, pervenit, sed bene actio utilis, *leg. si culpa* 63. *ff. de rei vind. Trentacinq. lib.* 2. *tit. de act. Resol.* 6. *Tuschus. Conclus.* 182. *et* 215. *lit. C. Sande dict. tract. cap.* 8. *num.* 17. Si directa agat actione cessionarius, in reconven- 2
tione debet cedentem defendere, *leg.* 33. §. *fin ff. de Procurat.* nisi cessio sit necessaria, ut si 3
actiones in judicio fuerint adjudicatae, *leg.* 3. *ff. Famil. ercis.* Aliud necessariae exemplum in *leg.* 31. *de Procurat.* Sed si agat actione utili, 4
non opus est, ut cedentem defendat, quia suo nomine agit, *dict. leg.* 33. §. *penult.* Tradunt etiam *DD.* hanc differentiam, quod directa a- 5
ctione agens ante litem contestatam cessionem producere debeat, sed in utili sufficere, ut post litem contestatam id fiat, quam opinionem etiam sequitur *Joan. a Sande dict. tract. cap.* 8. *num.* 27 et alii allegati *a Schradero in Tract. Feudali parte* 10. *sect.* 18. *num.* 157. Sed discedit ab hac sententia ipse *Schraderus d. l. num.* 158. quia legitimatio personae debet esse 6
primus actus, quem sequitur etiam *Dn. Pruckmannus vol.* 2. *Cons.* 19. *num.* 99.

TITULUS XVI.

De Haereditariis Actionibus.

L. Pecuniam. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Confusio non fit in totum, sed pro ea parte, pro qua defuncto succeditur. 2.
Actionis hypothecariae haec est natura, ut non solvantur, nisi debitum totum sit solutum. 3.
Si contra eundem agatur, actio personalis cum hypothecaria conjungi potest. 4.
Quaestio hic a Glossa *mota.* 5.

1 Defunctus mihi debuit centum, cui ego cum alio successi, quamvis autem aditione haereditatis confundatur debitum, *l.* 1. §. 18. *ff. ad L. Falcid. l.* 21. *ff. de Liber. Leg.* pro altera tamen parte cohaeredem convenire possum actione personali, et si pignus mihi constitutum est, etiam actione hypothecaria per *l.* 7. *supr. de*
2 *Negot. Gest.* Nam confusio non fit in totum, sed pro ea parte, pro qua defuncto succeditur, verbi gratia, si pro dimidia parte succedam defuncto, pro dimidia etiam parte confunditur debitum, *l. cum a matre* 14. *supra de rei vind.* Ergo in reliquo manent cohaeredibus et contra cohaeredes actiones, *dict. leg.* 7. *supra de Negot. Gest.* Sed actio personalis datur pro parte competente actionis, scilicet in hac specie in parte dimidia, sed hypothecaria ago in soli-
3 dum, quia hujus natura est, ut non solvatur, nisi debitum totum sit solutum, quod quidem hic per confusionem pro parte dimidia solutum est, sed non totum. Sed videtur hypotheca ipsa esse pro parte extincta in ea parte, in qua sum dominus factus rei obligatae vel hypothecatae, *leg. neque pignus de R. J. leg. pen.* §. 1. *ff. de Except. Rei judic.* Sed Resp. quod attenta natura hypothecariae actionis in solidum agitur, sed attento dominio agentis, pro ea rata obstat exceptio, et sic in effectu ad solidam rem hypothecaria actione non agitur, *Salyc. hic num.*
4 2. Collige *hic*: sic contra eundem agatur, actionem personalem cum hypothecaria conjungi posse, *Salyc. hic num.* 3. *Neguzant. de Pign. p.* 8.
5 *m.* 1. *num.* 9. Sed quaerit hic *Glossa*: quid si a defuncto mihi debebatur res individua, verbi gratia, Servitus? Et distinguit *Salyc.* an constituta sit in esse suo, an vero constituenda, ut illo casu nullo modo actio extincta, nec illi aliquid decedat, *l. si communi* 27. *ff. de Servit. R. P.* hoc vero sit extincta pro parte, *l. pro parte ff. de Servit.*

L. Pro haereditariis. 2.

SUMMARIA

Haeres non nisi pro ea parte, qua haeres est, conveniri potest. num. 1.
Limitationes. 2.
Actio hypothecaria contra unum haeredem, si rem obligatam possideat, in solidum cum effectu datur. 3.
Cautela notanda illi, qui habet hypothecam generalem, estque acturus contra haeredes. 4.
Actio hypotecaria pro legatis non datur contra singulos haeredum, nisi pro parte. 5.
Subsidiarius feudi nexus in Pomerania non tollit exceptionem, non sum solus haeres. 6.
Etiam actio pro pensione ex re emphyteutica in solidum datur. 7.
Actionibus personalibus haeredes non tenentur, nisi pro parte haereditaria. 8.
Limitatio Barbosae *notatur.* 9.

Haeres propter debita haereditaria, non nisi 1
pro ea parte, qua est haeres, potest conveniri, etiamsi Fiscus sit Creditor: quia nomina per LL. 12. Tabul. in haeredes divisa (secus in o- 2
bligatione individua, *leg.* 58. §. 2. *in f. ff. de V. O.*) Sicut nec tunc divisio locum habebit, quando defunctus pactus est, ut haeredes singuli in solidum conveniri possint. Sed contraria sententia ex subtilitate juris defendi posset ex *leg. eum qui ita* 56. §. 1. *et ibi Jason.* nec non *Zasius, et leg.* 81. §. 4. *ff. de legat.* 1. Quam sententiam defendunt *Cremensis sing.* 10. *Dn. Mevius part.* 5. *decis.* 66. *et Carpz. part.* 3. *decis.* 252. Posset forte dici illam conventionem non prodesse haeredibus certis ut tertiis, et creditores caeteros conveniri posse, si expressus et in solidum obligatus haeres non sit solvendo. Sane si unam rem obligaverit mihi defunctus, et eam rem uni haeredum reliquerit, illum solum teneri non est dubium: contra eum enim actione hypothecaria in solidum agi potest, sicut et in aliis realibus actionibus, *leg.* 3. §. 3. *ff. Commodati,* non tamquam contra haeredem, sed contra possessorem. Sed solutum pro parte a cohaeredibus repetere potest Act. Neg. Gest. vel Famil. ercisc, *lege* 3. *supra Famil. ercisc.* Colligitur itaque, actionem hypothecariam contra 3
unum haeredem, si rem obligatam possideat, in solidum cum effectu dari, *Dn. Mevius part.* 5. *decis.* 351. *num.* 6. Unde hanc cautelam com- 4
mendat *Roderic. Suarez in celebri tractatu super l. post rem judic. limit.* 1. *num.* 14. quod creditor habens hypothecam generalem possit convenire unum haeredem actione hypothecaria, quia personali actione si ageret, teneretur expectare absentes, et forte Clericos in suo foro sequi teneretur, sed ex hac lege posset contra unum haeredem in solidum agere. Sed exci- 5
pitur actio hypothecaria pro Legatis, quae non datur contra singulos haeredum, nisi pro parte, per *l.* 1. *C. Communia de Legat. Neguz. p.* 2. *m.* 4. *num.* 160. *et p.* 8. *m.* 1. *num.* 51. *Berlich. p.* 1. *Concl.* 67. *num.* 70. *Dn. Richter. de jure et Privil. Credit. Disp.* 8. *num.* 6. *Cavalc. de usufr. mul. relicto num.* 15. Subsidia- 6
rius etiam feudi nexus in Pomerania non tollit exceptionem, *non sum solus haeres*, ut probat *Dn. Mevius part.* 4. *dec.* 21. Sicut autem hypo-

7 thecaria in solidum datur, ita etiam actio pro
pensione ex re emphyteutica per allegata *Barbo-*
8 *sae hic n.* 5. Porro est notandum, quod actionibus personalibus haeredes non teneantur, nisi pro
9 parte haereditaria. Et quamvis *hic Barbosa num.* 6. allegatis aliquot Doctoribus velit limitare hanc Regulam in legato dotis, sententia tamen illa nullo textu nititur, nec ex *l. cum ab uno* 53. *ff. de leg.* 2. qua communiter utuntur, hoc firmiter probatur. Videatur *Surdus decis.* 90. Sicut nec in Alimentis hoc verum esse puto universaliter. Distinguunt enim *DD.* an ab haeredibus relicta sint alimenta in ultima voluntate, an vero promissa sint inter vivos ab uno, et huic plures succedant; illo casu quilibet haeredum pro parte tenetur, quia ab illis incipit obligatio, hoc casu vero quilibet in solidum, *Joan. Petr. Surdus de Aliment. tit.* 9. *quaest.* 14. *num.* 13. *et seqq.* licet dubitet *hic Salyc. num.* 5.

L. Haeredem. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio cum ratione decidendi. 2.

1 Vidua quaedam de restituenda dote volebat
convenire debitores mariti sed Imper. resp.
2 ipsam convenire debere mariti haeredem, quia quamvis omnia bona mariti, ipsi sint tacite obligata, et sic etiam nomina mariti, tamen hic nondum excussus principalis, quod in tacita hypotheca requiritur, *leg. Moschus* 47. *princ. ff. de jure Fisci.* Quod etiam hodie locum. habet, per *Novell.* 1. *cap.* 2. *et Auth. hoc si debitor C. de Pignor.* in generali hypoteca expressa. Vid. *Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 18. *Def.* 18.

L. Sub praetextu. 4.

SUMMARIA

Etiam durante adhuc aetate pupillari agi cum pupillo, ceu debitore haereditario potest. num. 1.
Haeres ejusdem juris est, cujus est defunctus. 2.
Tutor potest vendere de pupilli bonis, ut creditoribus satisfiat. 3.

1 Durante Pupillari aetate etiam agi cum pupillo ceu debitore haereditario, id est, debitoris haerede, potest, ut actio contra tutorem instituatur. Nec enim ex persona haeredis debitoris mutari potest conditio creditoris, *l.* 2. *ff. de V. O.*
2 et haeres ejusdem juris est, cujus est defunctus,
l. haeredem 59. *ff. de R. J.* Nec ideo in pubertatem differenda actio, sed potest statim intentari et contra haeredem agi, licet hic sit pupillus, *l. si tibi* 8. *C. Mandati, l.* 8. *in fine C. de Non*
3 *numerata Pecunia, et similibus.* Collige: Tutorem posse vendere de bonis pupilli, ut Creditoribus satisfiat. In *hac l.* allegat *Barbosa,* ne nihil addat, quaestionem nimis quam alienam, ex quanti temporis silentio creditoris praesumatur solutio. Vid. *ibi DD. allegati.*

L. Ut debitum. 5.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Non potest peti debitum haereditarium, nisi prius constet de haerede. 2.

Delata est mihi haereditas, sed eam alius pos- 1
sidet. Convenio ipsum ob debitum a defuncto contractum, sed cum Protestatione, me nolle renunciare haereditati, sed petitionem haereditatis mihi fore salvam. Respon. Imper. prius constare debere quis haeres sit, et tunc ei solvendum esse aes alienum, alias praepostere ageretur. Ergo non potest peti debitum haere- 2
ditarium, nisi prius constet de haerede.

L. Si adulta 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio cum ratione decidendi. 2.
Quando debitor quid legat creditori, non videtur animo compensandi relictum. 3.
Limitatio. 4.
Confusio debiti non fit nisi pro haereditaria parte. 5.

Patruus virginis fuerat ejus Tutor, et debebat i- 1
psi centum, postea instituit ipsam cum aliis duobus haeredem in triente. Hic metuit virginis curator, si virgo adiret haereditatem, ne confundatur debitum, aut si non confunderetur in solidum, et contra cohaeredes agi pro parte posset, juxta *leg.* 1. *h. tit.* metuit, ne cohaeredes inidonei fiant, qui alias sunt aere alieno obruti, ideoque vult impugnare testamentum.
Respond. Imper. adhuc manere actionem pro 2
besse, id est, octo Unciis contra cohaeredes, pro triente tantum esse confusam, per *leg.* 1. *h. tit.* ideoque contra utilitatem virginis facturum curatorem, si testamentum impugnaret. Quia licet fiant cohaeredes inidonei, beneficio tamen separationis virgini satis consultum esse. Nam potest curator virginis petere, ut separentur bona defuncti a bonis ipsorum haeredum, *l.* 2. *C. de Bonis Auctorit. judic. possid.* Vid. *Menoch. lib.* 3. *Praesumpt.* 142. Nota bene:
quando debitor quid legat creditori, non vide- 3
tur animo compensandi relictum, nisi expresse plus petere prohibeat, *hic, et l. creditorem* 85. *ff. de Leg.* 2. *Honded. Cons.* 63. *n.* 81. *v.*
1. Et alias non videtur defunctus animo com- 4
pensandi aliquem pro parte instituisse, nisi debitum esset origine necessarium, non voluntarium, *leg.* 22. §. 3. *ff. Solut. Matrim. Auth. praeterea C. Unde Vir, et Uxor, Cardin. Mantica de Conject. ultim. vol. lib.* 10. *titul.* 2. *Carpzov. par.* 3. *Jurisprud. Constit.* 13. *Defens.* 29. *Hartm. Pist. Obser.* 105. *Anton. Faber in Cod. lib.* 6. *titul.* 17. *D.* 8. *Honded. vol.* 2. *Cons.* 39. *num.* 77. *et seqq. et cons. per totum.* Illud vero
planum est, quod confusio debiti non fiat nisi 5
pro haereditaria portione, *Tiraq. de Retr. consang.* §. 32. *Gloss.* 1. *num.* 50. et quos hic *Barbosa, et Zang. de Except. part.* 3. *cap.* 9. *num.* 1.

L. Creditores. ult.

SUMMARIA

Legatarii non tenentur solvere aes alienum defuncti, sed haeredes. num. 1.
Quandoque tamen a legatis deducitur aes alienum. 2.
Cui usufructus legatus, ad eum non pertinet onus solvendi aeris alieni. 3.

1 Legatarii non tenentur solvere aes alienum defuncti, sed haeredes, et personalis actio haereditaria non datur contra successorem singularem sed universalem. Ratio in *LL.* 12. *Tabb.* A
Legatis tamen deducitur aes alienum, quando 2
solutis legatis haereditas non solvendo reperitur, quia potior est causa creditorum, quam legatariorum, et ideo illis contra hos datur condictio indebiti, *l. ultim.* §. 5. *C. de Jure Delib. Vinc. de Franch. Decis.* 246. *num.* 4. *et seqq.* Colligitur ergo: Si ususfructus alicui legatus sit, ad 3
eum non pertinere onus solvendi aeris alieni, sed ad haeredem, *argum. hujus l. et. l. ult. ff. de usufr. legat. l.* 69. *ff. ad L. Falcid. Menoch. l.* 4. *Praesumpt.* 143. *num.* 9. *Carpz. part.* 2. *jurispr. C.* 42. *Def.* 15. *et lib.* 1. *Resp.* 104. *Covarr. lib.* 2. *Resolut. cap.* 2. *Mantica de Tac. et Amb. Convent. lib.* 9. *tit.* 4. *in fin. et tit.* 6. *num.* 22. *et alii.*

TITULUS XVIII.

Ex Delictis Defunctorum in quantum Haeredes conveniantur.

L. Post litis Contestationem. unic.

SUMMARIA

Litis contestatio actiones temporales et poenales reddit perpetuas, et ad haeredem transitorias. num. 1.
Exceptio. 2.
Lite nondum contestata tenetur haeres, in quantum ad eum pervenit. 3.
Ex delictis defunctorum privatis tenentur haeredes post L. C. 4.
Ampliatio. 5.
Ex delicto defuncti haeres quoque tenetur, si quid ex eo ad eum pervenit. 6.
Ampliatio hujus. 7.
Jure Canon. haeredes ad damna a defuncto data tenentur, licet nihil ad eos pervenerit. 8.
Quod tamen non observatur in nostro Imperio. 9.
Limitatio ejus, quod. num. 8. *dicitur.* 10.
Exceptio ex delicto fluens etiam haeredi potest opponi, licet ipse actione ex delicto defuncti non possit conveniri. 11.
Ex delictis, quae in contractibus committuntur, haeres contractus actione convenitur. 12.

1 Haec vis est Contestationis Litis, ut Actiones Temporales et poenales reddat perpetuas, et in haeredem transmittat, *l. omnes* 26. *l.* 33. *l.* 58. *ff. de O. et A.* quia haec novat quasi contractum, et est quasi contractus, *leg.* 29. *ff. de Novat.*
2 Sed Criminales Actiones non transmittit in haeredem, excepto crimine Majest. et repetundarum, *l. ult. ad l. Jul. Majest. l.* 20. *ff. de Ac-*
3 *cus.* Sed si lis nondum contestata, tenetur haeres, in quantum ad eum pervenit, *hic et l.* 4. §. *ult. ff. de incend. ruina nauf. etc.* ne quis cum alterius damno locupletetur, *c. locupletari* 48. *de R. J. in.* 6. *l.* 5. *ff. de Calumniat.* Turpia enim lucra etiam haeredibus extorquenda, *d. l.* 5. *de Calumn.* Vid. *Farinac. lib.* 1. *Quaest.* 10. *num.* 50. *et seqq.* Collige ergo I. Ex delictis defunctorum privatis teneri haeredes 4
post litem contestatam, sicut et *hanc legem* de delictis privatis accipit *Sichardus hic ad Rubricam, et D. Mevius vol.* 5. *decis.* 393. Si scilicet cum defuncto lis contestata. Idem est, si 5
ob moram defuncti, quia reorum proprium est fugere, lis non potuit contestari, *l. si cum* 10. §. 2. *ff. si quis cautionibus. Vasq. lib.* 3. *Illustr. Controv. c.* 92. *n.* 25. *Farin. d. Q.* 10. *num.* 51. Oportet etiam litis contestationem esse validam, si ex ea contra haeredes agendum sit, *Vasq. d. l. et Farin. num.* 54. *in fine.* II. Alius casus notetur, quod ex delicto defuncti 6
haeres teneatur, ex textu scilicet, si aliquid ex scelere vel delicto ad haeredem pervenit, *hic et l. sicuti poena* 38. *ff. de R. J. Pruckman. v.* 2. *cons.* 7. *num.* 146. quae exceptio regulae non 7
in privatis tantum, sed et publicis criminibus locum habet. Et sufficit, si ad primum haeredem pervenerit, licet probari nequeat, quod ad secundum pervenit, *Farin. d. Q.* 10. *n.* 68. Praeter hos duos casus volunt haeredem etiam 8
teneri Jure Canonico ad damna a defuncto data, licet nihil ad haeredem pervenerit, *c. fin. X. de sepult. c. Tua nos X. de usuris, Gomez tomo* 3. *Resol. c.* 1. *nu.* 85. *Covarr. lib.* 3. *Resolut. c.* 3. *num.* 7. *Farin. d. Q.* 10. *num.* 60. et quos hic allegat *Barbosa num.* 7. quo jure tamen non utitur Imperium, 9
nisi judicium sit Ecclesiasticum, *Cacheranus decis.* 152. *num.* 6. *Farinac. num.* 63. Neque hae- 10
res Jure Canonico tenetur ultra vires haereditatis, *Covarr. d. c.* 3. *num.* 8. *Caevall. Q.* 464. et quos hic allegat *Barb. Farin. num.* 64. Quando vero ex delicto fluit Exceptio, haec etiam hae- 11
redi potest opponi, licet haeres actione ex delicto defuncti non possit conveniri, *argum. l.* 3. §. *quod autem* 5. *ff. Quod quisque juris, l. pure* §. *fin. ff. de Except. Doli, Zasius in d.* §. 5. *num.* 9. *Farin. d. l. num.* 76. *limit.* 14. *Ant. Gabriel. lib.* 7. *Comm. concl. tit. de crimin. concl.* 35. *ad fin. Petr. Barbosa ad l.* 2. *pr. p.* 1. *num.* 132. *seq. ff. Sol. Matr.* Demum ex delictis, 12
quae in contractibus committuntur, haeres ex contractus actione convenitur, *l. ex depositi* 12. *ff. de O. et A. Farin. d. l. Limit.* 15.

TITULUS XVIII.

De Constituta Pecunia.

L. Si pro alieno. 1.

SUMMARIA

Quando quis alienum debitum se soluturum constituit seu promittit, ex hoc ipso perpetuo obligatur, et haeres ejus. num. 1.
Ex pacto geminato semper oritur actio. 2.
Ratio, cur ex constituto oriatur actio. 3.
Constitutum inter absentes per epistolam et nuncium fieri potest. 4.

1 Quando quis alienum debitum se soluturum constituit seu promittit, ex hoc ipso perpetuo, ut in aliis personalibus actionibus, *l.* 2. *C. h. t. et l. sicut* 3. *C. de Praescript.* 30. *annorum*, obligatur, et haeres ejus, *Struv. Syntagm. jur. civ. Exerc.* 18. *thes.* 79. quia est actio personalis; datur enim ex conventione seu pacto. Cur autem ex nudo pacto hic actio detur, rationem Doctores assignant hanc: quia geminata hic voluntas. Ideoque Regulam exinde extruunt:
2 Ex pacto geminato semper dari actionem: *Doctores* allegat *Tuschus concl.* 28. *num.* 24. *lit. G. Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 2. Sed rationem hanc, et multo magis consectarium, refutat *Jason. in l.* 14. *C. de Pact. et Bacchov. D.* 8. *de Act. th.* 3. *lit. C. et Treutl. D.* 23. *th.*
3 7. *lit. G.* Forte accessit haec ratio: quod viderent modum constituendi inter mercatores esse receptum. Licet autem ipsum constitutum sit conventio, quae nudo consensu constat, *Besold.*
4 *Cons.* 15. *num.* 10. et ideo inter absentes per epistolam et nuntium fieri possit, *argum. l.* 2. §. 2. *ff. de O. et A. Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 5. *Mantica lib.* 19. *de tac. et amb. convent. tit.* 4. *num.* 13. *et seqq. Duarenus ad tit. ff. de Constituta pecunia, cap.* 3. actio tamen Realis etiam constitui potest, quia secundum latiorem significationem debitum dici potest, *Mant. d. l.* 19. *tit.* 3. *num.* 12.

Auth. Si quando.

SUMMARIA

Constitutum ex duabus causis est inutile. num. 1.
Impersonalitas vitiat actum. 2.
Rittershusii *sententia reprobatur.* 3.
Ex parte stipulantis impersonalitas admittitur. 4.
Non vitiatur constitutum, licet non adjiciatur certa quantitas. 5.
Constitutum, si fiat personaliter, sed referatur ad personam extraneam, inutile est. 6.
Casus, quo constitutum ex parte est inutile. 7.
Particula copulativa inducit obligationem pro rata. 8.
Conjunctio vero aut *inducit obligationem in solidum.* 9.
Vocabulum satisfaciendi, *prolatum ab homine obligare se volente, significat solutionem.* 10.

Constitutum ex duabus causis est inutile, I. 1
Quando quis impersonaliter constituit, *satisfiet*, quia impersonalitas vitiat actum, ut *hic DD.* 2
statuunt. Impersonalitas enim illa i. e. quando non exprimitur quis solvere debeat, vitiat totum, quod agitur, *Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 8. Imo nec stipulationem hujusmodi valere, *dabis centum? dabuntur*, putat *Rittershusius in Nov. pag.* 3. *c.* 5. *num.* 17. Verum haec sen- 3
tentia merito rejicienda. Nam Responsio stipulanti facta, licet impersonalis, tamen ex interrogatione praecedente interpretanda, *Bacch. in Tr. V.* 2. *D.* 27. *th.* 2. *lit. E.* et in *Wesenb.* ☞. *num.* 4. Quae ratio cessat in constituto, ante quod non praecessit interrogatio. Sane ex parte 4
stipulantis impersonalitatem admitti probat *l.* 38. §. 5. *ff. de Verb. Obl.* Non vero vitiatur Con- 5
stitutum, licet non adjiciatur certa quantitas, per *hanc authenticam* et collatam *l.* 14. *pr. ff. h. t. ibique auctor.* Ea enim intelligitur quantitas, quae et in priori obligatione, quae constituitur, et certum est, non tantum quod nominetenus exprimitur, sed etiam quod per relationem ad aliud definitur, *l. certum* 6. *ff. de Rebus Credit.* Si autem personaliter quidem fiat 6
constitutum, sed referatur id ad personam extraneam, v. g. satisfiet a fratre meo, etiam inutile est constitutum, cum alium ignorantem obligare non possimus, *Duar. hic cap.* 4. *Mantica d. tit.* 4. *num.* 16. *et* 18. II. Quando 7
vero quis se et Titium, vel se aut Titium soluturum constituit utroque casu est inutile constitutum respectu Titii, sed utile respectu constituentis, qui secundo casu tenetur in solidum, priori vero pro parte, vid. *Rittershus. d. c.* 5. *num.* 15. *Tholosanus lib.* 24. *Syntagm. tit.* 7. *num.* 7. Nota bene: Particulam copulativam in- 8
ducere obligationem pro rata, *l.* 1. *C. si plures una sentent.* et Conjunctionem, *aut*, inducere obligationem in solidum. Collige etiam: Voca- 9
bulum, *satisfaciendi*, prolatum ab homine, obligare se volente, significat solutionem, et ita promissorem non posse se liberare dando pignora vel fidejussores, ut alias per *l.* 10. *ff. de Pign. Act. Neguzant. de Pign. p.* 5. *m.* 1. *num.* 4. *in fin.* et sic vocabulum satisfactionis hic strictius accipitur, quod tamen latino interpreti et Irnerio tribuit *d. l. Rittersh. num.* 12.

L. Receptitia. 2.

SUMMARIA

Differentia inter actionem de constituto, et receptitiam. num. 1.
Posterior est abrogata per Imper. et tota ejus vis transfusa in actionem de constituta pecunia. 2.
Quae competit pro omnibus rebus, et durat 30. *annos.* 3.
Vocabolum pecuniae *hic accipitur etiam pro rebus non fungibilibus.* 4.

Si debitum conditionale constitutum est pure, existente denum conditione constitutor tenebitur. 5.
Si purum debitum sub conditione constitutum, manet prior actio utilis, si non novata. 6.
Actio de constituta pecunia datur haeredi et contra haeredem. 7.
Requisitum, ut detur actio de constituto. 8.
Quod ex antidorali obligatione debetur, non potest constitui. 9.
Debitum sine causa promissum etiam constitui potest. 10.
Quod solo jure civili debetur, id non potest constitui. 11.
Mercatores, et omnes qui aliquam artem profitentur, possunt condere statuta. 12.
Improbanda est eorum subtilitas, qui non sensum, sed nuda nominum vocabula amplecti desiderant. 13.

1 Actio de Constituto tantum dabatur in rebus fungibilibus, id est, numero, pondere et mensura constantibus, in aliis vero Receptitia Actio.
2 Sed hanc Imper. abrogat, et totam ejus vim transfundit in actionem de constituta pecunia,
3 quae competit pro omnibus rebus, et durat triginta annos, quia est Personalis; ut ideo *pecu-*
4 *niae* vocabulum hic largissime capiatur, etiam pro rebus non fungibilibus, *Tir. de Retract. Consanguin.* §. 1. *gl.* 14. *num.* 42. *Bacchov. in Treutl. D.* 25. *th.* 10. *lit. A.* Sic et pure vel sub conditione Constitutum fieri potest.
5 Sed si quis debitum conditionale constituerit, sine die, seu pure, existente tamen conditione demum constitutor tenebitur, quia non potest incipere costitutionis obligatio sine principali, quae cum nulla sit ante existentem conditionem, etiam nullum erit Constitutum, *Schneidew. in* §. *in personam Inst. de Act. num.* 27. E con-
6 trario, si purum debitum sub conditione constituero, manet prior actio utilis, si non novata, *Cujac. ad l.* 19. *ff. h. t. tomo* 1. *p.* 1186. Da-
7 tur autem haec actio haeredi et contra haeredem, ut ex aliis contractibus actiones sunt hae-
8 reditariae. Sed ut actio de Constituto detur, requiritur ut ante adsit debitum, quod constituitur. Unde quod supra debitum constituitur, non valet, *l.* 11. *et seq. ff. h. t.* Sufficit tamen debitum jure naturali tantum, quod gentium jure exigi possit, quo referunt testamenta imperfecta, de quo *Bacchov. d. th.* 9. *lit. E.* Il-
9 lud vero quod ex antidorali obligatione debetur, constitui non potest, quia jure gentium exigi minime poterat, *Mantica. d. l.* 19. *tit.* 3. *num.* 6. Et cum jure Gentium debeat, qui si-
10 ne causa promisit, puto etiam tale debitum constitui posse, post *Bart. et. Galiaulam in Rubr. de V. O. Mantica d. t.* 3. *num.* 11. Et sufficit debitum eo tempore fuisse, quo constituitur, licet postea desierit deberi, *Mant. d.*
11 *t.* 3. num. 16. Quod vero solo jure civili debetur, v. g. si actioni exceptio obstet, id non potest constitui, quia constitutum ex jure naturali oritur, quod autem per exceptionem elidi potest, pro non debito habetur, *l.* 3. §. 1. *ff. h. t. Jason. in* §. *in personam Inst. de Action. num.* 42. *Schneidew. ibid. num.* 25. *Mantica d. t.* 3. *num.* 4. *Bacchov. d. th.*7. *lit. F. Donell. lib.* 12. *c.* 3. Ex fine *l. hujus* notant. *DD.* quod Merca- 12
tores et omnes, qui aliquam artem profitentur, possint condere statuta, nec ea requirant consensum superioris, scilicet in rebus ad suam professionem et jurisdictionem spectantibus, per *l. fin. C. de Jurisdict.* et si statuta juri non sint contraria, *Straccha de Mercat. tit. quomodo procedendum sit etc. in princ. num.* 7. *Rol. a Valle Cons.* 29. *num.* 7. *vol.* 1. *Ruinus cons.* 23. *num.* 14. *Natta Cons.* 402. *num.* 17. *Vasq. de succ. creat.* §. 6. *num.* 14.
Ex §. 1. hujus legis colligitur, improbandam 13
esse subtilitatem eorum, qui non sensum, sed nuda nominum vocabula amplecti desiderant, *Dn. Mev. p.* 2. *dec.* 35. *num.* 4.

L. Divi Hadriani. fin.

SUMMARIA

Beneficium divisionis competit pluribus idem debitum constituentibus. 1.
Limitatio. 2.
Ea, quae in Fidejussoribus locum habent, etiam in constituto habent locum. 3.
Beneficium excussionis etiam ei accommodatur, qui alterius debitum constituit sine animo novandi. 4.
Si principale debitum metu extortum, constituenti etiam doli exceptio competit. 5.

Sicut plures, qui eandem rem mandant, vel 1
pro uno debitore fidejubent, licet in solidum ipso Jure teneantur, habent beneficium Divisionis, ita et hic idem privilegium ad plures, idem debitum alienum constituentes, extenditur, *Auctor in l.* 16. *ff. h. t. num.* 1. Nam ubi eadem ratio, ibi idem jus, *l. illud* 32. *in pr. ff. ad L. Aquil.* nisi scilicet quis renunciaverit illi 2
beneficio. Colligunt ex *hac l. DD.* Ea, quae in 3
fidejussoribus locum habent, etiam in constituto habere locum, nisi ubi diversum in jure expresse dispositum, *Schneidew. d. l. num.* 31. *Dn. Mevius p.* 2. *dec.* 25. *Duar. h. t. num.* 31. *cap.* 2. *Auctor in d. l.* 16. *ff. h. t. num.* 2. Hinc etiam beneficium Excussionis ei accommodant, 4
qui alterius debitum constituit sine animo novandi, vel se principalem debitorem constituit, ne actiones temere multiplicentur, *Auctor in l.* 28. *ff. h. t. num.* 2. *et* 3. Et hanc sententiam tuentur *Sich. ad Auth. praesente C. de Fidejuss. num.* 4. *Carpzov. p.* 2. *Jurispr. Const.* 18. *def.* 2. *Bacchov. in Tr. V.* 2. *D.* 28. *th.* 5. et quos allegat *Hering. de fidejuss. cap.* 27. *p.* 1. *num.* 67. licet dissentiat ipse *Hering. num.* 84. *et seq. et Gail. lib.* 2. *obs.* 28. *num.* 2. *et Fachin. l.* 8. *c.* 54. Si cum principale debitum esset metu extortum, constituenti eandem exceptionem doli datam in supremo Tribun. Suec. refert *Dn. Mevius d. dec.* 25.

TITULUS XIX.

De Probationibus.

L. Ut Creditor. 1.

SUMMARIA

Actor suam actionem, reus suam exceptionem probare tenetur. num. 1.
Reus excipiendo non fateri videtur intentionem actoris. 2.
Limitatio. 3.
Reus si aliquid excipiendo affirmat, tenetur illud probare. 4.
Is, qui intentionem actori negavit, tamen probare potest exceptionem. 5.
Non satis probatae sunt usurae, si probaverim, aliquem solitum esse foenerari. 6.

1 Uti actor suam intentionem debet probare, *hic et l.* 2 *ff. et C. eodem, Struv. Synt. jur. civ. Exerc.* 28. *th.* 6. ita si Reus intentionem actoris fateatur, sed Exceptionem opponat, v. g. solutionem, tunc eam probare debet, *hic et in l. in exceptionib.* 19. *ff. eod. Auctor in l.* 5. *ff. h. t. n.* 2. *et l.* 19. *ff. eod.* ex natura cor-
2 relatorum. Sed *an Reus excipiendo videtur fateri intentionem actoris?* v. g. si dicat se solvisse, an tunc fatetur debitum? Resp. Si conditionaliter excipiat, v. g. non debeo, aut si debeo solvi, nullum est dubium, quod scilicet tunc non fatetur; sed etsi simpliciter excipiat, non videtur fateri, ob *l.* 9. *ff. de Except. c. cum venerab.* 6. *X. de Except.* hanc esse communem testatur *hic Sich. num.* 3. *Gilk. num.* 6. *Masc. concl.* 37.
3 *num.* 4. nisi praesumptio militet contra eum, v. g. si necessariam defensionem alleget. Collige
4 I. ex textu: Reum si aliquid excipiendo affirmet, teneri illud probare, *Donell. l.* 25. *c.* 2 *Camil. Borell. lib.* 2. *decis. tit.* 2. *num.* 16. *Struv. Synt.*
5 *jur. civ. Exerc.* 28. *th.* 6. II. Illum, qui intentionem actoris negavit, tamen probare posse postea exceptionem: exceptis iis casibus, in quibus mentiens amissione sui juris punitur, ut *l. ult. ff. de Rei Vind. vid. hic Sichard. Castr.*
6 *Gilken.* III. Non satis probatas esse usuras, si probaverim ipsum solitum fuisse foenerari, *DD. hic, et Rom. sing.* 361.

L. Possessiones. 2.

SUMMARIA

Qui possessionem vult vindicare, probare tenetur Dominium. num. 1.
Ex possessione praesumitur dominium. 2.
Defensio, quae in sola inficiatione dominii actoris consistit, parit reo solam absolutoriam. 3.

1 Si quis possessionem vindicare velit, is debet dominium probare, alias res penes reum mansura est, *hic et l. in rem* 23. *ff. de R. V. l. qui accusare* 4. *C. de Edendo.* Ratio in *l. praeced.* Collige: Aliquem, donec rem possidet, 2
praesumi dominum, et non teneri possessorem, ut asserat se esse dominum, *DD. ad* §. *omnium* 1. *Inst. de Act.* Sed satis est, ut Reus actoris dominium neget, quam sententiam contra *Contium* (cuius partes suscipit defendendas *Harpr. in d.* §. 1) *Wesenb. in C. h. t. num.* 54. *et ex eo Hillig. in Donell. lib.* 20. *c.* 7. *lit. A.* his rationibus firmat: 1. quia nec titulum possessionis edere cogitur Reus, *l.* 11. *C. h. t.* Ergo nec dominium allegare. 2. Ex possessione ipsa praesumitur Reus dominus, *hic et l.* 15. *C. de R. Vind. Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 14. *Def.* 25. *num.* 9. 3. Necessitate contra-vindicandi posita, ex simplici judicio petitorio constitueretur duplex. Si tamen reus contra-vindicaverit, habebit hoc insignem utilitatem, nam defensio, quae 3
in sola inficiatione dominii actoris consistit, parit reo solam absolutoriam, *l. ult. C. de R. V.* At, quae in contra-vindicatione consistit, efficit, ut una ejus esse declaretur, *Hillig. d. l. lit. B.*

L. Ex persona. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Decisio. 3.
Nominator magistratus non potest conveniri, si magistratus tempore depositi officii sit solvendo. 4.
Qui aliquem dicit fuisse solvendo id probare debet. 5.
Paupertas est qualitas naturalis. 6.
Probatio ejus, quod collega tempore depositi officii solvendo fuerit, non pupillo agenti, sed tutori convento excipienti imponitur. 7.
Quoties ea de re agitur, quam recte gessisse ad officium rei pertinet, non probatio male gesti ab actore requiritur, sed a reo quod recte et secundum officium gesserit. 8.

Titius et Sejus cum Avo suo Tutelam vel a- 1
liud officium administrarunt; Priores duo post mortem Avi in solidum conveniuntur. Quaeritur *an recte?* Videtur quod sic., *l.* 2. *C. de Di-* 2
vid. Tutel. l. Imperator 11. *pr. ff. ad. Municipal.* Quod negatur, si potuerunt probare Avum 3
tempore depositae tutelae fuisse solvendo, per *l.* 1. *C. de Divid. Tut.* quod hic probandum Reis. Sic nominator magistratu non potest con- 4
veniri, si magistratus tempore deositi officii sit solvendo, *l. ordine* 15. §. 1. *ff. ad Municipalem, l.* 1. *C. de Periculo Nominatorum lib.* 11. Collige: I. Qui aliquem dicit fuisse solvendo, 5
id debere eum probare. Quia enim paupertas 6
est qualitas naturalis, cum pauperes nascamur, et divitiae sint qualitas adscititia, merito pro qualitate naturali militat praesumptio. Qui vero in divitiis se fundat, se in qualitate accidentali

fundat, et ideo probandae hae ab allegante, cum qualitas accidentalis sit probanda, *Menoch. lib.* 1. *de praesumpt. Quaest.* 13. *num.* 3. *Mascard. concl.* 1255. *num.* 86. *Gail. lib.* 1. *de PP. cap.* 13. *Tiraq. de Retr. Consang.* §. 8. *gl.* 7. *num.* 1. Sed si paupertas etiam pro fundamento Intentionis ab aliquo allegetur, ab eo etiam probanda, *Covar. l.* 2. *Resol. c.* 6. *Menoch. lib.* 6. *Praesumpt.* 25. *num.* 14. *Gilken. hic num.* 8.
7 II. Probationem ejus, quod collega tempore depositi officii solvendo fuerit, non pupillo agenti, sed tutori convento excipienti imponitur, quae tamen species in *hac l.* relata non deviat a regula communi, nam plures tutores singuli in solidum tenentur, *l. tres tutores* 56. *ff. de Administratione Tutor.* Verum datur singulis Exceptio dividendae actionis, si tutores solvendo sint, vel tempore officii depositi fuerint, atque ita, quia pupilli agentis intentio jure nititur, necesse est, ut Rei intentionem suam probent, *Donnell. ad hanc l.* quam refert *Hillig. lib.* 25.
8 *c.* 4. *in fine.* III. Quoties ea de re agitur, quam recte gessisse ad officium Rei pertinet, non probatio male gesti ab Actore requiritur, sed a Reo, quod recte et secundum officium gesserit, *l.* 1. §. 11. *ff. Magistrat. conveniend. l.* 11. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 2. *Donell. ad l.* 1. *C. h. t. in fine et l.* 25. *cap.* 4. *Ummius Disp. ad Process.* 15. *num.* 12.

L. Proprietatis. 4.

SUMMARIA

Dominium rei non tantum instrumentis, sed et testibus, aliisque modis probatur. num. 1.
Dominium est quid incorporale, quod non percipitur sensu. 2.
Distinctio inter proprietatem et dominium ex hoc textu et similibus vix probatur. 3.
Per famam dominium non probatur. 4.
Limitatio. 5.
Casus, ubi fama aliquod praebet indicium, remissive. 6.

1 Dominium rei non tantum Instrumentis, sed et Testibus, aliisque modis probatur. Sed quomodo? Si testis non deponat esse ipsum dominium, sed deponat de causa dominii, v. g. quod viderit rem vendi, et venditam tradi, quia domi-
2 nium est quid incorporale consistens in jure, quod non percipitur sensu, sed ratione et intellectu, et in talibus debet testis maxime allegare causam scientiae, v. g. Si articulus de dominio loquatur, debet dicere, unde sciat illum esse dominum, quia venditor tamdiu rem habuit, et postea vendidit Titio etc. *Castr. hic num.* 4. De probatione dominii pluribus agit *Schneidew. in* §. *omnium Inst. de Act. num.* 2. *Mascard. de Probat. concl.* 1198. *Carpzov. lib.* 1. *Resp.* 76. *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 42. Colli-
3 gunt nonnulli distinctionem inter proprietatem et dominium, ut illa directum dominium tantum significet; sed illa distinctio ex *hoc textu* et similibus vix probatur, vid. *Pinell. in t. C. de Bon. Mat. p.* 2. *num.* 6. et quos allegat *Barb. in coll. hic num.* 2. Conf. *Joan. del Castillo de usufr. c.* 75. *num.* 37. *et seq.* Quia etiam *Glossa* inter indicia famae mentionem facit, quaerunt *DD. An etiam per famam probetur dominium?* 4
quod hic negat *Salyc. Castr. Sichard.* et alii, nisi de antiquissimis rebus, quarum memoria 5
non extat, agatur, *Mascard. Concl.* 546. *num.* 13. De iis, quibus fama aliquod praebet indi- 6
cium, vide *l.* 3. §. 2. *ff. de testib. c.* 4. *c.* 6. *q.* 35. *cap.* 5. *X. de eo qui cogn. cons. ux. Freher. L. de Fam. Hunn. P.* 2. *t.* 18.

L. Instrumenta. 5.

SUMMARIA

Instrumenta domestica non sufficiunt ad probationem. num. 1.
Sunt illa triplicia. 2.
Apocha, quae negata, sine testibus regulariter non probat. 3.
Liber rationum contra scribentem semper, non pro illo probat. 4.
Epistola contra scribentem probat. 5.
Haec lex melius de privatis annotationibus, quas faciunt creditores intelligenda. 6.
Privata annotatio debitoris non probat solutionem. 7.
Limitatio. 8.
Privatae rationes unius socii contra reliquos non probant. 9.
Privata instrumenta contra scribentem omnino probant. 10.
Castrensis *et* Sichardi *sententia notatur.* 11.
Instrumentum privatum, modo sit recognitum, aequiparatur scripto publico, et plene probat. 12.
Scriptura privata a partibus subscripta etiam sine testibus in personalibus actionibus plene probat. 13.

Quaeritur: *An instrumenta domestica sufficiant ad probationem?* Resp. Negative, nam in- 1
strumenta domestica triplicia sunt, *Struv. Synt.* 2
jur. civ. Exerc. 28. *th.* 23. I. Apocha, quae ne- 3
gata sine testibus non probat, sed si comparatio literarum accedat, semiplene probat, *Mascard. Concl.* 330. *num.* 7. *Covar. P. Q. qu.* 22. *num.* 6. idem si sigillum scribentis accedat, *Menoch. l.* 2. *Praes.* 58. *num.* 1. *Mascard. concl.*
1302. II. Liber rationum, qui contra scriben- 4
tem semper, sed pro eo non probat, ut in *l. Nesennius* 34. *ff. de Negot. Gest.* nisi agatur de re non magni momenti, accedatque juramentum, *argum. l. Thesaurus* 15. *ff. ad Exhib. l. pen.* §. *penult. in fine C. de Donat.* III. Epi- 5
stola, quae contra scribentem probat, *l. publica* 26. §. *fin. ff. Depos.* non pro eo, nisi acceptans non protestatur, *l.* 16. *ff. ad SCtum Macedon.* Quamvis autem de Syngrapha *Accurs.* videatur hanc legem intelligere, quia tamen haec fidem facit *l. ult. supr. si Certum Pet.* ideoque melius haec lex de privatis annotatio- 6
nibus, quas faciunt Creditores, intelligenda, v. g. si aliquis scribat in suo libro: Titio hodie mutuo dedi centum: et ideo de scriptura, qua quis sibi debitorem constituit, haec lex accipienda, ut recte *Cujac. ad hanc l. tomo* 3. *operum p.* 304. Sic etiam privata annotatio de- 7
bitoris non probat solutionem, nisi adminicu- 8
la concurrant, v. g. fides hominis, et subsecuta mors, et alia accedente juramento Supple-

torio haeredum super credulitate, *Dn. Mev. p.*
9 4. *dec.* 121. Sic nec probant privatae rationes seu partitae unius socii contra reliquos, de
10 quo *Dn. Mev. p.* 4. *dec.* 170. Nam alias privata instrumenta contra scribentem omnino probant, *Struv. Sint. jur. civil. Exerc.* 28. *th.* 21. v. g. ex rationibus accepti ab actore seu creditore confectis, reus potest sumere probationem solutionis, id est, si creditor in brevibus suis pecuniam acceptam retulerit, ex eo reus ducet probationem solutionis, *l.* 5. *supr. de Edendo Cujac. d. l.* E contrario, ex rationibus accepti, confectis a debitore, sumere potest creditor probationem crediti, si forte eam scripturam invenerit casu fortuito actor, nam reus ad e-
11 dendam eam non teneretur. Ex dictis apparet, plane aliena esse, quae de adminiculis, v. g. causa debiti, et recognitione scripturae hic scribunt *Castrens. et Sich.* et alii. Praesupponunt enim hic de Syngrapha sermonem esse, et faciunt discrimen inter testationem et annotationem, quasi haec duo differant, quae omnia sunt conficta; nam testationem et annotationem pro una hic accipere videtur Imperator. Ma-
12 neat ergo firmum, Instrumentum privatum, modo sit recognitum, *Struv. Exerc.* 28. *th.* 21. aequiparari scripto publico, et plene probare, *Pruckmannus Vol.* 1. *Cons.* 7. *num.* 17. et habere executionem paratam, *Carpz. p.* 1. *Jurisp. Const.* 16. *Def.* 10. *Berlich. p.* 2. *dec.* 281. *Colerus de Process. p.* 3. *c.* 1. *num.* 87. *et seq. Ummius ad Process. Disp.* 17. *num.* 22. *Nicolaus de Passeribus in Tr. de Scriptura Pri-*
13 *vata l.* 1. *Q.* 1. *num.* 122. Scriptura etiam privata a partibus subscripta etiam sine testibus in personalibus actionibus plene probat, *Gabriel. Tit. de Probat. concl.* 9. *Koppen Decis.* 46. *Vivius Dec.* 539. *Covar. Q. Pract.* 22. *Trentac. l.* 2. *de Fid. Instr. Res.* 1. *Struv. Exerc.* 28. *th.* 21. Confer. *Camillus Borellus lib.* 2. *Decis. tit.* 23.

L. Rationes. 6. et Auth. seq.

SUMMARIA

Nec rationes pro scribente etiam mortuo, nec pro haerede probant. num. 1.
Libri mercatorum semiplenam faciunt probationem. 2.
Requisita tamen quaedam adesse debent. 3.
Assertio testatoris in testamento non probat. 4.
Limitatio. 5.
Juramentum est argumentum enixae voluntatis. 6.
Dispositio generalis cum juramento habet vim specialis et expressi consensus. 7.
Dispositio auth. seq. 8.
Quae rectius l. 10, C. comm. utr. jud. *subscripta fuisset.* 9.
Sufficit, si testator dicat tantum se jurasse, licet formale juramentum non reperiatur. 10.
Ampliatio. 11.
Assertionibus, quae fiunt sub amissione salutis, non temere fides est deroganda. 12.
In processibus inquisitionum istiusmodi assertionibus v. g. (Sic wollen drauff leben und sterben) *parum credendum.* 13.
Inepte sepe DD. *et Practici allegant et applicant regulam, quod mors loco juramenti habeatur, et scriptura per mortem confirmata habeat vim juramenti.* 14.

Nec rationes pro scribente, *Struv. Sint. jur.* 1
civil. Exerc. 28 *th.* 25. etiam mortuo, licet alii sint contrarii, *id. Struv. d. l.* nec pro haerede
probant. Excipiunt vulgo Libros Mercatorum, 2
de quibus statuunt, quod rationes a mercatore in iis scriptae semiplenam faciant probationem, ob hanc rationem, quia qui sine Chirographo dato merces à mercatoribus accipit, tacite videtur permittere, ut mercator suis libris inscribat, et se velle eorum librorum fidem sequi; quae quidem ratio aliquid ad presentem materiam facit, sed experientia docet, hanc rationem probandi per libros mercatorum hodie saepe in abusum trahi, nam forte pauci sunt, qui libros suos ita componunt, ut omnia illa requisita
habeant. Requirunt enim Doctores, ut Persona 3
Mercatoris sit honesta, proba, et fide digna, ut libro expressa legatur causa debendi, ut liber contineat omnia data et accepta, et si quid solutum sit, semper reperiatur deletum, ut addatur dies, ut annotata pertineant ad negotiationem illam, in qua occupatus est mercator. Vid. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 20. *et Obs.* 43. *Carpz. p.* 1. *Jurispr. Const.* 17. *Def.* 35. *et seqq. Menoch. lib.* 3. *Praes.* 63. *Nicolaus de Passeribus in Tr. de Scriptura Privata lib.* 4. *tit. de libris Marcat.* et quos collegit *hic Aug. Barb. num.* 9. Dicitur
deinde, quod nec assertio testatoris in testamen- 4
to probet, quia verbis dispositivis, non enunciativis fides habenda, sive se debere dixerit, *l. ex his* 7. *C. de Testam. Milit.* sive sibi debere alium per *hanc l.* 6. ergo defuncti assertio in Testamento prolata non praejudicat alicui, et non facit ut sim debitor testatoris, cui nihil de-
beo: Si tamen minus complectatur Testator, 5
quam debeo, habet ea res speciem Remissionis et liberationis legatae, v. g. Si Testator in recensione bonorum scripserit, Titium sibi debere centum, qui tamen debebat ducenta, non possunt haeredes ab eo petere nisi centum, videlicet si cum religione Jurisjurandi hoc scri-
pserit, nam juramentum est argumentum enixae 6
voluntatis, quasi voluerit centum tantum petere, et reliqua insuper habere, *l. cum pater* 77. §.
filius 23. *ff. de leg.* 2. et dispositio generalis cum 7
juramento habet vim specialis et expressi consensus, *Tiraq. de LL. Connub. Gl.* 7. *num.* 152. *Boer. Decis* 3. *num.* 8. *Covarr. in c. Raynald.* §. 3.
num. 16. *X. de Testam.* Atque haec est materia 8
Auth. quae huic legi subjecta, in qua dicitur: si juramentum accedat, id obligare haeredes, non vero praejudicare creditoribus si minorem asserat quantitatem. Sed, *an debitori noceat haec confessio jurata?* Negatur per tradita *Rittersh. ad Nov. p.* 6. *t.* 9. *cap.* 7. *n.* 7. ideoque rectius *l.*
10. *C. Communia utriusque judicii* haec *Authent.* 9
subscripta fuisset, scilicet quod designatio bonorum haeredibus non prejudicet *d. l.* 10. nisi jurata, per *hanc Auth. et Novell.* 48. *Rittershus. d. l. num.* 3. Nam non loquitur ipsa *Nov.* 48. aperte de testatore, qui scripsit sibi deberi, sed de testatore, qui scripsit bonorum suorum modum, quae descriptio non nocet creditoribus, quo minus si qua sint alia bona defuncti, ea possint persequi. Itaque *Novella* opitulatur Creditoribus, cum testator minus dixit se habere in bonis, cum plus habeat. *Lex* autem 6. opitula-

tur debitoribus, quos scilicet haeredes dicunt
esse haereditarios debitores, ipsi autem inficiantur,
ut scilicet non convincantur scriptura testamenti.
Haec recte *Cujac. ad d. l.* 6. Neque in pejori specie,
quando dicit testator, juro Titium mihi debere
10. necessaria erit particula taxativa, *tantum*,
Guttierez de juram. Conf. *p.* 2. *c. ult. num.* 4.
10 Sic sufficiet, si testator dicat tantum se jurasse,
licet formale juramentum non reperiatur, per
l. cum quis decedens 37. §. *codicillis* 5. *ff. de Leg.*
3. *Guttierez d. l. et p.* 1. *c.* 54. *num.* 14. Idem
11 si dicat sub amissione salutis suae haec vera
esse, (*er nehme es auff seine Heimfarth, wolle
drauf leben und sterben, etc. nehme es auff sein
Christliches Gewissen*) *Hering. de fidej. c.* 20. §.
12 2. *num.* 79. Sane his assertionibus temere fides
abroganda non est donec probetur contrarium,
quando persona fide digna est et Cristiane vixit,
quod hodie tamen rarum; nam ex eo exurgit
praesumptio magna pro defuncto, *Alciatus de
praesumpt. reg.* 3. *praes.* 4. *num.* 3. *et* 4. Sane in
13 processibus inquisitionum nihil frequentius est,
quam ut dicant inquisiti, (*sie wollen drauff leben
und sterben*, item *das heilige Abendmahl darauff
nehmen*) sed parum istiusmodi adseverationibus
14 creditur. Obiter etiam colligitur, quam inepte
soleant *Doctores* et *Practici* allegare Regulam:
quod mors juramenti loco habeatur, et scriptura per mortem confirmata habeat vim juramenti, quia scilicet moriens non videtur immemor salutis aeternae, *l. fin. C. ad Leg. Jul. Repet. l.* 26. *C. de Nuptiis*, et quos allegat *Augustin. Barb. l.* 11. *cap.* 51. *axiom.* 12. Conf. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 43. Nam regulam illam eo extendunt nonnunquam practici, ut si testator dicat Titium sibi debere, et scriptura reperiatur inter chartas defuncti, quod hac ratione videatur probatum debitum. Item si Titius scripsisset se solvisse, ex hac mortui scriptura putant solutionem probari posse; id scilicet in scripturis judicibus exhibitis ita saepe urgeri vidi. Sed absurda est ea opinio: si enim testatoris assertioni non est credendum, licet mortuus sit, multo minus aliis scripturis credimus. Et si jurata etiam assertio tantum haeredibus praejudicat, non autem creditoribus, multo minus id praestabit mors sola, quod nec juramentum praestare potuit.

L. Exemplo. 7.

SUMMARIA

Dispositio l. 5. *extenditur ad Fiscum. num.* 1.
DD. *a vero* h. l. *sensu maxime exorbitant.* 2.
Fisci privilegium. 3.
Non potest Fisci procurator ex suis vel praedecessoris annotationibus debitum probare. 4.
Libri publici, et catastra, si habent solemnitatem debitam, ex consuetudine plene probant. 5.
Abusus hodiernus in productione horum librorum nulla fide dignorum graviter notatur. 6.
Catastra et libri publici plerumque vitiosi. 7.
Notarius publicus in propria causa non potest conficere instrumentum. 8.
Limitatio. 9.

1 Dispositio *l.* 5. extenditur ad Fiscum, quod
ne hic quidem per instrumentum a suo procuratore scriptum, debitum probet. Ex quo apparet, quia *haec lex* est extensio et ampliatio
quintae legis, quam exorbitent *DD.* a vero sen- 2
su. Nam fiscus omnino potest probare debitum
suum ex instrumentis et rationibus sui debitoris, imò habet privilegium, ut possit delatum 3
urgere, quo hic edat instrumenta, quibus causa Fisci instrui aut probari evidentius possit, et si supprimantur illa instrumenta, delatus habetur pro convicto, quod tamen in pecuniariis causis tantum locum habet, non criminalibus, et quando aliae probationes deficiunt, *l.* 2. §. 1. *et* 2. *ff. de jure Fisci. Cujac. T.* 3. *ad hanc l.* 7. *Peregrinus de jure Fisci l.* 7. *tit.* 3. *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 499. *Bronchorst. cent.* 2. *assert.* 94. *Donell. lib.* 23. *c.* 9. *et ibi Hillig.*
lit. E. Sed alia ratio, si Procurator Fisci ex 4
suis vel praedecessoris annotationibus vellet Fisci
debitum probare, quod non licet. Sed si
aliquid debitum in publicis catastris et li- 5
bris contineatur, et libri illi habeant solemnitatem debitam, ac contineant utramque paginam accepti et dati, tunc eos libros probare consuetudine videtur receptum, de quo hic *Salyc. Struv. Synt. jur. civ. Exerc.* 28. *th.* 28. Sed
omnibus libris publicis, etiam sine solemnitate 6
confectis, utramque paginam non continentibus, imperfectis, vitiosis in materia contributionum et collectarum fides adhibetur magno cum justitiae naufragio, et hac in parte multis fit in-
juria. Nam plerumque catastra et libri publici 7
sunt vitiosi et suspecti. Tradunt etiam *hic DD.*
Quaestionem: *An Notarius Publicus in sua pro-* 8
pria causa possit conficere instrumentum? quod per *hanc l.* negat *Caldas in Tr. de Empt. c.* 34. *num.* 17. *Tiraq. de jure Constit. p.* 3. *limit.* 30. *num.* 39. et quos hic allegat *Barbosa num.*
7. *et seq.* Ubi tamen non est magnum praejudi- 9
cium metuendum, putarem posse hoc admitti, per tradita *Guidonis Papae Dec.* 318. praesertim cum in jurisdictione Voluntaria aliquis duarum personarum vicem possit repraesentare, de quo alibi dictum.

L. Frustra. 8.

SUMMARIA

Reo non incumbit onus probandi. num. 1.
Limitatio et sublimitatio. 2.
Reus quandoque per indirectum negativam probare tenetur. 3.
In summariis causis solet utrique parti imponi probatio. 4.
Idem obtinet in duplicibus judiciis. 5.
Quandoque causative necesse est, ut reus probet negativam. 6.

Reo non incumbit onus probandi; Ratio in *l.* 1
qui accusare 4. *C. de Edendo*, nisi intentio- 2
nem suam in aliqua fundet Exceptione, *l.* 1. *h. t.* Sed exceptionem illam non tenetur probare, nisi actor antea suam intentionem probaverit, per *l. si quidem C. de Except.* Si ta- 3
men actor intentionem suam probaverit, et reus negativam per indirectum probare velit, v. g. me tunc temporis (cum testes tui dicunt me Florentiae contraxisse) Romae fuisse, hoc omnino a reo praestandum est, *Struv. Synt.*

4 *jur. civ. Exerc.* 28. *th.* 6. Solet etiam in summariis causis, praecipue in remedio possessorio, *uti possidetis*, utrique parti imponi probatio, ut lites abbrevientur, *Bald. in d. l. si quidem num.* 2. *Tuschus. Concl.* 373. *num.* 2. *l. E. Ber-*
5 *lich. P.* 2. *Decis.* 156. Idem in judiciis duplicibus *Finium Regundorum*, etc. fieri solet, quia uterque actoris locum sustinet, *Wesenb. in* π.
6 *Finium Regund. num.* 7. Deinde causative necesse est, ut licet neget tantum intentionem actoris, et haec ab actore non sit probata, reus tamen teneatur probare contrarium, si velit non tantum absolvi, sed etiam se Dominum vel Ingenuum declarari, *l. circa* 14. *ff. h. t.* de quo supra.

L. Cum te minorem. 9.

SUMMARIA

Minorennitas probatur vel testibus, vel libris Parochorum. num. 1.
Semper aetas ab allegante probari debet. 2.
Limitatio. 3.
Quandocunque quaedam superflua ponuntur in libello, actor non tenetur ea probare. 4.
Qui objicit procuratori minorennitatem, probare illam tenetur. 5.
Modi probandae aetatis sunt quatuor. 6.

1 Petebat Mariana beneficium Restitutionis, ideo allegabat se non tantum tempore contractus, sed etiam adhuc minorem esse; id ipsi probandum est, testibus scilicet, vel libris Parocho-
2 rum. Semper igitur aetas ab allegante probanda, *hic et l. de aetate* 43. *ff. de Min.* 25. *ann. cum l.* 11. *pr. ff. de interr. in jure fac.* nisi al-
3 legetur ad justificationem actus judicialis, pro quo praesumitur, *arg. l. observare* 6. *ff. de Curat. Furios. et l.* 5. *ff. h. t.* Cum autem hic quaerens allegaverit, se etiamnum esse minorem, cum tamen majori etiam detur restitutio, quod *Accursium* turbavit, ideo notant *hic DD.* praesertim *Castrens. num.* 2. *Sich. num.* 3. quan-
4 docunque quaedam superflua ponuntur in libello, actorem non teneri ea probare, *l. quae extrinsecus* 65. *ff. de V. O. et l. scio* 3. §. *fin. ff. de Appell.* Sed quaerit *hic Castrensis*, si quis procuratorium producat, et adversarius minorennitatem et ita inhabilitatem ei objiciat, quis teneatur probare? Et videtur probare adversarius, qui excipiendo fit Actor. *Glossa hic* tradit 3. modos probandae aetatis, scilicet Instrumenta, Testes et Aspectum corporis, quibus *Sich. num.* 4. addit Testimonium Parentum, quod probat *l. etiam* 16. *ff. h. t. Mauritius de Restit. c.* 317. *Masc. de probat. Concl.* 669. *num.* 7. *Dn. Carpz. P.* 1. *Jurispr. Const.* 16. *Def.* 19. *Farin. de Testib. Q.* 51. *num.* 177. quod *num. seqq.* de praesumptione explicat. Plura de probat. aetatis *hic Barbosa in Collect. Mascard. Concl.* 668. *et seq.*

L. Neque natales. 10.

SUMMARIA

Probatio debet esse concludens, ut et certa ac clara. num. 1.
Non probat adesse, quod contingit abesse. 2.
Ex separatis nihil infertur. 3.
Limitatio. 4.
Impertinentes articuli ad probandum non sunt admittendi a judice. 5.
Natus ex concubina postea desponsata praesumitur post desponsationem natus. 6.

Probatio I. debet esse concludens, *hic et l.* 1
21. *h. t. Struv. Synt. jur. civil. Exerc.* 28. *th.* 10 v. g. Pater est ingenuus, non sequitur: ergo et Filia, cum haec matris conditionem sequatur quoad natales seu statum, *l.* 28. *C. de Lib. Causa,* licet quoad originem sequatur Patrem, *l.* 1. §. 2. *ff. ad Munic.* et Dignitatem *l.* 9. *cum seq. ff. de Senat.* II. Certa et Clara, *Struv. Exerc.* 38. *th.* 10. Ex *hac l.* communiter solent probare Regulam illam Vulgarem, quae in omnium Practicorum ore est: Non probat adesse 2
quod contingit abesse, et probatio debet de necessitate concludere, et ex separatis nihil infer- 3
tur. Sed duplici tamen modo hoc declaratur; 1. Si aliquid frequenter cum alio sit conjunctum, 4
tunc omnino valere argumentum, licet interdum separari possint, ut in *l. matrem* 17. *h. t.* 2. Si praesumptio sit, unum cum alio esse conjunctum, nam tunc oritur praesumptio, licet non plena probatio, et illa probandi onus in adversarium transfert, *l. sive possidetis* 16. *h. t.* quod exemplo puellae, ad quam juvenes solent diurno et nocturno tempore commeare, declarant, de quo hic facete *Baldus et Sichard.* Conf. *Wesenb. Cons.* 13. *num.* 74. *Schurff. cons.* 52. *num.* 8. Notant etiam hic: impertinentes articu- 5
los ad probandum non esse admittendos, scilicet a Judice, nam a partibus super hoc disputandum non est, sed recte haec dispositio differtur in tempus post probationem, ubi de probationibus disputatur, *Castrens. hic. num.* 3. Alia requisita probationis, per articulos habet *Struv. Exerc.* 28. *th.* 12. Allegare solent DD. id quod hic *Salyc.* tradit, natum 6
ex concubina postea desponsata, praesumi post desponsationem natum, de quo *Cephalus cons.* 82. *num.* 1. *et num.* 56. *et* 57.

L. Si Scriptum. 11.

SUMMARIA

Intellectus legis num. 1.
Qui allegat vitium testamenti, vel incapacitatem haeredis, illud debet probare. 2.
Qui negat alteri jus esse aliquid faciendi, debet hoc probare. 3.
Limitatio. 4.
Lex h. ad petitionem haereditatis pertinet. 5.

Antonia petebat haereditatem a Titio, qui e- 1
rat institutus haeres ab amita Antoniae, quod haec facere potest, si probet testamentum non esse justum, vel Titium non esse capacem, nam qui allegat vitium testamenti vel incapacitatem 2
haeredis, illud debet probare, quia pro testamento in dubio praesumitur, *l.* 5. *ff. h. t. Menoch. l.* 4. *Praesum.* 5. *et Praesum.* 10. *et* 21. *n.* 24. *Masc. Concl.* 1359. *Mantic. de Conject. ult. volunt. l.* 2. *tit.* 9. Collige: Qui negat alteri 3

jus esse aliquid faciendi, v. g. testandi, vel hunc vel illum haeredem instituendi, debet hoc pro-
4 bare, modo illud sit ex iis, quae regulariter sunt permissa, secus si sint regulariter prohibita, *l. ab ea parte* 5. *ff. h. t. Pacian. lib. de Prob. cap.* 52. *Umm. ad Process. D.* 15. *num.* 10. Sic si haeres negaret tantum esse in bonis, quantum testator legasset, haeredis est probare negativam, nisi pro se habeat Inventarium, quo casu legatarii deberent contrarium probare, *l. cum de lege* 17. *ff. h. t. Covarr. lib.* 2. *Resol. c.* 6. *num.* 4. *Mascard. Concl.* 887. *num.* 7. *Decius in repet. Rubr. de Novi Operis Nunt. num.*
5 37. *et seq.* Sed recte notat *hic Cujac.* legem hanc ad petitionem haereditatis pertinere, quod etiam verba finalia insinuant. Ideoque si Antonia voluisset bonorum possessionem petere, *ex l. fin. C. de Divi Adriani Edicto tollendo*, non fuisset admissa, si voluisset probare, Amitam non potuisse testari, nec Titium potuisse haeredem institui, neque alias solemnitates adhibitas, nam si nullum visibile vitium in Testamento, haec omnia ad petitorium fuissent rejicienda, *Castr. hic.*

L. Cum res. 12.

SOMMARIA

Dominium quomodo probetur? num. 1.
Venditor non tenetur emptorem inducere in vacuam possessionem. 2
Vacua possessio ad trasferendum dominium non est necessaria. 3.
Qui habet causam a me, non potest mihi referre quaestionem dominii. 4.
Si venditor non est dominus, non potest dominium transferre in emptorem. 5.

1 Dominium probatur non instrumentis tantum, imo nec istrumentis praecise, si in iis quis dominus appelletur, sed debet dominium ita probari, si doceatur 1. factam fuisse venditionem ab eo, qui jus dominii habuit. 2. Introductum esse emptorem in vacuam possessionem. 3. Pretium numeratum esse, §. *venditae* 41. I. *de R. D.* Colligunt nonnulli ex *hac l.* Venditorem teneri emptorem inducere in vacuam possessionem. Vid. *Wesemb. in π. de Contr. Empt. n.* 13 *Godd.*
2 *in l.* 188. *de V. S.* Sed communius id negant *DD.* quos recenset hic *Gilken. per l.* 38. *de Contr. Empt. et Donell. et ibi Hillig. lib.* 4. *cap.* 19. *et Phil. Matth. ad l.* 11. *ff. de R. J.* qui ad hanc legem respondent, hic probandam esse inductio-
3 nem in vacuam possessionem, non tanquam sit ad transferendum dominium necessaria, nam et hic emptionis factae et probati pretii fit mentio, quorum neutrum tamen ad dominium est necessarium, cum ex alia etiam quam emptionis causa adquiri possit, et in emptione etiam sine pretio, si fides de pretio habita, sed quia ex facto evenisse mulier proposuerat, et ideo cogitur fundamentum intentionis suae approbare, *Donell. d. l.* et ad *hanc l.* Quomodo autem dominium probari possit, de eo videatur *Mascard. Concl.* 538. *et multis seqq. Ricc. Dec. coll.* 311. et quos hic in collectaneis congessit *Barbos. num.* 7. *Ex hac l.* etiam volunt probare *DD.* instrumentis non probari dominium, quos congessit *Masc. Concl.* 541. *num.* 1. sed ut aliquo modo id probari possit, sententia tamen hujus legis haec non est, ut observavit *Gilken. hic in princ. Glossa hic* repetitur, quae vult quod ille, qui habet 4
causam a me, non possit mihi referre quaestionem dominii, quam glossam hic commendat *Castr. num.* 11. *et Menoch. l.* 6. *Praesumpt.* 63. *num.* 7. *et Barb. hic num.* 9. Sed et Venditorem dominum fuisse probandum est, nam si vendi- 5
tor dominus non fuisset, non potuisset dominium transferre in emptorem, quod hic etiam monet *Castr. et Masc. Concl.* 613. *num.* 5. et quos *hic num.* 11. allegat *Barbosa*, illud non opus est admonere, si diutina possessio accedat, non opus esse probare venditorem dominium, nam praescriptione tutus est emptor.

L. Non epistolis. 13.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta: 2.
Decisio cum ratione decidendi. 3.
Verba enunciativa transferunt onus probandi in adversarium 4.

Habebam Ancillam per errorem pro sorore et 1
petieram arbitrum ad dividendam inter me et illam haereditatem, Quaeritur: *an ob id sit* 2
consanguinea mea? Resp. quod non, quia nata- 3
libus, vel solemnitate adoptionis id probandum. Sed *cui incumbet probatio*? Resp. quia praesumptio ex tali nominatione oritur, ideo probatio incumbit mihi, quod sit ancilla, quia haec verba in epistola pronunciata erant propter aliud, scilicet pro dividenda haereditate, ideoque dicunt ver- 4
ba enunciativa transferre onus probandi in adversarium, maxime si principaliter propter se prolata, non incidenter et propter aliud, *l.* 1. §. 12. *ff. de Agnosc. Lib. Castrensis hic num.* 4. *Mascard. Concl.* 700. *num.* 34.

L. Non nudis. 14.

SUMMARIA

Nuda patris asseveratio, vel ementita apud magistratum census facta professio, liberos non constituit, qui liberi non sunt. num. 1.
In contractibus ex nuda professione quis tenetur. 2.
Oritur tamen ex ejusmodi patris professione praesumptio pro filio. 3.
Filiationis probatio remissive. 4.
Regula, quod nominatio filii non sit legitima probatio filiationis, quatuor modis limitatur. 5.

Nuda asseveratio Patris, vel ementita apud Ma- 1
gistratum census facta professio, liberos eos nobis non constituit, qui liberi non sunt, ratio in *l. praeced.* sed cur in contractibus ex nuda 2
professione, v. g. me tibi debere 100. aliquis teneatur, et non in hac professione filiationis vel fraternitatis, de qua in *l. praeced?* Resp. *hic Sich. num.* 3. et alii, quod obligationes ex sola voluntate nostra dependeant. Sed filiatio non aliter

nisi per generationem naturae aut per adoptionem fieri potest, quae ratio in textu insinuatur,
3 quia autem ex hac professione oritur praesumptio pro illo, quod filius sit, ergo Pater qui hoc negat, suam negativam tenetur probare, quod
2 probabit, si demonstrabit, hunc alterius esse filium. Si igitur asseveratio filiationis praesumptionem pro filio inducit, ita ut contrarium asserentes teneantur id probare, merito colligetur ex *hac l.* Tractationem, qua quis habitus
4 fuit pro filio, praesumptionem filiationis inducere pro filio, *Mascard. Concl.* 78. et quos allegat hic prolixe *Gilkenius*, et pro more suo *Barbosa*, qui et plurimos citat tractantes, quomodo filiatio probari possit. Sed haec regula,
5 quod scilicet nominatio filii non sit legitima probatio filiationis, a *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 89. *num.* 78. *et seqq.* quatuor modis limitatur; I. Quando nominatio in eo actu facta esset, ut non possit nisi filio convenire. II. Si geminata sit nominatio. Sed de hac declaratione dubito, nam hic etiam duplex actus reperitur, scilicet adseveratio et professio forte census, et tamen non plene probat filiationem, sed tantum praesumptionem aliquam inducit. III. Si facta fuerit praesente filio licet incidenter, sed ipse *Menoch.* id intelligit, quod semiplena probatio exinde exurgat, licet melius praesumptio haec dicatur. IV. Ut non habeat locum in antiquis. Sed in antiquis etiam putem contrarium probari posse, si testes adsint aut instrumenta, quamvis in antiquis difficilius habeantur probationes.

L. Vis ejus. 15.

SUMMARIA

In praejudicialibus actionibus officio judicis incumbit, ut constituat quis probandi onus sustinere debeat? num. 1.
Duas difficultates circa hanc l. Petrus Barbosa *movet.* 2.
Quando liber homo per vim adducitur, non acquiritur possessio illi, qui hanc vim commisit. 3.
Consectaria ex h. l. 4.
Adversus spoliatum ex spolio agentem admittitur exceptio, quae concludit, eum non possedisse, vel possidere non potuisse. 5.
Violenta possessio non liberat ab onere probandi. 6.
Homo liber ab alio vi detentus potest aufugere, sicut et injuste captus. 7.
Injuste incarceratus praestito juramento de redeundo non tenetur redire, si redeunti imminet periculum vitae immeritum. 8.

1 In praejudicialibus actionibus officio judicis incumbit ut constituat, quis probandi onus sustinere debeat. Igitur in hac specie debet inquirire, quis sine dolo in quasi possessione libertatis vel servitutis sit, *l.* 14. *ff. h. t. l. Titia* 35. *ff. Sol. Matr*: quando igitur quis me ut servum detinet violenter, quamvis ille sit in possessione, possessio tamen haec vitiosa est, et ideo eum onere
2 probandi non liberat. Sed duas difficultates circa hanc legem *Petrus Barbosa in l. si de vi* 37. *ff. de judic. num.* 254. movet. Nam 1. hic dicitur, servo non incumbere onus probandi suam libertatem, quando allegat, dominum eum violenter possedisse, cum tamen servus fugitivus non sit in bona fide, per *l.* 1. *C. de Serv. Fugit.* Sed resp. Servum hic non ob fugam constitui in quasi possessione libertatis, sed potius quia antequam dominus per vim eum constituerit in quasi possessione servitutis, ipse erat in quasi possessione libertatis bona fide. 2. Difficultas, quod licet dominus servum per vim possederit, quia tamen servus fugiendo sui furtum fecit, ultimum delictum, ultima spoliatio debuit considerari, sed accurate pro more suo respondet *d. Petr. Barbos. num.* 264. *et seqq.* quando liber homo per vim adducitur, 3
non acquiritur possessio illi, qui hanc vim commisit, *l. si quis liberum* 20. *ff. h. t.* Nam hominis liberi nulla est possessio, et ideo ille per vim possessus, fugiendo non privavit illum detentorem sua possessione, quia eum nunquam habuit, neque per rerum naturam in libero homine habere potuit. Atque haec ex suo patrueli fideliter et prolixe hic tradit *Aug. Barb.* Unde etiam Consectaria colliguntur: I. Quando 4
exceptio injustae possessionis concludit, injusto possessori nullam omnino fuisse quaesitam possessionem, tunc Restitutio impedietur, quae non conceditur, nisi illis, qui, cum possiderent, ab ea possessione fuerunt dejecti, *Ant. Gabr. l.* 5. *Comm. Concl. Tit. de Restit. Spol. concl.* 1. *num.* 66. *Panormit. in c. item cum quis* 6. *num.* 9. *X. de Restit. Spol. Petr. Barb. d. l. num.* 268. *Aug. Barb. hic. num.* 8. et crimen objectum, quando inficit jus possidendi, obstat agenti ex spolio, *Panormit. in d. c.* 6. *num.* 9. Generale enim est, quod adversus spoliatum ex 5
spolio agentem admittatur Exceptio, quae concludat, eum non possedisse, vel possidere non potuisse, *Menoch. rem.* 1. *rec. poss. num.* 334. *et seq. Petr. Barb. ad. d. l.* 37. *n.* 269. *de judic.* II. Violentam possessionem non liberare 6
ab onere probandi, *Mascard. Concl.* 1201. *num.* 68. sicut etiam possessio, cui jus commune resistit, non liberat ab onere probandi. Exemplo decimarum hoc confirmat *Masc. d. l. n.* 66. *et Dn. Carpz. P.* 1. *Jurispr. Const.* 16. *Def.* 23. III. Hominem liberum ab alio vi detentum pos- 7
se aufugere, et injuste captum licite posse aufugere, *Farinac. Q.* 30. *n.* 120. *et seqq. et Tiraq. de Retr. Consang. praefat. num.* 69. *et* quos *hic* allegat *Aug. Barb. num.* 13. Illud autem dubium, quod hic in fine a *Barb.* dicitur, quod injuste carceratus praestito juramento de 8
redeundo, non teneatur redire, namque non videtur hoc universale, imo nec conscientiae tutum, et ipsi *DD.* restringunt ad eum casum, quando redeunti immineret periculum vitae immeritum, *Farin. d. l. num.* 126.

L. Sive possidetis. 16.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta cum decisione. 2.
Qui semel fuit dominus, ille etiamnum dominus esse praesumitur. 3.
Qui olim possedit etiamnum possidere videtur. 4.

Post mortem Patris inter filiosfamilias et eman- 1
cipatos erat lis de Praedio, quod emancipati si-

bi donatum asserebant, illi negabant. Quaeritur:
2 *Cui incumbat probatio?* Resp. Imper. per dilemma: aut filiifam. possident, et emancipatis ut actoribus incumbit probatio, *l.* 1. *et* 2. *h. t.* aut emancipati possident, et sibi donatum esse dicunt, et quamvis alias possessio liberet a probatione, *l. fin. C. de R. V.* et ab allegatione tituli, hi tamen quia praedium paternum fatentur et sibi donatum asserunt, et quia bonorum paternorum dominium in filiosfam. continuatum, et res in eodem statu manere praesumitur, *Menoch. lib.* 6. *Praes.* 26. *num.* 3. *Everh. in loc.* 90. *a tempore ad tempus num.* 16. *Masc. Concl.* 550. *n.* 1. ideoque his etiam incumbit probatio. Unde duo ex *hac l.* probantur: I. Qui
3 semel fuit Dominus, ille etiamnum Dominus esse praesumitur per tradita *Mascard. concl.* 551. *Menoch. lib.* 6. *Praes.* 62. quod non tantum in ipsa persona, quae olim possedit, sed etiam in haerede ejus, v. g. filio locum habet, de quo *haec lex* loquitur, *Masc. d. l. n.* 4. *Me-*
4 *noch. Praes.* 62. *num.* 7. II. Qui olim possedit etiamnum possidere videtur, et ex possessione de praeterito colligitur praesumptio in praesenti, *Menoch. l.* 6. *Praes.* 64. *Masc. Concl.* 1202. et quos hic *Barbosa* multis allegat *num.* 8. Quamvis autem hoc *DD.* multi, praesertim *Ant. Gabr. l.* 1. *comm. concl.* 10. *tit. de praesumpt. n.* 2. *et* 3. *Masc. d. concl. num.* 22. *Menoch. Praes.* 64. *n.* 24. putent, hanc Regulam in mobilibus non obtinere, eo quod mobilium neglectior videatur custodia, *l. si rem mobilem* 47. *ff. de Adquir. Possess.* de sententia tamen hac merito dubitandum, an sit universaliter vera? Nam si quis rem mobilem tempore litis motae possedit, adhuc possidere praesumitur, *l.* 4. *C. ad Exhib. Menoch. d. l. n.* 28. Et si quis nuper possedit rem mobilem, videtur etiamnum possidere, *Sich. hic. Menoch. d. l. n.* 31. Unde apparet, arbitrariam hanc esse quaestionem, et judici aestimandam ex personarum et rerum qualitatibus, et forte ad hoc proderit haec praesumptio, ut si non plena probatione, saltem juramento doceat translationem dominii.

L. Matrem tuam. 17.

SUMMARIA

Casus legis ejusque decisio. num. 1. 2.
Objectio. 3.
Quando in favorem libertatis aliquid praesumendum. 4.
Qui fundat se in tempore, semper illud tenetur probare. 5.
A tempore ad locum frequens est argumentatio. 6.

1 Petebat quis Paulinam ut ancillam, fatebatur illa se ancillam fuisse, sed post manumissam, et deinde fratribus suis nullam moveri controver-
2 siam excipiebat. Resp. Imperator in secundo argumento, nullam esse consequentiam, prius vero esse probandum. Sed quomodo onus probandi foeminae imponitur, cum tamen si mater aliquo tempore libera fuerit, potius pro libertate sit respondendum? *l. in ambiguis ff. de R.*
3 *J.* Alii respondent hic, Paulinam fuisse in possessione servitutis, et ideo proclamasse in libertatem: quod aliis displicet, quia ex voce *defensionis* concludunt, hic ream fuisse Paulinam, et ideo alii intelligunt *hunc textum*, quod Paulina non tantum petierit se absolvi, sed etiam pronunciari ingenuam; nam haec sententia contra omnes ipsam defenderet, ideoque *Castr. hic et Sich.* pluribus agunt de differentia, utrum tantum absolvat a petitione actoris, an etiam dominus vel liber pronunciet, et hoc ultimo casu sententia proderit contra omnes, per *l.* 15. *ff. de Except. Rei jud.* et *ibi Zas.* et nos alibi. Sed videtur obstare favor libertatis, 4
ob quem praesumendum videtur, post manumissionem Paulinam esse natam. Sed resp. *P. Barbosa ad l.* 1. *pr. num.* 5. *ff. sol. matr.* hic sermonem esse de eo casu, ubi substantia rei probata non est sufficienter: Aliud est, si substantia sit probata, et circa aliquam qualitatem manet ambiguitas, tunc enim favore libertatis praesumitur id, quod libertati est utilius. Colligunt omnes Interpretes ex co, quod Paulina debeat probare, se post manumissionem esse natam, hanc Regulam: Quod qui fundat se in tempore, 5
sive agat, sive excipiat, semper debeat illud probare, *Masc. Concl.* 997. et quos allegat *hic Barbosa*, quod exemplo alio declarat *hic Castr. n.* 3. si ago contra te hypothecaria actione, et tu excipias de dominio, ego autem replicem, mihi rem prius fuisse obligatam, tempus praecise probandum, ex quo etiam id deducitur, si testis deponat de actu, qui tempore aliquo prodesset, vel noceret producenti aut producto, alio tempore non prodesset vel noceret, ideo testem specifice de tempore quaerendum esse, *c. cum Joannes X. de fide instrum. Klok. Consil.* 29. *n.* 528. *V.* 1. Atque eadem ratio loci, *Sich.* 6
hic. num. 3. *Masc. d. l.* cum a tempore ad locum frequens sit argumentatio, *Hippol. Riminald. Cons.* 363. *Vol.* 4. *num.* 212. *Decian. Cons.* 8. *num.* 153. *V.* 1. et alii.

L. Cum precibus. 18.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Tamdiu verbis instrumenti credendum, donec probetur contrarium. 3.
Fides instrumenti tamen per testes, vel aliud instrumentum convelli potest. 4.
Subscribens scripturae eam videtur approbare. 5.

Commodo tibi usum praedii, facto desuper in- 1
strumento; sed tu inscribi curas, quasi tibi donaverim. Resp. admittendum me esse ad pro- 2
bationem contrarii. Nota bene: Tamdiu verbis 3
instrumenti credendum, donec probetur contrarium; Est enim praesumptio pro Instrumento, quod *DD.* passim inculcant, quos hic enumerat *Barbosa.* Sed *quomodo fides instrumenti convelli potest?* Respondeo, id vel per ipsos 4
testes instrumento descriptos, si dicant contrarium esse actum, non si dicant se non recordari; vel per alios, vel per alia instrumenta posse probari, de quo *hic DD. et Masc. Concl.* 920. *Covar. lib.* 2. *Resol. cap.* 13. *num.* 13. *Menoc. lib.* 2. *A. Q. cas.* 105. et alii Colligitur etiam: Subscribentem scripturae eam videri 5

approbare, nisi doceat dissensum suum adfuisse, *l.* 2. *C. de Reb. alienis non alien. Mascard. Concl.* 1358. *Menoc. l.* 3. *Praes.* 66.

L. Exceptionem. 19.

SUMMARIA

Exceptio dilatoria quando proponi et probari debeat. num. 1.
Limitatio. 2.
Lex h. generaliter quidem loquitur, ex ratione tamen juris restringi debet. 3.
Lex videtur corrigenda. 4.

1 Exceptio dilatoria (per quam hic *DD.* communiter intelligunt in specie eam, quae non Personis judicis vel adversarii opponitur, per *l. pen. et ult. C. de Except.* sed quae ipsam petitionem differt, ut est exceptio pacti temporalis) initio quidem ante litem contestatam proponi, sed tunc saltem probari debet, quando actor probaverit suam intentionem, v. g. convenis me ob debitum centum florenorum, ego excipio, me non debere, aut si deberem centum, non deberem, nisi post nundinas propter pa-
2 ctum. Caeterum ea, quae personis opponuntur, ante litem contestatam proponi, et probari debent, *d. l. fin. et l. ita demum* 13. *C. de Procur.*
3 Fateor quidem *hanc legem* in genere loqui de exceptione dilatoria, et tamen ratio juris non aliud infert, quam ut ita restringatur, nisi lectionem legis hujus sollicitare et pro *dilatoriam* velimus legere *peremptoriam*, cum *Donello ad l. pen. et ult. C. de Except. num.* 9. *Bacch. in Tr. D.* 26. *V.* 2. *th.* 7. *Lit. D.* quod suo loco relinquo. Nec
4 absurdum puto, ut in tot descriptionibus error ab amanuensibus fuerit commissus, praesertim cum mihi semper dura visa sit ea explicatio quae verba generalia ad exemplum minus frequentatum restringit: quando autem dilatoria exceptio probanda, suo loco dicetur.

Auth. At qui semel.

SUMMARIA

Haec lex praecedentem declarat, non corrigit. n. 1.
Qui bis vel ter testes produxerit, non debet alios quarto producere. 2.
Limitationes. 3.
Si attestata sunt publicata, et partibus didicita, non licet novos testes producere. 4.
Exceptiones ab hac regula. 5.
Si judex decernat attestata esse publicanda, ab eo decreto admittenda est appellatio. 6.
In iis quae nondum inferunt gravamen, sed tantum minantur, non opus est appellatione, sed sufficit protestatio. 7.

1 Haec auth. declarat, non corrigit *l. praec.* Regu-
2 la duplex, est I. Qui bis vel ter testes produxerit, non debet alios quarto producere: quia periculum, ne attestata didicerit. Quod limitatur:
3 1. Nisi productio testium aliquot diebus continuis fieret, maxime si omnes primo nominasset. 2. Nisi sibi reservaverit quartam productionem, cum tertio produceret ex justa causa, *arg. Nov.* 90. *cap.* 4. *ibi, mox ut concluserit.* 3. Nisi juraverit modo in *Auht.* praescripto; quod juramentum non potest sine speciali mandato praestari a procuratore, nec a consorte uno, *Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 391. *etc.* remitti autem non potest, nisi metus perjurii, aut impedimentum sit notorium, *Dn. Mev. p.* 5. *decis.* 201. conf. *Hillig. in Don. l.* 21. *c.* 3. *lit. B.* Sed Recessus imperii solemnitatem quartae productionis in tertiam refundit, ut dictum supra ad *l.* 1. *de Dilationibus.* Caeterum quia haec materia a *Gilkenio hic* exacte tradita, nolo hic id pluribus tradere, praesertim cum raro id occurrat, ut quis quarta vice testes producere velit. Conf. *Donell. lib.* 25. *c. ult.* II. Regula: Si attestata sunt publicata 4
et didicita partibus, non licet novos testes producere, ob metum scilicet subornationis. Excipiunt nonnulli, 1. causam Appellationis, 5
l. eos 6. §. *si quis. C. de Appell. l. per hanc* 4. *C. de Temp. Appell. Const. Spir. Anno* 1600. §. *(Es seyn in den) gravaminibus etc. P.* 3. *Ordin. Camer. c.* 33. §. 2. Sed videtur verius Causam Appellationis non esse excipiendam, per *Clement. ult. de Testib. Gail. lib.* 1. *Obs.* 105. *num.* 2. *Hartm. Pistor. l.* 4. *q.* 24. *et Carpz. p.* 1. *Jurispr. Const.* 21. *def.* 2. Exceptio 2. est, si probatio non sit contraria actioni, nam tunc etiam post didicita attestata rei probatio admittitur, v. g. Si Titius Bertham dicat secum sponsalia contraxisse; Bertha fateatur sponsalia contracta, sed se esse consanguineam Titii, vel Titius esse servum, Vid. *Dauth. de Testam. Rubr. qui Testamentum facere possint num.* 135. *Anton. Gabr. tit. de Testib. Concl.* 21. *Mascard. Concl.* 134. *Camillus Borellus lib.* 2. *dec. tit.* 9. et quos hic citat *Barb. Umnius ad Proc. D.* 16. *n.* 9. Sed si judex decernat, atte- 6
stata esse publicanda, ab eo decreto admittenda est appellatio, *Dn. Mevius p.* 2. *dec.* 52. Et sufficit, si contra decretum fiat protestatio. Nam
in iis, quae nondum inferunt gravamen, sed 7
tantum minantur, non opus est appellatione, sed sufficit protestatio, quae jus protestantis illaesum conservat.

L. Si de possessione. 20.

SUMMARIA

Casus atque sensus legis. num. 1.
Qui instrumentum surripuit, vel discerpsit, ille praesumitur habere malam causam. 2.
Is qui jussus est edere instrumenta, et non facit, habetur pro convicto. 3.
Et contra eum potest jurari in litem. 4.

Eutychia instrumentum emptionis, in quo em- 1
pta erat, surripit, et vindicat se in libertatem, et ipsi ut actrici incumbit probatio, si vero ipsa in quasi possessione libertatis sit, tunc probatio incumbit actori Domino, qui intentionem suam probabit, si probaverit, illam instrumentum emptionis surripuisse. Nota Bene: Qui instrumen- 2
tum surripuit vel discerpsit, ille praesumitur habere causam malam, et haec praesumptio sufficit ad condemnationem, *Masc. concl.* 981. *Farin. Q.* 155. *numer.* 33. et quos allegat *hic Barbosa.* Colligunt etiam: Eum, qui jussus est ede- 3

re instrumenta et non facit, habendum pro con-
4 victo, *Hillig. lib.* 23. *c.* 7. *lit. J.* et contra eum jurari posse in litem, *Pruckm. V.* 2. *Cons.* 19. *num.* 97.

L. Ad probationem. 21.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio cum ratione decidendi. 2.
Fundus mea pecunia emptus non est meus, nisi exceptis quibusdam casibus. 3.
Instrumentum non nocet ei, qui se in illo obligavit. 4.
Spoliatus ante omnia est restituendus. 5.

1 Crispus duobus modis probare vult, praedium ad se pertinere, 1. quod habeat emptionis instrumentum. 2. quia res ejus pecunia empta.
2 Resp. Imperator ex neutra ratione id sequi: non ex prima, quia instrumenta non prosunt, nisi ei, qui in eo nominatus, per *hanc l. et hic Bl. num.* 2. et caeteris, *Dn. Carpz. l.* 6. *Resp.* 8. *num.* 12. jam vero non fuit nominatus in illo instrumento; non ex secunda, per *l.* 6. *C. de R. V. l.* 1. *C. si quis alteri vel sibi etc.* Nam
3 fundus mea pecunia emptus non est meus, nisi sim, 1. Miles, aut 2. Pupillus, aut fundus ex pecunia dotali emptus, per *l. res quae ff. de jure Dot. Gilken. hic.* Colligunt ex *hac l.* etiam:
4 Quod instrumentum non noceat ei, qui se in illo non obligavit, *Vivius Dec.* 342. *num.* 1. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 91. *in fine. Axiomata Barbosae nuper edita lib.* 9. *cap.* 73. *axiom.* 9. Probant etiam, licet spoliator objiciat spoliato exceptionem injustae possessionis, non tamen
5 eam exceptionem excludere regulam, quod spoliatus ante omnia sit restituendus, *P. Barb. ad l.* 37. *de judic. num.* 270.

L. Ad probationem Servitutis. 22.

SUMMARIA

Per media impertinentia non debet fieri probatio. num. 1.
Legis intellectus. 2.

1 Saepius dictum: quod per media impertinentia non debeat fieri probatio. Sic non valet sequela: Glyconis mater serviles operas exercuit, et fratres Glyconis. Ergo etiam Glycon est servus. Prius enim potest fieri conniventia Glyconis ipsius non necessitate juris; nec posterius concludit, quia potuit Glycon antea manumissus
2 esse. Haec autem lex intelligenda est de eo casu, quod Glycon est in quasi possessione libertatis.

L. Actor. 23.

SUMMARIA

Non tenetur reus contrarium probare, quamvis actor intentionem suam non probaverit. num. 1.
Quandoque negativa probari potest. 2.
Quicunque aliquid dicit vel affirmat, probare illud tenetur. 3.
In definienda negativa non tam verba, quam sensus verborum attendi debet. 4.
Negativae divisio et subdivisio. 5.

Quando actor dicit probare se intentionem 1
suam non posse, Quaeritur: *an contrarii probatio incumbat Reo?* Negatur per *l. ult. C. de R. V.* et ob hanc rationem; quia per rerum naturam negativa non potest probari, scil. infinita, nam restricta ad quantitatem, qualitatem, locum et 2
tempus potest probari, *arg. l.* 79. §. 25. *ff. de Legat.* 2. *l. optimam* 14. *C. de Contrah. Stipul.* et sim sane negativa juris probari potest, *l. ab ea parte* 5. *ff. de prob. ibique Auctor. num.* 1. sicut et alios casus recenset *Herculan. in Tr. de Probanda Negativa.* Colligitur ex *hac l.* 23. Eum, 3
qui aliquid dicit et affirmat, debere id probare neque attendendam esse dignitatem actoris. Nam licet nobilis quid dicat, sordidus et infamis quid neget, illi tamen incumbit probatio, *Masc. concl.* 36. *num.* 13. *Pacian. l.* 1. *de prob. c.* 6. *num.* 9. *Umm. ad Proc. Disp.* 15. *num.* 7. Secundam Regulam quod attinet, sc. quod negativae per rerum naturam nulla sit probatio, ita declarant, ut in definienda negativa, non tam ver- 4
ba quam sensus verborum debeat attendi, *Pacian. de Prob. l.* 1. *c.* 29. *et seq. Ummius d. D.* 12. *num.* 18. *Struv. Exerc.* 28. *th.* 6. Negativa 5
autem vel est juris vel facti, nam ad hanc etiam negativa qualitatis potest referri: negativa facti est vel infiniti, vel determinati, hoc non illud, potest probari, v. g. si negativa sit determinata ad certum tempus vel locum, tunc ea potest probari, *l. optimam C. de Contrah. Stipul. DD. hic, et Umm. d. l. Don. et Hillig. lib.* 25. *c.* 2. et quos hic allegat *Barb. Berlich. p.* 1. *c.* 37. Sic negativa praegnans, quae continet affirmationem, probari potest, *l.* 8. *ff. h. t. c.* 5. *X. de Renunc. Conf. Nobiliss. Dn. Struv. ad h. t. in Pand. n.* 6.

L. Jubemus. 24.

SUMMARIA

Processus quando quis in judicio suspectum producit instrumentum. num. 1.
Ex delicto coram judice commisso potest quis puniri sine accusatione, ex officio judicis. 2.
Limitantur ea, quae num. 1. *traduntur.* 3.
Producens instrumentum suspectum non puniendus est poena falsi ordinaria, sed alia minori arbitrio judicis 4.

Qui instrmentum suspectum, v. g. si in su- 1
bstantialibus rasurae appareant, *c. cum venerabilis* 7. *X. de religios. Dom. c. ex litteris* 3. *X. de Fid. Instrum.* vel si in margine quid additum magni praejudicii, vel alia indicia adsint, de quibus *Masc. concl.* 740. in judicio producit, si veritatem scripturae probare non possit, debet detineri in judicio et de crimine ulterius inquiri. Unde colligunt DD. Ex delicto coram ju- 2
dice commisso, aliquem puniri posse sine accusatione, officio judicis. Sed quaeritur, I. *Quale* 3

vitium respiratur, ut producens instrumentum suspectum, ut falsarius possit detineri? et communiter hoc de vitio manifesto et visibili intelligunt, quod ex rasura vel simili oritur, *Menoch. lib. de. praesumpt. Q.* 99. *num.* 8. *Mascard. concl.* 739. *n.* 6. Ideoque recte monet *hic Gilken. n.* 7. suspectum instumentum non esse definiendum ex persona illud exibentis vel facientis, ut *Gl. et Sich. et Castr. hic* nam hoc non est patens et visibile vitium. II. Quaeritur, *an etiam ad punitionem Judex pervenire possit?* et communiter hunc textum ita intelligunt, uti *DD.* non tantum hic, sed et *Menoch. d. l. num.* 7. quam sententiam mihi probabilem reddit *l. nullum*
4 14. *C. de Testib. in tit. seq.* Fateor tamen producentem tale instumentum non puniendum esse poena falsi ordinaria, sed alia minori arbitrio judicis, ut hic *Castr. n.* 1. ex Regula vulgari, quod ubicunque aliquis ex praesumptionibus condemnandus est, non poenam ordinariam, sed aliquam minorem extraordinariam eligendam esse.

L. Sciant cuncti. fin.

SUMMARIA

In criminalibus actionibus non sufficiunt indicia communia, vel praesumptiones communes, sed requiruntur probationes luce meridiana clariores. num. 1.
Limitatio 2.
Crimina etiam instrumentis apertissimis possunt probari. 3.
Ex indiciis et praesumptionibus etiam aliquis in criminalibus convinci potest. 4.
Taliter tamen convictus non afficiendus est poena ordinaria. 5.
An et quatenus quis ex pluribus coacervatis indiciis corporaliter puniri possit? 6.
An tortura tali decernatur? 7.

1 In criminalibus actionibus non sufficiunt indicia communia, vel praesumptiones communes, sed evidentiora argumenta, itaque vel Testibus, vel instrumentis, vel indiciis manifestissimis et liquidissimis probari debent. Solet haec *l. fin.* quotidie allegari ad probandum, quod in criminalibus requirantur probationes luce meridiana clariores, *DD. hic* allegati a *Barbosa*; quod tamen solent limitare, si criminaliter agatur ex 2
crimine, non si civiliter agatur ad poenam parti applicandam, *Cephal. cons.* 141. *num.* 22.
Colligitur ex *hac l.* I. Quod crimina etiam in- 3
strumentis apertissimis possint probari. Nam licet regulariter crimina non probari per instrumenta velint *DD. communiter,* nisi crimen scribendo committatur, aut nisi conjuratio sit contra Principem, illicita foeneratio, perjurium haeresis, aut nisi adminiculum sit, quod probandum est, ut *Farinac. q.* 84. *Clarus* §. *fin. Q.* 54. *Masc. Con.* 461. et alii: rectius tamen regulam contrariam ex *hoc textu* firmat *Dn. Anton. Matthei in lib.* 49. *ff. tit.* 15. *cap.* 5. *n.* 1. qui etiam adducit *l.* 2. *C. quorum Appell. non recip. et l. in exercendis* 15. *C. de Fid. Instrum.* II. colligimus ex indiciis et praesum- 4
ptionibus etiam aliquem in criminalibus convinci posse, ut et per *d. l.* 2. *quorum appellat. non recip.* Sed taliter convictum non esse poe- 5
na ordinaria afficiendum volunt, *Menoch. lib.* 1. *Praes.* 97. *num.* 23. *et seq. et lib.* 2. *A. Q. casu* 297. *num.* 4. *Gomez T.* 3. *Res. c.* 12. *num.* 25. *Tiraq. de poenis temp. causa* 27. *Farin. Q.* 86. *num.* 78. *et seq.* ubi dicit, ne quidem ex 6
mille indiciis aliquem corporaliter puniendum, quod et *Wesenbecius* saepius inculcat. Sed ab his recedit novissime *Dn. Ant. Matt. d. tr. tit.* 15. *cap.* 5. nec contemnendis rationibus. Sed non facile recedendum putarem a sententia communi, nisi tot indicia praegnantissima concurrant, quot ibi in exemplis conjungit *Anton. Matth.* ubi facile quivis videret, aliter rem esse non posse. In collegiis si talia indicia praegnantia osten- 7
dantur, solet tortura dictari. Sed ea ratio periculosissima, cum possit eludere torturam, ideoque tali casu potius approbarem sententiam communem, et extraordinariam poenam dictarem.

TITULUS XX.

De Testibus.

Lex prima non est authentica, nec legitur aut in judiciis allegatur.

L. Si tibi. 2.

SUMMARIA

Ingenuitas per solos testes non potest probari. num. 1.
Limitatio. 2.
Intellectus legis. 3.

1 Ingenuitas per solos testes non potest probari, quia parentes liberos suos a nativitate profiteri debuerant, ut hoc modo prompta esset ingenuitatis probatio, et suspecta est etiam testium fides in re tam perplexa et diuturna, praesertim quando ingenuum quis se dicit, qui perfectioris est aetatis. Exceptio habetur in *l.* 6. *tit. seq.* 2
scilicet si natalium testimonium amissum. Sed aliter hanc legem interpretantur *Donellus lib.* 25. *cap.* 15. *Lit. L. Castr. et Sich. hic* et alii, qui negant hunc sensum, solis Testibus non probari posse ingenuitatem, eo quod causa status iisdem regulis, quibus aliae, regatur, *l.* 30. §. *pen. ff. de jurejur.* Ideoque versiculum ulti- 3
mum ita intelligunt, quod non solis Testibus, sed etiam documentis ingenuitas probari possit, id quod ex *l.* 1. §. 1. *ff. si quis cautionibus* probare satagunt. Sed fateor hanc exceptionem duram. Nam licet concedam verba, *Soli, non,* ita explicari posse, non video tamen vocem, *sufficiunt,* quadrare, Ideoque *hic* Regulam esse puto, Exceptionem in *d. l.* 6. et ideo in subsidium testes admitti.

L. Etiam jure civili. 3.

SUMMARIA

Domesticorum testimonium omni jure improbatur. num. 1.
Limitationes. 2.

1 Domesticorum testium, *Auctor in l.* 24. *ff. h. t. n.* 1. id est, Parentum, Liberorum, Fratrum, et omnium in eadem domo habitantium, et qui ejusdem cognationis sunt, vid. *Menoch. Arb. jud. Q. lib.* 2. *cas.* 104. *num.* 2. *Farin. de Testib. lib.* 2. *t.* 6. *q.* 54. *reg.* 2. *num.* 139. *Mascard. concl.* 408. *num.* 8. fides non tantum jure naturali, sed et civili improbatur, ut
2 suspecta. Excipitur: I. Si quis tempore contractus domesticus fuit, sed esse desiit, *argum. l.* 1. §. 12. *ff. de quaest.* Nam tempus testimonii ferendi inspicitur, *l.* 3. §. *Lege Julia* 5. *ff. de Testibus.* II. Si aliis quam domesticis probari non possit, *l. consensu* 8. §. 6. *C. de Repud. Auctor in d. l.* 24. *ff. h. t. num.* 3. III. Si approbatus a partibus, ut quae eum adhibuerunt testem in Contractu. IV. Si utrinque pariter sit domesticus, *argum. l.* 67. §. 1. *ff. de Rit. Nupt.* Has aliasque exceptiones vide ulterius tractatas a *Farin. d. l.* et aliis ibi allegatis doctoribus, et a *Trentac. de Testib. Resol.* 1. et quos hic allegat *Barbosa, et Gabr. de Testib. Concl.* 10. *Cothm. Vol.* 1. *cons.* 15. *n.* 46. *et seqq. Donell. l.* 25. *c.* 11. *per totum.*

L. Solam. 4.

SUMMARIA

Sola depositio testis per se fidem non facit. num. 1.
Testimonia scripta, non in praesentia judicis deposita, non merentur fidem. 2.
Testis causam scientiae sponte exprimere, vel desuper interrogari debet. 3.

1 Sola testatio testis, id est, depositio sine aliis adminiculis, v. g. si non ab ipso judice examinetur, ut iis de facto inquirere possit, si non juramento confirmet dicta, si causam scientiae non addat, per se fidem non facit. Sententia hujus legis quia brevior obscurior est: vel enim potest intelligi, quod depositio testis destituti juramento, vel causa scientiae, vel praesentia judicis sit nulla. Sed ultimam puto praeferen-
2 dam, scilicet quod testimonia scripta, non in praesentia judicis deposita, non mereantur fidem, *hic et l.* 3. §. 4. *ff. h. t. ibique Auctor n.* 16. Nam 1. praesentia judicis deterrere potest, ne mentiatur. 2. Judicis est aestimare, quae fides attribuenda testi, idque aestimandum ex vultu, voce, unde trepidatio vel perfidentia cognoscitur, *Donell. lib.* 25. *c. ult. Lit. F. Covarr. L.* 2. *Resol. cap.* 13. *num.* 6. *Masc. de Probat. lib.* 1. *Q.* 1. *num.* 11. *Rulandus de commiss. P.* 2. *lib.* 2. *c.* 15. quamvis verum sit, testem causam scientiae sponte exprimere, vel desuper interrogari debere, *Masc. d. Q.* 5. *num.* 120. *Ruland. d. c.* 2. *num.* 22. *Farin. qu.* 70. *num.* 1. *et seqq.* sed id ex nostro textu non probatur.

L. Eos testes. 5.

SUMMARIA

Non admittendi sunt ad testimonium, qui gratiae, vel inimicitiae suspicione laborant. num 1.
Id tamen est in arbitrio judicis positum. 2.
Testes jurent, se nec pretio, nec amore, nec timore, nec pro alio commodo testimonium dicturos. 3.
Nec illi admittendi sunt testes, qui metu alienae potentiae a vero deflectere possunt. 4.
Et si in penuria aliorum admittuntur, minor tamen fides illis est adhibenda. 5.
Si testes alterius jurisdictioni sunt subjecti, vinculum subjectionis pro hac vice illis erit relaxandum. 6.

I. Testes ii non admittendi, qui gratiae vel i- 1
nimicitiae suspicione laborant, *hic et l. ob crimen* 21. §. *fin. ff. de Test. l.* 3. *C. eodem,* quamvis id in arbitrio judicis positum sit, an- 2
non interdum amico, si persona sit honesta, et quanta fides adhibenda, *arg. leg.* 3. *ff. h. t. Farin. de Test. l.* 2. *tit.* 6. *q.* 55. *insp.* 5. *num.* 247. *Masc. Concl.* 86. *num.* 16. *Ummius ad Processum Disp.* 19. *num.* 25. eum nec amicitia quaevis repellat a judicio, quo minus aliquis judicis officium tueri possit, *Menoch. l.* 2. *Arb. Quaest. cas.* 152. *num.* 12. *Auctor in l.* 2. *ff. h. t. num.* 6. et testes jurare debent, quod nec 3
pretio, nec amore, nec timore, nec pro alio commodo, testimonium dicturi sint, *Masc. de probat. lib.* 1. *qu.* 5. *num.* 75. *Farin. qu.* 174. *num.* 17. et quos citat *Aug. Barb. in Coll. hic num.* 4. Secus si utriusque sit testis inimicus, *Auctor in d. l.* 2. *ff. h. t. num.* 4. II. Nec ille 4
admittendus, qui metu alienae potentiae a vero deflectere possit, et qui metuit, ne potentior in se durius consulat, ut sunt servi, filiifam. subditi, vassalli. Quamvis enim hi in penuria a- 5
liorum testium interdum admittantur, *d. l.* 8. §. 6. *C. de Repud. c. veniens* 38. *in fin. X. h. t. Masc. Concl.* 1398. *Farin. d. q.* 55. *insp.* 5. *num.* 205. minor tamen fides illis adhibenda, *Farin. d. l. num.* 212. Et ideo si testes produ- 6
centis, vel alterius adversae partis jurisdictioni sint subjecti, his vel a parte ipsa, vel a judice aut commissario, vinculum Subjectionis relaxandum pro vice, et ratione hujus testimonii, *c.* 38. *X. de testib. Ruland. de commiss. Parte* 2. *c.* 9. *num.* 4. *et parte* 1. *lib.* 5. *c.* 11. *per totum. Auctor in l.* 6. *ff. h. t. num.* 1.

L. Parentes. 6.

SUMMARIA

Parentes contra liberos, vel liberi contra parentes testes esse nequeunt, etiam volentes. num. 1.
Limitationes. 2. 3. 4. 5.
De testimonio affinis. 6.

Parentes contra liberos, vel liberi contra pa- 1
rentes testes esse nequeunt, etiam volentes, *Auctor in l.* 9. *ff. h. t. num.* 1. Ratio *in l. fin C.*

de impub. subst. ne quidem tum, si veritas aliter probari non possit, *ob l. seq. h. t. et l. actor* 23. *tit. praec.* Hanc regulam multis ampliat *Farin. q.* 54. *num.* 156. *et seqq. et Enenkelius Baro de Priv. Parent. priv.* 17. *et DD.*
2 quos citat *Barbosa*, nisi 1. tractetur de aetate liberorum vel consanguinitate, *cap. praeterea* 25. *quaest.* 3. *c. videtur* 3. *X. Qui Matrimon. ac-*
3 *cus.* et sic communiter solent dicere *DD.* in negotio matrimoniali parentem pro liberis ad testimonium admitti, *Dn. Carpzov. P.* 1. *Jurispr. Const.* 16. *Def.* 49. *Anton. Gabr, tit. de testib. concl.* 9. *num.* 1. *Auctor in d. l.* 9. *ff. h.*
4 *t. num.* 2. vel 2. si adhibiti essent testes in contractibus, et sic probati ab utraque parte, *Masc. concl.* 1153. *num.* 25. *Farin. d. q.* 54. *num.* 187.
5 vel 3. si lis sit inter duos filios, *arg. l. non solum* 67. §. 1. *ff. de Rit. Nupt.* nam tunc propter parem affectionem bene probant, *Farin. q.* 54. *num.* 205. *Masc. concl.* 408. *num.* 21. De
6 affinis testimonio *vid. Auctor in d. l.* 9. *ff. h. t. num.* 4. *et l.* 4. *eod. num.* 1. *seq.*

L. Nimis grave. 7.

SUMMARIA

Intellectus l. num. 1.
Non possum cogi, ut adversarium meum instrumentis meis instruam. 2.
Nec, ut meos filios vel mihi subjectos contra me producam. 3.
Qui jure retentionis usus, cum rationes reddit, suum manuale exhibere non tenetur. 4.
Non debet actor ex domo rei petere fundamenta ad intentionem suam fundandam. 5.
Limitatio. 6.

1 Hic agitur de Testibus non tantum domesticis, sed et in quos quis imperium habet, ut
2 servis et filiis. Quemadmodum igitur non possum cogi, ut te adversarium meum instrumentis meis instruam, *l. fin. C. de Edendo*, ita
3 nec compellor, ut meos filios, vel mihi subjectos producam contra me, cum proprias adferre debeas intentionis tuae probationes: unde hic non de domesticis simpliciter, sed de iis, quos in potestate habeo, agitur, ut recte hic observat *Gilken.* Et *ex hac et d. l. ult. probat Dn.*
4 *Mevius p.* 6. *dec.* 188. *num.* 5. non teneri eum qui jure retentionis usus, cum rationes reddit, suum manuale exhibere. Et generalius colli-
5 gunt *DD.* quod Actor non debeat ex domo rei petere fundamenta ad intentionem suam fundandam, *Ceph. cons.* 260. *num.* 8. quod tamen
6 limitat *num.* 29. ubi versamur in interrogationibus, et responsionibus ad eas, ubi actor potest se fundare in responsione rei: Et ubi actor habet probabilem dubitandi causam, tenetur reus respondere ad interrogatoria. Nam licet non teneatur reus probare contra se, tenetur tamen respondere pro se, vel contra se, *Nevil. cons.* 5. *num.* 32. *et seqq.*

L. Servos. 8.

SUMMARIA

Servus in causa domini contra eum ut testis produci nequit. num. 1.
Exceptio. 2.

Servus in causa domini contra eum ut testis 1
produci nequit, sed de facto proprio potest interrogari. Prius Exceptionem patitur in causa 2
adulterii, fraudati census, et criminis majestatis, *l.* 1. *C. de Quaest.* Conf. *l. ult.* §. *licentia* 10. *C. de jure Delib.*

L. Jurisjurandi. 9.

SUMMARIA

Jusjurandum a testibus, antequam perhibeant testimonium, praestandum est. num. 1.
Testes quidem se multis modis excusare solent, sed non attenditur excusatio. 2. 3.
An et quatenus a partibus possit remitti testibus juramentum? 4.
Limitatio. 5.
Credendum potius testibus honestissimis. 6.
Uni testi etiam honestissimo non est credendum. 7.
Dantur tamen casus multi excepti, ubi unius tantum testimonium admittitur et sufficit. 8. *et seqq.*
Communiter ubi testes requiruntur, duo sufficiunt. 13.

I. Pars Legis dicit, juramentum a Testibus, 1
antequam perhibeant testimonium, esse exigendum, quia hoc quasi de substantia testimonii est, *hic et c.* 39. *et cap.* 51. *X. h. t.* adeo ut ante depositionem hoc praestari sit necesse, *d. l.* 9. nisi in continenti post depositionem juret, ut de Stylo Camerae testatur *Rulandus de Commiss. lib.* 2. *c.* 12. *num.* 5. *et seqq.* Conf. *Tiraq. de Retr. Convent.* §. 1. *Gl.* 5. *num.* 8. *Masc. concl.* 1369. *num.* 11 *Gail. lib.* 1. *Obs.* 101. *num.* 9. Alias vero opus est repetitione testium jurata, etiam publicatis attestationibus, *Hartm. Pist. lib.* 1. *quaest.* 43. *Ruland. d. c.* 12. *num.* 6. *in fin.* quod etiam in causis summariis procedit, *Menoch. A. Q. lib.* 1. *q.* 26. *n.* 1. *et Masc. d. concl.* 1369. *num.* 5. *Rul. d. l.*
2. *c.* 11. *num.* 1. Et quamvis testes a juramen- 2
ti praestatione se excusare soleant, 1. quod semel in causa juramentum praestiterint: 2. quod 3
juxta consuetudinem loci testes non soleant jurare, etc. has tamen et similes excusationes
elidit *Ruland. d. cap.* 11. A partibus autem pos- 4
se remitti juramentum Testibus rationis est, quia pacisci hoc licet, *c.* 39. *X. h. t. Myns. c.* 3. *observ.* 80. *num.* 6. et ideo hoc de privatis et pecuniariis non vero de publicis et criminalibus causis intelligunt *Farin. qu.* 74. *num.* 84. *et seqq. Gail. lib.* 1. *Obs.* 101. *num.* 2. *Masc. de*
Prob. d. l. 1. *qu.* 5. *num.* 108. Excipiunt vero 5
Episcopum per *Auth. Sed Judex C. de Episc.*
de quo supra. II. Pars Legis est quod creden- 6
dum potius sit testibus honestissimis, qua in parte ita distinguitur, quod 1. metiri rem debeamus ex verisimilitudine, *l.* 21. §. *fin. ff. h. t. c.* 32. *X. h. t. Auctor in l.* 2. *ff. h. t. num.* 11. 2. Ex dignitate testium, ut *hic Auctor in d. l.* 2. *ff. h. t. num.* 9. *et* 13. *et l.* 21. *num.* 7. *eod.* 3. Ex natura vel favore rei, *arg. l. inter pares* 38. *ff. de jud.* alias pro reo ferenda sententia. Quando

enim contraria videntur dicta testium, variae circumstantiae attendendae, dignitatis, personae, dictorum verisimilitudo, testium numerus, qui affirment, qui negent, nam illis semper magis creditur, quinam etiam simpliciter affirment, quinam cum distinctione qua de re *Cravetta cons.* 60. *Farin. q.* 65. *p.* 3. *Carpz. p.* 1. *Const.* 16. *Def.* 43. *et seq. et lib.* 2. *Resp.* 95. *Myns. c.* 4. *Obs.* 38. *Borell. tom.* 2. *decis. tit.* 14. *Gabriel. de testib. concl.* 4. et alii. III. Pars
7 Legis ait, uni testi etiam honestissimo non esse
8 credendum, nisi sit Princeps, *c.* 1. *de Probat.* aut Princeps ex juxta causa id statuat, *argum. c. quaecunque c.* 11. *q.* 1. Et haec decisio in quacunque causa locum habet, et nititur auctoritate juris Divini, *Deut. c.* 17. *v.* 6. *et c.* 19. *v.* 15. Quamvis autem *Ant. Matth. ad lib.* 48. *tit.* 15. *cap.* 3. *num.* 2. ne Imperatorem quidem vel Pontificem eximere velit, vereor tamen, ne haec sententia obtineat, praesertim cum illi *DD.* omnes obstent *Matth.* qu statuunt, Principem ex conscientia sua contra acta et probata judicare posse, quanto magis, ubi nihil probatum, Principis stabitur assertioni. Illud vero non dubium,
9 quod in causis summariis et parvi praejudicii, etiam unius stetur testimonio, *Farin. Q.* 63. *num.* 30. *Masc. de Prob. in praefat. d. Q.* 11.
10 Excipiunt etiam casum, quo plures, quam unus testis haberi non possunt, *Mascard. d. Q.* 11. *num.* 18. *Farinac. d. q.* 63. *num.* 38. Sed de hac exceptione merito dubitat, imo eam oppugnat *Ant. Matth. d. c.* 3. *num.* 18. Nam perniciosum exemplo est, unum in criminalibus praesertim, admittere testem nisi alia adminicula
11 concurrant. Sic etiam unum admitti posse tradunt, quando de stando illius depositioni inter partes conventum, *Farin. d. q.* 63. *n.* 18. *Mascard. d. q.* 11. *num.* 12. *Covar. lib.* 2. *res. c.* 13. *num.* 1. quod de casu, ubi causa est in potestate partium, non ubi de morte agitur, in-
12 telligit *Ant. Matth. d. l. num.* 5. Caeterum in quibus casibus alias unius dicto stetur, vid. *Farin. d. q.* 63. *Mascar. de Probat. concl.* 118. *seqq. Camill. Borell. t.* 2. *decis. d. tit.* 14. *Caevall. q.* 484. *Ant. Gabr. concl.* 1. *de testibus, Card.*
13 *Tusch. concl.* 280. *lit. T.* Communiter ubi testes requiruntur, duo sufficiunt, nisi leges in speciali casu plures requirant, *Auctor in l.* 12. *ff. h. t. num.* 1.

L. Omnibus. 10.

SUMMARIA

In propria causa nemo est testis idoneus. num. 1.
Limitatio. 2.
Idem, si secundarium, idque necessarium et immediatum interesse inde habet. 3.
Testis in re propria ab adversario admissus idoneus est. 4.
Limitatio. 5.
Quando testes de universitate in ejus causa admittuntur? 6.

1 In propria causa, id est, ex qua quis commodum sperat vel damnum metuit, ob affectionem nemo est testis idoneus; quia proprii commodi
2 spes judicii lumen obfuscat, nisi commodum id sit exile, *Masc. concl.* 357. *num.* 58. Exceptio alia in §. *Legatariis Inst. de Testam. Ord.* ubi tantum per consequentiam commodum testis vertitur, *Auctor in l.* 10. *ff. h. t. n.* 1. Quamvis *DD.* ad eos etiam extendant decisionem hujus legis, et *legis* 10. *ff. h. t.* qui habent interes- 3
se secundarium in ea causa controversa, *Auctor in d. l.* 10. *ff. h. t. num.* 2. quod tamen ita intelligit *Farin. qu.* 60. *n.* 10. si interesse sit necessarium et immediatum, et quod illud interesse fidem testis elevet, non in totum tollat, *Farin. d. l. num.* 9. et hanc Regulam multis ampliat *Farin. d. q.* 60. *per totam*, *Masc. de Probat. concl.* 1361. *per totam*, praecipue testis in re 4
propria, admissus ab adversario, idoneus est, *Auctor in d. l.* 10. *ff. h. t. num.* 4. *Seraphinus de Privil. Juram. Privil.* 120. *num.* 1. *Berlich. decis. aur.* 264. *Riccius coll. dec.* 527. Sed haec, 5
ut in simili antea diximus, de eo casu intelligenda, quando res arbitrio partium subjecta, ut de ea submittere se alicujus arbitrio possint. Illud alibi traditur, posse testes de universitate 6
admitti in causa, quae principaliter non singulorum, sed totius Municipii vel universitatis commodum et utilitatatem respicit. Vid. *Trentac. resol.* 4. *de testib. Dn. Carpz. P.* 1. *Jurisprud. Constit.* 16. *def.* 65. *et lib.* 3. *Resp.* 3. *Farin. qu.* 60. *num.* 496. *Masc. concl.* 318. *Menoc. l.* 2. *A. Q. cas.* 106. *Umnius Disp.* 16. *num* 32. *Auctor in d. l.* 10. *ff. h. t. num.* 5. *Struv. Synt. jur. civil. Exerc.* 28. *th.* 39.

L. Quoniam liberi. 11.

SUMMARIA

Neque servus, neque socius criminis regulariter possunt esse testes. num. 1.
Ratio prohibitionis quoad socium in communi crimine. 2.
Excipiuntur quaedam crimina, ubi socii ut testes admittuntur. 3.
An et qualem fidem assertio socii ejusd. criminis mereatur? 4.
Testis exhiberi debet producentis sumptibus. 5.
Testibus, qui labore manuum vivunt, salarii loco, arbitrio judicis aliquid solvere tenetur. 6.

I. Legis pars arcet a Testimonio servos, si scilicet veritas aliter haberi possit, et socios crimi- 1
nis, nisi causa defensionis, in qua producitur socius, sit diversa in reo principali, ita ut absolutio rei socio non prosit, *l.* 1. *C. de Comm. rerum alien. l.* 10. §. *ult. ff. de Appell. Mascar. concl.* 1311. *num.* 1. *et concl.* 1357. *Menoch. c.* 5. *cas.* 474. *num.* 13. Cur autem socius non 2
possit esse testis in communi crimine, ratio est haec, quia suspicio est, aut omnino elusurum crimen, aut derivaturum in socium solum, nisi agatur civiliter, *c.* 3. et ibi *Panorm. X. h. t.* Sed excipiunt quaedam crimina, ut 3
haeresin, Majestatem laesam, falsitatem pecuniae, Sodomiam, Simoniam, *cap.* 1. *lib.* 6. *h. t. Gomez. lib.* 3. *resol. cap.* 12. *num.* 16. *Decianus lib.* 7. *pract. crim. cap.* 24. *num.* 7. *Franc. Viv. dec.* 157. *num.* 2. quod displicet *Anton. Matth. tit.* 15. *cap.* 2. *n.* 4. nam aliud dicit esse quaerere, an facinorosi de sociis sint interrogandi, et an ac qualem fidem assertio socii mereatur:

4 Negandum tamen non est, licet assertio socii criminis plenam fidem non mereatur, omnino tamen aliquam fidem illis tribui, praesertim si requisita concurrant, quae Augustus Carol. V. Imper. in *Const. Carol. art.* 31. posuit, quae ad torturam etiam sufficere possunt. II.
5 Pars. declarat, cujus sumptibus testis adhiberi debeat, scilicet producentis. Is enim non tantum sportulas judicii, sed et alimenta ac sumptus itineris Testibus suppeditare debet, *Auctor in l.* 2. *ff. h. t. num.* 18. *et* 20. *Covarr. in c. peccatum p.* 2. §. 3. *num.* 2. *Petr. Barb. ad l.* 79. *num.* 223. *ff. de judic. Donell. l.* 25. *c.* 16. *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 310. *num.* 19. *Surdus de alim. tit.* 1. *q.* 62. *Rulandus de Commiss. p.*
6 1. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 3. Sed et Testibus, qui labore manuum vivunt, debebit loco salarii aliquid solvere, arbitrio judicis, *Gratianus disc. for. cap.* 57. *num.* 6. *Gail. lib.* 1. *Obs.* 99. *num.* 8. *Surdus d. tract. tit.* 4. *q.* 8. *n.* 3. *Umm. d. disp.* 16. *n.* 56. *Auctor in d. l.* 2. *ff. h. t. n.* 20. adeo ut si ab utraque parte producantur, testes utriusque sumptibus produci debeant, *Farin. qu.* 67. *num.* 270. *et seq. Surdus d. q.* 21. *num.* 2. *Gail. d. Obs.* 99. *in fine, Auctor d. l.* 2. *ff. h. t. num.* 20.

Auth. Si Testis.

SUMMARIA

Debet testis primo interrogari, cujus conditionis sit? num. 1.
Servi testimonium rejicitur. 2.
Si testis odiosus vel inimicus sit ex causa criminali, repellitur plane a testimonio. 3.
Inimicitia orta ex lite civili non repellit testem. 4.
Limitatio. 5.
Inimicitia quaenam capitalis? 6.
Propter exceptionem objectam personae testis, examinatio non est differenda. 7.
Exceptiones contra personas testium regulariter ante juramentum praestitum opponi debent. 8.
Limitatio. 9.

1 Duae partes sunt hujus Auth. I. dicit, debere primo interrogari testem, cujus conditionis sit,
2 et si servum se esse dicat, rejicitur ipsius te-
3 stimonium *etc. ut in textu.* II. Si testis sit odiosus, vel inimicus alterius, distinguitur, utrum ex causa criminali inimicitia exarserit, et haec plane repellit testem, quia est capitalis, an vero ex causa pecuniaria et civili, tunc admittendus est, sed disceptatio, utrum idoneus, servatur in tempus disputationum. Unde colli-
4 gunt: I. Inimicitiam ortam ex lite civili non repellere testem, ortam vero ex lite criminali, tanquam capitalem, repellere testem, *Farin. qu.* 53. *num* 23. *Clarus* §. *fin. qu.* 21. *num.* 5.
5 sed circa prius membrum notandum, non simpliciter admitti inimicum, sed admitti interim, et exceptionem contra testem differri et arbitrio judicis committendum, qualis fides inimico testi tribuenda, licet inimicitia ex lite civili orta, et ita non tam refutat, quam declarat Doctorum mentem *Anton. Matthaei in l.* 48. *ff. tit.* 15. *cap.* 2. *num.* 9. II. Eam inimicitiam es- 6
se capitalem, quae ex lite criminali oritur, vel ex quaestione status, *Farin. q.* 49. *num.* 24. *et seq.* plures citans, *Masc. concl.* 899. *num.* 27. et quos hic congessit *Barbosa*, *Menoch. de Praes. l.* 1. *Q.* 43. *num.* 4. III. Propter exceptionem 7
objectam personae testis, examinationem non esse differendam, sed de ea in ipsa disputatione super personis et dictis testium esse disceptandum, nisi pro opponente militet praesumptio juris. Nam quamvis exceptiones contra per- 8
sonas antequam juramentum praestent, opponendae sint, ne ille, contra quem producitur, videatur consentire in personam testis et eum approbare, vel saltem sibi reservare teneatur exceptiones contra personas testium, nisi juret se malitiose non procedere ad oppositiones contra personas testium, aut se post publicationem didicisse ea, quae jam vult objicere, *c.* 31. *X. h. t.* et ibi *Panorm. num.* 2. *et* 3. *Jo. Crotus in Tr. de Testibus p.* 8. *num.* 357. *Gail lib.* 1. *Obs.* 87. *num.* 4. *Ummius ad Process. d. Disp. num.* 94. si tamen exceptio non statim in con- 9
tinenti possit probari, aut talis non sit, quae ex toto testem repellere possit, discussio haec post publicationem rejicienda, *Farin. q.* 62. *num.* 356. *et seqq.* ubi hoc varie limitat, *Crotus d. p.* 8. *num.* 360. *Berlich. decis.* 2. et sic ex dictis colligitur: Exceptionem, quod testis sit inimicus capitalis vel servus, non esse differendam, si statim probari possit, *Mascard. concl.* 695.

L. Libertorum. 12.

SUMMARIA

Liberti contra patronum, ne quidem vocati testimonium perhibere possunt. num. 1.
Nec vassallus contra dominum. 2.
Quod tamen limitatur. 3.

Liberti contra Patronum ne quidem vocati 1
perhibere possunt testimonium, imo si facerent, puniuntur, quia hoc pugnaret cum reverentia Patrono debita. Exinde forte fluxit, quod vas- 2
sallus contra Dominum non possit testimonium dicere, non tantum in causa criminali, sed etiam civili et modica, §. *similiter tit. de consuet. recti feudi*, et quidem sub poena amissionis feudi, quod perquam durum ait esse *Rosent. de Feudis c.* 10. *concl.* 23. *num.* 26. quamvis duritiem hanc sit moderantur, ut obtineat saltem, si vassallus sponte et non vocatus dicat testimonium, aut si vocatus quidem sit sed non exceperit se esse vassallum. Nam si se esse vassallum allegaverit, et judex ipsi depositionem injunxerit, vassallus erit extra periculum, *Schraderus de Feudis p.* 9. *cap.* 8. *n.* 3. *Rosenthal. d. leg. n.* 28. Nam quamvis libertus non possit compelli ad testimonium dicendum contra dominum, diversum tamen placuit in vassallo, quia libertus ob libertatem, rem inaestimabilem, arctissime Patrono et quidem ratione personae, quam patronus fecit liberam, vassallus vero, ratione rei in feudum datae domino saltem obstrictus est, *Rosenthal. d. l. num.* 32. et quos allegat in Scholis.

L. Nullum. 13.

SUMMARIA

Si testes contraria atque falsa proferendo, vel contumeliosa in judicium effutiendo pecceaverint, judex eos coercere potest. num. 1.
Testis in depositione sua delinquens ibi forum sortitur, ubi deposuit. 2.
Limitatio. 3.
Testes singuli separatim et clam sunt examinandi. 4.

1 Si testes contraria atque falsa proferendo, vel contumeliosa in judicium effutiendo peccaverint, potest judex eos nullo obstante privilegio coercere, ratione temeritatis, *l. quia falso* 16. *ff. h. t. l. eos* 27. *ff. ad L. Cornel. de Fals.* licet alias competens non sit. Ratio in auctoritate judicii, *l.* 19. *ff. de Off. Praesid.* De Clericis tamen id communiter negatur, per tradita *Farinac. de Test. Q.* 67. *num.* 56. *Menoch. l.* 1. *quaest.* 91. *num.* 18. *Afflict. Dec.* 230. Ex hac
2 lege apparet: Testem in depositione sua delinquentem ibi forum sortiri, ubi deposuit. Sed
3 hoc de Judice ordinario, non vero Delegato, nisi a Principe sit delegatus in causa criminali, intelligunt *Menoch. lib.* 1. *A. Q. quaest.* 91. *n.* 4. *Farin. quaest.* 7. *num.* 50. *et seqq. Covar. cap.* 18. *Pract. Quaest. num.* 8. quos hic *Barbos.* citat; Vid. *Riccius dec. col.* 243. Quomodo autem testium delicta, nempe 1. Falsitas, 2. Variatio, et 3. Si non attenta impositione silentii dicta sua partibus revelent, puniantur? Eleganter id docet *Auctor in l.* 16. *ff. h. t. n.* 1. *et seqq.* Ex verbis *intrare secretum*, colligunt
4 *Doctores*; Testes singulos separatim et clam esse examinandos. Sed hanc consequentiam refutat *Anton. Matth. tit.* 15. *cap.* 4. *in criminalibus num.* 9. eo quod secretum nihil aliud sit, quam Secretarium, id est, judicii locus, *l. ultim. C. ubi Senat, vel Clariss. leg.* 3. *C. de Off. div. judic. etc.* eo quod iste locus, tecto et parientibus concluderetur, paucique circumstarent, cum olim in foro magna circumstante populi corona causae disceptarentur. Quicquid autem sit, ipsa sententia licet ex *hac lege* non possit probari, melius tamen probari videtur ex *Nov.* 90. *cap.* 4. Si enim saepius licebat testes producere, modo non didicita essent attestata, utique regulariter non erant praesentes principales partes et sententia haec in foro est receptissima, licet in theoria dubia sit.

Lex 14. et 15. Non sunt authenticae, nec allegantur in foro.

L. Si quis testibus. 16.

SUMMARIA

Quibus testibus usus sum, contra eos in alia causa excipere nequeo. num. 1.
Limitationes. 2.
Producens non potest reprobare testes ex causa, quae procedit ab ipso producente. 3.
Haec l. inter eosdem litigantes locum habet. 4.

Quibus Testibus usus sum, contra eos in alia 1
causa excipere nequeo. Ratio in *ff. tit. Quod quisque juris etc.* Excipe 1. Nisi inimicitiae inter 2
eos emerserint, per *Authent. Si testis h. t.* 2. Si possim probare eos pecuniis corruptos esse, per *hanc leg.* 3. Si contra dicta eorum velim opponere. Nam quae testis a me productus contra me dixit, ea possum ex ipsis depositionibus arguere et refutare, quod ex *textu* colligunt *DD. hic* et praecipue *Castr. num.* 5. ubi dicit, producentem scire potuisse, an testis esset habilis, an non, sed non potuisse scire, quid esset dicturus, *Sich. hic num.* 3. et caeteri, *Tyndarus de Testibus part.* 3. *cap.* 1. *num.* 9. *Mascard. de Probat. conclus.* 1242. *num.* 26. *et seq. Marant. de judic. part.* 6. *tit. de repulsa num.* 12. *Farinac. q.* 62. *num.* 241. Licet autem quidam interdicta testium ad articulos, et dicta ad interrogatoria distinguant, sententia tamen haec falsa, et indistincte oppugnatio dictorum conceditur producenti, *Masc. d. l. num.* 29. Addunt 4. *Doctores*, si domesticus, vel amicus adversarii, *l.* 3. *h. t.* quia diversa est inter nos ratio. Ratio enim affectionis, propter quam illum reprobare possum, si a te productus sit, non militat in eo casu, quando ipse produxi contra te, et sic producens non 3
potest reprobare testes ex causa, quae procedit ab ipso producente, secus si ex causa, quae procedit ab alio, *Boer. Dec.* 245. *num.* 4. *Abbas in c. praesentium num.* 7. *X. h. t. Farin. d. Q. num.* 248. *Mascard. d. conclus.* 1242. *num.* 10. 5. Si mores ipsius mutati, *l. in confirmando* 8. *ff. de Confirm. Tut.* Sic si produxisti testem aliquem contra me, quem non reprobavi, poteram tamen probare, possum tum eum in alia causa contra me productum reprobare, quia aliud est producendo approbare, et aliud non reprobando. *Castr. hic num.* 6. Nec tamen alius se in hac lege fundare potest, qui mecum non litigavit, quia *haec lex* inter eosdem litigantes lo- 4
cum habet, ne res inter alios acta aliis praejudicet, *Castr. hic num.* 8. licet contrarium videatur communius receptum, *Masc. d. concl. num.* 9. *et Farin. d. q.* 62. *num.* 210.

L. Testium. 17.

SUMMARIA

Si debitum solemniter in scriptis contractum, solutio ejus nonnisi instrumento vel 5. testibus probari debet. num. 1.
Ratio dubitandi et decidendi. 2.
Limitatio. 3.
Aliud est, per scripturam probare debitum, aliud per scripturam contrahere. 4.
Omnis testis regulariter suae depositionis reddat rationem. 5.
Limitatio. 6.
Quaenam probanda, si instrumentum casu perierit? 7.

Tria dicit: I. Si debitum solemniter in scri- 1
ptis contractum, solutio ejus non nisi instrumento vel 5. Testibus probari debet. Ratio du- 2
bitationis in *l. in exercendis tit. seq.* Ratio de-

cidendi *in l.* 35. *et l.* 153. *ff. de Reg. Qur.* facilius enim est testes falsos suboruare, quam
3 falsa instrumenta fabricare. Sed notandum est, *textum hunc* loqui de eo casu, quando placuit contrahentibus in scriptis contrahere, non vero si probationis causa instrumentum confectum. Nam si conventum inter partes, ut actus in scriptis celebraretur, adeo quod sine scriptura partes non contraxisseut, necessario requiritur scriptura ad probandam solutionem, cum eo vinculo, quo quid introductum est, illud etiam dissolvi debeat, *Dn. Carpz. c.* 2. *Jurisprud. for. Const.* 29. *Def.* 13. *num.* 4. *et seqq. Masc. Concl.* 1325. *num.* 6. *et seq.* Unde colligitur: non esse opus 5. Testibus ad probaudam solutionem, si creditor Chirographum habeat, quia probandum est prius creditori, non nisi in scriptis voluisse contra-
4 here; quippe aliud est per scripturam probare debitum, et alind per scripturam contrahere, ita ut sine scriptura nolint esse obligati. Conjecturis tamen probari posse solutionem in hoc casu, tradunt *Mascard. d. concl.* 1325. *num.* 26. *Hering. de fidej. c.* 20. §. 1. *num.* 41. praesertim diuturnitate temporis, *Masc. num.* 27. Nam debitum diu differens praesumitur in mala fide, *Hering. d. l. num.* 86. *Menoch. l.* 3. *Praes.* 135. *num.* 3. 6. 7. 19. 21. Conf. *Hartm. Pist. p.*
5 4. *qu.* 13. *num.* 36. II. Testis regulariter omnis suae depositionis rationem reddat, ibi: *sub praesentia sua; et l. solam* 4. *h. t. c. cum causam*
6 37. *X. de Test.* et potissimum si articulus in jure consistat, vel intellectu potius quam sensu percipiatur, v. g. Jurisdictione, Territorio, Dominio, Stipulatione, *Mascard. concl.* 1376. *num.* 5. *et* 36. *Ummius ad Processum d. D.* 16. *num.* 18. Et certum est, dictum testis a ratione dependere, et per illam ampliari, restringi, et declarari, *Mascard. d. l. num.* 58. *et seq. Farin. qu.* 70. *num.* 8. *et seqq. Casp. Kloch. vol.* 1. *cons.* 29. *num.* 314. *et seq.* Ideoque recte tradunt *Doctores*, quod etiam non interrogatus rationem reddere debeat, *Masc. d. concl.* 1376. *Farin. lib.* 3. *tit.* 7. *qu.* 70. *c.* 1. III. Si vero instrumentum solutionis incendio vel alio casu perierit, tunc casus juramento confirmandus, et contenta duobus testibus probanda, *l. ubi* 12.
7 *ff. h. t.* Tria ergo hoc casu probanda: 1. Quod instrumentum super solutione confectum. 2. Quod instrumentum illud casu fuerit perditum. 3. Quod haec fuerit summa deperditi instrumenti, adeo ut si testamentum sit amissum, hoc per duos testes juxta praedicta tria capita probari possit, *Masc. concl.* 909. *n.* 1. *Card. Mant. de conject. ult. vol. lib.* 12. *Tit.* 16. *num.* 15. Unde id ad Testamentum accommodant *DD.* si Testamentum sit deperditum, et testes duo casum amissionis et contenta Testamenti probent, quod tunc haec probatio sufficiat, si testes periti sint, *Mandellus de Alba cons.* 101. *num.* 7. *Casp. Ant. Thesaurus lib.* 2. *qu. for.* 94. *num.* 2. Incidenter hic quaeri potest: An debitor in causa creditoris possit esse testis? de qua quaestione vide *Auctorem in l.* 6. *ff. h. t. n.* 2.

Auth. Rogati.

SUMMARIA

In tribus exemplis necesse est testes rogari, id est, interpellari, admoneri, cujus rei causa adhibeantur. num. 1.

Quartum adhuc exemplum est in divortiis. 2.

Licet regulariter sufficiat intervenisse testes 1
non rogatos, per *l. ad fidem ff. de testib. Farin. qu.* 62. *num.* 132. in tribus tamen exemplis necesse est testes rogari, id est, interpellari, admoneri, cujus rei causa adhibeantur: I. In Testamentis, *l.* 21. §. 1. *ff. de Testam. l. ult.* §. *ult. C. de Codicill. Mascard. de' Probat. concl.* 1361. *per tot. Camill. Borell. tom.* 2. *Decis. tit.* 6. *Mantica de conject. ult. vol. lib.* 2. *tit.* 12. *Farin. d. l. num.* 137. *et seq. Auctor. in l.* 11. *ff. h. t.* cujus rei reddunt duplicem rationem, quae etiam sequentibus duobus casibus possunt suo modo accommodari, 1. timor falsitatis aut fraudis, 2. ut appareat rem serio et deliberate agi, non perfunctorie vel blandiendo, *Mantic. d. l. et Farin. num.* 136. II. In solutione debiti in scriptis contracti, *Auctor in l.* 11. *ff. h. t.* Nam cum talis solutio nonnisi 5. testibus probari possit, per *l. testium* 18. *h. t.* necesse est, ut etiam hi testes omni suspicione vacent, et ut melius sciant quid agatur, prius admonitos esse oportet. III. In confessione creditoris, quando post solutionem dicit, tale debitum solutum esse, *Rittershus. in Nov. p.* 9. *c.* 22. *num.* 11. Quamvis enim testes de alieno auditu deponentes fidem non mereautur, hic tamen admittuntur, quia testes de auditu proprio probant, quando agitur de probatione ejus rei, quae non nisi per sensum auditus percipitur, *Farin. qu.* 60. *num.* 156. sed sint admoniti a debitore, ut constet, an illa confessio sit seria. Casus, in quibus de auditu admittitur deponens testis, vid. apud *Farin. d. qu.* 60. *Rec. dec. coll.* 327. et alios. Addunt alii 2
quartum exemplum, nempe in divortiis, *Auctor in l.* 11. *ff. h. t.*

L. Si quando. 18.

SUMMARIA

Testes ad testimonium dicendum tam in causa criminali, quam civili compelli possunt. num. 1.
Restringitur. 2.
Quando possint etiam privilegiati testes ad testimonium compelli? 3.
Actu et habitu delictum est occultum. 4.
Quomodo judex procedere debeat, si testes inviti vocati, et metuendum, ne recedant? 5.
Intra quod tempus judex teneatur testes examinare? 6.
Testis, qui juravit silentium, etiam potest compelli ad dicendam veritatem. 7.
Ad examinandos testes partes citari debent. 8.
Limitatio. 9.
Causae hujus citationis. 10.
Si adversa pars citata non venerit, non opus est nova aliqua citatione. 11.

Loquitur de testibus invitis compellendis, ne 1
veritas occultetur, *Gail. lib.* 1. *Obs.* 100. *num.* 1. *Auctor in l.* 2. *ff. h. t. num.* 28. in causis civilibus non tantum, de quibus Imperator *hic* ut in causa magis dubia respondet, sed et criminalibus, *argum. l.* 19. *ff. h. t. Auctor in l.* 4. *ff. h. t. num.* 1. ubi tamen excipiuntur per-

sonae nonnullae, et in *l. parentes* 6. *ff. h. t.* nisi veritas aliter haberi non possit, nam tunc privilegiati ad testimonium dicendum compellendi sunt, *Gail. lib.* 1. *obs.* 1. *num.* 15. Et
2 hanc sententiam, quod in criminalibus testes etiam compellendi sint, in foro maxime civili veriorem puto, et utilitati publicae magis conducere, quod etiam *l.* 15. *h. t.* quae quidem authentica non est, suo calculo firmat. De jure Pontificio testes monendi tantum et persuadendi sunt, ne veritati asserendae desint, non cogendi, nisi inopia probationum urgeat, et gratia, vel odio, vel metu adversae partis a ferendo testimonio absterreantur. Ex *Cujac. in tit. Decret. de Testibus cog. Ummius* d. *D.* 16. *num.* 39. ubi subdit, si testium copia suppetat, neque illi testimonio dicendo injuste se subtrahant, eos jure Canonico cogi non posse, non tantum quoad causam criminalem, sed etiam civilem. Et de hac causa intelligendos esse *DD.* qui a *Farin. qu.* 78. *num.* 115. allegantur, male sentientes, si simpliciter id affirmant, *Ummius d. l.* Conf. *Zasius in tit. Decret. de Testibus cog. num.* 2. *Mascard. de Probat. lib.* 1. *qu.* 5. *num.*
3 47. Quod autem diximus, privilegiatos testes etiam compellendos, si veritas aliter haberi non possit, id ita explicant Doctores, si negotium illud de sua natura sit difficilis probationis, vel ratione loci ac temporis, ut plures testes actu non tantum non convenerint, sed nec etiam convenire potuerint, *c. ult. X. de testibus cog. Farin. qu.* 62. *num.* 62. *Mascard. de Probat. concl.* 1366. *num.* 9. *Dn. Carpz. P.* 1. *Jurispr.*
4 *Const.* 10. *Def.* 37. ut ita pateat, actu et habitu delictum esse occultum, *Masc. d. l.* Quando
5 autem inviti vocati sunt, et timendum, ne recedant, non debent carceri mancipari, sed vel satisdationi vel juratoriae cautioni committi. Additur ratio: quia in majori causa, in ipsa scilicet causa principali, ejus juramento credendum. Si autem effugiat, judicis est suam jurisdictionem defendere, *l.* 1. *ff. si quis jus dicenti etc.*
6 Ne autem testi suum officium sit damnosum, *l.* 61. §. *quod vero* 5. *ff. de Furt.* ideo Judex tenetur intra 15. dies examinare testes, quod si neglexerit, recedere possunt testes, sed Judex tenetur parti ad resarciendum damnum. Sed
7 *annon testis, qui silentium juravit, potest compelli ad dicendam veritatem?* Aff. per *c.* 18. *et* 45. *X. de testib.* et per tradita *Gaillii d. Obs.* 100. *num.* 4. *Farin. qu.* 78. *num.* 149. *et seqq.* Conferatur *Rulandus de Commiss. P.* 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *Wurms. tit.* 17. *Obs.* 25. *Hering. de Fidejuss. c.* 1. *num.* 72. *Myns. cent.* 2. *obs.* 78.
8 Colligitur ex *hac l.* 18. ad examinandos testes partes citari debere, ex verbis, *postquam fuerint admoniti*, alias testimonium erit nullum,
9 *DD. hic* penes *Barbos. num.* 8. Sed excipiunt *DD.* varios casus, ut si generalis inquisitio instituatur, vel si periculum sit in mora propter mortem aut diuturnam testis absentiam, de quibus exceptionibus fuse *Mascard. concl.* 633. *a num.* 15. *usque ad finem*, *et Farin. qu.* 72. *cap.* 2. *a num.* 10. *usque ad fin.* quamvis nonnullae exceptiones, ut in consuetudine probanda, si testis omni exceptione major, item de Arbitris, merito displiceant *Rulando de commiss.*
10 *d. l.* 2. *c.* 3. *num.* 1. Causae autem citationis sunt, 1. ut videat produci testes et jurare. 2. Ut exhibere possit interrogatoria. 3. Ut possit adjungere Commissarium, vel Notarium. 4. Ut contra personas testium exceptiones proponere, aut sibi reservare possit, *Ruland. d. c.* 3. *num.* 3. *et seq.* Colligitur etiam ex verbis legis, *alterutra parte cessante*, item, *admoniti venire noluerint*, si pars adversa citata non venerit, 11
non opus esse, ut denuo citetur, sed posse in contumaciam testes examinari, licet pars adversa non fuerit peremptorie citata, *Farin. q.* 72. *num.* 77. *Masc. d. qu.* 5. *num.* 87. *Ruland. d. c.* 3. *num.* 16.

Auth. Sed et si quis.

SUMMARIA

In h. Auth. l. praecedens declaratur, non corrigitur. num. 1.
Attestationes altera parte emanente receptae valent, et possunt publicari. 2.
In h. auth. probabile argumentum reperitur, quod tempore Justiniani partes interfuerint examini, et audierint attestata. 3.

In *lege praecedente* dictum, quod altera parte 1
cessante Judex intra 15. dies testes examinare possit, hoc repetit et declarat Imper. non vero corrigit in *Nov.* 90. *c.* 9. additque, attestatio- 2
nes altera parte emanente receptas aeque valere, ac si ea praesente acceptae essent, et posse etiam publicari, et partem alteram excusari, non ob quasvis causas justas, sed si inevitabilis necessitas impediat. Interpretes quidem *hanc Authenticam* de eo casu intelligunt, quando ante litem contestatam attestata recipiuntur, de quo in *t. t. X. ut lite non contest. Myns. cent.* 1. *Obs.* 18. *Gail. lib.* 1. *obs.* 82. *Hartm. Pist. p.* 1. *qu.* 39. *Ruland. de commiss. p.* 1. *cap.* 3. *Farin qu.* 76. *Borellus l.* 2. *decis. tit.* 8. et quos hic congessit *Barbosa.* Sed de eo hic nihil agitur, ut deprehendit cum *Donello Gilken. hic num.* 5. Saepe enim decisa semel et observata repetuntur, *l. fin. C. de indict. Viduit. tollenda.* Et fateor sane in *hac Novella et Auth.* pro- 3
babile argumentum reperiri, quod tempore Justiniani partes interfuerint examini et audierint attestata. In dicta enim *Nov.* 90. *c. fin.* expresse dicitur, oportere adversarium praesentem esse audire attestationes. Ideoque *hanc Nov.* urget *Anton. Matth. tit.* 15. *c.* 4. *num.* 9. Forte non inepte quis diceret, fuisse in arbitrio partis audire vel non audire, et hoc forte eo casu, quando plurium testium depositiones sibi reservavit.

L. Cum apud. fin.

SUMMARIA

Casus Legis. num. 1.
An attestata testium coram arbitro deposita suam vim in judicio exerant? 2.
Testes examinati coram arbitro non faciunt plenam fidem coram judice. 3.
Limitatio. 4.
Testes examinati coram arbitro, si mortui sunt, et repeti non possunt, plenam fidem faciunt. 5.
Partium conventione fieri potest, ut testimonia sint valida, vel non. 6.

An testes denuo jurare debeant? 7.
An testis possit se referre ad prius dicta? 8.
Cautela testis denuo examinandi observanda. 9.
Attestata coram arbitro dicta in instrumentum redigenda sunt, et subscriptionibus arbitri confirmanda, et publicanda. 10.
Etiam contra testium mortuorum personas quid excipi potest. 11.
Dicta testium in una instantia super eodem negotio faciunt fidem in alia. 12.
Pacto testium dicta possunt corroborari. 13.

1 Quidam apud Judicem compromissarium testes produxit, sed soluto arbitrio judicem adiit; Quae-
2 ritur: *An attestata testium coram arbitro deposita suam vim in judicio exerant?* Resp. nisi ab initio hac de re quid conventum, si superstites sint testes, optio datur adversario, utrum repetendi sint, alias si hoc noluerit, vel omnes mortui, vel quidam, tunc eorum qui mortui sunt, depositiones, ut attestata valent. Cur autem repetitio testium a parte peti possit, haec est ratio, quod ab arbitro non ea diligentia videatur examinatus testis, quam ab ordinario solet, et testis coram arbitro citius mentiatur, cum ab eo plecti non possit, *hic et c. praesentata* 50. *X. h. t. Menoch. de Arb. Jud. Quaest.*
3 *cas.* 109. *num.* 8. *et seq.* Collige: I. Testes examinatos coram arbitro non facere plenam fidem
4 coram judice, nisi consensus utriusque accedat, qui consensus videtur accedere, quando pars, contra quam testes producti, non peteret, ut testes supervenientes repeterentur, *Trentacin. lib.* 2. *tit. de Testibus Resol.* 9. *num.* 5. Et quod hic de arbitro dicitur, non potest per omnia ad arbitratorem extendi, ut communiter distinguere solent, dum arbitrator ex bono et aequo procedit, nisi hoc inter partes convenerit, vel arbitrator judicialiter examinaverit, ex *Lanfranco in tr. de Arbit. in* 7. *divis. num.* 74. *Tren-*
5 *tac. d. l.* II. Testes examinatos coram arbitro, si mortui sint, et repeti non possint, plenam fidem facere, quod idem etiam in examine coram judice incompetente instituto locum habere dicunt, Vid. *Vivius Dec.* 78. In Criminalibus autem non habere locum notant. Colligitur etiam ex hac lege, partium conventione fieri 6
posse, ut testimonia sint valida vel non, *Castr. hic num.* 3. *Sich. num.* 5. et caeteri. Et notetur hic casus, ubi non obstat metus subordinationis, quo minus post didicita attestata, in hoc casu speciali testes super iisdem articulis examinari possint. Sed quaeritur 1. *An testes denuo* 7
jurare debeant? quod post *Bl. hic* affirmant *DD.* quia examen prius plane annullatum. Secus si in eadem instantia ad declaranda attestata repeterentur, ubi non videtur novo juramento opus esse: Vid. *hic Sich. num.* 7. *Trentac. d. l. num.* 82. Quaeritur. *An testis possit se re-* 8
ferre ad prius dicta, ita ut non teneatur ad singulos articulos in specie respondere? Et recte hoc negat *hic Sich. num.* 7. *in fine.* Nam ad quid induceret hujus legis dispositio, si in specie et diserte non cogeretur deponere? Suppeditat tamen *hic Castrensis* cautelam, quam 9
multis allegatis Doctoribus etiam tradit *Farin. qu.* 66. *num.* 40. *et seqq.* ut testis denuo examinandus putat, sibi praelegi primam depositionem, et si Judex hoc facere nolit, cum protestatione deponat testis, si in primo examine aliter dixerit se velle corrigere hoc ipso secundum dictum ex primo. Sed si sine protestatione hac aliter respondeat judici quam Arbitro, secundo magis standum esset, ut *hic DD.* quia in parte arbitrium judicis non excluderem, qui aestimabit, an tantum temporis spatium effluxerit, ut potuerit oblivisci nonnullarum circumstantiarum.
3. *An attestata coram Arbitro dicta, sint in* 10
instrumentum redigenda et subscriptionibus Arbitri confirmanda, et publicanda? quod dicendum videtur ex *d. c.* 50. *X. h. t.* Demum quaerunt: *An etiam contra testium mortuorum per-* 11
sonas quid excipere possint illi, contra quos producti sunt coram Arbitro? et id affirmant *hic interpretes* ex verbis textus in fine: *adversus eas et testes legitimo jure, quod ei competit, adversus quem proferuntur, integro reservato,* licet alias post mortem de poena quaeri non soleat. Collige ergo: I. Quod dicta testium 12
in una instantia super eodem negotio faciant fidem in alia. II. Quod pacto testium dicta pos- 13
sint corroborari.

TITULUS XXI.

De Fide Instrumentorum et amissione eorum, et de Apochis et Antapochis faciendis, et de His, quae sine scriptura fieri possunt.

L. 1. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

SUMMARIA

Amissio instrumenti fortuita non nocet creditori, nec amissio apochae nocet debitori. num. 1.
Quid juris, si facto adversarii instrumentum subtractum? 2.

Has leges omnes, quia unius argumenti sunt
1 conjungam, *Sichardum hic* secutus. Amissio instrumenti fortuita non nocet creditori, nec amissio Apochae nocet debitori. Sed, amisso licet instrumento, debitum vel solutio ejus quibuscumque, idoneis tamen probationibus probari potest, v. g. Si quis Fisco solvit et apocham amisit, debitum illud ex Fiscalium rationum inspectione probari potest, *l.* 4. *h. t.* Sic ingenuitas, amissa licet natalium professione seu testimonio, aliunde potest probari, *l.* 6. *h. t.* Sic Miles Veteranus solemnibus stipendiis missus, amisso licet instrumento missionis, testibus tamen id probare potest vel aliis probationibus, *l.* 7. *h. t.* Sic si mihi proprietas relicta testa-

mento, alteri vero ususfructus, amisso licet testamento proprietatem vel dominium directum aliter probare possum, juxta *l.* 8. *h. t.* sic Actorum judicialium interitu, emancipatio semel facta, licet alias ad essentiam requirat actorum solemnitatem, *l.* 3. *C. de Emanc. lib.* non tollitur, si instrumentis aliis, v. g. testimonio judiciali, vel aliter probari possit, *l.* 11. *h. t.* Hoc tamen notandum, quando contractus est in scriptis celebratus, ut in *l.* 7. *h. t.* vel solutio in scriptis celebrata, juxta *l. testium* 17. *tit. praeced. l. hac consultissima* 21. *C. de testam. l. Statutis* 3. *C. de sent. ex peric. rec. etc.* atque ita scriptura de essentia negotii est, quod tunc amisso instrumento duo requirantur: 1. Juramento confirmanda est amissio instrumenti, *per l.* 5. *h. t.* Et 2. testibus duobus debet probari ipsum debitum. Quamvis enim scriptura ad essentiam contractus requiratur, postquam tamen hic semel inesse deductus est, non tollitur amisso instrumento, *l.* 1. *ff. de Testibus*, si modo testes sint periti, et sciant, quae ad essentiam instrumenti requirantur, quod in arbitrio judicis collocat in *l.* 1. *hic Gilken. num.* 9. Vid. *l.* 1. *ff. de Testibus*, *Camillus Borellus tom.* 2. *decis. collect. tit.* 5. *num.* 45. *Mascard. de Probat. Concl.* 88. *et Concl.* 904. *Wesenb. consil.* 72. *Trentac. lib.* 2. *Resol.* 4. *Vinc. Honded. cons.*
2 19. *num.* 19. *Besold. cons.* 246. Si vero facto adversarii subtractum instrumentum, locum habet *l. si de possesione* 20. *supr. de Probat.* sufficit enim probare furtum vel lacerationem. Nam in contentis stabitur juramento ejus, cujus fuit instrumentum, et is qui laceravit punitur ut falsarius, si dolo id fecit, sed extra ordinem, si ex iracundia, *Bald. Castr. Sich. hoc loco in fine.*

L. Si uteris. 2.

SUMMARIA

Qui instrumentum falsum non tantum fingit, sed etiam eo utitur, tenetur criminis falsi. num. 1.
Ex delicto unius alter non est perstringendus. 2.
Mitius puniendus est is, qui falso instrumento utitur, quam qui fecit. 3.
Testis semel de falso condemnatus nunquam potest esse testis. 4.
Instrumentum in una parte falsum totum praesumitur falsum. 5.

1 Qui instrumentum falsum non tantum fingit, sed etiam eo utitur, tenetur criminis falsi, *l.* 4. *et* 8. *C. de Falsis.* Ego igitur aliquo instrumento utor, de quo socius meus crimine falsi condemnatus est, Quaeritur: *an etiam poena falsi ex dicta sententia mihi immineat?* et videtur quod sic, ex *l.* 2. *ff. de Duobus Reis*, *et l.* 31. §. *si duo ff. de Novat.* Sed negatur, quia est res inter alios acta, *t. t. C. res inter alios actas*
2 *etc.* nec ex delicto unius alter perstringendus, *l. sancimus* 22. *C. de poen.* Colligunt ex hoc
3 textu, mitius puniendum eum, qui falso instrumento utitur, quam qui fecit, *Sich. hic num.* 1. *Castr. n.* 8. et caeteri, *Honded. lib.* 1. *cons.* 109. *num.* 65. *et seq.* Sed aliam rationem volunt esse testis semel de falso condemnati, qui 4
nunquam potest esse testis. Sane si instrumentum in una parte falsum, totum praesumitur 5
falsum, de quo *Masc. de Probat. Concl.* 743. *per totam*, *Prukm. vol.* 2. *Cons.* 15. *num.* 49. *Klöck. vol.* 2. *Cons.* 41. *num.* 306.

L. Si adversarius. 3.

SUMMARIA

Renuncians instrumento suspecto, quod falsi arguebatur ab adversario, eodem postea uti nequit. num. 1.
Limitatio. 2.
Potest quis evitare poenam falsi, si falso instrumento renunciet. 3.
An si quis instrumentum produxerit in judicio, et adversarius ex eo aliquid pro se acceptaverit, producens possit renunciare productioni, et instrumentum ab actis tollere? 4.
Qui renunciat instrumento, non statim renuntiat debito. 5.

Renuncians instrumento suspecto, quod falsi 1
arguebatur ab adversario, eodem postea uti nequit. Ratio, quia semel reprobatum iterum probari nequit, *l.* 11. *C. de Rebus Cred.* Requiritur tamen, ut 1. Instrumentum de falso accusatum 2
sit, 2. ut absolute, non cum protestatione renunciaverit, 3. ut fecerit testato coram testibus, vel apud acta, id est, in judicio, nec potest eo uti in instantia appellationis. Nam haec quidem reducit litem ad tempus litis contestatae quoad ordinem judicii, non tamen rescindit pacta et probationes et confessiones in priori judicio factas. Collige: Aliquem evitare poe- 3
nam falsi, si falso instrumento renunciet. Ratio est, quia non est consummatum delictum; quod si instrumentum falsum composuisset, non posset per poenitentiam id abolere; sed hic tantum utitur instrumento, ergo si dicat se nolle uti instrumento, poenam falsi evitabit, *Castr. ad l. praeced. num.* 5. *et hic num.* 4. Quandoque tamen suspecta renunciatio facta instrumentis, scilicet ubi quis habet instrumenta, sponte tamen et antequam excipiatur de falso, illis renunciat, et suam intentionem testibus vult probare; cum enim expeditior sit via probandi per instrumenta, quam per testes, non sine causa probationem per testes eligit, ideoque de falso se suspectum facit, *Cravetta cons.* 134. *num.* 30. *Menoch. lib.* 5. *Praes.* 20. *num.* 22. Sed quaeritur: *Si quis instrumentum produxerit in* 4
judicio, et adversarius ex eo aliquid pro se acceptaverit, an producens possit renunciari productioni, et instrumentum ab actis tollere? quod recte negatur. Nam aliud est, si instrumentum ut falsum allegetur, de quo haec lex loquitur; et aliud est, si ipse adversarius id non impugnet, sed pro se alleget, tunc enim jam factum est pars actorum, *Guido Papae decis.* 243. *Myns. cent.* 6. *Obs.* 76. Nota tamen Eum qui renunciat instrumento, non statim 5
renunciare debito, *Rodericus Suarez in Repet. l. post rem judicatam ff. de Re jud. limit.* 6. *num.* 4.

L. Illatae. 4.

SUMMARIA

Debitor Fisci, amisso licet instrumento solutionis, librum rationum tamen edi postulare potest. num. 1.
Libri publici et catastra debent esse instrumenta non curiae tantum, sed omnibus civibus communia. 2.

1 Hanc quidem *legem* habuimus supra ad *l.* 1. hoc tamen repetendum duxi, debitorem Fisci amisso licet instrumento solutionis, a procuratore Fisci, vel potius dispensatore rationum Fisci, librum rationum edi postulare posse. Et non possum non hic infelicitatem nostrorum temporum accusare, cum hodie, amissis instrumentis, solutarum collectarum frustra miseri ad libros civitatum quarundam provocent, sed adhuc semel solvere collectas forte jam solutas compellantur plus quam barbare, cum tamen
2 libri publici et catastra debeant esse instrumenta non curiae tantum, sed omnibus civibus communia, ut ex *hac l.* probatur.

L. Si constiterit. 8.

SUMMARIUM

Species facti h. l. ejusque decisio.

Et *hanc legem* supra in *l.* 1. habuimus; species autem hujus legis haec est: Constitui tibi usumfructum in bonis meis, et feci instrumentum, illud Instrumentum tamen lacerasti, an per hoc mihi eripuisti proprietatem fundi, vel saltem intervertisti probationem proprietatis? Negatur utrumque. Nam instrumento amisso non statim amissum est jus, super quo instrumentum confectum, et potest illud jus aliis modis probari, v. g. per confessionem, testes, vel potest desuper juramentum alteri deferri.

L. Instrumentis. 9.

SUMMARIA

Scriptura regulariter non requiritur ad essentiam contractus. num. 1.
Divisio recte facta etiamsi sine instrumentis facta, non rescinditur. 2.

1 Quia scriptura regulariter non requiritur ad essentiam contractus, sed tantum ad probatio-
2 nem, *l. seqq. h. t. l.* 1. *ff. de Pign.* ideoque divisio recte facta, id est, sine fraude, *l.* 35. *ff. de Pact.* et cum vero cohaerede, *l.* 36. *ff. Fam. ercisc.* etiamsi sine instrumentis facta non rescinditur. Vid. *sup. l.* 12. *Fam. ercisc.*

L. Non idcirco. 12.

SUMMARIUM

Quando in rei donatae vacuam possessionem introducor a donatore, non necessarium est rei gestae testimonium in scriptis.

Quando in rei donatae vacuam possessionem, id est, quae ab omni possessione libera sit, introducor a donatore, non necessarium est rei gestae testimonium in scriptis, sed traditio ea aliter probari potest, si opus sit, ratio in *l.* 9. *h. t.*

L. Apud eos. 13.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta cum decisione et ratione decidendi. 2.

Amisi instrumentum vi praedonum, quam 1
amissionem probo apud judicem testibus, v. g. qui fuerunt comites itineris, sed neque comites neque Judex perspectum habuerunt tenorem instrumenti, Quaeritur: *an sufficiat proba-* 2
re amissum esse instrumentum? Resp. quod non, sed praecise etiam requiritur probatio, quod hic fuerit tenor instrumenti etc. alia est enim probatio casus, alia tenoris instrumenti.

L. Scripturae. 14.

SUMMARIA

Diversae et contrariae scripturae, quae fidem sibi mutuo derogant, nullam habent vim probandi. num. 1.
Diversi in h. l. *notantur casus.* 2.

Si ego diversas et contrarias scripturas, quae 1
fidem sibi mutuo derogant, producam, illae nullam habent vim probandi, quia contraria allegans non est audiendus, *l.* 1. *C. de Furt. l.* 9. *C. de Lib. causa*, nisi utar instrumento adversarii in uno tantum capitulo, addita protestatione, me velle eo uti in passibus utilibus. Vid. *Menoch. lib.* 2. *praes.* 45. *Carpzov. P.* 1. *Const.* 17. *Def.* 7. Collige ex hac lege diversita- 2
tem casuum, an instrumenta contraria a diversis producantur, v. g. ab hoc unum, et ab illo aliud, an vero duo instrumenta contraria ab uno et eodem producantur, ut illo casu attendatur, quidnam dignius sit, *l. pen. C. de contrahenda stipulatione*, posteriore vero casu, unum alteri fidem derogat, sive una scriptura sit publica, altera privata, sive utraque sit publica, vel utraque privata, *Abb. et Felin. in c. imputari X. h. t. Trentac. lib.* 2. *tit. de fide Instrum. resol.* 5. *num.* 11. Sic licet reus duas possit allegare exceptiones contrarias, non tamen auditur allegans instrumenta contraria, *Glossa hic et Trentac. num.* 12. Sed si quis instrumentum unum produxerit, quod partim pro producente, partim pro adversario faciat, solet producens protestari, quod illud approbet in partibus utilibus, et pro se facientibus, quod in capitulis separatis, et iis praecipue quae enunciative ponuntur, procedere posset, *Masc. concl.* 916. *Caeval. qu.* 696. *Vivius dec.* 110. *Carpz. p.* 1. *Const.* 17. *def.* 7. *Berlich. dec.* 38.

L. In exercendis. 15.

SUMMARIA.

In agendis causis parem vim probandi habent testes et instrumenta. num. 1.
Quaedam non nisi instrumentis, quaedam utroque genere probandi, quaedam facilius per instrumenta, quaedam per testes probantur. 2.
Modus probandi per testes magis informat judicem, per instrumenta autem est facilior parti. 3.
Quando quis vult executive procedere, tunc necesse est, ut per confessionem vel instrumentum hoc probet. 4.
Limitatio. 5.
Crimina an instrumentis probari possint? 6.

1 In agendis causis parem vim probandi habent
testes et instrumenta. Nota tamen, quaedam
2 non nisi instrumentis probari, ut quae ad sui
essentiam scripturam requirunt, de quibus in
l. contractus 17. *h. t.* quaedam utroque genere
probantur, sed alia facilius per instrumenta,
ut facta antiqua implicita; nam in his magis
instrumentis creditur, quam testibus, *Knichen
de jure superiorit. cap.* 3. *num.* 12. *et seq.* alia
facilius per testes, ut quae in jure consistunt,
3 v. g. dominium. Nota bene: Modum probandi
per testes magis informare judicem, per instrumenta autem esse faciliorem parti, unde exceptionem spolii non minus testibus quam instrumentis probari posse, probat *Carpz. p.* 1. *Ju-*
4 *rispr. Const.* 6. *def.* 3. Sed quando quis vult
executive procedere, tunc necesse est, ut per
confessionem vel instrumentum hoc probet, et
ita etiam, si reus contra instrumentum, ex quo
via executiva agit actor, exceptionem opponere
velit, tenetur eam ex vi relatorum instrumentis
probare, non testibus, per tradita *Carpzov. d.*
5 *Const. def.* 5. quod intelligo, Nisi reus neget
actionem fundari in instrumento, et jus agendi
actori competere, de quo alibi. An autem si
testes repugnent scripturae, an huic vel illis
major fides adhibenda, vide *Menoch. l.* 2. *Arbitr. Q. Cas.* 105. *Masc. hic Lib.* 1. *quaest.* 6. *et concl.* 920. *Caevall. qu.* 455. *Farin. qu.* 158.
Trentac. d. tit. de Instrum. resol. 6. *per totam.*
6 Crimina an instrumentis probari possint, docet
Auctor in l. 2. *ff. h. t. num.* 17. *seqq.*

L. Contractus. 17.

SUMMARIA

Sensus legis num. 1.
Quando contrahentes videantur voluisse in scriptis contractum celebrare? 2.
Aliud in scriptis velle contrahere, aliud est, velle ut contractus in scripturam redigatur. 3.
Verba contrahentium intelligenda sunt juxta naturam contractus. 4.
Hic textus male allegari solet in practicis. 5.
Quando arrha data est super facienda venditione neutra pars impune recedere potest. 6.
Limitatio. 7.
Quae valde est dubia propter rationes adductas. 8.

Princ. Quando contrahentibus placuit in scri- 1
ptis contrahendum esse, non aliter valet contractus, nisi instrumenta in mundum recepta,
et subscriptionibus partium confirmata, et si
instrumenta sint publica etiam a tabellario completa, et postremo a partibus absoluta, id est,
iis praelecta et ab iis approbata sint. Sed quaeritur,
quando contrahentes videantur voluisse in scriptis 2
contractum celebrare? et resp. si ab initio placuerit, ut super contractu instrumentum fieret,
volunt nondum confecto instrumento, nullam
esse obligationem, secus si post contractum hoc
placuerit, *Fachin. lib.* 2. *Cont. cap.* 97. et quos
Hartm. Pist. p. 3. *qu.* 27. *num.* 22. citat, et *Carpzov. P.* 2. *Jurispr. Const.* 33. *def.* 13. Sed dubiam illam sententiam facit, quod Imper. in *hac
l.* loquatur de eo casu, quando partes in scriptis contrahere voluerunt. At aliud est in scri- 3
ptis velle contrahere, et aliud est velle, ut contractus in scripturam redigatur, ideo licet ab
initio Notarius vocetur, placetque statim, ut
super contractu scriptura fieret, non tamen
statim sequitur, quod in scriptis, et sine scriptura non velint se obligare, nam haec sunt
distincta, et in dubio, quocumque tempore hoc
placeat, ut super contractu scriptura fieret,
hoc probationis tantum gratia factum videtur,
et non eo fine, ut sine scriptura se non obligarent, *Vasquius p.* 1. *lib.* 1. *Controvers. cap.* 28.
num. fin. Mascard. de probat. concl. 435. *num.*
8. *et seqq. Caspar. Klock. cons.* 16. *num.* 117.
V. 2. et cum hac sententia videtur consentire
Hippolytus de Marsil. sing. 666. ubi tradit, eo
ipso, quod placuit super contractu esse faciendum instrumentum, non posse recedi a contractu, et *Covarr. in c. relatum* 11. *num.* 19.
negat hanc consequentiam esse validam: Testator Notarium ad Testamentum scribendum vocavit, ergo necessario ita scripturam exegit, ut
aliter testari noluerit; sed tunc hoc dicendum
esse, quoties ex aliis conjecturis apparet, hanc
voluntatem fuisse testatoris. Et ab hac sententia
videtur valde alienus *Ant. Gabrielius*, licet
fluctuans *l.* 3. *tit. de Pactis concl.* 3. *in fin.* nostramque sententiam manifesto probat *Menoch.
lib.* 3. *praes.* 148. ubi hanc communem dicit,
et pro hac sententia duas rationes ponit, 1. quod
verba contrahentium intelligenda sint juxta na- 4
turam contractus, *l. si stipulatus ff. de Usuris
etc.* Atqui horum Contractuum natura non requirit pro sui esse et substantia scripturam et
instrumentum; 2. ratio, quod juxta communem
practicam contractus non dicatur in scriptis celebratus, quando Notarius de eo contractu rogatus fecit instrumentum, et *num.* 13. *et seqq.*
proponit exceptiones, si v. g. partes expresse
asserant, se velle in scriptis contrahere, vel se
non aliter contrahere velle, quam si conficiatur instrumentum, et de his terminis loqui puto legem nostram. Hanc sententiam quoque defendit *Phil. Decius cons.* 340. *num.* 2. *et seq.*
Conferatur *Castillo lib.* 3. *contr. cap.* 26. Et
quia haec controversia quotidiana est in Judiciis, et multarum litium mater, optandum esset ut Principes has et similes lites per consti-
tutiones locales definirent. Ideoque hic textus 5
male allegari solet in practicis, cum hodie rarissime hoc conveniri soleat, ut in scriptis velint contrahere et sine scriptura nolint obligari, licet hoc saepe placeat, ut super contractu

instrumentum fieret, eamque sententiam omnino etiam jure Canonico puto veriorem, quo ex pacto nudo atque contractu innominato a neutra parte consummato datur actio. Ideo si constet, v. g. vendidisse me fundum centum thaleris, licet ab initio placuerit desuper instrumentum fieri debere, omnino tamen licet poneretur, jure civili nullam oriri actionem, Jure Canonico tamen oriretur obligatio, et imploratio officii judicis, nisi diserte probetur, partes nullo modo ante scripturam se voluisse obligare.

6 §. *Illud.* Quando Arrha data est super facienda venditione, poenitens venditor, qui accepit arrhas, eas duplicatas reddat, emptor vero poe-
7 nitens non repetat. Sed id de contractu nondum perfecto intelligendum esse notat *Wesenb. in ϖ. de Contrah. Empt. num.* 9. *et Carpz. p.* 2. *cap.* 33. *D.* 14. Nam contractu perfecto non licet recedere, per *l.* 6. *C. de Resciñd. Vendit.*
8 Sed id sine dubio non transit: nam *Carpz. et Wesenb.* utuntur duabus rationibus, 1. quod Imp. hic de facienda et imperfecta venditione loquatur; 2. quod absurdum videatur, arrhae dationem, quae firmando contractui adhibetur, contrarium operari effectum. Verum primae rationi responderi posset, illa verba, *super facienda emptione*, captari, et ea de futuris tunc emptionibus intelligi posse, et contra urget, quod arrha detur eo fine, ut de pretio constet, per *l. quod saepe* 35. *ff. de Empt.* et per *l.* 11. §. 6. *ff. de Act. Empt.* et Imp. etiam aliis verbis utitur, quae perfectam emptionem inferunt, v. g. *ab emptione recedens*, et quia Imperator de venditione sine scriptis expresse loquitur, non possum aliter dicere, quia sine scriptis solo consensu venditio perficitur, quam quod Imperat. hic non tantum de imperfecta sed etiam perfecta emptione loquatur, et quod arrhae datio hoc inferat tacite. Hoc etiam appellatio Germanica vocis *(Reue-Kauff,)* probat, et *d. l. quod saepe ff. de Empt. et d. l.* 11. §. 6. *ff. de Act. Empt.* Secundae Rationi responderi posset, 1. Brocardicum tamen esse, in quo firmum fundamentum vix collocandum; 2. posse fieri, ut quod firmando pacto adhibetur, mihi tamen pariat facultatem poenitendi, v. g. si dederim, ut tu des in permutatione, illa mea datio firmando contractui adhibetur, et tamen ideo quia ego dedi, habeo facultatem poenitendi, non aliter; 3. Arrhae dationem non principaliter, sed per consequentiam et tacitam conventionem operari, ut qui dedit, possit poenitere; Eamque sententiam amplectuntur *Gomez tom.* 2. *Resol. c.* 2. *num.* 18. *Fachin. l.* 2. *c.* 28. Conf. *Caldas de Empt. cap.* 18. *num.* 35. *Molin. d. J. et J. Tr.* 2. *d.* 338. *num.* 3. Limitatur tameñ haec sententia. Nam etiam arrhis datis non licet recedere a contractu, quando res vendita tradita, vel arrha in partem pretii data, *Gomez d. c.* 2. *num.* 18. *in fine, Caldas d. c.* 18. *num.* 38. Et haec etiam questio decisione opus haberet.

L. Judices. 18.

SUMMARIA

In civilibus causis concedenda est remissio a judice pro examinandis testibus, quotiescumque remissio petitur ex justa aliqua causa. num. 1.

Ampliatio. 2.

Sicut testium examen alteri potest committi, ita etiam productio scilicet editio instrumenti alibi existentis. 3.

Limitatio. 4.

In Civilibus causis concedenda est remissio a 1
judice pro examinandis testibus absentibus, et extra provinciam vel jurisdictionem judicis existentibus, vel judici non subjectis, vel si testes sint senes, valetudinarii etc. et quotiescumque remissio petitur ex causa aliqua justa, non ex praesumpta calumnia, *c. cum causam, X. de Testibus. DD. hic* certatim omnes, et *Gail. lib.* 1. *obs.* 96. et quos allegat *Farin. Q.* 77. *num.* 2. *et Menoch. Rem.* 15. *Recup. Poss. num.* 346. ideoque Judex petenti potest deferre juramentum calumniae, *Sich. hic*, et ex eo *Farin. d. l. num.* 22. Et hoc examen non tantum in 2
casu alienae dioeceseos locum habet, sed etiam ubi testes sunt subjecti judicio. Sed ob distantiam locorum non possunt commode ad locum judicii citari sine magnis expensis, sicut *Camera Spirensis* examen testium Commissariis a parte producente nominatis, committere solet, quod peti debet ab actore statim post litis contestationem in secundo termino, per *Recessum Imperii nuperrimum de Anno* 1654. §. *(Dahero wir, wenn dasjenige*, ibi: *wenn dasjenige, was Kläger vorbracht, von Beklagten negiret worden, soll Kläger in dem darauf folgenden andere* Commissarios *zu ernennen und* Commission *zu bitten schuldig seyn;)* et de observantia aliorum locorum *Rauchb. P.* 1. *Q.* 13. *num.* 11. *Carpz. in Process. Tit.* 13. *Art.* 1. *num.* 36. *et seq.* Sicut igitur testium examen alteri com- 3
mitti potest habenti jurisdictionem vel non habenti, ut delegato; Ita etiam productio seu editio alicujus instrumenti alibi existentis alio judici, vel etiam privato committi potest, per *hanc l. DD. hic, et Farin. d. q.* 77. *num.* 8. *et seqq.* Sed utroque casu citatione partium opus 4
est, quae debet fieri judice remittente ad alium judicem, ut arctentur partes, ubi se sistant, *Farin. qu.* 79. *num.* 116. et quae ibi acta sunt, occlusa sunt remittenda ad judicem remittentem, ut ibi publicentur, *Gail. d. l. num.* 9. *et Farin. num.* 143.

Auth. Apud eloquentissimum.

SUMMARIA

In criminalibus causis crimen testium aliis demandari non potest. num. 1.

Ampliatio. 2.

Limitatio. 3.

Quando examen testium subdelegari possit? 4.

In criminalibus causis, quia major circumspe- 1
ctio requiritur, et opus est attendere, quo vultu testis deponat, et testis varians etiam tormentis subjici potest, ideo examen testium aliis demandari non potest, sed debet Judex sive per se, sive in subsidium per judicem loci illius absentes citare, ut in locum judicii veniant, et ibi deponant, *Gail. d. l. num.* 10. *Fa-*

rin. d. q. 77. *c.* 2. *num.* 71. *et seqq.* Quod non-
2 nulli etiam ad causam civilem arduam extendunt, *Capyc. Dec.* 90. *num.* 15. *Trentac. lib.* 2. *tit. de Test. resol.* 10. *num.* 2. et quos alle-
3 gat *Farin. num.* 15. Sed limitant *hanc Authent.* quando necessitas urgeret, v. g. remotioris absentiae, morbi, aut senii testis, et quas alias proponit *Farin. d. l. c.* 3. *nu.* 93. *et seq. et Myns. cent.* 3. *obs.* 40. *Menoch. l.* 2. *A. Q.*ᵃ *cas.* 250.
4 *Trentac. d. Resol.* 10. *num.* 8. *et seq.* Quando autem examen subdelegari possit, vid. *Tusch. concl.* 170. *lit. T.*

L. Plures apochis. 19.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
Ex apochis plene probatur solutio. 2.
Creditor potest compellere debitorem ad antapocham. 3.

1 Colonus quidam sive Emphyteuta ratione praedii conducti, aut emphyteutici, aliquot annis canonem solvit, et apocham, id est, confessionem soluti canonis accipit. Vel (qui alius casus est,) debitor aliquot annis usuras solvit, apochis acceptis: Sed postea colonus Emphyteuta asserit, praedium ad se pertinere jure dominii directi. Vel debitor negat debitum, Dominus autem directus allegat colonum solvisse aliquot annis canonem. Vel creditor allegat debitorem solvisse usuras, ideoque in mala fide ipsum versari, et testari hoc apochas a se datas: sed negat omnia debitor vel colonus. Hoc ut evitetur, vult Imper. ut dominus vel creditor antapocham postulare possit, qua debitor fateatur se solvisse, ut creditor in promptu habeat probationem factae solutionis, qua praescriptio interrumpitur. Collige ex *argum. hujus*
2 *legis*, I. Ex apochis plene probari solutionem, licet sint instrumenta privata, modo de manu constet, *Mascard. Concl.* 109. *num.* 8. *Camill. Borell. T.* 2. *decis. tit.* 23. *num.* 2. *et seq. Menoch. cons.* 206. *num.* 1. Nec sufficit, si creditor instrumentum obligationis reddat, sed tenetur etiam apocham tradere, *Mod. Pist. Const.* 27. *q.* 2. *num.* 58. *et seq. Vol.* 2. *Wehnerus in*
3 *observ.* voce *Quittanz.* II. Creditorem posse compellere debitorem ad antapocham, quae est exemplum apochae a debitore subscriptum, vel alia confessio debitoris, quod canonem vel usuras solverit, ne praesumptionem possit opponere, et solutionem canonis aut usurarum negare debitor, vel ipsius haeres, *Tholos. lib.* 48. *Syntagm. tit.* 14. *num.* 7. *Sanchez de Matrim. l.* 7. *Dis.* 32. *num.* 5.

L. Comparationes. 20. et Auth. Ad haec.

SUMMARIA

Quando quis chirographum a se scriptum negat, tunc ad collationem scripturae confugiendum. num. 1.
Quomodo haec comparatio instituenda? 2.
DD. sententia notatur. 3.
Comparatio manus per se ac sola non est tam certa, ut non fallere possit. 4.

Quando quis chirographum a se scriptum negat, tunc ad collationem scripturae confugiendum, ut inde rei gestae veritas constare possit; 1
quia autem manus alienae facile effingi possunt, comparatio fiat, 1. A viris in hoc genere colla- 2
tionis probatis: 2. Ex aliis instrumentis indubitatis, trium testium subscriptione munitis, vel aliis, quibus ipse adversarius utitur, vel etiam ex privata scriptura, quae in Archivo publico producitur, locus enim publicus facit scripturam publicam: 3. Debitor debet praestare juramentum calumniae, dum manum suam esse negat: 4. Petentes comparationem debent jurare, quod neque lucri causa neque inimicitiis, neque gratia tenti, hujusmodi faciunt comparationem, et se non habere alias probationes, *Nov.* 73. *Casp. Ant. Thes. l.* 1. *q.* 24. *num.* 8. 5. Illi periti debent ductus litterarum diligenter inspicere, et quidem coram judice, ut eo melius de ductibus litterarum judicare possit judex, *Thes. d. qu.* 24. *num.* 8. qui *num.* 9. hanc cautelam adhiberi tradit, quod qui negat manum, in praesentia judicis jubeatur scribere. Quamvis enim hoc non sit infallibile, cum ductus litterarum mutentur, interdum tamen ductus debitoris detegi potest. Et hic non possum non mirari, cur Doctores, quae de tribus 3
testibus hic habentur, retulerint ad Instrumentum, cum quo fides facienda, et putaverint illam scripturam, quam vocant *ad quam*, quae scilicet confirmanda per comparationem litterarum debere continere subscriptionem trium testium, cum tamen sententia Imperatoris planissima sit ex ejus verbis: scriptura enim illa, ad quam debet fieri comparatio, est illa ipsa, quae producta est in judicio, et quae a reo negatur, et eget probatione. Hacc ut probetur manu debitoris esse scripta, per comparationem manus est probanda, quia aliae probationes deficiunt, ideoque requiritur alia scriptura, de qua constet, quod ipsius manu sit scripta, constare autem poterit, vel ex confessione ejus, vel ex subscriptione testium. Ergo Testes ad scripturam *ex qua*, non ad scripturam *ad quam* requiruntur. Nam si Testibus probaretur, quid quaeso opus esset comparatione litterarum? Ut recte animadvertit *Carpzov. l.* 3. *Resp.* 84. *et Thes.* solide illos *DD.* refutans *lib.* 1. *qu.* 24. *num.* 6. plures referens. Confundi etiam solet comparatio cum cognitione facta a testibus. Nam haec fit a testibus deponentibus, quod praesentes fuerint cum scriberetur Instrumentum: non 4
enim sufficit, si dicant sibi notam esse manum. Si ergo de actu scriptionis non constat, comparatio litterarum necessaria, *Salgado d. l.* Unde solent DD. notare, comparationem semiplene, recognitionem plene probare, *Afflict. dec.* 181. *Trentacinq. l.* 2. *resol. tit. de Fide Instr. Res.* 7. Imo si praeter caetera, quae hic in textu adducuntur, et persona sit honesta, quae petit, et notitiam rei verosimiliter habeat, et praesertim adminiculo uno vel altero fulta sit intentio petentis, maxime in rationibus, cambiis etc. omnino plenam faciet probationem, ad mini-

mum, donec probetur contrarium, de qua materia plane tractat *Thes. d. l. num.* 11. *et seqq.* Ideo non sustinere videtur, quod scriptura *ad quam*, suam debeat habere solemnitatem, ut putat *Farin. p.* 1. *fragment. lit. C. num.* 170. licet hoc concedam requiri, ut scriptura si esset manu ipsius scripta, probaret, nam si recognita non probaret, cui usui esset comparatio? Caeterum de comparationis forma plura *Doctores hic, et Masc. concl.* 330. *Trentac. d. Res.* 7. *Carpz. d. Resp.* 84. *Farin. d. l. num.* 416. *et multis seqq. Menoch. d. l. 2. A. Q. casu* 114. *Riccius decis. coll.* 350. et multi alii, qui omnes tamen fere in hypothesi falsa interdum fundamentum collocant. Hoc tamen passim
4 inculcatur, comparationem manus per se ac solam non esse tam certam, ut non fallere possit, quod innumerae falsitates per imitationem alienae scripturae fuerint commissae, *Nov.* 73. *in praef. Zasius lib.* 2. *sing. Resp. cap.* 25. ubi exemplum refert, quod intelligo, si alia adminicula non concurrant, ut supra.

Auth. At si contractus.

SUMMARIUM

Quando contractus in civitate celebratus, et libram auri excedit, soli comparationi litterarum non creditur.

Quando contractus in civitate celebratus, et libram auri excedit, soli comparationi litterarum non creditur, sed aliud adminiculum accedat necesse est, per *Auth. si contractus*, quia imputet sibi creditor, quod in civitate et negotio arduo testes non adhibuerit, quanta tamen fides comparationi huic habenda, in arbitrio judicis positum esse videtur, *Menoch. lib.* 1. *Arb. Quaest. cas.* 114. *num.* 19.

L. Cum quidam. 21.

SUMMARIA

Requisita, ut instrumentum aliquod probet. n. 1.
Non potest quis ad reproductionem instrumenti cogi. 2.
Ampliatio. 3.
Is, qui negat se habere instrumenta penes se, debet juramento id obtinere. 4.
Licet juramentum calumniae generale semel praestitum sit, ob articulum tamen incidentem potest fieri, ut adhuc semel cogatur jurare de calumnia. 5.
De falsitate instrumenti licet tantum usque ad sententiam quaerere. 6.
Limitatio. 7.
Is haud turpiter facit, qui religione magis, quam conscientia motus, tum facile jurare nolit. 8.

Ut instrumentum probet, debet apud judicem 1
produci, *l. judices* 18. *h. t.* citata ad hoc parte adversa, *d. leg.* 18. et debet ipsi producens fidem imponere per attestationes eorum, qui subscripserunt, vel per comparationem, vel per manus recognitionem factam ab adversario, quo facto, exemplum ejus apud acta relinquere potest. *Sed quid si adversarius petat, ut adhuc semel producatur hoc fine, ut id falsi convincere possit?* Resp. ad reproducendum cogi 2
non posse eum, nisi reproductionem petens juret, quod existimet se posse falsum redarguere instrumentum. Ratio in verbis, *quid enim si non nosset etc.* Si vero reus dicat deperditum esse instrumentum, hoc debet confirmare juramento, quod nec habet eandem chartulam etc. quod quomodo intelligendum, pluribus tractat *Dn. Richter. vol.* 2. *cons.* 134. *num.* 6. 7. *et* 12. et reproducere recusans amittit vim illius 3
instrumenti, ulterius vero non puniendus. Ratio in vers. *quod si praedictum*, quia scilicet contingere potest, ut non conscientia doli, sed ob reverentiam Numinis nolit jurare. Demum id restringitur ad negotia pendentia nondum sopita, ne in infinitum causae retractentur, quod fieret, si sopita lite reproductio instrumenti postuletur. Unde Collige: I. Eum, qui 4
negat se habere instrumenta penes se, debere juramento id obtinere, *Ruland. de Commiss. P.* 2. *l.* 5. *c.* 25. *Carpz. P.* 1. *Const.* 17. *Def.* 28. et se dolo malo non perdidisse, nec in alium transtulisse, *Afflict. dec.* 330. Notandum autem, eum, qui affirmat instrumentum se perdidisse, tunc demum ad juramentum admitti, si originale semel produxit, dimissa apud Acta copia, alioquin non facile admittetur, nisi adminicula pro casu amissionis concurrant. Vid. *Menoch. l.* 6. *praesumpt.* 61. *num.* 15. *et cons.* 354. *num.* 19. II. Licet juramentum calumniae generale 5
semel praestitum sit, ob articulum tamen incidentem posse fieri, ut adhuc semel cogatur jurare de calumnia, quod hic juxta *Sich.* ex ea ratione fit, quia negotium criminale intervenit. III. De falsitate instrumenti licere tantum 6
usque ad sententiam quaerere, quod de vitio intrinseco et visibili, quod ex diversitate manus et rasura colligitur, intelligunt, non vero de 7
extrinseco et oculos non incurrente, quod etiam post sententiam potest moveri, per *l.* 1. *et* 2. *C. si ex fals. Instrum. Sich. hic num.* 2. Confer. *Trent. d. lib.* 2. *tit. de Fide Instrum. Resol.* 9. *Dn. Carpz. in tr. de Process. tit.* 14. *Art.* 4. *num.* 66. *et seqq.* IV. Eum haud turpi- 8
ter facere, qui religione magis quam conscientia motus tam facile jurare nolit, *l.* 8. *ff. de Condit. Inst. Carpz. p.* 1. *Jurispr. Const.* 14. *def.* 14. licet soleat hic esse praetextus ut plurimum, cum in rebus ludicris non jussi saepius jurent.

TITULUS XXII.

Plus valere quod agitur, quam quod simulate concipitur.

L. 1. 2. 3. 4. 5.

SUMMARIA

Instrumentorum non est tanta vis, ut veritatem convellat. num. 1.
Qua ratione de veritate constare possit? 2.
Simulatio quot modis contingat? 3.
Ex pacto de retrovendendo occasione mutui inito contractus praesumitur usurarius. 4.
Simulatus contractus quomodo probetur. 5.
Subscriptio ultra scientiam et intentionem agentium non extenditur. 6.
Qui allegat ignorantiam, argumentis et conjecturis id probare debet. 7.
Exceptiones. 8.
Eadem facilitate renunciatur, qua quis ad contrahendum inducitur. 9.

1 Quamvis magna sit vis Instrumentorum, tan-
ta tamen non est, ut rei veritatem, (si de ea
constare possit, ne obstet *l.* 19. *ff. de Usuf.*
2 *Legato)* convellat, *l.* 1. *h. t.* Ut autem de ve-
ritate constare possit, requiritur probatio simu-
lationis, sive per confessionem, sive per testes,
sive per conjecturas ac praesumptiones, de quo
Mascard. concl. 438. *et seqq. Menoch. lib.* 3.
Praes. 122. *Farinac. Q.* 162. *p.* 1. *per totam.*
3 Contingit id autem vel simulatione utriusque
vel fraude unius: illud fit vel a persona ad per-
sonam, ut si tutor per subornatam personam,
v. g. uxorem, res pupilli emat, contra *l. pu-
pillus* 5. §. 3. *ff. de Auctor Tutor.* ut in *l.* 2.
et l. 4. *h. t.* quae simulatio a persona ad per-
sonam per se jure non est improbata, si mo-
do non fiat in fraudem legis, ut in dato exem-
plo, *Baldus Cons.* 219. *num.* 2. *lib.* 1. *Card.
Tuschus concl.* 257. *num.* 38. vel a contractu
ad contractum, ut si venditus ager cum pacto
de retrovendendo, cum tamen prius mutuum
fuerit contractum, et simulatio sit facta in frau-
dem legis commissoriae et usurarum, ut in *l.*
4 3. *h. t.* Unde Colligunt: quod ex pacto de re-
trovendendo occasione mutui inito, contractus
praesumitur usurarius. Vid. *Carpz. p.* 2. *Jurispr.
C.* 1. *Def.* 1. scilicet si pacto de retrovendendo
additum certum tempus, ut post certum tem-
pus liceret rem reemere, *c. ad nostram* 5. *X.
de Empt. c. illo vos X. de Pignoribus, Coepolla
de simulatis Contr. (in Tract. tract.) num.*
49. *Mascard. de Probat. Concl.* 441. *Cardin.
Tusch. concl.* 262. si scilicet accedat modicitas
pretii, *Card. Tuschus d. concl. num.* 44. *Ma-
scard. concl.* 447. *num.* 7. *Natta Cons.* 198. *n.*
8. *V.* 1. Vel a re ad rem, ut si filiofam. dem
mutuo vinum, ut eo vendito pecunia utatur,
contra *l.* 7. §. 3. *ff. ad SCtum Maced.* Quomo- 5
do autem simulatus contractus probetur, videa-
tur *Menoch. de A. J. Q. casu* 247. *et cas.* 39.
et lib. 3. *Praesumpt.* 23. 24. *et* 25. *et Mascard.
Conclus.* 439. *et multis seqq.* Fraude unius aliud
agitur, quando aedes alienas conduxi, et exi-
stimo me subscribere instrumento locationis,
et subscripsi instrumento emptionis, quod ad-
versarius astu subjecit, et quod per impru-
dentiam non legi, per *l. ult. h. t.* Unde col-
ligunt: Subscriptionem ultra scientiam et in- 6
tentionem agentium non extendi, licet alias
subscribens totam scripturam approbare cen-
seatur, *Anton. Gabriel. lib.* 1. *Concl.* 3. *tit. de
Praesumpt. Cravetta Cons.* 73. *Menoch. Cons.*
450. *et lib.* 3. *Praes.* 66. *Roland. a Valle cons.*
44. *l.* 1. *Colerus de Process. Exec. p.* 3. *c.* 1.
num. 130. *Schurff. Cons.* 17. *num.* 12. *cent.* 1.
ergo qui allegat ignorantiam, ex argumentis et 7
conjecturis id probare debet, *Mascard. Concl.*
1318. *num.* 19. *et seq.* Aliud exemplum in *l.
cum precibus* 18. *supr. de Probat.* In his omni-
bus et similibus plus valet quod agitur. Exci- 8
pitur si instrumentum habeat per se praesum-
ptionem juris et de jure, ut in *l. ult. C. Ar-
bit. Tut. l. res judicata* 207. *ff. de R. J. l.* 8. *C.
de non Numerat. Pec. l. antiquae* 33. *C. ad
SCtum Vellejan.* Fallit etiam si aequitas aliud
suadeat, ut in *l.* 27. *ff. Depositi.* Non vero si
renunciatum sit, cum eadem facilitate renun-
cietur, qua quis ad contrahendum inducitur, 9
Card. Tusch. concl. 266. *num.* 39. *Caepolla n.*
84. *Trentac. tit. de simulat. Resol. un.*

TITULUS XXIII.

De Commodato.

L. Ea quidem. 1.

SUMMARIA

Debitor generis tenetur de casu fortuito non vero debitor speciei. num. 1.
Limitatio. 2.
An aestimatio transferat periculum in commodatarium? 3.
An commodatarius in se generaliter suscipiens periculum, teneatur de omni casu, etiam insolito? 4.

Debitor generis tenetur de casu fortuito, *l.* 1
incendium 11. *supr. Si certum petat.* Sed debi-
tor speciei, ut Commodatarius non tenetur,
Struv. Synt. jur. civil. Exerc. 19. *th.* 7. Ratio
in *l. quae fortuitis* 6. *C. de Pign. Act.* Nisi 1. 2

quis periculum et fortunam damni in se recepisset, per *hanc l.* aut 2. casus culpa praecessisset, *l. in rebus* 18. *per vers. quod autem ff. eodem, l. si certo* 5. §. *quod vero* 4. *ff. eodem*, aut 3. si fuerit in mora, *l. quod te* 5. *ff. de R. C.*
3 *An autem aestimatio rei transferat periculum in commodatarium?* Videtur id negare *Sich. hic num.* 6. Sed distinguendum est utrum fiat statim initio, et tunc in dubio, nisi aliud actum, facit emptionem, et transfert periculum, per *l.* 5. §. 3. *ff. h. t.* an vero fiat ex post facto, et hoc fine ut cognoscatur pretium rei, et tunc periculum minime transfert, vid. *Mascard. de Probat. vol.* 1. *concl.* 666. *Carpzov. lib.* 1. *Resp.* 106. *et p.* 2. *Const.* 37. *def.* 16. *Molina Disp.* 295. *num.* 10. *Rauchbar. P.* 2. *Q.* 29. *Auctor*
4 *in l.* 5. *ff. h. t. num.* 5. *seq. An autem si commodatarius in se generaliter suscipiat periculum, teneatur de omni casu, etiam insolito?* Et verius est, non teneri, quia regula est. Non videri aliquem renunciare ei de quo non cogitavit. Jam de casu insolito procul dubio non cogitavit, nisi hoc ex praegnantissimis clausulis appareat, *Besold. Consil.* 194. *num.* 61. *et seqq. Guttier. de juram. confirm. P.* 1. *c.* 21. *num.* 6. *Seb. Medices in Tr. de Casu fort. p.* 1. *q.* 51. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 23. *num.* 18. *Molina. d. D.* 295. *num.* 20. *Rauch. d. Q.* 29. *num.* 29. et fere convenit *Dn. Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 26. *def.* 8.

L. Cum eum. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Commodatum datur ad certum usum, et definitum. 2.
Ante quem non licet commodanti rem repetere. 3.
Adjuvari nos beneficio oportet, non decipi. 4.

1 Qui se commodasse ad certum ministerium, v. g. texendum, ancillam dicit, et finito usu ad restitutionem agit, debet contractum probare, quia actor est, *l.* 1. *et* 2. *sup. de Probat.* et quia fundat se in contractu commodati. Nec necessaria igitur disputatio de lectura vera hujus legis, nam duas lecturas comminiscuntur *hic DD. cum Glossa.* Sed sensus est planissimus; Eum qui agit actione commodati, v. g. ad ancillam recuperandam, ille debet probare se commodatam esse ancillam et ad certum usum, nam in his consistit fundamentum decisionis. Colligitur tamen ex ar-
2 gumento legis: Commodatum dari ad certum usum et definitum, sive definiatur per tempus, ut intra mensem uti liceat, sive per
3 opus faciendum, sive aliter, et ante illum usum finitum non licere commodatori rem commo-
4 datam repetere, cum adjuvari nos beneficio non decipi oporteat, et quod ab initio voluntatis fuit, postea fit necessitatis, *l.* 71. §. 3. *ff. h. t. Gomez Tom.* 2. *Resol. cap.* 7. *num.* 1. *Molina de J. et J. Disp.* 291. *num.* 5. *Duaren. in h. t. ff. cap.* 1. *in fine Mozz. Tit. de Accident. Commod. num.* 11. *Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 37. *def.* 6. *num.* 1. *Auctor in l.* 17. *ff. h. t. num.* 2. *et* 3. *Struv. Sint. Jur. civil. Exerc.* 19. *th.* 8.

L. De restituendis. 3.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. 1.
Fidejussor si diu stetit in obligatione pro debitore principali, potest petere, ut liberetur. 2.
Nam semper solet exprimi, quamdiu res usui debeat inservire. 3.

Ego tibi dedi catenam auream, ut eam oppignores creditori, et mutuum accipias, reluisti etiam catenam debito soluto. Resp. finito usu agendum esse actione commodati ad catenam restituendam, idem si nondum reluit, sed vel praecessit tempus conventum, vel catena diu (quod determinabit arbitrium judicis) oppignorata fuit. Nam quemadmodum fidejussor, si diu stetit in obligatione pro debitore principali, potest petere, ut liberetur, *l. si pro ea* 10. *C. Mandati.* ita non est dubium, si tantum tempus praeterlapsum fuerit, intra quod pignus commodatum potuit et debuit relui, posse ad luitionem agere eum, qui pignus commodavit. Nam non semper solet exprimi, quamdiu huic usui res debeat inservire, v. g. quae sponsus sponsae mittit ad ornatum non sunt donata, sed commodata, per *l.* 5. §. 10. *ff. h. t. Clarus* §. *donatio Q.* 10. *Molina. Tr.* 2. *d.* 290. *num.* 7. *Mantica lib.* 20. *de tac. et amb. convent. tit.* 1. *num.* 18. *Sanchez de Matrim. l.* 6. *Disp.* 25. *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 218. Licet ergo sponsus nullius determinati temporis mentionem facit, id tamen ex natura contractus sumendum est, scil. quamdiu nupta erit, et quoties ornatam ipsam esse conveniet, et ita etiam hic determinatio temporis ex natura negotii sumetur.

(Margin numbers of this section: 1 at "Ego tibi dedi"; 2 at "gnorata fuit. Nam quemadmodum fidejussor"; 3 at "Nam non semper solet exprimi".)

L. Praetextu. ult.

SUMMARIA

Res commodata propter debitum commodantis neque retineri, neque compensari potest. num. 1.
Limitatio. 2.
Quod haec l. de Commodato intelligenda quoque sit, rationibus demonstratur. 3.
Regulariter nulla quantitas commodari, sed mutuo dari solet. 4.
In solo deposito non habet locum compensatio. 5.
Limitatio. 6.

Res commodata propter debitum commodantis a me retineri, et ita compensari non potest, quia scilicet species est; alias quando res est quantitate constans, datur compensatio, *l. fin. C. de Compensat. Molina D.* 297. Sicut et retentio datur quando in re commodata expensas feci, *l.* 18. §. *fin. ff. h. t.* Nam propter expensas in rem factas, semper ea res tamdiu, donec expensae restituantur, potest retineri, *l.* 5. *ff. de Impensis in rem dot. fac. l.* 10. *ff. de*

Doli except. l. 20. *ff. de Acquir. Possess.* quae vocatur compensatio indirecta, *Molin. de J. et J. D.* 297. *num.* 8. *Mozz. de Natura Cummo-*
3 *dati num.* 9. Sed cum in *l. fin. C. de Compensationibus* solum depositum excipiatur, quaeritur: *Quomodo hic commodatum excipi queat?* Equidem *Cujac. hanc legem* male huc relatam putat a Triboniano, et ad depositum pertinere existimat. Sed receptior est sententia aliorum, quod hic de specie commodata sermo sit. Et
4 sane regulariter nulla quantitas commodari, sed mutuo dari solet: Species commodatur, sed in specie ac corpore locum non habet compensatio. Deponi vero etiam potest quantitas et pecunia, ideoque utrumque verum est, et haec non pugnant. In solo deposito non habet lo- 5
cum compensatio, scilicet quando in terminis habilibus versamur, et de re fungibili sermo est. Et huic non contradicit illud: In commodato non habet locum compensatio, quae regulariter species est. Conferatur *Molina d. D.* 197. *n.* 10. *Bacch. in Treutl. d. th.* 7. *Lit. F. et G. Hillig. in Donell. l.* 16. *c.* 15. *Lit. N. Finckelth. obs.* 98. *num.* 41.

TITULUS XXIV.

De Pignoratitia Actione.

Lex. 1. Est ejusdem argumenti cum secunda, nec est authentica.

L. Quod ex operis. 2.

SUMMARIA

Quicquid commodi ex re pignori data fluit, illud omne ad debitorem spectat. num. 1.
Consectarium inde deductum. 2.
Fructus ex pignore percepti extenuant sortem, si sint consumpti. 3.

1 Quicquid commodi ex re pignori data fluit, sive fructus sint naturales, sive civiles, ut operae ancillarum, pensiones domus, illud omne ad debitorem, non creditorem spectat, *l.* 2. §.
2 2. *ff. de Pign.* Ergo si sors soluta sit, potest debitor, etiam praedo, *l. si pignore* 22. §. 2. *ff. h. t.* repetere omnes fructus pignoratitia actione, si vero sorte nondum soluta fructus percepti et consumpti sunt, extenuant sive exonerant primo usuras dein sortem; adeo ut si per plures annos perceperit fructus, in compensationem crediti percepti praesumantur, et solutio quodammodo probabilis fiat, *Dn. Mev. p.* 5. *dec.* 382. Si vero extent adhuc, non extenuant sortem, *l. si convenerit ff. h. t.* sed repetuntur per se actione pignoratitia, *d. l.* 22. §. 2 *ff. h. t.* Collige ergo ex *hac lege* Regulam; Quod
3 fructus ex pignore percepti extenuent sortem, si sint consumpti, *Neguzant. de Pign. m.* 5. *partis* 5. *num.* 11. et qui supersint deductis expensis, *C.* 1. *de Usuris*, et *l. fructus ff. Solut. Matrim. Neguzant. d. l. num.* 13. nisi etiam acceperit fructus ratione damni emergentis et lucri cessantis, vel ex libera debitoris donatione, vel in poenam justam, *Molina. Tr.* 2. *de J. et J. D.* 320. *num.* 1. *Card. Mant. de Tac. et amb. Convent. lib.* 11. *tit.* 8. *Mozz. de Natur. Pig. num.* 7. *et seqq.* et restitui debet omne id, quod occasione pignoris acceptum, ut in casu *l.* 21. §. *ult. ff. de Pign. l.* 15. *in fin. princ. ff. de Furtis*, et quicquid accessit pignori etiam fortuito, *l.* 21. §. 2. *de Pign. Mozz. d. l. num.* 15.

L. Creditor. 3.

SUMMARIA

In actione pignoratitia venit dolus creditoris, et culpa, diligentia, et custodia. num. 1.
Consectarium inde manans. 2.

In actione pignoratitia venit dolus creditoris, 1
et culpa et diligentia et custodia, *l. si cum venderet* 13. §. *ult. ff. h. t. ibique auctor num.*
4. Ergo si creditor vel fructus quosdam non 2
percepisset, quos percipere potuisset bonus paterfamilias, tenetur etiam non perceptos in sortem imputare, vel si deteriorem reddidit culpa sua rem, v. g. si arbores excidit, ad ejus etiam restitutionem tenetur hac actione: ratio, quia utriusque hic utilitas vertitur, *l. si ut certo* 5. §. *nunc videndum* 2. *ff. Commod.* Habetur autem hic respectus ad creditorem seu possessorem, si quos fructus ipse percipere potuit, licet alias respectus haberi soleat ad actorem, sed hic reus possessionem habet ab ipso actore, *Bald. hic et Sich. num.* 2. *et* 3. *Trent. lib.* 3. *Var. Res. Tit. de Pign. Res.* 2. *num.* 1. *Neguzant. d. memb.* 5. *part.* 5. *num.* 1. Vide notata ad *l.* 2. *C. de Pactis pign.*

L. Pactum. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta cum decisione et ratione dubitandi ac decidendi. 2.
Pactum creditori permittens venditionem, nullum ipsi lucrum tribuit, vel relinquit. 3.

Do tibi pignus hac lege, ut si hoc anno non 1
luam, tu vendere possis, ego non luo. Quaeritur: *An possim post annum actione pignorati-* 2
tia agere? Videtur quod non, ob pactum; sed respondetur quod sic, quia si offeram post annum in judicio debiti solutionem, *l.* 9. §. *ult. ff. h. t.* non amplius est pignus, sed illa conditio hoc continet, ut possis vendere, si pignus

adhuc sit; deinde quid si vendidisses quidem, sed pluris quam tibi debui, omnino id lucrum tibi extorquere possum, *Auctor. in l.* 6. *ff. h.*
3 *t. num.* 4. Nam pactum creditori permittens venditionem, nullum ipsi lucrum tribuit vel relinquit.

L. Si Creditor. 5.

SUMMARIA

Si creditor amisit pignus sine culpa per causam fortuitam, amissio haec nocet debitori. num. 1.
Creditor vel alius rem alienam detinens, si jure actionis res petitur, tenetur casum fortuitum probare. 2.
Limitatio. 3.

1 Si creditor amisit pignus sine culpa sua, *l.* 5. *h. t. et l.* 8. *h. t.* per casum fortuitum, illa amissio non nocet creditori, sed debitori, quia res perit domino, sive ei in cujus bonis est, per *l. pignus* 9. *ff. h. t.* Ergo creditor retinet suam actionem contra debitorem integram, si modo probet se amisisse per *l.* 5. Collige ergo:
2 Creditorem, vel depositarium, vel alium rem alienam detinentem, si jure actionis res repetitur, teneri casum fortuitum probare, *Castrens. hic. et DD. Farin. Q.* 169. *num.* 28. *Masc.*
3 *de Probat. Concl.* 830. *num.* 9. nisi creditor in se receperit periculum pignoris, per *l.* 6. *h. t.*

L. Quae fortuitis. 6.

SUMMARIA

In d. l. ponitur fundamentum decisionis, quod casus fortuiti in nullo b. f. judicio praestentur regulariter. num. 1.
Exemplum regulae. 2.
Exceptio. 3.

1 Ponitur hic 1. fundamentum decisionis, quod casus fortuiti in nullo bonae fidei judicio praestentur, nisi quis sit factus dominus, *l.* 9. *C. h. t. l. incendium C. si certum pet.* §. 40. *Instit. de Rerum Divis.* aut 2. Culpa casum praecesserit, *l.* 13. §. 3. *ff. Locati, l.* 18. *pr. ff. Commodati, Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 22.
2 *def.* 7. Ex regula autem initio posita concludit Imperator, non teneri ad restitutionem pignoris amissi Creditorem, nec ob amissionem illius, si scilicet per casum mere fortuitum amisit;
3 subjicitur autem exceptio, si creditor in se receperit periculum et casum fortuitum, ubi tamen quaeritur: *An generalis renunciatio, scilicet si in se periculum susceperit, sufficiat?* Et non prodesse volunt *DD.* per *l.* 4. §. 4. *ff. si quis cautionibus*, sed aliud in contractibus, et aliud in judicialibus his stipulationibus esse, ubi quis de suo tantum facto promittit, tradit *Donell. hic et lib.* 16. *c.* 3.

L. Creditor. 7.

SUMMARIA

Haec l. agit de pignoratitia actione directa et contraria. num. 1.
Omnes impensae, etiam modicae, restituendae sunt creditori. 2.
Impensae necessariae faciendae sunt a creditore, si commode facere possit. 3.
Omne damnum datum a creditore restituendum. 4.

Agit de Pignoratitia actione directa et contraria: illa repetit debitor id, quod in pignore damni datum, vel culpa deterioratum, adeo ut si debitum nondum solutum, id in sortem sit imputandum, juxta *l.* 3. *h. t.* Contraria vero actione creditor repetit expensas necessarias in pignore factas, *l. si necessaria* 58. *ff. h. t. l.* 6. *C. de Pign.* moderatas tamen, *l. si servos* 25. *ff. h. t.* Collige ergo ex *hac l.* 7. I. Omnes impensas etiam modicas restituendas esse creditori, secus in commodato, cujus utilitas pertinet ad commodatarium, *Auctor in l.* 8. *ff. h. t. num.* 1. II. impensas necessarias faciendas esse a creditore, si commode facere possit, et alias, si non posset, tenetur denunciare, *l. si necessarias* 8. *l. si servos* 25. *ff. h. t. Neguzant. de Pign. m.* 3. *part.* 7. *num.* 5. III. Omne damnum datum a creditore restituendum, quod culpa levi scilicet datum est rei pignoratae, *Trent. lib.* 3. *tit. de Pign. Resol.* 6. Et haec culpa levis etiam in omissione consistit, si expensas possibiles non fecit pro pignoris conservatione, neque denunciavit, *Neguzant. d. l. num.* 4. *Coll. Arg. hic in ff. th.* 9. 1 2 3 4

L. Si nulla culpa. 8.

SUMMARIA

Creditor non tenetur, si sine sua culpa amisit pignus. num. 1.
Cui in ejusmodi casu probatio injungenda? 2.

Creditor non tenetur, si sine culpa sua amiserit pignus, sed si simulaverit amissionem, hoc eum non relevat: simulatio autem et fraus, nec non mendacium praesumitur, si postea pignus possederit. Sed *cui probatio injungenda?* Distingui solet inter casus: nam quidam contingunt sine culpa possessoris, ut vis hostilis, tempestatis, et similis, quidam vero contingunt praesupposita plerumque culpa, ut incendium, et furtum, per *l. cum. duobus* 27. §. *damna* 3. *ff. Pro Socio, l.* 3. §. 1. *ff. de Off. Praef. Vig.* Priori casu debitor debet probare culpam adfuisse, posteriori creditor culpam abfuisse, qua de re *Mascard. de Prob. Concl.* 468. *Petr. Barb. in l. si mora* 10. *p.* 1. *in fine. ff. Sol. Matrim. Salyc. hic* agit de culpae divisione et speciebus, de quibus *Molin. Disp.* 293. *Decian. lib.* 1. *c.* 6. *Donell. lib.* 61. *c.* 7. 1 2

L. Pignus. 9.

SUMMARIA

Si pereant pignora absque culpa creditoris, pereunt debitori tanquam domino. num. 1.
Consuetudo, et si quis faciat ea, quae alii e-

tiam solent facere, excusat aliquem a culpa. 2.
Qui non facit quod fieri consuevit, se suspectum reddit. 3.

1 Pignora si quis reponat in loco, ubi solent pignora conservari, tunc si pereant, pereunt domino, scil. debitori, non vero creditori, quia hic citra culpam esse videtur, dum fecit illud, quod omnes facere consueverunt.
2 Unde colligunt Regulam: Consuetudinem, et si quis faciat ea, quae alii solent etiam facere, excusare aliquem a culpa, quando res scilicet posita in loco consueto, *hic et l.* 3. *ad SCt. Maced. Farin. Q.* 69. *num.* 38. et in *fragm. p.* 1. verbo, *caupo*, *n.* 36. *Caroc. de Deposito tit. de culpa depos. num.* 23. *et num.* 32. *Besold. cons.* 15. *n.* 18. et e contrario,
3 qui non facit, quod fieri consuevit, se suspectum reddit, *Cacheranus Dec.* 109. *num.* 9. *et Vult. Cons. Marpurg.* 15. *num.* 213. *Vol.* 1.

L. Nec Creditores. 10.

SUMMARIA

Si debitor, recusante creditore accipere debitum solutum, pecuniam sacculo inclusam obsignatamque in judicio solemniter deponat, potest convenire creditorem actione pignoratitia. num. 1.
Quandoque utilius debitor instituit rei vindicationem. 2.
Oblatio judicialis parit actionem pignoratitiam. 3.
An conventus possit se referre ad dominium alienum, tu non es dominus? 4.
Actio pignoratitia etiam de re aliena dari potest. 5.

1 Quando debitum solutum, vel creditore recusante accipere, pecunia sacculo inclusa, obsignata, et in judicio vel loco publico solemniter deposita est, potest debitor creditorem convenire actione pignoratitia, nec creditor (aut haeres ejus per *l. qui in jus* 177. *ff. de R. J. et l. vitia* 11. *C. de Acquir. Posses.*) se tueri potest praescriptione longi temporis, quia non sibi seu animo dominii possedit tamdiu, nec potest allegare titulum; Sane si originem rei, id est, non contractum pignoris, sed o-
2 riginem dominii possit debitor probare, utilius erit ipsi Rei Vindicatione agere ut ita creditori incumbat probatio, quod titulo pignoris possideat, quo facto debitor poterit debitum offerre, si autem debitor possideat, creditor pignus probare debebit, et simili ratione si hypothecaria agere velit. Nota bene: Qui meam rem dedit oppignoratam, commodatam, depositam etc. non tantum personali actione, sed et R.
3 V. conveniri potest. Collige etiam: Oblationem judicialiter factam parere actionem pignoratitiam. Nam licet extrajudicialis oblatio in mora alium constituat, non tamen pro vera liberatione est, quae ad pignoratitiam requiritur, imo judicialis oblatio sine depositione hic prodest, modo pecunia oblata sit praesens, *Perez in C. h. t. num.* 5. *Anton. Faber in C. h. t. Def.* 2. *Neguzant. de Pign. m.* 2. *part.* 7. *num.* 9. *Ampl.* 4. Glossa hic movet quaestionem: *An conventus possit se referre ad dominium alienum,* tu non es dominus? et respondent *DD.* 4
quos allegat et sequitur *Petrus Barbosa in l. si alienam* 12. *num.* 4. *ff. Sol. Matr.* distinguendo, an agam rei vindicatione, an vero pignoratitia; priori casu sufficit si mihi opponatur alium esse dominum, nam tunc probatum est me sine causa agere, nam sic non possum probare, me esse dominum; toties enim exceptio juris tertii admittitur, quando ex ejus probatione resultat, agentem non habere jus, *Hillig. lib.* 20. *c.* 7. *lit. D. Surdus. Dec.* 144. *num.* 19. et quos allegat *Klock. Cons.* 29. *num.* 59. *et seq. Vol.* 2. Sed quando egi actione pignoratitia, non potest mihi objici exceptio, rem non esse meam, sed alienam, cum super re aliena etiam contractus fieri possit, *Barb. d. l.* et actio pignoratitia etiam de re aliena dari 5
possit, *l.* 9. §. *pen. ff. h. t.*

L. Pignoris causa. 11.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta, cum decisione et ratione decidendi. 2.
Non licet creditori ex pacto propria auctoritate fundum sibi pignoratum ingredi. 3.

Oppignoravi pro debito rem meam, et con- 1
dicta dies solutioni, scilicet post annum; ante diem solutioni destinatum creditor pignus vendit, Quaeritur, *An teneatur actione pignorati-* 2
tia? Quod affirmatur *hic*, quia creditor non potuit sine pactione aut jussu Praesidis rem illam titulo venditionis in alium transferre, et illius dominio me privare. Et sic *legis hujus* facti speciem proponit *Caldas de Empt. c.* 25. *num.* 41. et sic hac *lege* non possunt *Doctores* probare suam sententiam; quod, quia hic conventio et jussio praesidis aequiparatur, ideo li- 3
ceat creditori ex pacto propria auctoritate fundum sibi pignoratum ingredi, *Neguz. de Pign. p.* 4. *num.* 9. *Menoch. Rem.* 5. *adip. possess. num.* 1. *et Farin. Q.* 175. *part.* 3. Nam praeterquam quod responderi possit, quae conjunguntur non esse semper ejusdem naturae, item, quod lex hunc sensum habere possit, quando reus conventus jubetur cedere possessionem, et actori conceditur ingredi, aut reus consentit ut creditor occupet, quae sententia, quia benignior, erit amplectenda; Responderi etiam potest ex specie facti supra proposita, de illo casu hic non agi, an possit creditor rem propria auctoritate occupare; nam quaestio hic est, an debitor rem pignoratam soluto debito possit repetere: quae ergo connexio esset in lege, si dixisset Imperator, debitor potest obligata pignora per hanc actionem repetere, quia creditor non potest auferre pignora propria auctoritate? cum hic de pignoribus datis et repetendis agatur. Confer. *Donell. in l.* 3. *de Pign.* qua lege illa DD. sententia confutatur, et *Vandus lib.* 1. *Q.* 13.

L. Quo minus. ult.

SUMMARIA

Ejusdem argumenti est haec l. cum pr. l. 10. *n.* 1.
Juri reluendi pignus non praescribitur ullo tempore. 2.

1 Haec Lex ejusdem argumenti cum *pr. l.* 10. scil. quod creditor possidens pignus, praescriptione longi temporis se tueri non possit, sed non obstante diuturna illa possessione, rem cum fructibus restituere teneatur, si debitum sit solutum, aut quid vice solutionis sit oblatum et depositum etc. et ex *h. l.* ut *d. l.* 10. con-
2 cluditur: juri reluendi, quod debitor habet ratione pignorum luendorum, non praescribi ullo tempore, ne quidem 30. annis, quia creditor pro alieno possidet, *l. pignori rem* 13. *ff. de usucap. et* quia rem pignoratam reluere est res mere facultatis, quae praescribi non potest, et creditor notitiam rei alienae plerumque habet, *Gail. lib.* 2. *Obs.* 18. *num.* 5. *Dn. Carpz. P.* 2. *Jurispr. Const.* 1. *Def.* 3. *Berlich. p.* 2. *Concl.* 3. *Hillig. in Donell. lib.* 5. *cap. ult. Lit. K. Harprecht. in pr. Inst. de usucap. num.* 183. *et seq.* Et quamvis *lex haec* de longi tantum temporis praescriptione loquatur, responderi tamen potest, ideo hoc factum, quia de eo rogatus erat Imperator, *Auctor in l.* 9. *ff. h. t. num.* 8. *et multis seqq.* ubi prolixe hanc quaestionem tractat. Responderi etiam potest, legem hanc de casu natae jam actionis loqui *Perez hic num.* 13. Conf. *Bronchorst. cent.* 4. *assert* 4. Sed dissentit *Bacchov. in Tr. V.* 2. *Disp.* 1. *th. ult. Lit. K.*

TITULUS XXV.

De Institoria et Exercitoria Actione.

L. Servus. 1.

SUMMARIA

Illi ex quorum contractibus quis obligari potest, sunt 4. *generum. num.* 1.
Species h. l. 2.
Conditio praepositionis accurate est observanda. 3.
Circa probationem, an in eam causam, in qua praepositus quis est, mutuum acceperit, et an mutui obligatio, ex consensu praeponentis facta sit nec ne, distinguere solent DD. et quomodo? 4.
Duplex est institutio vel praepositio. 5.
Institoria actio quoque duplex est. 6.
Casus quando utilis actio institoria datur. 7.

1 Illi, ex quorum contractibus aliquis obligari potest, sunt 4. generum: 1. Servi; 2. Filiifamilias; ex horum et illorum enim contractibus obligatur Pater vel dominus, vel peculiotenus tantum, vel actione *quod jussu.* 3. Institores; 4. Magistri navi praepositi. Species ergo legis
2 primae est in servo, quem dominus negotiationi alicui praeposuit, ubi si ex causa institutionis suae contraxit servus, v. g. mutuum, dominus in solidum obligatur; si vero non sit praepositus negotiationi, vel praepositus quidem, sed extra illam negotiationem contrahat, dominum non obligat. Unde colligere licet,
3 conditionem praepositionis accurate esse observandam, *l.* 11. §. 5. *ff. de Inst. Act. Duar. in h. t. c.* 2. *Sich. ad Rubr.* 2. *hujus tit. Gail. lib.* 2. *Obs.* 20. *num.* 8. *Rota Genuensis Decis.* 14. *num.* 100. *Tusch. concl.* 221. *num.* 36. *Lit. J.*
4 *Surdus concl.* 326. *num.* 11. Circa probationem autem ejus, an in eam causam, in qua praepositus est, mutuum acceperit, et an mutui obligatio, ex consensu praeponentis facta sit nec ne? distinguere solent *DD.* an praepositus pecuniam mutuam acceperit in eam quae tantum tacite et per consequentiam praeposito est mandata, an vero in eam causam, quae expresse ei est mandata, ut primo casu non quidem necessaria sit probatio in rem versam esse, sed debet tamen probari, quod creditor sciverit, et in hanc causam mutuum dederit, et 2. quod haec causa, v. g. refectio, tantam summam vel quantitatem desideraverit, *Gail. lib.* 2. *Obs.* 21. *num.* 6. *Bart. in l.* 1. §. *non autem num.* 2. *ff. h. t. Duar. h. t. c.* 2. *Cujac. ad l.* 8. *Africani, tomo* 2. *pag.* 1237. *et seq.* Monendus autem est lector, duplicem esse institutio- 5
nem, vel praepositionem, tacitam, et expressam. Illa est, quando quis se gerit pro Institore domino sciente et patiente, haec quando jussu expresso domini constitutus est, *Ronchegallus in l. eandem* 9. *num.* 153. *ff. de Duobus Reis, Rota Genuensis Dec.* 14. *num.* 2. *et seq. et num.* 38. *Berl. Dec.* 252. *num.* 5. *Auctor in l.* 1. *ff. de instit. act. num.* 2. Est etiam institoria actio 6
alias vel vere, vel quasi talis. Illa est, quando quis universali negotiationi praepositus, haec quando quis certae tantum, *Wesenb. in π. h. t. num.* 1. *et* 5. *Rota Gen. d. D. num.* 14. 70. *Auctor in l* 5. *ff. d. t. num.* 1. Sed id discrimen recte negat *Schneidew. in* §. *Institoria Instit. Quod cum eo. etc. n.* 5. *et* 8. *et Bacch. in Wes. d. l. num.* 1. per *l.* 5. *ff. h. t.* Sed si aliquis non 7
certae negotiationi, sed certo tantum facto praeponatur, v. g. emptioni equorum, utilis actio institoria dabitur, *Tholos. l.* 29. *Synt. c.* 12. *num.* 2. *Duaren. in h. t. c.* 1. *Bacch. d. l.*

L. Ex contractibus. 2.

SUMMARIA

Ejusdem fere sententiae videtur haec lex esse, cujus fuit prima. num. 1.
Si plures domini unum ex suis servis, vel alium

praeposuerint negotiationi, an omnes in solidum teneantur? 2.

1 Ejusdem fere videtur *haec* esse *lex* sententiae, cujus fuit *prima*, hoc tamen hic habetur, quod in solidum teneatur Dominus, quod quidem actioni peculiari opponitur, nam dominus alias peculiotenus tantum obligatur. Sed quaeritur
2 hac occasione: *Si plures unum ex suis vel alium praeposuerint negotiationi, an omnes in solidum teneantur?* Ratio dubitandi videtur esse, quod omnes pro ea parte instituisse videantur, quam in societate habent. Sed contrarium deciditur in *l.* 13. §. *fin. ff. h. t.* cujus rei rationem hanc reddunt, quando plures exercent negotiationem per unum, quamlibet teneri in solidum a derivativa obligatione indivisibiliter formata in unius persona, cum radix unitiva et in solidum obligationis derivetur ab ipso ministro, et non convenire eum, qui cum uno contraxit, in plures distrahi, *Rota Gen. d. l. num.* 8. *Ronchegall. in d. l. eandem num.* 164. (qui etiam *num. seq.* beneficium divisionis illis denegat) *Cujac. Dec.* 180. *Surdus Cons.* 326 *num.* 2.

L. Institoria. 3.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Duo circa h. l. scrupuli. 2.

1 Proponitur hic servo a te praeposito mensae aliquid depositi titulo datum, et dicitur, si negotii ejus causa deposita sit, dari deponenti actionem contra praeponentem, si probare possit, depositam esse pecuniam, et non redditam,
2 ubi duo sunt scrupuli: 1. quomodo dici possit depositum factum esse negotiationis causa, quid deposito cum negotiatione commune? Et hoc quidem recte explicare videtur *Accursius* de mensa nummularia et de cambiis, nam talia deposita omnino ad negotiationem illam pertinent. 2. Dubium est, quomodo Imp. hic deponenti injungat onus probandi, pecuniam non esse redditam? *Glossa hic* putat, eo ipso probari hoc, quod ille deponens habeat pro se praesumptionem. *Salyc.* verbum, *potest probari*, ad depositam pecuniam refert. Sed utraque responsio videtur difficultate laborare; quomodo enim possum de eo, quod praesumitur, dubitare, an possit probari? Suspicor hic aliquam peculiarem fuisse illorum nummulariorum rationem, ut statim alibi reddere pecuniam fuerint soliti, atque id forte praesupponit Imperator, quod tamen, ut incertum, certe affirmare non audeo.

L. Etsi a muliere. 4.

SUMMARIA

An si mulier magistrum navi praeposuit, teneatur ex contractu magistri? num. 1.
Decisio cum ratione decidendi. 2.

Mulier navi suae magistrum praeposuit, Quaeritur: *An ex contractu magistri teneatur mulier?* Si quis non penetraverit rationem decidendi, posset dicere, mulierem non teneri ob SCtum Vellejanum. Sed ratio decidendi est, quod mulier non pro alieno debito, sed pro suo fidem interponat, non pro alieno fidejubet debito, sed in suam utilitatem contrahit, quo casu non juvatur SCto, *l.* 32. *pr. ff. ad SCtum Vellejan. et l.* 11. *et l.* 27. *ff. eod. Mind. de mand. lib.* 2. *cap.* 61. *num.* 11. *Coler. Dec.* 67. *n.* 41. *Hering. de Fidejuss. cap.* 7. *num.* 416.

(margin: 1 at line 1; 2 at "Sed ratio decidendi est,")

L. Si mutuam. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Procurator alieno nomine contrahens manet obligatus, si fidem interposuerit. 2.

Domitianus Demetriano mandaverat, ut a me 1
mutuam pecuniam acciperet, quia hic Demetrianus non toti negotiationi praepositus, sed tantum certo negotio, ideoque institor proprie non est, sed tamen utilis actio datur seu quasi institoria, ut ad *l.* 1. diximus. Notat autem hic
Barbosa: Procuratorem alieno nomine contra- 2
hentem manere tamen obligatum, si fidem suam interposuit, sed haec a textu sunt aliena.

L. Qui secutus. ult.

SUMMARIA

Si dominus mandavit servo suo, ut mutuam sumeret pecuniam, tunc utilis contra ipsum datur institoria actio. num. 1.
Limitatio. 2.

Si Dominus servo suo mandaverit, ut mutuam 1
sumeret pecuniam, tunc quia non toti negotiationi, sed rei et negotio singulari eum praeposuit, non est directa institoria actio, sed utilis
tantum, ut supra dixi. Si voluntas Domini erat 2
directa ad contrahendum cum incerto homine, secus si cum certo, nam tunc daretur actio *quod jussu*, *Pet. Barbos. ad l. post dotem* 41. *num.* 22. *ff. soluto matr.*

TITULUS XXVI.

Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur etc.

L. Cum filiusfamilias. 1.

SUMMARIA

Pater non tenetur, si filius sine consensu ejus vel tutor vel magistratus creatus est. num. 1.
Limitatio. 2.
Consensus nomen est ambiguum. 3.
Si filius decurio factus patris consensu, pater omnibus civilibus muneribus obligatur. 4.
Ampliatio. 5.
Discrimen inter officia auctoritate et utilitate publica, et ea, quae auctoritate tantum sunt publica. 6.

1 Quando Filiusfamilias, id est, qui in potestate Patris est, tutor vel magistratus creatur sine consensu Patris, et hic aliquid in officio de-
2 liquit, Pater pro eo non tenetur, nisi quatenus in peculio est, et si aliquid in utilitatem ejus versum, secus si voluntate Patris creatus, i. e. eo vel expresse consentiente vel tacite, i. e. non contradicente, per *l.* 2. *ff. ad Municip.* quia videtur fidejussise, *d. l.* 2. atque ita tenebitur utili actione ex stipulatu. Sed videtur pugnare *l. Lucius* 21. *ff. de Admin. Tut.* Respon-
3 det *hic Cujac. tomo* 3. *p.* 337. consensus nomen esse ambiguum, nam vel 1. patientiam designat, et hoc modo, si filius tutelam gerat patre sciente et patiente, Pater in solidum non tenetur, per *d. l. Lucius.* imo neque tenetur, si filium monuit, ut ex fide tutelam gereret, *l. si filiusfam.* 7. *ff.* de *Tut. in fine.* Vel 2. denotat consensus ille approbationem nominatim factam et eo casu quasi in se periculum suscepisse videtur. Sed in secunda parte legis pro-
4 ponitur, si Filius Decurio factus sit Patris consensu, Patrem obligari omnibus civilibus muneribus: nam hoc casu taciturnitas habetur pro consensu, *d. l.* 2. *ff. ad Municipalem, l.* 7. *ff. de Administr. Rerum ad civit. pertinentium, Enenkel. Baro de Privil. par. et lib. privil.* 9. *n.*
5 28. Idem si Vectigalia filius locavit, vel aliud quid in magistratu fecit, *Hering. de fidejuss. c.* 5. *num.* 322. *et cap.* 7. *num.* 380. Ergo si non recte dedit filius tutores, Pater tenetur in solidum, non quidem pupillo, sed Reip. seu curiae, cui debet praestare indemnitatem, *Cujac. hic d. l.* Et si sciente patre decurio electus, et intuitu decurionatus tutor constitutus, tunc pater etiam tenetur. Nam licet pater non teneatur privatis, sed tantum Reip. secus tamen est, si privatum utilitate munus, intuitu publici muneris detur, *Petr. Barb. in l. si cum dotem §. transgrediamur ff. soluto matrim. num.*
6 11. Receptum est igitur discrimen inter officia auctoritate et utilitate publica, et ea, quae auctoritate tantum sunt publica, ut tutela, ita ut in illis silentium pro consensu sit, non in his, *Mascard. de Probat. Concl.* 1225. *num.* 11. *et seq.* Alii distinguunt, utrum sit filius datus a testatore, an a judice, si illud, teneri Patrem peculiotenus, hoc vero casu in solidum, *Hillig. in Don. l.* 15. *cap.* 50. *Lit. I. Boer. Dec.* 221. *num.* 10. *Enenkel. Baro de Priv. l.* 9. *n.* 26.

L. Ejus rei nomine. 2.

SUMMARIA

Olim filiifamilias, si sui juris facti, propter capitis diminutionem ex contractibus jure civili non tenebantur. num. 1.
Limitatio. 2.
Qui in legitima est institutus, verus et perfectus haeres est. 3.
Sublimitatio. 4.
Personale privilegium morte ejus finitur, cui concessum. 5.

Olim filiifamilias sive voluntate Patris, sive in 1
utilitatem ejus, sive ex peculio contraxerint, non tamen tenebantur ipsi sui juris facti, ob capitis diminutionem, sed ex edicto Praetoris utiles dabantur contra ipsos actiones, *l.* 2. *§. ait Praetor* 1. *ff. de Capit. Dimin.* seu restituebatur contra eos actio, quia sunt novi homines. Sed in eum, qui morte Patris vel alias 2
sine capitis diminutione sui juris est factus, actio non restituitur, sed eadem directa permanet, *Cujac. hic,* et quidem in solidum tenetur, nisi filius vivo Patre emancipatus aut haereditate paterna abstinuerit, aut exhaeredatus sit, aut in minima parte, id est, legitima institutus, quibus causis convenitur in id, quod facere potest, id est, ne egeat, et ut ipsi relinquatur victus pro ratione qualitatis et dignitatis personae, *l. in condemnatione* 131. *pr. ff. de R. J.* Cum enim filius ex hoc contractu nihil lucretur aut parum, sed pater, iniquum foret ex hoc contractu filium in solidum condemnari. Quod vero de legitima dictum, non omnibus placet. Nam *Enenkel. Baro de Privil. par. et lib. priv.* 11. *num.* 19. putat per minimam partem non esse intelligendam legitimam, quia in 3
legitima institutus verus et perfectus haeres est. Sed negari tamen nequit, eum, qui in legitima institutus haeres, in minima parte haeredem esse, quia in minore parte Pater filium instituere nequit. Ideoque recte illam interpretationem tuentur *Bald. et Castrens. in l.* 2. *ff. h. t. et Bacchov. in Treutl. V.* 1. *D.* 21. *th.* 6. *lit. D.* Si autem filius est haeres Patris ultra legitimam, tunc in solidum tenetur etiam supra quantitatem bonorum paternorum, ut contra *Wesenb. in π. ff. h. t. num.* 3. notat ibidem *Bacch.* salvo tamen beneficio Inventarii, *Monticulus de Invent. c.* 8. *pr.* Sed sunt casus, in 4

quibus filii non juvantur hoc beneficio, v. g. si dixerit se esse patremfam. *l.* 4. §. 1. *ff. h. t.* qui negando fundamentum privilegii reddit se privilegio indignum, *Bart. Jason. Castrens. in l.* 22. §. 1. *C. de Repud. Ant. Cuchus in Tr. de mentiente circa possess. num.* 99. vel si dolo usus sit, cum contraheret, *Vinc. de Franch. Dec.* 161. *num.* 11. *Barb. hic num.* 13. item si huic privilegio in specie renunciet, *Enenkel. Baro de Priv.* 11. *num.* 20. *Vinc. de Franch. d. l. num.* 17. *et Dec.* 181. Conf. *Carpz. p.* 1. *Const.* 32. *def.* 19. Cessat etiam, si filius habeat bona Castrensia vel quasi, aut adventitia, quia horum contemplatione videtur filius cum eo contraxisse, *Castr. in d. l. Enenkel. Baro d. l. num.* 24. *Vinc. de Franch. decis.* 70. Si etiam post multos annos agitur cum Filio, causa cognita potest denegari hoc beneficium, *l.* 4. §. 4. *ff. h. t. Enenkel Baro d. l. num.* 22. Non datur etiam
5 hoc privilegium haeredibus filii, quia personale privilegium est, et morte finitur, *Enenkel. Baro d. l. num.* 20. Et ideo bona a filiofamil. relicta post ejus mortem creditoribus cedunt, *Colerus de Proc. Execut. p.* 2. *c.* 3. *num.* 125. *Carpz. p.* 1. *Const.* 32. *def.* 17. Conf. *Coepolla cautel.* 14. *Crotus in rep. legis, frater a fratre, ff. de Cond. indeb. num.* 131.

L. Etiamsi. 3.

SUMMARIA

Ex omni contractu servi, ex quo utilitas domini vel dominae promota fuit, tenentur hi actione de in rem verso. num. 1.
Actio haec duplex est. 2.
Interdum proponitur ut additamentum actione de peculio. 3.
Casus, ubi datur actio de in rem verso. 4.
Quandoque ex delicto filii actio contra patrem datur. 5.
Subscribens Dominus vel pater videtur jussisse. 6.

1 Ex omni contractu servi, ex quo utilitas Domini vel Dominae promota fuit, hi tenentur actione de in rem verso, *t. t. ff. de in rem Ver-*
2 *so.* Actio autem haec de in rem verso duplex est: alia directa, quae datur ex contractu filiifam. vel servi contra patrem vel dominum; altera vero utilis, quando homo liber negotium in utilitatem alterius gessit, quia sententia concordat, quamvis verba deficiant, *l. ult. ff. de in rem verso, Oldend. class.* 4. *act.* 7. *cap.* 1. *Wesenb. in Comment. Cod. h. t. Act.* 2. *num.* 4. *et* 6. Et hac actione tenetur etiam Ecclesia, *Masc. Concl.* 116. *num.* 35. Interdum autem
3 proponitur ut additamentum actionis de peculio, nam quodcumque Pater debet filio, in peculium imputatur, *l.* 7. §. *pen. ff. de Pecul.* Quod autem filius convertit in rem patris, pa-
4 ter debet filio, *Cujac. hic;* ubi vero peculium extinctum est, vel in peculio nihil est, vel ubi actio peculii non datur propter anni lapsum, datur haec actio de in rem verso, *Wesenb d. l. num.* 3. *Tholos. lib.* 29. *tit.* 15. *num.* 4. datur
5 etiam ex delicto filii actio contra patrem, quando Pater ex delicto filii locupletior redditus, *l.* 3. §. *pen. ff. de Pecul. Enenkel. Baro de Priv.*
6 *par. priv.* 9. *num.* 22. Collige: Subscribentem Dominum vel Patrem videri jussisse, ut servus vel filius contraheret, quia subscriptio pro approbatione habetur, *Menoch. lib.* 3. *Praesumpt.* 66. *num.* 7. *Masc. Concl.* 1348. *num.* 1. *et seq.*

L. Si ex contractu. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Quae expeditur per distinctionem. 3.
Nuncius sive minister ex contractu non obligatur. 4.

Pater meus contraxit mutuum, ego pecuniam 1
accipio ut nudus minister, Quaeritur: *an te-* 2
near? Resp. me nullo modo teneri ex contractu patris, si haereditate abstineam, ideoque recte hi casus ab invicem sunt distinguendi,
1. Aut Pater contraxit et mihi tantum numera- 3
tionem demandavit, et tunc omnino non teneor, quia tantum sum procurator, et nuncius parentis, cui acceptio pecuniae est commendata. 2. Aut Pater demandavit filio, ut mutuam sumeret pecuniam a me, et tunc mihi datur non actio *quod jussu*, sed *institutoria*. Aut 3. Pater me rogavit, ut Filio ejus crederem, et tunc datur actio *quod jussu*. Aut 4. Pater pro filio fidejussit, et tunc creditori datur actio *ex stipulatu* contra patrem *l.* 1. §. 5. *ff. Quod jussu;* non vero hoc casu datur actio *quod jussu*, adeo ut et ex fidejussione inutili non sequatur jussus, *Hering. de Fidejuss. cap.* 2. *num.* 55. *et cap.* 18.
n. 6. Collige: Nuncium sive ministrum in con- 4
tractu non obligari, *l. fin. pr. ff. Quod jussu*, quando enim aliquis intervenit ut procurator vel nuncius, et omnia quae gessit, alieno nomine gessit, ille non obligatur, sed solus dominus, *l. fin. ff. de Inst. Act. Franc. Caldas de Emptione cap.* 15. *num.* 55. *Jo. Crotus in Repet. l. si quis pro emptore ff. de usucap. num.* 149. Ideoque Institor finito officio non potest conveniri, *Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 20. *def. ult. Rota Genuens. d. Dec.* 14. *num.* 64. licet durante officio institorio conveniri possit, ut non ex suis, sed domini bonis solvat, *arg. l.* 6. §. 1. *ff. de Neg. Gest. Carpz. p.* 1. *dec.* 10.

L. Nulla res. 5.

SUMMARIA

Filiusfamil. major 25. *annis potest fidejubere pro alio cum effectu. num.* 1.
Filiusfamilias etiam fidejubendo obligatur. 2.
Minorennis non firmiter fidejubet. 3.
Pater pro fidejussione filii obligatur peculiotenus. 4.
Limitatio. 5.

Filiusfamilias major 25. annis potest fidejubere 1
pro alio, ita ut ipse teneatur in solidum, sed pater ejus non tenetur ex fidejussione filii, nisi
peculiotenus. Collige: 1. Filiumfamilias etiam fi- 2
dejubendo obligari; quia ex omnibus causis tamquam Paterfamilias (excepto mutuo et voto)

obligatur, *l. tam ex contractibus* 57. *ff. de jud. Goedd. de stipul. cap.* 7. *num.* 7. *et num.* 58. *Hering. de Fidejuss. cap.* 7. *num.* 328. Interdum etiam tenetur fidejubere, pro patre scilicet, *Novell.* 119. de quo *Hering. d. l. n.* 345. et alii. II.
3 Minorennem non firmiter fidejubere, quia in omnem eventum habet restitutionem, cum non possit dici non laesus; vid. *Goedd. d. c.* 7. *num.* 263. *et seqq. Bacch. in Treutl. Vol.* 1. *Disp.* 6. *th.* 5. *lit. C. Hering. d. c.* 7. *num.* 76. III. Pa-
4 trem pro fidejussione filii obligari peculiotenus, seu quatenus est in peculio, nisi pater aliquas
5 defensiones habeat, v. g. si filio peculium in tempore sine dolo malo ademerit, si morte filii vel emancipatione extinctum sit peculium, et utilis annus praeterierit: item si plus vel tantundem patri debeat filius, quam est in peculio, *Cujac. hic tomo* 3. *p.* 341.

L. Si servus. 6.

SUMMARIA

Antichresis ignorante domino in ejus aedibus a servo alteri constituta non obligat ipsum. num. 1.
Qui habet mandatum mutuum accipiendi, non statim habet mandatum bona mandantis obligandi. 2.
Creditor non potest sine consensu debitoris impetrare consensum domini feudi in bonis feudalibus debitoris. 3.
Limitatio decisionis. h. l. 4.

1 Servus meus me inscio vel consentiente, mutuum sumpsit, et aedes meas me ignorante in antichresin concessit creditori. Resp. Antichresin illam me non obligare, nec posse servum usum rei meae alteri concedere, et possum intrare meas aedes propria auctoritate, et Judex debet prohibere, ne mihi vis fiat, quod idem dicunt esse *DD.* licet servus habeat mandatum mutuum accipiendi; aliud enim est mutuum accipere, et aliud antichresin constituere. Colligi-
2 tur ex textu: Non statim habere mandatum obligandi bona, si quis habeat mandatum accipiendi mutuum. Nam aliud est mutuum accipere, et aliud pignora constituere, *l.* 5. *ff. Quod jussu.* Neque obstat *l. si permittente C. ad Macedon.* Ubi filius proponitur obligasse bona peculiaria, et quidem hic filius patri haeres extitit. Atque ex hoc textu probari potest sententia,
3 quod creditor non possit sine consensu debitoris impetrare consensum domini feudi in bonis feudalibus debitoris, de quo *Modest. Pist. p.* 4. *q.* 37. *et Dn. Carpz. p.* 2. *Const.* 23. *def.* 23. Sed, ut revertamur ad textum nostrum, limi-
4 tari debet decisio hujus legis, nisi servus liberam habeat administrationem bonorum, *l.* 18. §. *fin. ff. de Pign. Act. Castr. in l.* 10. *C. h. t. Neguz. de Pign. p.* 3. *princ. m.* 1. *num.* 13.

L. Ei qui servo. 7. pr. L. 11. et 12.

SUMMARIA

Ex contractu servi tenentur dominus, et haeredes ejus in perpetuum, si in rem ejus versum est. num. 1.
Post mortem servi, vel manumissionem, vel distractionem intra annum datur actio de peculio. 2.
Semper in actione de peculio dominus, vel pater deducit, quod ipsi filius vel servus debet naturaliter. 3.
Pater duo habet privilegia. 4.

Ex contractu servi tenentur Dominus, et ejus 1
haeredes in perpetuum, si in rem ejus versum est. Licet enim sit honoraria sive Praetoria actio, et tamen rei persecutoria, alias peculiotenus tenetur tantum vivente servo, vel eo mortuo aut manumisso seu distracto intra annum, *l.* 11. *h. t. et t. t. ff. Quando de peculio actio annalis est*, et ibi *Wesenb. in π.* Deducit tamen dominus, quod ipsi debet servus naturaliter, *l.* 12. *h. t.* Ratio in *l.* 9. §. *peculium* 2. *et* §. *praeterea* 4. *ff. de Pecul.* Colligitur igitur ex hac *l.* 7. *pr.* I. Post mortem servi vel manumissionem 2
vel distractionem intra annum dari actionem de peculio, de quo in *t. t. Quando actio de peculio annalis est.* II. Semper in actione de pe- 3
culio dominum vel parentem posse deducere, quod servus vel filiusfamilias Domino vel Patri naturaliter debet. Sicut enim id ad peculium pertinet, quod dominus vel pater naturaliter debet, et quod in eorum utilitatem dominus vel pater utiliter impendit, ita etiam deducendum est, quod filius parenti, servus Domino naturaliter debet, etiam ex delicto, sed simplum, *l.* 9. §. 6. *ff. de Peculio;* modo aliunde illud debitum consequi non possit, *l.* 11. §. 6. *d. t.* Et sic Pater habet duo privilegia: 1. Ut tantum 4
peculiotenus teneatur. 2. Ut deducere possit ea, quae ipsi Patri filius debet, *Schneidew. in* §. *actiones* 10. *num.* 36. Si tamen Pater quid constituerit et in se receperit, non deducit e peculio, *l.* 19. §. *fin. ff. de Const. Pet. Tholos. lib.* 29. *Syntagm. cap.* 14. *num.* 15.

L. 7. §. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decisio. 2.
Quando cum libero homine alterius nomine contracturo contrahitur non contemplatione principalis, tunc hic non obligatur. 3.
Casus excepti. 4.
Quomodo ratum haberi possit a domino, quod ipsius nomine non est gestum. 5.

Contraxi cum libero homine, qui tuo nomine 1
mutuum sumpsit a me, sed ego non tuam, sed illius fidem me secuturum professus sum, Resp. contra te nullam competere actionem, sed con- 2
tra gestorem, nisi in rem tuam versa sit pecunia, aut tu contractum ratum habueris. Ratio in *l. fin. C. ad SCtum Maced.* Colligitur igitur ex hac lege: Quando cum libero homine, pro- 3
curatore scilicet alterius, vel negotiorum gestore, vel tutore, vel curatore contraxi, et ego non contemplatione principalis, sed procuratoris vel gestoris mutuum dedi, ipsum dominum obligatum me non habere, quia non respexi personam principalis. Sed excipiuntur hic duo 4

casus: 1. Si pecunia in rem domini versa fuisset: 2. Si ratum habuit, ubi competit actio negotiorum gestorum utilis, non directa. Directa enim actio negotiorum gestorum competit, si creditum sit domini contemplatione; utilis vero, si non sit ejus contemplatione gestum, in utilitatem tamen ejus versum, vel ab eo ratum
5 habitum. Sed: *quomodo ratum haberi potest a domino quod ipsius nomine non est gestum?* Resp. aliqua ex parte nomine domini gestum est negotium, scil. a recipiente, vel posse aliquem negotium non suo nomine gestum, in suam tamen utilitatem vergens, in sui praejudicium ratum habere, ut *hic Castrens.*

L. Si mandator. 8.

SUMMARIA

Quando pater in solidum teneatur pro contractu filii? num. 1.
Tres casus, ubi pater pro filio teneatur in solidum, et non peculiotenus. 2.

1 Pater tenetur in solidum pro contractu filii, quando mandavit, vel jussit fieri, vel fidejussit.
2 Notentur igitur tres casus, in quibus Pater pro filio in solidum et non peculiotenus obligatur: I. Si mandavit extraneo, ut crederet pecuniam, nam tunc actione Mandati tenetur. II. Si jussit filium, ut a me acciperet pecuniam, et tunc datur actio *quod jussu*. III. Si pro filiofam. fidejussit, nam potest Pater pro filio fidejubere, quia quasi extraneus intercedit, *l.* 1. §. *quid ergo ff. Quod jussu Hering. de fidejuss. d. c.* 7. *num.* 373. *et seq. Enenkel. Baro de Privil Parentum privil.* 9. *num.* 11. *et seq.*

L. Si ex alio. 9.

SUMMARIA

Filiusfamilias tenetur etiam ex licito contractu vivente patre, et durante patria potestate in solidum. num. 1.
Cautela pro illo, qui pro parente fidejussit, vel alias licite contraxit. 2.
Duo hodie sunt actus, qui speciem emancipationis habent. 3.
Effectus notabilis et honorabilis matrimonii. 4.

1 Filiusfamilias tenetur etiam ex licito contractu vivente patre et durante patria potestate in solidum, sed si emancipatus sit a vivo patre, vel eo mortuo non extitit haeres, convenitur solum in quantum facere potest. Unde ex hoc textu colli-
2 gunt cautelam: Si quis pro parente fidejusserit vel alias licite contraxerit, (nam mutuum accipere ob SCtum Macedon. non potest) ut faciat se emancipari; nam emancipatus habebit beneficium competentiae, *Coepolla cautel.* 14. *Carpanus ad Statuta Mediolan. vol.* 1. *cap.* 416.
3 *num.* 208. Hodie sunt duo actus, qui speciem emancipationis habent, scilicet 1. Si Pater filium peculiarem oeconomiam constituere patiatur, *Zasius ad l.* 107. *num.* 4. *ff. de V. O. Dn. Carpz. p.* 2. *Const.* 10. *def.* 1. *Berlich. p.* 2. *Concl.* 11. *num.* 23. *Sichard. ad Rubr. C. Qui admitti ad bon. poss. num.* 7. et quos allegat *Dn. Mevius ad jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 24. Alter modus est matrimonium jure consuetudinario Galliae, Hispaniae, Britanniae, Italiae, imo et Germaniae, *Vult. in Inst. tit. de Pat. Potest. num.* 33. *Rauchb. P.* 2. *Q.* 18. *num.* 24. *Berlich. d. Concl.* 11. *num.* 3. et quos allegat *Hering. de Fidejuss. cap.* 7. *num.* 621. *et Dn. Mevius d. tit.* 3. *num.* 25. Exinde sequitur, filium ex suo contractu post oeconomiam separatam aut matrimonium contractum conveniri aliter non posse, nisi cum beneficio competentiae, et ideo notetur hic effectus notabi- 4
lis et honorabilis matrimonii.

L. Si liberam. 10.

SUMMARIA

Servus, qui habet liberam administrationem peculii, potest mobilia distrahere. num. 1.
Emptio requirit vel mandatum generale cum libera, vel speciale. 2.
Is qui scit vel scire debet, aliquem non habere jus distrahendi, non potest usucapere vel praescribere rem. 3.
Servus habens liberam peculii administrationem, potest vendere res dominicas, id est, peculiares. 4.
Ampliatio. 5.
Limitatio. 6.

Servus quando liberam habet administratio- 1
nem peculii, potest mobilia distrahere, si autem non habet, non potest. Et quicumque scit eos servos esse, nec habere liberam, et emit ab iis, non habet justum possessionis initium, ergo nec usucapere potest, 1. quia non habet justum titulum, 2 quia est res furtiva, scilicet si furandi animo a servo subtracta, *hic et l.* 56. §. 3. *ff. de Furt.* Colligunt igitur ex *hac lege:* I. Emptionem requirere vel mandatum 2
generale cum libera, vel speciale, *Caldas de Empt. cap.* 15. *num.* 1. *et* 2. *Mozzius in tit. de Vendit. rubr. de Personis num.* 28. Quia mandatum generale cum libera aequipollet regulariter speciali, *l. procurator cui* 58. *ff. de Procur. Caldas d. l. num.* 2. *Covar. l.* 1. *Resol. cap.* 6. *num.* 3. II. Etiam eum qui scit vel sci- 3
re debet, aliquem non habere jus distrahendi, non posse usucapere vel praescribere rem. III. Quod si servus habens liberam peculii admini- 4
strationem, potest vendere res dominicas, id est, peculiares, ad peculium pertinentes, (nam hae tantum ejus administrationi commissae,) poterit utique etiam eas pignori dare. Cui enim 5
majus licet, ei etiam licebit minus, et illud traditur *in l.* 18. §. *fin. ff. de Pign. Act.* cui obstare videtur *l.* 1. §. 1. *ff. Quae res pignori obligari possunt.* Sed *DD.* intelligunt, quan- 6
do rem peculiarem non in peculii utilitatem et pro credenda pecunia dedit, sed pro aliis negotiis; quia tunc licet haberet liberam administrationem, non tamen posset res peculiares obligare, *Negutz. de Pign. m.* 1. 3. *num.* 13.

L. Dominos. ult.

SUMMARIA

Casus l. cum decisione. num. 1.
Ex commendatione nemo obligatur. 2.
Agitur in h. l. non de praeposito servo integrae negotiationi, sed de servo culturae fundi praeposito. 3.
Servus naturaliter obligatur. 4.
Etiam pro inutili conctractu fidejussor tenetur. 5.
Commendatitiae literae scribentem non obligant, ut actione quod jussu *obligetur.* 6.
Inter mercatores commendatio communiter obligat. 7.
Cautela pro illo creditore, qui nullo documento literario munitus. 8.

1 Servus quidam agro vel aedibus domini praepositus est a domino, ut custos, vel ut conductor, et commendatus erat servus Titio a Domino, Titius commendatione domini motus, servo mutuam credit pecuniam, quaeritur: *An contra dominum detur Titio actio?* quod negatur, quia aliud est mandatum, aliud commen-
2 datio, ex qua nemo obligatur, *l.* 12. §. 12. *ff. Mandati, Auct. in l.* 27. *ff. mand. num.* 5. *et* 7. Sed si servus liber a rationibus inventus sit, id est, nihil domino debeat, juxta *l. penult.* tunc actio utilis de peculio intentari potest; utilis, inquam, quia ratione peculii non contra-
3 xit servus. Notetur autem bene: hic non de praeposito servo integrae negotiationi, sed de servo culturae fundi praeposito agi, cui non mutuum sumere, sed agrum colere est demandatum. Si servus negotiationi praepositus esset, tunc ex hac sola praepositione dominus obligatur, sed quia fundo colendo tantum praepositus, dominus, sine speciali mandato non obligatur; nam negotium commissum in hoc tantum consistit, ut fundum colat, fructus servet, vel vendat, non vero ut mutuam pecuniam sumat. Collige tamen; licet dominus ex hoc contractu non obligetur, fidejussorem tamen a servo datum teneri, quia servus naturaliter o- 4
bligatur, et ideo pro inutili etiam contractu 5
tenetur fidejussor. Ideoque cum grano salis accipienda ea, quae a Doctoribus dicuntur, quod obligationi non efficaci non possit accedere fidejussor, quos citat *Hering. de Fidejuss. Cap.* 10. *num.* 18. *et seqq.* Praecipue autem colligitur ex *hac lege:* Commendatitias literas scri- 6
bentem non obligare, ut actione *quod jussu* obligetur, nisi commendans dolose quid scripserit, aut factum proprium promiserit, *Koppen. Decis.* 36. *Carpz. Decis.* 26. *Mevius ad jus Lubec. l.* 3. *titul.* 10. *Art. un. Finckelth. Obs.* 16. *Neguz. de Pign. p.* 5. *membr.* 3. *part.* 2. *n.* 16. Sed inter mercatores communiter obligat commen- 7
datio, et sic etiam saepius responsum meminit *Auct. in l.* 17. *ff. mand. num.* 6. Sic etiam si commendans quid se facturum promittit, omnino tenetur, *idem ibid. num.* 8. *Barbosa in hac lege* proponit cautelam illam, qua creditor nul- 8
lo documento literario munitus, literas scribit ad debitorem, et ita confessionem debiti ei extorquet, quae confessio ex tacita et sine protestatione facta coram teste receptione literarum resultat, de qua *Masc. concl.* 481. *Petr. Barb. in l. quae dotis* 34. *num.* 158. *ff. Sol. Matrim.* et quos allegat *Aug. Barb. in Collect. hic.* et praeter eos *Matthesilanus sing.* 22. et quos citat *Barbos. d. l. et Riccius Dec. Coll.* 40. et probatur haec cautela ex eleganti *l. Si filiusfam.* 16. *ff. ad Sct. Macedon.* quamvis hujus loci proprie non sit.

TITULUS XXVII.

Per quas Personas nobis acquiratur.

L. Excepta. 1.

SUMMARIA

Qu. an ex pacto commissario adjecto per procuratorem emptioni venditioni acquiratur actio principali? num. 1.
Per liberos homines acquiritur nobis possessio. 2.
Dominium vero non acquiritur, nisi per consequentiam. 3.
Obligationem procurator non potest acquirere domino. 4.
Alteri per alterum actio non quaeritur. 5.
Per procuratorem etiam pignoris obligatio nobis non acquiritur. 6.

1 Procurator meus me volente reddidit domum meam Cajo, habita fide de pretio, et tradidit fundum, ac sic transtulit dominium, §. *venditae* 41. *Inst. de R. D.* adjecto pacto, ut si intra trimestre non solvat, domus sit inempta, et possit vindicari. Quaeritur: *an ex hoc pacto procuratoris mihi detur actio?* Resp. Possessionem quidem nobis per procuratorem acquiri posse, §. 5. *Inst. h. t.* non vero dominium, per se scilicet, nisi mediante possessione, *l.* 20. §. *ult. ff. de Acquir. Domin.* nec actionem personalem. Sed si servus procurator, tunc mihi ex stipulatione datur actio. Colligitur ergo ex *hac lege* Regula: quod per liberos homines, id est, 2
qui non sunt in potestate nec a nobis bona fide possidentur, acquiratur possessio, quod utilitatis causa receptum, ut corpore alieno rerum possessionem volentes apprehendamus. Quod etiam de eo casu intelligendum juxta communem *DD.* sententiam, quando procurator noster per actum non naturalem, sed civilem acquisivit possessionem; nam eo casu domino per procuratorem quaeritur possessio, ut per constitutum possessorium, *Auct. in l.* 53. *ff. de acquir. vel amitt. poss. num.* 1. Doctores plurimos citat *Tiraq. de jure Const. Possess. P.* 2. *Ampl.* 26. *num.* 1. Nec obstat *l. ea quae civiliter* 53. *ff. de Acquir. rer. domin.* ad quam respondet *Tiraq. num.* 6. Dominium vero non 3
acquiritur per procuratorem, nisi per conse-

quentiam, quatenus si dominus tradidit procuratori meo rem, me per possessionem facit dominum, aut mediante possessione usucapiendi conditionem, si sciam meum procuratorem possidere, mihi confert, quod uberius persequitur *Cujac. hic tomo* 3. *pag.* 345. *Auctor in*
4 *d. l.* 53. *ff. eod. num.* 2. Obligationem autem procurator non potest acquirere domino, et ideo hoc casu in apposito pacto legis commissoriae, nec domino datur actio *venditi*, nec *ex stipulatu*, nec *rei vindicatio*. Priorum duarum
5 actio nulla datur, quia regula est; Quod alteri per alterum actio non quaeratur, paucis casibus exceptis. Sed Rei Vindicatio videbatur dari, per *l. si cum venderet* 13. *ff. de Pign. Act.* ubi creditor vendit pignus jure creditoris, apposito pacto de retrovendendo domino, ubi per hoc pactum acquiritur domino et debitori utile dominium, ut rem possit vindicare oblato pretio, de quo *Tiraq. de Retr. Convent.* §. 1. *Gl.* 7. *num.* 14. *Klock. vol.* 2. *Cons.* 42. *num.* 302. Sed aliud est in casu nostro, quia creditor vendit ex jure, quod habet in pignore, ideo potentior est ad acquirendum alteri dominium, quam simplex procurator, qui nullum jus in re habet, *Cast. hic num.* 9. quem laudat *Vasquius P.* 2. *Ill. lib.* 3. *cap.* 58. *num.* 17. Sed quaeritur: *An etiam pignoris obligatio per pro-*
6 *curatorem nobis acquiratur?* Quod hic negat *Salyc. num.* 9. et alii quos laudat *Neguz. p.* 3. *m.* 1. *num.* 40. *de Pignorib. per l.* 11. §. *pen. ff. de Pign. Act.* quia dominium per se subsistit principaliter, sed hypotheca est accessoria ad obligationem personalem. Sed dicitur in *d.* §. *pen. non semper*; Nam dantur casus contrarii, ut sequetur in *l.* 2. *h. t.*

L. Cum per liberam. 2.

SUMMARIA

Quaest. an si dederim tibi nummos fratris mei absentis, quaeratur fratri actio? num. 1.
Casus hic notatur singularis, quo alteri per alterum ex numeratione reali quaeritur actio. 2.
Is possidet, cujus nomine quid possidetur. 3.
Quaest. an si hoc in casu pactum de hypotheca adjectum, actio hypothecaria fratri quaeratur? 4.
Uti datur actio personalis ex pecunia alterius ipsius nomine mutuo data, ita etiam actio hypothecaria. 5.
Ex reali numeratione pecuniae absentis nomine facta acquiritur ipsi actio. 6.
Haec l. continet insignem limitationem l. 11. §. pen ff. de pignor. act. 7.
Interdum non acquiritur, sed tamen paratur via ad actionem per alium, vel conservatur. 8.
Conservatur per Procuratorem monentem actio alias tempore peritura. 9.
Discrimen inter nuncium et procuratorem. 10.
Ex re domini si stipuletur procurator, domino sine cessione datur actio. 11.
Ampliatio legis. 12.
Actio accedens alteri videtur ejus naturam sequi. 13.
Qui vendit nomen, tenetur etiam actionem contra fidejussorem cedere. 14.

Si dederim tibi nummos fratris mei absentis 1
et ignorantis nomine, quaeritur, an fratri quaeratur actio? Videtur quod non, quia per liberam personam mihi non quaeritur actio, per *l.* 126. §. 2. *ff. de Verb. oblig.* nisi tertii nomine pecunia numeretur, *Auctor in d. l.* 126. *ff. de V. O. num.* 4. licet per eam conservari possit, per *l.* 24. §. 2. *ff. de Usuris.* Sed affirmatur: quia hic casus singularis est, quo alteri per alterum 2
ex numeratione reali quaeritur actio ob crebrum et necessarium creditae pecuniae usum, sicut et alia, per *l. singularia ff. si certum pet. ibique auctor num.* 7. *et in l.* 9. *ff. eod. num.* 4. *et* 5. Idem in Pro-mutuo, *l.* 6. *C. de Condict. ind. Cujac. ad l.* 3. *quaest. Pauli ad d. l.* 126. §. 2. Et ideo *d.* §. 2. per hanc legem non abrogatur, dum ille de stipulatione, haec lex de reali numeratione alterius nomine facta loquitur, *Petr. Barb. ad l. Cajus num.* 5. *et* 6. *ff. Sol. matr.* Ergo in hac specie fratri condictionem acquiro, et actionem sine cessione; ratio est, quia dum do illius nomine, simul constituo me illius nomine possidere, is autem pos- 3
sidet, cujus nomine quid possidetur, *l. quod meo* 18. *ff. de Acquir. Possess.* et accedit creberrimus mutui usus. *Sed quid si pactus sim* 4
de hypotheca, an etiam hoc pacto hypothecaria actio quaeretur fratri contra te? Hoc olim negabatur: sed per hanc constitutionem introduxit Justinianus, ut ad exemplum actionis personalis, etiam realis seu hypothecaria ex numeratione per liberam personam alteri quaeri possit etiam sine cessione. Collige: I. Ut actio 5
personalis datur ex pecunia alterius ipsius nomine mutuo a me data tibi, ita etiam actio hypothecaria, si pignus alterius nomine constituisti. II. Ex reali numeratione pecuniae facta 6
nomine absentis ipsi acquiri actionem, per *l.* 9. §. 8. *ff. si certum pet. l.* 4. *C. eod.* et hoc omni in contractu procedere putat, *Vasq. d. cap.* 58. *num.* 14. quando procurator exercet actum naturalem, idque probare vult per *l. ea quae civiliter* 53. *ff. de Acquir. Rerum Dom.* Quo casu autem per procuratorem Domino quaeritur actio, eo casu etiam actio hypothecaria per procuratorem quaeritur domino, et sic *haec lex* continet insignem limitationem 7
l. 11. §. *pen ff. de Pign. Act.* Notandum hic, interdum non acquiri, sed tamen parari viam 8
ad actionem per alium etiam liberum, vel conservari, Conservatur per procuratorem monen- 9
tem actio alias tempore peritura, *l. per procuratorem* 72. *ff. de procurat.* Sic Procurator meo nomine novum opus nuntiare potest, *l.* 1. §. 3. *ff. de Novi Operis Nunt.* et ita mihi parat actionem, *quod Vi aut clam.* Sed etiam nuntius mihi acquirit actionem, quia nuntius non contrahit, sed ego per nuntium, discrimen igitur 10
inter nuntium et procuratorem, *Cuj. d. l.* Sic etiam ex re domini, si stipuletur procura- 11
tor, domino sine cessione datur actio, per *l. quod procurator* 68. *ff. de Procur.* ubi non opus est cum *Cujac.* textum corrigere, et *Joanne Sandio de Cess. Act. cap.* 6. *num.* 14. Sed apparet ratio decidendi, quia ex re domini contraxit. Quod autem in textu dicitur de 12
mutuo, illud etiam in promutuo, scilicet indebito, locum habet, *l.* 6. *et* 46. *ff. de Cond. Indeb. et l.* 6. *C. eodem.* In stipulationibus quoque praetoriis causa cognita domino utilis

actio datur, licet procurator suo nomine stipulatus sit, *l.* 27. §. *ult. ff. de Proc.* et quandocunque etiam in aliis stipulationibus res domino aliter salva non esse potest, *l.* 13. §. 25. *ff. de Act. Empt. Cujac. hic in fine, Sande d. l. num.* 18. Demum ex hac lege colligi potest;
13 Quod actio accedens alteri, videatur ejus naturam sequi, et idem de utraque judicandum esse, quod exemplis declarat *Neguzant. de Pign. m.* 4. *part.* 2. *num.* 60. Sed *quid in actione contra fidejussores?* hanc sine cessione non sequi, tradit *Castr. num.* 5. *argum. l. venditor* 23. *ff. de Haered. Vend.* Sed contrarium ex
14 illa lege videtur probari, qui enim vendit nomen, tenetur etiam actionem contra fidejussorem cedere, per *dict. textum.* Ergo eo casu, quo non cessit, utilis actio datur contra principalem. Eadem ratione etiam datur contra Fidejussorem.

L. Si duo. ult.

SUMMARIA

Quaer. an servus communis illi Domino acquirat actionem, qui non jussit, ut stipuletur? num. 1.
Quaer. an si non possit probari, servum jubenti nominatim stipulatum esse, hoc praesumendum sit? 2.

Si servus tecum communis, a me jussus stipulari mihi a Titio centum, ea tibi contra jussum stipulatus fuerit. Quaeritur: *an mihi an tibi quaeratur obligatio?* Resp. mihi, non enim indulgendum est malitiae servorum, ut contempta jussione domini, sua libidine facere stipulationem et ad alium dominum, qui eum forte corrupit, alienum lucrum transferre possint. Et plus valet specialis jussio, quam nominatio servi; secus autem est, si a me simpliciter (non enim in specie) jussus esset stipulari. 1
Sed quaeritur: *Si non possit probari, servum jubenti nominatim stipulatum esse, an hoc praesumendum sit?* et hoc affirmant, quia qui habet mandatum emendi, si postea emat absolute, procuratorio nomine mandantis praesumitur emere, per *textus et auctoritates allegatas a Tiraq. de Retract. Convent. ad fin. titul. num.* 117. Quid si autem simpliciter unus ex sociis jusserit servum stipulari, et servus simpliciter non nominatim uni stipuletur? Jubenti tantum videtur stipulatus, *l. Servus comm.* 5. §. *ult. et l. proinde* 7. *ff. de stipul. Servorum.* Sed de hac materia, a nostris moribus aliena, satis dictum. 2

TITULUS XXVIII.

Ad SCtum Macedonianum.

L. Si filiusfamilias. 1.

SUMMARIA

Filiusfamilias ex mutuo propter SCtum Macedon. non tenetur. num. 1.
Exceptiones. 2.
Quomodo ignorantia hoc in casu probanda? 3.
Hoc SCtum odio creditoris factum. 4.
Non succurendum est decipientibus. 5.

1 SCto hoc Filiusfamilias ex mutuo accepto non tenetur, nec parentes ejus; Sed habet hoc ex-
2 ceptiones; quarum una est in *l.* 1. Si filius per mendacium dicat se sui juris esse, et hoc colore aliquo probabiliter confirmaverit, v. g. si creditor debitoris in assertione jurata, v. falso instrumento, vel alia causa probabili motus, hoc crediderit, quod utrumque probandum est, *Auct. in l.* 3. *ff. h. t. num.* 1. tunc filius non auditur implorans beneficium SCti, per *d. l.* 3. *et l.* 2. §. 3. *ff. ad SCtum Vellej. l.* 2. *et* 3. *C.*
3 *si Minor se majorem.* Sed quaeritur hic: *quomodo ignorantia sit probanda? Glossa hic* ut alibi etiam putat eo ipso ignorantiam probatam videri, quod non probetur contrarium, sed haec ab Interpretibus communiter reprobatur, et ideo, quia scire debebat creditor, non omnes personas posse mutuum accipere, debebat inquirere in conditionem ejus cum quo contrahit,
4 *l. pen. ff. h. t.* Ratio est, quia hoc Senatusconsultum odio Creditoris factum, *Wescnb. in Comm. h. t. num.* 7. *Schneidew. in* §. *pen. Inst. Quod cum eo. num.* 3. Asseverationem autem filii filio nocere putat *hic Castr.* quia mendacium filiumfamilias indignum hoc beneficio reddit, quod non succurrendum sit decipientibus; 5
ergo poena suos tenere debet auctores. Conjecturae autem poterunt esse variae, cur creditor crediderit ipsum esse sui juris, v. g. si documentum emancipationis falsum habeat, si publice se gessit pro patrefamil. si juravit se sui juris esse, si fuit senex, et simil. *Gomez lib.* 2. *Res. cap.* 6. *num.* 2. *in* 4. *lim. h. t. Auctor in l.* 3. *ff. h. t. num.* 1. Et merito ab aliis discedit *Gilken.* qui statuit satis hic esse in ignoto, si asseveret patrem mortuum esse. Si autem creditor scivisset, eum esse filiumfamilias, licet filiusfamilias jurasset se esse patremfamilias, quia tamen a seipso deceptus est creditor, allegationem hanc pro fundamento allegare non potest, quia sciens non decipitur, *l. cum donationis C. de Transact. Castr. hic in fine.*

L. Zenodorus. 2.

SUMMARIA

In h. l. aliae Exceptiones vel Limitationes SCti Macedoniani habentur, quarum prima: Si publice habitus sit pro patrefam. num. 1.
Secunda: Si patris voluntate contraxit, vel etiam in ejus utilitatem mutuetur, vel in eam convertat, vel debitoribus solvat. 2.
Tertia: Si ad studia mutuo sumat. 3.

Quarta: Si filius obligationem patris post mortem ejus in se transferat. 4.

1 Hic aliae Exceptiones vel limitationes SCti Macedoniani habentur. Nam filiofamilias non datur Exceptio SCti Macedon. si publice habitus sit pro Patrefamilias, id est, ita contraxit, munera gessit, ut pro homine sui juris haberetur, *l.* 2. *h. t. et l. Barbarius* 3. *ff. de Offic. Practor.* v. g. Si conduxerit vectigalia, *Auctor in d. l.* 3. *ff. h. t. num.* 2. et hic quidem cursum temporis decennalis requirunt, ut hic post *Baldum Jasonem, Alex. Trentac. lib.* 3. *Resolut. Tit. de Solut. Resolut* 19. *num.* 12. ubi tamen hoc limitat: nisi falsa asseveratio filii concurrat. Sed circumstantiam temporis plane nego cum *Menoch. lib.* 6. *Praesumpt.* 55. *num.* 28. *et Wesenb. in Comm. h. t. num.* 15. sufficit enim filiumfamilias tales actus gessisse, qui non nisi a patrefamil: fieri soleant, *Wesenb. d. l. num.* 17. et ut mutuans non fuerit levi persuasione deceptus, *Molin. de J. et J. D.* 30. *num.* 6. *Card. Mantic. de Tac. et Amb. Convent. lib.* 8. *t.* 7. *num.* 21. *Mozz. in titul. de Mutuo tit. quando deficiat num.* 22. Alia hic li-
2 mitatio ponitur, si Patris voluntate non expressa tantum, sed etiam tacita v. g. sciente Patre, *l.* 2. *ff. h. t.* et non protestante, *l.* 16. *ff. h. t.* filius contraxit, *d. l.* 2. *h. t. et l.* 12. *ff. ad SCtum Trebell. Trentac. d. l. num.* 13. *Card. Mantic. d. t.* 7. *num.* 28. et quos hic allegat *Barb. num.* 3. *et Enenkelius Baro de Privil. Parentum Priv.* 12. *num.* 10. *et* 11: 4. Limitatio, si filius in utilitatem patris non tantum mutuetur, ut *d. l.* 2. sed etiam vere convertat in illam mutuam pecuniam, *l.* 7. *ff. h. t. ibique. auctor num.* 9. *l.* 3. §. *sed si accepit* 9. *ff. de in rem verso*, vel si creditoribus solvit, *d. l.* 7. §. 12. *et* §.
3 *seq. ff. h. t.* vel si ad studia eam quantitatem mutuo sumat, quam paterna pietas non subministrare recusat, *d. l.* 7. §. *quod dicitur ff. h. t*: 5. Sive in eum finem, scilicet patris utilitatem, ab initio mutuum acceptum, sive ex post facto in id conversum, *Auctor in d. l.* 7. *ff. h. t. num.* 9. *Card. Mant. d. t.* 8. *num.* 27. *Tholos. l.* 22. *Syntagm. tit.* 2. *num.* 11. *Coler. de Proc. Exec. P.* 1. *cap.* 10. *num.* 22. *Menoch. l.*
4 3. *praesumpt.* 68. *num.* 2: 6. Si filius post mortem patris obligationem in se transferat, et si paterfamilias factus partem solverit, *l.* §. *fin. ff. h. t.* nam tunc tenetur in solidum. Sed si pignus dedit, pro quantitate pignoris tantum tenetur, *l.* 9. *pr. ff. h. t.* cujus ratio in *argum. l. a Divo Pio* 15. §. *si pignora* 3. *ff. de Re judic.* quia pignus non datur in solutum, sed ad securitatem. Et dubium est, an pignus in totum debitum dederit, an in partem, *Auctor in l.* 7. *ff. h. t. num.* 15. Qui autem solvit partem debiti, totum debitum agnovisse et solvere velle praesumitur, *Donell. l.* 12. *cap.* 28. Ideoque filiusfamil. sui juris factus, si partem solvit, totum debitum agnovisse videtur, per *l.* 7. §. *fin. ff. h. t. ibique auct. num.* 14. ubi dicitur solutum non repeti, et cessare SCtum, quorum illud ad partem solutam, hoc ad reliquum referri debet, nam alias nihil speciale esset filiofamilias sui juris facto, cum etiam existens filiusfamilias solutum non repetat, *l.* 40. *ff. de Cond. Indeb. Donell. d. l. Treutl. D.* 30. *th.* 8. *lit. B.* licet ibi dissentiat *Bacch.* Vid. etiam *Molin. de J. et J. Limit.* 7. *et Trentac. Tit. de Solut. Res.* 20. *num.* 22. *Masc. concl.* 1261. *num.* 63. *Enenk. Baro de Priv.* 12. *cap.* 3. *num.* 8. Plures limitationes habet *Auctor in l. q. ff. h. t.*

L. Si filiusfamilias. 3.

SUMMARIA

In h. l. alia habetur Limitatio vel potius declaratio. num. 1.
Originalis causa semper est attendenda. 2.

Alia hic habetur Limitatio vel potius declara- 1
tio, si alium contractum filius celebret, *Auctor in l.* 3. *ff. h. t. num.* 7. v. g. emptionem, et cum non haberet pecuniam praesentem, contractum emptionis in causam mutui convertit per stipulationem, cum non titulus actionis, sed origo ejusdem considerari debeat, per *l.* 1. *h. t.* Quam Regulam ex *hac l.* communiter probant, scilicet originalem causam semper esse 2
attendendam, *hic et l.* 69. *ff. de Fidej. Carpz. p.* 1. *Const.* 17. *def.* 44. *num.* 4. *Axiom. Barb. lib.* 13. *cap.* 31. *Axiom.* 1. Et qualis est origo, talia sunt omnia ea, quae ex ea oriuntur, *Cagn. ad tit. de orig. juris c.* 22. *Pruckman. vol.* 1. *Cons.* 15. *num.* 104. Nec obstat *l.* 3. §. *idem scribit* 11. *ff. de Pecul.* ibi enim titulus actionis ex alia causa, scilicet judicio, proficiscitur.

L. Si permittente. 4.

SUMMARIA

Quando filiusfam. permittente patre contrahit mutuum et obligavit pignori bona patris, creditor non obstante hoc SCto. etiam pignora in bonis patris persequi potest, et contra ipsum filium, ut haeredem patris, agere. num. 1.
Ratio. 2.
Ampliatio. 3.

Quando Filiusfamilias permittente patre con- 1
trahit mutuum, et obligavit pignori bona patris, Creditor non obstante SCto etiam pignora in bonis patris persequi potest, et contra ipsum filium, ut haeredem patris, agere. Ratio *in l.* 2
2. *h. t.* Permissio autem haec Patris non tantum per expressum consensum Patris fit, sed etiam per scientiam solam et patientiam, *l. si* 3
tamen 12. *ff. h. t. Trentac. lib.* 3. *Resol. tit. de solut. Resol.* 19. *num.* 13. *Enenkelius Baro d. cap.* 3. *num.* 10. *Donell. et ibi Hillig. lib.* 12. *cap.* 27. *lit. A.* Huc pertinet etiam casus *l. Si filiusfamilias* 16. *ff. h. t.* ubi pater literas a filio accepit, et continuo non protestatus est, se nolle consentire in mutuum illud, *Gomez d. cap.* 2. *num.* 2. *lim.* 10. unde cautelam illam extruunt, cujus supra facta mentio in *l. ult. sup. Quod cum Eo etc.*

L. Macedoniani. 5.

SUMMARIA

Qui filio studenti aut legationis causa alibi degenti mutuo dat, illi non obstat hoc SCtum. num. 1.

Annon ex alia causa absenti filio si quid mutuo detur, cesset SCtum? 2.
Quid si nolente patre studia tractet, an etiam tunc pater mutuum ob eam causam filio datum refundere teneatur. 3.
Limitatio. 4.

1 Qui filio studenti aut legationis causa alibi de-
genti mutuo dat, illi non obstat hoc SCtum, *hic*
et *l.* 7. §. 13. *ff. h. t. ibique auctor num.* 9. Sed
habet Actionem de Peculio. Sed annon de in
rem verso, per quam solidum consequetur?
per *d. l.* 7. §. 12. Resp. utravis uti posse, sed
cum forte difficile sit probare, quod vere in
studia impenderit, ideoque in subsidium hic da-
tur actio de peculio, si vero jussu patris dede-
rit, pater in solidum semper tenetur. Sed quae-
2 ritur 1. *annon ex alia causa absenti filio si
quid mutuo detur, cesset SCtum?* Et resp. omni-
no, nam studiorum et legationis causa hic, v.
g. tantum tradita; *Donell. d. l.* 12. *cap.* 27. *l.*
3 *fin.* 2. Quaeritur: *Quid si nolente patre tractet
studia filius, an etiam tunc pater teneatur re-
fundere mutuum ob eam causam filio datum?*
Et id negat *Donell. d. l.* quia sola causa studii
non dat repetitionem, sed voluntas et utilitas
4 patris. Sed alii affirmant, licet filius invito pa-
tre studia tractet, posse patrem compelli ad il-
lud mutuum restituendum, quos hic allegat
Barbosa; Sed quatuor temperamenta et conci-
liationes harum opinionum tradi possunt: 1. Si
pater semel filium ad studia miserit, et hic ap-
tus ad studia, quia ab initio hoc vitae genus
elegit, cogendus est pater sumptus etiam sup-
peditare et mutuum ob id contractum solvere;
ita *P. Barbosa in l.* 1. *parte* 7. *num.* 26. *ff.
Sol. Mat.* 2. Licet non ipsum miserit ad studia
tractanda, posse tamen compelli patrem, ut fi-
lio primas literas et grammaticam discere cu-
pienti sumptus suppeditet, et consequenter mu-
tuum solvat, ita *Barb. d. l.* 3. Licet filius ma-
jori scientiae animum applicet nolente patre,
et mutuum contrahat, posse quidem solidum a
parente non exigi, sed compellendum tamen
patrem restituere mutuum eatenus, quatenus
domi alendus fuit, *Guttierez. ad auth. Sacra-
menta puberum, num.* 71. *C. si adversus ven-
dit*, et 4. Exciperem officium Nobile domini
superioris, cum certum sit, liberos non tantum
parentibus nasci, praesertim si praecellens filii
ingenium. Sed notetur hic limitatio, si patris
pietas non recusaret. vel si probabilem modum
non excessit, eamque quantitatem, quam pater
solebat vel debebat subministrare, *l.* 7. §. 13.
ff. h. t. ibique auctor num. 11. *seqq.* Nam ratio-
ne excessus pater non tenetur, *Michalorius in
tract. de fratribus p.* 2. *c.* 12. *num.* 16. *Dn.
Lauterbach. h. t.* arbitrio judicis committendum
censet; *Auctor* ingenium filii, ejusque scopum
considerandum putat; *Vide eund. in l.* 7. *ff. h.
t. num.* 13.

L. Si filius. 6.

SUMMARIA

Ex mutuo filiifamil. regulariter ne quidem pater de peculio tenetur. num. 1.
Limitatio. 2.
Ampliatio. 3.
Etiam in materia exorbitante per filium nepotes intelliguntur. 4.
Hodie filius, qui nuptias contraxit, vel peculiarem oeconomiam aut etiam propriam mercaturam instituit, non est in potestate patris. 5.

Ex mutuo filiifam. regulariter ne quidem Pater de 1
peculio tenetur. Nec obstat *l.* 1. *C. Ne filius pro
patre,* quia clausula subsequens non de mutuo,
sed de aliis contractibus, quorum mentio antea
facta, intelligenda; Sed hoc sumendum de eo 2
casu, quando non peculium ipsi datum, et
mutuum in causam peculii non acceptum, nam
si in utilitatem peculii vel negotiationis ejus,
cui praepositus est, versum fuisset, pater omni-
no peculiotenus teneretur, *l.* 7. §. 11. *ff. h. t.*
Per filiosfamilias autem etiam Nepotes intelligen- 3
di, *hic et l.* 6. *ff. de Testam. Tut.* Unde colli-
gunt: Etiam in materia exorbitante per filium 4
nepotes intelligi, et ita lex etiam exorbitans
extenditur ad casum, qui sub verbis late sum-
ptis comprehenditur, *Pinell. ad l.* 1. *p.* 1. *C. de
Bon. Mat. num.* 72. *Petr. Barb. ad l. si con-
stante* 25. *pr. num.* 100. *ff. Sol. Matr. Menoch.
Cons.* 215. *num.* 85. Unde si quis habeat avum,
etiam hujus consensus erit necessarius, *Trentac.
d. Resol.* 19. *num.* 13. Sed hodie, ut dixi, fi- 5
lius, qui nuptias contraxit, vel peculiarem oeco-
nomiam aut etiam propriam mercaturam insti-
tuit, *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 6. ubi plu-
res allegat, non est de cousuetudine in pote-
state patris.

L. Si filiusfamilias. ult.

SUMMARIA

Si patre consentiente vel ratum habente filius contraxerit, tenetur non tantum pater, sed etiam filius. num. 1.
Ratihabitio hic non ex solo silentio, sed ex actu concedente colligitur. 2.
Ratihabitio mandato aequiparatur. 3.
Limitatio. 4.
Cessante causa cessat ipsum causatum. 5.
Valet ratificatio in praejudicium ratificantis, non tertii. 6.
Quaer. an filius in suum praejudicium renunciare huic SCto possit? 7.
Quaer. an filiusfamil. si mutuum sumpserit ob necessitatem suam denegare possit in animae judicio solutionem pecuniae sine dolo a creditore mutuo datae? 8.
Filiifamil. milites habentur hic pro patribus famil. 9.

Non tantum si patre consentiente, sed etiam 1
si postea ratum habente (quae ratihabitio non 2
ex solo silentio, sed ex actu concedente colligi-
tur, *Auctor in l.* 16. *ff. h. t. num.* 11. *et* 12.)
filius contraxerit, tenetur non tantum pater,
cum ratihabitio mandato aequiparetur, in iis 3
scilicet, quae pro forma non requirunt jussio-
nem et auctoritatem, *l. obligari* 9. §. *tuto* 5. *C. de
Auctor praest. l.* 25. *ff. de acquir. Haered.* modo
ratihabitio etiam intra tempus praescriptum fiat, 4
l. pen. ff. rem ratam hab. l. 1. *C. Qui admitti
ad bonor*; sed etiam filius, si filio adhuc in po-

testate existente fiat ratihabitio, *Castr. in l.* 7.
5 §. *quamquam* 10. *ff. h. t.* Nam cessante causa
etiam cessat ipsum causatum, licet alias alteri
per alterum iniqua conditio inferri non possit.
Colligitur ergo ex *hac l.* Non tantum ratihabi-
tionem parentis ex post facto secutam facere,
ut tam filius quam pater ex mutuo a filio con-
tracto teneantur; sed etiam ex *hac lege* colligi-
tur, Ratihabitionem mandato aequiparari, et
retrotrahi ad tempus negotii, quasi ab initio res
utiliter gesta esset, de qua regula multis *Card.
Tusch. concl.* 21. *lit. R. Trentac. l.* 2. *Resol. tit.
de Procur. Resol.* 9. *Berchtold. in Axiom. Bar-
bosae lib.* 16. *c.* 4. *num.* 14. et quos hic *Barbosa*
6 allegat. Valet autem ratificatio in praejudicium
ratificantis non tertii, *Honded. lib.* 1. *Consult.*
38. *Ant. Fab. l.* 4. *Cod. tit.* 20. *num.* 1. Quaerit
7 autem *hic Glossa: An etiam filius in suum prae-
judicium renunciare huic SCto possit?* Et com-
muniter putant huic renunciare non posse,
cum non tantum in odium foeneratorum, nec
tantum in favorem filiorumfamilias, sed etiam
parentum sit introductum, *Molin. de J. et J.
Tr.* 2. *D.* 301. *num.* 4. *Covar. in c. quamvis
pactum p.* 2. §. 3. *num.* 4. et quos citat *hic
Barbos. Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. Et
quia respiceret publicam utilitatem et occasio-
nem delicti renunciatio praeberet *Hill. d. l.* 12.
c. 25. *lit. C.* licet omittendo hanc exceptionem
tacite quis ei renunciare possit. Et ex ante dicta
ratione quidam putant, ne quidem ex jurata re-
nunciatione filium teneri, quos hic allegat *Bar-
bos. in Collect. num.* 14. Sed contraria senten-
tia jure Canonico verior, quia sufficit sine pec-
cato satisfieri posse huic juramento, et per ac-
cidens sequitur corruptio morum, nec praesu-
mitur filius struere velle insidias patri, quando
religione juramenti movetur ad solvendum mu-
tuum, et sic obligari filium sentit *Card. Mant.
de tac. et amb. con. lib.* 8. *tit.* 7. *n.* 32. *Guttiercz de
juram. confirm. p.* 1. *c.* 34. *Auct. in l.* 11. *ff. h. t. n.* 7.
Sed ardua magis Quaestio: *An filiusfamilias si* 8
*mutuum sumpserit ob necessitatem suam, v. g. so-
lutionem aeris alieni, et in eum finem consum-
pserit, denegare possit in animae judicio solu-
tionem pecuniae sine dolo a creditore mutuo
datae?* Et omnino puto cum *Covar. in d. c.
quamvis p.* 2. §. 3. *num.* 6. quod non, et pro-
batur haec sententia per *l.* 9. §. *pen. ff. h. t.*
quia denegatur actio in odium creditorum, et
probatur ex *eo* §. natura obligari filiumfamil.
ergo etiam in animae judicio, licet cum *Go-
mezio d. l.* refragetur *Molin. d. D.* 301. *num.* 2.
et *Enenkelius Baro d. c.* 3. *num. fin.* §. 1. Ex-
cipiuntur etiam filiifamilias Milites, qui haben- 9
tur hic pro patribusfamilias, quia semper prae-
sumuntur militiae causa sumere mutuo, *Auctor
in l.* 1. *ff. h. t. num.* 5. nec haec praesumptio
juris, quae de jure est, probationem in contra-
rium admittit, juxta *Glossam hic et Wesenb.
in π. de Probat. num.* 14. *Collegium Arg. in
tit. de Probat. th.* 15.

TITULUS XXIX.

Ad SCtum Vellejanum.

L. Mulieribus. 1.

SUMMARIA

*Quaer. si mulier pro alio sponte sine ulla obli-
gatione praecedente vel intercessione solverit,
an possit repetere? num.* 1.
*Mulier pro alio se obligans tantum adjuvatur
hoc SCto.* 2.
Ampliatio. 3.

1 Lucilla pro alio non intercesserat, sed sponte
sine ulla praecedente obligatione aut interces-
sione solvit. Quaeritur: *an repetere possit ab
eo, cui solvit?* Neg. quia SCtum intercedenti,
non sponte solventi subvenit, et facilius se mu-
lier obligat quam donat, *l.* 4. §. 1. *ff. h. t.* sed
ab eo, pro quo solvit, repetit, quia negotium
ejus gessit, *l. si cum unum ff. de solut.* Sed si
prius obligasset et postea solvisset, ab eo etiam
cui solvit, repeteret, *l.* 8. §. 3. *ff. et l.* 9. *C. h. t.*
2 Colligitur ex his textibus; Quod mulier se pro alio
obligans, non vero sine praecedente obligatione
solvens, adjuvetur, quia facilius se obligant, quam
solvunt, per *d. l.* 4. §. 1. *ff. h. t. Matt. Cuno de
Pactis lib.* 1. *c.* 10. *num.* 4. *Hering. de Fidej.
c.* 7. *num.* 424. Idem autem mulieri succurri-
tur, si pro alio se obligaverit, et postea solvat,
quia in jure errat, dum putat se obligatam, et
hoc casu erranti subvenitur mulieri in damno
vitando, *Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 16. *def.* 2.
licet hoc universale non sit, sed locum tantum
habeat in casibus jure expressis, *Oddus de Re-
stit. p.* 1. *Q.* 10. *Art.* 1. *Tiraq. in l. si unquam
in Praefat. num.* 100. *C. de Revoc. Donat.* Sic
etiam adjuvatur mulier, si condemnata fuit et 3
nondum solvit, *Jo. Franc. Balthasar. Tit.* 1.
Resol. Bav. 11. *num.* 13. *et Res.* 12. *num.* 5.

L. Frustra. 2.

SUMMARIA

*Mulier, quae se pro suo creditore alteri delega-
ri passa est, hoc SCto non adjuvatur. num.* 1.
Limitatio. 2.
Ampliatio. 3.

Nepotiana debuit Titio centum, hic Titius de- 1
bet Cajo etiam centum, Titius agit cum Nepo-
tiana, ut ea se Cajo obligaret, et promitteret
se soluturam centum vel debitorem suum Cajo
delegaret, Quaeritur; *an juvetur exceptione?*
Resp. Negando, quia licet pro alio intervenerit,
id tamen fecit sui liberandi causa, et sic suum
potius quam alienum gessit negotium: sed si
ulterius vel amplius quam centum promitteret,
omnino juvaretur, *arg. l. quae de tota* 76. *pr.
ff. de R. V.* idem si mulier ipsa conducat, *l.* 10.
h. t. licet utilitatem contractus postea in ma-

2 ritum transferat, *l.* 13. *h. t.* nisi maritus primo compellarit alium, et sic color tantum quaesitus, *l.* 9. §. 1. *in f. ff. h. t. l.* 48. *pr. de Fidejuss.*
3 *l.* 19. *h. t.* idem si haereditatem emat, et si aes alienum in se transferat, *l.* 5. *et* 13. *ff. h. t. Hering. de Fidejuss. c.* 7. *num.* 412. Idem si pecunia in utilitatem mulieris versa vel ejus luxu ac vestitu consumpta, *Nov.* 134. *c.* 4. *Donell. lib.* 13. *c.* 29. *in fine, Rauchbarus P.* 1. *q.* 31. *num.* 13. *Gail. lib.* 2. *obs.* 89. *num.* 2. *Jo. Franc. Balthas. part.* 1. *tit.* 1. *Resol. Bav.* 11. *num.* 17. Idem si bona mariti obaerata in se transferat, *Hering. d. l. num.* 417. *et Balth. d. l. num.* 21.

L. Si cum. 3.

SUMMARIA

Foemina juvatur, etiam si pro patre vel filio intercedat. num. 1.
Exceptio est in filia, cui dotem promittere potest. 2.
SCtum Macedonianum, non Vellejanum, consensus Patris excludit. 3.

1 Foemina juvatur, etiam si pro filio intercedat,
2 quia SCtum non distinguit, pro filia tamen dotem promittere potest favore dotis, *l.* 12. *h. t.* et sic nec pro patre obligare se potest, *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 10. *Hering. de Fidejuss. d. t. num.* 377. *Pruckm. V.* 2. *consil.* 25. *num.* 50. nec licet marito mortuo intercedere, *Auctor in d. l.* 1. *ff. h. t. num.* 11. Sed *quid si pater filiae consentiat, an non tunc patris consensus videtur SCtum hoc excludere?* Negatur hoc, et in hoc videtur alia ratio esse SCti Macedoniani
3 et Vellejani, ut illud per consensum Patris, sed hoc non excludatur, *Wesenb. in Comm. Cod. h. t. num.* 10. *Balth. d. t.* 1. *Resol.* 12. *num.* 3.

L. SCtum. 4.

SUMMARIA

Mulier tribus modis pro aliis intercedit. num. 1.
Omnis obligatio hoc SCto continetur. 2.
SCtum hoc non solventibus, sed obligantibus mulieribus succurrit. 3.

1 Mulier pro aliis intercedit tribus modis: 1 Obligationem in se transferendo, scilicet per novationem. 2. Participando, scilicet si se ream adjungit, dum fidejubet, mandat, constituit, vel defensionem suscipit, *l.* 2. §. *ult. ff. h. t.* 3. Si sola se ream pro alio constituit, ut si creditur mulier, ut id alius consequatur, *l.* 2. §. *pen. l.* 8. *ff. h. t. velut Cujac. Tr.* 4. *ad Africanum tomo* 2. *p.* 1903. intercedere hic est recipere alienam obligationem veterem vel novam; Veterem recipiunt aut participando aut in se transferendo, participando, si fidejubeant, vel constituant, vel mandent, aut si res suas pro alio obligent, transferendo autem, si pro alio expromittant, et ita novent, vel si alium in judicio defendant. Novam autem obligationem recipiunt, si cum alius esset accepturus pecuniam, mulier interponatur. Sane si solvit pro alio nulla praecedente obligatione, ab eo cui solvit, non repetit *hic et l.* 1. *h. t. Hering. d. c.* 7. *num.* 395. *Wesenb. in comm. h. t. num.* 12. *Auctor in l.* 8. *ff. h. t. num.* 9. et sic omnis 2
obligatio hoc SCto continetur, sive verbis, sive re, sive solo consensu pro alio intercesserit, *l.* 2. §. 4. *ff. h. t.* et ideo si rem suam pro marito obaerato in solutum det nulla praecedente promissione, non juvatur hoc SCto, *Auctor in d. l.* 8. *ff. h. t. num.* 10. quia obligantibus, non 3
solventibus succurrit, nisi ex obligatione praecedente solutio facta, *Trentac. lib.* 3. *Tit. de Fidej. Resol.* 2. *num.* 6.

L. Si sine voluntate. 5.

SUMMARIA

Si maritus muliere ignorante, vel propter metum reverentialem non contradicente bona ejus suo creditori obligavit, juvatur ipsa hoc SCto. num. 1.
Deceptis non decipientibus subveniendum. 2.

Popiliae maritus suo creditori, bona uxoris 1
ea sciente et patiente ut sua tamen obligavit; Quaeritur: *an haec juvetur SCto?* Neg. si voluit decipere creditorem, *per l.* 2. §. 3. *ff. h. t.* atque sic obstat replicatio doli, *l.* 18. *h. t. l.* 29. *l.* 30. *pr. ff. Eodem.* Secus si ignorante muliere pro suis, aut ea ut uxoris bona obligasset maritus, aut uxor tacuisset quidem, sed sine dolo, metu reverentiali forte mariti, atque adeo, ut mulier praesens alienationi non juvetur hoc SCto, ipsius dolus atque animus decipiendi requiritur, qui ex sola praesentia et patientia non probaretur, *Petr. Barb. in l.* 1. *p.* 5. *num.* 48. *et in l. quae dotis* 31. *num.* 1. 63. *ff. Sol. Matr. et hic Aug. Barb. num.* 7. *et seq.* Praesupposita igitur fraude mulieris, vera est Regula: Quod deceptis non decipientibus sub- 2
veniendum, *Molin. de J. et J. D.* 510. *num.* 18. *Hering. d. l. num.* 423. *Wesenb. in Comm. C. h. t. num.* 11. *Balthas. d. Res.* 12. *n.* 28. *Mindanus de Mandatis lib.* 2. *cap.* 61. *num.* 16.

L. Si mater. 6.

SUMMARIUM

Haec l. tres casus continet, ubi mulier SCto partim juvatur, partim non.

Tres casus continet: I. Mater liberorum bona administrat, dat pignora et fidejussores pro sua administratione, Quaeritur: *an juvetur SCto?* Negatur, quia suum negotium gerit, et pro suo facto securitatem promittit. II. Tutor est creditor pupilli, ideo se vult excusare; mulier autem indemnitatem promittit, et habet haec beneficium SCti, quia alienum negotium est, *Auct. in l.* 8. *ff. h. t. num.* 4. III. Idem dicendum, si tutores petit et pro iis fidejussit. Nec obstat *l.* 8. §. 1. *et l.* 19. *pr. ff. h. t.* quia ibi nemo erat obligatus, pro quo mulier fidejusserat, sed

illa primo se obligat. Nam in specie *d. l.* 8. §. 1. *ff. h. t.* tutor volebat distrahere praedia pupilli, aeris alieni dissolvendi causa, mater rogavit ne faceret, et spondet indemnitatem tutori, si forte actione tutelae ob male gestam tutelam conveniretur; hic mater pro nemine intercessit, non pro pupillo, quia pupillus, nihil debuit, sed pro eo, quod tutor culparetur a pupillo. Sed hic in casu secundo pro filio indemnitatem tutori promisit et sic pro alio intercedit, et in tertio casu pro tutoribus filio promittit indemnitatem, et sic vere intercedit, *Cujac. in lib.* 10. *Quaest. Papin. Tomo* 4. *p.* 200. *et seq. Auctor in d. l.* 8. *ff. h. t. num.* 4.

L. Si sciens. 7.

SUMMARIA

Non potest creditor pignora vendere, quae ipsi consentiente muliere ex bonis ejus sunt obligata. num. 1.
Non semper praesumitur dolus ex silentio uxoris. 2.

1 Pater Viviani consentientis uxoris bona scienti creditori pignori dedit. Creditor ea distrahit, ea Vivianus matris haeres vult non refuso pretio vindicare, Quaeritur: *an possit?* Affirmatur, quia datio pignoris non consistit ob Sctum. Ergo Creditor ea bona ut pignus vendere non potuit. Sed decisioni huic videtur obstare *l.* 5. *h. t.* ubi mulier tacens videtur esse in dolo.
2 Sed respond. non semper praesumi dolum ex silentio uxoris, nam ob reverentiam mariti videtur tacuisse, ut ex *Barb. ad l.* 1. *ff. Sol. Mat. p.* 5. *num.* 47. *et ad l. quae dotis* 34. *n.* 463. dictum ad *l.* 5.

L. Si paternam. 8.

SUMMARIA

Exempta muliere per SCtum, obligatio, etiam novatione sublata, restituitur in priorem debitorem. num. 1.
Hoc remedium Praetorium est atque extraordinarium. 2.
Qui se cum muliere obligat, quandoque in solidum, quandoque pro virili parte obligatur. 3.
Differentia inter fidejussores, et expromissores. 4.
SCtum hoc ad consponsores et correos non extenditur. 5.

1 Exempta muliere per SCtum, obligatio, etiam novatione in totum vel pro parte sublata, in priorem debitorem restituitur, *l.* 11. *h. t. l.* 8. §. 7. *l.* 13. §. *ult. ff. h. t.* etiam contra fidejusso-
2 res, *l.* 14. *ff. h. t.* Et hoc distinctum a SCto Vellejano remedium praetorium extraordinarium, quo rescissa mulieris intercessione a Senatu improbata, Praetor etiam consulit creditori, restituta obligatione per novationem sublata et actione utili in priorem debitorem et priora pignora translata, *l.* 8. §. 8. *ff. h. t. Wesenb. in C. h. t. num.* 5. *et* 10. Jam pone: Ti- 3
tius debuit mille aureos, et oppignoravit quatuor jugera agri, pro eo debito intervenerunt ipsius liberi omnes emancipati, ut duo filii, et duae filiae, ac novandi animo debitum patris in se recipiunt, et pater pignori obligat suas aedes, De hac secunda obligatione quaeritur, 1. Quia filiae propter SCtum eximuntur obligationi, *an earum portio filiis imponenda vel ad patrem redeat?* Resp. filios manere in obligatione, sed filiarum portiones restituuntur in veterem debitorem, et sic novatio illa partim utilis, partim inutilis. Sed cur non filiarum portio filiis imponitur? cum, si mulier cum mare se obligavit, mas in solidum obligetur, *l.* 48. *ff. de fidejuss.* Sed hic filii et filiae obligarunt se in viriles, nam si in solidum se obligassent, recideret totum in filios: Sed quando in viriles obligantur, qui cum foemina se obligarunt, horum portio in veterem debitorem restituitur, *Casp. Ant. Thes. l.* 4. *q.* 61. *num.* 1. Idem sentit *Hering. de fidejuss. c.* 27. §. 2. *num.* 62. Quaeritur, 2. *an quatuor illa jugera maneant obligata?* Resp. Quia obligatio prima parte masculorum et sic pro dimidia tantum novatur, pro parte altera vero restituitur in partem, ideoque cum sua causa, et sic dimidium tantum pignus manet, id est duo jugera agri ex prima obligatione pignorata manebunt. 3. Quaeritur; *an illa domus, quae innovata seu secunda obligatione fuit pignori data, in solidum teneatur?* Aff. quia licet illa novatio sit inutilis respectu filiarum, quia tamen domus erat patris, in quem etiam actio dimidia restituitur, ideoque domus in solidum tenetur. Colligitur ex *hac l. a Castr.* differentia inter Fidejussores 4
et Expromissores, nam Fidejussores plures in solidum obligantur, per §. *si plures Inst. de fidejuss.* sed Expromissores tenentur pro parte. Colligunt etiam ex *hoc textu:* SCtum hoc ad 5
consponsores et correos non extendi, *Wesenb. in C. h. t. num.* 10. Nec puto dicendum esse, si mulier cum alio se obliget, quod alter in solidum obligetur, nam contrarium ex *hoc textu* evincitur, ubi filii duo non in solidum tenentur, sed pro partibus virilibus. Sane in marito, si cum uxore se obliget, illa assertio, quod socius obligationis maritus in solidum obligetur, locum habere potest, de qua postea ad *authent. sive h. t.*

L. Quamvis. 9.

SUMMARIA

Mulier si sine praecedente obligatione pro alio solvit, non potest repetere. num. 1.
Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est. 2.
Mulier si sciat se non obligari, et se esse tutam, non juvatur hoc SCto. 3.
Mulier huic exceptioni etiam extra judicium renunciare potest, modo accedat certioratio. 4.
An et qt. jurata renunciatio obsit mulieri? 5.
An mulier, si jurato renunciat, certioranda sit necessario? 6.

Mulier si sine praecedente obligatione pro a- 1
lio solvit, non potest repetere, quia donatio i-

psi interdicta non est, sicut dictum *ad l.* 1. Sed si prius pro alio se obligaverit, et postea solverit, ignorans scilicet se tutam esse SCto hoc, potest repetere. Secus igitur, si sciat se esse tutam, quo casu obtinebit locum Regula
2 juris: Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est, per *l. cujus per errorrem* 53. *ff. de reg. Jur.* Ex *hac lege* for-
3 te quis colligere possit. Mulierem si sciat se non obligari et se esse tutam, non juvari SCto etiam quando de hoc SCto vult excipere, quia animo decipiendi fecit, *Auctor in l.* 30. *ff. h. t. num.* 1. Quomodo autem probetur animus decipiendi? *Vid. Auct. in d. l.* 30. *ff. h. t. num.* 2. quod tamen in casu, ubi renunciatio fieri potest, dicendum esset, et quando creditor homo simplex et beneficii muliebris ignarus. Coeterum
4 mulier huic exceptioni etiam extra judicium renunciare potest, modo accedat certioratio. Vide *Auctor. in l. fin. ff. h. t. num.* 4. An autem et
5 qt. jurata renunciatio obsit mulieri? item an
6 mulier, si jurato renunciat, certioranda sit necessario? docet *id Auctor in d. l. fin. ff. h. t. num.* 8. 14. 15. 16. *et* 17.

L. Si adversarius. 10.

SUMMARIA

In propriis contractibus mulier non juvatur hoc SCto. num. 1.
Mulier de suis rebus contrahere potest. 2.

1 Quando cum muliere contraho locationem, ipsa non juvatur, quia proprium negotium gessit, aliud si cum marito contraho, et ego fidem uxoris ejus sequar, quia tunc mulier se interponit. Unde confirmatur ista Regula: Quod in propriis contractibus mulier non juvetur SCto.
2 Et obiter hic confirmatur, jure communi mulierem de suis rebus, scilicet paraphernalibus et receptitiis contrahere posse, quod etiam ex praecedentis legis argumento probari potest, *Tiraq. post LL. Connub. Gl.* 8. *num.* 5. *et Petr. Barb. l.* 1. *ff. Sol. Mat. p.* 1. *num.* 28. quos citat *August. Barbos. hic.* Si vero quis cum muliere contrahat, ipsa vero in gratiam mariti hoc faciat, non praejudicat creditori, *Mindanus de Mand. lib.* 2. *cap.* 61. *num.* 11. *Hering. de Fidej. c.* 7. *num.* 416. *Joan. Franc. Balthas. d. Res.* 12. *num.* 27.

L. Etiam. 11.

SUMMARIA

Mariti bona uxori pro dote sunt obligata. num. 1.
Potest tamen illa hypothecam remittere. 2.
Renunciatio hypothecae non est intercessio. 3.
Limitatio. 4.
Haec l. a quibusdam specialiter de conventionali tantum hypotheca intelligitur. 5.

1 Mariti bona uxori pro dote sunt obligata, *l. un.* §. 1. *C. de Rei Ux. Act.* Sed, *an uxor hypothecam remittere possit?* Videtur quod non, quia videtur donatio, donatio autem inter maritum et uxorem prohibita, et videtur incidere in SCtum. Sed Resp. Affirmative, quod pos- 2
sit; qui enim hipothecae jus remittit, non donat, nec remissio pignoris intercessio est, *l.* 8. *pr. ff. h. t.* quamvis constitutio pignoris pro alio sit intercessio, *d. l.* 8. Colligitur igitur ex *hac l.* Renunciationem hypothecae non esse in- 3
tercessionem, *hic, et l. jubemus infra h. t. Zangerus d. c.* 11. *num.* 42. *et seq.* etiamsi causa dotis constituta sit hypotheca, *Hering. de fidejuss. c.* 6. *num.* 129. Sed hic duo in controversiam veniunt: 1. *An hoc de eo casu tantum intelligendum sit, quando maritus alia bona habet, ita ut effectu debitum non remittat mulier?* Et sententia affirmans est communiter re- 4
cepta, prout ex *Doctoribus* in *hanc l. et l. jubemus h. t.* commentantibus apparet; et communem hanc esse asserunt *Neguzant. de Pign. M.* 4. *p.* 2. *num.* 85. *Dn. Mevius p.* 55. *dec.* 35. *num.* 8. *et* 9. *Petr. Barb. in l.* 1. *parte* 5. *ff. Sol Matr. num.* 67. *Rauchbarus P.* 1. *Q.* 34. *num.* 27. *Dn. Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 16. *def.* 14. Et non est ut quis terreatur *l.* 18 *ff. Quae in fraudem creditorum*, qua ad dissensum movetur *Zangerus d. c.* 11. *num.* 48. *et seqq.* ubi dicitur, remissionem pignoris donationem non esse. Rectissime enim respondet *Dn. Carpz. d. l.* Si maritus nihil in bonis habeat praeter pignus, remissionem pignoris donationem esse in effectu, et praeterea dici potest de hoc casu *in d. l.* 18. non agi. Deinde hic quaeri potest: *An haec lex de conventionali tantum hy-* 5
potheca intelligenda, in alia quam dotis causa constituta, non vero de tacita legali, quae pro dote competit? Et prius placet aliis quos allegat *Neguz. d. M.* 4. *Part.* 2. *num.* 84. et sequitur *Jo. Guttierez de juram. confirm. p.* 1. *cap.* 46. *num.* 11. propterea quia tempore *hujus legis Jubemus*, illa tacita hypotheca nondum erat introducta, et lex magis suum quam contrahentium auxilium tuetur. Sed generaliter *hanc legem* intelligit *Neguz. d. l. num.* 11. *et Molin. de J. et J. D.* 438. *num.* 11.

L. Si dotare. 12.

SUMMARIA

Mulier dotem filiae promittens non juvatur hoc SCto. num. 1.
Mulier si pro pia aliqua causa sua bona obligat, valide obligatur. 2.
Limitatio ejus, quod num. 1. *habetur.* 3.

Mulier dotem filiae promittens non juvatur 1
SCto, tum quia pro alio obligato non intercedit, sed seipsam obligat, tum quia causa dotis 2
pia est, adeo ut si se mulier obligatam putans pro filiae dote bona sua obliget, omnino teneatur, *l.* 32. §. *pen.* ubi ratio *ff. de Condict. Indeb.* Colligitur igitur ex *textu*: Mulierem, si pro dote (adde vel libertate) se vel sua bona obliget, licet solemnitates legis antiquae *h. t.* non interveniant, valide obligari, *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 9. *Trentac. de fidejuss. Resol.* 2. *num.* 4. *vers.* secunda est *Molin. de J. et J. Tr.* 2. *D.* 530. *num.* 14. *Mind. lib.* 2. *cap.* 61. *num.* 17. *Hering. d. l. num.* 437. *Balthasar. d. Resolut.* 12. *num.* 30. *et* 33. quod ad omnes pias causas

extendit *Tiraq. privil. piae causae* 113. Non ta-
3 men denegabitur hoc SCtum, si pro marito dotem promittente fidejubeat. *Hering. d. c.* 7. *num.* 453. Quamvis autem in *l. fin.* dicatur id de novo Justinianum constituere, respondetur tamen, hic in casu speciali id ante Justinianum placuisse in casu, quando mater pro filia dotem promisit, *Petr. Barbos. in l.* 1. *ff. Sol. Matr. p.* 1. *num.* 15. *et seq.* quem hic etiam refert *August. Barbosa.*

L. Si foenebris. 13.

SUMMARIA

Quando mulier principaliter contrahit, non juvatur hoc SCto. num. 1.
Limitatio. 2.
Ampliatio. 3.

1 Quando mulier principaliter contrahit, v. g. mutuum, licet utilitatem contractus, sive pecuniam in alium, ut maritum, transferat, licet sciat hoc creditor, mulier tamen non ju-
2 vatur. Ratio in *l.* 10 *h. t.* Secus autem si maritus compellarit creditorem, et ita tantum color quaesitus, *l.* 29. §. 1. *in fin. ff. h. t. l.* 48. *ff. de Fidejuss.* Et sic notabile est in *hac lege:*
3 Licet creditor sciat uxorem in commodum mariti contrahere, nihilominus uxorem non juvari, quia creditor non tenetur curiose nimis inquirere, in quem usum mulier pecuniam datam convertat, sed si creditor a marito interpellatus primo fuerit, ex eo color quaesitus apparet. Sed si ab uxore interpellatus, cum uxore contrahit, nulla fraus erit, Confer. *Vinc. Franch. decis.* 217. *num.* 2. et non relevabit uxorem, quod creditor sciverit, licet hoc probaverit, et velle videatur, *Wesenb. in C. h. t. num.* 9. *et* 21.

L. Mulierem. 14.

SUMMARIUM

Exceptio hujus SCti et fidejussori mulieris competit.

Exceptio hujus SCti et fidejussori mulieris competit per *hanc l.* 14. licet donandi animo intercedat, *l.* 16. *ff. h. t.* quia totam obligationem Senatus improbat, et quia rei cohaeret, *l.* 7. §. 1. *ff. de Except.* nam mulieri tribuitur ob intercessionem, quam totam Senatus improbat, *Menoch. l.* 3. *Praes.* 103. *num.* 18. *Donell. lib.* 12. *Cap.* 30. *Zang. de Except. p.* 3. *c.* 11. *num.* 18. Sed haec ita, nisi haeres marito existat, *hic et l.* 14. *C. de R. V.*

L. Si uxor. 15.

SUMMARIA

Qui mandato mulieris, sciente creditore pro alio fidejusserit, tutus est exceptione SCti Vellejani. num. 1.
Mandatum h. l. est species intercessionis. 2.

Si ego mandato mulieris, sciente creditore 1
pro alio fidejusserim ab initio tutus sum Exceptione SCti Vellejani, *hic et l. si fidejussores* 6. *ff. h. t.* quia totam obligationem Senatus improbat, *l.* 16. §. 1. *ff. h. t.* et si solvere compelleret, haberem regressum contra mulierem, *Auctor in l.* 6. *ff. h. t.* et Mandatum est species 2
intercessionis, et quia contemplatione mandati mulieris interveni. Aliud igitur si creditor ignoravit matrem vel mulierem fidejussori hoc mandasse.

L. Si mulier. 16.

SUMMARIA

Improbata per SCtum intercessione mulieris, creditori contra principalem debitorem actio servatur integra, vel si sit amissa, restituitur. num. 1.
Casus quando actio restitutoria denegetur. 2.

Improbata per SCtum intercessione mulieris, 1
creditori contra principalem debitorem actio servanda integra, *l.* 8. §. 14. *ff. h. t.* vel si sit amissa per novationem aut acceptilationem, *etc.* restituitur per Praetorem, *l.* 8. *h. t. l.* 8. §. 7. *cum seq. l.* 9. *l.* 13. §. *ult. ff. h. t.* etiam contra Fidejussores, *l.* 14. *ff. h. t.* haec vocatur Rescissoria, *hic et l.* 8. §. 9. *ff. h. t.* item restitutoria et utilis actio, *Donell. l.* 12. *c.* 31. et ibi *Hill. lit. A.* Et hanc non ipso jure competere, sed a praetore dandam *d. l.* tradit *Donell. et Wesenb. ad Pand. disp.* 30. *d.* 5. Denegatur ve- 2
ro haec actio tribus casibus. 1. Si mulier solvit, et nequeat repetere, *l.* 8. §. 10. *ff. h. t.* 2. Si parata sit judicium accipere, *l. ult.* §. *pen. ff. h. t.* 3. Si alia actio ordinaria competat, v. g. condictio ob causam, *l.* 8. §. 8. *et Don. d. l.*

L. Si cum pater. 17.

SUMMARIA

Instrumentum, simulate a marito vel ab alio factum, non obstat mulieri. num. 1.
Limitatio. 2.
Ampliatio. 3.

Instrumentum, simulate a marito vel alio fa- 1
ctum, quasi pecuniam ipsa mulier accepisset, non obstat mulieri: Ratio in *l.* 4. *C. Plus val. quod actum etc. l.* 21. *C. de Transact. l.* 3. *C. de Empt.* licet mulier subscripserit, *Authent. si qua C. h. t.* Quaecumque enim in fraudem SCti de Intercessionibus excogitata probari possunt, rata haberi non oportet, *l. quidem* 29. §. *ult. ff. h. t.* nisi juramentum accedat, *c.* 9. *X. de* 2
Jurej. Nam tunc mediante juramento obligatur. Quam sententiam defendunt plures DD. relati per *Trentac. l.* 3. *tit. de fidejus. conclus.* 2. *n.* 3. quod ibidem extendit, licet mulier non sit 3
certiorata. Alia Exceptio *in l.* 22. *et* 23. *h. t.*

L. Foeminis. 18.

SUMMARIUM

Mulier, quae decepit creditorem, hoc SCto non juvatur.

Mulier, quae decepit creditorem, non juvatur, sed hic Exceptioni mulieris opponit Replicationem doli, *l.* 30. *pr. l.* 29. §. 1. *ff. h. t.* quia mulieribus deceptis, non decipientibus hoc SCtum succurrit, *l.* 2. §. 3. *ff. h. t.* Vide notata *ad l.* 5. *h. t.*

L. Cum ad eas. 19.

SUMMARIA

Contractus in fraudem SCti cum muliere initus non valet. num. 1.
Si cum alio mulier se obligat, praesumitur fraus. 2.
Limitatio. 3.

1 Creditor cum vellet contrahere cum masculo, callide elegit mulierem et colore quaesito in fraudem SCti cum ea contrahit. Quaeritur; *an contractus valeat?* Videtur quod sic, quia mulier ipsa suo nomine potest contrahere, per *l.* 10. *h. t.* Sed resp. et huic dari Exceptionem, nam ita tantum color quaesitus fuit, *l.* 29. *in*
2 *fine ff. h. t.* et si cum alio mulier se obliget, praesumitur fraus, secus si sola contractum celebret, *Thes. decision.* 222. *num.* 14. Sed si obli-
3 get pro alio, et tertius ipsi indemnitatem promittat, ex hoc fraudem non praesumi tradit *Trentac. l.* 3. *titul. de fidejuss. num.* 5. *Concl.* 2. *num.* 2.

L. Haeredes. 20.

SUMMARIA

Beneficium SCti hujus competit etiam haeredi mulieris masculo. num. 1.
Limitatio. 2.

1 Hoc beneficium etiam haeredi mulieris competit masculo, quia rei non personae cohaeret, *l.* 14. *et* 15. *h. t. Men. d. l.* 3. *Praesumpt.* 103. *num.* 18. *Donell. lib.* 12. *c.* 30. Quod tamen li-
2 mitatur, nisi defuncta mulier haeredi prohibuerit expresse vel tacite, ne ista exceptione uteretur, *Jo. de Sande lib.* 3. *dec. Fris. tit.* 11. *def. ult.*

L. Jubemus. 21.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta cum decisione et limitatione. 2.
Renunciatio uni creditori facta aliis non prodest. 3.
Jus hypothecae non extinguitur per renunciationem hypothecae factam a muliere, non tamen potest illa mulier uti adversus eum creditorem, in cujus gratiam renunciatio facta. 4.
In mulieris renunciatione indefinita hoc est speciale, ut respectu unius creditoris videatur facta. 5.
Consensus rei unius vendendae non tollit hypothecam in caeteris. 6.
Extensio decisionis h. l. 7.
Juramentum non solet in plus obligare, sed arctius. 8.

Volebat quis cum marito contrahere, sed quia 1
uxor habet generalem hypothecam in omnibus bonis, petit ut ipsa renunciaret hypothecae ratione aedium, quae sibi a marito aedium domino vult obligari. Quaeritur: *An possit uxor* 2
renunciare hypothecae? Resp. quod sic, per *l.* 11. *h. t.* sed illa renunciatio praecise ad personam creditoris, et ad hunc contractum, et ad eas aedes restringenda est, ita ut si eas aedes alius non habens causam ab illo creditore, possideat, mulier aedes petere possit actione hypothecaria. Ideoque renunciatio uni facta credito- 3
ri aliis non prodest, sed ille creditor, in cujus gratiam facta renunciatio, succedit in locum mulieris, et mulier pro quantitate sui debiti in illius locum succedit, *Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 16. *Def.* 16. Nec obstat *l. vir uxori* 17. §. 1. *h. t.* ubi mulier ex duplici causa et titulo habeat sibi obligata bona, scilicet 1. Ex causa dotis, 2. Ex causa mutui. De dote ipsi erat satisfactum, ideoque mulier consentit, ut sibi obligata bona alii oppignorentur, et distinguitur, an sciverit creditor bona etiam pro mutuo esse obligata, an vero nescierit, *Petr. Barb. ad d. l.* 1. *p.* 5. *num.* 60. *et seq. ff. Sol. Matrim.* licet aliter *Berlich. P.* 2. *concl.* 20. *num.* 1. Colligitur igitur ex *hoc textu*: Jus hypothecae non extingui per re- 4
nunciationem hypotecae factam a muliere, sed mulierem non posse ea uti contra eum creditorem, in cujus gratiam facta renunciatio. Sed quaeritur, quid hic speciale sit, cum alias renunciatio hypothecae ab aliis creditoribus facta tantum ad personam illam restringatur, cujus in gratiam facta, atque ideo non videtur aliquid singulare in muliere? Sed videtur mihi ita dicendum, in reliquis creditoribus renunciationem absolute et indefinite, id est, non respectu unius creditoris expresse neque in gratiam omnium expresse factam, sed indefinite, ut liceat vendere, ita intelligendam, ut respectu omnium creditorum videatur facta, per *l. Paulus* 12. *ff. quibus modis hypothec. solv.* ubi propter tacitam renunciationem melior fuit effecta conditio medii creditoris, quod fieri non potuisset, nisi ad illum quoque tacita conditio extenderetur, licet alterius creditoris respectu consensus fuerit praebitus, nisi aliud actum, *l. creditor* 12. §. *si tecum* 4. *ff. Qui pot. in pign.* Sed in mulieris re- 5
nunciatione indefinita hoc esse speciale, ut respectu unius creditoris videatur facta, nisi tempore remissionis dotis maritus cum nemine contrahat, et mulier indefinite remittat jus pignoris, *Berlich. P.* 2. *concl.* 30. *num.* 8. *et seq.* Conf. *Petr. Barb. in d. l.* 1. *p.* 5. *num.* 70. *et seq. ff. Sol. Matr.* et *Gratianus t.* 2. *disc. c.* 292. *num.* 21. *Salgado, in Labyr. p.* 3. *c.* 13 §. *un. num.* 8.

6 *et seqq.* Sed hoc commune cum omnibus, ut consensus rei unius vendendae non tollat hypothecam in caeteris, ut velut singulare ex *hac l. jubemus* colligit *P. Gerhardi Sing.* 32. cum tamen id sit commune omnibus, ut *Petr. Barb.*
7 *d. l.* et decisionem hujus legis extendit *Dn. Carpz.* licet mulier cum juramento renunciet hypothecae, non tamen videri in omnium gratiam renunciasse, cum juramentum sequatur naturam
8 actus, *l. ult. C. de non Num. Pec.* et juramentum non soleat in plus obligare, sed arctius tantum, nisi verba sint multum generalia, et appareat in gratiam mariti renunciasse, *Carpz. p. 2. Jurispr. Const.* 16. *Def.* 15. Conf. *Hartm. Pist. p.* 3. *q.* 16. *num.* 10.

Authent. Sive a me.

SUMMARIA

Maritus ea immobilia, quae uxori propter nuptias donavit, non potest alienare. num. 1.
Quaer. an mulier obligationi vel alienationi istorum immobilium possit consentire? 2.
Rerum mobilium dotalium maritus liberam habet alienationem. 3.
Donationi propter nuptias sine solemnitate hujus auth. non potest renunciari. 4.
Haec auth. intelligenda de donatione propter nuptias, et bonis dotalibus. 5.
Si cum uxore maritus se obligat, praesumitur maritus esse debitor. 6.
Limitatio. 7.
Dotis causa semper favorabilior. 8.
Legis intellectus. 9.

1 Maritus ea immobilia, quae uxori propter nuptias donavit, non potest alienare, quia uxor est domina, Vid. *Wesenb. in π. tit. de jure Dot.*
2 *num.* 11. Sed quaeritur: *Annon mulier obligationi vel alienationi istorum immobilium possit consentire?* Videtur quod sic *ob l.* 11. *et* 21. *h. t.* Sed respondetur, ne quidem consentiente uxore, aut suo juri renunciante hoc fieri posse, nisi post biennium secunda vice uxor juri suo renunciaverit, et maritus alia bona habeat, ex quibus ipsi consuli possit, et idem Imper. multo magis locum habere vult in bonis dotalibus, et ex *hac authent. DD. in l.* 11. allegati
3 suam sententiam confirmant. Rerum autem mobilium dotalium non facit mentionem, quia quando pondere, numero et mensura constant, harum alienationem liberam habet maritus, *l.* 42. *ff. de jur. Dot.* Et ita colligitur ex *hoc textu:*
4 Donationi propter nuptias sine solemnitate hujus authent. non posse renunciari. Et cum donatio propter nuptias nihil fere aliud sit in effectu quam hypotheca specialis, ex eo nonnulli volunt inferre, *hanc authenticam* intelligendam de omni hypotheca speciali, quos recenset, sed non sequitur *Petr. Barb. in d. l.* 1. *p.* 5. *num.* 66. imo de omni hypotheca videtur intelligere *Dan. Moeller. P.* 2. *Const.* 16. *num.* 4. Sed ma-
5 lo intelligere *hanc authenticam* in suis terminis, scilicet donatione propter nuptias, quae dominium revocabile transfert in uxorem, cum *Barb. d. l.* et dotalibus bonis, si tempore renunciationis nulla alia habeat bona maritus, ne ita fiat, ut sit mulier indotata, per *l. un.* §. 15. *C. de Rei ux. act. Barb. d. p.* 5. *num.* 67. ubi plures citat. Sed et *authenticam hanc* ad mobilia, quae non consistunt in quantitate, extendendam non esse tradit *Petr. Barb. in l. rem dotalem* 62. *num. fin.* Colligitur etiam ex *hac authentic.* Cum rerum paraphernalium administratio ad maritum pertineat, si cum uxore maritus se obliget, 6
praesumi maritum esse debitorem, *Afflict. Dec.* 209. *num.* 3. *Ant. Fabr. l.* 4. *Cod. T.* 21. *Def.* 2. *Dn. Carpz. P.* 2. *Const.* 16. *D.* 4. *Honded. l.* 1. *Cons.* 45. *num.* 19. *et seq. Donell. l.* 12. *c.* 29. *lit. M.* nisi probetur uxorem ut mercaturae so- 7
ciam se obligasse, *Hering. d. c.* 7. *num.* 406. quod quomodo fiat, vid. *ap. Dn. Mev. ad Jus Lubec. P.* 1. *T.* 5. *Art.* 7. *num.* 115. *et p.* 3. *tit.* 6. *art. ult. num.* 34. Maritus autem alia bona habere debet, ex quibus solvatur dos, aut donatio propter nuptias, non tantum tempore renunciationis, sed et tempore eo quo agit mulier, *Cephal. Cons.* 655. *num.* 9. *et seqq.* dotis 8
enim causa semper favorabilior, *Petr. Barb. ad l.* 1. *parte* 5. *num.* 49. *et seq.* Quod vero 9
hic dicitur, id magis in dotibus locum habere, id de prohibita alienatione dotis accipiendum, quod illa nec cum consensu mulieris fieri possit, non vero de modificatione hic proposita, *Barb. d. p.* 5. *num.* 14.

L. Si mulier. 22.

SUMMARIA

Quando mulier repetit sive geminat suam intercessionem, tunc ipsi non opitulatur SCtum Vellej. num. 1.
Limitatio. 2.
Quando mulier post biennium suam intercessionem confirmavit, tunc praesumitur in causa propria intercessisse. 3.
Haec praesumptio est juris et de jure. 4.
Limitatio decisionis h. l. 5.

Quando mulier repetit sive geminat suam in- 1
tercessionem, tunc ipsi non opitulatur SCtum, quippe geminatio deliberatam voluntatem ostendit, et hoc olim sine temporis determinatione admittebatur, *l. ult.* §. *pen. ff. h. t.* Ex consti- 2
tutione hac autem intervenire debet post biennium, ne brevi nimis spatio mulieres irretiantur: Et sibi imputare debet mulier, quod tanto tempore non cogitaverit de commodo suo. Collige ex *hoc textu:* Praesumptionem, quando 3
mulier post biennium suam intercessionem confirmavit, quod tunc praesumatur in causa propria intercessisse: Et praesumptionem hanc es- 4
se juris et de jure, *Men. lib.* 3. *Praes.* 21. *num.* 2. modo mulier sit perfectae aetatis, *Hering.* 5
d. c. 7. *num.* 448. *Donell. lib.* 12. *c.* 38. *Guttierez in Autent. Sacramenta puberum num.* 98. *et seq. Trentac. de Fidejuss. Resol.* 2. *num.* 2. neque opus hic certioratione, cum non agatur hic de renunciatione juris, sed de confirmatione prioris obligationis, *Bald. et Salyc. hic Menoch. d. Praes.* 21. *num.* 3. *Hering. num.* 450. Sane haec constitutio locum non habet, quando prima obligatio est ipso jure nulla, *Molin. de J. et J. Disp.* 540. *num.* 16. si pro marito intercessit, *Trentac. lib.* 2. *tit. de fidej. resol.* 2. *num.* 2.

Auth. Si qua mulier.

SUMMARIA

Pro marito mulier etiamsi multoties se vel bona sua obliget, ipso jure non tenetur. num. 1.
Huic auth. uxor renunciare non potest. 2.
Si cum marito mulier contrahit, ipsa non obligatur. 3.
Dispositio Authenticae: Sive a me *non est trahenda ad hanc intercessionem mulieris pro marito.* 4.
Discrimen est receptissimum inter fidejussionem pro marito, et pro extraneo. 5.
Ampliatio dispositionis h. l. 6.
Si uxor cum marito se obliget, vel fateatur, se ambos percepisse; et in communem utilitatem vertisse, pecuniam tamen ad solum maritum pervenisse praesumendum est. 7.
Ampliatio. 8.

1 Pro marito mulier, etiamsi multoties se vel bona sua obliget, ipso jure non tenetur, ideo facilius pro extraneo, juxta *legem* 22. quam pro marito potest intervenire, causa in metu reverentiali, quem lex praesumit; Vid. *Tiraq. de LL. Connub. in pr. num.* 25. etiamsi debitum sit Publicum, vel Fiscale, nisi pecunia in propriam substantiam uxoris conversa probetur,
2 aliter quam ex confessione uxoris. Neque huic Authent. renunciari posse communiter statuitur, *l.* 19. *ff. de Min. l.* 19. *ff. de Novat. Thesaur. Decis.* 223. *num.* 1. *Zang. de Except. p.* 3. *c.* 11. *num.* 128. *Berlich. P.* 2. *Concl.* 19. *n.* 56. *Carpz.*
3 *P.* 2. *Const.* 16. *Def.* 1. Quid *si autem cum marito contrahat?* Communiter eam non teneri tradunt, quia correi vice mutua fidejussores sunt, *l.* 11. *pr. ff. de Duobus Reis.* Vid. Not. *ad Authent. sive a me h. t.* Colligitur ex *hoc*
4 *textu:* I. Dispositionem Authenticae *Sive a me*, ubi de repetitione biennali sermo, non esse trahendam ad hanc intercessionem mulieris pro marito; nam aliud est renunciare hyphotecae, et aliud intercedere et se obligare vel sua, quae distinctio per se plana est, *Rittershus. in Nov. p.* 3. *c.* 4. *num.* 16. Neque haec Authentica illam corrigit, cum in diversis terminis loquantur, *Barb. ad l.* 1. *p.* 5. *num.* 62. *ff. sol. matr. Thes.*
5 *p.* 4. *q.* 53. II. Discrimen receptissimum inter fidejussionem pro marito, et pro extraneo. Pro marito suo si intercedat mulier, haec intercessio ipso jure nulla, per *hanc Auth. et Nov.* 134. *c.* 4. Si vero intercedat pro extraneo, intercessio tollitur ope exceptionis; quia SCtum non potuit tollere ipso jure vinculum obligationis, sed bene Imperator, *Thesaur. Decis.* 223. *num.* 1. *Mindan. de Process. lib.* 2. *c.* 61. *num.* 1. *Trentac. de Fidejus. Resol.* 3. *num.* 1. *Joan. Guttierez. de juram. confirm. p.* 1. *c.* 55. *num.* 1. *et lib.* 2. *Pract. Quaest. c.* 8. *Rauchbarus P.* 1. *q.* 31. *num.* 11. *Rittershus. in Nov. p.* 3. *cap.* 4. *num.* 9. *Berlich. d. Res. num.* 5. *Bacch. in*
6 *Treutl. V.* 1. *D.* 25. *th.* 2. *lit. C.* Et dispositionem Authenticae hujus etiam ad eum casum, quando pro mariti fratre vel filio fidejubet mulier, extendunt *Bald. et Salyc. hic, et Trentacin. d. Res.* 3. *num.* 7. *Berlich. P.* 2. *Concl.* 19. *num.* 68. Sed excipiunt casum, ubi pro marito incarcerato intercedit, *Tiraq. de LL. Connub. Gloss.* 8. *num.* 28. *Thesaur. Decis.* 223. *num.* 7. *Trentac. d. l. num.* 8. *Berlich. num.* 85. Ex hac Auth. etiam colligunt rectissime DD. quod, si uxor cum marito se obliget, vel fateatur pecu- 7
niam se ambos percepisse, et in communem utilitatem vertisse, pecuniam tamen ad solum maritum pervenisse praesumendum sit, *Petr. Barb. ad l. si cum dotem §. transgrediamur* 38. *ff. Sol. Matrim.* Idem si cum marito fateatur 8
se accepisse depositum, *Carpz. p.* 2. *dec.* 141. *conf. Berlich. p.* 2. *dec.* 173. *et dec.* 226. *Dn. Struv. ad h. t. in Pand. t.* 12. *Wesenb. ib §.* 12.

L. Antiquae. 23.

SUMMARIA

Si mulier ab initio aliquid accepit, non juvatur hoc beneficio. num. 1.
Limitatio. 2.
Quando mulier novandi animo acceptis pecuniis pro me fidejubet, tum contra illam datur actio, vel si non est solvendo, actio restitutoria contra priorem debitorem. 3.
Quae superius dicta de mulieribus, locum habent, si mulier obligaverit se, et hoc instrumento publico trium testium subscriptionem habente probari possit. 4.

Pr. Si mulier ab initio aliquid accepit, non 1
juvatur hoc beneficio SCti, *Auctor in l.* 21. *ff. h. t.* ratio quia videtur alienae litis redemptrix odio digna, *l. pen. et ult. C. Mand.* et non tam levitate quam lucri cupiditate ducta videtur, et mulier angustissimum Senatus beneficium quasi pretio nummario aestimat, *Hering. d. c.* 7. *num.* 433. modo illud possit plene probari 2
vel instrumento publico a tribus testibus subscripto, instrumento enim tali creditur. Quod de eo casu intelligunt, quando pro extraneo fidem interponit, non pro marito, nam ultimo casu metu compulsa praesumitur, *Menoch. l.* 3. *Praes.* 22. *num.* 4. *Zang. de Exc. p.* 3. *cap.* 11. *num.* 144. Requiritur tamen tale pretium, quod homo discretus pro illo daret, *Menoch. d. Praes.* 21. *num.* 4. Ideoque hoc judicis arbitrio relinquendum, *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 231. *et Hering. d. c. num.* 435. et debet tantum esse, ut non reputetur pro nihilo, *Molin. d. l. num.* 17. et videndum, annon dolus creditoris intervenerit, *Hering. d. l. Balthas. d. Res.* 12. *num.* 22.

§. *Sed si minus.* 1. Quando mulier novandi 3
animo, acceptis pecuniis, pro me fidejubet, tum contra illam datur actio, et si non solvendo sit, in superfluum contra me restituitur actio, quasi nunquam esset novata actio.

§. *Ne autem.* 2. Ea, quae superius de mulie- 4
ribus dicta sunt, in LL. omnibus locum habent, si mulier obligaverit se, et hoc instrumento publico etiam testium subscriptionem habente possit probari, *Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 8. alias enim ipso jure tuta est. Et sic mulieres fidejubentes indemnes hodie servantur, et non opus habent Senatusconsulto, nisi instrumento publico fidejusserint. Hodie ergo nisi mulier pro alio fidejubeat, et alienam obligationem in se suscipiat in publico instrumento, adhibitis tribus testibus se subscribentibus, fidejussio est

ipso jure nulla nec opus est Senatusconsulti beneficio et sic corriguntur multa jura antiqua; ergo si non in publico instrumento, licet coram multis testibus intervenerit, ipso jure tuta erit mulier, sed si in tali instrumento publico intervenerit ipso jure obligata est, sed tunc succurritur per Senatusconsultum Vellejanum, *Gl. Br. et DD. hic Guttier. de juram Confirm. p. 1. cap.* 20. *num.* 6. *Molina Tr.* 2. *de J. et J. num.* 3. *Trentac. de Fidejuss. Res.* 2. *num.* 4. Unde patet, dubiam esse sententiam *Wesenb. in h. t. C. num.* 13. qui restringit hunc §. ad casum eum, quando in scriptis vult intercedere. Nec videtur admittenda sententia *Berlich. d.* concl. 19. *num.* 29. *et Balth. d. Res.* 12. *num.* 10. qui *hunc* §. ad renunciationem restringunt, cum tamen de renunciatione hic non agatur.

L. Veterum. 24.

SUMMARIUM

Mulier intercedens pro servo ut consequatur libertatem, non juvatur Senatusconsulto.

1 Mulier intercedens pro servo ut consequatur libertatem, non adjuvatur Senatusconsulto, favore libertatis, *Pruckman. in l. in notis ff. de statu hom. part.* 2. *art.* 15. *num.* 31. *Hering. de Fidej. cap.* 7. *num.* 437. Videantur notata ad *l.* 12. *h. t.*

L. Generaliter. ult.

SUMMARIA

Foemina, quae dotem promisit pro alia foemina tenetur promissis stare. num. 1.
Ex pacto nudo datur actio. 2.
Illa actio per SCtum non eliditur. 3.
Ratio cur h. l. Imp. quasi jus novum sibi adscribat. 4.
Mater tenetur, si una cum marito in eodem instrumento dotem filiae constituat. 5.
Quaeritur, an propter dotem non solutam liceat uxorem repellere? 6.
Connauus *notatur.* 7.

Foemina, quae dotem promisit pro alia foe- 1
mina tenetur promissis stare, nec juvatur Senatusconsulto, favore scilicet dotis; unde duo hic specialia concurrere notat *Bald. Nov. de dote p.* 6. *Priv.* 12. Unum: Quod ex pacto nu- 2
do detur actio. Alterum: Quod illa actio per 3
Senatusconsultum non elidatur, et ibi idem esse dicitur, si fidejubeat pro dote restituenda in casibus utilibus. Sed mirantur nonnulli, cur 4
Imp. hic quasi jus novum id sibi adscribat, cum tamen ex *l. si dotare* 12. *h. t.* appareat, jam olim prudentibus placuisse hoc. Sed recte respondet *Petr. Barb. in l.* 1. *num.* 16. *ff. Sol. Matr.* in *d. l.* 12. tantum dici de matre, quae filiam dotando quasi proprium negotium gerit; sed hic in genere non de persona matris, sed de omni persona pro dote non tantum se obligante, sed et intercedente, *Hillig. in Donell. lib.* 12. *cap.* 32. *Petr. Barb. d. l. num.* 17. *et d. l. num.* 1. *part.* 3. *num.* 53. *Duarenus ad titul. de Senatusconsulto Vellej. cap.* 2. *Bald. Movell. de dote p.* 6. *priv.* 12. *Zangerus de Except. p.* 3. *cap.* 9. *num.* 43. *Cephal. cons.* 498. *num.* 9. et alios referens *Hering. de fidej. cap.* 7. *num.* 453. Colligitur etiam ex hoc loco: Matrem teneri, si una cum marito in eodem 5
instrumento dotem filiae constituat, *Trentac. de Fidej. Res.* 2. *num.* 4. Sed, *anne propter do-* 6
tem non solutam licet uxorem repellere? Aff. nonnulli ex verbis, *forsitan repelli*; sed de facto haec, non jure intelligenda, *Covar. in Ep. de Spons. p.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. *Beust. de Matrim. cap.* 66. *Fachin. lib.* 3. *cap.* 48. Quas huic 7
legi offundit nebulas *Connanus*, discutit *Hering. de fidejuss. d. cap.* 7. *num.* 456.

TITULUS XXX.

De non numerata pecunia.

L. Si pecuniam. 1.

SUMMARIA

Qu. si chirographo quis confessus est, se a Titio accepisse mutuo centum, spe futurae numerationis, deditque pignus, quam habeat actionem, si revera numeratio non facta? num. 1.
Probatio dominii non semper requiritur in rei vindicatione. 2.
Exceptio non numeratae pecuniae datur, licet debitor dederit pignus. 3.
Etiam hypothecariae actioni potest opponi haec exceptio. 4.

1 Quidam Chirographo confessus est, se a Titio accepisse mutuo centum, spe futurae numerationis, dedit etiam pignus, cum tamen centum illa non acceperit, hic contra creditorem Rei Vindicatione pignus repetere potest, modo probet, se pignus dedisse, nam hoc probato apparet dominium ex parte debitoris, et possessio ex parte rei. Sed si pignus nondum dederit, sed sua bona tantum obligaverit, creditori agenti actione hypothecaria, opponere hanc exceptionem potest. Sed quaeritur: An recte hic per illa verba, *experiri in rem*, Rei Vindicationem intelligamus? *Affir. cum Don. hic.* Nam Pignoratitia non vocatur actio in rem, et si Pignoratitia ageret, seipsum confutaret debitor, qui ait numquam constitisse pignus. Nec obstat, quod hic de probatione 2
dominii non dicatur, sed tantum de probatione pignoris dati; nam probatio dominii non semper requiritur in rei vindicatione, utique si confiteatur reus dominium, nam eo casu probari non esset necesse. Sed fateri necesse est, hic creditorem debitorem, qui pignus dedit,

pro domino habuisse, alias pignus ab eodem accipere non potuisset: Conf. *Hill. in Donell. l.* 4. *c.* 37. *l. H.* Colligunt ex *hoc textu* notabilem
3 extensionem totius tituli; Scilic. Exceptionem non numeratae pecuniae dari, licet debitor dederit pignus, sicut enim spe numerationis confessus est debitum, ita eadem spe dedit pignus, *Baldus hic, et caeteri*; *Masc. de Prob. concl.* 361. *num.* 25. *Trentac. lib.* 3. *Res. Tit. de Solut. Res.* 20. *num.* 9. Sane praeter actionem in rem poterit dari condictio ob causam dati vel sine causa, quia pignora data pro non datis sunt, *l.* 2. *C. si pignoris convent. numeratio pecuniae se-*
4 *cuta non sit, Hill. d. l.* Collige etiam: Hypothecariae actioni opponi posse hanc exceptionem; cui enim damus actionem, multo magis exceptionem.

L. Minorem. 2.

SUMMARIA

Exceptio haec adhuc competit, si partem debitor acceperit. num. 1.
Sic haec exceptio opponitur, probatio incumbit creditori, pecuniam esse numeratam. 2.
Excipiens de non numerata pecunia eo ipso probat non esse numeratam, nisi alter probaverit. 3.

1 Sicut ille, qui fatetur se accepisse centum, habet Exceptionem, si nihil accepit, ita si partem tantum accepit, v. g. 50. non tenetur nisi de acceptis. Ratio in *l.* 9. *h. t.* quia hic obligatio non oritur ex stipulatione, sed ex reali numeratione pecuniae. Sed *cui incumbet probatio?*
2 Resp. Creditori, ut probet omnia 100. debitorem accepisse. Nec obstat haec *l.* 2. *h. t.* quae dicit constare debere judici. Resp. enim id ex negatione rei, et ex eo, quod actor non probat contrarium, fieri posse. Sic enim *Glossa*, *Castr. Donell.* et alii hic communiter statuunt. Et ex hoc infert *Roder. Suarez. in Repet. l. post rem judicatam in* §. *Sed pro evidentia n.* 13. *pag.* 633. excipientem de non numerata
3 pecunia, eo ipso probare, non esse numeratam, nisi alter probaverit. Sed fateor duram esse hanc expositionem, cum Imper. utatur verbo futuri temporis, *constiterit*, quod uti non posset, si ex opposita exceptione statim hoc constet; ideoque nescio, annon illorum opinio firmior, qui statuunt, ex eo quod partem se vere debere fateatur, exsurgere praesumptionem contra debitorem, quae ipsum oneret probatione contrarii, ut sic hic extet exceptio *l.* 3. *seq.* Pro quo facit *l. cum de indebito* 25. §. 2. *ff. de Prob.* ubi quidem diversum casum esse non nego, hoc tamen exinde colligo, ex eo, quod partem vere accepit, exsurgere praesumptionem contra eum, ut probare teneatur alteram partem esse indebitam. Confer. tamen *Everhardus in Tr. de Instrum. cap.* 9. *num.* 49. *Pacianus de Probat. lib.* 1. *cap.* 37. *num.* 23.

L. Si ex cautione. 3.

SUMMARIA

Probatio non incumbit ei, qui non numeratae pecuniae exceptionem allegat. num. 1.
Cum exceptione hac concurrit exceptio doli. 2.
Vel exceptio in factum. 3.
Ex Chirographo ante biennium ne quidem praesumptio oritur. 4.
In aliis contractibus confessio praejudicat. 5.
Causa impulsiva hujus Constit. 6.
Qu. an huic exceptioni valide renunciari possit? 7.
Exceptio haec habet locum, etiamsi confessio numeratae pecuniae sit facta instrumento guarentigiato. 8.
Limitatio. 9.

Haec definit, Probationem non incumbere, 1
ei qui non numeratae pecuniae exceptionem allegat; ratio, quia nullum hic factum affirmatur, sed negatur, cujus per naturam nulla directa probatio, *l. adseveratio* 10. *h. t.* Concur- 2
rit tamen cum hac exceptione etiam exceptio doli, *per hanc l.* quae cum omni exceptione solet concurrere, *l.* 3. §. *et generaliter* 5. *ff. de Exceptione Doli*, vel exceptio in factum, per *l.* 9. *h. t.* 3
Nota bene: ex chirographo ante biennium ne qui- 4
dem praesumptionem oriri. Quod si creditor non probet, Reus absolvitur, *h. l.* In aliis contra- 5
ctibus confessio praejudicat, sed non in mutuo, quia nemo mutuum contrahit, nisi pauper, qui liberalis est in confitendo. Et nemo crede- 6
re solet pecuniam, nisi recognitione prius accepta a debitore. Ideoque ex consuetudine creditorum, sine praehabita confessione nihil credentium, et debitorum liberaliter quidvis in favorem creditorum confitentium, haec juris nostri constitutio fluxisse videtur. *Renunciari* 7
an possit huic exceptioni et an renunciatio sit valida? hic quaerunt. Resp. communiter volunt, renunciari posse ex intervallo, non in eodem instrumento, ne fraus contra legem detur, et quia haec exceptio datur in odium foeneratorum, et quia in renunciatione eadem facilitas praesumitur, *Cacvall. in speculo q.* 365. *Hillig. in Donell. lib.* 14. *cap.* 37. *lit. F. Tuschus Concl.* 30. *lit. N.* et quos allegat *Masc. concl.* 361. *num.* 19. *et seqq. Axiom. Barb. nuper edita lib.* 12. *c.* 6. *num.* 12. *Trentac. d. Res.* 20. *num.* 16. *Molina de J. et J. D.* 302. *num.* 3. Et locum habet exceptio, licet con- 8
fessio numeratae pecuniae facta fuisset in instrumento guarentigiato, *Mascard. d. l. num.* 23. *Gomez. tom.* 2. *res. c.* 6. *n.* 3. *Franc. Mantica de tac. et amb. convent. tom.* 2. *lib.* 18. *t.* 6. *num.* 18. quod tamen *Castr. hic num.* 4. limitat, nisi Notarius Publicus testetur, quod 9
viderit numerari pecuniam, *Molina d. D.* 302. *num.* 5. Sed et in foro Saxonico Elect. exceptionem hanc contra instrumenta liquida non admitti, praejudiciis et rationibus probat *Finckelthaus. obs.* 119.

L. Cum fidem. 4.

SUMMARIA

Qui confessus est se debere, et etiam vel partem debiti, vel usuras solvit, non potest postmodum uti hac exceptione. num 1.
Qui partem debiti solvit, totum debitum agnovisse videtur. 2.
Limitatio. 3.

Ex intervallo secuta renunciatio hujus exceptionis tollit illam. 4.
Limitatio. 5.

1 Qui confessus est se debitum accepisse, et fidem cautionis suae secutus, partem debiti vel usuras solverit, non potest uti hac exceptione etiam pro parte non soluta, quia solvendo approbat cautionem, et facto ipso ex intervallo renunciat, nisi sit haeres, qui justam habet errandi causam, *l. qui in alterius* 42. *ff. de R. I.*
2 Collige: I. Qui partem debiti solvit, videtur totum debitum ex intervallo agnovisse, si solutio se referat ad cautionem, *Trentac. d. Res.* 20. *num.* 22. *Molina d. D.* 302. *num.* 8. *Panorm. in c. si cautio. X. de Fide Instrum. num. fin. Tuschus Concl.* 28. *num.* 28. *lit. G.* Ut si debitor dicat, se solvere illam quantitatem,
3 quam in dicta cautione promiserat. Secus si solverit simpliciter quantitatem, non exprimendo, quod eam solvat virtute cautionis a se factae, nam tunc non videbitur agnovisse fidem dictae cautionis, *Petr. Barb. ad l.* 1. *parte* 7. *num.* 58.
4 *ff. Sol. matr.* II. Ex intervallo secutam renunciationem hujus exceptionis omnino tollere hanc exceptionem, *Hillig. d. cap.* 37. *lit. fin. Trentac. d. l. num.* 19. *Molin. d. l. Felinus in d. cap. si cautio num.* 49. *Mascard. d. concl.* 361.
5 *n.* 21. Sed quid si ex intervallo fiat confessio? Resp. Si expressa ea fiat, causa agnoscendi cautionem priorem, dicendum est, exceptionem locum habere, quod tamen in dubio non praesumendum, *Barb. d. l. num.* 59.

Authent. Contra.

SUMMARIA

Partes h. auth. *duae sunt: Prima agit de debitore, altera de creditore. num.* 1.
Notatur poena negantis manum suam, vel injuste objicientis exceptionem. 2.
Limitatio primae partis h. auth. 3.
Poena antea notata non habet locum, quando quis negat publicum instrumentum. 4.
Pratica h. auth. 5.

1 Partes duae sunt: I. De Debitore, si vel inficietur, 2. Scripturam (non aliam confessionem) 3. Propriam (non Notarii) 4. Ex qua convenitur. 5. Si in ea negatione persistat, et 6. a Creditore convincatur; Vel si exceptionem non numeratae pecuniae, non tantum propriae scripturae, sed etiam publico instrumento objecit, in contractu mutui; non in aliis (ratio *in l.* 3. *h. t.* quia onus probationis incumbit creditori) tunc debitor convictus condemnatur in duplum, etiamsi, postquam convictus sit, alleget solutionem, nam tunc solutio non proficit, sed adhuc semel poenam inficiationis solvere cogitur, nisi scilicet juramento causa decidatur, quia sic eo casu non plene convincitur. II. De Creditore ait, qui Apocham a se datam negat, ejus eadem est poena, v. g. debitor decem quae debebat creditori solvit, et Apocham a creditore accipit, debitor iterum convenitur et defendit se apocha, creditor negat scripturam, vel in passibus utilibus opponit exceptionem non solutae pecuniae: hic creditor duplum praestare debet debitori. Eadem poena est tutorum et curatorum, si de ipsorum scriptura agatur, non enim licet ipsis in commodum minorum mentiri. Notetur igitur Poena negantis manum suam vel in- 2
juste objicientis exceptionem, quam in mutuum recte adstringit *Donell. hic*, quia in caeteris contractibus non nocet tantopere actori negatio, nec cum ad probandum adstringit, sed statur instrumento, nisi reus aliud edoceat, *Hillig. d. cap.* 37. *in fine.* Quaeritur autem: *An pars prima de negante scripturam suam ad* 3
eum casum restringenda, quando scriptura ad obligationem facta, non ad probationem? Id quod affirmatur ex verbis Authenticae, *ex qua debitor conveniatur*; sed quia verba haec in originali non habentur, merito hoc negat *hic Donell. num.* 1. et videtur consentire *Baldus hic et Salic. num.* 3. *et Castr. num.* 8. quid autem si quis instrumentum publicum neget? et 4
hunc poenam istam non mereri ex eo patet, quia poena haec infertur non ob solum mendacium, sed ob laborem actoris in probando, quod de instrumento publico dici non potest, quod est probatio probata, *Glossa, et Baldus hic num.* 4. *Caesar Bargalius in Tr. de Dolo l.* 5. *cap.* 14. *num.* 85. Pratica autem hujus 5
Authenticae juxta *Baldum, Castr. et Salyc.* haec est: Citatur debitor ad recognoscendam manum suam, si negat debitor, offerendus est libellus, ut condemnetur, *ex hac authentica*, vel officium judicis potest implorari. Conf. *Bargalius d. l. num.* 86. Hanc poenam eo etiam casu locum habere cum *Hier. Mariliano Dec.* 35. dicit *Hillig. d. l. in fine*, quando quis simpliciter non negat, sed se non credere dicat, et probationem exigat, quod admitto, si non probabilis oblivio.

L. Adversus. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Si debitum ex alio contractu in mutuum fuit redactum, non habet locum haec exceptio. 3.
Cambii literis etiam haec exceptio opponi potest. 4.
Haec exceptio etiam inter mercatores videtur locum habere. 5.

Quidam debuit Titio decem ex causa emptio- 1
nis, postea convenit, ut ea decem, quae ex empto deberet, retineret, et chirographo fateretur, se ex mutuo habere; Quaeritur: *An exce-* 2
ptione non numeratae pecuniae se tueri possit? Resp. Imper. si alias exceptiones habeat, ut Doli, Metus, vel similem etc. tunc iis uti posse, sed hac uti non posse, quiae haec exceptio locum habet, quando mutua pecunia petitur, non quando quantitas alio contractu debita in chirographum redigitur, et in mutuum quasi convertitur. Haec enim confessio habetur pro vera numeratione, nec admittit exceptionem non numeratae pecuniae, et pro creditore praesumitur de causa praecedenti, *Zang. de Exc. p.* 3. *cap.* 14. *num.* 43. Colligitur ex textu: Si
debitum ex alio contractu in mutuum fuerit 3

redactum, non habere locum hanc exceptio-
nem, *Trentac. d. Resol.* 20. *num.* 23. *Molina d.*
D. num. 9. licet dissentiat *Gomez. T.* 2. *Resol.*
c. 6. *num.* 4. Et exinde concludit *Dn. Carpz.*
lib. 2. *Resp.* 92. quod literis Cambii hacc exce-
4 ptio opponi non possit. Sed magis amplecterer
sententiam aliorum, dicentium cambii literis
etiam hanc exceptionem opponi posse, quia
scilicet cambio semper inest mutuum. Et ita
praeter *DD.* quos *Carpz. d. l. num.* 1. allegat,
etiam hoc statuunt *Trentac. in d. Res.* 20. *num.*
10. *et Sigism. Scaccia in Tr. de Com.* §. 2. *Gl.*
8. *num.* 1. *et seq.* Sicut et eam sententiam mi-
hi non persuaderi patior, quod hacc exceptio
inter mercatores locum non habeat, ut tradit
Carpz. d. l. num. 15. *et P.* 1. *Jurispr. Const.*
32. *Def.* 69. *et Berlich. Dec.* 294. Nam primo
5 a mercatoribus originem traxisse videtur, nec
ulli magis necessaria, et non consistit in apici-
bus juris, sed in aequitate et destituitur con-
traria sententia textu, et firma ratione, *Dn. Richt.*
Dec. 21. *num.* 24. ubi a Jurisconsultis Jenensi-
bus ita pronunciatum refert, *Treutl. et ibi Bac-*
chov. Vol. 1. *Disp.* 20. *th.* 2. *in fine, Hillig. in*
Donell. lib. 14. *cap.* 37. *lit. F. in fine, Fachin.*
l. 2. *c.* 86. *Benevent. Stracha in Tr. Quomodo*
procedendum in causa mercatorum Tit. de Ex-
cept. n. 9. et allegatus a *Dn. Carpzovio Zange-*
rus de Except. p. 3. *c.* 14. *num.* 54. *et Colerus*
de Proc. execut. p. 4. *c.* 81. *num.* 90. illam sen-
tentiam tantum recitant, ut et *Jason. Salyce-*
tus vero allegato loco nihil habet, sed fere con-
trarium in *l. frustra* 6. *h. t.* Et ratio illa, quod
Mercatores in promptu pecuniam habere de-
beant, longius petita videtur; nam ex ea seque-
retur, nullam exceptionem opponi posse inter
mercatores, quae solutionem differat.

L. Frustra. 6.

SUMMARIA

Per constitutum alterius debitum in se recipiens,
hac exceptione non juvatur. num. 1.
Limitatio. 2.
Hering. *notatur.* 3.

1 Per constitutum alterius debitum in se reci-
piens, hac exceptione non juvatur, quae tan-
tum in mutuo locum habet, *l. praeced.* Sed
2 *haec lex* intelligenda de eo casu, quando quis
pro alio vere obligato expromisit, quia si solve-
rit, non habet repetitionem, sed si pro eo ex-
promiserit, qui nihil debebat, quique exceptio-
tionem non numeratae pecuniae opponere po-
terat eo, quod ipsi pecunia nulla numerata,
tunc si Constitutor vel Expromissor conveniatur,
ex persona principalis hanc exceptionem oppo-
nere non prohibetur, *arg. l. tam mandatori*
12. *h. t. Gl. hic, et Cujac. in hunc tit. Tom.* 3.
3 *p.* 356. licet aliter *Hering. de fidejuss. cap.* 27.
pag. 4. *num.* 51.

L. Si quasi. 7.

SUMMARIA

Quando quis spe numerationis futurae promisit
solutionem ejus, quod non accepit, datur non
tantum haec exceptio, sed etiam condictio si-
ne causa. num. 1.
Exceptio haec non tantum agenti, sed etiam
per modum implorationis officii judicis non
agenti opponi potest. 2.
Utroque casu est biennalis. 3.
Sicut datum, ita et promissum, condici potest. 4.

Si spe numerationis quis promiserit solutionem 1
ejus, quod non accepit, actioni motae haec
exceptio opponi potest, sed possumus etiam
per condictionem sine causa ipsam cautionem
sive instrumentum obligationis condicere, *per*
l. ult. C. de condict. sine causa. Unde apparet,
hanc exceptionem non tantum agenti, sed e- 2
tiam per modum implorationis officii judicis
non agenti opponi posse, vel possum condice-
re Syngraphum, ut indebitum, *l.* 4. *C. de Cond.*
indeb. vel condictione ob causam, si spe futu-
rae numerationis professio facta, *Donell. d. cap.*
37. *Gomez. lib.*2. *Resol. cap.* 14. *num.* 8. *Trentac.*
d. l. num. 15. Et si exceptio non numeratae 3
pecuniae non est perpetua, sed biennio inclu-
ditur, multo minus haec condictio non nume-
ratae pecuniae, vel petitio cancellationis aut
restitutionis instrumenti, *Castr. hic.* Et colligi-
tur etiam ex *hac lege:* Sicut datum, ita et pro- 4
missum condici posse: cum in toto jure pares
esse soleant dati et promissi rationes, *Anton.*
Padilla ad l. si non transactionis C. de Juris
et facti ignorantia num. 1.

L. Si intra. 8.

SUMMARIA

Mortuo intra tempus huic exceptioni praefini-
tum debitore, reliquum tempus currit ejus hae-
redi. num. 1.
Exceptio. 2.
Si debitor conquestus est, et postea moritur,
incipit haec exceptio esse perpetua. 3.
Si defunctus debitor intra biennium non est
questus in vita sua, tunc exceptio haec non
datur. 4.
Haec exceptio etiam haeredi competit intra
tempus biennii. 5.
Biennium hoc est continuum, et ex die emissae
scripturae computandum. 6.
Haec exceptio semel proposita fit perpetua. 7.
Casus, ubi exceptio citra litis contestationem
perpetuatur. 8.

Haec tria dicit: 1. Si debitor intra tempus defi- 1
nitum huic exceptioni, id est, biennium, per
l. 14. *h. t.* decesserit, reliquum tempus currit
ejus haeredi, sed continuo, nam cedit hoc
tempus etiam haereditate non adita, *Zang. d.*
c. 14. *num.* 49. Excipitur, si minor sit, *l. ult.* 2
C. Quibus causis in integrum rest. Sed potius id
obtinebit minor per restitutionem in integrum,
Zang. num. 51. *Molina d. D.* 302. *num.* 7. 2. Si
debitor conquestus est, et postea moritur, 3
incipit esse perpetua exceptio non tantum de-
bitori, sed etiam ejus haeredi, et contra hae-
redem creditoris. 3. Si defunctus debitor intra 4
biennium non est questus in vita sua, tunc
exceptio haec non datur, ne quidem pupillo, si

illius haeres sit, quia cum hic ex persona defuncti convenitur, non potest ullo suo privilegio defendi, *l. qui in jus* 138. *pr. ff. de R. J. l. haeres* 19. *pr. ff. de jud.* Et i a hos tres casus proponit *Trentac. dicta Res.* 20. *num.* 36. Colligi-
5 tur ex textu: I. Hanc exceptionem etiam haeredi competere intra tempus biennii, quod est
6 tempus continuum, ex die emissae scripturae computandum, nec morte interrumpi, *Donell. hic num.* 2. *Hillig. in Don. d. c.* 37. *litt. F.* II.
7 Si semel proposita haec sive exceptio sive querela non numera ae pecuniae, postea eam fieri perpetuam, *Mant. lib.* 18. *de Tac. et Amb. con-*
8 *vent. tit.* 1. *num.* 10. Et ideo hic notandus casus, ubi exceptio citra litis contestationem perpetuatur, cum tamen actio alias non nisi litis contestatione perpetuetur, sed hic agitur de exceptione, quia autem exceptio in genere sua natura perpetua, ideo facilius ad pristinam naturam revertitur, *Castr. hic num.* 2.

L. Cum ultra. 9.

SUMMARIA

Qui partem accipit, non tenetur ad solidum, licet plus sit confessus. num. 1.
Quaenam h. l. intelligatur per exceptionem in factum? 2.

1 Qui partem accipit, non tenetur ad solidum, licet plus sit confessus, sed tantum ad id, quod vere accepit, dummodo intra biennium moveat hanc
2 exceptionem. Sed quid est, quod hic exceptionis in factum sit mentio? Resp. quia exceptio haec non opponitur confessioni scriptae, sed obligationi verborum et confessioni verbis expressae, et ideo haec utilis et in factum dicitur exceptio, quia potius ex interpretatione datur. Sed opponitur, quod, quando super mutuo stipulatio interposita, jam ex stipulatione actio detur, non ex Mutuo, et sic haec exceptio non numeratae pecuniae non videtur locum habere. Resp. originem esse respiciendam: Origo autem est contractus mutui: Sed quia intervenit stipulatio et ita mutuum praesupponitur, et stipulatio, non exceptio non numeratae pecuniae propria, sed in factum datur.

L. Adseveratio. 10.

SUMMARIA

Exceptio in qua reus aliquid affirmat, est perpetua. num. 1.
Ratio cur exceptioni non numeratae pecuniae praefinitum biennium? 2.
Negantis per rerum naturam non est probatio. 3.
Limitationes hujus regulae. 4.
Usus harum Limitationum. 5.

1 Exceptio, in qua reus aliquid affirmat, est perpetua, ut exceptio solutionis, sed exceptio
2 non numeratae pecuniae, quia aliquid tantum negat, et negantis per naturam nulla est probatio, atque ideo creditor gravatur onere probandi, ideoque est certo tempore definita, ne creditor semper in incerto versari cogatur. Notes regulam in textu; Negantis per rerum na- 3
turam non esse probationem; Quae tamen regula aliquot patitur exceptiones; v. g. si nega- 4
tiva sit coarctata loco et tempore, vel sit negativa juris competentis regulariter, aut nisi contra negantem militet praesumptio juris, vel nisi affirmativam contineat, vel nisi negativa ex inspectione actorum, vel matriculae, vel loci adspectu possit probari, quas aliasque exceptiones congessit *Francisc. Herculanus in Tr. de Probatione Negativae, et Aug. Barb. in nupera editione Axiomatum lib.* 12. *cap.* 6. *Axiom.* 12. *et Martinus de Fano in Tr. de Probat. Negativae Vol.* 5. *Mascard. concl.* 1092. et alii passim; Et harum limitationum est usus in quae- 5
stione infra proponenda, an post biennium quis opponere possit exceptionem non numeratae pecuniae, si velit probationem ejus in se suscipere? Nam si aliqua exceptio regulae locum habeat, v. g. si negativa sit coarctata loco et tempore, (v. g. eo tempore, quo in cautione dicitur me accepisse pecuniam, non accepi, quod probabo,) tunc admittenda esset exceptio et ejus probatio, non vero, si esset negativa absoluta, nisi ob aliquam circumstantiam mortis, v. g. creditoris, haec exceptio probari possit.

L. Si transactionis. 11.

SUMMARIA

Contra cautionem, sive instrumentum alterius obligationis haec exceptio non datur. num. 1.
Ratio. 2.
Obstans l. 3. C. de postulando *removetur.* 3.

Contra cautionem sive instrumentum alterius 1
obligationis, haec exceptio non datur, v. g. Transactionis, uti nec depositi, in quo tempore Justin. nonnulli locum habere volebant, *l.* 14. §. 1. *h. t.* Quia debitor non censetur promitte- 2
re spe futurae numerationis, sed quia recessit a lite, et sic ob causam de praeterito, eo ipso enim subest causa, quod a lite disceditur. Sed videtur obstare *l.* 3. *C. de Postulando*, ubi 3
cliens ob futurum patrocinium cautionem dat, quasi 30. accepisset. Sed illa lex loquitur de promissione ultra modum et futuro patrocinio, et datur etiam exceptio in factum; nam proprie non spe futurae numerationis, sed futuri patrocinii et quidem ultra modum quid promisssum erat, ubi utilis et in factum datur exceptio haec. Sed hic propterea, quia recessum jam enata lite, datur cautio. Nec obstat quod specialiter constituitur, ex opposito huic exceptioni locum non esse, *l.* 14. §. 1. *h. t.* Id enim inde, quia nitebantur eo tempore hanc exceptionem in deposito inducere, in aliis non conabantur, *Donell. in d.* §. 1. *Hillig. in Donell. l.* 14. *c.* 37. *lit. E.* Et *hanc legem* etiam de eo casu exaudit cum *Duareno Mantica lib.* 18. *de Tac. et Amb. Convent. Tit.* 6. *num.* 39. si super mutuo lis fuisset, quae postea per transactionem sopita.

L. Tam mandatori. 12.

SUMMARIUM

Haec exceptio rei et causae cohaeret, et propterea datur fidejussori, aliisque qui per consequentiam obligantur, et quorum interest.

Quia haec exceptio rei et causae cohaeret, ideoque per *hanc legem, et l. 7. ff. de Excep.* etiam Fidejussori datur, et Mandatori, et ei qui pro debitore debitum constituit, *l. ult. C. de Fidej.* Si enim esset in personam, personam non egrederetur, cujus tamen contrarium verum est, *Br. Bl. et Salyc. hic Hering. de Fidejuss. c. 7. p. 4. num.* 49. imo omnibus istis competit haec exceptio, qui per consequentiam obligantur, et quorum interest, *Tiraq. de Retr. Consang.* §. 1. *Gl.* 18. *num.* 83. quem sequitur *Mascard. de Probat. concl.* 361. *num.* 31.

L. Generaliter. 13.

SUMMARIA

In omnibus contractibus praeter mutuum et dotem, si quis se debere professus est, et quidem ex justa causa debiti praecedente, eamque specialiter edixit, tunc illa confessio statim est efficax. num. 1.

Cautio, quae non exprimit causam debendi, non obligat. 2.

Regula, Ex quolibet datur actio, *limitatur.* 3.

Qu. an valeat confessio absente parte facta. 4.

Limitatio. 5.

Etiam post biennium elapsum licet opponere exceptionem non numeratae pecuniae, si velit opponens onus probandi in se suscipere. 6.

1 In omnibus reliquis contractibus praeter mutuum et dotem, si quis quid 1. caverit, id est, se debere professus sit, et quidem 2. ex justa causa debiti praecedente, eamque specialiter edixerit; tunc illa confessio statim est efficax. Ratio in *fine legis*: quia *nimis indignum est, quod quis sua voce dilucide protestatus, id infirmare velle.* Sed non obligat confessio sine causa, v. g. debeo tibi centum, *l. cum de indebito* 25. §. 1. *de Probat. l. nuda ratio* 26. *ff. Donat.* Sed si ita confiteor: ego debeo ex empto, obligat haec confessio, nisi debitor, quando per cautionem scriptam confessio facta, velit per alia instrumenta probare, rem se aliter habere. Collige I. Ex verbis, *eamque causam specialiter*
2 *etc.* cautionem quae non exprimit causam debendi, non obligare, nisi creditor causam probaverit, hic *et l.* 25. §. *fin. ff. de Probat. c. si cautio* 14. *X. de Fide Ins'rum.* quod etiam in stipulatione militat, nisi animus donandi appareat, *Panorm. in d. c. si cautio num.* 2. *Felin. num.* 3. *Canis. num.* 5. *Gomez. T.* 2. *Res. cap.* 9. *num.* 3. *Gail. lib.* 2. *obs.* 13 *num.* 9. Et ex
3 hoc fluit limitatio ejus regulae, *Ex quolibet pacto dari actionem*, *c.* 1. *de Pactis*, scilicet si causam pactionis contineant; alias enim consensus naturalis deesset, *Gail. d. obs.* 13. *num.* 10. Sed pluribus limitant hanc regulam, ut non habeat locum in promissione judiciali, nec in jurata, nec in liberatoria confessione, nec in confessione reali, qua rem meam esse assero, nec ubi per conjecturam causa apparet, nec quae in gratiam personae conjunctae fit, aut piae causae, et sim. quas limitationes congesserunt, *Panorm. in d. c.* 14. *num.* 2. *Felinus num.* 4. *et seq. Petrus Duennas reg.* 118. *Masc. de Probat. concl.* 345. *num.* 16. *Gail. d. l. num.* 11. *et seq. Carp. P.* 1. *Jurispr. Const.* 17. *Def.* 39. *et seqq. Card. Tuschus Concl.* 636. *lit. C.* Sed *an valeat confessio etiam absente parte facta?* Aff. communiter si in judicio, non tamen 4
extra judicium sit facta, *DD. hic* Haec enim communis est distinctio, ut judicialis confessio 5
etiam absente parte, cujus in gratiam tendit, valeat, et vice probationis allegari possit, imo sit probatio probata et firmissima, *l. un. C. de Confess.* Sed extrajudicialis tantum semiplene probet, qua de re *Tuschus Concl.* 637. *et seq. Concl.* 640. *lit. C. Dn. Carpz. p.* 1. *Jurispr. Const.* 16. *Def.* 21. *Jo. Guttierez. in tr. de confirm. jur. lib.* 1. *cap.* 54. per totum, *Masc. Concl.* 347. per totam, *Ummius ad Process. Disp.* 13. *num.* 57. Colligitur etiam hoc loco veram sententiam illorum esse, qui statuunt post tempus biennii elapsum licere opponere 6
exceptionem non numeratae pecuniae, vel potius exceptionem doli, si velit in se onus suscipere probationis. Nam si in aliis contractibus, in quibus alias non datur haec exceptio, potest tamen probari post biennium, quod res aliter gesta fuerit, multo magis in mutuo, in quo alias admittitur haec exceptio intra biennium. Nec *obstat. l. seq.* 14. quae loquitur de exceptione non numeratae pecuniae speciali et privilegiata, qua onus probandi incumbit creditori. Quid autem de generali exceptione non numeratae pecuniae dicendum sit, id habetur in *hac lege*, et absurdum videtur, in aliis contractibus etiam post biennium licere contra confessionem contrarium probare, et hic in mutuo non licere, cum tamen hic major sit necessitas. Nec stringunt verba, *nullo modo*, in *l. seq.* quia etiam de Depositario dicitur in §. 1. *penitus non*, qui tamen potest hac exceptione cum onere probandi uti, per *hanc l.* 13. Et iniquum est, condemnare eum, qui tamen contrarium vult probare, *Dn. Carpz. p.* 1. *Const.* 42. *def.* 66. *Card. Mantica de Tac. et Amb. convent. lib.* 18. *tit.* 2. *num.* 17. *et seqq. Hartm. Pistor. P.* 4. *Q.* 12. *num.* 13. *Dn. Richter. Dec.* 21. *num.* 13. *Bacch. in Treut. Vol.* 1. *Disp.* 20. *th.* 2. *lit. c. Perez. in hoc tit. num.* 14. *Gomez. lib.* 2. *Resol. c.* 6. *num.* 6. *in fin. Masc. Concl.* 696. *num.* 23. *Vasq. de Creat. success. l.* 1. §. 9. *n.* 22. *Menoch. cons.* 47. quam sententiam in foro receptam testatur illustris *Dn. Mevius p.* 2. *dec.* 22. *num.* 2. licet alii, ut *Nebelkra Decis. ult.* et quos *Cavall. q.* 38. *et Rimin. vol.* 3. *cons.* 272. *per totum* citat, frustra contra nitantur, quorum sententia licet obtineret forte, quod post biennium fiat obligatio literarum efficax, ex aequitate tamen juris Canonici adhuc communis sententia locum habebit.

L. In contractibus. 14.

SUMMARIA

Quinquennium huic exceptioni sive querelae praescriptum hodie ad biennium restrictum est. n. 1.

Quod est continuum et currit etiam ignorantibus. 2.
Limitatio. 3.
Quandocumque jus statutarium aliquam praescriptionem surrogat et substituit in alterius locum, tunc omnes illas exceptiones et interruptiones admittit, quas admittit ea, in cujus locum surrogata est. 4.
Haec, quae de exceptione non numeratae pecuniae dicuntur, non habent locum in confessione facta in testamento in iis casibus, in quibus confessio testantis probat. 5.
In hac exceptione vocab. pecuniae *sumitur in ea significatione, in qua sumitur in mutuo.* 6.
Qu. an confessio facta coram testibus hanc exceptionem non numeratae pecuniae etiam admittat? 7.
Limitatio. 8.
Tres cautiones, in quibus exceptio haec locum non habet. 9.
Prima: Est confessio depositarii, de quo non est praesumptio, se aliquid falso spe depositi confessurum. 10.
Secunda: In apocha exactoris tributorum, quae fisco non praejudicat. 11.
Tertia: Si maritus se fateatur dotem accepisse, quod tamen limitatur. 12.
In §. 2 h. l. *succurritur creditori confitenti pecuniam id est, rem fungibilem non tantum ex mutuo, sed ex quocumque cuntractu debitam, sibi esse solutam.* 13.
Si tempus exceptionis non numeratae pecuniae et non soluti debiti praeterlapsum non licet adversario etiam juramentum deferre. 14.
Ubi cessat exceptio non numeratae pecuniae, ibi nec delatio juramenti locum habet. 15.
Qui in uno sublevatur, et insigni privilegio honoratur, in alio gravatur. 16.
Juramentum, quod ponens, et alter qui respondere debet, praestant, non est litis decisorium, sed calumniae. 17.
Tam exceptio non numeratae pecuniae vel dotis, quam non soluti debiti debet innotescere adversario intra tempus constitutum. 18.
Haec exceptio per modum implorationis officii judicis proponi potest. 19.
Effectus hujus implorationis. 20.
In loco contractus potest agi ad rescissionem illius. 21.
Limitatio. 22.
Distractus judicantur ex natura et qualitate contractuum. 23.
In defectu judicis secularis recurrere quis potest ad Ecclesiasticum. 24.
Querela haec per scripturam fieri debet, ut ad acta redigi possit, non tamen ad insinuationem citatione partis opus est. 25.

1 **P***r.* Quinquennium huic exceptioni sive querelae praescriptum, hodie ad biennium restri-
2 ctum est, et est continuum, et currit etiam ignorantibus. Sed excipiebantur olim a quinquennii lapsu minores et absentes, et ita quo-
3 que hodie iidem a lapsu biennii; absentes quidem paratam habent restitutionem, minoribus ipso jure hoc non currit, *l. ult. C. in quibus causis in integr.* vel datur restitutio, ut supra dictum. Colligit ex *hac l.* ejusque *pr. Castren-*
4 *sis* theoriam aliquam: Quandocumque jus statutarium aliquam praescriptionem surrogat, et substituit in alterius locum, tunc jura et exceptiones, et interruptiones quas admittit praescriptio juris civilis longior, easdem admittit praescriptio etiam statutaria, et ideo decidit *num.* 4. quaestionem, an praescriptio statutaria subrogata in locum triennalis descriptionis currat etiam contra minorem, affirmative. Colligit etiam ex *hac l.* idem
Castrensis num. 5. haec, quod de exceptione 5
non numeratae pecuniae dicuntur, non habere locum in confessione facta in testamento, in iis casibus, quibus confessio testantis probat, v. g. si facta praesenti vel cum juramento, per *l. cum quis decedens* 37. *ff. de leg.* 3. quia non praesumitur confessio fieri spe futurae numerationis et ideo haec exceptio ne intra biennium quidem opponi potest. Sic nec confessioni factae in judicio per modum contentiosae jurisdictionis opponi potest haec exceptio, licet si facta sit per modum jurisdictionis voluntariae, ut si creditor petat confirmationem contractus, et debitor forte spe futurae numerationis ad impetrandum consensum vel confirmationem superioris, fateatur numerationem, haec exceptio opponi possit, per tradita *Castrensis d. l. et Mascard. concl.* 361. *num.* 29. Collige etiam:
in hac exceptione vocabulum, *pecunia*, sumi 6
in ea significatione, in qua sumitur in mutuo, scilicet quatenus non tantum signatam pecuniam, sed alias res fungibiles in quantitate consistentes significat, *Alex. Trentacinq. lib.* 3. *Tit. de solut. Resol.* 20. *num.* 20. vers. *haec alia ponderatio etc. et Molina d. D.* 302. *num.* 2. Nam cum mutuo pari passu ambulat, et in solo mutuo locum habet, in aliis locum habet exceptio rei non traditae, non impleti contractus etc. Sed *Quaeritur, An non etiam confes-* 7
sio facta coram testibus hanc exceptionem non numeratae pecuniae admittat? et affirmatur, quia eadem facilitate spe futurae numerationis potest quis voce confiteri, quam in scriptis, *Trentac. d. l. num.* 11. *et l.* 2. *cap.* 85. *Treut. lib.* 20. *th.* 2. *lit. B. Mantica lib.* 18. *tit.* 5. *de tac. et ambig. convent.* Sed dissentit *Donell. lib.* 14. *cap. ult. lit. D. et Bacch. in Treutl. d. l.*
Forte dici posset, exceptionem privilegiatam, 8
quae onus probandi in actorem devolvit, non habere locum contra confessionem factam coram testibus, sed secus, si reus probationem in se suscipere velit.

§. 1. Hic tres habet cautiones, in quibus exce- 9
ptio haec non habet locum: 1. Est confessio 10
depositarii, cum non sit verosimile, eum, de cujus lucro in eo contractu nil agitur, falso aliquid spe depositi confessurum. Vid. *Zang. d. p.* 3. *cap.* 14. *num.* 5. *seq.* Et ideo *hunc* §. de depositario intelligo, cum *Bart. Bald. hic et Trentac. d. l. num.* 25. Et sic quando depositarius fatetur, apud se rem esse depositam, non gaudet hac exceptione, sed limitandum hoc est, nisi fraus fiat legi, ut si quis acceperit cautionem quasi ex Deposito, et revera sit ex mutuo, *Riminald. vol.* 2. *cons.* 152. *num.* 65. Sed Quaeritur: *Si fatear te deposuisse quidem pecuniam numeratam, cum potestate tamen ea utendi ut mutua, an habeam exceptionem?* et hoc affirm. *Bart. et Castr. hic*, quos sequitur *Trentac. d. l. num.* 25. Sed dubito cum *Baldo hic*, nam depositum hoc proprie non est mutuum, sed tunc transit in mutuum, quando depositarius utitur, per *l.* 1. §. 34. *ff. de Mutuo.* Conf. *l. certi condictio* 9. §. *fin. ff. de Rebus Credit.* Vide *Molin. de J. et J. D.*

11 523. *num.* 1. *in fine*. 2. In apocha quam dant exactores tributorum et vectigalium, sed exactoribus non existentibus solvendo, posse conveniri debitores Fisci, cum confessio exactoris Fisci non praejudicet, tradit *Zang. d. l. num.* 8. *et seq.* nec non *Bald. hic num.* 3. *Trent. d. tit. de Solut. Resol.* 20. *num.* 26. Sed de hac limitatione licet dubitare, ob *l. ult. C. de Apochis*, quae generaliter loquitur, et *l.* 2. §. 1. *C. de Quadriennii Praescriptione*, sed de hoc
12 infra. 3. Maritus si fateatur dotem se accepisse, scilicet si post instrumenta dotalia fateatur ex intervallo, secus si in instrumento ipso dotali, nam tunc habet exceptionem intra biennium continuum, si nondum per biennium statit matrimonium, si autem ultra biennium stetit matrimonium, intra tamen decennium, habet haec exceptio spatium trium mensium, postea plane exclusa est, per *auth. quod locum C. de Dote cauta non numer.* Vid. *Menoch. lib.* 3. *de Praesumpt. Praes.* 12. *num.* 20. *et Praes. seq. num.* 22. *Zang. d. c. num.* 15. *et seqq. Trentac. d. l. num.* 28. *Covar. l.* 1. *Resol. c.* 7. *num.* 5. *Fachin. l.* 8. *c.* 82. Nam cum maritus ob dotem obligatam habeat uxorem, necesse non habet fateri solutionem spe numerationis. Unde notabiliter colligitur: mariti confessionem factam post dotale instrumentum ex intervallo non posse retractari per hanc exceptionem, *P. Barb. ad l.* 1. *parte* 6. *num.* 50. *ff. Sol. matrim.* ubi id etiam ad creditores extendit, quod iis etiam noceat mariti confessio, *Barb. num.* 51. *Conf. Carpz. p.* 1. *C.* 28. *def.* 78. Secus tamen esset, si sponsus a sponsa percepisse dotem fateatur, *Bald. Novell. de dote p.* 10. *num.* 18. Hoc sane verum est, firmiorem esse confessionem mariti, si fateatur, ab extraneo se dotem accepisse, quam ab uxore, *Carpz. d. l. d.* 79.

13 §. 2. Hinc succurritur creditori confitenti pecuniam, id est, rem fungibilem, non tantum ex mutuo, sed ex quocunque contractu debitam sibi esse solutam, *Castrensis hic num.* 3. Nam creditor potest compellere debitorem ad solvendum, et ideo opus non habet spe futurae solutionis fateri solutionem, verum nemo potest alium compellere ad mutuandum, *Hillig. in Donell. lib.* 14. *cap.* 37. *lit. F.* Sed et hic obligatione apochae debitorem invitare solet ad solutionem, quamvis hoc fiat rarius, et ideo quia minus periculum, *l.* 1. §. *Sed et si quis*, *ff. de Carbon. Edict.* tantum triginta dies ad contestandam hanc exceptionem dantur, post illud tempus datur confessioni, cum hic in liberatione versemur, *Wesenb. Vol.* 1. *cons.* 42. *num.* 28. *Zang. d. l. num.* 31. Si tamen fidejussor apocham creditoris proferat et agat contra debitorem, etiam post istos triginta dies debitor audiendus erit, si probare velit, creditorem debitori remisisse debitum animo donandi. Cum hoc casu fidejussori nihil absit, nec actionem mandati habebit, *l.* 12. *ff. Mandat. Zang. d. l. num.* 31.

14 §. 3. Postquam tempus exceptionis non numeratae pecuniae et non soluti debiti praeterlapsum, non licet adversario etiam juramentum deferre, ex quibus enim causis quis judicium accipere non tenetur, ex iis causis nec jurare cogendus est, *l. sed et si restituatur* 28. §. *quibus* 2. *ff. de jud. Donell. hic num.* 3. et quia exceptio temporalis, *Setserus de jurej. l.* 4. *c.*
15 3. *num.* 14 Collige: Ubi cessat exceptio non numeratae pecuniae, ibi nec delatio juramenti locum habet, *DD. hic*, *Gomez. lib.* 2. *Resol. cap.* 7. *Zang. d. l. num.* 26. *Nebelkra Decis. ult. num. ult.* Ratio decidendi est juxta *Castrensem*, quia is qui habet pro se confessionem, habet intentionem fundatam ex confessione adversarii et ex lapsu temporis. Hinc vult probare *Castrensis*, quando lapsus est terminus ad probandum, illum, cui probatio injuncta, non posse juramentum deferre alteri, cum habeat alter intentionem fundatam cum lapsu temporis. Sed putarem hic adesse specialem rationem, cum hic creditor habeat, 1. pro se confessionem adversarii, 2. lapsum temporis, et 3. Debitor habuit hoc privilegium, quod intra satis amplum temporis spatium potuerit probationis onus contra confessionem suam in adversarium
devolvere. Jam vero in toto jure hoc frequens 16
est, ut, qui in uno sublevatur et insigni privilegio honoratur, in alio gravetur, ut infinitis exemplis posset declarari. Hinc ergo factum videtur, ut in hoc puncto non possit juramentum deferri, quod ad alios casus, in quibus alter intentionem habet fundatam etiam ex lapsu termini, non videtur extendendum, nisi expressum habeamus statutum, quale in foro Saxonico habemus in puncto deferendi juramenti. Aliter ad *hunc textum* respondet *Mantica de Tac. et Ambig. Convent. lib.* 18. *tit.* 2. *num.* 25. Et ideo non obstante *hoc textu* quidam volunt, positiones fieri posse, ad eliciendam confessionem; quia scil. hoc juramentum, 17
quod ponens, et alter qui respondere debet, praestant, non est litis decisorium, sed calumniae, et positiones, jure praesertim Canonico, sunt praeambulae probationis. Si igitur post biennium probare licet, non esse pecuniam numeratam, ut ante diximus, utique etiam in hunc finem positiones facere licebit. Alia enim ratio juramenti litis decisorii, et alia juramenti dandorum et respondendorum, *Mascard. Concl.* 1119. *num.* 3. Et sic ex aequitate canonica etiam juramentum decisorium opponi posse tradit *Menoch. cons.* 47. *num.* 9. de quo tamen dubito, ob rationem antea positam.

§. 4. *Cum Auth. seq.* Tam exceptio non nu- 18
meratae pecuniae vel dotis, quam non soluti debiti, debet innotescere adversario intra tempus constitutum, et debet innotescere scripto ad eum transmisso, et ita querimonia, de qua in *l.* 8. *h. t.* debet solemniter et testato fieri, ut possit scilicet alter diligentius deliberare, quid sibi faciendum. Si autem adversarius abest, vel propter potentiam ei denunciari nequit, denuncietur Judici Ordinario, vel, si talis desit, Episcopo. Ex hoc textu apparet, non tantum dari ob non solutam pecuniam exceptionem, nec tantum condictionem cautionis, sed etiam
querelam, licet creditor non agat, et sic haec 19
exceptio per modum implorationis officii judicis
proponi potest. Et hujus querelae semel inter- 20
positae hic est effectus, ut interrumpat praescriptionem et perpetuam hanc exceptionem ultra tempus a jure praefixum. Deinde col-
lige ex hoc textu: In loco contractus posse a- 21
gi ad rescissionem illius, *Colerus de Process. Execut. p.* 2. *c.* 1. *num.* 18. *Roman. sing.* 470. et quos hic congerit *August. Barb.* ubi hoc ex *Petro Barbosa in l. haeres absens* §. *proinde num.* 25. *ff. de judic.* intelligit de eo casu, quando contractus non est perfectus, ut *hic*,

vel vitio aliquo laborat, ut si commissa sit usu-
raria pravitas, nam tunc de eadem usuraria
pravitate coram eodem judice, sub quo con-
tractus celebratus, agi ad distractum potest,
22 ut post *Bald. hic Castr.* Secus, si perfectus
contractus, nec vitio intrinseco laboret, v. g.
si ob laesionem agatur ad rescindendum. Sed
putarem etiam hoc casu in loco contractus ad
rescissionem agi posse, quia *ex l. 2. C. de Re-
scind. Vendit.* non agitur simpliciter ad rescin-
dendum, sed ut vel justum pretium supplea-
tur, vel a contractu abeatur, et sic alternati-
ve, vel ad servandum contractum et ad aequi-
tatem reducendum vel ad rescindendum agi
potest. Et ubi evidentiores laesiones probationis
reperiri possunt, quam in loco contractus? Col-
23 ligitur etiam generalius ex *hac l.* Distractus ju-
dicari ex natura et qualitate contractuum, *Co-
lerus d. l.* Colligit etiam *Castrensis hic et Sa-*
24 *lyc.* quod in defectu judicis secularis, recurre-
re quis possit ad Ecclesiasticum; quod tunc
etiam fieri posset, quando res conscientiam con-
cernit, et Judex secularis de causa cognoscere ne-
quit. Demum notes: Modum interrumpendi prae-
scriptionem per querelam expositam judici,
etiam parte absente etc. de quo alibi. Ex *Au-*
25 *thent.* Collige: cum *Salyc.* Hanc querelam per
scripturam fieri debere, ut ad acta redigi pos-
sit, neque ad insinuationem citatione partis opus
esse, sed eam querelam postea parti esse com-
municandam. Querela tamen haec statim potest
parti insinuari, et habebit hunc effectum, quo-
cumque modo fiat, ut ex temporali exceptione
faciat perpetuam, et transferat onus probandi
in alterum, per *Nov. 100. c. 1. Rittersh. in
Nov. p. 5. c. 8. num. 4. et seq.*

L. Si cui. 15.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
*Non soli debitori, sed et fidejussori, et credi-
tori alii competit haec exceptio ob proprium
interesse.* 2.
Limitatio. 3.
*Confessio mariti de recepta dote non praejudi-
cat creditoribus.* 4.
Extensio dispositionis h. l. 5.
Regula: Non potest quis uti jure in meum fa-
vorem introducto, ad suum proprium commo-
dum, *limitatur.* 6.
Non licet excipere de jure tertii. 7.
Limitatur. 8.
*Debito civili ante lapsum biennii accedere po-
test fidejussor.* 9.

1 Scripsi a te mihi mutuo data centum, et obli-
go aedes meas, cum nihil acceperim, postea
ab alio vere accipio centum, et easdem aedes
pignori trado. Convenitur hic Secundus creditor
a te hypothecaria actione, quia tu prior tem-
pore per *l. 2. et 3. C. Qui potiores in Pign.*
Secundus excipit, pecuniam non esse solutam,
licet ego adhuc dicam pecuniam esse solutam.
Resp. Imp. Secundo creditori competere hanc
exceptionem, etiam debitore invito, quia est
exceptio rei cohaerens, non personae, et con-
venitur ex obligatione debitoris. Æquissimum
itaque est, ipsi dari exceptionem hanc, sed si
victus fuerit, haec sententia neque mihi nec
fidejussori meo praejudicat. Collige ergo: Non 2
soli debitori, sed et fidejussori et creditori alii
competere hanc exceptionem, ob proprium in-
teresse, licet debitor ea nunquam usus esset,
imo debitore invito, *Covarr. lib. 1. Resol. c. 7.
num. 6. Petrus Barbosa ad l. 1. p. 6. num. 37.
ff. Sol. Matr. Tiraq. de Retr. §. 1. gl. 18. num.
82. Hillig. in Donell. lib. 14. cap. 37. lit. F.
Hering. de Fidejuss. c. 27. p. 4. num. 50.* Sed 3
intelligendum tamen hoc, si adhuc intra tem-
pora opponendae exceptionis consistat creditor,
*Petr. Barbosa in d. l. 1. p. 6. num. 37. ff. Sol.
Matr. et Mantica de Tacit. et Amb. Conv. lib.
11. tit. 27. num. 17.* Colligitur etiam: Confessio- 4
nem mariti de recepta dote non praejudicare
creditoribus, scilicet intra tempora opponendae
exceptionis, *Tiraq. d. l.* et sic creditores mariti
possunt pro suo interesse opponere exceptionem
non numeratae dotis, marito etiam invito, *Bl.
Salyc. h. l. Rolandus a Valle l. 4. cons. 74.* sed
intra tempora, intra quae maritus admittitur
per allegatas auctoritates a *Jo. Domin. Gaito
de credito c. 4. quaesito 11. num. 770.* Notan-
dum ex *Castrensi hic:* Exceptionem hanc non 5
dari tantum secundo creditori, quando conve-
nitur, sed etiam dari ipsi querelam hanc, si
priorem creditorem in spe velit hypotecaria
convenire, imo si primus creditor cum ipso
debitore agat, possunt creditores intervenire,
et se interponere, opponendo hanc exceptio-
nem per notabilem extensionem *Castrensis,*
quia in omnibus his casibus est eadem ratio,
quia posset alias debitor cum primo creditore
colludere in necem posteriorum verorum cre-
ditorum. Collige etiam notabilem limitationem 6
illius Regulae; *Quod non possit quis uti jure in
meum favorem introducto, ad suum proprium
commodum, l. 41. ff. de Minoribus.* Aliud ta-
men, si proprium interesse habeat, *Petr. Barb.
in l. 1. p. 6. num. 37. ff. Sol. Matr.* Collige etiam:
Exceptionem alterius regulae, quod non liceat 7
excipere de jure tertii, *l. 4. §. 7. ff. Si Servi-
tus vind.* Secus tamen est, si quis habeat in-
teresse in jure tertii reali, *Castr. hic.* Apparet
tamen ex *hac lege:* si creditor hanc exceptio- 8
nem opposuerit et victus fuerit, non praejudi-
care hoc debitori, quia intra statuta tempora
hanc exceptionem opponere possit, unde pro-
batur hanc oppositionem non perpetuare hanc
exceptionem principali debitori, quia nihilo mi-
nus debitor intra statuta tempora opponere te-
netur hanc exceptionem, *Castr. hic num. 2.*
Demum collige: Debito civili, quale est hoc, an- 9
te lapsum biennii posse accedere fidejussorem.

L. Indubitati. ult.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
*Conditio, quae tacite inest obligationi vel con-
tractui, tacite etiam inest juramento.* 2.
*Juramentum aliud promissorium, aliud asserto-
rium.* 3.
*Debitor qui juravit vera esse, non potest veni-
re contra confessionem suam.* 4.
Limitatur. 5. 6.
*Juramentum imitatur naturam contractus, et
omnes illius contractus conditiones recipit.* 7.

Fallentiae h. reg. 8.
Juramentum, ubi consensus deficit, nihil operatur. 9.

1 Scripsi, me accepisse centum, quae sub juramento promitto me redditurum. Resp. Imp. id juramentum non excludere hanc exceptionem, sed habere hanc conditionem, si accepe-
2 ro. Collige: Conditionem, quae tacite inest obligationi, vel contractui, tacite etiam inesse juramento. Secus vero esset, si jurato dixisset se accepisse, nam tunc ut perjurus cum hac ex-
3 ceptione audiendus non est. Nam aliud est juramentum Promissorium, si quis fateatur se accepisse centum, et jurato promittat se soluturum, nam hoc intelligendum cum conditione, si numerata, *Trentac. d. res.* 20. *num.* 3. *et seqq. Mant. l.* 18. *tit.* 4. aliud Assertorium, de quo *Molina de J. et J. Tr.* 2. *Disp.* 302. *num.*
4 11. Et sic si debitor jurasset vera esse, quae confessus est, non potest venire contra confessionem suam, *Castr. num.* 4. *et Salyc. num.* 2. *Guttier. de jur. confirm. p.* 1. *c.* 37. *num.* 8. nam turpitudinem propriam allegaret, *Barbosa ad l.* 1. *parte* 6. *num.* 46. *ff. sol. matr.* Sed hoc creditoribus non repugnaret, quo minus turpitudinem et perjurium debitoris allegare pos-
5 sent, *Barb. d. l. num.* 47. Sed quid si renunciasset huic exceptioni, et jurasset se nolle venire contra promissionem? Resp. *hic Castrensis*, non esse huic exceptioni locum, sed facta solutione posse solutum repeti, per *c. debitores*
6 *X. de jurejur.* Sed quid si minor esset, qui in casu hujus legis juramentum praestitisset, et tempus biennale esset lapsum? Et dari post minorem aetatem adhuc biennium, *argum. l. fin. C. in quibus causis in integ. restitutio non est necess.* tradit *Baldus hic et Castr.* vel per restitutionem. Colligitur igitur ex *h. l.* famosa illa Regula, ob quam *haec lex* saepius allegatur:
7 Quod scilicet juramentum imitetur naturam contractus, et omnes illius contractus conditiones recipiat, *Setserus de juram. l.* 1. *c.* 26. *num.* 12. *et duobus seqq.* ubi aliud etiam esse dicit in juramento assertorio se accepisse pecuniam. Sed 8
illa Regula fallit: 1. In omnibus illis casibus, in quibus actus cessante juramento est irritus et invalidus, 2. et validitatem recipit ex juramento, tunc enim non sequitur conditionem actus, sed obligationem auget, *Vinc. Mancius tr. de juramento p.* 4. *effectu* 9. *num.* 10. quem allegat *Steph. Fagundez. ad Decal lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 7. Et hoc prolixe declarat exemplo alienationis fundi dotalis, alienati praedii minoris. Si contractus innominatus obligat ad standum promissis, vel ad rescissionem contractus. Sed juramentum praecise ad observantiam contractus obligat, quia ex contractu revocabili facit irrevocabilem, *Ant. Gabriel. tit. de juram. concl.* 9. *Jo. Guttierez. de juram. confirm. parte* 1. *c.* 35. *Lud. Gomez. in c. ut animarum de Const. lib.* 6. *n.* 37. *Anton. Burgos in c. de quod vult Deo de judic. num.* 55. Deinde ista regula intelligenda est de natura contractus primordiali, non accidentali, *Guttierez. d. tr. l.* 1. *c.* 37. *num.* 5. v. g. primordialis natura confessionis mutui est, ut fiat ante numerationem, hoc per juramentum non alteratum non alteratur et utrique deest consensus: Sed si juramentum assertorium fuisset additum confessioni, vel fuisset renunciatum exceptioni, tunc aliud foret dicendum, ut supra dictum. Deinde non valet haec Regula, si intentio jurantis verosimiliter non concurreret, *Ant. Burgos in d. c. de quod vult Deo num.* 57. et sic si jurans aliud quid, quod a primordiali natura discederet, expresse vel tacite addiderit, non habet locum haec regula, *Fagundez. d. l. num.* 7. *in fine.* Et sic potissimum haec regula in consensu locum habet, ut quando consensus purus et absolutus deest in ipso contractu, hic non suppleatur per juramentum, *Guttierez. d. l. num.* 5. Conf. *DD. illi, quos August. Barb. hic memorat. num.* 6. *et seqq.* Colligunt etiam ex hac regula, juramen- 9
tum, ubi consensus deficit, nihil operari, inter *Axiomata Barbosae lib.* 9. *cap.* 93. *Axiom.* 1.

TITULUS XXXI.

De Compensationibus.

L. Et Senatus. 1.

SUMMARIA

In singulis provinciis erant Fisci diversae stationes. num. 1.
Non potest debitum quod uni stationi debetur, cum debito, quod alterius provinciae statio debet, compensari. 2.
Etiam in debitis fiscalibus regulariter admittitur compensatio. 3.

1 In singulis provinciis erant Fisci diversae stationes, i. e. administrationes et officia. Sic ergo a statione hujus provinciae quidam conduxit portorium, pro quo debet centum, idem stationi vel officio Fisci alterius provinciae dedit mutuo centum. Vult ergo cum statione hujus provinciae compensare. Resp. quod non possit, 2
nam alias 1. Confunderentur officia et administrationes, *Peregr. de jure Fisci lib.* 6. *tit.* 7. *num.* 15. 2. Poterit suum creditum ab altera statione facile consequi, quia Fiscus semper videtur solvendo. Sed diversae stationes si ab uno administrentur, volunt quidam compensationem fieri posse, de quo dubitat *Afflictus D.* 192. Colligitur tamen ex *hac l.* 1. *et* 3. Regula: Quod 3
etiam in debitis Fiscalibus regulariter admittatur compensatio, si aliquid debeatur Fisco vel in poenam, vel ex contractu, *Molina de J. et J. Tr.* 2. *D.* 560. *num.* 25.

L. Ex causa. 2.

SUMMARIA

Indebite solutum ex re judicata non potest cum debito liquido compensari. num. 1.
Ipso jure liberat debitorem compensatio. 2.
Guarentigionatis instrumentis exceptio compensationis opponi potest. 3.
Ubi competit exceptio, compensatio locum non habet. 4.
In executione etiam potest opponi exceptio compensationis. 5.
Imo etiam licet ex litteris cambii inter mercatores contractum fuerit debitum. 6.

1 Fuisti mihi condemnatus indebite in centum, et ea solvis, postea ego alia centum ut debitum liquidum peto, tu dicis te priora centum indebite solvisse, ergo haec cum his centum vis compensare. Resp. non posse: ratio, quia centum priora condictione indebiti non potes repetere, *l. 1. C. de Cond. Indeb.* nam qui ex causa judicati solvit, ex causa solvit. Sed si priora centum nondum essent soluta, posset fieri com-
2 pensatio, nam jure ipso liberat debitorem compensatio, *l. 4. h. t.* In quo casu videbatur ratio dubitandi, quia res judicata habet executionem paratam, sed aliud debitum executionem paratam non habet. Sed resp. omnino requiri, ut de alio debito constet, saltem ex confessione, et sic omnino etiam alterum debitum habet executionem paratam. Vel si possit in termino brevi liquidari et probari, licet condemnatus nullam habet amplius dilationem ad solvendum; *Molina de J. et J. tr. 2. d. 560. num. 5. Afflict. dec.* 121. Et sic multo magis
3 guarentigionatis instrumentis Exceptio compensationis opponi potest, si rei judicatae potest opponi, *Molin. d. l.* Si vero Judex verum debitorem a debito vero male absolvit, et creditor a debitore ob diversum debitum conveniatur, non poterit debitor exceptione compensationis removeri, licet non obstante absolutione remanserit naturale debitum, quia tamen ex sententia oritur Exceptio rei judicatae, obligatio ista naturalis est inefficax, et rejicitur pro-
4 pter rei judicatae auctoritatem. Ubi enim competit Exceptio, compensatio non habet locum, *l. quaecumque 14. ff. h. t. Bart. Bl. et Castr. hic, Trentac. l. 3. tit. de Comp. Resol. un. num.*
5 2. Collige etiam: In Executione posse opponi exceptionem compensationis, *Dn. Mev. p. 2. dec.* 308. *num.* 4. Vid. *not. ad l. ult. infra pr.* It. *Auct. in l. 7. ff. h. t. num.* 8. *et multis seqq.* ubi prolixe hanc quaestionem tractat. Imo po-
6 test opponi compensationis Exceptio, licet ex litteris Cambii inter mercatores contractum fuerit debitum, *Struv. Synt. jur. Civ. Exerc.* 21. *th.* 15.

L. In ea. 3.

SUMMARIA

Qui fisco vel civitati aliquid debet, et cui fiscus aliquid debet, ille cum fisco potest compensare. num. 1.
Exceptiones. 2.
Raro cum fisco admittitur compensatio. 3.
Ampliatio. 4.

Qui Fisco vel Civitati aliquid debet, et cui 1
Fiscus aliquid debet, ille cum Fisco potest compensare, *supra l. 1.* Sed excipitur 1. Si priva- 2
tus sit debitor ex Calendario, i. e. si mutuum sumpsit a Rep. nam in pecunia nervus Reip. consistit. Per *Calendarium* autem hoc loco liber rationum, in quem pecuniae foeneratitiae referebantur, intelligitur, ut describunt Calendarium *Lexicographi, Zang. de Exc. p. 3. c. 8. num.* 12. 2. Si vectigal debeat: 3. Si debitor fisco ex causa victus vel annonae debeat: 4. Ex causa tributi: 5 Ex causa alimentorum, quae civitas suppeditat pauperibus: 6. Si pecunia statutis sumptibus servit, id est, ad certos usus publicos pertinet: 7. Si debeat ex causa fideicommissi, ubi concurrit et favor testamenti et favor Fisci: 8. Si a fisco quid emi, *l. 7. h. t. et l. 46. ff. de jure Fisci*, pretium illud cum mutuo, quod Fiscus mihi debet, compensare non possum: 9. Si sint diversae stationes vel officia Fi- 3
sci, *l. 1. h. t.* Ex his apparet, raro cum Fisco admitti compensationem. Vid. *Molina de J. et J. Disp. 560. num. 25. Don. l. 16. c. 15. Pereg. de jure Fisci lib. 6. tit. 7. num. 15. Trent. d. l. num. 11. Zang. de Exc. d. c. 8. num. 21. et seq.* Fusius *Auctor in l. fin. ff. h. t. per tot.* Sed quaeritur hic: 1. *An id, quod hic dicitur de Republ. etiam in omnibus civitatibus locum habeat?* Quod affirmatur in terminis habilibus 4
quando scilicet alimenta debet civitas et similia; Nam quamvis primo de Republ. dicat, postea tamen civitatis fit mentio, *Flores Diaz. lib. 2. Q. 21. num.* 164. 2. Quaeritur: *An quod de alimentis dicitur hic, in aliis etiam debitoribus locum habeat, ut quod quis alimentorum nomine debet, non possit cum alio compensare?* Et hoc affirmant *Surdus de alim. tit. 8. Priv. 53. num. 5. et tit. 7. qu. 10. num. 8. et Barb. hic num. 12. Carpz. p. 1. Jurispr. c. 8. def.* 9. Idem in Decimis, *Romanus sing.* 551. *Trentac. d. l. num. 16. Bart. hic num. 17. Wesenb. in C. h. t. num.* 12. et in piis causis, *Phanucius de Lucro Dotis Gl. 8. num. 77. in fine. Wesenb. C. h. t. num.* 12.

L. Si constat. 4.

SUMMARIA

Compensatio fit ipso jure in concurrente quantitate, et pro rata, et impedit cursum usurarum. num. 1.
An ita fiat compensatio ipso jure, ut neque exceptione, v. g. facto hominis opus sit? 2. 4.
An detur compensatio, si usurarium debitum cum non usurario concurrat? 3. 5.
Si debitor ex pluribus causis suum debitorem habeat obligatum, si compensatio fiat ipso jure, in quo debito facta intelligatur? 6.

Debeo tibi decem cum usuris, tu vero mihi 1
debes viginti cum usuris, ipso jure ac instar solutionis hic datur tibi compensatio in concurrente quantitate, scil. in decem, in residuis de-

cem tantum mihi manes obligatus, et debes tantum usuras ex illis decem. Nota bene: Compensatio fit ipso jure in concurrente quantitate et pro rata, et impedit cursum usurarum. Ex hac lege probant, compensationem ipso jure fieri ex eo tempore, quo utraque pecunia debetur, *Trent. l.* 3. *Res. t. de Comp. Res.* 1. *num.*
2 24. Acriter hic disputant Interpretes, 1. an ita fiat compensatio ipso jure, ut neque exceptio-
3 ne. v. g. facto hominis opus sit? 2. an detur compensatio, si usurarium debitum cum non
4 usurario concurrat? In Prima quaestione vera est sententia, omnino factum hominis accedere debere, si enim adversarius desideraverit, et Judex approbaverit, tunc demum locum habet compensatio, potest enim Judex reprobare, *l.* 7. §. *ult. ff. h. t.* Sed si opposita jam sit, retro vim exerit suam, non a die exceptionis vel admissionis, *l.* 11. *ff. et l.* 10. *C. h. t. Pac. cent.* 4. *q.* 37. *Hillig. d. c.* 15. *Lit. ff. Bacch. in Treutl. Vol.* 1. *Disp.* 25. *thes.* 10. *Lit. E. Wesenb. in C. h. t. num.* 6. *Vinc. de Franc. Dec.* 53. *num.* 2. *Tiraquell. in l. si unquam, verbo*, revertatur *num.* 15. *et de retr. consang.* §. 3. *Gl.* 3. *num.* 8. *Petr. Barb. in l.* 8. §. *ob donationes num.* 31. *ff. Sol. Matr. et August. Barb. prolixe hic num.*
5 12. In secunda quaestione, pone me tibi obligatum esse ex mutuo in centum, et stipulatus es usuras, postea tamen mihi sine usuris debere incipis centum, ibi non amplius potes usuras computare, quia non sum in mora; ideo autem non sum in mora, quia tu petere non potes tua centum, *Castr. hic, Molin. d. Dec.* 560. *num.* 1. et quos allegat *August. Barb. hic num.* 21. et
6 conf. *not. l. seq.* Deinde et illud controversum, si debitor ex pluribus causis habeat obligatum suum creditorem, a quo convenitur, et si compensatio fiat ipso jure, in quo debito facta intelligatur. Resp. ipso jure quidem fieri, sed facto hominis opus esse, ut debitor non tantum opponat compensationem, sed etiam declaret, in quo debito compensationem fieri velit, sicut etiam in solutione debitoris est electio, *Dn. Mev. p.* 1. *dec.* 116.

L. Etiamsi. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Qu. an petitioni fideicommissi opponi possit compensatio? 2.
Pro qua parte debiti compensari potest, pro ea parte impeditur cursus usurarum. 3.
Etiam ea in compensationem veniunt, quae debentur officio judicis. 4.

1 Honoratae debeo ex fideicommisso centum, et cum interpellatus ante quinquennium non solverem, ex eo tempore ad usuras obligor, illa autem mihi debet ex contractu etiam ante quinquennium quinquaginta, sed sine usuris; Quae-
2 ritur 1. *An petitioni fideicommissi, quia videtur privilegiata, possit opponi compensatio?* Quod affirmatur ex *l.* 2. *ff. h. t.* Ergo sola quinquaginta petere potest. Sed Quaeritur: *An ex omnibus centum possit petere usuras, praesertim cum illa mihi nullas usuras debuerit?* Resp. Quod non, nam aequitas compensationis excludit quaestionem usurarum, id est, ab eo tempore, quo mihi illa 50. debuit, ratione omnium centum usuras petere non potuit, quippe cum pars compensatione ipso jure fuerit sublata, *l. praec.* Collige: Pro qua parte debiti compensa- 3
ri potest, pro ea parte impediri cursum usurarum. Ex dictis apparet, quod rationem dubitandi constituam in eo, quod ex altero debito hic debeantur usurae, ex altero non. Alii rationem cum *Gl.* constituunt, ut *Castr. et DD.* communiter, quod, quae ut fideicommissa debentur, non deberentur olim actione, sed officio judicis. Et ita ex *hac l.* colligit *Br. Bl. Castr.* et alii, quod et ea in compensationem veniant, 4
quae debentur officio judicis. Sunt qui in eo constituunt rationem dubitandi, quod actio ex Testamento sit stricti juris, et ideo ex constitutione Divi Marci etiam in actionibus stricti juris habet locum compensatio, quod clarius habetur *in* §. 30. *Inst. de Actionibus.*

L. Neque. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Scriptura non est modus introducendae obligationis, ubi creditor fatetur reum nil accepisse. 2.
Decisio casus h. l. 3.

Maritus scripserat se dotis vel mutui titulo 1
accepisse centum, soluto per divortium matrimonio, uxor agebat ad restitutionem, maritus excipit, 50. sibi non esse soluta: et 2. Uxorem sibi 50. abstulisse, ita ergo 50. residua vult compensare, utrumque fateri cogitur mulier, sed putat ad 50. priora maritum per scripturam teneri: et 2. Compensationi obstare privilegia dotis, Resp. Imper. Scripturam non esse 2
modum introducendae obligationis, ubi creditor fatetur reum nil accepisse. 2. omnino illa 3
amota 50. cum 50. dotis nomine acceptis compensari posse, secus enim esse in specie in dotem data, *l. un.* §. *sed nunc retent.* 5. *C. de Rei Uxor. Act.* imo si mulier negaret a se amota 50. maritus ipsam reconvenire posset, et teneretur ipsi mulier respondere, neque aequum esse maritum condemnari prius, *Kremb. ad* §. *in bonae fidei* 30. *Inst. de Act. num.* 29. *et seq.* Sed huic vehementer obstat *d. l. un.* §. 5. ubi dicitur, propter res amotas non denegari debere restitutionem dotis, ideoque *hanc l.* cum *Gl.* alii intelligunt de alia pecunia mutuo data a muliere, non in dotem. Sed non absurdum, etiam de dote *hunc text.* accipere. Et praeter responsionem supra datam responderi potest, aliud esse loqui de retentione, aliud de compensatione, et communius videtur receptum, per *d.* §. 5. compensationem non esse sublatam, *Tyndarus Tr. de Compens. Art.* 5. *num.* 43. *Hill. lib.* 11. *c.* 8. *lit. C.* idque magis, cum alia ratio reconventionis. Nam si maritus de dote conventus, nuda allegatione exceptionis rerum amotarum se defendere vellet, non est audiendus, per *d.* §. 5. Sed si reconveniret Uxorem, natura processus postulat, ut uterque processus simul finiatur. Neque obstat si quis dicat, dotis constitutionem esse hic manifestam et li-

quidam, reconventionem rerum amotarum esse illiquidam, et sic illam non debere tardari per hanc. Nam responderi potest Imperatorem tantum jubere, ut mulier mutuae petitioni respondeat, ex qua responsione apparebit, an liquida sit causa reconventionis, nam si fateatur res a se amotas uxor, non minus liquida erit, quam actio dotis. Sed illud mirum, quod hic reconventio videatur compensatio dici: Ad quod *Bl.* et *Salyc.* dupliciter respondent. 1. Quod compensatio improprie vocetur hic reconventio per *l. amplius ff. rem ratam haberi.* 2. Vel quod cum compensatione simul reconventio fuerit juncta. Addi posset. 3. Reconventionem hic proprie fuisse, quam Imp. propter affinitatem effectuum compensationem vocat. Quicquid sit, patet tamen ex *hac lege* magna inter utramque similitudo.

L. Si ex venditione. 7.

SUMMARIA

Quod debetur ex mutuo, potest compensari cum eo, quod debetur ex alio contractu. num. 1.
Limitatio. 2.
Jus Fisci non habent regulariter civitates. 3.

1 Si quis a me petat decem ex mutuo, possum compensare cum eo, si mihi debeat ex emptione rei meae, scilicet si ille sit privatus, secus
2 si a Fisco quidem, per *hanc l. et l.* 46. §. 5. *ff. de jure Fisci.* Ratio in *l.* 3. *supr. h. t.* Sed quaeritur: *An hoc quod de Fisco hic dicitur, ad omnem bursam civitatis pertineat?* Quod negat *hic Baldus* et subdubitans *Salyc.* nisi jura fiscalia praescripsissent: et sane ex *d.* §. 5. apparet
3 hoc esse jus Fisci, jus Fisci autem non habent regulariter civitates, nisi in iis juribus, in quibus jura Fisci praescripserunt, de quo alibi.

L. Si propter. 8.

SUMMARIA

Legatum cum fructibus perceptis et comsumptis compensari potest. num. 1.
Debita utrinque compensanda in quantitate consistere debent. 2.
Limitatio. 3.

1 Vitricus meus usurpavit meum praedium, et fructus percepit indebite, eosque consumpsit, sic ergo pretium sive aestimatio succedit loco fructuum consumptorum; sed mater mea legavit eidem meo vitrico centum aureos, quos a me petit, Quaeritur; *An illud Legatum cum fructibus preceptis et consumptis compensari possit?* Quod affirmatur per *l. hanc,* quia quantitas cum quantitate compensatur, hic autem ab utraque parte debetur quantitas, Ergo etc. *l.* 2. *ff. h. t.* Nec impedit hanc compensationem favor testamenti, per *l.* 5. *h. t.* Collige. Fructibus consumptis et in aestimationem redactis pecuniam cum illis com-
2 pensari posse, et sic necesse esse, ut debita utrinque compensanda in quantitate consistant, *hic et l.* 4. *sup. h. t. et l.* 18. *ff. de Pign. Act. Struv. Sint. jur. civ. Exerc.* 21. *th.* 17. Verum hoc cum 3
temperamento accipiendum; nam potest etiam esse compensatio in rebus, quae non sunt fungibiles, nec in quantitate consistunt, si sint res indeterminatae unius speciei: v. g. debes mihi 12. modios hordei; ego tibi 6. modios debeo hordei, tu mihi equum debes, ego tibi vicissim equum debeo, quia enim ego non meliorem tibi praestare teneor equum, nec praestantius hordeum, et tu neque hoc petere sine rubore a me potes, recte hic admittenda compensatio, *Molin. d. J. et J. D.* 560. *num.* 19. Sic etiam voluntaria compensatio locum habet etiam inter species utrinque debitas, si unus opponat compensationem, et alter in judicio taceat, secus in necessaria, vid. *P. Barbos. ad l. divortio* §. *ob donationes num.* 11. *et seqq. ff. Sol. Matrim.* E contrario licet utrinque quantitas debeatur, si tamen ab una parte quantitas ut species consideretur, non habet locum compensatio, ut si venditor mecum seu emptor paciscatur, ut pro parte pretii eum liberem ab obligatione.

L. Ejus. 9.

SUMMARIA

Compensare possum cum eo, quod mihi debetur, non alii. num. 1.
Fidejussor et debitor pro una persona habentur. 2.
Qu. an filiusfamil. ab alio conventus allegare possit compensationem ex eo, quod actor patri debet. 3.
Alterius vel alienum debitum non potest in compensationem deduci. 4.
Si alieno nomine convenior, non possum compensare id cum eo, quod mihi debetur, sed quod principali meo. 5.
Cedens non potest plus juris in cessionarium transferre quam quod ipse habuit. 6.
An debitor possit opponere compensationem ob debitum sibi a sui creditoris creditore cessum? 7.
Mevius *notatur.* 8.

Ego tibi decem debeo, tu Titio totidem de- 1
bes, Quaeritur: *An ego ex persona Titii compensare possim?* Negatur, quia compensare possum cum eo, quod mihi debetur, non alii, *l.* 18. *ff. h. t. Struv. Synt. jur. civ. Exerc.* 21. *th.* 24. nisi Titius suum nomen mihi cedat, et me constituat procuratorem in rem suam, *l. in rem suam* 18. *in pr. ff. h. t.* Idem est in Fidejussore, *l.* 5. *ff. h. t.* quia fidejussor et debitor pro 2
una persona habentur, et eorum obligatio quasi ex uno contractu oritur, *Dn. Mev. p.* 1. *dec.* 117. *et pr. dec.* 217. Idem in duobus reis si socii sint, *l. si duo.* 10. *ff. de duobus Reis,* de quo *Cuj. in hac l. tom.* 3. *p.* 363. Sed quaeritur, quid in filiofamilias, *An ille ab alio conventus non* 3
possit allegare compensationem, ex eo quod actor patri debet? Et id affirmat *Molina d. D.* 360. *num.* 21. qui utitur in argumentum *l.* 9. §. *fin. h. t.* Sed ibi specialem rationem esse liquido ex verbis textus, et ex ratione ibi addita apparet, ibi: *quia unus contractus est.* Intelligendus autem est *iste* §. *ex princ. legis* de contractu societatis, et est hic ejus sensus: filiusfamil. contraxit societatem cum Titio, obligatio statim patri adquiritur, qui ideo etiam socius videtur, agitur

cum filiofamilias socio in solidum, ex eodem contractu debetur Patri aliquid, qui se societate immiscuit, quasi per filium quaesitum, id quod patri debetur ex eadem causa filius compensabit, quia unus est contractus, ita *Cujac. hic* allegato loco rectissime. Et sic contrarium fere videtur ex *d. l.* 9. §. *fin.* colligi, alterius
4 debitum vel alienum debitum non posse in compensationem deduci, licet velim de rato cavere,
5 *Tynd. d. Tr. Art.* 7. *num.* 6. Sic si alieno nomine conveniar, ut Procurator vel Tutor, non possum compensare id cum eo, quod mihi debetur, sed quod principali meo, *l. posteaquam* 21. *ff. h. t.* Quaestionem hic movent *Gl. et DD.* si te constituerim procuratorem in rem tuam, vel, quod idem est, si tibi cesserim nomen, quo mihi Titius obstrictus erat, sed ego Titio etiam debebam aliquid ex alio capite; Quaeritur: *An Titius tibi ut cessionario agenti possit compensationem, ex eo quod ego vicissim debeo, opponere? Quod hic* negat *Castr.* Aff. verior videtur *Salyc.* Alii distinguunt; utrum cessio facta sit voluntarie, an ex necessitate, illo casu obstare cessionario compensationem, hoc vero casu non, per *l.* 33. §. *fin. ff. de Proc.* Sed fundamentum distinctionis videtur infirmius; nam *illa lex* loquitur de defensione actoris principalis reconventi, sed nos hic de compensatione, quae minuit ipso jure debitum. Alii distinguunt inter cessionem lucrativam et onerosam, et in hac negant compensationem, si non actione directa, sed utili agatur *ex Constit. Imp. Antonini*, quos allegat *Bacchov. in Treutl. Vol.* 1. *Disp.* 25. *th.* 10. *lit. D.* Sed nec haec sententia videtur subsistere, quia etiam in actione utili cessionarius
6 cedentem in effectu repraesentat, et cedens non potuit plus juris in cessionarium transferre, quam quod ipse habuit, cedens autem habuit obligationem compensationi obnoxiam, et per eam ipso jure diminutam, et compensatio etiam rei non personae cohaeret. *Guido Papae Decis.* 567. *Tynd. de comp. Art.* 7. *num.* 4. *et* 5. *Dn. Frantzk. lib.* 1. *Res.* 13. *Zang. de Except. d. c.* 8. *num.* 31. *Jo. a Sande in Tr. de Cession. c.* 13. *num.* 5. Et licet in Practica *Dn. Mevius* admittat illam distinctionem, tamen fatetur, si accuratius examinetur, eam vix subsistere juxta ratiocinationem subtiliorem, *p.* 4. *d.* 140. *num.* 5. Nec quadrat distinctio *Card. Tuschi concl.* 291. *num.* 3. *lit. C.* an ante denunciatam cessionem, an vero post opponatur compensatio, quia hic de mota a cessionario lite agimus, et ita praesupponendum est, semper denunciatam esse ces-
7 sionem. Sed quaeritur: *An debitor possit opponere compensationem ob debitum sibi a sui cre-*
8 *ditoris creditore cessum?* Id negat *Dn. Mevius p.* 3. *dec.* 58. nisi id expresse conveniat, de qua decisione ego valde dubito: quod salva auctoritate tanti Viri dixerim. Nam licet magnus hodie earum cessionum abusus, cessionario tamen compensationem non denegaverim: nam cessionarius est jam creditor et quia ipsi datur actio utilis, multo magis dabitur exceptio compensationis. Nec obstat ratio ex hac lege, quod id, quod ei non debetur, qui convenitur, in compensationem deduci non debeat; nam dico post cessionem omnino ei debetur. Sed forte sensit de cessione post judicium coeptum procurata: et ideo ex dictis interpretanda ea, quae habet *Dn. Mev. p.* 2. *dec.* 132. Nam si pro te ignorante tuum debitum solvam, quatenus tibi utilis est solutio, omnino id in compensationem deducere nihil vetat. Sed si cedens post cessionem factam obligatus esse coepit debitori cesso, haec exceptio non potest opponi, quia debitum hoc cum illo non concurrit uno et eodem tempore, et quando mihi cessit nomen, hoc fuit compensabile, *Thes. Dec.* 221. *num.* 2. *Trentac. d. Res. un. tit. de Compens. num.* 6.

L. Quoniam. 10.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
Petenti pecuniam opponi potest compensatio, licet debitum postea contractum sit. 2.
Venditor rem venditam non tantum a servitutibus, sed etiam ab hypothecis liberam praestare tenetur. 3.

Vendidisti mihi fundum centum aureis, cum 1
liberum promisisti ab omnibus oneribus, postea convenior a creditore, qui habet hypothecam in fundo, cui solvere et ita liberare fundum cogor. 30. flor. hos solvi indebite, respectu tui, nam tuum erat liberare fundum, non meum, ex natura evictionis, sed quia illos 100. aureos solvi pro te, ideo obligaris mihi ad eos 30. flor. restituendos, ideoque in partem pretii tibi imputare possum. Collige: Petenti pecuniam op- 2
poni compensationem, licet debitum postea contractum sit. Et sic emptor, qui pro liberanda re empta solvit creditori venditoris, compensat cum pretio, quia venditor rem venditam non 3
tantum a servitutibus, sed etiam ab hypothecis liberam praestare tenetur, quod utrumque ex textu colligit *hic Salyc.* et alii. Sic vendidi tibi sub pacto de retrovendendo praedium hoc modo, ut mille solvas Titio: quod non praestitisti. Ergo cum tempus reemendi advenit, in partem pretii, illa mille cum usuris tibi imputo, ut nuper in nostro Collegio decisum.

L. Si Tutores. 11.

SUMMARIA

Magistratus, qui minus idoneos nominaverunt tutores tenentur actione subsidiaria. num. 1.
In primipilaribus debitis filius obligatur, licet non sit haeres. 2.
Decisio casus h. l. 3.
Privilegiatum est debitum primipilare. 4.

Parens pupillorum primipili officium gessit, et 1
remansit ex eo officio debitor, eo mortuo Duumviri filio nominaverunt tutores, sed minus idoneos, ideoque tenentur actione subsidiaria, *l.* 2. *ff. de Fidejus. et Nominat. Tut.* Jam cum Fiscus conveniret tutores ob debitum primipilare, hi se non stiterunt, ideoque quia in primi- 2
pilaribus debitis filius obligatur, licet non sit haeres, duum-viri solvunt Reip. debita, quae pater reliquatus erat. *Quaeritur: An si subsidiaria actione duum-viri, qui minus idoneos tutores pupillo petierunt, conveniantur a pupillis, et ita quasi ex delicto, compensare possint cum*

3 *eo, quod pro iis solverunt?* Affirm. si id aequale vel majus est quod solverunt, alias compensatio tantum in concurrente quantitate locum habet, nam et ipsi tutores conventi actione tutelae possunt compensare, quod in rem pupilli impenderint, *l.* 1. §. 4. *ff. de contr. Tut. Act. et l.* 3. *C. eodem. l.* 2. *pr. ff. Ubi Pupill. Educ.* Sed poterat hic de ratione dubitandi quaeri: quam *Baldus* in eo constituit, quia pupillus erat privilegiatus et actio tutelae etiam subsidiaria erat privilegiata. Sed privilegiatum debitum est primipilare.

L. Invicem. 12.

SUMMARIA

Compensatione liberantur pignora, aut solutione. num. 1.
Limitatio. 2.

1 Debeo tibi centum, et dedi pignora; tu mihi debes octoginta. Resp. Compensationem in concurrente quantitate esse faciendam, et quod superest, scilicet viginti possum solvere, aut consignatum solemniter deponere in loco publico, *l.* 19. *C. de sol.* et sic ago actione pignoratitia ad pignus repetendum. Recte ergo ex *hac l.* colligit *Cujac. hic tom.* 3. compensatione liberari pignora, aut solutione, *Struv. Synt. jur. civ. Exerc.* 21. *th.* 27. videlicet, si quantum quis
2 debet, tantum ei vicissim debeatur; at si minus debeatur ei, in id quod amplius debet, tenetur, et pignora in solidum tenentur. Sed liberabuntur pignora superflui solutione vel oblatione et depositione. Sed non videtur hic necessaria esse consignatio, cum etiam sola depositio sufficiat facta in judicio, ut quis possit pignoratitia actione uti, et ut impediatur pignoris distractio, per *l. si rem* 9. §. *fin. ff. de Pign. Act.* et ibi *Castr. num.* 6. *Barb. in l. si debitor* 91. *ff. de Solut. Zang. de Except. p.* 3. *c.* 2. *num.* 120. *et seq. Bald. et Castr.* distinguunt, utrum extra judicium offeratur, an vero in judicio; ut illo casu consignatio requiratur, hoc casu vero non, et cum his consentit etiam *Neguz. de Pign. part.* 5. *pr. m.* 2. *hujusque parte* 3. *num.* 4.

L. Si velut. 13.

SUMMARIA

Casus quem ponit Glossa ad h. l. num. 1.
Cujacii *casus super h. l.* 2.

1 *Glossa* speciem ita ponit: Debui Fisco viginti, ejus Procurator vult compensare, qui mihi obligatus est ratione suae personae et ego ob hanc compensationem etiam per quietantiam administratorem libero; sed quia contra *l.* 3. *h. t.* haec compensatio facta, ideo successor Mutiani retractat hanc compensationem et ego solvere cogor. Resp. non indebite me solvisse, sed quia ista compensatio non recte facta, contra Mutiani
2 haeredes integra actio est. Verum *Cujac.* a Glossa et a DD. hic et horum recepta interpretatione discedit, et speciem ita constituit: Fiscus petit a me tributa, ego quod vicissim mihi Fiscus debet; cum initio compensare vellem, postea non compensavi, imo scripsi me compensationem omissurum, et solvi solidum Fisco, quod petebat. Quaeritur: *An mihi detur condictio Soluti?* Minime: nam jus compensationis hoc casu non habebam, sed si solvi, quod compensando potui non solvere, mihi indebiti condictio competit, at si solvi, quod compensando non potui servare, mihi non competit condictio indebiti, at mihi dabitur crediti mei petitio, *hic et l. qui invicem. ff. de Cond. Indeb.* et sane interpretatio haec textui multo convenientior videtur.

L. Compensationes. ult.

SUMMARIA

Compensatio ipso jure fit. num. 1.
Exceptiones, quae jure extinctam obligationem esse arguunt, etiam in ipsa executione opponendae. 2.
Compensatio est quaedam solutio. 3.
Etiam in realibus actionibus quandoque locum habet. 4.
Invito creditore aliud pro alio solvi nequit. 5.
Non est audiendus, qui vult compensare illud debitum quod in continenti non potest probare. 6.
Limitatio. 7.
Constitutiones novae strictissime accipiendae sunt. 8.
Quod debitum sit liquidum vel illiquidum, non censetur ex contradictione adversarii, sed cognitione judicis summaria. 9.
Duo excipiuntur, in quibus compensatio locum non habet, in deposito scil. et qui violenter possessione dejectus. 10. 12.
Depositum confessatum tamdiu habetur pro vero, donec probetur contrarium. 11.
Potest tamen quis ob impensas in rem depositam factas, donec restituantur, rem retinere. 13.

Pr. Duo dicit: 1. Compensationem ipso jure, 1
civili scilicet, fieri, id est, ut Praetor non det Exceptionem, sed ipso jure civili nulla maneat obligatio, *pr. Inst. Quibus modis tollitur obligatio, l.* 5. *sup. de Pactis. Struv. Synt. jur. civ. Exerc.* 21. *th.* 26. adeo ante executionem quovis tempore opponi potest. Nam exceptiones, 2
quae jure extinctam obligationem esse arguunt, etiam in ipsa executione opponendae, *hic et l.* 2. *supr. h. t. Surdus Decis.* 191. et compensatio non impugnat sententiam, sed eam potius confirmat, eo quod compensatio sit quae- 3
dam solutio, *per l. si debitor ff. Qui Potiores in Pign. Gail. lib.* 2. *Obs.* 17. *num.* 10. *Trentac. Tit. de Except. Resol.* 1. *num.* 16. *Ant. Padilla ad l.* 1. *C. de juris et facti Ignor. num.* 38. *Hillig. in Donell. Lib.* 22. *c.* 8. *Lit. L. Carpz. P.* 1. *Jurispr. C.* 8. *D.* 6. *et p.* 1. *C.* 3. *D.* 19. Dicit 2. etiam in actionibus realibus illi locum 4
esse; quod communiter restringunt ad eum casum, quo res petita periit culpa possessoris, vel post litis contestationem, id enim vel ipsa vox *compensationis* infert, *l.* 4. *h. t. l.* 18. *pr. ff. de Pign. act.* invito enim creditore aliud pro 5
alio solvi nequit, *l.* 2. §. 1. *ff. de R. Cr.* nec aliquis ad vendendum cogi potest, *l. nec emere.* 6. *C. de jure Delib.* Compensabit igitur reus

actione reali conventus pecuniam sibi ab actore
debitam, si species petita extare desinat, quan-
do scil. res petita culpa aut dolo possessoris pe-
riit, *l. qui restituere* 63. *ff. de R. V.* quo casu cum
petitur aestimatio, non petitur quod nostrum
est, sed quod nobis debetur. Quod ipsum per
verbum *compensationis* satis hic significatur,
Zang. d. c. 8. *num.* 14. *Molina d. D.* 560. *n.*
18. *Bacchov. in Treutl. th.* 7. *lit. C.*
6 §. 1. *et* 2. Quando debitum, quod reus cum
actore compensare vult, in continenti probari
non potest, tunc non est audiendus, sed illa
lis in actionem principalem differatur, quod
tamen *DD.* ad illum casum adstringunt, quando
reus negavit primo debitum, et pene convictus
7 est, ut ex verbis patet, alias si reus statim bo-
nam fidem agnoscat, et compensationem alle-
get, audiendus est, licet non sit liquidum, quia
scilicet interim debitor non solvendo fieri po-
test. 2. Potest esse naturale, quod non actione,
sed compensatione consequi potest. 3. Dum ac-
torem relevat onere probandi, ipse ab eodem
relevandus est, *arg. l. eum qui* 30. *pr. ff. de
jurejur.* et ita etiam consentit cum *Glossa Bart.
hic*, sed *Baldus et Paul. Castr. in fin.* negat,
qui dicit, hanc in textu tantum esse causam
impulsivam, et *Tynd. de Compens. art.* 8. *n.*
37. Sed prior sententia aequitati et verbis legis
conformior, et facit ad minuendas lites, quam
etiam sectantur *Marant. p.* 4. *speculi dist.* 6.
num. 3. *Panorm. in c. cum Joan.* 10. *X. de
Fide instrum. Surd. cons.* 246. *Socin. reg.* 86.
Caepoll. Caut. 33. *Trent. d. Res. un. Tit. de
Compens. num.* 22. Et sane haec sententia sua-
8 detur ex eo, quod constitutiones novae strictis-
sime sint accipiendae. Sed non putarem exclu-
dendum esse arbitrium judicis, cujus est despi-
cere, an calumniandi animo videatur objecta
compensatio vel procrastinandi, an actorem suble-
9 vaverit confitendo, etc. Et sic quod sit liquidum,
vel illiquidum non censetur ex contradictione
Adversarii, sed cognitione judicis summaria, *Dn.
Mev. p.* 2. *dec.* 16. *Struv. Synt. jur. civ. Exerc.* 21.
th. 20. Fisco autem si opponam jus non liqui-
dum, intra bimestre debeo probare, *l. aufert*
46. §. *qui compens.* 5. *ff. de jure Fisci.* Duo
autem excipiuntur, in quibus compensatio lo- 10
cum non habet: I. Depositum, *Struv. Synt. jur.
civil. Exerc.* 21. *th.* 23. *num.* 3. ubi ut exceptio
congruat regulae, intelligenda est pecunia vel
quantitas debita, vel si dolo depositarii res pe-
rierit et ita agatur, ad aestimationem, non ta-
men locum habebit compensatio, tum ob fidem,
quae hic exuberat, tum ne depositarius suo do-
lo, vel lata culpa sibi compensandi jus acquirat.
Nec igitur subsistit eorum opinio, qui putant
in consumpto deposito cessare hoc privilegium,
ut vult *Medices de Compens. P.* 1. *q.* 19. *num.*
4. citatus *a Wesenb. in C. h. t. num.* 4. nam
non est praesumendum, Imperatorem hic lo-
cutum esse de una tantum specie, scilicet de
deposita quantitate numerato tradita, et cer-
tum est, depositum consumptum alias etiam
habere privilegium in concursu creditorum. Nec
etiam comprobo opinionem quae hic dicta ad
depositum verum restringit, et depositum con-
fessatum excludit, quia depositum confessatum 11
tamdiu habetur pro vero, donec probetur con-
trarium, et qui confessus est, se depositum
suscepisse, non potest venire contra propriam
confessionem, *l. generalit.* 13. *tit. praet.* Ideo-
que hoc privilegium etiam confessato deposito
recte tribuit *Card. Mant. de Tac. et Amb. Conv.
lib.* 10. *tit.* 10. *num.* 12. *et seqq. Petr. Barb.
ad l. divort.* 8. §. *ob donationes num.* 14. *ff.
Sol. Matr. Fachin. lib.* 2. *Cent. c.* 93. Imo ne
quidem, si et depositarius petat depositum, hoc 12
privilegium cessare putat *Mol. Tr. de J. et J.
D.* 526. *num.* 4. et argumento hujus textus e-
tiam retentio in deposito omni prohibita, prae-
texto alicujus debiti, de quo postea agetur in
l. pen. C. Depositi. quo se Imp. hic refert. Haec
tamen lex ultima hujus Tituli non excludit re- 13
tentionem rei depositae ob impensas in rem
factas, sed tantum accipienda de compen-
satione ac retentione ex diversa causa, *Struv.
Synt. jur. civ. Exerc.* 21. *th.* 23. II. Qui vio-
lenter possessione dejectus, illi nulla compen-
satio opponi potest, quia ne quidem ejusdem
criminis exceptio ipsi opponi potest, sed debet
ante omnia restitui, *l. si quis ad se* 7. *C. de
Via Publica.*

TITULUS XXXII.

De Usuris

L. Si interrogatione. 1.

SUMMARIA

In mutuo per stipulationem usurarum obligationem sibi quis quaerere debet. num. 1.
Stipulatio quomodo probetur. 2.
Scriptura non est modus obligandi, sed probandi. 3.
Notabilis differentia inter instrumenta, et testium dicta. 4.
Intrinseca solemnitas in testium dictis non praesumitur. 5.

Licet Usurae etiam pacto vel officio judicis in- 1
terdum debeantur; in mutuo tamen per stipula-
tionem usurarum obligationem sibi quaerere quis
debet, quae stipulatio probari potest, si instru- 2
mento scriptum, me promisisse, per §. *si scriptum*
16. *Instit. de Inut. Stip. et* §. *final. Instit. de
Fidejuss.* licet ex Instrumento non probari pos-
sit, factam fuisse interrogationem et promissio-
nem, potest tamen aliunde probari. Ratio in *l.
cum res* 12. *sup. de Prob. l.* 4. *sup. de Fide
Instr.* Scriptura non est modus obligandi, sed 3
probandi. Quoniam hic dicitur probari debere
interrogatione praecedente promissionem usu-

rarum recte factam esse, ideo *Glossa hic*; ut et *Bart. Bald. Castr.* et alii notabilem colligunt
4 differentiam inter instrumenta et testium dicta. Nam in instrumentis sufficit vocabulum promissionis, et praesumuntur omnia rite per interrogationem et in continenti factam responsionem esse acta, *d.* §. 16. *Inst. de Inut. Stipul.* §. *fin. de Fidejuss.* Sed in testium dictis hoc non sufficit per *hanc l.* sed necesse est ut deponant de interrogatione praecedente et subsecuta promissione, et sic intrinseca solemnitas in instrumentis praesumitur, sed non in testium dictis. Quidam rationem differentiae constituunt in peritia Notarii, sed haec ratio displicet *Barb.* quia idem in instrumento privato, ob generalitatem textuum. Ideoque melius *a Br. et Castrensi* illa in hoc constituitur, quod instrumenta fiant de communi consensu partium, ideo omnia verba in iis posita censentur posita meliori modo, quo possunt, sed testes producuntur ab una parte, et ideo eorum dicta stricte intelligenda, et deponunt tantum de his, quae percipiuntur sensu aliquo corporeo, *l. Testium sup. de Testibus*; non vero de iis, quae percipiuntur intellectu, qui tunc magis judices essent quam testes. Nec obstat, quod in *l. lecta ff. de rebus Creditis* habeatur verbum, *convenit*, et tamen non intelligitur stipulatio. Nam resp. *hic DD.* vel fieri propterea, quod verbum, *convenit*, est proprium pactorum, vel id fieri odio usurarum; sed quia in instrumento promissio usurarum facta praesupponit solemnitatem, et hic etiam de usuris quaerimus, praeferenda est prior solutio. Sed qui fit, quod hic optimo jure usurae per stipulationem debeantur? *Glossa hic* distinguit, quod bono jure debeantur in casu, ubi usurae peti quidem non possunt, sed solutae non repetuntur, meliore, quando per pactum in bonae fidei judic. promittuntur, optimo vero jure per stipulationem.
5 Collige etiam: Intrinsecam solemnitatem in testium dictis non praesumi, *Menoch. l.* 3. *praesumpt.* 132. *num.* 25. *Mascard. de probat. concl.* 1321. *num.* 19. Conf. *Tuschus concl.* 343. *num.* 3. *Cald. de Empt. cap.* 8. *n.* 3. *et c.* 28. *n.* 2.

L. Usuras. 2.

SUMMARIA

Emptor si post rem venditam traditam non solvat pretium, tenetur ad usuras pretii. num. 1.
Limitatio. 2.
Ampliatio. 3.
Emptor pro ratione et quantitate fructuum perceptorum tenetur ad usuras praestandas 4.
Alia limitatio. 5.
Sola depositio privatim vel publice inscio creditore facta sine praecedente oblatione non relevat debitorem. 6.

1 Emptor si pretium non solvat, postquam res tradita est, propterea quia fructus percipit ex re et in mora est, tenetur ad usuras pretii, *l. Julian.* 13. §. *ex vendito* 20. *ff. de Act. Empti*,
2 nisi obtulit pretium totum praesens cum usuris et testato opportuno loco et tempore, et quia venditor accipere noluit, obsignatum deposuit, *l.* 1. *in fin. l. debitor* 7. *l. tutor* 41. §. 1. *ff. h. t. l. acceptam inf. h. t.* non si solum in causam depositi habuit, quod non sufficit, per *hanc* 3
l. Collige ex *hoc textu:* I. Emptorem teneri a 4
tempore traditionis rei emptae ad usuras, causa est in mora, quia licet non sit interpellatus, quia tamen venditor a sua parte implevit contractum, eo ipso emptor constitutus videtur non in vera, aliquali tamen mora, quia haec impletio contractus facta a venditore, monere debebat emptorem, ut a sua parte etiam impleret, quod *Barb. et Castr. hic* in omni contractu ultro citroque obligatorio locum habere putant, quod uno implente ex parte sua in instanti, alter constituatur in mora, non quidem in vera, sed ficta ratione usurarum. Deinde emptor habet facultatem percipiendi fructus ex re empta, ergo etiam debet statim commoditatem fruendi pretio transferre in venditorem. Canonistae au- 5
tem aequitatem usurarum harum jure Canonico non prohibitarum constituunt in fructibus perceptis, ita ut emptor etiam pro ratione et quantitate fructuum perceptorum, ultra vero non teneatur ad usuras. Vid. *Covar. lib.* 3. *Resol. c.* 4. *Molina de J. et J. Tr.* 2. *D.* 368. *num.* 9. Sed dicere quis poterat; si ad emptorem pertinent omnes fructus a die emptionis percepti, utique etiam usuras pretii, non tantum a die rei traditae, sed celebrati contractus debebit. Resp. *Glossa*, hoc venditorem non posse petere, quod *Castr.* ita explicat, nisi rem obtulisset, nam si emptor fructus omnes petat recte, etiam omnes solvet usuras, sed si venditori relinquere velit ante diem traditionis perceptos, non tenetur ad usuras, nisi a die traditionis. Sed et dici potest fructus rei venditae non prius ad emptorem pertinere, quam hic pretium offerat, vel venditor fidem de eo habeat, neque enim aequitas patitur, ut res prius fructum ferat emptori, quam emptor pretium rei solvit, *Covarr. d. c.* 4. *num.* 7. *Anton. Gomez Tom.* 2. *Resol. c.* 2. *num.* 11. *et lib.* 2. *Resol. c.* 15. *num.* 2. *Molina de J. et J. d. D.* 368. II. Solam depositionem privatim 6
vel publice inscio creditore factam, sine praecedente oblatione, non relevare debitorem, v. g. etiamsi coram amicis pecuniam obsignet et deponat eamdem venditori reservaturus.

L. Quamvis. 3.

SUMMARIA

In stricti juris judiciis usurae regulariter non petuntur, nisi per stipulationem promittantur. num. 1.
Usurae nudo pacto promissae et solutae per errorem juris, condici ut indebite solutae non possunt. 2.
Pacta in continenti adjecta etiam stricti juris judiciis insunt, eaque informant. 3.
Quae olim per stipulationem poterant valide promitti, illa hodie nudo pacto deliberato tamen facto promitti possunt. 4.
Frustra de vi pactorum in continenti adjectorum vel secutorum disputatur, si juris tradita ex usu aestimamus, et ex natura scientiae practicae. 5.
Limitatio. 6.

1 Quamvis in stricti juris judiciis (secus in b. f. judic.) ut foenebri pecunia, id est mutuo, (ad quod tamen hoc vult restringere *Caldas de Empt. cap.* 23. *num.* 45.) usurae regulariter non petantur, nisi per stipulationem promittantur, cum ex nudo pacto nulla actio, sed tantum
2 naturalis obligatio prodeat; tamen si nudo pacto promissae, solutae sint per errorem juris, condici ut indebite solutae non possunt, quia naturaliter debentur, per *l. naturaliter* 13. *ff. de condict. indeb. l. naturalis* 10. *ff. de oblig. et Act.* nec in sortem possunt computari. Colligi
3 posse videtur ex *hoc textu*; Pacta in continenti adjecta stricti juris contractibus non inesse, nec ea informare. Sed posset responderi pro illis, qui contrarium statuunt, hic de usuris agi, quae sunt sua natura odiosae, *Doctores* in hac controversia citati *supra ad l.* 13. *C. de Pactis*; quamvis ea controversia hodie in foro
4 vix ullum usum habeat, nam quae olim per stipulationem poterant valide promitti, illa hodie nudo pacto, deliberato tamen, promitti possunt ex aequitate Juris Canonici, quicquid in contrarium alii disputent, quae sententia notorio usu recepta. Et sic hodie usurae ex mutuo debentur, licet pacto saltem sive in continenti adjecto, sive ex post facto interposito promissae, adeo ut non tantum solutae repeti non possint, sed ut etiam non solutae possint condici et peti, ut experientia quotidiana docet.
5 Frustra ergo de vi pactorum in continenti adjectorum, vel secutorum disputatur, si juris tradita ex usu aestimamus et ex natura scientiae
6 practicae. Sed alia ratio usurarum prohibitarum, v. g. earum, quae etiam propter usuras non mutata persona debitoris promittuntur, nam hae nec per stipulationem, nec per pactum promittuntur, et solutae repetuntur, per *l. si non sortem* 26. §. 1. *ff. de cond. indeb.*

L. Per retentionem. 4.

SUMMARIA

Casus ejusque decisio. num. 1.
Sicut usurae solutae merito retinentur, ita etiam pignora pro sorte et usuris obligata pro usuris retinentur. 2.
Qu. an pignus pro sorte obligatum etiam pro usuris videatur obligatum. 3.
Repetita non videntur in diverso contractu, quae in alio priori contractu dicta sunt. 4.
Insignis limitatio regulae illius, quod pignora etiam ob chirographarium debitum retineri possint. 5.

1 Creditor dederat mihi mutuo centum, cui promisi sortem cum usuris minoribus me soluturum, et dedi ob id pignora, postea placuit ut majores usuras solverem, sed nulla facta mentio pignorum. Resp. Minores usuras licet nudo pacto promissas, servari posse per retentionem pignoris, cum hoc etiam pro naturali debito dari possit, *l. res hypoth.* 5. *pr. ff. de Pign.* sed non majores usuras, quia tunc, cum hae promitterentur, de pignore nihil dictum, *l.* 3. *ff. Quae res Pign. oblig.* Colligitur I. Licet usurae
2 tantum naturaliter debeantur, sicut tamen usurae tales solutae merito retinentur, ita etiam pignora pro sorte et usuris obligata pro usuris retinentur. Sed an pignus pro sorte obligatum 3
etiam videatur pro usuris obligatum, id vero altioris indaginis, qua in re *Neguz. de Pign. p.* 2. *pr. m.* 4. *num.* 56. distinguit inter bonae fidei et stricti juris contractus: licet melius distingui possit, utrum usurae sint promissae in contractu, an vero ex mora officio judicis debeantur, ut illo casu pignus teneatur pro usuris, sicut etiam fidejussor illo casu pro usuris et non tantum pro sorte tenetur, *Hering. de fidejuss. cap.* 24. *num.* 232. *et seqq.* II. Repetita non vi- 4
deri in diverso contractu, quae in alio priori contractu dicta sunt, nam praecedentia in contractibus videntur repetita in eodem contractu, sed non in diversis contractibus. Quam materiam hic pluribus excutiunt *Barb. Castr.* et alii. III. Insignem limitationem Regulae ejus; Quod pi- 5
gnora etiam ob chirographarium debitum retineri possint, *l. un. C. etiam ob chirographariam pecuniam, etc.* Nam regula illa locum non habet, quando alia illa obligatio erat naturalis tantum. Sed quia usurae pacto promissae etiam civiliter, ut ita loquar, debentur, probabiliter quis existimare possit, pignora pro sorte obligata, etiam pro usuris pacto promissis, licet pro usuris non obligata, retinere posse. Sed cur non pignora in hac specie legis debentur tantum pro minoribus usuris, v. g. promisi usuras. 4. pro centum et dedi pignus, post annum promisi usuras majores, octo scilicet pro centum, si pignus non valeat pro totis usuris bessalibus, saltem pro dimidia quantitate valebit. Sed non videtur id textus praesens admittere, quia per promissionem majorum usurarum, a promissione minorum, et obligatione pignoris pro minoribus usuris dati, recessisse ambo videntur.

L. Adversus. 5.

SUMMARIA

Si is, cui majores usurae promissae, minores per aliquot annos acceperit, non tantum in praeteritum, sed et in futurum sibi praejudicat. num. 1.
Ampliatio. 2.
Administrator vel Oeconomus Ecclesiae non potest remittere jus Ecclesiae liquidum expresse 3.
Quantum temporis requiratur ad praescriptionem contra majores usuras? 4.
Qu. an idem dicendum de minoribus censibus quod num. 1. *dictum de minoribus usuris.* 5.

Is, cui usuras majores promisi per stipulatio- 1
nem, si per aliquot annos minores usuras a me acceperit, non tantum in praeteritum, sed etiam in futurum sibi praejudicat, ut majores, licet promissas, petere nequeat, est itaque remissio tacita, vel tacitum pactum, *l.* 2. *ff. de Pact.* Ratio dubitandi haec erat, sicut debitor plus solvendo quam debet, sibi non praejudicat, ita nec creditor minus accipiendo: Sed in posteriori casu contrarium suasit favor liberationis, *l. Arrianus ff. de Oblig. et Act.* et odium usurarum, *Petr. Barb. ad l. quae dotis* 31. *num.* 48. *ff. Sol. Matr. Carpz. p.* 2. *Const. def.* 6. *Goden. cons.* 109. *num.* 132. Atque idem est, si defen- 2

sor civitatis minores accipiat usuras odio usurarum quamvis hic alias civitatis jus remittere non possit, *l. 3. ff. de transact. l. solvendo 41. ff.*
3 *de negot. gest.* Ergo colligitur ex hoc, Administratorem vel Oeconomum Ecclesiae non posse remittere jus Ecclesiae liquidum expresse, tacitum tamen per negligentiam suam id facere posse, *Tiraquel. de Retr. Convent. ad fin. tit. num.* 20. *Bacch. ad tit. quod cujusque universit. nomine in fin*; praesertim cum hic de usurarum obligatione agatur, quae sunt in jure odio-
4 sae: quantum autem tempus requiratur, *an solutio usurarum minorum per longum tempus vel decem annorum spatium requiratur, quaeritur?* Et putant quidam requiri decennium, quia multorum annorum fit mentio in *l. qui semisses* 13. *ff. h. t.* Sed non puto evidens id argumentum esse, communiter triennium requirunt *arg. l.* 1. *C. de Fideicomm.* quia si in materia favorabili triennium sufficit ad inducendam obligationem, magis triennium sufficiet ad inducendam liberationem in odiosis, *Sich. hic circa finem.*
5 Sed *quid de annuo censu?* Resp. Si creditor per longum tempus annuos census minores acceperit, teneri etiam iis contentum esse, *Hartm. Pistor. et Dn. Carpz. p.* 1. *Jurispr. Const.* 2. *def.* 5. *Berlich. p.* 2. *c.* 5. *n.* 13. Sed dubium movet, quod annui illi census sint favorabiles, et praecipua ratio hic sit in odio usurarum, quae ratio cessat in censibus, *Sich. hic num.* 3. *Petr. Barb. ad l. quae dotis* 34. *num.* 48. *ff. Sol. Matr.* Ideo forte negativa erit verior, praesertim cum ipse *Carpz. hic* triennium non putet sufficere, sed longum tempus requirat.

L. Si creditrici. 6.

SUMMARIA

Pecuniae obsignatio et solemnis depositio potest sistere cursum usurarum. num. 1. 3.
Quod si procuratori litis in judicio offeratur, an tunc tenet depositio secuta? 2.
Non infrequens est, actum aliquem a principio describi. 4.

1 Quando creditor recusat accipere solutionem, pecunia obsignata solemniter deponi potest ad sistendum cursum usurarum, quod et absente creditore fieri potest, sed tantum in judicio, *Auctor in l.* 7. *ff. h. t. num.* 1. Quod intelligo, citato tamen creditore et per contumaciam absente, per *l. ult. ff. de lege commiss. l. de unoquoque* 47. *ff. de Re judic. Neguz. de Pign. p.* 5. *m.* 3. *part.* 2. *num.* 27. *Georg. Schultz. de*
2 *Obl. Pec. c.* 4. *num.* 28. Sed quid si procuratori litis in judicio offeratur, an tunc tenet depositio secuta? Resp. non statim, quia solvi illi non potuit, sed procurator tenetur oblationem notam facere principali suo sive creditori, quo judicialiter facto et non recipiente creditore, depositio fieri potest, *Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 98.
3 Et ex hac lege etiam communiter *Dd.* probant, ad id, ut per oblationem cursus usurarum sistatur, non sufficere oblationem, sed requiri etiam obsignationem. Nam licet contrarium potius inde sequi putet *Car. Molin. de Usuris qu.* 39 *num.* 293 respondet tamen *Georg. Schultz. d. tr. c.* 6. *n.* 5. illa verba, *ex quo obtulisti*, sic esse intelligenda secundum praecedentia, ex quo
4 obtulisti, consignasti et deposuisti. Nam infrequens non est, actum aliquem a principio describi.

L. Creditor. 7.

SUMMARIUM

Usurae plane non promissae, interim tamen per aliquot annos solutae, in futurum solventem non obligant.

Usuras plane non promissas solvi per aliquot annos; Quaeritur, *An in futurum me obligaverim ad usuras?* Videtur quod sic, ob *l.* 1. *C. de Fideicomm.* et ob *l.* 5. *h. t.* Sed respond. contrarium, *Auctor in l.* 6. *ff. h. t. num.* 1. quia alia ratio Alimentorum, quae favorabilia sunt, et alia ratio Usurarum, quae odiosae sunt; deinde alia ratio Liberationis, de qua in *d. l.* 5. *h. t.* alia vero Obligationis, *Molin. d. tr. qu.* 20. *num.* 205. *et qu.* 18. *num.* 20. *Burcholt. de Usur. cap.* 3. *num.* 56. Sed videtur obstare *l. cum de in rem verso* 6. *ff. h. t.* ex qua *Carpz. d. Const.* 2. *def. ult.* probare vult, praescriptione longi temporis acquiri obligationem usurarum et sortis, *Auctor in d. l.* 6. *ff. h. t. num.* 2. Quod de longissimo etiam tempore ita proponit, *Menoch. lib.* 3. *Praes.* 131. *num.* 51. *et seq.* et prolixe *Gilken. de Praescript. p.* 2. *m.* 1. *cap.* 4. *per tot.* Et haec sententia in foro recepta, de qua vide notata *ad l.* 6. *ff. h. t.*

L. Quamvis. 8.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
Eligens ex clausulis in contractu contentis leviorem, graviori renunciasse videtur. 2.
Eligens poenam minorem videtur renunciasse poenae majori. 3.
Per solam commissionem poenalis stipulationis non fit novatio proprie sic dicta. 4.
An trinae solutiones requirantur hoc casu? 5.

Promisit debitor usuras minores, et sub hac 1
conditione, si per triennium illas non solverit, quod velit postea majores, licitas tamen, solvere, cum cessasset per triennium, obtulit tamen minores, quas creditor accepit: Quaeritur, *An creditor majores petere possit?* Resp. quod non; quia duplices usurae promissae sunt, sub contrariis condicionibus, dum minores creditor eligit, majores repudiare videtur, sicut in *l. de lege* 6. §. *ult. l. pen. ff. de leg. Commiss.* Collige ergo ex *hac l.* Eligentem unam ex clau- 2
sulis in contractu contentis scilicet leviorem, graviori renunciasse videri, et eligentem poenam 3
minorem, videri renunciasse poenae majori; ex quo infert *hic Barb.* Si in statuto statuatur poena pecuniaria, et si intra certum tempus non solverit, sancitur poena corporalis; post moram si acceptetur poena pecuniaria, recessum videri a poena corporali. Et ex hoc textu notat *Castr. hic:* Per solam commissionem poe- 4
nalis stipulationis non fieri novationem proprie sic dictam, cum creditor stipuletur poenam in sui favorem, non in praejudicium, per *hanc l. et l. quamvis pr. ff. de Pign. Act.* Nec obstat *l. obligation. fere* 44. §. *fin. ff. de oblig. et act.* ibi

enim dicitur quod quasi sit novatio, quae effectum suum demum sortitur, si poenam eligat. Nec obstat *l. pen. ff. de Penu. leg.* quia ibi non creditor poenam stipulatus est, sed testator poenam statuit. Ergo in ultimis voluntatibus aliud. Aliter respondet *Goedd. in tr. de stipulat. cap.* 5. *num.* 60. testatorem censeri ademisse prius legatum per posterius, sub hac condictione, si haeres penum non dederit, et sic consentit cum *Castr. Goedd. d. l. num.* 54. *et seq. et Donell. lib.* 15. *c.* 2. *lit. G.* quorum sententia, praesertim novo jure, post *legem ult. C. de Novat.*
5 obtinet. *An autem trinae solutiones requirantur hoc casu, ut in l.* 5. Aff. hoc videtur *Salyc. hic*, sed rectius negat *Castrens.* qui putat, unicam acceptionem usurarum minorum sufficere, quia hic non fit mentio repetitionis vel geminationis actuum, et diversitatis ratio est, quod in illa *l.* 5. minores accipiantur contra stipulationem, hic non, sed ex stipulatione alternativa, ex qua potuit eligere creditor alterutrum. Deinde illic de usuris, hic non tantum, sed etiam de poena agitur.

L. Si per te. 9.

SUMMARIA

Casus l. cum ejus decisione. num. 1.
Quando cursus usurarum ante oblationem nondum fuit inchoatus, sola oblatione pecuniae debitae, sine ulla consignatione et depositione cursus usurarum impeditur. 2.
Si mercator mercatori offert merces pro debito, illa oblatio facit, ut usurae non incipiant currere. 3.
In contractibus stricti juris, ubi stipulatio facta per oblationem, sistitur cursus usurarum, et oblatio sola purgat moram. 4.
In contract. bonae fidei consignatione et depositione opus est. 5.
Mora tutoris nocet pupillo, et mora administratoris censetur domini mora. 6.

1 Eadem ratione debitor minores primo usuras et in casum morae majores promittit, offert minores, quas tamen tutores pupilli accipere nolunt. Resp. non teneri debitorem ad majores, *l.* 9. *ff. h. t.* quia per ipsum non stetit, *l. in jure* 16. *ff. d. R. J.* Imo potuisset etiam a minoribus se liberare, si oblatam sortem et signatam deposuerit, *l.* 19. *ff. h. t.* Collige ex *hoc textu*;
2 Quando cursus usurarum ante oblationem nondum fuit inchoatus, sola oblatione pecuniae debitae, sine ulla consignatione et depositione cursum usurarum impediri, *Castr. hic et DD.* per *l.* 11. *C. h. t. Neguz. de Pign. p.* 5. *m.* 3. *part.* 2. *num.* 2. vers. *quartus effectus est. Heig. ad princ. Inst. Quibus modis toll. obl. num. fin. et Georg. Schultz. in Tr. de Obl. Pecun. cap.* 6. *num.* 5. *sub. fin.* quae sententia in foro recepta, ut testatur *Dn. Mevius p.* 2. *dec.* 199. quod etiam
3 inter Mercatores obtinet, si mercator mercatori pro debito offerat merces, tunc enim illa oblatio facit, ut usurae non incipiant currere, *Dn. Mev. p.* 3. *dec.* 12. licet aliis placeat ma-
4 gis distinctio inter b. f. et stricti juris contractus, in quibus stipulatio usurarum facta, ut illo modo per oblationem sistatur cursus usurarum, quia oblatio sola purgat moram, hoc casu consignatione, et depositione opus est, *Pet. Barb.* 5
in l. si mora, n. 73. *ff. Sol. matr.* Sed si numerasset, consignasset et deposuisset, a sorte et consequenter ab usuris omnibus liberatur debitor, per *hunc textum.* Collige etiam cum *Salyc. hic.* Moram tutoris nocere pupillo, et moram admini- 6
stratoris censeri domini moram esse. Vid. notata *ad l.* 5. *h. t.*

L. Usurae. 10.

SUMMARIA

Ultra duplum sortis usurae exigi non possunt. num. 1.
Limitatio. 2.
In computatione alterius tanti, vel dupli non computantur usurae particulariter solutae. 3.
Hoc tamen per jus Novellarum correctum est. 4.
Dispositio Constit. Imp. de An. 1654. *circa usuras.* 5.

Ultra duplum sortis usurae exigi non possunt, 1
l. pen. inf. h. t. scilicet quae adhuc solvi de- 2
bent, et ut nondum solutae petuntur, ac tum excedunt duplum, sed in duplum usurae ante solutae non computantur, quia lex vetat usuras exigi ultra duplum, sed solutae non exiguntur, quicquid veteres interpretes circa sensum hujus legis allucinantes scripserint, quos refutat *Dn. Thabor. de altero tanto p.* 1. *art.* 2. Collige ergo: In computatione alterius tanti vel 3
dupli non computari usuras particulariter solutas, sed sanctio haec correcta est per *Nov.* 121. 4
cap. 2. et ibi *Godofr. ut et Nov.* 138. *et Nov.* 160. *Dn. Carpz. P.* 2. *Jurispr. Const.* 30. *def.* 26. *et in Asylo debitorum*, ubi prolixe hac de re agit *in cap.* 1. *num.* 201. *et multis seq. Dn. Frantzkius l.* 8. *Resol* 10. *num.* 26. *Dn. Thabor. in tr. de altero tanto p.* 1. *art.* 2. *et* 3. ubi prolixe hoc probat. Et *Dn. Mev. in pr. de Levam. debit. c.* 4. *num.* 31. *et seq. Rittersh. in Novell. p.* 3. *num.* 9. ubi notat. Interim huic legi authenticam aliquam debuisse subnectere, et *Casp. Roder. de Ann. Redit. lib.* 3. *c.* 4. *num.* 32. *Car. Molin. de Usur. num.* 46. Et hujus mutationis ratio omnino in aequitate posita, cum sit multo aequius, legem interpretari benigne pro eo, qui sponte bonam fidem agnovit et usuras solvit, quam pro eo, qui creditorem suum frustratus est et sic expediat esse reliquatorem, *Donell. hic in fin. Dn. Thabor. d. Art.* 2. *n.* 14. *Roderic. d. l.* Aliam rationem addit *Molin. d. l. et Balduinus in Justin.* quod meliori jure alias foret acerbus creditor, qui singulis annis exegit usuras, quam mitis et benignus ac liberalis, qui tam praecise non egisset. Verum haec ratio displicet *Rittersh. d. l.* qui hanc rationem pro lege hac facere putat, quod non capio. Sed hoc tamen addo, intempestivam hanc benignitatem et liberalitatem esse, non exigere usuras, et postea eas simul in eo cumulo petere; quae forte ratio movit Imperatorem in hac lege, sive is Caracalla sive Antoninus fuerit. Sed interpretes alii putant per consuetudinem ad hujus legis dispositionem esse reditum. Conf. *Surd. cons.* 302. *Cothm. vol.* 1. *cons.* 52. *num.* 260. *Mindan. de Mant. lib.* 2. *c.* 73. *Zanger. de Except. p.* 3.

cap. 25. *num.* 29. Et pro hac sententia decisum esse accepi saepius in *Camera Elect. Brandenb. An.* 1607. *die* 17. *Junii in causa Matthias (von Bahren Wittib) contra (Christoff. von Rochaw Erben.) et* 14. *Junii Anno* 1616. *in causa (Jobsten. von Wustenhofen und Lippold von Bredows Creditoren.)* Sed in puncto juris praefero sententiam supra ex luminibus juris relatam.
5 Per constitutionem Imperii de An. 1654. omnes usurae ante Constitutionem illam debitae usque ad quartam remittuntur. Ubi quaesitum legi apud *Mevium p.* 5. *dec.* 82. an sub illa quarta etiam contineantur illae usurae quae post constitutionem solutae, licet illa Constitutio in illa provincia nondum recepta fuerit in foro, quod *d. l.* affirmat, quia Constitutio loquitur de illa usuris, quae ante illam Constitutionem debitae.

L. Ex praediis. 11.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
Oblatio debiti quamvis cursum usurarum non sistat, jus tamen antichreticum solvit. 2.

1 Dedi tibi in securitate debiti pignus hac condictione, ut invicem usurarum fructus perciperes, *l.* 1. §. *pen. ff. de Pign.* ego tibi offero debitum juxta formam *l.* 19. Quaeritur: *An fructus etiam postea percipere possis?* Resp. Non invicem usurarum, quia tunc desinunt usurae, *l.* 9. *h. t.* sed computari debent fructus in sortem. Colligunt exinde DD. Si debitor creditori jure antichretico praedia obligaverit, et colenda dederit ea lege, ut loco usurarum fructibus uteretur creditor, et postea licet aliquot per annos fruitus fuerit fundo creditor, ipsi tamen debitor obtulerit sortem realiter, licet non deposuerit, vel obsignaverit, tamen creditorem fructus amplius non lucrari, sed eos in sortem
2 computare debere. Cur autem oblatio debiti cursum usurarum non sistat, et tamen jus antichreticum solvat, assignatur haec ratio; quod antichresis gravior et odiosior censeatur in jure nostro quam usurarum, et permissa dumtaxat propter incertitudinem fructuum, *Borcholt. in tr. de usuris c.* 6. *num.* 8. *et cap. ult. num.* 14. *Myns. cent.* 6. *obs.* 71. *Bronchorst. cent.* 2. *Assert.* 79. *Coll. Arg. hic th.* 23. *num.* 3. quos sequitur *Georg. Schultz. de Oblat. cap.* 6. *num.* 17.

L. Frumenti. 12.

SUMMARIA

Quando frumentum, vel alia annona mutuo data, usurae etiam nudo pacto promissae debentur. num. 1.
Hocque in foro conscientiae non est adeo improbatum. 2.

1 Quando frumentum vel aliam annonam mutuo damus, usurae etiam nudo pacto, id est, sine stipulatione (cum alias nudum non sit, sed traditione rei vestitum) promissae debentur. Ratio: quia cum harum rerum usus magis necessarius quam pecuniae, invitandi sunt creditores ad mutuandum, vel potius, quia incertum earum rerum est pretium, et sic quia res potest valere minus tempore quo redditur, quam valeret tempore mutui facti, permissum est augmentum promittere. Quae ratio expressa habetur in *l. Oleo* 23. *h. t.* Idque etiam in Foro 2
conscientiae non est adeo improbatum; nam quando mutuo do frumentum, ut illud eo tempore solvat, quo procul dubio et certitudine morali puto rem pluris valituram, et potuissem frumentum in id tempus conservare, si deducam expensas conservandi frumenti, possum aliquod plus pacisci, ut reddatur, non violata justitia, licet lex charitatis videatur quodammodo laedi, si ad necessitatem, non ad mercaturam quis hoc mutuo accipiat, vid. *Navar. in Man. c.* 17 *num.* 219. *Domin. de Soto d. l. et lib.* 6. *qu.* 1. *art.* 2. *Molina tr.* 2. *de J. et J. disp.* 311.

L. In bonae fidei. 13.

SUMMARIA

In b. f. judiciis, nec non testamentis ac legatis, etiam circa stipulationem debentur usurae. num. 1.
Quando usurae officio judicis mercenario petuntur, opus est, ut in sententia adjudicentur. 2.
Limitatio. 3.
Usurarum petitio vel obligatio per sortis solutionem est sublata. 4.
Limitatio. 5.
Lata sententia quiescit cursus Usurarum et incipiunt post quadrimestre usurae rei judicatae. 6.

In bonae fidei judiciis, nec non testamentis ac 1
Legatis, etiam citra stipulationem debentur usurae, quando initio conventum, *l. pen. C. de Pact. inter Empt.* Vel quando debitor in mora, *l.* 32. §. 2. *ff. h. t.* sed non petuntur tales usurae nisi actione principali de sorte, *l.* 4. *C. Depositi*, actione igitur sortis sublata, per solutionem vel sententiam, quae in rem judicatam transiit, qua ab usuris absolutus reus etiam tacite, peti non possunt postea, *l.* 129. §. 1. *ff. de R. J.* Neque actione rei judicatae peti possunt, quia intra tempora judicati nulla petitio, sed postea suo jure petuntur, ut usurae rei judicatae, *t. t. C. de Usur. rei judic.* et hoc est, quod hic dicitur ex causa judicati. Manifesto igitur ex *hoc textu* probatur: Quando usurae officio ju- 2
dicis mercenario petuntur, opus est, ut in sententia adjudicentur, nam quia actio sententia judicis finita, finitum quoque est officium judicis. Et in bonae fidei judiciis non est alia petitio sortis, alia usurarum, *l.* 4. *C. Depositi*, et Judex pronunciata sententia definitiva super negotio principali, officio suo jam functus est, *l.* 4. *C. de Fructibus et Lit. Expensis, Dn. Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 30. *def.* 47. *Zang. de Except. p.* 3. *c.* 17. *num.* 38. Posse tamen judicem 3
eodem die, quo tulit sententiam, supplere de accessoriis, videtur probari posse ex *l. Paulus* 42. *ff. de re judic. Dn. Mevius dec.* 420. *num.* 6. Et ex hoc infertur etiam, solutione sortis facta,

creditorem postea usuras ex officio judicis cum sorte adjudicandas, petere non posse, cum usu-
4 rarum petitio vel obligatio per sortis solutionem sit sublata, *hic et d. l.* 4. *et l.* 49. §. 1. *ff. de Act. Empt. Menoch. lib.* 4. *Praesumpt.* 113. *Bocr. decis.* 18. *num.* 1. *Surd. de Alim. Tit.* 1. *Q.* 43.
5 nisi creditor, dum sortem recipit, per protestationem sibi reservaverit petitionem usurarum, *Menoch. l.* 4. *Praes.* 45. *num.* 18. *et seqq. Carpz. d. Const.* 30. *def.* 14. *Dn. Mev. p.* 1. *dec.* 219. Ast si usurae per stipulationem sint promissae, licet sententia super sorte tantum lata, usurae tamen postea non obstante re judicata peti possunt, *Ant. Faber in suo Cod. lib.* 4. *tit.* 33. *def.* 1. *et Carpz. d. def.* 47. Et hic etiam solutio sortis non praejudicat creditori, quo minus usuras petat, quia ipsae usurae debentur per se ex stipulatione. Aliud si ex conventione, ob moram tamen, debeantur, nam hac peti non possunt, si creditor sortem sine protestatione accepit, *Dn. Mev. d. l.* Sed dices, si sors cum usuris petita, et judex tamen de sorte tantum tulit sententiam, videtur haec sententia nulla esse, ob *l. in hoc judic.* 27. *ff. Fam. erc isc.* Resp. *Castr. hic* summas diversas peti; quamvis etiam responderi possit hic tacite judicem reum
6 absolvere. Collige etiam ex *hac l.* Lata sententia quiescere cursum usurarum, et incipere post quadrimestre usuras rei judicatae, scilicet Centesimas. Conf. *l. fin. infra de Usur. Rei Judic.* Sed hoc ultimum non observatur.

L. Si ea pactione. 14.

SUMMARIA

Q. an quod in Antichresi excedit legitimas usuras, in sortem computandum? num. 1.
Si fructus percepti excedunt quantitatem usurarum, excessus ille in sortem imputandus. 2.

1 Debitor creditori suo, mutuo accepto, domum tradidit ea condictione, ut vice usurarum domo uteretur, quae species contractus antichresis appellatur, usitatae sunt 5. vel 6. pro 100. Creditor vero 10. ex domo, si locasset, redigere potuit, Quaeritur: *An non* 4. *quae excedunt usuras legitimas, in sortem computanda?* Resp. negatur, quia videtur vilius locata domus, id est, licet vilius locare aedes suas debitori, quod hic factum, nisi scilicet ultra dimidium laesio sit, sed si plus quam 6. ex locatis conclavibus percepisset, id improbaretur, ut in fraudem usurarum factum, *l. seq. h. t.* Ergo in Antichresi non sufficit, ut plus potuerit lucrari ex re antichretica sed ut plus lucratus fuerit. Et ex *hac lege* sequitur, veram esse sententiam
2 *Doctorum*, qui statuunt, quemcumque excessum, si fructus percepti excedant quantitatem usurarum, in sortem esse imputandum, *Henning. Goden. Cons. ult. num.* 26. *et seq. Koppen. Decis.* 22. *num.* 1. *Modest. Pist. Vol.* 1. *Cons.* 13. *num.* 10. *in fine.* quos citat *Dn. Carpz. P.* 2. *Jurispr. Const.* 30. *Def.* 10. Ipse tamen cum *Rauchbaro P.* 1. *Q.* 20. putat modicum excessum non attendi per *l.* 17. *h. t.* Laboris sane in colendo agro impensi rationem habendam esse res ipsa dictitat. Agunt et *hic DD.* de Emptione redituum ad vitam, quam propter incertitudinem mortis sustineri volunt, ut tamen habeatur ratio illius, cui reditus venduntur, an diutius vivere possit, etc. qua de re *Bald. Cons.* 293. *vol.* 5. *et cons.* 154. *num.* 1. *et* 2. *vol.* 2. *Gail. lib.* 2. *obs.* 8. *num.* 2. *Carpz. P.* 2. *Jurispr. Const.* 42. *Def.* 3. *num.* 4. *Covar. lib.* 3. *Res. c.* 7. *num.* 3. *Molinaeus de contract. usur. qu.* 72. *Ludov. Molin. tr.* 2. *de J. et J. disp.* 388. *n.* 2.

L. Cum allegas. 15.

SUMMARIA

Stipulari potest creditor poenam, sed non in fraudem usurarum. num. 1.
Poena quantitati in mutuo apposita non valet ultra legitimam quantitatem usurarum. 2.
De jure Canon. etiam mutuatario statui potest moderata poena, si in termino praefixo non solverit. 3.
Limitatio. 4.

Stipulari potest creditor poenam, sed non in 1
fraudem usurarum. Ratio in *l. non dubium* 5. *C. de LL.* ergo nec poenam supra modum legitimarum usurarum stipulari licet, *l.* 44. *ff. h. t.* v. g. quadruplum ut *hic.* Colligitur igitur:
Poenam quantitati in mutuo appositam non va- 2
lere ultra legitimam quantitatem usurarum, *hic et l. Julianus* 13. §. *ibid. Pap. ff. de Act. Empt. Carpz. in Asylo debitorum c.* 1. *num.* 383. *Dn. Frantzk. p.* 2. *Res.* 10. *num.* 9. Imo, quia jure Canonico usurae, nisi probetur verum interesse, plane non debentur, inferunt hinc *DD.* poenam quantitati in mutuo appositam in fraudem usurarum addita praesumi, *Auct. in l.* 44. *ff. h. t. num.* 2. *Benev. Straccha in tr. de adjecto inter tract. Mercatur. p.* 2. *num.* 59. *Afflict. Dec.* 135. *num.* 2. *Masc. de Prob. concl.* 1172. *num.* 16. *Thes. Dec.* 94. *num.* 4. *Guttier. de jur. conf. p.* 1. *c.* 26. *num.* 10. quibus consentit *Castr. hic num.* 3. sive creditor solitus sit foenerari, sive non, *Masc. d. l. num.* 21. *Barb. in l.* 2. *princ. p.* 1. *num.* 21. *ff. Sol. Matr.* aliud in obligatione faciendi, *Auct. in d. l.* 41. *num.* 3. Si autem poena esset apposita promissioni certae speciei aut obligationi facti, tunc non censetur in fraudem usurarum addita, *Castr.*
hic n. 4. Sed et Mutuatario jure Canon. statui 3
potest poena moderata, si in termino praefixo non solverit, modo non imponatur in usurae fraudem, sed ideo, quia interest mutuantis, ut in tempore praefixo mutuum solvatur, vel quia in eo termino habere vult, sive ejus intersit, sive non, cum eo ipso, dum mutuatarius contra mutuantis voluntatem pecuniam detinet ultra terminum praefixum, injuriam illi faciat,
incidatque in culpam; et per consequens etiam 4
poenam eventualiter indictam, post plures allegatos, *Ludov. Molin. Tr. de J. et J. disp.* 31. *n.* 5. *et seq.*

L. Cum non frumentum. 16.

SUMMARIUM

Nec in frumento mutuo accepto additamentum licet stipulari in fraudem usurarum.

1 Nec additamentum licet stipulari in fraudem usurarum, in frumento mutuo accepto, v. g. tertium modium ob dictam in *praeced. l.* rationem. Et hic possunt accommodari ea, quae in *l. praeced.* dicta: nam ultra modum usurarum in mutuo concessum ne quidem in frumento dato mutuo aliquid stipulari licet. Sed huic videtur obstare *l.* 17. *h. t. et l. oleo h. t.* Respondet *Castr. hic* ab initio pecuniam esse datam, et placuisse, ut loco pecuniae frumentum daretur; in *d. l.* 17. vero, fuisse mutuo datum frumentum.

Authent. Ad haec.

SUMMARIA

Quatuor sunt hujus auth. partes. num. 1.
Centesimas usuras ab agricola stipulari licitum est. 2.
In Marchia quintus modius pro usura dari solet, et a rusticis passim licet, usuras quincunces, et semissales stipulari. 3.

1 Quatuor hujus Autenticae sunt Partes: I. Si quis fructus aridos dederit Agricolae (non alii) is potest exigere singulis annis octavam partem modii pro singulis modiis, ut agricolae citius reperiant, qui ipsis mutuo det, et ut agricoltura ob defectum seminis non impediatur. II. Si vero pecuniam mutuo det, cujus usus non tam est necessarius agricolae, tantum accipiat unam siliquam, id est, trientales usuras, 4. pro centum. III. Nec creditor potest accipere pignori terram, ne agricoltura impediatur; et IV. Si quis contra agat, actione sua cadere debet, quod *hic* speciale, alias secus est, *l.* 8. *C. Si cert. pet.* Colligitur igitur ex *hac Auth.* et o-
2 riginali textu: Centesimas usuras ab agricola stipulari licitum esse. Sed *qui fit, quod agricolae hic durioris videantur esse conditionis, quam alii, a quibus non possunt usurae centesimae promitti?* Responderi potest: 1. Creditorem videri in alio gravatum, quod accipere teneatur frumentum eo forte tempore, quo pretium valde deminutum et annona vilis, siquidem agricolae non solent mutuo petere frumentum, nisi in magna annonae caritate, quo tempore speratur in futurum deminutio pretii et uberior proventus. 2. Agricola ex frumento non tantum uberrimum fructum percipere potest, et vel decuplum, quod in pecunia, quae sua natura sterilis est, non habet locum, et deinde habet hanc commoditatem, ne ager reddatur incultus, *Rittersh. in Nov. p.* 3. *c.* 10. *num.* 11. Ex quibus apparet, dubiam reddi sententiam *Rittersh. d. l. num.* 13. qui putat in centesimis his usuris non distingui inter personam debitoris, cum tamen omnes tres *Novellae, scilicet* 32. *cum duobus seqq.* in Rubro statim agricolarum faciant mentionem, et Nigro: *Nov.* 34. Colonorum: et rationes supra positae quadrant proprie in agricolas, et durum esset eum, qui pro alenda familia sua frumentum mutuo accipit, id centesimas usuras velle adstringere, et quamvis extensionis mentionem faciat Imperator in *Nov.* 35. id tamen ad creditores videtur pertinere, ut ex seqq. patet. Quod autem hic dicitur, creditorem suo jure cadere debere, id accipit *Glossa*, quod fieri debeat ipso jure, ob verbum, *omnimodo*, de quo tamen recte dubitat *Rittersh. d. l. num.* 27. Et sane id videtur non probari posse ex dictis *Novellis*, et praeter hanc poenam habetur etiam in ipsis *Novellis* alia poena, scil. privatio cinguli. In Marchia nostra 3
quintus modius pro usura dari solet, et a Rusticis etiam passim ubique locorum stipulari licet usuras quincunces et semissales. Ita optimae leges Justiniani neglectae jacent!

L. Si ea lege. 17.

SUMMARIA

In Antichresi quamvis fructus percepti excedant usurarum quantitatem legitimam, tamen servandus est contractus. num. 1.
Limitatio. 2.

In Antichresi, de qua etiam *l.* 14. si fructus 1
percepti excedant usurarum quantitatem legitimam, tamen servandus est contractus, scil. propter incertum fructuum proventum, *h. l.* Nam si minus percepisset, creditoris fuisset dam- 2
num, plane si certum sit, ampliores fructus quotannis percipi, quam sint legitimae usurae, v. g. si fructus naturales sint, et plerumque certi, non valet contractus, item si fructus sint civiles v. g. canones rusticorum, pensiones, etc. vid. *Carpz. p.* 2. *C.* 30. *Def.* 40. *et* 2. *seqq. Myns. cent.* 6. *obs.* 71. *Cothm. Vol.* 2. *Cons.* 57. *num.* 11. *seq.*

L. Indebitas. 18.

SUMMARIUM

Usurae nullo jure debitae, si solvantur ante solutionem sortis, computantur in sortem, et eam minuunt, si post, condicuntur condictione indebiti.

Usurae nullo jure, nec naturali nec civili debitae, si solvantur ante solutionem sortis, computantur in sortem, et eam minuunt, si post, condicuntur condictione indebiti, si debitor errans solvit, non si sciens, *l. indebitum* 9. *C. de Condict. Indeb. l. cujus* 53. *ff. de R. J.* Non ergo obstat *l. si non sortem* 26. *pr. ff. de condict. Ind.* Nam ibi loquitur de usuris ante sortem solutis, quae non possunt repeti, quia imputantur in sortem. Si vero naturali jure essent debitae ex pacto, tunc non repeterentur per *l.* 3. *h. t.*

L. Acceptam. 19.

SUMMARIA

Quid faciendum debitori, si creditor in mora accipiendi sit? num. 1. *et* 3.
Ut oblatio et depositio rite fiat, necesse est, ut sors integra cum usuris offeratur. 2.
Effectus legitimae oblationis, et consignationis. 4.

Si debitor receperit oblatam et depositam pecuniam, nunquam facta fingitur depositio. 5.

1 Quando creditor in mora accipiendi est, tunc potest debitor 1. Offerre ipsi debitum totum cum usuris, et quidem praesentem pecuniam, opportuno loco, tempore, et coram testibus. 2. Si recuset accipere, pecunia in sacco coram testibus obsignanda. Et 3. in aede sacra, vel publica, vel ubi Judex jusserit, deponenda solemniter. Effectus est, quod ita liberetur debitor, *hic, et l. obsignatione* 9. *Infr. de Solut.* etiam ab usuris et nexu pignoris, et pecunia ibi est periculo non debitoris, sed creditoris, et huic competit actio contra Depositarium. Col-
2 ligimus igitur ex nobili *hac lege*: I. Ut oblatio et depositio rite fiat, necesse esse, ut sors integra cum usuris offeratur, adeo ut si modicum de sorte vel usuris desit, inutilis plane sit oblatio, eamque creditor accipere non teneatur, *l.* 135. §. 2. *ff. de V. O. l.* 6. *h. t. et l.* 41. §. 1. *ff. eodem, Tiraq. de Retr. Convent.* §. 4. *Gl.* 4. *et* 6. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. Cas.* 232. *num.* 22. *Donell. lib.* 16. *cap.* 13. *Klock. Cons.* 39. *num.* 297. *v.* 2. *et Georg. Schultz. in Tr. de oblatione cap.* 4. *num.* 5. Deinde necesse est, ut fiat contestatio, id est, vocatio testium, et denunciatio, *hic, et l.* 6. *sup. h. t.* ibi *testibus praesentibus, Neguz. de Pign. p.* 5. *m.* 3. *part.* 2. *num.* 2. *Zang. de Except. p.* 3. *c.* 2. *num.* 77. et quos citat *Georg. Schultz. d. Tr. cap.* 4.
3 *num.* 26. II. Si Creditor accipere recusat, (unde citatum eum esse oportuit,) quod tunc in praesentia judicis vel testium pecunia numeranda, et numerata in cista includenda, et continens cum contento notis deponentis debitoris obsignanda, *hic, et l.* 1. §. 36. *ff. de Depos. Du. Carpz. P.* 2. *Jurispr. Const.* 28. *Def.* 16. *Klock. d. Cons.* 39. *num.* 291. Postea deponenda est illa pecunia vel in aede sacra, vel ubi Judex competens deponi eam disposuerit, *Zang. d. c. num.* 83. *Georg. Schultz. d. c.* 4. *num.* 31. Ef-
4 fectus autem hujus oblationis et consignationis describitur, 1. Quod sit inhibitio cursus legitimarum usurarum, adeo ut debitor usuras sive per stipulationem promissas, sive per moram officio judicis debitas amplius praestare non compellatur, *hic, et l. obsignatione* 9. *C. de solut. Zang. d. l. num.* 119. et quos citat *Georg. Schultz. d. Tr. c.* 5. *num.* 5. 2. Effectus, quod periculo sortis liberetur debitor, atque hic distinguendum inter debitam speciem, et quantitatem seu genus, ut illo casu ob solam oblationem, nedum obsignationem et depositionem liberetur periculo per interitum rei ipso jure, et hoc vero casu ope exceptionis, *l. qui decem* 72. *ff. de solut. Castr. hic num.* 4. *Baldus hic num.* 3. et quos allegat *Petr. Barb. p.* 4. *Rubr. solut. Matr. num.* 33. alii autem distinguunt inter stricti juris, et bonae fidei judicia, ut hic oblatio vel sola ipso jure, ibi vero ope exceptionis liberet periculo, *d. l.* 72. *in fine, l.* 73. §. *fin. ff. de Solut. Georg. Schultz. d. tr. c.* 6. *num.* 13. 3. Effectus hic traditur, quod jus pignoris tollatur, et actio hypothecaria, et debitor oblato debito consequatur etiam actionem pignoratitiam, ad reddenda ea, quae creditor pignori acceperat, *l. fin. C. de luit. Pign.* si tamen pecuniam debitam in judicio offerat per solam oblationem, consequitur pignoratitiam actionem, et impedit distractionem pignoris, *l. si rem* 9. §. *fin. ff. de Pign. Actione, Bald. hic num.* 10. *Perez. in C. Tit. de Pign. Act. num.* 5. *et in d. t. Ant. Faber. Def.* 2. *et d. Tr. c.* 5. *num.* 6. *Georg. Schultz.* III. Colligitur etiam ex *textu*: Si debitor rece- 5
perit oblatam et depositam pecuniam, nunquam factam fingi depositionem, *Bald. hic num.* 5. *Castr. hic num.* 6. *Neguz. de Pignorib. p.* 5. *m.* 3. *p.* 2. *num.* 27. *Klock. d. Cons. num.* 304. et quos laudat *Georg. Schultz. d. Tr. c.* 4. *num.* 32. Sed si duret depositio, habet creditor utilem actionem depositi contra depositarium, vel rei vindicationem ad res depositas tradendas. Ratio autem cur utilis actio detur, est, quia non ipse deposuit creditor, sed ipsius nomine et in utilitatem ejus id fecit debitor, quo casu in nonnullis casibus solet utilis actio dari Tertio, *Castr. hic num.* 5. Sed cur rei vindicatio datur, cum tamen recipere possit debitor pecuniam depositam? Resp. tunc adquiritur dominium, si creditor accipere velit, quod si nolit, debitor retinet dominium sub condictione tantum creditori quaesitum, *Barb. in l. si mora num.* 85. *ff. Sol. matr.* Sed quaeritur in rebus animatis, quae deponi non possunt, et in rebus immobilibus, quae nec realiter offerri, sed tantum verbaliter possunt: *An in animalibus realis oblatio, et in immobilibus verbalis oblatio loco depositionis sit?* Resp. Negando. Nam alias statim liberarentur, sed si ne culpa eorum res pereant, tunc demum liberantur periculo, *Castr. hic n.* 7. Caeteras quaestiones ad hanc rem facientes tractat *hic Br. Bald. Castr. Donell.* et alii, *Barbosa in Collect.*

L. Constitutionibus. 20.

SUMMARIA

Ad usuras excedentes modum legitimum neque debitor, neque fidejussor tenetur. num. 1.

Quaer. si fidejussor solvat usuras excessivas, a quo possit repetere? 2.

Ad usuras excedentes modum legitimum, non 1
tantum ipse debitor, sed et fidejussor non tenetur, quia est exceptio rei cohaerens, non personae. Ratio dubitandi hic erat forte, quod veteres mitius agerent cum ipso debitore principali, quam cum fidejussore et mandatore, *l. fin.* §. *fin. C. de Usuris rei judic.* Sed id contra omnem rationem, quia exceptiones rei cohaerentes sequuntur et fidejussores et mandatores, *l. tam mandatori sup. de non num. pec. et l. eos* 26. *in pr. h. t.* Sed quaeritur hic, si fide- 2
jussor usuras solvat excessivas, *An possit repetere a creditore?* Et varie hic disputant: et prius affirmo per *l. et si non sortem* 26. *pr. ff. de Condict. Indeb.* et non videtur donare, qui usuras immodicas solvit, quia pravitas usuraria ab initio inest, et vitiat ipsam promissionem, multo magis ergo repetet, si ignorantia facti solvit, v. g. si putavit istas usuras hic frequentari. *An vero a debitore repetere potest?* Respondeo distinguendo, aut juramento promisit immodicas usuras, aut non, si illud volente debitore facit, repetet, sin hoc, non repetet. Nec obstat *l. quintus* 48. *ff. Mand.* quod fidejussor, quando pudoris sui habens rationem usuras in-

debitas solvit, possit repetere. Nam Resp. ibi de usuris legitimis et naturaliter debitis sermonem esse. Conf. *hic. Bl. Castr. Salyc.* et alii.

L. Si usuras. 21.

SUMMARIA

Si sortem cum usuris reddi dato pignore placuit, tunc numeratione sortis facta, nec designato, propter quod debitum solutio facta, creditor in usuras imputare potest solutum. n. 1.

Limitatio illius regulae, quod pluribus summis debitis creditor in durius debitum cogatur accipere. 2.

Argumentum a contrario sensu in legibus Codicis non solet procedere. 3.

1 Si sortem cum usuris reddi dato pignore placuit, et numeratione sortis postea facta, non designasti in continenti, vel ante, propter quod debitum solutionem faceres, tunc creditor potest in usuras imputare solutum, si vero debitor ante dixisset, se numerare sortem, et creditor consensisset, diversum obtinet, quia tunc in voluntate debitoris adquiescit, videtur pactum intervenisse. Nec obstat, quod pluribus summis debitis, creditor in durius debitum cogatur accipere, per *l.* 1. 2. *et* 3. *ff. de Solut.* Sors autem est gravius debitum, dum sors parit usuras, non contra. Sed Resp. illam Regulam non loqui de eo casu, ubi unum debitum est principale et alterum accessorium. Ratio autem diversitatis a *Castrensi* recte additur haec: Quod
2 illo casu, quo plures summae principales debentur, debitor solvere possit unum debitum sine altero invito creditore; Sed in nostro casu non possit absolvere sortem sine usuris, per *l. acceptam* 19. *supr. h. t.* Collige ergo: Si debitor simpliciter solvat quantitatem, quae non sufficiat pro sorte et usuris, et non declaravit se pro sorte solvere, eam creditor accipere potest pro usuris, *hic et l.* 1. *C. de Solut. et l.* 5. §. 2. *ff. eodem, ibique Auct.* cujus rationes examinat, *Surdus cons.* 290. *Hartm. Pist. P.* 3. *Quaest.* 21. *n.* 25. *Dn. Carpzov. lib.* 5. *Resp.* 103. *num.* 28. *et seq.* Id sane de iis disputationibus, in quibus de vera alicujus legis ratione disceptari solet, judicare soleo, saepe disjungi rationes, quae conjungi poterant et debebant. Nec in eo possum *Hartm. Pistor.* consentire, quod statuit, posse debitorem compellere creditorem, ut in sortem accipiat sine usuris, neque ejus senten-
3 tiam *haec lex* probat. Cum Argumentum a contrario sensu in legibus Codicis non soleat procedere, et possumus omnino subintelligere, si praedixisset debitor, creditorem tacuisse, ut supra dictum.

L. Pignoribus. 22.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.

Limitatur l. un. C. Etiam ob chirographariam pecun. pign. ten. 2.

Quando ab initio usurae promissae sunt, absolute et simpliciter datum pignus etiam pro usuris datum videtur. 3.

Dedi pro securitate mutui accepti pignus, de 1
usuris nihil actum, sed conventum tamen, ut si non solveretur sua die sors, duplum solveretur, Quaeritur: *An etiam ob usuras non solutas, vel ob poenam promissam, pignus retineri possit, sicut ob usuras nudo pacto solutas, ut in l.* 4. *h. t.?* Resp. prius negatur, aliud enim est, si usurae pactae debentur, ut in *l.* 4. et sic jure naturali; aliud si nullo jure; ut *hic.* Sed posterius etiam negatur: nam licet poena promissa sit, licet etiam poena sit commissa, cessante post diem solutioni destinatum debitore, nihilominus tamen pignus datum pro sorte, non potest retineri pro poena, et sic *hic* repetitur limitatio *legis un. C.* 2
Etiam ob chirographariam pec. pignus ten. etc. quod hic notat *Bald. et Salyc.* qui rationem constituunt in odio poenarum, et *Trentacinq. lib.* 3. *Resol. tit. de Pign. Resol.* 10. *num.* 11. Collige tamen etiam: Quando ab initio usurae 3
promissae sunt, absolute et simpliciter datum pignus, etiam pro usuris datum videri, sicut dicimus in fidejussore, per *l. quaero ff. Locati, Bart. hic et Salyc.* Vid. notata *l.* 5. *sup. h. t.*

L. Oleo. 23.

SUMMARIA

Qu. in quibus rebus additamentum pro rebus fungibilibus promitti possit. num. 1.

Incertitudinis ratione licitum interdum est, quod alias illicitum esset. 2.

In frumento, oleo, caeterisque rebus fungibilibus licet pacisci accessionem in iisdem materiis consistentem ultra debitum usurarum modum. 3.

Limitatio. 4.

Qaeritur hic, non quantum additamentum pro 1
rebus fungibilibus promitti possit, sed in quibus; scilicet non in pecunia numerata, sed aliis rebus ejusdem generis, quia cum pretium earum incertum sit non potest quantitas usurarum in pecunia numerata definiri. Colligunt I. ex hoc textu: incertitudinis ratione licitum interdum esse, 2
quod alias illicitum esset, sicut hic ob incertitudinem valoris frumenti, vel olei, licita est promissio accessionis olei supra sortem, licet ob valorem excedat haec accessio legitimas usuras. Et illam Regulam ex *hoc textu* aliisque colligunt *Br. et Salyc. hic, Gail. lib.* 2. *Obs.* 8. *num.* 3. *et Obs.* 126. *num.* 5. *Tiraquell. ad l. si unquam* verb. *donatione largitus, num.* 128. *C. de Revoc. Donat. Carpz. P.* 3. *Const.* 20. *Def.* 3. II. In frumento, oleo, caeterisque rebus fungibilibus 3
licere pacisci accessionem in iisdem materiis consistentem, ultra debitum usurarum modum, quod quidem non sequitur ex *hoc textu*, nec verum est simpliciter, nam et in his rebus certa quantitas est retinenda, sed per accidens fieri potest, ut excedat modum legitimum, v. g. Mutuo do 12. modios frumenti et stipulor unum loco accessionis post annum, forte modius hoc anno venditur 8. argenteis, et sic tota sors aestimata faciet 4. thaleros. Sed post annum (quod avertat DEUS!) vendi poterit modius thalero, et sic pro 4. thaleris in effectu dabitur quintus thalerus, haec in effectu est usura vel accessio immodica, non tamen illicita est, quia

modius frumenti potest etiam post annum vilius vendi, v. g. 5. vel 6. argenteis, ergo ratione incertitudinis haec subsistunt, *conf. A. ad l.* 11. *C. de Reb. Cred. num.* 229. Sed in foro conscientiae creditorem talem aequitatis et regulae Christi admonerem: Quaecumque vultis ut faciant vobis homines, eadem faciatis illis.

L. Si mater. 24.

SUMMARIA

Negotiorum gestor majorennis ob pecuniam, quam foenori non collocaverat, usuras debet praestare, quas ab aliis accipere potuit. num. 1.
Limitatio. 2. 3.
Quid in tutoribus obtineat remissive. 4.

1 Negotiorum Gestor majorennis ob pecuniam, quam foenori non collocaverat, usuras debet praestare, quas ab aliis accipere potuit, *l.* 19. §. 1. *ff. de Neg. Gest.* quia scilicet omnem diligentiam adhibere debet, *hic et l.* 11. *ff. d. t.* imo si in suam vertit utilitatem, centesimas usuras exsolvit, *l. qui sine* 38. *ff. d. t. ibique*
2 *Auct. num.* 3. Sed *hanc legem* recte limitant *Gl. et DD. hic ex l. qui semisses* 13. *§. fin. ff. h. t.* Si dominus solitus est foenerari, *Auct. ad*
3 *l.* 13. *ff. de Usur. num.* 2. Sed quia jure Canonico usurae sunt prohibitae, ideoque hodie non tenetur negotiorum gestor foenori exponere, sive dominus solitus sit foenerari, sive non, quia non debemus alterius causa peccare, et quia, ubi jus Canonicum non servatur in hoc puncto, non tamen dici potest, quod usurae indistincte sint permissae, saltem in foro conscientiae. Deinde cum periculosum nostro tempore foenori exponere pecuniam, dicerem, negotiorum gestorem non teneri pecuniam foenori exponere, sed pecuniam domino redeunti
4 restituere. Quid in Tutoribus sit, item in Administratoribus habet *Barb, hic in Collect.* et de eo nos alibi.

L. Pro auro. 25.

SUMMARIA

Qui mutuo dat aurum, argentum, et vestimenta, omnia scil. aestimata, eaque chirographo sibi reddi cavet, usuras etiam stipulari potest. num. 1.
Huic l. non est derogatum per Constit. Imper. Polit. de anno 1577. *tit.* 17. *num.* 2.
Limitatio. 3.
Si merces venditae, et certus dies solutioni dictus, post illum diem incipiunt officio judicis currere usurae. 4.

1 Qui mutuum dare rogatus, dat aurum, argentum, et vestimenta, omnia scilicet aestimata, et ea chirographo sibi reddi cavet, usuras etiam stipulari potest, quia idem est ac si vendidisset, *l. plerumque* 10. *ff. de Jur. Dot.* secus si non aestimatae illae res datae, *l.* 3. *§. fin. ff.*
2 *h. t.* Sed quaeritur: *An non huic legi derogatum per Constitutionem Imperii Politicam de anno* 1577. *tit.* 17. (*von wucherlichen*) *Contracten?* Sed puto huic non derogari, nisi majori pretio 3
aestimentur, quam res vendi poterant, v. g. Si aurum pluris aestimem, et ita aestimatum dem ut vendam, nam tunc ratione illius pluris esset pravitas usuraria, nam ita sonant verba dictae constitutionis; item: (*Dass etliche Getreyd, Pferde, Tücher, und dergleichen Wahre an ein Geld kauffweise anschlagen, und vie höher, denn solche Wahre magimmermehr werth seyn, etc.* et post pauca, item: *Etliche leihen eins theils Wahren, Silbergeschirr, Kleinodt, Treidt, Rüstung und anders, so zu bahren Geld angeschlagen wird, in viel höhern Werth hin, als immer ein gedoppelter Wucher ertragen mag, und nennens mit einem neuen, ihres Vermeinens höfflichen Wörtlein:*) PARTITA. Sane si merces venditae, et certus dies 4
solutionis dictus, post illum diem incipiunt officio judicis currere usurae, vel si post tempus aliquod interpellatus emptor postea moram contrahat: nam emptor rerum frugiferarum traditis rebus statim ad usuras tenetur, *l. curabit C. de Act. Empt.* Sed non emptor mercium, quia venditor lucrum quaerit et plerumque merces ultra eum valorem, quo ipsi constant, vendit. Ideoque duplex lucrum captare non debet, *Mev. p.* 3. *dec.* 11.

L. Eos. 26.

SUMMARIA

Qui tutus est praescriptionis exceptione in sorte, vel in re principaliter debita, ille non potest molestari super usuris vel fructibus. num. 1.
Sublato principali tollitur accessorium. 2.
Respondetur ad l. obstantes. 3. 4. 5.
Quantitas usurarum pro diversitate personarum determinatur. 6. 7. 8. 9. 10.
Quid sint usurae centesimae? 11.
Quod ultra quantitatem usurarum legitimam est promissum, aut solutum, vel non est petendum, vel in sortem est imputandum. 12.
Ne quid in fraudem legis fiat, prohibetur. 13.
Notabilia, quae ex hoc textu eruere solent Interpretes. 14.
In dignitate constitutis avaritia magis est dedecori quam privatis. 15.
In trajectitiis pecuniis donec periculum durat, majores usurae conceduntur. 16.
Contractus contra legem, est ipso jure nullus. 17.
Juramentum potest deferri, quando usurariae pravitatis conjectura est. 18.
Debitor non tenetur expensas scripturae Notario datas restituere. 19.
In Germanico Romano Imper. hodie quincunces usurae indistincte permittuntur. 20.
In emporiis celebrioribus bessales admitti solent. 21.
Contractus usurarius non est totus nullus, sed eatenus tantum, quatenus contra leges agit. 22.
In Electoratu Brandenburgens semisses usurae concessae sunt. 23.
An indistincte verum sit, quod in usuris hodie consuetudo observari debeat. 24.
In Saxon. Electoratu quincunces usurae retinentur sed sextus thalerus vel florenus collectae nomine magistratui solvitur. 25.

1 Debueram tibi centum cum usuris per stipulationem promissis, triginta vel quadraginta annis nihil exegisti, sublata est itaque praescriptione actio ad sortem, nam personalis actio triginta annis, si vero per litis contestationem sit perpetuata, vel hypothecaria actio contra ipsum debitorem instituta, quadraginta annis praescribitur. Sed *quid de usuris et fructibus?* Respond. non videtur idem dicendum, quia quando stipulor in singulos annos usuras, tot stipulationes esse videntur, quot anni. Ergo per *leg. cum notissimi* 7. §. *ultim. Cod. de praescr.* 30. *annorum*, exordium praescriptionis in singulis annis faciendum. Sed hic affirmat, quia
2 sublato principali, tollitur accessorium *etc. leg. cum principalis* 178. *ff. de R. J. leg.* 2. *ff. de Pecul. et lex illa* contraria de principalibus obligationibus menstruis vel annuis loquitur. Collige
3 ergo: Eum, qui tutus est exceptione praescriptionis in sorte vel in re principaliter debita, non posse molestari super usuris vel fructibus, etiam si a tempore perceptionis fructuum, vel quo usurae inceperunt deberi, non concurrerit tantum tempus, quantum sufficit ad praescribendum, quia sufficit sortem esse sublatam praescriptione; et id etiam de usuris per stipulationem promissis accipiendum, quia alias nulla in *textu hoc* esset dubitandi ratio. Nec
4 obstat, *l. centum Capuae ff. de eo quod certo loco*, per quam usurae per stipulationem promissae, sorte licet soluta, peti possunt. Nam alia ratio solutionis vel sententiae, alia praescriptionis; nam in praescriptione adest negligentia non petentis, quae ita respicit usuras sicut sortem, quod in solutione secus, *Bald. hic*
5 *n.* 2. *Castrens. hic n.* 1. *Salyc. n.* 4. Sed videtur obstare etiam *L.* 2. *Cod. de Luit. Pignor.* ubi perempta actione principali seu personali, manet tamen hypotecaria seu accessoria. Resp. post *Gloss. et Bartol. n.* 6. *et Bald. n.* 1. *Salyc. hic n.* 3. quod in *dict. leg.* 2. agatur de accessorio hypotecae, hic de accessorio usurarum, et rationem diversi juris reddi duplicem, una, quia accessorium illud est potentius et fortius principali, altera, quia hypotheca habet diversam et separatam praescriptionem, quod hic in usuris dici non potest.
6 §. 1. *et seq.* Imperator quantitatem usurarum pro diversitate personarum, et quatenus his
7 pecunia opus, determinat. Centesimam usuram quae in singulos menses est centesima pars sortis, quotannis duodecim pro centum, permittit tantum in trajectitia pecunia, propter varietatem pretii, et periculum, de quo *tit. seq.*
8 Illustribus personis, quae sunt proximae post Principem, concedit tantum tertiam centesi-
9 mae, id est, quatuor pro centum, Mercatoribus et Argentariis besfum centesimae, id est,
10 octo pro centum. Reliquis hominibus permittit semissem, id est, sex pro centum, idque dicit observandum non tantum, quando usurae per stipulationem sunt promissae, sed etiam quando officio judicis debentur, ut in bonae fidei
11 judiciis. Centesima usura etiam locum habet in actione judicati, et in pecuniis publicis privatisve, quas administrator in suos usus conver-
12 tit. Etiamsi autem amplius quid promissum sit quod in usuris hanc quantitatem excedit, non est id petendum, aut si datum sit, in sortem est
13 imputandum, vers. *si quis autem.* Prohibetur etiam, ne quid in fraudem legis fiat, v. g. Si creditor initio de sorte partem quocumque titulo detrahat, et sortem tamen velit integram solvi, in vers. *interdicta.* 2. Si illae personae, quae minores tantum usuras stipulari possunt, interponant alias personas v. g. mercatores, qui majores possunt, vers. *machinationes*, hae fraudes prohibentur, et si quid factum in fraudem legis, pro infecto habendum, *l. non dubium* 5. *C. de LL.* et suspectus Juramento se purgare debet. Ex hoc nobili Textu plurima 14
sunt notanda, quae hic eruere solent interpretes: Praecipua sunt: I. Quod illis, qui in di- 15
gnitate sunt constituti, magis dedecori sit avaritia, quam privatis, et quod illi magis ab usuris abstinere debeant, *Bl. et Salyc. num.* 6. *hic Castrens. num.* 1. II. In trajectitiis pecuniis, do- 16
nec duret periculum, id est, donec ad portum veniat majores usuras concedi, *Castrens. hic.* III. Contra hanc moderationem non posse introduci statuto vel consuetudine ut augeantur usurae, et sic omnes consuetudines allegari solitae hic irritantur, *Bl. Salyc. hic num.* 6. *Castrens. num.* 2. IV. Contractum contra legem 17
factum esse ipso jure nullum, de quo alibi. V. Quoties conjectura est usurariae pravitatis 18
contra aliquem, quod possit ipsi juramentum purgationis deferri. VI. Debitorem non teneri 19
expensas scripturae Notario datas creditori restituere, *Br. et Bl. hic.* Sed *quid hodie juris?* In Germanico Romano Imperio hodie quincun- 20
ces usurae indistincte permittuntur per *Recessum Imperat. De Anno* 1500. 1539. 1548. 1577. *Tit.* 17. *von vvucherlichen Contracten et de Anno* 1586. quia hae meliorem fundorum reditibus juste correspondere censentur, ac vicesimo anno sortem aequant, *Anton. Fab. lib.* 4. *Cod. tit.* 24. *Defens.* 2. *numero quarto, Dn. Carpzov. part.* 2. *Jurispr. Constit.* 30. *Defens.* 1. *Auctor in Rubr. ff. h. t. num.* 1. Etiam inter Mercatores non majores quam quincunces usuras tolerari, ex generali dispositione Recessum putat *Carpzov. d. l. Def.* 2. de quo tamen forte aliquis dubitare posset, cum dispositio specialis per novam generalem posteriorem non soleat tolli et abrogari. In Emporiis ta- 21
men celebrioribus bessales admitti solent, quae consuetudo, quia legi Justinianeae huic convenit, merito admittitur, *Carpzov. d. D.* 2. quod autem ultra solutum, sorti imputandum, per *hunc textum*, *Carpzov. dict. l. D.* 4. Unde contractus usurarius in quo usurae majores 22
contra jura promissae, non est totus nullus, sed eatenus tantum, quatenus contra leges agit, et quod illicite adjectum, pro non adjecto habetur, *l. usuras, l. placuit ff. h. t. l. Si non sortem* 26. §. 1. *ff. de Con. Indeb. Borcholt. in tract. de usuris c.* 5. *num.* 4. *et seq. Auct. ad l.* 9. *ff. h. t. num.* 3. In Electoratu Brandenbur- 23
gico semisses usurae concessae, ex *Edicto Electoris Brandenburg. Divi Joannis Georgii de dato Coloniae ad Spream die Lunae post trium Regum anno Salutis reparatae* 1573. ibi: (*Demnach setzen, ordnen und vvollen vvir, dass hinfüro in unserm Churfürstenthum und Landen, vermöge hochstgedacten unsers Herrn Vaters Edict. kein Geld höher auf Zinsz, denn das hundert umb sechs soll geliehen vverden.*) *Pruckman. vol.* 1. *cons.* 22. *num.* 35. *et cons.* 40. *num.* 5. *Scheplitz. in Consuet. Brandenb. P.*

4. *Tit.* 1. §. 1. *et* 2. *num.* 3. *in Promptuar. tit.* 19. *num.* 4. *et* 5. Idem in Magapolitano *Cothm. lib.* 1. *cons.* 18. *num.* 236. Conf. *Joan. Koppen. Q.* 22. *num.* 15. *et Mind. de Process. lib.* 2. *cap.*
24 73. *num.* 16. Ex dictis autem patet, non omnino et absolute intelligendum esse, quod in usuris hodie consuetudo attendenda. Nam quamvis illud in aliquibus legibus veteribus habeatur, et hoc statuant *Cothm. vol.* 2. *cons.* 52. *num.* 179. *et vol.* 3. *cons.* 27. *num.* 16. *et vol.* 4. *Res.* 41. *num.* 11. *Hartm. Pist. lib.* 3. *Quaest.* 2. *num.* 13. *Rauch. P.* 2. *Quaest.* 39. *num.* 17. *Hering. de Fidejuss. cap.* 26. *num.* 98. tamen, ut dixi, hoc ita absolute non est concedendum de particulari consuetudine, quae in fraudem hujus legis et Constitution. Im-
25 perii introducitur. In Saxoniae Electoratu quincunces usurae retinentur, sed sextus thalerus vel florenus collectae nomine Magistratui solvitur, *Carpz. d. Const.* 30. *Def.* 1.

De Usuris. 27.

SUMMARIA

Lex praecedens tantum ad futuras usuras pertinet, et quaenam futurae? num. 1.
Illustratur exemplo. 2.
An novae leges porrigant etiam effectum suum ad praeterita negotia? 3.
Usurae ultra alterum tantum non debent solvi etiamsi particulariter solutae. 4.
Dispositio atque intentio. h. l. 5.
Ampliatio et limitatio ejus, quod habetur supra. 6.

1 *Pr.* Lex praecedens tantum ad futuras usuras pertinet, sed futurae sunt non tantum quae post *l. praeced.* promissae sunt, sed quae etiam ante *l. praeced.* promissae, sed quae post *hanc*
2 *legem* singulis annis debentur. Et sic si non mercator mutuo dedisset, et stipulatus esset bessales usuras, hae deberentur pro illis annis, qui lapsi sunt ante *illam l. eos* 26. *h. t.* sed semisses debentur post *illam legem* promulgatam unde *Br. Bl. Salyc. Castren.* et alii *DD.* ex *hac*
3 *lege* colligunt, Novas Leges porrigere effectum suum ad praeterita negotia pro tempore legem sequenti, et legem novam trahi ad praeterita quatenus habent tractum temporis in futurum; quod tamen hic specialiter sancitum et ad exemplum trahi non debere tradit *Menoch. cons.* 40. *num.* 23.
4 §. 1. Usurae ultra alterum tantum non debent solvi, etiamsi particulariter solutae sint, *Nov.* 121. *cap.* 2. quae adeo abrogat *l.* 10. *h. t. Dominus Carpz. in Asylo Debitorum cap.* 1. *num.* 203. *et Dn. Thabor. de altero tanto p.* 1. *art.* 3. *num.* 5. et quidem illa sententia non adeo expresse ex verbis hujus legis, melius tamen ex *cap.*
5 1. *Novel.* 121. probabilis redditur. Sed illud certum, quod voluerit imperator illam nonnullorum creditorum perversam consuetudinem abrogare, qua solebant jus retentionis in pignore exercere, pro cursu usurarum ultra alterum tantum, et probabile mihi redditur fuisse tales leges quae id permiserint, licet hodie sint e
6 Corpore Juris exclusae. Illud vero notandum ex *hoc* §. *in fin.* Non tantum in mutuo usuras ultra alterum tantum currere non debere, etiam usuris particulariter solutis, ut per *Nov.* 121. *sup.* probatum ad *l.* 10. sed etiam in aliis contractibus bonae fidei, ubi ob moram officio judicis debentur usurae, usuras non debere currere ultra alterum tantum, *Carpz. d. Const.* 30. *Def.* 26. Sed obiter et brevibus plerosque casus, in quibus cursus usurarum ultra alterum tantum admittitur, notabimus; Excipitur enim 1. Si condemnatus esset, *Surdus cons.* 302. *num.* 2. *Berlich. dec.* 30. *num.* 9. Item 2. annui reditus excipiuntur, *Gail. lib.* 2. *obs.* 7. *num.* 1. *et seq. Mind. de Mandat. jud. lib.* 2. *cap.* 72. *num.* 3. *Dn. Thabor. d. tract. part.* 3. *sect.* 2. *art.* 2. *Dn. Carpz. in Asylo num.* 301. *et seq. Berlich. d. decis.* 30. *num.* 7. et si 3. ut interesse petatur. Vid. *Carpz. P.* 2. *Constit.* 30. *Def.* 26. *et seqq. et in prax. crim. P.* 2. *Q.* 92. *num.* 43. *et in Asylo d. cap.* 1. *num.* 274. *Mindanus d. lib.* 2. *c.* 74. *num* 6. *Cothman. cons.* 52. *num.* 260. *vol.* 2. *Auctor ad l.* 26. *ff. de condict. Indeb. num.* 19. 20. *seqq.*

L. Ut nullo. Ult.

SUMMARIA

An, et quatenus Anatocismus sit prohibitus. num. 1.
Hujus prohibitionis ratio. 2.
Aliud obtinet in tutore. 3.
Quod iterum limitatur. 4.
Alii casus, ubi usurae usurarum debentur, remissive. 5.
Notatur Berlichius. 6.
Casus. 7.
In cessione non est mutatio personae creditoris. 8.
Annui reditus non pro usuris, sed potius pro sorte, et re empta habentur. 9.
An usurae usurarum sint licitae, si super usuris specialis conficiatur obligatio, inque ea usurae ex ea pecunia, quae antea usura erat fictione brevis manus fuerint in stipulationem deductae. 10.
Ratio pro affirmativa. 11.
Ratio pro negativa, quae probatur. 12.

Non licet usuras in sortem redigere, et earum 1
iterum usuras stipulari, quod vocatur Anatocismus: etiam inter mercatores prohibitus, *Carpzov. d. const.* 30. *def.* 34. *vid. Auctor ad l.* 26. *ff. de cond. indebit. num.* 15. 16. 17. Ratio: Quia 2
accessorium principale esse nequit, nec fructus fructum edere, et ideo nec interesse alterius interesse petetur, *Dn. Carpz. d. const.* 30. *def.* 29. *Straccha de contract. mercat. num.* 4. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 119. *num.* 20. *et cons.* 118. *Rodericus de Annuo cens. lib.* 3. *Q.* 7. *num.* 27. *Tuschus concl.* 310. *num.* 3. *lit. J. Trentac. Res. Un. de interesse num.* 34. *Barbos. in coll. hic*: Alia ratio est in tutore accipiente usuras 3
pupillares, *l. tutor qui repertorium* 7. §. *si usuras* 12. *l.* 58. §. *ex duob. ff. de Adm. Tut.* Vid. *Carpz. d. const. D.* 30. quia in ejus persona fit sors, si exigat Pecunias, *Cavalcanus in Tract. de tutor num.* 116. ubi et eo casu tutorem ad usuras usurarum teneri putat, quando pecunias pupillares in suam utilitatem convertit, quod tamen non puto concedendum; nam usuras 4
usurarum tantum eo casu praestat tutor, quando usuras ab aliis solutas, in suam utilitatem

vertit, *Dn. Carpz. P.* 2. *Jurispr. const.* 30. *Def.* 32. de quo vide notata ad *l.* 7. §. 12. *ff. de Admin. tut.* Unde etiam notanda puto ea, quae habet *Bacch. ad Treutl. V.* 2. *D.* 3. *th.* 5. *lit. A.*
5 *in fine*, cum *Cavalcano* sentiens. Alios casus, quibus usurae usurarum debentur, vide apud *Berlich. dec.* 268. *Auctor. ad leg.* 26. *ff. de condict. ind. num.* 19. 20. *seq.* ubi tamen illa exce-
6 ptio, quam habet *Berlich. num.* 3. plane contra jura esse videtur, scilicet si creditoris persona mutetur per cessionem, vel delegationem; et quidem in Cessione manifeste id iniquum.
7 Pone me tibi debere centum, et quatuor annorum usuras, eas cedis Petro, qui jam secundum *Berlichii* sententiam usuras exiget, non tantum pro centum, sed et viginti quatuor usuris, ut jam sors sit non centum sed centum et viginti quatuor florenorum, sed quomodo potuisti cedendo me invito meam conditionem facere deteriorem? Et si accurate rem exputare velimus,
8 in cessione non est mutatio personae creditoris, quia cessionarius est procurator in rem suam cedentis, et nomine cedentis agit, et subsidiariam tantum habet actionem utilem, ex constitutione Pii Imperatoris. Et sane pone in proposita specie Petrum jam habere sortem 124. thalerorum, sed usuras non solvo per duodecim annos, id debitum cedit Petrus Paulo. Et Paulus habebit sortem usuriferam 189. thal. et 18. argent. et sic sors in infinitum augebitur, quod absurdum puto. Annuos reditus etiam excipiunt, nam de iis usuras solvi posse putant, quamvis haec declaratio potius sit quam limita-
9 tio, cum annui reditus non pro usuris, sed potius pro sorte et re empta habeantur. *Vid. Dn.* *Carpzov. in Asylo dict. cap.* 1. *num.* 369. *et Berlich. dict. decis.* 268. *num.* 29. sicut etiam nuper pronunciatum scio a Collegio Nostro. Sed quid si usurae non misceantur sor- 10
ti, sed super illis specialis obligatio confecta, inque ea usurae ex ea pecunia, quae antea usura erat, fictione brevis manus fuerint in stipulationem deductae? Hoc hodie licere putant 11
multi, cum nihil interesse videatur, utrum creditor usuras realiter acceptas statim iterum mutuo det, an vero ut mutuo acceptum fictione brevis manus recognoscat, et reperiuntur exempla, ubi cum auctoritate judicum talis transactio fuit inita. Et ita sentiunt *Cothmannus cons.* 18. *num.* 218. *vol* 1. *Berlich. dict. decis. num.* 8. *et Dn. Mevius dict. tract. cap.* 4. *num.* 30. Sed id non videtur consentire 12
cum *lege nostra*, quae diserte stipulationem et anatocismum prohibet, et omnino inter ista duo est differentia, cum creditor facilius pecuniam non visam mutuo det, quam realiter numeratam: et debitor facilius stipulabitur usuras usurarum, quam solvet veteres, et parata est haec via ad mergendos debitores, neque tam attendendum puto, quid Romae fiat, quam quid fieri debeat. *Dn. Mev.* tamen anatocismum improbat, quoties miseri debitores, cum solvere per inopiam nequeunt, rigori creditorum ad convertendum in Mutuum usuras cedere coguntur, neque inde quid commodi habent, *Dn. Mev. p.* 4. *dec.* 213. Non tamen dubito auctoritate Principis haec pacta confirmari posse. Aliter limitat illam Regulam *Dn. Mev. p.* 4. *dec.* 154. Vide a me notata ad *l.* 29. *ff. h. t.* ubi recensui ex *Mevio alios casus.*

TITULUS XXXIII.

De Nautico Foenore.

L. Trajectitiam 1.

SUMMARIA

In pecunia trajectitia concessum est, ultra legitimam quantitatem usuras stipulari. num. 1.
Quid sit pecunia trajectitia? 2.
Usurae hae nauticae jure Canon. non videntur improbatae. 3.
Respondetur ad cap. ult. X. de usur. 4.
Usurae hae nauticae hodie centesimas usuras excedere non possunt. 5.
Conciliat textus obstantes. 6.
Non diutius tamen usurae centesimae praestantur, nisi durante periculo. 7.
Singularia, quae conceduntur tempore pestis, tumultus, belli, cessant cessante periculo. 8.

1 In Pecunia trajectitia, id est, quae mutuo da-
2 tur, ut trans mare vehatur, et ibi consumetur, et quidem periculo creditoris, ita ut salva nave sors cum foenore reddatur, naufragio autem facto sors et spes lucri creditori pereat, *Dn. Marquardus de jure Merc. l.* 2. *c.* 8. *num.* 62. concessum est ultra legitimam quantitatem usuras stipulari *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. Nam usura haec non ex officio mutationis, sed tanquam pretium periculi consideratur; et sic usurae hae (centesimae scilicet, ut mox dice- 3
tur,) jure Canonico non videntur improbatae; cui tamen obstare videtur *c. ult. de Usuris*, quod accipiunt de eo casu, ubi non est pro- 4
babilis metus damni et naufragii. Vid. *Covarr. lib.* 3. *Resol. cap.* 2. *num.* 5. ubi varie respondet, *Molin. de J. et J. Tr.* 2. *D.* 318. *num.* 4. *et seq. Santerna de Adsecurationibus Mercatorum p.* 1 *num.* 10. *et seq. Perez. in C. h. t. in fine.* Sicut et valet ob eamdem rationem conventio, qua aliquis volenti pecuniam trajicere promittit eas salvas fore, et vicissim ut damnum unum non mergat, sed a pluribus facilius feratur, *Domin. de Soto de J. et J. lib.* 4. *Q.* 5. *Art.* 2. *Anton. Padilla ad l.* 2. *C. de Resc. Vendit. num.* 25. *Ludov. Molin. de J. et J. Tr.* 2. *D.* 507. *Petrus Santerna d. l.* Sed usurae hae nauticae hodie 5
centesimas usuras excedere non possunt. Nam licet Imper. in *Nov.* 60. approbaverit quasdam conventiones usu receptas in foenore nautico, quibus contrahentes excedebant usuram centesimam, quod videbatur pugnare cum *l. eos* 26. 6

tit. praeced. in *Novella* tamen 110. Imperator priorem *Novellam* abrogavit et rediit ad *l. eos*, et constituit, ut non liceret majores centesimas stipulari nauticas, *Rittershus. in Nov. p.* 3. *c.* 11. *num.* 17. *Matth. Steph. ad d. Nov.* 106. *in fine.* Conf. *Tholos. in Synt. lib.* 22. *cap.* 3. *num.* 47. *et seq.* Sed praecipue ex *hac lege* notandum:
7 Non diutius usuras centesimas praestari, nisi durante periculo, quo cessante hac cessant,
8 unde inferunt ea, quae ob periculum belli, pestis, tumultus, singularia conceduntur, periculo cessante etiam cessare, *Bald. et Salyc. hic Tiraq. in tr. cessante causa p.* 1. *num* 204. *Wesenb. in C. h. t. num.* 20. Et sic, si navigatio duret 6. menses, debent solvi 6. pro centum, si unum mensem tantum, unus thal. pro centum debebitur, *Marquardus de jure Mercatorum lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 61. *Molin. de usuris c.* 43. *n.* 91. *Locennius de jure marit. l.* 2. *c.* 6. §. 31. 516.

L. Cum dicas. 2.

SUMMARIA

Ubi periculum non est creditoris, locum non habet nauticum foenus. num. 1.
Foenus quasi nauticum seu terrestre. 2.
Illustratur per exempla. 3.

1 Ubi periculum non est creditoris, locum non habet nauticum foenus: causa decidendi apertissima, quod periculi susceptio sit causa decidendi hujus juris singularis, ergo cessante hac causa, cessat etiam dispositio. Et hoc adeo verum est, ut si creditor periculum non in pecuniis trans mare vehendis in se suscipiat, sed in aliis pecuniis, possit centesimas stipulari usu-
2 ras per *l. periculis* 5. *ff. h. t.* quod vocatur foenus quasi nauticum, sive pecunia trajectitia impropria, *Dn. Marqu. d. l.* 2. *c.* 8. *num.* 66.
3 *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 2. v. g. dedi pecuniam ad retia coemenda, quo cetus capiatur, hac condictione, ut si non capiatur nihil restituas; item Athleta mutuo accepit centum ad emenda ornamenta, ut si vicerit in praelio, sortem cum usuris restituat, alias nihil; item, si dederim mercatori, ut si lucrum inde fecerit, centesimas restituat, si non lucratus fuerit, nihil. Vid. *Berengarius Fernandus in Repet. l. pacta conventa ff. de contrah. Empt. num.* 28. *Molinaeus d. tr. de Usur. contr. num.* 98. *Zinzerling. in pecul. Disp. ad l.* 5. *inter Basil. vol.* 1. *D.* 9. *Borcholt. de Foenore Naut. cap.* 1.

L. Cum proponas. 3.

SUMMARIA

Qui suscepit casum fortuitum non tenetur si culpa ipsius, cui promissio facta, casus contigerit. num. 1.
Contractui assecurationis valde similis est contractus de foenore nautico, vel pecunia trajectitia. 2.
Et huic similis est Bodmeria. 3.
An ob culpam gubernatoris teneatur creditor, et quatenus. 4. 5.
Conductor suscipiens casum fortuitum non videtur sentire de eo qui ex culpa vel facto locatoris contingit. 6.
Propter illicitas merces in nave positas confiscantur etiam licitae. 7.
Limitatur haec sententia. 8.

Si autem culpa debitoris navis amissa sit, pe- 1
riculum non est creditoris in effectu, quia culpa transfert periculum in debitorem, *l. si ut certo*, §. 5. *l. quod vero* 4. *ff. Commod.* Unde colligunt hanc Regulam *Dd.* Quod si suscepit casum fortuitum, non teneatur, si culpa ipsius, cui promissio facta, casus contigerit, *Bald. et Salyc. hic et Lud. Rom. sing.* 135. *et* 441. et sub renunciatione generali non contineri exceptionem, quae fluit ex facto adversarii, *Masc. de Probat. concl.* 1271. *num.* 34. *Hippol. de Marsiliis sing.* 69. *Petr. Barbos. ad l. ab hostilibus* 11. §. *fin. num.* 5. *ff. Sol. Matr.* Idem esse
videtur in contractu assecurationis, cui valde 2
similis est contractus de foenore nautico, vel pecunia trajectitia, teste *Dn. Marquardo d. cap.* 8. *num.* 67. et huic similis est contractus 3
nautarum, quem vocant Bodmeriam, *Marq. d. l. num.* 68. si dominus Mercium, cui facta assecuratio, vexerit res prohibitas, ob quas navis cum omnibus mercibus fisco addicitur, vel si per loca insolita iter fecerit, *Petr. Santerna d. tr. de Adsecurat. p.* 4. *num.* 17. Et valde sunt emphatica verba hujus legis: *Detrimentum, quod non ex marinae tempestatis discrimine, sed ex praecipiti avaritia et incivili debitoris audacia accidisse adseveratur etc.* Sed
quid si non domini vel debitoris culpa, sed gu- 4
bernatoris navis causa damnum contigerit, tenebitur creditor? Negari id forte posse videbitur, quia debitor et dominus mercium, ac navis tenentur praestare factum sui gubernatoris, *l.* 23. *in fin. ff. de Minor. l. fin.* §. 4. *ff. Nautae caup. etc.* Sed affirmat de assecuratione
Santerna d. l. eo quod factum tertii non im- 5
pediat obligationem committi, et alias destrueretur pene contractus hic, et non valeret, nisi in casibus mere fortuitis, quam sententiam admitto, si nulla culpa in eligendo gubernatore alteri imputari possit. Ex hoc textu
etiam fluit: quod conductor suscipiens casum 6
fortuitum, non videatur sentire de eo, qui ex culpa vel facto locatoris contingit, *Caroccius de Locationibus p.* 1. *de casib. Q.* 5. *pr.* et quos hic allegat *August. Barb. in collect. num.* 6.
Sed et colligitur ex textu; Propter illicitas mer- 7
ces positas in navi, confiscari etiam licitas, et ipsam navem, *hic et l.* 11. §. 2. *ff. de Publicanis*, de quo hic *agit Castren.* et prolixius *ad hunc t. Salyc. et Boer. Decis.* 178. *num.* 24. et quos hic congessit *August. Barbos. num.* 12.
modo sint merces Domini portantis sive alte- 8
rius, scientis scilicet et consentientis, alias secus *Salyc. hic Boer. d. l. Peregrinus de jure Fisci lib.* 6. *tit.* 5. *num.* 30. *et Sebast. Guazinus de Confisc. concl.* 3. *Ampl.* 81. *num.* 2.

L. Trajectitiae. ult.

SUMMARIUM

Debitor generis non liberatur per interitum unius speciei.

Extra hunc casum in mutuo periculum semper debitoris est, et debitor generis non liberatur per interitum unius speciei, *l. incendium* 11. *sup. de reb. Cred.*

TITULUS XXXIV.

Depositi vel Contra.

L. Si incursu. 1.

SUMMARIA

Depositarius tenetur tantum de dolo et lata culpa. num. 1.
Si res casu non perierit, sed dolo detineatur, quae detur actio? 2.
Culpa in materia depositi consideratur concretive. 3.
Culpa in deposito probanda ab eo, qui eam allegat. 4.
Per conventionem expressam fieri potest, ut depositarius etiam ad culpam levem, imo levissimam, et ad casum obligetur. 5.
Si de periculo praestando conventum, casus non intelligitur. 6.
Quandoque depositarius ad culpam levem etiam tenetur. 7.
In Exclusivis non excluditur casus similis. 8.

1 Depositarius tantum tenetur de dolo, et lata culpa, non vero de levi, et multo minus de casu fortuito, nisi cum in se receperit. Ratio in *l. si ut certo* 5. *§. nunc videndum* 2. *ff. commodati*, quia in gratiam dantis, non recipien-
2 tis contrahitur. Sed si res non periit revera casu fortuito, sed dolo detineatur, datur Actio contra eum ad exhibendum, et rei Vindicatio, ideoque casus verus, non tantum allegatus depositarium liberat. Collige ergo: I. In Deposito tantum praestari dolum et culpam latam. Sed
3 haec culpa in hac materia depositi consideratur concretive, ut depositarius etiam natura ignavissimus excusetur, si eodem modo res suas tractet, *§. pen. Inst. de Obl. qua de re contrah. l. quod Nerva* 31. *ff. h. t. Bacch. in Trentl. V.* 1. *D.* 26. *th.* 2. *Lit. B. C. D.* et ideo hic non ex captu hominum communi, sed privato, culpa est aestimanda, *Hillig. in Donell. lib.* 16. *cap.* 7. *Lit. L. Auct. ad l.* 32. *ff. h. t. num.* 1. Cul-
4 pa autem in deposito probanda ab eo, qui eam allegat, *Dn. Carpz. lib.* 5. *Resp.* 13. et ideo si quis casu perdidit res alienas, suas tamen servavit, cum talis casus fuerit, ut utrasque servare potuerit, tenebitur ex culpa, *Caroccius de Deposito tit. de casu num.* 99. *et p.* 2. *q.* 2. *Card. Mantic. lib.* 10. *tit.* 9. *num.* 40. *Mascard. concl.* 500. *Ludov. Molin. de J. et J. Tr.* 2. *D.* 295. *et seq. Auctor ad l.* 32. *ff. h. t. num.* 8.
5 9. 10. II. Per conventionem expressam fieri posse, ut depositarius etiam ad culpam levem, imo levissimam, imo ad casum obligetur, *Molin. de J. et J. Tr.* 2. *D.* 527. *num.* 1. *Card. Mantica d. lib.* 10. *tit.* 9. *num.* 9. *Caroccius d. tr. tit. de culpa, num.* 40. *Alexand. Trentac. tit. de De-*
6 *posito Resol.* 2. *num.* 13. Si tamen de periculo praestando conventum, casum non intelligi, ex *Grato* refert *Farin. Q.* 169. *num.* 41. ob. *l.* 1. *§.* 35. *ff. h. t. Auct. ad l.* 13. *ff. Loc. num.* 5. *et l.* 36. *ff. eod. num.* 2. Tacite etiam id conveniri 7
potest de culpa levi praestanda, si causa utriusque celebratus contractus, vel culpa levissima, si causa solius depositarii celebratus, *Gomez. t.* 2. *Resol. cap.* 7. *in fine. Mozzius Tit. de divis. depos. num.* 3. *Trentac. d. Resol.* 2. *num.* 9. *Bacch. th.* 3. *Lit. B. C.* vel si sese obtulit, *d. l.* 1. *§.* 35. *Caroccius d. Tr. tit. de culpa num.* 12. *Trentac. d. Resol.* 2. *num.* 8. *Mantic. d. t.* 9. *num.* 19. Sed id solent Canonistae recte ita declarare, quando solius depositarii causa contrahitur, quod rarius fit, vel quando deponens quaerit diligentissimum Custodem, et alium diligentiorem poterat invenire, et ego me obtuli, *Panorm. in c. bona fides X. h. t. num.* 3. *Molin. de J. et J. Tr.* 2. *d.* 527. *num.* 5. *Lopez. de contr. lib.* 2. *cap.* 36. Obiter hic etiam colligunt III. *DD.* Re- 8
gulam Logicam; In Exclusivis non excludi casum similem. Vide etiam *Caroc. de depos. tit. de culpa pag.* 70. Demum casum oportet non tantum allegare, sed etiam probare, *Masc. concl.* 272. et quos allegat *August. Barb. in coll. hic num.* 5. *et seqq.*

L. Usurae. 2.

SUMMARIA

Casus quando depositarius ad usuras tenetur. num. 1.
Ut depositarius in mora constituatur, sufficit una interpellatio. 2.
Notatur Barbosa. 3.

Depositarius, quando in mora restituendi est, 1
l. mora 32. *§.* 2. *ff. de Usur. Auct. ad l.* 24. *ff. h. t. num.* 5. vel quando etiam deposita pecunia utitur contra voluntatem domini, tunc tenetur ad restitutionem depositi cum usuris. Ratio est, quia est bonae fidei actio, *§. actionum* 28. *I. de Actionibus.* In his autem a tempore morae usurae currunt, *l.* 13. *C. de Usur.* Collige: Depositarium, si in pecunia restituenda moram fecerit, de usuris teneri, *l.* 24. *in fine ff. h. t.* Et idem multo magis, si in suos usus converterit, *l.* 25. *§.* 1. *ff. h. t. Card. Mantic. lib.* 10. *tit.* 6. *Carp. lib.* 4. *Resp.* 55. et ideo etiam fructus rei depositae veniunt, *l.* 1. *§.* 23. *ff. h. t.* Conf. *Caroccius d. tr. tit. Accessio quarta, pag.* 213. Ad id autem, ut in mora constituatur, suf- 2
ficit una interpellatio, quam in rem sed alieniore loco, plurima generalia hic allegat *Bar-* 3
bosa, scilicet de effectu et discrimine judicialis et extrajudicialis interpellationis. Id proprius textui, quod ante diem destinatum solutioni possit mora contrahi, si deponens, cujus solius in commodum dies constituta, ante diem repetat quod hic multis auctoritatibus confirmat *Barb. num.* 7. sed expressus *textus* est *in l.* 1. *§.* 45. *ff. h. t.*

L. Si depositi. 3.

SUMMARIA

Depositarius re deposita utens, et sic etiam alienans, non tantum actione depositi, sed actione furti tenetur. num. 1.
Limitatio. 2.
Quando tacite de utendo deposito convenisse videatur. 3.
Limitatur. 4.
Cautela. 5.

1 Depositarius re deposita utens, et sic etiam alienans, non tantum actione depositi, in quam usurae veniunt, sed etiam actione furti in duplum tenetur, *Auct. ad l.* 1. *ff. h. t. num.* 18.
2 *et l.* 29. *h. t. num.* 2. Sed haec omnia eo casu vera sunt, quando contra voluntatem deponentis usus est. Nam expresse vel tacite hoc convenire potest, ut uteretur, si opus esset vel
3 ut tantundem restitueretur. Tacite autem hoc actum videtur, si pecunia non obsignata in sacculo deponatur, sed adnumeretur, nam tacite id actum videtur, ut non precise idem, sed tantundem restituatur, per *l.* 25. *et l. si sacculum.* 29. *pr. ff. h. t. Card. Tusch. concl.* 553. *num.* 19. *Lit. F. Farin. Pr. crim. Q.* 169. *num.* 4. *Petr. Barb. in l. si mora* 10. *num.* 82. *ff. Sol. Matr. et Neguz. de Pign. M.* 3. *P.* 5. *num.* 13.
4 *Auct. ad l.* 21. *ff. h. t. n.* 2. *seqq.* Sed hoc universale esse puto, praesertim si talia corpora nummorum, in quae ob antiquitatem vel bonitatem, vel memoriam cadere potest affectio. Alios casus excipit *Barbos. in l. seq.* Tutissimum autem erit, pecuniam numerare, et postea sacculo includere, et obsignare, si dominus nolit, ut deposi-
5 tarius utatur. Illud admonere sufficit, non hic et in similibus legibus de poena furti criminali, sed actione dupli sermonem esse.

L. Si deposita. 4.

SUMMARIA

Sublata actione sortis ipsius depositi, per solutionem vel rem judicatam usurae non possunt peti. num. 1.
Sententia super sorte lata non potest denuo agi de usuris. 2.
Removetur tacita objectio. 3.
Conciliatur l. 16. ff. de Except. rei jud. *quod pugnare videtur cum iis, quae num.* 2. *dicta sunt.* 4.
Sententia, quae usuras omittit petitas, vel expensas non est ipso jure nulla. 5.
Qu. An possit interesse peti postquam super sorte sententia lata? 6.
Limitatio dispositionis, h. l. 7.

1 Sublata actione sortis ipsius depositi, per solutionem vel rem judicatam, usurae non possunt peti. Ratio est, quia hae usurae dantur officio judicis, non per singularem actionem, *sup. l.* 13. *de Usur.* Ergo etc. per *l.* 1. *C. de judic.* Et una est principalis actio de sorte, ubi judici incumbit usurarum rationem habere, quae non facto de solis usuris agi nequit; sed si creditor postea usuras petere velit, obstat ipsi exceptio rei judicatae, in qua usurae praeteritae. Et notanda bene ex *hoc textu* vera ratio, cur sententia su- 2
per sorte lata, non possit de usuris agi denuo, quae etiam insinuatur in *l. centum Capuae ff. de eo quod certo loco*, ibi: *est una actio sortis seu pecuniae creditae:* Sed *circa hujus executionem aestimationis ratio habetur officio judicis*, id est, una est principalis actio sortis seu depositi, sed judici de ea actione dato, vel adito committitur, ut usurarum rationem habeat, et quemadmodum reum in depositum seu pecuniam principalem condemnat, sic condemnet in usuras et accessiones, idque officio et potestate sibi a jure concessa, *Don. hic num.* 1.
Et sic etiam occurritur tacitae objectioni; nam 3
poterat objici si usurae per stipulationem promissae licet in sententia omissae, possunt nova actione peti, per *d. l.* 1. *C. de judic. et d. l. centum Capuae*, cur non etiam usurae officio judicis debitae? Resp. I. Id inde est, quod in casu usurarum per stipulationem promissarum est duplex actio ex stipulatu, una sortis, altera usurarum, quia duae summae, sed hic una. 2. Quando usurae expresse promissae, non expirat stipulatio usurarum, licet non sit earum in sententia facta mentio, sed officium judicis exspiravit. Sed praecedentibus tamen vehementer 4
obstat *l. evidenter* 16. *ff. de Except. Rei judic.* ubi dicitur; iniquum esse exceptionem rei judicatae nocere ei, secundum quem judicatum est a lege. Ergo integrum erit deponenti postea depositi agere, pristina actione scilicet, nec se fundabit in actione judicati, sed priori actione depositi, cum per novationem judicialem non novetur pristina actio. Sed resp. utique licitum erit pristina actione uti, sed obstabit exceptio rei judicatae, non quia tantum omissae sunt usurae, sed quia reus ab iis tacite absolutus, *Donell. hic. num.* 8. Idque odio usurarum, *Castr. hic*. Ergo necesse est, *hanc legem* intelligere de usuris ab actore petitis, nam si usurae non fuissent petitae priori libel o, non posset dici reum fuisse absolutum, absolutio enim petitionem praesupponit. Sed hic praesumitur absolutus, ergo petitas fuisse oportet. Et hinc a contrario sensu posset colligi; Si usurae in priori judicio non essent petitae, et reus in depositi actione condemnatus, integrum foret actori denuo de deposito agere cum usuris, et si reus opponat exceptionem rei judicatae, posset actor replicare, quomodo absolutum te dicere potes ab eo, quod tunc non petii? Quod etiam voluisse videtur *Joann. Petr. Surdus Dec.* 69. *num.* 2. vers. *et non obstat decisio Baldi.* Obiter etiam notetur, sententiam, quae usuras 5
omittit petitas vel expensas, non esse ipso jure nullam, quia hae tantum incidenter, accessorie et minus principaliter petuntur. Sed quid 6
in interesse, *poterit interesse, postquam super sorte sententia lata, postea peti?* Id vero affirmat *hic Castr.* et Genuae ita judicatum esse tradit *Surdus Dec.* 69. per *Dec. Genuensem* 87. tum quia interesse non ita odiosum, ut usurae, tum per *l.* 2. §. 7. *ff. de eo quod certo loco*, sed prior ratio non est adeo valida, quia ratio in usuris militans, scilicet quod extinctum fuerit officium judicis, et quod reus, si petitum fuerit interesse, tacite videatur absolutus, hic etiam militat. Sed fortius urget *d.* §. 7. nisi forte di-

camus, ibi specialem esse rationem; nam qui solutionem certo loco sibi promitti curat hoc ipso interesse illud in stipulationem vel contractum deducere videtur, et sic non injuria dicitur interesse posse peti alia, quam judicati sententia.
7 Interim sententiam negativam tuetur pluribus *Surdus d. l.* Sed notandum etiam quando accessoria petuntur jure actionis, quod tunc idem judex, etiam delegatus, licet super causa principali sententiam tulerit, possit de accessoriis postea pronunciare, per *c. de prudentia* 3. *X. de Donat. inter virum et ux. P. Barb. ad l.* 1. *p.* 1. *num.* 48. in dote etiam ob hujus favorem cessare dispositionem hujus legis et mulierem dote exacta, usuras petere posse, tradit *Cephalus lib.* 4. *vers.* 485. *num.* 120. *ubi num. seq.* idem esse in marito, qui dotem exegit, tradit.

L. Propter instrumenta. 5.

SUMMARIA

Cessante causa, ob quam depositio instrumenti alicujus contractus apud sequestrum facta, potest illud actione depositi repeti. num. 1.
Finis sequestri. 2.
Sequester non potest actione depositi conveniri, antequam lis fuerit sopita. 3.

1 Conductor partem mercedis debitae solverat locatori, residuum locatori se soluturum promittit instrumento, quod ambo deponunt apud sequestrum ea lege, ut residuo soluto conductori restituat Instrumentum. Conductor solvit: Et potest instrumentum a sequestro actione depositi repetere propter rationem in *l.* 6. *ff. h. t.* quamvis etiam instrumento nondum restituto conductor tutus sit contra locatorem exceptione so-
2 lutionis, *l.* 5. *ff. h. t.* Unde notatur: I. Finis sequestri, quoties enim alii non confidimus, sed metuimus, ne cum re aliqua aufugiat, solemus petere sequestrationem, *l. licet* 17. *ff. h. t.* quo casu nulla transit possessio in sequestrum, *l. interesse* 39. *ff. de Acquir. Posses.* et ibi *Zasius num.* 4. *Trentac. lib.* 3. *Tit de Solut. Res.* 12. *num.* 2. *Mol. de J. et J. D.* 523. *num.* 4. *Bacchov. Vol.* 2. *Disp.* 21. *th.* 4. *lit. F. Cludius de*
3 *Sequestro cap.* 9. *num.* 29. Et II. Sequestrum non posse actione depositi conveniri, antequam lis fuerit sopita, vel illud praestitum, ob quod sequestratio, quae est depositi species, facta est, *Tiraq. de Retr. Convent.* §. 4. *Gl.* 9. *num.* 2. *et seq.* et quos hic allegat *August. Barbos.*

L. Is penes. 6.

SUMMARIA

Qu. An si instrumenta transactionis apud sequestrum deposita, alteri deponentium illa debeat reddere num. 1.
Quatenus sequester officium suum possit deponere? 2.

1 Ego et tu deposuimus Instrumenta transactionis apud aliquem Sequestrum, quaeritur: *An alteri nostrum debeat ille reddere?* Resp. si id actum vel conventum est, ut alteri redderetur, secus si hoc actum, ut ambobus redderetur: In summa, lex conventionis servanda. Ergo soli debet reddi, cui ut crederetur, convenit, neque reddet statim, sed cum lex vel conditio depositi impleta fuerit. Quaerit *hic Donellus: Annon officium suum deponere possit* 2
Sequester, si velit ab hac molestia liberari? Et respondet, posse id facere, sed certa lege et forma, scilicet ob justissimam causam, et auctoritate Praetoris, *l. ei apud* 5. §. *fin. ff. h. t.*

L. Desiderium tuum. 7.

SUMMARIA

Qu. si quis pecuniam depositam alii mutuo det, vel apud alium deponat, contra quem detur actio? num. 1.
Actio depositi datur contra depositarium. 2.
Limitatur. 3.
Instrumentum inter duos alios confectum etiam pro tertio probat. 4.

Qui pecuniam depositam acceperat, alii mu- 1
tuo dat, vel apud alium deponit, quia vocem, *mutuo*, omnia exemplaria non agnoscunt, quaeritur: *Contra quem actio depositi detur?* Et respondetur, depositarium teneri actione depositi, quia dolo egit, quod contra conventionis legem alteri det mutuo, et si hoc neget, quod mutuo dederit, casumque fortuitum, vel aliud quod alleget, ex instrumento mutui conveniri potest, et agitur etiam contra haeredem in solidum, quia haec actio non principaliter ex dolo, sed contractu oritur, *l.* 17. *ff. h. t.* Collige ergo ex *hoc textu:* Actionem depositi dari contra 2
depositarium, qui rem depositam recepit, non contra eum, in quem depositarius rem transtulit; quod tamen *hic Castr.* limitat rectissime, si ex justa et probabili causa in alium transfe- 3
rat, v. g. ex causa diuturnae absentiae, et cum hoc pacto, ut seponenti seu domino restitueretur, *l. pen. C. ad exhibendum, l. Si cum venderet,* 13. *ff. de Pign. Act.* Notat etiam ex *l. hac Baldus;* Instrumentum inter duos alios con- 4
fectum etiam pro tertio probare, licet hoc non placeat *hic Castrensi.* Sed de hoc alibi.

L. Si is. 8.

SUMMARIA

Contra illum, qui mutuo accepit, deponenti nulla datur actio personalis ex contractu, sed tantum actio realis. num. 1.
Deponens in pecunia deposita, etiam apud tertium extante, omnibus aliis praefertur. 2.
Re deposita non amplius extante, sed consumpta: personale privilegium post creditores hypotecarios ante nudos chirographarios deponenti competit. 3.

Retenta specie legis praecedentis contra illum, 1
qui mutuo accepit, deponenti nulla datur actio personalis ex contractu, sed tantum actio realis, si nummi extent, vel eos dolo desierit pos-

sidere. Ratio autem hujus legis nimis est evidens, quia nullus contractus inter tertium mutuatarium et deponentem fuit celebratus. Ex
2 eo autem duo infert *hic Barbosa*, deponentem in pecunia deposita etiam apud tertium extante, omnibus aliis praeferri; cujus ratio non in favore depositi, sed in dominio, quod deponens retinuit, sicut etiam commodator in re commodata, locator in re locata et similes omnibus creditoribus praeferuntur jure dominii. Alte-
3 rum vero quod re deposita non amplius extante, sed consumpta, personale privilegium, post creditores hypotecarios, aute nudos chirographarios deponenti competat, per allegata *Barbos.* et tradita *Carpzovii p. 1 Jurisp. Const.* 28. *def.* 150. *et Beutherii lib. 1. de Priv. Credit. cap.* 31, et quos hic allegat *Barbosa.* Sed de hoc alibi.

L. Cum haereditas. 9.

SUMMARIA

Servus haereditarius, quando contrahit, omnia acquirit haereditati jacenti, et per hanc futuro haeredi. num. 1.
Si adsunt sui haeredes, non datur jacens vel vacans haereditas. 2.

1 Servus haereditarius, quando contrahit, omnia acquirit haereditati jacenti, quia haec loco domini est, et per hanc futuro haeredi, et per consequens idem est si quid deponat, *l.* 1. §. 27. *ff. h. t.* Commendatur communiter *gl. h. t.*
2 quod ubi dantur sui haeredes, qui non sint instituti sub condictione potestativa, non detur jacens vel vacans haereditas, cum ob continuationem dominii non possit momentum demonstrari, quo vacet.

L. Qui Depositum. 10.

SUMMARIA

Actiones depositi, mandati, societatis et tutelae directae infamant. num. 1.
Limitatio. 2. *et* 4.
Crescente perfidia crescit poena. 3.

1 Qui suo, non alieno nomine, ad rem depositam restituendam, directa actione conventus condemnatur, fit infamis, *l.* 2. §. *qui pro socio ff. de his qui not. infam. Auct. ad l.* 13. *ff. h. t. num.* 4. Nam Depositi, Mandati, Societatis, et Tutelae actiones directas infamare cogniti juris est, §. *pen. Inst. de Poena temere litigant.* No-
2 ta ergo: Actionem depositi dictam tantum, non contrariam esse famosam, et si quis suo nomine condemnetur, non alieno, non haereditario, non procuratorio, non tutorio nomine, et quidem si ex dolo condemnetur. Sed quaeritur, *cur in enumeratis actionibus infamiam reus incurrat, et non in actionibus commodati vel condictione certi ex mutuo, cum etiam hic rem perfide agat non solvens, vel non restituens?* Resp. qui rem deponit, committit illam rem fidei depositarii; qui mandat negotium alicui, committit se in fidem procuratoris, socius socii, pupillus tutoris. Et in his major est perfidia quam in caeteris contractibus. Vid. *Cujac. ad hanc l. Tom.* 3. Crescente 3
ergo perfidia crescit poena. Et hic dolus est causa condemnationis. Ideoque tunc demum 4
condemnatus depositi infamis fiet, si vel infiiciatus fuerit depositum vel male in re deposita versatus, aut ad usus suos invito Domino contrectaverit, idque dolo malo; nam ab hoc atque adeo infamia, causa talis qualis liberat; de quo *Dn. Mevius p.* 2. *dec.* 340.

L. Si quis. 11.

SUMMARIA

Depositarius rem depositam reposcenti debet restituere confestim. num. 1.
Causa depositi est summaria, et quam citissime est determinanda. 2.
Qu. An Processus in actione depositi sit summarius? 3.
Dubia quaedam removentur. 4.
Qu. An in actione depositi locum habeat exceptio dominii? 5.
Jus hypothecae specialis impedit restitutionem rei depositae. 6.
Propter expensas in re deposita factas competit retentio. 7.
Contra confessionem depositi non admittitur exceptio non numeratae pecuniae. 8.
Nec alia quae altiorem indaginem requirit. 9.

Depositarius rem depositam reposcenti ei, qui 1
dedit, licet furi, debet restituere confestim si potest et sine ulla exceptione compensationis partis, vel totius, per *l. ult. C. de Compensat.* licet pro deposito pecuniam debeat. Nequit etiam retineri depositum, si depositarius dicat, se apud alium etiam aliquid deposuisse, imo ne quidem si extraneus denunciet depositario: ne rem deponenti restituat, hac causa, quia ipse, denuncians scilicet dominus, quo tamen casu, si tertius juramento rem suam esse asseverat, deponens cautionem debet interponere, quod depositarium contra denunciantem velit defendere. Ratio horum est, quia in hoc contractu exuberantior debet esse bona fides. Et colligitur ex textu; Causam depositi esse summariam, 2
et quam citissime esse determinandam, quando scilicet reus fatetur depositum. Eas tamen exceptiones, quibus reus negat depositum esse, omnino potest opponere, v. g. si dicat se esse dominum, *l.* 31. §. *ult. ff. h. t.* Sed hic quaeritur, 1. *An processus in actione depositi semper* 3
sit summarius? Quod poterat forte affirmari, quia scilicet habentur verba in textu; *illico quam celerrime quam ocissime.* Sed video Doctores hic in eo convenire communiter, quod haec verba non inferant omissionem ordinis judiciarii, sed abbreviationem terminorum et remissionem feriarum, ut etiam die feriata, ob necessitatem hominum, possit agi, et ideo, quamvis *Treutlerus Vol.* 1. *Disp.* 26. *th.* 7. *lit.* 4

D. putet, neque libello, neque litis contestatione opus esse, hoc tamen vix esse admittendum recte putat ibidem *Bacchovius*; Quod si autem depositarius fatetur depositum, et nullam allegaret exceptionem, non esset speciale in deposito, quia idem in quolibet alio debito confessato coram judice, in *l. si debitori* 21. *ff. de judic.* Sed dici posset tunc summarie procedendum, quando ex instrumento fide digno de Deposito constat, *Dn. Mevius p.* 2. *dec.* 37. *Auct. ad l.* 24. *ff. h. t. num.* 18. Sed sic omnis causa, de qua ex instrumento authentico constat, summarie tractanda. Sed annon 2. locum habeat exceptio dominii, si dicat depositarius, imo res deposita est mea, ideoque non constitit depositum, per *l. qui rem suam* 15. *ff. h. t. ibique Auct.* quae est sententia *Placentini et Accursii*, *a Cujacio* etiam approbata, ad *l.* 10. *h. t. Mantica d. Tr. l.* 10. *tit.* 10. *n.* 19. *Caroc. de Deposito tit. de casu num.* 76. *Petr. Barbosa in l. divortio* §. *ob donationes num.* 17. *ff. Sol. Matr. Augustinus Barbosa hic num.* 3. Nec obstant verba *in rem* in h. l. quia ista verba loquuntur de eo casu, quando de aliis rebus vicissim vellet agere reus, nam iniquum esset eum, qui vellet probare dominium rei, ad restitutionem compellere. Sed id verum, si dominium vellet in continenti, seu intra breve tempus probare, nam dilationes longiores haec actio non admittit, Confer. *Auct. ad l.* 3. *ff. ut in posses. legat. num.* 3. Et ita intelligendum, quod
6 de hypotheca hic dicitur, quasi jus hypothecae non impediat restitutionem depositi; nam si res depositi in specie sit obligata, idque in continenti possit probari, non injuste recusabitur restitutio, sed si alia res hypothecata vel bona omnia generaliter, secus est: quia hoc casu res deposita excepta videtur, *Petr. Barb. in l. si alienam* 12. *num.* 25. *ff. Solut. Matr. Gaitus de Credito c.* 4. *tit.* 1. *quaesito* 7. *num.* 650. *et seq.* Et sane si conscio debitore quis ideo recipiat depositum, ut esset apud depositarium, et in securitatem crediti, justissima erit retentio, et ubicunque expresse vel tacite id actum, ut depositario competeret retentio, si conveniretur, *Dn. Mev. p.* 2. *dec.* 55. Et si depositarius partem pecuniae in utilitatem deponentis quid converterit, non tenetur ultra, *Dn. Mev. part.*
7 2. *dec.* 56. Imo propter expensas in rem factas videtur retinere posse, licet hae contrario judicio peti possint, per *l.* 23. *ff. h. t.* ubi vide in *Comm. meo DD. allegatos et* per *l.* 18. §. *fin*
8 *ff. Commod.* Colligunt etiam ex *hac lege:* Non admitti exceptionem non numeratae pecuniae contra confessionem depositi, *Molin. de J. et J. D.* 23. *num.* 2. *Mozzius in tit. quomodo deficiat depositum num.* 3. *Natta Cons.* 438. *num.* 4. *Georg. Schultz. in tr. de oblat. Pecun. c.* 5.
9 *num.* 27. uti ullam aliam exceptionem admittunt, quae altiorem indaginem requirit, *Schultz. d. l.* Conf. *Trentac. in tit. de Depos. Resol.* 4. *num.* 2. *et seq. Cardin. Mantic. de tac. et amb. conv. l.* 10. *tit.* 10. *Card. Tusch. Concl.* 200. *Lit. D. Vinc. de Franchis Dec.* 151. et inferunt etiam quadrimestre spatium condemnato hic non dari, *Card. Mantic. d. t.* 10. *num.* 3. Sed *Bacch. d. th.* 7. *Lit. E.* recte hoc notat, nam aut depositum extat, et id commune omnibus actionibus, quibus certa adhuc existens petitur, aut est consumptum et tunc non videtur deneganda dilatio.

Authent. Sed jam cautum.

SUMMARIA

Tres casus notantur, ubi denunciatio plane non est attendenda. num. 1.
Rationes hujus. 2. *et* 3.
An per h. auth. *derogetur* l. praeced. §. ult. 4.

Si quis denunciatione vel contestatione hoc 1
effecerit apud depositarium, quo minus ille depositum restitueret Domino vel apud Inquilinum, quo minus hic locatori aedium pensionem solveret, vel apud Praefectum annonae, quo minus panes civiles praeberet, is inquam, qui sua prohibitione hoc effecerit, domino vel locatori vel Praefecto annonae omne damnum debet resarcire, et periculum depositi etc. sustinet, et inde a tempore denunciationis pecuniae usuras trientes praestat, id est, quatuor per centum. Collige ergo: In tribus istis casibus denunciationem prorsus non esse attendendam. In primo casu notus est favor depositi, 2
et hic praebet causam decidendi, et ne detur occasio perfidiae ob retentum depositum, et denegatam ejus restitutionem. Secundae et Ter- 3
tiae exceptionis ratio est, quia in pensionibus et annonis versarentur alimenta, quae ex illis forte comparentur, praesertim ab iis, qui tenuioris fortunae sunt, quibus hominibus Imperatores et Leges impense favent, et consultum volunt, et notissimus est in jure favor alimentorum. Vid. *Rittershus. in Nov. p.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. *et seqq.* ubi *num.* 10. quaerit, *An per* 4
hanc authent. legis pen. praeced. §. *ult. sit abrogatus, et an penitus abrogentur denunciationes et protestationes?* Et quidem omnes denunciationes non tolli, recte ad *l.* 10. statuit *Cujac.* quia in dictis tantum speciebus abrogantur. Sed *Ritthershus.* tradere videtur, etiam in materia depositi denunciationes non esse prohibitas, licet poena infligatur, si recte ejus sententiam accepi. Sed verba Imperatoris in *Novel.* 88. *cap.* 1. sunt nimis evidentia, ibi: *necessitatem habeat omne restituere aurum, etc. et nulla omnino licentia sit aliquibus extrinsecus interdictionibus uti et retinere depositi restitutionem etc.* Ergo verius est per *hanc Authent.* derogari *illi* §. sed omnes denunciationes non tolli.

L. Supervacuam. ult.

SUMMARIA

Si unus haeredum suam partem ex rebus depositis acceperit, non potest hic conveniri a caeteris cohaeredibus, postquam depositarius factus fuit non solvendo. num. 1.
Aliud in societate obtinet. 2. 3.
Ampliatio. 4.

In rebus pondere, numero, et mensura con- 1
stantibus, (non speciebus aliis) si deponens decessit pluribus relictis haeredibus, singuli, quod accipiunt proprium sibi habent, *l.* 1. §. 36. *ff. h. t.* Sed quid si unus haeres suam par-

tem petat et accipiat, alter vero non, sed ejus pars casu pereat, *An prior suam partem communicare debeat?* Negatur, quia semel ejus facta est per *d.* §. 39. *ibique Auct. num.* 25. Ergo
2 id quod nostrum etc. Diversum vero obtinet in societate, *l.* 63. §. 5. *ff. Pro Socio*, quia ibi
3 omne lucrum debet esse aequale. Socius sponte sua contrahit communionem bonorum, quorum est Societas, sed haeres in eam incidit. Collige ergo ex *hoc textu*; Si unus haeredum suam partem acceperit, non posse hunc conveniri a caeteris cohaeredibus, postquam depositarius factus fuit non solvendo, et non debere industriam poenam desidiae solvere, in quo anima legis consistit, ut ait *Cephalus lib.* 4. *cons.* 555. *num.* 5. Et eadem ratio in aliis ma- 4
teriis, si haeres unus suam partem consecutus est et non amplius, non potest a cohaeredibus conveniri, licet illi suum consequi non possunt, *l. Lucius* 38. *ff. Fam. Hercisc.* Sic si uni plures successissent et major pars adierit haereditatem huic fiet restitutio, praestita cautione, *l.* 14. *h. t.* et ibi *Castr. Mozzius de deposito tit. de natural. depos. num.* 23. Conf. *Mantic. d. l.* 10. *tit.* 7. Si autem plures ab initio deposuissent, et actum sit ut uni restitueretur, ille in solidum habet petitionem, alias tantum pro parte, *l.* 1. §. 44. *h. t.*

TITULUS XXXV.

Mandati vel contra.

L. Adversus. 1.

SUMMARIA

Ea, quae impendit procurator, actione mandati repetit cum usuris. num. 1.
Salarium mandatario constitutum, quibus actionibus petatur. 2.
Salarium mandatario solvi non tantum, sed etiam promitti potest. 3.
Mandatum quod intuitu salarii vel honorarii susceptum, improprium dicitur, et mercenarium. 4.

1 Ea, quae impendit Procurator, actione mandati repetit cum usuris, *l.* 27. §. 4. *ff. h. t.* quo pertinet, si mutuum sumat ab aliis, ut domi-
2 num liberet, ut hic. Salarium autem promissum non potest peti actione mandati, sed extra ordinem petitur, *l. Salarium* 7. *ff. h. t.* vel actione praescriptis verbis, vel ex stipulatu, vel pacto, vel conditione ex consuetudine, quod inter Mercatores solet vocari provisio, quae communiter dicitur constare aureo uno et dimidio pro centum, de quo *Dn. Mevius ad jus Lub. l.* 3. *tit.* 6. *art.* 20. *num.* 46. *et seq. Dn. Marquardus de jure Mercat. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 63. *et seqq. et lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 87. ubi hanc provisionem secura conscientia accipi posse tradit. Nec obstat *lex* 6. *princ. ff. h. t.* ubi non est quaestio, quae actio de salario competat, sed an accedente salario maneat mandatum, et respondetur manere mandatum, et consequenter dari actionem mandati, licet non de Salario, sed de aliis, de quibus
3 convenit. Colligitur ergo I. ex *hac lege;* Quod mandatarius si quid de suo expendit, si solitus sit foenerari, possit expensas cum usuris repetere ob lucrum cessans, et damnum emergens; si vero ab aliis mutuo sumpsit, possit repetere usuras, quas aliis promisit, *Bald. et Salyc.*
3 *hic.* II. Salarium mandatario solvi non tantum, sed etiam promitti posse. Nam mercedem quidem respuit mandatum, quia illa pro exaequatione et compensatione laboris promittitur, et locationem facit, si res locabilis sit. Sed honorarium ex gratitudine remunerationis causa promittitur, *Bacchov. in Treutl. Volum.* 1. *D.* 27. *th.* 1. *Lit. E.* Sicut enim donatio nulla est promissa mercede, tamen si alio beneficio pensetur, non propterea desinit esse donatio, per *l. Aquilius Regulus ff. de Donat.* ita nec mandatum vitiatur licet mandatarius intuito remunerationis mandatum susceperit, et ab initio de remuneratione, conventum sit, *Lodov. Molin. Tract.* 2. de *J. et J. D.* 548. *num.* 2. *et seqq. vid. Auct. ad l.* 6. *ff. h. t. n.* 1. *seqq.* Et hoc mandatum, quod intuitu salarii vel honorarii 4
susceptum, *Nic. Mozzius tit. de Naturalibus mandati num.* 87. vocat improprium, et *Hillig. in Donell. lib.* 13. *c.* 10. *lit. G.* vocat Mercenarium: Et licet ab initio vel ex postfacto non sit promissum salarium, si tamen negotium per se sit laboriosum, salarium peti potest extra ordinem, licet de eo ab initio nihil convenerit, per *hanc l. Flores Diaz. de Mena lib.* 1. *Q.* 8. *Art.* 1. *num.* 16. *et seq. Menoch. cons.* 228. *num.* 20. et quos allegat *hic Augustinus Barbos. num.* 4.

L. Cum ex causa. 2.

SUMMARIUM

Casus legis et inde deducta quaestio.

Debitor ab amico petiit, ut intercederet pro se apud creditorem fidejubendo et dando pignora; ille primo fidejubet, postea dat mobilia debitori, ut ea apud creditorem oppignoret; fidejussor conventus cogitur pecuniam solvere, Creditor restituit pignora debitori, Quaeritur: *Qua actione repetat debitum et pignora?* Resp. utrumque actione mandati: nam licet pignora tibi sint commodata et ita actio commodati alias daretur, *l. si ut certo* §. 12. *ff. Commod.* primus tamen contractus mandatum est, initium autem semper spectandum. Et ita respondet *Donell. hic*, quamvis possit etiam dici, quod

ipse *Donellus* etiam concedit, fidejussorem non commodasse res suas debitori, ut hic daret pignora suo creditori, sed fidejussorem rogatu debitoris statim dedisse pignora creditori, quo casu per *allegatum* §. 12. *l.* 5. daretur actio mandati. Et quamvis *hic Cujacius tom.* 3. quartam *Accursii* interpretationem approbet et putet, actione mandati dari debere de sorte soluta, de pignoribus vero hypothecariam, vix tamen verba huic interpretationi favebunt.

L. Si Pater tuus. 3.

SUMMARIA

Duplex l. sensus. num. 1.
Interpretatio prima. 2.
Altera. 3.
Cedens semper retinet directam actionem, secus ac si quis deleget suum debitorem. 4.

1 Legis hujus sensus est duplex: nam *Glossa,*
2 *Castrensis, et Salyc.* intelligunt de mandato simplici, qua actionis tantum exercitium mandatur, non vero de mandata seu in utilitatem mandatarii cessa actione, et sic sensus est; posse mandantem non obstante mandato, si res sit integra, id est, si nondum lis contestata, mandatam revocare et actione sua ipsum agere, quia per litem contestatam fit procurator dominus litis, vel causae, sed ante litem contestam non est dominus, per *leg. ante li-*
3 *tem* 16. *et seqq. ff. de Procurat.* Sed *Donellus hanc leg.* accipit de cessis actionibus: Mandavi actionem, id est, cessi jus meum, et alterum constitui procuratorem in rem suam, modo talis sit persona, quae acquirere possit, ibi: *si juris constitutio*, quamvis hic cessionarius directam actionem, nomine meo, et utilem nomine proprio habeat, *l.* 5. *C. de Haered. vel Act. vend.* re tamen integra, id est, quando cessionarius nondum denunciavit, ut sibi solverent debitores, *l.* 3. *C. de Novat.* ego cedens ipse possum agere, nec cessionarius si cedens litem contestatus est, sive egerit, intervenire potest.
4 Nota bene: Cedentem semper retinere directam actionem, secus est, si quis deleget debitorem suum, ubi delegans ipso jure liberatur per *d. l.* 3. *C. de Novat.* de quo infra suo loco fusius.

L. Etiamsi. 4.

SUMMARIA

Procurator ad litem datus sumptus repetit contraria mandati actione, licet causa cadat. num. 1.
Discrimen inter Defensorem et procuratorem. 2.
Quae de Procuratore dicta sunt, applicantur ad negotiorum gestorem. 3.
Qu. an mandatarius, si commodum domini promoverit et etiam damnum dederit, possit damnum cum lucro compensare. 4.

1 Procurator ad litem datus sumptus repetit contraria mandati actione, *l.* 10. §. 9. *l.* 12. §. 9. *ff. h. t.* licet causa cadat, *hac l.* 4. si modo f. fecit probabili ratione, id est, tales sint sumptus, qui facti sunt ad persecutionem litis necessario et bona fide, *l.* 27. §. 4. *ff. h. t.* 2. nisi procuratoris culpa factum, ut causa caderet, *argum. l.* 5. *pr. ff. h. t.* Collige ergo discrimen 2
inter defensorem et procuratorem: qui lite suscepta alium absentem defendit, non potest recuperare expensas, si succumbat, *l. jus tamen* 5. §. *quid tamen* 6. *ff. judicatum solvi.* Sed procurator expensas repetit, licet succumbat sine sua culpa, neque enim eventum praestat, *Surdus de alim. tit.* 1. *qu.* 121. *in fine, Bocerus tom.* 1. *clas.* 2. *D.* 6. *num.* 90. et quos hic *in Collect.* allegat *Barbos. num.* 2. *Add. Auct. ad l.* 46. *ff. de pact. num.* 8. Nam qui defensionem alterius suscipit, scire debebat, posse aliquem sub justo clypeo succumbere et ideo non debuisse temere se liti ingerere. De Negotiorum 3
Gestore idem dicitur in *l. sed an ultro* 10. §. 1. *ff. de Negot. Gest.* quod hic de procuratore judiciali. Sed *cur diversum in defensore?* Resp. Quia periculosius est alienam litem suscipere, quam aliena negotia extrajudicialia, *Glossa* demum *hic* quaerit: *An si Mandatarius commo-* 4
dum domini promovet in decem, sed damnum dedit in viginti, possit damnum cum lucro compensari? Glossa negat, sed *DD. hic* scil. *Bald. Salyc. Castr. etc.* affirmant per *l. Cajus Sejus* 11. *ff. de Usuris.*

L. Si Maritus. 5.

SUMMARIUM

Casus legis et inde deducta quaestio.

Mandavi marito Sororis, ut meo nomine bonorum possessionem mihi delatam peteret, nam hoc negotium speciale mandatum requirere videtur, *L.* 25. §. 5. *ff. de Adquir. Haered.* sed ille non petit intra annum bonorum possessionem; quaeritur: *An habebam contra eum actionem Mandati?* Et videtur quod non, quia per curatorem et procuratorem adquiri haereditas non potest, per *l. per curatorem* 90. *ff. de Adquir. Haered.* Sed affirmatur *hic et l.* 3. §. 7. *ff. de Bon. Poss.* quia non tanta hic solemnitate opus est.

L. Si Fidejussor. 6.

SUMMARIUM

Mandatum etiam tacite contrahitur.

Mandatum etiam tacite contrahitur, si patiar te pro me fidejubere, nam ex hac patientia colligitur mandatum, cum hic de commodo meo agatur, *hic et l. qui patitur* 18. *ff. h. t. Masc. de Probat. Concl.* 1007. *num.* 38. *Card. Tuschus Concl.* 31. *Lit. M.* Conf. *et Card. Mantic. de tac. et amb. Conv. l.* 7. *tit.* 5. *et seqq. Menoch. lib.* 6. *Praes.* 99. *num.* 18. *Hering. de Fidejuss. c.* 7. *num.* 32. *Petr. Barbos. in l. quae dotis* 34. *d.* 153. *ff. Sol. Matr.* vide notata *ad d. l.* 18.

L. Si Litteras. 7.

SUMMARIA

Is qui mutuo dat ex mandato alterius, obligat sibi recipientem tanquam principalem ex eo contractu, et mandantem tanquam personam accessoriam per actionem mandati. num. 1.
An et quatenus ex commendatione hominis sequatur mandatum. 2.
Mandatori, qui ante debitorem principalem convenitur, competit exceptio ordinis seu excussionis et cedendarum actionum. 3.

1 Dedisti litteras ad me, ut Titio centum mutuo dem; Ego Titio do mutuo, tuo nomine accipienti: ergo habeo actionem contra te ex mandato, quia fidem mandati tui secutus Titio credidi; Quaeritur: *An habeam actionem contra Titium?* Videtur quod non, quia tuam sum secutus fidem; Sed affirmatur, quia Titio omnino credidi. Ergo licet tu in causa sis, ut Titio crederem, credidi tamen Titio, ergo Titius etiam ex mutuo mihi obligatur. Colligit ergo recte *Baldus et Castrens. ex hoc textu:* Eum qui mutuo dat ex mandato alterius, obligare sibi recipientem tanquam principalem ex eo contractu, et mandantem tanquam personam accessoriam, per actionem mandati. Sed si recipiens mutuum recepisset nomine mandantis, tunc cum *Glossa hic* subdistinguunt *Doctores*, utrum mandatum directum fuisset ad eum, qui recipere debet, et tunc daretur mihi Actio institoria contra te, *l. si mutuam C. de Exercit. Act.* Si autem mandatum ad me directum hac forma, ut tuo nomine Titio darem pecuniam, tunc Titius tantum personam nuntii gerit et non tenetur ulla actione. Sed redeundo ad nostram Speciem, si recipiens suo nomine receperit, et ego illi dederim, notat recte *Glossa*, non sufficere ad hoc nudam commendationem.
2 Nam ex commendatione hominis non sequitur mandatum, *l.* 12. §. 12. *ff. h. t.* ut ei credatur, nisi commendatio illa fiat dolose, aut eo intuitu, ut ei credatur, aut litterae commendatitiae certum contractum respiciant, *Gomez. Tom.* 2. *Resolut. cap.* 13. *num.* 5. *Mantica de tac. et amb. Convent. lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 13. *Boer. Dec.* 283. *num.* 2. *Rota Gen. Dec.* 70. *Dn. Carpz. P.* 2. *Jurispr. Const.* 18. *Def. ult. et Const.* 20. *Def.* 10. *Auct. ad l.* 17. *ff. h. t. num.* 5. specialis casus est in *l.* 4. §. *ult. ff. de Fidej. Tut.* Si etiam meum consequar ab uno horum, non possum idem ab altero petere contra le-
3 gem *bona fides ff. de R. J.* Et si mandatorem convenero ante debitorem principalem, qui recepit suo nomine, illi competit exceptio ordinis seu excussionis et cedendarum actionum, per *Authent. praesente C. de Fidejuss. Donell. hic Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 187.

L. Si tibi. 8.

SUMMARIA

Si pater pupilli mandavit, ut servis ejus crederetur mutuum, patre mortuo actio mandati ex persona patris contra pupillum datur. num. 1.
Ex persona haeredis obligatio non mutatur. 2.

Pater pupilli mandavit mihi, ut servis ejus 1
crederem mutuum, et hi res Domini oppignorarunt eo volente et consentiente. Resp. Patre mortuo, et actionem mandati, et hypothecariam ex persona Patris contra pupillos dari, quia ex persona haeredis obligatio non mutatur, *l.* 2. 2
§. 2. *ff. de V. O.*

L. Cum per Procuratorem 9.

SUMMARIA

Quando procurator dolo, vel culpa laesit jus sui domini et principalis, actione mandati convenitur directa. num. 1.
Sin vero tertium ob suum interesse laesit, tenetur ad restitutionem damni ex L. Aquilia. 2.

Quando Procurator dolo vel culpa, commit- 1
tendo vel omittendo, laesit jus sui domini et principalis, actione mandati convenitur directa, et quidem ad interesse, in quantum laesus sum, nam si nihil intersit, non habeo actionem, *l.* 6. §. 6. *ff. h. t.* Sed quid si Procurator non 2
principalis sui, sed alterius jus laesit, eo, quod mandatum non recte impleverit, et eo casu tertium ob suum interesse ad restitutionem damni, sed non hac actione mandati, sed ex *lege Aquilia* agere posse negari nequit. Conf. *Dn. Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 20. *D.* 12. *et Klockius vol.* 2. *cons.* 50. *num.* 6.

L. Si pro ea. 10.

SUMMARIA

Ut fidejussor contra debitorem principalem habeat actionem mandati, requiritur, ut pro eo solverit. num. 1.
Exceptiones ab hac regula. 2.
Qu. An fidejussor habeat contra debitorem actionem, si non obstante exceptione inique a judice condemnatus non appellavit? 3.

Ad id ut fidejussor contra debitorem princi- 1
palem, pro quo solvit, habeat actionem mandati, requiritur, ut solverit, antequam ageret, nam mandato huic fidejussionis inest mandatum solutionis, et quilibet, qui ex contractu agit, debet prius allegare, et si opus est, probare, se a sua parte satisfecisse obligationi suae et contractui; sed ejus regulae initio legis, ut et in *L. Lucius* 38. *ff. et C. fin X. de Fidejuss.* propositae exceptiones tres traduntur in textu: 2
1. Si fidejussor condemnatus, tunc enim potest actione mandati agere contra debitorem, *Francus de Fidejuss. cap.* 5. *num.* 5675. *Hering. de Fidejuss. cap.* 25. *num.* 17. cui exceptioni cum casum adjungunt, ubi in causa conclusum est, et sic sententia est in propinquo, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 41. *num.* 19. *Mantica lib.* 16. *de tac. et amb. convent. tit.* 22. *num.* 12. item ubi ex statuto parata est exe-

cutio vi instrumenti Guarentigiati, *Gomez. T. 2. Resol. c.* 13. *num.* 10. *Cardin. Mantica d. t.* 22. *num.* 10. *Surdus dec.* 94. *num.* 5. *Socinus Reg.* 192. *Hering. de Fidejuss. d. c.* 25. *n.* 19. 2. Exceptio est, si debitor bona sua dilapidare incipiat et justam causam metuendi praebeat, *Francus d. c.* 5. *num.* 567. *Hering. d. c.* 25. *num.* 59. quod de ea prodigalitate accipiendum, quae fidejussionem sequitur; secus si interposuit pro eo, qui tum bona sua prodigere inceperat, cum pro eo fidejuberem, *Gail. lib.* 2. *Obs.* 29. *num.* 9. 3. Exceptio est, si pro debitore fidejussissem hac conditione, ut liceret mihi agere cum debitore ante solutionem a me factam, cui adjungitur etiam haec, si diu in obligatione fidejussor stetit, per *d. l. Lucius et d. c. fin.* quod, quantum tempus requirat, in arbitrio judicis *DD.* collocant, *Francus d. l. num.* 561. *Hering. d. l. num.* 33. *Menoch. d. l. num.* 4. *Coler. de Processu Executivo p.* 1. *c.* 10. *num.* 319. Haec de prima parte legis. In secunda agit de fidejussore, qui habebat Exceptionem, et tamen a creditore conventus, per injuriam judicis condemnatus est, et tamen
3 non appellavit, et Quaeritur: *An habeat actionem mandati contrariam, quae repetat summam, in quam condemnatus?* Quod negatur, quia in dolo videtur versatus, quod non appellaverit, quod temperatur in *l. si Procuratorem* 8. §. 8. *ff. h. t.* nisi vel inopia fidejussorem excuset, vel fidejussor debitori denunciaverit, ut ipse appellaret si vellet, *Boer. decis.* 247. *num.* 14. *Parisius cons.* 104. *lib.* 3. *Menoch. cons.* 212. *n.* 63. debet enim fidejussor omnem adhibere diligentiam et conatum, ne exigeretur, per ea quae allegat *Menoch. d. cons. num.* 64. Et ideo si fidejussor exceptionem aliquam omisit sciens, non habet regressum contra debitorem, *Sich. hic num.* 16. *et seq. Menoch. d. l. num.* 65. *et seq.* licet non teneatur opponere exceptionem, quae sit de apicibus juris, per *l. si fidejussor,* 29. §. 4. *ff. h. t.* Sed Vid. *Petr. Barb. in l. si constante* 25. *pr. num.* 39. *ff. Sol. Matr. Pinell. de Resc. Vendit. p.* 1. *cap.* 2. *num* 3. *Zangerus de Except. part.* 2. *c.* 22. *num.* 19.

L. Procuratorem. 11.

SUMMARIUM

Procurator tenetur de culpabiliter gestis, et de culpabiliter non gestis.

Procurator tenetur de culpabiliter gestis, et de culpabiliter non gestis, v. g. quod pecuniam non exegerat. Licet enim mandatum suscipere ab initio sit meri arbitrii, et nemo ad mandatum suscipiendum compelli possit, si tamen semel susceptum sit, omnino adimplendum, *l. si mandavero* 22. §. *ult. ff. h. t.*

L. Cum mandati. 12.

SUMMARIUM

Ubi fines mandati quis excedit, nulla datur actio mandati, imo nihil actum est.

Mandavi, ut fundum meum venderes Titio centum florenis, sed tu vendis Sejo, vel vendis quinquaginta florenis, Quaeritur: *An mihi praejudices et an dominium transtuleris?* Quod utrumque Negatur, nam mandatarius in totum vel pro parte fines mandati excesserat. Nam ubi fines mandati quis excedit, nulla datur actio mandati, imo nihil actum est, *l. diligenter* 5. *ff. h. t.* licet melior conditio mandantis fieri possit, v. g. Si pluris vendat, vel si jussus emere centum, 7. florenis emat, *Tiraq. in l. si unquam in verbo,* Libertis, *num.* 59. *C. de Revoc. Donat. Molina de Just. et Jure Tr.* 2. d. 552. *Fachinaeus lib.* 2. *cap.* 93. *Mantica lib.* 7. *de tac. et amb. convent. tit.* 14. *et seqq. Scaccia de Commerc.* §. 2. *Gl.* 5. *num.* 370. Fieri autem potest, ut quis fines excedat ex causa non improbabili, qualia exempla dubia recenset *Dn. Marq. de Merc. jure lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 47. *et seqq.* ubi de hac materia de finibus mandati servandis plura.

L. A procuratore. 13.

SUMMARIA

Ex h. l. DD. *inferunt, in mandato regulariter praestandam esse culpam etiam levissimam. num.* 1.

Auctor *h. l. cum aliis restringit ad procuratorem ad judicia.* 2.

Dicitur hic a Procuratore omnem culpam praestandam esse, sed non casum fortuitum. 1
Ex illo inferunt *DD.* in mandato regulariter praestandam esse culpam etiam levissimam, nam qui dicit *omne,* nihil excludit, *Connanus lib.* 7. *c.* 14. *num.* 7. *Donell. lib.* 13. *cap.* 11. et quos ibi allegat *Hilliger. lit. E.* Sed melius sentiunt, 2
qui *hunc textum* de Procuratore ad judicia intelligunt. Ideoque post *Bart. hic* distinguit *Castrensis,* aut negotium quod mandatur non requirit aliquam industriam, et tunc culpa lata tantum praestanda, ut in *l. si fidejussor* 29. *pr. ff. h. t.* Interdum tale est negotium, ad quod requiritur aliqualis industria, sed non adeo exacta, ut negotia extrajudicialia, et tunc culpa levis praestanda, ut in *l. Procuratorem* 11. *h. t.* Aliud vero est, ad quod requiritur exactissima diligentia, ut in Procuratore ad litem, qui communiter dicitur absolute Procurator et hic obligatur ad diligentiam exactissimam, et profitetur se peritum rerum forensium. Similis distinctio est etiam in locatione per *l. si merces* 25. §. *qui columnam* 7. *ff. Locati.* Conf. *Nic. Mozzius in titul. de naturalibus Mandati num.* 26. *Ludov. Molin. tr.* 2. *de J. et J. d.* 549. *num.* 6. Conf. *Bacch. in Treutl. d. D. th.* 7. *lit. B. C.*

L. Si secundum. 14.

SUMMARIA

Si res mandato duorum empta, postmodum vero uni altero volente, tradita, contra utrumque mandatario competit contraria actio num. 1.

Quod uni traditum alterius voluntate, utrique traditum videtur. 2.

1 Si duorum mandato rem mea pecunia emi, et illam uni volente altero trado, actione mandati contraria recte utor, contra utrumque,
2 nam quod uni traditum alterius voluntate, utrique traditum videtur. Ergo uterque actione mandati recte convenitur.

L. Mandatum. 15.

SUMMARIA

Mandatum re integra morte mandantis finitur. num. 1.
Res integra quando dicatur? ibid.
Si principalis satisdedit pro procuratore, tunc morte mandantis non extinguitur mandatum. 2.
Idem si mandatum est institori, aut quis procurator est in rem suam. ibid.
Quando re etiam non integra tamen expiret mandatum? 3.
Reperiuntur quaedam mandata, quae post mortem demum mandantis possunt expediri. ib.

1 Mandatum re integra, morte mandantis finitur. Sed dicitur hic *re integra*, id est, antequam expensas fecerit mandatarius aut lis sit contestata in judicialibus per *l. post litem contest. ff. de Procur. Card. Mantica lib.* 7. *de tac. et amb. convent. tit.* 23. *num.* 23. *et* 28.
2 Interdum autem etiam re integra mandatum non expirat, v. g. si principalis satis dedit pro procuratore, nam tunc morte mandantis non extinguitur mandatum per *l. nulla dubitatio* 23. *supra de Procur. Antonius Gabriel. lib.* 2. *Comm. Conclus. tit. de Procur. conclus.* 2. *num.* 11. *Trentac. lib.* 2. *tit. de Procur. Res.* 10. *num.* 8. *Gail. lib.* 1. *Observ.* 109. *num.* 7. *Treutl. V.* 1. *d.* 9. *th.* 10. *Lit. f.* idem in mandato facto Institori, *l.* 17. §. 3. *ff. de Inst. Act. Trentac. d. l. num.* 5. *Mantica d. t.* 23. *num.* 39. *Gabriel. d. l. num.* 20. et in procuratore in rem suam, *Gabriel. cit. loc. num.* 36. *Trentac. n.* 9.
3 interdum re non amplius integra, morte mandantis tamen expirat mandatum, ut in beneficialibus, et si quis sine haerede decedat, *Gabriel. d. tit. conclus.* 3. *Riccius coll. dec.* 312. Sic etiam reperiuntur mandata, quae post mortem demum possunt expediri, et sic non possunt expirare, ut de monumento extruendo, *l.* 12. §. *fin. ff. h. t.* idem si mandato meo post mortem meam stipulatus sis, *l. ult. ff. de solut. Bacch. th.* 6. *lit. C. Trentac. d. Resol. num.* 6. *Stracca tit. de Mand. num.* 49. *Tuscus concl.* 65. *per totam, Vivius dec.* 494.

L. Ad comparandas. 16.

SUMMARIA

Qui semel suscepit mandatum, et illud non est executus, tenetur ad id, quod interest. num. 1.
Ex mandato statim oritur obligatio ad mandatum expediendum, et restituendum vel damnum, vel quod ex mandato penes mandatarium est. 2.
Haec est natura actionis mandati, ut interesse praestetur. 3.

Qui semel suscepit mandatum, et illud non est executus, tenetur ad id quod interest. Collige: Interesse esse causam et normam hujus actionis directae mandati, *l.* 8. §. 6. *et l.* 27. §. 7. *ff. h. t.* Ex mandato enim statim contrahitur obligatio, ut congruo tempore integre et fideliter mandatum exequatur, et restituat, si quid emolumenti ad eum ex mandati executione pervenerit, aut si quid damni dedit omissa impletione, mandanti restituat, aut si praeter mandatum quid fecerit, *Molina Tr.* 2. *d. J. et J. d.* 549. *num.* 5. sed addit *Gl.* si interfuerit antea, sed jam non intersit, quod tunc cesset haec actio, quod *Castrensis hic* eo casu admittit, si etiam cesset damnum de praeterito, v. g. si debuisti domum extruere in utilitatem meam ob comitia celebranda propediem, interfuit meam domum extrui, comitiis jam finitis, jam non interest, sed damnum de praeterito tamen adhuc durat, ergo datur adhuc actio. Sed si cessaret etiam damnum de praeterito, cessaret etiam haec actio. Ex *hac lege* etiam discimus. Si mandavi, ut rem istam mihi emeres, non esse ita formandam actionem, ut rem mihi tradas, sed ut interesse praestes, haec enim natura actionis est. Sic si Mandatarius Chirographum amiserit, non statim hic potest ad debitum ipsum, quod in chirographo continebatur, condemnari, sed quanti creditoris intersit; quid enim si debitor non sit solvendo, tunc non interest creditoris, quid si debitum a debitore agnitum, vel alio modo probari possit? Ergo interesse tantum praestandum est, *Dn. Mev. p.* 4. *dec.* 111. 1 2 3

L. Salarium. 17.

SUMMARIA

Quando salarium incertum sine expressione quantitatis promissum est, non potest illud peti vel actione mandati vel extra ordinem. num. 1.
Omnis stipulatio rei incertae est inutilis. ibid.
Limitationes. 2.
Incertum dici nequit, quod per consuetudinem loci, vel personam vel aliunde certum reddi potest. 3.

Quando salarium incertum sine expressione quantitatis promisi, non potes a me id petere, nec actione mandati, nec extra ordinem, *l.* 5. §. 3. *ff. h. t.* at salarium constitutum peti potest, *l.* 1. *h. t.* quia in omni stipulatione vel promissione rem esse oportet, quae promittitur, omnis enim stipulatio rei incertae est inutilis, *l. ita stipulatus* 115. *in pr. de V. O.* Sed *haec lex* limitatur 1. nisi mandatum susceptum esset onerosum et difficile, in cujus expeditione propria negligere cogeretur mandatarius, nam tum Judex ex officio salarium constituere potest, licet ab initio de eo non convenerit, quia hoc ut interesse peteretur, *Flores Diaz. de Mena P.* 1. *Qu.* 8. §. 3. *num.* 2. *Menoch. cons.* 1 2

228. *num.* 20. *et seq.* 2. Limitanda esset Regula haec, si dominus esset solitus, pro administratione suorum negotiorum salarium erogare, vel procurator solitus fuerit salarium accipere pro labore, aut si eo loco solitum sit procuratoribus salarium certum praebere, *Steph. Gra-*
3 *tianus tom.* 2. *Discept. For. c.* 257. incertum enim dici nequit, quod per consuetudinem loci, vel personarum, vel aliunde certum reddi potest.

L. Post solutionem. 18.

SUMMARIUM

Casus. l. ejusque decisio.

Mandato tuo exsolvi mutuo Titio centum, sed hic cum moras necteret, conveni te actione mandati, solvis mihi sortem cum duodecim usurarum nomine debitis, Quaeritur: *An tibi detur actio contra Titii haeredes ad restituendam sortem et usuras?* Et Resp. quod sic quia mandato Titii, videris mihi mandasse. Ergo actione mandati repetis sortem scilicet 12. thaleros, quia thaleri licet usurae sint origine, tamen sortis naturam induunt ob mutationem personae, et sic usuras de usuris etiam solvit, per tradita *Hering. de fidejuss. c.* 26. *num.* 88. *et seqq. Scheplitz. de Consuetud. March. part.* 1. *tit.* 1. §. 2. *num.* 10. *Berlichius p.* 2. *decis.* 268. *num.* 33.

L. Pretii. 19.

SUMMARIA

Licitae et legitimae usurae tantum in stipulationem deduci possunt. num. 1.
Usurae illicitae neque stipulatione neque pignore confirmantur. 2.

1 Dedi rem ut venderes, et stipulatus sum usuras illicitas, Resp. Licitas et legitimas tantum usuras in stipulationem deduci posse, sicut legitimae tantum ex mora debentur, licet pro usuris illegitimis datum sit pignus. Unde colli-
2 gitur: Usuras illicitas neque stipulatione, neque pignore confirmari, quae materia suo loco satis probata.

L. Si contra. 20.

SUMMARIA

Advocatus aut Procurator de quota litis paciscens non solum nihil agit, sed etiam sumptus non repetit. num. 1.
Illicitum est pactum, ut loco expensarum et laboris in casum victoriae advocato et procuratori detur certa pars litis aestimatae. 2.

1 Qui ad Procurationem alienae litis accedit, et ex victoria paciscitur sibi certam partem emolumenti, non tantum nihil agit, sed etiam sumptus non repetit, *hic*, ducto argumento a contrario sensu, et *l.* 6. §. *ult. ff. h. t. et l.* 53. *ff. de Pact.* Sed si gratuito gerit aliena mandata, id est, non redimit litem, repetit sumptus, *d. l.* 53. Unde colligitur: Illicitum esse 2
pactum, ut loco expensarum et laboris, in casum victoriae Advocato vel Procuratori detur certa pars aestimatae litis, *hic*, *et l.* 53. *ff. de Pact. l.* 1. §. 12. *ff. de Extraord. Cognit. et l.* 5. *supra de Postulando*, et ibi notata.

L. In re mandata. 21.

SUMMARIA

Condemnatus directa actione mandati fit infamis. num. 1.
In re sua licet esse negligentem. ibid.
Quilibet suae rei moderator est. 2.
Limitatio. 3.

Condemnatus directa actione mandati fit infa- 1
mis, quod intelligunt de dolo et lata culpa, *arg.* §. *Suspectus* 6. *Inst. de suspect. Tut.* Objicitur: At quo jure quis ob negligentiam rei alienae ita punitur, cum et in re sua impune negligens sit? Resp. In re sua licere negligentem esse, non in re aliena. Ex *hac lege* firmant Regulam: Quemlibet suae rei moderatorem esse, 2
sed aliena negotia exacto officio gerenda, nec quicquam in eorum administratione neglectum ac declinatum culpa vacuum esse, quae sunt verba textus. Quod auctoritatibus Doctorum hunc textum allegantium hic confirmat *August. Barbosa*, sed limitanda superior Regula, scilicet 3
quemlibet suae rei esse moderatorem, nisi alius jus etiam habeat in re, vel arbitrium illud a testatore, vel lege, ob publicam utilitatem, vel ob saevitiem, vel religionis favorem, vel similem causam aliquo modo sit circumscriptum, Vid. *Gambsius in Thesauro Jurispr. lib.* 4. *cap.* 47. *Axiom.* 14.

L. Per diversas. 22. et L. Ab Anastasio. ult.

SUMMARIA

Cessio actionum aliter non valet, quam interveniente justo et aequivalente pretio, et revera numerato. num. 1.
Aut numerando, si scilicet fides habita fuit de pretio. ibid.
Causa hujus constitutionis. 2.
Ampliationes. 3.
Limitationes. 4.
Qu. an id, quod superfluum est in cessione, cedat lucro debitoris, an cedentis? 5.

Quia hae leges commode non possunt sepa- 1
rari et continent unam materiam, eas etiam leges conjungemus. Ex *Constitutione Anastasii in d. l. penult. et Justin. in l. ult.* Cessio actionum aliter non valet, quam interveniente justo et aequivalente pretio, et revera numerato. Et numeratio aliter, quam confessione cedentis,

probari debet, per *l. pen. h. t.* ibi: *Usque ad ipsam tantummodo solutarum pecuniarum quantitatem etc.* Cum enim actus aliquis suspectus est, confessio contrahentis non sufficit, *Antonius Faber l.* 4. *Cod. tit.* 26. *def.* 20. *num.* 2. *et* 3. *Dn. Carpzovius l.* 5. *Resp.* 33. *num.* 9. *Joan. a Sande in Tract. de Cess. Act. cap.* 11. *num.* 12. *Berlichius Part.* 1. *Decis.* 32.

2 *num.* 12. Causa autem Constitutionis est posita in odio lites redimentium et usurariorum, et quia saepe vexandi debitoris gratia cessio actionum fieri solet. Regula itaque est: Cessionem non valere nisi probetur, pretium tantundem esse revera numeratum, vel adhuc numerandum, si fides de pretio habita, *Menochius lib.* 3. *Praes.* 129. *num.* 24. nam datum videtur, quod promissum est, *l.* 9. §. 1. *C. de Condict. causa data causa non sec.* quantum scilicet ad substantiam cessionis non vero exercitium attinet, *Baldus hic in l. pen. per diversas num.* 17. *et Salyc. num.* 7. *Anton. Gabr. lib.* 2. *Com. conclus. Tit. Act. conclus.* 5. *num.* 28. In pretio tamen computandae usurae pretii numerati, et expensae probabiliter faciendae, post *Bart. hic Joan. a Sande d. c.* 11. *num.* 9. Et haec

3 Regula Ampliatur: I. Licet in instrumento cessionis scriptum sit, venditionem esse factam per *hanc l.* 22. ibi: *licet instrumento cessionis, venditionis nomen insertum sit, Berlichius d. Dec. num.* 3. *Carpzov. d. Resp.* 33. *num.* 5. II. Licet in instrumento dicatur pro parte venditum, et pro parte donatum nomen, per *l. ult. in princ.* ibid. *nulli licere partem quidem debiti cedere etc. Berlichius d. Dec.* 32. *num.* 4. III. Etiamsi tertia persona sit interposita, cui pro parte dicatur nomen cessum, *l. ult.* §. 1. *h. t. Carpzov. d. R.* 33. *num.* 6. *Berlich. d. decis.* 32. *num.* 5. IV. Item, si quis donare dicat se in totum, clam vero aliquid recipiat, *d. l. ult.* §. 2. *Berlich. d. l. num.* 6. *Carpz. num.* 6. V. Idem est, si quis titulo permutationis pro nomine aliam speciem det cujus tamen pretium non est nomine aequivalens, *argum. h. l. pen.* ibi: *usque ad ipsam tantummodo etc. Berlich. d. l. num.* 7. *Sande d. tr. c.* 11. *num.* 28. Demum: VI. Idem si aequivalens pretium numeratum, sed dicis causa et cessionario redditum, per allegata *Berlichii d. l. num.* 14. VII. Si ipse cedens nomine cessionario agat quamvis exceptio haec alias soli cessionario opponi possit, *Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 186. VIII. Licet pars hanc exceptionem non opponat, potest tamen haec pravitas usuraria ob interesse fisci castigari, si ex Actis quacunque ratione appareat, per traditum *Dn. Mevii par.* 5. *dec.* 1. IX. Ut, si non ad repellendum Actorem opponatur haec exceptio, haec etiam in fine litis opponi possit, *Dn. Mevius par.* 4. *dec.* 324. Sed ipsi Imperatores in

4 his duabus legibus quasdam limitationes addunt: 1. Est seu potius declaratio Regulae, si per puram donationem cessa sit actio per *hanc leg. penult.* ibi: *Si autem per donationem, etc.* 2. Si cessio fiat ex causa praecedenti, ita, ut ex necessitate potius, quam spontanea voluntate cessio facta fuisse praesumatur. Talis autem causa praecedens necessaria est multiplex, verbi gratia: Si cohaeredes vel collegatarii ex haereditate vel legato unum commune nomen adepti, uni haeredum vel legatariorum velint cedere, per *dict. leg. penult*, ibi: *exceptis scilicet cessionibus*, hoc enim causa redimendae litis non fieri exinde patet, quod illi antea ex aditione ejusdem haereditatis vel agnitione ejusdem legati sibi invicem fuerint obligati. Eadem ratio sociorum et eorum, qui quid commune possident, *Menochius l.* 3. *Praes.* 129. *num.* 14. *Joan. a Sande d. c.* 11. *num.* 19. Sic etiam si creditor nomen aliquod a debitore in solutum accipiat, non praecise requiritur aequivalentia, quia creditor necesse habuit acceptare nomen: nisi fucus legi quaesitus, per *hanc l. pen.* ibi, *iis quascunque vel creditor etc.* Sic etiam valet cessio, quando quis alienam rem possidens convenitur ab alio, et ut se a molestia litis liberet, dat actori pretium, ut sibi credatur actio et jus quod babet actor, qui eam rem forte emit, ut eo jure contra alios, si forte amitteret possessionem, uti posset, licet longe minus sit pretium, per *hanc l. pen.* ibi: *vel is, qui res alienas possidet.* Sic etiam causa necessaria est, si cedens pauper sit, et de exitu causae ob tergiversationes adversari diffidens, actionem suam alii cedat, *Carpzov. l.* 5. *Resp.* 34. *num.* 4. *Berlichius dec.* 33. *num.* 29. quam tamen sententiam non aliter admitto, quam si habita ratione lucri cessantis, et damni emergentis, vel ob expensas et labores probabiliter faciendos, paulo minus detur pro nomine. Conf. *Molina Tr.* 2. *d.* 361. *per totam*, qui quidem de alia quaestione agit, quae tamen huc potest referri. Huc referimus casum: si actio ob distantiam loci et absentiam debitoris cedenti inutilis, cessionario vero utilis esse possit, nam tunc cessio pro minore pretio facta valet, *Berlichius d. l. num.* 18. eadem ratio, si nomen sub hasta vendatur, *DD. in h. l. pen. Trentacinq. Tit. de Actionibus Resol.* 2. *num.* 15. vel si veniat in consequentiam rei venditae, *Trentacinq. d. l. num.* 22. *et Sande d. c.* 11. *num.* 31. Et ex causa necessitatis probo etiam decisionem *Dn. Mevii* 114. *in parte* 4. ubi Creditori praedium addictum, hac lege, ut prioribus Creditoribus satisfaceret, et a creditoribus, quibus solvit, ipsi nonnihil est remissum. Sed omnibus his casibus probanda illa causa necessitatis, quae cessionem extorsit, *Sande d. c.* 11. *num.* 20. 3. Licitae sunt cessiones actionum etiam inaequali pretio factae, et licet realis numeratio non probetur, quae factae sunt in praesentia debitorum cessorum expresse vel tacite consentientium, quia tunc praesumptio fraudis cessat, *Hippolytus de marsil. sing.* 45. *num.* 2. *Berlichius d. l. num.* 25. 4. Limitatio est, si nomen cessum ob aliquam causam sit incertae aestimationis, nam tunc ipsa aequitas suadet, non urgendam esse *hanc leg. per diversas*, v. g. si haereditas sit vendita, in qua sunt multa nomina incerta, et ideo certa aestimatio nominis locum non invenit, *Trentacinq. d. Res.* 2. *num.* 16. *Sande d. c.* 11. *num.* 17. *Berlich. d. dec.* 33. *num.* 16. Sic, si actionem contra debitorem de fuga suspectum cederem, non praecise summam nominis, sed quanti communiter aestimaretur, attendendam esse, res ipsa loquitur, *Berlichius d. l. num.* 27. Sed illa dubia est Quae-

stio: *An id quod superfluum, cedat lucro debi-* 5
toris, an cedentis, an vero fisco? Discrepantes sententias cum suis rationibus enumerat *Carpzovius lib.* 5. *Resp.* 33. *num.* 18. *et seqq.* quidam enim in tribus tantum casibus, qui habentur in §. 1. *et* 2. *l. ult.* putant lucro debitoris cedere, in caeteris penes cedentem mane-

re, et ita sentit *Carpzov. P.* 2. *Const.* 30. *def.* 37. *et Berlichius dec.* 35. *num.* 4. Alii indistincte illud lucrum debitori adscribunt, ut *Sande d. c.* 11. *num.* 10. *Finckelthaus. Obs.* 17. Alii vero Fisco id tribuunt, *Carpzov. d. resp.* 33. *num.* 27. *et num.* 35. Sed perpensis omnium fundamentis, sententia secunda videtur textui conformior. Nititur enim verbis *d. l. ult.* §. 1. *et* 2. ibi, *vel aliquam contra debitorem etc. esse actionem*, item, *nulla contra eum oriatur molestia.* Si enim nulla cedenti vel cessionario actio datur contra debitorem de superfluo, item, si nulla ipsi ex hac cessione creanda est molestia, utique necesse est debitorem liberari. Sed duo regerunt. Alii enim respondent, posse Fisco dari actionem. Sed replico in *hac l. pen. et ult.* et alibi in hac materia nunquam fieri mentionem Fisci. Ergo non est danda fisco actio in casibus jure non expressis, nisi forte ex *Ordin. pol. de anno* 1577. *tit.* 17. *(von Wucherlichen Contracten)* tribuat quartam sortis, ubi tamen reliquum, quod superest, debitori cederet, Conf. *D. Mevius in discuss. levam. cap.* 7. *num.* 22. Alii respondent de his tantum tribus casibus exprimi, sed certum est, in *l. ult.* §. 1. *et* 2. contineri ampliationes legis praecedentis, ergo id, quod de ampliationibus dicitur, id etiam de regula dicendum, et nulla ex textu ratio diversitatis colligi potest, et utraque favorem debitori respicit. Sed optandum foret, ut existeret aliquis Anastasius vel Justinianus, qui leges has contra redemptores litis (quorum hodie magnus ubique proventus) excogitatas pristino nitori restitueret. Plura de hac materia scripserunt JCti, et aliqua scripsi in tractatu meo de *Cess. act. c.* 1.

TITULUS XXXVI.

Si Servus extero se emi mandaverit.

L. Si Servus. un.

SUMMARIA

Si servus se emi mandaverit, non valet mandatum emptione non secuta. num. 1.
Quaer. cum in casu factae venditionis Servi dominus habeat actionem mandati et empti, an utraque experiri possit? 2.
Contrariae actiones intendi non possunt, nisi alternative. 3.
Mandatum de re propria emenda non valet. 4.

1 Si servus se emi mandaverit, non valet mandatum emptione non secuta, nam hoc mandatum neque constat ex persona servi, qui per se contrahit, nec domini, quia is non opus haberet actione mandati, cum sit venditor et habeat actionem ex empto. Sed emptione secuta valet ex aequitate, non quidem ex mandato, sed ex subsecuta venditione, et si emptor solvit nummos peculiares venditori pro servo, non liberatur tamen, quia pretium debet fieri venditoris, *l.* 11. §. 2. *ff. de Act. Empt.* quod hic non fit, cum pecunia peculiaris cum toto peculio antea domini fuerit. Sed si haec emptio 2
sciente domino facta, subsistet etiam, sed quia in casu factae venditionis dominus habet actionem mandati, et empti, Quaeritur: *An utraque simul experiri possit?* v. g. Ancilla nondum manumissa. Et negatur, quia sunt contraria, quia prior tendit ad ancillam restituendam, posterior vero ad pretium, quod utrumque dominus simul petere nequit. Et tandem subjicitur esse in arbitrio domini, utra actione experiri malit. Nota bene: Non posse contrarias actiones 3
intendi, nisi fiat alternative. Item: Non valere 4
Mandatum de re propria emenda, sed de his alibi evidentius.

TITULUS XXXVII.

Pro Socio.

L. Societatem. I.

SUMMARIA

Qu. An valeat societas, si unus pecuniam, alter operam conferat? num. 1.
Qu. an praecipiat illam pecuniam ille socius, qui contulit? 2.
Si unus pecuniam confert, et sors tota perit, reficienda est pars dimidia ab eo qui operas confert, si communicatum est dominium. 3.

Quaeritur: *An valeat societas, si unus pecuniam, alter operam conferat?* Affirmatur, quia 1
interdum pluris est opera, quam pecunia, §. 2. vers. *nam et ita Inst. h. t.* Sed hoc casu communio sortis etiam inter socios facta videtur quando industria ab uno sociorum in societate collocata, vel usus navigii societati concessus est tantae aestimationis et pretii, ut acquiparari possit sorti, ab uno sociorum collatae, *Ludov. Molin. de J. et J. Tr.* 2. *D.* 415. *num.* 2. *Covarr. lib.* 3. *Resol. cap.* 2. *num.* 2. Conf. *Petrus de*

Ubald. in Tr. de Duobus fratribus P. 4. *Qu.* 1. *et seqq.* Exinde ergo probatur: si tanti non possit aestimari opera et industria, nec communio sortis inducta videtur, nec etiam aequalis participatio lucri. Conf. *Lessius de J. et J. lib.* 2. *cap.* 25. *tit. de Contractu societ. dubit.* 2.
2 *num.* 8. Sed *praecipitne illam pecuniam ille socius, qui contulit?* Affirmatur communiter, quia tantum de lucro communicando convenit, *arg.* §. 2. vers. *nam et ita Inst. h. t. et* ibi *Harprecht. num.* 20. *et Schneidew. num.* 5. *Azor. p.* 3. *Inst. mor. lib.* 9. *cap.* 3. *qu.* 1. *Fachin. lib.* 2. *q.* 94.*Bacch. in Treutl. V.* 1. *D.* 27. *th.* 9. *lit. A.* Ideoque distinguendum, an in societate actum, ut sors etiam inter socios communicaretur, an vero de lucro tantum communicando actum, seu an sit societas interusurii, an vero capitalis ipsius, *Mol. de J. J. d.* 411. *num.* 4. *Card. Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 6. *tit.* 3. *num.* 7. hoc casu communio bonorum pro rata ipso jure introducitur, illo vero casu, quando circa quaestum et commoda tantum societas versatur, facta divisione, sors redit ad dominum, sed si capitalis ipsius fiat communicatio, forte si industria tanti sit aestimanda, ut sorti ab alio socio collatae in totum, vel pro magna parte aequivalcat, divisio etiam sortis facta dissolutione societatis fieri debet, *Covarr. d. l.* 2. *in fine, Petr. de Ubaldis d. l. num.* 7. *Molin. d. J. et J. d.* 416. *num.* 4. *et* 5. et ex dictis resultat et il-
3 lud, si unus pecuniam conferat, et sors tota pereat, reficiendam esse partem dimidiam ab eo, qui operas confert, si communicatum est dominium, de quo *Castr. hic num.* 2. Sin vero interusurii est societas et sors perdita, sicut sors dissoluta societate, tota erat ejus, qui contulit, ita ejus est quoque damnum totum, per *Glossam* communiter approbatam in *l.* 1. *h. t. Covarr. d. c. num.* 2. *Fachin. lib.* 2. *c.* 95. *Molina d. D.* 416. *num.* 1. *Azorius d. l.* 9. *cap.* 3. *Bacch. in Treutl. V.* 1. *D.* 27. *th.* 9. *lit. A.*

L. Cum proponas. 2.

SUMMARIA

Interdum licet de societate nihil nominatim dictum, si tamen pacti finis sine societate obtineri nequit, pro societate reputatur. num. 1.
Si unus sociorum pretium numeravit pro re empta vel pensiones publicas solvit, ille a socio solutum repetere potest actione pro socio. ibid.
Quicumque aliquid solvit, de proprio potius, quam communi solvisse praesumitur. 2.
Casus, quo socius potest dominium rei communis consequi. 3.
Emptione rei communis societas contracta videtur. 4.
Socius, qui aliud solvit, non praesumitur de communi pecunia, sed de propria solvisse. 5.
Limitatur in sociis omnium bonorum, et eo casu si socius ante societatem fuisset pauper, item si uxor aliquid emisset. 6.
Aliud exemplum, ubi ipso facto, ac pacto sine nominatione societatis, societas tamen tacite contrahitur. 7.

1 Interdum licet nihil de societate nominatim dictum, si tamen pacti finis sine societate obtineri nequit, pro societate reputatur, *Dn. Mev. p.* 2. *dec.* 191. Tale exemplum hic proponitur, quod etiam de societate omnium bonorum affirmat *Riminaldus vol.* 3. *cons.* 280. *num.* 61. *Dn. Marq. de Merc. l.* 2. *c.* 11. *num.* 4. *et fin.* nam communi nomine duo praedium emunt et traditum accipiunt, ratione ejus praedii socii sunt, *Carpz. L.* 5. *Resp.* 20. *num.* 18. nec obstat *l.* 31. *ff. h. t.* quia ibi alia contrahentium fuit voluntas, *Hillig. in Don. lib.* 13. *c.* 15. *lit. G.* vel hic non tantum ambo emerunt, sed ambo in possessionem inducti. Sed si unus tantum pretium numeravit, vel pensiones publicas solverit, ille a socio, actione pro socio solutum petere potest, quia quicumque aliquid solvit, de pro- 2
prio potius quam communi solvisse praesumitur. Sed per hanc numerationem non statim ille solus dominus est. Reperitur tamen in jure casus, 3
quo socius possit dominium rei communis consequi, si scilicet refecerit rem communem suis sumptibus, et sumptus intra quatuor menses socius nolit restituere, cum usuris centesimis, consequitur socius, qui impendit, dominium totius rei, per *l. cum duobus* 52. §. *Idem* 10. *ff. h. t. et l.* 4. *C. de Aedif. Priv. Cocpolla caut.* 85. *Cremensis sing.* 98. *Angelus in* §. 13. *Inst. de Act. Jason. ibid. num.* 48. *Straccha de Navibus p.* 2. *num.* 8. *seq. Dn. Marquardus de jure Merc. l.* 2. *c.* 5. *num.* 20. Et collige Regulam:
1. Emptione rei communis societatem contra- 4
ctam videri, *Castr. hic num.* 2. *et caeteri, Alphanus coll.* 416. et 2. Socium, qui aliquid sol- 5
vit non praesumi de communi pecunia, sed de propria solvisse, *Bart.* hic, quem sequuntur *DD. hic*, et alii quos allegat *hic Barb.* et praeter eos illi, quos allegat *Alphanus d. l. Trentac. lib.* 3. *Tit. de Societ. Res.* 2. *Mant. lib.* 4. *de tac. et amb. Convent. tit.* 22. *num.* 17. *Mascard. Concl.* 912. *Michalorius de fratribus p.* 2. *cap.* 9. *num.* 15. *et seq.* Sane in sociis omnium bonorum se- 6
cus, *Trentac. d. l. num.* 3. *Mantica d. l. num.* 21. ut eo casu, si ante societatem fuisset socius pauper, *Masc. d. l. num.* 18. ut et si uxor aliquid emisset, *l. quintas ff. de Donat. inter virum et uxorem l. etiam* 6. *C. d. t. Masc. d. l. num.* 21. Aliud exemplum ubi ipso facto, ac pacto si- 7
ne nominatione societatis, societas tamen tacite contrahitur, proponit *Dn. Mevius d. dec.* 191. cum tres creditores cum aliis per Edictum ad liquidanda sua credita in concursu creditorum vocati paciscuntur, quod communibus sumptibus et studiis liquidaturi sint sua credita, et processum promovere, et quodcumque ipsis adjudicabitur id communicandum esse, cum adsint requisita societatis, scilicet consensus de communi negotio communiter tractando, et de lucro dividendo. Alios modos, quibus societas ipso facto contrahitur, tradit *Dn. Marquardus de jure Mercat. l.* 2. *c.* 11. *num.* 5. ubi *in seqq.* id declarat. Quibus autem modis societas semel revocata iterum tacite denuo contrahatur, vid. *Menoch. l.* 3. *praes.* 57. *Carpz. lib.* 5. *Resp.* 20. *num.* 15. *et seqq.*

L. Cum in Societatis. 3.

SUMMARIA

Societas licet in haeredem non transeat, emolumentum tamen societatis transit ad haeredem. num. 1.

Non est dubium, non posse fieri pacto, ut haeredes etiam teneantur continuare societatem. 2. *Limitatio.* 3.

1 Societas licet in haeredem non transeat, *l.* 59. *ff. h. t.* emolumentum tamen Societatis transit ad haeredem, *l.* 53. *ff. h. t.* et id repetit haeres actione pro socio, per *hanc l.* et tenetur perficere incoepta a defuncto, *l. haeres* 40. *ff. h.*
2 *t.* De eo sane dubium non est, non posse fieri pacto ut haeredes etiam teneantur continuare societatem, nisi sit societas vectigalium, *l.* 59.
3 *et l.* 63. *ff. Pro Socio.* Si etiam cum hoc pacto praeceptum defuncti concurrat, ut scilicet haeres volentibus Sociis societatem ad certum tempus continuet, isque haeres, filius scilicet, ultra legitimam portionem succedat defuncto, valet haec conventio, *Valascus Consult.* 63. *num. ult. Jo. Guttierez de juram. confirm. P.* 1. *cap.* 58. *num.* 3. *Mantica de tac. et amb. Convent. lib.* 6. *tit.* 24. *num.* 29. *Molina Disp.* 414. *num.* 8. ubi tamen jus renunciandi ita salvum haeredi, ut ipsi socio, *Bacchov. d. D. th.* 9. *lit. C. D.* An autem juramento id pactum confirmari possit, admodum controvertitur; puto affirmativam defendi posse per ea, quae tradit *Guttierez de juram. confirm. lib.* 1. *cap.* 48. *num.* 5. *Molina d. D.* 414. *num.* 6. *et seq.* Sane ratio illa, quod pactum illud sit contra bonos mores, propter quam rationem id aliqui negant, inepta est, nam sic in vectigalibus tale pactum non subsisteret, *Molina d. l.* Sed altera ratio validior, quod juramentum sit quid personale, sed licet ex juramento defuncti haeres non obligetur, ex praecepto tamen tenetur, ut antea dictum; ex juramento autem enixa ejus voluntas apparet, et praeceptum: de hac quaestione videatur *Capyc. dec.* 174. *Felicius de Societ. c.* 32. *Mantica d. l. tit.* 24. *Gratianus tom.* 2. *discept. c.* 276.

L. Si Societatis. 4.

SUMMARIA

Quando ex natura societatis bona fuerunt aequaliter dividenda, aut quomodo aliter debeant dividi, sit conventum, tunc ex hoc contractu alterius haeredes conveniri queunt. n. 1.
Omnis haeres qui ab intestato succedit, debet praestare factum defuncti. 2.
Ex natura societatis partes in societate sunt aequales secundum proportionem Geometricam. 3
Per pactum fieri potest, ut partes lucri aequaliter vel inaequaliter constituantur. 4.

1 Quando ex natura societatis fuerunt aequaliter dividenda bona, aut stipulatione conventum, quomodo aliter debeant dividi, tunc ex hoc contractu conveniri possunt alterius (sive intestatus, sive testatus mortuus sit) haeredes; nam
2 omnis haeres, etiam qui ab intestato succedit, debet praestare factum defuncti, *l. cum a matre* 14. *C. de Rei Vindic.* Collige; I. Ex *hoc te-*
3 *xtu:* Ex natura societatis, non secundum proportionem Arithmeticam, sed Geometricam, qualis scilicet est proportio sortis a me illatae, ad tuam, talis etiam sit proportio in lucris et compendiis, *Molina disp.* 415. *n.* 3. *Hartm. Pist. lib.* 3. *Q.* 3. *Dn. Carpz. p.* 2. *Const.* 30. *def.* 38. *Mantica de tac. et amb. conv. lib.* 6. *tit.* 4. *num.* 7. Et sic, si unus pecuniam, aliter operam pecuniae probabiliter aequiparandam contulerit, aequaliter lucrum sentient, *l. si non fuerent* 29. *ff. h. t. Mant. d. l. num.* 35. *Azorius d. l.* 9. *c.* 4. *Q.* 1. II. Per Pactum fieri posse, ut partes 4
lucri aequaliter vel inaequaliter constituantur, Vid. *Bacchov. d. th.* 9. *lit. B. Hartm. Pist. d. p.* 3. *qu.* 1. *et* 3. *Dn. Mev. p.* 4. *dec.* 169.

L. Tamdiu. 5.

SUMMARIA

Societas dissensu partium dissolvitur. num. 1.
Ad communionem lucri vel damni etiam manente societate agi potest. 2.
Quocumque modo societas, etiam ad certum tempus, sit inita, dissensu potest dissolvi, tam tacite quam expresse. ibid.
Etiam unus sociorum dissensu suo tollere potest societatem. 3.
Renunciatio societatis quando cum fraude fieri dicatur. 4. 6.
Conventio de stando in perpetua societate est invalida. 5.

Societas dissensu partium dissolvitur, non 1
tantum omnium, sed etiam singularum, si ad certum tempus non fuit inita, *l.* 65. §. 8. *ff. h. t.* nisi ob gravem causam etiam dissolutio societatis ad certum tempus initae petatur, *l.* 14. *cum seqq. ff. h. t.* et ita, si nata est actio pro socio, id est, si voluntas dissolvendi adsit, potest socius agere pro socio, ad divisionem scilicet bonorum, alias ad communionem lucri, 2
vel damni, etiam manente societate, agi potest, *l.* 45. 48. *l.* 38. §. *ult. ff. h. t.* Collige ergo: Quocumque modo sit inita societas, etiam ad certum tempus dissensu posse dissolvi societatem, *Molina d. D.* 414. *num.* 15. Idque vel tacite, vel expresse, per *l.* 64. *ff. h. t. Molin. d. l. Azorius d. l.* 9. *c.* 6. *Q.* 2. *Mascard. Concl.* 1317. *num.* 3. *Card. Mantica lib.* 6. *tit.* 23. *num. seqq.* Imo unus potest suo dissensu tollere societatem, nam dicitur hic, *tamdiu manere societatem,* 3
quamdiu consensus partium integer manet; Sed si unus tantum dissentiat, non est consensus amplius integer. Ergo unus etiam potest renunciare societati expresse vel tacite, modo id fiat tempestive, legitime et sine fraude. Sine frau- 4
de non fit renunciatio, quando caeterorum jam interest, societatem non dissolvi, *Dn. Mev. p.* 2. *dec.* 192. *num.* 5. nec per illam renunciationem socius renuncians liberatur, non a praeteritis debitis, sed futuris obligationibus, *Mev. d. l. num.* 7. Tempestive non est facta renunciatio, quando facta ante tempus placitum, *l.* 65. §. 5. *ff. h. t.* nisi justa causa renunciationis etiam ante tempus, v. g. si Socius promissis non stet, *l.* 14. *ff. h. t. Petr. de Ubald. de Duobus Fratr. p.* 11. *num.* 1. vel quod ea re frui non liceat, *l.* 15. *ff. h. t.* vel quod socius rixosus, *d. l.* 14. cur diu abfuturus, *Hect. Felic. cap.* 35. *num.* 8. *et seq. Mantica tit.* 23. *per totum, Guttierez P.* 1. *de juram. confirm. c.* 58. *num.* 8. *Petr. Barb. in Rubr. Sol. Matrim. p.* 2. *num.* 52. *Mascard. d. concl.* 317. *num.* 7. *Valascus Consult.* 185. *Mo-*

lin. d. D. 411. *num.* 14. *et seqq.* Sed quid si unus renunciaverit societati, an inter caeteros socios manet societas pristina, et sic pristinae leges societatis et conditiones? *Dn. Mev. part.* 4.
5 *dec.* 360. Sane conventio de stando in perpetua societate est invalida, *Carpz. lib.* 1. *Resp.* 103. et daretur alias occasio multa in socium committendi et delinquendi, *Petr. Barb. in l. si filiofamil.* 26. §. *fin. num.* 36. *ff. Sol. Matr.* Legitime non fit, quando absenti fit, *l.* 17. §. 1.
6 *h. t.* fraudulenter facta est renunciatio, quando quis in hoc renunciat, ut solus lucrum percipiat, §. 1. *Inst. h. t. et ibi DD.*

L. De Societate. 6.

SUMMARIA

Ut ex die et in diem, ita etiam sub conditione societatem contrahere licet. num. 1.
Qu. cur de hoc veteres dubitaverint? 2.
Societas dominium transfert. 3.

1 Ut ex die et in diem, ita etiam sub conditione societatem contrahere licet, *l.* 1. *ff. h. t.* Sed
2 dicat aliquis, *cur veteres dubitarunt hac de re? et quid opus fuit nova constitutione, cum omnes contractus consensuales diem et conditionem recipiant?* Sed Resp. *Cujac. ad hunc titulum tom.* 3. *p.* 385. Ideo dubitasse veteres de societate,
3 quod haec dominium transferat, *l.* 1. *in fine, et l.* 2. *ff. h. t.* et fingitur intervenisse tacita mancipatio et traditio. Mancipatio autem diem vel conditionem non recipit, *l. actus ff. de R. J.* Sed aliam rationem dubitandi hic considerat *Donellus*, quia, ut pure contracta societate licet transigere, ita etiam sub conditione contracta, ergo ita esset in potestate socii, an obligari vellet, quod in aliis conditionalibus contractibus secus. Sed Resp. *Donellus* id in aliis etiam fieri conditionalibus obligationibus, et tunc tantum nullam esse obligationem, quando expresse in alterius voluntatem confertur obligatio.

L. Sancimus. ult.

SUMMARIA

Furiosi socii curator non minus ac tutor societati renunciare potest. num. 1.
Potestas data ad contrahendum etiam ad distrahendum data videtur. 2.

Quando socius redditur furiosus, et ibi datus 1
est curator, huic curatori dat Justinianus potestatem, ut licet ipse socius non sit, non secus ac tutor, qui pro domino habetur, *l. tutor, qui tutelam* 27. *ff. de Admin. Tut.* possit societati renunciare. Collige: Potestatem datam ad 2
contrahendum, etiam ad distrahendum datam videri, et quibus regulis determinatur contractus iisdem definitur etiam distractus, *Gail. lib.* 2. *Obs.* 2. *num.* 5. et quos allegat *hic Barbosa.*

TITULUS XXXVIII.

De Contrahenda Emptione, et Venditione

L. Venditiones. 1.

SUMMARIA

Res absens vendi potest. num. 1.
Limitatio. 2.
Qu. ubi gabella debita solvi debeat? 3.
An ex instrumento, in quo reperitur, quod res absens vendita sit tradita, vera traditio probetur. 4.

1 Res absens vendi potest, quia aliud est vendere, aliud tradere, hoc non fit, nisi circa rem
2 praesentem, §. 41. *et seq. Inst. de R. D.* aliud est in servo fugitivo, *l.* 35. §. 3. *ff. h. t.* ne servi si in fuga vendi possent, poenam evitent.
3 Sed quid si ex statuto, vel consuetudine, gabella debeat solvi, an haec in loco rei sitae, an vero in loco contractus solvenda? et posterius firmat *hic Barbosa* allegatis aliquibus auctoribus Hispanis, prius vero *Facundez de J. et J. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 11. Sed falsa hic utitur ratione, quod per solum contractum venditionis transferatur dominium. Dixerim verba legis exigentis gabellam esse attendenda, an ratione ipsius contractus, an propter alienationem gabella exigatur, ut illo casu in loco contractus, hoc casu in loco rei traditae solvenda sit. Procul dubio autem eae accisae, vel gabellae, quae in nundinis ex dispositione Serenissimi nostri Electoris solent solvi Magistratui hujus urbis, solvuntur, si merecdes hic vendantur, de iis autem quae non sunt importatae, sed Hamburgi depositae reperiuntur, non dabitur accisa; Sed
quid si res absens vendita, et reperiatur in in- 4
strumento quod tradiderit rem, *an ex eo vera probabitur traditio?* Resp. quod non, sed potestas tamen arripiendi possessionem tradita videtur, juxta *Castr. hic et Sichard. num.* 2.

L. Emptionem. 2.

SUMMARIA

Venditio et emptio utriusque consensum requirit. num. 1.
Qu. si dicatur, emptionem cum furioso esse initam tempore intervalli, cui hoc probandum incumbat? 2.

1 Venditio et Emptio utriusque consensum requirit, ideoque nec furiosus obligatur, nisi con-
2 trahat tempore intervalli, *l.* 2. *h. t.* Cui autem incumbet onus probandi, quod venditio fuerit celebrata tempore intervalli? Et videtur dicendum ei hoc esse probandum, qui hoc allegat, quia furor per se morbus perpetuus, et intervalla plane sunt accidentalia, et propterea dicitur dilucidum intervallum, quod liquido apparere hoc debeat, nisi ex actus qualitate vel aliunde remissio furoris appareat. Vid. *Menoch. l.* 6. *Praes.* 45. *num.* 63. *et seqq. Molina de jure Primogen. lib.* 2. *cap.* 9. *Steph. Facundez de J. et J. lib.* 1. *c.* 11. *num.* 5.

L. Si donationis. 3.

SUMMARIA

Simulata emptio, licet non valeat illa ut emptio, valet tamen ut alius contractus, qui revera intenditur. num. 1.
Contractus simulatus factus a contractu licito ad licitum jure non est irritus. 2.
Etiamsi quis per interpositam personam emat, non tamen haec persona, sed ille pro emptore habendus est. 3.

1 Vendidi in speciem, sed revera donavi agrum hac lege, ut me aleres, licet venditio simulata sit, et non valeat, cum imaginaria venditio pro nulla sit, *l. nuda* 55. *ff. h. t. L. imaginaria* 16. *ff. de R. J.* in quo ratio dubitationis; valet tamen donatio vere contracta, *l.* 9. *infr.* Si ergo simulatus contractus non valet, ut talis, valet tamen donatio, si hoc actum est, sed tu legi donationis satisfacere cogeris, quia scilicet donans rebus suis legem, quam vult, dicere potest. Sed de pretio actio nulla, *l.* 9. *infr.* Collige ergo: Simulatam emptionem, licet non valeat illa ut emptio, valere tamen ut alium con-
2 tractum, qui revera intenditur, quia contractus simulatus factus a contractu licito ad licitum jure non est irritus, *Sigism. Scacc. de judic. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 529. *et* 531. *et in Tr. de commerc.* §. 1. *Qu.* 7. *P.* 2. *Ampl.* 20. *num.* 29.
3 Sic etiam si quis per interpositam personam emat, non haec persona interposita, sed ille pro emptore habendus, *Card. Mantica de Tac. et Amb. convent. lib.* 4. *tit.* 23.

L. Cum res. 4.

SUMMARIA

Casus legis, ejusque decisio. num. 1.
Potest quis emere rem suam ratione juris sibi deficientis. 2.
Quod meum est, meum amplius fieri nequit. 3.

1 Mater tua mihi omnia bona donaverat et tradiderat, ut ejus haeres eadem mihi vendis. Resp. Venditio quidem nihil plus reddit juris ei, qui alio titulo rem acquisivit, ratio *hic, et in l.* 10. quia dominium duplicari nequit et rei suae non est emptio. Sed quia legitimam donare non potuit mater, ideoque haec venditio non est inutilis, quia vendendo omnia bona amisisti querelam inofficiosae donationis, nam etsi velles donationem matris, ut inofficiosam impugnare, non tamen posset suam venditionem ut proprium factum impugnare. Collige: Posse aliquem 2
rem suam emere ratione juris sibi deficientis, vel si aliena possessio, tunc enim possessionem emisse censeor, *Baldus hic.* Sic si vendens habeat jus in re, hujus ratione valida venditio, *l.* 34. §. 4. *ff. h. t.* vel si res ob aliquam causam posset evinci, et revocari, *Castr. hic,* vel res alieno aere obruta, *Mantica de tac. et amb. convent. tit.* 5. *num.* 18. *Nicol. Mozzius in Tr. de Empt. tit. de Rebus n.* 55. Multo magis emptio rei sub conditione legatae, citra repudiationem rei legatae fieri potest, *Trentacinq. l.* 3. *tit. de Empt. Res.* 15. Conferantur ii, quos magno numero hic allegat *August. Barbosa,* qui etiam ex *hac l.* colligit regulam: Quod meum, amplius meum fieri nequeat. Confer. etiam locupletata *Barbosae axiomata lib.* 1. *cap.* 28. *ax.* 2.

L. Cum ipse. 5.

SUMMARIA

Quando tutor a pupillo emere quid potest, quando non? num. 1.
Auctoritas Judicis supplet auctoritatem tutoris. 2.
Tutor tunc prohibetur, quando facit ut tutor, vel clam, vel per interpositam personam, non vero quando facit palam, bona fide, et ut quilibet ex populo. 3.

Tutor (ita magis uxor ejus) a pupillo eme- 1
re quid potest, modo fiat palam, et bona fide, et contutoribus, si qui sunt, consciis, et auctoritatem suam accommodantibus, *l.* 5. §. 2. *et* 4. *ff. de Auct. Tut. l.* 54. *ff. de Admin. Tut.* vel etiam judice suam auctoritatem accommodante, nam auctoritas judicis supplet tutoris 2
auctoritatem, *Dn. Carpz. P.* 2. *Jurispr. Const.* 11. *Def.* 33. Et tutor tunc prohibetur quando 3
facit, ut tutor, vel clam, vel per interpositam personam, non vero quando facit palam, bona fide et ut quilibet ex populo, *Anton. Gramma dec.* 227. *Marta tom.* 5. in verbo, *tutor, cap.* 41. Confer. *Damhouder. de tutel. c.* 10. *num.* 43. *Guttierez de tutelis p.* 2. *c.* 15. *num.* 5. *Molina tr.* 2. *d.* 224. *num.* 6. *Decius cons.* 411. *Surdus cons.* 9. *num.* 7. *Rauchb. p.* 1. *qu.* 24. et quos plena manu refert *hic Barbosa.*

L. Si Gaudentius. 6.

SUMMARIA

Actus perfectus et consummatus, licet perveniat ad casum, a quo incipere non potuisset, non tamen propterea fit irritus. num. 1.
Venditio scienter pro minori pretio facta habenda est pro donatione. ibid.
Inter quas personas alias prohibita donatio, inter easdem etiam prohibitum est minoris vendere, vel pluris emere. 2.

1 Donationis causa minori, quam par est, pretio virgini vendo servum, Quaeritur: *An si matrimonium inter nos secutum, ex post facto irrita reddatur venditio?* Videtur quod sic, quia res in eum statum devenit, quo incipere potest; Sed Negatur, quia actus perfectus et consummatus, licet perveniat ad casum, a quo incipere non potuisset, non propterea tamen redditur irritus per *hanc l.* 6. Collige: Venditionem scienter pro minori pretio factam, habendam esse pro donatione, nam alias nulla esset hic ratio dubitandi. Quomodo enim venditio posset irrita reddi, per subsequens matrimonium? Ergo necessario hic praesupponendum, donandi animo minori pretio factam fuisse venditionem, quod etiam clarius habetur in *l. si quis donationis* 38. *ff. h. t. Tiraq. ad l. si unquam* verbo, *donatione largitus, num.* 3. *C. de Revoc. Donat. Covar. lib.* 2. *Res. c.* 4. *num.* 7. Idem est si justum pretium scienter excedatur, ideo-
2 que etiam Colligendum: Inter quas personas alias prohibita donatio, inter easdem etiam prohibitum esse minoris vendere scienter, vel pluris emere, *Covar. d. l. Pinell. ad l.* 2. *C. de Rescind. vendit. p.* 1. *cap.* 2. *num.* 27. Sed hic venditio et donatio valuit, quia actus fuit perfectus et consummatus, antequam contraherent matrimonium, et sic non obstat regula superior, quam probare solent ex *l. pluribus* 140. §. 1. *ff. de V. O.* quia haec de actu nondum consummato intelligenda, vid. *A. Barb. Axiom. locupl. lib.* 1. *cap.* 25. *Ax.* 6.

L. Si ancillam. 7.

SUMMARIA

An uxor fundum, quem ab alio emerat et velut a marito donatum possederat, in maritum possit transferre. num. 1.
Veritas praevalet fictioni et simulationi. ibid.
Dominus recognoscens rem suam a non domino tanquam a domino, non sibi praejudicat. 2.
Limitatio. 3.

1 Mater mea servum vel fundum emerat, quem velut donatum a marito, simulata donatione possidet, maritus servum vel fundum mortua uxorè quasi contra jura donatum repetit. Quaeritur: *An possit?* Resp. Cum mater ex empto servum acceperit, non potest ex donatione acquirere, ob regulam in *l.* 4. *h. t.* et veritas praevalet fictioni ac simulationi. Ex *hac lege*
2 Colligunt *hic DD.* Dominum recognoscentem rem suam a non domino, tanquam a domino, non sibi praejudicare, nec confessionem meam, quasi alterius sit, mihi praejudicare, si ea sit falsa, per *l. si aliquam ff. de Acquir. Possess. l. cum falsa* 5. *sup. de Ign. Juris et facti, Castr. hic,et Menoch. cons.* 105. *num.* 94. quod tamen
3 limitat *hic Castr.* nisi quis ab Ecclesia recognoscat, in quam etiam sine traditione potest transferri dominium.

L. Si non donationis. 8.

SUMMARIA

Re vendita tradita, quamvis pretium nondum solutum sit, tamen perfecta est venditio. 1.
Quando fides habita de pretio, transfertur dominium. 2.
Non videtur fides habita de pretio, si quis statim se pretium recepturum putaverit, et ita tradiderit. ibid.
Interdum praesumitur fides habita ex circumstantiis. 3.
Condictio ob causam vel ex poenitentia non habet locum in contractibus nominatis. 4.
Exceptio. 5.
Cum venditor non vult, aut non potest tradere, locus est actioni ad interesse. 6.

Quamvis pretium vel potius consensus de pretio sit de essentia hujus contractus, per *l.* 9. *h. t. et* §. 1. *Inst. h. t.* si tamen tradita res, licet pretium nondum solutum sit, tamen perfecta est venditio. Si igitur tibi vendidi vineas, habita scilicet fide de pretio, alias enim non transfetur dominium, sed datur Rei vindicatio, §. *venditae* 41. *Inst. de R. D.* et Emptor sit in mora, non agitur ad rescindendum contractum, quod tantum fit in innominatis contractibus, non nominatis, sed ad solutionem pretii actione ex vendito. Collige ergo I. ex *hac lege*: Quando fides habita est de pretio, transferri dominium, *l. incivile C. de Rei vindic.* Sed tunc non videtur fides habita de pretio, si quis statim se pretium recepturum putaverit, et ita tradiderit, *l. Si quasi recepturus* 3. *ff. de Pign. Act. Gail. lib.* 2. *obs.* 15. *Tiraq. de Retr. convent. ad finem tituli num.* 78. *Petr. Barb. ad l. si cum dotem* 23. §. *fin. num.* 35. *ff. Sol Matr.* Et praesumitur interdum fides habita ex circumstantiis, nisi talis res sit, quae non soleat sub fide vendi, sine manuali pretio; v. g. si mobilis sit, vel in Nundinis vendatur, vel forensis etc. Vid. *Menoch. t.* 3. *Praesumpt.* 99. *Card. Mant. l.* 4. *de Tac. et Amb. convent. tit.* 21. et quos refert *Barbos. in coll. ad l.* 12. *h. t.* II. Conditionem ob causam, vel ex poenitentia non habere locum in contractibus nominatis, sed tantum innominatis, *l. fin. ff. de Cond. ob causam, Castr. hic.* Exceptio habebitur in *l. cum te, infra de Pactis inter Empt.* Sic etiam cum venditor non vult, aut non potest tradere rem, necessitas facit locum actioni ad interesse, hujus autem loco ob difficultatem probationis ejus, potest peti pretium non ut tale, sed ut interesse, *Dn. Mev. p.* 5. *dec.* 279.

(margin numbers of the above paragraph, in order: 1 at "Quamvis", 2 at "lege: Quando ... tran-", 3 at "ff. Sol Matr. Et praesumitur ... fides", 4 at "h. t. II. Conditionem ... poe-", 5 at "Cond. ob causam ... Exceptio habebitur", 6 at "etiam cum venditor ... potest")

L. Empti fides. 9.

SUMMARIA

Conventio de pretio est de substantia venditionis. num. 1.
Actualis autem numeratio tantum ad consummationem emptionis requiritur. 2.
Ex mentione facta pretii praesumitur contractus venditionis. 3.
Testis non probat, nisi de pretii quantitate deponat. 4.

Emerat quis fundum certo pretio, et traditum 1
acceperat: venditor postea illum fundum vindicat, quia nullum datum fuit pretium, cum

cum tamen hoc sit de substantia venditionis, et videri rem venditam titulo tenus, et potius fuisse donationem. Resp. Imperator, Conventionem de pretio esse de Substantia venditionis, nam paulo durius dicunt rem et pretium esse de substantia venditionis, solus consensus facit venditionem, qui consensus est circa rem et pretium, *Bacch. in Treutl. V.* 1. *D.* 38. *th.* 2.
2 *lit. A.* Actualis autem numeratio tantum ad consummationem emptionis requiritur, nec relevat hoc, quod videatur donatio esse, nam ne sic quidem potest vindicari res, ut quae in rei veritate donata, nec peti potest pretium, quod in rei veritate non est promissum. Collige ergo:
3 Ex mentione facta pretii, praesumi contractum venditionis, *Card. Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 4. *titul.* 19. *num.* 51. *et seqq. Menoch. lib.* 3. *Praesumpt.* 74. *et Praes.* 104. Colligunt
4 etiam nonnulli ex *hac l.* Testem non probare, nisi de pretii quantitate deponat, limitatur tamen id a *Trentacinqu. d. t. Resol.* 9. *Mantica d. t.* 19. *num.* 60. *Franc. Caldas de Empt. c.* 18. *num.* 18. *et c.* 34. *num.* 30. ut locum habeat, si inter ipsos contrahentes lis sit de contractu, secus si uni contrahentium lis sit cum tertio.

L. Si mater. 10.

SUMMARIA

Qu. an mulier rem suam emendo sibi praejudicet? num. 1.
Plus valet, quod agitur, quam quod simulate concipitur. 2.

1 Mulier volebat marito donare pecuniam, sed quia per leges id non poterat, ideoque simulatum contractum init cum marito, remque suam a marito emit, et pretium solvit; Quaeritur: *An mulier rem suam emendo sibi praejudicet?* finge eam fundum antea ab extraneo emisse, quemdam autem habentem in mariti bonis hypothecam generalem, hypothecariam actionem intendere contra mulierem; Et quamvis videri possit mulierem ex sua confessione, qua declaravit a marito se emisse, teneri, contrarium tamen respondetur, quia simulatus est contrac-
2 tus, et plus valet quod agitur, quam quod simulate concipitur, et ideo deficit consensus. Potest etiam praejudicium mulieris in eo versari, quod pretium voluit mulier, vel ejus haeredes a mariti haeredibus repetere ut donatum, et posset etiam responderi, posse repeti, nam non est verum pretium, et donatio inter conjuges prohibita; tractat *hic Glossa* Exceptiones, quando rei suae emptio valeat, v. g. ratione possessionis, vel sub conditione, sed de eo dictum ad *legem quartam.* Ideoque rem traditam, quamvis numeratio pretii facta nondum sit, non potest propter hoc vindicare venditor, modo fidem habuerit de pretio.

L. Invitum. 11.

SUMMARIA

Ad emendum vel vendendum nemo invitus compelli potest. num. 1.
Exceptiones praecipuae. 2.
Quando quis vendere rem suam cogitur, bonis id conditionibus ut faciat necesse est. 3.

Ad vendendum vel emendum, nemo invitus 1
compelli potest, *hic et l. nec emere C. de jure Delib. l. sicut C. de Act. et oblig. l. invitos C. Locati.* Sed limitatur ea Regula pluribus modis, quos enumerat *hic Glossa* et *Godofr.* et alii, praecipue vero et prae aliis prolixe *Augustin. Barb. in collectaneis hic.* Praecipuae vero exce- 2
ptiones sunt: 1. Si quis jussus vendere a testatore, *l.* 66. *ff. de Legat.* 1. 2. Si judicio communi dividundo quis conveniatur, *l.* 13. §. 17. *ff. de Act. Empti.* 3. Si quis saevitiam in servum exercuit, §. 2. *Inst. de His, qui sui vel alieni juris sunt.* 4. Ob favorem specialem rei alienatae, *l. fin. C. de Patribus qui filios distraxerint.* 5. Ob publicam utilitatem, *l.* 1. §. *cura carnis ff. de Praefect. urb.* maxime si alioquin res sit venalis, *Covar. lib.* 3. *Resol. c.* 14. *num.* 1. 6. Ob favorem Religionis, *l.* 12. *ff. de Relig.* 7. Ob favorem Fisci, *l. un. C. de vendit. Rerum Fiscalium,* quas limitationes legere quis potest apud *Covar. d. c.* 14. *Fabianum de Monte Q.* 3. *Valascum tom.* 1. *consult.* 22. *Ludov. Molinam de J. et J. tr.* 2. *d.* 341. *Riccium Coll. decis.* 76. *Martam in Digestis Noviss. P.* 3. *tit. de Empt. c.* 80. *et seqq. Koeppen. decis.* 59. *Carpz. P.* 2. *Const.* 33. *Def.* 16. *et Coll. Argent. in tit. ff. de Empt. et Vendit. num.* 32. Sic in Marchia Brandeburgica Electorali consuetudo haec est, ut rustici sua praedia dominis, si ratione habitationis iis opus habeant domini, vendere cogantur. Sed semper quando 3
quis vendere cogitur, bonis id conditionibus ut faciat, necesse est, §. 2. *Inst. de his qui sui vel etc.* id est, non debet gravari aliter, quia sufficit in eo ipso eum gravari quodammodo, quod invitus vendere cogatur. Sic igitur non cogitur fidem habere de pretio, *Scheplitz. de Cons. March. P.* 4. *tit.* 7. §. 6. *Valascus d. Dec. n.* 5. Et Emptor tantum dare debet, quantum offert alius, *Jo. Koeppen. Dec.* 44. *num.* 38. In casu indigentiae, et alias non, Magistratus potest compellere subditum ut fruges potius sibi quam aliis vendat, *Dn. Mev. p.* 2. *d. c.* 279. Conf. *Marquardus de jure Mercatorum l.* 2. *c.* 2. *num.* 21. Sed contra hanc legem Mercatores in exteris Regnis saepe cogi ad vendendas merces, et quidem statuto ipsis pretio conqueruntur, *Dn. Marquardus de jure Mercatorum l.* 2. *cap.* 14. *num.* 5. *et seq.*

L. Non idcirco. 12.

SUMMARIA

Non irrita est venditio propterea, quod nemo de evictione fidejussit, aut instrumentum nullum super traditione factum, vel pretium nondum solutum. num. 1.
Simul ac contractus celebratus, amplius retractari nequit. ibid.
Venditor non tenetur cavere de evictione, nisi quando evictio in limine contractus imminet. 2.

Non irrita est venditio propterea, quod nemo 1
de Evictione fidejussit, aut instrumentum nul-

lum super traditione factum, vel pretium nondum solutum, nam priora duo non requiruntur ad Emptionem, et ultimum tantum est contractus implementum, non forma, nec licet hic etiam in continenti poenitere, contractu semel perfecto, ut nec in aliis contractibus nominatis, nam simul ac contractus celebratus,
2 amplius retractari nequit. Nota bene: Venditorem non teneri cavere de evictione, nisi quando evictio in limine contractus imminet, *l. illud* 4. *ff. de Evict.* Id est, nisi in ipso contractu convenerit, ut fidejussor pro evictione daretur, nam alias non potest postea venditor compelli, ut fidejussorem praestet, nisi evictio imminere coeperit, nam tunc venditor compellendus est fidejussorem dare, non praecise, sed causative, si vult pretium petere, *l. si post perfectam C. de Evict.* Vid. *Caballinus de Evict.* §. 2. *num.* 8. *et* §. 5. *num.* 48. et quos ille allegat.

L. In vendentis. 13.

SUMMARIA

In ipsius venditoris aut emptoris arbitrium non potest conferri conditio. num. 1.
Ampliatur in locatione conductione. 2.
Limitatio. 3.

1 Licet Emptio Conditionalis esse possit, §. *pen. Inst. h. t.* in ipsius tamen Venditoris aut Emptoris arbitrium non potest conferri conditio, v. g. vendo tibi, si volueris, vel vendo tibi pro pretio, quod tu determinaveris, ut recte *Donell. Hillig.* ex *hac l. et l.* 115. *pr. ff. V. O.* probat *lib.* 13. *c.* 1. *lit. R. Pinell. ad lib.* 2. *C. de Resc. Vend. in Rubr. c.* 2. *num.* 6. *Molina de J. et J. Tr.* 2. *D.* 337. *num.* 8. *Surdus dec.* 82. *num.* 11. ubi idem esse ait, sive tota substantia contractus in alterius contrahentis arbitrium conferatur, sive tantum aliquid ex substantialibus, per *l. quod saepe* 35. §. 1. *ff. h. t.* secus in accidentalibus, v. g. quo loco sit solvendum pretium, ubi res sit tradenda, et sim. *Gomez. tom.* 2. *cap.* 2. *num.* 19. *et Card. Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 1. *tit.* 14. *num.* 6. et quod de contractu emptionis hic dicitur, exten-
2 ditur etiam ad contractum Locationis, *Baldus hic num.* 4. *Surdus dec.* 52. *num.* 10. *Steph. Gratian. tom.* 3. *discept. forens. cap.* 531. *num.* 3. *Barbosa hic num.* 3. Nec *huic legi* contraria *l. haec venditio* 7. *ff. t.* quae de accidentali puncto, et quidem non de mero domini, sed boni
3 viri arbitrio loquitur. In lucrativis tamen regula haec non procedet per *l.* 65. §. 1. *de Legat.* 1. *Gomez. d. cap.* 2. *num.* 19. Secus si pure contrahatur, et sub conditione resolvendus sit contractus, ut in Lege Commissoria.

L. Dudum. 14.

SUMMARIA

Jus retractus consanguinitatis hic plane abrogatur. num. 1.
Limitationes hujus assertionis. 2.
Generali consuetudine passim locorum introductum est jus retractus consang. 3.
In quo consistat jus retractus, et in quibus habeat locum. 4.
Qu. Quinam h. l. per propinquiores intelligantur. 5.
Qui jus retractus vult exercere, debet integrum pretium solvere iisdemque terminis, quibus extraneus solvere vult. 6.
Si praesumatur dolus venditoris surrogando animosiorem emptorem, qui palam plus promittat quam retrahens, recte vero aliud agat, locum habet juramentum purgationis. ibid.
Tempus retractus plerumque est annus. 7.

Jus Retractus consanguinitatis, quo non licebat 1
rem vendere extraneo, sed offerre oportebat eam prius cognatis, hic plane abrogatur, quia impedit libertatem de re sua libere disponendi,
nisi scilicet lex specialis vel statutum municipa- 2
le aliud constituat, cujus exemplum habemus in *l. un. C. Non licere habitatoribus metrocomiae loca sua ad extraneum transferre.* Aliud exemplum Retractus in jure Emphyteutico *l.* 3. *C. de jure Emphyt.* aliud in *l.* 1. *C. de Metallariis lib.* 11. Sed et jure divino hoc jus Retractus approbatum, *Levit. c.* 25. *v.* 25. *Ruth.* 4. *v.* 3. *Hierem.* 32. *v.* 7. *Ezech.* 7. *v.* 12. quod et jus Canonicum approbavit in *c. constitutus X. de in Integr. Restit.* et jus Feudale *c.* 1. §. *Sed etiam res. Tit. per quos fiat Investitura, cap.* 1. §. *Titius tit. Si de feudo defuncti contentio sit,* de quo *Thesaurus l.* 1. *q.* 39. Et quia ratio, qua Imperatores utuntur, scilicet ut constet liberum suum cuique arbitrium, levior visa est,
ideoque generali consuetudine passim locorum 3
introductum est jus Retractus consang. *Gail. lib.* 2. *obs.* 19. *num.* 1. *Tiraq. de retract. lig. in praefat. num.* 1. *et Joan. Koeppen. dec.* 52. *num.* 13. et hos aliosve allegans *Joan. Franc. Balthas. tit.* 10. *resol. Bavar.* 1. *num.* 2. Ideoque recte dicimus lege, id est, statutis locorum vel consuetudine hoc jus reductum esse. Sicut enim lege, id est, conventione partium, introduci potest, de quo suo loco, sic etiam lege testatoris, id est, voluntate ultima hoc injungi potest haeredi, *Gail. d. observ.* 19. *num.* 3. *Boer. dec.* 107. *num.* 4. *Koeppen. d. dec.* 52. *num.* 15.
et Balthasar. d. l. num. 3. Propinqui ergo non 4
obstante *hac lege*, sed contrariae consuetudini cedente, cognati habent hodie hoc jus, ut oblato pretio quod extraneus dedit, possint retrahere res immobiles, quibus annumeratur Emphyteusis, *Tiraq. de retract. lign.* §. 1. *Gl.* 3. *Koeppen. d. Dec. num.* 1. *Berlich. P.* 2. *concl.* 39. *num.* 3. *Balth. d. tit.* 10. *resol.* 11. *num.* 9. ubi alios etiam citat; idem in Servitute, *Tiraq. d. l. Gl.* 3. redditibus annuis, *Tiraq. Gl.* 6. in Actionibus ad res immobiles, *Tiraq. Glos.* 7. item in haereditate tota, cum immobilia ad se trahant mobilia, *Tiraq. d. l. Gl.* 7. *num.* 82. Scilicet in bonis avitis, non vero ab aliquo Consanguineo pretio comparatis, *Dn. Mevius p.* 2. *dec.*
251. Propinquiores autem intelligendi sunt, qui 5
venditori sunt propiores, non primo adquirenti, *Tiraq. d. tract.* §. 11. *Gl.* 1. *num.* 18. *Thes. dec.* 64. *num.* 1. *Berl. P.* 2. *concl.* 39. *num.* 30. *Balth. d. t.* 10. *resol.* 10. *num.* 5. Et puto haeredem etiam venditoris posse retrahere, quia

retrahendo non improbat alienationem, sed confirmat, et se tantum surrogari petit, nec haeres hoc casu ad evictionem tenetur, quia res non revocatur ex vitio rei, vel defectu juris venditoris, sed ex statuto generaliter loquente, *Pinell. in l. 1. C. de Bon. Mat. p.* 3. *num.* 99. *Dn. Dav. Mevius ad Jus Lubec. lib.* 3. *tit.* 7. *art.* 2. *num.* 3. *Hartm. Pistor. p.* 1. *qu.* 5. *num.* 16. *Joan. Guttierez lib.* 2. *pract. quaest.* 149. *Jo. Franc. Balth. d. c.* 10. *resol.* 15. *num.* 5. Et ideo etiam Filius venditoris potest retrahere, *Tiraq. de retractu consang.* §. 1. *Gl.* 9. *num.* 51. *et* 58. *Christin. v.* 3. *dec.* 55. *num.* 5. et ad *Stat. Mechl. tit.* 11. *art.* 3. *num.* 19. *Gratianus tom.* 3. *disc.* 433. *et seqq.* licet emptioni subscripserit, *Jo. a Sande lib.* 3. *tit.* 5. *dec.* 8. nisi aliud conventum, vel pater prohibuerit, *Tiraq. d. l. num.*
6 54. *et Guttierez d. l. num.* 3. Debet autem offerri integrum pretium, quod extraneus dedit, quia indemnis debet praestari emptor, *Harpr. in §. fin. t. de Empt. num.* 264. *Balth. d. t.* 10. *res.* 6. *num.* 2. Et si Extraneus contractu nondum absoluto aliquid pretio oblato addiderit, debet etiam augere consanguineus, *Tiraq. de retr. lign.* §. 1. *Gl.* 18. *num.* 51. *Berl. p.* 2. *concl.* 41. *num.* 20. *Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 33. *def.* 5. *Balth. d. resol.* 6. *num.* 4. Et debet solvere pretium in iisdem terminis, quibus extraneus solvere debuit, etsi pendente lite termini lapsi, novos terminos non jure petet retrahens, *Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 75. Conditiones etiam easdem implere debet retrahens, ad quas se obligavit emptor, modo illae expressae in contractu, *Jo. a Sande lib.* 3. *tit.* 5. *def.* 11. Si autem praesumatur dolus vel ex parte venditoris, si animosiorem surroget emptorem, qui palam plus promittat, tecte aliud agat, locum habet juramentum Purgationis, *Dn. Carpz. d. constit.* 33. *def.* 2. *Dn. Mevius d. tit.* 7. *art.* 1. *num.* 58. sicut etiam juramentum a retrahente praestandum, quod rem illam non in alterius, sed suam utilitatem emat, *Dn. Mevius d. l. num.* 49. *Bal-*
7 *th. res.* 5. *num.* 2. Tempus autem retractus plerumque Annus est, de quo *Carpzov. p.* 2. *constit.* 32. *def.* 2. *Mevius d. t.* 7. *art.* 1. *num.* 61. *et seqq.* quod spatium Camera etiam observat, *Gail. l.* 2. *obser.* 19. *num.* 14. *Myns. cent.* 3. *obs.* 51. *num.* 3. *Dn. Mevius. p.* 2. *dec.* 251. et hoc spatium a die sententiae currere incipit, et ideo utilis est denunciatio, et interdum ex vi statuti solemniter facienda, *Dn. Mevius d. part. dec.* 252. Et denunciatione facta si consanguineus respondeat se emere nolle, non est postea audiendus, si velit postea ignorantiam unius vel alterius circumstantiae allegare, *Dn. Mevius dict. l. decis.* 253. *Berlich. par.* 2. *concl.* 40. *Balthas. d. tit.* 10. *resol.* 2. quatenus socii habeant hoc jus, videbitur in *tit. de Comm. Rerum Alienatione.*

L. Super. Ult.

SUMMARIA

Pretium debet esse certum. num. 1.
Quando determinatio pretii in personam tertiam confertur, conditionalis est contractus et imperfectus. 2.
Secus est in dote. 3.
Dotatio non consistit in voluntate, sed necessitate. 4.
An compromissum valeat collatum in duos, quorum unus ab emptore, alter a venditore sit eligendus. 5.

Pretium debet esse certum, §. 1. *Instit. h. t.* suffi- 1
cit tamen id certum reddi, per relationem ad aliud, *l.* 7. §. 1. *l.* 37. *ff. h. t.* sic in tertii, id est, personae certae (non incertae, *l.* 25. *princ. ff. loc.*) arbitrium conferri potest determinatio pretii, quanti ille aestimaverit, et tunc omnimodo valet ipsius arbitrium, licet iniquum, nisi iniquitas manifesta, *l.* 79. *ff. pro Socio*, quod si tertius non aestimet, nulla est emptio, deficiente conditione, *d. l.* 7. *pr. ff. h. t.* Colli-
gitur ex textu; Quando determinatio pretii in 2
personam tertiam confertur, conditionalem esse contractum, et imperfectum, cum certitudo pretii sit de substantia emptionis, *Gomez. tom.* 2. *c.* 2. *num.* 9. *Mant. d. tit.* 19. *num.* 19. *Cald. de Empt. c.* 18. *num.* 15. *Molin. de J. et J. tr.*
2. *d.* 337. *num.* 9. licet secus sit in dote, ubi 3
si declaratio in alicujus arbitrium conferatur, eo non arbitrante recurritur ad arbitrium
boni viri, quia dotatio non consistit in vo- 4
luntate, sed necessitate, *Gratianus tom.* 2. *disc. c.* 254. *num.* 55. et multi, quos refert *Petr. Barb. in l.* 1. *part.* 3. *num.* 41. *pr. ff. Sol. Matr.* qui tamen *d. l. et ad l. si aestimatis* 51. *n.* 2. *ff. Sol. Matr.* recte declarat, non quod dotis constitutio nulla, sed quod aestimatio sit nulla, si ea in arbitrium tertii collata et ille noluerit aestimare, aut non potuerit, et ita nulla sit venditio, ipsa tamen dotatio firma, per *l.* 3. *C. de dotis promissione*, sic ergo dotis constitutio valida, sed ratione quantitatis ad arbitrium
boni viri recurritur. Sed si in duos, quorum 5
unus a venditore, alter ab emptore eligendus, compromittatur, non valere volunt hoc compromissum, *Pinell. P.* 2. *de Bon. Mat. cap.* 1. *num.* 6. *Cald. d. l. num.* 15. *Mantic. d. t.* 9. *num.* 35. licet dissentiat *Fachin. lib.* 2. *cap.* 1. ubi testatur de communi.

TITULUS XXXIX.

De Haereditate vel Actione vendita.

L. Aes alienum. 1.

SUMMARIA

Non est in potestate haeredis, nomina passiva, quae ossibus ejus inhaerent, in alium transferre. num. 1.
Limitationes. 2.
Si Fiscus vendit haereditatem, an ille conveniendus sit, an vero emptor? 3.

1 Haeres vel venditor, qui vendidit haereditatem aditam, ipse conveniendus est, et non Emptor, a creditoribus haereditariis, licet actum sit, ut conveniretur emptor, quia haeres paciscendo jus creditorum mutare nequit, et non est in potestate haeredis, nomina passiva, quae ossibus ejus adhaerent, in alium transferre, *l.* 59. §. 1. *ff. de jure Dotium, Mantica de tac. et amb. convent lib.* 4. *tit.* 10. *num.* 20. *et seq. Mozz. de Empt. tit. de Reb. num.* 7. *Vinc. de Franchis dec.* 273. *num.* 7. *Tiraqu. de Retr. consang.* §. 26. *Gl.* 1. *num.* 53. nisi 1.
2 Emptor volens suscipiat actiones, *l.* 2. *sup. de Pact.* 2. Aut venditor non sit solvendo, *l. plane* 94. §. 1. *in fin. ff. de Leg.* 1. *Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 14. *num.* 2. Et Emptorem eo casu invitum conveniri posse, probatur *arg. l.* 2. §. 18. *ff. h. t.* et convento venditori datur regressus contra emptorem, per *l. seq. Arum. lib.* 1. *decis.* 12. et hunc referens *Dn. Habn. ad Wesenb. h. t. in ϖ. num.* 4. *Cravetta cons.* 38. 3. Nisi Fiscus vendat, ubi semper emptor privatus conveniendus, *Molina d.* 340. *n.* 2. per *hanc l. Jo. a Sande lib.* 3. *tit.* 4. *def.* 3. quod etiam in bonis vacantibus locum habet, *l. cum qui bona* 41. *ff. de jure Fisci, l.* 1. *h. t.* Sic, si quis haere-
3 ditatem vacantem a Fisco emerit, contra eum utilis petitio haereditatis datur, *l.* 13. §. 9. *ff. de Petit. Haered.* Sed aliud in venditione rerum singularium, ubi emptor statim securus, sed Fiscus respondere tenetur intra quadriennium, *Glossa hic, et Castrens. aliaque DD.* Sed rectius *hic Cujacius* distinguit: aut verus haeres agit de haereditate, quasi non fuerit caduca, et tunc agetur contra fiscum, juxta *l.* 2. *C. de Quadrien. Praescript.* aut creditor vel legatarius agit, et tunc agitur contra emptorem, non Fiscum. Si tamen emptor non sit solvendo, Fiscus in subsidium conveniendus, in quantum ad eum pervenit, *l. fin. ff. de Eo per quem factum erat. DD. hic,* praesertim *Accurs. et Bald. et M. Anton. Peregr. de jure Fisci lib.* 6. *tit.* 1. *num.* 30.

L. Ratio juris. 2.

SUMMARIA

Qu. contra quem agendum sit creditoribus, vel legatariis, vel fideicommissariis, si haereditas vendita? num. 1.
Qu. An emptor hoc casu plane sit liberatus? 2.
Ampliatio ejus, quod habetur. 3.
Venditor non potest petere satisdationem ab emptore super indemnitate. 4.
Actiones passivae nulla cessione transferuntur. 5.
Emptor in subsidium conveniri potest. 6.

Dictum est, in *l. praecedente*, Nomina pas- 1
siva inhaerere ossibus haeredis, adeo, ut ab eo in Emptorem non possint transferri: Sed Quaeritur *hic.* 1. *Contra quem agendum sit creditoribus vel Legatariis vel fideicommissariis?* et Respond. contra venditorem, quae responsio ex praecedentibus plana, et emptor haereditatis nondum excusso venditore exceptione non competentis actionis se tueri potest, *Mevius p.* 2. *dec.* 296. 2. Quaeritur: *An emptor plane sit* 2
liberatus? Resp. quod non, licet enim ratio juris non patiatur, ut emptor possit conveniri, quia tamen emptor haereditatem cum omni onere emit, et habet omne lucrum haereditatis, utique aequum est, ut etiam aes alienum a venditore solutum, ipsi restituat emptor, *Zanger. de Except. part.* 3. *cap.* 9. *num.* 28. Sed quaeritur 3. *Quid si fidem interposuerit emptor, de solvendo aere alieno?* et respondetur, ne 3
tum quidem emptorem conveniri posse, ratio est, quia haeres et emptor non potuerunt obligationem ex quasi contractu initam, qua venditor seu haeres adeundo se semel creditoribus et Legatariis constrinxit, tollere. Sed si creditores emptorem convenerint, et emptor sponte susciperet actionem, venditor exceptione taciti pacti se contra creditores postea defendere posset, *l.* 2. *C. de Pact.* Colligunt ex *hoc textu Sich.* et alii: Quod venditor non possit pe- 4
tere satisdationem ab Emptore super indemnitate, per pignora scilicet et fidejussores, quod forte intelligunt, quia post contractam venditionem hoc petere non posset, nisi scilicet nova causa oriatur, v. g. dilapidatio bonorum et sim. Sed ab initio hac lege venditionem haereditatis contrahi posse, ex hac ipsa lege probatur, quia si nimis sero satisdatio in hac specie peti diceretur, utique tempore venditionis potest peti. Colligitur etiam ex *hac lege*: Actio- 5
nes passivas nulla cessione transferri posse, *Ti-*

raqu. de Retr. lign. §. 26. *Gl.* 1. *num.* 56. *Petr. Barb. in l. quia tale num.* 62. *ff. Sol. Matr. et August. Barb. hic.* Collige etiam illud, quod ad legem primam diximus; si venditor non sit
6 solvendo, posse emptorem in subsidium conveniri, *Barbos. hic in fine.* Quae autem hactenus de emptore dicta, non habent locum in eo qui, cum egisset cum alio in judicio petitionis haereditatis, transegit cum reo, dando ipsi certam quantitatem, et accipiendo haereditatem, qui omnino ut haeres conveniri potest, per tradita *Dn. Mev. p.* 5. *dec.* 14.

L. Nominis. 3.

SUMMARIA

Delegatio debitoris consentiente debitore delegato fieri debet. num. 1.
Delegatio vero nominis etiam invito debitore fieri potest. 2.
Limitatio. 3.
Discrimen nobile inter delegationem et cessionem nominis. 4.

1 Delegatio debitoris consentiente debitore de-
2 legato fieri debet; Sed delegatio nominis, sive cessio, etiam invito debitore fieri potest, mo-
3 do non in potentiorem fiat, aut actio sit litigiosa, *l.* 2. *sup. Ne liceat potentioribus etc.* ratio, quia illic fit Novatio, et novus substituitur debitor, hic vero manente eodem debitore, constituitur tantum procurator in rem suam, et actio ma-
4 net infixa ossibus Creditoris. Unde colligitur discrimen nobile inter delegationem et cessionem nominis. Si scilicet delegatio proprie pro delegatione debitoris accipiatur (nam interdum cessio actionis etiam delegatio solet vocari, sed improprie) et de hoc discrimine *Ant. Gomez. T.* 2. *resol. c.* 2. *num.* 6. *Molin. d.* 340. *num.* 5. *Mant. d. tr. de tac. et amb. convent. lib.* 4. *tit.* 13. *num.* 1.

L. Qui nondum. 4.

SUMMARIA

Si dolus causam dederit venditioni haereditatis, est nulla. num. 1.
Dolus causam dans contractui, reddit eum nullum. 2.
Nisi dolus sit incidens. 3.

1 Cum vires haereditatis nondum haberem cognitas, mihi dolose persuasisti, ut tibi eam venderem, et vendidi parvo pretio, nam ignorantia virium haereditatis, et dolus Adversarii praesupponitur, *Pruchm. vol.* 1. *cons.* 50. *num.*
2 337. contractus est nullus, ob dolum, qui causam dedit contractui, *l.* 7. *ff. de dolo.* Imo si tradidissem, a te vel ab alio possem repetere.
3 Secus, si dolus fuerit incidens v. g. si vendere volenti persuaseris, ut viliori pretio venderet, ubi valet venditio, sed teneris supplere pretium justum, et sic, nisi pretium suppleat emptor, in effectu annullatur contractus.

L. Emptor. 5.

SUMMARIUM

Quando quis emit haereditatem, vel nomen, duplicem habet actionem directam scilicet et utilem.

Quando quis emit haereditatem vel Nomen, habet hic duplicem actionem 1. directam ex persona venditoris, quo casu eo jure uti debet, quo is, cujus persona fungitur, et hoc casu est procurator in rem suam, *l.* 8. 2. Etiam utilem, quam suo nomine exercere potest, atque haec actio utilis datur ex constitutione Pii Imperatoris, *Bacch. in Treutl. vol.* 2. *d.* 19. *th.* 5. *lit. C. et disp.* 4. *de Act. th.* 3. et conferatur *Jo. a Sande de Cess. Act. c.* 8. *in pr. et num.* 7. et conferantur notata supra ad *l.* 1. *C. de obligat et act.*

L. Qui tibi. 6.

SUMMARIA

Si duo haereditatem emerunt, ille potior est cui prius res haereditariae traditae. num. 1.
Sed venditor alii postea haereditatem vendens tenetur actione empti, quod fidem fregerit datam, et tenetur ad interesse. 2.

Venditor haereditatis, si haereditatem duo- 1
bus vendit non is potior est, qui prior emit, sed cui prius tradidit res haereditarias, sed prior emptor conveniet venditorem ad interesse, et idem est in venditore rei singularis, *l.* 15.
supra de rei vind. Sed venditor alii postea hae- 2
reditatem vendens tenetur actione empti, quod fidem fregerit datam, et tenetur ad interesse, quod etiam in aliarum rerum venditionibus locum habet, ideoque hic nihil singulare. Sumunt nonnulli argumentum ex *hoc textu*: Quod venditor non praecise teneatur tradere, sed praestando interesse liberetur, sed ex textu id non probatur, quicquid alias de ea quaestione sit statuendum, nam hic venditor alii rem tradiderat, ut ex verbis textus apparet, et sic non poterat alii vel primo emptori tradere.

L. Postquam. 7.

SUMMARIA

Nomen debitoris potest dari pignori et postea vendi jus creditoris. num. 1.
Emptori rei oppignoratae datur utilis actio ex constitutione Pii Imperatoris. 2.

Nomen debitoris potest dari pignori, et ille 1
cui datum est, potest ipsum alteri vendere jure creditoris, sicut aliam rem pignoratam, et
emptori datur utilis actio ex constitutione Pii 2
Imperatoris, qua potest exigere debitum, sicut et venditor, seu creditor poterat exigere in mora existente debitore suo, qui illud nomen oppignoraverat, *Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 345. *num.* 9. sed hac de re plura in *l. nomen* 4. *C. quae res pignori.*

L. Ex nominis. 8.

SUMMARIA

An per venditionem nominis debitoris mei transeat dominium rei ab eodem obligatae mihi, in emptorem? num. 1.
Venditio sola non transfert dominium. ibid.
Cedendo jus pignoris, jus tantum cedo, non dominium quod non habui. ibid.
Duplex ex venditione nominis actio datur. 2.
Vendita actione videtur etiam venditum jus hypothecae. 3.

1 Mutuo dedi centum, et obligavit mihi debitor domum suam pro hypotheca, postea vendo tibi nomen, Quaeritur: *An dominium rei pignori obligatae per venditionem consecutus sis?* et palam est re non esse factum dominium, tum, quia venditio sola non transfert dominium, tum, quia cedendo jus pignoris, jus tantum cedo, non dominium quod non habui. Sed tamen poteris actione hypothecaria pignora persequi, si non tantum vendidi nomen, sed etiam te Procuratorem in rem tuam constitui, id est, cessi, nam cessio in incorporalibus habetur pro traditione. Si vero nondum cessi, ex constitutione Pii Imperatoris, habes utilem actio-
2 nem hypothecariam. Collige: I. Duplicem ex venditione nominis actionem: unam ex cessione, directam scilicet, alteram ex venditione sola, scilicet utilem, *Baech. in. Treutl. vol.* 2. *disp.* 19. *th.* 5. *lit. C. et disp.* 4. *de act. th.* 3. Licet alii communiter etiam ex cessione utilem
3 actionem derivent. II. Vendita actione, videri etiam venditum jus hypothecae, *argum. hujus l.* hoc enim hic, ni fallor, praesupponitur, et clarius in *l.* 6. *et* 7. *supra de oblig. et act. Neguzant. de pign. memb.* 3. *part.* 5. *princ. num.* 23. *Boër. dec.* 335. *Joan. a Sande d. tr. de cess. c.* 8. *num.* 31. Itaque ex sola venditione nominis, actio hypothecaria ceu cessoria transit, quae scilicet tempore cessionis fuit, *Neguz. d. l. et Jo. a Sande d. c.* 8. *num.* 32. *et seq.*

L. Certi. ult.

SUMMARIA

Qu. An actio realis cedi possit? num. 1.
Quaest. An hypothecaria sine personali actione cedi possit? 2.
Qu. An consensus super feudo semel impetratus sine novo consensu cedi possit? 3.
Qu. An cessionarius utile dominium habeat, an vero dominium penes cedentem maneat? 4.

Cedo tibi actionem realem ad fundum, quem 1
alius possidet, Quaeritur: *cum dominium ita non transferam, an actionem realem cedere possim?* Affirmat hoc Imperator, ex generali voce, *actionis.* Ergo tám actio realis, quam personalis cedi potest. Sed quaeritur hic; *An etiam hypothecaria sine personali cedi possit?* 2
Quod recte Negatur, nisi in casu, ubi perempta personali actione, remansit hypothecaria, ut in *C. de Luit. Pign.* aut quando cessionarius jam ante habuit personalem, *Salyc. hic num.* 2. Sed quaero hic: *An consensus super Feudo* 3
semel impetratus, sine novo consensu cedi possit? Quod Negat post *Rauchbarum P.* 1. *Quaest.* 6. *num.* 29. *Heig. P.* 2. *Quaest.* 5. *num.* 28. *et Vincentium de Franch. dec.* 39. *Dn. Carpz. lib.* 5. *Resp.* 35. semper tamen de hac sententia dubitavi, cum consensus non videatur personae datus sed debito, et afficiat rem, et alioquin sine debitoris etiam consensu novo, cessio haec fieri, et Domini consensus peti non posset contra *l.* 3. *h. t.* Nec vidi unquam in concursibus creditorum sententiam illam Doctorum apud nos observatam. Demum quaero, an cessionarius utile dominium habeat, an ve- 4
ro dominium penes cedentem maneat, et sic locum habeat ratio *legis tertiae C. de Novat?* Prius negat, et posterius affirmat *P. Barb. ad l. si alienam* 12. *num.* 63. *ff. sol. matr.* et sic hic rei vindicatio utilis sine dominio est, nam non nisi traditione transfertur dominium.

TITULUS XL.

Quae Res vendi non possunt, et qui vendere vel mercari vetantur.

L. Fucandae. 1.

SUMMARIA

Privatis interdicitur commercium purpurae, proposita capitis poena, et amissione bonorum. num. 1.
Haec l. cum sequ. hodie non amplius est in usu. 2.

1 Haec privatis interdicit commercium purpurae proposita capitis poena, et amissione bonorum, quia soli Principi Augusto et Augustae hae vestes conveniunt, nam Blatta et Oxyblatta et color hyacinthinus purpurae species sunt. Ergo harum vestium commercia merito privatis interdicta. Vid. *l.* 10. *infr. de Murilegulis et t. t. de Vestibus Holoberis. Dn. Marquardus de jure Mercat. l.* 2. *c.* 1. *num.* 26. Sed hodie *haec et* 2
sequens lex in usu non est; nam Purpura non amplius in eo pretio existit, quo sub Imperatoribus priscis fuit. Et Imperatorum alia hodie sunt ornamenta, *Cujac. lib.* 12. *Obs. c.* 24. et hunc referens *Perez. h. t.*

L. Comparandi. 2.

SUMMARIA

A barbaris sericum emere non fuit licitum excepto commerciorum Comite. num. 1.
Hodie novo Justiniano opus esset. 2.

1 A barbaris sericum emere non fuit licitum excepto commerciorum Comite; procul dubio causa prohibitionis fuit, quia 1. Non debuerunt omnes sericis vestibus uti, sed illi tantum, quibus ratione majestatis aut dignationis conveniebat. 2. Ne pecunia ad barbaros magno numero transferatur. 3. Ne opes privatorum male collocentur; sed jamdudum sepultae sunt hae leges. Ubivis serica prostant, ubique serica vestimenta induuntur, et non dignitatis, sed opum ha-
2 betur ratio: Novo Justiniano opus esset. Et ideo, *Casp. Klock. in Tr. de Ærario lib.* 2. c. 6. curam vermiculorum serici, ad serica comparanda, Principi commendat, ne tanta pecuniae strues quotannis ad exteros, Italos v. g. et Gallos, aliosque transportetur.

L. Quia. 3.

SUMMARIA

Poena eorum, qui fiscales res vel frumentum publicum devehentes a recta via declinant. num. 1.
Qui a recta via deflectit, securitate publica se indignum reddit. 2.
Praesumitur fraudare velle vectigalia qui non servat iter consuetum. ibid.
Quando certus locus deputatus est venditioni frumenti, extra illum locum non licet vendere vel emere. 3.
Frumentum publici canonis quodnam? 4.

Quando ii, qui fiscales res vel frumentum pu- 1
blicum devehendum suscipiunt, et a recta via declinantes in littoribus ea distraxerunt, capite puniuntur, sicut et Emptores, *hic et l.* 7. *C. de Navicular.* nam hoc pacto multi fame pos-
sent perire. Collige: I. Eum, qui a recta via 2
deflectit, securitate publica se indignum reddere, *Rosenthal. de Feud. cap.* 5. *Concl.* 22. *lit. B. Gail. lib.* 2. *Obs.* 64. *num.* 11. et praesumitur fraudare velle vectigalia, qui non servat iter consuetum, *Mascard. Probat. Concl.* 474.
num. 3. II. Quando certus locus deputatus est 3
venditioni frumenti, extra illum locum non licere vendere, vel emere, licet poena ea non sit, quae hic exprimitur, quae tantum ad frumentum publici canonis pertinet, sed in illo
casu erit poena arbitraria. Frumentum autem 4
illud publici canonis, de quo in *hac lege* agitur, procul dubio frumentum illud fuit, quod deputatum fuit ad alendum populum Romanum, cujus rei curam semper maximam habuerunt Principes Romani.

L. Ne frumentum. ult.

SUMMARIUM

Eadem fere ratio est frumenti ad exercitum destinati, quae est frumenti publici canonis.

Eadem fere ratio frumenti ad exercitum destinati, ubi honestiorum poena proscriptio, reliquorum capitale supplicium, cujus ratio evidentissima, ne exercitus frumento destituatur, cum in re militari semper potissima ratio annonae habenda sit. Et puto id ita intelligendum, ne etiam miles possit frumentum sibi assignatum vendere, ne postea ipse egeat. Videmus enim milites nostros saepe annonam sibi assignatam vilissimo pretio vendere, ut tantum praesentem pecuniam habeant, quod omnino contra praesentem legem fieri videtur.

TITULUS XLI.

Quae res exportari non debeant.

L. Ad Barbaricum. 1.

SUMMARIA

Commeatus et annona barbaris vendi non debet. num. 1.
Ampliationes. 2.
Licita sunt statuta, quibus prohibetur evectio extra provinciam. 3.
Limitatio. 4.
Exportatione frumenti prohibita, transportatio per provinciam non videtur prohibita. 5.
Prohibita exportatione frumenti, etiam farina exportari censetur prohibita. 6.

Commeatus et Annona, sive esculenta vel po- 1
tulenta barbaris vendi non debent, *hic et l. Cotem* 11. *pr. ff. de Publicanis*, quod hic extenditur dupliciter, ut ne gustus quidem causa hoc facere liceat, ne scilicet liquaminum, vini, v. g. dulcedine illecti Barbari, fines Romani Imperii invadant, nam exempla sunt barbarorum fructibus illectorum, ut Longobardo-
rum et Gallorum, quae hic allegat *Gothofr.* Deinde, ne quidem propter utilitatem commercio- 2
rum id facere licet, quia salus et tranquillitas Reipubl. commerciorum utilitati praeponenda. Unde sequitur, nec panes coctos, nec farinam barbaris vendere licere, *Boer. Dec.* 112. *Clarus*

§. *fin. Q.* 82. *Colerus de Alim. lib.* 1. *c.* 17. *num.*
3 12. Collige: Licita esse illa statuta, quibus prohibetur evectio extra provinciam, si publica utilitas id requirat, et alias provinciales inopia frumenti laborent, per *hanc legem et l.* 4. *C. de Commerc. Cravetta cons.* 973. *num.* 45. *Menoch. cons.* 1000. *num.* 56. *Petr. Anton. de Petra de jure quaesito per Princ. non toll. cap.* 6. *num.* 85. et quos allegat *Klock. Vol.* 1. *cons.*
4 10 *num.* 826. modo absit avaritia, et non seponatur charitas proximi. Et civitates quaedam habent hoc privilegium, ut omne frumentum in civitatem inferatur, nec inde sine permissione extrahatur, ut Magdeburgenses, *Marpurg. vol.* 4. *cons.* 17. *et seq. et hos referens Dn. Mar-*
5 *quardus d. tr. l.* 2. *c.* 1. *num.* 35. Si tamen exportatio tantum prohibita, transportatio per provinciam non est prohibita, *Boer. Dec.* 178. *num.* 12. *et Colerus d. l. num.* 22. Prohibitio autem venditionis etiam ad permutationem, donationem, pignoris dationem suo modo est extendenda, per tradita *Fabiani de Monte in tr. de Empt. Q.* 2. *num* 9. *et seq.* et alia statuta etiam non subditos ligant, *Colerus d. c.* 17. *num.* 9. non tamen ad aliud genus fructuum facile ex-
6 tendenda, *Col. d. l. num.* 29. Sed prohibita exportatione frumenti, etiam farina exportari censetur prohibita, *Dn. Marq. d. tr. lib.* 2. *c.* 1. *num.* 37. *et Mastrill. dec.* 139.

L. Nemo. ult.

SUMMARIA

Legati a Barbaris missi non debent habere potestatem comparandi arma offensiva vel defensiva, uti nec ferrum factum vel infectum. num. 1.
Ampliatio. 2.
In Recess. imper de anno 1417. *arma bellica, aut victualia piratis vendere prohibitum.* 3.
Nov. 85. c. 1. *armifactura et c.* 3. *armorum commercium privatis interdictum.* 4.

Legati a Barbaris missi non debent habere Potestatem comparandi arma offensiva, vel defensiva, uti nec ferrum factum, vel infectum, nec ullus ea barbaris vendere praesumat, sub poena capitalis supplicii, et publicationis bonorum, ratio in textu; Ne barbari talibus rebus, quibus indigent, armentur contra Imperium Romanum, *Azor. P.* 3. *Inst. Mor. lib.* 8. *c.* 3. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 385. *Hillig. in Donell. lib.* 9. *c.* 10. *lit. A.* de quo pluribus *Dn. Thabor. in Armamentario cap.* 2. *de Armorum commercio* §. 5. *et. seqq.* Et id in *l. cotem ff. de Publicanis* extenditur ad cotes, sales etc. Sic etiam idem ad triremes et naves extendendum ob majorem rationem, *Molin de J. et J. D.* 343. *num. fin. Loccen. de jure marit. l.* 1. *c.* 2. *num.* 3. quod etiam ad pyrium pulverem, bombardas, aliaque instrumenta bellica in perniciem humani generis, vel terrorem inventa, extendit *Straccha de Mercatura P.* 1. *num.* 13. *et seq.* Conf. et. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 95. *num.* 23. *seq.* Sed ad vaginas extendi posse negat *Dn. Thabor. d. l.* §. 8. In *Recessu Imperii de anno* 3
1417. arma bellica aut victualia piratis vendere sub corporis ac vitae poena nec non confiscationis prohibitum: quin etiam *Nov.* 85. *c.* 1. 4
armifactura, et *c.* 3. armorum commercium plane privatis prohibitum. Sed hodie ea prohibitio cessat, *Straccha de Mercat. p.* 4. *num.* 10. *Dn. Marq. de jure Merc. l.* 2. *c.* 1. *num.* 63. plura de hac re videantur apud *Dn. Marq. d. tr. l.* 1. *c.* 16 *num.* 27. *et seq.* ubi inter hostes et barbaros distinguit, et de Tabaco an ad merces vetitas comparari referri debeat, *num.* 33.

(The marginal numbers 1 and 2 stand beside the lines "...habere Potestatem" and "...de Publicanis".)

TITULUS XLII.

De Eunuchis.

L. Si quis. 1.

SUMMARIUM

Poena constituta in eos, qui faciunt Eunuchum.

Faciens quem Eunuchum punitur capite, et tam servus, quam locus confiscatur, ubi sciente domino loci Eunuchus factus est, ex quo sequitur, pro homicida eum habendum, *l.* 4. §. *fin. et. l. seq. ff. ad L. Corn. de Sicar.* Sed haec poena quodammodo alteratur in *Nov.* 142. *c.* 1. et servi castrati fiunt liberi, per *d. Nov.* 142. c. 2. Excipitur tamen casus, si medicinae causa id fiat, ut fieri solet in calculo, de quo Vid. *Clarus* §. *fin Q.* 68. *Farin. Q.* 20. 153. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 570. *Tholos. l.* 7. *Syntagm. cap.* 2.

L. Romanae. ult.

SUMMARIA

Servi Eunuchi facti a nemine comparari possunt. num. 1.
Limitatio. 2.
Leges Romanae barbaros non ligant. ibid
Vectigal ordinarium fuit octava quaestus. 3.
Ex iis rebus, quae mercium nomine non sunt, vectigal non solvitur. 4.
Vectigal quid sit? 5.

Sive in Romano sive in Barbarico solo Romani servi Eunuchi facti sint a nemine comparari possunt, sub poena gravissima, quae etiam Tabellioni s. Notario instrumentum desuper fa- 1

cienti, dictatur, et si quid vectigalis nomine ob hos servos susceperit, eadem poena plectendus;
2 Sed aliud in iis servis, qui natione barbari sunt, qui si in barbarico solo sint facti Eunuchi, licite vendi possunt, quippe hic circa castrationem nihil contra leges Romanas factum, quae barbaros non ligant, nec a barbaris quicquam contra Nationem Romanorum factum est. Obiter Notandum ex *hac lege*: I. Vectigal ordi- 3
narium fuisse octavam quaestus, *hic et l.* 7. *C. de Vectigal. Cujac. hic.* II. Ex iis rebus, quae 4
mercium nomine non sunt, v. g. Romanis in Imperio vel apud Barbaros exsectis, vectigal non solvi. Vectigal enim est, quod superiori 5
pro invectione, evectione et transvectione mercium praestatur, *Menoch. Cons.* 1201. *num.* 1.

TITULUS XLIII.

De Patribus, qui Filios suos distraxerunt.

L. Liberos. I.

SUMMARIA

Parentes liberos alienare non possunt. num. 1.
Nec creditor filium a parente pignori potest accipere sub poena relegationis. ibid.
Ampliatio. 2.

1 Parentes liberos, ut non oppignorare, *l. ult. ff. Quae res pign.* ita nec donare, nec vendere possunt, *l.* 1. *h. t. et l.* 16. *ff. de Empt.* cum homo liber extra commercium sit. Creditor autem qui sciens filium a parente pignori acceperit, relegatur, *l. fin. ff. Quae res pign. oblig. Neguz. de Pign. m.* 3. *p.* 2. *num.* 50. multo
2 minus ergo vendere licebit hominem liberum, *Molin. de J. et J. D.* 340. *num.* 21 et quos hic *in collectaneis* cumulat *Aug. Barbos. et Dn. Marquardus de jure mercat. l.* 2. *c.* 1. *num.* 20.

L. Si quis. ult.

SUMMARIA

Exceptio l. praeced. *num* . 1.
Fames ceu clades omnium horribilissima, belli et pestis calamitatem superat. 2.
Restrictio dispositionis. h. l. 3.

In Casu summae inopiae, non tamen nisi san- 1
guinolenti, id est, recens nati, vendi possunt. Sed licitum est omnibus, aut pretium justum persolvendo, aut aliud mancipium dando, tale mancipium liberare. Ratio prioris in necessitatis telo durissimo, posterioris vero in favore libertatis. Collige ergo ex particula exclusiva, *Tantummodo*, ex alia causa, licet videri possit major, non licere patri vendere filium, quia nulla necessitas fami par, *Tiraq. de Retr. consang.* §. 26. *Gl.* 1. *num.* 23. *et. seq.* ubi de fame, ceu clade omnium horribilissima, quae et 2
belli et pestis calamitatem superat, plura, *Ascan. de Pat. Potest. Eff.* 1. *num.* 7. sed si periculum tamen mortis praesentissimum idem statuunt *Pinell. de Bonis Mat. P.* 2. *Rubr. num.* 27. *Surdus in Tr. de Alim. Tit.* 8. *Priv.* 38. *num.* 14. *Molin. de J. et J. D.* 33. *num.* 27. Sed non puto recedendum esse a priori opinione: Sed eadem ratio permutationis, quae est venditionis, *Pinell. d. l. num.* 26. *Surdus num.* 12. et Oppignorationis, *Covar. lib.* 3. *Resol. c.* 14. *num.* 4. *Surdus d. l. num.* 9. *Pinellus num.* 25. Sed restringitur haec potestas communiter 3
ad Patres, vel Avos paternos, qui liberos in potestate habent, licet parentum fiat in lege mentio, quia hic est effectus patriae potestatis, *Pinell. d. l. num.* 22. *Molin. d. D.* 33. *num.* 24. *Surdus d. l. num.* 15. *et* 17.

TITULUS XLIV.

De Rescindenda Venditione.

L. Si Pater. I.

SUMMARIA

Contra venditionem metu expressam datur restitutio in integrum. num 1.
Sicut dolus dans causam contractui reddit contractum ipso jure nullum, ita etiam metus. 2.
Venditor h. casu debet restituere pretium. 3.

1 Contra venditionem metu, vel corporis cruciatu expressam, possum petere Restitutionem in integrum, per *l.* 1. *ff. Quod metus causa*, et hic violentia dedit causam contractui, sicut ergo dolus dans causam contractui, reddit con- 2
tractum ipso jure nullum, ita etiam metus, nam, licet metu extorta voluntas, sit etiam voluntas, in bonae fidei tamen contractibus metus et vis hanc voluntatem vitiat, ut contractus sit ipso jure nullus. Vid. *hic Cujac.* et concurrit hic mala fides, quae emptionem reddit nullam, *l.* 6. *infr. de Praescript. long. temp.* Sed restitutione hic opus esse, vel actione quod metus causa, vel exceptione, vel imploratione officii judicis forte melius statuunt *Farin. P.* 2. *fragment. lit. M. num.* 25. *et* 35.

Sebast. Med. de Casibus Fortuitis P. 1. Q. 7. num. 62. et seq. Petr. Barb. P. 4. Rubr. ff. Solut. Matr. num. 28. Bacch. ad tit. quod metus causa, cap. 1. num. 1. et seq. praeprimis num.
3 4. Sed venditor debet restituere pretium, ratio in *l. 24. §. 4. ff. de Min.* Sed specialis ratio in *l. si per impressionem sup. de his quae vi metus causa*, quae loquitur de iis, quae vendita sunt publicum officium gerentibus per impressionem, i. e. officii ac potestatis terrore adhibito, nam hi, si aliquid contra prohibitionem emerint in provinciis, pretii puniuntur amissione, *Cujac. in hoc tit. De particula* (*maxime*) hic multis agit *Gl. et DD.* quidam eam abundare dicunt, sed nihil causae video, cur non hanc interpretationem arripiamus, quaerentem statim in ipso libello obtulisse pretium, quod necessarium non fuisset, sed potuisset in progressu litis offerri.

L. Rem. 2.

SUMMARIA

Venditor qui in venditione ultra dimidium est laesus, potest ex h. l. agere cum emptore, vel rem restituat, rescisso contractu, vel justum pretium suppleat. num. 1.
Beneficium h. l. *etiam emptori competit, aliisque in contractibus locum obtinet.* 2.
Consideranda est laesio non ex eventu, sed ex vero pretio. 3.
Qu. si venditor sciverit pretium, an subvenietur ei per hanc actionem? 4.
Qu. si filia renunciaverit paternae haereditati sub juramento, quae tamen in triplo vel quadruplo laesa, an possit ob immodicam laesionem agere? 5.
Qu. an scientia pretii in venditore praesumatur? 6.
In stricti juris contractibus h. l. *locum non habere, videtur verius.* 7.
In permutatione h. l. *admitti non adeo est dubium.* 8.
Item in datione in solutum et transactione. 9.
Quandoque etiam in divisione per sortem locum habet. 10.
Ampliatio dispositionis h. l. 11.
Limitatio. 12.
Alternative ex h. l. *agendum est.* 13.
Re perempta locus huic querelae ex h. l. *non est.* 14.
Quo spatio actio haec praescribatur. 15.

1 Venditor qui in venditione ultra dimidium laesus est, v. g. si rem vere constantem 12. flor. 5. flor. vendere cogatur, Vid. *Klock. t. 2. cons. 43. num. 71.* potest ex *hac l.* 2. agere
2 cum emptore, ut vel rem restituat, rescisso contractu, vel justum pretium suppleat. Electio enim est Rei, et hoc beneficium ob paritatem rationis etiam Emptori competit, post alios *Carpz. P. 2. c. 34. def. 8.* nec non in aliis contractibus, in quibus ultro citroque obligatio vel synallagma est, locum habet, *Carpz. d. Const. 34. D. 10. et seqq.* Est enim generale remedium ad omnes actus laedentes, *Dn. Mev. p. 2. dec. 148. num. 5.* et cum venditor majori pretio vendendi, emptor vero vilius emendi, votum habeant, et ambo, ille quidem pretio diminuto, hic aucto, tandem in venditionem conveniant; sed consideranda est laesio non ex 3
eventu, sed ex vero pretio, quod fuit tempore venditionis, *d. l. n. 8. in fin. Covarr. lib. 2. Variar. Resol. c. 3. vers. Caeterum quandoque; Cephalus cons. 351. num. 48. et seq.* unde quidam deducunt, in renunciatione haereditatis paternae respiciendum esse tempus renunciationis, non vero argumentum bonorum postea secutum. Conf. *Thes. l. 2. q. 93.* quamvis haec sententia sit dubia per tradita *Cephali cons. 165. num. 26.* ubi tradit, in calculatione legitimae tempus mortis attendendum esse, v. g. filia elocata, data ei dote mille thaleros renunciat paternae haereditati, postea per accessionem haereditatis bona parentis in duplum augentur, iniquum videtur renunciationem ad futurum forte insperatum extendere. Sed quia haec nobilissima et decantata lex est, ejusque in renunciationibus saepe solet fieri mentio, placet aliquantulum uberius ea de re agere, sed tamen pro more, si caeteros attendamus *DD.* breviter. Et quidem quod etiam ad Emptorem *haec lex* extendenda suadet haec ratio; quod emptor verum rei pretium probabilius ignoret, et tam indigeat re quam venditor pretio, et *lex haec* ad certam speciem facti directa, et ideo a contrario sensu argumentum hic non procedit, et sic contra *Cujac.* sentiunt *Pinell. in tr.* subtili et accurato in *hanc legem Part. 1. cap. 2. et cap. 3. num. 1. Carpzov. d. l. Fachin. lib. 2. contr. cap. 6. Gabr. titul. de Empt. concl. 1. Ampl. 13. Guttierez lib. 2. pr. qq. c. 133. num.* 2. Sed *si venditor sciverit pretium an subvenie-* 4
tur ei per hanc actionem? Et non esse subveniendum *DD.* hic tradunt communiter, *et Fabianus de Monte qu. 8. num. 19. Alex. Trentac. lib. 3. tit. de Empt. Res. 3. num. 9. Tiraqu. de Retr. Consang. §. 1. Gl. 18. num. 14. Anton. Gabr. d. conc. 1. num. 98. Gratianus tom. 3. disc. for. cap. 461. num. 28.* et quos refert *Menoch. cons. 1263. num. 9. Kloch. vol. 2. cons. 69. num. 47.* ubi idem in divisione tradit. Sed contrarium tuentur *Covarruvias lib. 2. Res. cap. 4. num. 2. et Pinell. d. tr. p. 1. cap. 2. num. 10. et seqq.* quorum sententiam in eo casu veram esse puto et admittendam, quando quis extrema necessitate compulsus vendidit, et non potuit justo pretio vendere, vel emptorem, qui aequivalens pretium det, reperire, per tradita *Lud. Molina de J. et J. tr. 2. d. 351. num. 4.* Neque in necessitate praesumitur donatio, nec in necessitatibus quis liberalis, *l. 18. ff. de adim. Leg. Tiraqu. in l. si unquam verbis, donatione largitus, num. 106. Anton. de Burgos in c. cum dilecti X. de Empt. num. 19.* Nam hic miseratione magis dignus quam qui ignorans vilius vendit, *Anton. Faber de Error. Pragmat. Decade 7. Errore 8. num. 8.* Sed quaeritur, si filia renunciavit paternae haereditati et sub ju- 5
ramento, quae tamen in triplo vel quadruplo laesa reperitur, an potest ob immodicam laesionem agere ex hac lege? et quidem plures videntur hoc affirmare, quorum magnum Catalogum contexuit *Menoch. cons. 412. num. 37.* Sed nollem ratione conscientiae suadere, ut quis ex hac lege agat, nisi ex altera parte dolus in proposito commissus, ubi tamen petenda esset absolutio, *Hippol. Rimin. v. 3. cons. 316. num. 4.* aut laesus per modum denunciationis

Evangelicae petat, ut suppleat quod deest justo pretio, de quo casu intelligo *DD.* quos refert *Meno.h. cons.* 1263. *num.* 20. Sed Quae-
6 runt porro hic: *An scientia pretii in venditore praesumatur?* Quod affirmatur ex *l.* 15. *h. t.* praesertim si addatur vox (*wissentlich*) *Klock. v.* 2. *cons. num.* 48. Sed haec praesumptio in laesione immodica non sufficit, quia a fortiore praesumptione vincitur, quod nemo videatur jactare suum, *Covar. d. cap.* 4. *num.* 2. *Menoch. lib.* 6. *Praes.* 23. *num.* 36. cum una praesumptio aliam tollat, *Menoch. lib.* 1. *Praes.* 29. *et lib.* 2. *A. Q. cas.* 472. Et licet quis in aliis negotiis satis cautus et industrius deprehendatur, non tamen hic praesumitur scientia, quia deceptio manifesta, et nemo praesumitur jactare suum, praesumptio igitur cedet veritati, unde idem de minori dicitur, quod ex industria ejus non impediatur restitutio, *Sfortia Oddus in tr. de Rest. in integr. P.* 1. *qu.* 23. *art.* 3. *Guido Papae dec.* 88. *Donell. l.* 21. *cap.* 11.
7 et ibi *Hillig. lit. A.* In stricti juris contractibus *legem hanc* locum non habere videtur verius, quia, quod hic constituitur aequitati et humanitati videtur tribui, cujus sane non est praecipua ratio habenda in stricti juris contractibus, *Jason. in l. si quis cum aliter num.* 18. *ff. de Verb. Oblig. Mozzius in rubr. Quibus casibus annulletur Emptio*, licet et in his admittat, *Pinell. Par.* 1. *d. tr. cap.* 3. *num.* 7. et ex parte *Jo. Balthas. tit.* 7. *Resol. Bavar. Resol.* 2. *num* 12. ut in locatione habeat locum, *Cagn. in hac lege num.* 58. *et Carpz. l.* 5. *Resp.* 54.
8 *num.* 6. In Permutatione sane hanc admitti non est adeo dubium, *Mozz. d. Rubr. num.* 18. *Fabianus de Monte d. qu.* 8. *num.* 10. *Pinell. d. c.* 3. *num.* 13. *Gutticrez lib.* 2. *pr. qq. c.* 139. et in
9 datione in solutum, *DD. refert Cephal. cons.* 261. *num.* 1. *et cons.* 976. *num.* 9. quin etiam in Transactione ex aequitate plerique hanc admittunt, *Guttierez d. lib.* 2. *c.* 141. *Koeppen. dec.* 58. *Pinell. p.* 1. *c.* 4. *num.* 12. *Balth. d. Res.* 2. *num.* 13. *Ceph. cons.* 210. *num.* 77. *Klock. v.* 2. *cons.* 57. *num.* 16. quam sententiam etiam *Augustus Elector Saxoniae* confirmavit *P.* 2. *Const.* 34. et ibi *Carpzov. Dan Moller. et Berl.* licet in puncto juris forte verior sit contraria, *Dn. Mev. P.* 4. *dec.* 30. Etiam si geminata sit promissio vel renunciatio, non tamen excludi hoc beneficium tradit *Ceph. cons.* 142. *num.* 54. licet sibi contradicat *cons.* 261. *num.* 10. *et cons.* 496. *num.* 30. Sed priorem sententiam etiam firmat *Hippol. Rimin. vol.* 1. *cons.* 45. *num.* 17. Item in venditione spei, v. g. jactus retis habet locum, quando quis ultra duplum ejus, quod alius dedisset, laesus reperiatur, *Tiraq. ad LL. Conn. gl.* 2. *num.* 38. Et in
10 divisione per sortem facta hanc admittunt, si sortes inaequaliter per errorem factae sint et error postea detectus, *Jo. Fr. Balth. d. Res.*
11 2. *num.* 11. Et licet venditio judicis decreto facta, tamen ex laesione agitur, quia licet ea, quae in judicio fiunt, praesumptionem fraudis excludant, ubi tamen manifesta est laesio, veritati cedit praesumptio, *Gom. tom.* 2. *cap.* 2. *num.* 13. *Molina d. J. et J. tr.* 2. *D.* 349. *num.* 13. *Trentac. titul. de Empt. Res.* 3. *num.* 5. *Dn. Carpzov. d. Const.* 34. *Def.* 13. *Pinell. d. tr. P.* 2. *c.* 2. *num.* 18. *Fachin. lib.* 2. *cap.* 20. *in secunda quaest. Menoch. concl.* 1263. *num.* 17.
12 Sed aliud, si per sententiam, pretium justum esse, fuisset pronunciatum, *Pinell. d. P.* 2. *c.* 2. *num.* 21. *et seq.* Item, si per subhastationem legitime factam res vendita: nam subhastatio facit justum pretium, *Menoch. cons.* 1121. *num.* 1. *et seq.* Sed ipse contrarium videtur probare *cons.* 1263. *num.* 15. Sed distinguendum videtur inter licitationem dolosam s. malitiosam, et bona fide factam. Conf. *Carpzov. d. Resp.* 54. *num.* 19. In Camera Elect. Brand. si licitator infra dimidium licitetur, hoc non significatur per edictum, et hac ratione haec lis de subhastatione cum enormissima laesione conjuncta cessat, conf. notata *ad l.* 16. *h. t.* Non etiam videtur haec lex locum habere, si donandi animo quis minoris vendat, *Cephal. cons.* 34. *num.* 12. *et cons.* 137. *num.* 53. *et cons.* 405. *num.* 9. Idem in remissione, nisi fiat ob causam, *Dn. Mev. pag.* 2. *dec.* 148. Si etiam quis ob exactionis difficultatem minus quid accipiat, si difficultas probetur, non habet locum haec lex, *Dn. Mev. p.* 3. *dec.* 336. In rebus corporalibus etiam hanc legem locum habere, recte tradit *Cothmannus vol.* 3. *cons.* 50. *num.* 87. *et* 89. et in computationibus rationum, *Cothmann. d. cons. num.* 88. et in feudis locum habet, *Cothmann. cons.* 75. *num.* 13. Alterna- 13
tive autem ex *hac l.* agendum est, quia electio Rei est, an a contractu velit recedere, an vero justum pretium supplere, *Carpz. d. Const. def.* 7. *Anton. Burgos in c.* 3. *X. de Empt. in fin. Cephal. d. cons.* 1261. *num.* 1. 3. *et cons.* 676. *num.* 8. adeo ut, si simpliciter petiisset Actor rescissionem, totus processus fuisset nullus, *d. c.* 3. et ibi *Panorm.* et licet *Pinell. c.* 3. *P.* 3. *num.* 9. simplicem libellum admittat, ejus tamen sententia est reprobata communiter, et ipse concedit, tutius esse alternative concludere, *Pinell. d. l. num.* 12. unde contra *Panorm. in d. c. cum dilecti* 3. communius concluditur, re perempta locum huic querelae 14
ex *hac lege* non esse, *Covar. lib.* 2. *Resol. cap.* 4. *in fine Pinell. P.* 2. *c.* 1. *num.* 36. *Molina D.* 349. *num.* 6. *Caevall. qu.* 443. *Guttier. lib.* 2. *Pr. QQ. c.* 137. *Gomez. d. c.* 2. *num.* 22. unde, si ad tertium possessorem res vendita venerit, non est locus huic actioni, sed quanti minoris, si defectum res habuit, *Dn. Mev. part.* 3. *dec.* 192. nec secundus emptor tenetur, *Dn. Mev. p.* 5. *dec.* 22. Reus autem deducet expensas, quatenus cum fructibus non sunt compensatae, per *l.* 40. §. *fin. ff. de Minor. Baldus hic num.* 23. *Pinell. P.* 2. *c.* 3. *num.* 1. *et seqq. Garcias de Expensis cap.* 1. fructus etiam restituere debet emptor agenti venditori, quos scilicet post litem motam percepit, non quos ante bona fide percepit, *Pruckman. vol.* 1. *cons.* 4. *num.* 181. ubi idem esse dicit in feudis *Fab. de Monte qu.* 6. *num.* 24. *Gomez. d. c.* 2. *num.* 4. *Guttier. lib.* 2. *Pract. QQ. c.* 134. *Pinell. p.* 2. *c.* 4. *num.* 1. *Fachin. lib.* 2. *c.* 14. *Caevall. qu.* 763. *Molin. d. D.* 349. *num.* 11. *Carpz. dec.* 89. Sed si emptor agat ad rescissionem, cum fructibus omnibus rem debet restituere, quia emptor hoc casu non coactus a contractu recedit, sed volontarie rescindit contractum, *Caeval. d. l. Pinell. d. c.* 4. *num.* 28. *Guttier. d. l. num.* 2. *Vinc. de Franch. dec.* 495. Et huic actioni triginta demum annis prae- 15
scribi volunt, sed si mala fides adsit, et alter sciat laesionem ultra dimidium, ne quidem triginta annis praescribitur huic actioni, cum Ju-

re Canonico in triennali etiam praescriptione bona fides requiratur, *Covar, in c. possessor p.* 2. §. 11. *num.* 4. *Balbus de Praescript. P.* 2. *part.* 3. *q.* 13. *Canisius ad c.* 5. *X. de praescr. num.* 25. *Menoch. cons.* 635. *num.* 6. *Klock. vol.* 2. *cons.* 48. *num.* 75. *et seqq.* Haeredi etiam competit hoc beneficium, a defuncto nihil factum, per quod a beneficio hoc excludatur, *Dn. Mev. part.* 2. *dec.* 147. conferatur *Cagnolus in hac lege et Guttier. l.* 2. *q.* 136. *Pinellus in eruditissimo et peculiari tractatu ad h. l.*

L. De Contractu. 3.

SUMMARIUM

Contractus venditionis regulariter rescindi non debet.

Proponitur hic Regula; Quod contractus venditionis regulariter rescindi non debeat, nec ab ea quis possit recedere, quia est contractus nominatus, in quo non datur poenitentia, quae Regula Ampliatur: I. Licet alter pro se habeat Rescriptum Principis, quia hoc rescriptum procul dubio subreptitium: Et Princeps jus suum alteri adimere neque potest, neque vult, *l.* 1. *C. de Emanc.* II. Neque quidem si fiscus a contractu velit recedere, quia Fiscus non reperitur hic privilegiatus.

L. Ad rescindendam. 4.

SUMMARIA

Qu. An dolus ex eo probetur, si quis majori pretio rem vendiderit, quam emerit? num. 1.
Modus agendi in condictione ex l. 2. h. t. 2.

1 De dolo passim hic agitur, sed Quaeritur hic: *An dolus ex eo probetur, si quis majori pretio rem vendiderit, quam emerit?* Quod hic Negatur; quia non sequitur, pluris vendidi, quam emi; Ergo venditio est injusta vel mala fide contraxi. Nam potest, 1. fieri, ut res tempore contractus primi quo emi, tantum non valuerit. 2. Potest fieri, ut res cultura fiat melior et pretiosior. 3. Pretium naturale non consistit in puncto indivisibili, sicut consistit pretium legale et a judice taxatum, sed habet suam latitudinem, ratio est: quia dependet ex variis circumstantiis, ex affectione ad rem ex voluptate propria, ex comparatione diversorum usuum, ex temporum variatione, inopia rerum et abundantia, ac similibus. Igitur dabitur certa latitudo pretii naturalis, intra quam non violatur justitia per illius excessum, *Molin. de J. et J. D.* 317. *num.* 3. *Facundez de J. et J. lib.*
2 5. *c.* 29. *num.* 2. Ex hoc textu Notat *Castr.* modum agendi in conditione ex *lege* 2. *h. t.* Debet enim Actor allegare, rem ultra dimidium potuisse aestimari, et vendi tempore contractus, non hoc tempore, *Masc. de Probat. concl.* 369. *num.* 4.

L. Si dolo. 5.

SUMMARIA

Si dolus causam dederit contractui emptionis venditionis, venditio nulla est. num. 1.
Decipiens contractum dissolvere non potest. 2.
Si dolus a tertio quodam committitur, contractus quidem subsistit, sed datur contra decipientem actio de dolo ad interesse. 3.
Minor deceptus non solum per dolum, sed etiam per laesionem, quae partem dimidiam non excedit, in integrum restituitur. 4.

Dolo tuo, quando inductus sum ad contrahen- 1
dum, si alias non contraxissem, venditio nulla est, quia bonae fidei contractus est, per *l.* 5. *h. t.* et hic dolus dans causam contractui, Ergo *l.* 7. *ff. de dolo.* quamvis autem voce *rescindi* utatur, paulo pinguius tamen loquitur; et similis modus loquendi est in *l.* 1. *C. Qui manumitt. non poss.* et alibi, quamvis etiam dici possit, rescindi hic venditionem, quatenus traditio facta retractatur, et res tradita retrotrahitur, *Bacch. in Treutl. Vol.* 1. *D.* 28. *th.* 2. *lit. F.* Collige ergo ex *hac lege*: I. Quandocum- 2
que dolus unius contrahentis causam dedit contractui venditionis, vel alteri bonae fidei, id est, si alter alterum induxit, ut venderet, alias sine deceptione non venditurus, vel induxit ad emendum, tunc contractus in foro exteriori et conscientiae est ipso jure nullus, si deceptus suo jure uti velit, nam si deceptus stare velit contractui, decipiens dissolvere contractum non debet, *DD. ad l. et eleganter* 7. *ff. de Dolo,* et *ad hanc l.* 5. *Covarr. ad C. possessor. p.* 2. §. 6. *num.* 6. *Molin. Tr.* 2. *de J. et J. D.* 352. *num.* 2. *et seqq. Sigism. Scacc. in Tr. de Commerc.* §. 1. *Qu.* 7. *P.* 2. *Ampl.* 10. *num.* 10. *Card. Tusch. concl.* 583. *lit. D.* II. Dicta locum habe- 3
re in deceptione ab adversario commissa, nam, si tertius dolum adhibuisset, contractus esset validus, licet contra tertium detur actio de dolo ad interesse per *l.* 2. *ff. de Proxeneticis, Glossa* in voce, *adversarii, Molina d. l. num.* 7. *Scacc. num.* 13. *Tusch. num.* 10. *d. concl.* III.
Minori decepto non tantum per dolum, sed e- 4
tiam per laesionem non excedentem dimidiam partem dari restitutionem, sed majorenni non succurri, de quo alibi.

L. Non est. 6.

SUMMARIUM

Venditio non est rescindenda, licet duplum pretii offerat venditor.

Venditio non est rescindenda, etiamsi duplum offerat pretium venditor, quia haec non est causa rescindendae venditionis, si vel decuplum offerat; res est clara.

L. Ratas. 7.

SUMMARIUM

Non debet rescriptum de venditione rescindenda dari quamvis etiam miles esset.

Non debet rescriptum de venditione rescindenda dari, quamvis etiam miles esset, alias, si emeret, eadem lege teneretur, i. e. venditor etiam posset contractum revocare, cum venditor et emptor judicentur ad paria. Et quo quisque jure contra alium utitur, eodem jure alii contra ipsum uti possunt, per *tit. ff. Quod quisque juris.* Sed non videtur hoc argumentum valere, quia non valeret Rescriptum, ut quod alterius jus absorberet, *l. quoties C. de Prec. Imper. Offerendis.* Ergo conatus est frustraneus. Ergo Edictum *quod quisque juris* non habet locum; sed Respondendum est, Imperatorem ex concessis et positis argumentari, posito quod valeat hoc Rescriptum.

L. Si voluntate. 8.

SUMMARIA

Qu. An pater possit rescindere venditionem si eo consentiente filius vendiderit fundum exiguo pretio? num. 1.
In hoc contractu licet invicem circumvenire. 2.
Et hoc fit tripliciter. 3.
De contractu non ex tractatu, sed conclusione judicandum est. 4.
In laesione tempus contractus est attendendum. 5.

1 Filius tuus te consentiente vendidit fundum exiguo pretio, Quaeritur: *An ob hoc rescindere valeas venditionem?* Resp. Imp. nisi probetur emptoris dolus liquido, ex insidiis et machinationibus ejusdem, vel nisi metus mortis, vel cruciatus corporis immineat, non habere locum rescissionem. Si enim dolo inductus vendidit, alias non venditurus, venditio esset nulla, si per metum compulsus vendidit, daretur restitutio, et sic rata non maneret venditio. Nec ex hoc, quod minori quam justo pretio res vendita, sequitur rescindi posse venditionem, cum in contractu venditionis id liceat, et rationem addit Imperator ex more vendentium, quod venditor habeat votum ab initio majori pretio rem distrahendi, emptor vero habet votum viliori pretio emendi, et cum in tractatu venditor de suo pretio aliquid remittit, emptor vero addit, donec in pretio conveniant; addit in fine limitationem, nisi laesio dimidiam partem justi pretii, quod fuerat tempore contractus, excedat, quo casu esset optio emptoris, an supplere justum pretium velit, an a toto
2 contractu abire. Colligo ergo: I. Licere se invicem in hoc contractu circumvenire, *l. in cau-*
3 *sa* 16. §. 1. *ff. de Minor.* Hoc autem fit tripliciter: 1. Si alter sciens alterum in pretio laeserit, et hoc casu non potest quidem contractus impugnari, sed tamen tenetur dolosus ille in foro conscientiae contractum ad aequitatem reducere, alias peccat lethaliter, per tradita *Covarr. lib. 2. Resol. var. cap.* 4. *num.* 11. *Molin. T.* 2. *de J. et J. D.* 350. *num.* 5. *Soto de J. et J. qu.* 3. *art.* 1. *Steph. Facundez de J. et J. lib.* 5. *c.* 40. *num* 6. Sed hoc casu jure civili nulla actio contra eum, qui paulo carius vendidit, vel paulo vilius emit, idque ob utilitatem publicam, ne alias omnes contractus rescinderentur et judicia peculiaria tantum pro venditionis contractibus instituenda forent. Ideoque si volui vendere rem 10. thaleris, tu vero dicas pretium id esse insolitum et injustum, ego vero regeram, me vilius non vendere, ut tu ita emas, in foro exteriori non datur remedium, licet in foro conscientiae contra justitiam agam. 2. Si alter non tantum sciens carius vendat, sed etiam dolum adhibeat: nam aliud est scienter laedere, et aliud per dolum laedere. Ab illo ad hoc non semper licet argumentari. Dolus autem adhibetur, v. g. Si falsis persuasionibus et mendaciis utar, ut majori pretio emat, vel, si aliquid fiat, ut res pretiosior appareat, vel vitium rei tegatur, vel si non detegitur, quod venditor ex officio detegere debebat, ut hoc bene explicat *Molina Tr.* 2. *de J. et J. D.* 352. *num.* 1. quando igitur non tantum quis sciens laedit, sed etiam dolum adhibet, non ut inducat adversarium, ut vendat, vel emat, alias id non facturus, de quo antea dictum, quod reddat hunc aliosque contractus nullos; sed ut carius emat, vel vilius vendat, tunc hic dolus vocatur incidens et propter hunc dolum non agitur ad rescindendum contractum, sed ad interesse, ut v. g. emptor justo pretio suppleat quod deest, aut venditor restituat, quod plus justo accepit, *l. Julianus* 13. §. 4. *ff. de Act. Empt. Pinellus ad l.* 2. *C. h. t. p.* 2. *cap.* 2. *num.* 12. *Molina Tr.* 2. *de J. et J. Disp.* 352. *num.* 10. et minima hic sufficit laesio, quia non est actio doli, sed ex contractu *Pinell. d. l. num.* 13. *et* 15. Et requirit *Mozzius in Tit. Quibus modis annulletur Emptio num.* 7. ut et *Sigism. Scaccia de Comm.* §. 1. *qu.* 10. *p.* 2. *Ampl.* 10. *num.* 11. talem dolum per quem etiam prudentissimus falli possit. Sed id non concedo, cum argumentum ab actione, *quod metus causa* vel actione *doli* merito videatur claudicare. Hic enim actio datur non ex delicto, sed contractu, neque ad rescindendum contractum, sed emendandum et bonam fidem agnoscendam. unde patet, propositum laedendi non protinus esse dolum, *Molin. d. l. n.* 1. 3. Fieri potest, ut laedatur alteruter, sed sine proposito laedendi, et magis sine omni dolo, et tunc neque peccat lethaliter alium laedens, si ex probabili ignorantia, aut affectione ad rem id faciat, sed si tamen excessum animadvertat in conscientiae foro, id restituere tenetur, per ea quae tradit *Molina D.* 350. *num.* 6. II. De contractu non 4
ex tractatu, sed conclusione judicandum esse, *Menoch. lib.* 2. *de A. Q. cas.* 470. *num.* 4. et quos in *Collect. hic* allegat *Aug. Barb. num.* 3. III. In laesione tempus contractus esse atten- 5
dendum, quod multis auctoritatibus hic confirmat *Barbos. num.* 5. *et seqq.* Et exornat Ampliationibus et Limitationibus v. g. si contractus sit conditionalis, si executio differatur, vel effectus habeat effectum successivum, et similia.

L. Pretii causa. 9.

SUMMARIA

Ad constitutionem obligationis ex empto pecunia requiritur. num. 1.
Initium, non exitus circa distinctiones contractuum spectari debet. ibid.
Si res datur ab initio, aut conventum sit, ut

res daretur, non est venditio, licet ita nominetur. ibid.
Interdum invito res una pro alia datur. 2.
Qu. Si ab initio res et pretium simul pro re promittatur, an venditio contracta videatur? 3

1 Ad constituendam obligationem ex empto pecunia requiritur, sed volenti venditori in alia re satisfieri potest, contractu per hoc non mutato, quia initium, non exitum circa distinctiones contractuum spectamus, *arg. l.* 13. *ff. de his qui not. inf. DD. ad* §. 2. *Instit. de Empt. Pinell. ad l.* 2. *C. h. t. p.* 2. *Rubr. num.* 16. Sed si res ab initio loco pecuniae data, vel de eo conventum ut res daretur, non est venditio, licet ita nominetur, *l.* 6. *ff. Praescr. Verb.* Unde Colliges; Conventionem de pretio esse de substantia venditionis, sed ex post facto, si conveniat, ut loco pretii res detur alia, non mutatur natura emptionis, *Mantica d. l.* 4. *tit.* 19.
2 *num.* 7. et quos hic allegat *Barbosa.* Interdum invito res una pro alia datur, quando id in contractu conventum, v. g. si in pactis dotalibus placuit, ut vel ipsa res in dotem data vel valor ejus restituatur, *Ceph. cons.* 735. *num.* 12.
3 *et* 13. Sed Quaeri posset, si ab initio res et pretium simul pro re promittatur, et videndum 1. quid principaliter egerint, *l.* 6. §. 1. *ff. de Act. Empti*; deinde, an pretium vel res praevaleat, si autem aequipolleant, vel se non multum excedant, pro permutatione contractus habendus est. Quia hic contractus est antiquior, ut vult *Schneidew. ad* §. 2. *Inst. de Empt. num.* 6. et sunt attendenda verba contrahentium juxta *l. semper in stipulationibus de R. J. Gomez. lib.* 2. *Resol. c.* 4. *num.* 9. *Pinell. in Rubr. de Resc. Vend. p.* 2. *c.* 2. *Molin. D.* 336. *num.* 6.

L. Dolus. 10.

SUMMARIA

Qu. 1. *An dolus probetur ex quantitate pretii? num.* 1.
Qu. 2. *An detur actio contra tertium possessorem, in quem emptor, qui dolo usus est, possessionem transtulit?* 2.

1 Duo hic Quaeruntur: 1. *An dolus probetur ex quantitate pretii?* Et recte hoc Negatur, quia in omni laesione alias esset dolus: Et sane tantum abest, ut ex laesione probetur dolus, ut etiam ex proposito laedendi dolus colligi et praesumi non omnino possit, per notata ad *l.* 8. *h. t.* Sed dolus ex qualitate facti et calliditate circumvenientis probatur: ex quibus autem signis probetur, vid. *Mascard. de Prob. concl.* 532. *per totam*, licet ex enormissima laesione dolum praesumi velint allegati a *Mascardo d. concl. num.* 28. 2. Quaeritur: Si probari possit inter-
2 venisse dolum, *An detur actio contra tertium possessorem, in quem emptor, qui dolo usus est, possessionem transtulit?* Et Negatur hoc, quia ex contractu vel delicto contra tertium agi nequit, sed ex dolo, qui dedit causam contractui, agitur ad annullandum contra ipsum contrahentem, et contra eumdem agitur ex dolo incidente.

L. Venditor. 11.

SUMMARIA

Tres sunt legis partes. num. 1.
Qu. An Venditor ex dolo emptoris habeat actionem venditi contra emptorem, si scivit dolum tempore contractus? 2.
Dolus non infertur scienti et consentienti. ibid.
Non valet scriptum, quando aliud agitur, aliud simulate concipitur. 3.
Compensatione facta ob falsam et erroneam causam, agi potest actione illa, qua ante compensationem actum fuisset. 4.

Tres sunt legis partes; in I. haec species: Emptor dolum commisit, sed non ignaro venditore, sed eo consentiente, Quaeritur: *An venditor ex dolo emptoris habeat actionem venditi* 2 *contra emptorem?* Quod hic negatur, ob manifestam hanc rationem, quod dolus non inferatur scienti et consentienti, *l. nemo* 145. *de R. J. l.* 31. *sup. de transact. Cels. Bargalius de Dolo lib.* 6. *Reg.* 34. *num.* 13. In II. in Vers. *igitur cum patrem etc.* proponitur casus conversus, et quidem in hypothesi. Pone venditorem vendidisse rem 100. florenis; sed consentiente Emptore majus pretium inscribitur instrumento, scil. 150. flor. propterea non rescinditur contractus, sed habet hoc casu regula locum, quod non valeat scriptum, quando aliud agitur, aliud 3 simulate concipitur. In III. Parte seu §. 1. proponitur haec species: Titius debebat mihi 100. ex causa venditionis, ipse dixit me sibi debere 100. ex alia causa, falsa tamen et erronea, per 4 errorem compensavi, sed comperto errore et dolo adversarii possum agere ex vendito, quia illa compensatio est erronea, et per dolum expressa, per *l. si cum te* 51. *ff. de Pact.*

(Margin: 1 beside first line of L. Venditor text.)

L. Non idcirco. 12.

SUMMARIA

An coactus necessitate vendere, v. g. propter aes alienum, rescindere queat venditionem, etsi laesio dimidiam partem non attingat? n. 1.
Falsitas sententiae Ancharani adducitur. 2.

Antiochus erat Fisco ob administrationem pu- 1 blici muneris obligatus, vel aere alieno alias obstrictus, et ideo fundum vendere coactus fuit viliori quidem pretio, sed non infra dimidiam justi pretii, hoc enim ex aliis textibus subaudiendum esse, recte *notat Glossa.* Bonus hic Antiochus putat se posse retractare venditionem, quasi metu vel necessitate factam, quam absurda haec sit opinio, ipse Imperator non obscure innuit. Colligitur igitur falsitas sententiae *An-* 2 *charani in c. peccatum num.* 21. *de R. J. in* 6. statuentis, laesionem etiam infra dimidium officio judicis rescindendam esse, si ex necessitate, ne familia fame periret, vel ob urgens aes alienum vendiderit, quod quidem in foro conscientiae locum haberet, sed vix in foro exteriori, nam *lex haec* repugnat, et latior esset exceptio, quam ipsa Regula in *l.* 2. *h. t.* quia ple-

rumque homines praedia vendunt ob necessitatem, nam regula in *d. l.* 2. est, venditionem, ubi ultra dimidium laesus quis non est, non esse rescindendam ob modicam laesionem, si autem ob necessitatem facta venditio excipienda foret, tunc plures venditiones praediorum exciperentur, *Pinell. ad l.* 2. *C. h. t. p.* 2. *cap.* 2. *num.* 35. *et seq.* sed notandum, hic expresse sermonem esse de laesione infra dimidium.

L. Si major. 13.

SUMMARIA

Ob denunciationem ejus, qui non habet jus protestandi, emptio non debet fieri irrita. num. 1.
Protestatio non habentis jus protestandi non obest contractui. 2.
Protestatio declaratoria voluntatis nullum habet effectum in iis, quae a voluntate protestantis non dependent. 3.

1 Ob denunciationem ejus, qui non habet jus protestandi, emptio non debet fieri irrita, *l.* 47. *pr. ff. de Minor.* secus si ejus interesset, *l. si fundum* 17. *sup. de R. V.* Colligitur igitur ex
2 *hac lege* Regula: Quod Protestatio non habentis jus protestandi, non obsit contractui, nam hic Nicae Socer protestatus erat, qui tamen non poterat impedire hanc venditionem, et de hac Regula Vid. *Guido Papae sing.* 102. quam Regulam etiam aliis verbis exprimunt, quod pro-
3 testatio declaratoria voluntatis nullum habeat effectum in iis, quae a voluntate protestantis non dependent, *Jo. Petr. Surdus D.* 39. *num.* 28. *Besoldus cons.* 13. *num.* 97. *Klock. cons.* 62. *num.* 16. *volum.* 2.

L. Ea conditione. 14.

SUMMARIA

Quando pactum contractui adjectum v. g. ut tributa solverentur, et alter est in mora, non potest agi ad rescissionem contractus. num. 1.
Discrimen inter contractus nominatos et innominatos. 2.
Non potest venditor agere a sua parte ad interesse, nisi a sua parte prius impleverit contractum. 3.
Frustra agit ad impletionem contractus, qui non per omnia eidem prius satis fecit. 4.

1 Quando pactum contractui adjectum, v. g. ut tributa solverentur, et alter est in mora, non potest agi ad rescissionem contractus, sed salvo manente contractu, ad id, quod interest, agitur, nisi contrarium convenerit, *l.* 6. *c. de Pact. inter empt.*, nam ob pactum non impletum non petitur rescissio contractus, sed agendum est ad implendum contractum. Nam ob pactum illud, ut Reipublicae solveretur pretium, non desinit esse venditio, *Pinell. ad l.* 2. *C. h. t. p.* 2.
2 *Rubr. num.* 18. Colligitur ergo I. Hic discrimen inter contractus nominatos et innominatos, ut in his ille, qui implevit, possit ad distractum agere, si alter non impleverit, per conditionem causa data, quae ad innominatos contractus pertinet, sed non in contractibus nominatis, *Gomez T.* 2. *Resolut. cap.* 8. prope finem. II.
Non posse venditorem agere a sua parte ad interesse, nisi a sua parte prius impleverit contractum, id quod expresse hic habetur in verbis, *a se celebrata solutione*, frustra enim ad- 4
impletionem contractus ab Adversario exigit, qui non per omnia eidem prius satisfecit, *l. aediles* 25. *in fine ff. de Aedil. Edict. Rol. a Valle cons.* 69. *num.* 1. *et seqq. lib.* 4. *et cons.* 53. *num.* 27. *lib.* 1. *Carpz. lib.* 2. *Resp.* 88.

L. Quisquis. 15.

SUMMARIA

Venditio praedii, cujus vires et qualitates ignoravi, an retractari queat? num. 1.
Non est justa ignorantia, si quis dicat, se nescire vires et qualitates bonorum suorum. 2.
Non est justa causa restitutionis in integrum, si quis praetendat ignorantiam culposam. 3.
Minor etiam ex minore laesione restituitur. 4.
Dominus scire quantitatem et valorem sui patrimonii praesumitur. 5.
Limitatio. 6.
Non debet in disceptationem venire, quod discussum nihil relevat. 7.

Praedia alibi sita mihi vendidisti, eam vendi- 1
tionem, quia forte viliori pretio facta, licet non ultra dimidium, vis retractare ex eo capite, quia praediorum eorum vires et qualitates ignorasti. Ex eo capite vis forte petere restitutionem in integrum ex edicto Praetoris, ex clausula, Si qua mihi justa videbitur. Resp. Imperator, si minor fuisses, ex capite minorennis aetatis posset tibi succurri, sed quia major es, non potest tibi succurri, quia ignorantia haec culposa, quia debuisti, antequam venderes, scire rei familiaris merita et emolumenta, nisi scilicet ego emptor sim in dolo v. g. si persuasissem tibi, fundum esse arenosum et a fructibus praecipuis sterilem: nam licet sis in culpa, dolus tamen meus culpae praeponderat, *l.* 9. §. *fin. ff. ad L. Aquil.* Collige: I. Non esse justam ignorantiam, 2
si quis dicat se nescire vires et qualitates bonorum suorum. II. Non esse justam causam resti- 3
tutionis in integrum, si quis praetendat ignorantiam culposam, quod notabilem continet limitationem ejus beneficii, quod majoribus indulgetur. III. Minorem etiam ex minore laesio- 4
ne restitui, de quo supra in *tit. si adversus vendit.* Colligunt IV. Ex *hac l.* praesumi dominum 5
scire quantitatem et valorem sui patrimonii, Excipiunt tamen 1. Patrimonium noviter acquisi- 6
tum per *l.* 4. *sup. de Haered. Vend.* 2. Si quis mortis cogitatione perculsus morti sit proximus, *l.* 8. *C. Qui Testamenta facere* §. *at cum humana;* 3. Excipiunt enormissimam laesionem, nam tunc haec praesumptio ab alia fortiori praesumptione, quod nemo praesumatur jactare suum, *l. cum de indebito ff. de Probat.* vincitur, *Glossa hic et DD. Menoch. lib* 6. *Praes.* 23. *num.* 33. *et seqq.* Et sic communiter DD. sentire tra-

dit *Cothman. vol. 3. cons. 50. num. 171.* quod haec L. de laesione infra dimidium loquatur, et quod in casu enormissimae laesionis ignorantia sit quidem culpabilis, sed non damnabilis, ut loquitur *Cothman. d. l.* Sed ut mentem meam explicem, non videtur etiam superior praesumptio ex textu sequi, nam hoc tantum dicitur, quod ignorantia haec sit culposa, non quod non sit praesumenda, nisi ex eo quis velit probare, quod culpa non praesumatur, sed hic ipse venditor allegat suam culpam. et in termino improbabilis latet aequivocatio, sumitur enim vel ita, quod non sit approbata a legibus, vel quod
7 non sit praesumenda. Colligunt etiam: non esse sinendum in disceptationem venire, quod disensum nihil relevat, *Dn. Mevius p. 4. decis. 16. num. 6.*

L. Si quos. 16

SUMMARIA

Dispositio l. num. 1.
In aestimandis bonis rei qualitas et redituum quantitas aestimanda est. 2.
Quando res sub hasta vendenda, taxatio seu aestimatio praecedere debet. 3.
Etiamsi res sub hasta vendita sit, nihilominus remedium l. 2. C. de Rescind. vend. *locum habet. 4.*
Quando bona sub hasta vendi debeant. 5.

1 Quando quis diu tributa non solvit, et propterea fundus subhastandus est publice, antea est aestimandus pro qualitate rei et quantitate redituum, debet autem plus licitanti vendi bona fide, et justo pretio, ne exactor tributi plus lucretur ex gratia, dum amico gratificatur vilius vendendo, quam dominus ex pretio. Colli-
2 gitur I. In aestimandis bonis rei qualitatem, et redituum quantitatem aestimandam esse, praesertim praedia rustica ex reditibus aestimanda, sed praedia urbana non tantum ex fructibus, sed etiam ex qualitate aedium aestimanda et
3 splendore. II Quando res sub hasta vendenda, taxationem seu aestimationem praecedere debere, quod liquido ex *hac lege* probant *Castr. hic* et reliqui, quam practicam commendat et fraudibus obviam ire tradit *Damhuderius in tract. de subhastationibus cap. 3. num. 12.* quamvis autem *Dn. Carpzov. de Processu titul. 25. art. 1. num. 25.* melius jure Saxonico fieri putet, quod aestimatio praemittatur subhastationi, id
4 non assequor. III. Etiamsi res sub hasta vendita sit, nihilominus Remedium *legis 2. C. de Rescind. Vend.* locum habere, quia, licet non potuerit reperiri melior emptor, non tamen sequitur, quod non plus valuerit, et malitiosa est licitatio infra dimidium justi vel taxati pretii, ut recte *hic Castr. num. 2. Gomez t. 2. res. cap. 1. num. 23.* et quos allegat *August. Barbos. ad l. 2. h. t. Ampl. 2. et Dn. Carpzov. P. 2. Jurispr. Constitut. 31. Def. 13. Berlich. P. 1. Decision. 126.* et quos habet *Joan. Francisc. Balthasar. Titul. 7. Resol. Bavar. Besolut. 4.*
5 *num. 1.* Colligit etiam *Gloss.* IV. Sub hasta bona vendi non debere, nisi quis diu cessaverit et debitorum mole pressus sit.

L. Hi qui. 17.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
Qui res suas in fraudem Fisci distrahit, vel in fraudem Reipubl. ut declinet onera debita, amittit rem et pretium. 2.
Venditiones clandestinae et furtim factae suspicione fraudis laborant. 3.
Limitatio dispositionis h. l. 4.

Quidam cum mulctam deberet Fisco vel mu- 1
nera personalia subire deberet, furtim res suas distraxit, et aufugit, fugae conscio emptore. Resp. venditionem esse irritandam et emptori carendum pretio, quia scilicet in fraudem sibi facta venditio, nec fraudis ignarus emptor: huc
facit *l. 18. C. de Decur.* Collige ergo: Qui res 2
suas in fraudem Fisci distrahit vel in fraudem Reipubl. ut declinet onera debita, amittere rem et pretium, et tales venditiones non valere, imo idem esse, si quis rem oneribus subjectam publicis, in fraudem Fisci, in Ecclesiam vel alias personas privilegiatas transferat, *Vasqu. de Success. credit. lib. 1. §. 10. n. 656. et seq.* Deinde obiter colligitur: Venditiones clandestinas 3
et furtim factas suspicione fraudis laborare, *l. ultim. ff. de Ritu Nupt.* et quos hic allegat *Barb. et Peregr. de jure Fisci lib. 5. titul. 1. num. 162.*
Sed quid de illis sentiendum, qui cum amplius 4
non sint pares oneribus publicis, quae in immensum creverunt, solvendis, clam distrahunt bona sua, alio se collaturi, an hi hac lege notentur, quod non puto, quia id faciunt necessitate compulsi et non animo fraudandi, et per clandestinam venditionem fraudem non admittunt, sed jacturam bonorum effugiunt.

L. Vestium. ult.

SUMMARIA

Palatini seu apparitores diversorum comitum res principis coemere non possunt. num. 1.
Limitatio dispositionis h. l. 2.

Palatini seu Apparitores diversorum comitum, 1
ad quos exactio rerum privatarum Principis pertinet, res si quae ex iis venales sint, coemere non possunt, ad evitandam scilicet suspicionem, et ne ab officio abstrahantur, nam per privatos comites rerum privatarum intelligimus, sic nec possessiones rei privatae Palatinis locari debent, per *l. un. C. Quibus ad conductionem rerum fiscalium accedere non licet*, nec milites agrum emere possunt in ea Provincia, in qua

2 militant, *l.* 13. *ff. de jure Militar.* Notat tamen *hic Godofredus*, eas personas, quae propter suspicionem res emere prohibentur, posse emere, si res sub hasta vendatur. Exemplo Tutoris *l.* 2. §. 8. *ff. Pro Empt. l.* 5. *C. de Empt.* et per *l. ult. C. de Fide et jure hastae Fisc.*

TITULUS XLV.

Quando liceat ab Emptione discedere.

L. Re quidem. I.

SUMMARIA

Si emptio per rei traditionem nondum consummata, mutuo consensu solo ab illa discedi potest. num. 1.
Qu. an contractu rescisso nihilominus gabellae vel accisae solvi solitae, debeant solvi? 2.

1 Quando emptio perfecta est, sed nondum rei traditione vel pretii solutione consummata, mutuo consensu solo ab emptione discedi potest, *l.* 1. *h. t. et* §. *ult. Inst. Quib. modis obl. toll.* Quod in omnibus contractibus consensualibus obtinet, ratio *in l.* 35. *ff. de R. J.* Sed, si res non amplius integra, id est, pretium vel ejus pars soluta, vel res tradita, vel ad consummationem contractus agendum, vel, si malint ambo, actus priori longe contrarius, refringens venditionem, interponatur, *l.* 58. *ff. de Pact.* Atque hinc est, quod contractus ipso jure nulli rescindi dicuntur, quatenus scil. actus contrarii priori contractui sunt instituendi: Hic quaeri solet, *si ob*
2 *venditiones certae gabellae vel accisae, ut nos vocamus, soleant solvi, an contractu rescisso debeant solvi denuo accisae?* Et distinguunt quidam, an in continenti, an ex intervallo discedatur, sed cum non soleamus statim rescindere venditionem, ideoque semper intervallum aliquod ponendum est. Ideoque alii distinguunt, an re integra vel contractu nondum ab utraque parte consummato discedatur, priori casu non, sed posteriori casu omnino solvendam denuo esse gabellam. Nam posteriori casu vix negari potest, esse novam venditionem veteri pretio factam, sed priori casu tantum distractus est. Pone, vendidisse me tibi domum, sed ob paupertatem non potes solvere pretium, recipio igitur domum, si accisa a venditore solvenda esset, uterque gravaretur, si ab emptore, pauper praeter rem etiam accisam amitteret, quod utrumque aequitati non videtur conveniens. Vid. *Mozzius Tit. Quib. casibus annulletur emptio num.* 3. *Molin. D.* 373. *num.* 3. *Fr. Cald. Tr. de Empt. cap.* 28. *num.* 16. *Pinell. P.* 2. *l.* 2. *h. t. cap.* 3. *num.* 36. *Vasq. p.* 2. *contr.* 11. *num.* 15. *et de success. creat.* §. 25. *num.* 5. *Gomez t.* 2. *cap.* 2. *num.* 31. *Fabian. de Monte de empt.* 8. *num.* 6. et quos allegat *Aug. Barb. et Steph. Fagundez de J. et J. lib.* 5. *cap.* 39. *num.* 4. *et seq.*

L. Perfectum. ult.

SUMMARIA

Qu. An nudo consensu recedatur a contractu, etiamsi arrha intervenerit? num. 1.
Potest arrha repeti, si mutuo consensu discedatur ab emptione, actione ex empto, vel condictione sine causa. 2.
Quid prosit quaerere, an per mutuum consensum ipso jure tollatur contractus? 3.

Vendidi tibi rem, et dedisti mihi arrham, 1
ante quam vero traderem, et tu solveres pretium, placuit, ut a contractu discederemus, Quaeritur: *An nudo consensu recedatur a contractu?* Videtur quod non, quia data est arrha; Sed respondetur omnino, quia arrhae datio datur tantum ad firmitatem contractus et neque in totum neque in partem est executio contractus, sed tantum purum signum majoris firmitatis, unde reddita vel amissa, uterque contrahens licite potest recedere a contractu, etiam altero invito, *Steph. Fagundez de J. et J. lib.* 5. *cap.* 39. *num.* 2. Vid. *not. ad l.* 17. *sup. de Fide Instrum.* et conferantur *DD. hic* allegati ab *A. Barb. num.* 4. Sed aliud erit, si ut pars pretii, arrha detur, nam tunc non statim mutuo consensu ipso jure dissolvitur contractus, nec alter invito altero a contractu recederet, *Salyc. hic, num.* 3. *Gomez t.* 2. *resol. cap.* 2. *num.* 18. *Caldas d. cap.* 28. *num.* 18. *Petr. Barb. in l. si cum dotem* 23. §. *fin. num.* 38. *ff. Sol. Matr.* Arrha autem repetitur, si mutuo con- 2
sensu discedatur, actione ex empto, vel condict. sine causa, *Salyc. hic num.* 1. *Caldas d. c.* 28. *num.* 16. Sed cui bono est quaerere, an per 3
mutuum consensum ipso jure tollatur contractus? Resp. id necessarium esse propter quaestionem, cujus periculo res pereat, nam si contractus non esset ipso jure sublatus, adhuc periculum est emptoris, ut infra.

TITULUS XLVI.

Si propter Publicas Pensitationes Venditio fuerit celebrata.

L. Venditionem. 1.

SUMMARIA

Dispositio l. num. 1.
Ob cessationem in solvendis tributis licet fisco distrahere bona. 2.
Fundus ob tributa distractus non potest a debitore relui oblatis tributis reliquis. 3.
Fundus ob tributa venditus non potest auferri ab alio creditore emptori. 4.
Tributa omnibus aliis creditis potiora. 5.

1 Quando fiscus ob cessationem tributorum, bona alicujus sub hasta vendidit, bona tamen fide et justo pretio, Praesidis auctoritate, venditio haec non est rescindenda, licet dominus postea pretium emptori offerat, *l.* 1. *h. t.* (modo fiscus solidum acceperit. Vide *l.* 9. *ff. de Resc. Vend.*) licet etiam creditor hypothecaria jura in re distracta praetendat, *l.* 1. *h. t.* quia potior est causa tributorum aliis creditoribus. Vid. *Carpzov. p.* 1. *cap.* 28. *D.* 102. *et seq.* Collige:
2 I. Ob cessationem in solvendis tributis licere fisco distrahere bona, sed an statim id liceat, quaeritur, an vero biennii cursus requiratur, aut triennii? Et *Baldus* quidem in *hac lege prima* sentit, statim ac effluxit tempus solvendi, posse vendi bona pro tributis praeteritis, si prius spatium solvendi tribuatur arbitrarium, intra quod si ille solvat, purgabit moram, *l.* 5. *C. de erogat. mil. ann. Bald. hic et Gasp. Klock. de contrib. cap.* 18. *num.* 61. *et seqq.* Sed melius attenditur consuetudo. Sane absurdum videtur, ut ob moram unius vel alterius mensis v. g. ob debitum tributum 10. thal. statim domus vendatur, nec praecipitantia haec nostris
3 convenit moribus. II. Fundum ob tributa distractum, non posse a debitore relui oblatis tributis reliquis, quia venditio semel suam ha-
4 buit firmitatem. III. Alium creditorem non posse auferre rem venditam emptori, scilicet, si fundus ob tributa venditus, non si ob alia etiam debita Fiscalia, ubi prior tempore, prior
5 jure. Sed tributa omnibus creditis potiora, et hinc ex *hac l.* etiam probatur, Tributa anterioribus hypothecis praeferri, et tributa habere una cum hypotheca etiam jus praelationis, *hic et l.* 4. *C. in quibus causis Pign. et Koeppen. dec.* 28. *num.* 18. *Carpz. p.* 1. *Jurispr. Const.* 28. *Def.* 47. *et seq.*

L. Si deserta. 2.

SUMMARIA

Solemnitates, quae debent observari, si propter publicas pensitationes vel tributa praedium vendi debet. num. 1.
Subhastatio, licet solemniter facta, non probat justum pretium. 2.

Si propter publicas pensitationes, vel tributa 1
praedium vendatur, oportet adesse et observari certas solemnitates: 1. necesse est cessatum esse a solutione, per notata ad *l.* 1. 2. debet adesse permissio Praesidis: 3. debet fieri ab executoribus tributorum; quia his imminet periculum, nisi exegerint: 4. debet fieri sincera fide sine fraude: 5. justo pretio: 6. solemniter per subhastationem: Quae, si non fuerint observata, rescindenda est venditio, vocato tamen ad eam causae cognitionem emptore, debet tamen securitati tributorum consuli. Colliguntur ex *hac lege*: Requisita venditionis, quae facta est ob tributa non soluta, quae ex *hoc textu* etiam colligit *hic Castr. et Klock. d. tr. de Contrib. cap.* 18. *num.* 5. *Alexand. Trentac. lib.* 1. *tit. de jure fisci Resol.* 6. *num.* 61. *M. Ant. Peregr. de fiscis lib.* 6. *cap.* 4. *Damhud. d. tr. cap.* 3. *et* 4. *Besold. Cons.* 21. *Berlich. P.* 1. *Concl.*
56. Sed subhastatio, licet solemniter facta, non 2
probat justum pretium, quia justum pretium praeter solemnitatem requiritur. Ergo unum sine alio esse potest, *Trentac. d. l. num.* 11. *et seqq.* Et ideo aequum esset, hodie praesertim in tot naufragiis debitorum miserorum extra pelagus factis, ut vilissima licitatio ex officio judicis ad aequam aestimationem reduceretur, vel daretur facultas reluendi etc. de quo *Carpz. in Tr. de Asylo Debitorum cap.* 4. *num.* 248. *Afflict. de Jure Prot. paragraph.* 2. *num.* 18.

L. Si quis fundum. ult.

SUMMARIA

Venditio ob debita Fiscalia facta suam habet firmitatem. num. 1.
Limitatio. 2.
Semper antequam propter publicas pensiones distrahatur fundus, citandus est debitor. 3.
Non tantum immobilia, sed etiam mobilia bona sub hasta vendi possunt. 4.

Venditio ob debita fiscalia facta suam habet 1
firmitatem, nisi minorennis fuit, cujus fuit prae- 2
dium distractum, si enim minorennis non habuit curatorem, per quem fuerit defensus, venditio nulla est, quia minor non habet personam standi in judicio. Ergo idem est, ac si minore non vocato, nec audito, ejus bona distracta essent; jam vero paria sunt, non citari et non legitime. Colligitur ergo. I. Semper, 3
antequam propter publicas pensiones distrahatur fundus, citandum esse debitorem, per

verba, *Convento debitore*, et simul quoque ejus curatorem, si habeat, aut ex officio ei dandum curatorem, et praeterea opus est decreto judicis, *Damhud. de Subhast. cap.* 2. *num.* 10.
4 *et sequent.* II. Colligitur ex verbis, *mancipium aliamque rem*, non tantum immobilia, sed etiam mobilia sub hasta vendi posse: Sed distinguit *hic Salyc.* inter res, in quas cadit affectio, et in quas non cadit, hae vendi possunt sine subhastatione, non illae.

TITULUS XLVII.

Sine Censu vel reliquis Fundum comparari non posse.

L. Ex Conventione. 1.

SUMMARIUM

Duae quaestiones hic propositae resolvuntur.

Noverca, cum patri meo fundum suum in dotem daret, pacta est, ut ipsa Fisco tributa solveret, non pater meus. Quaeritur: *An detur mihi actio contra novercam, ut ipsa juxta promissionem suam a tributis liberaret fundum?* Sed Negatur hoc, quia Fiscus jure suo exegit a patre meo non a muliere, et ideo, quia pactum illud est illicitum, scilicet, ut non possessor, sed venditor tributa solvat, ideoque hoc praetor non tuetur. Sed Quaeritur 2. *Quid si aestimatum fundum in dotem dedisset?* Quia aestimatio haec facit venditionem, *l. plerumque ff. de jure Dotium*, videtur patri, vel mihi actio ex empto competere, nam vocabula haec, *Actio empti et venditi*, saepe ut et *hic*, promiscue usurpantur. Sed negatur hic. Cum quo videtur pugnare *l.* 11. *supra de Pactis.* Varias quaerunt conciliationes, sed receptissima videtur, quam *hic* habet *Castr.* et in *titul. hoc Cujac.* scilicet, quod ibi agatur de alia pactione, qua promittit mulier usuras creditoribus, qui habent in bonis hypothecam, ibi enim tempore durantis matrimonii datur actio ex empto, sed finito matrimonio, ubi dos redit ad dominum, non amplius interest haeredum mariti, quia res apud ipsos mansura non est, licet simplicius dici possit, cum eadem haec lex sit cum *d. l.* 11. ut inscriptio et subscriptio docet, esse exsculpendam partic. *Non* in fine *legis hujus*, ut etiam cum *Hottomanno* hic sentit *Godofredus.*

L. Rei annonariae. 2.

SUMMARIA

Census, tributa et pensitationes novus emptor re tradita agnoscere debet, nec valet pactum in contrarium. num. 1.
Pacta privatorum Fisco non possunt praejudicare. 2.
Si novus possessor solvat tributa praeterita, venditor tenetur id, quod solutum est, novo possessori restituere. 3.
Ex quo quis fundum jure retractus petit, ex eo onera in se suscipere tenetur. 4.

Census, tributa et pensitationes, ut omnis pos- 1
sessor, ita quoque novus emptor re tradita agnoscere debet, nec valet pactum in contrarium, v. g. Si emptor momentariam venditoris necessitatem subdole captans, ipsum eo adigat venditorem, ut promittat se velle tributa solvere etiam praeterita, ut liberetur emptor, hoc pactum non valet, sed emptor de omnibus tenetur, quia rei annonariae emolumentum subvertere videtur, licet pactum in stipulationem
sit deductum, *l.* 1. *h. t.* Collige ergo: Pacta 2
privatorum fisco praejudicare non posse, *l.* 28. *et* 42. *ff. de Pactis*, et non obstante conventione, onera et tributa, tam vetera, quam nova, sequuntur possessorem, *Tiraq. de Retr. Consang.* §. 6. *Gl.* 1. *num.* 7. *Pinell. ad l.* 1. *C. de Bon. Mat. P.* 2. *num.* 72. *Ampl.* 13. *p.* 218. quia illa bona tacite videntur obligata pro tributis, *Castr. hic, Thesaurus Dec.* 164. *num.* 3. *Trentac. lib.* 1. *tit. de jure Fisci Res.* 4. *num.* 1. *Klock. de Contrib. cap.* 11. *num.* 114. ubi monet, hoc esse ad praedia vendita restringendum, nam onera non venditorum praediorum non possunt transire in novum possessorem, seu Magistratus non potest omnium praediorum tributa ab eo exigere, qui unum praedium e-
mit, ut interdum contra jura fieri solet. Si ta- 3
men novus possessor solvat tributa praeterita, venditor tenetur id, quod solutum est, novo possessori restituere, nam ea conventio irrita ratione praejudicii fisci, non ratione ipsorum contrahentium, *Molina de J. et J. D.* 456. *num.*
5. Colligunt etiam, simul ac quis ex jure Re- 4
tractus fundum petit, sicut ad eum ex eo tempore omnia commoda pertinent, ita etiam onera, *Mev. part.* 5. *decision.* 330.

Auth. Sed et periculum.

SUMMARIA

Sensus et dispositio legis. num. 1.
Si quis praedia Ecclesiae vel Personis Ecclesiasticis vendat, tenetur cavere de tributis et oneribus. 2.

Si venditor novum emptorem futurorum tri- 1
butorum oneri non sufficientem fore agnoverit, id Fisci Advocato indicare et promittere debet, quod suo periculo haec venditio futura sit, et licet celaverit, nihilo minus transpositio fisca-

lium tributorum, in novos emptores periculo venditoris fieri solet, hic *et Nov.* 17. *capit.* 8. §. 1. *Tiraq. Trentac. Mol. dd. locis.* Ex
2 hoc colligit *Castrens. num.* 3. Quod si quis praedia Ecclesiae, vel personis Ecclesiasticis vendat, quod tunc teneatur cavere de tributis et oneribus, sed, cum Ecclesia etiam teneatur solvere onera praedio inhaerentia, per *l. de his* 3. *C. de Episcop. et Clericis*, et si bona allibrata transeant in Ecclesiam cum onere, et sic Ecclesiastici etiam teneantur onera injuncta agnoscere, *Surd. Conf.* 262. *Klock. de Contrib. cap.* 12. *num.* 38. *et sequent. et cap.* 19. *num.* 234. *et seq.* non video, cui bono sit necessaria ista promissio.

L. Omnes. ult.

SUMMARIA

Duplex proponitur ampliatio regulae quae in rubr. et l. 2. *habetur. num.* 1.

Etiamsi bona alterius nomine in Catastro descripta reperiantur, praevalere tamen debet veritas et aequitas, ut possidens et percipiens fructus teneatur. 2.

Duplex hic proponitur ampliatio Regulae, quae 1
in *Rubrica et l.* 2. habetur, scil. quod etiam possessores praediorum teneantur ad publica onera solvenda, licet contrarium in conventionem vel stipulationem sit deductum, de quo in *l.* 1. 2. Licet emptoris nomen nondum censualibus tabulis sit inscriptum, sed venditor falso, dum census agitur, se possidere profiteatur, quia res transit cum suo onere, *l.* 18. *C. de Pign. Afflict. Decis.* 95. colligitur etiam 2
ex *hac lege* etiamsi bona alterius nomine in Catastro descripta reperiantur, praevalere tamen debere veritatem, et aequitatem, ut possidens et percipiens fructus teneatur, *Pinell. ad l.* 1. *C. de Bon. Mat. p.* 2. *num.* 72. *Ampl.* 4.

TITULUS XLVIII.

De Periculo et Commodo Rei Venditae.

L. Post perfectam. 1.

SUMMARIA

Quando emptio est perfecta, periculum, commodum et incommodum est emptoris. num. 1.
Tribus modis perfecta dicitur venditio. 2.

1 Quando emptio est perfecta, ratione scilicet substantiae suae, sive actus primi, i. e. quando de pretio convenit, et de re vendita, licet nulla traditio rei aut solutio pretii facta, periculum, commodum et incommodum est emptoris, per *l.* 1. *et* 4. *h. t.* Id est, si res vendita pereat, perit emptori, *hic, et §. cum autem Inst. de Empt.* Cujus rei ratio non est ea, quasi dominium in emptorem transierit, nam hoc ante traditionem falsum est, ut *d. §. cum autem* ostendit, et *l. traditionibus sup. de Pactis*; sed haec, quod venditor perfecto contractu constituatur debitor speciei, scil. rei determinatae, et singularis, ad eamque solam adquisiverit jus emptor pro pretio, et sic venditor interitu speciei liberatur a sua obligatione. Accedit et illa ratio, quod commodum accrescens interim rei pertineat ad emptorem, *d. §. cum autem, et l. id quod* 7. *pr. ff. h. t. Ludov. Molina Tr.* 2. *de J. et J. disp.* 366. *num.* 11. Licet autem aliud de aequitate receptum esse putet *Cujacius*, sententia tamen ejus communiter reprobatur. Vid. *Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 26. *Def.* 20. *Gomez T.* 2. *Res.* 1. *num.* 12. *Pacius cent.* 5. *Qu.* 8. *Card. Mant. de Tac. et Amb. Convent. l.* 4. *tit.* 28. *Trentac. lib.*
2 3. *tit. de Empt. Res.* 7. *Molina d. l.* Collige etiam tribus modis perfectam dici posse venditionem: 1. Ratione conventionis, et sic etiam conditionalis suo modo perfecta dici potest. 2. Ratione translationis periculi, et sic pura et absoluta venditio est perfecta. 3. Ratione translationis dominii, et sic perfecta est, quando per traditionem consummata est, et de ultima significatione intelligendae sunt constitutiones poenales in venditores sancitae, *Gloss. hic, Trentac. d. Resol.* 5. *num.* 2. *Molina d. D.* 366. *num.* 19.

L. Cum convenit. 2.

SUMMARIA

Res pondere numero et mensura constantes dupliciter venduntur. num. 1.
Mensura vel quantitas corpori adjungitur ob triplicem finem. 2.
Res fungibiles ad corpus vendi possunt. 3.
Tunc ad corpus res venduntur, quando in venditione a corpore incipio. 4.
Quando mensuratio ob moram emptoris non est facta, tunc periculum emptoris est. 5.
Ad venditionem per aversionem non est necessaria traditio clavium. 6.

Res pondere, numero et mensura constantes, 1
ut frumentum, vinum etc. dupliciter venduntur, *l.* 1. sub certa quantitate, v. g. 10. modii frumenti, et non perfecta est venditio, antequam fiat mensuratio, nam sub hac conditione vendi videntur, si admensa vel adpensa etc. fuerint, *l.* 35. §. 5. 6. 7. *de contrah. Empt. l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* 2. Per aversionem, v. g. vendo tibi frumentum universum, quod in horreis est. Vid.

Hillig. in Donell. lib. 13. *cap.* 9. *lit. E.* et tunc periculum est emptoris, *hic et l.* 62. §. 2. *contrah. de*
2 *Empt.* Collige: I. Hic quantitatem vel mensuram corpori adjungi ob triplicem finem licet DD. duos tantum communiter agnoscant: 1. Finis est, si demonstrationis gratia, ut sciatur, quis fundus sit venditus, v. g. pratum meum, quod est 10. jugerum, ubi emptor non habet respectum ad quantitatem, nisi quatenus rem demonstrat. 2. Ut modus, si emptor illi quantitati sit innixus, si diversum sciret tanti non empturus, licet non sub conditione mensurationis emptus. 3. Ut res proprie ad mensuram vendatur, non plus nec minus. Et haec venditio est conditionalis, et hos 3. fines recte ita proponit *Molina de J. et J. Tr.* 2. *D.* 367. *n.* 3. Et cum *Fulgono Pinell. de Resc. Vendit. P.* 3. *cap.* 2. *num.* 10. *Vers. vel aliter ad eum textum.* Et de tertio fine loquitur *hic textus*, et hic contractus est conditionalis, sed priores duo non, et ita in prioribus duobus periculum est emptoris, de qua re Vid. *Molina d. l. Pinell. d. c. Covar. P.* 2. *Q.* 3. *Trentac. d. Resol.* 5. *et Disputatio publica* me praeside *An.* 1653. proposita, ubi haec materia pluribus tradita. Collige
3 etiam II. *ex hoc textu:* Res quantitate constantes, seu res fungibiles ad corpus vendi posse, quando sc. res fungibiles venduntur, sine conditione mensurationis expressa vel tacita, acervatim, pretio insimul dicto, non in singulas res constituto, per *l. quod saepe* §. 5. *ff. de Contrah. Empt.* et ibi *Cujac.* *l.* 62. *in fine d.* 1. *l.* 4. §. 1. *ff. h. t. l.* 51. §. *ult. ff. Locati l. ult. ff. ad L.*
4 *Rhod.* Tunc autem ad corpus res venduntur, quando in venditione a corpore incipio, quam regulam hic proponit *Castr. Covar. d. Q.* 3. *num.* 3. *Carpz. lib.* 5. *Resp.* 25. *num.* 3. *Besold. p.* 6. *cons.* 267. *num.* 10. nisi sc. diversa contrahentium intentio aliunde appareat, *argum. l. cum Pater* 77. §. 12. *ff. de Leg.* 2. *l. nec enim* 6. *ff.*
5 *de Solut. Carpz. d. R.* 25. *n.* 4. Collige: III. Quando mensuratio ob moram emptoris non est facta, tunc periculum emptoris esse, quia per eum stat, quo minus res sit mensurata. Ergo in odium moratoris res mensurata fingitur, quia per eum stat, per notiss. Regulam Juris, *hic et l.* 4. *et ult. h. t. l.* 17. *ff. eodem*, et hic mora ultima nocet, *d. l.* 17. *et l.* 51. *ff. de Act. Empt. Afflict. Dec.* 399. *num.* 11. *Molina d. D.*
6 366. *num.* 9. Nota hic, quod dicitur de clavibus traditis, id secundum Glossam intelligi ex abundanti, nam ad venditionem per aversionem non est necessaria traditio, sed hujus fit mentio, quia in hac facti specie ea facta erat, *Cujac. ad h. t. tom.* 3.

L. Dolum. 3.

SUMMARIA

Qu. An detur actio Paulina adversus emptorem cui in fraudem creditorum a debitore res est vendita? num. 1.

Dolus venditoris facit, ut emptor non sustineat periculum, sed venditor. 2.

Limitatio regulae, quae habetur in l. 1. h. t. 3.

1 Debitor, cujus bona a creditoribus possessa, in fraudem creditorum mihi vendit praedium; Ego fraudis ignarus sum, et ita bona fide emo, Quaeritur: *An actio Paulina detur contra me?* Et hoc negatur, *hic et l.* 9. *ff. Quae in fraudem creditorum*, quod exemplum aptius esse dicit *Cujac.* quam quod *Gloss.* tradit. Non tamen potest simpliciter repudiari sententia *Glossae*, quod dolus venditoris faciat, ut emptor non sustineat 2
periculum, sed venditor, v. g. si persuasit mihi vina non corrumpi ob antiquitatem temporis, et vinum postea corrumpatur; damnum hoc non ad emptorem, sed ad venditorem spectat. Et sic notabilis habetur limitatio regulae in *l.* 1. 3
quod periculum pertineat ad emptorem, nisi damno dolus venditoris occasionem dederit, ut *hic Barbosa.*

L. Cum inter. 4.

SUMMARIA

Duplex hic proponitur limitatio regulae, quod periculum rei emptae ante traditionem pertineat ad emptorem. num. 1.

In contractibus reciprocis, qui vult alium in mora constituere, debet prius a sua parte contractum adimplere. 2.

Duplex hic proponitur limitatio Regulae, quod 1
periculum rei emptae etiam ante traditionem pertineat ad emptorem: 1. Est, si ab initio conventum, ut in scriptis contraheretur, quia enim eo casu emptio non est perfecta, antequam scriptura fuerit approbata, et absoluta, ideo non potest etiam periculum in emptorem transferri, *princ. Inst. de Empt. l. Contractus* 17. *sup. de Fide Instrum.* ubi tractavi de eo, quid hoc sit, quod partes in scriptis voluerint contrahere. 2. Limitatio est, nisi venditor in re tradenda moram commiserit, nam hic inter alios morae effectus, ut transferat periculum in morosum. Ergo sic venditor hoc casu sustinebit periculum modo emptor ipsi solverit, et obtulerit pretium, quia aliter venditor in mora constitui non potest, cum in contractibus reciprocis, qui vult 2
alium in mora constituere, debet prius a sua parte contractum adimplere, ne ei objici possit exceptio non impleti contractus, *Mascard. concl.* 1394. *num.* 7.

L. Cum speciem. 5.

SUMMARIA

Repetitur hic regula l. 1. *cum limitatione. n.* 1.

Duplex in hac materia consideratur periculum. 2.

Repetitur Regula *legis primae*, sed additur 1
limitatio, nisi emptio sub conditione esset contracta. Ergo si sub conditione res vendatur, periculum interitus erit venditoris, quia nondum perfectus est contractus. Sed notandum, 2
duplex in hac materia considerari periculum, 1. Interitus, 2. Deteriorationis. Si igitur conditionalis venditio, interitus periculum est venditoris, ut dixi, sed deteriorationis periculum, v. g. Si vinum acuerit, est emptoris, per *l. necessario* 8. *pr. ff. h. t. Wesenb. in* ϖ. *h. t. num.* 4. et ibi *Bacchov. Molina Tr.* 2. *D.* 366. *num.* 18. Patet igitur hinc discrimen inter conditionem mensurationis, et aliam conditionem. In illa pe-

riculum etiam deteriorationis est venditoris, in hac vero emptoris, per *l.* 2. *h. t. Molina d. l. Trentac. tit. de empt. resol.* 5. *num.* 3. *et* 4.

L. Mortis casus. ult.

SUMMARIUM

Continetur hic ampliatio l. 1.

Ampliatio haec est *legis primae* sc. si res vendita apud venditorem, antequam moram faciat, sine culpa ejus perit, non tantum venditor liberatur a necessitate praestandae rei venditae, ob Regulam, quod debitor speciei interitu speciei liberetur; sed etiam emptor tenetur solvere pretium, v. g. vendidit Titius tibi domum, sed ante traditionem domus combusta est, casu periit tibi, et tu nihilo minus teneris solvere ei pretium, *Gomez tom.* 2. *Resol. cap.* 2. *n.* 32. quod quidem iniquum videtur, sed tamen ita legibus expressum. Et sciendum est, omnia damna, licet casualia nobis videantur, pervigili tamen providentia immitti.

TITULUS XLIX.

De Actionibus Empti et Venditi.

L. Adversus eum. 1.

SUMMARIA

Qu. Si venditum est praedium, habita fide de pretio, et postea pretium non solutum est, an res vendita vindicari possit? num. 1.
Cautela observanda venditori. 2.

1 Vendidi tibi praedium, habita fide de pretio (nam si fidem non habuissem, non potuisset transire dominium, per §. *venditae Inst. de Rerum Divis.*) Sed postea pretium non solvis; Quaeritur, *An rem vindicare possim?* et Resp. quod non, quia re tradita, et fide de pretio habita dominium transtuli. Sed actio mihi datur tantum Personalis. Sed quia tutius est rei
2 incumbere, ideoque solet hic cautela esse, ut venditor sibi reservet dominium, donec pretium solvatur, quod non pugnat cum natura emptionis, *Tiraq. de Retr. Lignag.* §. 1. *Gl.* 2. *num.* 39. *Steph. Gratian. disc.* 523. et quos hic allegat *Barbosa in Collect.* vel poterit reservare sibi venditor hypothecam; et utroque casu non tantum actionem realem habebit ad rem, sed etiam aliis creditoribus jure dominii vel hypothecae praeferetur, *Carpz. P.* 1. *Const.* 28. *Def.* 20. *et seq. lib.* 1. *Resp.* 108. *num.* 3. ubi tamen hoc incommodum esse dicit in reservato dominio, quod periculum pertineat ad venditorem, in quo a *Dn. Carpz.* alibi recessi, et sensi cum *Steph. Gratiano Tom.* 2. *Disc.* 206. *num.* 11. *et* 13. *et tom.* 3. *c.* 523. *num.* 16. quia regulariter ad emptorem pertinet rei venditae, licet non traditae, per *l.* 6. *ff. de Periculo et Commodo Rei venditae*, *l.* 20. §. 2. *ff. Locati.* Et reservatio dominii non habet hanc intentionem ex parte reservantis, et alias venditor omnes fructus perciperet etc.

L. Venditi. 2.

SUMMARIA

Si pars pretii soluta, id quod deest, venit in actionem venditi. num. 1.
In quam etiam veniunt fructus, quos ante venditionem invasit, et rapuit emptor. 2.
Fructus ante venditionem percepti, separati ad emptorem non pertinent. 3.

Si pars pretii soluta, id quod deest, venit in 1
actionem venditi. Sed quid si illud residuum per errorem facti, vel per fraudem emptoris inter contrahentes compensatum, quasi in quantitatem debitam a venditore, quae tamen non debebatur, v. g. si Procurator meus debuit, et solvit me ignaro, sed error facti venditorem excusabit, quod maxime locum habet in omnibus bonae fidei judiciis, imo etiam in stricti juris actionibus, per exceptionem vel replicationem doli, per *l. si quis cum alter* 36. *ff. de verb. oblig.* Sed veniunt etiam fructus, quos 2
ante venditionem invasit et rapuit emptor, quos licet etiam vindicare possit venditor, potest tamen simul cum pretio per actionem venditi petere, quia emptor eos fructus praetendebat simul venditos, alias sine ullo colore hos fructus rapuisset: Ergo una cum pretio hi fructus peti possunt actione venditi. Unde colligitur: Fru- 3
ctus ante venditionem perceptos, i. e. separatos, ad emptorem non pertinere, *Guttierez lib.* 1. *pr. qu. cap.* 32. *num.* 23. *et Trentac. lib.* 3. *Resol. Tit. de Empt. Resol.* 6. *num.* 6. et quos hic citat *Barbosa num.* 4. *et Molin. Tr.* 2. *de J. et J. D.* 368. *num.* 2. Sed de fructibus post perfectam venditionem perceptis agetur in *l.* 13.

L. Ex Arrhali. 3.

SUMMARIA

Si contractus emptionis venditionis mutuo dissensu dissolvitur, arrha data repeti potest actione empti. num. 1.
Si arrha data est, et contractus postea utrinque consummatus, potest spec.es arrhae loco data etiam per condictionem sine causa repeti. 2.

Ego emi fundum, et dedi arrham, postea ven- 1
ditor recedere vult a contractu, cui etiam con-

sentio, et repetere volo arrham a me datam. Quaeritur: *Qua actione?* Resp. non Reali, sed actione Empti, quia generaliter pactiones ultro citroque in hoc contractu interpositae, formant actionem ex vendito et Empto, *l.* 14. *sup. de Rescind. vend. et simil.* Et hunc sensum puto esse simplicissimum hujus legis, in quem etiam inclinare puto *Godofredum hic* dum allegat *l. ult. C. quando ob Empt. et l.* 11. §. 6. *ff. h. t.* in quibus textibus de hac specie agitur. Interim alios intellectus, quos *Glossa* proponit, puto
2 esse a lege alieniores. Sane si arrha data est, et contractus postea utrinque consummatus est, potest species arrhae loco data etiam per condictionem sine causa repeti, *d. l.* 11. §. 6.

L. Si traditio. 4.

SUMMARIA

Qu. Si emptor contra venditorem agat ad interesse, quomodo condemnari debeat? num. 1.
Quando venditor teneatur praecise ad rei venditae traditionem. 2.
Interesse licet a parte juramento probari possit, arbitrio tamen suo id judex moderari potest. 3.

1 Emi a te fundum, sed tu ex procacia, id est, contumacia non vis tradere fundum, Ego volo agere ad interesse, Quaeritur: *An tanti debeat te condemnare Judex, quantum ratione interesse petiero, an vero quantum Judex arbitratus fuerit?* Et posterius hic affirmatur, unde nonnulli volunt probare, quod venditor non teneatur praecise rem tradere, licet habeat facultatem tradendi, nam hic dicitur, quod ex *procacia venditoris* res non fuerit tradita, procacia autem non esset, nisi haberet facultatem tradendi; sed textus hic eam sententiam non probat, nam non quaeritur hic an venditor praestando interesse liberetur, sed si emptor ad interesse agere velit, quomodo condemnatio facienda, ut ad *hanc l.* respondet *Bacchov. in Treutl. Vol.* 1. *Disp.* 28. *th.* 2. *lit. C.*
2 Ideoque communiter recepta illa distinctio, quod aut venditor potestatem habet tradendi rem, aut non habet, illo casu venditorem praecise teneri rem tradere, licet emptor ad interesse, si velit agere, possit, sed posteriori casu, teneri emptorem praestatione interesse contentum esse, cujus ratio manifesta, quia ad impossibilia nemo obligatur. Et hanc sententiam amplectuntur DD. communiter, praesertim cum malitiae hominum indulgeretur, si venditor praestando interesse se liberare posset, *Gomez tom.* 2. *Resol. c.* 10. *num.* 2. *Caevall. qu.* 459. *Mozzius de Natur. Empt. num.* 22. *Hillig. in Donell. lib.* 13. *cap.* 14. *lit. A. Wesenb. in* ϖ. *h. t. n.* 1. *et ibi Bacch.* qui etiam ad *Treutl. th.* 2. *lit. C.* utriusque partis argumenta recenset *Christinaeus tom.* 3. *dec.* 75. *num.* 9. Colligunt
3 ex hoc textu: Interesse, licet a parte juramento probari possit, arbitrio tamen suo id judicem moderari posse, *Mascard. concl.* 935. *num.* 29. et quos hic allegat *Barbosa.*

L. Curabit. 5.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
Ob fructus perceptos ex re vendita tenetur emptor ad usuras pretii, ad rationem fructuum. 2.
Mora minori fit ex re sine interpellatione. 3.

Minor mihi cum solemnitatibus debitis vendidit 1
praedium, et tradidit, sed pretium diu non solvi. Et respondetur duplici ex ratione usuras peti posse: 1. Quia fructus percepi, in quorum compensationem omnino pretii usurae solvendae, *hic et l.* 13. §. 20. *ff. h. t.* 2. Quia minor erat, cui semper mora fit ex re, per *l.* 3. *C. in quibus causis in integrum restitutio non est necessaria.* Colligunt ex celebri hac lege: I. Ob 2
fructus perceptos ex re vendita (et ideo de re frugifera hic tantum agitur) teneri emptorem ad usuras pretii, ad rationem fructuum, non tantum jure civili, sed etiam jure Canonico, licet non praecesserit interpellatio, nec emptor per interpellationem in mora constitutus fuerit, de qua materia hujus legis accurate tractat *Covarr. lib.* 3. *Resol. c.* 4. *per totum.* Aliud igitur si de pretio habita fuerit fides, quia si venditor anni dilationem det, emptor in mora non est, modo post annum solvat, *Guttierez l.* 1. *quaest. can.* 39. *num.* 19. *Covar. d. l. num.* 5. Et sic hae usurae, quia continent compensationem fructuum, etiam jure Canonico licitae erunt, *Molina Tr.* 2. *D.* 368. *num.* 9. Et habenda hic ratio etiam fructuum, quos percipere potuit venditor, *Cagnolus in hac l. num* 48. *Covarr. d. l. num.* 2. *Molina d. l. num.* 12. *Cephal. cons.* 736. *in fine.* Secus ergo si non potuit, ut si empta nomina non potuerint exigi, *Hipp. Riminald. l.* 2. *cons.* 177. *num.* 5. *etc.* II. Moram 3
minori fieri ex re sine interpellatione, sed de eo clarior textus in *d. l.* 3. Sed quaeritur, si venditor ob imminens evictionis periculum non caveat, an etiam tunc emptor teneatur ad usuras? Videtur quod non, quia venditor est in mora, et sic culpa cum culpa compensatur: sed affirm. ob hanc legem, nisi emptor obtulerit et deposuerit pretium, *Thesaur. lib.* 1. *quaest.* 88. Notetur autem usuras hic deberi non ob damnum venditoris, sed ob lucrum emptoris, qui et pretio et re fruitur, et ita pro ratione fructuum, *Barb. ad l. In divisione* 5. *n.* 14. *ff. sol. matr.* Et licet hic in facti specie concurrat perceptio fructuum, et mora irregularis contracta respectu minoris, quaelibet tamen sola sufficeret v. g. si emptor majorenni non solverit pretium, et fructus perceperit, vel si minori non solvat pretium licet nullos fructus perceperit, ob moram irregularem, *Barb. in d. l. de divisione num.* 58. Quamvis autem *Salgado in Labyr. l.* 1. *c.* 21. *num.* 35. tradat, fructus non adquiri emptori, sed venditori, id ita intelligo, quod aestimationem fructuum percipiat, licet usurarum quantitatem ab Imperatore taxatam valde superet. Vid. *Rodericus de Annuis Redit. l.* 3. *c.* 7. *num.* 73. quem refert *Salgado d. l.*

L. Venditi. 6.

SUMMARIA

Actio empti regulariter datur ad implendum contractum, non vero rescindendum. num. 1.
Exceptiones. 2.

1 Actio empti regulariter datur ad implendum contractum, non vero ad rescindendum, nisi
2 aliud actum sit, ut fit in Lege Commissoria, in Addictione in diem, et Pacto de Retrovertendo. Sed interdum etiam datur actio ad rescissionem, licet de hoc nihil sit actum, ut ex, *l.* 2. *C. de Rescind. Vendit. ex l. ex empto* 11. §. *Si quis virginem* 5. *ff. h. t.*

L. Si Servos. 7.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
Debitor creditori solvens ex ejus pecunia, a debito non liberatur. 2.

1 Servus vendidi tibi, tu ex peculio servi, quod non erat simul venditum, mihi solvis pretium, et sic meos nummos mihi solvis; Quaeritur: *An liberatus sis?* Et Respondetur, quod non quia meam dando pecuniam non potes liberari. Ex
2 quo recte notat hic Regulam *Godofr.* quod debitor creditori solvens ex ejus pecunia, a debito non liberetur, *l. un.* §. *si itaque supr. Si servus extero etc. l.* 8. §. 5. *et l.* 51. *ff. Mandati.* et quod Emptor debeat pecuniam, seu pretium facere venditoris, *l.* 11. §. 2. *ff. h. t.*

L. Si Pater. 8.

SUMMARIA

Si venditor emptorem in rei vacuae possessionem non introduxit, dominium non videtur translatum. num. 1.
An venditor teneatur emptorem mittere in vacuam possessionem? 2.
Ex solutione tributorum possessio firmiter non probatur. 3.

1 Pater tuus venundedit praedii sui, quod cum alio commune habebat, partem mihi: sed me in vacuam possessionem praedii non induxit, Quaeritur hic: *An transtulerit in me dominium?* Et hoc negatur, cujus ratio non obscura, quia traditione transfertur dominium, *l. traditionibus sup. de Pactis.* At poterat objici, quod ego vectigal vel tributum solverim, atque ideo praesumendum sit, mihi fuisse praedium illud vacuum traditum; Sed Respondetur, hoc veritatem rei non mutare, quia forte simulatum intercessit factum, et ideo Praesidem de ipsa rei veritate debere inquirere. Sed quid si jam petam, ut inducar in possessionem vacuam praedii? Resp. Hoc non inique peti, si modo pretium solverim, nam si contractui a mea parte non satisfeci frustra peto, ut ab adversario satisfiat. Colligunt ex *hoc textu:* I. Venditorem 2
teneri emptorem mittere in vacuam possessionem, quod etiam ex *l.* 12. *C. de Probat.* colligunt, ubi citavi *DD.* aliosque citat et sequitur *Joann. Franc. Balth. Tit.* 6. *Resol. Bavar.* 3. *num.* 5. Sed ea sententia valde dubia ob argumenta contraria a *Donello ibi et Hilligero* allata, quae examinare jam non vacat. II. Ex so- 3
lutione tributorum possessionem firmiter non probari, *Masc. de Probat. Concl.* 1186. *num.* 22. quem refert *hic Barbosa*, sed hoc aliter non concedo, quam in eo casu, qui hic proponitur, si scilic. alius in possessione naturali reperiatur, alias enim ex solutione tributorum omnino videtur possessio probari, ut recte *hic Castr.*

L. Si Minor. 9.

SUMMARIA

Qu. 1. *Si venditor minores collectas et tributa asseruisset, an teneatur actione ex empto ad id, quanti minoris emissem? num.* 1.
Qu. 2. *An eodem casu emptor agere possit redhibitoria?* 2.

Vendidisti mihi fundum tributarium, et cum 1
majori capitationi subjectus esset fundus v. g. solvi debet pro singulis colonis aureus, et quarta pars aurei pro singulis animalibus, tu asseruisti minorem quantitatem, v. g. dixisti pro singulis colonis tantum dimidium aureum praestari, et pro singulis animalibus octavam partem aurei. Quaeritur: *An actione ex empto tenearis ad id, quanti minoris emissem?* Et respondetur quod sic, quod ampliatur hic licet ignorans dixeris, quia ejus ignorantia non minuit damnum emptoris, nec actionem ad damni restitutionem cessare facit. Et debet venditor nosse rem suam, antequam vendat, nec, si ignorat, temere debet affirmare aliquid, *l. Julianus* 13. §. 3. *et seq. ff. h. t.* ut in simili Respondent, *Fabian. de Monte in tr. de Empt. qu.* 6. *num.* 58. *Oldend. Cl.* 4. *Act.* 2. *num* 4. *Berlich. D.* 77. *num.* 7. Sed limitatur decisio legis hujus, nisi ego scivissem majorem esse quantitatem capitationis vel tributi, quia dolus non infertur scienti, *C. scienti* 27. *de R. J. in* 6. Non negatur tamen, hic posse emptorem re- 2
dhibitoria agere, si plane non erat empturus, si scivisset onus perpetuum, forte si non expediat, vel placeat tributarium fundum possidere, si venditor liberum esse dixit, *Molina Tr.* 2. *de J. et J. D.* 353. *num.* 4. *et* 8. et exinde puto declarari debere *Dn. Carpz. P.* 2. *Jurispr. Const.* 4. *Def.* 21.

L. Cum venditorem. 10.

SUMMARIUM

Casus l. ejusque decisio.

Invitavi ad coenam amicos, et a te emi carnes, die coenae adventante non stetisti promissis et

ego majori pretio ab aliis emere compulsus fui. Quaeritur: *ad quid tenearis?* Resp. Actione Empti te a me conveniri posse ad Interesse. Interesse autem hic considerandum circa rem et intrinsecum, non vero extrinsecum, *l.* 21. §. 3. *ff. h. t.* quod, ob generalitatem suam, etiam in mercatoribus locum habere putat *Petr. Barb. ad l. de divisione* 5. *num.* 30. *et seq. ff. Sol. Matr.* qui respondet etiam ad *l.* 3. *fin. ff. de Eo quod certo loco*, quod loquatur de iis rebus, in quibus non potest considerari interesse intrinsecum, sed communiter tamen mercatores excipiunt, et tradunt, hos etiam extrinseci interesse rationem habere posse, *Guido Papae sing.* 628. *in fine, Berous V.* 1. *Cons.* 193. *num.* 22.

L. Si ancillam. 11.

SUMMARIUM

Qu. An venditor possit ancillam venditam manumittere?

Ancillam mihi vendidisti, Quaeritur: *An potueris post venditionem factam manumittere?* Et distinguit Imperator, an fuerit mihi tradita, an non, ut illo casu non potuerit manumittere, quia non amplius habuit dominium, hoc casu possit, sed teneatur, actione empti ad interesse, ob fidem ruptam. Prius limitatur hic a *Glossa*, nisi per ipsam venditionem transferatur dominium, ut si facta sit in Ecclesiam per *l. fin. C. de SS. Eccles.* Sed posteriori obstat, quod haeres ancillam sub conditione legatam manumittere non possit, per *l. generaliter ff. Qui et a quibus manumissi liberi non fiant.* Sed respondet *Castr. hic*, aliud esse, si servus subjaceat restitutioni ex dispositione inter vivos, et aliud, si ex dispositione ultimae voluntatis, nam haec illa favorabilior est. Nec hoc tantum in manumissionibus locum habet, sed in aliis etiam alienationibus, v. g. Si venditor rem mihi venditam alii vendat, et secundo tradat, traditio non retractatur, sed venditor tenetur mihi ad interesse, *l. si quoties sup. de R. V.*

L. Sicut periculum. 12.

SUMMARIUM

Qu. si vinum venditum degustatum et admensum, nondum vero traditum, cujus sit periculum?

Vinum tibi vendidi degustatum et admensum, id est, ex doliis in amphoras transfusum, sed nondum tradidi amphoras, Quaeritur: cujus sit interea periculum, vel interitus, vel acoris, mucoris vel deminuti pretii? et non est dubitandum, periculum esse emptoris, cum jam perfecta sit venditio; sed quid si pretium vini augeatur, cujus erit commodum? et expedite respondetur ex notissima Regula juris: Quod eum sequantur commoda, quem sequuntur incommoda, commodum esse emptoris. Sed pone, aucto pretio me nolle vinum tradere, pone, dum altercamur, vini pretium adhuc augeri, et Respondetur hic, quia pluris jam interest emptoris ob augmentum pretii, crescere etiam aestimationem ejus, quod interest, quae non exigetur ad modum pretii, sed statuetur arbitrio judicis et plerumque egredietur vini pretium, *Cujac. in hoc tit. tom.* 3.

L. Fructus. 13.

SUMMARIA

Venditi fundi fructus pertinent perfecto contractu ad emptorem. num. 1.
Limitatio. 2.
Ampliatio. 3.
Limitatio superioris regulae. 4.

Venditi fundi fructus pertinent perfecto contractu ad emptorem, cum et periculum et onus 1
tributorum ad eum pertineat. Sed id non simpliciter verum, sed eo tantum casu, quando 2
res tradita est fide habita de pretio, vel mora venditoris intercessit regularis et irregularis, *Salyc. hic et Cagnolus in l. Curabit* 5. *h. t. num.* 56. *Covarr. lib.* 3. *Resol. cap.* 4. *num.* 7. Unde
infertur, fructus etiam ante traditionem a venditore, qui in mora tradendi fuit perceptos, ad emptorem pertinere, *Covarr. d. l.* in mora autem tum demum fuit venditor, quando pretium solvit, aut obtulit emptor aut fides habita est de pretio, *l.* 13. *et* 18. *ff. h. t. Gomez T.* 2. *Resol. c.* 2. *num.* 11. *Molina de J. et J. Tr.* 2. 3
D. 358. *num.* 8. Sed in fructibus civilibus res 4
paulo aliter se habet, v. g. in pensionibus praediorum locatorum, quae quidem pertinent ad venditorem, *d. l.* 13. §. 11. ita tamen, ut venditor teneatur emptori partem pensionis solvere pro rata temporis, nam si conductor omnes fructus percepit tempore venditionis, pensio integra manet venditori, si nullos percepit, tota pensio pertinet ad emptorem, si quosdam, pro rata fiet divisio, *Covar. lib.* 1. *Resol. c.* 15. *Molina D.* 368. *n.* 3. *Mantica lib.* 4. *tit.* 19. *n.* 44.

L. Emptor. 14.

SUMMARIUM

Venditor servi tenetur repromittere, quod servus non sit erro, vel fugitivus etc.

Venditor servi tenetur repromittere (nam hic 1
nuda cautio requiritur) quod servus non sit Erro, vel fugitivus, vel ob noxam dedendus, et quod sanus sit; quamvis priora membra etiam sine repromissione praestare teneatur venditor, per *l.* 11. §. 8. *ff. h. t.*

L. Ultra. 15.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
Quemadmodum venditor, si emptor moram fecit in solvendo pretio, ad usuras pretii, justo tempore non soluti, agere potest: ita etiam

emptor potest agere ad interesse rei suo loco et tempore non traditae. 2.

1 Emi a te certam quantitatem, sc. 5. amphoras vini, pro 100. florenis, pretium solvo, sed cum postea vini aestimatio decresceret, volo petere plus vini; Respondetur ab Imperatore, nisi pactum intercesserit, scilicet, ut re non tradita plus solveretur, vel, nisi ob moram teneatur venditor, ad plus agi non posse. Sic ergo possum post moram ad plus vini agere ob
2 interesse: Sic ergo colligitur ex hac lege; Quemadmodum venditor, si emptor moram fecerit in solvendo pretio, ad usuras pretii justo tempore non soluti agere potest, ita etiam emptor potest agere ad interesse rei suo loco et tempore non traditae. Sed hoc sua luce patet.

L. Post perfectam. 16.

SUMMARIA

Fructus pecorum emptorum post perfectam venditionem pertinent ad emptorem. num. 1.
Qu. An venditor sumptus facere debeat in educando foetu? 2.

1 Fructus pecorum emptorum post perfectam venditionem pertinent ad emptorem, sed hic debet venditori restituere sumptus, in foetu
2 educando factos. Sed quaeritur: *An debuerit venditor sumptus facere in educando foetu?* Et distingu. aut venditor moram commisit in re acceptanda, aut emptor, aut neuter, primo casu tenetur venditor expensas insumere necessarias, ut et tertio casu, secundo casu non item, *Salyc. hic per l. venditor* 36. *ff. h. t. et l. si mora* 9. *ff. Sol. Matr. et l.* 21. *ff. de Haered. Vendita.*

L. Expulsos. ult.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
Si extrajudicialiter, vel per principem emptor fuisset possessione dejectus, venditor non tenetur. 2.

Vendidisti mihi fundum, et promisisti praestationem Evictionis, quod scilicet me velis defendere, de jure et facto, contra omnem, sed mihi res de facto a Nerone eripitur, Quaeritur: *An ex Promissione tenearis?* Resp. negative, quia illa promissio evictionis pertinet ad ea, quae juris et facti sunt, nam contra violentiam alterius non praesumeris promisisse defensionem. 1
Colligitur exinde: si extrajudicialiter, vel per 2
Principem emptor fuisset possessione dejectus, venditorem non teneri, *Caballinus in Tr. de Evict.* §. 5. *num.* 22. *et num.* 45. nisi ad hoc expresse se obligaverit venditor, *Boer. Dec.* 67. *num.* 2. *Caball. d.* §. 5. *num* 45. *Colleg. Argent. de Evict. th.* 6. *num.* 22. Et si Emptor per imperitiam judicis fuerit dejectus de possessione, injuria haec venditorem non debet contingere, *l.* 51. *pr. ff. de Evict.* licet aliud sit in Fidejussore, *l.* 67. *ff. de Fidej. Bacch. in Treutl. V.* 2. *th.* 5. *in fin.* Confer. *Gomez l.* 2. *Resol. c.* 2. *num.* 93. *Covar. l.* 3. *Resol. c.* 17. *num.* 10. *Caball. d. tr.* §. 4. *num.* 6. *et seq.*

TITULUS L.

Si quis alteri vel sibi sub alterius nomine, vel aliena pecunia emerit.

L. Si pecunia. 1.

SUMMARIA

Is rei venditae ac traditae dominium acquirit, qui contractum celebrat, et cui res traditur, licet aliena pecunia emerit. num. 1.
Dominium rei emptae et traditae non consequitur is, cujus pecunia res comparata. 2.
Exceptiones. 3.

1 Is rei venditae ac traditae dominium acquirit, qui contractum celebrat, et cui res traditur licet aliena pecunia emerit, v. g. Si uxor pecunia mariti sibi rem comparat: Marito autem, vel ejus haeredi, non competit vindicatio rei a muliere emptae, et ei traditae, sed maritus vel haeres ejus habet actionem personalem contra uxorem, et vel certi condictionem, si maritus ei credidit, vel Negotiorum Gestorum, si rem pro uxore emit maritus, vel condictionem sine causa, si eam pecuniam Maritus donavit uxori et ille repetat ipse, *l.* 9. *C. de Donat. inter virum et uxorem.* Colligitur ergo Regula ex *hoc textu:* Quod dominium rei emptae et traditae 2
non consequatur is, cujus pecunia res comparata, sed is qui eam sibi emit, licet aliena pecunia, cum et alias non, unde originem habeat pecunia, soleat attendi, *l.* 7. *C. si certum Pet. Tiraq. de Retr. Consang.* §. 32. *Gl. un. num.* 16. *Menoch. lib.* 3. *Praesumpt.* 51. *num.* 42. *Tusc. Concl.* 138. *lit. E. Trentac. lib.* 3. *titul. de Empt. Resol.* 1. Licet in mala fide sit emptor, *Cov. lib.* 3. *Resol. c.* 3. *n.* 6. *Tusch. Concl.* 137. *lit. E.* Excipiuntur in *Gl.* quatuor Casus, 3
in quibus dominus pecuniae acquirit dominium, ut 1. Si miles, *l. si ut proponis* 8. *sup. de Rei Vindic.* 2. Si pupillus, *l.* 3. *C. de Arbit. tut.*

quod extendit *Gl.* ad Praelatum Ecclesiae, ex pecunia Ecclesiae aliquid ementem, *Tiraq. de Priv. Piae causae Priv.* 120. et quos laudat *Barb. ad hanc l. num.* 10 : 3. In re ex pecunia dotali consentiente uxore comparata, *l.* 26. *l.* 54. *ff. de jure Dotium, Ripa ad Rubr. ff. Sol. Matr. num.* 43. *Alcib. num.* 21. *Bald. Nov. de dote priv.* 7. *qu.* 15. *Petr. Barb. ad d. Rubr. p.* 3. *num.* 77. *Campeg. de Dote P.* 4. *qu.* 8 : 4. In re, quam ex pecunia ab uxore marito donata, maritus comparavit, si hic non solvendo est, *l.* 55. *ff. de Donat. inter virum et uxorem.*

L. Si emancipatis. 2.

SUMMARIA

Qu. An fundi filiofam. venditi et post emancipationem traditi dominium ipsi acquiratur? n. 1.
Casus, ubi praesumitur donatio. 2.

1 Vendidi filio meo fundum, et cum emancipatus esset, ipsi tradidi, Quaeritur: *An dominium ipsi quaesitum?* Videtur quod non, quia negotium illud ab initio fuit nullum, quatenus filio emere volui. Sed resp. quod sic, nam licet ab initio nihil juris acquiratur filio, per traditionem tamen emancipato factam reconvalescit emptio, in gratiam filii facta. Aliud autem erit si filio adhuc in potestate constituto tradidissem, cui non donatum illud, nec acquisitum, sed in peculium datum esse censetur, *l. fin ff. de Pecul. leg.* aut donatio quidem valet, sed morte confirmanda, aut juramento confirmata, sed emancipato facta emptio, et traditio, et sic do-
2 natio statim est valida. Colligitur etiam casus, ubi praesumitur donatio, de quo *Barb. ad l. quae dotis* 34. *num.* 35. *ff. soluto matrim.* de quo pluribus *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 30. *per totum.*

L. Mancipia. 3.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
Ex pretii numeratione non praesumitur, rem esse numerantis. 2.

1 Mater meo nomine, et fratris, cui successi, fundum comparavit, et pretium solvit, Quaeritur: *An, si fundus mihi fratrique traditus, nobis quaesitum sit dominium, et an per consequentiam habeam actiones reales?* Quod utrumque affirmatur, quia non attenditur, unde pecunia fuerit profecta, neque quis emerit, ut minister, sed cujus nomine fuerit res empta.
2 Colligitur igitur: Ex pretii numeratione non praesumi rem esse numerantis. Quamvis igitur alteri nemo emere rem possit, *l.* 73. *in fin. ff. de R. J.* si tamen res illi, cujus nomine empta, tradita sit, is, cui tradita est, fiet dominus, dum negotium suo nomine contractum ratum habet, si modo pretium restituat, alias acquiretur ementi, *Hieron. Gabr. Cons.* 80. *num.* 2. *lib.* 1. *Card. Tusch. Concl.* 132. *num.* 12. *et seq.* modo ea ratihabitio vivo emente fiat, *Card. Mant. lib.* 4. *tit.* 22. *num.* 11.

L. Quamvis. 4.

SUMMARIUM

Duplex est hujus l. intellectus.

Fundum emi et traditum accepi, et hactenus possedi. Socrus autem nomen instrumento inscriptum, quasi illud emisset, forte quod ex certis causis noluerim, ut nomen meum in tabulis exprimeretur. Socrus postea petit a me fundum, et producit instrumentum, in quo nominata, ego excipio, simulationem eam fuisse, quod Socrus nomen inscripserim, id testibus volo probare, vel ex eo, quod hactenus possederim. Ideoque duplex posset esse intellectus l. hic, quod simulatio debeat probari, et hic intellectus nihil habet notabile, vel hic quod ex duplici conjectura, dum ego emi et traditum accepi, praesumatur simulatio, quod fictitie tantum nomen Socrus fuerit tabulis inscriptum, et hanc lecturam puto cum *Castrensi* textui satis esse convenientem, et sic praesumitur ex duplici conjectura, quando quis emit, et traditam rem accepit, quod tunc alterius nomen videatur fictitie additum, *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 470. *num.* 29. *Tusch. concl.* 132. *num.* 15. *lit. E.* Et quos hic allegavit *Aug. Barb. Bart. et Salyc. in l.* 16. *C. de Donat. inter Virum et Uxorem.*

L. Cum propria. 5.

SUMMARIUM

Maritus qui suo nomine fundum emit et instrumento nomen uxoris inscribi fecit, et possidere varie passus est, probare debet simulationem, si fundum velit repetere.

Maritus emerat suo nomine fundum, sed in instrumento fecerat inscribi nomen uxoris, ex certa causa. Uxor, nescio quomodo accepit instrumentum emptionis, et venit in possessionem fundi. Maritus vult fundum repetere, et probat se emisse, se pretium numerasse: Uxor excipit, sed meo nomine emisti, et mihi rem tradidisti: Maritus replicat per simulationem nomen uxoris fuisse inscriptum. Resp. Imperator, hoc ipsi esse probandum, nam in praecedente lege ille qui simulationem allegabat, duplicem habebat praesumptionem, 1. quod ipse emerit, 2. quod rem traditam hactenus possederit. Quae secunda conjectura hic deficit, dum uxor est in possessione, ergo simulatio marito est probanda: Alias staretur instrumento, et si simulationem probaverit maritus, cum fructibus uxor deberet restituere rem.

L. Multum interest. 6.

SUMMARIA

Tres ab Accurs. *ad textum convenientes proponuntur casus. num.* 1.

Duplex forma nomine alterius emendi. 2.
In omni dispositione vel concessione voluntas et facultas est respicienda. 3.

1 Tres ab *Accursio* ad textum convenientes proponuntur Casus: I. Uxor mea comparavit praedium, quod ipsi etiam traditum fuit, ego autem venditori numeravi pretium, Quaeritur: *cui acquiratur dominium?* Et respondetur uxori, quia ipsa emit, et pretium videris donasse, quod, quia donatio inter conjuges prohibita, possum repetere, quatenus pauperior ego, uxor vero locupletior reddita, nam hactenus tantum donationes inter conjuges irritae sunt, de quo alibi. II. Casus, et sic etiam secunda quaestio haec est: Sed, quid si ego emi, et mihi tradita res est, uxoris vero nomen ob certam causam, forte ob creditores meos inscribitur instrumento venditionis, et respondetur mihi quaesitum esse dominium, propter duplicem illam conjecturam in *l.* 4. *h. t.* explicatam. Sed III. Quaeritur, si ego quidem emissem, sed nomine uxoris, et neutri dominium quaesitum, non mihi, quia nolui, non uxori, quia per jura non potuit, quia per liberam personam alteri actio non quaeritur. Si tamen dominus mihi, vel uxori tradidit rem venditam, ille, cui tradita res est, in dominio existitit potior. Colli-
2 gitur ex textu: Duplex forma nomine alterius emendi, quod pluribus *hic* notat *Gl. et DD. caeteri*: I. Est quando verba concipit in suam personam, sed in utilitatem uxoris, v. g. vendis mihi nomine uxoris agrum, vel emo a te nomine uxoris agrum, et tunc sum procurator vel negotiorum gestor uxoris, et acquiro mihi actionem empti, quam tamen uxori cedere teneor, *l.* 49 *in fin. ff. de Acquir. Poss. Jo. a Sande Tr. de Cess. Act. c.* 6. *num.* 9. *Caldas de empt. c.* 7. *num.* 3. *Rota Genuens. dec. ult. num.* 3. aut verba direxi in personam uxoris, et sic ago nuntium et hoc casu nihil ago per *hunc textum.* Nuncius enim tantum verba alterius portat, et utitur nudo ministerio, nec locum habet ratificatio, quia deficit substantia contractus: Sed procurator ad suam personam verba refert, *Jo. Crottus in Repet. leg. Si is, qui pro emptore num.* 151. *ff. de Usucap. Gondisalvus in tr. de Legatis p.* 3. *num.* 19. *Tuschus concl.* 153. *lit. N.* II. In hoc casu ultimo dominium transferri ex contractu inutili, contra *l. nunquam ff. de Acquir. Rer. Domin.* quia scil. sufficit causa putativa, quae putatur subesse per *t. t. de Condict. Indeb.* quam responsionem ex *Gl.* approbat *Salyc. et Castr.* quamvis non absurdum sit dicere cum *Baldo,* quasi ex nova obligatione, quae a traditione incipit, valere traditionem; possunt conferri *DD.* quos allegat *Tiraq. de jure Const. Poss.*
3 *p.* 3. *lim.* 7. *in fin.* Colligunt *DD.* in omni dispositione, vel concessione voluntatem, et facultatem esse respiciendam an voluerit et an valuerit; plurimos *DD.* refert *Cothm. Vol.* 1. *cons.* 1. *num.* 120. *Conf. prolixa dissertatio in hanc legem Baldi, ubi num.* 12. agit de contrahente alio loco, ut gabellam hic solitam dari non teneretur dare, quem refert. *Hippol. Rimin. cons.* 142. *num.* 42. Colligunt etiam, si maritus ex pecunia communi sibi fundum emat, uxorem contra haeredes mariti actionem habere, *Pruckm. vol.* 1. *cons.* 44. *num.* 17. *et* 55.

L. Cum per eos. 7.

SUMMARIUM

Per filios famil. servosve acquiri potest actio ex empto, non vero per liberam personam.

Si illi, qui potestati meae subjecti sunt, ut filiifamilias, vel servi, nomine meo emant, habeo actionem ex empto, quam ipse exercere possum, vel per alios: Sed si libera persona meo nomine, ut procurator contrahat, non ego habeo actionem, quia actio ex empto non adquiritur per aliam personam, sed procurator habet actionem, quam tamen cedere cogitur mihi per dicta ad *legem praecedentem.*

L. Qui aliena. 8.

SUMMARIA

Casus legis ejusque decisio. num. 1.
In societate particulari, si socius aliquam rem sibi ex pecunia communi comparaverit, non tenetur communicare rem sociis, sed pecuniae partem reddere. 2.

Si unus fratrum de pecunia communi sibi e- 1
mit praedium, sibi, non aliis acquisivit dominium, et ideo non poterunt reliqui fratres partem praedii petere sed pecuniae partem petere possunt actione pro socio, vel condictione sine causa. Hinc colligunt *Doctores,* in societate 2
particulari, si socius aliquam rem sibi ex pecunia communi comparaverit, non teneri communicare rem sociis, sed pecuniae partem reddere, *Menoch. cons.* 122. *num.* 20. *Trentac. lib.* 3. *tit. de Empt. res.* 1. *num.* 4. Sed in societate omnium bonorum volunt rem etiam hoc casu communicandam esse, *l. si quis societatem* 74. *ff. Pro socio. Covar. lib.* 3. *resol. cap.* 19. *num.* 1. *Petr. Barb. in l.* 1. *ff. Sol. Matr. pag.* 1. *num.* 37. *Menoch. d. cons.* 122. *num.* 19. *et* 76. *Corset. sing.* 112. *Tiraq. de Ret. consang.* §. 32. *Gl. un. num.* 17.

L. Nihil prohibet. ult.

SUMMARIUM

Habet h. l. duas partes.

Habet *haec lex* duas partes: I. Si Procurator meus nomine suo fundum comparet, sed venditor in me dominium transferre voluit, cui acquiritur dominium? Resp. mihi, *hic et l. qui mihi* 13. *ff. de Donat.* imo, si procurator vellet mihi acquirere, sed venditor in procuratorem vellet transferre dominium, mihi tamen quaereretur possessio, et dominium, ut vult *hic Glossa, et Cynus, et alii per l.* 1. §. 20. *ff. de Acquir. poss.* In II. Quaeritur: *An per nuncium vel epistolam vendi vel emi res possit?* Et Resp. quod possit, et quidem hoc casu actio quaeritur domino, quia nuncius aut epistola non contrahunt; sed nunciant dominum contrahere, *Cuj. ad hunc tit.*

TITULUS LI.

De Rebus alienis non alienandis, et de prohibita rerum alienatione vel hypotheca.

L. Si Praesidi. 1.

SUMMARIA

Res aliena in praejudicium domini non potest vendi, vel alienari. num. 1.
Distinctio circa hunc casum notanda. 2.
Ad evitandum hunc incommodum, ne aliquis cum damno alterius locupletetur, pretium in singularibus loco rei succedit. 3.
Potest interdum jure res aliena vendi. 4.

1 Res aliena in praejudicium domini non po-
2 test vendi alienari. Et quidem distinguitur hic, an scienti rem esse alienam res sit vendita, an vero ignoranti: Si scienti, nunquam ille emptor adquiret dominium, quia non potest usucapere, ob defectum bonae fidei, et perdit pretium, nam sine pretio rem restituere tenetur, *Afflict. Dec.* 369. *num.* 3. *Cald. d. tr. c.* 11. *num.* 1. *Mozz. de Rebus quae emi etc. n.* 11. *Tholos. lib.* 25. *Sintagm. c.* 10. *num.* 2. sive ut alienam, sive sub schemate, quasi res sit venditoris, cum tamen contrarium sciat emptor, nam a Legibus v. g. *si fundum C. de Evict. l. si a matre C. de jure dot. l.* 50. *C. de praescr.* 30. *ann.* emptori repetitio pretii generaliter denegatur, ut emptor non facile ad res alienas emendas accedat, *Molina de just. et jure disp.* 380. *num.* 22. *P. Barb. ad l.* 1. *p.* 5. *num.* 36. *ff. solut. Matrim.* Sed si expresse promissa evictio, emptor re evicta petit pretium, *Gomez tom.* 2. *Resol. c.* 2. *num.* 42. *Tiraq. de Retr. Consang.* §. 1. *gl.* 1. *num.* 7. *Barb. d. l. num.* 37. *Covarr. lib.* 3. *resol. cap.* 17. *num.* 7. *Surd. dec.* 243. *num.* 3. *et Dn. Balthasar. tit.* 8. *resol.* 7. *num.* 12. Nec amittitur pretium in re non prorsus aliena sed subjecta restitutioni, per *l. ult.* §. *ult. C. Communia de Legatis, Tiraq. d. l. num.* 13. *Gomez d. l. Covarr. d. l. num.* 2. licet dissentiat *Caldas de Empt. c.* 31. *num.* 107. *et Fachin. l.* 2. *c.* 40. *qu.* 1. Imo: si etiam ignoranter quis rem mobilem emat, si tamen vendens sciverit rem alienam esse, furti crimen committitur, et sic res fit furtiva, ac si nunquam usucapietur, *Mozzius de Rebus quae vendi etc. n.* 14. *Caldas de Empt. cap.* 13. *num* 3. Sed si ignoranti res aliena immobilis quidem indistincte, mobilis vero etiam bona fide a venditore sit vendita, et res per usucapionem quaesita; jam non potest res vindicari, sed quia venditor non debet locupletari cum jactura ejus, ad quem res spectabat, ex aequitate datur domino actio negotiorum gestorum, quasi ratam habeat venditionem, ad recuperandum pretium, *hic et l. fin. ff. de Negot. Gest.* idque contra rationem et regulam juris, qua id, quod meo nomine gestum non est, ratum habere non possum, sed ut dixi ex aequitate.
Unde colligunt; ad evitandum hoc incommo- 3
dum, ne aliquis cum damno alterius locupletetur, Pretium etiam in singularibus loco rei succedere, *Caldas d. tr. c.* 11. *num.* 2. *Afflict. Dec.* 369. *num.* 4. *Gratian. Discept. For.* 304. *num.* 6. imo si patiar rem meam vendi, vel hypothecari, non tamen praesumitur animus donandi, sed pretii repetitio mihi datur, ut probat *Barb. ad l. quae dotis* 34. *num.* 140.
ff. soluto matrim. Collige ex verbis, *nullo jure*, 4
posse interdum jure rem alienam vendi, de quo in *tit. Inst. Quibus alienare licet*, ut creditori id licet in pignore, judici exequenti judicatum, exactori census fiscalis, tutori et sim. de quib. *Cald. d. tr. c.* 11. *n.* 2. *et seq.*

L. Distrahente. 2.

SUMMARIA

Mulier, ut testis, subscribens instrumento, in quo maritus rem uxoris distraxit, sibi non praejudicat. num. 1.
Subscribens instrumento, vel supponens sigillum suum videtur in contenta scripturae consentire. 2.
Limitatio. 3.

Licet uxor instrumento illi, quo rem uxoris 1
maritus distraxerat, ut testis subscripserit, non tamen sibi praejudicat, Quia per ignorantiam subscripsit, fraude illecta a marito, quasi tantum locationis instrumentum confectum esset. Et a contrario sensu apparet, scienti omnino subscriptionem praejudicasse. Unde notanda Re-
gula; Quod subscribens instrumento, vel sup- 2
ponens sigillum suum videatur in contenta scripturae consentire, *l.* 6. §. 1. *ff. de Edend. Schneidew. Inst. de Empt. pr. num.* 6. *Berlich. P.* 1. *concl.* 14. *num.* 74. *Natta in Auth. quod sine C. de testam. num.* 34. *Mascard. de Prob. con-
cl.* 1348. *num.* 10. Sed limitatur regula, nisi 3
subscriptio facta non lectis vel non intellectis verbis instrumenti, vel, nisi subscribens rem suam putasset esse alienam, *l.* 3. *ff. de Rescind.*

Vendit. vel, nisi se subscriberet actui, qui se invito fieri posset, nam tunc non continuo consensisse dicendus est, *l. rem alienam* 41. *et l.* 39. *ff.* de *Pign. Act.* Si etiam ut testis subscripsisset aliquis, non continuo consentiret in contenta. Vid. *Axiom. Barb. locupletata lib.* 17. *c.* 60. *Axiom.* 1. *Mascard. d. concl.* 1318. *per totam.*

L. Venditrici. 3.

SUMMARIUM

Verus dominus non potest impugnare venditionem factam ab eo, cui successit.

Quidam vendiderat rem non suam, huic successit ut haeres, verus dominus, qui impugnare vult venditionem rei alienae a defuncto factam, et vindicare rem. Resp. Emptori competere exceptionem doli, *hic et l.* 4. §. 32. *ff. de Doli Exceptione.* Quem enim de evictione tenet actio, eumdem agentem repellit exceptio, *l.* 17. *ff. de Evict.* vel emptor actione empti potest agere ad evictionem, *d. l.* 17. et haeres tenetur praestare factum defuncti, quae regula exornatur *a Gabr. lib.* 6. *tit.* 1. *concl.* 11. *Tiraq. de Retr. Lign.* §. 1. *Gl.* 9. *num.* 58. et aliis.

L. Mancipia. 4.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
Datio in solutum non potest fieri circa res alienas. 2.

1 Pater fundum conduxerat, qui me haerede instituto decessit, nondum soluta mercede vel pensione. Mater pro mercede dat in solutum mancipia, Quaeritur: *an hoc valide?* Negatur, nam, ut quis rem alienam cum effectu non potest vendere, ita nec mater vel alius loco filii, res ejus pro debitis ejus in solutum dare potest, quia hoc instar venditionis est. Vid. *l.* 3. *sup. de R. V.* Additur autem Exceptio, nisi res creditori obligatae sint pignoris jure, nam pignoris obligatio finem habet alienationem, et frustra aliquid daretur pignori, nisi alienari ac
2 distrahi posset. Unde colligitur: Dationem in solutum non posse fieri circa res alienas. Nam mater hic pro filio aes alienum solverat, et ex bonis filii: facile hic quis dicere potuisset, validam esse hanc dationem in solutum; sed contrarium respondetur quia mater bona filii alienare nequit. Ergo filius semper ea bona in solutum etiam pro suo debito data potest repetere, et vindicare, sed oblato pretio.

L. Si fundum. 5.

SUMMARIA

Praedium adventitium, filio emancipato, a patre venditum, ab alio vindicari potest. num. 1.
Limitatio. 2.

Habuit filiusfamilias praedium adventitium, 1
quod pater filio emancipato alienavit, Quaeritur: *An filius possit venire contra factum patris, et illud praedium vindicare?* Quod affirmat Imperator: Si 1. Filius non successit patri 2
jure haereditario, nam si haeres esset patris, ejus factum praestare deberet. 2. Si novus possessor, in quem pater possessionem fundi transtulit, non longo tempore possedit, et sic adquisivit ejus dominium; res est ex praecedentibus clara.

L. Nemo. 6.

SUMMARIA

Repetitio regulae: Quod res aliena vendi possit. num. 1.
Limitationes h. regulae. 2.

Est tantum repetitio regulae, Quod res alie- 1
na vendi possit, per *l.* 28. *ff. de contrah. Empt.* id tamen accipiendum de praejudicio venditoris, quod ille non possit contravenire venditioni, quin et ad interesse conveniri possit, item ad commodum emptoris, ut possit usucapere, non vero ad praejudicium ipsius domini. Traditur vero hic duplex Exceptio, 1. nisi quis alie- 2
net res sibi obligatas ut creditor, vel 2. nisi ex officio alienet, ut exactor tributorum, item procurator Fisci, Judex judicatum exequens, Tutor, Procurator, et similes.

L. Sancimus. ult.

SUMMARIA

Qu. quid nomine alienationis veniat intelligendum, si a lege vel testatore sit prohibita alienatio? num. 1.
Qui non potest alienare, neque reale jus constituere alteri potest. 2.
Limitatio regulae h. l. propositae. 3.
A testatore potest alienatio prohiberi. 4.
Limitatio. 5.
Ampliatio. 6.
Cautela agnatis observanda, quando metuunt, ne feudum a possessore alienetur. 7.
Limitatio ejus, quod de usufructu dictum. 8.

Quaeritur: *Si a lege vel testatore sit prohibi-* 1
ta alienatio, an jus in re constitui possit per Emphyteuseos constitutionem, per oppignorationem, per ususfructus, aut alterius servitutis impositionem? Et licet alienationis verbo proprie veniat translatio dominii, manumissio, et usucapiendi patientia, *l.* 28. *de V. S. l.* 16. *ff. de Fund. Dot.* Justinianus tamen etiam alienationem hic eam esse dicit, qua quodcumque jus alteri in re constituitur, v. g. Emphyteuseos, pignoris jus, ususfructus, servitutis, tum quia alienare prohibitus, nec actum facere debet, unde sequitur alienatio, tum, quia jus in re alteri constitutum delibare quicquam videtur de dominio. Vid. *Fab. de Monte Tr. de Vend. QQ.* 4. *pr. num.* 17. Nota bene: Qui non potest alie- 2
nare, neque reale jus constituere alteri potest,

nisi contrarium ex lege, testamento, vel contractu, in quo alienatio prohibita, appareat. Et eadem ratio locationis ad longum tempus, nam et haec prohibita, est prohibita alienatione, *Salyc. Castr. hic Fabian. de Monte quaest.* 22. *quaest.* 4. *princ. num.* 8. *seq. Tusch. concl.* 260. *lit. A. Doering. in sua Bibl. Joth. Jurec. lit. A. voce Alienatio num.* 3. 7. Sed Regula, quae in hoc textu habetur, locum habet, quando verba alienationem prohibentia sunt multum praegnantia, *Vinc. Fusar. de Substit. qu.* 694. Sed
3 restringunt hanc regulam ad materiam favorabilem, *Castillo de usufr. c.* 54. *num.* 50. *plures referens*, nam in odiosis non procedit, aut iis quae strictam significationem requirunt, nam ibi alienationis vox non large, sed stricte pro translatione domini accipienda, *Salyc. hic et Castr. num.* 2. *et seq. Doering. d. l. num.* 23. Et ideo in statutis locum non habet, *Neguz. de Pign. P.* 2. *Memb.* 3. *num.* 73. *Fusar. d. l. num.* 2. Sic locum etiam non habet in prohibitione poenali, ubi ille, qui rem tantum oppignorat, vel usumfructum concedit, ad eam poenam non est obligatus, *Neguz. d. n.* 73. *et p.* 2. *M.* 2. *num.* 30. *Fusar. d. tr. de Subhast. qu.* 703. *num.* 3. *Redoan. de reb. Eccl. non alien. qu.* 2. *cap.* 6. *num.* 6. *Rosenthal. de Feudis cap.* 9. *concl.* 14. *Gasp. Klock. vol.* 1. *cons.* 35. *num.* 206. *Jo. Guttierez P.* 2. *Pr. qu.* 115. *Dn. Mev. ad jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 2. *art.* 5. *num.* 40. *Alex. Raudens. dec. Pis.* 20. *num.* 60. *et seq.* Collige etiam: A testatore posse alienationem prohiberi, 4
et eo casu, si fiat alienatio, ipso jure est nulla, *Vasq. de success. creat. lib.* 1. §. 10. *num.* 87. nam sicut Testator potest dominium in haeredem, et Legatarium transferre, ita dominii translationem impedire potest, *Vasq. d. l.* Si 5
modo causa prohibitionis exprimatur, *l.* 117. §. 14. *de Legat.* 1. *Donell. lib.* 18. *cap.* 12. *lit. A. Fusar. d. tr. qu.* 685. *Guttierez d. qu.* 115. *Molina de Primog. l.* 1. *c.* 6. *num.* 32. *Didacus Spino de testam. gl.* 19. *n.* 67. Idem obtinet si Ma- 6
gistratus prohibeat, per *l.* 9. *ff. de Manumiss. et l.* 26. *ff. de contrah. Empt.* ubi vide notata a me, maxime si clausula annullans contractum sit addita, *Fab. de Monte qu.* 22. *num.* 29. *et* 33. Ideoque cautela solet Agnatis metuentibus, ne 7
possessor feudum alienet de facto, et illud fiat caducum, suppeditari, ut petant Proclama a Domino, quo alienatio eorum bonorum prohibeatur, *Rosenth. c.* 9. *memb.* 2. *concl.* 68. *d.* 9. *et quos allegat lit. I.* Et in Camera talia mandata emanare testatur *Hering. de fidejuss. cap.* 15. *num.* 16. *Blanc. de compromiss. cap.* 9. *Rubr. de Effectu sent. num.* 8. *pag.* 390. Notabili- 8
ter autem limitandum id, quod de usufructu dictum, ut locum non habeat, si quis usumfructum, vel facultatem fruendi det ad vitam suam, per ea, quae adducit *Barbos. ad l. usufructu, num.* 16. *ff. solut. matr.* Sed si per pactum sit prohibita, alienatio non est ipso jure nulla.

TITULUS LII.

De Communium Rerum Alienatione.

L. Si nulla. 1.

SUMMARIA

Potest cohaeres pro parte vindicare rem communem, quae ipso ignorante ab altero cohaerede in solidum est vendita. num. 1.
Quod commune est, meum proprie non est. 2.

1 Si duo haeredes habeant rem communem, et unus in solidum eam vendat, ignorante cohaerede; hic vindicare potest partem suam, si res ab emptore non est usucapta, vel praescripta, si vero res est usucapta, potest cohaeres, quasi ratam habendo venditionem, pretium suae partis per utilem negotiorum gestorum actionem, a venditore cohaerede petere. Vid. *l.* 1. *titul. praeced. et l. ult. ff. de Negot. Gest.* vel per Act. Famil. Hercisc. si non potuit separatim negotium expediri, *l. in familia sup. Fam.*
2 *Herc.* Colliges ergo: Quod commune est, meum proprie non esse, *Franc. Caldas de empt. cap.* 10. *num.* 38. *Card. Tusc. concl.* 534. *lit. C. Gamsius in Axiom. Barb. l.* 3. *c.* 32. *Axiom.* 5. Ideoque res communis empta ab uno sociorum semper repeti potest, aut pretium juxta distinctionem jam positam.

L. Multum interest. 2.

SUMMARIA

Fiscus habet hoc privilegium, quod possit rem ex parte modica suam, et ita communem in solidum distrahere, salva manente condomino pretii parte. num. 1.
Extenditur regula. 2.

Aliud est, si privatus rem habens communem 1
cum alio, vendat rem eam in solidum, an vero Fiscus rem habeat communem, illo casu non praejudicatur socio, sed Fiscus habet hoc privilegium, quod possit rem a parte modica suam, et ita communem in solidum distrahere, salva manente condomino pretii parte, *M. Anton. Peregr. de Jure Fisci lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 23. *et ad l.* 32. *ff. de contrah. empt. vendit. n.* 13. Idem esse putant in oppignoratione rei Fi- 2
sco et alteri communiter oppignoratae, *Salyc. hic*, et Locatione, *Card. Tusch. concl.* 542. *lit. C.* Confer. *Caldas cap.* 9. *num.* 30. *Covar. lib.* 3. *Resol. c.* 14. *num.* 8. *Castillo lib.* 3. *contr. c.* 6. *Perez. in h. t. in fin. Fab. de Monte q.* 93. *n.* 56. *Auctor ad l.* 28. *ff. Comm. Divid. num.* 2.

L. Falso. 3.

SUMMARIA

Casus. num. 1.
Non tenetur socius alteri socio s. condomino suam partem vendere. 2.
Limitatur. 3.

1 Habebant duo praedium, volebat unus suam partem vendere extraneo, resistebat alter condominus sed dicebat alter teneri socium potius
2 vendere condomino, vel socio; sed hanc persuasionem falsam esse dicit Imperator, sed sta-
3 tutis locorum, imo ex aequitate, nonnulli putant receptum esse, quod jus protimiseos competat socio, de quo *Molina Tr. de J. et J. D.* 271. *Guido Papae sing.* 780. *Hippolitus de Marsil. sing.* 441. *Klock. vol.* 2. *cons.* 24. *num.* 31. *et seq. Berlich. P.* 2. *concl.* 39. *num.* 11.

L. Portionem. 4.

SUMMARIUM

Haec lex est extensio l. praeced.

Est extensio legis praecedentis, et agitur hic de Milite in specie, an v. g. miles habens commune praedium cum fratre, non tantum suam partem vindicare, sed et fratris partem oblato et soluto pretio, recuperare possit, quod hic negatur. Conf. *l. ratas* 7. *sup. de Resc. Vend.*

L. Si major. ult.

SUMMARIA

Sensus atque dispositio l. num. 1.
Evictio praestanda est licet nihil convenerit super hoc. 2.
Evicta parte, etiam ad partis evictionem praestandam agendum est. 3.
Casus, ubi quis rem communem valide vendit. 4.
Illustratur per exempla. 5.
An si plures socii in alienationem consentiant, etiam pauciores consentire cogantur? 6.

Si major annis 25. praedium mihi tecum com- 1
mune Titio vendidisti, credenti tuum ex asse esse praedium, si pars mea evincatur, tu teneberis ad interesse, et evictionem praestabis. Loquitur autem de majorenni, quia minorennis, si venderet, posset habere restitutionem in integrum, et dicit de nesciente emptore, nam sciens non ageret ad Evictionem praestandam, *l. si fundum C. de Evict.* nisi stipulatione sibi prospexit emptor, *l. si fratres* 7. *C. Communia utriusque judicii.* Collige ex *hoc textu:* I. Evi- 2
ctionem praestandam esse, licet nihil convenerit super hac, *l. non dubitatur* 6. *C. de Evict. Auct. ad l.* 60. *ff. de Evict. et ad l.* 139. *ff. de Obl. et Act. num.* 2. et II. Evicta parte, etiam 3
ad partis evictionem praestandam agendum esse: sed dantur in jure etiam casus, ubi quis rem 4
communem valide vendit, v. g. si socius rem 5
communem venalem vendiderit, quia praesumitur vendita de voluntate omnium sociorum, *argum. l.* 1. *ff. de Inst. Act. l.* 34. *ff. de Pign. Fabian. de Monte d. Tr. Q.* 3. *princ. num.* 57. Sic etiam necessitas facit, ut condominus communem servum noxae dedere, vel communem rem ob commune debitum in solutum dare cogatur, cum et alias socio detur facultas disponendi de re communi, quando non potest rem suam agere, quin agat etiam rem sociorum, *l.* 25. §. 16. *ff. Fam. Herecisc. Donell. l.* 15. *cap.* 15. *lit. G. Rota Genuens. Dec.* 14. *num.* 68. *et seq.* non vero est necesse, ut, si plures socii 6
in alienationem consentiant, etiam pauciores consentire cogantur, *Fab. de Monte d. Q.* 3. *num.* 56.

TITULUS LIII.

Rem alienam gerentibus non interdici Rerum suarum alienationem.

L. Non est. un.

SUMMARIA

Qui obnoxii sunt reddendis rationibus ob administrationem rerum alienarum, licet per sententiam ad hoc condemnati, possunt tamen res suas licite alienare. num. 1.
Limitatio. 2.
Quatenus per constitutionem hypothecae, maxime tacitae, non impediatur alienatio vel translatio dominii? 3.
Non est excutiendus tertius possessor tacitae hypothecae, nisi prius excussus sit debitor principalis. 4.

1 Qui obnoxii sunt reddendis rationibus, ob administrationem rerum alienarum ut Tutores et Curatores, licet per sententiam ad rationes reddendas sint condemnati, possunt tamen res suas alienare licite, sed cum sua causa et onere, id 2
est, salvo jure hypothecae, quod quaesitum Pupillus et adultus, in illorum bonis habent, *l. pro officio* 20. *C. de Adm. Tut.* Colliges ergo *ex hac lege unica:* Per constitutionem hypothecae, ma- 3
xime tacitae, non impediri alienationem vel translationem dominii, nisi adjectum esset pactum de non alienando, *l.* 7. §. *fin. ff. de Distr. Pign. Covarr. lib.* 2. *Resol. cap.* 15. *num.* 3. vers. *secundum hunc etc. Tiraq. de Retr. Convent.* §. 3. *Gl.* 1. *num.* 6. *Petr. Barb. ad l.* 26. §. *fin. num.* 33. *ff. Sol. Matrim. Natta cons.* 472. *num.* 12. Non tamen excutiendus tertius 4
possessor hypothecae tacitae, nisi prius alia administratoris bona excussa sint, *Auth. hoc ita C. de pign. Covar. l.* 1. *Resol. cap.* 8. *num.* 6. *Munoz. de Escobar. tract. de Ratioc. cap.* 39. *num.* 2. *Klock. vol.* 3. *cons.* 116. *num.* 15.

TITULUS LIV.

De Pactis inter Emptorem et Venditorem compositis.

L. Si ea lege. 1. et L. Qui ea lege. 3.

SUMMARIA

Casus l. ejusque dispositio. num. 1.
Pactum resolvendi contractus fit vel verbis directis vel obliquis. 2.
Intellectus h. l. 3. 4.

1 Vendidi tibi fundum, et tradidi ea lege, ut si pretium post annum non solvas, ille sit inemptus, et amissae sint arrhae, juxta *totum tit. de L. Commissoria*, et de *in diem addict.* Non solvis: si tibi ea lege dedi possessionem, ut precario tamdiu possideres, donec pretium solvas, *l.* 15. §. 4. *de Precar.* datur mihi Actio Realis, quod si vero absolute data possessio, sub praedicta tamen Lege Commissoria, non in rem ago, sed actione ex vendito, *l.* 3. *h. t.* quia contractus fides servanda est. Ut autem
2 recte hoc intelligatur, Notandum, pactum resolvendi contractus fieri, vel verbis directis, vel obliquis. Directa sunt, quae significant dissolutionem contractus, quasi ab initio non fuerit celebratus, v. gr. *res sit inempta*, vel *contractus pro infecto habeatur*, et haec verba faciunt Legem Commissoriam, et tunc ipso jure quasi retro manet dominus ipse venditor. Verba obliqua autem sunt, *restituatur*, *pertineret*, et de hac intelligunt *legem primam et tertiam.* Nam
3 *in hac lege tertia* dicitur, quod eo casu non competat utilis in rem actio sed tantum ex vendito ad rescindendum contractum, Ergo non est Pactum Legis Commissoriae, nam et hoc dominium ipso jure resolvitur, et datur in rem actio. Ergo necesse est, dari speciem, in qua resolvatur contractus, non tamen per Legem
4 Commissoriam. An vero etiam in *l.* 1. Lex Commissoria sit intelligenda, dubium est mihi, probabile videtur *in lege* 1. de ipsa Lege Commissoria agi, nam vocabulum, *pertineret*, non videtur aliam significationem habere, quam quod res sit inempta. Sed quidquid sit, discrimen tamen illud probatur ex *l.* 3. de quo *Com. T.* 2. *cap.* 2. *num.* 30. *Covar. l.* 3. *Res. cap.* 8. *num.* 1. *Mol. D.* 378. *num.* 9. *Card. Mant. de tac. et amb. conv. l.* 4. *t.* 29. *num.* 25. *Cald. de Empt. c.* 28. *num.* 24. *Petr. Barb. ad l. si cum dot.* 23. §. *fin. num.* 37. *ff. Sol. Matr.*

L. Si fundum. 2.

SUMMARIA

Loquitur h. l. *de pacto de retrovendendo. num.* 1.
Si ejusmodi pactum fuit adjectum, quandoque datur actio venditi, quandoque actio praescriptis verbis. 2.
Sed pacto hoc interposito, et emptore copiam sui fraudolenter non faciente, ut praescriptum tempus labatur, quaeritur quid juris? 3.
Faciunt nonnulli discrimen inter pactum de revendendo, et pactum de restituendo. 4.
Distinctio illa reprobatur. 5.
Pactum de revendendo transit in haeredem. 6.
Ampliatur. 7.
Si venditor plures habeat haeredes, et unus totum pretium offerat, res illi tota est restituenda. 8.
E contra si plures sint venditores, et unus offerat totum pretium, illi uni emptor rem tenetur restituere. 9.
Limitatur hoc. 10.
Qu. An detur actio ex pacto de retrovendendo contra tertium possessorem? 11.
Si non convenerit, quo pretio res revendi debeat, illud intelligitur, quod tempore revenditionis justum est. 12.
Qu. An ad retro ementem pertineant fructus, ex quo pretium iterum oblatum? 13.

Loquitur de Pacto de retrovendendo, v. g. 1
vendo tibi fundum hac lege, ut mihi vel haeredibus meis fundus restitueretur, quandocumque vel intra certa tempora, si pretium obtulero, ex hoc pacto, si postea pretium obtulero,
datur mihi actio venditi, quae toties datur, 2
quoties pacta non servantur, *l.* 57. *l.* 79. *ff. de contrah. Empt. l.* 4. *pr. ff. de L. comm.* vel actio Praescriptis verbis ex hoc pacto traditione rei vestito, si non in venditione, sed traditione pactum hoc fuerit additum, nec remitti potest hoc jus reluendi per rescriptum, *l.* 7. *h. t.* et post moram agitur ad interesse, *hic l.* 2. *h. t.*
Sed *quid si copiam tui fraudolenter non facias,* 3
ut ita tempus praescriptum labatur? potero denunciare, protestari, vel etiam pecuniam solemniter deponere juxta *l.* 9. *C. de Solut.* per *l.*
7. *h. t.* Licet autem inter pactum de revenden- 4
do, vel restituendo discrimen faciat *Tiraq. de Retr. Convent.* (qui totus tractatus est de hac materia) §. 1. *Gl.* 7. *in fin. Cagnol. hic num.* 14. ita ut ex pacto de revendendo non teneatur praecise vendere, quia est obligatio facti, ex pacto vero de restituendo praecise teneatur, quam opinionem etiam refert *Raudensis decis. Pisana* 16. *num.* 177. et memini etiam eam probari *Barbosa*, parum tamen, aut nihil haec dif- 5
ferre rectius existimant *Pinell. ad l.* 2. *C. de resc. vendit. P.* 2. *cap.* 3. *num.* 27. *Card. Mantica d. l.* 4. *titul.* 31. *num.* 3. et hoc pactum 6
transit ad haeredem, licet sibi ipsi reservaverit reemptionem nulla facta mentione haeredum suorum, quia vox (*ipse*) demonstrat, non excludit haeredem, sed alias personas extraneas, ut

contra *Cagnolum hic num.* 45. recte statuit *Menoch. cons.* 705. *num.* 31. *Fab. de Monte in resolutione hujus legis num.* 6. *quae habetur in ipsius tractatu de vend. sub pacto*
7 *retrovend. p.* 660. Et hoc quod de haerede dictum, adeo verum est, ut licet emptoris haeres sit minor, revendere tamen volenti venditori teneatur rem, etiam sine decreto magistratus, *Boer. Dec.* 182. *num.* 21. *Tiraq. de Retr. Convent.* §. 1. *Gl.* 6. *num.* 28. *Jo. Franc. Balthas. Tit.* 7. *Res. Bav.* 1. *num.* 10. nec datur ei restitutionis beneficium, *l. Æmilius* 39. *ff. de Minor. Tiraq. d. Tr.* §. 1. *Gl.* 2. *num.* 56. *Man-*
8 *tica d. l.* 4. *tit.* 31. *num.* 51. Si autem venditor habeat plures haeredes, et unus haeredum ex pacto offerat totum pretium, emptor tenetur illi totam rem revendere, quia cohaeredes illius, qui obtulit, possunt contra eum, ut rem communicet, agere, *Tiraq. d. tr.* §. 1. *Gloss.* 6. *num.* 37. *Fachin. l.* 2. *c.* 2. *Mantica d. lib.* 4. *tit.* 32. *num.* 27. *Tuschus Concl.* 29. *num.* 24. *lit. P. Berlich. P.* 2. *concl.* 2. *num.* 35. *Balthas.*
9 *d. t. num.* 11. Sicut etiam si eo casu, quo plures ab initio venditores, unus offerat totum pretium, emptor ei uni revendere tenetur, per
10 *l.* 78. §. 1. *ff. de Contrach. Empt.* modo redimens caveat de revendendo partem socio, si aliquando eam velit habere, *Schneidevv. ad* §. *Actionem in titul. de Action. ex empto num.* 20. *Inst. de Act. Boer. Dec.* 251. *num.* 1. *Tusch. concl.* 28. *num.* 1. *lit. P. Carpz. P.* 2. *Const.* 1. *Def.* 11. *Berlich. P.* 2. *concl.* 2. *num.* 32. *Jo.*
11 *Franc. Balthas. d. t.* 7. *num.* 8. Non autem datur haec actio contra tertium possessorem, quia est actio personalis, sed hoc cum distinctione *DD.* proponunt, utrum sc. pactum hoc fiat verbis directis, quibus exprimi solet L. Commissoria vel Addictio in diem, v. g. ut pretio restituto res sit inempta, nam tunc oblato pretio statim transit dominium ipso jure citra traditionem, *argum. l. lex vectigali ff. de Pign.* quando vero pactum exprimitur per verba obliqua, *revendatur, restituatur, revertatur, redeat*, et sim. non datur contra tertium possessorem, *Tiraq. d. t.* §. 1. *Gl.* 7. *num.* 14. *et seqq. Mantica d. tit.* 32. *num.* 64. *et seqq. Dn. Carpz. d. Const.* 1. *Def.* 16. *et seq. Trentac. de Empt. Resol.* 10. *num.* 22. *Fachin. l.* 2. *cap.* 15. licet si v. g. conductor habeat jus protimiseos et possideat rem, huic non quidem actio, sed tamen exceptio dari possit, ut judicatum refert
12 *Mev. p.* 6. *dec.* 145. Et si non convenerit quod eodem pretio sit res revendenda, intelligitur de eo pretio, quod tempore revenditionis justum erit, *Tiraq.* §. 1. *Gl.* 3. *Gozadinus in hac l. num.* 131. *Pruckm. V.* 2. *Cons.* 20. *num.* 41. *Berlich. d. concl.* 2. *num.* 39. *Menoch. cons.* 606. *num.* 28. *Cagnolus hic num.* 93. unde dubitare licet de iis, quae habet *Carpz. lib.* 5. *Resp.* 94. *num.* 7. *et Zoanettus in hac l. num.* 17. *et seqq.* In
13 fine dicitur, oblatione facta pertinere fructus ad offerentem, quia sc. ob pactum hoc videtur nova venditio contrahi, si obtulerit pecuniam, quae conditio cum purificatur, is qui antea vendiderat, pro emptore habendus, ut fructus lucretur, ita tamen, ut postea usuras solvat pretii. Vid. *P. Barb. p.* 3. *Rubr. ff. sol. Matr. n.* 72. *et in l. divortio p.* 2. *num.* 76. *et in l. si mora* 72. *d. t.*

L. Commissoriae. 4.

SUMMARIA

Casus. num. 1.
Deficiente conditione suspensiva, vel existente conditione resolutiva, ipso jure dissolvitur contractus, et dominii translatio. 2.
Potest venditor legi commissoriae renunciare. 3.
Poterit emptor, contractu non impleto, statim cogere venditorem, ut dicat, an lege Commissoria uti velit. 4.
Quando videatur venditor renunciasse huic legi Commissoriae? 5.

Vendidi fundum, ea lege, ut si pretium intra annum non solvas, res sit inempta, quae est ipsa lex commissoria. Sed post annum possum quidem vindicare rem, quod in hoc pacto est speciale, quia traditio tantum facta conditionaliter. Ergo deficiente conditione suspensiva, vel existente conditione resolutiva, ipso jure dissolvitur contractus et dominii translatio, sed Quaeritur: *An meo jure possim non uti, et sic ei renunciare?* Quod affirm. *argum. l. pen. sup. de pact.* quia hoc pactum in favorem venditoris adjectum, modo in continenti additum sit, *Gomez T.* 2. *cap.* 2. *num.* 30. *Covar. lib.* 3. *Res.* 8. *num.* 1. *Molina D.* 378. *num.* 10. *Trentac. d. l. num.* 24. Et alias emptor moras nectendo, posset in sui favorem efficere, ut fundus esset inemptus, *Mantica d. l.* 4. *tit.* 29. *num.* 9. *et seqq. Molina d. l. num.* 2. *Scaccia de Commerc.* §. 1. *Q.* 7. *P.* 2. *Ampl.* 2. *num.* 4. Poterit vero emptor contractu non impleto statim cogere venditorem ut dicat, an lege commissoria uti velit, *l.* 4. §. 2. *ff. de Lege Commiss. Mol. d. l. num.* 2. Tunc autem videtur legi commissoriae renunciare venditor, quando usuras pretii petit, quia hoc ipso pretium etiam petit, quia accessorium sine principali esse nequit, qui autem pretium petit, confirmat contractum, *l. pen. ff. h. t.* et qui usuras dotis promisit, dotem ipsam promisisse videtur, *l.* 2. *C. de dotis promiss. Mantica d. t.* 29. *Mascard. Concl.* 568.

1 (beside "Vendidi fundum … intra"); 2 (beside "liter. Ergo … vel"); 3 (beside "Quaeritur … et sic"); 4 (beside "Poterit vero"); 5 (beside "renunciare venditor")

L. Initio. 5.

SUMMARIA

Casus, quando venditor ad usuras pretii tardius soluti habeat actionem ex vendito. num. 1.
Intellectus legis. 2.
Fidejussor tunc ob moram debitoris tenetur, si in omnem causam spopondit. 3.
Quando in omnem causam spopondisse videatur? 4.

Quando venditor de usuris pretii tardius soluti paciscitur, tunc habet actionem ex vendito etiam ad usuras, cum alias tantum debeantur ex officio judicis non jure actionis, *l.* 21. *pr. ff. Depos. l.* 54. *ff. de Loc. Auct. ad l.* 40. *ff. de act. empt. vend.* ideo hae usurae etiam sorte soluta peti 1

2 possunt, *l.* 1. *C. de judic.* Intelligenda autem lex de eo casu, quando pactum in continenti adjectum, quia pacta contractibus bonae fidei in continenti adjecta, formant actionem ex contractu, *l.* 7. §. 5. *ff. de Pact.* etiamsi nulla stipulatio accesserit, *l. publica* §. *Lucius ff. Depos. l. in bonae fidei* 13. *sup. de Pact.* Collige
3 etiam ex fine: Fidejussorem tunc ob moram debitoris teneri, si in omnem causam spopon-
4 dit, quod tunc tacite factum videtur, quando simpliciter fidejussit, *per l. quaero* 54. *ff. Locati*, de quo *Bacch. in Treutl. D.* 2. *th.* 5. *lit. B. Francus de Fidejuss. cap.* 5. *num.* 6. *Hering. de Fidejuss. cap.* 24. *n.* 216. *Auct. ad alleg. l.* 54. *ff. Loc. cond. num.* 1. 2. 3.

L. Cum te. 6.

SUMMARIA

Omnia pacta servanda sunt legibus non improbata. num. 1.
Potest venditor agere ad rescindendum contractum, si talis conventio adjecta, quae contineat causam praecipuam, et finalem contractus, sine qua non erat contracturus. 2.
H. l. *dicitur notabilis.* 3.
Notat Auctor sententiam n. 2. *positam.* 4.

1 Omnia pacta servanda sunt legibus non improbata, potissimum vero, per quae ipsa res distracta, vel vilius vendita, v. g. vili pretio tibi vendo fundum, ut me alas, hoc non praestas, quamvis in contractibus nominatis ad rescissionem contractus, ob causam non praestitam non agam, *l.* 14. *sup. de Rescind. Vendit.* haec tamen causa finis fuit venditionis, et causam ipsi praebuit, et videtur quidam contractus innominatus concurrere. Et sic colligunt
2 *Saly. Castr.* et alii *ex hac lege*, licet in contractibus nominatis, ob non servatam conventionem, non liceat agere ad rescindendum contractum, *l.* 14. *supr. de Rescind. Vendit.* si tamen illa conventio contineat causam praecipuam et finalem contractus, sine qua non erat contracturus, putant *DD.* posse venditorem agere ad rescindendum contractum, *DD. hic*, qui
3 *hanc legem* propterea dicunt notabilem, et *Tiraq. in Tr. cessante causa p.* 1. *num.* 58. *Cephal. Cons.* 407. *num.* 51. et alii, quos magno numero hic congessit *Aug. Barbosa.* Sententia
4 tamen mihi videtur suspecta ob verba, *quando non impleta promissi fide, dominii tui jus in suam causam reverti conveniat*; quae verba videntur exprimere formam conventionis, et hunc intellectum *Glossa* in verbo *conveniat*, primo proponit, licet ab ea recedat: Sed hunc intellectum probat *Cujac. ad hunc tit. et Auctor Colleg. Argent. in Tit. de contrah. Emptione th.* 54.

L. Si a te. 7.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
Qu. An sine traditione ipso jure transferatur dominium? 2.
Explicatio l. 3.
Qui a contractu vult recedere, is debet prius totum illud restituere, quod ex contractu percepit. 4.

Vendidisti mihi fundum centum florenis, hac 1
conditione, ut si intra annum solveris centum, fundus sit inemptus. Sed offers preces Principi, in quibus narras, me forte moras nexurum in acceptando pretio, et sic petis, ut ille annus prorogetur. Respondet Imperator, suum non esse, conventionem partium mutare et jura partium, et posse te denunciare mihi, et pretium deponere ac consignare, quia autem hic non de lege commissoria sermo est, sed de pacto, de retrovendendo, Quaeritur: *An sine traditione* 2
ipso jure transferatur dominium? Et juxta ea quae tradita sunt ad *l.* 2. *h. t.* omnino hoc videtur dicendum, nam reperitur hic verbum directum, *res sit inempta.* Vid. *Carpz. P.* 2. *C.* 1. *Def.* 16. *et Covar. d. Res.* 8. *num.* 2. *vid. A. ad l.* 1. *ff. de leg. Commiss. num.* 4. 5. et alii, quos supra allegavi, licet reclamet *Molina D.* 378. *num.* 4. *Et Gomez d. c. num.* 39. Confer. *Tiraq. d. tr.* §. 4. *Gl.* 6. *num.* 3. Sed cur hic 3
depositionis fit mentio, cum tamen sola oblatio videatur sufficere? Resp. *P. Barbosa ad l. si mora* 72. *ff. sol. matr.* quod in *d. l.* 2. agatur de venditione conditionali per obligationem purificata, hic vero de rescindenda venditione, quamvis dici possit, hic expressam esse conditionem, si soluta fuerit; quae sola oblatione non impletur: Conf. *Cephal. cons.* 207. *num.* 52. Ex hoc textu etiam colligunt, eum, qui a con- 4
tractu vult recedere, debere restituere prius totum illud, quod ex contractu percipit, *Hipp. Riminaldus vol.* 1. *Cons.* 5. *num.* 2. *quod multis declarat num.* 71. *et seqq.*

L. Tempore contractus. 8.

SUMMARIUM

Pactum in venditione appositum per aliud pactum tolli potest.

Pacta in venditione apposita per aliud pactum posterius possunt utriusque contrahentis consensu tolli, per *l. pacta novissima C. de pactis.*

L. Si quis. ult.

SUMMARIA

Valet pactum, ne liceat emptori in loco empto monumentum extruere, vel alio modo humano juri eximere. num. 1.
Respondetur ad l. pen. ff. de pact. 2.

Haec l. est una ex novis decisionibus. 3.

1 Valet pactum, ne liceat emptori in loco empto monumentum extruere vel alio modo hu-
2 mano juri eximere, nec obstat *l. pen. ff. de Pact.* ubi non est pactum circa traditionem rei meae, ut hic, ubi potest venditoris interesse, et cuilibet licet legem rei suae, quam vult, ponere. Quamvis etiam dici possit cum *Cujacio* ad *hunc tit. in fine*, quod per *hanc legem* illi derogatum sit, quia haec una est ex novis Decisionibus. 3
Castrens. in l. quoties ff. de Servit. d. l. pen. de eo casu intelligit, quando venditoris nullo modo interest, sed *haec lex* de praesumpto interesse loquitur. Et sane ex *hac lege* colligitur, apud veteres dubitatum hac de re esse; apparet etiam, semper interesse ipsius venditoris praesumi. Ergo ad interesse agere potest, sed fundus vindicari nequit, nisi placeat, ut non impleta conditione fundus sit inemptus, juxta ea, quae ad *l.* 2. *et* 7. dicta sunt.

TITULUS LV.

Si Servus exportandus veneat.

L. Lege. 1.

SUMMARIA

Casus l. ejusque decisio. num. 1.
Conditio haec ut servus exportetur, addebatur plerumque ob securitatem venditoris, vel ob vindictam. 2.

1 Servus ea lege venditus, ut Roma exportaretur, secundum legem venditionis Roma est exportatus, et manumissus ab emptore, manumissio valet, sed manumissus servus jam Romam venit. Contra emptorem nulla datur actio, quia ille legi venditionis paruit, neque datur injectio manus in liberum hominem, quia haec pactio injiciendae manus, seu occupandi servum propria auctoritate, sine auctoritate judicis, adhaeret personae servi. Sed hoc casu fiet servus fisci. Sed si ante manumissionem Romae moretur, tunc datur manus injectio. Conditio
2 autem haec, ut servus exportetur, addebatur plerumque ob securitatem venditoris, vel ob vindictam.

L. Si ut. 2.

SUMMARIUM

Sensus atque dispositio l.

Quando hac conditione servus venditur, ut exportetur, sed de manus injectione nihil dictum, sed addita poenalis stipulatio, ad poenam aget, et servus acquiritur Fisco, nisi domini voluntate moretur in loco prohibito, quod vel de domino veteri accipiendum, quod sc. si consensu veteris domini in loco excepto moretur, non debeatur poena, juxta *l.* 1. *ff. h. t.* vel de domino novo, hoc sensu, quod si sine ejus consensu ibi moretur, dominus ad poenam teneatur.

L. Ancilla. 3.

SUMMARIUM

Ancilla contra pactum de exportando in loco excepto manumissa libera non fit.

Ancilla contra pactum de exportando in loco excepto manumissa, libera non fit, sed Fisco acquiritur.

L. Moveor. 4.

SUMMARIUM

Si servi dominos suos hac lege, ut exportentur, vendiderint, capitali supplicio afficiuntur.

Si servi dominos suos hac lege, ut exportentur, vendiderint, servi capitali supplicio afficiuntur, quae omnia sunt plana et ad forum nostrum parum faciunt.

L. Qui exportandus. ult.

SUMMARIUM

Servus, qui ea conditione venditus, ne in aliqua civitate moraretur, nec Romae morari potest.

Servus, qui ea conditione venditus, ne in aliqua civitate moraretur, nec Romae morari potest, quia Roma est civitas communis.

TITULUS LVI.

Si Mancipium ita venierit, ne prostituatur

L. Praefectus urbi. 1.

SUMMARIA

Dispositio legis. num. 1.
Amor castitatis et honestatis in nostris LL. ob pudicitiam foemellae dominium adimit impuro lenoni. 2.
Differentia inter pactum de exportando, et pactum, ne prostituatur. 3.
Qui prostituunt suas ancillas, puniuntur ut lenones. 4.

1 Si ancilla ea conditione vendita, ne prostituatur, si contra fiat, licitum fore venditori manus injicere, et eam abducere. Si de facto prostituatur, poterit venditor eam abducere propria auctoritate, hoc per se liquidum; sed quid si ex post facto consenserit venditor, ut prostitueretur, eo casu libertatem acquiret ancilla mi-
2 sera. Nota bene: Amor castitatis et honestatis in nostris legibus ob pudicitiam foemellae dominium adimit impuro lenoni, ut ancilla a necessitate peccandi, et impuris complexibus liberetur, etsi ancilla in plures fuerit alienata, v. g. a primo emptore in secundum, a secundo in tertium, semper tamen primus retinet manus injectionem, quia hoc pactum est reale, et af-
3 ficit rem ipsam alienatam. Et Notetur differentia, inter pactum de exportando, et hoc, ne prostituatur, illud potest remitti, non hoc, quia remissio esset turpis, et venditor, qui passus est puellam miseram prostitui, amittit manus injectionem, ut pater privatur potestate, creditor jure pignoris, Dominus dominio. Collige
4 etiam; Eos, qui prostituunt suas ancillas, ut lenones puniri, *l. athletas* 4. §. 2. *ff.* de *His. Qui not. infam. l. Lenones C. de spectac. Farin. qu.* 144. *num.* 18. *et seqq. Menoch. l.* 2. *A. Q. Casu* 534. *num.* 33.

L. Mulierem. 2.

SUMMARIA

Dispositio legis. num. 1.
In causis piis judex ex officio procedere potest. 2.
Casus, ubi manus militaris tuto adhibetur. 3.

Vendidi ancillam ea lege, ne prostituatur, et 1
si contra fiat, ut foret libera. Haec conditio differt ab ea quae *in lege prima* dicta est, nam ibi manus injectio reservata, hic libertas puellae reservata. Sed emptor rupta fide prostituit, hic vult Imper. castitatis amicus, ut judex ex officio super ea conditione acquirat, et sive scripta sit illa conditio, sive testibus vel alias probari possit, manu militari ancillam debet eripere, et super ejus libertate pronunciare, si pactum probari possit. Colligunt *ex hac lege DD.* 2
in causis piis judicem ex officio procedere posse, *Tiraq. de privil. piae causae priv.* 152. *Surdus de aliment. tit.* 8. *priv.* 4. *in fine*, et quos citat *August. Barbos. hic.* Notetur etiam casus, Ubi manus militaris tuto adhibetur, sc. favore 3
libertatis et pudicitae.

L. Eam. ult.

SUMMARIUM

Cum quid prohibetur, simul etiam illa censentur prohibita, per quae pervenitur ad illud.

Sententia plana est, qua prohibetur prostitui, ne quidem in caupona, sub specie ministrandi, prostituenda, ne fraus legi fiat. Collige: Cum quid prohibetur, simul etiam illa prohibita esse, per quae pervenitur ad illud, *hic et l. fin. sup. de rebus alienis non alienandis; Axiom. Barbosae locupletata l.* 14. *c.* 93. *Axiom.* 18. Et prohibitum in termino, prohibitum etiam est in via, *Jason. in l.* 2. *ff.* de *Flumin.*

TITULUS LVII.

Si mancipium ita fuerit alienatum, ut manumittatur vel contra.

L. Si Patroclus. 1.

SUMMARIA

Ancilla sub conditione manumissionis vendita, si non manumittatur, ipso jure fit libera. n. 1.
Limitatio. 2.
Intellectus. l. 1. ff. qui sine manumiss. 3.
Qui alteri quid vendit ea conditione, ut donet Ecclesiae, non potest revocare. 4.

Si quis ancillam suam mihi vendat, ut, si vi- 1
ginti annos serviisset, libera esset, si ergo huic legi non paream, nec manumittam, ipso jure fit libera *ex Constitut. Divi Marci*; hoc *in hac lege* favore libertatis ad donationem extenditur,
et hoc Limitatur, nisi ante tempus completum 2
mutaverit venditor vel donator voluntatem, nam si poeniteat eumdem, non fit libera ex constitutione, sed potest tamen libera fieri facto Emptoris, si velit manumittere, *l. quaesitum* 8. *ff.*

de Servis Export. Auct. ad alleg. l. 3. *ff. de*
3 *serv. export.* quod vero dicitur in *l.* 1. *ff. Qui sine manum. ad libertatem etc.* mancipium etiam mutata voluntate pervenire ad libertatem, id de casu ab initio proposito intelligendum, si venditor et emptor sine haerede mortui fuerint, *Cujac. ad hunc tit.* licet paulo aliter *Caldas de extinct. Emphyt. c.* 19. *num.* 32. *et* 33. quem refert *hic Barbos.* quod scilicet servus, qui hac conditione venditus, mutata voluntate venditoris, vel donatoris, non quidem ex constitutione D. Marci libertatem ipso jure consequatur, sed tamen officium judicis a servo implorari, et ad libertatem proclamari possit, per *l. qui Romae* 22. §. 2. *ff. de V. O. et d. l.* 1. *Qui sine manumiss. etc.* et ideo contra *Bartolum hic August. Barb.* allegatis multis auctoritatibus statuit,
4 eum, qui alteri vendit ea conditione, ut Ecclesiae donaret, id non posse revocare.

L. Si ea lege. 2.

SUMMARIUM

Servus sub conditione manumissionis venditus ipso jure fit liber, si conditioni non pareatur.

Orestes filium suum naturalem, eumdemque servum suum, quae ex ancilla sustulerat, vendidit ea conditione, ut emptor eum manumitteret; si intra tempus conventum non manumittatur, ex allegata Constitutione *D. Marci et Commodi* ipso jure liber est, *Auct. ad l.* 3. *ff. de serv. export. num.* 1.

L. Si Justa. 3.

SUMMARIUM

Extensio hic fit Constitutionis laudabilis D. Marci.

Justa Saturnino puellam vendit ea conditione, ut si 25. annorum esset, libera esset, non dixit venditrix, manumittendam eam esse, de quo casu proprie constitutio laudabilis *D. Marci* loquitur, sed impersonaliter dicit, *libera sit*, sed ad hunc etiam casum illam constitutionem extendendam esse respondet Imperator. Si ergo verba pacti ad factum emptoris, sive ad ipsam rem seu ancillam dirigantur, transacto tempore erit libera, ex praelaudata constitutione; sed pone, anno aetatis 27. eam manumissam esse, quid de partu, quem anno 26. aetatis enixa, dicendum, ingenuus ne est? Resp. Imper. affirmative, quia se. jam antea libera erat.

L. Si is. 4.

SUMMARIA

Ancilla sub conditione manumissionis vendita ex eo libera censetur, ex quo libertas dari potuit, nec tamen data est. num. 1.

Nati ex taliter vendita ancilla, quae ex Constitut. D. Marci *ipso jure libera facta, ingenui erunt.* 2.

Explicatur l. 3. §. 3. ff. de Condict. causa data et l. 5. §. 2. ff. Praescript. verb. 3.

Quando pecunia numerata datur pro manumissione servi domino, semper est quasi venditio. 4.

Emi a te servam pretio 20. sed dimisi eam 1
apud te hac conditione, ut manumitteres, hoc debuisses facere statuto tempore, sed non fecisti. Respond. Imper. ex eo, cum posset dari libertas, et non est data, eam liberam esse, et ideo nati ex taliter vendita ancilla, quae ex con- 2
stitutione *D. Marci* ipso jure libera facta, ingenui erunt. Sed hoc ad legatam manumissionem non extenditur, *l.* 81. §. 2. *ff. de Legatis* 1.
Videtur obstare *l.* 3. §. 3. *ff. de Condict. causa* 3
data, et l. naturalis 5. §. 2. *ff. Praescriptis verbis*, ubi ejus pecuniae, quae datur ob eum finem ut servus manumittatur, datur repetitio. Sed aliud est dare domino eo fine, ut servum suum manumittat, aliud vero emere, et ea conditione dimittere, quando autem posterius factum praesumendum sit, id ex circumstantiis et quantitate pecuniae aestimandum. Vel dicendum est, quando pecunia numerata datur pro 4
manumissione servi domino, semper esse quasi venditionem, et ad hanc quasi venditionem extensam esse constitutionem D. Marci, *l.* 38. §. 1. *ff. de Lib. causa.* Aliud vero rem aliam dare, ubi non potest esse quasi venditio, deficientibus terminis habilibus.

L. Ea quidem. 5.

SUMMARIA

Si servus ita venditus, ne manumittatur, emptor manumittens nihil agit. num. 1.

Facilius contra prohibitionem fit alienatio, quam manumissio. 2.

Quod si ita venditum, ne manumittatur: em- 1
ptor manumittens nihil agit, quod hic speciale ad aliam prohibitionem alienationis factam per hominem, non trahendum, *hic et l.* 9. *ff. de Manum. l.* 9. *in fin. ff. Qui et a Quibus etc. et Auct. ad allegatas leg. ad l.* 26. *ff. de contrah. empt. num.* 4. 5. 6. quod ideo placuit, ut servi in officio contineantur, nec quid committant, quo dominos ad hujusmodi poenam incitent, *Donell. in l.* 115. §. 3. *num.* 7. *de V. O.* Et sane facilius contra pro- 2
hibitionem fit alienatio, quam manumissio, quia libertas semel data difficulter revocatur, §. *semel. Inst. qui manumissi liberi non fiant.* In cujuscumque ergo emptoris manus pervenerit servus, a nemine manumitti potest, nam omnes pactiones, quae his titulis proponuntur, personae servi adhaerent. Sed Quaeritur etiam in hac lege, quid si stipulatio poenalis addita in venditione, scilicet centum solveris, si manumiseris, an hoc casu debeatur poena, si contraveniat emptor? quod hic negatur, quia ad libertatem non pervenit.

L. Si puellam. ult.

SUMMARIUM

Quod in l. praeced. *dictum de poenali stipulatione in pacto de non manumittendo, id in* h. l. *extenditur ad pactum affirmativum de manumittendo.*

Quod autem dictum de poenali stipulatione, in *l. pen.* in pacto de non manumittendo, id in *hac leg.* extenditur ad pactum affirmativum de manumittendo. Pone me vendidisse puellam, ut intra annum manumitteretur, scilicet verbo impersonali. Quaeritur: 1. *An libertatem consequatur, si non sit manumissa?* Affirm. *ex l.* 3. Quaeritur: *An poenam possit petere venditor?* Et Resp. Negative, quia licet non ab emptore manumissa, tamen a lege est manumissa, lex supplet factum hominis.

TITULUS LVIII.

De Aedilitiis Actionibus.

L. Si non. 1.

SUMMARIA

Aedilitiae actiones duae sunt, redhibitoria, et aestimatoria. num. 1.
Qu. Si quis vendiderit scienter atque dolose servum fugitivum, an detur actio aedilitia? 2.
Qu. An hoc in casu venditor teneatur restituere damna? 3.
Si emptor sciat vitium, non datur ipsi actio. 4.
Qu. An hic supina negligentia vel emptorem vel venditorem relevet? 5.

1 Aedilitiae Actiones duae sunt, sc. Redhibitoria, ad redhibendam rem dicta, et Aestimatoria, seu quanti minoris, ad remissionem partis pretii, ob vitium rei. Et quamvis de utroque actione empti agi possit per *l.* 11. §. 3. *ff. de Act. Empti;* Aediles tamen in specie huic rei providere voluerunt, et dare actionem poenalem. Nam si judicis arbitrio venditor non paruerit, crescit in duplum actio aedilis, quia poenalis et arbitraria est, per *d. l.* 45. *l.* 23. §. 4. *et l. redhibitoria* 25. *ff. h. t.* ut *Cujac. ad hunc tit. et Zasius ad §. praeterea Inst. de Action. num.* 11. *Ravennas sing.* 777. *Menoch. l.*
2 1. *A. Q. num.* 25. Pone ergo me dominum, servum fugitivum, vel alias vitiosum, non simpliciter, i. e. per ignorantiam, sed scienter et ita dolose, eo quod vitium illud absconditum revelare debuissem, *l.* 4. §. 3. *ff. h. t. Molina de J. et J. D.* 253. *num.* 2. tibi vendere, jam ille servus a te fugit, res quasdam secum abstulit, ne solus fugeret, Quaeritur: 1. *An hic detur aedilitia actio?* Videtur quod non, quia hic non est corporis, sed animi vitium. Sed affirmatur, quia hoc vitium animi, quia corpus servi reddit inutile; omnino detegendum erat,
3 *d. l.* 4. §. 3. *ff. h. t.* 2. Quaeritur: *An etiam teneatur restituere damna?* Et Resp. si ignorans vitium vendidit, non teneri ipsum, sed si sciens, non tantum ad pretium restituendum, sed etiam ad omne interesse ipsum teneri, *l. Julianus* 13. *pr. ff. de Action. Empt. l.* 23. §. 8. *ff. h. t. Fabianus de Monte qu.* 6. *num.* 56. *Myns. Cent.* 1. *obs.* 56. *num.* 7. *Dan. Moller. lib.* 1. *Semest. c.* 45. *num.* 6. *Jo. Franc. Balthasar. tit.* 6. *resol. Bavar.* 4. *num.* 8. Collige etiam *ex hoc textu;* si emptor sciat vitium, non dari ipsi 4
actionem, quia sciens non fallitur. Sed *quid si ignoret quidem, supine et crasse, annon tunc pro sciente habebitur?* Resp. per distinctionem, 5
aut scivit venditor, aut ignoravit, si ignoravit licet etiam supine, emptor non habet actionem, quia supina ignorantia pro scientia est. Sed si scivit venditor, dolus ejus culpae emptoris praeponderat, *arg. l.* 38. *in fin. l.* 55. *ff. h. t. Gloss. in l.* 19. §. *fin.* in voce, *currit, ff. h. t. J. Pet. Surdus D.* 146. *n.* 24. *Marta tom.* 1. *ff. in tit. de Act. c.* 15. *Cab. de Aed. Act. c.* 2. *num.* 23. *Treut. v.* 2. *disp.* 2. *th.* 2. *Auct. ad l.* 14. *ff. h. t. num.* 24.

L. Cum proponas. 2.

SUMMARIA

Differentia inter actionem redhibitoriam et quanti minoris. num. 1.
Conciliat. l. 19. §. ult. ff. h. t. *cum* l. 55. ff. eod. 2.
Praescriptio cum mala fide hic currit. 3.

Inter has actiones, Redhibitoriam scilicet et 1
quanti minoris, hoc interest, quod Redhibitoria regulariter 6. menses duret, si ob vitium res redhiberi debeat, alias 3. menses, *l.* 19. §. 6. *et l.* 38. *ff. h. t.* si ob ornamenta redhibeatur, sed Aestimatoria datur intra annum. Ergo si post annum fugiat servus, non est locus Redhibitoriae, per *hanc legem,* utrumque autem tempus utile est, ab initio scil. quia non currit, nisi a die scientiae, *l.* 55. *ff. h. t.* Sed id pugnare videtur cum 2
l. 19. §. *fin. ff. h. t. Conf. Auct. ad coll. d. leg. ff. h. t.* ubi dicitur, redhibitoriam, currere a die venditionis: quidam dicunt supplendum esse *d. l.* §. *ult. ex l.* 55. si a die venditionis statim sciverit: quidam inter probabilem, et supinam ignorantiam distinguunt, *Gomez T.* 2. *Resol. c.* 2. *num.* 48. *Tholos. lib.* 25. *Syntag. c.* 21. *num.* 16. Sed duriores videntur conciliationes, *Bacchov.*

in *Treutl. vol.* 2. *D.* 2. *th.* 3. *Lit. B.* aliam conciliationem quaerit, quod sc. Actio Redhibitoria, quia odiosior, a die venditionis currat, non ita vero Aestimatoria, sc. quanti minoris, quae a die scientiae demum currit: sed adhuc obstat *d.* §. *ult.* quia dicitur, tempus etiam redhibitoriae esse utile, certe aut dicendum, tempus in decursu etiam utile intelligi, ut communiter contra *Glossam hic* teneri dicit *Salyc. num.* 3. et ex eo *Bacch. d. l.* aut dicendum in redhibitoria mancipii esse quid speciale, quod tempus sit
3 continuum. Collige ex *hac lege*: Praescriptionem cum mala fide hic currere, *Covar. in c. Possessor P.* 2. §. 11. *num.* 5. *Molina d. D.* 353. *num.* 5. *Auct. ad l.* 28. *ff. h. t. n.* 2. et valde dubiam reddi sententiam communem, quod duplex sit actio quanti minoris, altera civilis, altera praetoria; nam sic insufficiens hic esset enumeratio partium, *Sichard. ad Rubr. hujus. tit. in fine.*

L. Si apud. 3.

SUMMARIA

Qu. An quis teneatur, si servum vendiderit, qui antea fugiendi consuetudinem non habuerit? num. 1.
Casus post emptionem obveniens ad emptorem pertinet. 2.
Quomodo in vitiis corporis, et morte animalis soleat in hac materia distingui. 3.
Qu. An si venditor de futuro vitio promittat, ex ea promissione teneatur. 4.
Leges ad impossibilia neminem obligant. 5.
Quid si servus ad ipsum dominum fugiat? 6.

1 Vendidi servum, qui antea fugiendi consuetudinem non habebat, Quaeritur: 1. *An tenear?*
2 Resp. Quod non, quia casus post venditionem interveniens, ad damnum emptoris pertinet; sed quaeritur, quid praesumendum sit annon fugae vel alind vitium praecesserit venditionem?
3 In vitiis corporis et morte animalis solet alias distingui, utrum intra breve tempus, v. g. intra triduum moriatur, an vero postea; Illo casu videtur vitium fuisse ante venditionem, sed post aliquod temporis spatium probatio incumbit emptori, quod ex eo vitio mortuum fuerit, *Masc. de Prob. concl.* 616. *num.* 8. *concl.* 633. *Alciatus Reg.* 2. *Praesc.* 26. *num.* 11. *Surdus Dec.* 146. *num.* 18. *Ripa de Peste c.* 7. *num.* 141. *Caballin. d. c.* 2. *num.* 26. *Jo. Franc. Balt. d. Res.* 4. *num.* 11. *Auct. ad l.* 1. *ff. h. t. n.* 12. 13. Sed melius est
4 curare, ut excorietur animal. Quaeritur: *Si venditor de futuro vitio promittat v. g. servum nunquam fugiturum, an ex ea promissione teneatur?* Resp. Imp. quamvis hoc impossibile videatur, idest, difficile, ut *Gl. hic*, nam si vere impossibile esset, non tene-
5 retur venditor, cum jura nostra ad impossibilia neminem obligent, ex pacto tamen hoc in continenti venditioni addito, agi posse, quia venditor videtur promisisse se curaturum, ne fugeret, et ita non promisit factum alienum.
6 Quaeritur: 3. Sed *quid si ad ipsum dominum fugiat servus?* Resp. Imper. ea de re judicem cogniturum, an dolo venditoris fugerit, nam tunc daretur actio servi corrupti, an vero sine dolo, et tunc daretur Rei Vindicatio, vel Publicana.

L. Si praedium. 4.

SUMMARIA

Datur quandoque actio redhibitoria ex conventione. num. 1.
Qu. quae hic intelligatur actio? 2.
Pactum resolutivum contractus, formatum quamvis ad formam legis commissoriae, non tamen ipso jure resolvit contractum. 3.
Exempla actionis redhibitoriae in factum. 4.
Ob fundum pestiferum datur redhibitoria actio. 5.

Datur Redhibitoria Actio interdum ex conventione, ut si fundum vendam ea conditione, ut si displicuerit, inemptus fiat, nam si postea displiceat, agetur redhibitoria actione, quae est prima pars hujus legis. Sed Quaeritur: 1
Quaenam haec sit actio? Resp. non est proprie 2
Actio Redhibitoria, sed est Actio in factum, et datur tantum intra 60. dies utiles, *l.* 21. §. 22. *ff. h. t.* ex quo probatur, si ita indefinite formetur conventio, non tamen licere post 60. dies ex hoc pacto redhibitoria agere, nisi placuerit, ut quandocumque vellet res esset empta, quae conventio valet, *d.* §. 22. *Menoch. lib.* 1. *A. Q. cons.* 22. *num.* 12. *et seqq. Dn. Mevius in jure Lubec. l.* 3. *tit.* 6. *Art.* 14. *num.* 9. *Caballin. d. tr. c.* 2. *num.* 34. *et seq. Covar. l.* 1. *Resol. c.* 9. *num.* 4. Ex hoc textu probare intendit *P. Barb. ad l. si mora ff. sol. matr. p.* 2. *n.* 70. pactum resolutivum contractus formatum 3
ad formam legis Commissoriae, non tamen ipso jure resolvere contractum, ut facit lex Commissoria, sed per redhibitoriam revocari contractum, sed Redhibitoria non revocat ipso jure. Hoc est primum exemplum actionis redhibito- 4
riae in factum, alterum est *in l.* 31. §. 21. *ff. h. t.* si venditor nolit de natione mancipii enunciare. Tertium, si non caverit de his, de quibus cavere debet, *l.* 28. *ff. h. t.* Item ad pretium, cum facta fuerit redhibitio sine judice, *d. l.* 31. §. 17. *ff. h. t.* quamvis nihil interesse putet *Bacch. ad Treutl. d. D.* 2. *th.* 4. *Lit. B.* sive in judicio sive extra fuerit redhibita, ubi etiam hanc actionem putat esse perpetuam etc. quod casus tradit *hic Glossa.* In secunda parte 5
legis de fundo pestifero agitur, forte ob herbas pestiferas, vel serpentes lethiferos, ob quae datur Redhibitoria Actio, quod per se planum.

L. Habito. ult.

SUMMARIA

Qui allegat servi vitium, probare illud debet. num. 1.
Qu. An haec lex in aliis contractibus locum habeat? 2.

1 Qui allegat servi vitium, debet illud probare, quod per se patet, et in omni aedilitia actione est perpetuum. Vel non potest agere, nisi exhibere queat, nam si alii vendidit licet viliori pretio, non potest hac actione experiri, *Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 341. debet enim omnia restituere; quaeritur autem, an in aliis contractibus 2
locum habeat? Et respondetur de contractibus venditioni similibus, ut permutatione, et divisione, et datione in solutum, non vero in locatione, *Treutl. et ibi Bacch. disp.* 2. §. 1. *lit. G.*

TITULUS LIX.

De Monopoliis, et Conventu Negotiatorum illicito, vel artificio ergo laborum, nec non balneatorum prohibitis et pactionibus illicitis.

L. Jubemus. un.

SUMMARIA

Monopolium est prohibitum. num. 1.
Ampliatur. 2.
Monopolii poena. 3.
Negotiatoribus interdicitur conventio, ne res pretio viliori vendatur, quam ipsorum consensu communi statutum. 4.
Interdicitur ea conventio, ne quis alter, quod alteri commissum, et nondum perfectum est impleat. 5.
Privata auctoritate non potest monopolium constitui. 6.
Potest tamen constitui publica auctoritate certis de causis. 7.
Quinam Monopolii rei sint? 8.
Et qui ejus rei fieri possint remissive? 9.

1 Monopolium, sive jus, ut quid solus vel certi homines soli, possint merces suas vendere quas-
2 cumque, est prohitum, licet id Rescripto Principis vel pragmatica sanctione confirmatum, qui
3 autem fecerit aliquod, bonis propriis spoliatus perpetuo exilio damnatur, ratio in *t. t. sup. si*
4 *contra jus et utilitatem publicam.* II. Negotiatoribus interdicitur conventio, ne res pretio viliori vendatur, quam ipsorum consensu communi statutum sit, primatibus negotiationis ob id 40. lib. auri mulctandis, et judice negligente 50.
5 lib. auri mulctando. III. Interdicitur conventio, ne quis alter, quod alteri commissum et nondum perfectum, impleat, nam haec omnia communem laedunt utilitatem. De istis Monopoliis, videatur *Constitutio Politica Anno* 1574. *Art.*
6 18. Collige ergo ex *hac lege*: I. Privata auctoritate non posse Monopolium constitui, v. g. quando tempore abundantiae pauci soli frumentum emunt, aliosque in emptione impediunt, animo carius vendendi, ut tempore caritatis pluris soli vendant, de quo *Molina Tr.* 2. *D.* 345. *num.* 8. *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 569. *num.* 5. et 6. *Decianus in tr. crim. l.* 7. *c.* 2. *num.* 1. *Tholos. l.* 30. *Synt. c.* 30. *Farin. P.* 2. *fragment. num.* 292. Exempla Monopoliorum recenset *Klock. Vol.* 1. *cons.* 10. *n.* 835. *et cons.* 29. *n.* 984.
Interdum vero publica utilitate urgente, ex pu- 7
blica auctoritate paucis negotiatio certarum mercium concedi potest, puta si Resp. mercibus indigeat, nec sit, qui ob ingentem laborem, aut impensas majores, aut pericula eas apportare velit, tunc licitum erit, consideratis circumstantiis, et taxato modico pretio, tale privilegium uni vel paucis concedere, *Molina D.* 345. *num.* 3. *Azorius P.* 3. *Instit. moral. lib.* 9. *cap.* 28. Quin si negotiatio vel manuaria ars in populo ante hac nunquam exercita, et illi ad nos derivandae operam suam spondeat, sed privilegio indigeat, ne ab alio turbetur? Vid. *Dn. Mevius p.* 3. *dec.* 70. Ideo in *Ord. Politica* prohibentur Monopolia, (*welch e betrüglich, gefährlich und ungebührlich seyn.*) Quin et ad locupletandum aerarium publicum institui posse Monopolium tradunt *Scaccia de Commerc.* §. 1. *qu.* 7. *P.* 3. *Limit. num.* 15. *Carpz. dec.* 4. *Surdus concl.* 321. *num.* 21. *Dn. Marquardus de jure mercat. l.* 4. *c.* 7. *n.* 1. et hujus, si probabilem rationem habeat, confirmationem etiam inferiori Magistratui competere tradit *Dn. Mevius p.* 3. *dec.* 284. *conf. Carpz. dec.* 4. in quo tamen magna cautione opus, *Decianus d. c.* 21. *num.* 5. et praecipue *Casp. Klock. de Aerario lib.* 2. *c.* 26. *num.* 10. *et seqq.* II. Monopolii eos 8
reos esse, qui conveniunt decreto pretio, quo minoris nemo vendere debeat, vel si convenerit, ut nemo tabernam minori pensione locare debeat, aut nemo nisi certa mercede operas suas locare possit, ut nemo emat ultra certum et conventum pretium, *Menoch. d. casu* 569. *num.* 3. *et* 10. *Farin. P.* 2. *fragment. num.* 290. *Decianus d. c.* 21. *num.* 7. *Molina d. l. num.* 2.
Alii, a quibus committi possit Monopolium, vi- 9
deantur apud *Menoch. Farin. Decian.* dictis locis, et *Tuschum concl.* 358. *Lit. M. Sichard. ad legem hanc num.* 4. *Surdus cons.* 321. *num.* 21. *Scheplitz. P.* 4. *Consuet. Brand. T.* 4. §. 7. *Klock. d. l.*

TITULUS LX.

De Nundinis et Mercationibus.

L. Qui exercendorum. un.

SUMMARIA

Privilegia nundinarum causa. num. 1.
Notatur Carpzovius. 2.
Ex contractibus in nundinis initis juste agitur. 3.
Mercator, qui de fuga est suspectus, non obstante privilegio nundinarum detineri potest. 4.
Quod concessum in termino, videtur etiam in via concessum. 5.
Solus princeps habet jus instituendi nundinas. 6.
Diebus divino cultui consecratis nundinae male instituuntur. 7.

1 In Nundinis nemo conveniendus est praetextu privati debiti, nec bona mercatorum arrestentur, nec aliquid exigatur ex rebus venalibus et servis, nisi quis in ipsis nundinis contrahat, *l.* 19. *ff. de judic.* Vid. *Hillig. in Donell. lib.* 24.
2 *C. 7. Lit. R. Carpz. Part.* 1. *Const.* 30. *D.* 26. ubi *definitione* 21. hoc privilegium ad solos mercatores restringit, per verba *in principio legis.* Verum dubia haec sententia, quia textus de concurrentibus in nundinis loquitur, et mercimoniorum cursus non minus emptores quam venditores requirit. Vid. *hic Salyc.* Sed et privilegium hoc ad contractus ante nundinas initos
3 adstringitur. Ex contractibus enim in nundinis initis juste agitur *argum. l.* 19. *ff. de judic.* qui enim merces ab extraneo emit in nundinis, eo animo accipere videtur, ut statim pretium solvat, nec enim praesumitur fidem habere velle, *Wesenb. in n. h. t. Carpzov. d. Const.* 30. *def.* 26. *Hillig. in Donell. lib.* 21. *cap.* 7. *lit. R. Petrus Peckius de Jure sistendi cap.* 7. *num.* 3. *Christinaeus vol.* 3. *dec.* 99. *num.* 10. Non ob- 4
stante etiam hoc privilegio nundinarum, mercator, qui de fuga suspectus est, detineri potest, ut cautionem praestet, *Peckius d. cap.* 7. *num.* 7. neque etiam competere volunt privilegium mercatoribus, in iis locis, per quae transeunt, *Moller. P.* 1. *Const.* 30. *num.* 9. *Schultz. in Synopsi feudali cap.* 7. *num.* 121. quamvis aequius videatur, eamdem securitatem etiam in locis, per quae transeunt, locum habere, quia, quod concessum in termino, videtur etiam in 5
via concessum, *Christinaeus d. c.* 99. *num.* 8. Sicut et finitis nundinis privilegium hoc cessat, *Bell. P.* 1. *concl.* 77. *num.* 14. *et Mollerus lib.* 1. *Semest. c.* 12. *num.* 14. Colligitur ex *hac l.* Solum Principem habere jus instituendi nundi- 6
nas, quod tamen non intelligendum est de mercatoribus hebdomadalibus, *Tholos. lib.* 25. *Syntagm. c.* 3. *num.* 5. *Schultz. d. l. num.* 114. Nec nundinae sine consensu Principis alio transferendae, *Matt. Steph. de Jurisd. lib.* 2. *P.* 1. *c.* 1. *memb.* 2. *num.* 100. licet de die in diem transferri possint, quia v. g. diebus divino cultui 7
consecratis male instituuntur.

TITULUS LXI.

De Vectigalibus et Commissis.

L. Si jure. 1. et L. Neque. 2.

SUMMARIA

Ob non soluta vectigalia cadit res in commissum. num. 1.
Limitatio. 2.
Si res, quae in commissum cecidit, non amplius extet sine dolo possessoris, ea non potest vindicari a Fisco. 3.

1 Ob non soluta vectigalia cadit res in commissum, sed nonnisi intra quinquennium, hoc declaratur per *l.* 2. *h. t.* quae praescriptio gabellario et Fisco opponitur, *Farin. q.* 173. *p.* 1. *num.* 49. *Balbus de Praescr. p.* 2. *partis* 5. *pr. q.* 1. *n.* 4. *Masc. concl.* 837. *Rosenth. c.* 5. *concl.* 42. et si res, pro qua solvendum fuit vectigal, 2
adhuc existat, nam pro re extincta pretium solvere quis non est compellendus, *d. l.* 2. uti nec servus manumissus, ob non solutum pro eo vectigal, in commissum cadit, *l.* 1. *h. t.* quamvis enim manumissio haec nulla videatur, quod res in commissum cadens ipso jure Fisco acquiratur, per tradita *Farinacii P.* 7. *de Furtis Q.* 71. *P.* 1. *num.* 3. contrarium tamen, tum favore libertatis placuit, tum quod haec poena fraudatoris vectigalium sit odiosa, per tradita *Farin. d. l. num.* 52. vel potius, quod haec res sit extincta, quia enim servus commissus, bona fide est manumissus, non amplius servus est, sine dolo res est extincta, ideo non potest Fiscus ad servum commissum agere, qui amplius non extat. Notetur ergo ex *his* duabus *legibus:* Si res, quae in commissum cecidit, non am- 3
plius extet sine dolo possessoris, eam non posse vindicari a Fisco.

L. Omnibus. 3.

SUMMARIA

Miles tenetur etiam portoria s. vectigalia solvere. num. 1.
Limitatio. 2.
Aliud est obligari lege, aliud obligari poena legis, et sanctione legis. 3.
Pupillis remittitur poena fraudati vectigalis, et minores restituuntur. 4.

1 Miles tenetur etiam portoria s. vectigalia sol-
2 vere, sed si professionem mercium et solutionem vectigalium omiserit poena commissi non tenetur. Ergo obligatio eadem, sed poena tan-
3 tum remissa. Ergo aliud est obligari lege, aliud obligari poena legis, et sanctione legis. Remit-
4 titur etiam poena commissi, pupillo, si intra 30. dies intulerit, *l.* 7. *§.* 1. *ff. de Publicanis*, *Auct. ad l. alleg.* 7. *ff. h. t.* Minoribus etiam succurritur per in integrum restitutionem, si non dolo omiserint, *l.* 9. *§. pen. ff. de Minoribus*, *Oddus de Restit. q.* 82. *art.* 4. *num.* 50.

L. Penes illum. 4.

SUMMARIA

Qu. cui et quomodo locanda vectigalia? num. 1.
Qu. 2. *ad quantum tempus locanda?* 2.
Qu. 3. *an interrumpi spatium triennale debeat?* 3.
Qu. 4. *an transacto triennio aliis locanda?* 4.

1 Agit hic Imperator de locatione vectigalium, et Quaerit: 1. *cui et quomodo locanda vectigalia?* Resp. Illi, qui superior in licitatione fuerit, ideoque oportuit tunc vectigalium conductores publice citare, et sub hasta plus licitanti locare.
2 2. *Ad quantum tempus locanda?* sc. ad trien-
3 nium, non minori spatio. 3. *An interrumpi illud spatium triennale debeat, et adimi ei, cui locata erant vectigalia?* forte quia alius plus offerebat; Resp. Negative, nam et Fiscum decet fidem semel datam non fallere. 4. Transacto
4 triennio, Quaeritur? *An aliis locanda?* Resp. Affirm. nam inviti conductores detinendi non sunt, nisi maximos fructus perceperint, et non reperiatur alius conductor, *M. Ant. Peregr. de Jure Fisci lib.* 6. *tit.* 5. *num.* 6. *Vult. in pr. Inst. de Loc. Auct. ad l.* 9. *ff. h. t. num.* 2. *l.* 11. *ff. eod. num.* 4. 5.

L. Universi. 5.

SUMMARIA

Vectigalia non sunt solvenda de iis mercibus, quae pro usu proprio importantur. num. 1.
Item de speciebus, quae ad Fiscum portantur. 2.
It. de iis, quae ruris exercendi causa devehuntur. 3.
Super eo, quod quis sui usus gratia se comparasse dicit, creditur ejus juramento. 4.

1 Vectigalia non sunt solvenda de iis mercibus, quae pro usu proprio importantur, non vero eo fine, ut iterum vendantur, item de specie- 2
bus, quae ad Fiscum portantur, non solvuntur vectigalia, sicut etiam de iis, v. g. frumentis, 3
jumentis, quae ruris exercendi causa devehuntur, quamvis enim haec in prima specie comprehendantur, voluit tamen Imperator in specie de his favore agriculturae mentionem facere, et dictitatur poena capitalis stationariis, i. e. apparitoribus et militibus, quorum auxilio utuntur publicani in exigendis portoriis. Notetur ergo *ex hoc textu*, et ex *l.* 4. *§.* 1. *ff. h. t.* Pro rebus, quas quis non venditionis vel negotiationis causa emit, non solvi vectigalia, *Henric. Klock. Disp. Basil.* 3. *th.* 57. *Vol.* 3. *Casp. Klock. Vol.* 1. *cons.* 10. *num.* 574. *et seqq. Christinaeus vol.* 3. *dec.* 101. *n.* 5. *Auct. ad l.* 4. *ff. h. t. num.* 2. Et super eo, quod quis sui usus 4
gratia se comparasse dicit, creditur ejus juramento, *Masc. concl.* 954. *num.* 11. *et seq. Surd. cons.* 307. *num.* 3. *Casp. Klock. d. cons.* 10. *num.* 578. Conf. *Treutl. et ibi Bacchov. Vol.* 2. *Disp.* 18. *th.* 9. *lit. B. et Crav. cons.* 654.

L. Omnium 6.

SUMMARIA

Nemo debet esse immunis a vectigalibus. num. 1.
Rescriptum, quo alicui immunitas data, praesumitur obreptitium. 2.
Limitatio. 3.
Qui hostium metu ad urbem accedunt, ad vectigal non tenentur. 4.

Nemo debet esse immunis a vectigalibus, et 1
si quis Rescriptum habeat, quo immunitas a 2
vectigalibus ei data, praesumitur hoc obreptitium, quia magna pars Fisci in vectigalibus consistit. Sunt enim vectigalia onera realia, quae ob vecturam mercium Fisco penduntur, *Wesenb. in* ϖ. *ff. h. t. num.* 2. *Petr. Greg. lib.* 3. *c.* 9. *Syntag. in princ.* et licitatores vectigalium alias damno afficerentur, privatis concessa immunitate, et publicani amitterent fructum suae conductionis, *Christinaeus vol.* 3. *dec.* 101. *num.* 4. Si tamen ex necessitate, vel maris, vel metus 3
hostilis in locum deferatur, v. g. Si navis vi ventorum impulsa, in portum veniat, immunis est ab onere vectigalium, *l. pen. ff. h. t. Rosenth. de Feud. c.* 5. *concl.* 47. *num.* 8. *Peregr. de jure Fisci lib.* 6. *c.* 5. *num.* 31. unde concludit *Henricus Klock. d. Disp. Basil.* 5. *vol.* 3. *Basiliensium th.* 61. eos, qui hostium metu ad ali- 4
quam urbem veniunt, non teneri ad vectigal, neque si equus vel mulus aufugit, *Klock. d. l. Farinac. Qu.* 173. *num.* 44. *Auct. ad l. fin. ff. h. t. num.* 4.

L. Ex praestatione. 7.

SUMMARIUM

Quantitas Vectigalium.

Definitur hic quantitas vectigalis, scil. octava, *hic et l.* 2. *sup. de Eunuchis.* Sed hodie quantitas variat, *Peregr. de jure Fisci lib.* 6. *tit.* 5.

num. 1. alibi decima pars, *Molina de J. et Jure D.* 662. *num.* 3. *Rosenth. de Feudis c.* 5. *concl.* 35. alibi quadragesima, centesima etc. *P. Fridericus de Mand. l.* 2. *c.* 4. *num.* 9. et sane, si fuit octava pretii mercium, fuit hoc magnum vectigal, quod tamen non ita frequenter, sed forte semel solvendum erat, secus hodie, ubi teloniorum, praesertim in fluminibus celebrioribus magnus numerus.

L. A Legatis. 8.

SUMMARIA

Exterarum gentium legati pro rebus, quas non sui usus gratia important, solvunt vectigalia. num. 1.
Publicani octavarii dicti fuerunt. 2.

1 Exterarum gentium Legati, pro rebus, quas non sui usus gratia important, solvunt vectigalia, sed ex rebus, quas exportant, non solvunt, cujus posterioris ratio procul dubio in liberalitate Principis; Et antequam legationem expedierint, non poterat constare, an legati essent,
2 et qua de causa venerint. Nota: Publicanos Octavarios dictos fuisse, *Molina Tr.* 2. *de J. et J. D.* 662. *num.* 2.

L. Usurpationem. 9.

SUMMARIUM

Intellectus legis.

Lex haec obscurior; Communiter tamen ita intelligitur, licet solutio vectigalium in certis provinciis Aegypti remissa sit, non tamen traductio animalium vetitorum ad barbaros permissa est.

L. Vectigalia. 10.

SUMMARIA

Vectigalia interdum civitatibus conceduntur ad angustias sumptuum relevandas. num. 1.
Civitates Imperatori, aut Principi subjectae, possunt habere vectigalia. 2.
Privilegia civitatibus concessa praesumuntur esse perpetua. 3.
Jus vectigalium exigendorum potest praescribi. 4.

1 Vectigalia interdum civitatibus conceduntur ad angustias sumptuum relevandas, eaque privilegia debent esse perpetua, nec debent privati super hoc molestiam facere Imperatori. Ex
2 hoc colligitur: Civitates Imperatori subjectas vel etiam municipales Principi subjectas posse habe-
3 re vectigalia. Hinc ergo collige: I. Privilegia civitatibus concessa, praesumi esse perpetua. II.
4 Jus vectigalium exigendorum posse praescribi, nam quae in privilegium concedi possunt, ea etiam possunt praescribi, etiam contra Imperatorem si quis immemorialis temporis praescriptione sit munitus, c. *super quibusdam* 26. *X. de V. S. Mynsing. cent.* 5. *Obs.* 29. *Rol. a Valle vol.* 2. *cons.* 91. *num.* 12. licet *Petr. Frid. de Mand. l.* 2. *c.* 13. 40. annis praescribi posse tradat.

L. Si quis. 11.

SUMMARIA

Salinae certis conductoribus, et praesertim publicanis locabantur, qui vocabantur Mancipes. num. 1.
Mancipes unde ita dicti? 2.
Si vectigalia sint locata aliis, tunc poena commissa debetur conductoribus. 3.
Quid hodie obtineat? 4.

Salinae certis conductoribus et praesertim pu- 1
blicanis locabantur, qui vocabantur, *Mancipes*,
quod secundum *Caj.* sublata manu demonstrent 2
se esse auctores emptionis. Sine horum ergo persona, si quis sales emerit vel vendiderit, etiam Rescripto Imperiali munitus, amittit sal, et illud mancipibus addicitur. Ex *hac lege* colligunt *DD.* si salinas vel alia telonia Imperator per suas personas colat, quod tunc poena commissa Fisco immediate acquiratur, sed si vecti- 3
galia sint locata aliis, quod tunc debeatur conductoribus, *Schrader. de Feudis. P.* 3. *c.* 4. *n.* 6. *M. Ant. Peregr. de Jure Fisci l.* 6. *tit.* 5. *num.* 24. *Boër. Dec.* 180. *Rosenth. de Feud. c.* 5. *concl.* 40. Sed hodie certa pars quotitativa 4
solet publicanis assignari.

L. Quicquid. 12.

SUMMARIA

Rescripta contra vectigalium solutionem elicita, ipso jure sunt nulla. num. 1.
Limitatio. 2.

Rescripta contra vectigalium solutionem elici- 1
ta, ipso jure sunt nulla. Quod tamen limitant 2
nisi clausula, ex certa scientia addita, *Rosenth. de Feud. d. c.* 3. *concl.* 34. *num.* 2.

L. Exceptis. ult.

SUMMARIA

Vectigalia quomodo dividenda sint? num. 1.
Haec constitutio quoad partem tertiam civitati deputandam ab usu recessit. 2.

Exceptis vectigalibus his, quae ad sacrum pa- 1
trimonium Principis pertinent, reliqua vectigalia ita dividenda sunt, ut duae partes debeantur Fisco, tertia vero civitati ad reficienda civitatis aedificia et opera publica. Quam tertiam partem Duumviri et incolae libere dispensabant in utilitatem operum publicorum, *hic et l.* 11. *C. de Operib. Public. Sixtin. de Regal. c.* 6. *num.* 55. *M. Ant. Peregr. Vol.* 1. *cons.* 102. *n.*

4. *Casp. Klock. in tr. de Collect. cap.* 9. *num.* 26. *et seq.* Cujus Exemplo tertia pars reddituum Ecclesiae vel Episcopalium, ad reficiendam Eccle-
2 siam solet impendi. Sed superiorem constitutionem de parte tertia ad reficienda opera publica civitati deputanda, ab usu recessisse tradit *Flav. Pacian. cons.* 101. *num.* 32. *et Casp. Klock. vol.* 2. *cons.* 44. *num.* 48.

TITULUS LXII.

Vectigalia nova institui non posse.

L. Non quidem. 1. et L. Vectigalia. 2.

SUMMARIA

Sine Imperatoris consensu nulla civitas sibi vectigalia constituit. num. 1.
Solius Imperatoris est erigere vectigalia. 2.
Praxis, quia possunt civitates impetrare nova vectigalia. 3.

1 Sine Imperatoris consensu nulla civitas sibi vectigalia constituit, et si tanta sit tenuitas civitatis, ut vectigalis constitutione opus sit, hoc tamen sine Imperatoris consensu fieri non po-
2 test. Ergo jam notissima Regula hinc fluit: quod solius Imperatoris sit erigere vectigalia, *hic et l.* 10. *ff. de Public. Mynsing. Cent.* 5. *Obs.* 31. *Molina de J. et J. Tr.* 2. *D.* 666. *Trentac. lib.* 1. *de jure Fisci Res.* 5. *num.* 2. *Farin. Q.* 172. *num.* 83. quia ad Regalia majora pertinent, *Matth. Steph. de Jurisd. l.* 2. *part.* 1. *cap.* 1. *memb.* 2.
3 *num.* 93. Ex *lege* 1. Notetur Praxis, qua possint civitates impetrare nova vectigalia, si scilicet conquerantur multorum pontium refectionem sibi incumbere, adeo ut sine institutione novi, vel auctione veteris vectigalis, id praestare non possint, et ad rei probationem commissarios petant, qui ex oculari inspectione aliisque probationibus informati, ad Caesaream Majestatem referant, *Rosenth. de Feud. d. cap.* 5. *concl.* 41. *num.* 7. Et debet vicinorum vectigalium mentiò fieri, ut ratio habeatur loci, ne nimis vectigalibus oneretur. Et Principum Electorum consensus petendus, *Petr. Frid. de Mandatis lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 6. *et. seqq.*

L. Non solent. 3.

SUMMARIA

Vectigal illicitum non debet solvi. num. 1.
Et si est solutum, tunc pro qualitate circumstantiarum modo in duplo, modo in quadruplo restituendum. 2.
Vectigalia nova instituens de ambitu tenetur. 3.

Vectigal illicitum non debet solvi, sed si quis 1
illicitum vectigal solvere cogatur, ei restituen- 2
dum est quod extortum est, scilicet cum poena dupli, cui simplum inest, in quo a furti actione differt, *l.* 5. §. 1. *ff. de Publicanis,* quod si per vim fuerit extortum, poena est quadrupli, *l.* 9. §. 6. *d. t.* quia incidit in speciem Rapinae, *Bacch. in Treutl. Tr.* 2. *D.* 18.
th. 8. *lit. C.* Et vectigalia nova instituens de 3
Ambitu tenetur, ut et de L. Julia, *l. un. C. ad legem Juliam de Amb. l. fin. ff. de Publ. Myns. C.* 5. *Obs.* 29. *Rosenth. de Feudis cap.* 5. *concl.* 43.

L. Si provincialium. ult.

SUMMARIA

Vectigal non debet exigi ultra antiquam consuetudinem, et statutum modum. num. 1.
Translatio vectigalium sine consensu Imperatoris fieri nequit. 2.
Poena eorum qui plus debito nomine vectigalium exigunt, exilium est. 3.

Vectigal non debet exigi ultra antiquam con- 1
suetudinem, nec ultra statutum a Principe modum, sub poena exilii. Colligitur igitur ex *hac lege:* Institutionem novi vectigalis et augmentum veteris pari passu ambulare, et neutrum sine Imperatoris consensu fieri posse, *hic et l.* 10. *pr. ff. de Publicanis, Rosenth. de Feud. d. c.* 5. *concl.* 44. *num.* 6. *Rolandus a Valle cons.* 42. *num.*
12. *vol.* 3. Sic etiam translatio vectigalium sine 2
consensu Imperatoris fieri nequit, *arg. hujus legis et l.* 9. *ff. de Servit. et d. l.* 10. *Bocerus de Regal. cap.* 2. *num.* 195. *Georg. Schultz. in Synopsi Feud. cap.* 7. *num.* 123. Notetur etiam
ex *hac lege* Poena criminalis eorum, qui plus 3
debito nomine vectigalium exigunt, scilicet Exilium, *Molin. d. D.* 666. *num.* 2. *Farin. Q.* 172. *num* 54 *et seq.*

TITULUS LXIII.

De Commerciis, et Mercatoribus.

L. Negotiatores. 1.

SUMMARIA

Quibus in Rom. Imper. negotiari est concessum, ii debitam necessitatem pensionum agnoscere debent. num. 1.
Ampliatio. 2.
Limitatio. 3.

1 Quibus in Romano Imperio negotiari est concessum, ii debitam necessitatem pensionum agno-
2 scere debent, licet in Rebus privatis ac Patrimonialibus Principis negotientur, quibus tamen negotiatoribus rerum privatarum Principis hoc in *hac lege* concedi videtur, ut et potentiorum actoribus, ut benigne potius moneantur, quam
3 acerbe ab iis pensiones exigantur. Sed se necessitati publicae subtrahere non possunt, nam alias caeteri gravarentur.

L. Non solum. 2.

SUMMARIA

Exerceri mercatura potest etiam cum barbaris. num. 1.
Limitatio. 2.
Licitum est surripere barbaris et hostibus aurum. 3.

1 Exerceri mercatura potest, non modo cum civibus Romanis, sed et Barbaris, prohibitum
2 tamen, ne in auro illis pretium solvatur, cum his aurum potius, si fieri possit, subtili ingenio sit auferendum; additur poena supplicii capitalis. Ideoque colligi posse videtur ex *hac lege*; Mercaturam cum Barbaris non esse simpliciter interdictam, *Benevent. Stracha de Mercat. P.* 2. *num.* 43. *et P.* 3. *num.* 1. *Scaccia de Commerc.* §. 1. *qu.* 7. *p.* 3. *lim.* 17. *num.* 21. Colli-
3 gunt etiam ex *hac lege:* Licitum esse surripere Barbaris et hostibus aurum, *Farin. Q.* 174. *num.* 74. conferri potest *Stracha d. tr. p.* 4. *per totam, Azorius part.* 3. *Inst. mor. lib.* 8. *c.* 3. *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu.* 585. *Hill. l.* 9. *c.* 10. *lit. Aa, Boër. dec.* 178. *num.* 11. *et* 18. *et* 19. *Capyc. dec.* 150. *Marquard. de Susann. in tr. de judaeis part.* 1. *c.* 5. *num.* 2. *et seq. Menoch. cons.* 1208. *num.* 20.

L. Nobiliores. 3.

SUMMARIA

Mercatura interdicitur iis, qui sunt nobilioribus natalibus, honorum gradu conspicui, et ditiores. num. 1.
Limitatio. 2.
Sordida mercatura solius quaestus causa instituta derogat nobilitati. 3.
Et desuper mandata sine clausula dari possunt. 4.
Nobiles cerevisiam coquere possunt pro suae familiae necessitate. 5.
Pacta de non braxanda cerevisia non impediunt braxationem, quae fit ad familiae sustentationem. 6.

Mercatura interdicitur iis, qui sunt nobiliori- 1
bus natalibus, honorum gradu conspicui, et ditiores, *hic et l.* 16. *C. de Dignit.* hi nec per se, nec per alios mercari possunt, *Stracha de Mercat. P.* 2. *num.* 17. Sed ex ratione hic subjecta 2
apparet, hic de tenui atque solius quaestus gratia, adeoque sordida mercatura sermonem esse, *Tiraq. de Nobil. c.* 7. *num.* 14. Sicut etiam *haec lex* de casu intelligenda, quando Nobilis per se mercaturam exercet, *Tiraq. de Nobil. c.* 27. *num.* 7. *Caepolla in Tr. de Imp. Milit. deligendo num.* 13. Potest etiam receptum esse in Regione, ut Nobiles per se negotientur, *Tiraq. de Nob. c.* 33. *num.* 20. Ratio autem legis esse videtur, quia sordida mercatura solius quaestus 3
causa instituta, derogat nobilitati, *Stracha de Mercat. P.* 3. *num.* 14. *Guido Papae Dec.* 196. *Myns. cent.* 6. *Obs.* 34. *Jo. Guttierez. lib.* 1. *Pract. Quaest. c.* 137. *num.* 8. *et seqq.* adeo ut desu- 4
per tanquam super certa lege mandata sine clausula dari possint, scilicet contra incipientes mercari etc. non eos, qui in possessione sunt, *Du. Mev. p.* 2. *dec.* 3. Sed Nobiles cerevisiam coque- 5
re posse putant pro suae familiae necessitate, *Moller. l.* 4. *Semest. c.* 17. *Klock. de Aer. l.* 2. *c.* 11. *num.* 6. nam pacta de non braxanda ce- 6
revisia non impediunt braxationem, quae fit ad familiae sustentationem, *Du. Mev. p.* 2. *dec.* 2.

L. Mercatores. 4.

SUMMARIA

Cum barbaris tempore pacis vel induciarum licitum est commercium. num. 1.
Limitatio. 2.
Ratio, cur jus Albenae in Gallia introductum? 3.

Extra loca hic nominata subditi Imperii Ro- 1
mani cum Persis commercia non instituant. Sed si contra factum fuerit, species ac pretium Fisco adjudicabitur; et judices puniantur. Collige: Cum barbaris tempore pacis vel induciarum licitum esse commercium, dummodo mer- 2
catores abstineant a locis exceptis et mercibus prohibitis, *Stracha de Mercat. P.* 2. *num.* 40. *Scaccia de Commerc.* §. 1. *q.* 7. *P.* 3. *Limit.* 17. *num.* 21 Unde jus Albenae ideo in Gallia 3

introductum existimat, ne alienigenae arcana regni scrutentur, *Franc. de Clapperiis causa* 1. *q. un. num.* 11. Legatis autem Persarum aliquid comparare, et ultra loca excepta transportare licet.

L. Cessante. 5.

Lex haec 5. Localis est, et numerum eorum, qui in rebus patrimonialibus Principis negotiantur, determinat.

L. Si qui. ult.

SUMMARIUM

Poena eorum, qui prohibitas civitates transgrediuntur, vel prohibitas negotiationes suscipiunt.

Si quis prohibitas civitates transgrediatur, vel prohibitas negotiationes suscipiat, cujuscumque sit dignitatis, punitur poena exilii, et publicatione bonorum.

TITULUS LXIV.

De rerum permutatione, et praescriptis verbis.

L. Si cum. 1.

SUMMARIA

Si ob fundum venditum pretii loco datur alius fundus aestimatus vel inaestimatus, permutatio proprie non est. num. 1.
Limitatio. 2.
Quando evincitur quid culpa possessoris, vel imprudentia judicis, tunc venditor non tenetur ad evictionem. 3.
Qu. Ad quid detur actio, si res pro altero data evicta sit? 4.

1 Vendere vis fundum, et pretium denominas, ego ob carentiam nummorum, pretii loco alium fundum do aestimatum, vel inaestimatum idem est enim per particulam, *licet*, implicativam, et sic permutatio proprie non est, sed quasi quaedam emptio, *arg. leg.* 9. *sup. de Resc. Vend.* Unde ad exemplum emptionis agitur actione quasi empti, ad id quid interest, *l.* 4. 10. *et* 12. *sup. de Act. Empti*, cum ex innominatis non agatur ad interesse, sed ad complendum contractum, vel restituendum id, quod datum
2 est; Sed si res non fuisset tibi venalis, tantum permutatio fuit, et inde datur Praescriptis Verbis Actio, si fundus a me datus sit sine mea
3 vel judicis culpa evictus. Nota bene, Quando evincitur quid culpa possessoris, vel imprudentia judicis, quod tunc venditor non teneatur ad evictionem, *l.* 51. *pr. ff. de Evict.* de quo infra ad *l.* 8. *et* 15. *C. de Evict.* Colligunt *DD.* si alia res aestimata fuisset data pro re venali, quod sit venditio et emptio, ut tradit *Tiraq. de Retractu Consang.* §. 1. *Gl.* 14. *num.* 19. Et alii, quos allegat *Barbosa hic.* Sed videtur vis per hanc sententiam textui inferri, nam in textu habetur particula implicativa *licet.* Ergo idem est in contrario casu, si inaestimatus datus sit alter fundus, *Pinell. P.* 2. *Rubr. de Rescind. Vendit. cap.* 1. *num.* 16. Sed non habet multum in recessu haec lis, quia utroque casu ad exemplum actionis ex empto ad interesse ago. Collige etiam: Quando res pro altera data evi- 4
cta est, dari condictionem, ut ab eo, qui rem alienam atque postea evictam dedit, res vicissim data repetatur, aut si nondum data, datur exceptio agenti, *Mev. p.* 1. *dec.* 175. *et p.* 3. *d.* 28.

L. Permutationem. 2.

SUMMARIA

Permutatio similis est venditioni. num. 1.
Est tamen inter haec aliqualis differentia. 2.
Lex 2. C. de Rescind. vendit. *an locum habeat in permutatione?* 3.
Dominium rei traditae ab una parte an transferatur in permutatione? 4.

Permutatio similis est venditioni 1. quia utra- 1
que bonae fidei contractus. 2. Pariunt causam usucapiendi. 3. Ratione Evictionis, *l.* 1. *h. t.*
4. Et hic datur Redhibitoria; sed dissimiles sunt, 2
quod venditio nudo consensu constet, et ex altera parte requirat pretium, at permutatio ex utraque parte speciem habeat, et ab una parte impletionem ad sui perfectionem requirat. In Emptione habet locum jus congrui, sed non in permutatione, *Franc. Vivius dec.* 325. In ven-
ditione locum habet *l.* 2. *C. de Rescind. vend.* 3
sed non in permutatione, *Ger. Maynard. p.* 3. *dec.* 59. quod forte ad permutationem beneficiorum restringendum est, nam in permutatione locum habere dictam legem tradunt *DD.* quos refert *Barb. ad l.* 2. *C. de Resc. vendit. num.* 27. quamvis si nimia circa rem affectio sit, vix videatur allegari posse enormis laesio. *Glossa* hic constituit, quod in permutatione statim transferatur dominium, secus in venditione, si non fides de pretio habita, *Glossa in l.* 1. *ff. h. t.* Sed *Bartolus hic* et Additio quaedam ad *Glossam* dissentit, et statuit
in Permutatione non transferri dominium sola 4
traditione, sed ulterius requiri, ut contractus

ex alia parte impleatur. Sed cum Regula certa sit: Traditione dominium transferri, praecedente titulo, et non reperiatur alia exceptio, quam in venditione, merito standum est regulae, et probatur etiam regula haec per *l.* 4. *C. h. t.* et videtur alia ratio esse in puncto hoc, quam in venditione, nam non possumus utramque rem permutandam statim ad manum habere, sicut pretium, et sic fides plerumque habita videtur in permutatione. Et sic cum *Glossa* sentit *Molina Tr.* 2. *D.* 396. *num.* 6.

L. Ex placito. 3.

SUMMARIA

Si placuit inter duos, ut domos suas commutarent, et neuter tradidit, nulla competit actio. num. 1.

Secus jure Canonico, quo omnis contractus, omneque pactum est firmum, nec datur ulli poenitentia. 2.

Qu. An secuta traditione ex pacto, an vero ex traditione detur actio? 3.

An ex contractu facio ut facias *detur actio de dolo?* 4.

1 Placuit, ut inter nos commutaremus domos, si neuter tradidit, inde nulla actio, quia haec ex nudo pacto non datur, nisi scilicet per stipulationem contraximus qua solent vestiri pacta, *l.* 3. *h. t.* Colligunt hinc, quod is, qui a parte sua perfecit contractum permutationis rem suam
2 dando, possit poenitere. Sed id jure Can. secus esse putant, quo omnis contractus, omne pactum est firmum, nec datur ulli poenitentia, *Bald. in Rubr.* 6. *h. t. Molina de Just. et Jure disp.* 258. *num.* 7. *Mantiça de tac. et amb. convent. lib.* 1. *titul.* 8. *num.* 17. *Gomez t.* 2. *res. cap.* 8. *num.* 3. Movet *hic Glossa* Quaestionem,
3 quam prolixe tractat, *An secuta traditione ex pacto, an vero ex traditione detur actio?* Et prius placet *Glossae*. Sed verior videtur sententia *Cujacii*, quod in omnibus contractibus, qui re contrahuntur, a re tradita incipiat actio. Ergo in hac regula manendum, quamvis haec quaestio spinosa magis quam utilis. Tractat etiam *hic Glossa* spinosam istam Quaestionem
4 de contractu *facio ut facias*; *An ex eo contractu detur actio de dolo?* Ubi alii statuunt in *lege* 5. §. 3. *ff. de Praescript. verbis*, referri tantum ibidem hanc sententiam, sed non probari, verum potius improbari in *l.* 7. §. 2. *ff. de Pactis, Donell. in Tr. pecul. de Praescr. verb. cap.* 19. *et Dn. Carpz. in pecul. Disp. ad l. citatam* 5. §. 3. *d. t.* Sed *Donell. d. Tr. cap.* 20. aliam sequitur interpretationem, quod *d.* §. 3. loquatur de condictione, non de actione praescriptis verbis, sed ea interpretatio Rubro non convenit, *Bacchov. ad Treutl. V.* 1. *D.* 30. *th.* 10. Ideoque communior interpretatio est *Azonis*, qui distinguit inter facta, ex quibus utilitas aliqua ad alterum, qui dare debet, redundat, aut non redundat, *Bacchov. d. l.*

L. Cum precibus. 4.

SUMMARIA

Si quis domum meam sibi traditam alii venderit, non mihi in rem datur actio, vel in personam contra emptorem illum, sed datur mihi actio contra venditorem, et quidem vel ex stipulatione vel praescriptis verbis. num. 1.

Limitatur: si mihi prospexi de hypotheca. 2.

Statim si ex permutatione detur res ab una parte, licet ab altera parte nondum sit data res, tamen translatum est dominium. 3.

Qu. An is, qui implevit contractum, possit alterum compellere, ut praecise rem tradat, si possit? 4.

Si ego domum meam tradiderim, et tu meam, 1
quam tibi tradidi, alii vendas, non mihi in rem datur actio, vel in personam contra emptorem, cui tu vendidisti: non in rem, quia dominium transtuli per dationem; non in personam, quia cum tuo emptore non contraxi, sed datur actio contra te, non tantum ex stipulatione, si haec intercessit, sed etiam praescriptis verbis, qua alternative ago, ut vel contractum compleas, vel fundum meum per condictionem causa data etc. restituas. Si tamen alter, cum quo per- 2
mutavi rem, quique rem illam alienavit, mihi constituit generalem hypothecam in casu evictionis, omnino datur actio hypothecaria contra tertium, *Vinc. de Franchis dec.* 34. *Jo. Petr. Surdus dec.* 173. *et* 182. Ex *hac lege* probatur sententia superius allegata, scilicet quod statim 3
si ex permutatione detur res ab una parte, licet ab altera parte nondum sit data res, tamen translatum sit dominium, nam si in hac specie non esset translatum dominium, posset in rem agere is, qui a sua parte implevit contractum, sed dicitur hic, quod non possit agere. Sed alia ratio in venditione, quia si vendidissem fide non habita de pretio, et tradidissem, et emptor alii venderet, possem a secundo emptore rem vindicare. Deinde Quaeritur hic: *An* 4
is, qui implevit contractum, possit alterum compellere, ut praecise rem tradat, si possit? Quod hic Negat *Glossa* quam *Cynus* sequitur, et *Salyc.* per *l.* 5. §. 1. *ff. de Praescript. Verb.* et per *l.* 1. *h. t.* Sed illi textus tantum hoc probant, quod ad interesse agi possit. Posset haec quaestio in utramque partem disputari, et possent huc rationes accommodari ex illa quaestione, an venditor praecise rem tradere teneatur, quamvis hic major ratio, quod hic in contractu innominato versemur, ubi non est facile permittendum, ut quis praecise ad dandum compellatur, si interesse praestare velit, licet Jure Canonico alii secus esse putent.

L. Quoniam. 5.

SUMMARIUM

Si in permutatione ab una parte res sit tradita, altera vero pars non tradat, ei qui contractum implevit, duae dantur actiones, quae quidem conjungi possunt, sed alternative.

Conveni tecum ut invicem aedes nostras permutaremus, dedi meas, sed tuas non vis tradere, dantur mihi duae actiones, scilicet praescriptis verbis, et condictio sine causa, quae actiones ex omnibus contractibus innominatis dan-

tur, prior ad implendum contractum, posterior ad dissolvendum; et ex *hac lege* patet, utramque actionem posse conjungi, sed alternative, nam posteriorem actionem esse postulatam hic expresse dicitur, priorem vero intentatam esse, ex eo patet, quia alias ad implendum contractum non fuisset condemnatus reus.

L. Rebus. 6.

SUMMARIUM

Quacumque conditione dedi aliquid tibi, ut tu vicissim mihi aliquid praestares, si non praestes, datur mihi actio praescriptis verbis incerta.

Quacumque conditione dedi tibi aliquid, ut tu vicissim mihi aliquid praestares, si non praestes, datur mihi actio praescriptis verbis incerta, quod dupliciter intelligi potest, vel quod ad interesse agatur, quod incertum est, unde stipulatio etiam ejus quod interest, incerta dicitur, ut *Gloss.* interpretatur, vel quia actiones hae sunt indeterminatae, et vagae, ac variis casibus accommodatae, nec habent in jure certam formam, sed ea a Praetore solebat dari. Dicitur autem civilis, quia a Jure civili orta.

L. Emptionem. 7.

SUMMARIA

Discrimen inter emptionem et permutationem. num. 1.

In permutatione si tradita res est ab una parte, altera vero pars fidem non servat, datur condictio causa data causa non secuta, imo condictio ex nuda poenitentia. 2.

Inter Emptionem et Permutationem hoc est 1
discrimen, quod emptio constet re et pretio, permutatio, rebus tantum; si ergo convenit in- 2
ter nos, ut tibi praestarem certam quantitatem frumenti, et tu mihi praestares certam quantitatem olei, etsi a mea parte liberassem fidem, tu autem tergiverseris, datur mihi condictio causa data causa non secuta, imo datur mihi condictio ex nuda poenitentia, *l. 5. pr. ff. de Condict. Causa data*, scilicet si malim rem habere, quam ad implendum contractum agere.

L. Ea lege. ult.

SUMMARIUM

Ex omni pacto traditione vestito datur actio praescriptis verbis.

Quandocumque rem meam trado, et id facio cum pacto aliquo, quod traditione vestitum dicitur, alter autem differat, aut nolit implere pactum, datur actio praescriptis verbis. Nam semper haec negotia incidunt in materiam contractuum innominatorum. Et ita Collige: Ex omni pacto, traditione rei vestito, dari actionem Praescriptis Verbis, *Card. Mantic. de tac. et amb. convent. lib.* 13. *tit.* 48. *in pr. Carpz. P.* 3. *Jurispr. Const.* 8. *Def.* 32.

TITULUS LXV.

De Locato et Conducto.

L. Dominus. 1.

SUMMARIUM

Locato mihi horreo si per vim majorem, vel effracturam latronum in frugibus damni quid datum est, non est hoc locatori imputandum, sin vero illaesis horreis aliquid damni datum, damnum id a locatore resarciri debet.

Locavi tibi horreum, ut in eo fruges reponeres, si per vim majorem vel effracturam latronum in frugibus damni quid datum, non est hoc locatori imputandum, quia in bonae fidei judiciis etiam alter alteri vim majorem non praestat, sed si illaesis horreis aliquid damni datum, damnum id a locatore resarciri debet, quia praesumitur culpa locatoris, dum vel clavem habuit negligenter, vel alio modo sua negligentia damnum dedit rebus depositis, nam illaesis horreis non potuisset furtum fieri, nisi claves incustodite habitae, quamvis fatear hoc argumentum non esse perpetuum.

L. Adversus eos. 2.

SUMMARIA

Agit h. l. *de locatione operae, in qua faber vel artifex diverso respectu dicitur locare et conducere. num.* 1.

Qu. An nondum impleto opere agi possit a conductore ad mercedem? 2.

Locavi opus exstruendum fabro, et ille condu- 1
xit; sed non praesto pecuniam, seu mercedem cum interesse. Agit *haec lex* de Locatione operae, in qua faber vel artifex diverso respectu dicitur locare et conducere: Conducit opus faciendum, sed locat operas suas. Sed dominus

locat opus faciendum et conducit operas artificis, *l.* 22. §. *pen. l.* 38. *ff. h. t. Bacchov. ad Wesenb.* ϖ. *h. t. num.* 2. Sed Quaerunt hic: *An*
2 *nondum impleto opere agi possit a conductore ad mercedem?* Et Respondent *Br. Salyc. et alii hic*, si ad certam mensuram locatum opus, singulis mensuris absolutis agi posse, *arg. l.* 36. *ff. h. t.* vel si sit pauper, *Vincent. Caroc. de Locatione Tit. de Pensione Locationis. num.* 4. et quos hic citat *Barbos. et Card. Mantic. lib.* 5. *tit.* 6. *de Tac. et Amb. Convent. num.* 15. *et seqq.*

L. Aede. 3.

SUMMARIA

Locator conductorem ex aedibus locatis expellere nequit. num. 1.
Exceptiones. 2.
Qu. Quando a conductore sit solvenda pensio? 3

1 Locator conductorem ex aedibus locatis expellere nequit, nisi in 4. Casibus hic expressis:
2 I. Si pensionem non solvat, et quidem intra biennium, *l.* 54. §. 1. *et l.* 56. *ff. h. t.* vel si aliud non praestet, quod ipsi incumbit, si illud sit indubitatum, et inexcusabile, *Mev. p.* 2. *dec.* 31. quod nonnulli restringunt ad conductionem perpetuam, ut *Gomez T.* 2. *cap.* 3. *num.* 6. *Panorm. in C. sterilitatem num.* 10. *X. h. t.* alii eum textum intelligunt de eo casu, quando pactum fuit initum de non expellendo, *Valasc. de Jure Emphyteut.* a quo non multum absunt, qui statuunt *d. l.* 54. §. 1. de ibi proposita specie tantum loqui, quae est sententia *Jasonis*, *Decii*, et quos allegat *Valasc. d. l. et Molina d. J. et J. Tr.* 2. *D.* 499. *num.* 3. *Trentac. Tit. de locat. Resol.* 4. *num.* 11. II. Si propriis usibus necessaria res. Si scilicet post contractum superveniat necessitas, secus si illa adfuit jam ante contractum, *Ant. Faber lib.* 4. *Cod. tit.* 41. *Def.* 51. *Trentac. d. l. num.* 4. *Molin. d. D.* 499. *num.* 9. *Anton. Gabr. tit. de Locat. concl.* 3. *num.* 5. et nisi huic juri renunciatum, quod tamen videtur factum, quando promisit locator, se non expulsurum, *Anton. Gabr. d. l. num.* 2. *Carpz. p.* 2. *Const.* 37. *Def.* 7. *Caroc. d. tr. p.* 2. *tit. de Recus. num.* 4. *Petr. Barb. ad l. si filiofamilias* 26. §. *fin. num.* 35. *ff. sol. matr. et quos ibi citat.* licet hoc potius ex circumstantiis decidendum sit, an scilicet locator hoc pacto renunciare juri suo voluerit, *Molin. d. D.* 499. *num.* 8. *Covar. lib.* 2. *Resol. cap.* 15. *num.* 4. *Trentac. d. Resol. cap.* 4. *num.* 6. III. Si corrigere eam dominus velit, modo correctio sit necessaria, *l.* 35. *ff. h. t.* nam ob utilem refectionem conductor expelli nequit, *Trentac. d. l. num.* 9. Et talem oportet esse correctionem, quae fieri non possit conductore inhabitante, *Molin. d. l. num.* 11. Et finita refectione usus conductori est restituendus, *Molin. et Trentac. d. l. Tiraq. in tr. cessante causa P.* 1. *num.* 103. IV. Si Conductor re conducta male utatur, id est, vel deteriorando, vel ad inhonestos usus abutendo, *Molina d. l. num.* 12. nam tunc ante tempus conventum conductorem expellere potest Locator implorato officio judicis, *Dn. Mev. p.* 5. *dec.* 379. vel potest cautionem petere de innoxio usu, si male uti coeperit, *Mev. d. p.* 5. *dec.* 357. Ad deteriorationem vero requiritur notabile damnum, et ut sit in proprietate ipsa, et quod ad minimum levi culpa contigerit conductoris, *Trent. d. l. num.* 10. nam ad levissimam culpam praestandam non tenetur, ex regula generali, et ideo in §. *ult. Inst.* superlativus pro positivo positus videtur, *Bacchov. ad Treutl. V.* 1. *D.* 29. *th.* 6. *Lit. E. Hillig. in Donell. lib.* 13. *cap.* 8. *Lit. A.* Praesumitur etiam deterioratio, si secundum morem regionis non colat, *Mantica de tac. et amb. conv. lib.* 5. *tit.* 7. *num.* 17. Quia in re multa arbitrio judicis committenda, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 78. Quaerit autem *Glossa hic*, *Quando solvenda pensio?* Et videtur benignior et 3
communior sententia in fine anni solvendam esse, *Salyc. hic num.* 7. *Gomez d. t.* 2. *Res. c.* 3. *num.* 13. *Molin. d. J. et J. tr.* 2. *D.* 497. *n.* 1. *Mantic. d. l.* 5. *tit.* 6. *num.* 3. *Hillig. in Donell. l.* 13. *c.* 8. *Lit. G.* Quae autem de causis expulsionis ante tempus finitum dicta, vera sunt, si de causa una, vel altera constet, secus si adhuc disputetur, adeo ut ne quidem provisionali sententiae locus sit deterioratione nondum probata, *Dn. Mev. p.* 2. *dec.* 33. Et in genere si conductor non praestet a se praestanda, expelli potest, si modo id non sit modicum, in quo fides non servata arguitur, et ut culpa tantum penes conductorem sit, nec ille probabilem excusationis causam habeat, *Dn. Mev. p.* 2. *dec.* 41.

L. Ex divi. 4.

SUMMARIUM

Qu. Si horreum ad reponendum frumentum conductum fures effringant, et frumentum surripiant, an ad hoc damnum praestandum teneatur locator?

Locavi tibi horreum, ut in eo reponeres frumentum, quod factum, placuit etiam ut custodes adhiberem horreo custodiendo, quod factum, et nihilominus non per hostes, hunc enim casum nemo praestare posset, sed per fures effringitur horreum et frumentum surripitur, Quaeritur: *An ad hoc damnum praestandum tenear?* Et distinguitur, an custodiam in me receperim, an non; hoc posteriori casu non teneor, sed ad hoc tantum teneor, ut exhibeam servos ad quaestionem, qui notitiam aedium habuerunt, *l. dominus* 58. *pr. ff. h. t.* aut custodes ad poenam vel ad quaestionem, quo casu si major in custodibus perfidia, possunt ad praefectum Praetorio remitti; priori vero casu, si custodiam, et ita omnem diligentiam promisi, de qualicumque culpa meorum teneor.

L. Certi juris. 5.

SUMMARIUM

Differentia inter ea, quae sunt illata in praedium urbanum et quae sunt illata in rusticum.

Quaecumque a conductore in praedium urbanum vel rusticum illata sunt, ea locatori pignoris titulo tacite obligata sunt; Sed in illatis in praedium rusticum requiritur scientia domini, ut res sciente domino sint illatae; sed in urbanis scientia domini non requiritur, sive ergo sciam, sive ignorem, res ab inquilino meo illatae, mihi pignoris titulo nectuntur, quod discrimen manifesto ex *hac lege* probatur, *Glossa hic*, *Carocius in tr. de Locat. P.* 3. *titul. de Invect. num.* 13. *Neguzant. de Pign. m.* 4. *p.* 2. *num.* 145. *Trentac. titul. de Locat. Resol.* 5. *num.* 2. *Molina Disp.* 497. *num.* 3. *Menoch. Rem.* 3. *adipis. possess. num.* 33. *et seq.* modo ideo illatae, ut ibi perpetuo essent, *arg. l.* 7. §. *fin. ff. in quibus causis pign. tacit. Afflict. Dec.* 184. *num.* 2. *Caroc. d. l. n.* 18. *Trentac. num.* 2. *Card. Mantica de tac. et amb. Conv. l.* 11. *tit.* 15. *num.* 32. *Dn. Richter. de Privil. Creditorum D.* 8. *th.* 5. ubi alias etiam habet declarationes, v. g. ut non procedat in rebus alienis, item in iis, quae in hypotheca generali alias non solent contineri, *l. generali* 6. *ff. de Pign. Mantic. d. l. num.* 33. *Neguz. d. l. num.* 151. Et hoc locum habet, licet de hypotheca speciali sibi prospexerit locator, *Baldus hic num.* 17. *Neguz. d. l. num.* 138. *Berl. P.* 1 *concl.* 67. *num.* 63. *Richt. d. l. th.* 5. *Mantic. d. t.* 15. *num.* 19. cur autem haec differentia inter praedia urbana et rustica hic constituatur, ratio est, quod in rusticis fructus soleant oppignorari, *l.* 61. §. 8. *ff. de Furtis.* Sed illam distinctionem non videtur admittere *Dn. Mev. p.* 4. *dec.* 127. dum indistincte statuit, invecta in praedium rusticum pignoris loco esse, quamvis autem ex *Neguz. de pign. p.* 2. *cap.* 4. *num.* 145. appareat, illam distinctionem esse communiter receptam in Pomerania, tamen eam non usurpari testatur ibidem *Dn. Mev. Alii* hanc legem de expressa constitutione hypothecae intelligunt, quos refert *Fr. Caldas de Empt. cap.* 33. *num.* 101. *et seqq.*

L. Nemo. 6.

SUMMARIA

Conductor rei conductae usum alteri locare potest. num. 1.
Limitatio. 2.
Illata a secundo conductore primo locatori sunt obligata. 3.
Sublocatio quando illicita, quando non? 4.

1 Conductor rei conductae usum alteri locare potest, *hac l. et l.* 7. 8. 21. §. 1. *l.* 30. *pr. ff.*
2 *h. t.* Modo 1. ad eumdem usum locet, ad quem ipse conduxit, *arg. l.* 15. §. 1. *de Usufr.* 2. atque locet alteri aeque idoneo, *Molina Tr.* 2. *D.* 489. *arg. l.* 13. §. *fin. et l.* 15. §. 1. *de Usufr.* 3. ut aequa sint omnia et ut non fiat sublocatio aliis legibus, quam per quas locatori primo omnia integra sint, *Dn. Mev. p.* 4. *dec.* 101. et haec vocatur sublocatio. Si autem subconductor impediatur a domino locatore primo, tenetur hic conductori primo non tantum ad restituendam pensionem, sed ad omne interesse, in quantum primus conductor secundo conductori condemnatus; pone majori pensione sublocationem esse factam per *l.* 7. *ff. h. t.* et hoc casu 3
illata a secundo conductore, primo locatori sunt obligata, *Molina d. l. num.* 1. Sed sublo- 4
catio illicita, non tantum, si expresse excepta, sed si fiat in personam non aeque idoneam, *Mozz. Tit. de Natur. Locat. num.* 4. *Gomez T.* 2. *cap.* 3. *num.* 11. *Afflictus Dec.* 401. Conferantur ea, quae a me notata ad *l.* 24. §. 1. *ff. h. t.* Sed si lis inter locatorem et conductorem pendeat, non impediri sublocationem, licet fiat in eum, qui dominium praetendit, tradit *Dn. Mev. p.* 4. *dec.* 102.

L. Si cum. 7.

SUMMARIA

Qui pro conductore fidejussit, ultra tempus, ad quod fidejussio facta, diutius non tenetur. n. 1.
Limitatio. 2.
Qu. An fidejussor liberetur, si eo inscio creditor debitori tempus prorogaverit? 3.
Qui pro tutore fidejussit, videtur tantum fidejussisse ad tempus pubertatis ejus, cui tutor est datus. 4.
Limitatio. 5.
Qu. Si quis pro accusato, vel inquisito fidejusserit, de eo intra 30. *dies praesentando, et judex terminum prorogaverit, an ulterius fidejussor teneatur?* 6.

Qui fidejussit pro conductore ad quinquen- 1
nium elapso eo tempore, si diutius maneat conductor in conducto praedio, fidejussor non tenetur, scil. ratione futurorum annorum, bene tamen tenetur, ratione praeteritorum, quia 2
ad certum tempus fidejussisse videtur. Ergo tempore elapso liberatur, *l.* 29. §. *ult. ff. Mand. l.* 27. *C. de Fidej.* saltem ope exceptionis, *l.* 44. §. 1. *ff. de O. et A.* Et ex *hac lege* decidi solet quaestio quotidiana: *An fidejussor liberetur,* 3
si eo inscio creditor debitori tempus prorogaverit? Et cum *Jasone in l. lecta* 40. *ff. de Rebus Credit.* et in *l.* 1. *de judiciis* distinguit *Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *Disp.* 28. *th. fin. lit. G.* utrum terminus sit adjectus obligationi, vel ut *Jason* loquitur, an quaeratur de termino finiendae obligationis; an vero terminus sit adjectus solutioni, sed an quaeratur de termino destinato ad solvendum. In prima specie, ad quam *haec lex* pertinet, dicendum, quod adventu termini, et finito tempore illo, ac simul finita obligatione, vel ipso jure, vel per exceptionem liberetur fidejussor, ut hic, ubi pro conductore, qui in quinquennium conduxerat, fidejussi; nam si renovetur conductio, jam est novus contractus, pro quo non interveni. Sed posteriori casu prorogatio termini non facit novum contractum: nisi fidejussor dixerit, ad tantum tempus fidejubeo, *Menoch. cons.* 719. *num.* 7. *in casu primo.* Ergo non etiam fidejussor liberatur. Et haec distinctio communiter est recepta per tradita et allegata, *Dn. Carpz. P.* 2. *Jurispr. Const.* 19. *Def.* 4. *Thesauri Dec.* 125. *Hering. de fidejuss. cap.* 20. §. 12. *num.* 3. *et seq.* §. 18. *num.* 6. *et seqq. Gail. lib.* 2. *Obs.* 30. *num.* 11. *Myns. Cent.* 6. *Obs.* 53. Sic si pro tutore fidejusserim, videor 4

fidejussisse tantum usque ad tempus pubertatis ejus, cui tutor datus, nam eo usque tutela durat, et ideo si post pubertatem administrare pergat tutor, non tenetur fidejussor post pubertatem de iis, quae ut curator egerit. Nam licet hodie tutela cum curatela soleat continuari, id tamen fit volente tutore, nisi se excuset. Et non videtur pro curatela se obligasse fidejussor; quid si post majorennitatem furiosus, vel prodigus fiat, et curator idem maneat, an in infinitum tenebitur fidejussor? Vide *l. Lucius* 46. §. *Paulus* 4. *ff. de Admin. tut. et l.* 3. §. 6. *ff. de jure fisci. Menoch. d. cons.* 719. *n.* 7. *et* 40.

5 Aliud igitur, si pro eo, qui promisit administrare ad incertum tempus fidejussi, nam tunc tamdiu teneor, quamdiu ille administrat, si indefinite fidejusserim, *Menoch. d. l. num.* 41.

6 Sed quid si pro accusato vel inquisito fidejusserim, de eo intra 30. dies praesentando, et judex prorogaverit illum terminum, si elapso primo termino fugam arripuerit, an tenear? Resp. si me ignorante id factum, non obligor, *Videatur tamen Thesaurus lib.* 2. *q.* 57. *per totum.*

L. Licet certis. 8.

SUMMARIA

Qu. Si fundus conductus in triennium pro certa annua pensione, tertio vero anno insignis sterilitas incidat, an peti possit remissio pensionis? num. 1.

Qu. Qualis sterilitas requiratur, ut aliquid de pensione remittatur? 2.

Nulla fit remissio pensionis, si de hoc ne fiat, expresse pactum initum. 3.

Sterilitas unius vel alterius anni cum praecedenti fertilitate et ubertate est compensanda. 4.

Si primo anno facta est remissio, ea ob sequentium annorum ubertatem revocanda est. 5.

Limitatio. 6.

An si primo anno sterilitas contigerit, remissio differenda ad finem annorum? 7.

1 Conduxisti a me fundum in triennium, pro certa pensione, tertio anno vero insignis sterilitas incidit, Quaeritur: *An propter sterilitatem illam possim petere remissionem pensionis?* quod Affirmatur hic sub duplici limitatione: 1. nisi convenit de non petenda remissione in casu sterilitatis: 2. nisi praecedentium annorum ubertas possit cum sterilitate tertii anni compensa-

2 ri. Sed hic Quaeritur: *Qualis sterilitas hic requiratur, ut aliquid de pensione remittatur?* Et puto in eo plerosque convenire, ut si tam pauci fructus colligantur, ut si ex iis semen et expensae detrahantur et pensio integra solvatur, conductor supra dimidiam sit laesus, *Covar. Pr. qu.* 30. *Pinell. ad l.* 2. *C. de Resc. Vend. P.* 1. *cap.* 3. *num.* 12. *Gomez d. cap.* 3. *num.* 18. *Carpz. P.* 2. *Const.* 37. *def.* 11. Conf. *Viv. Dec.* 72. *Molina D.* 493. *Menoch. lib.* 2. *casu* 26. *Surdus Dec.* 362. Colligitur autem

3 ex *hac lege*: I. Nullam fieri remissionem pensionis, si de hoc, ne fiat, expresse sint pacti, nam per conventionem altera pars casum fortuitum in se suscipere potest. II. Limitationem notabilem, quae est, si quis reperiatur laesus tota locatione finita, nam si praecedentibus annis magna ferti- 4
litas et ubertas, haec cum sterilitate unius vel alterius anni est compensanda. Imo si primo 5
anno facta est remissio, eam tamen ob sequentium annorum ubertatem revocandam esse, eo quod sit una locatio per plures annos facta, *per hanc legem, et l.* 15. §. 4. *ff. h. t.* volunt *Ant. Faber lib.* 1. *Cod. tit.* 41. *def.* 3. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 23. *Carpz. d. Const.* 37. *def.* 11. *et seq. Caroc. in Tr. de Locat. Tit. de Remiss. Merc. num.* 12. *Mantic. lib.* 5. *tit.* 8. *in fin. Molina Tr.* 2. *d.* 495. *num.* 16. *et seq.* Excipiunt 6
autem casum, nisi de remissione in singulos annos facienda pacti sint, *Carpz. d. l. def.* 13.
Sed quaestio est: *An si primo anno sterilitas* 7
contigerit, remissio differenda ad finem annorum? Id vero negant *Valascus de Jure Emphyt. qu.* 27. *num.* 47. *et Molina tr.* 2. *de J. et J. d.* 495. *num.* 10. sed affirmat *Ant. Faber in Cod. suo lib.* 4. *tit.* 41. *def.* 3. *Carpz. p.* 2. *const.* 37. *def.* 11. Sed si in singulos annos pensio constituta puto priorem sententiam praevalere, per *l.* 17. §. 4. *ff. h. t.* Sed quid si opposita exceptione ista judex conductorem ad solvendam pensionem condemnet? Distinguit *Dn. Mev. p.* 4. *dec.* 244. an rejecta fuerit, et tunc appellari potest, quoad effectum devolutivum, non suspensivum: an vero non rejecta, et tunc videtur sententia provisionalis, et potest exceptio in executione opponi.

L. Emptorem. 9.

SUMMARIA

Qu. An Emptor conductorem ex praedio empto possit expellere? affirm. Limitatur tamen octo modis. num. 1.

Quando extra propositos casus ab emptore conductor expellitur, locator ad interesse tenetur. 2.

Locavi tibi praedium ad triennium, finito an- 1
no vendo illud Titio, Quaeritur: *An emptor te possit expellere?* Quod affirm. ob vulgatissimam regulam, quod emptor praeferendus sit conductori, *(Kauf gehet vor Miethe.)* Additur hic limitatio: 1. modo non ea conditione emerit, ut pateretur conductorem in fundo manere: 2. vel alias facto consensum suum declaraverit; adde: 3. limitationem, nisi conductor habeat hypothecam in fundo, *Valasc. decis. Lusit.* 78. v. g. si ita locaverim, me nolle expellere conductorem et promiserim sub hypotheca bonorum, *Thes. lib.* 2. *q.* 13. *num.* 4. nec distinguendum est inter hypothecam generalem, et specialem, sed utroque casu conductor non est compellendus, ut decedat, nisi interesse ei solvatur, *Thes. d. qu.* 13. *num.* 9. *et seqq.* aut 4. alienatio sit necessaria, quando scilicet ex secundo decreto venditio facta, *l.* 8. §. 1. *ff. de Rebus auct. Judic. possid.* et ita ex *hac l.* 8. §. 1. concludunt DD. quod in venditione necessaria facta per judicem, emptor teneatur stare locationi antea a Domino factae, *Tiraq. de Retract. Convent.* §. 3. *Gloss.* 1. *num.* 15. *Dn. Carpz. lib.* 5. *Resp.* 17. *num.* 19. *Thes. d. quaest.* 13. *num.* 3. Sed ab his recedit *Petr. Barb. in l. si filiofam.* 26. §. *fin. num.* 5. *ff. solut. matrim.* nam ratio deci-

dendi in *d. l.* 8. §. 1. non est in venditione necessaria, quae hic facta non est, cum tantum ex primo decreto missus sit creditor, sed in eo, quod plenum dominium nondum sit consecutus: 5. Limitatur lex, nisi ad longum tempus facta locatio, quia tunc conductor accepit aliquid jus reale in fundo ex opinione in foro recepta, quicquid contra in Scholis disputetur, *Guttierez l. 2. can. quaest. cap.* 8. *num.* 21. ubi communem hanc sententiam esse dicit, et defendit contra *Pinellum*: 6. Limitatur in locatione facta a Fisco, *l. fin. et ibi notata ff. de jure fisci*: 7. In Ecclesia, quae paria cum Fisco jura habet, *Guttierez d. l. num.* 66. *et seqq.* 8. Nonnulli excipiunt colonum partiarium; Sed id sine certo fundamento, quamvis in fructibus pendentibus brevi colligendis contraria sententia admitti possit, *Guttierez d. l. num.* 64. Sed et juratam locationem excipiunt. Sed et eam sententiam rejicit *Covar. lib.* 2. *resol. cap.* 15. *num.* 3. *vers. secundum hunc deducitur etc.* qui de hac hujus legis materia in toto capite pluribus agit, *et Guttierez d. l. num.* 32. *et seqq.*

2 Quando vero extra hos casus expellitur ab emptore conductor, locator ad interesse tenetur, *l.* 27. §. 4. *l.* 33. §. 3. *ff. h. t. Carpz. p.* 2. *const.* 37. *def.* 15. *Mev. p.* 11. *dec.* 54. Conf. *Bacchov. d. D. th.* 8. et Conf. *Riccius dec. colleg.* 93. et alii. Declaranda porro est regula, ut licet conductor cedere teneatur, non tamen id statim, sed quando collectis fructibus commode recedere potest: Civiliter enim, et cum his, quae tacite insunt, omnia intelligere oportet, *Dn. Mev. p.* 5. *dec.* 340.

L. Viam veritatis ignoras. 10.

SUMMARIA

Contractus locationis etiam ad haeredem transit. num. 1.
Limitatio. 2.

1 Contractus Locationis sive perpetuae sive temporalis, si tempora locationis nondum praeterierunt, etiam ad haeredem transit, quod in
2 locatione operis vel operae limitatur: 1. Nisi industria personae electa, et res ita ab haerede explicari nequeat, *Gl. in l. veteri* 5. *C. de stipulat. Gomez d. t.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. *Molina Tr.* 2. *D.* 489. *num.* 4. *Caldas de Empt. c.* 26. *num.* 25. *Mantica lib.* 5. *t.* 4. *num.* 13: 2. Nisi contractus sit factus usque ad beneplacitum locantis, aut conducentis, nam cum beneplacitum et voluntas morte cesset, expirat etiam morte ejus contractus, *l.* 4. *ff. h. t. cap. gratiosa de Rescript. l.* 6. *Molin. de J. et J. Valascus q.* 67. *num.* 3.

L. Invitos. 11.

SUMMARIA

Invitum conductorem vel haeredem ejus non possum finito locationis tempore compellere, ut in conductione maneat. num. 1.
Limitatio. 2.
Locator quoque cogi non potest, ut ei, qui prius conduxerat, ulterius locet, nisi sint fundi publici. 3.

Invitum conductorem vel haeredem ejus non possum finito locationis tempore compellere, ut 1
in conductione maneat, praeterquam sub certis 2
conditionibus in conductione vectigalium, si maximos fructus perceperit et non reperiatur alius, *l.* 11. §. *fin. ff. de Publican.* de quo supra. Sic 3
e contrario nec compelli potest locator, ut ei, qui prius conduxerat, locet, nisi sint fundi publici, *l.* 5. *C. de Locat. Praed. Civit.* de quo suo loco, *Carpz. p.* 2. *c.* 31. *d.* 8.

L. Damnum. 12.

SUMMARIA

Non est conductori remissio pensionis concedenda, si forte per incursum hostilem vel casum fortuitum pecora in fundum conductum illata amiserit. num. 1.
An idem obtineat in fructibus? 2.

Non est conductori remisssio pensionis concedenda, si forte per incursum hostilem, vel tempestatem, aut vim majorem mobilia sua, praecipue pecora, in fundum conductum illata amiserit, quia dominus debet ferre periculum, *l. quae fortuitis* 6. *C. de Pign. Act. Dn. Carpz. d. Const.* 37. *Def.* 21. Et id etiam ad fructus 2
pertinet, in quibus distinguitur: an damna extrinsecus adveniant, an vero ex ipsis fructibus oriantur, per *l. ex conducto* §. 2. *ff. h. t.* Sed proprius ad *hanc legem* distinguunt *Doctores*, inter fructus separatos et perceptos, et inter pendentes; si damnum in pendentibus contingat, locum habet remissio, si in perceptis, quia jam sunt conductoris, ad eumdem etiam damnum fructuum pertinet, ob regulam in *d. l. quae fortuitis* 6. *C. de Pign. Act. Gail. lib.* 2. *Obs.* 23. *num.* 13. *Dn. Carpz. d. Const.* 37. *Def.* 20. *Molina D.* 495. *num.* 15.

L. Si divisa, 13.

SUMMARIUM

Qu. An si plures sint conductores, unus ex illis in solidum conveniri possit?

Locavi aedes meas tribus, et singuli promittunt decem florenos, vel ab universis promittuntur mihi triginta floreni. Volo convenire unum pro solida pensione triginta florenorum, Quaeritur: *An possim?* quod negatur, quia in solidum se non obligarunt, *hic et l.* 2. §. 1. *C. de Divid. Tut.* Sed si in solidum se obligarint, et sic se correos debendi constituerint, per *l.* 9. *ff. de Duobus Reis*, tunc in solidum convenientur, sed habebunt adhuc beneficium divisionis ex *Nov.* 99. Per *quam Novellam* juxta communem sententiam, illi, qui in solidum obligati sunt, beneficium divisionis habent, si ambo solvendo et praesentes sunt, de quo suo loco.

L. Si ii. 14.

SUMMARIA

Qu. Si annonam ferendam locaverim pro certa mercede et auriga fidem fallat, quae actio detur? num. 1.
Nemo ex contractu agere potest, nisi a sua parte contractui satisfecerit, aut satisfacere sit paratus. 2.

1 Locavi annonam ferendam pro certa mercede, quam solvi, sed auriga fidem fallit, Quaeritur: *Quae actio detur?* Resp. Locati ad interesse, si modo pecuniam vel mercedem dedi, et sic contractum a parte mea implevi, vel pensionem in
2 judicio offeram, quia saepius dictum, neminem ex contractu agere posse, nisi a sua parte contractui satisfecerit, aut satisfacere sit paratus.

L. Si de fundo. 15.

SUMMARIA

Quid si poena contractui sit adjecta? num. 1.
Qu. An expulsus conductor habeat aliquod remedium possessorium? 2.

1 Conductor de facto a locatore expulsus, agit ob fidem ruptam ad interesse, actione ex conducto. Sed si de poena solvenda convenit, si fides rumperetur, et ad eam agi potest. Sed Quae-
2 rit *hic Glossa: Annon expulsus conductor habeat aliquod remedium possessorium?* v. g. *leg. Si quis tantam C. unde vi.* Sed Respondetur, eum non habere, quia conductor proprie non possidet, licet in possessione sit, *Farinac. q.* 175. *num.* 111. *Menoch. Recup. Poss. rem.* 17. *num.* 21.

L. Legem. 16.

SUMMARIA

Si conductor post tempus locationis finitum remanet in conductione, patiente locatore, videtur res de novo reconducta. num. 1.
Differentia inter praedia urbana et rustica. 2.
Limitatio ejus, quod num. 1. *habetur.* 3.
Ampliatio. 4.
Reconductio apud nos videtur in rusticis praediis facta ad triennium. 5.

1 Si conductor post tempus locationis finitum remanet in conductione, patiente locatore, videtur res de novo reconducta, tacito utriusque consensu, et pignora videntur iterum obligata data a conductore; sed inter praedia urbana et
2 rustica hic differentia constituenda, nam si conductor remaneat in praedio rustico, videtur in annum reconduxisse. In urbanis vero in id tempus videtur reconductio facta, in quod tempus conductor seu inquilinus habitavit patiente locatore, non vero in primum tempus locationis, per *l. item quaeritur* 11. §. *ult.* et ibi *Bart. ff. h. t. Molina Tr.* 2. *de J. et J. D.* 498. *num.* 12. *Mantica de tac. et amb. Convent. lib.* 5. *tit.* 15. *Berous cons.* 153. *num.* 13. *et* 58. *vol.* 1. Si au- 3
tem prima conductio in scriptis facta, tacita reconductio fieri non potest, item, si certam solemnitatem requirat, *l.* 14. §. 11. *in fine ff. h. t. Gomez d. cap.* 3. *num.* 16. *Menoch. d. l. num.* 28. *Carpz. d. Const.* 37. *Def.* 9. de qua tamen opinione dubito. Vide tradita a me *ad l.* 14. §. *ult. ff. h. t.* Nec si locator morte vel furore impeditus, consentire non possit, *l.* 15. *ff. h. t. Mantica d. l. Molin. Disp.* 498. *Menoch. l.* 3. *Praesumpt.* 85. *Mascard. de Probat. concl.* 993. Et non habet locum reconductio, quando invito locatore de facto manet in possessione, v. g. locavi tibi agrum ad triennium; finito eo recusas decedere ob praetextum meliorationum, non videor relocasse: quia relocatio utriusque consensum requirit. Et ideo postea quocumque tempore lis de meliorationibus finiatur, statim recedere tenetur: nisi propter fructus pendentes judex arbitrium suum interponat. Et ideo tamen conductor pro ratione temporis, quo in fundo mansit, vel pensionem solvi solitam solvere, aut rationem reddere etiam de percipiendis fructibus tenetur, quos per culpam levem non percepit, quia ut creditor praetendit jus retentionis; ergo etc. per *l.* 3. *C. de pign. act.* Interdum reconductio fit, antequam tempus locationis finitum: v. g. Si conventum, ut resignatio fiat ante elapsum tempus locationis, *(dass einer dem andern ein halb Jahr zuvor aufkündigen solle.)* Ut in locatis operis tradit *Mev. p.* 3. *dec.* 161. Atque haec reconductio tacita non 4
tantum in praediis locum habet, sed etiam in rebus mobilibus locari solitis, *Molina. D.* 498. *num.* 10. *Mantic. d. t.* 15. *num.* 43. *Menoch. l.* 3. *Praesumpt.* 85. *num.* 49. et in operis locatis, *Menoch. d. Praes. num.* 16. *Mantic. d. t.* 15. *num. ult. Mascard. d. concl.* 993. *num.* 12. Si modo illud tempus, quo denuo re conducta usus est conductor, non sit modicum, *Menoch. d. l. num.* 45. *Mascard. num.* 21. *Molina d.* 498. *num.* 5. *Afflictus dec.* 365. *num.* 11. Cur autem in rusticis in annum, sed in urbanis praediis ad tempus novae habitationis videatur reconductio facta, ratio haec est; quod in praedio rustico non percipiantur fructus, nisi in certa parte anni, sed ex praedio urbano uniformiter, et ita qualibet parte anni, *Menoch. d. l. num.* 8. *Molin. d. D.* 498. *num.* 12. *Carpz. d. C.* 37. *Def.* 9. Et cum apud nos fructus praediorum rusticorum 5
integri nonnisi triennio percipiantur, reconductio apud nos videbitur in rusticis praediis facta ad triennium, per tradita *Molin. d. l. num.* 12. *vers. hinc in facto, Trentacinq. lib.* 3. *resol. tit. de Locationibus resol.* 2. *num.* 12. *Menoch. num.* 12. *Mantic. num.* 16.

L. Praeses. 17.

SUMMARIUM

Conductor, si est in mora solvendi pensionem, tenetur ad usuras ex mora.

Conductor, si est in mora solvendi pensionem, tenetur ad usuras ex mora, quia est bonae fidei judicium. Quae ratio in textu habetur et

regula, nec non consequentia est notissima, nam sicut in venditione, ita etiam in locatione locator potest interesse petere a tempore morae.

L. Excepto. 18.

SUMMARIA

Si fundum in triennium locavi, sed in primo anno fuit sterilitas ob locustas, quae omnes fruges depastae sunt, et in secundo fertilitas, tunc tempore sterilitatis deducto, residui temporis pensio solum debetur. num. 1.

Qu. Si non adeo magna sit ubertas sequentium annorum, sed mediocris, et proventus non adeo uber, nec adeo tenuis, anne debeat compensatio fieri sterilitatis et ubertatis? 2.

In facienda remissione ob sterilitatem, consuetudo loci est observanda. 3.

Locatio potest etiam esse, ubi nulla mentio vel expressio pensionis est. 4.

Reconductio eadem mercede, qua facta est conductio, fieri censetur. 5.

1 Si fundum in triennium locavi, sed in primo anno fuit sterilitas, ob locustas, quae omnes fructus depastae sunt, et in secundo fertilitas, tunc subducto tempore sterilitatis, in residui temporis pensionem es obligatus. Nihil novi hic habetur, nisi quod propter sterilitatem remittenda sit merces; Propter hoc tamen videtur *haec lex* addita. Dictum est in *l.* 8. ubertate annorum aliorum sterilitatem unius anni com-
2 pensari; Sed Quaeritur: *Quod si non adeo magna sit ubertas sequentium annorum, sed mediocris, et proventus sit non adeo uber, nec adeo tenuis, debet ne tunc compensatio sterilitatis et ubertatis fieri?* Quod hic videtur Negari, nam quia fructus in sequentibus annis tantum more solito provenerunt, non potest inde aliquid computari ad compensandam sterilitatem praecedentis anni, cum fructus vix pro pensionibus sequentium annorum sufficiant. *Sed cur non pecuniae, sed fructuum fit mentio in hac lege?* Resp. Absurdum non esse pensionem hic constituere etiam in alia re fungibili, sicut
3 *l. si Olei* 21. videbimus. Collige: Etiam in facienda remissione ob sterilitatem, consuetudinem loci esse observandam, ut jam dicetur. Ex
4 hac lege Colligitur: posse locationem esse, ubi nulla mentio, vel expressio pensionis, scilicet si pensio certa ex consuetudine: et porro si reconductio fiat ex praecedentis temporis obser-
5 vantia, colligitur, quod eadem mercede fiat reconductio, *Caldas de Empt. c.* 18. *num.* 12.

L. Circa Locationes. 19.

SUMMARIA

In remissione facienda necesse est observare consuetudinem loci. num. 1.

Si plures sint locatores, et duo remiserint partem pensionis, caeteri quoque quandoque ad remissionem tenentur. 2.

In contractu locationis consuetudo est attendenda. 3.

Si ad longum tempus fiat locatio, jus reale tribuitur. 4.

In remissione facienda necesse est observare 1
consuetudinem loci. Et si v. g. plures locave- 2
rint fundum aliquem et duo remiserint partem pensionis, Quaeritur: *An etiam reliqui teneantur aliquid remittere?* Proeul dubio; si sterilitas tanta, ut ne quidem dimidium pensionis consequi possit, remissio etiam fieri debebit a caeteris, per *l.* 8. *h. t. Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 76. *et seq.* et quos ad *legem* 8. citavimus, sed si ad remissionem non potuisset jure compelli, nec tenebuntur caeteri ad similem remissionem faciendam. Neque versamur hic in iis terminis, ubi creditores congregati remittunt ex majori parte aliquam partem debiti, ut in *l.* 8. *et seqq. ff. de pactis.* Notetur etiam ex hac lege in con- 3
tractu locationis consuetudinem attendendam, v. g. nisi sit consuetudo, ut per locationem longi temporis tribuatur jus coloniae perpetuae; pro contractu locationis hunc contractum haberi debere putat *Dn. Mev. p.* 1. *dec.* 163. Sed si 4
ad longum tempus fiat locatio, v. g. decennium, vicennium, tunc secundum opinionem receptam (quicquid sit de jure scripto) tribuitur jus reale, sed si ad brevius tempus locatio fiat, et per novam reconductionem protrahatur reconductio, manet locatio, de quo casu *Mevium* loqui puto.

L. Qui rem propriam. 20.

SUMMARIA

Qu. An si quis ex errore rem suam pro aliena conducat, videatur dominium translatum ad locatorem? num. 1.

Errans non consentit. 2.

Conduxi rem meam bona fide, quia habui pro 1
tua, Quaeritur: *An dominium videar transtulisse?* Videtur quod sic, quia suae rei conductio non est, ergo videor recognoscere a te rem meam quasi tuam, et sic per constitutum quasi possessorium transferre dominium et possessionem; Sed Negatur hic, puta quod factum a me, per errorem factum est: Errans autem 2
non consentit, *l. si per errorem ff. de Jurisdict.*

L. Si olei. 21.

SUMMARIA

Qu. si quis, cum jam res est conducta pro certa quantitate, majorem quantitatem offerat, an ei locari res possit? num. 1.

Qu. An sicut pretium in emptione, ita quoque merces in locatione consistere debeat in pecunia numerata? 2.

Conduxi praedium a te, et promisi pro mer- 1
cede certam quantitatem olei, alius offert majorem quantitatem, Quaeritur: *An ei possis locare?* Quod ex evidenti ratione negatur, nam contractus initio sunt voluntatis, postea vero

necessitatis. Decisio haec plana; sed quia hic
2 de olei certa quantitate agitur, ideo lex haec negotium facessit illis, qui putant hic etiam pensionem in pecunia numerata consistere debere, sicut pretium in venditione. Et *Glossa hic* fluctuat inter alia, et putat hoc ideo fieri, quia licet negotium hoc *do ut facias*, sit contractus innominatus, et ita contractus stricti juris, quia tamen affinitatem habet cum locatione, ideo hic bonae fidei appellari. Alii intelligunt *hunc textum* de commutata pecunia in oleum, ut et *Molina D.* 486. *num.* 5. Sed verius est in locatione pensionem non tantum consistere in pecunia numerata, sed etiam in re fungibili, quae significatio probatur ex *l. finali C. de Const. Pec. l.* 2. §. *Creditum ff. de Rebus Cred.* Et haec sententia placet *Cujacio ad hunc tit. Vasquio lib.* 3. *Ill. Contr. C.* 53. *Pinell. ad Rubr. C. de Rescind. Vendit. P.* 2. *num.* 29. *et seq. Wesenb. in ϖ. h. t. num.* 7. Non tamen abnuimus, quin lis haec possit ita sopiri, ut locatio fundi frugiferi non requirat necessario pecuniam numeratam, ut sentit *Lopez* citatus et probatus ab *Hillig. in Donell. lib.* 13. *cap.* 6. *Lit. I.* In locatione *faciendi*, merces tantum est in nummis, in locatione *fruendi* etiam in fructibus, omnes etiam leges quae pecuniam numeratam requirunt, de locatione factorum loquuntur, e contrario aliae, ut haec, de locatione rerum.

L. Si ii contra quos. 22.

SUMMARIA

Qu. si quis operam suam locaverit ad certum tempus, sed postea ipsum promissi poeniteat, an possit cogi ad fidem promissi explendam? num. 1.

Qu. An in perpetuum quis alteri suas operas addicere possit? 2.

1 Locavit mihi ad certum tempus quidam operam suam, ut nostri solent mercenarii, sed poenitet ipsum promissi, Quaeritur: *An judex ipsum compellere possit, ut fidem promissi expleat?* Quod affirm. scilicet ut serviat vel interesse praestet, prout placuerit actori, *l.* 21. §. 4. *ff. de Novi Operis Nunt.* ubi quaerit *Glos-*
2 *sa*; *An etiam in perpetuum quis operas suas alteri addicere possit?* Quod affirm. quia tempore feriato non laborat, et potest per Substitutum servire. Sed ratio utraque displicet *Salyc. hic et in l. antiquitas C. de Usufr.* Ideoque hanc substituit, quod licet industria personae electa esset, tamen posset praestando interesse se liberare, quia est obligatio ad factum. Et habemus exempla talium, qui in perpetuum suas operas obstrinxerunt in poenam delicti; et quid sunt rustici aliquibus in locis, nisi perpetui mercenarii?

L. Ad probationem. 23.

SUMMARIA

Qu. An si rem meam ex errore conduxerim, locatori sit acquisitum dominium? num. 1.

Locator, qui rem alienam suo domino locavit, tamdiu habetur pro possessore, donec conductor dominium probaverit. 2.

Nemo sibi possessionis causam mutare potest. 3.

Nisi accedat sententia. 4.

Superveniente titulo causa possessionis mutari potest. 5.

Rem meam mihi locasti ignoranti, Quaeritur: 1
Si inter nos de dominio rei controversia, An possis ex hac locatione probare dominium? Resp. Quod non: quia enim ex errore conduxi rem meam, non habui animum transferendi dominii, Errantis non est consensus, *l.* 15. *ff. de Jurisd.* Sed si probavero rem esse meam, exinde apparet, quod contractus fuerit nullus, cum rei suae non sit locatio. Sed interim ta- 2
men locator habebitur pro possessore, dum rem per conductorem possidet, donec obtinuerit conductor, quia nemo sibi possessionis 3
causam mutare potest, v. g. qui ex titulo depositi vel Commodati vel Conductionis possidet, non potest animi sui destinatione sola efficere, ut jam non possideat ex depositi vel commodati vel conductionis titulo, sed dominii. Si vero sententiam accedit haec potest mutare 4
causam possessionis, cum superveniente titulo 5
causa possessionis mutari possit, *Klock. Vol.* 2. *Cons.* 21. *num.* 86. *et Cons.* 61. *num.* 98. Collige: Ex locatione non probari dominium, de quo late *Masc. de Probat. Concl.* 542. *per totam.*

L. Contractus. 24.

SUMMARIA

Contractus locationis valet etiam sine instrumento vel scriptura. num. 1.

Tenentur haeredes conductoris implere contractum, non vero uxor. 2.

Contractus locationis valet etiam sine instru- 1
mento vel scriptura, et tenentur haeredes con- 2
ductoris implere contractum, non vero uxor, nisi ipsa postea conduxerit. Cur de uxore mentionem injiciat, dubium est; An Antonius uxorem conductoris convenire voluerit, qua sociam vitae, sed ita ipsi obstat titulus *Ne uxor pro marito*; vel ex fidejussione forte interposita, et obstaret ipsi exceptio SCti Vellejani. Res haec plana.

L. Si quis conductionis. 25.

SUMMARIA

Locatori post locationem finitam rem suam repetenti non potest objici exceptio dominii a conductore. num. 1.

Ampliatio. 2.

Sententia Cyni. 3.

Cautela Advocato notanda. 4.

Limitatur regula quadrupliciter. 5.

1 Conduxisti a me praedium, finito locationis tempore me praedium locatum repetente, tu mihi refers exceptionem dominii, et dicis te esse dominum. Quaeritur: *An sis audiendus?* Et Negatur hic, quia habes causam a me, ergo mihi exceptionem dominii referre non potes. Judex decernet possessionem mihi restituendam esse, salva quaestione proprietatis. Sic etiam
2 Commodatarius non potest commodanti quaestionem dominii referre, *l.* 16. *ff. Commodati.* Idem in Depositario, *l.* 1. §. *si praedo ff. Depos.* Et in Actione Pignoratitia, *l.* 22. §. 2. *ff. de Pignor. Act.* quamvis autem *DD.* distinguant inter actionem locati et condictionem ex hac lege, et in hac non posse putent excipi de dominio rei, posse tamen in actione locati, *Bart. hic num.* 3. *et Menoch. Remed.* 11. *recup. possess. num.* 45. *P. Barb. ad l. si alienam ff. sol. matr. num.* 27. *Gaitus de Credit. cap.* 4. *quaesit. num.* 656. merito tamen ea sen-
3 tentia displicet *Cyno-hic*, qui putat singulare esse in *hac l.* ut conductor non debeat audiri, si actioni locati vellet opponere exceptionem dominii, quia hic Imper. non videtur novam
4 actionem introducere velle. Sed quia haec distinctio recepta est, forte ex errore consultum est, ut advocatus actoris ex legis hujus remedio potius actionis formam intentet; quod ego semper praesumerem in dubio, praesertim ubi clausula salutaris addita libello. Limitetur tamen
5 Regula: 1. Si quis ignoranter rem suam conduxisset, *l.* 20 *sup. h. t. Menoch. d. l. num.* 40. licet pro parte dominus sit, licet etiam nulla ex parte dominus sit, sed jus aliquod in re habeat, ob quod justa sit retentio, *Mev. p.* 2. *dec.* 263: 2. Nec si conductor per adjudicationem acquisiverit rem conductam, per *d. l.* 20. *Valasc. Cons.* 42. *Molina Tr.* 2. *de J. et J. D.* 498. *num.* 2. *Menoch. d. l. num.* 53: 3. Nec in iis casibus, ubi in interdicto *unde vi*, obstat exceptio dominii, v. g. si de eo constet, *Men. num.* 41. et in continenti dominium possit probari, *Mev. p.* 3. *dec.* 302: 4. Nec si ob expensas vellet retinere, *Caroc. de Locat. tit. de conductore recusante num.* 2. *et. seq. Molina d. l.* Conf. *Berl. Dec.* 250. *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 215.

L. Si conductionis. 26.

SUMMARIA

Soluta pensione locator ex retento locationis instrumento contra conductorem agere non potest. num. 1.
Locator ad ea, quae de facto retinuit vel vi diripuit, actione conducti potest conveniri. 2.

1 Si conductor pensionem solvit, licet locator retineat instrumentum locationis, et ex eo postea agere velit contra conductorem, evanuit tamen Instrumentum, et locatori opponi po-
2 test exceptio solutionis, sed etiam locator ad ea, quae de facto retinuit, vel vi diripuit, actione conducti conveniri potest, *hic et l.* 35. §. 1. *ff. h. t.*

L. Si tibi. 27.

SUMMARIA

Si Titius pro colonis mercedem sive pensionem domino praerogavit, et dominus fundi promisit, se restituturum, quaeritur, qua actione Titius pecuniam repetet? num. 1.
Pactum vestitum non habet vim nisi inter contrahentes. 2.
Locator interdum census et canones subditorum sibi in locatione reservare solet. 3.
Nudo pacto fidejussio fieri nequit. 4.
Forum hodiernum. 5.

Titius pro Colonis domino mercedem sive pen- 1
sionem praerogavit, sive anticipavit, dominus fundi promittit, se illud restituturum: Si per stipulationem id factum, est actio contra eum ex stipulatu, si per nudum pactum, nulla competit actio: Colligunt *DD.* Quod pactum vestitum 2
non habeat vim, nisi inter contrahentes. Nam in hac specie conductor praedii, census a Colonis, id est, conditionalibus et subditis terrae adscriptis domino solvendos, (sicut hodieque interdum locator census et canones subditorum 3
sibi in locatione reservare solet) domino solverat, et quidem ante terminum, hac conditione, ut dominus forte, si agricolae id non facerent, restitueret; Sed quia sine stipulatione id factum, et tamen procul dubio haec conventio tempore solutionis et sic traditionis facta, et sic traditione vestita, hinc fit, ut aut eam conventionem ex intervallo factam praesumamus, quod non facile praesumendum, aut fatendum, hoc pactum non vestiri traditione, quia solutio facta pro tertio. Adde et hoc, 4
videri hic dominum quasi fidejussorem intervenisse, jam vero licet fidejussor in ipsa numeratione presens fuisset, et nudo pacto fidejussisset, non existimarem, hanc fidejussionem esse, quae stipulationem requirit, per *l. blanditus C. de Fidejus.* Sed quia in foro di- 5
scrimen inter stipulationem et conventionem nudam, deliberatam tamen, et animo obligandi interpositam non observamus, parum utilitatis habet *haec lex.*

L. In judicio. 28.

SUMMARIA

Quid locatori et conductori praestandum? num. 1.
An etiam culpam levissimam praestare debeat is, qui opus faciendum conduxit? 2.
Objectio diluitur. 3.
Alia objectio. 4.
Artifex peritiam artis professus operam suam locando culpam praestat levissimam. 5.

Quaeritur hic: *Quid praestandum locatori et* 1
conductori? Resp. 1. Dolum. 2. Custodiam esse praestandam, non etiam casum fortuitum, nisi scil. hunc in se receperit. Sed de culpa levissima Quaeritur: *An etiam hanc praestare de-* 2

beat is, qui conduxit opus faciendum? Communiter id Negant, quia hic contractus ob utriusque utilitatem initur, ergo culpa levis tantum praestanda, per regulam in *l.* 5. §. 2. *ff. commodati, Carpz. P.* 2. *Const.* 37. *Def.* 21. *Harprecht. in* §. *Conductor num.* 8. *Inst. h. t. Bacch. in Treutl. V.* 1. *D.* 29. *th.* 6. *Lit. E* Sed obstare videtur, quod conductor ad custodiam obligatus sit, custodia autem culpae levissimae op-
3 poni soleat. Sed responderi potest, custodiam pro subjecta materia mox culpae levi, mox levissimae opponi, obstat etiam §. *ult. Inst. h. t.* ubi tamen superlativum pro positivo positum respondent *Carpzov. et Bacchov. dd. ll.* Demum
4 objicitur *l.* 28. §. *pen. ff. h. t.* ad quem aliquando respondi, interdum negotia requirere summam peritiam et diligentiam. Sed quia id quod de columna transportanda ibidem dicitur, ad dolia et tigna, aliasque res extenditur, malo re-
5 spondere, tunc levissimam praestandam esse culpam, quando artifex peritiam artis professus locat operas suas, cum *Bacchov. d. l.* Conf. *Delrio ad l.* 23. *cap.* 11. *ff. de R. J. Caballinus in Tr. de Eo quod interest num.* 182. *Vult. in Scholast. Discept. c.* 15. *Card. Mantica de Tac. et Amb. Convent. lib.* 5. *titul.* 8. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. Cas.* 390.

L. Cum conductorem. 29.

SUMMARIA

Conductor de levi culpa tenetur. num. 1.
An etiam ejus haeredes? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Quando delictum circa contractum est commissum, etiam haeredes tenentur. 5.

1 Conductor tenetur de levi culpa, v. g. si destruxit aedes, per *hanc. l.* vel arbores exciderit *l.* 28. §. 4. *h. t.* servum vulneraverit *l.* 46. *ff.*
2 *h. t.* Sed Quaeritur: *An etiam haeredes tenean-*
3 *tur?* Videtur quod non, quia haeredes ex maleficio defuncti non tenentur; sed affirmatur,
4 quia non ex maleficio, sed contractu tenentur,
5 quando enim delictum circa contractum commissum, omnino etiam haeres tenetur.

L. Curialis. 30.

SUMMARIA

Curiae addicti et decuriones, nec fundum conducere, nec pro conductoribus procurare aut fidejubere possunt. num. 1.
Nisi jure successionis in conductione succedant. 2
Hodie haec prohibitio curiarum et curialium ratione mutata. 3.
Leges, quae olim quodammodo statum imperii tunc vigentis respexerunt, hodie adhuc valent quatenus in usu sunt. 4.

1 Curiae addicti et Decuriones ut procurare et fidejubere pro conductoribus non possunt, ita nec conducere fundum possunt, *hic et l.* 31. *C. de Decur. l.* 2. §. 1. *de Adm. rerum ad Civit. pertin.* neque per se, neque per alium; *d.*
l. 2. §. 2. nisi jure successionis in conductione 2
succedant, *l.* 4. *ff. de Decur.* haec enim est conductio necessaria. Sed haec probibitio, mutata 3
hodie curiarum et curialium ratione, hodie non observatur, cum videamus decuriones et curiales conducere, et multo magis pro conductoribus praediorum intervenire vel procurare posse. Tales ergo leges, quae quodammodo re- 4
spiciunt statum Imp. tunc vigentis, hodie non adeo multum utilitatis habent, et valent quatenus in usu sunt, *Molina Tr.* 2. *de J. et J. D.* 488. *num.* 1.

L. Milites. 31. et L. Licet. ult.

SUMMARIA

Milites nec conducere, nec pro conductoribus fidejubere possunt. num. 1.
Poena secus facientium. 2.
De quibusnam militibus hoc intelligendum? 3.
An nobiles nostri temporis ab agricultura prohibeantur? 4.
Imperator non agriculturam, sed conductiones alienorum praediorum lucri causa institutas sordida ministeria vocat. 5.
Militibus actu militantibus praedia v. g. stabula conducere non est prohibitum. 6.

Milites conducere non possunt, nec pro con- 1
ductoribus fide jubere etc. tum ne occasione rei rusticae ab armis secedant, tum ne occasione militiae vicinis graves sint, *l.* 31. *h. t.* Si contra fiat, 1. Milites Militiae gradum amittunt 2
et fiunt pagani: 2. Infames: 3. Debent fundum conductum statim restituere: 4. Locator contra eos nullam habet actionem, et delatio hujus criminis publica est, per *l. fin. h. t.* Quamvis autem hanc prohibitionem de militibus actu mi- 3
litantibus intelligat *Molin. d. D.* 488. *num.* 1. dubitare tamen licet hac de exceptione, cum *in l. fin.* milites etiam illi intelligantur, qui in undecim scholis devotissimis taxati sunt. Sane de Nobilibus nostri temporis, licet milites ap- 4
pellentur, dicere non possumus, quod prohibeantur ab agricultura, sed plerumque maxima in oeconomicis cura est circa agriculturam, quae etiam a Regibus culta est. Et Imper. *hic* 5
in l. fin. non ipsam agriculturam, sed conductiones alienorum praediorum lucri causa institutas, sordida ministeria vocat. Sane nec militi- 6
bus actu militantibus prohibitum praedia urbana, v. g. domos vel stabula conducere, *Azor. P.* 3. *Inst. Moral. lib.* 8. *tit. de Locat. c.*3. *Q.* 1.

L. Ne cui liceat. 32.

SUMMARIA

Locator praeterlapso conductionis tempore alii rem illam locare, nec ab eo, qui prius rem conductam habuit, impediri, nec lis ei moveri potest. num. 1.
Poena remissive. 2.
Quatenus dicta locum habeant? 3.

In fiscalibus sive publicis primus conductor tantum, quantum novus offerens aliis conductoribus praefertur. 4.
Ratio. 5.
An idem in conductore reipubl? 6.
An in Scholaribus locum habeat? 7.
Quid si dominus patiatur concursum, et creditores in ejus bona sint immissi, eaque bona per conductorem administranda, an dominus aliis conductoribus, si caetera sint paria, sit praeferendus? 8.
An usufructuarius locare volens praeferre debeat dominum? 9.
An idem in socio? 10.

1 Locator praeterlapso tempore conductionis alii illam rem locare potest, nec ab hoc, qui rem prius conductam habuit, finita conductione impediri, nec lis ei moveri debet, *hac l.* 32. ubi
2 in fine habetur poena. Sed haec in privatis prae-
3 diis obtinet, secus est in fiscalibus sive publicis,
4 ubi primus conductor, offerens tantum, quantum novus, aliis conductoribus praefertur, *l.* 1. §. 1. *ff. de publ. l. congruit* 4. *et ult. C. de location. praed. civil. Carpz. P.* 2. *c.* 37. *disp.* 8. *Jo. Koeppen Dec.* 52. *num.* 61. *Carpz. lib.* 5. *Resp.* 19. *num.* 16. *Gomez d. c.* 3. *num.* 5. ra-
5 tionem autem putant esse hanc, quod conductor praedii fiscalis in uno gravetur, dum invitus in nonnullis casibus detineri potest, ut supra dixi, ergo merito in alio sublevatur, ut caeteris paribus in conductione aliis praeferatur, *Steph. Gratian. tom.* 2. *Discept. For. cap.* 357. *num.* 12. *et seq.* qui *num.* 19. id quod de con-
6 ductore fundi fiscalis dicitur, ad conductorem Reip. extendit. Exceptionem etiam regulae,
7 quae in *hoc textu* habetur, constituunt in Scholaribus, per *c.* 1. *X. de locat.* conf. *Mynsing. cent.* 4. *Obs.* 23. *Carocius de Locat. P.* 1. *Tit. de jure Personarum pag.* 31. *Boër. Dec.* 107.
8 Sed quid si dominus patiatur concursum, et creditores in ejus bona sint immissi, eaque bona per conductorem sint administranda, Quaeritur: *Annon dominus aliis conductoribus*, caetera si paria sint, *sit praeferendus?* Negat hoc *D. Carpz. d. R.* 19. sed cum *haec lex* non de domino, sed antiquo possessore, seu potius conductore loquatur, hic etiam de Jure protimiseos, quod in venditione locum tantum habet, sermo non sit, dominus etiam in distractione aliis praeferri debeat, aequum videtur saltem ex regula *legis secundae* §. 5. *ff. de Aqua Pluv. Arc.* ut rebus integris praeferatur dominus. Et
9 simile judicium est de illa quaestione, an usufructuarius locare volens praeferre debeat dominum, quod quamvis ex stricti juris ratione negent *Joan. de Castillo de Usufructu cap.* 74. *et Dn. Carpzov. Dec.* 138. videtur tamen communis Schola ex aequitate illius regulae generalis ipsis fatentibus contrarium asserere, *Cavalcanus de usufr. mulieri relicto num.* 172. *Surd. cons.* 43. *num.* 12. *lib.* 1. idem videtur 10
in Socio, *Surdus d. l. num.* 11.

L. Conductores. 34.

SUMMARIA

Conductor ad rem restituendam a locatore conventus ante sententiam condemnatoriam non restituens quomodo puniatur. num. 1.
Limitatur. 2. 3.
Locatori h. l. duo sunt probanda, et quaenam. 4.
Legis decisio contra eum, qui ignoranter rem suam conduxit, non habet locum. 5.
Actio haec datur contra haeredem, sed scientem. 6.

Conductor ad rem restituendam a locatore 1
conventus, ante condemnatoriam sententiam rem conductam non restituens, instar invasoris rei alienae ultra rem conductam etiam aestimationem ejus tenetur restituere, quod limi- 2
tant *DD.* nisi ob expensas sit justa causa renuendi, *Menoch. Recup. Poss. rem.* 11. *num.* 7. *et seq.* vel nisi tempus locationis nondum ela- 3
psum, *Menoch. d. l. num.* 22. Duo vero hic lo- 4
catori sunt probanda, 1. Locatio, 2. Contumacia, non vero dominium; quod hic, quia incidenter consideratur, ex locatione praesumitur, *Menoch. d. l. num.* 31. *et seq.* nec locum 5
habet decisio legis contra eum, qui ignoranter rem suam conduxit, *argum. l.* 23. *sup. h. t. Menoch. num.* 56. et datur haec actio contra 6
haeredem, sed scientem, *Salyc. hic in fine, Menoch. d. l. num.* 50. *Caroc. de Locato P.* 3. *pag.* 266. *num.* 7.

L. Haec constitutio. 35.

SUMMARIUM

Lex 33. *spuria appellatur.*

Legem, quae inscribitur 33. ex graeco restitutam non curamus, quam etiam spuriam appellat *Bacchov. in Treutl. V.* 2. *D.* 2. *th. in fine. Legem* vero *finalem* supra habuimus ad *legem* 31.

TITULUS LXVI. ET ULT.

De Jure Emphyteutico.

L. Jus Emphyteuticarium. 1.

SUMMARIA

Emphyteusis habet propriam et ab aliis contractibus distinctam naturam. num. 1.
Quid sit emphyteusis? 2.
Scriptura ad pacta, quae super fortuitis casibus imponuntur, requiritur. 3.
An scriptura pertineat ad formam hujus contractus? 4.
Quinam praestet casum fortuitum. 5.
An domo diruta, combusta vel ab hostibus occupata etc. ex tali fundo canon debeatur? 6.
Si emphyteuta propter bellum plane non potuit frui fundo emphyteutico, imo plane in eo non commorari, neque canonem praestare tenetur. 7.

1 Hic propria natura, distincta ab aliis contra-
2 ctibus, Emphyteusi conceditur: Est autem Emphyteusis, contractus consensualis, quo fundus a domino in perpetuum, vel longum tempus, alteri colendus datur, sub lege annuae pensionis, sive canonis, qui quamdiu solvitur, repe-
3 ti fundus non potest. Et Imper. hic scripturam ad pacta, quae super fortuitis casibus imponun-
4 tur, requirit non ad formam, sed ad fidem rei gestae, quae aliunde hic vix suppetit, cum in longum tempus fieri soleat. Sed probabilis tamen videtur ex *lege prima* sententia ea, quod scriptura ad constitutionem emphyteuseos videatur requiri, per verba in textu, *Scriptura interveniente, Mascard. de Probat. Concl.* 602. *Sichardus hic Cacheranus Dec.* 53. *Caevall. Quaest.* 356. *Gratian. Tom.* 1. *discept. cap.* 188. *Molina D.* 477. *Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 22. *tit.* 2. *num.* 8. *et tit.* 6. *num.* 12. *Dn. Carpz. P.* 2. *Const.* 39. *Def.* 7. quae etiam sententia esse videtur *Dn. Mev. p.* 3. *dec.* 289. *num.* 1. quamvis etiam ex uniformi solutione canonis longissimo tempore facta praesumptio emphyteutici contractus oriatur, si ea velut ab Emphyteuta facta sit, per tradita *Mev. d. p.* 3. *dec.* 288. Quicquid sit de Emphytheusi civili, tamen scripturam requiri in Emphyteusi Ecclesiastica indubium est, ob *Nov.* 7. *cap.* 3. §. 2. *Nov.* 120. *cap.* 5. *et seq. Mev. d. dec.*
5 289. Ad fortuitos casus quod attinet, si fundus totus pereat, perit domino, si pars, emphyteutae; qui solvit nihilominus canonem sive modicam pecuniam, non pro fructibus,
6 sed pro recognitione dominii. Si ergo domus diruta, combusta, vel ab hostibus occupata vel a mari, aut molendinum reddatur inutile, non debebitur ex tali fundo canon, *Tiraq. de Retract. Consang.* §. 34. *num.* 1. *Clarus in* §. *Emphyteusis, Qu.* 8. *num.* 8. *Valascus de Jure Emphyt. Qu.* 27. *Molina D.* 451. *num.* 1. *Surdus de Aliment. tit.* 7. *Qu.* 33. *Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 22. *tit.* 24. *num.* 12. Ex quibus infertur, si Emphyteuta propter bellum 7
plane non potuit frui fundo Emphyteutico, imo in eo plane non poterit commorari, nec etiam canonem teneri praestare, *Surdus Decis.* 326. *num.* 64. *Jason in l.* 3. §. *in admittenda ff. de Acquir. Possess. num.* 6. *Carpz. P.* 2. *C.* 38. *Def.* 19. *et lib.* 1. *Resp.* 91. *Valasc. d. Qu.* 27. *num.* 13. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 23. *Clarus d. Q.* 8. *num.* 6. *Fachin. lib.* 1. *Contr. c.* 90.

L. In Emphyteuticariis. 2.

SUMMARIA

Pacta huic contractui apponi solita in quantum hic approbet Imperator. num. 1.
Quid si nihil pactum fuerit, an et quatenus emphyteuta expelli possit. 2.
An emphyteuta, meliorationes in fundo a se factas allegans audiendus sit? 3.
Emphyteuta canonem potest deponere. 4.
Quatenus emphyteuta non solvendo canonem amittat emphyteusin. 5. 6.
Voluntas domini est causa amissionis sine qua non. 7.
Diverso respectu emphyteusis dicitur amitti ipso jure, et non amitti. 8.
In casibus, quibus feudum ipso jure amittitur, tunc demum actio revocatoria transmittitur in haeredes, si dominus voluerit, et se revocaturum declaraverit. 9.
Dominus suam voluntatem satis declarat, si eam rem alii locet. 10.
An propria auctoritate expellere possit emphyteutam dominus. 11.
Celeris morae purgatio tam in Ecclesiastica quam civili emphyteusi admittitur. 12.
An dominus recipiendo canonem vel pensionem caducitatem remisisse videatur. 13.
Emphyteuta canonem offerre, et judicialiter, si aliter non potest, deponere debet. 14.
Sola oblatio ad purgandam moram sufficit, licet non ad liberationem a debito. 15.
Sola oblatio canonis efficit, ne emphyteuta pro hac vice dejici possit, sed non impedit, quo minus emphyteuta, si denuo interpelletur a domino, moram de novo contrahat. 16.

Primo approbat Justin. pacta, quae huic con- 1
tractui super solutione canonis, et aliis capitulis opponuntur, modo non naturae contractus adversentur, quod si nihil pactum, constituit 2
Imp. ut si emphyteuta per triennium, in civili scilicet emphyteusi (secus enim est in Ecclesiastica, *auth. qui rem. C. de SS. Eccles.*) canonem, nec ejus partem, sua sponte (cum tempus ipsum interpellet pro homine) non solverit, possit a domino, si velit uti jure suo (secus ergo si postea canonem sciens accepit, *Car-*

pzov. P. 2. *C.* 38. *D.* 6.) expelli, non quidem, ut puto, propria auctoritate, sed implorato officio judicis, *arg. l. non debet singulis etc. ff. de R. J.*
3 et Emphyteuta, si meliorationes se in fundo fecisse alleget, audiendus est, et debet etiam apochas functionum publicarum, id est, tributorum domino dare, ut si aliquando emphyteusis ad dominum revertatur, huic probatio soluti tributi sit in promptu: ne autem dominus tergiversando Emphyteutam in solutione canonis
4 impedire ipse possit, ideo Emphyteuta canonem potest deponere, juxta *l.* 9. *C. de solut.* Colli-
5 gitur ex *hac l.* 2. I. Requiri, ut per totum triennium cessaverit, ibi, *Sed per totum triennium.* Ideoque non possum mirari satis opinionem illorum, qui statuunt, si emphyteuta tantum partem in residuo habeat, eamque non solverit, licet ex maxima parte satisfecerit, amittere tamen eum emphyteusin, ut putat *Berlich. P.* 2. *Concl.* 46. *num.* 18. cum tamen Imperator hic requirat, ut per totum triennium
6 canonem non solverit. Ideoque verius est canones 3. annorum integros debere esse in residuo ad id, ut emphyteuta in poenam caducitatis condemnetur, *Dn. Carpzov. d. Const.* 38. *Def.* 4. *Bacchov. in Treutl. V.* 1. *Disput.* 29. *th.* 12. *lit. B.* Conf. *Guido Papae Dec.* 174. *et*
7 *Molina Disput.* 353. *num.* 13. II. Ex verbis, *volenti ei licere etc.* colligitur: Semper ipso jure ob non solutum canonem per triennium amitti emphyteusin, si dominus voluerit, et voluntas domini est causa amissionis sine qua non. Et
8 ideo diverso respectu Emphyteusis dicitur amitti ipso jure et non amitti, *Clarus d. §. Quaest.* 9. Sicut etiam iis casibus, quibus Feudum ipso
9 jure amittitur, tunc demum actio revocatoria transmittitur in haeredes, si dominus voluerit, et se revocaturum declaraverit, *Rosenthal. de Feud. cap.* 10. *Conclus.* 40. *num.* 41. *et Con-*
10 *clus.* 41. *num.* 37. Satis autem declarat voluntatem suam dominus, si eam rem alii locet, *Surdus de Alim. Tit.* 1. *Q.* 48. *num.* 50. *et tit.* 9. *Qu.* 25. *num.* 77. Sed quaeritur: *An pro-*
11 *pria auctoritate expellere emphyteutam possit dominus?* Et communius id affirmant *Jason hic num.* 14. *Clarus Qu.* 11. *Valasc. d. Tr. Qu.* 18. *num.* 8. *Fachin. lib.* 1. *cap.* 93. *Guttierez de Juram. Confirm. P.* 1. *c.* 11. *num.* 2. *Mantica lib.* 22. *tit.* 28. *num.* 31. nisi controversia incidat, v. g. an per triennium cessatum sit, vel an sine probabili causa cessaverit, *Molina D.* 453. *num.* 23. quamvis forte ratione juris nostri tutius dicere sit, id non licere, ut antea dixi, *Berlich. P.* 2 *Concl.* 46. *Trentacinq. tit. de Emphyt. Resol.* 4. *num.* 3. *Bacch. d. th.* 12.
12 *lit. B. in fine.* Celerem purgationem morae non tantum in Ecclesiastica Emphyteusi, sed et civili admittunt *Carpz. Def.* 11. *et Trentacinq. d. l. num.* 8. et licet poena sit addita non soluto canoni, amitti tamen emphyteusin volunt *Bart. hic num.* 11. *Bald. num.* 12. *Jason. num.* 139. ut tamen non nisi unum petatur, nisi addita sit clausula, *rato manente pacto*, *Bart. num.* 14. *Bl. num.* 13. *Jason. num.* 145. Reci-
13 piendo autem pensionem vel canonem dominus videtur remisisse caducitatem, quod de canone futuro indistincte verum, de canone praeterito vero tum demum, si in contrarium non est protestatus, *Tren'acinq. Resol.* 6. III. Em-
14 phyteutam debere offerre canonem et judicialiter, si aliter non possit, deponere, quia dies interpellat pro homine *c.* 4. *X. de Locato.* Et sola hic oblatio ad purgandam moram sufficit, 15
licet non ad liberationem a debito, *Mantica d. l.* 22. *tit.* 27. *num.* 61. *et seq. Clarus Q.* 8. *num.* 10. *Molina D.* 453. *num.* 9. *Neguzant. de Pign. P.* 5. *M.* 3. *Part.* 3. *num.* 3. *Schurf. cent.* 3. *Cons.* 71. *num.* 25. *Georg. Schultz. Tr. de Oblatione Pecun. c.* 6. *num.* 16. Sola oblatio 16
canonis efficit, ne emphyteuta pro hac vice dejici possit, sed non impedit, quo minus emphyteuta, si denuo interpelletur a Domino, moram de novo contrahat. Sed si deponat, ab omni periculo dejectionis liberabitur, *P. Barb. in l. si mora* 10. *num.* 80. *ff. sol. matr.*

L. Cum dubitabatur ult.

SUMMARIA

Conventioni inter partes de potestate melioramenta vel jus emphyteuticum alienandi standum est. num. 1.
In quosnam, nisi certis conditionibus, emphyteusin transferre non liceat. 2.
An emphyteuta jus suum tertio donare possit. 3.
An et quatenus idem in donatione hoc loco, quod in venditione. 4.
Quid si non tota emphytensis, sed ejus tantum pars alienetur, an totum vel pars tantum amittatur. 5.
In poenalibus vocabulum alienationis proprie debet intelligi. 6.
Venditio nondum consummata non nocet domino. 7.
An uxor marito emphyteusin in dotem dare possit? 8.
An pater emphyteusin suam genero in dotem recte det? 9.
Quid in permutatione? 10.
Quatenus feudum possit vendi? 11.
Laudemium quid sit? 12.
Ejus quantitas definitur. 13.
Pretium illud, quo Emphyteusis venditur, sit praesens non ratione aestimationis antiquae. 14.
Nisi aliud ab initio conventum. 15.
An consuetudine hoc sit auctum. 16.
Novus emphyteuta vel emptor ob non praestitum intra triennium laudemium jure suo non cadit. 17.
Nec ob non petitam renovationem jure suo privari debet. 18.
Argumentum a feudo ad emphyteusin in poenalibus et odiosis non procedit. 19.

Quicquid inter partes de potestate alienandi 1
melioramenta, vel jus emphyteuticum conventum, ei standum est, quod si non sit factum, sunt in quos transferre non licet, vel quia prohibiti in contractu, vel quia canonem solvere non possunt, sed non licet transferre etiam in reliquos, nisi his conditionibus: 1. Ut emendi prae- 2
rogativa concedatur domino eodem pretio, quod alius offert, et id jubetur domino denunciare testato, sique is deliberaturum se dicat, expectare tenetur duos menses, quibus praeterlapsis, domino tacente, vendit, cui vult, idoneo tamen: 2. Dominus debet introducere emptorem in possessionem, cui deliberanti duo menses

conceduntur. 3. Pro admisso, subscriptione,
ac depositione honorarium, id est, 50. pars
pretii vel aestimationis, ipsi solvendum, Vid.
3 *Donell. d. l.* Sed 1. *quid si donare velit Em-*
phyteuta jus suum? Resp. denunciationem fieri
debere domino, non quidem ad hunc effectum,
ut declaret dominus, an sibi donatum velit, sed
ut sciat, quem habiturus sit Emphyteutam, et
ut habeat electionem, an ipsi pretium offerre
velit, *Jason hic et Bacchov. th.* 13. *lit. E.* Et
sic intelligi possunt *Bart. Bald. et Salic. in hac*
4 *l.* 3. qui idem volunt esse in donatione, quod
in venditione valet. Conf. *Fachin. lib.* 3. *Contr.*
79. *et lib.* 6. *cap.* 98. *Molina D.* 461. *num.* 6.
Hillig. in Donell. l. 9. *c.* 14. *lit. G.* Sed 2. Quae-
5 ritur: *Quid si non tota emphyteusis, sed ejus*
tantum pars alienetur? Verior mihi semper vi-
sa sententia, tantum partem amitti, quia em-
phyteusis est res sua natura dividua, *argum.*
c. un. lib. 2. *feud. tit.* 38. *Clarus in d.* §. *Q.* 13.
Tiraq. d. Retr. Consang. §. 23. *Gl.* 2. *num.* 28.
Molina D. 459. *num.* 12. *Castillo de usufr. cap.*
24. *num.* 8. *Mantica d. l.* 22. *tit.* 28. *num.* 13.
licet dissentiat *Cephalus Cons.* 139. *per totum.*
Sed Quaero: 3. *Quid si non alienata, sed oppi-*
gnorata fuerit emphyteusis? Resp. poenam hanc
6 non mereri emphyteutam, quia in poenalibus,
ut hic, vocabulum alienationis proprie debet
intelligi, *Bacch. d. th.* 13. *lit. F. Mantica d. t.*
7 28. *num.* 51. Sicut etiam venditio nondum con-
summata non nocet, *Carpz. d. l. def.* 13. *Mo-*
lina d. D. 459. *num.* 6. *Trentac. de jure Em-*
8 *phyt. Resol.* 8. *num.* 3. quin uxor marito em-
phyteusin in dotem dari possit, non est du-
bium, cum haec alienatio sit temporalis, donec
durat matrimonium, *P. Barb. in l. usumfructum*
9 *num.* 25. *ff. sol. matrim.* sed quaeritur, an pa-
ter in dotem dare possit emphyteusin suam ge-
nero? Respond. videtur dicendum, quod hoc
fieri non possit sine consensu Domini, quia tran-
sit perpetuo in dominium filiae, scil. si in fi-
liam non possit transire emphyteusis, et filia
non sit capax, sed si sit capax, omnino in do-
tem dari potest. Sed prius limitatur, nisi pater
nulla habeat alia bona, ex quibus dotem con-
stituere possit, nam tunc a judice ad consti-
tutionem dotis in rebus emphyteuticis cogi pos-
set, ergo sponte hoc facere potest, *Barb. d. l.*
num. 26. Sed quid in permutatione? Resp. non 10
habere locum caducitatem, quia emphyteutae
permutantis interest, ut rem potius habeat al-
ter, cum quo permutavit, quam ut habeat do-
minus, *Franc. d. Clapperiis causa* 103. *quaest.*
un. num. 4. Sic ergo legare, permutare, in so-
lutum domino inconsulto poterit, *Wesenb. ad*
tit. si ager vectigalis. §. 38. Imo etiam vendi 11
potest ob paupertatem summam et extremam
necessitatem ut feudum, per tradita *Myns. c.*
6. *obs.* 30. *Rosenth. de feudis cap.* 9. *concl.* 3.
num. 9. quomodo etiam aliis casibus innocua
esse possit, tractat *Cephalus cons.* 699. *per to-*
tum. Definitur etiam laudemii (quod scilicet pro 12
recognitione dominii domino penditur) quan-
titas, scilicet quinquagesima pars pretii, sol- 13
venda ab emptore, *Clarus* §. *Emphyt. q.* 23.
num. 4. *Camill. Borellus Tom.* 1. *tit.* 35. *num.*
31. *et seq.* Et quidem praesentis pretii, quo 14
jam emphyteusis venditur, non ratione aestima-
tionis antiquae, *Carpz. lib.* 1. *Resp.* 90. nisi aliud 15
ab initio sit conventum, *Molina d. l. n.* 1. aut con- 16
suetudine hoc sit auctum, *Carpz. p.* 2. *C.* 39. *D.*
12. Plura autem de laudemio habet *Dn. Fran-*
tzkius in pecul. accurato tractatu, et Dn. Car-
pz. lib. 1. *Resp.* 88. *Ant. Faber h. t. C. Def.*
65. *et seqq. Berl. P.* 2. *Dec.* 171. *Hartm. Pist.*
P. 1. *Q.* 50. *Marta tom.* 3. *Digest. tit. de Lau-*
dem. Ob non praestitum autem Laudemium in- 17
tra triennium jure suo non cadit emphyteuta
novus vel emptor, quia poena privationis non
habet locum, nisi in casibus jure expressis, *DD.*
citat *Surdus dec.* 200. *num.* 1. Sicut etiam ob 18
non petitam renovationem emphyteuta jure suo
privari non debet, *Carpz. P.* 2. *Const.* 38. *Def.*
20. *et lib.* 1. *Resp.* 87. *Berl. dec.* 68. *num.* 12.
quia argumentum a feudo ad Emphyteusin in 19
poenalibus et odiosis non procedit, *Valasc. de*
jure Emphyt. q. 39. *Thesaurus lib.* 1. *quaest.*
23. *num.* 7.

FINIS LIBRI QUARTI

LIBER V.

CODICIS

TITULUS I.

De Sponsalibus et Arrhis Sponsalitiis, et Proxeneticis.

L. Alii. 1.

SUMMARIA

Sponsaliorum definitio. num. 1.
Sponsalia de praesenti sunt ipsum matrimonium. 2.
Puella per sponsalia de futuro desponsata, an et quatenus alii nubere possit. 3.
Ratio decidendi. 4.
Limitatio. 5.
Jus Canonicum recedit hac in parte a jure Civili. 6.
Ratio. 7.
Desponsati h. m. ad consummationem compelli nequeunt. 8.
Licet sponsalia sint jurata. 9.

1 Sponsalia sunt jure civili repromissiones futurarum nuptiarum et his renunciare licet. Sed
2 sponsalia de praesenti sunt ipsum matrimonium, *Beust. de Spons. c.* 7. *Covarr. P.* 1. *de Spons. c.* 1. *num.* 6. *Guttier. de Matrim. c.* 1. *num.* 8.
3 *Hillig. in Donell. lib.* 13. *c.* 18. *lit. D.* Puella igitur desponsata per sponsalia de futuro alii nubere potest, si modo sponsalibus prioribus renunciaverit, alias fiet infamis, *l.* 1. *ff. de his qui infamia not.* Cur autem renunciare liceat
4 his sponsalibus, ratio est haec: quia non sunt matrimonium, sed praeparatio ad illud. Sed in
5 sponsalibus juratis de futuro aliud est, per *c. ex literis c. requisivit X. eodem.* Sed huic legi
6 videtur derogatum Jure Canonico, *Panorm. et Fel. in c.* 2. *X. h. t. Besoldus cons.* 244. *num.*
7 8. nam Jure Canon. etiam sponsalia de futuro obligant, *c. fin. causa* 27. *qu.* 2. licet praecise
8 desponsati compelli ad consummationem non possint, *c.* 2. *et c. requisivit* 17. *X. h. t.* licet
9 sint jurata, *Covarr. de Spons. P.* 1. *c.* 5. *num.* 1. *Sanchez de Matrim. lib.* 1. *D.* 52. *Guttierez de Matrim. Q.* 24.

L. Si is. 2.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Mulier desponsata alicui expectare tenetur tempus in sponsalibus praefixum. 2.
Quo lapso libere nubit alii. 3. 7.
Quamdiu expectare cogatur. 4.
Communis sententia. 5.
Nonnulli notantur. 6.
Limitantur num. 4. *dicta.* 8.
Non quivis discessus, etsi multi temporis sit, facit desertionem, sed qui malitiosus est. 9.

Mulier desponsata alicui, tenetur eum expe- 1
ctare per tempus, quod in sponsalibus praefi- 2
xum. Nam de tempore biennii per pactum con- 3
vento haec *l.* 2. loquitur, *Sichardus hic et Finckelthaus. obs.* 111. *num.* 3. Si extra provinciam 4
degat, tunc triennium videtur necessarium, *l.* 2. *C. de Repud.* licet nonnulli velint in *d. l.* 2. narrari factum, nec triennio opus esse, *Panorm. ad c. de illis* 5. *X. de sponsal. Finckelt. d. l. num.* 4. Si vero sponsus habeat necessarias absentiae causas, etiam quadriennium expectare tenetur et ultra, *d. l. pen. ff. h. t.* Et ita com- 5
muniter sentiunt, *DD.* Vid, *Menoch. lib.* 2. *casu* 255. *num.* 7. *Guttier. de Matrim. Cap.* 30. *Koeppen. lib.* 1. *Obs.* 36. *Sanchez de Matrim. lib.* 1. *D.* 54. *num.* 4. *Covar. P.* 1. *c.* 5. *pr. num.* 7. conf. *Finckelth. d. l. num.* 5. *et seq.* Imo decen- 6
nium in justa militia requirit *Justin. in Nov.* 22. *cap.* 14. *Finckelth. d. l. num.* 11. Si au- 7
tem sponsus se aliam in provinciam citra justam ac probabilem causam contulerit, nec sit spes maturioris reditus, etiam non expectato biennio vel triennio poterit sponsa absolvi a judice Ecclesiastico, et poterit sponsa libere alia sponsalia contrahere, *c.* 5. *X. h. t.* et ibi *Panorm. in fine, Sanchez d. D.* 54. *num.* 6. *Covar. d. num.* 7. *Guttier. d. c.* 30. *num.* 4.
Pro diversitate ergo circumstantiarum de tem- 8

pore absentiae statuendum, ut de malitia et vo-
luntate non revertendi per eas constet, ex qui-
bus hac apparente vel annus sufficit, *Dn. Vice-
Praeses Mev. p.* 4. *dec.* ubi hac de re plura, et
9 ex Salyceto hic notat, non quemvis discessum,
etsi multum temporis sit, facere desertionem,
sed qui malitiosus est. Conf. *idem Dn. Finckel-
thaus. d. l. num.* 14. *et* 15.

L. Arrhis. 3.

SUMMARIA

Arrhae datae in sponsalibus, nuptiis ob mortem sponsi non sequutis, repeti possunt ab ejus haeredibus. num. 1.
Limitatur. 2.
Arrhis non tantum ab una parte, sed etiam ab utraque datis confirmari possunt sponsalia. 3.
An arrha an vero poena potius in sponsalibus admittenda. 4.
Ratio decidendi. 5.
Faciliores sunt homines ad promittendum quam ad dandum. 6.

1 Cum arrhae sunt datae in sponsalibus, et nu-
ptiae non sequuntur ob mortem sponsi, arrhae
2 repetuntur ab ejus haeredibus, nisi sponsus
causam, cur nuptiae non sint sequutae, adhuc
3 vivus dederit. Colligitur ergo: Arrhis non tan-
tum ab una parte, sed etiam ab utraque datis,
confirmari posse sponsalia, *Covar. de Matrim.*
4 *P.* 2. *c.* 3. §. 7. *num.* 10. Cur autem arrha ad-
mittatur in sponsalibus, non ita poena, per *c.*
5 *gemma* 29. *X. h. t.* ratio est haec, cum poena
non statim solvatur, sed promittatur in futu-
rum, facile et incaute in magna quantitate pro-
mitti posset, arrha autem reipsa, et maturiori
6 consilio statim tradatur; faciliores autem sunt
homines ad promittendum, quam ad dandum,
Guttierez cap. 18. *num.* 2. *Trent. de Matrim.
Res.* 2. *num.* 21. Conf. *Panorm. et caeteri in
d. c. gemma, et Sanchez de Matr. l.* 1. *disp.*
35. *num.* 2.

L. Si pater. 4.

SUMMARIA

Si filiam pater destinavit tibi, eo mortuo non possunt eam alii tutores despondere, nec virgo se ipsam. num. 1.
Foeminae saepe contra propria commoda laborare videntur. 2.
Filiafam. non potest dissentire a patre si eam pater alicui destinaverit. 3.
Limitatur. 4.
Aliud observatur jure Canon. 5.
Libera debent esse matrimonia. 6.

1 Si filiam Pater destinavit tibi, eo mortuo non
possunt eam alii tutores despondere, nec virgo
2 se ipsam, ratio in *fine l.* est, quod scilicet foe-
minae saepe contra propria commoda laborare
videantur, nisi pater eam indigno destinaverit,
3 *l.* 12. *ff. h. t.* Collige ergo ex *hac l.* Filiamfa-
milias non posse dissentire a patre, si eam pa-
ter alicui destinaverit, *hic et l. sed ea quae* 12. *ff.
h. t.* nisi indignum moribus obtrudere velit, 4
Cypr. de Spons. c. 9. *num.* 1. Sed huic deroga- 5
tum videtur in Jure Canon. cum libera debeant 6
esse matrimonia, *c. cum locum* 14. *X. h. t. Joan.
Gerard. in Tr. de Conjugio* §. 55. *Dn. Carpzov.
lib.* 2. *Jurispr. Eccles. Def.* 30. *num.* 7. *Cypr.
c.* 6. §. 2. *num.* 14.

L. Mulier. ult.

SUMMARIA

Si nuptiae non sequantur ob contrariam voluntatem sponsae, quomodo arrhae possint reddi a sponsa tam majorenni quam minorenni. num. 1.
Recipiens, si per eum stetit, quo minus nuptiae sequerentur, non tantum arrham sed et ejus aestimationem restituere tenetur. 2.
Si per dantem stetit, amittit arrhas. 3.
In promissis arrhis poena haec non habet locum. 4.
Neque distinguendum inter arrham majoris et minoris quantitatis. 5.
Neque an in quantitate an in specie consistat arrha. 6.
An et quatenus minorennibus ut et majorennibus parcendum. 7.
Ille, qui repudii causam habuit, eamque tempore sponsalium scivit, omnino poenam dupli incurrit. 8.
Ex scientia dolus praesumitur. 9.
Dans arrham potest stipulari, ut in casu repudii ea ipsa in quadruplum restituatur. 10.
Quod etiam non mutatum jure Canon. 11.
Stipulatio poenae in sponsalibus est irrita. 12.
Ampliatur. 13.
Inter eos, qui omnino extranei sunt, poenae promitti possunt. 14.
Pignora et fidejussores pro interesse, non vero pro poena intervenire possunt. 15.

Si nuptiae non sequantur ob contrariam vo- 1
luntatem sponsae, tunc si majorennis est spon-
sa, reddit hodie arrhas duplicatas, id est, ipsas
arrhas et praeterea tantundem. Si autem mi-
norennis accepit arrhas, et renunciet sponsali-
bus, restituit tantum simplices arrhas, si ipsa
vel tutores ejus acceperint. Duplicatas vero, si
Parentes acceperint. Si vero nuptiae ob impe-
dimentum sanguinis vel religionis non potuerunt
consistere, quia nulla culpa puellae, ideo sim-
plices tantum arrhas reddit. Idem est, si justa
causa repudii petendi de novo accesserit, v. g.
scelerata vita. Eadem ratio sponsi repudiantis
sponsam, abolita poena quadrupli. Collige ergo
ex *hac l.* Si stetit per recipientem, quo minus 2
nuptiae sequerentur, eum non tantum arrham,
sed et aestimationem ejus restituere teneri, si
autem per dantem, amittit arrhas, *Alv. Valasc.* 3
Consult. 2. *num.* 1. *Sanchez lib.* 1. *Disp.* 37.
Sed in arrhis promissis poena haec locum non 4
habet, *Covar. de Matrim. P.* 2. *c.* 3. §. 7. *num.* 11.
Tiraq. in Tr. de Const. Possess. P. 3. *Limit.* 26.
num. 1. *Trentac. lib.* 3. *tit. de Matrim. Res.* 2.
num. 9. Nec distinguitur, an in magna vel exi- 5

gua quantitate arrha data sit, *Guttierez d. Tr. c.* 18. *num.* 6. *Sanchez lib.* 1. *Disp.* 35. *num.* 7.
6 nec distinguitur, an in quantitate, an in specie arrha consistat, *Bl. et Salyc. hic, Guttierez d. l. num.* 7. *Trentac. num.* 13. *Sanchez num.* 12.
7 II. Minorennibus parci, ut et majorennibus, si causam justam repudii habeant, parci, inquam, ratione poenae, non ratione simplicis arrhae restituendae, *Covar. P.* 2. *c.* 7. *num.* 6. *Guttie-*
8 *rez d. c.* 18. *num.* 1. *et seqq.* III. Si ille, qui causam repudii habuit, eam tempore sponsalium scivit, eum omnino poenam dupli incurrere, cum
9 ex scientia dolus praesumatur. IV. Quod qui
10 dedit arrhas, possit stipulari, ut in casum repudii in quadruplum arrha restituatur, quod
11 nec Jure Canonico mutatum existimat *Sanchez de Matrim. lib.* 1. *D.* 37. *num.* 11. Et demum
V. Stipulationem poenae in sponsalibus esse ir- 12
ritam, quod etiam in Jure Canonico locum habet per antea citatum *cap. gemma* 29. *X. h. t.*
et hoc non tantum, si ipsae personae contra- 13
hentes poenam addant, sed et si earum consanguinei, per quos ad matrimonium eos adduci posse sit probabile, *Sanchez l.* 1. *Disp.* 30.
Trentac. d. Res. 2. *num.* 20. sed inter eos, qui 14
omnino extranei sunt, possunt promitti poenae, quia cessat superior ratio, *Sanchez d. l. num.*
5. *Trentac. d. l. num.* 22. Pro interesse vero et 15
non pro poena, pignora et fidejussores intervenire possunt, *Panorm. in d. c. gemma num.* 10. *Trentac. d. l. num.* 26. *Sanchez lib.* 1. *D.* 33. Conf. *Guttierez d. tr. c.* 22.

TITULUS II.

Si Rector Provinciae, vel ad eum pertinentes sponsalitias dederint arrhas.

L. Si quis. un.

SUMMARIA

Quinam uxorem ducere nequeant. num. 1.
Sponsalia blanditiis Principum contracta possunt retractari. 2.
Quatenus hoc procedat. 3.
Aliud jure Canon. 4.

1 Praeses Provinciae, sive ejus officiales, nec non liberi, propinqui, domestici et similes ex provincia Praesidi commissa uxorem ducere nequeunt, propter metum concussionis: sed sponsalia contrahere possunt, quamvis finita administratione sponsa a sponsalibus recedere, et arrhas retinere possit. Unde colligit *hic Glossa:*
Quod Sponsalia blanditiis Principum contracta, 2
possint retractari, quod *Thomas Sanchez de*
Matrim. lib. 4. *Disp.* 7. *num.* 3. non aliter in- 3
telligit, nisi insint tacitae minae. Conf. *Masc. de Probat. Concl.* 193. *Tiraq. de Poenis temperandis causa* 35. Jure Canonico hanc prohibitio- 4
nem cessare volunt *hic Bart. et Salyc. Rittershus in differ. Juris Civ. et Canon. lib.* 1. *c.* 30. *Rosbach. de differ. tit.* 5.

TITULUS III.

De Donationibus ante Nuptias, vel propter Nuptias, et Sponsalitiis.

SUMMARIA

Contenta hujus Tituli. num. 1.
Intellectus legis 10. *et seqq. duarum.* 2.
Explicatio legum posteriorum compendiosa. 3.

1 In hoc titulo agitur I. De Sponsalitiis largitatibus, id est, donationibus, quas Sponsus Sponsae donat intuitu nuptiarum, praeter arrham,
2 et de *his* in *legibus prioribus*, quamvis *l.* 10. *et seqq. duae* de donatione simplici, quam sponsus facit, ut quivis alius, videantur intelligendae.
II. Agitur in *legibus posterioribus* de Donatione 3
propter nuptias sive Antipherna, quae est donatio sponsi vel mariti in compensationem dotis factae.

L. Multum. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Mutuum qui dedit, amplius recipere nequit, quam revera dedit. 2.
Ampliatur. 3.
Major quantitas dotis non potest repeti, quam quae revera data est. 4.

An et quatenus confessio majoris dotis, quam quae accepta est, pro valida donatione sit habenda? 5.

1 Donavit quidam sponsae suae centum aureos, quos postea illa marito in dotem dedit. Maritus fatetur se ducentos accepisse, *Quaeritur, an ex hac confessione conveniri possit Maritus?* Resp. potuisse uxorem illa 100. donata, uti rem suam, marito in dotem dare, ergo et repetere posse soluto matrimonio. Reliqua vero 100. repetere non posse, quia non sunt data, et esset haec dona-
2 tio, *h. l.* 1. Nam sicut qui mutuum dedit, amplius recipere non potest, quam revera dedit,
3 licet plus se accepisse confessus sit, *per l. ro-*
4 *gasti* 11. §. 1. *ff. de Reb. Cred.* ita nec major quantitas dotis potest repeti, quam quae revera data est, licet plus sit in instrumento dotali comprehensum, quod ex *hac l.* evincitur. Col-
5 ligunt ex *hac l.* Quando matrimonio nondum inito facta est confessio majoris dotis, quam accepta sit, si certum sit, animo donandi factam esse, quod tunc donatio illa plane sit invalida, nec morte confirmanda, secus si constante matrimonio confessio fiat, nam hoc casu esset ficta traditio et virtualis, reputatur enim quasi tradita a viro uxori, et mox ab ipsa uxore viro, *Molina de J. et J. Tr.* 2. *D.* 439. *num.* 16. *Valasc. t.* 1. *consult.* 5. *num.* 4. *Sanchez lib.* 6. *Disp.* 9. *num.* 3.

L. Si Praesidi. 2.

SUMMARIA

Parentibus sponsae qui donat intuitu sperati matrimonii, non simpliciter donare videtur. num. 1.
Sed data haec, nuptiis non sequutis, repetere potest condictione causa data, causa non sequuta. 2.
Donatio alia est ob causam, alia sine causa. 3.
Donatio ob causam facta, quomodo probari possit a condicente rem donatam? 4. 5.
Donationis causae raro allegari solent. 6.

1 Qui Parentibus sponsae donat, non videtur simpliciter donare, sed intuitu matrimonii sperati, et ad conciliandas nuptias, cum nemo vi-
2 deatur suum jactare; Et ergo, quocumque casu nuptiis non sequutis, dona repetit condictione *causa data, causa non sequuta* per *l.* 8. *C. de Praediis Min.* ut hoc autem recte intelligatur,
3 notandum, duplicem esse donationem, aliam ob causam, aliam sine causa, seu simplicem liberalitatem, *Sanchez lib.* 6. *D.* 1. *num.* 1. In
4 hac ergo specie donaverat Procus puellae parentibus, sed spe sua frustratus est hic Procus, et repetit donata: parentes excipiunt, sibi simpliciter esse donata, actor vero ob nuptias, vel spe nuptiarum. Videtur hic onus probandi imponi Proco, se scilicet ob nuptias futuras de-
5 disse. Sed puto id ex conjecturis, ex circumstantia temporis probari; Si enim eo tempore, quo de matrimonio agebatur, donatio sit facta, procul dubio ob causam facta est. Quamvis autem *Glossa*, quam *hic* sequuntur *DD.* distinguat, utrum agat Procus condictione *causa data*, an vero condictione *sine causa*, ut illo casu necesse sit causam probare, non hoc, putarim tamen non aliam, nisi conjecturatam probationem requiri. Alias difficulter hoc probaretur, cum 6
raro soleant causae donationis allegari.

L. Pollicitatione. 3.

SUMMARIA

Sponsa majorem summam in dotem promittens sponso quam habet in bonis, et ob id amplam dotalitiam largitatem vel donationem propter nuptias accipiens sponsum non habet obligatum. num. 1.
Mulier, quae in dote maritum fefellit, donationem ea contemplatione factam a marito repetere nequit. 2.
Nemo ex suo dolo commodum debet reportare. 3.
Qui promissa non servat, commodum consequi non debet. 4.
Frangenti fidem, nulla etiam servetur fides. 5.

Sponsa promittit sponso mille florenos in do- 1
tem, cum tamen in bonis tantum non haberet: Sponsus deceptus amplam ipsi confert sponsalitiam largitatem, vel donationem propter nuptias; Resp. propter dolum sponsae sponsum non teneri, sed habere exceptionem doli. Unde probare solent, *ex hac l.* mulierem, quae in 2
dote maritum fefellit, non posse petere a marito donationem ea contemplatione factam. Ex dolo enim suo nemo debet commodum repor- 3
tare, *l. non fraudantur* §. *nemo ex suo ff. de R. J.* nec debet commodum consequi, qui promissa 4
non servat, *l. si quis major C. de Transact.* item frangenti fidem, fidem non debere serva- 5
ri, *Valasc. P.* 1. *Cons.* 3. *num.* 2. *Sanchez lib.* 6. *D.* 37. *num.* 1.

L. Quod sponsae. 4.

SUMMARIA

Donatio inter uxorem et maritum est prohibita. num. 1.
Et ideo in tempus matrimonii, ut tum demum perfecta sit, conferri non potest. 2.
Paria sunt, fieri tempore prohibito et conferri effectum donationis in tempus prohibitum. 3.
Idem est in tempus permissum aliquid conferre, et tempore permisso aliquid facere. 4.
Restrictio hujus legis. 5.

Quia donatio inter uxorem et maritum prohi- 1
bita per *tot. tit. ff. et C. de Donat. inter virum et uxorem*, ideo donatio conferri non po- 2
test in tempus matrimonii, ut tum demum sit perfecta, *l.* 1. *h. t.* nam paria sunt, fieri tem- 3
pore prohibito, et conferri effectum donationis in tempus prohibitum. Quam Regulam ex *hoc textu* communiter probant, vid. *Tiraqu. de Const. Poss. P.* 3. *Limit.* 2. *num.* 3. *Tusch. Concl.* 88. *lit. P. num.* 3. *et seq.* et quos hic allegat *Barb. Wes. in* §. 15. *Inst. de Inut. Stip. Cephal. cons.* 366. *num.* 14. *Cuno de pactis l.* 1. *c.* 6. *num.* 240. et e contrario regula est,

4 quod idem sit, tempore permisso aliquid face-
re, et in tempus permissum aliquid conferre,
v. g. cum capere poterit, *l. in tempus* 62. *ff.*
de Haered. Inst. Tiraq. de Legib. Connub. §. 8.
num. 29. *Cagnolus in l. fin. C. de Pactis num.*
5 13. Non tamen *lex nostra* locum inveniet, li-
cet eodem die, quo nuptiae celebratae, dona-
tio, ante nuptias tamen celebratas, facta, *l.*
inter eos 28. *ff.* de *Donat. inter virum etc. San-*
chez de Matrim. lib. 6. *D.* 18. *num.* 7.

L. Ea quae. 5.

SUMMARIA

Sponsalitia largitas ab eo, qui sponsus esse nequit, facta, cur ipso jure nulla? num. 1.
Maritum sponsam habere per leges impossibile est. 2.
Impossibilitas de jure vitiat promissionem nuptiarum. 3.
Ampliatur. 4.
Limitatur. 5.

1 Sponsalitia largitas facta ab eo, qui sponsus es-
se nequit, ut qui jam habet uxorem, ipso ju-
re nulla est; quia donatio ob modum impossi-
2 bilem nulla est. Jam vero, ut maritus spon-
sam habeat, impossibile est per leges. Unde
3 colligitur, impossibilitatem de jure vitiare pro-
4 missionem nuptiarum, etiam a sciente factam,
sicut in aliis contractibus, *l.* 137. §. 7. *ff. de*
5 *V. O.* licet secus in ultimis voluntatibus.

L. Cum in te. 6.

SUMMARIA

Si quis donavit aliquid mulieri, sed dubium sit an ante nuptias, an post eas facta sit donatio, quomodo veritas indaganda, ut sciri possit, an sponsae, an vero uxori donatum fuerit? num. 1.
Ex traductione in domum jure civili praesumitur matrimonium. 2.
Secus jure Canon. et moribus hodiernis. 3.
Facile hodie est scire, an uxori an sponsae quid donatum, modo de die donationis vere constet. 4.
Donatio sponsae altera die post concubitum pro virginitatis flore facta omnino est valida. 5.

1 Donaverat quis suae uxori aliquid, sed du-
bium erat, an ante nuptias contractas, an post
eas; sin illud, valet donatio ut sponsalitia lar-
gitas, sin hoc non valet, quia inter conjuges
prohibita est donatio; Sed dicat aliquis, unde
hoc constat, *An in sponsam, an in uxorem fa-*
cta donatio? Resp. Imper. Si ante deductionem
sponsae in domum mariti facta, valere, sed si
post eam, cum tunc uxor praesumatur, non
2 valere. Unde colligitur: Ex traductione in do-
mum Jure Civili praesumi matrimonium, *Al-*
ciatus de Praesumpt. Reg. 3. *Praesumpt.* 38.
num. 1. *Cov. de Sponsal. P.* 1. *c.* 5. §. 2. *num.*
1. *Men. lib.* 3. *Praes.* 1. *num.* 55. quod tamen
3 Jure Canonico non ita procedit, quo, ut et
consuetudinario, benedictio sacerdotalis requi-
ritur, ideoque hodie nostris moribus facile est 4
scire, an uxori an sponsae quid donatum, mo-
do de die donationis vere constet. Illud scien- 5
dum tamen in ipsa festivitate nuptiarum post
concubitum altera die solere sponsae donari
pecuniae summam pro flore virginitatis, vulgo
Morgen Gabe, quae donatio omnino valida.

L. Si cum ante. 7.

SUMMARIA

Si quis donat suae sponsae hac lege, ut dissoluto matrimonio, apud dantem donata remanerent, an haeredes donantis possint repetere donata? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi ratio. 3.
Sensus magis quam verba inspicienda. 4.
Verbum permanendi *importat translationem dominii titulo donationis vel alio.* 5.
Significatio verbi τὸ remanere. 6.

Donasti sponsae tuae hac lege, ut dissoluto 1
matrimonio apud te dantem donata remane-
rent. Quaeritur; *An tui haeredes possint repe-*
tere? Videtur quod non, imo hoc pactum
cum natura donationis videtur pugnare. Nam 2
si donatum est translatum, utique est domi-
nium, ergo penes donantem remanere nequit.
Sed respondetur quod sic, quia verbum *rema-* 3
nendi pro verbo *repetendi* hic sumitur. Sensus 4
enim magis quam verba inspicienda, *l.* 3. §. 9.
ff. de Adim. Leg. l. 6. §. 1. *ff. de Contr. Empt.*
Unde colligitur: Verbum *permanendi* importare 5
translationem dominii titulo donationis vel alio,
Guido Papae dec. 510. Unde colligunt DD. hoc 6
verbum *remanendi* esse commune, ita ut si is
penes quem debet remanere, non habeat, sit
verbum obliquum, si habeat, sit directum, v.
g. si dicatur, haereditatem semper debere re-
manere penes descendentes, inducatur fidei-
commissum, in omnes descendentes ordine suc-
cessivo, de gradu in gradum, *Br. Bl. et Salyc.*
hic Card. Tusch. concl. 88. *lit. N. num.* 11. *et*
30. *Dn. Altorsini cons.* 57. *Lancellot. Galiaula*
in Repet. l. centurio ff. de Vulg. et Pup. subst.
num. 523. Et habet significationem traditionis
dominii, *Guid. Papae d. l.* conf. *Wehn. in obs.*
pr. in verbo *Bleiben.*

L. Si ante. 8.

SUMMARIA

Minorennis praedia alienare nequit. num. 1.
Majorennis cur immobilia sponsae donare, et quod semel rite donatum, neque per testamentum revocare possit, remissive. 2.
Perfecta donatio per testamentum non revocatur. 3.

Majorennis (minorennis enim praedia alie- 1
nare non potest) potest etiam immobilia spon- 2
sae donare, nec, quod semel rite donatum,

postea revocari etiam per testamentum potest,
3 ratio in *l. id quod nostrum ff. de R. J.* ideo perfecta donatio, per testamentum non revocatur.

L. Cum te. 9.

SUMMARIA

Sponsalitia largitas ne principis quidem rescripto rescindenda venit. num. 1.
Princeps jus mihi quaesitum adimere nequit. 2.
In humanis actibus duo potissimum attenduntur. 3.
In donationibus sponsae factis voluntas dantis observari debet. 4.
Vestes pretiosiores sponsae ad majorem ornatum datae commodatae potius, quam donatae videntur. 5.

1 Ne quidem Rescripto Principis largitas sponsalitia semel perfecta rescindi potest, quia Prin-
2 ceps jus mihi quaesitum adimere nequit, *l.* 4. *C.*
3 *de Emancip.* Collige: I. Ex *fine legis.* In actibus humanis duo potissimum attendi: 1. voluntatem contrahentium: 2. Permissionem legis, seu facultatem, *hic et l. multum interest* 6. *C. si quis alteri vel sibi, Rol. a Valle v.* 1. *cons.* 59. *num.* 20. *Men. Cons.* 105. *num.* 51. *v.* 1. *Klock. de Contributionibus c.* 12. *num.* 55. II. In
4 donationibus sponsae factis, voluntatem dantis
5 attendi debere, sic igitur vestes pretiosae, quae sponsae traditae, ut magis ornata incederet, potius commodatae quam donatae videntur, *arg. l.* 5. §. 10. *ff. Comm. Bald. in hac l. num.* 2. *et* 1. *Sichard. hic num.* 8. *Clarus* §. *donatio Q.* 10. *Molina Tr.* 2. *de J. et J. D.* 290. *num.* 7. *Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 20. *tit.* 1. *num.* 18. *Sanchez de Matrim. lib.* 6. *Disp.* 25. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 218.

L. Si filiae. 10. L. Si tibi. 11. L. Si mater. 12.

SUMMARIA

An sponsae simpliciter nec ullo nuptiarum futurarum intuitu donata ob sponsi mortem revocari queant. num. 1.
Rationes decidendi. 2.
Sensus legis 11. *et* 12. *num.* 3.
An tribus hisce legibus sit derogatum. 4.
Mens auctoris exprimitur tribus conclusionibus. 5.
Si quocunque etiam modo palam fit, rem non esse donatam intuitu matrimonii, liberalitas ut simplex non revocatur non sequutis nuptiis. 6.
Donatio sponsalibus nondum celebratis facta pro simplici habetur. 7.
Non sequutis nuptiis an pro irrita putetur. 8.
In dubio pro sponsalitia largitate habetur. 9.
Actis inter sponsum et sponsam, ut res donatae redirent ad donantem, donatio simplex est. 10.
Inter socrum et generum constante etiam matrimonio donatio fieri potest. 11.
Donatio inter sponsos alia simplex, alia ob causam. 12.
Simplicis definitio. 13.
Donatio ob causam triplex est. 14.

Quae sponsus sponsae donat, non ut sponsa- 1
litiam largitatem, nec intuitu nuptiarum speratarum, sed simpliciter, ut quivis alius, illa non possunt revocari ob mortem sponsi, *l.* 11. vel ob nuptias alia ex causa non sequutas, *l.* 10.
quia haec non est sponsalitia largitas, sed do- 2
natio simplex, quod exinde praesumitur in *l.* 10. quia socer etiam sponso quid donavit, et sponsus remunerandi animo quid sponsae donat, unde apparet, eum non ob nuptias primario sed ob acceptum prius beneficium, et quia sponsus liberalitate soceri provocatus erat, ideo
sponsae mancipium donasse. In *l.* 11. praesumi- 3
tur simplex donatio, non sponsalitia largitas, quia non propter nuptias, sed tantum liberalitatis causa donatio facta dicitur. Idem in *l.* 12. quia mater sine repetendi lege donavit, unde satis patet, simplicem hanc fuisse donationem.
Sed Quaeritur: *Annon his legibus tribus* per *l.* 4
cum veterum 15. *h. t. sit derogatum?* Manifesto enim colligitur ex his textibus junctis: Quoties sine repetendi lege, id est, sine expressa conditione, si nuptiae non sequantur, aliquid fuerit donatum, quod ea veluti donatio simplex statim valeat, nec nuptiis non sequutis irrita red-
datur. Exprimam meam mentem tribus con- 5
clusionibus: Si palam fit ex confessione partium, 6
vel depositione testium, vel verbis instrumenti, non esse rem datam intuitu et spe matrimonii, licet ante vel post sponsalia sit donata, et tunc omnino liberalitatem eam ut simplicem non re-
vocari non sequutis nuptiis. 2. Si sponsalia non- 7
dum sint celebrata, sed tantum in tractatu partes versentur, erit etiam donatio simplex, quae quidem ob spem nuptiarum, sed non
sub conditione nuptiarum collata, et sic non 8
redditur irrita non sequutis sponsalibus, quippe
sponsi nondum fuere. 3. Post sponsalia contra- 9
cta in dubio pro sponsalitia largitate haec donatio habenda, quae sub conditione nuptiarum facta, quae quomodo irrita reddatur, sequetur in *d. l.* 15. Conf. *Ant. Gomez. in l. Taur.* 52. *num.* 2. *et Molina T.* 2. *de J. et J. D.* 290. *num.* 1. *Sanchez de Matrim. l.* 6. *D.* 18. *num.* 2. *et Steph. Fagundez de J. et J. lib.* 4. *c.* 13. *num.* 12. *et* 13. Colligitur etiam ex *l. si mater*
12. Si hoc inter sponsum et sponsam actum sit, 10
ne res donatae redirent ad donantem, procul dubio non esse sponsalitiam largitatem, sed simplicem liberalitatem, quae potest esse quarta Conclusio, per tradita *Steph. Fagundez de J.*
et J. l. 4. *c.* 13. *num.* 3. Colligitur etiam: In- 11
ter socrum et generum etiam constante matrimonio donationem fieri posse, per verba textus in *l.* 12. *vel marito, hic et l.* 3. §. 7. *ff. de Donat. inter Virum et Uxorem.* Colligitur
etiam ex *his legibus*: Donationem inter sponsos 12
esse duplicem, aliam simplicem, aliam ob cau-
sam. Simplex est, quae forte fit quidem ex 13
amore, sed non sub conditione nuptiarum. Ob
causam vero triplex est: 1. Sponsalitia largitas, 14
quae fit sub conditione nuptiarum: 2. Donatio propter nuptias, de qua post: 3. Subarrhatio, quae datur in assecurationem matrimonii contrahendi, *Sanch. de Matr. lib.* 6. *Disp.* 1. *num.* 1. *Molin. D.* 290.

L. De Rebus. 13.

SUMMARIA

Licet quis habeat creditores, tamen nonnihil de bonis suis sponsae donare potest, si res illae non sint obligatae, nec donatio in fraudem creditorum facta sit. num. 1.
Actione hypothecaria contra tertium vel donatarium agens probare debet hypothecam donatione fuisse priorem. 2.

1 Habuit quidam multos creditores, hic nonnihil de bonis suis sponsae donat, quod ipsi non est prohibitum, si eae res creditoribus non sint obligatae, nec enim donatio in fraudem creditorum facta, cum inter alia ad actionem Paulinam requiratur, ut a creditoribus decreto judicis bona sint possessa, vel metu immissionis alienatio facta sit, *per l. 1. C. de revoc. his etc. et* per §. *Item si quis Inst. de Act.* quod hic non
2 est. Et inde colligitur, quod per se est certum: Eum qui agit actione hypothecaria, debere probare, si contra tertium vel donatarium agat, hypothecam donatione fuisse priorem, *Neguz. de Pign. M. 2. P. 5. num. 43. Masc. de Prob. concl. 457. num. 12. Lud. Rom. Sing. 159. et Corsetus sing. 13. P. Barb. ad l. 1. p. 2. num. 18. ff. sol. matr.*

L. Si consentiente. 14.

SUMMARIA

An res donata alicui consensu domini, postea revocari queat? num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Res aliena etiam consentiente domino donari potest. 3.
Rem dotalem non aestimato datam uxori soluto matrimonio restitui necesse est. 4.
Secus si aestimato data. 5.

1 Sponsus donat sponsae suae mancipia matris suae, ea consentiente, et ea in dotem a sponsa accipit et quidem inaestimato. Decessit maritus relicta haerede matre, quae mancipia ut sua restituere nurui recusat, sed pretium offert, Quaeritur, *an recte*; quod negatur hic,
2 quia per donationem factam consensu matris semel acquisitum fuit dominium nurui, et ita soluto matrimonio dominium revertitur ad nu-
3 rum, Colligitur hic: I. Rem alienam etiam do-
4 nari posse consentiente domino: II. Rem dotalem non aestimato datam, restitui debere uxo-
5 ri soluto matrimonio, sed si aestimato data, restitui potest pro re pretium, per *hanc l.* a contrario sensu, de quo in *l. 5. et 10. infra de jure Dotium.*

L. Cum veterum. 15.

SUMMARIA

Legis sententia. num. 1.
Constantiniani Decisi intellectus. 2.
Sponsalitia largitas semper sub hac fit conditione, si nuptiae sequutae fuerint. 3.
Et ante harum completionem nulla est obligatio vel donatio. 4.

Sententiam hujus legis optime expressit *Molina de J. et J. Tr. 2. D. 290. num. 1.* his ver- 1
bis: Quamvis ante Constantini tempora, quod sponsus sponsae donabat, nisi exprimeret, se sub conditione matrimonii futuri donare, fuerit absolute statim donatarii, ita ut matrimonio etiam non sequuto, neque donatarius, neque haeredes ejus id teneantur restituere, per *hanc legem* tamen, quae Constantini sancitum, ut 2
ejusmodi donatio, quando aliud non exprimitur, semper facta intelligatur sub conditione matrimonii futuri, quod si matrimonium non perficiatur, distinguendum est, quoniam aut culpa donantis non perficitur, et tunc similiter res tota efficitur donatarii; Quod si is, cujus culpa matrimonium non perficitur, vicissim aliquid dono ab altero sponso acceperat, nihilominus in integrum restituit donanti. Si vero culpa donatarii matrimonium non perficiatur, tunc id totum, quod acceperat, restituit donanti. Conf. *Anton. Gomez ad l. Tauri 32. num. 1. et seq. Thomas Sanchez de Matrim. lib. 6. Disp. 18. num. 13. Steph. Fagundez de J. et J. lib. 4. c. 13. num. 5.* Colligunt etiam ex *hac lege*; Spon- 3
salitiam largitionem semper fieri sub tacita conditione, si nuptiae sequutae fuerint, his autem non sequutis, retractari donationem, *Jo. Campeg. de Dote P. 1. Q. 79. num. 1.* Et ita ante im- 4
pletam conditionem nuptiarum, non est constans obligatio vel donatio, *Menoch. l. 3. Praesumpt. 19. Petr. Barbos. in l. si ante 6. num. 10. in fine ff. Sol. Matr.*

L. Si a sponso. 16.

SUMMARIA

Donatio sponsae facta a sponso, interveniente osculo, non sequutis nuptiis, pro dimidia tantum parte revocari potest. num. 1.
Secus nullo intercedente osculo. 2.
Alia limitatio. 3.
Diversitatis ratio. 4.
Virgo per osculum verecundiam amittit. 5.
Sponsa praeter oscula copulam quoque carnalem, licet ante traductionem in domum, passa, totam sponsalitiam largitionem lucratur. 6.

Si per mortem vel casum fortuitum fiat, ut 1
nuptiae non sequantur, tamen si sponsus donavit sponsae, et deinde osculum intervenerit, dimidia tantum donatio revocanda, sine osculo 2
vero, tota redit ad sponsum. Si vero sponsa 3
sponso donet (quod rarius) indistincte donatio redit ad sponsam, licet osculum intervenerit, ratio diversitatis est, quod per osculum quasi 4
delibari videatur virginitas puellae, quod secus videtur in sponso, scilicet judicio soli. Si tamen osculum non detur gratia sponsi, sed sponsae, ejus recreandae causa in morbo, vel non sit praeparatorium matrimonii, vel figatur minori 12. annis, decisio haec non haberet locum, per tradita *Vincentii de Franchis Decis. 503.*

5 *num.* 19. *et seqq.* Ex quibus colligitur: Virginem plus amittere per osculum, quia amittit verecundiam, et non ita facile nubet matrimonio hoc non sequuto, quia major honestas in foemineo sexu requiritur, et hoc verum est, licet oscula praecedant donationem, sive sequantur, modo post jam inita sponsalia dentur, *Sanchez d. D.* 18. *num.* 5. *Petr. Barb. in Rubr. ff. Sol. Matr. P.* 2. *num.* 2. *Fagundez d. c.* 13.
6 *num.* 9. quod si autem non oscula tantum et amplexus, sed etiam copulam carnalem passa esset sponsa, licet ante traductionem in domum, totam et integram largitatem sponsalitiam lucraretur, ut recte concludit *Sanch. de Matr. lib.* 6. *Disp.* 19. *num.* 2. *Steph. Fagund. d. c.* 13. *num.* 20.

L. Minoribus. 17.

SUMMARIA

Donationis propter nuptias definitio. num. 1.
Haec olim 300. *solidorum quantitatem excedens actis publicis erat insinuanda.* 2.
Exceptio ab hac regula. 3.
Tempora insinuationibus praestituta non currunt minoribus. 4.

1 Hic jam incipit tractare Imperator de donatione propter nuptias, quae est donatio a sponso vel marito, sponsae vel uxori in compensa-
2 tionem dotis facta. Et haec olim, si excederet quantitatem 300. solidorum, erat insinuanda
3 actis judicii, sed excipitur hic minorennis puella, quae licet non insinuaverit donationem actis, hanc tamen firmiter acquirit, unde ge-
4 neraliter concludit hic *Gl. et DD.* Quod tempora insinuationibus praestituta, non currant minoribus. Sed quid hodie juris sit, dicetur in sequentibus.

L. Si liberis. 18.

SUMMARIA

Matrimonio soluto dos revertitur ad uxorem, donatio propter nuptias ad maritum. num. 1.
Nisi contrarium sit conventum. 2.
Casus legis. 3.
Non videtur ab illo profectum, qui rem illam a me habuit. 4.

1 Matrimonio soluto dos revertitur ad uxorem, donatio propter nuptias ad maritum, ut ex,
2 *hac lege* manifeste probatur, nisi contrarium
3 sit conventum. Sed Quaeritur: quia maritus et uxor ad secundas nuptias convolantes, omne lucrum, quod ex primo matrimonio habent, reservare debent liberis primi matrimonii, *l.* 3. *inf. de Secund. Nupt. An maritus etiam donationem hanc propter nuptias ad se reversam, liberis primi matrimonii conservare teneatur?* Quod negatur per *l.* 18. quia non est lucrum, sed id ab initio a marito profectum est, *d. l.*
4 18. Collige ex *hac lege*: Non videri profectum ab illo, qui rem illam a me habuit, et sic maritum secundo nubentem non teneri donationem ad se reversam liberis prioris matrimonii reservare, sed aliud si dotem lucratus fuisset maritus.

L. Si constante. 19.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Dos et donatio propter nuptias constante matrimonio augeri possunt. 2. 5.
Possunt etiam minui. 3.
Quod tamen duobus modis limitatur. 4.
Constante etiam matrimonio donatio propter nuptias constitui potest. 6.
Augmentum dotis fruitur iisdem privilegiis, quibus fruitur ipsa dos ab initio constituta. 7.
Hypotheca augmenti dotis competit a tempore eo, quo dos aucta. 8.
Limitantur hoc ipso priora. 9.
Illustrantur casu. 10.
Speciale observat Electoratus Brandenburgicus. 11.
Augmentum ob invaliditatem donationis constante matrimonio ad dotis diminutionem non procedit. 12.
Nonnulli notantur. 13.
Jus ex contractu vel ejus occasione tertio, saltem in spe quaesitum, invito ipsi auferri non potest. 14.

Constante matrimonio potest dos et donatio 1
propter nuptias facta, vel augeri, si antea fuit 2
constituta, et quidem aucta dote liberum h. l. relinquitur marito, utrum augere velit donationem propter nuptias; Sed hoc ad necessitatem trahitur in *Auth. seq.* vel si nulla fuit constituta ante nuptias, potest de novo constitui, vel possunt nova pacta fieri, a prioribus plane diversa, v. g. si prius placuit, ut dotem lucraretur maritus, postea placeat, ut augmentum dotis redeat ad uxoris haeredes. Si autem nova pacta non addita, tunc intelligitur augmentum sub iisdem conditionibus, quibus dos erat constituta, et competit hypoteca ex eo die, ex quo donatio est aucta; Eadem ratione dos et dona- 3
tio propter nuptias potest minui, constante matrimonio, ut tamen filiis prioris matrimonii 4
nullum erectur praejudicium, et ut tam dos quam donatio propter nuptias diminuatur, ne sc. obstet *l. un. C. si dos constante matrimonio sol.* Collige ergo: I. Dotem et Donationem pro- 5
pter nuptias constante matrimonio augeri posse, *Bald. Novell. in Tr. de Dote P.* 7. *Priv.* 8. *n.* 2. *Mantica de Conject. ult. volunt. lib.* 11. *tit.* 22. *num.* 2. *Thomas Sanchez de Matrim. lib.* 6. *D.* 7. *num.* 1. II. Quod liceat etiam constante ma- 6
trimonio donationem propter nuptias constituere. III. Augmentum dotis frui iisdem privilegiis, 7
quibus fruitur ipsa dos ab initio constituta, *Tiraq. ad l. si unquam* verb. *donatione largitus, num.* 226. *Dn. Carpzov. P.* 1. *Jurispr. Const.* 28. *Def.* 61. IV. Hypothecam augmenti dotis, non com- 8
petere a tempore eo, quo prima dos data, sed quo aucta: Ideoque hoc videtur prius limitare, nam 9
si ponamus eam sententiam, quae passim recepta, veram esse, quod dos praeferatur creditoribus anteriorem tacitam hypothecam habentibus, postponatur vero expressae hypothecae priori, utilitatem hoc poterit habere. Pone e- 10

nim debitorem dotem accepisse, postea sub hypotheca expressa alii creditori obligasse bona sua, demum augmentum dotis ab uxore accepisse, hic praesupposita sententia illa, quam etiam *Carpz.* defendit *Const.* 28. *Def.* 65. dos quidem creditori illi praefertur, sed augmentum dotis postponetur creditori illi secundo. Ergo ex hoc declaranda et limitanda ea, quae habet *Carpz.*
11 *d. Def.* 64. Sed in Electoratu Brandenburgico et Camera Brandenburgica dos praefertur omnibus hypothecis, etiam expressis, *Pruckman. v.*
12 1. *cons.* 47. *num.* 119. V. Quamvis donatio inter conjuges constante matrimonio non valeat, nihilominus valere diminutionem dotis et remissionem, per allegata *Sanchezii lib.* 6. *D.* 3. *n.* 10. de quo in *tit. si dos constante matrim.* quam
13 autem aliqui, quos refert *Petr. Barbos. ad l.* 2. *part.* 2. *num.* 8. *ff. sol. matr.* distinguant inter dotem promissam et datam, ut illa tantum non haec diminui posset, quia esset donatio, generaliorem tamen intellectum probat *d. l. Barbosa*, quia dos augeri potest constante matrimonio, cujus augmenti fructus lucratur maritus, non vero auctae donationis fructus lucratur uxor, ideo voluisse Imperatorem hoc lucrum mariti compensare cum damno in casu diminutae dotis, sive sit data, sive tantum promis-
14 sa. VI. Quando ex contractu contrahentium, vel ex occasione contractus per dispositionem legalem est alicui tertio jus quaesitum, saltem in spe, non potest illud ipsi auferri nisi illo consentiente, *Bald. hic et Roder. Suarez in repet. l. quoniam in prioribus quaest.* 8. *num.* 5. *Tiraq. de LL. Connub. Gl.* 2. *num.* 39.

Auth. Sed jam necesse est.

SUMMARIA

Dicta praecedentis legis per hanc Authent. in necessitatem tracta sunt. num. 1. 2.
Uxori constante matrimonio pro lubitu dotem augere licet. 3.
Ampliatur. 4.
Limitatur per distinctionem. 5.
Diversitatis ratio. 6.
Illatis mobilibus adhuc extantibus omnino augmentum dotis in istis constare potest. 7.
Ampliatur. 8.
Ratio ampliationis. 9.
Mulier augmentum dotis in quantitate consistens, si probat, privilegium dotis habet in hoc augmento. 10.
Carpzovius *notatur.* 11.
Facilius praesumitur fraus in confessione augmenti dotis quam ipsius dotis. 12.
Matrimonium non facile sine dote, bene tamen sine dotis augmento esse solet. 13.
Praesumptio fraudis non habet locum, si promissio dotis ante matrimonium facta, post id vero confessio dotis receptae. 14.
Ratio 15.
Confessio de dote antea promissa post matrimonium recepta verosimilis judicatur. 16.
Dos postquam data augeri non solet. 17.
Recepta opinio. 18.

1 In praecedenti lege dictum est, aucta dote posse maritum etiam augere donationem constante matrimonio, sed hoc in *Nov.* 97. *c.* 2.
in necessitatem tractum est, ut aucta dote te- 2
neatur donationem propter nuptias augere, quia voluit esse aequalitatem inter dotem et donationem ob nuptias, sed hoc hodie parum habet utilitatis, ut infra dicam. Alterum vero,
quod hic dicitur, si velit uxor constante ma- 3
trimonio augere dotem, quod hoc liceat ipsi
facere, tam in quantitate vel mobilibus, quam 4
in immobilibus, si maritus non sit obaeratus.
Si autem eo tempore, quo dos aucta dicitur, 5
maritus erat oneratus aere alieno, tum subdistinguitur, an augmentum dotis factum esse dicatur in quantitate, vel in mobilibus, an vere in immobilibus. Priori casu confessio mariti non praejudicat creditoribus praecedentibus, vel sequentibus, juxta *Glossam hic*, quam probat *Trentac. P.* 3. *de Jur. Dot. Res.* 7. *num.* 16.
sed posteriori casu valet, ratio discriminis est 6
evidens, quia augmentum dotis in rebus immobilibus est evidens, in mobilibus et in quantitate magis est occultum, *Rittershus. in Nov. p.* 5. *c.* 2. *num.* 2. *Campeg. de Dote P.* 1.
Q. 63. ex qua ratione sequitur, si mobilia il- 7
lata extent adhuc, omnino augmentum do-
tis in mobilibus posse constare, licet obaeratus 8
sit maritus, quia hic cessaret praesumptio frau- 9
dis, *Campeg. de Dote P.* 1. *Q.* 65. Addo etiam
si mulier possit probare augmentum dotis in 10
quantitate consistens; v. g. dedit mille florenos pro augmento dotis, quibus mille florenis maritus liberatus est a creditore Lipsiensi N. N. et possit hoc probare, puto, omnino mulierem habere privilegium dotis in hoc augmento. Et ex *hac lege* limitanda est illa sententia, quam habet
Dn. Carpz. d. Const. 28. *P.* 1. *Def.* 76. quod 11
privilegium dotis etiam doti confessatae competat, si reliqui etiam creditores confessione mariti nitantur. Nam illa sententia in augmento dotis non habebit locum. Colligitur etiam ex
hac Auth. facilius praesumi fraudem in confes- 12
sione augmenti dotis, quam ipsius dotis, nam
non solet matrimonium facile esse sine dote, sed 13
bene sine augmento dotis, *Covar. l.* 1. *Resol. c.* 7. *num.* 6. vers. *quod praeterea apparet, Petr. Barb. ad l.* 1. *ff. Sol. Matr. p.* 6. *num.* 38. neque
praesumptio fraudis locum habet, si promissio 14
dotis ante matrimonium facta, post id vero con-
fessio dotis receptae, quia hoc non est augere 15
dotem, sed prius promissam exsolvere, *Cam-*
peg. lib. 1. *de Dote q.* 71. confessio de dote an- 16
tea promissa post matrimonium recepta, vero-
similis judicatur, sed dos postquam data est, 17
non solet augeri, *Jo. Dom. Gaitus de credito cap.* 4. *num.* 1765. *et seqq.* Verum, *cum Dec. et Ant. Gabrielio, Barbosa d. p.* 6. *num.* 40.
receptam opinionem esse dicit, non praesumi 18
fraudem, si promissio dotis etiam post matrimonium consummatum facta sit, neque confessionem dotis receptae ob creditores Mariti statim videri fraudulentam, *ob hanc Auth.* quae de augmento dotis agit, Conf. *Mantica de tac. et amb. convent. l.* 11. *tit.* 20. *num.* 37.

L. Cum multae. ult.

SUMMARIUM

Donatio propter nuptias cur non ante nuptias imposterum vocanda sit.

Princip. Donatio propter nuptias imposterum non ante nuptias vocanda est, quia etiam post nuptias constitui, et augeri, et insinuari potest, *hic in princ. et §. ult.* Ratio: 1. In fragilitate sexus: 2. In convenientia utriusque cum utraque scilicet tam dos, quam donatio propter nuptias donatio sit, et utraque habeat implicitam conditionem nuptiarum.

Auth. Permissa

SUMMARIA

Uxor tam in dotis repetitione, quam in donatione propter nuptias realem habet actionem contra possessorem tertium. num. 1.
Imo etiam contra maritum soluto matrimonio. 2.
Ergo habet dominium. 3.
Quomodo uxor in donatione propter nuptias hypothecam habere dicatur. 4.
Notatur Carpzovius. 5.

1 Uxor ut in repetitione dotis, ita et in donatione propter nuptias, realem habet actionem
2 adversus possessorem tertium, imo et contra maritum soluto matrimonio, quoties de dote
3 periclitatur, *Auth. permissa h. t.* Ergo habet
4 dominium, sed quomodo tamen dicunt hypothecam in donatione propter nuptias habere actionem, licet sine praelationis privilegio, *l. assiduis* 12. *§. hoc autem* 2. *C. Qui potiores in pign. Schneidevv. ad §. fuerat num.* 36. *et* 60. *Inst. De Act. Hennig. Goeden. cons.* 100. *num.* 6. *et seq.* et hos citans *Carpzov. d. Const.* 28. *Def.* 91. *in fine, Berlich. P.* 1. *concl.* 65. *num.* 71. *Dn. Richter de Privil. Cred. d.* 6. *limit.* 3. Resp. id ex privilegio et jure singulari fieri, ut hypotheca cum dominio concurrat, *DD. hic et Vivius dec.* 258. *num.* 2. *Guido Papae dec.* 525.
5 quando autem *Carpzov. d. Const.* 28. *Def.* 91. tradit, non habere donationem propter nuptias hypothecam, procul dubio de lucro intelligendus est, non de fundo propter nuptias donato. Vid. *Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 26. *T.* 3. *num.* 7.

§. Simplices et Auth. Dos data.

SUMMARIA

Donationes simplices inter conjuges sunt prohibitae. num. 1.
Ratio prohibitionis. 2.
Limitatio. 3.
Secus in donatione propter nuptias. 4.
Tam dos, quam donatio propter nuptias aequo passu ambulare debent. 5.
In augmento et diminutione utriusque quomodo procedatur? 6.
In Authentica quid probetur? 7.
DD. *notantur.* 8.
Menochii sententia consuetudine approbata. 9.
Dos plerumque est sine donatione propter nuptias. 10.
Donationes propter nuptias raro hodie nisi inter nobiles fiunt. 11.

Licet donationes simplices inter conjuges sint 1
prohibitae, ne mutuo se provocent ad libidi- 2
nem, nisi donatio conferatur in tempus soluti 3
matrimonii, alia tamen est ratio donationis pro- 4
pter nuptias, quae est remuneratio dotis, haec potest, et si dos data, per *auth. seq.* etiam debet, constante matrimonio constitui, et tam 5
dos, quam donatio propter nuptias, debent aequo passu ambulare, per *leg.* 9. *infr. de pact. convent.* ubi dicitur, quod augmentum et di- 6
minutio utriusque aequaliter procedere debeant, et si nihil circa augmentum noviter convenit, interpretatio facienda est ex pactis constitutionis dotis additis. Si autem inaequalis sit conditio v. g. ut maritus lucretur tertiam partem dotis, uxor vero quartam partem donationis propter nuptias, tunc minor ad se trahit majorem, id est, maritus tantum habere debet quartam. Si vero dotem promissam non intulit uxor, non potest petere donationem propter nuptias, nisi maritus sit in mora accipiendi dotem; quamvis hoc casu uxor dotem judicialiter offerre, vel judicialiter deponere possit, per *Auth. Dos data.* Haec ita in *d. §. Simplices et Authent. subjecta.* Sed hoc tamen dubium, an ex Authen- 7
tica colligatur necessario dote data, maritum ad dandam donationem propter nuptias teneri, quod probant ex verbis Authenticae, *dos data donationem propter nuptias meretur*, sed illa verba in originali textu non habentur, et si habentur, sententiam hanc non probarent, ut recte contra *DD.* vulgo probat *Menoch. Rem.* 8
15. *recup. possess. num.* 166. *et seq.* Imo haec sententia *Menochii* consuetudine approbata, nec 9
haec pars Authenticae, si vera esset, in usu est, ut omnes fatentur, Vid. *Trentac. lib.* 3. *tit. de Matrim. Res.* 3. *num.* 1. *Castillo de Usufr. c.* 46. *num.* 11. *et seq.* et dos plerumque sine 10
donatione propter nuptias est, et raro hodie 11
donationes propter nuptias fiunt, nisi inter Nobiles.

§. Similique ult. Donatio propter nuptias excedens 500. solidos, ut constante matrimonio fieri, ita etiam actis insinuari potest; res clara est.

Authent. Eo decursum.

SUMMARIA

An donatio propter nuptias quantacumque sit, et licet 500. *solidos excedat, requirat insinuationem? num.* 1.
Ex parte affirmatur. 2.
Ex parte negatur. 3.
Ampliatur. 4.

Per *Novell.* 127. constitutum est, ut donatio 1
propter nuptias quantacumque sit, et licet 500. solidos excedat, non requirat insinuationem propter mulierem, cui omissio insinuationis 2
hujus non nocet, quo minus eam habeat, sed ex parte mariti desiderat insinuationem, si lu- 3
crum speret ex dote, ejus enim aliter compos non fiet, quam si donationem actis insinuari curaverit. Nec interest, quis propter nuptias 4
donationem conscripserit, ipse maritus, an alius pro eo, an in personam mariti, an vero mulieris, per *Nov.* 119. quod in *Novell.* 127. non

reperitur mutatum, *Rittershus. in Nov. P.* 5. *c.* 10. *num.* 8.

Auth. Pater.

SUMMARIA

An pater donationem propter nuptias, soluto Matrimonio ad se revertentem, si ad secunda vota pergat, liberis prioris matrimonii reservare teneatur? num. 1.
Ratio decidendi negative. 2.
Limitatio. 3.

1 Dedit Titius uxori suae donationem propter nuptias, quae soluto matrimonio ad Titium revertitur, hanc liberis prioris matrimonii, si ad secunda vota se contulerit, reservare non te-
2 netur, quia proprie non habet ab uxore, sed antea erat sua, et tantum reversa erat ad ma-
3 ritum. Sed declaratur hoc, si ex pactis dotalibus pars dotis penes maritum sit mansura, vel uxor partem donationis propter nuptias retinere debeat, qui enim hoc est lucrum, ideo omnino reservandum liberis primi matrimonii.

Auth. Nunc inhibetur.

SUMMARIA

Deminutio dotis vel donationis propter nuptias in praejudicium liberorum primi matrimonii fieri non debet. num. 1.
Uni liberorum primi matrimonii tantum dandum, quantum secundae uxori propter nuptias donatur. 2.
Species donationis propter nuptias apud nos est dotalitium. 3.
Dotalitii definitio. 4.
Dotalitio dos quatenus absorbeatur. 5.
Ad praestationem dotalitii viduae faciendam quae requirantur. 6.
Si terminus solutionis partis nondum venit, vidua totam donationem petere potest. 7.
Non contradicente Mantica. 8.
Observatio hodierna. 9.

Deminutio dotis, vel donationis propter nu- 1
ptias, fieri non debet in praejudicium liberorum prioris matrimonii, de quo dictum ad *l.*
19. et liberorum primi matrimonii uni tantum 2
dandum, quantum secundae uxori propter nuptias donatur. Apud nos species donationis pro- 3
pter nuptias est Dotalitium, quo pacisci solent, 4
ut viduae loco dotis liceret ad vitam frui donatione propter nuptias, quo absorbetur dos, si 5
duplicatus dotis ususfructus uxori datur, constituta pensione 10. aureorum, de singulis centenis, *Carpzov. P.* 2. *Jurisprud. Constit.* 42. *Def.* 2. *Joach. Scheplitz. de consuetud. March. part.* 2. *tit.* 2. §. 16. *num.* 5. sed ubi de aequivalente summa usurae praestantur, dos non absorbetur, *Dn. Kohl. de Constit. March. c.* 9. *num.* 28. velut distinguit *Dn. Mev. p.* 1. *dec.* 137. si dotalitium constituatur in compensationem dotis, sic ut vice dotis accipiatur, et dotem absorbeat, et tunc ratione prioritatis doti aequipollet, si vero una cum dote debeatur hoc lucrum non praefertur prioribus creditoribus.
Ad id autem ut viduae praestetur donatio 6
propter nuptias vel dotalitium, necesse est, ut dotem intulerit, vel obtulerit, juxta *auth. dos data h. t. Trentac. d. t. de matrim. resol.* 3. *num.* 12. vel usuras dotis non solutae solverit, nam hoc casu pro data habetur, *Dn. Kohl. d. c.* 9. *num.* 22. Et ideo si ter- 7
minus solutionis partis nondum venerit, vidua totam donationem petere potest, *Trentacinq. d. l. Berl. p.* 2. *concl.* 50. *num.* 27. licet adver- 8
setur *Mantica d. lib.* 20. *tit.* 5. *num.* 23. *et seq.* quin et hodie plerisque in locis mulier Nobilis, 9
licet terminus vivo marito cesserit, post mortem mariti offerendo dotem cum interesse, donationem propter nuptias petere potest, *Berl. d. conclus.* 50. *num.* 22. *et seq. Carpzov. P.* 2. *Const.* 44. *Def.* 11.

TITULUS IV.

De Nuptiis.

L. Cum de Nuptiis. 1.

SUMMARIA

Virgines vel viduae sui juris sibi maritum eligere possunt. num. 1.
Nec Curatoris consensu opus est. 2.
Quod tamen limitatur in pupilla. 3.
Limitationis ratio. 4.
Matris et propinquorum consensus etiam requiritur. 5.
Hi si dissentiant, quid juris. 6.
Ad impuberis pupillae sponsalia matris et Tutoris consensus requiritur. 7.
Ratio quadruplex. 8.
Carpzovius *notatur.* 9.

Virgines vel viduae, si sui juris sint, possunt 1
sibi eligere maritum, nec enim curatoris con- 2
sensu opus est, *l.* 8. *h. t.* nisi pupilla sit, et de 3
futuris nuptiis agatur, ubi consensus requiritur Tutorum, quia hi dantur Personae, et requi- 4
ritur etiam, scilicet ob imbecillitatem aetatis consensus Matris et propinquorum, *l.* 1. *h. t.* 5
qui si dissentiant, judicis erit partes suas inter- 6
ponere, *d. l.* 1. Ex *hac lege* probatur ad pupil- 7
lae impuberis sponsalia requiri matris et tutoris consensum, quia: 1. hic frustra de tutorum et ma- 8
tris dissensu quaereretur, si de honestate tantum requireretur: 2. Tutores succedunt in locum Parentum: 3. Tutores dantur personis: 4. Tutoris consensus Patre in furorem lapso requiritur, *l. si furiosi* 25. *h. t.* ergo etiam patre mor-

tuo adhibendus erit, *Cypr. de Sponsal. c.* 6. §. 9. *Beust. de Spons. cap.* 21. Et hos citans *B. Gerhardus de Conjugio* §. 94. Conf. *Donell. lib.*
9 13. *cap.* 26. licet dissentiat *Carpzov. lib.* 2. *Jurispr. Eccles. D.* 46. *et seq.*

L. Si nuptiis. 2.

SUMMARIA

Consensus parentis nuptias liberorum antecedat. num. 1.
Neque vero inde patris subscriptio in pactis dotalibus requiritur. 2.
Consensus parentis ad substantiam matrimonii omnino est necessarius. 3.
Etiam secundum canones antiquiores. 4.
Solus parentum dissensus citra allegationem sufficit ad retractanda sponsalia Liberorum. 5.
Nisi cum reservatione hujus consensus liberi contraxerint. 6.

1 Ad Nuptias filiorum familias, vel filiarum familias requiritur, jussus id est, consensus parentis actum praecedens, *l.* 20. *h. t.* Sed ille
2 consensus patris non requirit ejus subscriptionem in pactis dotalibus, cum etiam sine his nuptiae esse possunt, *l.* 2. *h. t.* Unde vulgatissima illa sententia, praesertim Evangelicorum Doctorum, ut et ex *princ. Inst. h. t.* probatur,
3 quod parentis consensus omnino ad substantiam
4 matrimonii sit necessarius, etiam secundum canones antiquiores, c. 1. *et* 3. *C.* 30. *quaest.* 5. *c. non omnis* 12. *C.* 32. *qu.* 2. *Dn. Carpz. d. lib.* 2. *Def.* 39. *Enenkelius Baro de Privil. Parentum Privil.* 6. *cap.* 5. *et seq. Rittershus. de differentis juris Civ. et Canon. lib.* 1. *c.* 2. *We-*
5 *senb. in* ϖ. *h. t. num.* 3. Et solus dissensus parentum citra allegationem sufficit ad retractan-
6 da sponsalia liberorum, nisi filius vel filia contraxerit cum reservatione paterni consensus, ubi pater sui dissensus rationes allegare tenetur, *Carpzov. d. lib.* 2. *Def.* 53. *et* 57. Sed potius est, ut nullo casu Patris dissensus sufficiat, nisi rationes reddere possit, quae saltem judici sufficere videntur, de quo alibi agam D. V. fusius.

L. Libertum. 3. L. Uxorem. 15. et Auth. Sed novo jure.

SUMMARIA

Libertus Patronam vel ejus filiam, uxorem ducere nequit. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Exceptio ab hac regula. 3.
Speciale est in Auth. sed novo *h. t.* 4.

1 Libertus Patronam, vel Patroni filiam, nepotem
2 etc. uxorem ducere nequit, propter reverentiam tali personae debitam, quae reverentia inverteretur, si libertus patronam ducat, haec enim marito reverentiam deberet: ut uxor, sed maritus reverentiam deberet uxori, ut patronae, sed liberta patrono nubere potest, *l.* 15. *h. t.* quia cessat superior ratio. Excipitur Sena- 3
tor, *l.* 23. *ff. h. t.* Sed per *Auth. Sed Novo h.* 4
t. et Nov. 78. *c.* 3. nulla dignitas prohibet cum liberta matrimonium contrahere, si modo nuptialia fiant instrumenta, quod hic speciale, *Rittershus. ad Nov. P.* 4. *c.* 1. *num.* 11.

L. Liberi. 4.

SUMMARIA

An filius Parentis cuncubinam ducere possit. num. 1.
Rationes decidendi. 2.

Quaeritur: *An filius concubinam Parentis ducere possit?* Resp. negando, et dicitur, hanc 1 2
rem esse minus religiosam et probabilem, imo Christianis est res detestanda. Ideo videmus matrimonium hoc etiam gentilibus improbatum, quod in simili affirmat *Apostolus Paulus*, et jure Canonico etiam affinitas, quatenus impedit matrimonium contrahendum, vel etiam dissolvit contractum, oritur etiam ex coitu jure improbato et stupro, *c.* 1. *et t. t. X. de eo, qui cognovit sanguin. uxoris suae.*

L. Si ut Proponis. 5.

SUMMARIA

In liberorum nuptiis tacitus parentum consensus sufficit. num. 1.
Ex taciturnitate in favorabilibus colligitur consensus. 2.
Interventa copula carnali parentum consensus praecise non requiritur. 3.
Matrimonia bene concordantia non dissolvuntur. 4.
Limitatio. 5.
Jure Justinianaeo liberi per nuptias a patria potestate non liberantur. 6.
Ratihabitione parentis sequuta valet matrimonium etiam retro. 7.
Distincte proponuntur et deciduntur duo casus. 8.
Carpzov. et Trentac. *notantur.* 9.

Parentis consensus in nuptiis liberorum ne- 1
cessarius est, ut antea diximus, sed sufficit consensus tacitus, si sciat filium contrahere matrimonium, et non contradicat, *hic et l.* 7. §. 1. *ff. de Spons. Dn. Carpz. lib.* 2. *Jurispr. Eccles. Def.* 42. *Surdus dec.* 302. *Enenkelius Baro in Tr. de Priv. Parentum Priv.* 6. *cap.* 2. *num*
4. Collige *ex hac lege* cum *Bl. et DD.* I. Ex 2
taciturnitate in favorabilibus colligi consensum, si dissensu suo alter potuisset impedire, de quo in *Axiom. Aug. Barbos. locupletat. lib.* 18. *c.* 1. *Axiom.* 7. et quos hic congessit *Barbosa.* Imo
si copula carnalis accesserit, Parentum consen- 3
sum praecise non requiri, plerique nostratium
statuunt, ne bene concordantia matrimonia dis- 4
solvantur, *Carpzov. d. l.* 2. *Def.* 6. *Cypr. de*
Sponsal. c. 10. §. 10. si scilicet persona sit ho- 5
nesta et eo digna, nam alias dubitari posset de ea opinione, cum *Acacio Enenkelio d. Priv.* 6.

6 *cap.* 8. Conf. *Besold. cons.* 143. *num.* 18. II. Jure Justinianaeo per nuptias filii vel filiae eos non liberari a patria potestate, quia hic avus dicitur nepotem suum agnoscere, sed de con-
7 suetudine secus de quo alibi. III. Ratihabitione parentis sequuta, valere matrimonium etiam retro, *Enenkel. Baro d. priv.* 6. *cap* 2. *num* 7.
8 nam aut scivit pater, et non contradixit, aut contradixit et mutavit sententiam, aut nescivit ante ratihabitionem. Illo casu scientia et taciturnitas patris habetur pro consensu per *hanc l. Sich. hic.* Isto, scilicet secundo casu poenituit patrem se dissensisse, et sic dissensus patris propter poenitentiam nullius effectus est, tertio casu nunquam dissensit. Ergo matrimonium retrovalidum et si ex stupro nati, ob subsequens matrimonium legitimantur, annon aequum est, ut consensu patris sequuto liberi sine Avi consensu concepti postea sequuto consen-
9 su legitimi fiant? licet dissentiat *Carpz. d. l.* 2. *Def.* 41. *et Trentac. lib.* 2. *de Procur. Resol. num.* 9. *Gerh.* §. 92.

L. Et si contra. 6.

SUMMARIA

Nuptiae inter Praesidem et Provincialem contrahi nequeunt. num. 1.
Alia quaestio ex hac lege formatur. 2.
Ratio dubitandi circa istam quaestionem. 3.
Malo inchoata principio non solent habere felicem exitum. 4.
Prohibitum ab initio, ex novo consensu postea interveniente potest confirmari. 5.
Liberi tempore prohibito nati non sunt legitimi. 6.
Quod tamen jure Canonico non attenditur. 7.

1 Nuptiae inter Praesidem et Provincialem non possunt contrahi, per *leg. un. supr. si Rector*
2 *Provinciae, etc.* Sed quaeritur: *Si sponsa vel uxor, post depositum officium praesidis in voluntate cohabitandi perseveraverint, an nuptiae sint legitimae et liberi postea nati legitimi?*
3 Quamvis autem quae malo sunt inchoata prin-
4 cipio, non soleant habere felicem exitum, Af-
5 firmatur tamen quaestio, quod enim prohibetur ab initio, ex novo consensu postea interveniente potest confirmari. Et ex *hac lege* vi-
6 detur probari posse, quod liberi tempore prohibito nati, non sint legitimi, quia postea nati legitimi esse dicuntur. Sed ut dixi supra, haec
7 prohibitio Jure Canon. non attenditur, et ideo non dubitandum, quin sint legitimi.

L. Si ut Proponis. 7.

SUMMARIA

Liberorum matrimonium semel dissolutum sine consensu patris de novo contrahi non potest. num. 1.
Solemnitas requisita in actu faciendo requiritur etiam in eo reparando. 2.
Pater filiam inconsulto eo nubentem dotare non cogitur. 3.
Nisi jure Canon. digno nupserit. 4.

Sicut Patris consensus requiritur ad matrimo- 1
nium a filio vel filia contrahendum, ita, si dissolutum sit matrimonium, sine consensu parentis non potest de novo contrahi, vel restaurari.
Unde colligit *Bl.* Regulam: Solemnitatem re- 2
quisitam in actu faciendo, requiri etiam in eo reparando et reficiendo, et eadem solemnitas, quae requiritur in actu, requiritur quoque in ratificatione, *Tiraquel. de retract. consang.* §. 1. *Glossa* 10. *num.* 90. *Menoch. cons.* 32. *num.* 33. quamvis hoc posterius difficulter ex *hac lege* probetur. Additur etiam hoc casu, posse patrem dotem a reconciliato marito repetere, un-
de probari potest, patrem non teneri dotare 3
filiam, quae nupsit inconsulto patre, quamvis
eo casu, quo digno nupsit, Canonistae repu- 4
gnent, *Gail. l.* 2. *obser.* 95. *num.* 10.

L. In copulandis. 8.

SUMMARIA

Ad adolescentis vel puellae nuptias non requiritur consensus curatoris. num. 1.
Curator non personae datur, sed rebus. 2.
Neque patris consensus in nuptiis filii semper est necessarius. 3.
Statuto interdum curatoris consensus requiritur. 4.

Non requiritur ad adolescentis vel puellae nu- 1
ptias consensus curatoris, ratio in textu, quia
curator non personae datur, sed rebus, nec 2
requiritur Cognatorum vel Affinium consensus.
Et hoc non iniquum, cum nec Patris consen- 3
sus in nuptiis filii semper sit necessarius, *l.* 25.
ff. h. t. Wesenb. in ϖ *h. t. num.* 3. Sed statuto 4
interdum curatoris consensus requiritur, qualia statuta laudat *Jo. a Sande lib.* 2. *tit.* 1. *def.* 6. *etc.*

L. Si vicinis. 9.

SUMMARIA

Instrumenta dotalia sine nuptiis et haec viceversa sine istis esse possunt. num. 1.
Liberi etiam sine testimonio natalium possunt esse ingenui. 2.
Si quis mulierem procreandorum liberorum causa domi habet, praesumitur matrimonium. 3.
Et liberi praesumuntur legitimi. 4.
Ex communi vicinorum opinione probatur affectio maritalis et filiatio. 5.
Matrimonium probatur praesumptive. 6.
Ex clandestino matrimonio nati sunt legitimi. 7.
In dubio ex matrimonio potius quam ex adulterio nati praesumuntur liberi. 8.
Non obstante assertione matris. 9.

Sicut Instrumenta dotalia possunt esse sine 1
nuptiis, *l.* 13. *h. t.* si forte conjunctio non sequatur, ita etiam nuptiae esse possunt sine instrumentis dotalibus, *d. l.* 13. et sine his ut
sine testimonio natalium liberi possunt esse in- 2
genui, *l.* 9. *h. t.* ex qua Notandum; Si quis 3

mulierem liberorum procreandorum causa do-
4 mi habeat, praesumi matrimonium, et liberi
5 praesumuntur legitimi. Unde colligitur, ex communi opinione vicinorum probari affectionem maritalem et filiationem, *Salyc. Sich. hic Mascard. de probat. vol.* 2. *concl.* 792. *num.* 16. *et conclus.* 1028. *Menoch. lib.* 6. *Praes.* 24. *num.* 21. *et seqq.* et quos hic allegat *Barbosa.* Et sic
6 matrimonium probatur praesumptive, et probato matrimonio, etiam filiatio, *Menoch. lib.* 6.
7 *praesumpt.* 53. quia ex claudestino matrimonio nati legitimi sunt, *l.* 12. *h. t. Menoch. lib.* 6.
8 *praesumpt.* 51. *num.* 19. et in dubio ex matrimonio potius, quam ex adulterio nati praesu-
9 muntur liberi, non obstante assertione matris, *Sich. hic Menoch. d. praesumpt.* 53. *num.* 7. *et praesumpt.* 45. *num.* 20. *Masc. de probat. concl.* 789. *num.* 2. Conf. *Gail. lib.* 2. *obs.* 47. *Berous vol.* 2. *cons.* 162.

L. Cum te. 10.

SUMMARIA

Uxor per maritum nobilitata, ignobili secundo nubens nobilitatem amittit. num. 1.
Maritus ignobilis nobili uxori in amissae nobilitatis compensationem constante matrimonio donare potest. 2.
Uxor per maritum nobilitatur ejusque dignitate fruitur. 3.
Vidua nobilis mariti retinet nobilitatem et dignitatem donec alii secunda vice nupserit. 4.
An virgo genere nobilis nubens marito inferioris dignitatis amittat nobilitatem suam? 5.
Ratio auctoris decidendi negative. 6.
Dignitas accidentalis contrariis accidentalibus resolvitur. 7.
Non naturalis et quae origine paterna est. 8.
An uxor per luxuriosam vitam dignitatem mariti amittat. 9.
Carpzovius *notatur.* 10.
Dos est proprium mulieris patrimonium. 11.

1 Uxor, quae per maritum nobilitata, si secundo nubat ignobili, nobilitatem amittit, *hic et l.* 13. *infra de Dignit.* Unde colligit *Tiraq.* Pos-
2 se maritum ignobilem nobili uxori donare constante matrimonio in amissae nobilitatis compensationem, *Tiraq. de Nobil. c.* 18. *num.* 19.
3 Ex hac lege plurima colliguntur: I. Uxorem nobilitari per maritum, et ejus dignitate frui, et sic foeminam ignobilem propter nuptias cum Nobili, fieri Nobilem, *l. foeminae* 8. *ff. de Senator. l. ult. C. de Incolis, Tiraq. de Nobilit. c.* 18. *num.* 1. *Cagnolus ad l. cum quaedam*
4 *puella num.* 12. *ff. de Jurisdict.* II. Viduam nobilis mariti retinere nobilitatem et dignitatem mariti, donec alii nupserit secunda vice, *hic et l.* 22. §. 1. *ff. ad Municipalem, Colerus dec.* 65. *Carpz. P.* 4. *Const.* 21. *Def.* 11. *n.* 6. III. Valde
5 ex *hoc textu* confirmatur illa sententia quod virgo genere nobilis, nubens marito inferioris dignitatis, non amittat nobilitatem suam, quamvis mibi etiam *Tiraqu. in tr. de Nobilitate cap.* 18. *num.* 38. sequuto aliquando contrarium pla-
6 cuit, quia manifeste hic distinguitur inter foeminam a clarissimo natam, et clarissimo nuptam, et in eo ratio decisionis constituitur. Et id video post *Gloss. hic* placere *Baldo, Salyceto, Sichardo,* qui omnes ex *hac lege* colligunt, di- 7
gnitatem accidentalem, id est, quae uxori a primo marito contigit, contrariis accidentibus, id est, per matrimonia indigniora resolvi, sed naturalem dignitatem, id est, quae ex origine 8
paterna est, non perire. Et eam sententiam etiam defendit *Cagnolus ad d. l. cum quaedam* 13. *ff. de Jurisd. n.* 9. Sed quaeritur: *An etiam* 9
per luxuriosam vitam dignitatem mariti amittat? Et per *l. his solis C. de Rev. Donat. et Nov.* 39. *c.* 2. Affirmant hoc *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 288. *n.* 26. *Tiraq. de Nobilit. d. c.* 18. *n.* 13. *Conf. Gail. lib.* 2. *obs.* 96. *n.* 15. *Clarus* §. *Stuprum n.* 7. et ita sententiam *Dn. Carpz. p.* 2. *dec.* 18. *n.* 10. hic non libet sequi, sane non puto dicendum, 10
facilius aliquid per honestas nuptias, quam per luxuriosam vitam amitti, et facilius adscititiam dignitatem amitti, quam nobilitatem originis docet *haec lex,* et non valet argumentum, nam dignitas mariti est adscititia qualitas, sed dos 11
proprium mulieris patrimonium.

L. Si invita. 11.

SUMMARIA

Maritus uxorem suam a patre eam detinente vindicare potest. num. 1.
Uxor magis adhaerere marito, quam patri tenetur. 2.
Limitatur. 3.

Maritus uxorem etiam a Patre potest vindi- 1
care, si Pater eam detineat, *hic et l.* 2. *ff. de Liberis Exhib.* quia uxor magis adhaerere ma- 2
rito, quam patri tenetur, et cum de invita hic sermo sit, quia in specie facti hoc narratum fuerat, vel quia ad id, ut interdictum de libero homine exhibendo, vel liberis exhibendis locum habeat, requiritur, ut invitus quis detineatur; Igitur si volens detineatur, non est 3
statim dandum interdictum, sed judex ex officio debet inquirere, ex qua causa absit, an habeat justam vel probabilem causam se absentandi, et si ea deficiat, tunc restituat.

L. Nec Filium. 12.

SUMMARIA

Pater filium ad ducendam vel repudiandam uxorem cogere non potest. num. 1.
Mutuus tam parentum quam liberorum consensus ad nuptias requiritur. 2.
Liberorum magis quam parentum consensus est de substantia matrimonii. 3.
Matrimonia liberorum oportet esse non coacta. 4.

Licet Patris consensus ad nuptias requiratur, 1
non tamen poterit pater filiumfamilias cogere, ad ducendam vel repudiandam uxorem, *hic et l.* 11. *et* 13. *ff. de Sponsal.* ideoque mutuus tam paren- 2
tum, quam liberorum consensus ad nuptias requiritur, adeo ut liberorum ipsorum consensus ma- 3
gis videatur de substantia, quam parentum, cum liberorum oporteat esse matrimonia non coacta, 4

c. 31. *X. de Sponsal. Impub.* c. 2. *de Pactis lib.* 6. *Sanchez de matrim. l.* 4. *D.* 6. *et D.* 22. *num.* 4. *Acacius Enenkelius Baro de Privil. Parentum Priv.* 6. *cap.* 9. *num.* 3. *et Schneidevv. tit. de Nuptiis pr. num.* 18. *et seq.*

L. Neque sine. 13.

SUMMARIA

Ut nuptialia instrumenta possunt esse sine nuptiis, ita nuptiae possunt esse sine instrumentis nuptialibus vel dotalibus. num. 1.
Exceptiones. 2.

1 Sicut nuptialia instrumenta possunt esse sine nuptiis, quando nuptiae non sunt sequutae, ita etiam nuptiae esse possunt sine instrumentis nu-
2 ptialibus vel dotalibus; sed exceptiones habentur nuptiarum, quae sine instrumentis his contrahi non possunt: 1. Si agatur de nuptiis inter dispares personas, ut si patronus ducat libertam, Senator Scenicam, *Auth. Sed novo jure infr. h. t:* 2. In persona illustri, de qua in *Auth. maximis infr. h. t:* et 3. huc referunt aliqui casum, quando quis nuptias contrahit cum concubina sua, ut legitimet liberos, de quo alibi.

L. Neque ab initio. 14.

SUMMARIA

Divortio facto, non potest pater compellere filium, ut matrimonium dissolutum reficiat et iterum contrahat. num. 1.
Divortia hodie non nisi ob adulterium fiunt. 2.
Matrimonia debent esse libera, nec sub conditione poenali contrahantur. 3.

1 Sicut aliquis cogi non potest ad contrahendum matrimonium, ne quidem a parente, ut dictum ad *l.* 12. ita neque si divortium sit factum, pater potest compellere filium, ut matrimonium dissolutum reficiat, et iterum contrahat. Quo-
2 niam igitur hodie divortia non fiunt, nisi ob Adulterium, posset hoc in argumentum trahi, si alicujus filii uxor adulterium committat, non posse hunc filium a parente cogi, ut uxorem adulteram recipiat. Colligunt ex *hoc textu:* Ma-
3 trimonia debere esse libera, nec debere sub conditione poenali contrahi. De illo dictum ad *l.* 12. *h. t.* de hoc *ad l. fin. in fin. sup. de Spons.*

L. Patrem. 16.

SUMMARIA

An patris naturalis consensus requiratur in nuptiis filiae quam propter paupertatem exposuit, alius autem educavit. num. 1.
An alimenta restituere teneatur pater naturalis illi, qui filiam expositam educavit. 2.

1 Quia *l.* 15. *cum Auth. seq.* supra ad *l.* 3. est explicata, ideo pergo ad *l. Patrem* 16. Pater paupertate filiam suam exposuit, hanc alius educavit, qui filio suo eam vult uxorem dare, Quaeritur: *An requiratur consensus parentis naturalis?* Quod affirmatur, sed consentire te- 2
nebitur, vel alimenta alteri restituere, quod partim in poenam expositionum, ac ingratitudinis, partim in redhostimentum alimentationis constitutum. Nam alias alter puellam educavit ex pietate, et non animo gerendi negotium parentis naturalis, ergo non posset repetere alimenta, sed ob ingratitudinem patris naturalis datur repetitio, *Surdus de Aliment. Tit.* 6. *Qu.* 1. *num.* 15.

L. Nemini. 17.

SUMMARIA

Inter patrem et filiam et omnes eas personas, quae in linea recta parentis vel liberorum respectum habent, etiam in affinitate, interdictum est matrimonium. num. 1.
Illustratur. 2.
Jure Can. ad quartum usque gradum inter cognatos secundum hujus juris computationem prohibitum est matrimonium. 3.
Non ulterius, nisi respectus parentelae obstet. 4.
In secundo et tertio affinitatis genere nulla est prohibitio. 5.
Nisi respectus parentelae concurrat. 6.
Quo casu nostrates matrimonia improbant. 7.
Exemplum subjicitur. 8.
Zoesius *notatur.* 9.

Inter Parentem et filiam et omnes eas perso- 1
nas, quae in linea recta parentis vel liberorum respectum habent, vel etiam in affinitate jus parentelae habent, interdictum est matrimonium: v. g. non possum ducere in linea con- 2
sanguinitatis patris aut avi vel uxoris sororem, quia una persona cum patre esse fingitur, nec sororis filiam, aut fratris sicut etiam in affinitatis linea non possum ducere viduam patris, novercam meam, vel nurum, vel privignam, vel socrum, quae omnes prohibitiones etiam sunt Juris Divini. Atque hinc oritur respectus parentelae, qui nuptias alias non prohibitas impedire potest, v. g. quia jure Can. inter cogna- 3
tos ad quartum usque gradum, juxta computationem Juris Canonici prohibitum est matrimonium, et vero Ismael junctus est Manassis filiae seu Josephi nepti in quinto gradu concessum esset matrimonium, sed respectus parente- 4
lae prohibet; quia Ismael est hujus puellae Abavi Isaaci frater, et ita quasi Abavus, §. 3. *et seqq. Inst. de Nupt. l.* 39. *ff. de Ritu Nupt. Gerhard. de Conjug.* §. 285. *et* 288. *Cypr. c.* 6. *de Matr. num.* 19. *D. Carpz. l.* 3. *Jurispr. Eccles. def.* 80. licet hoc plerisque Romanensibus neget *Sanchez de Matrim. l.* 7. *d.* 53. Sic etiam licet 5
in secundo et tertio genere affinitatis nulla sit proihibitio, si tamen respectus parentelae adsit, 6
nostri talia matrimonia improbant, sic privignus 7
vitrici viduam ducere nequit, cum haec sit 8
quasi noverca, et cum vitrico una caro facta, *Schneidew. de Arb. Affin. num.* 11. *B. Gerhard. d. tract.* §. 353. *Carpz. d. l.* 2. *def.* 101. licet 9
has nuptias concedat *Zoesius ad hunc tit. n.* 9.

L. Viduae. 18.

SUMMARIA

Minor 25. annis vidua, vel virgo emancipata matrimonium contractura, opus adhuc habent consensu patris licet egressae sint potestatem patriam. num. 1.
Vulgata legis interpretatio refellitur. 2.
Lex praesumitur continere praeceptum. 3.

1 Si minor 25. annis vidua, vel virgo emancipata nubere velint, opus adhuc habent consensu patris, licet egressae sint potestatem patriam et propinquorum, quibus dissentientibus Judex de qualitate corrivalium cognoscet, et si pares sint conditione et moribus, virgini danda est electio. Imo si suspicio sit, proximos cognatos spe futurae haereditatis impedire nuptias, aliorum requiritur consilium, qui successionem non
2 sperant. Quamvis autem *hanc legem* de honestate, non vero de necessitate vulgo intelligant *Covarr. de Matrim. P.* 2. *c.* 3. §. 8. *num.* 4. *Surdus de Alim. tit.* 1. *qu.* 6. *num.* 27. verius tamen est, et non tantum consilium, *Donell. l.* 13. *cap.* 10. *lit. X.* et ibi *Hillig. Mauserus de*
3 *Nupt. p.* 331. quia lex praesumitur continere praeceptum, *Menoch. lib.* 2. *Praesumpt.* 4.

L. Celebrandis. 19.

SUMMARIA

Consobrini quinam sint. num. 1.
Conjungi an inter se possint. 2.
Lectio affirmativa probatur. 3.
Jure Can. non procedunt. num. 2. *dicta.* 4.
Hoc tamen casu eodem jure dispensatio concessa. 5.

1 Consobrini, id est, duorum fratrum vel so-
2 rorum, vel fratris et sororis liberi inter se conjungi possunt *hic et* §. 4. *Inst. h. t.* cujus le-
3 ctionem licet quidam sollicitent, lectio tamen affirmativa juri constituto in *hac lege, et l.* 3. *ff. h. t. et l.* 2. *C. de Incest. Nupt.* convenit, *Hilliger. in Donell. lib.* 13. *c.* 19. *lit. H. Bacchov. in Treutl. Vol.* 2. *d.* 6. *th.* 2. *lit. E.* Quamvis
4 autem Jure Canon. et Municipali prohibeantur
5 conjungi, dispensatio tamen ob causas graves conceditur, praesertim cum etiam illis locis, ubi Jus Canonicum non receptum, nec ulla adest municipalis prohibitio, sine dispensatione concessa sint talia matrimonia, *Carpz. lib.* 2. *Def.* 86.

L. In Conjunctione. 20.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Liberi emancipati jure civ. consensu parentis opus non habent. 2.
Limitatur, si filia sit minorennis. 3.
Limitationis ratio. 4.
Variorum casuum propositio. 5.
Surdus *notatur.* 6.
Observantia in Provinciis Evangelicis. 7.

Parentis consensum in nuptiis liberorum re- 1
quiri supra dictum; sed si liberi emancipati, 2
Jure Civili non opus habent consensu parentis,
sed hoc limitatur hic, nisi filia sit minorennis, 3
id est, minor 25. annis, haec enim vocatur 4
minorennitas, nam tunc debet explorari voluntas patris, ob imbecillitatem sexus, et lubricitatem aetatis. Si autem puella patre destituta, 5
requiri debet consilium matris, et propinquorum et ipsius quoque virginis voluntas; si vero nec matrem habeat, sed curatorem, quia curatoris consensus hic non attenditur, per *l.* 8. *h. t.* ideo est ipsius puellae declarare, cui nubere velit, quod si ex verecundia nolit, potest Judex vocatis propinquis sponsum designare. Quae exinde colliguntur, per se patent, quamvis autem haec de honestate nonnulli intelligant, verius tamen de necessitate haec intelligenda, quia lex praesumitur continere Praeceptum non Consilium, *Donell. et ibi Hillig. lib.* 13. *c.* 20. *lit. X. Cypraeus de Sponsal. cap.* 7. §. 14. *et conf. Cujac. lib.* 3. *obs. c.* 5. *Moller. l.* 1. *semest. c.* 47. *Jo. a Sand. lib.* 2. *tit.* 1. *def.* 2. *et* 3. licet dissentiat *Surdus de Alim. tit.* 1. *Qu.* 6. *num.* 6
29. quin etiam in Provinciis Evangelicis, etiam 7
si filia sit majorennis, vel filius, consensum tamen patris requiri vult *Carpz. lib.* 2. *Jurispr. Eccles. Def.* 49.

L. A Caligato. 21. et L. Si donationum. 22.

SUMMARIA

Milites caligati praeter Protectorem sine solemnitate uxorem ducere possunt. num. 1.
Protector quinam sit. 2.
Pompa nuptialis non est de essentia matrimonii nec donatio propter nuptias. 3.
Restrictio. 4.
Caligati quinam intelligendi. 5.
Virtus particulae usque. 6.
Milites protectore majores sine pompa nuptias contrahere non possunt. 7.
Observatio hodierna circa omnia matrimonia. 8.
Rescriptum Electoris Brandenburgici. 9.
Non juxta leges civiles tantum, sed etiam juxta Canones Ecclesiae nobis est vivendum. 10.
Canones quatenus magis quam leges civiles obligent. 11.

Milites caligati, id est, gregarii, usque ad 1
protectorem, id est, qui latus Principis defen- 2
dit, possunt sine solemnitate uxorem ducere, nam pompa nuptialis non est de essentia ma- 3
trimonii, nec donatio propter nuptias per *l.* 22.
h. t. (sed notanter dicitur inter pares honesta- 4
te personas, nam disparitas personarum interdum requirit tabulas dotales, *Auth. Sed novo jure h. t.*) Et ideo liberi ex tali matrimonio pro-
gnati sunt legitimi, *d. l.* 22. Quinam caligati 5
intelligendi, variae sunt opiniones, sed intelligi potest sine absurditate manipularis miles. Notant hic de virtute particulae *usque*, an exclu- 6

sive an vero inclusive sit intelligenda, et in dubio inclusive intelligendam esse volunt, quod probatur evidentius per *l. absentem* 5. ibi, *usque ad relegationem etc.* item, *si quid*
7 *gravius ff. de Poenis.* Colligi etiam posset ex *lege* 21. Milites eos, qui sunt protectore majores
8 non potuisse sine pompa contrahere nuptias. Hodie sane in omnibus matrimoniis pia Ecclesiae ordinatione opus est: 1. denunciatione: 2. testium convocatione: 3. copulatione et benedictione Sacerdotali. Vid. *Donell. d. c.* 20. *lit. H. et I.* et quos ibi allegat *Hillig.* quod etiam juri Canonico consentaneum, *c. aliter, c.* 30. *qu.* 4. *c. ult. X. de clandestinis Deponsat. Wesenb. in* π. *h. t. num.* 5. *Dn. Carp.*
9 *d. l.* 2. *def.* 142. etiam placuit idque Serenissimo Electori Brandenburgico in *Ordinat. Consist. titul.* 59. (*Und die Verordneten unsers Consistorii sollen solche Ehe so ohne Beyseyn redlicher Leute vollnzogen etc. vor unkrafftig und unbundig erkennen.*) Quamvis igitur jure civili haec non requirantur, sufficit tamen re-
10 quiri jure Ecclesiastico. Non enim vivimus tantum juxta leges civiles, sed etiam juxta consti-
11 tutiones et Canones Ecclesiae, quin imo, si ad ordinem meliorem et decentiam faciant, et sint verbo DEI consentanei, in rebus ejusmodi Ecclesiasticis magis obligant, quam leges civiles.

L. Imperialis. 23. et Auth. Quod eis. et Auth. Maximis.

SUMMARIA

Lege Julia matrimonium inter senatorem et mulierem scenicam prohibebatur. num. 1.
Mulier scenica erat infamis. 2.
Limitatio. 3.
Juramenta ad illicita non obligant. 4.
Princeps Dei clementiam imitari debet. 5.
Servi natalibus restitui possunt. 6.
An mulieres restitutae honori ab Imperatore, legitimos ex marito nobili suscipiant liberos. 7.
Ampliatur. 8.
Princeps dignitatem foeminae scenicae conferens ipsam famae restituisse videtur. 9.
Et porrigitur etiam hoc ad illarum filias. 10.
Matrimonia sine dotalibus instrumentis irrita etiam inter dispares conditione personas rata sunt. 11.
Excipiuntur casus quidam speciales. 12.
Dignitas a principe infamiam tollit. 13.
Limitatur. 14.
Procedit etiam quoad infamiam facti. 15.
Nonnulli notantur. 16.
Facta infecta fieri nequeunt. 17.

1 Lege Julia interdictum erat matrimonium inter Senatorem et Scenicam mulierem, id est, quae artem ludicram exercuit, *l.* 44. *ff. h. t.*
2 quia erant infames. Sed si relinquat talis foemi-
3 na consortium ejusmodi, quod facere potest, licet se juramento adstrinxerit, per *auth. Quod*
4 *eis*, quia hoc non obligat ad illicita, nec ad probrosa, et si petat se honori restitui ab Imperatore, ac restituta sit, potest a Senatore du-
5 ci in uxorem. Princeps enim debet imitari clementiam DEI, in *princ. hujus legis*, quae verba bene notanda Principibus, nam ita inquit: *Credimus DEI benevolentiam et circa genus humanum nimiam clementiam, quantum nostrae naturae possibile est, imitari, qui quotidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur, et poenitentiam suscipere nostram, et ad meliorem eam statum deducere, etc.* Alia insuper additur ratio, quia servi possunt natalibus restitui 6
in §. 1. et tales mulieres restitutae legitimos 7
suscipiunt ex marito nobili liberos, licet hic ex 8
priori matrimonio legitimos habeat, §. 2. *d. l.* 23. et licet matrimonium non sequatur, mulier ista scenica tamen pro honesta persona in materia testamentorum, et alias habenda, §. 3.
Idem est si Princeps dignitatem conferat foe- 9
minae, quo videtur ipsam famae restituisse,
§. 4. Et hoc etiam datum scenicarum foe- 10
minarum filiabus, §. 5. Imo et scenicarum mulierum, quae ad mortem usque in propudioso vitae genere manserunt, filias famae restitui, et ita ad illustre matrimonium habilitari posse
dicitur in §. 6. In §. 7. vero etiam inter dispares 11
conditione personas rata sunt matrimonia sine dotalibus instrumentis inita, exceptis casibus
specialibus. Nam: 1. Si nuptiae sint dispares, v. 12
g. Si Patronus ducat libertam vel Senator Scenicam, tunc instrumenta dotalia requiruntur, *Auth. sed Novo jure C. h. t.* Deinde maximis dignitatibus decorati usque ad illustres non possunt solo affectu et nudo consensu contrahere nuptias, sed debent adhibere pacta dotalia, licet ante dignitatem contractus retineant, a qua tamen subtilitate excipiuntur barbari, id est, Gothi vel Vandali, illustrem dignitatem consequuti ab Imperatore, cum isti ad eam subtilitatem non videantur adstricti, per *Auth. maximis, et Nov.* 117. *c.* 4. Collige autem ex §.
4. Dignitatem a Principe infami datam infa- 13
miam tollere, *Menoch. lib.* 2. *Praesumpt.* 20.
et cons. 1129. *num.* 10. nisi ignorantia Prin- 14
cipis appareat. De infamia facti idem dicimus 15
cum *Menoch. cons.* 1137. *num.* 31. licet alii dis- 16
sentiant, qui infamiam facti, ne quidem a Principe tolli putant, cum facta infecta fieri ne- 17
queant, *Tiraqu. de jure constit. possess. parte* 3. *limit.* 7. *num.* 10. *Freherus de Infamia c. ult. num.* 12. Sed aliud est factum, aliud effectus juris ex facto prosiliens. Non illud, sed hunc potest tollere Princeps. Tantum de *hac lege* prolixa, et *additis Authenticis* sufficiat, cum textus sit satis clarus, et ad nostra judicia non multum conferat, et quod in *pr. et* §. 1. dictum *in* §. *ult.* etiam ad contracta matrimonia extenditur.

L. Sancimus. 24.

SUMMARIA

Quoties in testamento vel contractu fit mentio nuptiarum, vel temporis nuptiarum, et sub hac conditione, si nupserit, *quid dispositum, id non de tempore aetatis nubilis, nec de sponsalibus, sed de consummato matrimonio intelligendum est. num.* 1.
Explicatio verborum, si nupserit. 2.
Nonnulli notantur. 3.
Regula hujus textus limitanda. 4.

Quoties in testamento vel contractu fit men- 1
tio nuptiarum, vel temporis nuptiarum, et sub

hac conditione, *si nupserit*, quid dispositum,
2 id non de tempore aetatis nubilis, nec de Sponsalibus, sed de consummato matrimonio intelligendum est, et de festivitate nuptiali, *Carpz. P.* 3. *Jurispr. c.* 13. *d.* 25. quamvis autem suf-
3 ficere putent, licet per verba tantum de praesenti contractum sit matrimonium, *Card. Mant. lib.* 11. *de conject. ult. vol. tit.* 18. *num.* 18. *Alex. lib.* 2. *cons.* 20. *et l.* 7. *cons.* 42. et quos refert *Franc. Barry de Success. lib.* 17. *tit.* 14. *num.* 10. id tamen intelligo de eo casu, quando festivitas nuptialis celebrata est, licet copula carnalis nondum intervenit, *Menoch. lib.* 4. *Praesumpt.* 147.
4 *num.* 5. sed limitanda regula hujus textus, nisi constaret testatorem non de actu nubendi, sed tempore nubilis aetatis sensisse, *Galganettus de Condit. P.* 2. *C.* 1. *Qu.* 48. *Franc. Barry d. l.* 2. Limitant, nisi tempus *cum nubet* non substantiae legati, sed solutioni adjungatur, ut *DD.* quos *Mantica d. c.* 18. *num.* 19. *in fine* allegat, ipse *num.* 20. *et Barry d. l.* recedit, de quo *infr. in tit. Qaundo dies legat. c. d.*

L. Si furiosi. 25.

SUMMARIA

An furiosi filius vel filia nuptias contrahere possint, et quis consentire debeat? num. 1.
Quoties in lege vel statuto parentis, mariti, vel propinquorum consensus in aliquo actu requiritur, toties, si ille, cujus consensus requiritur, propter furorem consentire nequeat, requirendus est consensus superioris. 2.
Furiosus et mente captus a pari procedunt. 3.

1 Cum apud Veteres dubitaretur, an furiosi filius vel filia posset nuptias contrahere, et de filia non fuisset res adeo dubia, de utroque sexu hic definit Imper. ut possint liberi furiosi, vel mente capti Patris, nuptias contrahere, sed adhiberi debebit consilium curatoris patris, et nobiliorum propinquorum, et adhibendum est arbitrium judicis, vel Episcopi loci, ut ita suppleatur consensus Patris, qui per furorem non amittit patriam potestatem, unde colli-
2 gunt: Quoties in lege vel statuto parentis vel mariti, vel propinquorum consensus in aliquo actu requiritur, toties si ille cujus consensus requiritur, propter furorem consentire nequeat, requirendum esse consensum Superioris, *Tiraq. de Legib. connub. Gl.* 8. *num.* 32. *et* 122. *Petr. Barb. in l.* 2. §. *fin. num.* 26.
3 *ff. Solut. Matrim.* Collige ex *hac leg.* 2. Furiosum et mente captum a pari procedere, *Masc. concl.* 1019. *num.* 2. *Menoch. cons.* 82. *num.* 196. conferantur tradita supra in *l.* 28. *C. de Episc. Audient.* quae eadem est cum *hac lege*, hoc non advertente Triboniano.

L. Si quis alumnam. 26.

SUMMARIA

An possum ducere puellam servilis conditionis a me educatam et manumissam? num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Duplex exceptio. 3.
Vinculum patriae potestatis per emancipationem tollitur. 4.
Reverentia et pudor naturalis manent per emancipationem. 5.
Quam ex sacro fonte levavi uxorem ducere non possum. 6.
Ampliatur jure Can. 7.
Poenae incestus hic non obtinent. 8.
An cognatio spiritualis pro ficta et imaginaria sit habenda? 9.
Mens auctoris. 10.
Jus Saxonicum. 11.

Educavi puellam aliquam servilis conditionis, 1
eam manumissam volo mihi copulare matrimonio, Quaeritur, *An possim?* Quia quasi filiam educavi; Resp. autem affirmando quia non fuit 2
filia, sed additur duplex exceptio: 1. nisi ado- 3
ptavi in filiam, nam eam, et jam emancipatam salva pietate ducere non possum, *hic et* §. 1. *Inst. h. t.* quia licet vinculum tollatur Patriae Pote- 4
statis per emancipationem, reverentia tamen, 5
et pudor naturalis, et impedimentum honestatis manet, *l. semper* 42. *ff. h. t.* 2. nec possum 6
ducere eam, quam ex sacro fonte levavi, quod jus Canonicum in *tit. de cognatione spirituali* 7
latius extendit, adeo, ut si quis susceptam ex sacro fonte duxerit, Incestum committat, *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 502. *num.* 27. *et seq. Farinac. qu.* 149. *num.* 48. *et seq. Caballinus Resol. crim.* 200. *num.* 67. *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *d.* 57. *Guttierez de Matr. c.* 100. licet 8
poenae incestus hic non obtineant, *Caball. d. l. num.* 69. *Farin. q.* 50. Sed cognationem illam 9
spiritualem fictam et imaginariam vocat, *Rittershus lib.* 1. *Different. c.* 15. *et Gerhardus d. tomo de Conjugio* §. 367. quia tamen prohibitio 10
haec ab Imperatore Justiniano processit, putarem tutius peti dispensationem, nisi contrarium consuetudine receptum, ut de terris Saxonicis 11
testatur *Berl. P.* 4. *concl.* 32. *num.* 24.

L. Sancimus. 27.

SUMMARIA

Interdictum Juliae et Papiae. num. 1.
Correctum a Justiniano. 2.
Utut majorum 60. *annis nuptiae sint dissuadendae, nihilominus tamen praecise prohibendae non sunt.* 3.
Si vero vir plane ad omnem copulam incapax, quid juris. 4.

Lege Julia et Papia interdictum erat majori- 1
bus sexagenariis matrimonium: Sed cum ante SCto Claudiano esset concessum Maribus, ut majores Sexagenariis possent contrahere nuptias, in hoc loco Justinianus ad foeminas extendit, 2
hic et l. 12. *C. de Legitim. Haered.* Colligitur ex *hoc textu*: Quamvis majorum 60. annis et eo- 3
rum, qui in decrepita aetate sunt, nuptiae dissuadendae sint et impediendae, nihilominus tamen praecise prohibendae non sunt, nisi vir 4
plane ad omnem copulam esset incapax, quo

tamen casu si hoc impedimentum sciret foemina et eo non obstante nuptias peteret, non putarem praecise prohibendum matrimonium. Vid. *Gerhard. de Conjugio* §. 233. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 92. *num.* 20. *et seq. Petrus Barbos. in l.* 1. *num.* 64. *ff. Sol. Matr. Cypraeus de Sponsal. c.* 9. §. 8. *per totum.*

L. Libertam. 28.

SUMMARIA

Quaesita a marito dignitas non dirimit nuptias. num. 1.
Nec dignitas patri quaesita dirimit nuptias liberorum. 2.
Ratio negationis. 3.
Uxor coruscat radiis et dignitate mariti. 4.
Crescente dignitate mariti constante matrimonio, crescit etiam dignitas uxoris. 5.
Privilegium mariti communicatur etiam uxori. 6.

1 Quaesita a marito dignitas, v. g. Senatoria, nuptias non dirimit, nec dignitas patri quaesita,
2 dirimit nuptias liberorum. Nam si dignitas marito
3 accedens dissolveret nuptias, felicitas mariti esset calamitas uxoris. Ergo aequius est, marito evecto, extolli etiam dignitatem uxoris. Sic prosperitas soceri, qui senator factus, etiam liberis, et eorum conjugibus non nocet, sed potius prodest. Sic ergo duo inferuntur ex, *hac lege*:
4 I. Uxorem coruscare radiis et dignitate mariti: et II. Crescente dignitate mariti con-
5 stante matrimonio, crescere etiam dignitatem uxoris, *Tiraq. de Nobilit. cap.* 18. *num.* 1. *et seq. Cagnolus ad l. cum quaedam puella. ff. de Jurisd. num.* 12. Et privilegium mariti commu-
6 nicatur uxori, *Petr. Barb. ad l. quia tale* 14. *num.* 23. *ff. Sol. Matr.*

TITULUS V.

De Incestis et Inutilibus Nuptiis.

L. Liberta. 1.

SUMMARIUM

Liberta si ducta sit a patrono, divertere nequit invito patrono, imo nec volente eo.

Liberta a Patrono si ducta sit, divertere nequit patrono invito, imo ne volente quidem, praesertim Jure Canonico, et Divino, atque Ecclesiastico nostro.

L. Neminem. 2.

SUMMARIA

Polygamia simultanea in toto imperio est prohibita. num. 1.
Imo etiam jure divino primaevo, et novi testamenti. 2.
Poena bigamorum de jure veteri quaenam. 3.
Hodie eadem quae adulterorum. 4.

1 Polygamia simultanea in toto Imperio prohi-
2 bita, imo etiam jure Divino primaevo, et Novi Testamenti, ut pluribus probat *B. Gerhardus* §. 306. *et seq. Sanchez de Matrim. l.* 7. *d.* 80. *per totam, Far. Q.* 140. *num.* 1. *et Tarnov. de Conj. l.* 2. *c.* 19. *Harprecht. in* §. 1. *Inst. de Nupt. num.* 31. *et seqq. Carpz. Pract. Crim.*
3 *P.* 2. *Qu.* 66. *num.* 4. *et seqq.* Bigamorum autem poena praeter infamiam erat arbitraria: hodie
4 eadem quae adulterorum, *Nov.* 117. *c.* 11. *Auth. hodie C. de Repudiis.* Vid. *Carpz. in Pr. Crim. d. q.* 66. *num.* 24.

L. Cum ancillis. 3.

SUMMARIA

Inter servum et ancillam non potest esse matrimonium, sed contubernium. num. 1.
Inter decurionem et ancillam nulla consuetudo esse potest. 2.
Horum assertorum rationes. 3.
Liberi hominis ignoranter cum ancilla contrahentis et hujus vice versa matrimonium jure Canon. nullum est. 4.
Rationes. 5.
An sit ipso jure naturali nullum. 6.
Si sciat libera persona alterius conditionem servilem, tunc matrimonium hoc valet jure Canonico. 7.
In nuptiis hominum propriorum passim domini consensus requiritur. 8.
Ancilla in matrimonium cum libero collocata a domino libertatem consequitur. 9.

1 Inter servum et ancillam non potest esse ma-
2 trimonium, sed Contubernium: imo inter Decurionem et ancillam nulla consuetudo esse po-
3 test, tum ne ordo Decurionum dedecoretur, nec ancilla dominis citra suum factum privetur, et poena gravissima dominis eorum vel procuratoribus, id est, qui loco potentiorum praedia administrabant, imponitur, si ad has incestas nuptias
4 conniveant, quod et hodie jure Canon. locum habet, si liber ignorans contrahat cum ancilla, vel libera cum servo, nam hoc matrimonium hoc ipso jure esset nullum, *c.* 2. 3. *et ult. X. de Conjugio Servorum*; quia hoc matrimonium: 1. re-
5 pugnat fini sacramentali (sano sensu intelligendo, quatenus matrimonium suo modo rei sacrae si-

gnum) id est, cohabitationi: 2. bonae fidei: 3. bono prolis, quae a parente nec ali, nec religiose educari posset, *Guttierez de Matrimonio c.*
6 90. *num.* 1. Unde nonnulli putant, ipso jure naturali, nullum esse hoc matrimonium et non solo jure Ecclesiastico per rationes adductas a *Sanchezio lib.* 8. *d.* 19. *num.* 15: *et Cypraeo c.* 13. §. 38. licet *Sanchez n.* 19. dissentiat ab illis
7 a se citatis. Sed si sciat libera persona alterius conditionem servilem, licet nec tunc possit esse matrimonium, *per hanc. l.* jure tamen Canonico validum est, per *c.* 1. *d. t. Azorius P.* 2. *Instit. Moral. lib.* 2. *c.* 6. *Qu.* 10. *Panorm. in c.* 2. *d. t. num.* 3. *Guttierez d. l. num.* 23. *Rittershus. de Different. jur. Civ. et Canon. lib.* 1. *c.* 19. Idem est, si post compertam veritatem, is qui prius ignorabat, postea de novo consenserit in matrimonium, *cap.* 4. *C.* 29. *Rittershus. d. c.* 19. *Cujac. ad d. t.* Ignorantia autem hic praesumitur, et e diverso scientia alterius partis probanda, *Guttierez d. Q.* 90. *num.* 14. *et seq.* Aliud autem est in conditione servitutis, non verae, sed Adscriptitiae, vel Originariae, *Sanch. d. l.*
8 *num.* 20. *Cypr. d. l. in fine,* quamvis in nuptiis adscriptitiorum seu propriorum hominum Domini consensus passim requiratur, *Mevius p.* 5. *dec.* 130. qualis causa de prohibitione nuptiarum ex causa civili ad consistoria non solet remitti,
9 *Mev. p.* 3. *dec.* 115. Si autem dominus ancillam collocet in matrimonium cum libero, illa hoc pacto libertatem consequetur, *Auth. ad hoc C. de Lat. Libert. toll. Sanchez l.* 7. *d.* 26. *Guttier. de Matr. cap.* 19.

L. Qui contra. 4.

SUMMARIA

Incestarum nuptiarum poena prima est dotis et donationis propter nuptias caducitas. num. 1.
Limitatur. 2.
An et quatenus error juris a poena incestus excuset. 3. 6.
Contrahentes incestas nuptias donationibus mutuis se indignos reddunt. 4.
Et donata fisco sunt applicanda. 5.
Minor aetas an etiam excuset. 7.
An haec et aliae poenae etiam de eo casu intelligendae, quando jure Can. vel municipali prohibitae sunt nuptiae ? 8.
Covarruvias et alii *notantur.* 9.

1 Prima poena incestarum nuptiarum est, quod sicut dos fit caduca, *l.* 52. *ff. de Rit. Nupt.* nulla enim hic dos, §. 12. *Inst. de Nupt.* ita etiam donatio propter nuptias fiat caduca, *l.* 4. *h. t.* cum haec duo ad paria judicentur.
2 Sed hoc intelligendum, nisi ex errore probabili tales nuptias contrahant, quod de errore fa-
3 cti notissimum. Sed quid de errore juris ? Resp. *Covarr. in Epit. P.* 2. *c.* 6. §. 8. *num.* 22. excusari nuptos a praedicta poena amittendi bona propria, licet error juris non operetur lucri adquisitionem, imo si clam contractum matrimonium, error juris nunquam excusabit, *l. fin. ff. de Rit. Nupt,* Collige ex *hac l.*
4 Quod contrahentes incestas nuptias donationi-
5 bus se reddant indignos et donata Fisco sint applicanda, *Farin. Qu.* 149. *num.* 131. *Menoch. cons.* 50. *num.* 47. Idem est, si error quidem concurrat, sed supinus, *P. Barb. ad l. si cum dotem* §. *fin. num.* 24. *ff. soluto matrimonio,* ubi in seqq. plura de hac lege habet usque ad 30. II. Errorem facti non tantum, sed et juris, 6
scilicet civilis, non naturalis, excusare a poena incestus, *Menoch. d. l. n.* 91. *et seqq.* scilicet quoad amissionem rerum suarum, non quoad lucrum, *Covarr. P.* 2. *c.* 6. §. 8. *num.* 37. et ita mulier, quia in ea praesumitur ignorantia juris civilis, *l.* 57. §. 1. *ff. h. t.* excusatur per *l. et Anton. Matth. ad lib.* 49. *Dig. tit.* 3. *c.* 6. *n.* 3. *et seqq.* III. Minorem aetatem etiam excusare 7
ob praesumptam ignorantiam, *Menoch. d. l. num.* 8. *Farin. Q.* 149. *Molina d.* 200. *num.* 9. Sed hoc et antecedens limitat Imperator, si errore comperto, vel adepta majorenni aetate, discesserint ob invicem. Sed Quaeritur: *An haec* 8
et aliae poenae, quae in *l.* 6. habentur, *etiam de eo casu intelligendae, quando jure Canonico vel Municipali prohibitae sunt nuptiae ;* Quod contra *Covarr. P.* 2. *c.* 6. §. 8. *num.* 30 *Menoch.* 9
num. 66. *Trentacinquium lib.* 3. *tit. de Matrim. Res.* 4. *num.* 8. recte negant *Clarus* §. *Incestus num.* 3. *Vinc. de Franchis dec.* 240. *num.* 16. *Klock. cons.* 181. *num.* 58. *et seq. Vivius dec.* 319. *Boer. dec.* 261. *num.* 13.

L. Fratris. 5. et L. Licet. 8.

SUMMARIA

Fratris mei viduam ducere non possum neque jure divino. num. 1.
Rationes decidendi. 2.
Uxoris meae defunctae sororem ducere etiam jure divino prohibitum. 3.
Ampliatio prioris regulae. 4.
Ampliationis ratio. 5.
Magistratus episcopalia jura habens dispensare hic potest. 6
Sententia auctoris de hoc casu. 7.

Regula habetur duplex: I. Fratris viduam in 1
uxorem ducere non possum, quod etiam jure divino prohibitum, *Levit.* 18. *v.* 16. *et Levit.* 20. *v.* 21. ubi additur ratio, quia est nuditas 2
fratris tui, id est, frater tuus eam nudavit, et factus est cum ea una caro, *Gerh.* §. 471 : II. Regula. Non licet mihi ducere uxoris meae de- 3
functae sororem ; quod ipsum etiam jure divino prohibitum, *Levit* 8. *v.* 18. *Gerhard. d. Tr.* §. 275. Prior Regula ampliatur in *l.* 8. licet frater 4
non convenerit cum ea, quae nunc vidua est, et corpore non fuerint juncti. Atque adeo sponsa fratris, quae fuit de praesenti, uxor mea esse nequit, *Brust. de Matrim. P.* 2. *c.* 51, *Gerhard.* §. 62. *Cypr. de Matrim. c.* 6. *num.* 3. *Dn. Carpzov. lib.* 2. *Jurispr. Eccles. def.* 107. Et sane haec merito placuerunt, nam cum in- 5
certum plerumque sit, ad quam usque lineam amoris cum sponsa quisque sua pervenerit, in re dubia abstinere tutius est, et licet non ad ultimam lineam pervenerint, inverecundum tamen est eam in amplexus tuos ire, quae osculis patris, vel fratris, maduerit, *Anton. Matth. in lib.* 48. *ff. tit.* 3. *c. ult. num.* 26. Magistratum 6
tamen jura Episcopalia habentem, hic dispensare posse, eo quod sponsa fratris non sit u-

xor fratris cognita, quod solum hic attendit etiam jus Divinum, tradunt *Gerhard.* §. 363. *Beust. P.* 3. *cap.* 24. *Carpz. lib.* 2. *def.* 121. ubi litteras *B. Gerhardi* allegat, quamvis ob allegatam ab *Ant. Matthaei* rationem, caute in dispensatione procedendum esse non dubitem.
7 Et si mihi talis casus offerretur, non dubitarem sponso petenti sponsae sororem juramentum purgationis deferre, si caetera paria, et vir sit perspectae probitatis et pietatis.

L. Si quis incesti. 6.

SUMMARIA

Aliae sequuntur incestus poenae. num. 1.
Liberi ex incestu suscepti legitimi non sunt. 2.
Non sunt in potestate parentum. 3.
Parentes iis donare vel quid relinquere nequeunt. 4.
Bona parentum incestuosorum neque testamento extraneis relinqui possunt. 5.
Quibusnam serventur. 6.
Nuptiae incestae consummatae sunt modus tollendae patriae potestatis. 7.
Incestuosus testari prohibetur. 8.
Limitatio. 9.
Nepos legitimus ex incestuoso filio natus ab avo haeres institui nequit. 10.
Ratio decidendi. 11.
In poenalibus sub masculino comprehenditur etiam foemininum. 12.

1 Hic continentur aliae poenae incestus. Nam
2 liberi non sunt legitimi, qui ex incestu susce-
3 pti, nec ergo in potestate erunt parentum,
4 nec iis parentes donare quid, vel relinquere
5 possunt. Incestuosi parentes testamento etiam extraneis nihil possunt relinquere, sed bona
6 eorum servantur liberis justis et legitimis usque ad tertium gradum, Parentibus ad secundum, item fratribus, sororibus patruis et amitis: nisi quis eorum conciliator earum nuptiarum fuerit, *d. l.* 6. His deficientibus bona deferuntur Fisco, tam in foeminis quam in maribus, *l.* 6. *h. t.*
7 Notetur ergo obiter: I. Modus tollendae patriae potestatis, scilicet nuptiae incestae consummatae, *Covar. de. Matrim. P.* 2. *c.* 6. §. 8. *num.* 20.
8 et II. Quod talis incestuosus prohibeatur testa-
9 ri, nisi inter eos, qui ex facultate juris ipsi possunt succedere. Ex *hac lege* etiam inferunt *DD.*
10 III. Nepotem legitimum ex incestuoso filio natum non posse ab avo institui, *Peregr. de Jure Fisci lib.* 3. *tit.* 18. *num.* 54. et quos citat *A. Barbosa hic num.* 8. et praeter eos *Covar. P.* 2. *de Matrim. cap.* 8. §. 5. *num.* 19. quia
11 non nisi inter personas hic enumeratas testari potest, et si filius incestuosus viveret, per indirectum relinqueret filio. IV. Colligunt: etiam
12 in poenalibus sub masculino comprehendi foemininum, *hic et l.* 7. §. 1. *ff. de Jurisdict. et in c. si quis suadente c.* 17. *Qu.* 4. *Tiraq. de Retr. consang.* §. 1. *Gl.* 9. *et* 214. *Rittersh. in Nov. P.* 2. *c.* 4. *num.* 22.

Auth. Incestas.

SUMMARIA

Continuatur in recensione poenarum incestus. num. 1.
Ob delictum alterius per consequentiam aliquis successione privari potest. 2.
Ob incestum omnia bona confiscari possunt. 3.
An Authentica haec per Authent. Bona damnatorum C. de bon. proscript. *sit sublata.* 4.
In toto jure generi per speciem derogatur. 5.
An ipso jure fiat confiscatio. 6.
Vasallus hoc casu feudum an amittat? 7.
Incestuosus non in bonis tantum, sed in persona etiam punitur. 8.
Incestuosus inter pares curiae locum habere nequit. 9.
Quatenus dicta locum habeant. 10.

Haec Authentica addit poenam aliam; scilicet 1
confiscationem, non tantum dotis, sed omnium bonorum, scilicet deficientibus liberis legitimis, item deportationem, et fustigationem, si persona sit vilis: in milite etiam cinguli spoliatio additur, et liberi (legitimi scilicet) propter hoc delictum patris liberantur Patria Potestate: his tamen alendi parentem onus incumbit. Ex *hac Authentica* Colligitur: I. Quod quis ob delictum 2
alterius possit privari successione, quod fit per consequentiam, nam principaliter plectitur ille, qui non potest habere haeredem, et potuisset hoc crimine non commisso, cognatos excludere, et cum lex sit domina rerum, potest etiam spem succedendi adimere poenam, *Rittersh. in Novell. P.* 4. *C.* 2. *num.* 24. II. Quod ob in- 3
cestum omnia bona confiscari possint, non tantum dos vel donatio propter nuptias. Sed Quaeritur: *Annon hoc per Authent. Bona da-* 4
mnatorum C. de Bonis Proscriptor. sit sublatum? Quod negatur communiter, quia *d. auth. bona,* loquitur de illis criminibus, quibus nominatim non est irrogata per leges publicatio bonorum, non autem de illis, quae specialiter bonorum publicatione plectuntur, in toto enim 5
jure generi per speciem derogatur, *Farin. Q.* 149. *num.* 128. *Menoch. lib.* 2. *casu* 50. *num.* 49. *Trentac. lib.* 3. *Tit.* 3. *de Matrim. Res.* 4. *num.* 3. *Rittershus. d. c.* 2. *num.* 35. Sed conf. *Auth. allegata.* Ex ipsa autem Novella originali colligunt *hic Gl. et DD.* et post alios *Sich. num.* 2. *Clarus* §. *incestus num.* 2. *Trentac. d. l. num.* 4. *et Menoch. num.* 48. ipso jure fieri 6
confiscationem, modo constet de crimine. Et sic etiam Vasallum amittere Feudum volunt 7
Feudistae, quos allegat *Rosenthal. de Feudis cap.* 10. *Concl.* 37. *num.* 1. *et seqq.* Notetur etiam, incestuosum non tantum in bonis pu- 8
niri, sed etiam in persona, scilicet Deportatione, Fustigatione, vel Relegatione simplici, *Farin. d. Q. P.* 2. *Menoch. d. l. num.* 46. *et seq. Berl. P.* 4. *concl.* 32. *et seq.* Notetur etiam hic casus, ubi liberi viventibus parentibus succedunt, cum onere tamen alendi parentes. Demum incestuosus ipso jure infamis, et ideo inter pares 9
curiae locum habere nequit, nam dicitur hic cingulo privandus, *Rosenth. de Feud. d. concl.* 37. *num.* 7. *Farin. d. l. num.* 136. Sed semper repetendum est, haec locum habere in incestu 10

contra jus Civile commisso, non vero contra jus Canonicum vel Municipale, et sic non habere locum has poenas putat *Cephal. cons.* 226. *per totum*, si quis uxoris suae affinem in quarto gradu cognoverit. Sed si jure divino prohibitae nuptiae, locum haberent hae poenae, v. g. si quis scienter fornicetur cum ea, quae a fratre compressa est, vel a patre aut socero.

Auth. Ex complexu.

SUMMARIA

Liberis ex incestu natis nihil debetur. num. 1.
Nec alendi sunt e bonis paternis. 2.
Ratio hujus. 3.
Recedit jus Canon. ab iis, quae num. 2. *dicta.* 4.
Et cum hoc jus Caesareum. 5.
Restrictio juris civilis hac in parte facienda. 6.
Limitantur poenae in Authenticis recensitae. 7.
Dubitatur circa primam limitationem. 8.
Quoties gradus jure divino et civili prohibitus, ibi dissolutio jure civili et Canonico indistincte locum habet. 9.

1 Liberis vero ex incestu natis nihil debetur,
2 nec alendi sunt e bonis paternis, ut omnis me-
3 moria nefandi delicti aboleatur, et parentes pro affectu in liberos magis eorum miseria, quam sua terreantur, *l.* 8. *ff. Quod metus causa.*
4 Quod ultimum tamen jure Canonico secus, *c.* 6. *X. Qui filii sint legitimi.* Vid. *Surdus de Alim. tit.* 1. *Q.* 10. *Palaeottus de Nothis c.* 46. quam
5 Constitutionem, quia juri naturae conveniens, servandam esse etiam in foro Caesaris vult *Peregr. de jure fisci lib.* 3. *c.* 18. *num.* 55. Sed et ipsa
6 juris civilis dispositio intelligenda non est de alimentis, sine quibus partus vitam amitteret, hoc enim cum jure naturae pugnaret, sed de iis alimentis, sine quibus per laborem vel alia via vitam conservare posset *Molina d.* 168. *num.* 1. *Azorius P.* 2. *Inst. Mor. l.* 22. *c.* 2. *Q.* 1.
7 Sed has poenas, quae in Authenticis habentur, jam recensitas limitat aliter *Peregrinus de jure Fisci lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 12. *et seqq.* quod 1. non habeant locum, ubi quis ignorans contraxisset, licet scientia indepta cohabitet, quia lex contractum punit: 2. quod non habeant locum, nisi in nuptiis incestis ratione sanguinis, et 3. nisi iis, quae Jure Civili sunt prohibitae, non jure Canonico, ut supra diximus, et 4. non in consuetudine extra matrimonium, nec in Sponsalibus, nec nuptiis spe dispensationis celebratis, *Clarus d.* §. *num.* 5. *et* 6. quorum omnium ra-
8 tio in *l. pen. ff. de Poenis.* Sed de prima limitatione, quam etiam *Clarus* habet in §. *Incestus num.* 9. licet dubitare ob *l.* 4. *h. t.* ubi errore comperto discedendum esse dicitur, ideoque eam sententiam omnino falsam esse existimo cum *Ploto ad l. si quando C. unde vi num.* 289. *et Trentacinq. de Matrim. Resol.* 4. *num.* 7. *versu* 4. *et ult. etc.* sicut etiam de illa sententia semper dubitavi, quando *Beust. de Connub. P.* 2. *Qu.* 52. *et Dn. Carpz. P.* 4. *Const.* 23. *def.* 11. *et lib.* 2. *Jurispr. Eccles. defin.* 99. statuunt, haud dissolvendum esse matrimonium in gradu prohibito contractum, in linea collaterali et jam consummatum; nam haec opinio etiam *legi* 4. *et huic Auth.* repugnat, et §. *non tamen omnes Inst. de Nuptiis.* Et ideo si gradus jure Divino et Civili prohibi- 9
tus legatur, dissolutio jure Civili et Canonico indistincte locum habebit, juxta tradita *Menoch. d. cas.* 502. *num.* 46. *et num.* 105. *et Farin. d. Q. num.* 144. nec *Glossa* allegata ab iis, nec *Felinus* hoc habent. Sed *Glossa. in Clement. de consang.* in verbo, *scienter*, de poena tantum remittenda agit, non vero de conjugio non dissolvendo, et *Felinus* eo loco, quem allegant, nec poenam remittendam esse dicit. Nec quarta limitatio absolute intelligenda.

L. Humilem. 7.

SUMMARIA

Senator personam humilem ducere nequit. num. 1.
Quaenam sit humilis persona. 2.
Non fortuna, sed vitae genus vilem aliquam reddit. 3.

Senator humilem personam ducere nequit, *l.* 1
44. *ff. h. t.* Sed *quae est humilis persona?* Resp. non ea, quae pauper est, sed quae serva, li- 2
berta, scenica, tabernaria, aut mercimoniis praefuit, aut harum vel arenarii filia. Nota bene: Non fortunam, sed vitae genus vilem reddere, 3
c. illa 6. *C.* 15. *Qu.* 1. *C. legimus* §. *potentia. dist.* 53. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 95. *num.* 20. *Wesenb. cons.* 18. *num.* 27. *Farin. cons.* 70.

L. Ab incestis. ult.

SUMMARIA

Rescripta incestum permittentia quatenus sint jure nulla. num. 1.
Contra jus divinum nulla valet dispensatio. 2.
Ejus est ligare, cujus est solvere. 3.
Pontificii *notantur.* 4.

Rescripta, quae permittunt incestum, sunt 1
ipso jure nulla, quod de conjugio prohibito jure divino intelligimus, nam quae sunt jure municipali prohibita, omnino a Principe concedi possunt. Sed contra jus divinum nulla dispen- 2
satio locum habet, v. g. si Princeps permittat, ut fratris aut sororis filiam, aut fratris uxorem ducere liceat, nam ejus est ligare, cujus est 3
solvere, *C. litteras* 13. *X. de Rest. Spoliat. Gerhard. de Conjug.* §. 346. *Beust. P.* 2. *c.* 56. *Carpzov. in Jurispr. Eccles. l.* 2. *def.* 109. licet dissentiant *cum Concilio Tridentino* Pontificii, 4
praesertim *Gutticrez de Matrim. c.* 122.

TITULUS VI.

De interdicto Matrimonio inter Pupillam et Tutorem seu Curatorem, filiosque eorum.

SUMMARIA

Matrimonium inter tutorem et pupillam est prohibitum. num. 1.
Rationes prohibitionis. 2.
Rusticus fraude deprehensus se rusticitate sua excusare non potest. 3.
Maxime quando errat in jure civili notorio, et contra speciem honestatis peccat. 4.
Tutor pupillam filio suo dare non potest. 5.
Mater pupillae nubere tutori non prohibetur. 6.
Nec vitiatur matrimonium ex post facto, si mariti pater constituatur nurus suae curator. 7.
Regula, ut quae ab initio consistunt, in irritum recidant, si deveniant in eum casum, a quo incipere non debent, non valet in matrimoniis. 8.
Tutor vel curator pupillo suo filiam elocare non prohibetur. 9.
Ratio. 10.
Tutor si pupillae vel curandae rationes reddidit, et illa 25. annum ut et tempus restitutionis scil. quadriennium excessit, potest eamdem uxorem ducere 11.
Ampliatur. 12.
In matrimoniis non divino jure sed humano prohibitis Principi et qui Episcopalia jura habet dispensare licet. 13.
Ex nuptiis cum pupilla sine dispensatione superioris contractis colligitur ficta doli confessio, et sequitur infamia. 14.
Observantia juris Canonici et morum. 15.
Reverentialis metus matrimonium non impedit. 16.
Magnus matrimonii favor. 17.

Quia *hic Titulus* parum apud nos utilitatis spirat, ideoque methodice *hunc titulum* tractabimus.

1 Inter Tutorem et Pupillam prohibitum ma-
2 trimonium: 1. ne rationes subtrahantur, et tali conjunctione fraus administrationis tegatur, *l. pen. h. t.* 2. Ob vim ac potestatem, quam tutor habet in personam pupillae, et venerationem ei debitam, nec valet excusatio ejus, qui rusticitatem aut ignorantiam allegat, cum sit ignorantia
3 Juris, *l.* 1. *h. t.* quando enim fraus reprehenditur in rustico, tunc rusticitate sua se excusare non potest; ut exemplis declarat *Menoch. lib.* 2. *Arbit. Quaest. cas.* 194. Praesertim vero
4 rusticitas non excusat, quando rusticus errat in jure civili notorio, et contra speciem honestatis peccat, *Tiraq. de poen. semp. caus.* 11. *num.* 9. *et seq. et August. Barbosa locupletatus l.* 16. *c.* 66.
5 *axiom.* 1. Nec potest Tutor pupillam suo Filio dare, *l.* 4. *h. t.* ubi libertus filio suo naturali, id est in servitute genito et postea manumisso pupillam suam in uxorem dedit, alias matrimonium esset nullum, repetitur dos data, et tutor fit infamis, *l. pen. h. t. Guttierez de Tutel. P.* 2. *c.* 12. *num.* 2. et liberi illegitimi, *l.* 6. Sed non prohibetur 1. Mater pupillae nubere Tutori, 6
cum cessent superiores rationes, *l.* 2. *Guttierez d. c.* 12. *num.* 7. *Mont. de Tutel. c.* 31. *effectu* 8. *num.* 24. ex qua tamen lege non sequitur, quod matris maritus manserit postea tutor filiae seu privignae suae, uti tradit *Finckelth. obs.* 53. *num.* 31: 2. Nec vitiatur matrimonium ex post facto, 7
si mariti pater constante matrimonio constituatur nurus suae curator, *l.* 3. *h. t.* ubi ratio quod rite contractum matrimonium ex post facto vitiari non possit, licet ob suspicionem consultius faciat pater, si se excuset et alius substituatur. *Nota bene:* In matrimoniis non valet illa Regu- 8
la: ut quae ab initio consistunt, in irritum recidant, si deveniant in eum casum, a quo incipere non debent, *Cujac. ad hunc tit. hic.* Sic, si generum meum adoptem, non dissolverentur nuptiae. Sed adoptio magis impeditur, *l. pen.* §. 3. *ff. de Ritu Nupt:* 3. Nec prohibetur tutor 9
vel curator pupillo suo filiam elocare, *l.* 5. *h. t. et l.* 64. §. 2. *ff. de Rit. Nupt. Guttierez d. c.* 12. *num.* 5. et gener non ita reveretur socerum, ut 10
nurus, nam haec verecundia fere plerumque remittet rationum redditionem, talis non esse solet generi verecundia, *Cujac. ad hunc tit.* Aliam rationem reddit *Montanus d. eff.* 8. *num.* 25. ne scilicet protrahantur filiarum nuptiae, in quibus major est metus infamiae, et praeterea non est praesumendum tutorem filiam suam obtrusisse invito pupillo: 4. Si pupillae vel curandae 11
reddidit rationes, et illa vigesimum quintum aetatis annum et tempus restitutionis, scilicet quadriennium excesserit, *l.* 6. *h. t. et l.* 62. §. *fin. ff. de R. N.* potest illam uxorem ducere. Nam hoc casu utraque ratio supra adducta cessat, *Montan. d. eff.* 8. *num.* 22. *Guttierez d. c.* 12. *num.* 3:
5. Nec prohibetur, si pater pupillae eam tutori de- 12
cedens destinavit, *l.* 6. *h. t. et l.* 66. *ff. de R. N.* hanc enim voluntatem patris, quem hujusmodi conditionem filio quaesivisse spectata et cognita prius futuri generi integritate atque fide verosimile est, ad exitum perduci, SCtum non impedit, *Montan. d. Eff.* 8. *num.* 21. 6. Nec is, qui Rescripto Principis hoc impetravit, *l. pen.* quia enim prohibitio Juris Civilis est, ideo Princeps dispensare potest. Nam in matrimoniis, quae non 13
jure divino, sed humano vetita sunt, licet Principi et qui jura Episcopalia habet, dispensare, *Carpz. in Jurispr. Eccles. P.* 2 *def.* 109. *et seq. Sanch. de Matrim. lib.* 8. *Covarr. de Matr. P.* 2. *c.* 6. §. 9. Ex qua, *l. pen.* notandum, ex nuptiis 14
cum pupilla contractis sine dispensatione superioris, colligi fictam confessionem doli, et sequi infamiam, ait *Bacch. ad tit. de his qui not. infam. pag.* 773. Demum nec is, qui pro tutore gessit, *l. fin. h. t.* quia cessat secunda ratio, et alias nemo ejus nuptias ambire posset, cujus negotia administravit; Unde concludunt legem poenalem de vero

tutore loquentem, ad eum, qui pro tutore gessit, non esse extendendam, *D. Cuno de pactis lib.* 1. *c.* 22. *n.* 130. *et seq. et Setserus de juram. l.* 1.
15 *c.* 22. *num.* 8. Sed huic prohibitioni factae vero tutori derogatum est jure canonico, vel moribus nostris, ut licitum sit contrahere nuptias cum ea, cujus tutela administrata, per id tamen non liber eris a reddendis rationibus, ut tradunt *DD.* communiter, *Salyc. ad l. fin. Gerhard. de Conjug.* §. 377. *Rolandus a Valle in Tr. de Lucro Dotis qu.* 100. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 194. *num.* 12. *Beust. de Sponsal. c.* 21. *Rittersh. in diff. lib. c.* 20. *Guttierez d. l. num.* 8. *Montanus de Effectu, in fine, Perez in hoc et seq. titul. utroque in fine*, quia reverentialis me- 16
tus non impedit matrimonium, et magnus fa- 17
vor matrimonii, et hoc mores sequuntur, *Rittershus. d. l.*

TITULUS VII.

Si quacumque praeditus potestate, vel ad eum pertinentes ad suppositarum Jurisdictioni suae adspirare tentaverint nuptias.

L. Si quis. un.

SUMMARIA

Tenor legis. num. 1.
Magistratum gerens, quando per vim vult conciliare nuptias, se in omnibus aliis causis puellae postmodum suspectum reddit, et quoad totam cognationem. 2.
Casus in eo notabilis, quod conatus puniatur. 3.
Usus textus hujus adhuc potest occurrere. 4.
Liberrimum oportet esse consensum in nuptiis. 5.
Si quis potestate sua abutatur ad terrendum alium, publica vis est. 6.

1 Qui in potestate constitutus, id est Magistratus, si nuptias appetat foeminae, invita ea, aut parentibus ejus, et minis id perficere tentet, ob solum conatum, virgo et parentes ejus Proci jurisdictione liberantur, missa contestatione, et ille decem auri libris mulctatur, dignitateque privatur, quam intra biennium recuperare non poterit, ratio hic eadem, quae in *l. un. tit.* 2. *hujus libri;* nisi quod ibi de sponsalibus, et de eorum effectu, hic de nuptiis et conatu agatur. Colligit ex *hac lege Molina Tr.* 5. *D.* 23. *num.* 5.
Quando Magistratum gerens per vim vult con- 2
ciliare nuptias, quod tunc reddit se suspectum in omnibus aliis causis puellae, et quoad totam cognationem, ut infert *Barbosa hic* post *Tiraq. de poenis temp. caus.* 51. *num.* 68. per *l.* 1. *et* 2. *ff. de lib. causa.* Quod de Vicario hic habetur, de Vicario Praefecti praetorio intelligit *Barbosa.* Notetur hic casus: ubi conatus punitur, nam 3
procul dubio casus hic tunc fuit frequentissimus, sed nec hodie puto *hunc textum* cessare, nam si 4
praeses per vim extorquere conetur hunc consensum, omnino puniendum hoc est delictum, nam licet non sit punibile hodie matrimonium inter praesidem et provincialem puellam, punibilis tamen est vis et violentia terrore potestatis illata provinciali, nam liberrimum oportet esse con- 5
sensum in nuptiis et vis haec publica esset, si 6
quis potestate sua abutatur ad terrendum alium. Et ideo non simpliciter dicendum, *hanc legem* inter abrogatas esse scribendam, nam licet Praesidi in sua provincia, maxime si patria ejus sit, hodie liceat contrahere nuptias, ut ex aliis tradit *Gronwegen,* non tamen vis inferenda nec concussio.

TITULUS VIII.

Si nuptiae ex Rescripto petantur.

L. Quidam. 1.

SUMMARIA

Contra voluntatem parentis et liberorum Rescriptum a Principe pro nuptiis impetrari non debet. num. 1.
Sub qua poena. 2.
Sponsalibus rite contractis vel ad consummandum matrimonium, vel ad restituendas arrhas in duplum Princeps adiri potest. 3.
Verbum obreptionis et subreptionis *promiscue usurpatur.* 4.
Princeps non potest supplere consensum parentis vel filiae, nec eo invito filiam ejus alicui jungere. 5.
Princeps nunquam vult praejudicare tertio. 6.

Contra voluntatem Parentis et liberorum non 1
debet Rescriptum impetrari a Principe pro nuptiis, sub poena deportationis et amissionis 2
bonorum, nec liberi sunt legitimi; sane si spon- 3
salia sint rite contracta, tunc vel ad consummandum matrimonium, vel ad restituendas arrhas in duplum Princeps adiri potest, quia haec jure petuntur. Colligunt ex *hac lege Menoch.*

lib. 2. *A. Q. cas.* 201. *num.* 13. *et Mascard.*
4 *concl.* 1128. *num.* 2. verbum *obreptionis et subreptionis*, promiscue usurpari, ex quibus
5 hoc notat *Barb. hic*; et Nota igitur, Principem non posse supplere consensum Parentis, vel filiae, nec eo invito filiam ejus alicui jungere, conferantur tradita *Carpz. in Jurispr. Eccles.*
6 *lib.* 2. *def.* 52. et nunquam Princeps vult praejudicare tertio.

L. Nefandissimum. 2.

SUMMARIA

Fratris sororisve filiae nuptiae ne rescripto quidem Principis concedi possunt. num. 1.
Ratio. 2.
Subjicitur exemplum aliud. 3.
Tunc quoque impetratio est prohibita, cum petitio denegata. 4.
Superiori in matrimoniis jure humano prohibitis dispensare licet. 5.
Sed ista dispensatio non nisi cum conscientiae laesione petenda. 6.

Fratris, Sororisve filiae nuptiae, ne quidem 1
per rescriptum Principis concedi possunt, ratio in *l. fin. sup. de Inc. Nupt.* quia, quae jure 2
Divino prohibita, ea non recipiunt dispensationem, ut *d. l.* dictum. Sic igitur Princeps di- 3
spensare non potest, ut ducam uxoris sororis filiam, vel patrui viduam, vel amitam etc. Observa ex *hac lege*: Tunc etiam impetrationem 4
esse prohibitam, cum petitio denegata, quod saepius recurret. Licet Superior dispensare pos- 5
sit in matrimoniis jure humano prohibitis, sine gravi causa tamen eam dispensationem non esse petendam, nisi quis conscientiam suam vul- 6
nerare velit, *Covar. de matrim. p.* 2. *c.* 6. §. 9. *Sanchez de Matrim. l.* 8. *d.* 18. *num.* 10, *Perez hic in fine.*

TITULUS IX.

De Secundis Nuptiis.

L. Si qua. 1. Auth. Eisdem. et L. Si qua ex foeminis. 2.

SUMMARIA

Nuptiarum secundarum divisio. num. 1.
Infamis aliqua vidua fieri potest, si intra tempus luctus renubat. 2.
Quale tempus tam olim quam hodie luctui destinatum. 3.
Vel si ex stupro pariat. 4.
Vel olim quae suscepta liberorum tutela denuo renubat. 5.
Plures ejusmodi viduae poenae. 6. et seqq.
Vidua praeposteratione secundarum nuptiarum indignam se reddit relictis a priori marito. 7.
Procedit etiam in iis, quae ex sponsalibus vel pactis dotalibus a priori marito accepit. 8.
It. si ususfructus antenuptialis donationis ipsi relictus. 9.
Marito secundo ultra tertiam bonorum partem nihil conferre possunt ejusmodi viduae. 10.
Nec ei possunt ultra tertiam bonorum partem relinquere. 11.
Quaecumque in testamento alius ipsi reliquit, ea mulieri tali non debentur. 12.
Horum ratio. 13.
De poenis secundarum nuptiarum, remissive. 14.
Jure Canon. poenas hasce sublatas volunt. 15.
Examinatur et refutatur juris Canonici ratio. 16.
Jus Saxonicum. 17.
Periculosum etiam est, Sponsalia inter luctus annum concedere. 18.
Ratio. 19.
Limitatur. 20.
Non procedit limitatio de jure Sax. 21.
Vidua ex priori matrimonio uterum gerens, ut nuptias celebret cum alio, nunquam dispensari potest. 22.
Prohibitionis ratio. 23.
Talis vidua fit infamis. 24.
Ubi timetur commixtio sanguinis, ibi merito sequimur jus Civile, non Canonicum. 25.
Separatae conjugi permittendum non est, ut statim nubat. 26.

Nuptiae secundae sunt vel festinatae seu prae- 1
maturae, vel sunt maturae. De illis loquitur *l.* 1. *et* 2. Igitur viduae, quae olim intra de- 2
cem menses, hodie intra annum luctus, *l.* 2. 3
h. t. renubunt, *Auctor in l.* 9. *num.* 1. 10. *ff. de his qui not. infam.* (non tamen si tantum sponsalia contrahunt, *l.* 10. §. 1. *ff. de his qui not. infam. Riminaldus l.* 2. *cons.* 155. *num.* 4. *Auctor d. l. num.* 2. vel ex stupro pariunt, *Auth.* 4
eisdem h. t.) olim etiam, quae suscepta tutela, 5
contra sacramentum denuo nubunt, etiam post annum luctus (hoc ultimum tamen hodie secus, cum jurare non teneantur, per *d. authent. eisdem*, *et auth. sacramentum, infr. Quando mulier.*) 1. redduntur infames: 2. amit- 6
tunt ea, quae a priori marito ipsis relicta, cum 7
iis se reddant indignas, ob injuriam marito priori, nuptiarum secundarum praeposteratione, illatam. Idem est in iis, quae ex sponsali- 8
bus, vel pactis dotalibus a priori marito acceperunt, *l.* 2. *h. t.* et si ususfructus antenuptia- 9
lis donationis ipsis relictus sit, hunc tales viduae amittunt, per *auth. eisdem:* 3. Marito se- 10
cundo ultra tertiam bonorum partem in dotem nihil conferre possunt: 4. nec ei possunt ultra 11
tertiam bonorum partem testamento relinquere. Unde, si uxor marito hoc casu tertiam relinquat nemine praeter maritum instituto haerede, jure adcrescendi non pertineret ad maritum, ne uxor directo contra legem agat. Et ideo hoc casu uxor partim testata, partim intestata de-

12 cederet, *Cephal. cons.* 60. *num.* 12; 5. Quaecumque in testamento alius ipsis reliquit, vel etiam maritus, et mulieri non debentur, sed ascendentibus, descendentibus, et agnatis ad secundum gradum, his deficientibus, Fisco. Sed cur non statim adquiritur Fisco, sed prius aliis personis? Resp. *P. Barb. ad l.* 1. *p.* 7. *num.* 17. *et seq.* quia mulier deliquit tantum contra civiles, non contra bonos mores naturales: sed quid si gravida vidua ex matrimonio nuptias contrahat, nonne contra bonos mores juris naturalis peccat? Resp. ita quidem est, sed Fisco tamen non statim adquiri puto, quia textu speciali destituimur: 6. Nemini succedunt ab inte-
13 stato, ultra tertium gradum, ratio horum est, partim in mixtione sanguinis, partim in reve-
14 rentia marito priori debita. De quibus poenis secundarum nuptiarum, Vid. *Trentac. lib.* 3. *Tit. de Matrim. Res.* 5. *num.* 2. *et seqq. Anton. Gabr. lib.* 3. *tit. de secundis Nuptiis concl.* 5. *Molina Tr.* 4. *de J. et J. D.* 8. *Farin. P.* 2. *fragment. Lit. M. num.* 397. *et seqq.* et has poenas praefestinatarum nuptiarum (quae mulieribus, non viris irrogantur, *Trentac. d. Res.* 6. *num.* 8. *Gabriel. d. l. num.* 7. *Sanchez de Matrim. l.* 7. *Disp.* 87. *num.* 20. licet de honestate secus, *Carpzov. lib.* 2. *Jurispr. Eccles. Def.* 160. *Gerhardus* §. 200.)
15 Jure Canonico sublatas esse volunt, per *C. pen. et ult. X. h. t. Doctores in l.* 1. *h. t. Covar. de Matrim. P.* 2. *cap.* 3. §. 9. *n.* 6. *Joan. Guttierez in l. nemo potest ff. de Legat.* 1. *n.* 19. *Joan. Petr. Surdus de Aliment. tit.* 9. *Qu.* 30. *Molin. tr.* 2. *D.* 157. *n.* 9. *et d. D.* 8. *n.* 5. *Farin. d. l. num* 398. *Gerhard. de Conjugio* §. 99. ubi rationem juris
16 Canonici examinat et refutat; Sed in foro Sa-
17 xonico omnino locum habet prohibitio, ne vidua intra annum luctus nubat, licet dotem aliaque bona non amittat, *Carp. d. lib.* 2. *Def.* 161. *et seq.* Et omnino optandum, ut illa dispositio juris civilis apud nos observaretur, et nemini benedictio sacerdotalis vel consummatio matrimonii concederetur, nisi impetrata dispensatione ob justam causam, de qua, *Carpz. d. l.* imo et
18 periculosum judico, etiam Sponsalia concedere intra annum luctus, quamvis concedat haec *Car-*
19 *pz. Def.* 161. quia incertum est, ad quam lineam amoris suspensis nuptiis interim venerint, *Auct. ad l.* 11. *ff. de his qui not. infam. num.* 3. *et*
20 4. Si tamen mulier intra annum luctus luxuriose vivat, nihil mutatum in jure Canonico, ergo hic casus manet sub dispositione juris civilis, *Joan. Garon. in Auth. Eisdem h. t. num.* 18. *Clarus, in verbo*, Stuprum, *num.* 6. *Tuschus lit. N. Concl.* 164. *num.* 45. *Trentac. d. Res.* 5. *num.* 9. *Auctor ad d. l.* 11. *ff. de his qui not.*
21 *infam. num.* 8. licet jure Saxon. hoc non habeat locum, *Carpz. d. lib.* 2. *Def.* 162. *Berlich. P.* 1. *Concl.* 31. *num.* 23. imo nunquam dispen-
22 sari debere aut posse cum vidua ex priori matrimonio uterum gerente, ut nuptias celebret
23 cum alio, cum hoc semper turpe et in Ecclesia Christi intollerabile fuerit visum, ut ait *Beza*
24 *in Tr. de Repud. p.* 89. et in tali foemina locum adhuc habet infamia, juxta *Baldum in l. liberorum* 11. §. 1. *ff. de His qui not. infam.*
25 per illum textum, et ideo, ubi timetur commixtio sanguinis, merito sequimur jus Civile, non Canonicum, *Anton. Gabr. d. tit. concl.* 5. *num.* 5. *et Carpz. d. l.* 2. *def.* 159. et ideo nec
26 separatae conjugi permittendum, ut statim nubat, *Carpz. d. lib.* 2. *Def.* 165.

L. Foeminae. 3. cum trib. Auth. sequentibus. Auth. Uxore. et L. 9. §. 1.

SUMMARIA

Nubens foemina, matrimonio quocunque modo soluto, et post annum luctus impune nubit. num. 1.
Limitatur. 2.
Harum nuptiarum poena duplex distincte proponitur. 3. 4.
In Authent. Ex testamento *circa hunc casum distinguitur.* 5.
Interpretes circa prius distinctionis membrum. 6.
Rationes interpretum. 7.
Mulier cum consensu liberorum ad secundas nuptias impune transire potest. 8.
Vidua ad secunda vota se conferens memoriam prioris mariti deposuisse videtur. 9.
Poenae num. 3. *dictae an ad nepotes etiam extendantur?* 10.
An locum quoque habeant poenae, si luxoriose postea vivit Mulier? 11.
Auctoris sententia. 12.
An idem obtineat, si liberi prioris matrimonii in secundas nuptias consentiant. 13.
Notatur Fach. 14.
Contraria sententia verior et receptior. 15.
Poenae supra enarratae locum habent etiam in viro. 16.
Item, si uxor a marito uni liberorum pupillariter substituta. 17.
Ratio. 18.
Quando dicta non locum habeant, fusius. 19.

Si matrimonio sive per mortem, seu aliter, 1
sive per divortium soluto, *Authent. uxore h. t. et l.* 9. §. 1. post annum (luctus) nubat, foemina
impune nubit, nisi ex priori matrimonio liberi 2
sint superstites, et harum nuptiarum poena est 3
alia in bonis a marito priori acquisitis, alia in bonis propriis. De illis agitur *hac l.* 3. *et duab. seqq.* de his *l.* 6. De illis constituitur, omnia lucra prioris matrimonii, sive sint donata propter nuptias a Marito, vel ab alio ipsius nomine, *Auth. in donatione h. t.* sive sponsalitiae largitates, sive donata mortis causa, sive inter vivos donata, quae alias morte donantis confirmari solent, *l.* 32. *ff. de donat. inter virum et uxorem*,
sive legata et similia, quoad proprietatem amit- 4
tit vidua nubens, nam horum omnium mater tantum habet usumfructum, proprietatem autem liberis prioris matrimonii conservare debet, inter quos ea pro lubitu potest distribuere, *l.* 3. *h. t.* quod tamen in *Auth. lucrum* corrigitur, ubi dicitur, *haec omnia aequaliter inter liberos esse distribuenda*, ne ex affectu distribuat, cum soleant viduae denuo nubentes affectum mutare, et cum omnes liberi pariter sint dehonestati, *Nov.* 22. *c.* 25. Eadem ratio est eorum, quae dum uni liberorum primi matrimonii defuncto succedit, acquirit. Eorum enim, si adhuc alii liberi superstites sunt, habet tantum usumfructum; si non sint superstites, ha-
bet proprietatem, *hac l.* 3. §. 1. Sed in *Authent.* 5
ex testamento distinguitur, utrum ex Testamento succedat uni liberorum, et tunc succe-

dit ut quivis alius haeres, id est, in pleno do-
6 minio, quod tamen *DD.* quidam de eo casu
intelligunt, quando testamentum post nuptias
7 secundas factum, nam tunc injuria per nuptias
secundas illata, filio testatore remissa videtur;
8 nam potest mulier cum consensu liberorum ad
secundas nuptias impune transire, aut ab inte-
stato, et in adventitiis succedit pleno jure, in
profectitiis tantum quoad usumfructum, quia
haec a patre proficiscuntur. Haec ita in allega-
tis textibus habentur, et horum ratio est, quia
9 vidua ad secunda vota se conferens videtur me-
moriam prioris mariti deposuisse, et illi ideo,
et liberis prioris matrimonii gravem injuriam intu-
lisse, *Nov.* 22. *cap.* 40. *et* 43. *Harpr.* §. 1. *de usufr.*
10 *num.* 45. Et hae poenae etiam in nepotibus ex
primo matrimonio relictis locum habent, per
§. 1. *hujus l.* 3. *Myns. cent.* 5. *Obs.* 24. *num.* 4.
Ant. Gabr. lib. 3. *tit. de Secundis Nuptiis con-
cl.* 1. *num.* 8. *Sanchez lib.* 7. *D.* 89. *num.* 12.
quod tamen in hac materia strictissime intelli-
genda in dubium merito vocatur *a Cephalo in*
11 *cons.* 463. *num.* 6. *et seq.* et poenae hae locum ha-
bent, si postea luxuriose vixerit, *Myns. d. l.
num.* 5. *Gabr. d. l. num.* 12. et sane, si hoc
ex jure Civili probari potest, non reperietur
jure Canonico sublatum, quod tantum de nu-
12 ptiis loquitur. Sed fateor sententiam hanc, quod
vidua post annum luxoriose vivens, incurrat
has poenas, non diserte probari, et nescio,
annon sententia haec neganda sit cum *Sanchez*
13 *lib.* 6. *D.* 90. *num.* 5. Idem, si liberi prioris
matrimonii consentiant in secundas nuptias, es-
14 se putat *Fach. lib.* 3. *cap.* 65. Sed sententia
15 contraria verior et receptior, nimirum sufficere-
re consensum liberorum etiam tacitum, multo
magis expressum, ad id, ut poena evitetur,
Farin. d. l. num. 404. *Gabriel. d. l. num.* 36.
Menoch. cons. 155. *num.* 13. *et* 16. *Surdus de-
cis.* 99. *num.* 12. *Sanchez*, qui contrariis respon-
16 det *lib.* 7. *Disp.* 89. *num.* 43. Locum habent e-
tiam poënae in viro, per *d. Nov.* 22. *cap.* 23.
vers. *et haec communis etc. Joann. Guttierez lib.*
3. *Pract. Quaest.* 95. *num.* 3. *et Sanchez d. D.* 89.
17 *num.* 10. Locum etiam habent poenae hae si
uxor a marito uni liberorum pupillariter substi-
18 tuta, nam tunc in bonis a patre non aliunde
profectis, tenetur ea reservare caeteris liberis,
19 *Sanchez d. l. num.* 15. Sed non habent locum
poenae hae, 1. quando matrimonium secun-
dum non consummatum, quia poenalis haec
constitutio est, *Sanchez d. l. num.* 13: 2. non
habent locum in eo casu, quando, prioris ma-
trimonii filius vel filia matrem instituit haere-
dem, per *Auth. Ex testamento, Sanchez d.
D.* 89. *num.* 41. ubi hoc *num. seq.* indistincte
intelligit, sive ante nuptias secundas testatus
sit, sive post: 3. limitantur hi textus, si liberi
prioris matrimonii consenserint in nuptias se-
cundas, *Sanchez d. D.* 89. *num.* 43. licet ille
consensus sit tacitus, *Decius cons.* 206. *num.* 4.
et quos allegat *Sanchez d. l. num.* 44: 4. limi-
tatur, si defunctus consensum praestiterit se-
cundis nuptiis, per adducta a *Sanchezio d. l.
num.* 49: 5. si mater renubens sit minor, nam
quia prohibitio civilis juris est, et quodammo-
do contra jus naturale ac gentium, quo matri-
monia libera, ideo minor non continetur sub
prohibitione generali, *Menoch. cons.* 626. *num.*
10. *etc.* Et ideo strictissime haec materia est
accipienda, *Ceph. cons.* 463. *num.* 1. *et seqq.*
Sed quia haec, ut infra dicam, parum habent
hodie utilitatis, poterunt videri plura hac de
re apud *Sanchez d. Qu.* 89. *et seq. Castill. de
usufr. cap.* 2. *Covarr. de Matrim. P.* 2. *c.* 3. §.
9. *Rayserum in Tr. de Secund. Nupt. Rittershus.
in Nov. P.* 4. c. 3. *et seqq. Thesaur. l.* 1. *q.*
28. *et duabus seqq. et p.* 3. *q.* 58. *num.* 6. *et
p.* 4. *qu.* 66. *Rimin. v.* 3. *cons.* 293. *et cons.*
304. *num.* 64. et passim, *Menoch. cons.* 151. *n.*
6. *et seqq. et cons.* 398. *et cons.* 308. *num.* 1.
12. 14. 24. *et seqq. P. Barbos. in l. si ab ho-
stibus* §. *fin. num.* 72. *etc.*

Auth. Sed et si quis.

SUMMARIUM

Facti species.

Uxor pacta est, si non existant liberi, de tertia parte donationis propter nuptias lucranda, si existant, de asse. Ergo donationem propter nuptias lucratur; Sed cum secundas nuptias contraheret, amittit ejus proprietatem, verum cum aliquid de ea alienasset, moritur tertius filius, hujus portio propter pactum pleno jure redit ad matrem, et sic pro tertia parte validatur alienatio, de qua Auth. obscura. Vid. *Cujac. in Nov.* 22. *in fin.*

L. Dum aliis. 4.

SUMMARIA

Uxor binuba liberis tam prioris quam posterioris matrimonii lucra nuptialia reservare tenetur. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Quilibet liberi lucra nuptialia, quae a parente suo pervenerunt habent praecipua. 3.

Ut uxor binuba tenetur liberis prioris matri- 1
monii reservare lucra nuptialia a primo marito
quaesita, ita secundi matrimonii liberis a secun-
do marito sibi donata vel relicta tenetur re-
servare, sive ad tertias nuptias se contulerit,
sive non, ut inter liberos constet aequalitas. 2
Nota bene: Quoslibet liberos lucra nuptialia, 3
quae a parente suo pervenerint, habere praeci-
pua.

L. Generaliter. 5. Pr.

SUMMARIA

Intellectus legis. num. 1.
Abrogatur per Nov. 2. c. 1. et Nov. 22. c. 25. *n.* 2.
Poenae secundarum nuptiarum communes sunt viris et uxoribus. 3.
Limitatur dupliciter. 4.

Quod de matre convolante ad secundas nu- 1
ptias dictum est hactenus, id locum etiam ha-
bet in patre, ut nudum tantum usumfructum
habeat, nec alienare possit, et caetera. Sed
quod hic libera dividendi potestas patri conce- 2

ditur, id abrogatur *Nov.* 2. *c.* 1. *et Nov.* 22. *c.*
3 25. Colligunt ex *hac l.* 5. *pr.* Quod poenae secundarum nuptiarum sint communes viris et
4 uxoribus, exceptis 1. iis, quae ob festinatas infliguntur nuptias: 2. Excipitur etiam administratio bonorum filii, quae parenti citra alienationem concessa est *hac l.* 5. sed hoc actum supra.

§. 1. Et Auth. Hae res.

SUMMARIA

Sensus §. *num.* 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio decidendi negative. 3.

1 Licet liberi primo decedentis Parentis v. g. Patris haeredes non sint, modo haeredes sint secundo morientis, v. g. Matris (imo hodie licet neque hujus haeredes sint per *Auth. seq.*) possunt petere sponsalitiam largitatem a parente suo profectam, modo non sint ingrati liberi, ratio additur in *fine nostri* §. 1. *ne quod in*
2 *favorem etc.* Sed quaeritur hic; *An ad id, ut liberi ingratitudine sua beneficio legis se indignos reddant, requiratur exhaeredatio:* Quod
3 negandum videtur, quia hic non agitur de liberis ab omni successione excludendis. Nec *Novella nostra* exhaeredationis mentionem fecit, *Nov. scil.* 22. *cap.* 23. *et* 36. *Rittershus. in Nov. P.* 4. *cap.* 4. *num.* 22.

§. 2. Et Auth. Si tamen.

SUMMARIA

A Patre vel matre ad secundas nuptias non convolante liberi largitates seu donationes non alienatas iis mortuis vindicare possunt. num. 1.
Observatio hodierna. 2.

1 Licet Pater vel Mater ad secundas nuptias non convolaverint, non alienatas tamen ab iis largitates seu donationes possunt liberi vindicare iis
2 mortuis, sed hodie, si abstineant nuptiis secundis parentes, in dote vel donatione propter nuptias pleno jure adipiscuntur unam partem liberorum, (*Ein Kindertheil*) quam alienare possunt, reliqua non, de quo *infra l.* 6.

L. Hac Edictali. 6. pr. L. Quoniam. 9. pr. et Auth. Ad eos solos.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Mutatur haec lex per l. 9. pr. 2.
Sed denuo per Authent. Ad eos solos, *confirmatur.* 3.
Ampliatur. 4.
Plura de hac lege remissive. 5.

Maritus aut uxor si ad secundas nuptias convolaverint non possunt de suis et propriis bonis ullo titulo, vel inter vivos, vel ultima voluntate plus conferre in novam conjugem, quam contulit in unum liberorum prioris matrimonii, et illum quidem, qui minimum accepit, et si quis plus de facto dederit, id ut datum liberis prioris matrimonii laesis deferendum, *l.* 6. *in fine pr.* quod licet *l.* 9. *pr.* mutatum, dum ibi 2
dicitur, quod non applicandum sit laesis, sed utriusque conjugii liberis; denuo tamen per 3
Auth. ad eos solos, confirmatum, scilicet quod hodie tantum liberis primi matrimonii jus revocandi competat, et inter se dividendi ea, quae in secundum conjugem collata sunt, supra legitimum modum, nisi scilicet res, ante matrimonium initum, fuerit conjugis, *l.* 18. *sup. de Donat. ante nupt. Et hanc legem* extende, ut non 4
tantum vitrico, sed et liberis primi matrimonii plus relinquere non possit, per verba textus, *Omni circumscriptione per interpositam personam etc. Gabr. d. t. de Secundis Nuptiis Concl.* 4. *num.* 44. *et num.* 57. *Vinc. de Franchis Dec.* 437. *Thes. Dec.* 170. quos sequitur *Klock. Cons.* 61. *num.* 19. *et seq. v.* 2. Secundo, pars minor data filio, non illa tantum intelligenda est, quam filius habuit ex testamento Patris, sed etiam quam a vivo et superstite habuit, per verba, *in fine princ. hujus legis. Sanchez d. l.* 7. *D.* 88. *num.* 3. et quos allegat, et si minus legitima uni liberorum reliquit, attendendum est, non quid reliquerit, sed quid relinquere debuerit, atque ita tota legitima consideranda est, cui respondentem quantitatem etiam secundo conjugi relinquere potest, cum verba cum effectu sint accipienda, *Anton. Gabr. d. tit. de Secund. Nupt. Concl.* 4. *num.* 34. *Fachin. lib.* 3. *cap.* 62. *Sich. hic num.* 16. *et Joan. Franc. Balth. tit.* 1. *Resol. Bavar. Res.* 13. *num.* 13. Sic etiamsi aliquis liberorum prioris matrimonii per statutum vel renunciationem plane sit exclusus, propterea non debet excludi conjux secundus vel secunda, quia ita nullam infert pater vel mater filio illi vel filiae injuriam, etsi nihil vel parum relinquat, quia non tenetur aliquid relinquere. Et cum *haec lex* de titulo lucrativo expresse loquatur, ideoque ad onerosum contractum non est extendenda, per ea quae tradit *Sanchez d. lib.* 7. *D.* 89. *num.* 26. *et Balthas. d. l. num.* 15. plura hac de lege vide sis apud 5
Cephalum Cons. 412. *num.* 30. *etc. Michalorium de Fratribus p.* 3. *c.* 13. *num.* 161. *Cuno de Pactis c.* 6. *num.* 201. *et c.* 16. *num.* 130. *Gratian. t.* 2. *c.* 300. *num.* 44. *et* 47. *Riminald. cons.* 47. *num.* 9. *et cons.* 243. *et cons.* 242. *per totum*, *Cothm. cons.* 311. *num.* 57. *etc.*

§. 1. Et Auth. Sed si aurum.

SUMMARIA

Conjux secundas contrahens nuptias retinet usumfructum, et amittit proprietatem in immobilibus. num. 1.
Secus in mobilibus. 2.
Donatio propter nuptias in pecunia parata facta semper liberis tradenda cum onere trientalium usurarum. 3.
Annui reditus ad immobilia referuntur. 4.

1 Conjux secundas contrahens nuptias amittit proprietatem, et retinet tantum usumfructum,
2 quod in immobilibus planum: Sed in rebus mobilibus conjux, qui secundas nuptias contrahit, propter metum dispensationis ita habet usumfructum, ut res aestimatas accipiat, et satisdet, se rem aut pretium restituturum, quod si non satisdet, res mobiles aestimatae tradendae liberis, qui satisdare debent, se parenti usuras pretii trientales, id est, 4. pro 100. soluturos, et si omnes liberi moriantur, bona pleno jure restitutum iri parenti. Sed si neque liberi velint, aut non possint satisdationem praestare, tunc ea ob respectum parenti debitum, potius parenti permittenda,
3 quam liberis. Si etiam donatio propter nuptias in pecunia parata facta, semper haec liberis tradenda, cum onere trientalium usurarum, per *d. Auth. Rittershus. in Nov. P.* 4. *c.* 4. *num.* 14. Col-
4 ligunt ex verbis, *annonarum civilium*, annuos reditus ad immobilia referri, *Gail. lib.* 2. *Obs.* 10. *num.* 1. *Coler. de Process. Execut. P.* 1. *c.* 3. *num.* 248. *Carpz. P.* 1. *Jurispr. Const.* 5. *Def.* 16. *Covar. l.* 3. *Res. c.* 7. *num.* 2. *Struv. Syntagm.*

§. 2. Leg. 6. et L. Si quis 8. §. ult.

SUMMARIA

Tenor. §. *num.* 1.
§. hic *loquitur de matre.* 2.
§. *ult.* legis octavae *de patre.* 3.
A die illa, qua res ad conjugem renubentem pervenerunt, tacita liberis hypotheca competit. 4.

1 A die quo pervenerunt lucra nuptialia ad superstitem conjugem, quia ad secundas nuptias convolavit, competit liberis prioris matrimonii tacita hypotheca in omnibus aliis bonis Patris vel
2 Matris. Nam, §. *hic legis sextae* loquitur de ma-
3 tre, §. *ult. vero legis octavae* loquitur de patre, et additur temperamentum in *d.* §. *ult.* quod propterea non impedienda sit administratio, vel alienatio caeterorum bonorum, cum res transeat cum onere, nec liberi debeant rationum reddi-
4 tiones petere a parente. Colligitur hic casus, tacitae hypothecae, quae a die illa, qua res illae ad conjugem renubentem pervenerunt, liberis competit, *Mozzius de subdivis. pign. num.* 8. *Berlich. P.* 1. *Concl.* 67. *num.* 102.

Ad legis 6. §. 3. L. 8. §. 1. et 2. et Auth. Nunc autem.

SUMMARIA

Parentes a secundis nuptiis abstinentes de lucris nuptialibus libere disponere possunt. num. 1.
Si nihil disponunt, lucra ad liberos primi matrimonii revertuntur. 2.
Jus hodiernum. 3.
Lucra nuptialia a parentibus nondum consumpta liberi vindicare possunt. 4.
Licet haeredes non sint. 5.
Si haeredem parens in donatione propter nuptias instituit, quid juris. 6.
Deciditur. 7.
Excipitur. 8.
Liberi prioris matrimonii lucra ad posteriorem conjugem devoluta percipiunt, licet nuptiae secundae non fuerint contractae. 9.
Sub alienatione etiam institutio haeredis continetur. 10.
Limitatur remissive. 11.
Licet pater haeredem instituat alium, non tamen in hac institutione veniunt lucra illa nuptialia, sed ea liberis prioris matrimonii reliquisse videtur. 12.

Parentes a secundis nuptiis abstinentes pos- 1
sunt de lucris nuptialibus libere disponere; si
tamen nihil disponant parentes, haec lucra ad 2
liberos primi matrimonii revertuntur, licet nullius parentis haeredes sint, ex *hac leg.* 6.
§. 3. Sed hoc hodie in portione illa virili, 3
quae pleno jure ad parentem pertinet, locum habet, *Auth. si tamen h. t. Rittershus. ad Nov. p.* 4. *c.* 5. *in fine et c.* 4. *num.* 24. Sed lucra 4
nuptialia nondum consumpta liberi post mortem
parentum vindicare possunt, licet haeredes non 5
sint, *d. l. fin.* Sed *quid si haeredem in dona-* 6
tione propter nuptias instituat? Resp. hoc fa- 7
cere ipsum posse, quia haec species alienationis est, *d. l.* 8. §. 2. quamvis, si aliquem gene- 8
raliter haeredem instituat, videatur excepisse haec lucra, *Auth. nunc autem h. t.* ratio in *argum. l.* 6. *ff. de Pign.* Colligitur ergo I. hoc singulare ex *l.* 6. §. *ult.* Quod liberi prioris ma- 9
trimonii percipiant lucra ad posteriorem conjugem devoluta, licet nuptias secundas non contraxerit, per *l.* 8. §. 1. II. Ex §. 2. *l.* 8. Colligitur: Sub alienatione etiam institutionem hae- 10
redis contineri, *Surdus de Aliment. tit.* 8. §. 38. *num.* 1. *et Fusar. de Substit. Qu.* 593. *num.* 34. et quos ibi refert *Barbosa, Tiraq. de Retr. Consang.* §. 26. *Gl.* 1. *num.* 5. *Carpz. P.* 2. *Const.* 32. *Def.* 16. ubi limitat, *et Cephal. cons.* 371. 11,
num. 30. III. Quod Pater, licet haeredem insti- 12
tuerit alium, non tamen in hac institutione venient lucra illa nuptialia, sed ea liberis primi matrimonii reliquisse videtur.

L. In quibus. 7. Et L. 8. Pr.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Deciditur. 2.
Descendentium potior causa quam collateralium. 3.

Habuit quidam tres liberos, unus vero eorum 1
ante patrem decessit relicta filia, vel nepote, Quaeritur: *An hujus portio fratribus ejus, an vero filiae aut nepotibus debeatur?* Affirm. po- 2
sterius, quia descendentium potior causa quam 3
collateralium.

§. Talem. 3. L. 8.

SUMMARIA

Casus formatur ab Accursio. num. 1.
Sed difficultate non caret ejus interpretatio. 2.

Hic §. ad causarum decisionem allegari vix potest. 3.
Anteriores nuptiae eae quoque dicuntur, quas nullae sequuntur. 4.

1 *Principium hujus legis*, ut et §. 1. *et* 2. *et ult.* supra habuimus, restat *hic* §. cujus alias obscuri hunc esse vult sensum *Accurs.* Mortuo primo marito, si alii non nubat vidua, et bona quaesita e primo illo marito potuit alienare, sed si non alienavit, poterunt Liberi ea vindicare, sive haeredes sint, sive non, cum ea bona seorsim spectentur, et ab haereditate quasi secernantur. Sed *quid si ex liberis alii adierint, alii repudiarint?* Resp. eo casu bona illa perti-
2 nere ad eos tantum, qui adierint: sed difficultate non caret haec interpretatio, *Vid. Salyc. ad hunc §. Godofredus.* Ita Liberi adeuntes pro parte haereditatem paternam vel maternam, lucra nuptialia alienata revocare non possunt.
3 Ideoque vix *hic* §. ad decisionem causarum al-
4 legari potest; interim hoc concedo, anteriores nuptias eas etiam dici, quas nullae sequuntur, sicut prius testamentum.

L. Quoniam. 9. pr. et Auth. Ad eos solos.

SUMMARIA

Corrigitur per hanc legem l. 6. h. t. *num.* 1.
Sed denuo approbatur d. l. 6. *per Nov.* 22. *c.* 27. *num.* 2.

1 In *l.* 6. *princ. in fine* dictum, lucra nuptialia acquiri liberis prioris matrimonii, quibus per secundas nuptias injuria illata, sed illud per *hanc legem* 9. corrigitur, ubi illa lucra liberis
2 utriusque matrimonii addicuntur. Sed per *Nov.* 22. *c.* 27. ubi dicit Imperator, se meminisse alicujus constitutionis, in qua utriusque matrimonii liberis haec lucra addicta, sed sibi jam aliud placere, et sic redit *ad leg. hac edictali* 6. ut scilicet redeant ad liberos primi matrimonii. Ita Imperator sibi non constitit, *Rittershus. ad Novell. p.* 4. *c.* 5. *num.* 12.

§. 1. L. 9.

SUMMARIUM

Ampliantur hactenus dicta

Haec quae hactenus dicta sunt de lucris reservandis liberis prioris matrimonii, non tantum locum habent si morte sit solutum prius, sed etiam si per repudium; res est plana.

L. Cum apertissime. 10.

SUMMARIA

Liberi qui vere ingrati probabuntur, privabuntur beneficio leg. 6. *num.* 1.
Ratio. 2.
Ingratitudo non praesumitur, nec probatur ex assertione parentum, sed liquido probari debet. 3.
An poenae harum secundarum nuptiarum sint sublatae. 4.
Communis opinio. 5.
Leges hae in regionibus his non observantur. 6.
In quibusdam vero utique vigent. 7.
Wesenbecius quomodo hic intelligendus. 8.
Praxis hodierna. 9.

Liberi qui vere ingrati probabuntur, priva- 1
buntur beneficio *legis* 6. ratio in textu, *liberi* 2
enim scientes, etc. Colligunt ex *hac lege* ingra- 3
titudinem non praesumi, et quamvis potissimum ex assertione parentum, attamen liquido probari debere, Vid. *Mascard. d. concl.* 897. *per totam* et quos *hic Aug. Barbos.* allegat: Sed quaeritur: *An poenae harum secundarum nu-* 4
ptiarum sublatae? Respond. Commun. *DD.* eas 5
sublatas esse, quae merum continent odium secundarum nuptiarum; non vero quae in favorem liberorum primi matrimonii principaliter statutae sint. Vid. *Covarr. de Sponsal. P.* 2. *c.* 3. §. 9. *num.* 5. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 98. *num.* 6. *et* 8. *Pruckman. vol.* 2. *consil.* 1. *num.* 371. *et cons.* 385. *Nevizan. in Sylva Nupt. lib.* 2. *num.* 78. *Hartm. tit.* 34. *obs.* 5. *num.* 1. *Joan. del Castillo de usufr. c.* 2. *num.* 9. *et seq. Forsterus de Success. lib.* 4. *c.* 9. *num.* 3. Sed quicquid sit, 6
in his regionibus non poterit exemplum facile allegari ubi hae leges observatae fuerint. Dicendum puto, in quibusdam regionibus adhuc vi- 7
gere, sicut *statuta Bavarica* hac de re allegat *Jo. Franc. Balth. d. res.* 13. *et Norimbergensis, Rittershus. d. c.* 5. *num.* 16. Sed aliis Provinciis, ut et apud nos non videmus haec jura observari, et ita de locis Saxonicis aliisque provinciis 8
intelligendus est *Wesenbecius ad Schneidew. in tit. Success. Parentum num.* 32. *Mich. Grassus §. successio ab intest. Q.* 25. *Colerus Decis.* 40. et alii. Apud nos parentes ad secunda vota se 9
conferentes tenentur tutores petere liberis, et Inventarium bonorum conscribere, quod notissima praxis docet, hoc vocant: *(Vorhero Richtigkeit machen mit den Kindern,)* et idem alibi frequentari tradit *Ritterhus. P.* 4. *c.* 6. *in fine*, et ideo in titulo hoc parum utili, concisior fui.

TITULUS X.

Si secundo nupserit mulier, cui maritus usumfructum reliquit.

L. Si usumfructum. un. junct. Auth. seq.

SUMMARIA

Casus legis num. 1.
Lex haec per Authent. seq. restringitur. 2.

1 Maritus usumfructum legavit uxori, in bonis suis, id est, mariti propriis, et tunc uxor amittit secundis nuptiis usumfructum, quod Au- 2
thentica subjuncta ad eum casum restringit, cum ea lege fuit relictus ususfructus, ut per secundas nuptias tolleretur, ratio est, quia testator rei suae, quam vult legem dicere potest. Quando vero legavit usumfructum titulo donationis propter nuptias, huic nulla contraria dispositione derogare potest, nec hunc secundis nuptiis amittit uxor, *Rittershus. in Nov. P.* 4. *c.* 4. *num.* 23.

TITULUS XI.

De dotis promissione, et nuda pollicitatione.

L. Frustra. 1. et L. Si quum. 3.

SUMMARIA

Incerta dotis promissio, nulla expressa quantitate, non valet. num. 1.
Ratio decidendi remissive. 2.
Limitatio. 3.
Tutius est legem 3. *non restringi ad certum praesentem casum.* 4.
Ratio decidendi dictae legis in quonam collocetur. 5.
Collata quantitas in arbitrium boni viri pro incerta haberi non debet. 6.
Ratio. 7.
Si in alterius personae certae arbitrium dos confertur, et illa nolit vel non possit arbitrari, non extinguitur dispositio, sed recurritur ad arbitrium alterius boni viri. 8.
Receptissima in Praxi sententia. 9.
Lex 69. et §. 4. ff. de jure dot. *de quonam casu loquatur?* 10.
Diversi casus in d. l. 69. §. 4. *ex praesente l.* 3. *n.* 11. 12.
Falsa est limitatio, promissionis *verbum non importare stipulationem, quando de dotis promissione sermo est.* 13.
Probatur. 14.

1 Incerta dotis promissio, nulla expressa quanti-
2 tate, non valet, *l.* 1. *h. t.* ratio in *l.* 75. *ff. de V.*
3 *O.* nisi pater sit, qui promiserit, hic enim, quantitate non expressa tamen tenetur, *l.* 3. *h. t. Fachin. lib.* 8. *contr.* 75. *Auctor in l.* 69. *ff. de*
4 *jure dot. num.* 3. *et* 4. quamvis tutius sit, *l.* 3. non restringere ad promissionem a patre factam, sed decisionis rationem in *d. l.* 3. collocare in 5
eo, quod arbitrii facta fuerit mentio, nam in arbitrium alicujus collata quantitas, intelligitur de arbitrio boni viri, *l. in personam* 22. §. 1. *ff. de R. J.* In arbitrium autem boni viri collata 6
quantitas, non est pro incerta habenda, per *l.* 1. *ff. de Legat.* 2. quia intelligitur id arbitrium 7
moderandum esse ex divitiis promissoris et dignitate mariti, *l.* 60. *et* 69. §. 4. *ff. de J. Dot. l.* 43. *ff. de Legat.* 3. Et ideo, si in alterius cer- 8
tae personae arbitrium dos conferatur, si illa nolit, vel non possit arbitrari, non extinguitur dispositio, sed recurritur ad arbitrium alterius boni viri, *Baldus Nov. de Dote. P.* 6. *Priv.* 9. *Surdus Tr. de Alim. tit.* 8. *Priv.* 71. *num.* 4. *Menoch. lib.* 1. *Arb. Quaest.* 64. *num.* 39. *Petr. Barb. in l.* 1. *p.* 3. *ff. Sol. Matr. num.* 41. Sed in *l.* 1. nulla arbitrii mentio, sed in genere dos promittitur, et quidem ab extraneo, *Fachin. lib.* 8. *contr.* 75. *Menoch. lib.* 1. *Praesumpt. Quaest.* 43. *num.* 10. *Zasius in l.* 1. *ff. Sol. Matr. num.* 33. *Caevallus in Speculo Quaest.* 440. Receptissima tamen sententia 9
est, a qua in Praxi recedendum non est, quod *lex* 69. §. 4. *ff. de jure Dotium* loquatur de 10
promissione dotis facta a parente, et proinde quicquid sit de *l.* 3. *h. t.* omnino aliud est, si 11
dos incerta promittatur a patre, et aliud, si ab extraneo, quia illo casu non videtur quid incertum promissum, sed tantum est incertus dotis constituendae modus, quae ratio in solo patre militat, qui dotare filiam tenetur pro facultatibus suis et sponsi dignitate, licet nullam dotem promiserit, *Mantica de Tac. et Amb. Convent. lib.* 12. *tit.* 12. *num.* 9. *Petrus Barbos. d. l. p.* 3. *legis* 1. *ff. Sol. Matr. num.* 47. *et seq. Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *Disp.* 7. *th.* 4. *Lit. D. Fachin. lib.* 8. *Cont.* 75. Quamvis autem Man- 12

tica d. l. num. 10. hoc etiam ad ipsam puellam nubentem extendat, ut et ipsa dotem incertam promissam determinare, et ex suis bonis solvere debeat, sententia tamen haec per *hanc l.* confunditur, ubi de sponsa dotem promittente sermo est, et ideo rectius negatur hoc, et dos a puella vel extraneo promissa aequiparatur, *Petr. Barb. d. l. num.* 47. *Joan. Guttierez de Juramento confirm. lib.* 1. *cap.* 64. *num.* 43.
13 *et seq.* Ex dictis patet, falsam esse illam limitationem, quam ex hac lege colligunt nonnulli, quos refert *D. Cuno de pactis c.* 2. *num.* 24. quod tunc *promissionis* verbum non importet stipulationem, quando de dotis promissione ser-
14 mo est, nam licet stipulatio praecessisset, ob incertitudinem tamen nulla fuisset. Et ex hac lege colligunt nonnulli, quod in arbitrium liberum conferri possit dotis promissio. Vid. hac de re *Barbosa ad l.* 1. *p.* 3. *num.* 37. *et seqq. ff. Sol. Matr.*

L. Si pro dote. 2.

SUMMARIA

Intellectus legis. num. 1.
Usurae sortem praesupponunt. 2.
Obstat l. 9. ff. de usur. 3.
Respondetur. 4.
Ex promissione usurarum colligitur promissio dotis seu ipsius capitalis. 5.

1 Pater nulla expressa quantitate, si usuras dotis se soluturum promittat, omnino tenetur ad
2 sortem, *l.* 2. *h. t.* cum usurae sortem praesup-
3 ponant; nec obstat, *l.* 6. *ff. de Usuris*, quae
4 longum tempus requirit, nam ibi usurarum stipulatio non apparet, ut hic. Notetur igitur: Ex
5 promissione usurarum, colligi promissionem dotis seu ipsius capitalis, *Mascard. de probat. Concl.* 568. *Gothofred. ad hanc l. lit. I.*

L. Si voluntate. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Qui fatetur accepisse, quod non accepit, altero instrumentum sine protestatione acceptante, ad residui solutionem se obstringit pacto tacito. 3.
Alia ratio mutui. 4.
Diversitatis ratio. 5.
Maritus spe futurae numerationis confitens se accepisse plus ratione dotis quam acceperat, potest illud, quod non accepit, ex pacto petere. 6.
Ratio. 7.

1 Confessus est maritus in Apocha, se accepisse in dotem quingentos aureos, cum tamen tantum centum acceperit, Quaeritur: *An reliqua quadringenta petere possit?* Affirm. quia
2 cum quis fatetur accepisse, quod non accepit,
3 et alter instrumentum sine protestatione acceptavit, ad residui solutionem se obstrinxit tacito pacto, alia ratio mutui, *l.* 30. *ff. Si Certum* 4
petatur, quia hoc voluntarium, datio vero do- 5
tis necessaria. Et sic ex *hoc textu* plane singulari Notandum; si maritus spe futurae numera- 6
tionis confitetur, se accepisse plus ratione dotis, quam acceperat, potest illud, quod non accepit, quasi ex pacto petere, quia debitor, 7
qui accipit quietantiam, in qua scribitur Titium debitorem Sejo dedisse centum, ille fatetur ad centum danda se esse obligatum: et sic tacitum pactum contrahit, se velle tantum solvere, *Sich. hic. Guido Papae Quaest.* 363. *num.* 3. *Alphanus coll.* 152. *Alexand. Tr. lib.* 3. *Resol. tit. de Jure Dotium. Resol.* 8.

L. Si pater. 5.

SUMMARIA

Pro dote actio marito non uxori competit. num. 1.
Ratio remissive. 2.
An etiam soluto matrimonio haec actio duret. 3.
Guido Papae *notatur.* 4.
De consuetudine quid juris. 5.
Aliud est, si dos legata. 6.

Pro dote actio competit marito, non uxori, 1
Carpzov. P. 1. *Const.* 28. *D.* 82. *num.* 5. ratio 2
in *l.* 30. *tit. seq.* vid. *explic. l.* 9. *supra de R. V.* Sed *quid soluto per mortem matrimonio?* 3
Ibi actionem uxori seu viduae competere notat *Guido Papae quaest.* 375. sed melius forte *Fa-* 4
chin. lib. 8. *cap.* 73. *et Vinc. de Franchis Dec.* 33. *num.* 5. putant viduam convenire posse mariti haeredes, ut dotem exigant, et sibi tradant, aut jus sibi suum cedant, juxta *legem si socer* 44. §. 1. *ff. Sol. Matr.* licet de con- 5
suetudine videamus soluto matrimonio viduam de dote agere contra patrem, vel fratres, *Boer. Dec.* 327. *num.* 2. Sed aliud, si legata 6
dos sit, *l.* 69. §. 2. *ff. de Legatis* 1. et sic hanc differentiam inter legatam dotem, et in contractu promissam post alios notat *Petr. Barbos. in l.* 1. *p.* 3. *num.* 11. *ff. Sol. Matr.*

L. Ad exactionem. 6.

SUMMARIA

Dotis actio ex pacto nudo est. num. 1.
Ratio. 2.
Hodie est quasi actio ex stipulatu. 3.
Exigua hujus legis utilitas. 4.
Nisi quod possit allegari in exemplum pacti legitimi. 5.
Connanus *notatur.* 6.

Dotis actio ex pacto nudo est, quia est le- 1
gitimum pactum, quod inter privilegia dotis 2
primum esse dicit *Petr. Barb. in l.* 1. *p.* 3. *in princ. ff. Sol. Matrim. Mynsing. cent.* 3. *Obs.* 3. *num.* 19. Sed hodie est quasi actio ex stipu- 3
latu, *l. un.* §. 1. *C. de rei uxor. act.* unde post
Glossam, Cynum. et Salyc. hic aliosque, *Bacchov. in Treutl. V.* 1. *D.* 7. *th.* 2. *lit. D.* notat post *d. l. un.* hujus *l.* 6. non magnam esse utilita- 4
tem, nisi quod possit allegari in exemplum pa- 5
cti legitimi, quamvis *Connanus lib.* 5. *Comm.* 6

c. 3. Contractum innominatum esse putet, quem refutat *Bacch. ad tit. ff. de Pactis rubr. de Pactis legitimis num.* 5.

L. Si pater. ult.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Ratio. 2.
Patri onus dotandi filiam incumbit. 3.
Administrator alienorum bonorum administrando actum concernentem personam ejus, cujus bona administrat, promittere aliquid videtur. 4.
Haec praesumptio est juris et de jure. 5.
Secus est in matre bona filiae administrante. 6.
Si mater cum patre dotem promittat, quid juris. 7.
Copula inter personas, in quibus est ordo, necessitas intelligitur ordine successivo. 8.
Quid si pater satis dives sit, ut presentem filiam dotare possit, sed non caeteras? 9.
Deciditur. 10.
Limitatur. 11.
Aliae limitationes remissive. 12.
Actus praesumitur factus ab eo, qui tenebatur facere expensam. 13.

1 Quando pater simpliciter promittit filiae dotem, vel filio donationem propter nuptias, licet filius vel filia propria bona materna, vel alia habeant, tamen intelligitur pater de suo
2 dotasse. Ratio in textu, ibi: *Neque enim leges*
3 *incognitae sunt etc.* quod scil. patri onus dotandi filiam incumbat, *l.* 19. *ff. de ritu nupt. Menoch. de praesumpt. lib.* 3. *Praes.* 15. *num.* 6. *et* 7. etiam emancipatam, *Michalorius de Fratribus p.* 3. *c.* 5. *num.* 15. etiamsi sine patris consenso nubat, *Michalorius d. l. num.* 14. quod intelligo, si non indigno nupsit, et pater sine probabili ratione consensum deneget. Licet enim
4 alias administrator bonorum alienorum, administrando actum concernentem personam ejus, cujus bona administrat, videatur aliquid promittere, solvere et expendere de bonis illius, cujus bona administrat, *l. cum post mortem* 43. §. 1. *ff. de Admin. Tut.* secus tamen est in filia, favore dotis; et quia onus dotandi ad patrem spectat, facit *argum. l.* 4. *ff. de Solut. Molina Tr.* 2. *de J. et J. D.* 424. *num.* 2. *Mascard. concl.* 1155. Et haec praesumptio est ju- 5
ris et de jure, *Menoch. lib.* 3. *Praes.* 15. *num.* 5. Conf. *Mantica lib.* 12. *tit.* 19. contrariis tamen praesumptionibus tolli hanc praesumptionem putat *Menoch. cons.* 370. *num.* 11. quod si verum, vix defendi potest hanc esse praesumptionem juris et de jure. In matre autem 6
bona filiae administrante secus esse putat *Baldus Nov. de Priv. Dotis P.* 6. *Priv.* 3. *num.* 3. *Molina d. l. num.* 7. Sed *quid si mater cum* 7
patre dotem promittat? Putat *Bald. Nov. d. priv.* 3. *num.* 6 quod mater animo intercedendi pro marito promiserit, et quod mater adeo in subsidium teneatur, nec juvetur SCto Vellej. *l. fin. sup. ad Vellej.* Idem quod superius de patre dotem promittente dictum est, si de suis et filiae bonis pater dicat se promittere dotem, nam licet tunc secundum propriam vim verborum intelligeretur promisisse de bonis suis pro dimidia parte, et pro alia dimidia de bonis filiae, *arg. l. reos* 11. §. 1. *et* 2. *ff. de duobus reis, et l.* 1. *C. si plures una sententia.* Tamen speciali favore dotis illa copulativa pro disjunctiva accipienda, hoc sensu de meis, id est, patris bonis, aut si ea non sufficiant, de filiae bonis, quia copula 8
inter personas, in quibus est ordo, necessitas intelligitur ordine successivo, *Bald. Nov. d. p.* 6. *priv.* 6. Conf. *Afflictus decis.* 179. *Menoch. d. praes.* 15. *num.* 23. *Mantica d. t.* 19. *num.* 6. *et seq.* et alia ratio in fine, *imputet sibi, quod clarius non dixerit*: nisi scilicet pater inops sit. Sed Quaerit *Afflictus Dec.* 197. *Quid si pater* 9
satis dives sit, ut praesentem filiam dotare possit, sed non caeteras? Sed idem esse deci- 10
dendum putat. Intelligenda autem regula haec, 11
nisi Pater exprimat, quantum ex suis, quantum ex filiae bonis in dotem det Filiae, *Mynsing. Cent.* 6. *Obs.* 85. *num.* 7. *Menoch. d. praes.* 15. *num.* 24. *Mantica d. l. num.* 16. *Mascard. d. l.* Alias limitationes habet *Menoch. d. l. et* 12
Petrus Barb. in l. 1. *p.* 4. *num.* 146. *et seq. ff. Sol. Matr.* ut si pater in dotem expresse assignet res maternas aut mater dotet, *per l. Nesennius ff. de Neg. gest.* aut avus maternus aut debitor mulieris etc. Non inepte autem ex *hac lege* singulari colligitur id, quod habet *Menoch. lib.* 6. *Praes.* 11. Actum praesumi 13
factum ab eo, qui tenebatur facere expensam. De Avo dotante neptem vid. *Ceph. cons.* 485. *num.* 29. *et seqq.*

TITULUS XIII.

De Jure Dotium.

L. Evicta. 1.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Qui promittit, se obligat. 2.
Obligatio non tollitur nisi re soluta. 3.
Quando sine praecedente promissione dos non aestimata ac bona fide tradita, maritus non tenetur ad evictionem. 4.
Ratio decidendi. 5.
Secus si dos aestimata traditur. 6.
Quia instar emptionis est. 7.
Idem est, si rem alienam non aestimatam in dotem quis sciens dederit, et sic dolose egerit. 8.
Donatio exemplo dotis si a permissione incipit, obligat donatorem ad evictionem. 9.
Bronchorst *notatur.* 10.

Quando promissio dotis praecedit dotis consti- 1
tutionem, et deinde dos fuerit evicta, tunc
datur marito actio de evictione, quia, qui pro- 2

3 mittit, se obligat, quae obligatio non tollitur
nisi re soluta, quamvis hoc de evictione fru-
ctuum dotis intelligere videatur, *Barb. ad l.*
4 *aestimatis num.* 14. *ff. Sol. Matr.* Quando au-
tem sine praecedente promissione dos traditur
et quidem non aestimata, ac bona fide, tum
5 non tenetur ad evictionem, quia obligare se
6 noluit, sed quando dos aestimata traditur tenetur
7 ad evictionem, quia instar emptionis est, *l.* 5. *et*
8 10. *h. t.* Idem est, si rem alienam non aesti-
matam in dotem quis sciens dederit, et sic do-
lose egerit, *Cynus, Baldus, Salyc. hic Molina
Tr.* 2. *D.* 427. *num.* 2. *Ant. Gomez t.* 2. *Res.
c.* 2. *num.* 37. Colligunt etiam *DD. ex hac l.*
9 Exemplo dotis etiam donationem, si a promis-
sione incipiat, obligare donatorem ad evictio-
nem, alias non, per *hanc l. collata l.* 2. *in-
fr. de Evict. l.* 18. §. *ult. ff. de Donat. l.* 29. §.
3. *ff. de Legat.* 3. *Carpz. P.* 2. *Const.* 34. *Def.* 23.
10 quod quamvis neget *Bronchorst c.* 3. *assert.*
70. tanti tamen ejus rationes non sunt aesti-
mandae, ut a communi sententia quemquam
abstrahant.

L. Si stipulatio. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi ratio. 3.
*Mulier patiens, ut alius dotem sibi reddi stipu-
letur, donandi animo passa id non fuit.* 4.
Obstat dupliciter l. 29. §. fin. ff. de pact. dot. 5.
Dupliciter respondetur. 6.

1 Mater quaedam habens duas filias, nuptias
secundas contrahit, et donandi animo permit-
tit, ut Polla filia sibi dotis partem dimidiam
reddi stipularetur, postea Pollam pro quarta
parte haeredem instituit mater, Quaeritur: *An
Polla a Vitrico, matre mortua, dimidiam do-
tem petere possit, cum tantum in quarta parte
2 sit haeres?* Videtur quod non, cum enim in
quarta parte tantum sit instituta videtur etiam
dotis partem quartam petere posse. Sed Respon-
3 detur affirmative, quia dotis partem dimidiam
non petit quatenus haeres, sed quia stipulata est,
nisi mater mutaverit voluntatem, et jusserit, ut
contenta sua portione, dotis dimidiam partem a
marito non petat. Speciem hujus legis aliter
proponit *Menoch. cons.* 206. *num.* 100. Sed jure
ipsa non pugnat cum hac. Ex hac lege 2. pro-
4 batur, si mulier patiatur, ut alius dotem sibi
stipuletur reddi, quod non fuerit id passa animo
donandi, nisi clare illud sit expressum, nam alias
frustra hoc exprimeretur in *hac l.* quod do-
5 nandi animo id sit factum. Sed, *legi huic* du-
plici ex causa videtur obstare *l. cum maritus*
29. §. *fin. ff. de pactis dotalibus.* Nam 1. dicitur
ibi mulier pacta esse, ut dos fratri restitueretur,
et 2. quod non possit mulier fratri praejudicare.
Ergo 1. praesumitur donatio: 2. non potest mu-
tare voluntatem in praejudicium ejus, qui sibi
6 dotem reddi stipulatus est. Resp. ad 1. ex con-
junctione sanguinis praesumi in *d. l.* 29. §. *fin.*
donationem; sed non tantum, verum accedit et
alia ratio, quod in *d.* §. *fin.* mulier ipsa pacta est,
dotem restitui fratri in casum soluti matrimonii
per mortem; et deinde frater stipulatus est in
eumdem casum sibi restitui, et ideo ipsius mu-
lieris stipulatione colligitur etiam animus do-
nandi, ut examinatis aliorum conciliationibus re-
spondet *Barb. ad l. quae dotis* 34. *num.* 14. *etc.
ff. Sol. Matrim.* Sed, inquis, et hic conjunctio
sanguinis adest; fateor hoc, sed id etiam hic ex
conjunctione sanguinis colligitur, quae si non
adsit, aliter donandi animum probare neces-
se est; ad 2. Respondeo, quod hic per indi-
rectum possit filiae jus quaesitum intervertere,
dum institutam eam haeredem jubet ea parte
contentam esse, et nihil amplius a marito petere.

L. Etsi dotis. 3.

SUMMARIA

*An maritus servum in dotem datum in testa-
mento manumittere possit. num.* 1.
Ratio decidendi. 2.
*Argumentum a conctractibus ad ultimas volun-
tates procedit.* 3.
Servus est res mobilis, quae alienari potest. 4.
*Praesertim consentiente uxore et si maritus est
solvendo.* 5.

Maritus potest servum in dotem datum ma- 1
numittere in testamento, quia in contractu inter 2
vivos hoc facere potest. Nota bene Argumentum 3
a contractibus ad ultimas voluntates. Et quia
servus est res mobilis, quae alienari potest, 4
praesertim consentiente uxore, et si maritus sit 5
solvendo; Nam si maritus solvendo non sit, im-
pedietur libertas servi, per *l.* 71. *ff. de Manumiss.
et l.* 1. *et fin. infra de serv. pign. dat. manum.*

L. Nulla lege. 4.

SUMMARIA

*Mulier omnia sua bona in dotem dare potest.
num.* 1.
Nisi secundas nuptias contraxerit. 2.
Aut maritus sit indignus. 3.
Vel rei alias prohibita sit alienatio. 4.
*Mulier an praesumatur omnia sua bona in do-
tem dedissse, remissive.* 5.

Mulier omnia bona sua in dotem dare potest, 1
hic et l. mulier bona ff. h. t. ibique Auctor,
nisi scil. nuptias secundas contraxerit, *l.* 6. *C. de* 2
secund. nupt. aut maritus sit indignus, *l.* 1. *C.* 3
si adversus dotem, vel rei alias prohibita sit alie- 4
natio, ex pacto, vel lege, per *l. Titia ff.
h. t. l. lex quae tutores* 22. *infra de Admin. Tut.*
quam ultimam restrictionem multis allegatis *DD.*
probat *Surdus Decis.* 62. *num.* 10. an vero mulier 5
censeatur et praesumatur omnia sua bona in
dotem dedisse, de eo dicetur infra in *l. ult. C.
de Repudiis, Auctor in d. l. ff. h. t.*

L. Quoties. 5. et L. Cum dotem. 10.

SUMMARIA

Quoties res aestimatae certo pretio in dotem dantur, maritus fit earum dominus, et spectat ad eum aeque commodum ac detrimentum rei dotalis. num. 1.
Eadem ratio, si res pondere numero et mensura constans detur in dotem. 2.
Nisi in specie actum ut ipsa res restitueretur. 3.
Aestimatio non semper transfert dominium. 4.
Si maritus alieno aere premitur, nec aliter uxori vel viduae potest consuli, lex succurrit viduae. 5.
Quomodo. 6.
Annon aestimatio in dubio venditionem faciat? 7.
Dicitur per distinctionem. 8.
Unde constare possit, quod aestimatio eo fine facta, ut species ipsa data, licet aestimata restitueretur? 9.
Aestimatio plene dominium cum periculo in maritum transfert. 10.
Limitatur. 11.
Quid si aestimatio injusta? 12.

1 Quando res aestimata certo pretio in dotem datur, quaedam quasi venditio est, et maritus fit perfecte Dominus; ad quem etiam spectant omnia commoda et detrimenta rei dotalis, ut et periculum omne, *Castillo de usufr. c.* 4. *num.* 7. *et seqq. Petr. Barb. in l. si aestimatis* 51.
2 *num.* 5. *ff. Sol. Matrim.* Eademque ratio, si res pondere, numero et mensura constans detur in dotem, nam tunc multo magis periculum et commodum erit mariti, *Castillo d. l. num.* 14. *Molin. Tr.* 2. *de J. et J. D.* 426. *num.* 3. nec tenetur rem restituere, sed pretium, *l.* 5. *et* 10. *h. t.*
3 nisi in specie actum, ut ipsa species sive res restitueretur, ut in *l.* 21. *h. t.* ubi aestimatio facta hoc fine, ut si deminuta esset, aut perdita species culpa Mariti, sciretur quo pretio de-
4 beret aestimari, non enim aestimatio semper transfert dominium, *l.* 1. §. *ult. ff. de aestim. act. et l.* 10. *ff. h. t. Cothman. v.* 1. *cons.* 36. *num.* 215. si tantum culpam levissimam commisit Maritus, ad quam praestandam alias non tenebatur sine hoc pacto, *P. Barb. ad l. aestimatis* 51. *num.* 38.
5 *ff. Sol. Matrim.* Sed si maritus prematur aere alieno, nec aliter uxori vel viduae consuli possit, lex succurrit viduae, ut vindicatio utilis
6 ad uxorem revertatur, nec creditores ullo modo occupent res, quae uxoris fuerunt; quod textibus et auctoritatibus *Baldi*, aliorumque confirmat *Cremensis sing.* 19. *Pinellus in l.* 1. *C. de Bon. Mat. P.* 3. *num.* 15. *Anton. Faber in C. lib.* 5. *Tit.* 7. *Def.* 43. *Thesaur. l.* 3. *q.* 21. *num.* 4. *P. Barb. ad l. si aestimatis* 51. *num.* 4. *ff. Sol.*
7 *Matr.* Verum, *Annon aestimatio in dubio vendi-*
8 *tionem faciat?* Non inepta videtur distinctio *Salyc. hic*, quod hic et in illis contractibus, qui possunt ab initio in pecunia constitui, et de quorum natura est dominium transire, faciat aestimatio venditionem, non in aliis, ut in lo-
9 cato et commodato. Sed unde constat, quod aestimatio eo fine facta, ut species ipsa data, licet aestimata, restitueretur? Resp. id ex pacto dotali colligendum. Nam in dubio aestimatio venditionem facit, et sic dominium plene cum 10
periculo in maritum transfert, *l.* 10. 12. 14. *et similibus ff. h. t. Molina d. l. num.* 7. Conf. *Mantica lib.* 12. *tit.* 28. Secus autem, si hoc actum, 11
ut praedium aestimandum ipsum restituatur, *Thes. d. l. num.* 3. item, si aestimata res uxori et ab hac marito detur, *Thes. d. l.* Item si dos in pecunia data, et conventum, ut praedium pro dote restituatur, si ea permutatio utilis, *Thes. d. l. num.* 5. *Sed quid si aestimatio in-* 12
justa? Resp. si laesio excedat dimidium, tunc esse locum restitutioni, *pr. l.* 2. *C. de rescind. vend. Barbos. d. l. num.* 21.

L. Avia. 6. et L. Cum. 7.

SUMMARIA

Olim ex stipulatu actio ad repetendam dotem patri non dabatur. num. 1.
Exceptio. 2.
Ratio datae regulae. 3.
Actio de dote profectitia restituenda communis est patri cum filia. 4.
In re communi nemo praeter socii voluntatem quicquam facere potest. 5.
Communis actio patri cum filio nudo pacto filiae adimi nequit. 6.
Aliud in extraneo. 7.
Hujus rei et differentiae rationes. 8.

Olim ex stipulatu actio ad repetendam dotem 1
non dabatur patri, nisi dotem ab initio sibi 2
reddi stipulatus sit, non ex intervallo, ubi filiae non praejudicaret, *l.* 7. *h. t.* et sic pater stipulando dotem sibi restitui ex intervallo, non praejudicat filiae non consentienti, ratio in 3
l. 29. *pr. ff. h. t. et l.* 2. *ff. Sol. Matr.* quia scilicet actio de dote profectitia restituenda communis 4
est patri et filiae, postquam ab initio nihil in contrarium conventum est, at in re communi 5
nemo praeter socii voluntatem quicquam facere potest, (non autem si nudo pacto stipuletur, *l.* 6. *h. t.* ubi in fine ratio, quia communis patri 6
cum filia actio nudo pacto filiae adimi nequit, aliud in extraneo) cujus rei et differentiae ra- 7
tiones colligit *hic Glossa*, 1. quia patri alias 8
provisum est per *l.* 2. §. 1. *ff. Sol. Matr.* 2. quia patris officium est dotare, non extranei: 3. quia erat actio communiter filiae acquisita: et 4. non potest simplex pactum novare, quibus addit *Salyc.* 5. quod lex voluerit juri patris derogare, Vid. *Petr. Barbos. in l.* 23. *princ. num.* 2. *et seqq. ff. Sol. Matrim.*

L. Etiamsi. 8.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Verba consequi vel pertinere *tam ad institutionem, quam ad fideicommissa trahi possunt.* 2.
Augmentum dotis regulatur secundum ipsius dotis naturam. 3.
Mulier pro dote se obligans non juvatur SCto Vellejano. 4.
Nec pro augmento. 5.
Res restitutioni subjecta, sicut potest pro dote alienari, ita etiam pro augumento. 6.

Prioritas, quae ex l. assiduis C. qui potior. in pign. *debetur doti mulieris, debetur etiam augmento dotis.* 7.
Augmentum est ejusdem naturae, cujus est res principalis. 8.

1 Stipulatio mulieris sibi dotem reddi, quibuscumque verbis aliis aequipollentibus fieri potest, v. g. si pacta mulier, ut soluto matrimonio consequetur dotem, vel ut dos ad se pertineret, et tunc uxor actione ex stipulatu etiam accessiones et additamenta dotis petere potest, quamvis haec actio alias stricti juris sit. Sed hoc loco naturam bonae fidei actionis habet per §. *fue-*
2 *rat* 29. *Inst. de Act.* Collige I. ex textu: Verba, *consequi vel pertinere*, esse verba communia, et sic tam ad institutionem, quam ad fideicommissa trahi posse, *argum. l. hujus et l. verbum*
3 *illud pertinere* 181. *de V. S.* II. Augmentum dotis regulari secundum naturam ipsius dotis, *hic et Nov.* 97. *c.* 3. post alios allegatus *Berlich.*
4 *P.* 1. *concl.* 65. *num.* 28. et sic, sicut mulier pro dote se obligans, non juvatur SCto Vellejano,
5 *l. fin. sup. de SCto Vellejano*; ita et pro augmento, *Vinc. de Franch. Dec.* 182. *Riccius coll.*
6 *decis.* 381. sic, sicut res restitutioni subjecta potest pro dote alienari, ita etiam pro augmento,
7 *Maynardus lib.* 3. *Dec.* 26. Sic prioritas, quae ex *l. assiduis C. qui potiores in pign.* debetur doti mulieris, debetur etiam augmento dotis, *Carpz. P.* 1. *Const.* 28. *Def.* 64. *et Berlich. d. l.* et ex,
8 *hac l.* inferunt: Quod augmentum sit ejusdem naturae, cujus est res principalis, quam regulam multis auctoritatibus hic confirmat *Aug. Barbos. et lib.* 1. *Axiomatum c.* 85. *Axiom.* 2.

L. Dotis. 9.

SUMMARIA

Fiscus et dos pari passu ambulant. num. 1.
Adeoque qui prior tempore, potior jure. 2.
Quatenus verum. 3.
Speciale quid h. l. *continetur in fisco.* 4.
Dos etiam in bonis post contractum matrimonium quaesitis prioribus creditoribus hypotecariis praeponitur. 5.
In bonis antea quaesitis an dos praeferenda? 6.
Communem sententiam vix patitur lex nostra. 7.
Ea tamen in foro est recepta. 8.

1 Fiscus et Dos pari passu ambulant, adeoque
2 qui prior tempore, potior vel prior jure, *hic et l.* 2. *C. de privil. fisci*; potissimum hoc ve-
3 rum est in bonis post debitum Fisci acquisitis, *l. si quis mihi* 28. *ff. de jure Fisci*, ubi specia-
4 le quid continetur in fisco, ut licet sit posterior creditor, in quaesitis tamen post contractum est fiscus potior priori creditore, *Dn. Carpz. P.* 1. *Jurispr. Const.* 28. *D.* 103. *et lib.* 4. *Resp.* 13. *Petr. Barbos. in l.* 1. *p.* 2. *ff. Sol. Matrim.*
5 *num.* 16. et ita dos etiam in bonis post contractum matrimonium quaesitis, procul dubio creditoribus prioribus hypothecariis praeponetur, *Joan. Guttierez lib.* 3. *Pr. Q.* 99. *num.* 18. *Pe-*
6 *tr. Barb. d. l. num.* 17. Sed et in bonis antea quaesitis praeferunt dotem, *Baldus Nov. de Dote P.* 9. *spec.* 1. *num.* 4. et DD. communiter, sed hoc vix patitur lex nostra, ubi videtur dos 7
et fiscus parificari ex *l.* 2. *C. de Privil. Fisci.* Sed Communis sententia in foro recepta. 8

L. De his. 11.

SUMMARIUM

Tenor legis.

Constante matrimonio, de dote forte direpta, non uxoris, sed mariti est actio. Vid. *l.* 5. *tit. praeced. et l.* 9. *supra de R. V.*

L. Ex pecunia. 12.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Deciditur negative. 2.
Quod tamen DD. *limitant.* 3.
Donellus *notatur.* 4.
Fundus ex pecunia dotali cum consensu uxoris comparatus an fiat dotalis. 5.
Fundus etiam sine uxoris consensu et ea ignorante ex pecunia dotali comparatus, quando maritus solvendo non est, in subsidium ei debetur. 6.

Maritus loco dotis accepit pecuniam, et ex ea 1
comparavit praedium, Quaeritur: *An id fiat dotale?* Negatur, quia pecunia data pleno jure 2
transit in maritum; quod tamen *DD.* ita limi- 3
tant, nisi nomine et voluntate uxoris res comparatae, de quo casu intelligunt *l. res quae ff. h. t. Tiraq. de Retr. Lign.* §. 32. *num.* 16. *Duarenus ad l.* 22. §. *ult. ff. Sol. Matrim. Card. Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 12. *tit.* 27. *num.* 4. *et Guttierez lib.* 5. *Qu.* 87. *num.* 4. *et Qu.* 88. *num.* 3. quod quamvis neget *Donellus lib.* 5. 4
comment. cap. 2. *et hanc legem* 12. ad casum durantis matrimonii restringat, vix tamen hoc persuadebit. Sed, quod diximus, fundum ex 5
pecunia dotali cum consensu uxoris comparatum fieri dotalem, id improprie fieri intelligendum, ratione subrogationis, et ideo in *d. l. res quae* habetur verbum improprietatis, *videatur Auctor in l.* 26. *ff. de jure dot. num.* 1. *Guttierez d. Q.* 87. *num.* 18. Sane, licet fundus ex pecunia 6
dotali non sit comparatus cum consensu uxoris, sed ea ignorante sit comparatus in subsidium tamen ei debetur, quando maritus solvendo non est, *argum. l. uxor* 55. *ff. de Donat. inter virum et uxor.* et quia potestas marito data, ut possit quoquo modo uti pecunia in dotem data, videtur resoluta, *Petr. Barb. ad Rubr. ff. sol. matr. P.* 3. *num.* 76. *Mantica d. l. tit.* 27. *num.* 9.

L. Si a Matre. 13.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Etiam res aliena bona fide in dotem dari potest. 2.

Quatenus hoc procedat. 3.
Quatenus non. 4.
Mater non potest dare in dotem res liberorum ex primo matrimonio genitorum. 5.
Accipienti non competit actio nomine evictionis, si fuit sciens. 6.
Nisi pactum vel stipulatio intercessit de evictione praestanda. 7.
Quatenus maritus, sciens rem alienam in dotem datam, de evictione possit agere. 8.
Obligationi dotis satis non fit nisi dominium fuerit translatum. 9.
Re evicta idem est, ac si nihil datum. 10.

1 Res aliena v. g. liberorum, non potest a ma-
tre in dotem suo marito scienti dari, scilicet
in praejudicium domini, ut in hoc casu libero-
2 rum, et scienter, nam bona fide in dotem etiam
res aliena dari potest, *l.* 6. §. 1. *l.* 34. *ff. h. t.*
3 Potest igitur res aliena in dotem dari, quoad
effectum praescriptionis, *l.* 3. *C. de Praescript.*
4 *longi temporis*, non quoad effectum evictionis,
quasi dotem dans alienam ad evictionem tene-
tur nam, non obligari dotantem vidimus in
l. 1. nisi quando pollicitatio praecessit, vel sti-
pulatio, ac promissio evictionis praestandae in-
tercessit, quo casu valet datio in dotem rei alie-
nae, scilicet in praejudicium dantis, ut ad evi-
ctionem obligetur, sed non in praejudicium li-
berorum, adeoque exceptio, quae in *hac lege*
5 habetur, recte intelligenda. Collige ergo: Ma-
trem non posse dare in dotem res liberorum
suorum, ex primo matrimonio genitorum, et
6 accipienti non competere actionem nomine evi-
7 ctionis, si fuit sciens, nisi pactum vel stipulatio
intercessit de evictione praestanda, *Bl. et Sa-
lyc. hic Petr. Barb. in l. si aestimatis* 51. *num.*
20. *ff. Sol. Matr.* Colligitur etiam ex *hac l.* Ma-
8 ritum, etsi sciat rem alienam in dotem esse
datam, tamen de evictione posse agere, quando
evictionis praestatio per stipulationem vel pa-
9 ctum est promissa. Obligationi enim dotis satis
non fit, nisi dominium translatum fuerit, et
10 ideo re evicta idem est, ac si nihil datum es-
set, *Dn. Franzkius in lib.* 21. *Digest. tit.* 2.
num. 527. *Petr. Barb. d. l.*

L. Neque mater. 14.

SUMMARIA

Mater filiam dotare non cogitur. num. 1.
Ampliatur. 2.
Nec pater ex bonis uxoris ea invita dotem assignare potest. 3.
Limitatio. 4.
Mater in subsidium filiam quoque alere tenetur. 5.
Altera limitatio. 6.
De matre Judaea, remissive. 7.
Haereticorum bona hodie confiscantur. 8.
Et fiscus hoc casu dotem dare debet. 9.
Ex natura relatorum eadem incumbit necessitas liberis si mater juvenis incontinens, inops. 10.

1 Mater filiam dotare non cogitur, quod etiam
2 ad matrem usufructuariam accommodat *Car-
pzov. P.* 2. *Const.* 42. *Def.* 15. *Auctor in l.* 34.
ff. h. t. nec pater ex bonis uxoris, ea invita, 3
dotem assignare potest, nisi magna et probabi- 4
lis causa sit, v. g. pater inops, *l.* 45. *ff. sol.
matrim.* cum mater etiam in subsidium alere 5
teneatur filiam. Vid. *Beust. de Dote c.* 4. *Moli-
na de J. et J. Tr.* 2. *D.* 424. *num.* 1. *Bacchov.
in Treutl. volum.* 2. *Disp.* 6. *th.* 3. *lit. A. Fu-
sar. de Subst. Qu.* 531. *num.* 106. *Surdus de
Aliment. tit.* 1. *qu.* 4. *num.* 3. *Pruckman. de
different. sexus P.* 2. *pr. in art.* 38. vel lege 6
sit hoc specialiter expressum, ut in *l.* 19. §. 1.
C. de Haereticis, qua de re videatur *Menoch. lib.*
2. *cent. A. Q. cas.* 460. et de matre Judaea, 7
Bacchov. d. l. Fusar. d. Q. 531. *num.* 100. quia
hodie juxta *Authent. Gazaros C. de Haeret.*
haereticorum bona confiscantur, quamvis fiscus 8
hoc casu dotem dare debeat; ex natura relato- 9
rum eamdem necessitatem incumbere liberis, si 10
mater juvenis incontinens inops, tradit *Ma-
scard. Concl.* 16. *num.* 4. *et seq.*

L. Cum citra. 15.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Amissio instrumenti dotalis non nocet, quo minus dos restituenda sit, si numeratio dotis aliunde possit probari. Vid. *supra l.* 1. *et seqq. C. de Fide Instrum.*

L. Ante divisionem. 16.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio decidendi. 2.

Quando quaedam puella habet rem cum so- 1
rore communem, Quaeritur: *An partem suam
pro indiviso in dotem dare possit?* Quod affir-
matur, quia res est pro parte sua, et ideo etiam 2
invita socia haec dotis datio procedit.

L. Res. 17.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi ratio. 3.
Dos ea conditione data, ut fructus restitueret maritus, inutilis est. 4.
Lex 4. ff. de pact. dot. *conciliatur cum hac nostra.* 5.

Pater dedit filiae suae in dotem proprietatem 1
fundi retento usufructu, Quaeritur: *An hunc
usumfructum alii cedere possit?* Ratio dubitan- 2
di in *l.* 21. *C. Mandati.* Sed negatur, quia ten- 3
deret in praejudicium filiae, cum morte patris
alias consolidaretur ususfructus cum proprieta-
te, et alias dos esset plane inutilis, nisi spera-
retur consolidatio, sicut etiam inutilis dos est 4

ea conditione data, ut fructus restitueret mari-
5 tus, per *l.* 4. *ff. de Pact. Dotal.* quae, quia de alio casu loquitur, huic legi non adversatur.

L. Si socrus. 18.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Deciditur. 2.
Limitatur. 3.
Ratio limitationis. 4.
Locatio non est modus transferendi dominii. 5.
Objectio diluitur. 6.

1 Socrus dedit filiae suae uxori meae fundum, seu ejus proprietatem, deducto usufructu, quam uxor mihi mea in dotem dedit, et Socrus usumfructum etiam fundi mihi in dotem dedit, et initum pactum de dote lucranda, Quaeritur: *An mortua uxore fundum totum habeam?* Resp.
2 Affirmative, secus, si ususfructus tantum loca-
3 tus esset a socru uxori, tunc uxore mortua reverteretur ususfructus ad socrum, et mihi usus-
4 fructus non deberetur, ratio est, quia proprietas tantum fundi in dotem data, non ususfructus, quem socrus, quia locavit, retinuit; lo-
5 catio enim non est transferendi dominii modus,
6 nec obstat *l. si domina* 10. *supra de usufructu*, quia ibi sermo est de domina locante usumfructum, hic de usufructuaria, *Accurs. in d. l.* 10. *Mercerius in Conciliatore suo p.* 721. *et seq.*

L. Cum patrem. 19.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Nemo extraneo stipulari potest. 2.
Hodie stipulatio dotis etiam inutiliter facta valere videtur. 3.
Et sic etiam stipulatio facta in gratiam emancipatae valebit. 4.
Alius casus. 5.
Deciditur. 6.
Ratio decidendi remissive. 7.

1 Pater in dotem dedit mille Titiae filiae suae, et stipulatus est, ea reddi soluto matrimonio Amniae filiae alteri emancipatae. Stipulatio illa
2 Amniae est inutilis, quia nemo extraneo stipulari potest, ideo nec acquirit sibi, deficiente voluntate, nec Amniae, deficiente potestate, *l.* 26.
3 *h. t.* quamvis hodie stipulatio dotis etiam inuti-
4 liter facta valere videatur, et sic etiam stipulatio facta in gratiam emancipatae valebit, ob *l. un.* §. 1. *infr. de Rei ux. Act. Magnif. Dn. Procancell. Andr. Kohl. in Tr. suo de Pact. Dotal.*
5 *cap.* 1. *num.* 33. Sed quid si Amnia sibi stipulata esset, et Pater ipsam cum aliis haeredem instituisset, et quicquam a sororis marito pete-
6 re prohibuisset? Resp. si deducta Falcidia tantum a patre accepit, quantum a Sorore petere prohibita est, valet prohibitio, alias non, ratio
7 in §. 1. *Institut. de Singul. Reb. per fideicommiss. relict. et in l.* 114. §. 3. *ff. de Legatis.* v. g. Ex Testamento accepit Amnia 40. ex dotis stipulatione etiam 40. Si haec petat Amnia, potest repelli quoad 30. per exceptionem doli, sed 10. habet ex capite Falcidiae, vel hodie Legitimae.

L. Pro oneribus. 20.

SUMMARIA

Fructus dotis pleno jure acquirit maritus. num. 1.
Ratio. 2.
Patientia mariti, ut uxor percipiat fructus dotis omnes vel aliquos, facit donationem. 3.
Quatenus illa donatio prohibita. 4.
Dotis finis est, ut exinde ferat maritus onera matrimonii. 5.
Ad maritum onera haec non ferentem, neque fructus dotis spectant, sed ad uxorem. 6.
Nec creditores mariti, hoc casu fructus dotalis praedii auferre possunt. 7.
Limitatur. 8.
Carpzovius *notatur.* 9.

Fructus dotis pleno jure acquirit maritus pro- 1
pter onera matrimonii, quae ferre debet, *hic* 2
et l. 7. *pr. ff. h. t. et l.* 21. §. 1. *ff. Solut. Ma-*
trim. Si autem maritus patiatur, ut uxor per- 3
cipiat fructus dotis omnes, vel aliquos, tunc donatio est, quae inter virum et uxorem est
prohibita, quatenus scilicet uxor ex fructibus 4
locupletior facta. Eatenus enim tantum donationes inter conjuges prohibitae, ut suo loco
dicetur. Collige ergo: I. Dotis finem esse, ut 5
exinde maritus ferat onera matrimonii, *Surdus de aliment. tit.* 1. *quaest.* 33. *num.* 8. *et T.* 7. *quaest.* 17. *num.* 1. *Mantic. d. tr. lib.* 12. *tit.* 3. *num.* 3. *Carpzov. P.* 3. *Const.* 23. *Def.* 4. *num.* 6. *Wesenb. in* ϖ. *ff. h. t. num.* 2. *in fine.* II. Si
maritus onera matrimonii non ferat, quod ad 6
ipsum non spectent fructus dotis, sed ad uxorem, *l.* 43. §. 2. *ff. Sol. Matrim. l.* 19. *h. t. Roland. a Valle Tr. de Dote qu.* 64. *num.* 11. *Pruckman. vol.* 2. *cons.* 1. *num.* 488. *Auctor in l.* 21. *ff. solut. matrim. et in l.* 7. *ff.*
de jure dot. num. 2. et sic creditores mariti hoc 7
casu fructus dotalis praedii auferre nequeunt,
nisi in fraudem creditorum commentum fiat, 8
Auctor in d. l. 21. *ff. solut. matr.* Quamvis au-
tem *Dn. Carpz. P.* 3. *Jurispr. Const.* 25. *Def.* 13. 9
tradere videatur, posse hoc conveniri in pactis dotalibus, ut fructus dotis ad uxorem pertineant, id non puto concedendum per *hanc legem juncta leg.* 4. *sup. de Donat. ante nupt.*

L. Si inter. 21.

SUMMARIA

Aestimata re data liberum est marito, vel rem, vel aestimationem restituere. num. 1.
Excepta regula. 2.
Ratio. 3.

Quando aestimata res data est, liberum est 1
marito, vel rem vel aestimationem restituere,
l. 10. *ff. h. t. et l.* 5. *sup. h. t.* Sed hic habetur 2
exceptio, quando aestimatio eo fine facta, ut re dotali per culpam quamcumque deperdita,

vel deteriorata, sciatur quae quantitas sit pro re restituenda, *Jason. in l. Ex conventione num.* 3. *C. de Pact. Covar. in Pr. QQ. c.* 28. *num.* 3. *Rolandus a Valle cons.* 92. *num.* 6. *et* 21. *v.* 1. et hos referens *Dn. Mevius de Jure Lubec. lib.* 1.
3 *titul.* 5. *art.* 8. *num.* 28. cur autem eo fine hic dicenda sit facta aestimatio, ratio exprimitur in textu; quia convenit, ut res ipsa eo pretio, quo aestimata est, reddatur. Ergo res fuit reddenda, si extet incorrupta, pretium, si periit vel perdita, *Covar. d. l. num.* 3. *Baldus Nov. de Dote P.* 7. *Priv.* 40. *Mev. d. l. num.* 29.

L. Rem. 22.

SUMMARIA

Tenor legis. num. 1.
Exceptio a lege. 2.
Usus hodiernus. 3.

1 Pater rem in dotem datam genero alienare non potest, quia non est amplius in dominio Patris, nec potest pater deteriorem conditionem dotis facere, per *l. post nuptias* 28. *ff. de jure*
2 *Dotium.* Sed additur exceptio, nisi receperit do-
3 tem, scilicet soluto matrimonio. Sed hodie non licet etiam patri deminuere dotem ad se reversam, *Auth. sed quamvis. C. de Rei Uxor. Act.*

L. Si praedium. 23.

SUMMARIA

Dotale praedium inaestimatum nec maritus vendere, nec uxor alienare potest, nec alii extraneo consentire. num. 1.
Lex haec *an restringatur tantum ad fundum inaestimatum?* 2.
Dubitandi ratio. 3.
Deciditur. 4.
Uxor jus mariti in dote intervertere non potest. 5.
Ratio. 6.
An volente marito vendere fundum dotalem uxori liceat. 7.
Videtur quod sic. 8.
Raro in legibus Codicis argumentum a contrario sensu procedit. 9.
Aliud contra num. 8. *statutum* per l. un. tit. seq. §. 15. *num.* 10.
Ratio. 11.
Jurata renunciatio et promissio facta omnino est valida. 12.

1 Dotale praedium, scilicet inaestimatum, ut maritus vendere non potest, ob *l. Juliam*, ita nec uxor potest alienare, nec alii extraneo con-
2 sentire; sed cur restringimus *legem hanc* ad
3 fundum inaestimatum, cum tamen et aestimatus in praejudicium mariti alienari non possit?
4 Resp. quando fundus est aestimatus, et facta est quasi emptio, tunc contractus, ut qui lege Julia non prohibitus, non est nullus, sed valet alienatio facta ab uxore, et venditio rei alienae, per se scilicet valet, licet marito non praeju-
5 dicet. Collige ergo: Uxorem jus mariti in dote
6 intervertere non posse, quia noceret uxor marito in fructibus dotis, *Castillo de usufr. cap.* 4. *num.* 21. Sed *quid si volente marito vendat fun-* 7
dum dotalem? Id videtur licere a contrario sen- 8
su, in verbis, *nolenti minime potuerit.* Sed in legibus Codicis raro procedit argumentum a 9
contrario sensu, et per *legem un. tit. seq.* §. 15. aliud 10
statutum ob fragilitatem sexus etc. *Wesenbec.* 11
in ϖ. *de fundo Dot. num.* 6. *Bald. Novell. de Dote P.* 7. *spec.* 1. *num.* 13. *Petr. Barb. in l.* 1. *p.* 5. *num.* 8. *ff. sol. matrim.* Si tamen ju- 12
rata sit renunciatio et promissio facta, omnino haec valida, per *c. cum contingat X. de Jure jurand. Glossa hic, Covarr. in c. Quamvis P.* 2. §. 1. *num.* 5. et quos hic congessit *A. Barb. num.* 8. *et Caevall, in Spec. tom.* 1. *Quaest.* 118.

L. Si dotem. 24.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Patrono, pro liberta qui dotem dedit, quatenus detur actio, et quatenus uxori? 2.
Dos ob ingratitudinem revocari non potest. 3.
Ratio negationis. 4.
Rationis ratio. 5.
Decisio legis ampliatur. 6.

Si extraneus, ut patronus pro liberta, dotem 1
dederit, nisi pacto in continenti adjecto, vel 2
stipulatione de dote sibi reddenda sibi prospexerit, ipsi actio pro dote non datur, sed uxori, nisi illa causam divortii dederit, quo casu retinet eam maritus, licet adversus Patronum ingrata fuerit. Unde colligitur: Dotem ob in- 3
gratitudinem revocari non posse, *Gamma Dec.* 193. *Guttierez de juram. confirm. P.* 1. *cap.* 10. *n.* 4. *Molina Tract.* 2. *de J. et J. disp.* 281. *n.* 13. quia donationes ob causam (qualis est etiam 4
dotatio) ob ingratitudinem donatarii non revocantur, quia non habent simpliciter qualitatem 5
donationis, sed contractus onerosi, *l. Aquilius Regulus* 29. *ff. de Donat. Panorm. c. ult. de Donat. num.* 11. *Clarus* §. *Donat. Quaest.* 21. *num.* 4. *Molin. d. l. num.* 12. *vid. Auctor in l.* 69. *ff. h. t. num.* 8. Et decisionem hujus legis 6
etiam in patre dotante locum habere notat *hic Glossa et Salyc.*

L. Si mulier. 25.

SUMMARIA

Uxor dotem sibi reddi stipulata, ut de ea testari possit, an cesset repetitio, si intestata moriatur? num. 1.
Affirmativa decisio vera videtur. 2.
Sed negatur. 3.
Ratio. 4.
Limitatio. 5.
Ratio limitationis. 6.
Simile exemplum, remissive. 7.
Causa impulsiva in dubio fere est praesumenda. 8.

Si dotem uxor stipuletur sibi reddi hoc fine, 1
ut de ea testari possit, si non testetur, sed in-

testata uxor moriatur, Quaeritur: *An cesset re-*
2 *petitio?* Videtur quod sic, quia sublata causa
finali, tollitur effectus, et quicquid sub condi-
tione disponitur, sub contraria conditione pro
non disposito habetur, *l.* 40. §. 2. *l.* 107. *de*
3 *condit. et demonstr.* Sed negatur, quia haec
4 non fuit causa finalis, nec fuit conditio, sed
causa impulsiva tantum, qua cessante non ces-
sat effectus. Vide *Everh. in loco* 80. *Tiraq. in*
Tract. cessante causa limit. 1. *per totam*, *Card.*
5 *Tusch. concl.* 141. *et seq. lit. C.* Aliud autem si
6 conditionaliter expressum hoc fuisset, quia tunc
denotaret causam finalem, *Tiraq. d. l. num.* 60.
7 Simile exemplum in *l.* 2. §. *fin. ff. de Donat.*
unde apparet, etiam haec verba hic relata pos-
se habere rationem finalis causae, si quis alias
non esset facturus, sed ex *hac lege* colligitur,
8 fere in dubio causam impulsivam esse praesu-
mendam.

L. Si genero. 26.

SUMMARIA

Pater filiae emancipatae stipulari non potest. num. 1.
Ratio. 2.

1 Pater filiae emancipatae stipulari non potest,
2 nam non adquirit sibi actionem deficiente vo-
luntate, nec filiae prohibente jure, *D. Cuno*
de pact. cap. 15. *num.* 74. *Dn. Kohl. de pact.*
dotal. p. 1. *num.* 32. ubi ait, nec actionem uti-
lem alteri dari. Confer. notata *ad l.* 19.

L. Licet. 27.

SUMMARIA

Maritus pacto vel statuto dotem lucrans non tenetur solvere uxoris debitum. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Ampliatur. 3.
Excipitur actio funeraria. 4.
Dote nulla data omnem expensam praestat pater. 5.
Vel maritus. 6.
Onera realia ipsi dotali praedio adhaerent. 7.

1 Maritus licet ex pacto vel statuto lucretur
dotem, non tamen tenetur solvere debitum
2 uxoris: haec enim pertinent ad successorem
3 universalem, non singularem. Ampliatur hoc
ex *hac lege* quod neque legata ab uxore relicta
teneatur solvere, sed haeres, *Boer. Dec.* 240.
4 *num.* 1. Excipitur actio funeraria, ubi pro rata
tenetur maritus ex dote, *l.* 16. *et l.* 22. *ff. de*
Relig. Garcias de Expens. cap. 8. *num.* 42. *et*
5 *seq.* Vid. notat. *ad d. l.* 16. Si autem dos nul-
la data, expensam omnem praestat Pater, *l.*
28. *d. t. Surdus de Alim. Tit.* 7. *q.* 19. *num.* 11.
6 vel maritus, *Carpz. p.* 3. *Const.* 25. *def.* 19.
7 Aliud etiam est in oneribus realibus, quae ipsi
dotali praedio inhaerent, *l. fin. sup. sine censu*
vel reliquis.

L. Mulier. 28.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Mulier, licet minorennis, cum consensu Curatoris dotem constituere potest. 4.
Maritus minorennis donationem propter nuptias facere potest. 5.
Ampliatur. 6.
Ex postfacto fidejussio facile augeri non debet. 7.

Curator sum constitutus Cajae et praestiti cau- 1
tionem fidejussoriam pro bis mille thaleris, quia
tantum videbatur Cajae patrimonium, sed Caja
postea me consentiente suo sponso promittit
tria millia, an teneat haec constitutio dotis ex-
cedentis meam fidejussoriam cautionem a me
praestitam? et videtur quod non, quia ultra 2
quantitatem meae cautionis, non videor consen-
tire me posse ad quantitatem majorem; Sed 3
affirmatur, et sic ipsa mulier, licet minoren- 4
nis, cum consensu Curatoris dotem constituere
potest. Sic etiam cum consensu Curatoris Mari- 5
tus minorennis donationem propter nuptias fa-
cere potest, licet Curator in minorem quanti- 6
tatem, quam dos erat, cum creatur, *Hering.*
de Fidejuss. q. 6. *num.* 173. satisdationem vel
fidejussionem praestiterit, forte, quia auctum
minoris patrimonium, quia hic non facilis laesio,
nec debet ex post facto fidejussio facile augeri. 7

L. Ubi adhuc. 29. et Auth. Donationem.

SUMMARIA

Marito ad inopiam vergente uxor non secus ac si solutum matrimonium dotem vindicare potest. num. 1.
Et donationem propter nuptias. 2.
Ratio decidendi. 3.
Imo etiam paraphernalia. 4.
Modus dotem petendi. 5.
Creditores contra uxorem hoc casu agentes exceptione repelli possunt. 6.
Limitatur. 7.
Cuilibet parti suum jus integrum ex pactis dotalibus competens est reservandum. 8.
Remedium hujus legis quod adjuvet uxorem? 9.
Differentiae hujus legis a l. si constante ff. Solut. Matrim. 10.
Dominium dotis in uxorem non transfertur, nisi soluto matrimonio. 11.
Posterior creditor offerens mulieri petenti assecurationem dotis constante matrimonio ob inopiam mariti non auditur. 12.
Licet audiatur soluto matrimonio. 13.
Lex haec ulterius prodest mulieri. 14.
Dos regulariter nisi soluto matrimonio repeti nequit. 15.
Fallit regula. 16.
Uxor duo creditoribus mariti in judicio opponere potest. 17.
Quid si sciens uxor inopiam mariti, eidem nupserit? 18.

Deciditur, duarum conclusionum positione. 19.
Quid si iterum ditescat maritus? 20.
Decidendi ratio. 21.
Sed quid hoc passu in dotalitio obtinet? 22.
Deciditur. 23.
Dotalitia expresse in casum mortis solent constitui. 24.
Pinguiora sunt dotalitii quam donationis propter nuptias jura. 25.
Et diversae qualitatis. 26.
Camerae Brandenburgicae decisum. 27.

1 Quando maritus ad inopiam vergit, id est, quando impar est oneribus matrimonii ferendis, *Ant. Fab. in C. suo lib.* 5. *tit.* 7. *def.* 10. uxor non secus, ac si solutum esset matrimonium, potest vindicare dotem, *h. l.* 29. et do-
2 nationem propter nuptias, *Auth. seq.* quia re-
3 gulariter, quod de dote dicitur, etiam in donatione propter nuptias locum habet, *Panorm. in c. per vestras X. de Donat. inter virum et uxorem num.* 12. *Gail. l.* 2. *Obs.* 83. *num.* 2. *Petr. Barb. in l. constante pr. ff. sol. matr. num.* 7. *Jo. Franc. Balthas. tit.* 1. *resol.* 8.
4 *num.* 71. Imo etiam paraphernalia per verba textus *rebusque extra dotem constitutis*, *Gail. d. l. num.* 3. *Barb. num.* 8. *Balthas. num.* 8. et
5 potest uxor petere, ut sibi pars bonorum assignetur, quo ex fructibus matrimonii one-
6 ra ferat; et si creditores contra uxorem agant, poterit se uxor exceptione hac, quod scil. melius jus habeat, defendere, *argum. l.* 156. §. 1.
7 *de R. J.* modo 1. Creditores non habeant pinguius jus in textu, *qui non potiora*: 2. Alienare non potest constante matrimonio: 3. In rebus postea acquisitis jus integrum creditoribus reservandum: 4. Idem conservandum marito, si quod habet ex dotalibus pactis, tunc enim lucrum in casum soluti matrimonii ipsi assignatum, eveniente conditione ipsi cedit, licet onera matrimonii, cum adhuc illud constaret, non tulerit. Et ideo haec quasi sequestratio est
8 dotis, et cuilibet parti suum jus integrum ex pactis dotalibus competens reservandum, *Gail. l.* 2. *Obs.* 83. *num.* 17. *Et Jo. Franc. Balth.*
9 *d. Res.* 8. *num.* 21. Nam per hoc remedium hujus legis datur uxori quaedam consignatio et depositio seu sequestratio dotis; Et in hoc dif-
10 fert *haec lex a l. Si constante* 24. *ff. sol. matr.* quod in *d. l. si constante* agitur de casu, ubi jam maritus non est amplius solvendo, haec vero lex, si ob dilapidationem metus est, ne fiat non solvendo, *Franc. de Clapper. q.* 102. *q. un.*
11 *num.* 11. *etc.* Nec transfertur in uxorem dominium dotis, nisi soluto matrimonio, *Clapper. d. q. un. num.* 15. ubi ex hoc infert, posterio-
12 rem creditorem offerentem mulieri petenti assecurationem dotis, constante matrimonio ob ino-
13 piam mariti non audiri, licet soluto matrimonio audiatur, *l. cum tibi C. qui potiores in pign. Clapper d. l.* et quos refert *Riminald.*
14 *cons.* 3. *num.* 4. *etc.* et sic haec lex etiam prodest uxori contra fiscum contra maritum agentem, si uxor fisco potior, *Clapper. d.*
15 *l. num.* 6. Nota ergo ex *hac lege*: Licet dos regulariter repeti non possit, nisi soluto matrimonio, *l.* 2. *ff. sol. matr.* quae est in *hac*
16 *l.* ratio dubitandi, regula tamen haec fallit, si maritus incipiat vergere ad inopiam, et a Creditoribus suis nimis molestetur, *hic l. et si constante* 24. *ff. solut. matrim. c. per vestras X. de Donat. inter virum et uxorem.* Nec hic requiritur culpa mariti, sed sufficit, si casu ad inopiam redactus, quia *lex haec* culpae non facit mentionem, et a pari procedunt inopia mariti, et dissolutio matrimonii, *Gail. d. Obs.* 83. *num.* 2. *P. Barb. in d. l. si constante pr. num.* 1. *ff. sol. matr. et Jo. Franc. Balthas. d. Resol.* 8. *num.* 3. Et proponitur hic duplex 17
via: 1. potest comparere in judicio, et opponere se creditoribus mariti petentibus immissionem: et deinde per viam actionis hypothecariae contra detentores bonorum mariti agere potest, *Neguz. de Pign. part.* 5. *Memb.* 1. *num.* 29. *et seq. Bald. Nov. de Dote p.* 7. *priv.* 18. *et* 24. *Berlich. Concl.* 84. *num.* 47. quo casu jure praelationis etiam vivente marito fructur uxor, *Carpz. p.* 1. *Const.* 28. *def.* 69. *Rauchbar. p.* 1.
qu. 33. Sed Quaeritur: *Quid si sciens uxor ino-* 18
piam mariti eidem nupserit? Resp. duas Con- 19
clusiones ponendo: 1. Si nova causa suspicionis emergat, potest omnino fructus petere, quia spem forte concepit, de majori diligentia adhibenda a marito, sed si nova causa non emergat, non potest ex *hac l.* agere, *Molin. Tr.* 2. *D.* 429. *num.* 5. *et Gomez ab eo citatus*: 2. Conclusio sit, licet non sit nova causa suspicionis, posse tamen uxorem petere cautionem de securitate dotis, *argum. d. c. per vestras* 7. *X. de Donat. inter virum et uxorem*, *Gail. lib.* 2. *Obs.* 81. *num.* 9. *P. Barb. d. l. num.* 26. *Bal-*
thas. d. l. num. 15. Sed *quid si iterum ditescat* 20
maritus? Puto aequius esse ipsi ut restituatur
dos, quia facile res ad suam primaevam natu- 21
ram revertitur, et ratio habenda amoris conjugalis, ut ille sartus tectus conservetur, et materia rixarum praecidatur, *Gail. d. l. num.* 7.
et Balth. d. l. num. 16. Sed *quid in dotalitio?* 22
quia diximus uxorem posse in casu inopiae mariti repetere dotem, donationem propter nuptias et paraphernalia, ergo etiam dotalitium
petere poterit? Resp. non esse hoc probabile, 23
quia solent dotalitia expresse in casum mortis 24
constitui, et pinguiora sunt jura dotalitii, quam 25
donationis propter nuptias, et licet illud in hu-
jus locum surrogetur, sunt tamen diversae qua- 26
litatis, *Lud. Romanus sing.* 541. *Colerus decis.* 60. *num.* 15. *et* 16. *et Dn. Kohl. ad Constit.*
March. cap. 9. *num.* 29. ubi in Camera Electo- 27
rali Brandenburgica ita pronunciatum refert.

L. In rebus. 30.

SUMMARIA

Mulier ad dotem tam aestimatam quam inaestimatam habet rei vindicationem. num. 1.
Ratio. 2.
Dominium dotis, ut ut ratione actionum et fructum in maritum transeat, naturale tamen manet penes uxorem. 3.
Et quiescit constante matrimonio. 4.
Nisi praeter quosdam effectus. 5.
Maritus dominium revocabile, mulier vero naturale habet. 6.
Creditores priorem hypothecam generalem habentes in dotalibus bonis non possunt praeferri. 7.
Ratio. 8.

Periculum dotis spectat ad mulierem, et maritus dolum tantum cum culpa praestat. 9.
Res in dotem aestimato datae etiam a muliere vindicari possunt ab extraneo possessore, quando maritus non est solvendo. 10.
Quatenus hic res ab initio *uxoris dicatur?* 11.
Ante matrimonium dos nec adventitia nec profectitia uxoris fuit. 12.
An si uxor fundum aestimatum dederit in dotem, et maritus istum ante annos 10. *alienaverit, contra uxorem currat praescriptio?* 13.
Deciditur. 14.
Contra mulierem constante matrimonio non currit praescriptio, nec usucapio. 15.
Prohibentur immobilia usucapi, cum nec alienari possint. 16.

1 *Pr.* Mulier ad dotem, sive inaestimatam sive aestimatam (sed hoc casu tantum in subsi-
2 dium) habet Rei vindicationem, nam soluto matrimonio dotis dominium recta via ad uxorem redit, vel ad patrem quoque, si est profectitia dos, *Cephal. cons.* 256. *num.* 5. *et* 27. *Pinell. p.* 3. *legis* 1. *de Bonis mat. num.* 14. *et Castillo de usufr. c.* 4. *num.* 28. quae naturaliter in ipsius dominio mansit; habet etiam hypothecam in aliis mariti bonis, et privilegium praelationis prae omnibus creditoribus. Multa ex *hac l.* notabili notanda: I. Li-
3 cet dominium dotis transeat in maritum, ratione actionum et fructuum, naturale dominium tamen manere apud uxorem, *Auctor in l.* 75. *ff.*
4 *h. t.* quod tamen constante matrimonio quie-
5 scit, nisi quod etiam stante matrimonio quosdam effectus habeat, quos recenset *P. Barb. ad l. dotalem* 62. *ff. sol. matr. num.* 7. *et seqq.*
6 et maritus habet dominium revocabile, mulier vero naturale, *Carpz. P.* 2. *Const.* 42. *def.* 19. *num.* 20. post *Connanum* et alios: sed matrimonio reviviscit. Ex quo II. colligit Imperator
7 hic, quod creditores habentes priorem hypothecam generalem, non possint in dotalibus
8 bonis praeferri, quia antequam matrimonium contraheretur, habuit uxor dominium in istis
9 bonis. Hujus effectus est, quod ad mulierem periculum dotis spectet, maritus vero tantum dolum et culpam praestet, *Carpz. d. Def.* 19.
10 *et seqq.* III. Observandum, res aestimatas in dotem datas etiam a muliere vindicari posse de extraneo possessore, in subsidium scil. quando maritus non est solvendo, *Covar. d. pr. q.* 28. *num.* 8. *Jo. Guttierez de juram. confirm. P.* 1. *c.* 1. *num.* 9. *et lib.* 3. *pr. q.* 38. *num.* 12. *et l.* 5. *q.* 76. *num.* 12. *Pinell. p.* 3. *legis* 1. *C. de Bonis mat. num.* 15. *Barb. in l. aestimatis* 51. *ff. sol. matr. num.* 25. *et seqq. Castillo de usufr. d. c.* 4. *num.* 51. unde sequitur, si maritus non sit solvendo, uxori competere vindicatio-
11 nem rei dotalis etiam aestimato datae: quod autem in hac lege dicitur, quod res *ab initio* uxoris fuerit, intelligendum est *initium matrimonii*,
12 nam ante contractum matrimonium dos nec adventitia nec profectitia uxoris fuit, *P. Barb. ad l.* 2. §. *quod si in patris ff. sol. matr. num.* 31.
13 §. *Omnis.* Uxor dedit fundum aestimatum in dotem, hunc maritus ante annos decem alienavit: Quaer. *An praescriptio contra uxorem*
14 *currat?* Resp. Praescriptionem hanc non contra uxorem currere, cum constante matrimonio non potuerit agere, non valenti autem agere non currit praescriptio, *l.* 1. *in fin. C. de annal. except.* nisi jam tum ante annos decem maritum ad inopiam vergere publice constiterit, tunc enim, quia agere potuit ex *l. praeced.* ideo ei currit praescriptio. Collige ergo: Contra mulierem 15
constante matrimonio non currere usucapionem, nec praescriptionem, nam ratio generalis est, licet usucapionis fiat mentio. Sed immobilia e- 16
tiam ex alia ratione prohibentur usucapi, quia non possunt alienari, *l.* 16. *ff. de fundo dot. Petr. Barb. ad. l.* 1. *p.* 5. *num.* 83. *ff. sol. matr. Covarr. lib.* 1. *resol. c.* 8. *num.* 8. et quos hic citat *Aug. Barb. num.* 12.

L. Cum quidam. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Donatio, quae fit dotis causa, licet excedat 500. *solidos, insinuatione opus non habet.* 2.
Nisi pactum adsit de lucranda dote. 3.
Secus in donatione propter nuptias facta ab extraneo pro marito, ubi indiget insinuatione. 4.
Exceptio. 5.
Extraneus *quinam in materia dotis intelligatur?* 6.
Necessitas insinuationis donationis propter nuptias postea remissa. 7.
Sed denuo mutatum et hoc est per Nov. 127. c. 2. *num.* 8.
Extraneus pro muliere dotem promittens statim post biennium ad fructus speciei in dotem datae vel ad usuras pecuniae dotalis tenetur. 9.
Cur h. l. *extraneus levius obligetur quam pater?* 10.
Limitantur num. praeced. 9. *dicta.* 11.

Pr. Si extraneus dat pro muliere dotem nec 1
stipulatus est sibi reddi, licet titulus lucrativus sit respectu uxoris, quia tamen onerosus est respectu mariti, ideo licet excedat 500. solidos, 2
insinuatione tamen opus non habet, nisi pa- 3
ctum adsit de lucranda dote, sic enim etiam respectu mariti titulus lucrativus est, *Auth. Eo decursum sup. de donat. ant. nup.* Collige ergo illud ex primo legis intuitu: (ut mirum sit alios dubitasse) Donationem, quae fit dotis causa, non opus habere insinuatione, quae facienda coram actis, quia causa pia est, *Ant. Gabr. lib.* 3. *tit. de Donat. Concl.* 1. *num.* 36. *Surd. de Alim. tit.* 8. *Priv.* 72. *in fine, Tiraq. ad l. si unquam C. de Revoc. Donat. num.* 241.

§. 1. Quando extraneus pro marito dat do- 4
nationem propter nuptias, licet sit titulus onerosus respectu uxoris, cum in compensationem dotis fiat, qui tamen respectu mariti est lucrativus, ideoque si excedat 500. solidos, insinuatione opus habet, quamvis haec etiam, licet ab uno facta alteri parti prosit per consequentiam, cujus utilitatem per consequentiam concernit. Excipitur materfamilias minor 25. 5
annis *l.* 17. *sup. de Donat. ante nuptias.* Collige: quis voce *Extranei* in materia dotis intel- 6
ligatur, scil. qui non habet in potestate eum, pro quo dat, *Treutl. vol.* 2. *Disp.* 7. *th.* 3. *lit. A.* licet autem per *Nov.* 114. *c.* 1. remissa fue- 7

rit necessitas insinuationis donationis propter
8 nuptias, mutatum tamen hoc, et haec lex iterum approbata per *Nov.* 127. *c.* 2. *Petr. Barb. ad l.* 1. *ff. sol matr. P.* 7. *num.* 42. *Rittershus. ad Novell. P.* 5. *cap.* 10. *num.* 5. *et seq.*
9 §. *fin.* Extraneus, qui pro muliere dotem promittit, post biennium statim ad fructus speciei in dotem datae, vel ad usuras pecuniae dotalis tenetur, ut ita per lapsum biennii in mora constituatur, *Jacob. de Nigris ad l. si insulam num.* 22. *ff. de V. O. Anton. Faber lib.* 5. *Cod. tit.* 6. *def.* 6. et quidem mora regulari, non secus ac si lis contestata esset; per litem contestatam autem contrahitur mora regularis, ita ut de percipiendis fructibus etiam teneatur *Barb. in l. divisione num.* 41. *ff. sol. matr.* licet intra biennium ad ipsam sortem conveniri possit, et hoc in immobilibus et reditibus, ac mobilibus aestimatis, secus in mobilibus inaestimatis. Cur autem extra- 10
neus levius obligetur, quam pater, causam hanc assignat *Mart. Colerus in Tr. de Alim. lib.* 3. *c.* 5. *num.* 43. quod pater, qui dotem promisit, duplex lucrum sentiat, nempe et pecuniae non solutae, et alimentorum perceptorum: cum e contra extraneus hoc alendi mulierem onere, quod ad eum nunquam spectavit, non liberetur, sed solummodo pecunia in dotem promissa fruatur. Sed limitationem *hic* §. reci- 11
pit, nisi in pactis dotalibus brevius tempus placuerit, intra quod solvi dos etiam ab extraneo debet, *Dn, Carp. P.* 2. *Const.* 42. *Def.* 14.

TITULUS XIII.

De rei uxoriae actione ex stipulatu in actionem transfusa, et de natura dotibus praestita.

L. Rem in praesenti. un.

SUMMARIA

Soluto matrimonio duplex olim uxori dabatur actio pro dote. num. 1.
Sed sustulit Justinianus. 2.
Semper dedit actionem ex stipulatu. 3.
Ratio. 4.
Exemplum subjicitur. 5.
Facilius confirmatur invalidum, quam introducitur plane non factum. 6.
Publice interest dotem mulieribus conservari. 7.
Baldus Novellus *notatur.* 8.
L. pen. C. de dot. promiss. *derogatum* per hanc legem. 9.
Barbosa *notatur.* 10.
Expressio actionis inutilis non vitiat libellum. 11.
Sensus §. 1. *num.* 12.
Maritus ratione dotis promissae in bonis parentis, vel alterius qui promisit, tacitam hypothecam habet. 13.
Quod multis rationibus firmatur, remissive. 14.
Uxor ratione dotis restituendae habet hypothecam in bonis mariti. 15.
Hae hypothecae in quemcumque possessorem transeunt. 16.
Promissor dotis ad evictionem quoque obligatur. 17.
Rei uxoriae actionem in actionem ex stipulatu transfundi optimum est. 18.
Nam actio ex stipulatu alias stricti juris, et haec bonae fidei. 19.
Ampliatur. 20.
Actio de dote restituenda, quam sibi reservavit extraneus qui dotavit, est stricti juris. 21.
Ratio. 22.
De hac actione hic non agitur. 23.
Jus vetus circa hunc. §. 24.
Jus novum. 25.
Ratio juris novi. 26.
Uxor, cui ususfructus relictus, dotem repetere non prohibetur. 27.
Ratio. 28.
Dicta hactenus de marito, qui sponte recipit dotem, ad patrem accommodari posse nolunt. 29.
Ratio. 30.
Exactio dotis tam a parte uxoris quam mariti ad haeredes transit. 31.
Ratio remissive. 32.
Contractus fictus a lege introductus non minus ut contractus verus ad haeredes transit. 33.
Maritus aut ejus haeres, muliere dotem petente, an et quatenus eam retinere possit? 34.
Quinam mores mali hic intelligantur? 35.
Amplientur num. 34. *dicta usque ad finem hujus* §. 36.
De impensis in dotem factis distincte. 37.
Sensus §. *hujus.* 38.
Maritus ut ipse lucraretur dotem, vel ne uxor eam repetat pacisci non potest. 39.
Bene tamen extraneus. 40.
Maritus actione de dote conveniendus in quantum facere potest et ne egeat. 41.
Ratio in §. *remissive.* 42.
Sed praestet cautionem de solvendo superfluo, si ad meliorem fortunam pervenerit. 43.
Res quando mobiles et quando immobiles restituat? 44.
In mora constitutus quid praestet? 45.
Maritus ob reverentiam ipsi debitam fruitur beneficio competentiae. 46.
Facto se indignum hoc beneficio facere potest. 47.
An si uxor actione reali rem dotalem petat, locus sit huic beneficio? 48.
Zasius *notatur.* 49.
Aliae exceptiones remissive. 50.
Maritus ut et omnis uti volens hoc beneficio, cautionem praestet de solvendo residuo, si ultra competentiam suam aliquid acquisierit. 51.
Aliud est in donatore. 52.
Terminus solutionis dotis pro diversitate rerum qualis sit. 53.
Maxime juxta hunc §. *est observandus.* 54.
Limitatur. 55.

Vidua unde iterum sit alenda? 56.
Fructus rerum dotalium immobilium atque marito inaestimato donatarum a die soluti matrimonii pertinent ad uxorem vel ejus haeredes. 57.
Idem, si sint res mobiles fructiferae. 58.
Moram an et quando contrahat maritus in mobilibus? 59.
Poena morae. 60.
In concursibus creditorum usurae dotalis pecuniae statim computantur a die soluti matrimonii. 61.
In fructibus immobilium quomodo procedatur? 62.
Casus §. 63.
Ratio decidendi remissive. 64.
Si maritus instituit uxorem haeredem, eamque fideicommisso gravavit, dotem propriam restituere non tenetur. 65.
Nisi expresse de dote restituenda dixerit testator. 66.
Ratio. 67.
Accessiones rerum inaestimatarum quatenus ad mulierem spectent? 68.
Quatenus ad maritum? 69.
Fructus ultimo anno percepti pro ratione temporis matrimonii consistentis sunt dividendi. 70.
Æstimatarum rerum lucrum et dispendium omne mariti est. 71.
Ratio. 72.
Casus §. 73.
Deciditur. 74.
Ut aequum est, patrem filii sui dotem habere praecipuam, ita etiam aequum est cohaeredes praestari indemnes. 75.
Filia emancipata vel exhaeredata, vel cum aliis haeredibus scripta haeres dotem habet praecipuam. 76.
Si Filia querelam inofficiosi testamenti contra patris testamentum movere vult, dos computanda est in legitimam et conferenda. 77.
Ratio. 78.
Ampliatur. 79.
Casus hujus §. 80.
Extraneus pro muliere dotem dans restitutionem dotis sibi stipulari potest. 81.
Limitatur. 82.
An hodie etiam feudi successor dotem sibi stipulari possit? 83.
Amplissimum allodium in Marchia Brandenburgica habentes ex feudo dotandae. 84.
Extraneus quando dat dotem pro puella, ipsi eam donare videtur. 85.
Limitatur. 86.
Pater cum consensu filiae dotem petere debet. 87.
Alter alteri petendo, novando, delegando praejudicare potest. 88.

1 *Pr.* Soluto Matrimonio duplex competebat uxo-
ri pro dote actio: 1. Ex stipulatu: 2. Actio Rei
2 uxoriae; Sed hanc Justinianus abrogat, et dat
3 semper actionem ex stipulatu, licet stipulatio
4 nulla interposita, quia fingitur uxor stipulata
sibi dotem reddi, multo magis si inutilis sti-
5 pulatio, v. g. si extraneus pro uxore stipulatus;
6 facilius enim confirmatur invalidum, quam intro-
ducitur plane non factum, modo non in con-
sensu sit vitium, *Sichard. hic num.* 8. horum
omnium vero ratio in utilitate publica, cum
7 publice intersit, dotem mulieribus conservari,
l. 1. *ff. Sol. matrim.* Praesumptio autem ista
non est, sed fictio, *Menoch. lib.* 3. *Praes.* 6. *num.*
4. Et ita frustra quaeritur, an stipulatio finga-
tur in persona muti et surdi, nam non metuen-
dum est, duplicem hic fictionem concurrere,
cum una veniat in consequentiam alterius, *Cam-
pegius de Dote P.* 1. *Qu.* 57. et ita non recte de
hoc dubitat *Baldus Novellus de Dote P.* 6. *Priv.* 8
2. *num.* 3. Ex dictis colligitur: *Legi pen. C. de* 9
dotis pro miss. quae est Theodosii, et Valentin.
per *hanc legem* esse derogatum, quae est Ju-
stiniani, *Bacch. in Treutl. vol.* 2. *D.* 6. *th.* 2.
lit. D. Licet contra nitatur *Petrus Barb. ad l.* 10
1. *p.* 3. *num.* 5. *et seqq. ff. Sol. matr.* Colligunt
etiam ex *hoc textu*: Expressionem actionis inuti- 11
lis non vitiare libellum, *Carpz. part.* 1. *Const.*
2. *Def.* 14. Alia Exempla habet *Card. Tuschus
Concl.* 67. *lit. A.*
§. 1. Maritus in bonis uxori vel soceri ratione 12
dotis promissae, vel ratione dotis evictae, ha-
bet hypothecam tacitam cum actione perso-
nali, uxor vero pro dote restituenda habet etiam
tacitam hypothecam in bonis mariti, sive ipsa
uxor dedit, sive extraneus pro ea, sive instru-
mentum dotale factum, sive non, et simul pri-
vilegium praelationis, per *l. assiduis C. Qui
potiores in pign.* Et sic observa tacitam hypothe-
cam duplicem, nam 1. Maritus ratione promis- 13
sae dotis habet tacitam hypothecam in bonis
parentis, vel alterius qui promisit dotem, *Beu-
therus de jure praelationis lib.* 1. *cap.* 75. *Dn.
Carpz. P.* 1. *Dec.* 57. ubi multis etiam rationi- 14
bus id firmat *Petr. Barb. in l.* 1. *p.* 3. *num.* 27.
ff. sol. matr. ubi contra *Neguz.* non idem sta-
tuit in alimentis uxori a marito praestitis, quia
textu destituimur: 2. Uxor ratione restituendae 15
dotis habet hypothecam in bonis mariti, *Baldus
Nov. de Dote P.* 6. *priv.* 7. *Neguz. Memb.* 4.
part. 2. *num.* 21. et multis sequentibus, ubi
hac de re plenissime *Covarr. part.* 1. *Resol.
cap.* 7. *num.* 1. *Jo. Guttierez part.* 1. *de Ju-
ram. conf. cap.* 46. Et hae hypothecae in quem- 16
cumque possessorem transeunt, *Ceph. cons.* 408.
num. 85. Collige etiam: Promissorem dotis ad 17
evictionem obligari, *Carpz. part.* 1. *Const.* 3.
Def. 25. vide notata ad *l.* 1. *C. de Jur. Dot.*
§. 2. Quod optimum est in rei uxoriae actio- 18
ne, in actionem ex stipulatu transfunditur,
ideo haec est bonae fidei, licet actio ex stipu- 19
latu alias sit stricti juris, *hic et §. fuerat* 29.
Inst. de Actionibus. Et hoc locum habet etiam 20
in marito, si dotem promissam petat a socero,
vel extraneo, nam et haec actio indistincte est
bonae fidei, ut tradunt *DD.* communiter ad *l.
de divisione* 5. *ff. sol. matr.* quos allegat ibi-
dem *Petr. Barb. num.* 76. Sed actio de Dote 21
restituenda, quam sibi reservavit extraneus
qui dotavit, est stricti juris, prout communiter
DD. statuunt, ex hac ratione, quia ibi nullum 22
versatur commodum dotis, et de hac actione 23
hic non agitur, *DD. in d. l.* 5. *et Barb. ib. num.*
77. *Bald. Nov. de Dote part.* 4. *num.* 5. *et* 7. *Za-
sius ad d.* §. *fuerat num.* 8. et quos *ad d.* §. al-
legat *Harprecht. num.* 4.
§. 3. Quod si a marito uxori quid relictum, 24
olim ex edicto Praetoris, aut dotem petere po-
terat, aut legatum, non utrumque; hodie utrum- 25
que, quia si debitor creditori quid leget, non 26
videtur id compensandi animo fieri, *l.* 85. *ff. de
Legat.* 2. *juncta l.* 33. *d. t.* Vid. *Anton. Faber in
Cod. suo lib.* 6. *tit.* 17. *Def.* 8. *et Carpzov. part.*
3. *Jurispr. Const.* 13. *Def.* 29. *Mantic. de Con-
ject. ult. volunt. lib.* 10. *c.* 2. et quos citat *hic*

27 *August. Barb. num.* 17. Et sic uxor, cui usus-
fructus relictus non prohibetur dotem petere,
28 *Steph. Grat. Tom.* 1. *cap.* 134. quia voluit liber-
tatem exercere, non debitum dotis extinguere,
29 *Aug. Barb. hic num.* 16. Sed quod de marito hic
dicitur, qui sponte recepit dotem, nolunt acco-
modare ad patrem, qui tenetur ad dotem re-
30 stituendam. Nam si pater residuum dotis post
mortem suam solvere promiserit, videtur pater
compensandi animo legare, si quid postea in
testamento legaverit, *Cephal. cons.* 486. *num.* 17.
31 §. 4. Exactio dotis, tam ex parte uxoris,
quam mariti ad haeredes transit, quia est rei
32 persecutoria, ratio in *fine* §. 1. *Inst. de perpet.*
33 *et temp. act.* Unde colligunt: Contractum fi-
ctum a lege introductum, non minus ad hae-
redes transire, ut contractum verum, *Bald. hic.*
34 §. 5. Ex hoc §. observa I. Maritum aut ejus
haeredes, muliere dotem petente, non posse
retinere dotem ob malos uxoris mores, quia a-
liter provident leges marito mores mulieris
accusanti, in *l.* 8. *et l. ult. C. de Repud.* Sed
ex *d. l.* 8. apparet, posse ob malos mores reti-
35 neri dotem; Respondet *Salyc. in d. l.* 8. intel-
ligi eos malos mores, qui pugnant, cum pudo-
re matrimonii, *Anton. Matth. ad l.* 48. *ff. tit.*
3. *cap.* 3. *num.* 1. de quo ulterius in *d. l.* 8. Nec
II. ob res uxori donatas, quia has, cum inter
maritum et uxorem non constet donatio, rei
vindicatione vel actione utili petere, vel si con-
36 sumptae sint, condicere potest. III. Nec ob res
ab uxore amotas, habet enim actionem rerum
amotarum. IV. Nec ob liberos, cum maritus
ipse ut pater eos alere debeat, licet hodie de
consuetudine ob liberos ut haeredes mulieris dos
retineatur, *Dn. Kohl. de pactis dotal. p.* 1. *num.*
43. *et seqq. Caevall. Q.* 378. nec V. ob culpam
aliquam mulieris, in vers. *ne varium genus etc.*
ubi nova et a praecedenti causa liberorum distin-
cta causa videtur intelligi, *Petr. Barb. in l. post do-*
37 *tem* 41. *num.* 5. *ff. sol. matr.* VI. Nec ob impen-
sas in dotem factas; nam aut sunt necessariae,
et hae ipso jure minuunt dotem, adeo ut dos
integra soluta pro parte repeti possit, *l.* 5. *pr.*
et §. *fin. ff. de impens. in rem dot. factis*, aut
sunt utiles, et hae, si voluntate uxoris factae,
datur Actio Mandati; si sine voluntate, datur Actio
Negotiorum Gestorum, aut voluptuariae, et has,
si separari possint, et marito prosint, detrahe-
re maritus potest, *l.* 9. *ff. d. t. et l.* 39. *ff. de pet.*
haered. et ideo speciale est in dote ratione ex-
pensarum, quod licet res pro expensis retineri
possit, *Neguz. de Pign. P.* 5. *num.* 4. tamen
haec in expensis pro dote non habent locum,
licet compensationem admittant, si in quanti-
tate dos consistat, cum aliud sit retentio, aliud
compensatio, *Petr. Barb. ad l.* 8. §. *ob donatio-*
nes num. 3. *ff. sol. matr. Donell. lib.* 14. *c.* 8.
Pac. c. 5. *Q.* 60. Deinde licet voluptuariae expen-
sae consensu domini factae alias pariant restitu-
tionem, et retentionem, hic tamen secus, *Me-*
noch. Remed. 15. *Recup. possess. num.* 535. *Petr.*
Barb. in d. l. 8. §. *fin. P.* 1. *num.* 89. *in fine.*
38 §. 6. Actio ex stipulatu, etiam si stipulatio non
sit interposita, quia tantum intervenisse fingitur,
ad haeredem uxoris mortuae transfertur, nec lu-
cratur eo casu maritus dotem, nisi id actum,
39 scilicet pacto, ut lucraretur maritus dotem, item
ne uxor dotem repetat, quod pater non potest
40 pacisci, bene tamen extraneus, *Kohl. de pactis*
dotal. p. 1. *num.* 82.

§. 7. Maritus actione de dote conveniendus, 41
in quantum facere potest, et ne egeat, quia 42
hoc aequissimum etc. praestita cautione de sol- 43
vendo superfluo, si ad meliorem fortunam per-
venerit. Res mobiles autem intra annum, im- 44
mobiles statim restituendae sunt, si fieri possit.
Et si in mora sit, a tempore morae aestima- 45
tionis rerum mobilium usuras trientales, id est
4. pro centum, ratione immobilium vero fru-
ctus civiles vel naturales uxori praestabit. Idem
de vecturis navium, pensionibus jumentorum,
operis servorum et quaestu civilium annonarum.
Notetur igitur I. Maritum ob reverentiam ipsi 46
debitam frui beneficio competentiae, ut tantum,
in quantum facere potest, conveniatur et exi-
gatur, quam Regulam multis ampliat *Caspar.*
Manzius in Patroc. Pauperum Decade 3. *Q.* 1.
num. 46. *et seqq. vid. Auctor in l.* 12. *ff. solut.*
matrim. per tot. Sed hoc non nisi marito, et filio
communi competit, *Zasius in l. maritum* 12. *ff.*
sol. matrim. n. 4. et huic beneficio, licet maritus
non possit renunciare, *l.* 14. §. 1. *d. t. Zas. d. l.*
num. 3. *et* 33. facto tamen potest se reddere 47
indignum, dolosa scilicet dissipatione, per *hunc*
§. *et per l.* 18. §. 1. *ff. sol. matr. ibique Auctor.*
Si etiam uxor actione reali rem dotalem petat, 48
non putat esse locum huic beneficio *Zasius ad d.* 49
l. 12. *num.* 10. *Brunus de Cess. Bon. quaest.* 20. 4.
quaest. principal. num. 7. licet aequius sit, ma-
ritum audiendum esse, si nulla alia bona ha-
beat, *Zang. de Except. P.* 2. *cap.* 15. *num.* 23.
et quos laudat *Manzius d. l. num.* 49. alias exce- 50
ptiones autem vide apud *Petr. Barb. in d. l.* 12.
num. 9. et passim. II. Quod maritus uti volens be- 51
neficio competentiae, et sic etiam omnis alius hoc
fruiturus, debeat cautionem praestare de solven-
do residuo, si ultra competentiam suam et con-
gruam sustentationem aliquid adquisierit, per
hunc §. *et l. verum* 63. §. 4. *ff. pro Socio, Schnei-*
devv. in §. *sunt praeterea Inst. de Act. num.* 9.
Manzius d. c. num. 124. licet in donatore aliud 52
esse putet *Petr. Barb. ad l. maritum num.* 100. *ff.*
sol. matr. III. Terminus solutionis dotis, quod 53
res in quantitate constantes vel res mobiles intra
annum, immobiles vero statim restituendae, cum
antea dos restituenda esset annua, bima, trima
die, id est, intra tres annos restituenda singulis
annis, die ultimo singulorum una tertia pars,
Molin. Tr. 2. *D.* 442. *num.* 2. et ille terminus 54
hujus §. observandus, si contrarium in pactis 55
dotalibus non fuit constitutum, *Molina d. l. et*
Anton. Gomez in l. Tauri 50. *num.* 46. quem
ille refert. Interim autem vidua alenda ex bonis 56
mariti vel defuncti, *Thes. dec.* 44. *Vinc. de Franch.*
decis. 303. et plures citans *Riccius Coll. decis.* 98.
Molina d. D. 442. *num.* 4. IV. Si res dotales sint 57
immobiles, atque marito traditae inaestimatae,
quod tunc fructus earum, a die soluti matrimo-
nii pertineant ad uxorem, vel ejus haeredes.
Et idem, si sint res mobiles fructiferae, ut pe- 58
corum fructus, mercedes locationis, jumentorum
aut servorum vel pensiones jurium, scilicet ut
debeantur fructus a tempore morae. Moram 59
autem non contrahit in mobilibus Maritus nisi
post annum. Ergo tunc fructus etiam tenetur 60
restituere ex mobilibus scilicet post annum per-
ceptos, *Vid. Petr. Barbos. ff. sol. matrimon. ad*
l. 2. *princ. num.* 7. *et ad l. divortio* 8. §. *non solum*
num. 4. *et num.* 8. Et ita fructus rerum aesti-
mato datarum, et quantitatis usurae spectant
interim, (donec vel per *hanc legem* vel pactum

teneatur restituere maritus) ad maritum vel ejus haeredes, salvis tamen uxori alimentis, *Molina d. t. num.* 3. post *Ant. Gomez d. l. num.* 57.
61 Sed in Concursibus creditorum dotalis pecuniae usuras vidi statim computari a die soluti matri-
62 monii. Sed in fructibus immobilium notanda est decisio *l.* 7. §. 1. *ff. sol. matr.* ut tempus locationis quoad divisionem pensionis, et tempus contractus matrimonii quoad divisionem fructuum inspiciatur. Vid. *Hartmann. Pist. part.* 1. *Q.* 24. *et seq. Treutl. et ibi Bacchov. V.* 2. *D.* 7. *thes.* 12. *lit. C. Zasius in d. l.* 7. §. 1.
63 §. 8. Quando uxor instituta est haeres, et haereditas onerata est legatis, adeo ut Falcidiam deducere opus habeat, Quaeritur: *An in Falcidiam dos computanda?* Quod negatur, sed dos (ut alienum aes) deducenda: et postea ineun-
64 da ratio legis Falcidiae, ratio in *l.* 39. §. 1. *ff. de*
65 *V. S.* Colligunt ex *hoc* §. Si maritus instituit uxorem haeredem, eamque fideicommisso gravavit, quod dotem propriam restituere non te-
66 neatur, nisi expresse dixerit testator de dote
67 restituenda, quia in fideicommisso universali non continentur ea, quae gravatus erat habiturus, alio instituto haerede, per *l. sequens* 68. *de Legat.* 2. *Mantic. de conject. ult. volunt. lib.* 7. *tit.* 8. *num.* 28. *Peregrinus de Fideicom. art.* 6. *num.* 1. *Fusarius de Substit. qu.* 662. *per totam.*
68 §. 9. Rerum inaestimatarum accessiones, quae extra fructum sunt, ut partus ancillae, vel quae servi non ex operis, neque ex re mariti, sed aliunde acquirunt, ad mulierem pertinent, ratio in §. 37. *Inst. de R. D. Auctor in l.* 7. *ff.*
69 *h. t. num.* 2. Reliquae quae in fructu sunt, ut foetus pecudum, ad mariti lucrum pertinent,
70 quamdiu stetit conjugium; Sed qui fructus ultimo anno sunt percepti, pro ratione temporis matrimonii consistentis sunt dividendi, per *d. l.* 7.
71 §. 1. *ff. sol. matrim.* aestimatarum autem omne lucrum et dispendium mariti est, per *l.* 5. *tit.*
72 *praeced.* quia emptio est. De hoc dictum est ad §. *praeced.*
73 §. 10. Avo pronurus dotem dederat, quia enim ille habebat in potestate et filium et nepotem, et sic ferebat onera matrimonii, avus moritur, filius vult nepotis et nurus suae dotem habere praecipuam, quia tunc ferebat onera matrimonii, quippe non soluta per matrimonium patria potestate. Ergo ibi dos esse debet, ubi onera, per *l.* 56. §. 1. *ff. de jure Dot. l.* 20. §. 2. *ff.*
74 *fam. herciscf?* Respond. Posse, modo cautionem praestet cohaeredibus, si a nuru cohaeredes ex stipulatu conveniantur soluto matrimonio, quia
75 ut aequum est, patrem filii sui dotem habere praecipuam, ita aequum etiam est, cohaeredes praestari indemnes, *hic et d.* §. 2.
§. 11. Hic incipit tractare Justinianus de iis, quae erant propria actionis rei uxoriae, quae transfundit in actionem ex stipulatu et sicut olim in actione rei uxoriae, ita hodie in actio-
76 ne surrogata ex stipulatu, Filia emancipata etiam vel exhaeredata, vel cum aliis haeredibus scripta haeres dotem habet praecipuam.
77 §. 12. Quando filia querelam inofficiosi testamenti contra patris testamentum movere vult, dos computanda est in legitimam et conferen-
78 da, quia praesumitur pater dotem vel donationem propter nuptias liberis dare contemplatione legitimae aliquando petendae. Et quidem
79 hoc de nepotibus etiam dicendum, qui dotem matri datam imputare tenentur in legitimam eo casu, quo mortua matre et avo, ad avi haereditatem adspirant, *Thesaur. Dec.* 237. *Rodericus Suarez in Repet. legis quoniam in prioribus limit.* 4. *num.* 11. *C. de inoff. testam.* et quos congessit *Heingius P.* 1. *Qu.* 24. *num.* 2.
§. 13. Si extraneus, id est, qui non est ex 80
Ascendentibus, nec mulierem habet in potestate, det dotem pro muliere, nec sibi expresse dotem reddi stipuletur, actio ex stipulatu non datur extraneo, ne, quod pro mulieribus introductum, in eorum odium retorqueatur, sed ipsi mulieri quasi extraneus ipsi donasset, et ipsa pacta esset, datur actio, pater autem dans dotem ipse stipulatus fingitur. Colligitur: I. Ex *hoc* §. Posse extraneum pro muliere dotem dan- 81
tem sibi stipulari restitutionem dotis, quod *Petr. Barb. in l.* 1. *p.* 4. *num.* 136. *ff. Sol. Matr.* limitat, nisi extraneus cogi poterat ad dotan- 82
dum, ut frater; Et quia hodie filiae nobiles in 83
subsidium dotandae e feudis ab agnato, *Hartm. Pist. lib.* 2. *P.* 2. *Qu.* 37. *num.* 1. *Schultes ad Mod. Pist. Qu.* 122. *num.* 33. *Berlich. P.* 2. *Concl.* 55. *num.* 7. *Dn. Carpzov. Dec.* 172. *Koeppen Dec.* 51. *num.* 87. Et in Marchia Brandenburgi- 84
ca etiam amplissimum allodium habentes ex feudo dotandae. Certe non posset feudi successor sibi stipulari dotem, quia ex necessitate tenetur. II. Extraneum, quando ille dotem dat 85
pro puella, videri eam ipsi donare, *Tiraq. in l. si unquam, verbo,* donatione largitus, *n.* 40. *C. de Revoc. Donat. Surdus de Alimentis tit.* 6. *Qu.* 1. *num.* 2. quod limitatur, nisi extraneus 86
administret bona virginis, vel esset debitor virginis, quia animo se liberandi ab obligatione, qua mulieri tenebatur, praesumitur promisisse dotem, vel si fidejusserit pro muliere, *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 80. *Petr. Barb. in l.* 1. *p.* 4. *num.* 58. *ff. Sol. matr. Molina Tr.* 2. *D.* 424. *num.* 7. Sed patruus videtur patri virginis potius donare (nam patris est onus) quam filiae, *Riminald. cons.* 31. *num.* 114. III. Nota: Quis sit extraneus dotator, ut sciamus quaenam dos sit adventitia. IV. Observandum, in patre fingi stipulationem, non extraneo.
§. 14. Quia actio de dote profectitia, filiaefamilias data, communis est patri et filiae, et pa- 87
ter cum consensu filiae debet dotem petere; nec alter alteri petendo, novando, delegando 88
praejudicare potest, per *l.* 2. §. 1. *ff. sol. matr.* et ibi *Zasius, et Petr. Barb. ac Anton. Faber lib.* 13. *conject. c.* 5. ideo solus pater sine consensu filiae de dote ex stipulatu agere nequit, mortuo autem patre dos ad filiam, ut proprium patrimonium revertitur.

Authent. Sed quamvis.

SUMMARIA

Dicta in §. 13. *l. praec.* per hanc auth. *temperantur. num.* 1.
Dos est proprium mulieris patrimonium, licet in potestate sit patria. 2.
Ratio. 3.
Liberi cum parentibus nimis acerbe agere non debent. 4.
Ad impossibile nemo obligatur. 5.
Pater, qui filiae dotem exegit, debitor filiae dicitur. 6.

Pater eamdem dotem filiae renubenti iterum dare debet, etiamsi dos tantum promissa sit et non soluta. 7.
Plures ampliationes remissive. 8.
Uxor ad secundum maritum eamdem praesumitur afferre dotem, quam primo marito dedit. 9.
Res immobilis inaestimata data ubicumque posita nec alienari potest nec obligari a marito. 10.
Ne cum consensu quidem uxoris. 11.
Ratio. 12.
Juri hypothecae renunciari potest. 13.
An hoc etiam ad res mobiles, quae servando servari possunt, sit extendendum? 14.
Wesenbecius *notatur.* 15.
Deciditur negative. 16.
Pacta dotalia quatenus debeant manere illibata? 17.
It. et quae de repudio. 18.
Lex haec an et quatenus deroget omnibus legibus contrariis? 19.
Quod de bona gratia dicitur sustulit Imperator Nov. 117. *cap.* 10. *num.* 20.
Sed et jure Can. et moribus non licet etiam mutuo consensu dirimere matrimonium. 21.

1 Dictum in §. 13. Patrem, si dotem det, tacite videri stipulatum, dotem sibi reddi, ideoque dos soluto matrimonio redit ad patrem, non viduum, hoc temperat *haec Auth.* ut si filia secundo nubat, pater non possit diminuere dotem, nisi clade fortuita bona ipsius sint demi-
2 nuta. Regulae ratio est: quia dos est proprium mulieris patrimonium, licet in potestate sit pa-
3 tria, *l.* 3. §. 5. *ff. de Minoribus*, et quia dos a patre data semel alienata est ab ejus substantia, *l. ult. ff. de Dotis Collatione, Rittershus. in Nov. P.* 5. *cap.* 4. *num.* 2. Exceptionis autem ratio, cur facultatibus lapsus pater in posteriori matrimonio minorem dotem pro statu praesenti constituere possit, est haec, quia non debent
4 liberi agere nimis acerbe cum parentibus, et
5 ad impossibile nemo obligatur, *Rittershus. d. l. num.* 3. Vid. *Kohl. de Pact. Dotal. P.* 1. *c.* 1.
6 *num.* 19. *et* 37. et ideo pater, qui exegit dotem, dicitur filiae debitor, *Campeg. de dote p.* 3. *qu.* 106. Et sic collige ex *hac l.* Regulam; Quod
7 pater eamdem dotem filiae renubenti iterum dare debeat, etiamsi dos tantum promissa sit et non soluta, *Tiraq. de Retr. Convent. ad finem*
8 *tit. n.* 35. alias ampliationes vide *in Petr. Barb. in l. post dotem* 41. *ff. sol. matr. n.* 33. et quos laudat *August. Barb. hic in collectan.* et non tantum in quantitate eadem dari debet dos, sed et in qualitate, *Casp. Ant. Thes. l.* 3. *q.* 72. *num.* 14. si ergo pater in prima constitutione dotis non sit stipulatus sibi reddi, haec stipulatio in secundis nuptiis a patre fieri nequit, *Barb. in l. post dotem num.* 32. *ff. Sol. Matr.* Et habet *haec Auth.* locum etiam in dote non data, sed promissa, *Barb. d. l. num.* 33. plures allegans, licet sit dos data immodica, *Barb. d. l.* licet posteriores nuptiae sine consensu patris contractae, *Barb. d. l.* Unde colligitur: uxorem ad secun- 9
dum maritum eamdem praesumi afferre dotem, quam primo marito dedit, per *l. dotem* 30. *ff. de jure Dot. Gail. lib.* 2. *Obs.* 82. *num.* 7. *Mantic. de tac. et amb. convent. lib.* 12. *tit.* 15. *Men. lib.* 3. *praes.* 6. *num.* 25. *et seqq. Pruckm. vol.* 2. *cons.* 1. *num.* 473. *Carpz. p.* 2. *Const.* 16. *def.* 11. *Roland. de Valle de Lucro dotis qu.* 80. *num.* 11.

§. 15. Res immobilis inaestimata data ubicum- 10
que posita, nec alienari potest, nec obligari a Marito, ne cum consensu quidem uxoris. Ratio 11
in fragilitate sexus et favore dotis. Et ita fundus 12
dotalis inaestimatus, ne quidem consentiente uxore alienari potest, *Guttierez de juram. confir. l.* 1. *c.* 1. *num.* 92. *Bald. Nov. de dote p.* 7. *c.* 1. *num.* 5. *Petr. Barb. in l.* 1. *p.* 5. *ff. sol. matr. num.* 2. *et seq.* quamvis alias juri hypo- 13
thecae renunciari possit, *l.* 11. *sup. ad SCtum Vellej.* Sed Quaeritur: *An hoc etiam ad res* 14
mobiles, quae servando servari possunt, sit extendendum? quod affirmat *Wesenbec. in π. de* 15
Fundo dot. num. 4. Sed id ibidem recte negat 16
Bacchov. in notis, non enim licet sententiam legis extra textus producere, nam hic ad provinciales fundos tantum extenditur, non ad mobilia, et repugnat *l.* 3. §. 2. *ff. de suis et legit. l.* 3. *C. de fundo dot.*

§. 16. Pacta dotalia super tempore restitutio- 17
nis vel usuris, quae non sunt contra hanc vel aliam constitutionem, et dotis causam non reddunt deteriorem, debent manere illibata, sicut et quae de repudio, *infra l.* 8. 9. 11. *C. de Re-* 18
pud. tradentur, et quaecumque *hac lege* expresse non sunt abrogata, locumque tantum habet in futuris dotibus, ex quo infertur, *Legem* 19
hanc derogari omnibus legibus sibi contrariis, ut hic notat *Salyc.* Sed quod de bona gratia 20
dicitur, non obtinet. Nam non tantum Imp. *Nov.* 117. *c.* 10. id sustulit; sed et jure Cano- 21
nico et consuetudinario non licet etiam mutuo consensu dirimere matrimonium, de quo infra.

TITULUS XIV.

De pactis conventis, tam super dote, quam super donatione ante nuptias, et paraphernis.

L. Legem. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Omne pactum quod rei traditioni accedit, nudum non est. 2.
Hodie ex pacto nudo deliberato datur actio. 3.
Exigua hujus legis est utilitas. 4.
Extraneus dotem si dederit in ipsa traditione pacisci potest de dote restituenda. 5.
Etiam ignorante puella. 6.
Ratio. 7.

Dedi pro alumna dotem cum hoc pacto, ut 1
mortua uxore mihi dotem redderes, sequuta morte renuis restitutionem, sub hoc praetextu,

quod ex pacto nudo non detur actio; Sed respondetur, non esse nudum pactum, quod traditione rei, ut hic, pecuniae, vestitum est.
2 Ergo omne pactum, quod rei traditioni accedit, nudum non est, Vid. *l.* 10. *sup. de Pact.* cum qua haec eadem, sed alia super-et subscriptio.
3 Sed cum hodie ex pacto nudo deliberato tamen actio detur, exigua hujus legis utilitas. Hoc ta-
4 men manet, quod extraneus dotem si dederit, in ipsa quidem traditione possit pacisci de dote
5 restituenda etiam ignorante puella, quia legem
6 rei suae dicit, sed postea nihil agit, *argum. hujus l. et l. ex morte infr. h. t. DD. in §. accedit tit. praeced. Bald. Nov. P.* 6. *Priv.* 11. *num.* 9. *Dn. Kohl. d. tr. p.* 1. *c.* 1. *num.* 48. *et Petr. Barb. in l.* 2. *pr. num.* 147. *ff. Sol. Matr.*

L. Fructus. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi ratio. 3.
Non est prohibita donatio inter virum et uxorem, si ad alimenta fiat. 4.

1 Dotem dedit uxor marito hac lege, ut fructus perciperet ipsa uxor, et ex iis se et libe-
2 ros suos aleret; Videtur hoc non valere, quia sterilis esset marito dos, *l.* 4. *ff. h. t.* Sed re-
3 spond. valere, quia sustentatio uxoris et liberorum incumbebat Marito: Ergo, quia uxor in se transfert hoc onus videtur maritus ipse dotem accepisse, *d. l.* 4. *in fin. et* 12. §. 1. *ff. h. t.* et hoc non donatum, sed compensatum est, *l.* 21. §. 1. *in fin. ff. de donat. inter virum et uxorem.*
4 Collige ergo: Non esse prohibitam donationem inter virum et uxorem, si donatio fiat ad alimenta, per *l.* 16. *ff. sol. matr. Ludov. Lopez l.* 2. *de Contr. c.* 47. *casu* 8. *Petr. Barb. in l. quae dotis* 34. *num.* 66. *et seqq. ff. sol. matr. Steph. Fagundez de J. et J. lib.* 4. *c.* 11. *num.* 32.

L. Quamvis. 3.

SUMMARIA

Pater paciscendo filiae conditionem ratione dotis deteriorem reddere non potest. num. 1.
Exemplum subjicitur. 2.
An et quatenus conveniri possit, ut dos retineatur? 3.

1 Pater paciscendo filiae conditionem non potest reddere deteriorem ratione dotis, v. g. si
2 paciscatur, ut dotis pars propter liberos retine-
3 retur, *l.* 3. *h. t.* Nam quamvis hoc convenire possit, ut propter liberos retineatur dos, *l.* 1. *ff. de dote praelegata*, hoc tamen de eo casu tantum intelligendum, quando matrimonium uxoris morte dissolvitur, vel per divortium, sed aliud, quando morte mariti dissolvitur, nam tunc uxor redderetur indotata, *Petr. Barb. ad l.* 2. *pr. p.* 1. *num.* 147. *et num.* 150. *ff. sol. matr. Bald. Nov. p.* 7. *de dot. privil.* 11. *Mantic. de tac. et amb. conv. lib.* 12. *tit.* 33. *num.* 42. *Boerius dec.* 288. *num.* 2.

L. Pactum. 4. et L. Pater. 7.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Mater circa dotem stipulando nullam actionem liberis acquirit. 3.
Limitatur. 4.
Ratio limitationis. 5.
Pater nepotibus ex filia stipulari et actionem acquirere potest. 6.
Non quidem directam, sed tantum utilem. 7.
Ratio. 8.
Principes optime consulerent parentibus, si facultatem darent stipulandi liberis, et nepotibus. 9.

Mulier pacta est cum marito de reddenda 1
dote filio communi emancipato a patre, si in matrimonio decesserit, Quaeritur: *An filius dotem ex hac conventione petere possit?* Et Respondetur quod non, quia per alium actio alii 2
non quaeritur. Nota ergo: Quod mater circa 3
dotem stipulando nullam actionem liberis acquirat, *Anton. Gabr. lib.* 7. *concl. comm. tit. de Verb. Obl. concl.* 1. *num.* 7. nisi ipsi liberi stipulati 4
sint, ubi, si emancipati sint, cum patre agere possunt, quia per liberam personam alteri actio 5
non quaeritur, praesertim quae in potestate non est; nec opus est in hac specie *legis* 4. utili actione, cum mater ex testamento, vel ab intestato alias dotem in liberos suos transmittat, aut si vivo patre moriatur, dotem pater nepotibus suis praestare potest. Ergo non opus est auxilio subsidiario, *l. in causae ff. de Minor. Kohl. in Tr. de pact. dot. part.* 1. *num.* 99. Sed pater nepotibus ex filia potest stipulari, et eis 6
actionem acquirere, non quidem directam, sed 7
tantum utilem, *l.* 7. *h. t.* Vid. *l. Cajus* 45. §. 2. et ibi *Zasius ff. de Verb. Obligat. Bald. Nov. de dote p.* 6. *priv.* 22. *num.* 1. *P. Barb. in d. l. Cajus num.* 2. *et* 7. *Alciatus Resp.* 699. *num.* 2. *Ant. Fab. l.* 3. *c.* 5. rationem *Kohl.* 8
assignat hanc, quod pater alias liberis providere non possit, cum post obitum ipsius actio, quae ei cum filia communis erat, in filiam consolidetur, *l. sed etsi in fin. ff. sol. matr.* Sed non multum utilitatis habent hae subtilitates. Benefacerent Principes, si omnibus parentibus 9
daretur facultas stipulandi liberis et nepotibus quia parentum omnino interest. Valde de his legibus tricatur *P. Barb. ad d. l. Cajus num.* 7.

L. Haereditas. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Pacta dotalia super dote et donatione propter nuptias an et quatenus valeant. 2.
Pacta dotalia in vim ultimae voluntatis confecta ab una parte revocari possunt. 3.
Quibus casibus de quota haereditatis vel de certis bonis in his pactis jure civili disponi possit, remissive. 4.

1 Pactum est inter Maritum et Uxorem, ut hac mortua, omnia bona uxoris ad maritum revertantur, pactum hoc non valet, cum pactis haereditas non detur, *hic et l.* 15. *supr. de Pact.*
2 Nam licet pacta dotalia super dote et donatione propter nuptias valeant, non tamen valent, si terminos pactorum egrediantur, et de mutua conjugum successione etiam in aliis bonis disponant, *Mantic. de tac. et amb. convent. titul.* 31. *Hartm. Pist. lib.* 4. *quaest.* 2. *n.* 21. *Dauth. de Testamentis num* 81. et alii. Sed de consuetudine pacta valent etiam in vim ultimae voluntatis, *Matth. Coler. p.* 1. *dec.* 61. *num.* 18. *Thesaurus decis.* 225. *num.* 12. *Dn. Pruckman. cons. ult. num.* 23. *vol.* 2. *Ant. Faber lib.* 5. *Cod. tit.* 9. *def.* 6. *Dn. Carpz. p.* 2. *Const.* 43. *def.*
3 2. *Kohl. p.* 2. *de pactis dotal. num.* 70. Sed haec pacta in vim ultimae voluntatis confecta ab una parte revocari possunt, *Dn. Pruckm. vol.* 2. *cons.* 1. *num.* 335. *Berlich. part.* 2. *concl.* 51, *num.* 26. *Carpz. d. c.* 43. *def.* 10. *Kohl. d. l. num.* 80. licet pacta dotalia de dote vel certa parte bonorum concepta non possint ab una parte mutari, *Pruckman. d. l. num.* 339. *Berlich. num.* 25. *Kohl. num.* 79. *Wesenb. in C. h. t.*
4 *num.* 4. *Treutl. vol.* 2. *disp.* 7. *th.* 7. quibus autem casibus etiam jure civili de quota haereditatis vel de certis bonis disponi in his pactis possit, de eo vid. *Fachin. lib. cap.* 84. *et seqq. Gail. lib.* 2. *obs.* 126. *num.* 8. *Cothm. cons.* 78. *num.* 168. *Balthas. tit.* 1. *resol.* 16. *num.* 3. *et seqq. Dn. Richter. decis.* 26. *Berlich. p.* 2. *concl.* 51. *num.* 3.

L. Si convenit. 6.

SUMMARIA

Pater suam conditionem ratione dotis deteriorem reddere potest. num. 1.
Suo favori quivis renunciare potest. 2.

1 Pater suam conditionem reddere potest deteriorem ratione dotis, et si dos ad eum reversura est, v. g. mortua filia, potest pacisci, ut dos penes maritum permaneat, quia licet non
2 favori filiae, suo tamen favori renunciare potest. Et hoc pactum validum est, licet uxor prior decesserit superstitibus liberis, *Card. Mant. de tac. et amb. convent. lib.* 12. *tit.* 33. *num.* 3. *P. Barb. in l.* 2. *in pr. p.* 1. *num.* 159. *ff. sol. matr.*

L. Hac lege. 8. et L. Si mulier. ult.

SUMMARIA

Uxor et maritus bona sua invicem ad communem usum communicant. num. 1.
Maritus legitimus est bonorum communium administrator. 2.
Maritus exactam sortem quomodo vel uxori reservare, vel volente ea expendere debeat. 3.
Usuras quomodo expendat? 4.
An et quatenus pro paraphernalibus mariti bona uxori sint obligata? 5.
Si mulier vel alius instrumenta tradiderit, exinde mandatum praesumitur. 6.
Quatenus maritus paraphernalium bonorum fructus consumere possit. 7.
Provisio hominis an tollat provisionem legis? 8.
Mulier in bonis mariti ob paraphernalia tacitam hypothecam habet. 9.
A quo tempore competat? 10.
Maritus eam rebus paraphernalibus custodiam adhibere debet, quam suis rebus adhibet. 11.
Paraphernalia bona etiam constante matrimonio repetuntur, licet ad inopiam maritus non vergat. 12.
An paraphernalia marito non tradita, talia sint dicenda proprie? 13.
An ex paraphernalibus et quatenus maritus quicquam lucretur? 14.

Ut maritus uxori bona sua ad usum commu- 1
nem communicat, ita et uxor sua bona extra dotem sive paraphernalia communicat marito, et hic est legitimus eorum administrator, sed 2
uxor retinet dominium, ideoque maritus super iis agit in judicio sine mandato, *l.* 21. *supr. de Procuratoribus*, si igitur sortem exigat, eam 3
uxori debet reservare, vel volente uxore expendere. Usuras vero in suam et uxoris utilitatem 4
expendat, si qui autem fructus extent nondum consumpti, vel etiam aliqui non in communem, sed solam mariti utilitatem forte ab eo conversi sint, v. g. ad solvendum ejus aes alienum, ad eorum restitutionem aut pretii solutionem tenebitur, *Cothm. vol.* 1. *consil.* 49. *num.* 109. *et seq. Dn. Mev. ad Jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 5. *pr. num.* 12. *Menoch. lib.* 3. *praes.* 9. et pro his 5
paraphernalibus Mariti bona tacite sunt uxori obligata (sine tamen privilegio praelationis. Vid. *Carpz. part.* 1. *Jurispr. Const.* 28. *def.* 86.) nisi quaedam bona expresse et in specie sint obligata, ac maritus teneatur eamdem diligentiam in his praestare, quam in rebus suis, *hac in l. final.* Colligitur ex *hac l. final.* I. Si mulier vel 6
alius etiam instrumenta tradiderit, quod tunc exinde praesumatur mandatum, quod communiter teneri dicit *Gail. lib.* 1. *Obs.* 133. *num.* 4. Conf. *Mantic. lib.* 7. *tit.* 9. *num.* 1. et quos hic allegat *Aug. Barb. num.* 10. *Myns. Cent.* 3. *Obs.* 53. *num.* 4. et quidem agit Maritus sine cautione de rato, ut *hic in l. fin.* expresse dicitur. II. Maritum posse fructus paraphernalium bo- 7
norum consumere in usus promiscuos suos et uxoris, non suos tantum, *Petr. Barb. ad l.* 1. *p.* 1. *num.* 31. *ff. sol. matr.* et quos supra adduximus. III. Provisionem hominis tollere pro- 8
visionem legis, *Neguz. de Pign. M.* 4. *part.* 2. *num.* 87. et quos hic *August. Barbos.* allegat, et *Dn. Carpzov. lib.* 2. *Resp.* 37. nam hic expresse dicitur, mulierem hypotheca sibi nominatim scripta debere esse contentam, de qua regula pluribus agit *Castillo de usufr. cap.* 19. *num.* 14. *usque ad fin. Barb. locuplet. lib.* 14. *c.* 104. *axiom.* 5. *Dn. Richter. de priv. cred. disput.* 8. §. 5. *in fine.* Ego putarem dici posse, provisionem hominis non tollere provisionem legis, nisi ubi specialiter Legislatori hoc placuerit, ut hic ratio regulae negative propositae est, quia renunciatio juris non facile praesumenda, et posset sibi providens ignorare beneficio communi, et in dubio contra renunciationem beneficii respondendum est, et renunciatio non praesumitur,

nisi probetur, *Barb. locupl. lib.* 16. *cap.* 31. *axiom.* 7. *Carpz. p.* 1. *dec.* 99. *num.* 12. IV.
9 Mulierem habere tacitam hypothecam in bonis mariti ob paraphernalia. Sed illa hypotheca compe-
10 tit non a die nuptiarum, sed a tempore eo, quo exegit, per verba textus evidentia, *Carpz. parte* 2. *Const.* 24. *def.* 3. *Mol. ad p.* 1. *Const.* 28. *num.* 37. *Hartm. Pist. Obs.* 143. *num.* 1. et hos laudans *Dn. Richter. de priv. creditorum*
11 *Disp.* 6. *pag.* 169. V. Maritum eam custodiam rebus paraphernalibus adhibere debere, quam suis rebus adhibet, per *verba textus manifesta*; sed haec ita, si mulier consentiat, ut maritus administret, *d. l. fin.* vers. *ante enim habeat etc.* Secus si prohibeat, per *l.* 8. ubi ratio dubitandi in vers. *Quamvis enim bonum*: et ratio decidendi in vers. *Attamen quoniam etc.* nam, quod maritus sine mandato agere possit, haec est ratio, quod praesumitur consensus uxoris, si marito agenti instrumenta tradiderit, *Gail. l.* 1. *Obs.* 133. *num.* 3. Sed ubi dissensus est manifestus, praesumptio excluditur. Ex qua
12 *lege.* 8. Colligitur: I. Paraphernalia bona, etiam constante matrimonio, repeti, licet maritus ad inopiam non vergat, *Bald. in l.* 29. *sup. de Jur. dot. num.* 27. *Menoch. cons.* 56. *num.* 9. *Petr. Barb. in l.* 1. *p.* 1. *num.* 30. *ff. sol. matr.* II. Potest colligi sententia *Carpz. P.* 1. *Const.*
13 28. *D.* 90. quod paraphernalia, quae marito tradita non sunt, non sint proprie paraphernalia, scilicet de effectu intelligendum. Nam paraphernalia ea etiam esse ex *hac lege* apparet, quae marito non sunt tradita, sed effectum non habent, id est hypotheca non competit. III. Col-
14 ligitur: Ex paraphernalibus, si eorum custodia neque espresse neque per manifestam patientiam marito concessa, nec administratio, nec usus, maritum nihil lucrari, sed si quid perceperit, refundere teneri, *per l.* 9. §. *fin. ff. de jur. dot.* per allegata *Dn. Mevii d. tit.* 5. *num.* 7. idque etiam in consumptis, *Menoch. d. praes.* 9. *num.* 19. et quos allegat *Mevius d. l. num.* 8.

L. Ex morte. 9. Auth. Aequalitas. et L. Lege Leonis. 10.

SUMMARIA

Aequalitas in pactis appositis de lucranda dote vel donatione propter nuptias quatenus servanda? num. 1.
Authentica haec *usu non servatur.* 2.
Observantia Camerae Brandenburgicae. 3.
Rectissime haec Justiniani Constitutio abolita. 4.
Ratio. 5.
Quae in dote data constituta sunt, etiam in donatione propter nuptias repetita intelliguntur. 6.
Usus hodiernus. 7.
Pactum super dote vel donatione propter nuptias interpositum ad augmentum dotis quoque erit trahendum. 8.

1 Aequalitas est servanda in pactis appositis de lucranda dote vel donatione propter nuptias, sed in quota, non in quantitate, v. g. si maritus debet lucrari partem tertiam dotis, uxor etiam debet lucrari tertiam partem donationis propter nuptias, in casum mortis mariti, adeo ut si pacta sint inaequalia, majus debeat trahi ad se minus, per *l.* 10. Vid. *notata ad l. ult. sup. de Donat. ante nupt.* Sed *Auth. Aequalitas etc.* ex *Nov.* 97. *cap.* 1. *et* 2. praecise aequalitatem etiam in quantitate requirit inter dotem et inter donationem propter nuptias, nec non in augmento dotis; sed *haec Auth.* usu non 2
servatur, ut tradit *Glossa, et DD.* quos citat *Donell. et ibi Hillig. in not. lit. E. lib.* 14. *cap.* 9. *Carpz. P.* 2. *C.* 42. *def.* 1. *Colleg. Argent. lib.* 23. *tit.* 3. *thes.* 33. *Gail. l.* 2. *Obs.* 72. *num.* 2. *Matth. Cuno de Pact. lib.* 1. *c.* 6. *num.* 17. et secundum hanc consuetudinem, quod inae- 3
qualia fuerint approbata, saepe pronunciatum meminit in Camera Brandenb. *Dn. Kohl. d. p.* 1. *num.* 62. Et quidem rectissime haec consti- 4
tutio Justiniani abolita. Si enim donatione pro- 5
pter nuptias plane possunt carere nuptiae, quidni et dotem minorem habere possunt? *l.* 21. *ff. de Reg. Juris, Donell. d. l.* et dispar est conditio mariti et uxoris, nam dos pro oneribus datur marito, quae uxor non subit, *Tholos. in Syntagm. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 27. Collige ex *hac lege:* Quod ea, quae in dote data constituta 6
sunt, etiam in donatione propter nuptias repetita intelligantur, nisi specialiter aliud dispositum, *Campeg. de Dote P.* 3. *Q.* 69. *Kohl. de Pact. d. p.* 1. *num.* 60. vel usu introductum. Et ideo, ubi non apparet ex tenore instrumenti, quod inaequaliter et diversimode de dote et donatione propter nuptias voluerint disponere, tunc adhuc hodie dispositum in uno trahendum 7
est ad alterum, cum contrahentes censeantur se conformare voluisse Juri communi, *Kohl. d. l. num.* 62. Et ideo pactum super dote, vel do- 8
natione propter nuptias interpositum, etiam ad augmentum dotis trahendum, *Cuno d. c.* 6. *num.* 27. *et Kohl. d. l. num.* 64.

Auth. Sed quae nihil.

SUMMARIA

Casus Authent. num. 1.
An et quatenus dotalitium hodiernum peti possit ab uxore. 2.
Quid hac in parte obtineat jure Saxon. 3.

Mulier, quae dotem non dedit vel totam, vel 1
pro parte, eatenus etiam non potest desiderare donationem propter nuptias, debet enim probare dotem esse illatam, *hic, et Auth. Dos data in fine sup. de Donat. ante nupt.* Ex qua *Auth.* Colligitur: Dotalitium, quod in uxoribus nobili- 2
bus loco donationis propter nuptias consuetudo introduxit, sive illud a marito constitutum, sive a Domino post mortem petatur, non posse peti ab uxore nisi dos realiter fuerit illata, *hic, et Auth. Dos data supra de donat. ante nupt. Schultes ad Modest. Pist. Q.* 122. *num.* 14. *Hartm. Pist. p.* 1. *qu.* 1. *num.* 8. *et Dn. Carpz. p.* 2. *Const.* 41. *def.* 1. *in fine*, licet in Foro 3
Saxonico audiatur vidua, licet vivo marito dotem non intulerit, sed mortuo marito eam cum usuris inferat, per allegata *Dn. Carpz. d. Const.* 41. *def.* 11.

TITULUS XV.

De Dote cauta non numerata.

L. Dotem. 1.

SUMMARIA

Numeratio dotis aliter quam instrumento dotis probatur. num. 1.
Multas haec decisio patitur limitationes. 2.

1 Numeratio dotis debet aliter, quam instrumento dotis, probari, licet in eo fatetur Maritus, se dotem accepisse, *l.* 1. *h. t.* cum ante nuptias et tempore pactorum dotalium non soleat numerari dos, et suspecta haec sit confes-
2 sio mariti. Sed ea decisio multas limitationes recipit. I. Si Notarius publicus se etiam pactis subscripserit, et testatus sit, se vidente fuisse dotem numeratam, per tradita *Anton. Gomez in l. Tauri* 50. *num.* 52. citati *a Molina Tr.* 2. *de J. et J. D.* 439. *num.* 3. *Valasc. tom.* 1. *Consult.* 5. *num.* 11. II. Si confessio dotis acceptae non in ipsis pactis dotalibus expressa, sed ex postfacto accesserit, et emanaverit tempore constantis matrimonii, per *l. in contractibus* §. 1. *supra de Except. non numer. pecun. Covarr. lib.* 1. *resol. cap.* 7. *num.* 6. *Valasc. d. l. num.* 9. *Carpz. P.* 1. *Const.* 28. *def.* 78. *Molin. d. l. num.* 6. *Jo. Franc. Balthas. d. t.* 1. *res.* 17. *num.* 3. Et multo magis igitur, si confessioni peculiari accessit renunciatio exceptionis non numeratae dotis, nam si in ipsis factis fiat, non est valida, *Valasc. d. l. num.* 12. *et seqq. Molin. num.* 4. Et multo magis excludetur exceptio haec, si geminata confessio ac repetita accessit per tradita *Molin. num.* 7. *Balth. num.* 4. quae, et aliae limitationes, dictis locis habentur. Neque putamus hic distinguendum esse, an quis dotem se recepisse fateatur a socero vel ab extraneo, ut recte *Covar. d. l. num.* 5. *Valasc. num.* 14. *et Balthas. num.* 4.

L. Quod de suo. 2.

SUMMARIA

An, marito in dotali instrumento plura, quam accepit, accepisse fasso, valeat donatio? num. 1.
Deciditur per distinctionem. 2.
Maritus nec matrimonium nec donationem sine dote voluisse contrahere praesumendus est. 3.
Morte quando confirmata est donatio dotis non receptae, non opus est observare tempora. 4.

1 Si maritus in Instrumento dotali fassus sit, se trecenta accepisse, cum tamen ducenta tantum acceperit, non valet donatio, si de suo donandi animo, ea centum doti adscripsit, *l.* 1. *supr. de Donat. ante nupt.* nisi morte sit confirmata, sed *unde apparet dotandi animo confessionem emanasse?* Prolixe hoc tractat *Ludov. Molin. d. D.* 439. *num.* 11. *et seq.* Distinguit enim, an ante nu- 2
ptias confessus sit, an post, priori casu praesumendum est, spe futuri matrimonii confessum esse maritum, quia praesumendum non est, 3
eum sine dote voluisse contrahere matrimonium, nec donationem praesumendam esse. Si autem constaret, confessionem dotis acceptae et quidem minoris quam accepta sit ante matrimonium, et constiterit de animo donandi, donatio esset nulla, per *l.* 1. *C. de Donat. ante nupt.* Sed post matrimonium, si dotis promissio non praecessit, praesumitur animus donandi per allegata *Covar. d. c.* 7. *n.* 4. *Valasc. d. Cons. num.* 15. *et Molin. d. l. num.* 17. *Jo. Balthas. d. l. num.* 10. *Jo. Guttierez de juram. confirm. lib.* 1. *c.* 15. *num.* 2. Quando igitur morte confir- 4
mata est donatio dotis non receptae, tunc non opus est observare tempora, de quibus in *l.* 3. *et auth. seq.* dicetur, *Covar. d. l. n.* 4. *Molina n.* 25.

L. In dotibus. ult.

SUMMARIUM

Maritus vel ejus haeres dote non numerata quousque excipere possit?

Maritus vel ejus haeres intra annum continuum a morte mariti vel mulieris, vel missione repudii computandum, de dote numerata excipere potest, *l. fin. h. t.*

Auth. Quod locum.

SUMMARIA

Jus novum observandum circa hanc non numeratae dotis exceptionem. num. 1.
An locus sit huic exceptioni, si matrimonium decennium transcurrerit. 2.
An maritus in opponenda hac exceptione suam intentionem, an vero uxor vel haeres ejus numerationem dotis probare debeat. 3.
An tertius ad hanc exceptionem admittatur. 4.

Aliter jure novo per *Auth. Quod locum,* et 1
Nov. 100. *num.* 2. dispositum, nam matrimonio soluto intra biennium, ex quo contractum est, si maritus aut haeres ejus utatur hac exceptione, et ultra biennium usque ad decem annos matrimonium extendatur, dantur tres menses opponendae huic exceptioni non numeratae dotis;
sin vero matrimonium decennium transcurrerit, 2
huic exceptioni locus non est, nisi maritus sit minorennis, qui adversus lapsum temporis restitui potest, *Nov.* 100. *cap.* 1. §. 1. *Valasc. d. l.*

num. 7. *Molina num.* 2. *Menoch. lib.* 3. *praes.* 2. *num.* 57. *Balthas. d. l. num.* 2. *Rauchbarus part.* 2. *Qu.* 30. *num.* 7. Ubi vero marito
3 datur exceptio non numeratae dotis, non maritus suam intentionem, sed uxor vel haeres ejus numerationem dotis probare debet. Vid. *Zang. de Except. P.* 3. *cap.* 14. *num.* 20. Sed tertius, v. g. creditor, etiam post tempora ad- 4
mittitur ad exceptionem non numeratae dotis, *Carpzovius part.* 1. *Jurispr. Constitut.* 28. *Def.* 74. *Gail. lib.* 2. *Observ.* 81. *num.* 2. *Molina d. Tr.* 2. *de J. et J. D.* 440. *num.* 7.

TITULUS XVI.

De Donationibus inter virum et uxorem, et a parentibus in liberos factis, et de Ratihabitione.

L. Bona. 1. et L. Si non. 15.

SUMMARIA

An donationes inter virum et uxorem per se invalidae ac prohibitae? num. 1.
Rationes decidendi affirmative. 2.
An donatio haec donantis morte confirmetur? 3.
An de hac detrahatur Falcidia? 4.
An fiscus hanc donationem donantis morte confirmatam irritam facere possit. 5.
Ratio decidendi. 6.
Fiscus bona ejusmodi occupans legata solvere tenetur. 7.
An ut donatio inter conjuges morte confirmetur rei traditio sit necessaria? 8.
Derogatum huic videtur per Nov. 162. c. 1. *num.* 9.

1 Donatio inter virum et uxorem per se invalida et prohibita est, *t. t. hoc, et in ff.* cujus hac
2 allegantur rationes: 1. ne ob amorem se mutuo spolient: 2. matrimonia essent venalitia: 3. ut amor solis animis non pretio aestimaretur: 4. ne melior in paupertatem incidat, deterior vero locupletetur. Vid. *Tiraqu. ad l. si unquam §. libertis num.* 108. *et seqq. C. de revoc. donat. Hilliger. in Donell. lib.* 9. *cap.* 11. *Lit. R. Tuschus concl.* 690. *Lit. D. Jo. Franc. Balthas. tit.* 1. *resol.* 13. *num.* 1. *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 3.
3 ubi plures rationes. Haec tamen morte donantis confirmatur, *l.* 1. *h. t.* ut et *l.* 22. 23. *pr. et §§. seqq. ff. h. t.* sed ita relicti naturam potius,
4 quam contractus habet, unde de hac donatione etiam detrahitur Falcidia, per *l. in donationibus C. ad L. Falcid. Molina de J. et J. D.* 289. *num.* 10. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 40. *num.* 5. *et seqq.* licet illa donatio sub specie venditionis simula-
5 tae sit facta, ut in *l.* 15. Sed *potest ne Fiscus irritam reddere hanc donationem morte donan-*
6 *tis confirmatam?* Et Respondetur, si Fiscus, cum maritus haeredem non habeat, bona ejus ut vacantia occupat, salva manet donatio semel confirmata, *l.* 1. *h. t.* quia non est amplius in bonis mariti, *argum. l.* 15. *in fine*, ibi, *domi-*
7 *nium resedisse*; a contrario sensu, et Fiscus occupans bona, etiam legata solvere tenetur, *l.* 96. § 1. *ff. de Leg.* 1. et potest aliquis, qui scit bona sua a Fisco occupatum iri, fidei Fisci committere per *l. filiusfam.* 14. §. 2. *ff. de Leg.* 1. Collige ergo: Morte confirmari hanc donationem, sive adita haereditas sit, sive non. Nam sola morte confirmatur, ut et alia donatio mortis causa, per tradita *Clari §. Donatio Q.* 5. *n.* 2. *Petr. Barb. in l. quae dotis* 34. *n.* 124. *ff. sol. matr.* Notat *hic Glossa.* Quod ad id, ut donatio inter 8
conjuges morte confirmetur, necessarium sit, ut res fuerit tradita, quod ex *l. Papinianus ff. h. t.* solent probare, sicut idem est in donatione facta a parente filio, *l.* 2. *C. si quis alteri vel sibi. Tiraq. de Const. possess. part.* 1. *num.* 48. *Tuschus Concl.* 692. *Lit. D. Sanchez de Matrim. lib.* 6. *D.* 14. *num.* 6. *Kohl. de pact. dotal. part.* 2. *num.* 18. *Mantica lib.* 21. *t.* 4. *num.* 32. *et seqq.* licet hic quidam per *Nov.* 9
162. *cap.* 1. derogatum putent. Vid. *Cuno de Pactis c.* 6. *num.* 192. *Kohl. d. p.* 2. *num.* 20.

L. Si ancillam. 2.

SUMMARIA

An valeat donatio militis concubinae facta? num. 1.
Respondetur negative. 2.
Meretrici vel concubinae donare licet. 3.
An hoc ad Advocatos et Clericos extendi possit? 4.

Miles ancillam emptam, Focariae suae seu 1
concubinae donat, videtur donatio subsistere per *l.* 5. *et* 31. *ff. de Donat.* quia nullum inter eos matrimonium; Sed propter militiam non 2
valet, quod tam favore militum quam propter disciplinae militaris rigorem introductum videtur, *Auctor in l.* 3. *ff. h. t. num.* 3. cum alias 3
meretrici vel concubinae donare liceat per dictos textus, *Auctor in d. l.* 3. *num.* 2. *Hilliger. in Donell. l.* 6. *c.* 28. *lit. K. Duar. de Testam. Milit. cap.* 5. *Glossa hoc loco, et August. Barb.* ad Clericos militiae togatae, scilicet Advocatos 4
et coelestis militiae, scilicet Clericos extendit Conf. *M. Anton. Peregr. de Jure Fisci lib.* 2. *tit.* 9. *per totum.*

L. Donatio. 3.

SUMMARIA

Donatio ab uxore sui juris facta morte ipsius confirmatur. num. 1.
An si adhuc sub patria potestate? 2.
Ad filiaefam. donationem quaenam requirantur? 3.
Observantia fori hodierni. 4.
Patria potestas de consuetudine per matrimonia solvitur. 5.
An ad donationem confirmandam sufficiat etiam mors civilis? 6.

1 Donatio facta ab uxore, quae sui juris est,
(ut apud nos semper) ipsius morte confirmatur,
2 *l. cum hic* 32. *ff. h. t. et l.* 3. *h. t.* sed si adhuc sit
sub potestate Patris, et hujus voluntate res sit donata,
uxorque in voluntate perseveraverit, tum
morte uxoris et soceri simul confirmatur donatio,
sed si uxoris pater soluto matrimonio quid
donet ei, qui quondam erat gener, statim
valet donatio, per *hanc legem*. Unde colligitur:
3 Ad filiaefamilias donationem requiri consensum
parentis, et ut pater uxoris seu socer in eadem
voluntate perseveraverit usque ad mortem, *d. l.*
4 *cum hic* 32. §. 16. *ff. h. t.* Sed quia per matrimonia
5 patria potestas de consuetudine solvitur, sequitur,
hodie nec soceri consensum nec mortem requi-
6 ri. Morte autem cum dicimus in hac materia
confirmari donationem, intelligimus etiam de
morte civili, si civitatem perdat, vel religionem
intret, ut donatio in casu confiscationis bonorum
non ad Fiscum, sed uxorem pertineat,
per tradita *Sanchez de Matr. l.* 6. *D.* 17. *num.* 1. *Molina de J. et J. Tr.* 2. *D.* 29. *num.* 6. *Fagundez de J. et J. lib.* 4. *c.* 11. *num.* 6.

L. Nec inter. 4.

SUMMARIA

Ampliatio legis praecedentis. num. 1.
Ubi ob matrimonium cessat patria potestas, ibi etiam haec lex cessabit. 2.

1 Non tantum inter conjuges donatio est prohibita,
sed etiam inter eos, qui aliquo modo
conjuges contingunt per patriam potestatem,
ut si socer det nurui, vel genero, vel socer
consocero, *hic et l. cum hic* 32. §. 16. *ff. h. t.* Sed
2 ubi ob matrimonium cessat patria potestas, ibi
etiam *haec lex* cessabit, *Thomas Sanchez de Matrim. lib.* 6. *Disp.* 1. *num.* 10.

L. Si ut proponis. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Deciditur affirmative. 2.
Ratio decidendi. 3.

1 Socer genero donavit nomen, socer mortuus
est, postea divertit uxor, Quaeritur. I. *An morte*

sola soceri confirmata sit donatio? Et Respondetur
quod non, quia requiritur, ut uterque
socer et uxor in eadem voluntate perseveraverint,
per *l. cum hic* 32. §. 16. *ff. h. t. Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 21. *tit.* 7. *num.* 43. *Tiraq. ad LL. Connub. Gl.* 5. *num.* 87. II. *Annon per*
divortium sit revocata donatio? Et Responde- 2
tur affirmative, quia haec est species tacitae re- 3
vocationis, nisi bona cum gratia fiat, aut probari
possit, donantem velle, ut firma maneat
donatio, *Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 21. *tit.* 10. *num.* 8. *Molina d. D.* 289. *num.* 12.

L. Etiamsi. 6. et L. A marito. 18.

SUMMARIA

An depositum sub conditione, ut meae uxori restituatur, donatum uxori videatur? num. 1. 5.
An donatio haec morte confirmetur? 2. 7.
Donatio conjugum quando confirmari non possit. 3.
Uxor, quae aliquid acquisivit, ex bonis mariti acquisivisse praesumitur. 4. 9.
Donatio non praesumitur, ubi alia conjectura capi potest. 6.
Jus, quod quis non habet, in alium transferre nequit. 8.
Ratio earum, quae num. 4. *dicta.* 10.

Deposui apud te res meas, ut eas uxori re- 1
stitueres non videor donasse uxori, nisi aliunde
de animo donandi constet, *l.* 6. *h. t.* quia uxor
potest eas recipere nomine meo ex mandato accepto.
Ergo in hac specie non est metuendum, 2
ne morte mea haec donatio confirmetur, ob
regulam in *l.* 1. quin et regula haec alias habet
exceptiones, et interdum donatio Conju- 3
gum confirmari non potest, v. g. Si donatarius
praemoriatur, per *hanc legem* 6. et addit Imperator,
uxorem quae aliquid acquisivit, ex bo- 4
nis mariti acquisivisse praesumi. Ex qua lege
tria bene Notanda. I. Ex hoc non praesumi do- 5
nationem, quod maritus nomine uxoris rem deponat,
cum id aliam intentionem et causam
habere possit, nec necessario inde probetur
donatio, nisi animus donandi aliunde appareat,
Mascard. Concl. 555. *num.* 22. propter regulam,
quod donatio non praesumatur, ubi alia conje- 6
ctura capi potest, per tradita *Mascard. d. l.*
num. 13. II. Si Donatarius conjux praemoriatur 7
ante donatricem, revocatam esse donationem,
nec alterius morte confirmari, sicut in legatis:
quia mors donantis superveniens non invenit
confirmandum, et non potuit donatarius jus, 8
quod nondum habuit, transmittere in suum
haeredem, *Mantica d. l.* 21. *tit.* 10. *num.* 9. *Sanchez de Matrim. D.* 14. *num.* 26. *et seqq. Boer. Dec.* 355. *in fin. Molina d.* 289. *num.* 11. III. Quic- 9
quid uxor acquirit, in dubio eam praesumi
ex bonis mariti acquisivisse, *hic et l. quintus*
51. *ff. h. t.* ne praesumatur aliquid ex turpi 10
lucro ad eam pervenisse, *Ant. Faber ad lib.* 4. *Cod. tit. de Probat. Def.* 36. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 78. *num.* 9. *Riccius Coll. Dec.* 190. quae tamen praesumptio cessat probato contrario, *Guido Papae Dec.* 468. *in fin. Boer. Dec.* 81. *Masc.*

Conclus. 214. *num.* 10. *Petr. Barb. in l. Cajus* 46. *num.* 12. *ff. Sol. Matr.*

L. Si ex voluntate. 7.

SUMMARIA

An matrimonium inter pupillam et Tutoris filium sit ratum? num. 1.
An donatio inter hos conjuges valida? 2.
An donatio indigno oblata fisco accedat? 3. 6.
An donatio inter putativos conjuges valeat et morte confirmetur? 4.
Putativi conjuges non sunt melioris conditionis quam veri. 5.

1 Quando Tutor pupillam dat suo filio cum consensu Patris (sc. puellae,) in matrimonium, ratum est matrimonium, *l.* 6. *supr. de*
2 *interd. matr.* donatio igitur inter hos conjuges est irrita: Sed si sine patris voluntate nuptiae contractae, quia eae sunt irritae per *l.* 6. *et* 7. *supr. de interd. matr.* ideoque donatio facta marito putativo jure constat, sed quia maritus est indignus, ideo uxor utilem actionem realem habet, vel condictionem, *hic et l.* 5. §. *fin. et l.* 6. *ff. eod.* non enim qui deliquit, melioris con-
3 ditionis esse debet, quam alius; non autem donatio indigno oblata fisco accedit, sed revertitur ad donantem, quia per ignorantiam deli-
4 quit. Collige etiam: Inter putativos conjuges non valere donationem, nec etiam hanc morte confirmari. Licet enim de rigore Juris videatur valere, cum conjuges non sint, quia tamen conjugi ut tali et conjugii intuitu haec donatio facta, ideo nulla donatio, utpote ex errore in
5 casu finali profecta, et ne melioris conditionis sint putativi conjuges quam veri, *l.* 3. §. 1. *ff. h. t. Panorm. in c. fin. X. h. t. num.* 14. *Covarr. de Matrim. P.* 2. *c.* 9. §. 1. *num.* 8. *Sanchez de Matrim. lib.* 6. *D.* 2. *num.* 9. *Tiraq. ad LL. Connub. Gl.* 8. *num.* 249. *Campegius de Dote P.* 1. *Q.* 97. *num.* 4. *Petr. Barb. in l.* 23. §. *fin. num.* 20. *ff. Sol Matr. Molina Tr.* 2. *D.*
6 200. *num.* 6. *et* 8. *h. t.* Sed haec si ex errore, nam si conscii prohibitionis, donatio ad fiscum proficiscitur, *d. l. cum hic* 32. §. *fin. ff. h. t. Sanch. d. l.* 6. *D.* 2. *n.* 2. *Facund. d. c.* 11. *n.* 36.

L. Si fructus. 8.

SUMMARIA

Fructus praedii dotalis ab uxore ex patientia mariti percepti an sequuto divortio repeti possint? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Deciditur per distinctionem. 3.
Fructus industriales donari possunt. 4.
Ratio. 5.
Fructus industria uxoris collecti maritum pauperiorem non reddunt. 6.
Quinam fructus hac in lege sint intelligendi? 7.
An et quatenus donatio inter conjuges valida sit? 8.

1 Passus erat maritus uxorem percipere fructus praedii dotalis, postea secutum erat divortium, Quaeritur; *An hi fructus repeti possint?* Et licet fructus praediorum dotalium non possint 2
uxori concedi, et sic donari, *hic, et l.* 28. *ff. eodem,* ratio in *l.* 20. *C. de jure dot.* si tamen 3
fructus consumpti, et uxor inde non sit locupletior reddita, non potest revocari donatio, ratio in *l.* 5. §. 17. *ff. h. t.* v. g. si se et suos aluit, quod alias vir facturus erat, *l.* 2. *supr. de pactis conv. l.* 21. *in fine ff. h. t.* Sed aliud si locupletior facta (quod tempore litis contestatae videndum, *l.* 7. *ff. h. t.*) v. g. Si tantumdem alias de suo fuisset erogatura, *l.* 15. §. 16. *ff. de pet. haered.* Observa: Fructus dona- 4
ri posse Industriales, quia hi non tam ex fun- 5
do, quam sua industria percepisse videtur conjux, et de hac intelligunt, *l. de fructibus* 17. *pr. ff. h. t.* quia fructus industriales seu industria uxoris 6
collecti maritum non reddunt pauperiorem, *l.* 45. *ff. de usuris, Sanch. de matr. l.* 6. *D.* 4. *n.* 6. *Pinell. ad l.* 2. *C. de Rescind. Vend. P.* 2. *c.* 4. *num.* 49. *Mantica d. l.* 21. *titul.* 4. *num.* 37. *Garcias de Expensis c.* 23. *num.* 22. *Steph. Fagund. de J. et J. l.* 4. *c.* 11. *num.* 20. *Auctor in l.* 45. *ff. de usuris n.* 1. *et d. l.* 17. *ff. h. t.* Ideoque *haec lex* videtur loqui de fructibus na- 7
turalibus, et Collige deinde ex textu: Donatio- 8
nem inter conjuges statim esse validam, si non reddat locupletiorem donatarium, v. g. si rem consumpserit et exinde nihil lucratus sit, si res absque ejus culpa periit, vel ad eos usus impenderit, qui alias mariti humeris incumbebant, *Molin. d. D.* 289. *num.* 16. item si emit ex ea pecunia forte aliquid ad ornatum, *l.* 7. §. 1. *ff. h. t. Molin. d. l. num.* 20. Item si sepulturae causa aliquid donatum conjugi, *l.* 5. §. 4. *ff. h. t. Auctor in d. l.* 5. *ff. h. t. num.* 8. nam licet donans fiat pauperior, donatarius tamen non fit locupletior, quia causa prohibitionis videtur cessare; praecipua enim causa prohibitionis est, ne donatarius fiat ditior ex paupertate donantis, *Sanchez d. l.* 6. *D.* 3. *num.* 2. *Facund. d. J. et J. l.* 4. *c.* 11. *num.* 13. *Beust. ad l. l. admonendi de Jurejur. num.* 111. *Auctor in d. l.* 5. *ff. h. t. num.* 11. ita quicquid donatum conjugi ad piam causam, quia conjugem non reddit locupletiorem, valet, *Molin. d. D.* 289. *num.* 20. *Auct. in d. l.* 5. *ff. num.* 8. Remuneratoria quoque donatio inter conjuges valida, *Auctor in l.* 27. *ff. de donat. num.* 4.

L. Etsi. 9. et L. Si filii. 16.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Praedium nomine uxoris mea pecunia emptum et ipsi traditum fit ejus nec vindicare potest maritus. 2.
An solidum pretium possit repetere? 3. 9.
An et in quantum habeat beneficium competentiae? it. num. 3.
Quicquid maritus nomine uxoris emit, id ab ea repeti potest. 4.
Quid si ipsa uxor emat et debeat pretium? 5.
An maritus quod nomine uxoris emit et tradit ipsi, vindicare non possit? 6.
An donatio facta praesumatur, si de traditione non constet et in instrumento publico uxoris nomen scriptum? 7.

An honoris gratia nomen uxoris in instrumento scriptum praesumatur? 8.
An instrumento aliquid affirmans ulterioris probationis non indigeat? 10.
Instrumento tamdiu creditur, donec probetur contrarium. 11.
Quoties uxoris nomine aliquid emitur et traditur marito, praesumitur simulatio? 12.
Facta uxori traditione rei ejus nomine comparatae praesumitur donatio. 13.

1 Comparavi praedium nomine uxoris mea pe-
2 pecunia, et ipsi tradidi, Quaeritur, *An praedium sit uxoris?* Quod affirm. per *l.* 9. *h. t. et l.* 6. *supr.*
3 *tit. Si quis alteri etc.* Sed repeto solidum pretium, salvo tamen competentiae beneficio in quantum facere potest, actione negotiorum gestorum: Sed si animo donandi pecuniam numeraverim, pretium in quantum locupletior reddita uxor, repeto condictione sine causa. Utrum autem animo donandi, an vero negot. gest. fundum uxori emerim, et modo et impensis judicandum,
4 *l. utrum* 47. *ff. h. t.* Collige ergo: I. Quicquid maritus emit nomine uxoris, id posse repeti ab
5 uxore, quatenus locupletior facta. Sed aliter si ipsa uxor emit, et debuit pretium, nam tunc si maritus solvit donandi animo, in solidum tenetur uxor vel ejus haeredes, per *l. quia* 7. §. 7.
6 *ff. h. t:* II. Illud quod maritus nomine uxoris emit et ei tradidit, non potest maritus vindicare, quia perfecte dominium transit in uxorem, sed tantum pretium, quatenus locupletior reddita, per *hunc text. Tiraq. de Retr. Consang.* §. 1. *Gl.* 9. *num.* 64. Conferantur notata ad *l.* 1. *et l. multum interest* 6. *supr. si quis alteri vel sibi etc.*
7 Sed quid si de traditione non constet, sed in Instrumento publico uxoris nomen scriptum, idque ego honoris causa positum asseram, et ita praedium nomine uxoris emptum possideam; filius autem emancipatus, uxoris meae, haeres id repetat, vel ego id repetam a filio, qui sorte per injuriam intravit, id est sine auctoritate judicis, ut verbum *injuriae* in *l.* 16. positum interpretatur *Glossa?* Resp. praesumi donationem factam, nisi contrarium probetur, *l.* 16. *h. t.* et praedium est uxoris, sed maritus agit ad pretium, in subsidium tamen ad prae-
8 dium, *l.* 55. *in fine ff. h. t.* quod autem maritus asserit honoris gratia in Instrumento uxoris nomen positum, id praesumi non potest, sed probari debet, quia pro Instrumento praesumitur, *l.* 18. *supr. de Probat.* Si autem hoc probet, scilicet se non animo donandi nomen uxoris in-
9 scripsisse v. g. si probet uxori non fuisse traditum praedium, sed sibi, quia contractus ex parte uxoris est simulatus, praedium est et ma-
10 net mariti. Collige ex *l.* 16. I. Si affirmans pro se habeat instrumentum, neganti incumbere
11 probationem, et instrumento tamdiu credi, donec probetur contrarium, *l. cum precibus C. de Probat. Menoch. lib.* 1. *de Praesumpt. Q.* 99. *num.*
12 15. *et lib.* 3. *Praes.* 122. *num.* 35. II. Quando emitur aliquid nomine uxoris et traditur mari-
13 to, praesumi simulationem; sed si traditur etiam uxori res ejus nomine comparata, praesumi donationem, *Bald. hic et Bart. et Mascard. conclus.* 555. *num.* 104. *Petr. Barbosa in l. quae dotis* 34. *num.* 35. *ff. Sol. Matr. Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 470. *num.* 20.

L. Si maritus. 10.

SUMMARIA

An donatio morte confirmata praetextu criminis sit retractanda? num. 1.
An si aliquis perpetratum crimen affirmet? 2.
Separata est causa criminalis a causa donationis. 3.
An revocetur donatio crimine probato? 4.
Regula l. fin. C. de ordin. judicior. *quatenus habeat exceptionem.* 5.
An ad possessionis violenter vel clam invasae restitutionem agens per exceptionem criminis repelli et restitutio impediri possit? 6.
Sequuta probatione, conjugem a conjuge occisum, donationem aufert fiscus. 7.

Donatio morte confirmata non est sub prae- 1
textu criminis de facto retractanda, sed spoliata uxor ante omnia restituenda, licet pater 2
defuncti mariti dicat, hunc veneficio uxoris extinctum, quia separata est causa criminalis a 3
causa donationis, id est, non debuit pater sua auctoritate auferre donata, quia separata haec sunt, crimen et donatio, licet probato crimine 4
revocetur donatio morte confirmata, et redit ad donatoris haeredem, *l. fin. C. de revocand. donat.* Sed colligitur: Hic praeponi causam civilem restituendae donationis causae criminali. Respond. id fit favore hujus causae, scilicet restitutionis spoliati, et sic Regula *in l. fin. C.* 5
de ordine judicior. in causa spolii habet exceptionem. Collige *ex hac lege:* Quoties agitur 6
ad restitutionem possessionis violenter vel clam invasae seu occupatae, non posse per exceptionem criminis repelli, nec restitutionem impediri, *Ant. Gabr. tit. de Rest. Spoliat. concl.* 1. *num.* 38. *per c. item si quis X. de Rest. Spoliat. Menoch. Remed.* 1. *Recup. Poss. num.* 324. ubi id *in seqq.* multis ampliat et limitat. Si autem 7
probaretur postea, a conjuge maritum occisum esse, tunc donationem auferret Fiscus, *l.* 7. §. *pen. ff. de bonis damnat. l.* 10. *C. de his quibus ut indign.* de quo *Farin. Qu.* 20. *Peregrinus de Jure Fisci lib.* 2. *Tit.* 3. et nos alibi.

L. Sicut. 11.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An donatio annuorum ad alendam uxorem erogatorum valeat? 2.

Uxor stipulatur quid in annos singulos, quae 1
promissio non valet, nisi morte confirmata mariti, *hic, et l. si stipulata* 33. *ff. h. t.* ibique *Auctor*; licet compensari possit, *l.* 28. §. *fin. ff. h. t.* Sed si maritus praestitit et uxor consumpsit, ex eo non reddita locupletior, Maritus non repetet, *hic, et l.* 15. *ff. h. t.* Observa ergo, donationem an- 2
nuorum ad alendam uxorem erogatorum, si uxor non reddatur locupletior, nec maritus pauperior, valere, nisi multum illa excedant dotem datam et ejus fructus, *Petr. Barb. ad d. l. quae dotis* 34. *num.* 66. *et seq. Tiraquell.*

ad l. si unquam, verbo, donatione largitus, *n.* 123. *C. de Revoc. Donat. Menoch. lib.* 3. *Praes.* 9. *num.* 15. *Berlich. P.* 2. *Concl.* 15. *num.* 29. *Balthas. d. t.* 1. *Res.* 1. *num.* 126. *Ludov. Lopez de contract. l.* 2. *c.* 47. *casu* 8. *Fagundez d. c.* 11. *num.* 32. *Auctor in l.* 15. *ff. h. t.*

L. Si maritus. 12.

SUMMARIA

An facta uxori donatio quam maritus postea alii vel donat, vel vendit, morte confirmetur? num. 1.
Quid juris in re semel legata et postea vendita? 2.
An donatio mortis causa per subsequentem hypothecam tollatur? 3.
Donatio conjugum morte demum quando confirmetur. 4.
An ex iisdem conjecturis, quibus legata adempta intelliguntur, etiam conjugum donatio revocata videatur. 5.

1 Donatio rei, quam maritus postea alii specialiter oppignorat, vel donat, vel vendit, morte non confirmatur, quia maritus videtur mutasse voluntatem, nisi alia mens mariti fue-
2 rit, *l.* 32. §. 5. *ff. h. t.* secus in legato, §. 12. *Inst. de Legat.* quia donatio haec odiosa, legatum favorabile, et legatum ab initio constitit,
3 donatio non; sed *An donatio mortis causa per subsequentem hypothecam tollitur?* Negatur, quia Legatis aequiparatur. Sed jure novo *Nov.* 162. *c.* 1. §. 1. per subsequentem hypothecam non tollitur spes confirmandi hanc donationem, *Au-*
4 *ctor in l.* 32. *ff. h. t. num.* 7. Collige ergo: Tunc donationem conjugum morte non confirmari, quando donans illam revocavit saltem tacite, ut si alienet per venditionem, etc. nisi de voluntate diversa donantis appareat, *Mantica d. l.* 21. *tit.* 10. *num.* 3. *Molina d. D.* 289. *num.* 12. *Fagund. d. c.* 11. *num.* 9. *Auctor in l.* 32. *ff. h. t. num.* 6. unde talem Regulam constru-
5 unt; Ex quibus conjecturis legata adempta intelliguntur, ex iis multo magis haec donatio conjugum revocata videtur, *Joan. Franc. Balthas. dict. tit. Resol.* 1. *num.* 133.

L. Si quidem. 13.

SUMMARIA

An maritus praedium suo creditori obligatum donare possit? num. 1.
Obligatio non impedit translationem dominii, sed dominii translatio praecedens impedit obligationem. 2.

1 Quando maritus praedium suo creditori obligatum uxori donavit, id salvo jure creditoris et cum sua causa intelligendum est, quando ea confirmatur donatio. Sed in iis casibus, ubi ab initio valida est donatio, ut infra *l.* 21. *et* 22. Maritus praedium donatum alteri obligando nihil agit, ratio in *toto tit. C. si res aliena pignori*
2 *detur.* Sic ergo obligatio non impedit translationem dominii, sed dominii translatio praecedens impedit obligationem.

L. Ex verbis. 14.

SUMMARIA

An quis re semel donata et postea iterum legata tam rem quam ejus aestimationem petere possit? num. 1.
Donatio conjugum non tantum tacite sed etiam per testamentum confirmatur. 2.
Objectio diluitur. 3.
Confirmans actum, qui alias sine nova expressa confirmatione subsistere potuisset, nihil agit. 4.

Maritus donationem conjugi antea factam in testamento confirmat, et quasi denuo legat, 1
Quaeritur: *An uxor post mortem mariti simul donatam rem ex donatione, et ejus aestimationem ex testamento ut legatum petere possit?* Negatur; est enim tantum prioris donationis confirmatio. Collige ergo: Donationem conju- 2
gum non tantum tacite per mortem, sed etiam per testamentum confirmari, nec puto adversari 3
huic textui *legem* 109. *ff. de legat.* 1. ubi si maritus legat uxori, quae donaverat, de donatione invalida videtur intelligere, cum verba testamenti in dubio debeant aliquid operari. Colligunt etiam Regulam: Quando quis confirmat 4
actum invalidum, sed qui sine nova expressa confirmatione subsistere poterit, illum nihil novi facere, *August. Barbos. hic.*

L. Si non verum. 15.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1
An contractus venditionis inter conjuges celebrari possit? 2.
Fiscus, cum jus hypothecae habeat, etiam possessores bonorum debitoris extraneos in subsidium convenire potest. 3.
Donatio facta inter conjuges revocari potest. 4.

Quando Maritus Fisco aliquid debet ex causa 1
primipili, ex qua etiam filius non haeres obligatur, *l. fin. C. de Primipilo*, vel etiam ex causa publica, tunc si ex bonis mariti residuis Fisco satisfieri non possit, Fiscus donationem sub specie venditionis a marito in conjugem factam retractat, licet morte mariti confirmata sit, quia si debitor Fisci solvendo non sit, convenitur pignoris possessor, *l. Moschis* 47. *ff. de jure Fisci.* Sed si revocavit vivus donator donationem, non est confirmata donatio. Collige ex *hac lege.* 1. Posse inter conjuges venditionis 2
contractum celebrari, nisi animo donandi vendatur, ubi propositum principale attendendum, et venditio hoc casu erit nulla, si tamen vere voluit vendere, sed remisit aliquid de pretio, animo donandi, remissio invalida, venditio valida, *l.* 5. §. 5. *ff. h. t. Sanchez d. D. num.* 11. *Mantica d. lib.* 21. *tit.* 1. *num.* 21. Conf. *Gail. lib.* 2. *obs.* 90. *num.* 8. *et* 9. *Colleg. Arg.*

h. l. in fin. th. 4. *Auctor in l.* 5. *ff. h. t. n.* 3.
3 II. Fiscum habere jus hypothecae, et ita in subsidium convenire posse extraneos bonorum debitoris possessores, de quo passim *Peregr. de*
4 *Jur. Fisci l.* 6. *tit.* 6. III. Posse donationem conjugi factam a donante conjuge revocari expresse, *hic, et d. l.* 32. §. 2. *Clarus* §. *Donatio qu.* 9. *num.* 6. *Mantica ad lib.* 21. *tit.* 10. *num.* 1. *Auct. in l.* 32. *ff. h. t. num.* 2. *et* 3.

L. De his. 17.

SUMMARIA

An maritus paraphernalia consensu uxoris consumpta restituere teneatur? num. 1.
Quanam petantur actione? 2.
An maritus teneatur omnes paraphernalium fructus contra voluntatem uxoris consumptos restituere? 3.
An de paraphernalium administratione uxori et ejus haeredibus rationem reddere teneatur? 4.
An uxori de vestibus quotidianis prospiciat? 5.
An si uxor usa vestibus paraphernalibus earum pretium restituat? 6.

1 Paraphernalia, si a marito consensu uxoris consumpta, maritus tenetur restituere, quatenus locupletior redditus, ratio in *leg.* 8. *sup. h. t.* Verum si sine voluntate uxoris consumpsisset, repetuntur omnia, *hic, et l.* 8. *supr. de pa-*
2 *ct. convent.* actione rerum amotarum, vel condictione sine causa, vel actione depositi, vel mandati, vel ad exhibendum, *l.* 9. §. 3. *ff. de Jure dot.* quia hic nulla donatio est, *Auctor in l.* 9. *ff. de Jure dot. num.* 9. collige ex *hac leg.*
3 17. Maritum teneri fructus paraphernalium bonorum contra voluntatem uxoris consumptos restituere, sive sint industriales, sive naturales, sive civiles, *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 9. *num.* 7. non tamen voluntate uxoris consumptos industriales, *Menoch. d. l. num.* 11. imo nec naturales, nisi quatenus locupletior redditus, per
4 *hanc legem.* Et ideo maritus de administratione paraphernalium bonorum debet uxori vel ejus haeredibus rationem reddere, *hic et l. pen. princ. ff. ad l. Falcid. Ceph. cons.* 485. *num.* 15. adeo ut contra recusantem possit in litem jurari, *Dec. cons.* 100. *num.* 7. et quos refert *d. cons. Cephal. num.* 358. Ex hac lege etiam colligit *Go-*
5 *mez ad l. Tauri* 50. *num.* 44: quando maritus
6 uxori non dedit vestes quotidianas, sed uxor usa est vestibus paraphernalibus v. g. maternis, quod maritus harum pretium debeat solvere Uxori, de quo tamen dubitat *P. Barbosa ad l. quae dotis* 34. *num.* 71. *ff. soluto matrim.*

L. A Marito. 18.

SUMMARIUM

Donatio Conjugum quando non cofirmetur?

Donatio conjugum non confirmatur tribus casibus. 1. Si divortium intercesserit, nec contrarium fuerit conventum, de quo antea. 2. Si donatarius ante donatorem fuit mortuus, quod verum est, si valida non sit donatio ab initio, ut in quibusdam casibus; secus si ab initio valida, haec non evacuatur prae defuncti Donatarii morte, ut ex aliis distinguit *Cephal. cons.* 61. *num.* 28. *et seqq.* 3. Si expresse revocata; de singulis supra actum. Vide *Auctor. in l.* 32. *ff. h. t. per tot.* 4. Si donatio conjugi saltem promissa, *id. in l.* 23. *ff. h. t.* 5. Si conjuges sunt putativi, *Auctor in l.* 7. *ff. h. t. num.* 45.

L. Si constante. 19. et L. Si te. 23.

SUMMARIA

Ubi jus potestatis vertitur, ibi etiam donatio est prohibita. num. 1.
Probatur exemplis. 2.
An parentes liberis suis, qui sui juris sunt, donare possint? 3.
An mater nurui et filiae, ac socer genero? 4.

Ubi Jus potestatis vertitur, ibi etiam donatio 1
est prohibita, v. g. si is qui conjugem in pote- 2
state habet, vel in potestate ejus est, vel is qui est in ejusdem potestate, in cujus est potestate conjux, donaverit conjugi, vel ei, qui conjugis in potestate est, vel conjugem in pote-
state habet, etc. *l.* 3. §. 2. *et seqq. ff. h. t.* Si autem 3
pater donet filiae suae, quae sui juris est, vel mater indistincte filiae donet domum, constante matrimonio, haec erit filiae ipsius, *l.* 19. Idem est si socrus nurui donaret, per *l.* 23. *h. t.* quia hoc non est prohibitum. Colligitur igi-
tur: Et matrem nurui ac filiae, et socrum ge- 4
nero donare posse, quia jus potestatis in his personis non habet locum. Imo si supponamus per matrimonium tolli patriam potestatem, nunquam jus potestatis reddet invalidas donationes, sed inter ipsos conjuges tantum invalida est.

L. Creditor. 20.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An simulatus contractus, alio deinde reipsa voluntate partium insequente valeat? 2.
Contractus in fraudem legis initus ipso jure nullus est.

Maritus uxori praedium vult donare (credi- 1
tori antea obligatum) in fraudem legis, solvit enim debitum creditori, et postea agit cum eodem, ut praedium quasi adhuc obligatum uxori suae simulate vendat; nec venditio haec valet ut simulata, nec donatio, cum sit contra SCtum.
Nam quandocumque simulatur alius contractus, 2
alius vero reipsa voluntate partium intenditur in fraudem legis, tunc non valet contractus, qui exterius simulatur, quia voluntas deficit, nec valet intentio partium ut illegitima, quia deest facultas, *l. ult. C. de Donat. caus. mort.*
l. ult. C. de Codicill. et praeterea contractus in 3
fraudem legis initus ipso jure est nullus, de

quo *Mant. de tac. et amb. convent. lib.* 3. *tit.* 37. nec confirmari potest, donataria ante maritum defuncta, per *l.* 6. *et* 17. *h. t.*

L. Si propriis. 21. et L. Maritus. 22.

SUMMARIA

Valet donatio, ex qua conjux non redditur locupletior. num. 1.
Quicquid uxor donat marito ob dignitatem adipiscendam, illud irrevocabiliter fit mariti. 2.
An maritus uxori servum donare possit, ut eum manumittat? 3.

1 Ex qua donatione conjux non redditur locupletior, illa valet, *l.* 5. §. 5. 8. *et seqq.* §§. *ff. h. t. Auctor in l.* 5. *ff. h. t. num.* 11. v. g. quae uxor marito donat ad consequendam dignitatem, *l.* 21. *h. t. et l.* 40. *cum duab. seqq. ff. eod.*
2 Unde Nota: Quicquid uxor donat marito ob dignitatem adipiscendam, illud irrevocabiliter fieri mariti, nam ob dignitatem adeptam per se nemo fit locupletior, et uxor radiat ob dignitatem mariti, si tamen non excedat et tantum sit datum, quantum satis est ad dignitatem adipiscendam, *hic et l. quod adipiscendae* 40. *ff. h. t. Mantica lib.* 21. *tit.* 4. *num.* 23. *Molina d. l. num.* 17. *Hartm. Pist. lib.* 1. *qu.* 41. *num.* 12. *Berlich. d. concl. num.* 26. *Sanchez d. lib.* 6. *D.* 3. *num.* 9. *Facundez d. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 29. *Auctor in l.* 40. *ff. h. t.* Item si
3 donet maritus servum, ut eum uxor manumittat quia uxor inde nihil consequitur, nisi jus patronatus, ex quo locupletior nemo redditur, ut nec si serviles operae donentur, *l. si vir* 18. *et l. sed si* 31. §. 1. *ff. h. t.* et per manumissionem principaliter beneficium confertur in manumissum; quando autem conjux aliquid donat conjugi, ut alteri quid conferat, non est invalida donatio, *Sanchez d. D.* 3. *num.* 6. *Facundez d. c.* 11. *num.* 27.

L. Res uxoris. 24. et Auth. Sed hodie.

SUMMARIA

An donatio uxori facta a marito ante commissum crimen capitale, subsequuto postea supplicio ultimo vel civili morte, confirmetur? num. 1.
An si maritus fiat servus hominis? 2.
An deportatio sit modus dissolvendi matrimonii? 3.
An illo casu donatio confirmetur? 4.
Si donator tale crimen commisit, ob quod post mortem damnari potest et bona publicari, donatio post reatum facta revocatur. 5.
Secus si ante reatum donaverit. 6.
An hodie detur Servitus poenae? 7.
An mors civilis aequiparanda sit morti naturali? 8.

Maritus ante contractum crimen capitale aliquid, ceu pudicitiae praemium, donat uxori, 1
postea supplicio afficitur, vel ad metalla damnatur, sive civiliter moritur: Resp. non tantum morte naturali et supplicio ultimo, sed etiam servitute poenae, ceu morte civili, quia tollitur matrimonium, confirmari donationem; Ratio ibi: *nec alieni criminis infortunio adstringenda uxor*: aliud si maritus fiat servus hominis, *l.* 32. §. 6. *ff. h. t.* Sed *Auth. Subjecta* servitutem poenae ab ingenuis removet, ideo hodie, quandocumque maritus superest supplicio, non fit servus, nec confirmatur donatio: Si autem maritus deportetur, nec olim quidem jus 3
matrimonii solvebatur, jure scilicet Gentium, *hac l.* 24. licet solvatur jure Romanorum, *l.* 56. *ff. Sol. Matrim.* ideo hodie hoc et illo casu do- 4
natio non confirmatur, nisi morte naturali, *l.* 13. §. 1. *ff. h. t.* et neutro casu Fiscus sibi aliquid juris vindicat. Notetur igitur ex *hac l.* Si donator tale crimen commisit, ob quod post 5
mortem damnari potest, et bona publicari, quod tunc donatio post reatum facta revocetur, per *d. l.* 32. §. 7. *ff. h. t.* Si vero ante 6
reatum donaverit, confirmatur donatio morte naturali; sed si deportetur, in pendenti est donatio, *M. Anton. Peregr. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 148. Collige etiam ex *Authent. Sed hodie,* quae saepe allegari solet: Servitutem poenae amplius 7
non dari; quam de omnibus reis condemnatis intelligunt, *Nov.* 22. *c.* 8. *Wesenbecius in* ϖ. *de Poenis num.* 9. *Dn. Carpz. in Pract. Crimin. quaest.* 135. *num.* 4. *Molina Tr.* 2. *de J. et J. d.* 9. *num.* 5. licet alii, quos hic *August. Barbosa* citat, dissentiant. Collige etiam, tunc mor- 8
tem civilem aequiparari morti naturali, quando idem est utriusque effectus, ut pluribus allegatis Doctoribus tradit *Joan. Guttierez l.* 2. *can. quaest. cap.* 1. *num.* 43. *et seq.* ubi plura de *l. res uxoris* habet. Sic et colligitur *ex Authent. Sed hodie*, quod cesset hodie ratio antiqua ususfructus amittendi ob maximam et mediam capitis diminutionem inducta, *Gomez tom.* 2. *Resol. cap.* 15. *num.* 20. *Castillo de usufr. c.* 66. *num.* 23.

L. Donationes. 25.

SUMMARIA

Donationes a patre in filiumfam. factae ipso jure nullae sunt. num. 1.
Ratio. 2.
An conjugum donatio valida? 3.
Non revocata an morte donantis confirmetur? 4.
Utile per inutile vitiari non debet. 5.
Interpretatio legis. 6.
Donatio 500. solidos excedens, licet specialiter confirmata, a die tantum confirmationis valet. 7.
Limitantur num. 1. *dicta.* 8.
An donatio filiae facta et juramento vallata valeat? 9.
An remuneratoria? 10.

1 Donationes a Patre in filiumfamilias factae sunt ipso jure nullae, *l.* 1. §. 1. *ff. pro donato*,
2 quia sibi ipsi donaret, ob jus potestatis, *Salyc. hic, et Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *Disp.* 19. *th.* 3. *lit. D. Gomez tom.* 2. *cap.* 3. *num.* 25. *Auctor in l.* 2. *ff. pro haered. vel poss. num.* 4.
3 Sic nec donatio conjugum valet, sed tales do-
4 nationes non revocatae morte donantis confirmantur, quod quamvis quoad donationem Patris de jure ff. dubium, ob *d. l.* 1. §. 1. tamen jure Codicis per *hanc l.* est certum, quia lege ista donationis confirmatio, quae *in ff. l.* 23. *h. t.* traditur, ad donationes, quae inter parentem et liberos fiunt, extenditur, Vid. *Menoch. lib.* 3. *Praes.* 29. *num.* 67. nisi donatio excedat quingentos solidos, quae vel insinuanda actis judicialibus, *l. pen.* §. *pen. C. de Donat.* aut expresse in suprema voluntate a donante confirmanda, et sic a tempore confirmationis valet donatio, nec retrotrahitur, ut recte, si neutrum fiat, donatio non confirmatur, quatenus illam summam excedit, *l.* 34. *C. de Donation.* nam usque ad summam 500. solidorum eam valere verior est sententia; tum per *d. l.* 34.
5 tum, quod utile per inutile vitiari non soleat, *haec lex* ex aliis est interpretanda, post alios *Fachin. lib.* 3. *Contr.* 72. *Auctor in l.* 32. *ff.*
6 *h. t. num.* 5. Quamvis autem alii *hanc legem* aliter interpretentur, illa tamen interpretatio omnino divinatoria est, unde communiter *DD.* eam legem de Confirmatione per mortem facta, intelligunt, *Clarus* §. *donatio q.* 8. *Dn. Carpz. P.* 2. *Const.* 16. *def.* 9. *Schneidew. ad* §. *aliae* 2. *Instit. de Donat. num.* 68. *Bacchov. in Treutl. d. thes.* 3. *Lit. D.* et retrotrahitur ad tempus traditionis, quando non excessit 500. solidorum summam, aut si excessit, actis insinuanda est, eo scilicet fine, ut una cum re donata fructus interim percepti ad filium donatarium perti-
7 neant. Sed donatio excessiva, licet specialiter confirmata (nam aliter non est valida) a die tantum confirmationis valet, *Molina Tr.* 2. *d.* 291. *num.* 1. *Trentac. lib.* 3. *Resol.* 6. *Bacchov. d. th.*
8 3. *Lit. E.* in quibus autem casibus donatio patris in filium facta valeat, per multas limitationes tractat hic *August. Barbosa in Collectaneis, Joan. Aloys. Riccius Decis. Coll.* 196. *Fagundez de J. et J. lib.* 4. *c.* 7. *per totum, Gail. lib.* 2.
9 *Obs.* 38. *etc.* Sic juramento vallatam donationem filio factam, volunt valere, ob *c. Si contingat*, ut tradit *Gail. lib.* 2. *Obs.* 38. *num.* 2. *Clarus d.* §. *q.* 8. *Molina d. D.* 291. *num.* 2.
10 *Trentac. d. l. Res.* 8. *num.* 5. Idem in remuneratoria, *Gail. d. l. num.* 5. *et Clarus et Trentac. et Menoch. lib.* 3. *Praesumpt.* 29.

L. Donationes. 26.

SUMMARIA

An donationes inter Principem et Augustam valeant? num. 1.
Qualis Princeps intelligatur? 2.
An extendendum ad Principes Imperii? 3.
Contractus ab eo initus, qui legis condendae potestatem habet, vim legis habet. 4.

Donationes inter Principem et Augustam valent, quia contractus Principum legis habent vigorem, scilicet quod non extriuseco adjumento indigeant, sed propriam majestatem habeant, *hic et l.* 34. *in fine C. de Donat. et l.* 7. *infr. de bonis quae liberis etc.* id quod de aliis 2
Principibus etiam intelligunt, qui superiorem non recognoscunt, *Molina d. D.* 289. *num.* 17. *Sanchez lib.* 6. *de Matr. d.* 3. *num.* 1. *Facundez d. c.* 3. *num.* 22. Conf. *Ludov. Lopez lib.* 2. *cap.* 47. et hoc etiam ad Principes Imperii 3
et Status territoriali Jurisdictione munitos extendunt, cum illi in suo districtu iisdem gaudeant immunitatibus, quibus Imperator in toto Imperio, exceptis regalibus majoribus, inter quae hoc non reperitur, *Farin. qu.* 6. *num.* 7. *Reinking. de Regim. Secul. lib.* 1. *cl.* 5. *c.* 6. quos sequitur *Jo. Franc. Balthas. d. Resol.* 1. *num.* 119. Colligunt exinde: Contractum ab 4
eo, qui legis condendae habet potestatem, initum, vim legis habere, *hic et l.* 15. *ff. de Publ. Gail. lib.* 2. *Obs.* 127. *num.* 8. *Valasc. de jure Emphyt. q.* 5. *num.* 10. quos citat, et istam regulam ex aliis explicat *Hillig. in Donell. lib.* 12. *cap.* 22. *lit. Z. Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 3. *tit.* 10. *num.* 46. *et Vasq. lib.* 3. *Ill. c.* 5. et quos hic allegat *August. Barb. Auctor in l.* 15. *ff. de donat. num.* 2.

L. Si unus. ult.

SUMMARIA

An donatio conjugum morte donatoris apud hostes, vel donatarii tempore mortis donatoris ex hostium potestate reditu confirmetur? num. 1.
Princeps ut et nos omnes Deum humanitate imitemur. 2.
Summa religionis est, imitari eum, quem colimus. 3.
Nulla certior salutis via, nec certius electionis argumentum, quam Deum imitari. 4.

Quando donator apud hostes moritur, vel do- 1
natarius tempore mortis donatoris adhuc in potestate hostium est et postea redit, utroque casu confirmatur donatio conjugum. Nam primo casu, donator in acie mortuus fingitur per legem Corneliam; secundo, Donatarius semper in civitate mansisse fingitur jure postliminii. Per *hunc textum* apparet, Principem humani- 2
tate sua DEUM imitari debere, quod quidem nos omnes facere oportet. Nam summa religio- 3
nis est, imitari eum, quem colimus, juxta D. Augustinum, et nulla certior via salutis, nec 4
certius Electionis argumentum, quam imitari DEUM, sed vel maxime hoc facere possunt, certe debent Principes, quam mentem ipsis ex animo comprecor.

TITULUS XVIII.

De Repudiis, et Judicio de moribus sublato.

SUMMARIUM

Differentia inter repudium et divortium.

Repudium generalis vox est, quae sponsis et conjugibus convenit, *l.* 101. §. 1. *ff. de V. S. l.* 12. *ff. de Ritu Nupt. l.* 39. *ff. Sol. Matr.* sed divortium est separatio conjugum, *Struv. Syntagm. jur. civ. Exerc.* 30. *th.* 38.

L. Matrimonium. 1.

SUMMARIA

An deportatio sit modus solvendi matrimonii? num. 1.
An uxor a fisco, qui bona mariti deportati occupavit, dotem repetere possit? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi ratio. 4.
Barbosa *notatur.* 5.
An statim viro bannito repetere possit? 6.

1 Deportatio non est modus solvendi matrimo-
nii, *l.* 21. *tit. praeced.* si scilicet uxor cohabitare
2 velit, *hac lege.* Quaeritur ergo; *An uxor a Fi-
sco, qui bona mariti deportati occupavit, do-
3 tem repetere possit?* Videtur quod non, quia
nondum solutum est matrimonium: Vid. *d. l.*
4 21. *tit. praeced.* sed affirm. Quia laudabile pro-
positum, quod scilicet maritum deportatum se-
qui velit, ipsi fraudi esse nequit, ideo ex ae-
quitate statuitur, quod possit repetere dotem a
Fisco, quod idem statuunt *DD.* de Marito ban-
nito, *Br. in l. si constante num.* 20. *ff. Sol.
Matr.* et ibi caeteri, et *Campegius de dote P.*
5 3. *cap.* 23. licet dissentiat *Petr. Barbosa in d.*
6 *l. si constante in princ. num.* 30. Imo statim,
viro bannito, potest uxor suam dotem repete-
re, sive bona mariti sint publicata sive non,
quia exilium paupertatem inducit per ea, quae
allegat *Farin. q.* 25. *num.* 111. *in fine*, et ita
ob inopiam repetit, *l. ubi adhuc* 29. *C. de jure
dotium.*

L. Liberum est. 2.

SUMMARIA

Justa repudii causa inter sponsos est absentia voluntaria. num. 1.
An ad hanc absentiam sufficiat biennium? 2.
An haec temporis circumstantia consideretur jure Can. 3.
An sine hac causa sponsa sponso repudium mittere possit? 4.
Secus in sponsalibus de praesenti jure Can. 5.

Repudii inter sponsos justa causa est absentia 1
voluntaria sponsi ultra biennium, *l.* 2. *sup. de
Sponsal.* Nam quod de triennio hic dicitur id
propterea fit, quia in facto sic contingit, non
quasi illud semper necessarium esset, *Panorm.
in c. de illis* 5. *num.* 5. *X. de Spons.* quam re-
fert *Finckelthaus. obs.* 111. *num.* 4. vel potius 2
biennium expectandum, si sit praesens in ea-
dem provincia, et triennium, si absens sit,
nisi justo impedimento detineatur, *l. pen. ff. de
Sponsal.* Sed eam temporis circumstantiam consi- 3
derari Jure Canonico, negat *Fachin. lib.* 3.
Contr. 33. Sed et sine hac causa repudium mit- 4
tere potest sponsa sponso, et vice versa, *hic, et
leg.* 1. *sup. de Sponsal.* Sed in Sponsalibus de 5
praesenti hodie secus Jure Canonico, de quo
supra *Auctor Tit. de Sponsal. ad l.* 2. *Id. ad
Rubr. ff. h. t.*

L. Dubium. 3. L. Filiae. 4. L. Dissentientis. 5. et Auth. E contra.

SUMMARIA

An et quatenus maritus cum uxore divortium facere possit? num. 1.
Duo casus divortii simulati. 2.
Quaenam causae constituant divortium. 3.
An ad divortium etiam requiratur consensus matris? 4.
Non quae calore iracundiae, sed quae consilio geruntur, firma demum esse oportet. 5.
Quicquid ex iracundia fit, non prius ratum erit, quam ex perseverantia appareat, animi judicium fuisse. 6.
Vel irretractabile alteri damnum creetur. 7.
An pater concordans bene liberorum conjugium dissolvere debeat? 8.
An necessaria in contrahendo etiam sint necessaria in dissolvendo? 9.

Divortium maritus aut uxor facere potest, sed 1
non simulate in praejudicium tertii, v. g. si fi- 2
lia propterea simulet se divertere, ut maritus
retineat dotem, *l.* 3. *h. t.* nam patri subvenien-
dum est, *l.* 5. *ff. h. t. ibique Auctor, Petr. Barb.
in l. si cum dotem* 32. *pr. num.* 48. *ff. Sol. Ma-
trim. Lud. Gomez in §. item si quis in frau-
dem num.* 35. *Inst. de Act.* quam pater soluto
matrimonio sibi reddi stipulatus erat. Alius ca-
sus divortii simulati et fraudulenti in *l.* 59. *ff.
Sol. Matr.* ubi Uxori aegrae maritus mittit di-
vortium, ut ea mortua, dotem ejus haeredi-
bus potius, quam patri ex stipulatu restituerit.
Ut autem filia vel filiusfamilias divertere possit 3
requiritur: 1. Patris consensus, qui sicut in

contrahendo, ita etiam in dissolvendo necessarius est, *leg.* 5. *h. t.* adeo ut si contra fiat, non cedat in praejudicium Parentis, *auth. e contra.*
4 Non vero requiritur consensus matris, *l.* 4. *h. t.* ut nec patris illius, qui filiam emancipavit, *l.* 5. *h. t.* 2. Gravis causa, *d. l.* 5. *h. t. vid. late et leg. Selden. Uxor. Ebr. l.* 3. *c.* 29. 30. 31.
5 Nota bene: Juxta *l.* 3. *ff. et C. h. t. ibique Auctorem* ea, quae consilio, non calore iracundiae geruntur, demum firma esse oportere,
6 quicquid enim iracundiae calore fit vel dicitur, non prius ratum esse oportet, quam si ex perseverantia appareat judicium animi fuisse, *d. l.* 3. *ff. h. t. et l. quicquid* 48. *ff. de R. J.* Un-
7 de Regula; Quicquid ex iracundia fit, irritum esse dicitur, nisi retractabile damnum alteri cretur. Vid. *Axiom. Dn. Tab. l.* 9. *c.* 85. *axiom.*
8 1. Item patrem bene concordans liberorum conjugium dissolvere non debere, quae Regula saepe solet allegari in matrimoniis sine consensu parentum contractis, quamvis haec ipso jure
9 nulla sint ex *l.* 5. item, Quae sunt necessaria in contrahendo, ea etiam sunt necessaria in dissolvendo, *l.* 2. *C. si adversus donat. per auth. e contra h. t. DD. in l. nihil tam naturale ff. de R. J. Menoch. cons.* 1195. *num.* 25. modo ille, qui vult aliquid dissolvere, habeat etiam dissolvendi potestatem, *Hippol. de Marsil. sing.* 669.

L. Licet. 6.

SUMMARIA

An neque cognito repudii libello neque alteri viso dissolvatur matrimonium? num. 1.
An citatio in subsidium ad domum sufficiat, si non reperiatur? 2.
Quilibet praesumitur scire ea, quae ad ejus domum, quam inhabitat, nunciata sunt. 3.

1 Dissolvitur Matrimonium, licet libellus repudii neque cognitus, neque visus alteri, modo ad domum missus sit, ideoque etiam furioso mitti potest et ignoranti, *l.* 4. *ff. h. t. l.* 22. §.
2 7. *ff. Sol. Matr.* Hinc Colligunt: Citationem ad domum valere, in subsidium scilicet, si non reperiatur, licet in notitiam citati non pervenerit, *hic et l.* 1. §. 1. *ff. de agnosc. lib.* quia illa videtur in culpa esse, quod procuratorem non reliquerit, aut alium, qui nuntiare potuit, et
3 quilibet praesumitur ea scire, quae ad ejus domum, quam inhabitat, nunciata sunt, et praesumuntur domestici id nunciasse, per allegata *Tiraquell. de Retr. Lign.* §. 9. *Gl.* 2. *num.* 39. *et seqq.* Conf. *Trentac. lib.* 1. *tit. de citat. res.* 3. *Menoch. lib.* 2. *Praesumpt.* 26.

L. Uxor. 7. et Auth. Hodie.

SUMMARIA

Matrimonium marito in militiam profecto bona gratia dirimitur. num. 1.
Intra quod tempus uxor eum expectare debeat? 2.
An usque de ejus morte certiorata expectet? 3.
An maritus in dubio mortuus praesumatur? 4.
Si mortuus dicitur, Dux jurato examinandus est. 5.
An haec ducis examinatio etiam de jure Can. necessaria? 6.
An alia probatio hoc casu sufficiat? 7.
Quando sufficiat? 8.
An sufficiat unius testis? 9.
An arbitrio judicis relinquatur? 10.
Qualis militia intelligenda. 11.
Ex quo tempore nostra Consistoria facultatem renubendi desertae conjugi concedant? 12.

Marito in militiam profecto poterat matrimonium bona gratia (*mit guten Willen*) dirimi, *l. vel senectutem* 61. *ff. de Donat. int. vir. et ux.* 1
Postea *hac l.* 7. quadriennium uxor tenetur expectare, et postea testimonium Ducis exquirere 2
sub quo militavit, quod tamen quadriennium vel in milite speciale est, vel potius pertinet hoc ad narrationem facti, quod tot anni praeterierint, *Finckelthaus. obs.* 111. *num.* 5. Deinde quadriennium in decennium mutatum, *Novell.* 22 *c.* 14. Tandem *Nov.* 117. *c.* 1. *et hac Authent. hodie. etc.* tamdiu tenetur expectare, 3
quod de ejus morte constet, aut uxor de morte mariti fuerit certiorata, *c. in praesentia* 19. *X. de Sponsal. c.* 2. *X. de secund. nupt.* et adeo non obstante quacumque temporis longinquitate tenetur maritum expectare, *Farin. q.* 140. *num.* 49. et in hoc Jus Nov. et Canonicum concordat, *Farin. d. l. num.* 50. et in dubio maritus 4
non praesumitur mortuus, licet diligenti inquisitione facta nesciatur ubi sit, *Panorm. in d. c.* 19. *num.* 4. *Schneidew. de Nupt. P.* 4. *num.* 41. et si mortuus dicatur, Dux jurato examinandus 5
est, *Rittershus. in Nov. P.* 4. *c.* 7. *num.* 11. quae tamen solemnitas examinandi Duces juxta 6
Canonistas non est necessaria, sed sufficit hoc casu, si aliter mors mariti probari possit, quod etiam juris rationi conforme, ne probandi facultas nimis restringatur, et ita communiter receptum testatur *Farin. d. l. n.* 52. *Sanchez de Matrim. lib.* 2. *d.* 46. *num.* 2. et idem esse 7
volunt, si per violentas praesumptiones constet de morte, ut quia navis, in qua vehebatur maritus, naufragio periit, Conf. *c. quoniam frequenter §. si autem* juncta *Gl. X. ut lite non contest.* quod verum putamus, quando de ex- 8
cusanda muliere, non vero de concedenda facultate nubendi agimus, nam tum judicem valde circumspectum esse debere puto, conf. *Farin. d. q.* 59. imo et unicum testem sufficere 9
vult *Farin. d. l. num.* 73. et hoc relinquendum 10
esse arbitrio judicis statuit *Schneidew. d. l. num.* 42. conf. *Covarr. et Menoch.* infra citandi. Sed superiora et ad legitimam necessariam militiam, 11
non vero ad errones nostri temporis pertinere notat *Wesenbec. in. ϖ. ff. h. t. num.* 3. Ideo post quinquiennium, vel etiam breviori tempo- 12
re solet facultas renubendi desertae conjugi in Consistoriis concedi, praeviis peremptoriis citationibus, de quo ulterius agit *Schneidew. d. l. num.* 44. *Sanchez de Matrim. d. d.* 46. *Carpzov. in Jurispr. Eccl. lib.* 2. *tit.* 11. *def.* 192. et alibi, *Farin. d. q.* 140. *num.* 61. *et seqq.* et in hoc valet arbitrium judicis, *Covarr. de Matr. p.* 2. *c.* 7. §. 3. *num.* 4. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 430. *num.* 129. *Sanchez d. l. num.* 7.

L. Consensu. 8. pr. §. 1. 2. 3. L. In causis. 10. et Auth. Sed hodie.

SUMMARIA

Causae repudii olim incertae erant. num. 1.
Quatuordecim hac in lege nominantur repudiandae uxoris. 2.
Earum nomina. 3.
Tresdecim sunt repudiandi mariti. 4.
Earum nomina. 5.
Impotentia intra biennium an sufficiat. 6.
Jure civili novo sex tantum causae sunt repudiandae uxoris. 7.
Quaenam. 8.
Consistoria Evangelica quasnam divortii causas approbent. 9.
Qualis infidelis discessio sit. 10.
An adulterium omnino solvat thori vinculum, an vero distrahat tantum quoad thorum et mensam? 11.
An facultati divertendi praescribatur quinquennio? 12.
An error qualitatis vitiet matrimonium? 13.
An toleranda distinctio inter stupratorem et mulierem stuprum passam? 14.
Semper stupratoris conditio deterior, major culpa. 15.
An ministris Ecclesiae divortium ob vitium uxoris ante sponsalia commissum concedendum sit? 16.
Foemina in conjugem petitum suum dedecus manifestare non tenetur. 17.

1 Causae repudii olim incertae erant. In *hac l.*
2 quatuordecim nominantur, ob quas Uxor repudiari potest, quarum quaelibet sufficit: 1.
3 Adulterium: 2. Veneficium: 3. Homicidium: 4. Plagium: 5. Crimen violati sepulchri: 6. Sacrilegium: 7. Latrocinium vel receptio Latronum: 8. Adsectatio conviviorum cum aliis viris: 9. Abnoctatio uxoris extra aedes, citra justam causam: 10. Frequentatio theatralium spectaculorum: 11. Insidiae vitae mariti sructae: 12. Crimen laesae Majestatis: 13. Crimen falsi: 14. Ma-
4 nus violentae viro illatae. Eaedem fere causae
5 repudiandi mariti: 1. Adulterium: 2. Homicidium: 3. Veneficium: 4. Crimen laesae Majestatis: 5. Crimen falsi: 6. Sepulchri violati: 7. Latrocinium: 8. Abigeatus: 9. Plagium: 10. Luxuriosa vita cum meretricibus: 11. Insidiae vitae uxoris sructae: 12. Mala tractatio: 13. Impoten-
6 tia non intra biennium, ut in *l.* 10. sed triennium a tempore copulationis computandum, *Authent. sed hodie.* Canones tamen distinguunt, an ab initio laboraverit maritus, an ex post facto, item utrum statim constet de frigiditate mariti, aut casus sit dubius, ut illo demum casu, non hoc, detur separatio, *can.* 2. *causa* 33. *quaest.* 51. *cap.* 5. *X. de frigidis et maleficiatis.* Vid. *Rittershus. de Diff. Juris Civ. et Canon. lib.* 2. *cap.* 12. *Beust. de Jure Connub. P.* 2. *cap.* 14. *Gerhardus de Conjug.* §. 658. *Du. Carpz. lib.* 2. *Jurispr. Eccles. def.* 200. *et duab. seqq.* Rationem si velis indagare, nollem eam in dolo constituere, quia bona fide ab impotente potest contrahi, sed in eo, quod matrimonium communi jure extra conventionem de virginitate servanda, habet duos fines: 1. Procreationem sobolis. 2. Evitationem fornicationis, qui uterque cessat; ergo deficit consensus, substantiale conjugii requisitum. Sed contractae hae causae 7
per *Nov.* 117. *cap.* 8. ubi sex tantum retinentur ex causis superioribus repudiandae uxoris, omissis reliquis, scilicet hae Jure Civili novo sunt causae repudii in *d. Nov.* 117. *C.* 7. - 1. Crimen Lae- 8
sae Majestatis: 2. Adulterium, *Carpz. P.* 4. *Const.* 2. *def.* 4. *num.* 3. - 3. Insidiae structae marito: 4. Communia cum aliis viris lavacra et convivia: 5. Si nolente Viro extra domum apud extraneos commorata sit: 6. Si sine consensu Mariti theatricis spectaculis interfuerit. Causas repudiandi mariti numerat quinque: 1. Laesam Majestatem: 2. Insidias vitae structas: 3. Lenocinium. 4. Calumniosam accusationem adulterii. et 5. Si cum alienis mulieribus versetur. De consuetudine 9
Consistoriorum Evangelicorum. hae recensentur justae divortii causae: 1. Machinatio mortis conjugis, et insidiae, ac nimia et immoderata saevitia, *Sanchez lib.* 10. *d.* 18. *Covarr. de Matrim. c.* 7. §. 5. *num.* 1. *Farin. q.* 143. *num.* 129. ubi maritus uxori alimenta praestare tenetur, *Carpz. d.* 213. *Petr. Barbosa P.* 2. *Rubr. ff. Sol. Matrim. num.* 43. *Guttier. lib.* 1. *Can. quaest. c.* 21. *num.* 7.
2. Infidelis conjugis discessio, de qua Cano- 10
nistae tantum intelligunt textum 1. *Cor.* 7. *v.* 15. Scilicet si alter infidelium convertatur, infidelis aut nolit converso cohabitare, aut non sine blasphemia, nisi spes proxima conversionis, *Covarr. p.* 2. *c.* 7. §. 4. *num.* 8. *et* 9. *Sanchez lib.* 7. *d.* 74. *num.* 4. *Zoes. in tit. Decret. de Divort. num.* 4. - 3.
Impotentia naturalis. 4. Adulterium, et haec qui- 11
dem causa conjugium distrahit tantum quoad thorum et mensam Jure Canon. sed jure Civili et Jure Divino, ut nostri contra Pontificios tuentur, et secundum Consistoria nostra, etiam quoad vinculum, adeo ut parti innocenti novum matrimonium concedatur, et hoc extenditur, licet maritus deferendo aut expellendo uxorem causam praebuerit, quia quidlibet imo mortem potius pati, quam tam grande nefas patrare debuisset, *c.* 4. *X. h. t. Farin. q.* 143. *num.* 12. *Sanchez lib.* 50. *d.* 5. *num.* 6. *Guttiercz de Matrim. c.* 129. *num.* 8. Et potest innocens divertere non expectata judicis sententia in foro conscientiae, si id citra scandalum fieri possit, *Farin. d. l. num.* 49. *Guttierez num.* 9.
Sanchez disp. lib. 12. *disp.* 12. nec huic facultati prae- 12
scribitur quinquennio, *Sanchez lib.* 10. *d.* 3. *num.* 9. *Farin. q.* 10. *num.* 20. *et Guttierez d. l. n.* 5. 6: 5. Causa divortii est desertio malitiosa, et ita generalius intelligunt nostri textum in *d. ep.* 1. *ad Corinth.* 7. *v.* 15. *Gerhard.* §. 624. *Beust. P.* 2. *c.* 26. *Schneidew. de Nupt.* §. 4. *num.* 37. *Carpz. lib.* 2. *def.* 192. - 6. Causa est, cum vir duxit uxorem ab alio prius impraegnatam, ubi tamen omnibus modis tentanda reconciliatio, et valde haec causa mihi dubia visa fuit. Et vulgaris est Quae-
stio: *An error qualitatis vitiet matrimonium?* de 13
qua Quaest. *Cypraeus de sponsal. c.* 13. §. 44. *num.* 3. *Beust. d. tr. P.* 2. *c.* 34. *Carpz. Pr. Crim. q.* 63. *num.* 51. *et seqq. et in Jurisp. Consist. lib.* 2. *d.* 193. *Wesenb. in* ϖ. *Tit. de Nupt.* Sed quicquid sit, mallem in Consistoriis, ut introduceretur sententia Canonistarum, quae conscientiis esset tutior et
minus scandalosa, et distinctio inter stuprato- 14
rem et mulierem stuprum passam potius opinioni vulgi perversae, quam Verbo Dei et sanae juris rationi convenit. Nam verum est, si mari-

tus uxorem ante sponsalia vitiatam potest repellere, utique etiam uxor potest repellere maritum, qui ante sponsalia stuprum commiserat;
15 semper enim stupratoris deterior est conditio,
16 major culpa. Et minime omnium Ministris Ecclesiae hoc divortium concedendum, nam quia Ordinationes Consistoriales aegre hoc concedunt, ideo in marito petente aliquam malitiam et scandalosum petitum praesupponunt, Vid. quae disputat *Wesenb. in π. ad* tit. *de Ritu nupt. n.* 7. Ex verbis *Ordinationum* apparet voluisse principes nostros minus malum tolerare, quam majus admittere, sed interim excusatus non est, qui repudiat eam, quae fidem conjugalem non fregit.
17 Et non tenebatur foemina in conjugem petitum suum dedecus manifestare, et sexus hic infirmior etc.

Auth. Sed novo jure.

SUMMARIA

An verbera uxori illata praebeant divortii causam? num. 1.
Poena horum verberum. 2.

1 Per *hanc Auth.* et *Novell.* 117. *cap.* 9. verbera illata uxori non praebent divortii causam, sed
2 tenetur maritus pro ea contumelia tantum solvere uxori, quantum valet tertia pars donationis propter nuptias, et omnino videtur loqui de verberibus, in quibus non est periculum vitae timendum, nam ubi periculum vitae subest, omnino ob saevitiam etiam hodie, licet tantum respectu thori et mensae, non vero vinculi, locum habet separatio, *Petr. Barbos. P.* 2. *Rubr. ff. Sol. Matr. num.* 33. quem laudat *hic August. Barbos. num.* 2.

L. 8. §. 4. 5. et 7.

SUMMARIA

Improbabilis divortii poena in uxore quaenam sit? num. 1.
An ejusmodi mulier ad quinquennium innupta manere debeat? 2.
An etiam fiat infamis? 3.
Quid si mulier justam causam probaverit? 4.
Poena mariti sine causa uxorem repudiantis. 5.
Ob divortium amittitur dos. 6.
An divortia hodie concedantur? 7.
Poena adulterii quoad bona. 8.
Et quidem uxoris. 9.
Mariti. 10.
An domestici testes in crimine adulterii quid probare possint? 11.
Quatenus admittendi testes domestici? 12.
Quatenus servorum testimonio credatur? 13.
An in crimine Majestatis servus pro teste admittendus? 14.
Omnes pactiones huic l. 8. *contrariae rejiciuntur.* 15.

1 Poena improbabilis divortii in uxore est amissio dotis, *Auctor in l.* 38. *ff. solut. matrim. n.* 3. *et l.* 69. *ff. de jure dot. num.* 1. et donationis propter nuptias, quae cedunt marito: Sed si liberi adsint, inter hos proprietas distribuenda non pro lubitu, sed aequaliter, *Auth. lucrum sup. de secund. nupt.* Mulier autem ad quinquennium 2
innupta manere debet, ratio in §. 4. ibi: *aequum enim est, eam connubio interim carere, quae se monstravit indignam*, et additur poena infamiae. 3
Si vero justam causam divortii probaverit uxor, 4
post annum nubere poterit, nihilque de suo amittit. Maritus sine causa repudians uxorem 5
amittit dotem et donationem propter nuptias, §. 5. *hic, Auctor in d. l.* 38. *ff. solut. matr. num.* 4. Collige ergo: Ob divortium amitti dotem; sed quia 6
divortia hodie non conceduntur, nisi ob adulte- 7
rium, ideo notanda est poena adulterii scilicet 8
amissio dotis, quam poenam multae leges irrogant, et *DD. hic* ab *Aug. Barb. allegat. num.* 6. praesertim vero per *d. Nov.* 117. *c.* 8. Uxor adul- 9
tera amittit dotem et donationem propter nuptias, et ex Paraphernis tantam portionem, quanta est tertia dotis, *d. Nov.* 117. *c.* 8. Haec scilicet addicuntur marito, cui contumelia illata, reliqua autem bona addicuntur Monasterio, nisi sint descendentes, vel ascendentes, quibus triens defertur, *Novella* 134. *cap.* 10. Sed si maritus 10
adulter, recuperat uxor dotem, lucratur donationem propter nuptias, et ex reliquis bonis eam portionem, quantum pars tertia donationis propter nuptias efficit; quod superest, Fisco vindicabitur, nisi supersint descendentes, vel ascendentes ad tertium usque gradum, *d. Nov.* 117. *c.* 9. *et Nov.* 134. *c.* 10. *Ant. Matth. pulchre ad lib.* 48. *Digest. tit.* 3. *cap.* 3. Conf. *Dn. Carpz. Pract. Crimin. q.* 64.

§. 6. In crimine Adulterii, vel super crude- 11
litate mariti, si veritas aliter haberi non possit, etiam domestici testes adhibendi, quia quae domi geruntur, non facile per extraneos poterunt manifestari, unde ex *hoc textu* hanc Theoriam inferunt *DD.* Quod testes domestici, licet regulariter non admittantur, *l. etiam* 3. *supra de Testibus*, admitti tamen debeant iis in casibus 12
et negotiis, in quibus ex natura negotii in genere veritas vix aliter haberi potest, de qua re Vid. *Farinac. de Opposit. contra personas testium quaest.* 55. *num.* 35. *et seq. Auctor in l.* 24. *ff. de testib. num.* 3. 4. *et seqq.* servis tamen non 13
creditur, nisi torturae subjectis, *hic et l.* 1. *C. de quaest. et l. fin.* §. *licentia* 10. *C. de jure delib.* Et aliter *hic textus* innuit, quod sicut in cri- 14
mine majestatis admitti possit servus pro teste, ita et hic, *Mascard. concl.* 463. *num.* 11.

§. 8. Omnes pactiones huic *l.* 8. contrariae re- 15
jiciuntur, ratio in *l. pacta quae contra* 6. *supra de Pactis.*

L. Si constante. 9. et Auth. Quod hodie.

SUMMARIA

Olim bona gratia amicabilis separatio fieri poterat. num. 1.
Justinianus sustulit. 2.
Sed cum limitatione. 3.
Quid maritus et quid uxor inde recipiat? 4.
Quid si vir solus eligat religionem, et uxorem consentientem relinquat saeculo? 5.
Quid si turpiter postea vixerit uxor? 6.

Bona gratia interdum fiebat amicabilis sepa- 1

ratio, *l.* 6. *ff. h. t. l.* 32. §. 10. *ff. de Don. inter vir. etc.* et sine ulla causa, quo casu mulier post annum secundas nuptias contrahere pote-
2 rat; Sed Justinian. in *Authent. seq.* id fieri pro-
3 hibet, nisi utraque pars ingrediatur religionem id est, monasterium, cujus exceptionis ratio in favore religionis, nam vita monastica praeferebatur vitae conjugali, *Rittershus. in Nov. P.* 4.
4 *c.* 7. *num.* 9. et hoc casu dos mulieri redditur sine diminutione, et donatio propter nuptias a viro retinetur, scilicet si liberi non exstent, nam his existentibus dos et donatio propter nuptias
5 liberis conservanda. Sed si vir solus eligat religionem, et uxorem consentientem, (nam sine ejus consensu hoc nunquam fieri potuit,) relinquat saeculo, dos reddenda est uxori, quae insuper ex donatione propter nuptias consequitur illud lucrum, quod sibi pacta est in casum mortis mariti; si vero uxor sola eligat vitam monasticam, maritus retinet donationem propter nuptias, et lucrum dotis, *l.* 56. *pr. C. de*
6 *Episc. et Cler. Rittersh. d. l.* Quod si postea turpiter vixerit, bona eorum ad liberos, vel his deficientibus, ad Fiscum devolvuntur.

L. Jubemus. ult. pr. et §. 1.

SUMMARIA

An maritus uxorem indotatam repudiare possit? num. 1.
Quid si de facto repudiet maritus? 2.
Quid si mulier repudiet maritum? 3.
An mulier nulla dotis constitutione nubens omnia bona in dotem dedisse censeatur? 4.
Nonnullae aliae repudii causae recensentur. 5.

Maritus uxorem, quia indotata est, repudia- 1
re nequit, quia non dotibus, sed affectu matrimonia contrahuntur, et ideo neque uxor ob non solutam dotem promissam expelli potest, *Covarr. de sponsal. part.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. *Fachin. lib.* 3. *concl.* 48. *Wesenbec. in* ₰. *de jure dot. num.* 6. Si autem de facto repudiet ma- 2
ritus ob hanc causam uxorem, debet ipsi quartam bonorum partem suorum dare usque ad centum libras auri non ultra, quantaecumque sint facultates mariti. Idem in uxore repudian- 3
te de facto sine jure maritum, et hoc lucrum liberis est reservandum, *Petr. Barbos. ad rubr. ff. solut. matrim. part.* 2. *num.* 45. *et seqq.* Si vero sine dote sit matrimonium, non potest restitutio dotis fieri, et ideo nec donationis propter nuptias praestabitur pars quarta, *Petr. Barbos. part.* 2. *rubr. ff. solut. matr. num.* 46. Ex *hoc* etiam *textu* evidenter probatur sententia eorum, qui statuunt, mulierem nulla dotis con- 4
stitutione nubentem omnia bona in dotem dedisse non censeri, quia hic mulier sine dote nubens praesumitur habere bona, quia tenetur partem quartam solvere marito, quem immerentem repudiat, et tamen dicitur esse indotata, *Dn. Kohl. de pact. dotal. P.* 1. *num.* 101. *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 6. *num.* 54. *et Cuno de Pact. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 50. et quos allegat *Kohl. d. l.*
§. *fin.* Repudii causae nonnullae recensentur, 5
ut si uxor sua ope abortum fecerit, vel libidinis causa commune lavacrum cum viris habuerit, vel alium maritum sibi copulare conata fuerit, et judicium de moribus abrogatum, *Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 2. *et seqq.* ubi plures repudii causas allegat.

TITULUS XVIII.

Soluto Matrimonio quemadmodum dos petatur?

L. Dubium non est. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An aestimata re in dotem data, si nihil amplius convenerit, ut periculum ita et commodum sit mariti. 2.

1 Data in dotem ancilla aestimata, hoc pacto, ut si extaret soluto matrimonio, restitueretur. Ergo si non extaret, tacite actum, ut aestimatio redderetur. Ergo hic aestimatio cum tali pacto facta, non transfert absolute dominium, *Petr. Barbos. l. aestimatis n.* 32. *ff. sol. matr.* et ideo licet aestimata sit ancilla, non tamen periculo est mariti. Ergo in specie hujus legis etiam partus restituendus; secus autem si aestimatio ideo facta, ut omne periculum transferatur in maritum, per *l. pen.* §. 3. *ff. h. t. et l. si mancipia* 18. *ff. de jure dot.* ubi ratio. Sed hic aestimatio non ideo facta, ut periculum transferatur in maritum. Ergo cum ejus periculo non sit, iniquum foret fructum vel lucrum ancillae ipsi attribuere, *argum. l.* 21. *supr. de jure dot.* Ratio in *l.* 21. *supra de jure dot.* Collige ergo ex *hoc textu*: Aestimata re in dotem data, si 2
nihil amplius convenerit, ut periculum, ita commodum erit mariti; sed si etiam placuerit, ut redderentur res ipsae si extent, *hic, et leg. aestimatis ff. h. t.* periculum pertinet ad mulierem, et ita etiam commodum, cum sensus sit, si non extiterit res, non esse restituendam, *Cujac. hic*, et sic non obstat *d. l. pen.* §. 3. *ff. h. t.* quae de alio casu agit; scilicet ut ancillae aestimatae restituerentur. Et sane obscurum non est in *d.* §. 3. agi de eo casu, ubi periculum transfertur in maritum, *Petr. Barb. in l. aestimatis* 50. (*ipsi* 51.) *num.* 39. *ff. h. t.*

L. Secundum. 2.

SUMMARIA

Casus legis num. 1.
Quaenam distinctio sit inter dotem profectitiam et adventitiam? 2.

1 Maritus instituit socerum suum haeredem, hoc adeunte, confunditur petitio dotis quoad patrem, quia communis erat patri et filiae, *l.* 2. §. 1. *ff. h. t.* Cum autem Fiscus postea occuparet bona soceri, Quaeritur, *An filia dotem a Fisco repetere possit?* Quod aff. quia non tantum a Fisco repetere potest, quando Fiscus ipsius mariti bona occupavit, *argum. l.* 31. *princ. ff. h. t. et l.* 1. *supr. de Repud.* quia ita maritus ad inopiam redactus, *Campeg. de Dote Quaest.* 23. sed etsi pars publicetur, tenetur Fiscus, quando ea pars non sufficit solvendae doti, *Petr. Barbos. ad l. si constante* 24. *ff. h. t. num.* 30. Conf. *Jo. Crottus in repet. d. l. si constante num.* 29. Sed etiam tenetur Fiscus, si bona haeredis mariti occupet. Nam petitio dotis in praejudicium patris sublata est, non filiae, cum pater nec expresse ipsi praejudicare, *l.* 3. *ff. h. t.* nec dissoluto matrimonio invita uxore repetere pos-
2 sit, *l.* 7. *h. t.* Notetur hic quasi obiter distinctio inter dotem Profectitiam et Adventitiam; dotem profectitiam filia emancipata petit sola, nisi aliud actum, filia in potestate patris petit cum patre, nisi filia sit mortua, tunc enim pater solus petit. Dotem adventitiam filia emancipata petit sola, in potestate patris constituta petit cum patre, filia mortua, petit ille, qui sibi restitutionem stipulatus, alioquin lucratur maritus, *Bacchov. in Treutl. Vol.* 2. *D.* 7. *th.* 11. *lit. C. Petr. Gregor. lib.* 9. *Sintag. c.* 22. *Dn. Kohl. de pact. dotal. P.* 1. *num.* 40. *DD. in* §. *fuerat Inst. de Act. Auctor in l.* 2. *ff. sol. matr. num.* 7. Sed quando pater successit genero ex testamento, tunc per confusionem dotis petitio sublata in praejudicium patris, non filiae, ut hic.

L. Si ignorans. 3.

SUMMARIA

An si matrimonium nullum declaratum ob servilem mariti conditionem dos ex peculio repeti possit? num. 1.
Quomodo? 2.
An liberi ex matrimonio putativo nati, sint ingenui? 3.
An spurii? 4.
Inter liberam et servum nullum est matrimonium. 5.
Ampliatur. 6.
Rationes. 7.
Limitatur. 8.
Quid juris in nostris adscriptitiis? 9.
An privilegia verae dotis etiam putativae competant? 10.

1 Sicut soluto matrimonio, ita etiam si matrimonium declaretur nullum, ob servilem mariti conditionem, repeti dos ex peculio debet,
2 ita ut mulier omnibus creditoribus putativi mariti praeferatur, excepto domino, si ei aliquid
3 debeatur, *l.* 22. §. *fin. ff. h. t.* Liberi vero ex tali matrimonio putativo nati, sunt quidem inge-
4 nui, sed tamen spurii, quia matrem sequuntur liberam, et pater jure Civili pro nullo habetur.
5 Collige: I. Inter liberam et servum nullum es-
6 se matrimonium, adeo ut si ignoranter nupserit libera servo, Jure Canon. etiam matrimonium nullum sit, *cap.* 2. 3. *et ult. X. de Conjug. Servorum*, quia ut ajunt *CC.* hoc matrimo- 7
nium repugnat: 1. bono sacramentali, id est, cohabitationi: 2. bono fidei: 3. bono prolis, quae a parente religiose educari nequit, *Guttier. de matr. c.* 90. *Sanch. de matr. lib.* 7. *D.* 19. *n.* 15. *et seq.* Secus si sciverit servilem condi- 8
tionem, nam licet Jure Civili nec hoc subsistat, secus tamen Jure Canonico, *c.* 1. *X. d. t. Pan. in d. c.* 2. *num.* 3. *Guttier. d. l. num.* 23. *Azorius P.* 2. *Instit. Moral. l.* 2. *c.* 6. *Qu.* 10. *Rittershus. de Diff. Juris Civil. et Canon. lib.* 1. *c.* 19. Sed aliud in nostris adscriptitiis, qui 9
non habentur pro servis simpliciter, in hac praesertim materia, *Sanchez d. l. num.* 10. *Guttierez num.* 20. *Cipraeus de sponsal. cap.* 13. §. 38. *in fin.* II. Privilegia verae dotis etiam pu- 10
tativae competere, sed non omnia, *Tiraq. ad LL. Connub. Gl.* 8 *num.* 235. *et seqq.*

L. Dos a patre. 4.

SUMMARIA

Dos profectitia quaenam sit? num. 1.
An filia in matrimonio mortua patri dos restituatur? 2.
An etiam si liberi extent? 3.
Consuetudine quid obtineat? 4.

Profectitia dos est, quae a patre proficiscitur, 1
l. 5. *princ.* §. 6. *ff. h. t. Auctor in l.* 5. *ff. de jure dot. num.* 1. *et* 2. Si filia igitur in matri- 2
monio mortua, *l.* 59. *ff. h. t.* licet sit emancipata, patri tamen restituenda est dos, *l.* 10. *ff. h. t. Bacchov. in Treutl. Vol.* 2. *Disput.* 7. *th.* 11. *Lit. C.* vers. *Caeterum haec sententia Petr. Barbos. in l.* 2. §. *quod si in patris num.* 38. *ff. solut. matrim. Auct. in l.* 6. *ff. de jure dot. num.* 1. ratio in §. 1. *Inst. per quas personas.* Quod an etiam eo casu, ubi ex isto matri- 3
monio liberi extant, procedat, quaeritur? Et distinguitur 1. inter emancipatam et suam, ut patri restituenda, si filia fuerit in potestate, secus si emancipata, *Fachin. lib.* 3. *contr.* 17. Alii indistincte patri tribuunt dotem, quod in ejus persona consolidetur actio, *Cephal. cons.* 709. *num.* 5. *et seqq.* et quos hic refert, nec non *Menoch. cons.* 338. *num.* 16. *Barbos. ad l. post dotem n.* 46. *ff. sol. matrim.* Sed hi tamen procul dubio liberis concedunt legitimam bonorum maternorum, et sic etiam partis dotis, si solum dotalia reliquit mater. 2. Alii indistincte liberis 4
assignant de consuetudine, *Hieron. de Caevall. in spec. commun. opin. qu.* 368. *Thesaur. dec.* 109. et pro hac sententia militat notoria consuetudo, *Kohl. de pactis dotal. P.* 1. *num.* 44.

L. Si quidem. 5.

SUMMARIA

An frater uxoris dotem sibi reddi stipulatus, eam repetere possit? num. 1.
Petenti alicujus haereditatem, mortem ejus probare incumbit. 2.
Quomodo probetur? 3.

Cui interim cura bonorum absentis committatur? 4.
Illatio. 5.
Ratio diversitatis. 6.
An captivitate hodie dissolvatur Matrimonium? 7.

1 Frater uxoris, qui sibi dotem reddi stipulatus est (alias enim dos adventitia remaneret penes maritum, *l.* 15. *ff. de fund. dotal. leg.* 7. *ff. de jure dot.* per notata *Hillig. ad Donell. lib.* 14. *cap.* 6. *Lit. B.*) non potest dotem, nisi mortua uxore petere; non vero si apud hostes ut captiva detineatur, quia tunc speratur reversura jure postliminii. Vide *leg. ult. supra de donat.*
2 *propter nupt.* Unde notant; Petenti haereditatem alicujus, incumbere, ut probet mortem illius;
3 quomodo autem ea probetur, de eo *hic Glossa et Auctores*, quos hic allegat *August. Barbos.* et nos *supra ad l.* 7. *de divortio.* Sed tamen
4 absentis bonorum cura, praestita cautione interim proximo committi debet de generali consuetudine, de quo testatur *Carpz. P.* 3. *Jurispr. Constit.* 15. *Def.* 48. Sed quia hic dicitur captiva uxore fratrem non posse dotem repetere,
5 forte quis inferre posset, captivo marito non
6 posse repeti dotem ab uxore: Sed ratio diversitatis est, quia uxor dotem repetere potest etiam vivo marito, quando hic ad paupertatem redigitur, *l.* 29. *supra de jure dot.* sed haeres uxoris nonnisi mortua uxore, quia viventis non est haereditas. Et apparet ex *hac l.* quod frater sibi restitutionem dotis reservaverit ut haeredi, quia additur conditio ut haereditatem ejus possit vindicare, *Campeg. de Dote P.* 2. *Q.* 4. Alias si in alium casum stipulatus esset frater non ut haeredi, sed si nupta esse desierit, nunc capta muliere posset repeti dos, *l.* 56. *ff.*
7 *h. t.* Quod tamen hodie non obtineret, quia captivitate hodie dissolvitur matrimonium.

L. Si circumscripta. 6.

SUMMARIA

Remedium uxoris vel mariti in pretio rei dotalis aestimatae laesi. num. 1.
Speciale hic est circa dotem. 2.
An, si res extincta, maritus teneatur supplere verum pretium. 3.

1 Si uxor in pretio dotalis rei aestimatae, vel maritus in aestimatione sit laesus, datur exceptio doli, vel actio ex *l.* 2. *C. de rescind. vendit.* Si scilicet sit aetate major, sed si minor, ex quavis laesione mulier in aestimatione laesa,
2 jure communi restitueretur. Sed in dote hoc speciale, quod etiam si mulier laesa circa dimidiam et non ultra, possit tamen ea restitutionem rei dotalis petere, et aestimationem prius conventam offerre, et quia maritus in hoc gravatur, dum tenetur restituere rem dotalem, ita in alio sublevatur, dum ipsi datur electio, an velit restituere rem, vel justam aestimationem, per *hunc textum* collatum cum *l.* 12. §. 1. *ff. de jure dot. ibique Auct. Bald. Novellus de Dote Part.* 7. *Priv.* 35. *Cagnolus ad l.* 2. *C. de rescind. vend. num.* 63. *Petr. Barbosa in l. si aestimatis* 51. *ff. h. t. num.* 22. Sed in priori specie, si res extincta sit, maritus non tenetur 3
supplere verum pretium, sed solvere tantum conventum, *hic in fin.* ratio in *l.* 12. §. 1. *ff. de jure dot.* quia boni consulere debet mulier, quod fuerat res aestimata, alias re extincta nihil acceptura; excipitur, nisi mariti verus dolus interveniat, *d. l.* 12. *in fin. Bald. Nov. Cagnol. Petr. Barb. dd. locis.*

L. Filiae. 7.

SUMMARIA

An pater dotem filiae in potestate sua existenti constitutam adimere possit? num. 1.
Ratio decidendi affirmative. 2.
Negative decidendi ratio. 3.
An reliqua bona profectitia filio vel filiae adimere possit? 4.
An soluto matrimonio possit dotem auferre consentiente filia? 5.
Pater consentiente filia dotem a generi haeredibus repetere potest. 6.
An filia possit sine justa causa dissentire? 7.
Quaenam sit justa causa? 8.

Quaeritur: *An Pater dotem filiae in potestate sua existenti constitutam adimere possit?* Et 1
videtur quod sic, quia bona profectitia avocare 2
potest; Sed Negatur hic, quia in dote hoc est 3
speciale, quod pater adimere non possit, *hic et l.* 2. *ff. h. t.* Caetera quidem bona profecti- 4
tia filio vel filiae adimere potest, sed non dotem profectitiam, nec donationem propter nuptias, idque constante matrimonio, ne quidem consentiente filia vel filio, quia redundaret ademptio dotis in praejudicium mariti sustinentis onera, ademptio donationis propter nuptias in praejudicium uxoris filii. Sed soluto matri- 5
monio potest auferre dotem consentiente filia, alias non, *d. l.* 2. Collige ergo ex *hoc textu* a contrario sensu, Filia consentiente posse dotem 6
a generi haeredibus repetere, et sufficit consensus tacitus, si non contraxit filia, *d. l.* 2. §. 2. *ff. h. t.* Et filia non potest dissentire sine justa 7
causa, *Petr. Barb. in d. l.* 2. §. *fin. num.* 3. *et seq.* justa causa autem erit, si pater sit vitae 8
profligatae, *Zasius in d. l.* 2. *num.* 12. *Auctor. in l.* 2. *ff. h. t. num.* 12. Alias sine consensu filiae pater nec sponte oblatam dotem recipere potest, nec alii delegare, *Barbos. in d. l.* 2. §. *quod si in patris num.* 39.

L. Nec maritus. 8.

SUMMARIA

Maritus ob dotem conventus in quantum teneatur, et in quantum haeredes ejus? num. 1.
Decidendi ratio. 2.
Exceptio a regula. 3.
Privilegia dotis iis competunt liberis, qui sunt ejusdem matrimonii. 4.
An maritus ad meliorem fortunam veniens, denuo ad residuum conveniri possit? 5.
An huic privilegio renunciari queat? 6.
Privilegio ob reverentiam dato non renunciatur? 7.

1 Maritus ob dotem conventus tenetur in quantum facere potest, ut ne egeat, sed haeredes ejus in solidum, ratio in *l.* 12. *ff. h. t. Petr.*
2 *Barb. in l. quia tale ff. h. t.* quia est benefi-
3 cium personale; excipitur tamen filius, cui omnino id beneficium competit, *l. etiam* 18. *ff. h. t.* scilicet si ex uxore, quae dotem repetit, natus sit, *Zasius in l. si cum procuratore* 23. *num.* 10. *ff. de re judic.* unde per *d. l.* 18.
4 solent probare: privilegia dotis competere iis liberis, qui sunt ejusdem matrimonii, *Baldus Nov. de Dote P.* 10. *num.* 26. *Neguz. de Pign. Memb.* 4. *Part.* 2. *num.* 95. *Petr. Barb. par.* 6. *l.* 1. *h. t. num.* 14. Sed, *An illud quod de filio dictum etiam ad nepotes extendendum?* Neg. *Zas. d. l. num.* 9. *et Manzius in Asylo debit. Dec.* 2. *qu.* 1. *num.* 135. *et dec.* 3. *q.* 1. *num.* 58. Si
5 autem maritus ad meliorem fortunam veniat, et denuo ad residuum conveniri potest, *l. un.*
6 §. 7. *sup. de rei uxor. act.* Et huic privilegio renunciari non potest, per *l. alia causa est* §. 1. *ff. h. t.* ubi ratio, quia ob reverentiam
7 datum est, nam privilegio ob reverentiam dato renunciari nequit, *Barbos. in d. l. alia* §. *eleganter*, quantum autem maritus facere possit, inspicitur tempus rei judicatae, per *l. rei judicatae ff. h. t.* Vid. *Zang. de Except. P.* 2. *c.* 15. *Manz. in Asyl. debit. decad.* 3. *q.* 1. *et* 3. passim.

L. Dotis actione. 9.

SUMMARIA

Uxor actionem in judicio movere, neque propria auctoritate rerum dotalium possessionem arripere debet. num. 1.
Si possessio sine vitio ad eam pervenit, jure retentionis utitur. 2.

1 Uxor actionem dotis in judicio movere debet, non vero propria auctoritate arripere rerum dotalium possessionem, quia tamen mulier etiam vivente marito quasi communem usum et possessionem omnium bonorum habuit jure familiaritatis, *l.* 41. *ff. de adquir. poss.* ideo si
2 possessio sine vitio ad eam pervenit, poterit jure retentionis uti in omnibus mariti bonis, de quo jure *Carpz. et DD.* ab ipso allegati *P.* 2. *Jurispr. const.* 15. *def.* 8. *et seq. Neguz. de Pign. P.* 5. *princ. memb.* 4. *Berlich. P.* 2. *concl.* 32.

L. Si Socero. 10.

SUMMARIUM

Casus legis.

Pater uxoris dat patri mariti dotem, quia scilicet tunc non maritus filiusfamilias, sed pater ejus sustinebat onera matrimonii, maritus moritur, ejus Pater ad restituendam dotem tenetur non peculio tenus, sed in solidum, *hic et l. si cum dotem* 22. §. *pen. ff. h. t.* facit *l.* 1. *sup. Quod cum eo etc.* quia non filius, sed ipse pater contraxit, et sic cessat illa reverentia, quae in eo casu, quando uxor a marito repetit, locum habet.

L. Si constante. ult.

SUMMARIA

An in casum soluti matrimonii uxor dotem sibi reddi stipulata praesumatur? num. 1.
An ideo mortuo marito ad eam pertineat et non ad haeredes mariti? 2.
Verba, de promissa dote, *quomodo intelligenda?* 3.

Uxor in casum soluti matrimonii dotem sibi 1
reddi stipulata praesumitur, ideoque mortuo 2
marito dos ad eam pertinet, non ad haeredes mariti, vid. *l. un.* §. 13. *sup. de rei uxor. act.* quod vero hic *de promissa dote* dicitur, copu- 3
lative intelligendum est, si prius promissa, et postea data sit, nam promissa dos, si soluta non sit, repeti nequit, *l.* 1. *sup. de Dote cauta non numerata;* vel dicendum promissam dotem reverti ad viduam, quatenus ab obligatione liberatur: Et ideo cavendum ab *August. Barbosa in hac l.* ubi *in fine* dicit, idem jus statui in dote constituta et tradita, atque in promissa tantum et non tradita, et id universaliter verum non est, nec Imperatoris est haec intentio, et *Tiraq. de Rer. Convent. ad finem tit. num.* 32. *a Barbosa allegatus* tantum de lucro dotis marito obveniente loquitur.

TITULUS XIX.

Si dos constante matrimonio soluta fuerit.

L. Si constante. un.

SUMMARIA

An maritus, qui constante matrimonio sine legitima necessitatis causa dotem restituit, uxore postea defuncta, eam cum fructibus interim perceptis repetere possit? num. 1.
Ratio decidendi. 2.
An maritus uxori fructus dotalis praedii permittere possit? 3.

Si maritus constante matrimonio sine legitima 1
causa necessitatis, ut si maritus deportetur, vel fiat non solvendo, vel alia probabili, Vid. *l.* 20. *ff. sol. matr. et l.* 73. §. 1. *ff. de jur. dot.* dotem restituit, uxore postea defuncta maritus eam cum fructibus interim perceptis repetere potest,

2 quia praematura ista restitutio esset donatio, quae inter conjuges prohibita, et fructus hi percepti mala fide ex re contra leges alienata; sed liberis uxoris reservanda est proprietas dotis, nec enim restitutio in mobilibus rebus in dotem datis ante annum fieri debet, et pater in his bonis habet usumfructum et ita fingendum in hac specie: dotem lucro cessisse ex pacto marito, et liberos extitisse, quibus reservanda proprietas, patri vero ususfructus. Colligitur ex *hac l.* Non posse maritum permittere uxori fru- 3
ctus dotalis praedii, cum donatio inter conjuges prohibita, nisi propterea constante matrimonio restituta dos, ut se et suos aleret, ut maritum captivum redimeret etc. *Surdus de alim. tit.* 8. *privil.* 34. *Menoch. consil.* 378. *num.* 36. *Petr. Barb. ad l.* 2. *p.* 2. *ff. Sol. Matr. num.* 1. *et seqq.* Sic nec pactum valet, quo sors dicto modo marito redderetur plane inutilis, *Dn. Kohl. de pact. dotal. P.* 1. *num.* 75.

TITULUS XX.

Ne fidejussores vel mandatores dotium dentur.

L. Sive. 1. et L. Generali. 2.

SUMMARIA

An qui dotem recipit, pro conservanda vel pro restituenda ea fidejussorem praestare teneatur? num. 1.
Fidejussio a marito sponte praestita, valida non est. 2.
Quid si jurata fidejussio? 3.
An idem obtineat in pignore? 4.
An extraneus, qui dotem dedit, fidejussorem petere possit? 5.
An maritus pro dote promissa solvenda fidejussores possit exigere? 6.

1 Qui dotem recepit, ut maritus vel ejus pater, non tenetur fidejussorem praestare pro conservanda, imo nec pro restituenda dote, *l.* 1. *h. t. Baldus Nov. de Dote P.* 6. *Priv.* 21. *num.* 1. *et* 2. *Joan. Guttierez de juram. confirm. P.* 1. *cap.* 31. *num.* 11. *Hier. de Caevallos in suo spec. qu.* 258. *num.* 5. cum mulier se suamque dotem marito credat, *l.* 2. *h. t.* et ne plus extraneo cre-
2 dere videatur, quam marito, nec valida est fidejussio a marito sponte praestita, *Molina D.* 425. *n.* 2. *Fach. lib.* 8. *cap.* 78. *Bacch. in Treutl. V.* 2. *d.* 7. *th.* 1. *Lit. G. Hering. de Fidejuss. cap.* 6. *num.* 140. *Hillig. in Donell. lib.* 15. *cap.* 48. *Lit. F. Perez hic num.* 3. quia huic juri prohibitivo non potest renunciari, *Guttierez d. l. num.* 13. *Cae-
3 vallos d. l. num.* 2. nisi cum juramento, *Guttierez d. l. num.* 14. alia ratio pignoris, quia id loco 4
rei cedit non personae mariti, *Hillig. d. l.* et quia etiam caetera bona mariti sunt uxori tacite obligata, cur non ergo expresse quaedam obligare posset? *Guttierez d. l. num.* 25. *Perez in fine, Auct. in l.* 6. *ff. de donat. inter vir. et uxor. num.* 6. extraneum etiam, qui dotem dedit, fidejusso- 5
rem petere posse tradunt *DD.* quos citat *Hering. d. l. num.* 198. *Perez num.* 4. *Bacchov. in Treutl. V.* 2. *D.* 7. *th.* 4. *Lit. G. et H. Auct. in l.* 55. *ff. de jure dot.* Sed de ista sententia dubitare licet cum *Hering. num.* 199. licet enim extraneus sibi dotem restitui stipulari possit, haec tamen ratio non concludit. Et *legis* 55. *ff. de Jure Dot.* alia est ratio, quia agitur ibidem de dote promissa exsolvenda, *Gl. in d. l.* 55. *Hering. d. c. num.* 165. Sed maritus potest exigere fidejussores pro dote pro- 6
missa solvenda, quia hoc casu superiores rationes cessant, *Guttierez num.* 4. Sicut etiam soluto matrimonio maritus satisdare tenetur, *l.* 24. §. 2. *ff. solut. matrim. Bald. Novell. d. Priv.* 21. *n.* 3. *Guttierez num.* 7. et conjunctam personam indistincte dari posse tenet, per *l. fin. sup. de dote cauta non num. Bald. Nov. d. l. n.* 4. *Guttierez d. l. num.* 6. *An autem duo rei promittendi esse possunt in dote conservanda?* Et placet sententia *Guttierez num.* 9. non nisi pecunia ad ambos realiter pervenisset, nam alias in effectu esset fidejussio et fraus fieret legi. Caetera ad hanc rem pertinentia videantur *in Bald. Nov. d. Priv.* 21. *Guttierez, Heringio, Hillig. Anton. Fabr. in C. h. t. Petr. Barb. in l.* 23. §. *trasgrediamur, num.* 38. *ff. solut. matr. Molin. d. l.*

TITULUS XXI.

Rerum Amotarum.

L. Compensationis. 1.

SUMMARIA

An uxor dotem soluto matrimonio a marito petens reconventione instituta super rebus divortii causa amotis respondere teneatur? num. 1.
Quaenam ejusmodi dotis petitioni possint objici? 2.
Contra reum neque sententia ferri, neque executio institui potest, nisi actor super reconventione respondeat? 3.
Ratio. 4.
Objectio diluitur. 5.

Uxor petierat dotem a marito soluto matri- 1
monio, maritus reconventionem instituit contra eam super rebus amotis, Quaeritur: *An mulier super rebus amotis respondere teneatur?*

2 Respondetur, quod sic; Petitioni dotis objici poterat compensatio ob res ab uxore divortii causa amotas, per *hanc l.* 1. sed hoc corrigi videtur *l. un.* §. 5. *sup. de rei ux. act.* quamvis potius dicendum, *hanc legem* de terminis habilibus esse intelligendam; quando scilicet compensatio locum habere potest, nimirum quando dos non in corpore aut specie consistit, et res amotae consumptae sunt, ita ut utrinque in effectu debeatur quantitas, nam quantitas cum quantitate tantum compensatur. Collige etiam ex *hac lege:* Quod de rebus amotis agi possit per reconventionem et per exceptionem, per Regulam, *cui*
3 *damus actionem etc.* Deinde collige: Non debere contra reum sententiam ferri, nec executionem institui, nisi actor super reconventio-
4 ne respondeat, quia omnes actus simul instituendi, et una sententia ferenda, *Trentac. lib.* 2. *de mutuis petit. resol.* 1. et quos hic *Barbosa* allegat, ac *Molignatus de reconventione q.* 82. *et seqq.*
5 Sed dices, de dote constabat hic, sed de rebus amotis non constabat. Ergo iniquum fuit unam causam liquidam differre propter illiquidam. Resp. Et causam reconventionis statim fieri posse liquidam, nam si uxor negaverit, res amotas esse, poterat maritus deferre juramentum, quod illa referre non poterat, *Auctor in l.* 11. *ff. h. t. num.* 1. cum maritus non haberet cognitionem facti, nec haeres, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 289. *num.* 7. *et seq. Cravetta cons.* 203. *Petr. Gregor. lib.* 37. *Syntag. tit.* 11. *pro fin.*

L. Divortii. 2.

SUMMARIA

An conjuges inter se constante matrimonio poenalem vel famosam actionem intendere possint? num. 1.
Quaenam actiones ipsis permittantur? 2.
An dominium rerum mariti communicetur cum conjuge? 3.
An furti actio detur contra conjugem? 4.
Limitatur. 5.
An infamet rerum amotarum actio? 6.
Quando detur actio rerum amotarum? 7.

1 Constante matrimonio neque maritus contra uxorem, nec uxor contra maritum poenalem vel famosam actionem intendere potest, nisi uti- 2
lem Legis Aquiliae, *l.* 27. §. 30. *ff. ad L. Aquil.* vel Condict. juris Gent. *l.* 52. *ff. h. t.* vel actionem rerum amotarum, quia actio furti non datur, cum vitae societas eam quasi dominam faciat. Proprie quidem dominium rerum mariti 3
cum conjuge non communicatur, sed tamen usus ac commoditas, *Auctor in l.* 1. *ff. h. t.* ideoque mulier intervertendo res mariti furtum in effectu committit, sed actio furti contra eam non 4
datur, *Anton. Gomez tit.* 3. *c.* 5. *Resol. num.* 3. *Molin. Tr.* 2. *de J. et J. d.* 686. *num.* 2. *Farin. q.* 174. *num.* 130. *et seq.* sed si post divortium con- 5
tractet, uxor etiam furti actione tenebitur, *l.* 3. *pr. ff. h. t. Petr. Gregor. Tholos. l.* 37. *Syntag. in tit.* 11. *num.* 3. *Far. d. l. num.* 105. Priori tamen casu uxorem puniri posse tradit *Carpz. in Pract. Crim. q.* 82. *num.* 42. licet dissentiat *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 580. Et licet famosa 6
non sit haec actio, famam tamen mulieris sugillat, *Bacchov. de Act. D.* 5. *th.* 11. Et quia divortia hodie raro conceduntur, non est magna rei hujus utilitas, *Bacchov. D.* 5. *th.* 12. Nam ut actio rerum amotarum detur, necesse est, ut 7
divortii causa quid fuerit surreptum, et divortium sit sequutum, *l.* 24. *et* 25. *ff. h. t.*

L. De rebus. ult.

SUMMARIA

Cui et contra quos detur actio hujus legis? num. 1.
Quatenus detur contra haeredes? 2.
Objectio diluitur. 3.
Res extantes semper vindicari possunt. 4.

Datur haec actio, quia rei persecutoria est, 1
haeredibus, *l.* 21. §. *pen. ff. h. t.* et contra haeredes, *hic et l.* 6. §. 4. *ff. h. t.* Sed in quan- 2
tum pervenit, aut dolo eorum factum est, ut minus perveniret, *l.* 3. §. *ult. et l.* 4. *ff. h. t.* quia actio haec ex delicto est, *Bacchov. d. D.* 5. *th.* 8. *Auct. in l.* 6. *ff. h. t.* nec obstat *l.* 6. §. 8. *ff. h. t.* 3
quia non dicitur ibi quod in solidum detur, et comparatio secundum quid facienda, *Bacchov. in Wesenb.* ϖ. *h. t.* res sane extantes semper vindi- 4
cari possunt, *h. l. ult.* Plura requisita hujus actionis habet *Eckold. in Comm. ff. h. t.* §. 2. qui etiam *in* §. 4. *in fin.* casus undecim, in quibus haec actio cessat, ex *Meyero* remissive ostendit.

TITULUS XXIII.

Ne pro dote mulieris bona quondam mariti addicantur, id est, in solutum dentur.

L. Ut uxori. un.

SUMMARIA

An mulieri propter dotem bona mariti addicantur? num. 1.
An si haeredem non habeat mulier? 2.
Quid si creditores mariti immissionem vel addictionem petant? 3.

Mulieri non debent propter dotem addici bo- 1
na mariti, partim ne juris ordo invertatur, partim ne maculam inurat marito, partim quia cum haeredibus agere potest. Secus est, si hae- 2

redem non habeat, tunc enim ex *l.* 2. *et* 7. *ff. quibus ex causis in poss.* uxor in possessionem mittenda, ut sibi praetorium pignus constituatur, *l. ult. C. de jure domin. impetr.* Sed si cre-
3 ditores mariti immissionem, vel etiam addictionem petant, tueri se mulier ratione sui interesse poterit, et petere, ut sibi vivente etiam marito obaerato, partem bonorum pro alimentis possidere liceat, *Neguz. de pignor. part.* 5. *memb.* 1. *n.* 29. *et seq. Bald. Nov.* de dote *part.* 7. *privil.* 18. *concl.* 84. *n.* 47. *Ant. Faber in Codice suo lib.* 5. *tit.* 7. *def.* 10. *Dn. Carpz. par.* 2. *Jurispr. Const.* 24. *def.* 11. *Colerus de process. execut. part.* 1. *c.* 2. *num.* 139.

TITULUS XXIII.

De fundo dotali.

L. Si aestimata. 1.

SUMMARIA

An et quatenus maritus fundum aestimatum alienare possit? num. 1.
An procedat, sive maritus, sive uxor electionem habeat? 2.
An si in locum dotalis fundi alius surrogetur? 3.
An prohibitio saltem pertineat ad mobilia, quae servando servari possunt? 4.
An valeat alienatio ab ipsa uxore, consentiente marito, facta? 5.
Alienationis definitio. 6.
Acceptio vocabuli τὸ alienatio. 7.
Alia alienationis definitio. 8.
Servitutem fundo dotali maritus neque imponere, nec servitutem ipsi debitam amittere potest. 9.
Per servitutem dominium non transfertur. 10.
Quale alteri in fundo detur dominium? 11.

1 Fundum aestimatum maritus alienare potest, quia lex Julia de aestimato fundo loquitur. Si
2 modo maritus electionem habeat, *l.* 11. *ff. h. t.* Secus si uxor electionem habeat, *Auct. in l.* 11. *ff. h. t.* an pretium, an vero fundum malit, quia idem est, ac si aestimatus esset, *l.* 10. §. *fin. ff. de jure dotium*, *Covarr. pr. qu.* 28. *num.* 5. *Molin. D.* 428. *in fine*, *Spino de Testam. gl.* 11. *num.* 92. et alienatio prohibita est etiam consentiente uxore facta, per textum et rationem in *pr. Instit. quibus alienare licet*, *Bald. Nov.* de *Dote P.* 7. *Privil.* 1. *num.* 5. *Guttierez de juram. confirm. P.* 1. *c.* 1. *num.* 29. ne quidem si geminata vice consentiat, *Baldus*, *et Guttierez dd. ll. et Bacch. d. Disp. thes.* 9. *Lit. D.*
3 nec valebit alienatio, licet uxori utilis, nisi surrogetur in fundi dotalis locum alius fundus, *Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. nam eo ipso periculosa est alienatio uxori, quod pretium alienationi et consumptioni subsit, *Petrus Barb. ad l.* 1. *num.* 7. *ff. sol. matr.* Et ipse maritus alienationem a se factam potest impugnare, *Bald. Nov. d. Priv.* 1. *num.* 15. *Pinell. ad l.* 1. *C. de Bonis Mat. P.* 3. *n.* 73. *Petr. Barb. d. l.* 1. *p.* 5. *num.* 11. *et seqq. Auctor in d. l.* 1. *ff. h. t.* Ex-
4 tendunt autem hoc quidam ad mobilia, quae servando servari possunt, sed hanc extensionem non admitto; falsum enim est, quod fundus dotalis exempli loco positus sit, per *l.* 3. §. 2. *ff. de suis et legit. haered. l.* 3. *supra de jure dot.* nec obstat *l.* 22. *C. de administ. tut.* quia tutor tantum domini loco, maritus vero verus Dominus, *Bacch. in Treutl.* et contra eumdem *D.* 7. *th.* 9. *Lit. C. Petr. Barbos. d. l. num.* 86. *Colleg. Argent. in tit. de Fundo Dot. th.* 2. *Auctor in l.* 4. *ff. h. t.* Nec valet alienatio, si ab 5
ipsa uxore facta, marito consentiente, *Carpzov. part.* 2. *const.* 15. *def.* 21. Notanda definitio 6
Alienationis in textu: Quod sit *actus*, *per quem dominium transfertur*, scilicet si vocabulum *alie-* 7
nationis stricte accipiatur, nam largius accipitur in *l. fin. C. de rebus alienis non alienandis*, *Jo. Guttierez de Tutel. P.* 2. *c.* 21. *num.* 2. *etc.*
vel dicendum, alienationem esse actum, per 8
quem dominium ipsius rei vel juris in re transfertur, vel per quem dominium transfertur directo vel per consequentiam. Et haec secunda interpretatio mihi videtur commodior, nam et servitutem imponere fundo dotali maritus 9
non potest, nec servitutem ipsi debitam amittere, *l.* 5. *ff. h. t. ibique et Auctor*, *Eckold. in Comm. ff. h. t.* §. 3. sed per servitutem domi- 10
nium non transfertur, sed dominium juris ta- 11
men in fundo alteri datur.

L. Mariti. 2.

SUMMARIA

Quaenam fundi dotalis alienatio sit prohibita? num. 1.
Si maritus praedium dotale commune cum aliis habet, ipse ad divisionem provocari potest, ipse vero provocare nequit. 2.
Jus Saxonicum. 3.

Alienatio fundi dotalis voluntaria est prohibi- 1
ta, non necessaria, *l.* 1. *ff. h. t.* si scilicet ob vitium rei fiat missio ex primo et secundo decreto. Et sic alienationem necessariam fundi dotalis fieri posse tradunt *Neguz. p.* 2. *m.* 3. *num.* 42. *Molina d. l. et Tr.* 2. *D.* 428. *num.* 8. *Petr. Barb. ad l.* 1. *p.* 5. *num.* 11. *ff. soluto matr. Vinc. Fusarius de substit. q.* 535. *num.* 1. *et seq.* hinc si praedium habeat dotale maritus 2
commune cum aliis, provocari ipse ad divisionem potest, ipse vero provocare nequit, *Neguz. d. m.* 3. *part.* 2. *num.* 42. *in fin. Molin. d. l. num.* 8. *Guttierez de juram. confirm. c.* 58. *num.* 10. simile exemplum in *l. pen. C. de praediis minor.* Jure Saxonico etiam alienationem 3
cum consensu uxoris, si modo etiam curator mulieris consentiat, fieri posse, apparet ex traditis *Carpz. d. l.* et alibi.

TITULUS XXIV.

Divortio facto apud quem liberi morari vel educari debeant?

L. Licet. un. et Auth. Si pater.

SUMMARIA

Divortio facto, si utriusque sexus liberi adsunt, a quonam conjugum educentur, judex arbitretur. num. 1.
Novella 117. c. 7. *hoc in casu distinguit.* 2.
Ratio dubitandi circa matrem. 3.
Enenkelius Baro *notatur.* 4.

1 Quando divortium factum, et liberi adsunt utriusque sexus, tunc per *l. hanc* non est necesse, ut masculi apud patrem, foemellae apud matrem educentur, sed in arbitrio id est judi-
2 cis, a quo educari debeant, sed *Novell.* 117. *cap.* 7. distinguit, utrum pater an mater causam dederit divortio, verbi gratia saevitia aut veneficio, ut semper apud conjugem innocentem secundas nuptias non contrahentem, sumptibus alterius (nocentis) si locuples est nutriantur. Sed in matre haec est ratio dubitandi, 3
quia onus alendi liberos patri incumbit. Respondet Imper. Sicut aequum est, matrem inopem ali a liberis locupletibus, *l.* 5. §. 2. *et* 4. *ff. de agnosc. lib.* ita quoque aequum est, liberos vel nepotes inopes ali a matre locuplete, vel avia, ne petendo dotem in lucro versetur, et pater dote carens onera matrimonii ferre cogatur, *Sanchez de matrim. l.* 10. *D.* 20. *num.* 8. *Guttierez lib.* 1. *can. quaest. cap.* 24. *num.* 19.
licet dissentiat *Enenkelius Baro de priv. paren-* 4
tum priv. 7. *c.* 4. *num.* 15. ad patrem hoc restringens, sed sententia prior ex paritate rationis, licet *Irnerius* de suo aliquid addiderit, defendi potest.

TITULUS XXV.

De alendis liberis ac parentibus.

L. Parentum. 1. et L. Competens. 2.

SUMMARIA

An et quales liberi suos parentes alere debeant? num. 1.
An alimenta danda juxta eorum dignitatem? 2.
An aes alienum pro iis solvant? 3.
Poena negligentis filii. 4.
Poena cessat. 5.

1 Liberi cujuscumque gradus, id est, Nepotes, *d. l.* 5. *ff. de agnosc. lib.* etiam emancipati, *dict. l.* 5. §. 13. *Surdus de Alim. tit.* 1. *quaest.* 17. *num.* 6. *Colerus de Alim. lib.* 1. *c.* 5. si locupletes sint, *l.* 2. *h. t.* debent alere suos pa-
2 rentes, *l.* 1. *h. t.* et quidem alimenta haec parentibus danda sunt juxta eorum dignitatem, si id facultates liberorum permittant, *arg. d. l.* 5. §. 2. *Coler. de Alim. lib.* 2. *c.* 2. *num.* 10.
3 *Garsias de Expens. cap.* 3. *num.* 37. licet aes eorum alienum solvere non teneantur, *d. l.* 2. §. 16. *Enenkelius Baro de privil. parentum, privil.* 7. *cap.* 6. *num.* 7. *Auctor in l.* 5. *ff. h. t.*
4 *num.* 9. filius autem non alens patrem in patriam potestatem revocari potest, *l. un. C. de ingrat. lib. Mindanus leg.* 2. *cap.* 54. *num.* 5. *Trentac. lib.* 1. *tit. de aliment. resolut.* 2. *num.* 2. Cur autem liberi parentibus alimenta debeant, eleganter ostendit *Carpzov. p.* 2. *const.* 10. *def.*
29. Sed omnia haec exceptionem habent in pa- 5
rente, qui exhaeredationem meruit, *Surdus d. t. qu.* 6. *num.* 2. *Mind. d. c.* 54. *num.* 6. *et seq.*

L. Si competenti. 3. et L. Si patrem. 4.

SUMMARIA

An emancipati etiam liberi a parentibus et quibus alantur? num. 1.
An pater a judice ad hoc compelli possit? 2.
Quatenus parens liberos alat? 3. 5.
An sufficiat unius testis probatio? 4.
An ingratos alere teneatur? 6.
Qualis ingratitudo intelligenda? 7.

E contrario liberi etiam emancipati, *l.* 5. §. 1. 1
ff. h. t. cum sanguinis vinculum emancipatione non tollatur, *Surdus tit.* 1. *quaest.* 1. *num.* 22. *Col. lib.* 1. *cap.* 5. a parentibus etiam avis maternis in subsidium, *d. l.* 5. §. 2. *Surdus tit.* 1. *quaest.* 16. *Coler. l.* 1. *cap.* 6. *et* 8. *Carpzov. part.* 2.

constit. 10. *defens.* 21. *Auctor ad l.* 5. *ff. h. t.* a-
2 lendi pro modo facultatum, et ad hoc pater a judice ad instantiam matris potest compelli, cujus judicis est aestimare, an apud patrem etiam morari debeant (sed vide *auth. tit. praeced.*) et tenetur pater ad omnia, quae pertinent ad vitam et disciplinam, *d. l.* 5. §. 12. *ff. h. t. Col. c.* 1. *Surdus tit.* 1. *quaest.* 1. *Enenckelius Baro d. priv.* 7. *c.* 2. *Auct. ad d. l.* 5.
3 *ff. h. t. num.* 8. Verum haec ita, si probatur liberos a parente esse genitos, *l.* 3. *h. t.* haec enim quaestio, ut praejudicialis ante omnia decidenda, *l. ult. h. t. et d. l.* 5. §. 8. quae pro-
4 batio est summaria *d.* §. 8. et potest etiam per unicum testem quandoque hoc probari, *Stephan. Gratian. titul.* 2. *discept. for. c.* 236. *num.* 43. *Trentac. d. t. de aliment. resol.* 1. *num.* 48. *Coler. d. lib.* 1. *c.* 2. *num.* 68. *Viv. decis.* 423.
5 *num.* 13. *Auct. ad d. l.* 5. *num.* 21. licet ex eo, quod ali liberos oporteat, veritati praejudicium non fiat, si in processu ordinario pater ex alio natos esse probare possit, *d. l.* 5. §. 9. quia hic tantum de alimentis agitur, *d. l.* 5. §. *meminisse* 9. *ff. h. t. Donell.* et ibi *Hillig. l.* 12. *c.* 4. *lit. O.* Si tamen liberi officio debito patrem pro- 6
meruerint, id est, non ingrati fuerint, aliis enim alimenta non debentur, *l. ult. h. t. et l.* 5. §. 11. *ff. h. t.* Sed tamen non de quavis in- 7
gratitudine id intelligunt *DD.* sed de ea, qua quis aliquid dignum exharedatione committit, verbi gratia, si filia 25. annis minor in corpus suum peccet, vid. *Coler. d. tract. de aliment. lib.* 1. *c.* 2. *num* 88. *et seqq. Surdus tit.* 7. *qu.* 1. *Mindanus d. c.* 54. *num.* 6. Caeterum quousque pater alimenta liberis praestet, docet *Carpzov. p.* 2. *c.* 10. *d.* 18. An vero sub alimentis sumptus quoque in Studia impensi contineantur? vid. *Struv. exerc.* 30. *th.* 77.

TITULUS XXVI.

De Concubinis.

L. Nemini. un.

SUMMARIA

Maritus habens concubinam aliam superinducere nequit. num. 1.
An concubinatus tam de jure Civili quam Canon. licitus? 2.
Jus divinum detestatur concubinatum. 3.
Conjugium divinitus institutum honorabile coram Deo, Angelis, et hominibus. 4.

1 Maritus, et qui habet concubinam, aliam concubinam superinducere nequit, *hic et Novell.* 8. *c.* 5. ubi ratio, *et Novell.* 89. *cap.* 12. §. 5. nisi uxore vel concubina priore mortua, *Eckold.*
2 *Comm. ad ff. h. t.* §. 1. Unde probatur, jure Civili Concubinatum non fuisse prohibitum, cujus requisita habet *Farinac. quaest.* 138. *num.* 8. *Eckold. ad ff. h. t.* §. 1. qui injuriam hac ex parte juri Civili fieri deducit. Sed de jure Canonico id dubium est; Videtur Concubinatus improbari, *c. audite dist.* 34. *c. concubinae c.* 32. *quaest.* 2. *c. nemo c.* 32. *quaest.* 4. Sed permitti videtur in *c.* 51. *qu.* 5. *dist.* 34. *c. solet c.* 32. *qu.* 2. *Card. Bellarminus* in posterioribus textibus intelligit tales uxores, quae sine dotalibus instrumentis ductae. Alii vero intelligunt tales uxores, quae non ob procreationem liberorum, sed ob incontinentiam ductae, quod videtur probari posse ex *d. c. solet*, *Gerhard. de Conjug.* §. 559. *Goedd. ad. l.* 56. §. 1. *num.* 4. *et ad l.* 144. *num.* 9. *ff. de V. S. Farin. qu.* 138. *num.* 29. *Petr. Gregor. Syntagm. lib.* 10. *c.* 1. *num.* 16. *Carpz. lib.* 2. *Jurispr. Eccles. Def.* 235. *Paleottus. de Nothis c.* 12. *Forsterus de Success. ab Intest. lib.* 6. *cap.* 5. *Bacch. in Treutl. V.* 2. *D.* 16. *th.* 3. *lit. A. Caevallus qu.* 295. *Eckold. ad Pand. h. t.* §. 3. Sed quicquid sit de Jure Canonico et Civili, Jure Divino nulla alia 3
societas corporum permittitur, nisi in conjugio divinitus instituto, hoc honorabile coram DEO, 4
Angelis et hominibus. Caeteras conjunctiones execratur DEUS, detestantur omnes pii, *Hahn. ad Wesenbec. h. t. num.* 3.

TITULUS XXVII.

De naturalibus liberis et matribus eorum, et ex quibus causis justi efficiantur.

L. Senatores. 1. et Auth. Sed novo jure.

SUMMARIA

In dignitatibus superioribus constituti cum quibusnam nuptias contrahere prohibeantur? num. 1.
Poena. 2.
Omnia male et temere quaesita fisco applicantur. 3.
Jus hodiernum. 4.
Illustris persona cum vili matrimonium contrahere potest. 5.
An liberi ex tali matrimonio geniti sint nobiles? 6.

In dignitatibus superioribus constituti, non pos- 1
sunt cum libertinis, scenicis, meretricibus, ta-

bernariis vel harum filiabus, aliisque suspectis mulierculis nuptias contrahere, ratio, ne prostituatur dignitas, ac amplissimi ordinis splendor hujusmodi conjugio contaminaretur et vile-
2 sceret. Si secus fiat, neque uxor neque liberi sunt, et quod tali uxori vel liberis donatum, per legitimam sobolem aut fratres sororesve aut parentes revocatur, aut his cessantibus per Fiscum. Quando enim complexus punibilis vel illicitus, tunc et lucrum inter has personas turpe est, turpia autem lucra, maxime deficiente legitima sobole, per Fiscum auferuntur, *M. Ant. Peregr. de Jure Fisci lib.* 2. *tit.* 9. *num.* 2. *Decianus in Pr. Crim. lib.* 8. *c.* 39. *num.* 22.
3 nam omnia male et scelere quaesita Fisco applicantur, *l. Lucius* 9. *ff. de Jure Fisci. Gaspar. Klock. de Aerario lib.* 2. *cap.* 125. *num.* 19. *Guazz. de Confisc. concl.* 13. *ampl.* 15. Sed
4 hoc mutatum *Auth. seq.* quia hodie tenet matrimonium, *d. Auth. et Auth. Sed novo jure supr. de nupt.* et multo magis hoc mutatum jure Canonico, *can. si quis ancillam caus.* 29. *qu.* 2. *c. proposuit et c. fin. X. de conjug. serv.* vid. *Rittershus. in differ. Juris. Civ. et Canon. lib.* 1. *cap.* 22. *Boer. Decis.* 263. *num.* 17 quem allegat et sequitur *Peregrinus de jure Fisci lib.* 3.
5 *tit.* 17. *num.* 2. Et sic illustris persona cum vili foemina potest contrahere matrimonium, *Ceph. cons.* 48. *num.* 3. 4. *et seqq.* quia si cessat causa, scil. prohibitio matrimonii, cessabit
6 etiam incapacitas liberorum, *Ceph. d. l.* et liberi ex tali matrimonio impari geniti, sunt nobiles, *Reinking. de Regim. Secul. et Eccles. lib*: 1. *classe* 5. *cap.* 11. *num.* 23. et hunc allegans *Carpz. Part.* 2. *Jurisprud. Def.* 56. *num.* 14.

L. Matre. 2. et Auth. Nunc soli.

SUMMARIA

Quid pater liberis naturalibus eorumque matri relinquere aut donare possit? num. 1.
Dicta hic de matre tolluntur per Auth. seq. 2.
Quid si parentibus destituatur pater? 3.
Quid si habeat parentes? 4.
Quid si habeat legitimam uxorem et sobolem? 5.
Alere non tenetur natos ex damnato coitu. 6.
Quid in nepote filii naturalis, vel in legitimi filii nepote naturali obtineat? 7.
An liberi naturales et nepotes parenti aut avo succedant? 8.
Mores hodierni, jus Canon. et Consistoria magis abhorrent concubinatum in persona publice pro concubina habita et retenta, quam simplicem fornicationem. 9.
Concubinatus respectu, honestas nostrorum temporum Justiniani tempora superat. 10.
Impurus homo pellicem habens detecto crimine quomodo puniatur? 11.
Praejudicia Rotae remissive. 12.

1 Pater liberis naturalibus, id est, ex Concubina natis eorumque matri nonnisi unciam, aut si Concubina sola sit sine liberis, ei ultra semunciam bonorum suorum relinquere aut donare non potest, si is legitimam sobolem cujuscunque sit sexus aut gradus, vel si matrem habeat, aut si etiam legitimam uxorem habeat superstitem, *l.* 2. *h. t.* ut parcatur scilicet hujus pudori et justae indignationi, ne jure liberorum haberi videat ex pellice susceptos, quicquid autem ultra istam quantitatem supra positam, relictum vel donatum est liberis legitimis, idem matri reddendum. Sed quod de matre dictum, 2
tollitur in *Auth. seq.* ubi disponitur, quod liberi legitimi tantum impediant naturales, non etiam Mater; deficientibus autem liberis legitimis, et uxore, legitima Pater liberis naturalibus et eorum matri relinquere vel donare potest, non ut olim tres, sed sex uncias, id est, dimidiam haereditatem, *l.*8. *h. t.* ut vitium paternum ita refrenetur, *l. fin.* vers. *filiis enim naturalibus.* Imo si 3
parentibus destituatur pater, jure novo potest omnes facultates liberis naturalibus donare vel relinquere. Si autem habeat parentes, legitima 4
olim quarta, hodie tertia ipsis parentibus relicta, reliqua liberis naturalibus relinquere potest, *Auth. Licet h. t.* Imo licet quis habeat legitimam 5
uxorem et sobolem, alimenta tamen naturalibus debentur ex bonis paternis, sicut et hi ad parentes alendos sunt adstricti, *d. Auth. Licet*, ubi excipiuntur ex damnato coitu nati. In Ne- 6
pote filii naturalis, vel filii legitimi nepote natu- 7
rali, constituit *Justin. in l. fin. h. t. et Nov.* 89. c. 12. §. 6. si pater alios non habeat liberos, quod omnia bona nepoti naturali relinquere possit. Ratio in versic. *in nepotibus*, quia hoc casu cessat finis prohibitionis, scilicet refrenatio libidinis paternae, cum hic nepos non sit filius naturalis avi, sed parentis sui. Ab intestato sane 8
nec liberi naturales, nec nepotes parenti aut avo succedunt, nisi nulla existente sobole legitima vel uxore, ubi concubina cum liberis suis in duas uncias per viriles portiones distribuendas succedit, *Auth. Licet h. t.* modo unam concubinam pater habuerit, et liberi naturales in domo patris sint educati, ut de affectu patris in eos constet. Sed quia jura Canonica et 9
nostri mores ac Consistoria magis abhorrent Concubinatum in persona publice pro concubina habita et retenta, quam simplicem fornicationem, et clandestinos complexus, quia minoris sunt scandali nec diutini peccati, ideo de talibus liberis extra matrimonium ex coitu non damnato natis generaliter haec intelligimus, *Panorm. in c. tanta X. Qui filii sint legitimi num.* 12. *Covarr. de Matrim. P.* 1. *c.* 8. §. 4. *num.* 5. ubi ait: iniquum esse filium natum ex concubina domi retenta, et palam pro concubina habita, naturalem esse, at non ita natum ex coitu furtivo, foemina in continuo ac quotidiano contubernio non retenta, ex *Fortunio Garcia in Tr. de ult. fin. utriusque Juris*, addit ex *Abb.* favendum esse potius natis ex coitu absque concubinatu, quam natis ex concubina domi retenta. Et sane si ex subtilitate Juris Civilis vellemus eos tantum vocare filios naturales, qui ex concubinatu, prout ille jure civili describitur, nati sunt, parum vel nihil utilis esset *totus hic titulus.* Nam concubinatum 10
plane non habemus, in quo unico fere honestas nostrorum temporum superat tempora Justiniani. Et si quando impurus aliquis et luxu- 11
riosus homo pellicem aliquam habet, id tam clam et furtim fit, et si detegatur crimen, expellitur muliercula et fornicator ille punitur carcere, vel mulcta pecuniaria vel illa graviore. Nemo fatebitur se concubinam habere in nostro Im-

perio Romano. Ergo neque poterit suos liberos naturales dicere in stricta illa significatione; ejusdem etiam sententiae est *M. Ant. Peregrinus de Jure Fisci lib.* 3. *c.* 18. *num.* 10. *Cravetta cons.* 166. *num.* 8. *et cons.* 368. *num.* 2. *Garcias Mastrillus Dec.* 152. ubi *Baldum, Ja-*
12 *sonem*, et plures alios citat, ac praejudicia Rotae allegat *Georgius Acacius Enenkelius Baro de Privil. Parent. et lib. in Proleg. num.* 95. *et seqq.* licet Theoretici, et cum iis *Thes. l.* 2. *c.* 83. valde hac de re disputent. Sed consuetudo certa, quod inter naturales, et qui extra matrimonium nati sunt, certo tamen parente, nullum sit discrimen in modo legitimandi et in hac materia.

L. Si quis. 3. L. Quoniam. 4. et L. Communium. 9.

SUMMARIA

Modus per oblationem curiae liberos legitimandi qualis? num. 1.
An filii naturales in fraudem curiae legitimationi huic renunciare possint? 2.
Puella legitime nata nubens viro legitimo quoad omnia censetur legitima. 3.
Desideria morientium colliguntur ex voluntate viventium. 4.
Legitimati ita quibusnam, et qui his succedere possint? 5.
An futuris tantum negotiis leges formam praescribere soleant? 6. 7.
An parens filios habens legitimos illegitime natos nihilominus curiae offerre possit? 8.
Ratio haec legitimandi a curiis nostris recessit, et ab usu. 9.

1 Per oblationem curiae ita legitimantur liberi naturales, si eos pater offerat municipali suae curiae, aut si ex regiis civitatibus, id est, ex veteri aut nova Roma oriundus, cuicumque curiae, Metropolitanae tamen offeratur, *l.* 3. vers. *indignum enim*, vel quando pater familiam naturalem elocavit curiali, *d. l.* 3. *in fin. Nov.* 89.
2 *cap.* 3. Filii autem naturales in fraudem curiae non possunt huic legitimationi renunciare, nec onera curiae declinare, *d. l.* 3. *et* 4. *h. t.* liberi etiam ipsi se offerre poterant curiae, quando parenti eorum non erant liberi legitimi, *Nov.* 89. *cap.* 2.
3 Colligitur autem ex *l.* 3. Puellam illegitime natam, si nubat viro legitime nato, quoad omnia censeri legitimam, *Bald. in d. l.* 3. *Decius l.* 2. *num.* 7. *ff.* de *R. J. Hippol. de Marsil. Sing.* 501. *Tiraq. de Nobilit. qu.* 18. *num.* 2. Et ex *l.* 4.
4 Colligunt hic Regulam: Quod desideria morientium colliguntur ex voluntate viventium, ita ut id defunctus facere voluisse videatur, quod alii viventes judicio praediti facerent, quam multis allegatis exornat *hic Barbosa ad l.* 4. qui ita
5 autem legitimantur, tantum fiunt legitimi parenti suo, non etiam Agnatis et Cognatis Parentis, id est, illis non succedunt, nec contra *l.* 9. *pr. h. t.* et si ita legitimatus decedat, ei ab intestato succedunt ejus liberi legitimi, portione quarta curiae danda, si liberi ejus curiae non sint addicti; qui autem post legitimationem patris nascuntur, semper sunt curiae obstricti, ex *l.* 9. §. *sed si quidem*, et succedunt in solidum, si autem sine liberis taliter legitimatus decedat, mater superstes ab intestato trientem accipit; bessem, id est, duas partes, curia: Si nec mater superest, cognati succedunt in maternis, curia in paternis nisi aliquis ex cognatis se curiae addicat, qui paterna bona acquirat, mater autem et cognati reliqua, quae legitimatus non a patre, sed aliunde acquisivit, *d. l.* 9. §. *si vero sine liberis*, et quamvis leges futuris tantum negotiis for- 6
mam praescribere soleant, tamen in *l.* 9. §. *ea vero*, specialiter statutum, ut non tantum qui post *hanc legem* curiae dabuntur ita succedant, sed etiam qui ante *hanc legem* dati sunt, ob favorem publicum munerum curiae, quae plerumque declinabantur, ut autem plures ea onera subirent, commodo legitimationis et successionis fuerunt invitandi. Et ex eodem favore fluxit et hoc, quod etiam pater filios legitimos ha- 7
bens, alios tamen illegitime natos curiae offerre possit, sed tamen restricta patris voluntas, 8
ut uni ex legitimatis non possit plus relinquere quam uni ex legitimis, cui minima portio relicta, est, debet enim differentia manere inter legitimos et legitimatos. Sed ratio haec legiti- 9
mandi a curiis nostris recessit, et ab usu, *Covarr. de matr. c.* 8. §. 7. *num.* 4. et quos allegat *Aug. Barb. ad l.* 9. *num.* 4. *Mantica de conject. lib.* 11. *c.* 10. *Treutl. D.* 2. *th.* 6. *Lit. E.* Ideoque leges has, quia non multum utilitatis habent, conjunximus.

L. Divi. 5. L. Cum quis. 10. L. Nuper. 11. et Auth. seqq. tres.

SUMMARIA

Constantini *decretum. num.* 1.
Quousque se extendat? 2.
An supervenientia liberorum legitimorum priorem legitimationem tollat? 3.
Casus fortuitus liberis post legitimationem supervenientibus nocere nequit. 4.
Vel partus, vel si utilius infanti, conceptionis tempus attendendum est. 5.
An quis ancillam ducere eamque et ex ea natos legitimare possit? 6.
Quinam legitimentur per subsequens matrimonium? 7.
An valeat haec legitimatio sine nuptialibus instrumentis etiam de jure Pontificio? 8.
An fieri possit ab infirmo et sene decrepito, etiam in mortis articulo? 9.

Constantinus I. concessit, liberos ex concubi- 1
na ingenua natos legitimari per subsequens matrimonium, ita ut et soli et cum aliis patri succedant, atque jura agnationis adipiscantur, si dotalia fiant instrumenta. Sed hoc beneficium 2
primo tunc tantum natis et non nasciturus concessum, *l.* 5. *h. t.* sed postea indefinite id concessum, ut possit pater legitimare naturales liberos, ut hi succedant patri, etiam legitima prole ex eodem matrimonio postea nata, *l.* 10. *h. t.* ubi ratio in versic. *cum enim affectio etc.*

scilicet, quod affectio, quam pater erga sobolem legitimam habet, causa sit, ut sequentes legitime nascantur ducta in uxorem concubina, si tamen ex matrimonio postea non sequantur liberi, hoc legitimatis non praejudicat, *l.* 11. *h. t.*
3 Et ita supervenientia liberorum legitimorum priorum legitimationem *ex l. si unquam C. de revoc. donat.* non tollit, *Ceph. cons.* 364. *num.* 50. *et*
4 *seq.* casus enim fortuitus ipsis nocere non debet, et multo magis legitimatur filius in utero adhuc existens, *l.* 11. *h. t.* ubi notanda est re-
5 gula: Tempus partus esse attendendum, si hoc utilius sit infanti, si autem utilius sit ut attendatur tempus conceptionis, hoc merito attendi debere; Et potest pater legitimare liberos naturales, licet ex praemortua uxore legitimos habeat liberos, *Auth. quod jus.* Et licet *Nov.* 18. *c. ult. et Auth. Sed nova etc.* excipiat ancillam, id tamen per *Novellam* 78. *c.* 3. *et Auth.*
6 *Nova alia*, iterum corrigitur, adeo ut ancillam ducere eamque ita liberam facere, et ex ea natos legitimare liceat. Quae correctiones omnes ex uno fonte profluxerunt, scilicet ex favore sanctissimi foederis conjugalis, et liberorum minus rite, sine sua culpa, genitorum. Et ita per
7 subsequens matrimonium legitimantur non tantum illi, qui ex concubina proprie sic dicta, sed etiam a solutis quibuslibet geniti, modo tempore conceptionis matrimonium inter eos esse potuerit, etiamsi non fuerit concubina, et hic magis favor militat, *cap. tanta X. Qui filii sint legitimi, Panorm. in d. c. tanta n.* 12. *et seqq. Covarr. de Matrim. P.* 2. *c.* 8. §. 2. *n.* 4. *et* §. 4. *n.* 4. *et seqq. Zoesius in d. tit. qui filii n.* 11. sufficit tamen vel tempore conceptionis vel nanativitatis posse esse matrimonium, per *l. qui in utero ff. de statu homin.* ut, si post conceptionem, impetretur dispensatio, *Covarr. d. P.* 2. *c.* 8. §. 2. *num.* 2. *Thomas Sanchez de Matrim. lib.* 8. *D.* 7. *num.* 19. *Molina de J. et J. D.* 172. *num.* 2. *Spino de testam. Gl.* 15. *pr. n.*
8 118. *Fachin. lib.* 3. *cap.* 50. Et valet legitimatio, licet nuptialia instrumenta non intervenerint jure Pontificio, quod in hac materia attendendum, *Covarr. d.* §. 2. *num.* 8. *Vasq. lib.* 3. *Illust. cap.* 41. *num.* 3. *Molina D.* 172. *num.* 3. *Fachin. lib.* 3. *cap.* 51. *Donell. lib.* 2. *cap.* 21.
9 Et potest etiam fieri ab infirmo et sene decrepito, etiam in mortis articulo, *argum. l. sed et quaesitum ff. de liberis et posthumis*, *Covarr. d.* §. 2. *num.* 10 *Guttierez lib.* 1. *Can. Quaest. cap.* 16. *num.* 14. *Tiraq. in l. si unquam verbo*, susceperit, *num.* 73. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 141. *num.* 8. *Molina d. D.* 172. *num.* 13. licet intermedium fuerit matrimonium, *Covarr. n.* 18.

L. Jubemus. 6. L. Legem. 7. Et Auth. Si quis liberos.

SUMMARIA

Modi liberos naturales legitimandi olim recepti. num. 1.
Quatenus non habuerint locum? 2.
Nominatio filii quomodo debeat esse comparata, ut arguat eum cum fratribus esse legitimatum? 3.
An nominatio haec sit modus legitimationis? 4.
Nominatio filii communiter pro legitimationis specie habetur. 5.
An praesumptionis hujus aliqua hodie sit utilitas? 6.

Naturales liberos olim non tantum per subsequens matrimonium, sed etiam per arrogationem liberorum, nullis existentibus legitimis legitimare licebat, *l.* 6. *h. t.* sed *l. seq.* dupliciter 1
hoc limitat: 1. Ut non habeat locum in natis 2
ex damnato coitu: 2. Ut ad eos, qui imposterum legitimandi sunt, illa legitimatio non pertineat, et ita hic modus abrogatur, quia non per omnia servit castitati, et petulantiae color quaeritur, *d. l.* 7. *in fin. et Nov.* 74. *c.* 3. *et Nov.* 89. *c.* 7. *in fin.* Sane nominatio filii in in- 3
strumento publico trium testium subscriptione munito vel apud acta, vel in testamento arguit, eum esse cum fratribus omnibus legitimatum, *Auth. ult. h. t. et Nov.* 117. *c.* 4. Non enim est 4
legitimationis modus, sed legitimarum nuptiarum argumentum, quod pater eorum liberorum matrem pro uxore habuerit. Vid. *Ant. Faber lib.* 1. *Jurispr. tit.* 9. *pr.* 2. *Ill.* 11. quem citat et laudat *Hillig. in Donell. Lib.* 2. *c.* 22. *Lit. G.* licet *DD.* communiter pro legitimationis spe- 5
cie habeant nominationem filii, cujus requisita prolixe tradit *Trentac. lib.* 3. *tit. de Legitimat. Resol.* 3. *per totum. Covarr. d. P.* 2. *c.* 8. §. 7. *num.* 1. *et seqq.* Sed posita ista hypothesi, quod 6
matrimonia non aliter nisi coram facie Ecclesiae possint contrahi, ut praxis utrobique docet, et in Concilio Tridentino Romanenses Catholici statuerunt et apud nos observatur, non video usum hujus praesumptionis praesupposita sententia *Ant. Fabri et Hilligeri*, quibus etiam videtur accedere *Rittershus. in Nov. P.* 4. *c.* 12. *num.* 11. ubi rationem *d. Nov.* constituit in praesumpto Matrimonio.

L. Humanitatis. 8. et Auth. Licet patri.

SUMMARIA

Quid pater, non existente sobole legitima nec matre, naturalibus liberis relinquere queat? num. 1.
Concubinatus a jure civili per conniventiam magis toleratus quam approbatus. 2.
Quid si parentes habeat? 3.
Quid si nulla sit donatio nec dispositio testamentaria facta, nec adsit soboles legitima, sed conjux, adsint vero liberi ex concubina? 4.
An sive adsit legitima soboles sive non, alimenta debeantur liberis naturalibus? 5.
Quinam liberi excipiantur jure civili? 6.
Onus alendi liberos est juris Naturalis. 7.
Jus Canonicum sequitur jus Naturae. 8.
Plures concubinas in diversis locis habens liberis praeter alimenta nihil debet. 9.

Pater, non existente sobole legitima, nec ma- 1
tre, potest naturalibus liberis relinquere sex un-

cias quocumque titulo, ut tamen non plus re-
2 linquatur, ut ita refrenetur libido. Unde sicut etiam ex aliis hujus tituli legibus apparet, concubinatum per conniventiam fuisse toleratum potius quam approbatum in Jure Civili, sed huic derogat nobilis *Authent. Licet* subjecta, cujus haec sunt capita. I. Potest pater, qui destitutus est legitima sobole et parente, naturalibus liberis non tantum sex uncias, ut in *l.* 8. sed omnia bona sua vel inter vivos donare, vel in testamento relinquere, et sic derogatur *legi secundae h. t. Peregr. d. tit.* 18. *num.* 19. *Ma-*
3 *strill. Dec.* 152. *num.* 6. II. Si Parentes habeat, debet eis relinquere portionem legitimam, tertiam partem haereditatis, et quod superest, naturalibus liberis potest relinquere, *Menoch. lib.* 4. *Praes.* 96. *num.* 1. *Forst. de Succ. lib.* 6. *c.*
4 9. *num.* 3. III. Si vero nulla sit donatio nec depositio testamentaria facta, nec adsit soboles legitima, sed conjux, adsint vero liberi ex concubina, tunc ab intestato hi succedent in sextantem, id est, in duas uncias haereditatis, et vivat adhuc illorum liberorum mater, seu ipsa concubina, ea cum liberis naturalibus succedet in capita, hoc est, ut illum sextantem cum liberis dividat in capita. In reliquis decem unciis succedent caeteri cognati, *Rittershus. ad Nov. P.* 7. *c.* 5. *num.* 12. *Covar. d. P.* 2. *c.* 8. §. 4. *num.* 16. *Peregr. d. l. num.* 22. *et* 29. *Forst. de Success. lib.* 6. *c.* 10. *num.* 2. IV. In omni
5 autem eventu, licet legitima soboles adsit, sive non, alimenta debentur liberis naturalibus, et e contra parentibus etiam debentur a liberis na-
6 turalibus. Excipiuntur autem liberi ex damnato coitu prognati, v. g. adulterio, vel incestu, quibus nec alimenta a parentibus debentur Jure
7 Civili. Sed quia onus alendi liberos est Juris
8 Naturalis, et hoc sequitur Canonicum Jus, merito hodie in hoc puncto sequimur Jus Canonicum, talibus etiam deberi alimenta, ne Respublica aliter gravetur onere alendi liberos, per *c. cum haberet X. de eo qui duxit in uxorem, quam polluit etc. Peregr. de Jure Fisci lib.* 3. *tit.* 18. *num.* 53. *et* 57. et quos allegat *Acacius Enenkelius Baro* de *Privil. Parent. Privil.* 7. *cap.* 3. *num.* 17. *Surdus de Alim. tit.* 1. *qu.* 10.
9 *num.* 28. Sed si quis habuerit diversis locis plures concubinas, praeter alimenta nihil debetur liberis, in detestationem effusae libidinis, *Nov.* 89. *c.* 12. §. 5. *Forsterus d. c.* 10. *num.* 3. Sed aliis poenis afficiendus impurus iste haedus.

Auth. Praeterea. et Auth. Item sine.

SUMMARIA

Tertius legitimationis modus per Rescriptum scilicet principis, qualis? num. 1.
Requisita hujus legitimationis. 2.
An princeps sine his requisitis legitimare possit? 3.
Quomodo vocetur ista legitimatio? 4.

Hic est tertius legitimationis modus, per Re- 1
scriptum scilicet, si ipse Pater a Principe petat, vel liberi naturales, sive omnes, sive aliqui tantum post mortem patris ostensa ejus voluntate ultima, petant se legitimari, *Auth. Item sine.* Requiritur autem: 1. Ut pater non habeat 2
alios liberos legitimos. 2. Ut non possit matrimonium contrahere cum concubina, v. g. si haec mortua, vel se occultat, vel deliquerit, ut dignitate salva duci non possit, vel si religionem ingressa: 3. Ut ex libera illi sint pro-
gnati, *Nov.* 74. *c.* 11. *Nov.* 89. *cap.* 9. Quamvis 3
Principem ex plenitudine potestatis et sine his
requisitis legitimare posse constet, quae vocatur 4
Dispensatio, Vid. *Gail. lib.* 2. *Obs.* 142. *num.* 6. de legitimatione per Rescriptum plura apud *Gail. lib.* 2. *Obs.* 140. et alibi, *Rosenthal. de Feudis. c.* 5. *concl.* 2. *Matth. Steph. de Jurisdict. lib.* 2. *P.* 1. *cap.* 1. *M.* 2. *Rittershus. ad Nov. P.* 4. *cap.* 12. *num.* 9. et alii.

L. Cuidam. ult.

SUMMARIA

An pater totam substantiam nepoti naturali ex filio legitimo, vel nepoti legitimo ex filio naturali, nulla alia legitima sobole existente, relinquere queat? num. 1.
Rationes decidendi. 2.
Incapacitas filiorum ad nepotes non porrigitur. 3.
An nepos legitimus ex patre naturali natus ad fideicommissum, ad quod pater incapax est, admittatur? 4.

Supra dictum, *l.* 8. non licere patri totam 1
substantiam relinquere filio naturali, sed semissem tantum, jam Quaeritur: *An non totam substantiam nepoti naturali ex filio legitimo, vel nepoti legitimo ex filio naturali relinquere, non existente alia legitima sobole, possit?* Quod
hic affirmatur ex ea ratione quod ista prohibitio 2
fuerit facta ad refrenandum vitium paternum, quod hic non habet locum: sed in successionibus ab intestato remanent jura antiqua in suo statu; et praedicti habent locum in haereditate avi, *Rittersh. ad Nov. Part.* 7. *c.* 5. *num.*
13. Colligunt ex *hac lege*: Incapacitatem filio- 3
rum non porrigi ad nepotes, quod multis au-
ctoritatibus confirmat *hic Barbosa.* Nepotem ta- 4
men legitimum ex patre naturali natum in fideicommisso, ad quod pater incapax est, non admitti, plerorumque est sententia: *Anton. Gabr. de Haered. Inst. concl.* 13. *num.* 17. *Card. Mantic. de Conject. ult. volunt. lib.* 11. *tit.* 12. *num.* 32. et quos citat *hic Barb. in Coll. num.* 4. quia ex radice infecta progeniti, *Vinc. Fusar. de Substit. q.* 321. *num.* 99.

TITULUS XXVIII.

De testamentaria tutela.

L. Quem dicis. I.

SUMMARIA

Tutor rite testamento datus quanam actione conveniri potest? num. 1.
Quid si non rite datus? 2.
Vel in paucis amico gratificari sufficit? 3.

1 Tutor, qui recte testamento datus est, conveniri potest Actione Tutelae, non tantum gestis, sed etiam de non gestis, seu neglectis, *l.*
2 6. *h. t.* Sed si non rite datus, (ut si patrona liberto, haeredi non instituto, tutorem det, *l.* 1. *h. t. et l.* 4. *ff. de confirm. tut. et l.* 28. §. *fin. ff. h. t.*) tunc enim tutor non rite datus excusare se non habet necesse, *l.* 13. §. 12. *ff. de excus. tutor.* et de neglectis non tenetur, *l.* 1. *h. t.* quia gerere non tenetur, nisi sciens gesserit, ubi tamen de gestis tantum tenetur, non de neglectis, actione negotiorum gestorum
3 *d. l.* ratio in *l.* 20. *C. de neg. gest.* quia sufficit in paucis amico gratificari, nisi accesserit ut omnia gesturus, ubi tenetur etiam de omissis, *l.* 6. §. *fin. ff. de neg. gest.* si ignorans gessit tenetur actione pro tutela, *l.* 4. *h. t.*

L. Etsi. 2. et L. Si pupillorum. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Tutor datus in testamento non excluditur per datum in codicillis. 2.
In codicillis tutor an dari possit? 3.
An per constitutionem secundam alterius vicarii primus vicarius fuerit revocatus? 4.
Quid si servus alienus datus sit cum libertate ipsi comparanda? 5.
Quid si servus pure datus? 6.

1 Dedit quis testamento tutorem liberis, postea alium codicillis constituit testamento confirmatis, *l.* 3. *ff. h. t.* Quaeritur: *An priorem videatur repudiasse?* Videtur quod sic, ob Reg. in §. 3. *Inst. de Curat. et l.* 31. §. 2. *ff. de Procur.* sed negatur, quia postquam addita est haereditas, ex eo tempore omnes videntur simul dati,
2 *argum. l.* 9. *ff. h. t.* Ergo tutor datus in testamento, non excluditur per datum in codicillis, sed ambo sunt admittendi, nam codicilli non videntur tollere testamentum, ergo eodem tempore confirmata simul videntur fieri, et Tutoris posterioris datio priorem non abolet, nisi forte in codicillis testamentarios tutores aut unum eorum reprobaverit, aut alterum solum ex testamentariis approbaverit, *Montanus de tutelis c.* 18. *num.* 13. Et sic Colligitur ex hac 3
Lege: in codicillis dari posse tutorem, *Guttierez de Tut. P.* 1. *cap.* 6. *num.* 4. quod etiam de codicillis testamento non confirmatis intelligunt *Oldradus cons.* 138. *P. Montanus de Tutel. cap.* 10. *c.* 19. Sed melius negatur *per l.* 1. §. 1. *ff. de confirm. tut. Mantica l.* 4. *de conject. ult. vol. tit.* 2. *n.* 19. Colligitur etiam: Per constitutionem se- 4
cundam alterius vicarii, primum vicarium non fuisse revocatum, *Boer. Decis.* 347. Aliud si co- 5
dicillis servus alienus datus sit cum libertate ipsi comparanda, quia hic a tempore aditae haereditatis tutor esse nequit, quia tum demum ab haerede ipsi comparanda est libertas, si dominus eum vendere vel manumittere velit. Idem 6
est, si pure, id est, sine expressa hac conditione: (si liber erit, vel si ei libertas comparabitur) servus alienus tutor instituatur, quia conditio haec subintelligitur, *l.* 10. §. *fin. ff. h. t.* et sine conditione utiliter datur, *d.* §. *fin.* scilicet ratione eventus futuri, et si libertatem consequatur, et inutiliter, §. 1. *Inst. Qui testam. tutores*, ratione praesentis temporis, de quo *Jo. Guttierez de Tutelis P.* 1. *cap.* 10. *num.* 6. Sed sive in speciem pure, sive cum conditione detur, interim pendente conditione tutor esse nequit, ideoque interim alius erit tutor, cui postea conditione impleta adjungendus est ut curator, *l.* 5. *h. t.* ut ita voluntati paternae satisfiat, eo modo, quo satisfieri potest.

L. Si Tutores. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Legitima tutela semper cedit testamentariae. 2.

Tutores dati sunt fratribus pupillis, sed major 1
natu fit adultus, Quaeritur: *An sit tutor?* Resp. quod non, quia legitima tutela semper cedit 2
testamentariae, *l.* 9. §. 1. *ff. de tutel. et rationibus etc.* ubi ratio dubitandi, et decidendi. Sed nota: *hujus legis* casum intelligendum de eo tempore, quo minores esse poterant tutores, §. 13. *Inst. de excus. tut.* nam alias *lex haec* non haberet rationem dubitandi, aut dicendum est, verba haec, *suae aetatis*, de aetate majorenni intelligenda, quod poterat esse, si tempore Testamenti alter esset tredecim annorum, alter unius mensis.

L. Mater. 4.

SUMMARIA

An si mater liberis testamento tutorem dare possit? num. 1.
Jus dandi tutorem pendet a patria potestate. 2.
An si mater filium plus quam in legitima haeredem instituat, possit constitui tutor a judice sine inquisitione? 3.

1 Quaeritur: *An mater possit liberis tutorem dare Testamento?* Negatur, non quia minus fidei ac affectionis, sed quia minus judicii et consilii habet, *Hillig. in Don. l.* 3. *cap.* 5. *Lit. B.* et quia non habet in potestate liberos, nisi eos haeredes instituerit, quod in Patre secus, *l.* 4. *ff. h. t.* Jus
2 enim dandi tutorem pendet a potestate patria, *l.*73. §. 1. *ff. de R. J. l. peto* §. 2. *ff. de Legat.* 2. Illud autem hic dubium, quod dicitur, *quando mater eos non instituerit etc.* Ideo quidem negationem expungunt. Videtur autem distinguendum esse inter accuratiorem inquisitionem, cum satisdatione conjunctam, de qua hic, et minus accuratam, de qua in *l.* 4. *ff. h. t.* Conf. *Treutl. et Bacchov. ibi atque Hunn. Vol.* 2. *D.* 8. *th.* 2. *Lit. C.* Vel dicendum, a matre datum Tutorem confirmandum esse semper, si filius ab ea haeres institutus, sin secus, non necessario confirmandum esse, sed committendum hoc arbitrio judicis, si pupillo hoc expediat, *Joann. Guttierez de tutel. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 7. Ergo
3 concludo, si mater filium instituat haeredem plus quam in legitima, confirmandus est a judice tutor sine inquisitione, quoad relicta a matre, si vero in legitima tantum instituat, (nam plane praeterire nequit) Judex debet inquirere, an idoneus sit, hoc comperto debet illum confirmare. Et ita non obstat *l. peto* §. *Mater ff. de Legat.* 2. ubi dicitur matrem non posse tutorem dare filio, quia hoc intelligendum scilicet, ut Judex ipsum confirmare teneretur, *Molina de J. et J. D.* 220. *num.* 14. *Guttierez d. l. num.* 7. *P. Montanus de tut. c.* 8. *num.* 38. si autem a matre datus administret, tenetur actione pro tutela, ratio in *l.* 1. §. 7. *ff. de eo qui pro tutore etc.* Sane si mater tutorem a patre datum suspectum habeat, potest uti cautela, quam describit JCtus *in l.* 3. §. 3. *ff. de Usuris*, de qua *Mont. de tutel. c.* 8. *num.* 40.

L. Si tibi pater. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An, si me constitutum tutorem sciam, statim ad gerendum tenear, nisi me excusem? 2.
An meo periculo cessem? 3.

Pater pupillo avunculum dedit Testamento tutorem, tutor hic quaedam gessit, quaedam non gessit, noluit tamen forte tutoris officium gerere, sed quae gessit, forte ut amicus gessisse videri voluit. Respond. sed si noluit tutor esse, debuit se excusare, quod si non fecit, tenetur non tantum de gestis, sed etiam de non gestis, seu neglectis. Unde Colligitur: Me statim simul ac mihi innotuit, me esse constitutum tutorem, teneri ad gerendum, si me non excusaverim, *l.* 1. *pr. ff. de admin. tut.* et si cessem, meo periculo cesso, *P. Mont. de Tutel. cap.* 39. *num.* 3. nisi cum creatus sum sub aliqua conditione, tunc enim demum me excusare vel gerere teneor, quando purificata est conditio, *Piagg. qu.* 14. *de tutor. num.* 2. *Guttierez de tutel. p.* 1. *c.* 5. *in fine.* 1 2 3

L. Tutelae. 7.

SUMMARIA

An etiam Curator testamento dari possit? num. 1.
An unica saltem sit curatelae species? 2.

Tutor dari potest testamento, non Curator, 1
hic et l. curatorem 6. *sup. de negot. gest.* quia scilicet *Lex duodecim tab.* quae permittit testamento tutorem dare, loquitur de tutela tantum, et curator invito non datur, sed petenti, *Decius in l. quo tutela* §. *nemo ff. de R. J. num.* 3. et pubes sibi providere potest, *Montanus de Tutel. c.* 29. *num.* 13. adeo ut nec militi id liceat, *Dec. d. l. num.* 4. *Montan. num.* 14. Ideoque licet tutela sit vel instrumentaria, vel legitima,
vel dativa, non tamen nisi dativa est curatela, 2
nisi quod legitima curatela videri possit illa, quae in furiosum datur, ut testamentaria, *l. fin.* §. 5. *C. de curat. furios. Guttierez de Tut. c.* 12. *num.* 8. quia hic curator datur etiam personae, *P. Mont. d. c.* 29. *num.* 15. Sicut etiam in aliis casibus curator a patre in testamento datus, confirmandus est, *l. si filio* 6. *ff. de confirm. tut.*

L. Tutores. ult.

SUMMARIUM

An certis verbis detur tutor?

Nihil interest, sive Latinis sive Graecis verbis detur tutor, quia etiam testamenta graece scribi solebant, *l.* 21. §. *fin. C. de testam.*

TITULUS XXIX.

De confirmando tutore.

L. Testamento. 1.

SUMMARIA

Tutor non recte datus solet confirmari a judice. num. 1.
Subjiciuntur exempla. 2.
Duplex datur tutoris confirmatio. 3.
A quonam judice confirmetur? 4.
Tutor inutiliter datur ante confirmationem, neque excusationem petere, neque ad administrationem neque de neglectis tenetur. 5.
An omnes tutores hodie sint confirmandi? 6.

1 Quando Tutor non recte datur, interdum so-
2 let confirmari a judice, v. g. si ab eo datus testamento tutor, qui facultatem dandi tutorem non habet, ut mater, vel extraneus, vel si ei datus, qui non est in potestate, vel pubes est, vel non in testamento datus. Interdum autem confirmandus est sine inquisitione, interdum vero cum inquisitione, ut si mater dedit, *l.* 1. *h. t.* ubi inquiret, an ratione bonorum vel mo-
3 rum idoneus sit. Et duplex igitur datur confirmatio, nuda et non nuda, illa fit cum inquisitione, et haec vel fit per solam inquisitionem, aut vero per satisdationem, *Bacchovius in Treutl. V.* 2. *D.* 8. *th.* 2. *Lit. A. et B.* Conf. *Coll. Ar-*
4 *gent. h. t. th.* 8. Et confirmatio a judice ordinario fieri debet, *l.* 2. *pr. ff. h. t. ibique Auctor,* ut in Feudalibus, *Schrad. de Feud. p.* 10. *sect.*
5 19. *num.* 99. Et probatur ex *hac lege*: Tutorem inutiliter datum, ante confirmationem non teneri petere excusationem, neque teneri ad administrationem, unde nec tenetur de neglectis, *Natta in §. ex imperfecto l. hac consultissima* 21. *C. de testam. num.* 123. *Clarus §. testamentum qu.* 10. *in fine, Caldas in l. si curatorem, verbis,* sine curatore, *num.* 101. *et seqq. C. de restit. min.* quamvis autem *Gron-*
6 *wegen ad l.* 4. *tit. praeced.* omnes tutores hodie confirmandos putet, videtur tamen adhuc esse differentia inter confirmationem tutelae non recte datae, et inter decretum, quo administratio tutelae conceditur.

L. Neque. 2.

SUMMARIA

Quando tutor sine inquisitione sit confirmandus? num. 1.
Pater etiam in testamento imperfecto usque ad confirmationem tutorem dare potest. 2.
An ejusmodi tutor confirmetur a judice? 3.
An obstrictus sit judex sequi voluntatem parentis etiam in testamento minus solemni? 4.

1 Confirmandus est tutor sine inquisitione, si pater dedit, non in testamento justo, sed epistola, *l.* 2. *h. t. l.* 3. *ff. eod.* et tunc, antequam confirmetur tutor, tutor non est, cum *lex* 12. *tab.* in testamento dandi facultatem dederit, nec periculo ejus est tutela, nec excusare se necesse habet, *l.* 1. *et* 2. *h. t.* quia, qui utiliter datus, necessitatem tantum habet se excusandi.
Colligitur autem ex *l.* 2. Patrem etiam in te- 2
stamento imperfecto, vel epistola tutorem dare posse usque ad confirmationem, ut ita loquar, quod non est correctum per §. *ex imperfecto in l. hac consultissima* 21. *C. de testam. Gutierez lib.* 1. *de tut. c.* 23. *num.* 5. *Caldas d. l. n.* 60. *et Natta d. l. n.* 21. Et exinde colligitur: Tutorem in testamento minus solemni vel inter
liberos datum, confirmari debere a judice, et 3
obstrictum esse judicem sequi voluntatem pa- 4
rentis, qui in testamento minus solemni vel rupto tutorem dedit, *hic et l.* 3. *ff. h. t. Gutierez d. l. et Schneid. ad §. permissum num.* 8. *Inst. de tutel. Dn. Carpzov. lib.* 5. *Resp.* 85. *Tiraquell. in l. si unquam C. de revoc. donat. in praefat. num.* 25. *Mascard. de Probat. concl.* 1154. *num.* 15. Tradunt tamen talem epistolam judicem sequi non teneri, nisi ejus veritas per testes probetur, *Montanus de tutel. c.* 8. *n.* 14.

L. Si ut proponis. 3.

SUMMARIA

An tutor datus in testamento imperfecto dato alio tutore a judice ante confirmationem prioris nihilominus sit confirmandus? num. 1. 3.
Quod ab initio rite gestum ex alio eventu resuscitari nequit. 2.
Judex voluntatem defuncti semper sequi non debet. 4.

Pater in testamento imperfecto dedit filio tu- 1
torem, hic antequam confirmetur, (quia confirmatio forte statim fieri non potuit,) Judex dat alium tutorem, Quaeritur: *An nihilominus postea prior tutor sit confirmandus?* Videtur quod sic ob *l.* 9. §. 1. *ff. de tut. et rationibus distr.* Sed Negatur, quod enim rite ab initio 2
gestum est, ex alio eventu resuscitari nequit, *l.* 25. *C. de admin. tut.* Sed, licet tutorem ha- 3
benti tutor non detur, si tamen perspecta sit ejus fides, qui a parente licet informiter datus est, et pupilli amplae sint facultates etc. poterit tutor a patre datus ut curator adjungi tutori dativo per *hanc l.* 3. si hoc Judex ita consultum existimaverit. Collige ergo: I. Antequam tutor confirmetur a judice, posse judicem alium dare tutorem, *Piagg. de tutor. qu.* 9. *num.* 7. *in fine, Guttierez P.* 1. *c.* 2. *num.* 26. II. Posse judicem adjungere confirmatum dativo. III. Judi- 4
cem non semper sequi debere voluntatem Patris, sed utilitatem pupillorum, v. g. si non ignarus fuerit eorum, quae Judex de tutore comperta habet, *l. utilitatem* 8. *ff. h. t. ibique Auctor, l.* 3. §. 3. *ff. de admin. tut. ibique Auctor num.* 4.

L. Naturalibus. ult.

SUMMARIA

An pater liberis naturalibus in bonis a se relictis testamento etiam imperfecto tutorem dare possit? num. 1.
An sit confirmandus? 2.
An ad spurios possit extendi? 3.
Quinam hodie naturales *dicantur?* 4.
Tutor etiam secundario datur rebus. 5.

1 Pater liberis naturalibus, in bonis a se relictis, potest tutorem dare testamento etiam imperfecto, si ipsis aliquid reliquerit, juxta mensuram *l.* 2. *et* 8. *sup. de naturalibus liberis*, secus si nihil reliquerit, *l.* 7. *pr. ff. h. t. ibique Auct. num.* 1. Sed debet talis tutor, priori modo datus, confirmari, quia liberi non sunt in potestate, sed sine satisdatione atque inquisitione, si vero nihil relictum, debet quidem confirmari, verum cum inquisitione, *Guttierez de Tut. P.* 1. *c.* 4. *num.* 16. *Treutl. et Bacchov. d. D.* 8. *th.* 2. *lit. C. Paleottus de Nothis cap.* 52. *Caldas d. l. num.* 87. Sed quod hic de Naturalibus dictum, ad spurios non pertinet, *Guttierez l.* 1. *cap.* 11. *num.* 2. Sed quia non toleratur apud nos concubinatus, ideo per naturales omnes intelligimus, qui a solutis geniti, ut ad *tit. de naturalibus liberis* diximus. Collige: Tutorem secundario etiam dari rebus, et ideo si pater naturali filio et mater dederit tutorem, et concurrant, quilibet in relictis geret, paternus in paternis bonis etc. *Guttierez d. c.* 4. *num.* 17. 2 3 4 5

TITULUS XXX.

De legitima tutela.

L. Ad avunculos. 1. et Auth. Sicut.

SUMMARIA

Jure Codicis ad tutelam soli vocantur agnati. num. 1.
Quinam vocetur agnatus? 2.
Quomodo hodie ad tutelam vocentur? 3.
Quid si plures sint ejusdem gradus? 4.
An omnium periculum versetur? 5. 6.
In feudalibus agnatus praefertur cognato. 7.

1 Jure Codicis soli agnati ad tutelam vocantur, non cognati, idque ex *L.* 12. *Tabb.* (sic v. g. avunculus non potest esse tutor, *l.* 1. *h. t.*)
2 agnatus autem vocatur proximus per virilem
3 sexum junctus. Sed hodie sine ullo discrimine cognationis et agnationis qui proximus est, sive agnatus, sive cognatus, legitimus est tutor, *Nov.* 118. *c.* 5. *et auth. sicut haereditas h. t.* quia nec in haereditate deferenda distinguitur, ut suo loco dicetur, per *Nov.* 118. *l.* 73. *de R. J. Rittershus. ad Nov. p.* 8. *c.* 1. *num.* 10. *Molina de J. et J. tr.* 2. *D.* 220. *num.* 19.
4 Et si plures sint ejusdem gradus, Judex eligat
5 unum vel plures, qui administrent, periculo tamen omnibus imminente, et cum hypotheca bonorum, *d. auth. Molina d. l. Guttierez P.* 1.
6 *c.* 2. *num.* 16. Sed quod de periculo omnibus imminente dicitur, non puto observari jure nostro, nec eorum bona obligari, qui non dati sunt tutores. Inferunt autem exinde, sicuti in statutis agnatus praefertur cognato in successione, ibi etiam agnatum, non obstante *hac auth.* praeferri in tut. *Decius in d. l. quo tutela* 73. *ff. de R. J. Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 150. *num.*
7 32. *Montanus de Tut. c.* 15. *num.* 4. Unde in Feudalibus tutoribus, Agnatus praefertur Cognato, quia ille solus succedit, *Rosenthal. de Feudis cap.* 6. *concl.* 40. *num.* 10. *Schraderus de Feudis P.* 10. *c.* 19. *num.* 31. *et seq.* Vid. *Auctor in l.* 9. *ff. h. t. num.* 2.

L. Ad agnatos. 2.

SUMMARIA

An etiam agnatus capite minutus cognato ratione tutelae sit praeferendus? num. 1.
Hodie minima capitis deminutio tutelam hanc non impedit. 2.

Agnati ut dixi ante *Nov.* praeponebantur co- 1
gnatis in tutela, sed *quid de agnato capite deminuto?* Responsio plana est, quod non potuerit esse tutor, quia agnationis jure dissoluto jam tantum cognatus est, §. *ult. Inst. de legit. agnat. tut.* Sed hodie minima capitis deminu- 2
tio tutelam non impediet, quia cognati etiam succedunt.

L. Constitutione. 3.

SUMMARIUM

Legem Claudiam, ut foeminae essent in perpetua tutela, sustulit Constantinus

Lex Claudia voluerat, ut foeminae essent in perpetua tutela, quod sustulit *Constantinus*, ut scilicet tantum impuberi foeminae daretur tutor proximus agnatus, sive consanguineus, seu patruus. Sed ille hunc excludet.

L. Frater. 4.

SUMMARIA

Frater emancipatus in materia successionis refertur inter agnatos. num. 1.
An etiam quoad tutelam? 2.

1 Ex Cognatorum ordine sicut frater, qui antea a patre emancipatus erat, et sic jura agnationis amiserat, tamen in ordinem agnatorum quasi transplantatur in materia successionis, per *l. fin.*
2 *C. de legit. haered.* ita etiam in onere tutelae hic ulterioribus agnatis praefertur, ratio in *d. l. ult.*

L. Nemo. ult.

SUMMARIA

Cur minores tutores esse prohibeantur? num. 1.
Minor omnia sua bona obligare non potest. 2.
Quid si testamento aut lege tutor detur? 3.
An etiam in matre minorenni haec locum habeant? 4.
Quid si per statutum perfecta aetas pauciori annorum numero definietur, aut minor 25. *annis poterit esse tutor?* 5.
An minorum bona tacite pignori obligari possint? 6.

1 Cum minores olim tutores esse potuerint, §. 13. *Inst. de excus. tutor.* per *hanc constitut.* prohibentur aspirare ad tutelam: 1. Quia absurdum est, eumdem esse tutorem, et tamen sub curatela alterius, quamvis hodie illud absurdum non sit, dum nostris moribus vidua habet curatorem litis, et tamen est tutrix liberorum. 2. Ratio, minor non potest omnia sua bona 2
obligare, quod ergo in *l.* 10. *ff. de excus. tut.* dicitur, si minor testamento aut lege detur, in- 3
terim suspendi administrationem dato curatore, id hodie de Testamentario, non vero de legitimo verum est. Et haec adeo vera sunt, ut etiam 4
in matre minorenni locum habeant, *l.* 2. *infr. quando mul. tut. off. etc.* imo judex ei decernens tutelam, nulliter procedit, *P. Montanus de tutel. c.* 15. *num.* 18. neque testamento mater minorennis cum effectu constitui potest, *Guttierez lib.* 1. *c.* 7. *num.* 32. Sed aliud si minorennis testamento detur tutor; nam hic tutor quidem erit quoad habitum, sed non exercitium, sed interim dabitur Curator, §. *pen. Inst. de Curat. et l.* 10. §. 7. *ff. de excus. tut. Bacchov. in Treutl. V.* 2. *D.* 9. *th.* 2. *lit. C. Joann. Guttierez d. Tr. P.* 1. *c.* 7. *num.* 6. Si tamen per 5
statutum perfecta aetas pauciori annorum numero definiatur (ut in jure Saxonico) poterit minor 25. annis esse tutor, *Guttierez d. l. num.* 30. Colligitur etiam ex textu: Quod minorum 6
bona non possint obligari tacite pignori; sed recte *P. Barb. in l. si constante* 24. *ff. solut. matrim. pr. num.* 131. obligari quidem, sed non plenissimo jure, quia datur restitutio. Ergo ipso jure obligantur. Sed de hoc, an minorum bona tacite obligentur, ut majorum, alibi dicetur.

TITULUS XXXI.

Qui petant tutores, vel curatores.

L. Admone. 1. L. Si filiis. 4. et L. Admone eam. 7.

SUMMARIA

An minor sibi curatorem petere, an vero ad petitum alterius, qui cum minore agit, judex ut certum sibi nominet, eum compellere possit? num. 1.
An cum pupillo litigans petere possit, ut ipsi constituatur tutor? 2.
Hodie ex recessu Imperii distincte Curatores invitis dantur adolescentibus. 3.
An hodie sit usus legis hujus. 7*? num.* 4.
Tutores finita tutela curatelam gerere nolentes audiuntur. 5.
Poena negligentiae hac ex parte. 6.

1 Quamvis minor sibi petere debeat curatorem, *l.* 2. §. 4. *ff. h. t. ibique Auctor,* quando tamen alius negotium habet cum minore, quod curatoris auctoritatem requirit, et minor forte differt et tergiversatur, non tantum ille admonere potest minorem, ut sibi curatorem petat, sed et hoc cessante, potest petere a judice alter, ut minor intra certum terminum compareat nominaturus curatorem, quo non comparente et nominante, Judex ex officio minori dat curatorem, *l.* 3. §. 2. *ff. de tut. et l.* 1. *h. t.* ne ex culpa et contumacia minoris judicium magno cum actoris incommodo diu in suspenso maneat, *Afflict. Dec.* 256. *Petrus Greg. l.* 13. *Syntag. c.* 3. *num.* 1. *Gail. l.* 2. *Obs.* 108. *num.* 3. ratio in *l.* 2. *sup. Qui legitim. pers. standi etc.* Ita et qui cum pupillo vult litigare, potest petere, ut ipsi 2
constituatur tutor, per quem defendatur, *l.* 4. *h. t.* ratio in *d. l.* 2. *Qui legit. personam etc.* Judex vero debet vocare conjunctos, affines et amicos patris pupilli, *Maranta P.* 4. *Spec. Dist.* 16. *num.* 43. *Petr. Montanus de Tutelis c.* 17. *num.* 9. Idem si tutor velit reddere rationes, nam et tunc plene liberari non poterit, nisi curatore praesente, *l.* 7. *h. t. argum. l.* 7. §. 2. *ff. de Minoribus*, hoc est enim connexum officio tutelae, per *hanc l.* 7. *et l.* 5. §. 5. *ff. de admin. tut. Gail. lib.* 2. *Obs.* 96. *num.* 3. *Guttierez P.* 1. *c.* 16. *num.* 142. *et* 147. *Rodericus de ann. redit. lib.* 2. *qu.* 15. *num.* 16. *Carpzov. P.* 2. *Const.* 11. *Def.* 10. Et sic in his casibus invito etiam curator datur, quia si non cogeretur accipere curatorem, semper posset declinare judicium, quod eo casu fit, ut invito adolescenti curator detur, si testamento datus a judice confirmandus, *Guttierez P.* 1. *c.* 19. *num.* 30. Imo non male cum *Rimero* dicit *Dn. Frantzkius Dec.* 17. *num.* 32. hodie ex recessu Imperii indistincte 3
curatores invitis adolescentibus dari, per *Reform.*

Polit. Anno 1548. et *Anno* 1577. *tit.* (*Von der*
4 *Pupillen.*) Quamvis autem non videatur magnus
esse usus hujus *l.* 7. dum generali consuetudine
introductum, ut tutela cum curatela continue-
tur, *Gail. lib.* 2. *Obs.* 96. *Colerus P.* 1. *Dec.* 6.
num. 16. *Hillig. in Donell. lib.* 3. c. 18. *lit. C.*
rectissime tamen monet *D. Carpz. P.* 2. *Const.*
11. *Def.* 10. haec vera esse, si non petierint
illi, qui tutores fuerunt curatores suis pupillis,
vel eos admonuerint, ut sibi curatores peterent,
sed potius in administratione manserint, quod
5 si vero tutela per pubertatem finita, nolint cu-
ratelam gerere, sed ad rationes reddendas se
obtulerint, administrationem deponant, et adul-
to curatorem dari petant, non obstante prae-
dicta consuetudine ad id minime cogi poterunt,
et consentit *Gail. d. Obs.* 96. *num.* 3. Ex his
6 dici possit, si tutor id non fecisset, sed per
aliquod tempus post adultam aetatem pupilli
mansisset in administratione, et nova negotia
inchoasset, quod tunc postea se excusare non
possit, quia semel suscepit curatelam, nisi no-
va causa accedat, licet alias se excusare po-
tuisset, §. 18. *Inst. de excus. tut.*

L. Patroni. 2.

SUMMARIUM

Liberto incumbit petere tutorem filiis patroni sui.

Libertus filiis patroni petere debet tutores, hoc
modo, ut nomina tutorum edat, quo Judex eli-
gere possit tutores idoneos, si secus fiat, (quia
contra observantiam patrono debitam egit) pu-
niendus est verberibus, *hic et l.* 1. *ff. h. t.*

LL. 3. 6. 8. 9. 10. et 11.

SUMMARIA

An et quatenus mater liberis suis impuberibus Tutores intra annum petere debeat? num. 1.
Ratio. 2.
An etiam liberis naturalibus? 3.
Poena. 4.
An etiam curatelam decerni petat? 5. 15.
An sufficiat inhabilis curatela? 6.
Matrem ignorantia juris non sublevat. 7.
Quatenus mater debeat excusari? 8.
An casu impedita excusetur? 9.
Si quis diligentiam debitam adhibuit, ei casus fortuitus nocere non potest. 10.
An excusetur mater minorennis? 11.
An si liberi penitus sint egeni? 12.
An si quis filio substitutus pupillariter? 13.
Cur Curatorem petere mater non teneatur? 14.
Matre Curatorem petere cessante agnati ad id tenentur. 16.
An illis currat annus? 17.
An teneantur substituti? 18.
Aviae non currit annus in medio existente matre. 19.

1 Quia *hae leges* planae, et de una materia
agunt, ideo conjungemus. Mater tenetur libe-
ris impuberibus (si non habent testamentarios
tutores, tunc enim dare non necesse esset, *l.* 9.
h. t. ratio in §. 5. *Inst. de curat.* vel si tutor
defunctus aut relegatus, aut excusatus) tutores
petere intra annum, §. *pen. Inst. ad SCtum*
Tertull. ratio in pietate materna, cum ipsius etiam 2
sit observare, ne a tutoribus quid male geratur,
l. 6. *h. t.* et non tantum filiis legitimis, sed etiam 3
naturalibus, *l. fin. h. t. Anton. Gabr. lib.* 6.
concl. un. tit. de tut. num. 2. cum et haec ma-
ter liberis succedat, §. *fin. Inst. ad SCtum Ter-*
tull. quod si omittat mater, privatur successio- 4
ne liberorum, *d.* §. *pen. et l.* 2. §. 23. *et seqq.*
ff. ad SCtum Tertull. Et idem, si petiit quidem, 5
sed curatelam decerni non curaverit, *d. l.* 2. §.
42. *Mont. cap.* 18. *num.* 13. *Guttierez cap.* 16.
num. 52. vel petiit quidem, sed inhabilem, *Gut-* 6
tierez d. l. num. 51. et licet successio matri
deferatur jure statutario, *Tusch. Concl.* 113.
num. 5. *lit. M. Montanus de Tut. c.* 18. *num.*
9. Et non sublevat matrem ignorantia juris, 7
per *l. fin. h. t.* quia hic de lucro agitur, non
de damno, *Hillig. in Donell. lib.* 3. *c.* 8. *lit.*
F. nec rusticitas, *Vivius decis.* 432. *num.* 2. Sed
excusatur mater, si filius non pupillari aetate sed 8
pubes mortuus sit, *l.* 3. *C. ad SCtum Tertull.* quia
culpam matris delevit voluntas filii, qui cum po-
tuisset pubes factus testari, id omittendo, ma-
tri condonasse culpam, et eam instituisse vide-
tur, *Hillig. d. l. lit. A.* sicut et excusatur, si 9
casu impedita; v. g. Si procuratorem mittat ad
petendum curatorem, et hic in itinere interfi-
ciatur, atque interim pupillus moriatur, *l.* 8.
h. t. ex qua Notant: Matrem absentia vel infir-
mitate impeditam, non incurrere hanc poenam,
Montanus cap. 19. *num.* 33. Ex *hac l.* etiam
Nota; Et, qui diligentiam debitam adhibuit, 10
casum fortuitum non nocere. Alia Exceptio in 11
minorenni matre, *l. fin. sup. si advers. delict.*
Montanus d. c. 19. *num.* 43. *Guttierez P.* 1. *c.*
16. *num.* 90. Alia Exceptio, si liberi essent pe- 12
nitus egeni, *d. l.* 2. §. 26. vel bono etiam libero-
rum, *Mont. num.* 36. *Guttier. d. l. num.* 100.
Carpzov. P. 2. *C.* 11. *Def.* 15. *in fine.* Excusa- 13
tur etiam mater, si filio aliquis substitutus pu-
pillariter, *Bacchov. in Treutl. th.* 7. *lit. C. Gut-*
tier. d. l. num. 111. Curatorem autem petere 14
mater necesse non habet, *l.* 6. *h. t. Carpzov.*
P. 2. *Const.* 11. *Def.* 15. *num.* 7. ubi in fine
ratio, quod adulti ejus sint aetatis et pruden-
tiae, ut sibi ipsi curatores petere possint; Acce-
dit quod tanta non sit necessitas curatoris, quan-
ta tutoris est. Sed si impuberes curatore opus
habeant, quod in nonnullis casibus contingit,
certe mater etiam illis curatorem petere debet, 15
d. l. 2. §. 29. *Mont. d. l. num.* 11. *et seqq. Gut-*
tierez d. c. 16. *num.* 48. *et seq.* Fideicommisso
etiam per patrem filio relicto, non mulctatur
mater, *l. fin.* §. *pen. ff. h. t. add. Auctor. in d. l.*
quia in eo non filio, sed patri succedit, *l. co-*
haeredi §. *cum filiae ff. de vulg. et pupill.*
Gabrielius d. Concl. un. num. 43. *Guttierez d.*
l. num. 124. *Montanus d. l. num.* 50. Si autem 16
mater cesset petere tutorem, agnati petere non
prohibentur, *l.* 10. *h. t.* imo et hi tenentur pe-
tere tutorem pupillo, sed illis non currit an- 17
nus, nisi teneant primum locum successionis,
Guttierez d. l. num. 36. et substituti, *Tusch. d.* 18
concl. 113. *num.* 18. *Gabr. d. l. num.* 8. sicut
et aviae non currit annus in medio existente 19

matre, *Carpz. d. l. Def.* 16. *Vivius dec.* 364. *in fine.*

L. Amita. 5.

SUMMARIUM

An matertera vel amita pupillo tutorem petere debeat?

Licet tutela virile munus sit, petere tamen tutorem et ad foeminas sanguine junctas pertinet, ut jam de matre dictum, sed pertinet hoc etiam ad materteram, vel amitam, quae non tantum potest, sed et debet pupillo tutorem petere, si velit alioquin ipsi succedere, ut et alii agnati, vel cognati, *l.* 10. *de legit. haered. ibique Auct.* Et substituti, *Donell. lib.* 3. *c.* 8.

TITULUS XXXII.

Ubi petantur tutores vel curatores.

L. Magistratus. un.

SUMMARIA

Coram quo judice pro diversitate locorum petendus sit Curator? num. 1.
Sola commoratio non fundat jurisdictionem judicis. 2.
Quid si in diversis locis bona pupillus habeat? 3.
Judex quatenus pupillo etiam ratione bonorum alibi sitorum tutorem dare possit? 4.
An tutelae decretum afficiat omnia bona, ubicumque sint sita? 5.
Ubi major pars bonorum, ibi tutor dari potest. 6.

1 Romae a Praetore, in Provinciis vero et Municipiis a Provincialibus et Municipalibus Magistratibus petendus est curator, *l.* 2. §. 23. *ff. ad SCtum Tertull.* et quidem eo loco, unde vel originem ducit pupillus, scilicet ratione patris, *hic et l.* 1. §. 2. *ff. ad Municipal.* vel ubi sunt pupilli facultates, quod est domicilium habitationis, quod pupillus non animo, sed re ipsa constituit, dum ibi moratur, ubi major pars facultatum. Si autem pupillus in alio loco moretur, quam ubi facultates habet, vel unde originem ducit, restituendus est patriae; unde probatur, solam commorationem non fundare 2
jurisdictionem judicis, *Frantzkius d. D.* 17. *num.* 22. quamvis et si diversis in locis bona habeat 3
pupillus, utrobique dari possit tutor, *l.* 27. *ff. de tut. et curat. dat. etc.* Scilicet si tutor aut nolit administrare bona pupilli ubicumque sita, aut non possit, *Montanus c.* 4. *num.* 24. nam in genere datus tutor, etiam alibi sitis bonis datus censetur, nisi se excusaverit, *l.* 21. §. 2. *ff. de excus. tut.* Nota bene: Judicem dare posse tutorem pu- 4
pillo, etiam ratione bonorum alibi sitorum, non quidem expresse, sed per consequentiam, cum principaliter detur personae. Si autem exprimeret, quod daret tutorem etiam respectu rerum alibi sitarum, haec datio respectu earum rerum non procederet, *Guttierez d. l.* 1. *c.* 16. *num.* 6. quia daretur in Territorio judici danti non subjecto, contra *l. fin. ff. de Jurisdict.* Sed quia decretum tutelae ipso jure per consequen- 5
tiam afficit omnia bona ubicumque sita, dubito, an adjectio caeterorum bonorum vitiet decretum. Illud planum, si pupillus ipse sit loci dominus, non ab officio suo, sed a Superiori dandum esse Tutorem, *Guttier. d. l. num.* 7. Collige: Ubi est major pars bonorum, ibi posse 6
tutorem dari, ratio est, quia, ubi major pars bonorum, ibi praesumitur etiam domicilium, ex *Castr. Molina. d. D.* 220. *num.* 22. *Guttierez d. c.* 16. *num.* 18.

TITULUS XXXIII.

De tutoribus vel curatoribus illustrium vel clarissimarum personarum.

L. Illustribus. I.

SUMMARIA

Illustribus vel Clarissimis pupillis per quem eligi soleat Tutor? num. 1.
A quonam confirmetur? 2.
An electores propter malam tutoris administrationem teneantur in subsidium? 3.
Etiam caetera, quae in aliis pupillis et tutoribus statuta sunt, in Illustribus valent. 4.

Illustribus vel Clarissimis pupillis nisi habeant 1
Testamentarios vel Legitimos Tutores, eligitur per decem ex Senatoribus tutor, et confirma- 2
tur per Praefectum urbis facto decreto; nec electorales tenentur in subsidium propter malam 3
administrationem tutoris, ratio in §. *fin. Instit. de satisdat. tut.* et si unus non sufficit, eligantur plures, sed in municipiis ac curialibus eligendus Tutor, sed hi tenentur actione subsidiaria. Caetera, quae in aliis pupillis et tutori- 4
bus statuta sunt, etiam in illustribus valent.

L. Generali lege. ult.

SUMMARIA

Quinam Senatorum filiis tutores dari non possint? num. 1.
An regum tutela pubertate finiatur? 2.
A quibusnam hodie Illustribus detur Tutor? 3.
Quid si ipsis testamento tutor datus? 4.

1 Hi, qui curiae patriae suae muneribus obstricti sunt, Senatorum filiis tutores dari non possunt, cum eorum bona curiae jam antea sint obligata, Vid. *l.* 8. *et Auth. seq. C. de Episcop.* et sic non satis esset prospectum illustribus,
2 *Montanus c.* 23. *num.* 38. An autem Regum tutela pubertate finiatur, Quaeritur a *Doctoribus*, et verior videtur sententia asserentium, ut tamen post pubertatem usque ad annum 25. aetatis uti debeant consilio procerum consiliariorum, et statuum, *Jo. Guttierez lib.* 1. *c.* 18. *num.* 7. *et seq.* Hodie illustribus datur de consuetudine 3
tutor ab ordinario eorum judice, et quidem iis, qui immediate Imperio Subjecti, a Camera, *Gail. lib.* 1. *Obs.* 1. *num.* 47. *Limnaeus de Jure Publ. lib.* 9. *c.* 2. *num.* 153. nisi alius testamen- 4
to datus, quod exceptionem habere communiter creditur in filiis Electorum, ubi tantum legitimam tutelam locum habere volunt, per *Auream Bullam tit.* 7. Vid. *Limnaeus lib.* 4. *c.* 8. *num.* 179. *et Klock. tom.* 1. *cons.* 6: qua de re integri tractatus et concertationes editae super Declarationem praesertim Sigismundi Imperatoris, quam litem meam non facio.

TITULUS XXXIV.

Qui dare tutores vel curatores possunt, et qui dari non possunt?

L. Cum tibi. 1.

SUMMARIUM

Minori, ob statum mota controversia, dandus curator ad litem.

Minori, cui status controversia movetur, dandus est ad judicium curator, quia est in quasi possessione libertatis, atque adeo interim habendus pro libero.

L. Maritus. 2.

SUMMARIA

Maritus uxoris procurator esse potest. num. 1.
An etiam possit esse ejus Curator universalis? 2.
Ratio differentiae. 3.
Restrictior est procuratoris quam Curatoris potestas. 4.
Mariti tam de jure Saxon. quam moribus ubique fere locorum uxorum sunt tutores ac curatores legitimi. 5.
Maritis transigendi potestas non denegatur hoc in casu. 6.

1 Maritus licet uxoris procurator esse possit, *l.* 21. *supr. de procur. Montanus de tutel. c.* 35.
2 *reg.* 1. *num.* 38. Curator tamen ejus universalis, ratione bonorum receptitiorum esse nequit, *l. hac* 2. licet velit, *l.* 1. *C. de excus. tut. l.* 12. *ff. de curat. fur.* Vid. *Hillig. in Donell. lib.* 3. *cap.* 20. *lit. B. Molina de J. et J. Tr.* 2. *D.* 221. *num.* 17. *Guttier. de tut. P.* 1. *c.* 20. *num.* 31. *Montanus c.* 35. *reg.* 1. *num.* 39. ideoque impropria est excusatio in §. *pen. Inst. de excus. tut.* Ratio differentiae, ut procurator vel cu- 3
rator ad litem, non autem curator omnium bonorum esse possit, est, quia si male maritus gereret, uxor remittere cogeretur, et procurator revocari potest juxta §. 9. *Inst. Mandati.* Et restrictior est procuratoris potestas, quam 4
curatoris. Sed hodie non tantum jure Saxonico, 5
sed etiam Consuetudinario passim ubique locorum, mariti sunt tutores ac curatores uxorum legitimi, (*Che-Bogte*,) de qua consuetudine testantur *Gail. lib.* 1. *Obs.* 133. *num.* 1. *Myns. dec.* 1. *resp.* 10. *num.* 21. *Cothmannus vol.* 1. *cons.* 8. *num* 82. *Harprecht. ad* §. *pen. Inst. de excus. tut. et alii.* Et ideo transigendi facultas 6
Maritis non est deneganda, *Dn. Vice Praeses Mevius p.* 4. *dec.* 32.

L. Luminibus. 3.

SUMMARIUM

An coecus tutor dari possit?

Luminibus utrisque captus seu plane coecus, tutor dari nequit, *hic et l. un. infr. Qui morbo etc.* Ubi ratione hujus causae excusatio impropria, secus si unum tantum oculum amisisset, *l.* 9. *C. de excus. tut. Molina D.* 221. *num.* 3. *Guttier. lib.* 1. *c.* 7. *num.* 12. *P. Montanus d. tr. c.* 23. *num.* 39. *et seqq.*

L. Militiae 4.

SUMMARIA

An miles, licet testamento datus vel sanguine proximus, tutor esse possit? num. 1.

Veterani post missionis annum unam tantum conveteranorum tutelam suscipere tenentur. 2.
Quid si gerant? 3.

1 Miles tutor esse non potest, si maxime velit, *hic et* §. 14. *Instit. de excus. tut.* licet testamento etiam detur, vel sit proximus sanguine. Ratio in utilitate publica, *l.* 7. *de procur.* ne miles his privatis negotiis abducatur ab opera Reipublic. praestanda, et ne publica salus ob privatam tutelarum occupationem deseratur, *Molina d. D.* 221. *num.* 15. *Montan. c.* 35. *reg.* 1. *num.* 185. et id ad milites coelestis militiae vulgo extendunt, *Petr. Gregor. lib.* 12. *Synt. t.* 4.
2 *num.* 6. Veterani autem post annum missionis unam tantum tutelam conveteranorum suscipere coguntur, *l.* 2. *C. de excus. veteran. P. Mont. de tut. cap.* 35. *reg.* 1. *num.* 187. Si au-
3 tem gerat, tenetur actione negotiorum gestorum, quia non fuit verus tutor, sed tantum negotiorum gestor.

L. Neque. 5.

SUMMARIA

An magistratus alium, quam qui suae jurisdictioni subjectus tutorem dare possit? num. 1.
Quid si dederit? 2.
Quid si idoneus in sua jurisdictione non reperiatur? 3.
An in testamento extraneus tutor dari possit? 4.
An qui jurisdictioni judicis, cui pupillus subditus, non subjectus, tutor legitimus queat esse? 5.
Apud nos quid hac in parte obtineat? 6.

1 Magistratus alium, qui suae jurisdictioni non est subjectus, non potest dare tutorem, *Montanus c.* 20. *num.* 1. *Tuschus conclus.* 431. *num.* 10. *lit. T. Frantzkius d. res.* 17. *num.* 4. et si
2 dederit, datio non valet, nec fraudi est datio, si cessat: ratio in §. 4. *Inst. de Attil. tut. Schneidevv. in* §. *nos autem num.* 11. *Inst. de Attil. tut. Anton. Faber in C. lib.* 5. *tit.* 19. *Def. un. num.* 6. *Rosenthal. de Feudis cap.* 12. *concl.* 10.
3 *num.* 54. nisi quando in sua jurisdictione idoneus non reperitur, ibi per subsidiales ex alia Jurisdict. evocare potest, *l.* 24. *ff. de tut. ibique Auct. num.* 1. *Dat. Treutl. D.* 8. *th.* 4. *lit. F. vol.* 2. *Jo. Franc. Balthas. tit.* 5. *resol.*
4 *Bavar.* 2. *num.* 4. In testamento sane extraneus dari potest, *l.* 32. *ff. de test. tut.* licet se tutor excusare possit, *l.* 11. *C. de excus. tut.*
5 Sed et tutor legitimus esse potest, qui non est jurisdictioni ejus judicis subjectus, cui pupillus subditus est, qui tamen, si bona in suum territorium vellet transferre, teneretur cavere, *Myns. Inst. de legit. agn. tut.* §. 1. *num.* 9. *et* 5. *Richter. decis.* 12. *num.* 12. *et seq.* et cum aliis *Guttier.*
6 *p.* 1. *c.* 2. *in fine.* Apud nos quando tutor petitus, vel curator ad litem est alterius Jurisdictionis, solet adiri Judex communis vel Princeps, ejusve Camera, a qua petitur constitui hic vel ille tutor. Adde *Auctorem in l.* 24. *ff. de tut. vel curat. dat.* ubi etiam modum hac in causa procedendi addit.

L. Quod dicis. 6.

SUMMARIA

Mater, et hac cessante, etiam agnati et creditores liberis tutorem petere possunt. num. 1.
Coram quo judice dari queat? 2.
Speciale est in quibusdam bene constitutis oppidis, in quibus peculiares sunt Senatores, dicti die Waisenherren. 3.
Eorum officium. 4.

Mater tenetur liberis tutorem petere, quae 1
si cesset, et hoc Praesidi probetur, alii etiam petere possunt, Agnati scilicet, vel etiam creditores, tunc etiam Magistratus municipalis potest tutorem dare, si tenues pupilli facultates, vel potest nomina tutorum ad Praesidem mit- 2
tere, ut ille suo decreto tutorem constituat, vid. §. 4 *et* 5. *Inst. de Attil. tut.* et ibi notata.
In bene constitutis Rebuspublicis et oppidis 3
quibusdam peculiares sunt Senatores, quos vocant *die Waisenherren*, qui statim post mortem parentis constituunt tutores pupillis, munus sa- 4
ne sanctissimum, si bene administretur.

L. In servili. 7.

SUMMARIA

Servi an et quatenus dari tutores possint? num. 1.
Nostri adscriptitii omnino tutores dantur. 2.

Servus dari tutor vel curator nequit, ratio 1
in *l.* 209. *ff. R. J.* In testamento quidem dari potest, sed tunc si proprius servus est, cum tutela statim libertatem accipit; si alienus est, sub conditione datur, §. 1. *Inst. Qui testam. dari.* Apud nos adscriptitii, licet proximi sint 2
servili conditioni, tutores tamen dantur.

L. Creditorem. 8. et Auth. Minoris.

SUMMARIA

An creditor pupilli sui tutor esse possit? num. 1.
Creditor debitoris et hic vice versa Tutor vel Curator esse prohibetur. 2.
Poena. 3.
Ratio prohibitionis. 4.
Idem in cura prodigi et furiosi. 5.
Eadem prohibitio militat, si creditor res pupilli vel minoris possidet. 6.
Idem si communio aliquorum bonorum cum pupillo. 7.
Qualis sit communio? 8. 9.
Si ex post facto tutor fit debitor vel creditor, adjungendus ei est curator. 10.
Secus si debitum fit ex ipsa tutela. 11.
Excipiuntur quaedam. 12.

Creditor poterat sui pupilli seu debitoris esse 1
tutor, quia sibi ipsi solvere potest, *hic et l.* 58.

§. 1. *ff. de contr. empt.* nisi lis esset cum pupillo de statu, vel omnibus bonis, vel maxima eorum parte, *l.* 21. *ff. de excus. tut. ibique*
2 *Auctor.* Sed per *Auth. Minoris etc.* Creditor Debitoris sui, vel Debitor Creditoris sui Tutor
3 vel Curator esse prohibetur, sub poena jacturae
4 actionis, vel solutionis factae. Facile enim tutor vel curator instrumenta debiti, vel solutionis intervertere posset, et multo magis post susceptam curatelam, ex cessione quamvis justa, jus alterius in se contra minorem suscipere curator prohibetur, adeo ut cedens et cessionarius jactura actionis plectatur, eaque lucro minoris
5 cedat, cum uterque contra legem egerit. Idem
6 in cura prodigi et furiosi. Eadem prohibitio adhuc militat, si res pupilli vel minoris possidet, *Guttier. R.* 1. *cap.* 20. *num.* 4. *Berlich. p.* 2. *dec.* 257. *num.* 32. per hanc *Auth. Minoris,* ibi,
7 *aut qui minoris res tenet.* Idem si communio aliquorum bonorum cum pupillo, si illa com-
8 munio sit controversa, aut in ea imputationes
9 magnae ultro citroque deprehendantur, *Bart. in hac auth. minoris num.* 9. *Guttierez d. l. num.* 5. *Tusch. Concl.* 419. *Berlich. d. D.* 557. *num.* 34. *Rittershus. ad Nov. P.* 8. c. 4. *num.* 9. et habet hoc locum etiam in testamentario tutore, si pater ignoravit debitum, quod praesumitur, nisi probetur scientia, praesertim si ex facto alieno descendat, *Guttier. d. l. num.* 6. *Bacchov. d. D.* 8. *th.* 4. *l. C. Berlich. D.* 257.
10 *num.* 18. Et si ex post facto fiat debitor vel creditor, adjungendus ei est curator, per *Nov.* 72.
11 *c.* 2. *Carpzov. lib.* 5. *Resp.* 88. non si ex ipsa tutela fiat, *Berlich. d. D.* 257. *num.* 22. Exci-
12 pitur I. Mater, *Auth. ad haec tit. seq.* et idem in ascendentibus aliis, *Guttierez d. l. num.* 11. *Berlich. d. l. num.* 12. et eadem ratio filii, qui est patris furiosi curator, *Berlich. num.* 15. II. Si tutor testamento datus sit, et testator sciverit debitum, *Guttierez d. l. num.* 6. *Berlich. num.* 18. *et Bacchov. d. l. P. Montanus de tutelis c.* 8. *num.* 72. III. Si tutor ex inquisitione datus, quia jussus magistratus excusat a dolo, *Bart. hic num.* 12. *Rittershus. d. l. num.* 15. Excipitur IV. Modica debiti quantitas, in qua non facile praesumitur dolus, quantitas autem modica quae sit, illud arbitrio judicis committi tritissimum est, *Berlich. d. l. num.* 35. *Molina de J. et J. D.* 221. *num.* 11. *P. de tut. qu.* 3. *num.* 9. *Guttierez num.* 13. V. Si tutor aggrediatur tutelam, sed cum significatione debiti, et protestatione, nam tum videtur dolum purgasse, *Carpzov. lib.* 5. *Resp.* 87. *Berlich. Dec.* 259. Conf. *Carpzov. P.* 2. *Const.* 11. *Def.* 20. Si etiam notorium sit debitum, videtur excludi dolus, *Carpzov. d. Const.* 11. *Def.* 19. *lib.* 5. *Resp.* 89. licet dissentiat *Berlich. Dec.* 260.

L. Si sororis. 9.

SUMMARIA

Qui legitimum tutorem habet, ei a judice alius dandus non est. num. 1.
Limitatur regula. 2.

1 Qui habet legitimum tutorem, ei a judice alius dandus non est, propter Regulam in §. 5. *Inst. de Curat.* Quod tutorem habenti tutor alius non detur: quae regula tamen aliquot 2
habet exceptiones, nam si impeditus sit tutor et impedimentum sit perpetuum, atque ipsum plane inidoneum reddat non tantum ad administrationem, sed etiam auctoritatem praestandam, aut si ex causa diuturnioris absentiae alio tutore opus sit, aut si testamento datus tutor sit adhuc in minorenni aetate constitutus, aut bona ac negotia alibi posita tutorem requirant, ibidem locorum potest dari alius tutor, de quo Vide *Bacchov. in Treutl. v.* 2. *D.* 9. *th.* 1. *Lit. C. Montanus de tutel. cap.* 24. *num.* 10. *Tuschus Concl.* 423. *lit. T. Dn. Tabor. in Axiom. lib.* 18. *in fine et DD. in d.* §. 5. Conferantur notata *ad tit.* 36. *Vinn. in* §. *fin.* 9. *de Curat.*

L. Curatorem. 10.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An Curatorem habenti curator alius sit subrogandus? 2.
Differentia inter Tutorem et Curatorem. 3.

Judex, me ut Curatore tuo absente, Titium 1
mihi substituit Curatorem, Titius aliquid neglexit, Quaeritur: *An Titius, an vero ego ad restituendum damnum tenear?* Videtur prius, ob *l.* 20. §. 1. *ff. de tut. et cur. datis.* Sed Respond. posterius, quia 1. Titius male mihi substitutus est, cum non nisi certis ex causis adjungendus vel substituendus sit curator alius, v. g. Si Reipubl. causa abfuit curator, *l.* 1. *C. in quibus casibus tutorem etc.* Quod hic non est, ergo mansi curator, et si quid neglectum, mihi imputandum: 2. Quia potui actorem meo periculo constituere, *hic et* §. *ult. Inst. de curat.* Unde colligitur Regula, quae regulae praecedentis legis est simillima; Quod curatorem habenti curator alius 2
illi subrogandus non sit, nisi causa cognita, et ex causa legitima, *Br. Bl. hic, et Menoch. cons.* 345. *num.* 2. Manet tamen differentia, quod 3
tutorem habenti plane non detur tutor, sed curatorem habenti, causa cognita, facilius, *Mont. c.* 29. *num.* 32.

L. In universis. 11.

SUMMARIA

An et quatenus minor habeat personam standi in judicio? num. 1.
In quibus causis stare in judicio possit? 2.
Minori etiam invito dari potest Curator ad litem. 3.
An minori curatorem habenti restitutio concedenda? 4.

Minor personam standi in judicio non habet, 1
nisi ei generalis curator, vel specialis ad litem detur, vel venia aetatis concedatur, exceptio in *l. fin. supr. Qui legit. personam etc.* Collige: I. Minorem non habere personam standi in judicio, *t. t. supr. Qui legit. personam stand. etc.* quod fallit non tantum in casibus propositis, 2
sed etiam in causis spiritualibus et beneficiali-

bus, et matrimonialibus etc. *c. fin. de Judic. lib.* 6. *c.* 14. *X. de restit. spoliat. Trentac. lib.* 2. *Resol. tit. de judic. res.* 6. *num.* 8. *Gail. lib.* 2. *obs.* 107. *num.* 9. et hos allegans *Hillig. in*
3 *Donell. lib.* 17. *c.* 4. *lit. R.* II. Minori invito dari curatorem ad litem, ne judicium sit elusorium, et ne in ejus potestate sit, an velit con-
4 veniri. Sed objicitur, etiamsi adsit curator, posse tamen dari restitutionem, per *l.* 4. *supra si adversus rem judic.* Resp. Sed non tam facile, cum *Anton. Fabro Hill. in Donell. lib.* 3. *c.* 18. *lit. F.*

L. Curator. 12.

SUMMARIUM

An curatori, lite semel inchoata, eam dato alio curatore deserere indulgeatur?

Curator, qui semel litem inchoavit, eam deserere dato alio Curatore ad litem nequit, nisi velit removeri ut suspectus, cum detrimento existimationis, et velit restituere omne damnum, *hic et l. fin. princ. C. de admin. tut.* ubi ratio, Quia est munus necessarium, et declinari nequit.

L. Ne magistratuum. 13.

SUMMARIA

Coloni principis patrimoniales a tutela cur sint immunes? num. 1.
Objectio diluitur. 2.

Coloni Principis patrimoniales tutores creandi 1
non sunt, ne ab agricultura avocentur, ut nec alii, qui privilegio eximuntur, ut qui in legatione sunt, *l.* 21. §. 3. *ff. de tut. et curat. dat.*
Non obstat *l. coloni infra de excus. tutorum*, 2
Quae de Colono Fiscali loquitur, *Montanus c.* 35. *reg.* 1. *num.* 22. *et seq.* licet aliter *Guttier. p.* 1. *c.* 20. *num.* 16. *Molina d. D.* 221. *n.* 14.

TITULUS XXXV.

Quando mulier tutelae officio fungi potest?

L. Tutelam. 1.

SUMMARIUM

An et cur mulier tutrix esse nequeat?

Tutela est munus virile, *l.* 16. *ff. de tut. vid. Auct. ib.* ideoque mulier tutrix esse nequit, *Bald. in l.* 2. *ff. de R. J.* Quia in Tutore requiritur intellectus, consilium, robur animi, constantia, etc.

L. Matres. 2.

SUMMARIA

An et quatenus mater 25. *annis major admittatur ad tutelam? num.* 1.
An a magistratu confirmari, et secundis nuptiis jurato renunciare debeat? 2.
Poena, si affectet nuptias secundas. 3.
Cautela. 4.

1 In *Lege Secunda* admittitur Mater major 25. annis, si nulli sint Tutores testamentarii, nec legitimi, aut qui fuerunt, sint excusati vel remoti;
2 debeat autem impetrare confirmationem a magistratu, et juramento renunciare secundis nu-
3 ptiis, et si quis hujus nuptias affectaverit, Tutela desinit, quia praesumitur affectus mutari, *l.* 22. *in fin. C. de adm. tut.* et bona Vitrici pro omni damno pupillo sunt obligata, si duxit matrem nondum redditis rationibus, et nondum solutis reliquis, ac nondum petito Tutore, *Molina D.* 227. *num.* 17. *Berlich. p.* 1. *concl.* 67. *num.* 82. *Montanus* c. 15. *num.* 96. *Beuter. de jure praelat. cap.* 59. *Neguzant. de Pign. m.* 4. *part.* 2. *num.* 156. *Guttierez p.* 1. *c.* 9. *num.* 29. *Didacus a Spino in Spec. testam. gl.* 29. *num.* 70. Idque ex *hac lege* maxime est 4
Notandum, et ideo cautum esse eum oportet, qui viduam in uxorem ducit, nam et hoc locum habere puto, si mater de facto tantum administraverit tutelam, cum *Carpzov. l.* 4. *resp.* 34. Caetera, quae in lege habentur, infra sunt notata.

L. Si pater. 3.

SUMMARIA

Quatenus mater liberorum naturalium tutrix esse possit? num. 1.
An sit legitima tutrix? 2.
Quid si tutrix esse nolit? 3.
An renunciatione facta de omni legum privilegio, uti adhuc possit privilegio, ut non incarceretur, vel beneficio Auth. Sed hodie C. de offic. div. judic. et Auth. Hodie novo jure. C. de custodia reorum? 4.
An mulier etiam per impudicam et luxuriosam vitam amittat tutelam? 5.
An hac ipsa vita omnia viduitatis privilegia amittat? 6.

Ex *hac lege finali* extenditur, ut possit mater 1
etiam liberorum naturalium Tutrix esse, Si secundis nuptiis, et SCto Vellejano (quia Tutela

species intercessionis est) omnique legis auxilio
renunciaverit, et bona sua expresse obligaverit,
caeteraque observaverit, quae in *l.* 2. de justo-
rum liberorum tutela traduntur. A Patre tamen
datus testamento Tutor liberis naturalibus, ma-
2 tri praefertur. Collige: I. Ex *hac lege:* Matrem
naturalem esse legitimam liberorum naturalium,
seu spuriorum Tutricem, nisi liberi essent ex
damnato coitu prognati, vel mater esset Illu-
stris, *Ant. Gomez ad L. Tauri l.* 14. *et seq.*
num. 10. *et Guttierez de Tutelis P.* 1. *c.* 8. *num.*
10. *et seq. et Joan. Franc. Balthas. d. T.* 5.
3 *Resol.* 3. *num.* 4. Et hinc etiam si nolit mater
ista concubinaria esse Tutrix, intra annum con-
tinuum debet liberis naturalibus petere Tuto-
rem, nisi velit ab eorum successione repelli,
4 *Balthas. d. Res.* 3. *in fine.* II. Matrem si velit
tutelam liberorum gerere, non tantum SCto
Vellejano et secundis nuptiis, sed et omni legum
auxilio debere renunciare, *Alex. vol.* 4. *Cons.*
32. *num.* 2. *et Guttier. P.* 1. *c.* 8. *num.* 32. *Joan.*
Franc. Balthas. d. Res. 3. *num.* 14. et sic re-
nunciatione facta, non videtur uti posse Privi-
legio, ut non incarceretur, vel beneficio *Auth.*
Sed hodie. C. de off. div. judicum, et Authent.
Hodie novo jure C. de custodia reorum, per
Bart. in Auth. Matri et Aviae num. 13. *et Sa-*
lyc. ib. num. 14. *Farin. Q.* 27. *num.* 61. *Mon-*
tanus C. 15. *num.* 66. et quos allegat *Joan.*
Franc. Balth. d. l. num. 14. qui verius hoc cum
aliis ibidem negat, nam renunciatio illa procul
dubio non est extendenda ad ea, quae ob re-
verentiam marito debitam competunt. III. Col-
5 lige ex *hac lege.* Ex verbis, *sed pudicitiam suam*
intactam, quod mulier non tantum per secun-
das nuptias, sed etiam per luxuriosam et im-
pudicam vitam amittat Tutelam liberorum,
Gail. lib. 2. *Obs.* 98. *num.* 16. *Guttierez P.* 1.
cap. 9. *num.* 19. *Molina de J. et J. Tr.* 2. *D.*
220. *num.* 17. *Balthasar. d. l. num.* 11. *Tiraq.*
de Nobilit. c. 18. *num.* 14. *Vasq. de success.*
6 *creat. lib.* 2. §. 12. *num.* 39. Imo mater luxu-
riosa omnia privilegia viduitatis amittit, *Gail.*
d. l. num. 17.

Auth. Matri.

SUMMARIA

Authentica haec cum seqq. *toti huic derogat titulo. num.* 1.
An mater avo paterno in tutela aut in successione praeferatur? 2. 9.
Quidam *notatur.* 3.
An mater et avia ad tutelam compelli, an vero libere adire possint? 4.
An matris renunciatio ad acta fieri debeat? 5.
An renunciatio SCti Vellejani semper observetur? 6. 8.
Hae renunciationes in Bavaria expresse non fiunt. 7.

1 Hanc Authenticam et seqq. legi finali postpo-
suimus, quia hae derogant toti huic titulo. Nam
primo *authent. Matri et Aviae*, ea quae ha-
ctenus de matre dicta sunt, etiam ad aviam
extendit: Et I. Aviam matri conjungit. II. Eas
et legitimis Tutoribus praefert, Patruo scilicet
et reliquis agnatis ex latere, *Nov.* 118. *c.* 5.
Et cum in successione praeferatur mater avo 2
paterno, recte matrem avo paterno praeferunt
Bart. in hac auth. num. 5. *et seq. Salyc. num.*
5. *Afflict. Dec.* 281. *Guttierez P.* 1. *c.* 8. *num.*
15. *P. Montanus de Tut. c.* 15. *num.* 46. Insur- 3
git quidem contra hanc sententiam non nemo,
dum ita arguit: Avus Paternus habet in pote-
state nepotem, ergo frustra de Tutore quaeri-
tur. Sed pace tanti JCti dixerim, hoc senten-
tiam *Bartoli* non infringit. Nam *Bart.* et caete-
ri de tali Avo paterno loquuntur, qui filium
emancipaverat, quod hodie ex consuetudine per
nuptias semper fit. Nam si nepos est in potesta-
te avi, quid opus quaerere est de tutela ejus?
Cur autem mater legitimis Tutoribus et trans-
versalibus praeferatur, Ratio est haec; Quia
major est in matre et avia erga liberos affectio,
quam esse possit in ullis cognatis erga cognatos
pupillos. Deinde hic notandum, matrem et 4
aviam non compelli ad Tutelam, ut alios legi-
timos Tutores, sed posse esse Tutrices, si ve-
lint, quia jura permittunt tantum illis, ut pos-
sint Tutelam suscipere, non vero necessitatem
illis imponunt, *Guttierez d. c.* 8. *num.* 18. *Ant.*
Gomez ad d. l. Tauri 14. *num.* 10. *Schneidevv.*
ad pr. Instit. Qui testam. num. 10. *Carpzov.*
P. 2. *C.* 11. *Def.* 11. *num.* 13. Debet etiam ma- 5
ter secundis nuptiis renunciare apud acta, per
expressa *Authent.* verba, quod etiam vidi ob-
servatum, sed saepius animadverti, hoc non
apud nos observari, sed permitti matribus tu-
telam liberorum, et dari matribus curatorem
ad litem, quod an fiat ex eo, quod jura pupil-
laria apud nos neglectim et levi brachio tra-
ctentur, an vero ex certa observantia in judi-
cio probata, asserere certo non audeo. Et sane
cum renunciatio illa non impediat nuptias, si
mutata mente velint nuptias eligere, non habe-
bit haec renunciatio multum roboris, et facile
vidua, ubi recens est memoria defuncti, pote-
rit renunciare, ideoque non adeo id apud nos
observatur. Porro debet etiam renunciare SCto 6
Vellejano, quod scilicet nolit hoc beneficio uti,
sed hoc ipsum raro observatur: non negaverim
id fieri ex ignorantia juris, sed si non renun-
ciaverit, non tamen posse uti hoc beneficio di-
xerim, quia debeat per jura renunciare, ergo
quod legi non satisfecit, id matri non prodesse,
et filio non obesse potest. Nec in Bavaria istas 7
renunciationes expresse fieri refert *Balthas. d.*
l. num. 6. Nec haec renunciatio requiritur, si 8
in testamento datae sint Tutrices, ne sint de-
terioris conditionis, quam alii extranei Tutores,
Boer. Dec. 124. *num.* 13. *Guttier. d. c.* 8. *num.*
39. *Piaggius Q.* 7. *num.* 40. *Balth. d. l. num.* 15.
Dicitur etiam *hac* in *Authentica*, quod soli te-
stamentarii Tutores praecedant, sed legitimis
et dativis praeferatur mater, unde magis con-
firmatur eorum sententia, qui matrem Avo 9
praeferunt.

Auth. Sacramentum.

SUMMARIA

An secundarum nuptiarum renunciatio jurato fieri debeat? num. 1.
Periculosum est, aliquem juramento a nuptiis absterrere? 2.

Quid si contra renunciationem mulier nuptias contrahat? 3.
Remota tutela a matre ad quem redeat. 4.
An idem jus sit in tutela testamentaria, quam mater matri decrevit? 5.
Quid si a principe secundas nuptias impetraverit, an tutelam retinere potest? 6.

1 Necessitas juramenti hic remittitur, sed sufficit, si apud acta secundis nuptiis renunciet, quia saepissime religio Jurisjurandi a mulierculis contemnitur; deinde et libera debent esse
2 matrimonia, et periculosum est, aliquem jura-
3 mento a nuptiis absterrere. Sed si contra renunciationem nuptias contrahat, a Tutela repellitur, per *hanc Auth. Anton. Faber lib.* 5. *C. tit.* 21. *Def.* 2. *P. Heig. P.* 2. *qu.* 13. *num.* 46. *Carpzov. d. Const.* 11. *D.* 14. *in fine, Guttierez d. c.* 8. *num.* 84. *Ricc. Coll. Dec.* 315.
4 *Surdus dec.* 106. Remota autem per secundas nuptias matre, tutela vel cura redit ad legitimos, nisi mater nuptura petiisset dari alios tutores, juxta distinct. *Bart.* relatam a *Guttierez d. c.* 9. *num.* 21. *Balthas. d. l. num.* 12. In te-
5 stamentaria tutela, quam Pater Matri decrevit, idem putant esse, quia illa videtur relicta cum qualitatibus legitimae Tutelae, quae a jure defertur, et quia ratio, quae in legitima militat, hic etiam locum invenit, *Anton. Gomez d. l. num.* 11. *Anton. Faber d. l. et Balthasar. num.* 7. Si tamen a Principe hoc impetraverit, ut 6
possit esse Tutrix etiam post secunda vota, omnino retinere poterit Tutelam, *Guttierez P.* 1. *c.* 9. *num.* 18. *Balth. d. l. num.* 10. *Nevizanus Sylva Nupt. lib.* 52. *Ruinus cons.* 125. *vol.* 5. *et Menoch. lib.* 1. *A. Q. casu* 151. *in fin.*

Aut. Ad haec.

SUMMARIUM

An mater debitrix vel creditrix arceatur a tutela?

Mater non arcetur a Tutela, licet sit creditrix vel debitrix pupilli: Ratio in pietate materna, in qua non praesumitur dolus. Caetera autem prius statuta, qua hac *Auth.* non expresse abrogata, in suo vigore manent, v. g. testamentariam Tutelam matri praeferri, et matrem secundis nuptiis debere renunciare, etc. Vid. *Rittershus. in Nov. P.* 8. *c.* 2. *num.* 7.

TITULUS XXXVI.

In quibus casibus tutorem vel curatorem habenti tutor vel curator dari possit.

L. Si in locum. 1.

SUMMARIA

Tutorem habenti tutor non datur, sed, si opus sit, Curator. num. 1.
An absens ob impedimentum temporarium reversus a judice ad tutelam iterum gerendam cogatur? 2.
Obstantes leges resolvuntur. 3.

1 Tutorem habenti non datur Tutor, sed, si opus sit, Curator, v. g. si tutor Reip. causa a-
2 bsit, quia impedimentum temporarium, dandus est interim Curator, §. 5. *in fine Inst. de Curat. et Tutor.* Reversus a judice potest compelli, ut negotia pupillaria iterum gerat, *l.* 1. *h.*
3 *t.* Nec obstat *l.* 12. *ff. de tutel. et l.* 3. §. 10. *ff. de susp. tut.* Quia ibi vox *Tutoris* pro Curatore accipitur, vide *Don. l.* 3. *c.* 15. *et ibi Hillig. lit. A.* Hunc tamen secundo loco datum tutorem magis administratorem rerum, quam curatorem esse intelligendum tradit *Guttier. l.* 1. *de tutel. c.* 15. *num.* 47. Sed in foro apud nos nomina non ita accurate distinguuntur.

L. Potuit. 2.

SUMMARIA

Si tres tutores dati, an uno se excusante, alius Tutor, an vero Curator substituatur? num. 1.
Subrogatum sapit naturam ejus, cui subrogatur. 2.
Absurdum est, adjunctum diutius durare quam principale. 3.

Si pupillo tres dati tutores, et unus se excu- 1
set, non potest in illius locum alius Tutor substitui, quia alios tutores habet, sed Curator, qui licet curator sit, non tamen tenetur ultra pubertatem administrare negotia pupilli, *l.* 2. *h. t. et l.* 1. *C. Quando tutor vel curator esse desinat*, quia subrogatur in locum Tutoris. Subrogatum autem sapit naturam ejus, cui sub- 2
rogatur, *l.* 10. §. 2. *ff. si quis cautionibus, ibique Ant. Guttierez d. c.* 19. *num.* 45. *Montanus c.* 37. *reg.* 1. *num.* 6. et absurdum vi- 3
detur, adjunctum diutius durare quam principale. Ex quo colligitur, regulam illam, *subrogatum sapere naturam ejus, in cujus locum subrogatur*, non esse simpliciter restringendam ad res universales, cum hic persona personae subrogetur, et ejus qualitatem induat.

L. Propter. 3.

SUMMARIA

Tutor ob nimis diffusum pupilli patrimonium Curatorem petens audiendus est. num. 1.
An tutor etiam ob malam curatoris administrationem teneatur? 2.

1 Si quis ob nimium diffusum patrimonium pupilli, sibi tutori adjungi curatorem petat, audiendus est, *l.* 3. *h. t.* quia hic datur rebus, non personae, *Petr. Gregor. lib.* 13. *synt. c.* 2.
2 *num.* 1. Quo tamen casu per adjunctum curatorem non liberatur tutor, sed et hic tenetur ob malam administrationem Curatoris, si curator non sit solvendo, secus si tempore finitae tutelae curator solvendo sit, et postea solvendo esse desinat, *l. ult. h. t.* ratio in *l.* 1. *C. de divid. tut.* His casibus et similibus curator tantum adjungendus.

L. Licet. 4.

SUMMARIA

An interveniente tutori impedimento perpetuo alius dandus sit tutor? num. 1.
Impedimentorum ejusmodi exempla. 2.
In locum relegati alius dandus est tutor. 3.
Objectio diluitur. 4.
Alia objectio. 5.
Intellectus hujus legis. 6.

1 Quando impedimentum est perpetuum, v. gr.
2 si unicus sit tutor, isque ut suspectus sit remotus, vel defunctus, vel relegatus vel excusatus, tum dandus est alius tutor, *l.* 4. *h. t.* non enim obstat illa Regula Juris, quia remotus tutor pro nullo habetur, *Guttierez d. c.* 14. *num.* 41. *Mon-*
3 *tanus t.* 9. *num.* 42. Collige: In locum relegati dandum esse tutorem; cui videtur obstare, *l.* 28. 4
in fin. ff. de excus. tut. Sed *haec lex* de temporario exilio loquitur. Sed magis obstat *l.* 14. 5
§. 3. *ff. de solut.* Ideoque *hanc legem* 4. vel de 6
casu delatae tantum tutelae et nondum gestae, vel de aequitate, quid Judex possit, exposcente id utilitate pupilli, *d. l.* 14. §. 3. vel quid Judex facere soleat regulariter, intelligunt, vid. *Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *disp.* 9. *th.* 1. *lit. C.*

L. Cum ob augmentum. ult.

SUMMARIA

Repetuntur l. 3. praeced. num. 1. *dicta. num.* 1.
An tutor pro adjuncto sibi Curatore teneatur? 2.
Deciditur distinguendo. 3.

Propter augmentum facultatum, Tutori solet 1
Curator adjungi, sed quid si curator adjunctus debuerit aliquid pupillo ex administratione, tenebitur ne pro eo tutor, cui adjunctus est? 2
quod negatur, modo tempore finitae tutelae sol- 3
vendo reperiatur curator adjunctus, ex quo a contrario sensu sequitur, si non reperiatur solvendo, teneri pro eo tutorem, nam et non gerens in subsidium tenetur, si non suspectum postulavit per culpam, *l.* 2. *C. de divid. tut.* At si solvendo fuit tempore finitae tutelae, non poterat tutori culpa imputari, cur eum removeri non curaverit, sed sequentis temporis periculum ad eum non pertinet.

TITULUS XXXVII.

De administratione tutorum, vel curatorum, et pecunia pupillari foeneranda, vel deponenda.

Auth. Novissime.

SUMMARIA

An et quatenus tutor pecuniam vel aliam rem mobilem foenori collocare, et quatenus istam deponere debeat? num. 1.
Poena. 2.
Quid in liberto patroni sui filii tutore? 3.
Jure Novellarum quid obtineat? 4.
Quid de Consuetudine? 5.
An tutius sit, tutorem pecuniam pupilli mercatori ad partem honesti lucri recipiendam tradere? 6.

1 Pecunia, sive aliae res mobiles, olim, si sufficiebat praediis comparandis, foenori non collocanda, sed deponenda erat a tutore, *l.* 4. *h. t. l.* 5. *pr. ff. h. t.* Quod si pecunia non sufficeret praediis comparandis, vel praedia non reperiebantur, jubebatur tutor foenori collocare intra sex menses, *l.* 16. *ff. h. t.* alias ipse usu- 2
ras debebat, *l.* 7. §. 11. *ff. h. t.* ibique *Auct.* Libertus vero tutor filii patroni sui, quia contra 3
observantiam egit patrono debitam, ad praefectum urbis puniendus remittebatur, *l.* 4. *h. t.*
Sed jure Novell. *Novell.* 72. *c.* 6. *et seq. Auth. noviss.* 4
non tenetur curator vel tutor foenori dare pecuniam pupillarem, sed si faciat, periculo suo facit. Sed debet deponi, quod in necessariam pupilli sustentationem non requiritur, nisi omnis substantia minoris in mobilibus consistat, ubi foenori dare potest et debet, ut exinde sustentetur minor. Ratio autem hujus *Authenticae* ab ipso Imperatore ponitur: *cum multo praeclarius sit sortem pupillis in tuto collocare, quam usurarum appetitione etiam de sorte decidere, d. Nov.* 72. Sed de consuetudine hodie teneri tu- 5
torem, pecuniam pupillarem foenori locare tradit ex aliis *Carpzov. p.* 2. *Const.* 11. *def.* 22. *et*

constit. 30. *defens.* 3. *et lib.* 5. *resp.* 70. quia non vacat suspicione pecuniae in rem suam versae, qui pecuniam otiosam servavit, *Hillig. in Donell. lib.* 15. *c.* 9. *lit. I. et Joan. Guttier. l.* 2. *de tutel. c.* 9. *per totum.* Conf. *Covarr. lib.* 3. *resol. c.* 2. *Surdus de Aliment. tit. ult. q.* 46.
6 *num.* 35. *Molina D.* 224. Et tradunt, tutorem hodie pecuniam pupilli mercatori (si tuto hoc fieri possit,) tradere posse, ad partem honesti lucri recipiendam, *argum. c. per vestras X. de Donat. inter virum et uxorem, Covarr. dict. l. et Guttierez num.* 5. *Molina D.* 224. *num.* 18. *et seq. Surdus de aliment. tit. ult. q.* 46. *num.* 35. et quos laudat *Jo. Franc. Balthas. tit.* 5. *resol.* 7. *num.* 12. quamvis si deplorata nostra tempora consideremus, in quibus toties mercatores decoquunt, qui ditissimi putabantur, non posse imputari existimarem tutori, quod non foenori exposuerit. Vid. *Rittershus. p.* 8. *c.* 5. *num.* 7.

L. Frustra. I.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Curator an luat culpam a tutore commissam? 2.
Exceptio. 3.

1 Tutor pupilli res male administravit, et adulto datus est alius curator, qui veretur administrare, ne succedat in periculum, et ob alienam culpam tutoris condemnetur. Resp. hoc ipsi verendum non esse modo faciat, quod ipsius est, et pupilli interest, id est, si exigat a tutore, quod residuum inferat, ne ipse curator ad usuras obligetur, et tutor fiat non sol-
2 vendo. Ergo curator non debet luere culpam a tutore ante curatelam delatam commissam, ni-
3 si ipse negligens in exigendo, nec statim ille succedit in periculo, qui in administratione succedit.

L. Adversus. 2. et L. Rationes. 14.

SUMMARIA

An tutor vel curator ante finitum officium ad reddendas rationes teneatur? num. 1.
An durante officio conveniri possit? 2.
Hodie singulis annis ad reddendas rationes tenetur. 3.
Jure civili communi quando reddat? 4.
Obstant leges nonnullae. 5.
Respondetur ad eas distinguendo. 6.
An tutor de furto durante adhuc tutela conveniri possit? 7.

1 Ut tutor, ita et curator ante finitum officium ad reddendas rationes non tenetur, quia absurdum est, a tutore vel curatore rationem administrationis postulare, in qua adhuc perseverat, *l.* 9. §. 4. *ỽ. absurdum ff. de tutel. et rationi-*
2 *bus etc. add. ibi Auct. num* 7. Hinc durante officio neque a collegis, *l.* 2. *h. t.* neque adulto ipso,
3 *l.* 14. *h. t.* conveniri possunt. Sed hodie singulis annis reddere rationes tenetur tutor, *Const. Politica de anno* 1577. *tit.* 32. *Clem.* 2. §. *ut autem de relig. dom. Berlich. p.* 2. *concl.* 12. *Carpzov. p.* 2. *constit.* 11. *D.* 2. *et seq. vid. Auctor in d. l. ff. de tut. et rat. distr. num.* 7. Imo et jure Civili communi, si velit ultro, potest etiam 4
non finita tutela reddere rationes, licet obligatus maneat, *Guttierez p.* 3. *c.* 1. *num.* 6. *Montanus c.* 39. *num.* 136. Sed videntur obstare ali- 5
quot leges, praesertim *l.* 26. *ff. h. t.* ubi traditur discrimen inter tutorem et curatorem, quod ille non nisi finita tutela conveniri possit, sed curator etiam durante curatela, Conf. *l.* 4. §. *fin. ff. de tut. et rat. distr. l.* 4. §. 4. *ff. rem pupilli salvam fore*, ubi quidem Respon- 6
dent cum *Glossa* distinguendo inter actionem universalem, qua totius administrationis rationes reddere tenentur, et inter actionem singularem ob damnum datum etc. Sed de furto e- 7
tiam durante tutela tutor conveniri potest, *l.* 9. §. *fin. ff. de tutel. et ration. distr. ibique Auct. num.* 3. et *d. l.* 4. §. *fin. de tutel. et rat.* loquitur de curatore, cui non est praestitum certum tempus, *Montan. d. c.* 39. *num.* 231. *Guttier. p.* 3. *c.* 1. *num.* 110. *Piagg. de tut. et curat. q.* 19. *num. fin.* Conferatur *Tuschus concl.* 452. *lit. T.* Obiter ex his legibus Notandum: Tutorem et Curatorem teneri ad rationes reddendas quod vel ex *Rubr. ff. de tutel. et ration. distrah.* desumi potest.

L. Sumptus. 3.

SUMMARIA

An et quatenus tutori vel curatori sumptus refundendi? num. 1.
Quid si expensae ob personam tutoris factae sint? 2.
Quid si tutor peregre fuerit profectus? 3.

Sumptus Tutori vel Curatori refundendi, licet 1
decretum Praetoris nullum intercesserit, quia restitutio necessariarum impensarum jure nititur ipso, non auctoritate judicantis, et facienda est haec restitutio, licet expensae consumant omnes facultates pupilli, *l.* 3. *ff. de controv. tut. addatur Auctor num.* 1. 2. *et seq.* si modo utiliter factae, v. g. ob sanitatem, vel defendendum statum pupilli, et sim. *Guttierez d. cap.* 1. *num.* 141. Si vero ob personam tutoris factae sint 2
expensae, eae non imputabuntur tutori, nisi a judice ei fuerit constitutum salarium, vel etiam 3
peregre fuerit profectus tutor, nam tunc eas expensas, quas domi non fuisset facturus, restitui aequum est *l.* 33. §. *fin. ff. h. t. add. Auctor num.* 2. *et seqq. Guttierez p.* 3. *c.* 2. *per totum, Montanus c.* 40. *num.* 11. *et* 18. *Surd. de Alimentis tit.* 1. *q.* 47. *Menoch. c.* 228. *num.* 1. *et* 32.

L. Nisi eam. 4.

SUMMARIA

Libertus tutor si debet pupillo, nec, quocumque modo fiat, satisfacit, puniendus est a Praefecto urbis. num. 1.

Quid si pupilli pater tutori aliquid debeat? 2.

1 Si libertus, qui est tutor, debuit pupillo, si a se non exegit et pupillo solvit, nec deposuit, nec in emptionem praediorum adhibuit, est a Praefecto urbis puniendus, et propterea ad eum remittendus, quia quo minor alicujus personae ob beneficium est obligatio, eo major
2 est et punibilior negligentia. E contrario si pupilli pater debuit aliquid tutori, quod in quibusdam casibus fieri potest, ut supra dictum, ipse sibi debet solvere, alias desinunt usurae currere, *l.* 9. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 4. *et seqq. Guttierez P.* 2. *c.* 9. *num.* 43. *Montan. c.* 32. *reg.* 9. *num.* 109.

LL. 5. 25. et 27.

SUMMARIA

An et quatenus pupillo vel minori cum consensu tutoris vel curatoris debitum solvens liberetur? num. 1.
An pupillus habeat restitutionem? 2.
Quid si debitor ad decretum judicis solverit, vel judicialiter pecuniam deposuerit? 3.
Excipiuntur solutiones redituum, pensionum, usurarum et similes. 4.

1 Pupillo vel minori, si debitor solverit cum auctoritate Tutoris vel consensu Curatoris, ipso jure quidem liberatur, §. *ult. Instit. quibus alien.*
2 *licet.* Sed parata est restitutio, si ea pecunia in utilitatem minoris non versa, *l.* 46. §. 5. *ff. de admin. tut. ibique Auctor num.* 6. *et seq.* Vide *Guttier. de tutel. p.* 2. *c.* 22. *num.* 3. *et seqq. Gomez lib.* 2. *resol.* 4. *Vinc. de Franc. decis.*
3 205. *num.* 13. Verum si debitor ad praeceptum judicis solverit, *l.* 25. *h. t.* vel si debitor, v. g. qui tutor fuit, ex judicato debitam pecuniam judicialiter deponat, *l.* 5. *h. t.* tunc sequitur plenissima securitas, per *l.* 25. *h. t.* ubi ratio; non enim debet, quod rite et secundum leges ab initio actum est, ex alio eventu resu-
4 scitari. Excipiuntur solutiones redituum et pensionum, similesque per *d. l.* 25. nec non usurarum, per *l.* 27. *h. t.* quia in his alimenta pupilli consistunt, ideoque eorum solutio differenda non est, sed si usurae ultra biennium debeantur, vel solidorum centum quantitatem excedant, accedere debet praeceptum judicis, *d. l.* 27. quia haec summa plus continet, quam alimenta pupilli requirunt. Conferantur hac de re *DD. in* §. *ult. Inst. quibus alienare licet, Guttierez P.* 2. *c.* 22. per totum, *Montanus c.* 32. *reg.* 9. *num.* 111. *Gomez cap.* 14. *num.* 4. *Donell. lib.* 16. *c.* 11. *Carpz. p.* 2. *constit.* 11. *defens.* 45. *et seqq.*

L. Non est. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Dubitandi ratio, remissive. 3.
Tutor malam causam defendens expensas a pupillo repetere nequit. 4.
Tutor interrogatus veritatem dicere debet. 5.
Quomodo tutor hac in parte caute procedere possit? 6.
Tutor consilium sapientum pro se habens bona fide litem movisse creditur. 7.

Tutor nomine Pupilli calumniosam litem mihi 1
movit, ego absolvor, et tutor condemnatur in expensas, contra quem executio judicati facienda? Contra tutorem, qui non debuit sub prae- 2
textu nominis pupilli suas lites movere, sed et in lite coepta bonam fidem debet agnoscere, *l.* 9. §. 6. *ff. h. t. ibique Auct. num.* 16. *et seq.* alia ratio in *l.* 6. §. 1. *C. unde vi*, ratio dubi- 3
tandi colligitur ex *l.* 1. *C. quando ex fact. tut.* Collige: Tutorem, si malam causam defendat, 4
non posse a pupillo repetere expensas, et si tutor interrogetur, debet veritatem dicere, li- 5
cet veritatis enunciatio obsit pupillo, *l.* 9. §. 6. *ff. h. t. ibique Auct. Camill. Borell. tom.* 2. *coll. dec. tit.* 39. *num.* 402. *et seq. Guttierez de tutel. P.* 2. *c.* 4. *num.* 13. *et seq. Vasq. p.* 2. *Ill. lib.* 1. *c.* 9. *num.* 10. *Garcias de Expensis c.* 20. *num.* 17. *Petr. Barbos. ad. l.* 79. *pr. num.* 71. *ff. de Judic. Wesenb. cons.* 47. *num.* 58. Ut 6
autem tutor in hanc legem non impingat, solet super specie facti consulere aliquod Collegium juridicum, ubi tamen necesse est, ut omnes circumstantias solicite exprimat, ne quasi obreptionis alicujus argui possit. Quod si igi- 7
tur habeat pro se consilium sapientum, credetur bona fide litem movisse.

LL. 7. 16. 22. et L. fin. §. ult.

SUMMARIA

An tutor res pupillares alienare queat? num. 1.
An alienans possidendi praestare possit justum titulum? 2.
An rem testamento alienari prohibitam alienare possit? 3.
An donare ipsi liceat? 4.
Quid si donatio remuneratoria vel si tutor personae illustris? 5.
An donatio nobili hac in parte interdicta? 6.
Olim certas tantum res tutor alienare prohibebatur. 7.
An pupillus cum tutoris auctoritate actiones cedere possit? 11.
An res immobiles sine decreto aut mobiles conservabiles oppignorare ipsi liceat? 12.
Quaenam res a tutore alienare concedantur? 13.

Tutor non potest simpliciter alienare, nisi u- 1
bi administrationis ratio requirit, et si contra faciat tutor, ac de facto alienet, non praestat 2
possidendi justum titulum, *l.* 16. quia error juris, qualis hic est, titulum possidendi justum non tribuit, *arg. l.* 7. §. 2. *et* 4. *ff. de Publiciana etc.* In primis non potest alienare rem in Te- 3
stamento alienari prohibitam, *l.* 7. *h. t.* nisi ex post facto alienatio pupillis utilior, quam conservatio, *l.* 5. §. 9. *ff. h. t. ibique Auct. num.* 8. *l.* 114. §. 14. *de legat.* 1. *add. Auct. n.* 11. nam talis prohibitio intelligenda, rebus sic stantibus, *Jac. Schultes ad Modestin. Pist. p.* 4. *q.* 149.

num. 36. *Tiraq. in l. si unquam in praef. num.*
4 130. *et* 176. *C. de revoc. donat.* Sic donare
Tutor nequit, *l.* 12. §. 3. *ibiq. Auctor l.* 22. *l.*
46. §. *ult. ff. h. t. conf. Auctor num.* 18. *et l.*
16. *C. h. t.* alias nil valet donatio, *d. l.* 12. *et* 16.
quia liberalitas servanda arbitrio testatoris, *d.*
§. 3. aliud est donare, et aliud administrare,
nec qui donat administrat, sed perdit, *l.* 25.
de prob. l. 2. *ff. de curat. furios. ibique Auctor*
Masc. de prob. conclus. 544. *num.* 1. nisi ma-
gna sit utilitas donationem sequutura, et Judex
5 approbet, *d. l.* 12. vel sit donatio remunerato-
ria, aut tutor personae illustris, *Carpzov. p.* 2.
const. 11. *def.* 48. *Guttierez p.* 2. *c.* 6. *Montan.*
6 *c.* 32. *reg.* 9. *num.* 139. quamvis donationem
nuptialium munerum etiam Nobili interdictum
tradat *Pinell. par.* 3. *l.* 1. *C. de bonis mat.*
7 *num.* 36. Alias autem tantum praedia et manci-
pia rustica olim alienari prohibebantur, sed *l.*
8 22. *h. t.* etiam urbana mancipia et res mobiles
omnes, quae sine corruptione servari possunt,
ut vasa sive suppellex, jumenta operi faciendo
necessaria, pecora ad fructum parata, nam
talia mobilia immobilibus comparantur, *P.*
Montan. de tutel. c. 33. *num.* 14. *Guttierez p.*
2. *c.* 21. *num.* 1. *Molin. Tr.* 2. *D.* 224. *num.* 20.
Schneidew. §. *fin. num.* 22. *Inst. de auctor. tut.*
9 Item mancipia, quia si bona sint, custodiunt
res pupilli, si mala, poterunt torqueri super
10 administratione tutoris. Nec domus, in quibus
Pater decessit, aut insignia habuit, quas etiam
11 reficere tutori necessarium est, nec potest pu-
pillus cum auctoritate tutoris cedere actiones
suas, *P. Montanus d. c.* 33. *num.* 50. nec oppi-
12 gnorari possunt res immobiles sine decreto, aut
mobiles conservabiles, *Pinell. d. p.* 3. *legis* 1.
num. 10. *C. de bonis mat. Montanus c.* 33. *n.*
13 182. Quae autem servando servari non possunt,
id est, quae ultra triennium durare non pos-
sunt, *Montan. d. l. num.* 166. et quorum cu-
stodia damnosa est, ut vestes detritae, ut et
alia omnia supervacua, edulia, fructus, oleum,
vinum, nummi ad sumptus necessarii, actiones,
quae tempore deteriorantur, alienari possunt,
ita ut pretium in rationes redigere teneatur,
l. 22. *et l. fin. h. t.* ubi tamen tempus venditio-
ni opportunum expectandum est, *Affl. dec.* 316.
num. 18. *Decius cons.* 274. *num.* 6. et quos al-
legat *Jo. Franc. Balt. tit.* 5. *Res. Bavar.* 7. *n.* 10.
Sane ob dotem et donationem propter nuptias,
res immobiles vel aliae alienari prohibitae aliena-
ri possunt; sed cum causae cognitione et cum
decreto judicis, nec obstat *l.* 12. *C. de praed.*
minor. quia dos et donatio propter nuptias aeri
alieno acquiparantur.

L. Etsi scisses. 8. et L. Tutor. 19.

SUMMARIA

An tutor, si datum sciens, licet absens sit, nec se excusaverit, de caeterorum curatorum male administratis teneatur? num. 1.
Quid si se datum esse nesciverit? 2.
In male gestis locum habet beneficium ordinis, ut gerens primo excutiatur. 3.
Secus in non gestis. 4.

Tutor, qui scit se datum tutorem, sive illud 1
ab initio sciat, licet absens datus sit, sive po-
stea resciverit, et se non excusaverit, *l.* 19. *h.*
t. tenetur de iis, quae a caeteris curatoribus
male administrata sunt, *l.* 8. *h. t.* Si illi sint
solvendo, administrator semper primo loco
conveniendus, *l. fin. C. de divid. tut.* sed de
neglectis ipse, qui scivit, tenetur, nec juvatur
ordinis beneficio, *l.* 55. §. 2. *ff. h. t. ibique*
Auctor num. 1. quia negligentia omnium par
est. Sed qui nescivit se datum, plane non te- 2
netur, et haec ignorantia inter absentes prae-
sumitur, *arg. d. l.* 19. *et l.* 55. §. 2. *ff. h. t.*
inter praesentes scientia praesumitur, *l.* 5. *C.*
de peric. tut. Colligitur I. Ex *his textibus:* Ex
quo innotuit tutori vel curatori, se esse con-
stitutum, si cesset administrare, suo periculo
cessare, at indemnem pupillum servare debet.
Licet enim administrare non possit ante admi-
nistrationem sibi decretam et factum Inventa-
rium, quia tamen per eum stetit quo minus
haec fierent, et sic fuit negligens, ideo peri-
culum sustinet, *l.* 1. §. 1. *et l.* 5. §. *fin. ff. h. t.*
ibique Auct. num. 1. *Guttierez p.* 3. *c.* 1. *num.*
102. *Montan. c.* 39. *num.* 2. *et seqq. Petr. Greg.*
lib. 13. *syntag. tit.* 13. *num.* 8. *Schrader. de*
Feud. p. 10. *sect.* 10. *n.* 1. *et seqq.* II. Ex *l.* 8. Col-
ligitur: in male gestis locum habere beneficium 3
ordinis, ut gerens primo excutiatur. Sed aliud 4
in non gestis, nam ibi omnes aequaliter tenen-
tur sine beneficio ordinis, nisi divisa fuerit tu-
tela, et non gesta fuerint inseparabiliter juncta
illis, quae gesta sunt, *d. l.* 5. §. 3. *ff. h. t. ibiq. Auct.*
num. 1. *l.* 2. *C. si tutor non gesserit, Petr. Greg.*
lib. 13. *tit.* 10. *num.* 12. *Ronchegallus ad l. eam-*
dem ff. de duobus reis num. 233. *Hartm. Pist.*
p. 1. *q.* 6. *num.* 33. *et seqq.*

L. Si curatores. 9.

SUMMARIA

An curator adultae dotem et impensas nuptiarum, et in quantum constituere teneatur? num. 1.
Quid si sciens ultra facultates virginis promiserit? 2.

Curator tenetur adultae constituere dotem, *hic* 1
et l. 52. *ff. h. t.* secundum dignitatem mariti
et facultates Virginis, *l.* 60. *ff. de jure dot.*
quo circa quid observari debeat, quidque va-
riis locorum juribus obtineat, *vid. ap. Auct.*
d. l. imo et impensas nuptiarum, *l.* 62. *ff. h. t.*
Si autem curator sciens plus, quam facultates 2
virginis admittant, promiserit, tenetur de suo
supplere, *l.* 43. §. 1. *ff. h. t. ibique Auct. num.* 1.
etc. scil. si curator sit persona talis, quae prae-
sumitur donare voluisse, v. g. sit proximus co-
gnatus, vel si ad illaqueandum sponsum dolose
quis constituit dotem majorem, quam in facul-
tatibus virginis reperitur, *Jo. Guttierez de tu-*
tel. l. 2. *c.* 11.

L. Si liberti. 10.

SUMMARIA

Liberti male administrantis poena. num. 1.

An in subdito personae illustri et vasallo Domino tutore dato eadem obtineant? 2.

1 Libertus male administrans, vel a se ipso non exigens non tantum removendus, sed etiam si manifestam fraudem admisit, gravius puniri debet, *hic et l. 4. supr. h. t. Mont. c.* 32. *reg.* 9.
2 *num.* 28. *et c.* 36. *reg.* 5. *num.* 8. quod itidem statuendum, si subditus constituetur Tutor personae illustri, et suo modo id applicari potest ad vasallum tutorem Domini sui.

L. Si bonam. 11. et L. fin. pr.

SUMMARIA

Tutor bonam pupilli causam prosequi debet. num. 1.
Quid si bonam causam non habuerit et appellaverit? 2.
Quid si causam pro justa habuerit? 3.

1 Tutor bonam causam pupilli, (vide *l.* 6. *h. t.*) tenetur prosequi, *l. fin. pr. h. t.* (vide supra *l.* 12. *C. qui dare tut.*) et tenetur appellare et appellationem prosequi, *l.* 11. *h. t.* ratio horum in *l.* 7. *C. arbitr. tut.* idem in curatore. Col-
2 lige: Tutorem, si bonam causam non habuerit, et appellaverit, teneri ad interesse per *hanc l.* 11. *Guttier. p.* 2. *c.* 4. *num.* 15. *et seq.* quia bonam fidem agnoscere debet, *l.* 9. §. 5. *ff. h. t.*
3 Si autem causam pupilli habuerit pro justa, tenetur appellare, et appellationem prosequi, *Speculat. lib.* 2. *tit. de appell.* §. 1. *num.* 3. *Sigism. Scacc. de app. q.* 5. *num.* 40.

L. De iis. 12.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An foemina minorennis tres habens liberos agere possit? 2.
Numerus liberorum non facit, ut quis pro majori habeatur. 3.
Defectus legitimae aetatis in judiciis per numerum liberorum non suppletur. 4.

1 Pupilli negotia male administravit Tutor, et Pupillo successit Octaviana, quae cum Tutore vult agere, licet nondum majorennis, putans, majorem aetatem a se praecise non requiri, cum
2 tres liberos habeat. Sed negatur ipsam agere
3 posse, quia numerus liberorum non facit, ut quis pro majori habeatur, *l.* 2. *C. de restit. min.* quamvis in honoribus secus, *l.* 2. *ff. de min.*
4 Unde colligitur: defectum legitimae aetatis in judiciis per numerum liberorum non suppleri; Dixi tamen supra de consuetudine viduas etiam minorennes apud nos tutelam gerere suorum liberorum, in qua consuetudine videatur *haec lex* habere exceptionem, licet habere soleant suos curatores ad litem etiam extra forum Saxonicum.

L. Tutores. 13. et L. fin. §. 3.

SUMMARIA

Qui pro alio agit satisdationem praestare tenetur. num. 1.
Limitatur in tutore. 2.
An sufficiat pro legitimatione tutoris productio tutorii vel curatorii? 3.
De solvendo judicato satisdare non debet. 4.
Secus judicio sisti. 5.

Quamvis, qui pro alio agit, etiam filius pro 1
patre, teneatur satisdationem praestare, *l.* 14. *ff. qui satisdare etc. ibique Auct.* id est, promittere rem ratam habitum iri, *leg.* 21. *supr. de procur. leg.* 2. *ff. judicat. solv.* hoc tamen ces- 2
sat in tutore, qui nomine pupilli agit, *l.* 13. *h. t.* ne ei officium suum sit damnosum, et ipsum excusat necessitas muneris, nisi dubitetur, an tutor sit, vel mansurus sit, *l.* 23. *ff. h. t. ibique Auct. num.* 1. Et ideo sufficit, si Tu- 3
tor pro pupillo acturus, vel eum defensurus, producat tutorium vel curatorium in judicio, et sic suam personam legitimet, *Berlich. p.* 1. *concl.* 16. *num.* 4. *et seq. Gail. l.* 2. *obs.* 107. *num.* 1. *Myns. cent.* 2. *obs.* 37. *Balthas. d. t.* 5. *res.* 7. *num.* 37. nec satisdant de solvendo judi- 4
cato, quia domini loco sunt, *l. fin.* §. 3. *h. t. Donell. l.* 18. *c.* 13. debet tamen Tutor satisdare 5
judicio sisti, *d. l. fin.* §. 3. quo fine res minoris etiam sine decreto hypothecae nexu obligare potest, quod hic speciale, *d.* §. 3.

L. Si non. 15.

SUMMARIA

An curator ex subscriptione fidejussionis consensu suo a minori factae etiam deposita curatela conveniri possit? num. 1.
Subscriptio consensum et obligationem inducit. 2.
Deciditur negative. 3.
Limitatur. 4.
An alius Curator deposita administratione ab alio, cum quo nomine pupilli contraxit, recte conveniatur? 5.
An administrator necessarius de evictione teneatur? 6.

Minor consensu curatoris fidejussit pro fratre, 1
curator subscribit, Quaeritur: *An ex hac subscriptione conveniri possit curator deposita curatela?* Videtur quod sic, quia subscriptio con- 2
sensum et obligationem inducit, *l.* 8. §. 15. *ff. quibus mod. pign. ibique Auct. num.* 12. *l.* 5. §. 3. *ff. de constit. pec.* Sed negatur, quia tutor 3
ut tutor subscripsit, ergo contra eum finita tutela nulla datur actio, *argum. l.* 6. §. 1. *ff. de neg. gest.* vid. *Berlich. p.* 1. *decis.* 13. *etc.* nisi 4
ut fidejussor subscripserit, alias qui se subscribit, non statim se obligat, *l.* 14. *supra si cert. pet. l.* 6. *C. de fidejuss.* Sic nec alius curator 5
potest ab alio, cum quo nomine pupilli contraxit, conveniri, deposita administratione, *l.* 1. *C. quando ex facto tutoris*, nisi de dolo ejus aut lata culpa ageretur, *l.* 13. §. 7. *ff. de act. empt. ibique Auct. num.* 8. Unde probatur, ad- 6
ministratorem necessarium non teneri de Evictione, nisi ut fidejussor etiam subscripserit, *Guttierez p.* 2. *c.* 13. *num.* 1. nec tutor finito officio tenetur ex administratione sua, etiamsi instrumento ut tutor subscripserit, *Natta cons.* 641. *num.* 9. *Menoch. lib.* 3. *praes.* 40. *num.* 5. *Boer*

dec. 80. *num.* 3. *et dec.* 273. *num.* 5. *Jo. Franc. Balthas. d. t.* 5. *res.* 10.

L. De succesione. 17. et L. Pro officio. 20.

SUMMARIA

Quatenus bona tutoris ac curatoris pupillo et minori sint obligata? num. 1.
An tutor bona sua pupillo hypothecata alteri vel per testamentum vel donum relinquere possit? 2.
Hypotheca tacita alienationem rei non impedit. 3.
Personalissimum privilegium quodnam vocetur a Dn. Carpzov. 4.
An privilegium hoc detur tantum propter pupilli personam? 5.
Ampliationes et limitationes, remissive. 6.

1 Pro male gestis non tantum, sed etiam pro neglectis ac non gestis, bona tutoris ac curatoris pupillo et minori tacite sunt obligata, *l. un.* §. 11. *supr. de rei uxor. act.* adeo ut in casum malae gestionis bona tutoris pupillus et a tertio possessore vindicare possit actione hypothecaria, *l.* 20. *h. t.* excusso scilicet prius principali, *auth. hoc ita si debitor etc. C. de pignorib.*
2 sed Quaeritur: *An tutor sua bona alteri relinquere possit per testamentum, vel donum, cum pupillus in iis hypothecam habeat?* Affir. *l.* 17.
3 *h. t.* quia hypotheca tacita alienationem rei non impediat, per *l.* 12. *C. de distract. pign. l.* 10. *C. de remiss. pign.* sed cum sua causa transit, videatur *l. un. supr. rem alienam gerentibus, et d. l.* 12. *ac l.* 15. *C. de pign.* haec autem hypotheca incipit a die susceptae tutelae, *Neguz. de Pign. m.* 4. *part.* 2. *pr. num.* 12. *Dn. Carpz. p.* 2. *Jurispr. const.* 24. *def.* 12. *Berlich. p.* 1. *concl.* 67. *num.* 19. *Dn. Richter. de privil. credit. d.* 8. *sect.* 1. *pag.* 214. *P. Montan. c.* 31. *effectu.* 2. *num.* 20. *et seq.* et competit etiam haeredibus pupilli vel minoris, quia non personae datur, sed causae, *Carpz. p.* 2. *Jurispr. const.* 24. *def.* 13. *n.* 2. Unde quod
4 idem *Carpz. in def. praec.* 12. personalissimum hoc privilegium vocat, de privilegio personali praelationis intelligendum est, de quo citatur ab ipso *Bartol. in l.* 67. §. *si puella* 5. *ff.* de *R. V.* nam ita ipse *Carpz.* se explicat in *lib.* 4. *resp.* 33. cui quidem occurrere vult *Dn. Richter.* dum argumento primo respondet, propter personam pupilli tantum ratum hoc esse privilegium, et vult probare ex *l.* 42. *ff. h. t. ibique*
5 *Auct. num.* 1. *et seq.* sed negari debet, solam personam pupilli esse causam hypothecae; debebat distingui inter personale privilegium praelationis, quod habuit jure ff. de quo loquitur *d. l.* 42. et inter hypothecae jus quod non tam ex persona pupilli, quam ex administratione negotiorum habet pupillus, cum et aliorum administratorum bona, praesertim in publicis, sint tacite obligata dominis. Et pro sententia *Carpzovii* militat Regula; Quod pignus afficiat rem et cum persona non extinguatur, nec docebitur contrarium exemplum, et sufficeret alias, quod sententia *Carpzovii* pro se habeat regulam. Et semper id, quod hypotheca haec personae cohaereat, negatur. Pignus est non privilegium personale. Gratis dicitur, leges haeredibus pupillorum hypothecam denegare. Reliquis, quae contra novissimam *Carpzovii* sententiam opponi possunt, facile occurri potest. Et sic in hac 6
quaestione etiam distinguit *Guttierez de tutelis p.* 2. *c.* 16. *num.* 19. *in fine*, scilicet inter Privilegium antelationis et hypothecae jus, illud negat ad haeredem transire, et eo fert, *d. l.* 42. *ff. h. t.* de hoc affirmat. Et de personali etiam privilegio *d. l.* 42. intelligit *Wesenb. cons.* 104. *P. Barbos. in l. post dotem* 41. *num.* 58. *ff. sol. matr.* Caeterae Ampliationes et Limitationes circa hanc materiam videantur apud *Neguz. d. l. et Mantic. de tac. et amb. conv. l.* 11. *tit.* 16. *num.* 1. et citatos antea *Doctores*.

L. Debitoribus 18.

SUMMARIA

Tutoris officium in quonam consistat? num. 1.
Quamnam culpam praestet tutor circa debita negligenter exacta? 2.
Tutor ad modum diligentis patrisfam. administrare debet. 3.

Tutoris officium est exigere debitas pupilli pecunias, et tandem ad venditionem pignorum procedere; alias periculo tutoris nomina sunt, etiamsi a patre pupilli, vel ab antecessore sint contracta, verbi gratia, si postea minus idonei fiant debitores, *l.* 2. *infr. arbit. tut.* ubi pupillo probandum, quod tempore susceptae tutelae idonei fuerint, atque hoc casu praestat latam tantum culpam tutor, *d. l.* 2. quae vero tutor ipse contraxit, in iis etiam levem culpam praestat, non tantum in contrahendo, verbi gratia, si illi crediderit, cui providus paterfamilias non credidisset, *l.* 37. §. 1. *ff. de N. G. l.* 7. *C. arbitr. tut.* sed et in exigendo, ita ut tutori probandum sit tempore contractus nomen idoneum fuisse, *l.* 1. *ff. de magistrat. conven.* quo probato, si pupillus dicat negligentia tutoris nomen minus idoneum factum, ipsi probandum, *l.* 57. *in fine pr. ff. h. t.* Si vero nulla in tutore culpa, nec ipsius est periculum, *d. l.* 37. *l.* 50. *ff. h. t.* Ita recte *Hartm. Pist. lib.* 1. *q.* 49. *et Hillig. ad Donell. lib.* 15. *c.* 19. *lit. F. Dn. Carpz. lib.* 5. *resp.* 70. In summa: Tutor debet ad modum diligentis Patrisfamilias administrare, *l.* 33. *pr. ff. h. t. ibique Auct. num.* 1. *et seq. Montan. c.* 39. *num.* 21.

(Margin numbers beside this paragraph: 1 at "Tutoris officium", 2 at "idonei fuerint … latam", 3 at "Tutor debet ad modum".)

L. Pupillorum. 21. et L. Si tutoris 23.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Quid si dolo tutoris res pupilli amissa? 3.
An contra pupillum hodie currat triennalis praescriptio? 4.
Tutor aliquid ex loci consuetudine agens an excusatus videatur? 5.
An etiam excusetur, si quid de consilio matris vel propinquorum egerit? 6.

1 Donavi pupillo centum, sub conditione, quam
tutor facile implere potuit, sed non implevit.
Resp. Tutorem teneri de amissa, id est non
2 acquisita conditione, *l.* 83. *ff. de R. J.* ratio est
in *l.* 7. *C. arb. tut.* quia ad modum boni patris-
familias tenetur administrare, *l.* 33. *pr. ff. h.*
t. et eamdem diligentiam adhibere, quam suis im-
pendisset, *arg. l.* 1. *pr. ff. de tut. et ration. di-*
strah. add. Auctor, Guttierez p. 13. *c.* 1. *num.*
121. *et Mont. c.* 32. *reg.* 9. *num.* 1. *et seqq.*
3 multo magis tenetur, si dolo ejus res vere amis-
sa, v. g. Si canonem non solvit Fisco, et pro-
pterea a fundo Emphyteutico pupillus repelli-
tur, *l.* 2. *supr. de jure emphyteut. l.* 13. *h. t.*
et fundus ille aliis vendatur, *l.* 2. *C. Si propter*
4 *publicas pensitat. etc.* Sed hodie per *l. fin. supr.*
In quibus causis in integrum restit. ipso jure
non currit contra pupillum aut minorem ista
triennalis praescriptio. Sed si Fiscus vendiderit,
ac solemni modo processerit, non convellitur in
gratiam minoris ista alienatio, *l. pen. C. de fide*
5 *et jure hastae fisc.* Notandum tamen; si quid
tutor agat ex consuetudine loci, excusatum vi-
deri tutorem, si modo consuetudo justa ac ra-
tionabilis, quae etiam minorennem obligat, nam
tunc nec minores restituuntur, *Tiraq. de retract.*
consang. §. 36. *ad fin. tit. num.* 51. *et* 55. *Blancus*
de compromiss. q. 3. *num.* 39. *Menoch. rem.* 3.
6 *adip. poss. num.* 78. sicut etiam tutor excusatur,
quando quid fecit de consilio matris vel propin-
quorum, *Card. Tusch. lit. T. concl.* 439. *num.* 15.

L. Tutores. 24.

SUMMARIA

Quaenam ulterius Tutoribus incumbant? num. 1.
Inventarium describere tutor necesse habet. 2.
An etiam hoc ipsum matri tutrici sit facien-dum? 3.
Quando inventarium conficiatur? 4.
Quid si sine inventario res pupilli attigerit? 5.
Omnia quae servando servari possunt, tutor in tutissimam collocet custodiam. 6.
Ex mobilibus praedia idonea comparet, aut pecuniam foenori exponat. 7.
Quid si non bona conditione praedium comparaverit? 8.
Exactio nominum spectat ad periculum tutoris. 9.

1 Sequentia haec injunguntur tutoribus: 1. Ut
2 Inventarium describat, quod est rationum red-
3 dendarum fundamentum. Est hoc a matre etiam
faciendum, quia lex non distinguit, *Guttierez*
p. 2. *c.* 1. *num.* 12. *et* 16. *Mont. d. c.* 32. *reg.*
4 5. *num.* 2. Et debet fieri mox post ordinationem,
id est, quamprimum potuerit, *Guttierez d. l.*
num. 10. quia Inventario haeredis quidem cer-
tum tempus constitutum est, sed non tutoris.
5 Si autem omisso Inventario res pupilli attigerit,
dolo malo id fecisse praesumitur, et tanquam
suspectus cum infamia removetur, et contra
eum juratur in litem, *l. tutor qui repertorium*
7. *ff. h. t. ibique Auctor,* ubi etiam poenam
constitutam hoc casu annectit, *num.* 2. *Recess.*
Imp. de anno 1548. *(Von Pupillen) Guttierez*
d. c. 1. *et p.* 3. *c.* 1. *num.* 49. *Molina D.* 223.
num. 9. *Myns. cent.* 9. *obser.* 39. *Jo. Franc.*
Balth. d. t. 5. *n.* 22. *Carpz. d. constit.* 11. *defens.*
6. quibus autem casibus tutor Inventarium con-
ficere non teneatur, videantur a me notata *ad*
l. 7. *princ. ff. h. t.* - 2. Dicitur, quod aurum, et 6
quae servando servari possunt, in tutissima cu-
stodia collocentur; de quo supra, in *l.* 22. *h. t.*
actum. - 3. Dicitur, quod ex mobilibus praedia 7
idonea comparanda sint, aut pecunia foenori ex-
ponenda; de illo pluribus locis dicitur. Sed
Quaeritur: *Quid si non bona conditione prae-* 8
dium comparaverit? Resp. in *d. leg.* 7. §. 2.
vid. Auctor in d. l. Tutorem de levi culpa
non teneri in hoc puncto, sed tantum de lata,
quod hic speciale, quia fecit tutor, quod lex
jussit, *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.* Et in emptione praedio-
rum etiam prudentes oeconomi falli possunt,
cum tutor alias de levi regulariter teneatur, *l.*
quicquid 7. *C. arbit. tut. Hartm. Pistor. part.* 1.
quaest. 49. *Carpzov. l.* 5. *resp.* 70. Demum di-
citur in *hac lege* 24. quod exactio nominum ad 9
periculum tutoris spectet, de quo *leg.* 18. *h. t.*
actum.

L. Cum quaedam. 26.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Advocando vel procurando testamentum approbans sponte sibi praejudicat. 4.
Cui invito patrocinium causae a superiori mandatur, iste sibi non praejudicat. 5.
An etiam procedat in tutore? 6.
An in Curatore mulieris? 7.

Mater praeterit in testamento filium atque ita 1
exhaeredat, §. *fin. instit. de exhaered.* (quod
tamen hodie sese aliter habere vult *Auct. in* §. *fin.*
Inst. h. t.) et instituit haeredem extraneum pu-
pillum, cujus tutor erat testatricis filius, Quae-
ritur, si tutor auctoritatem suam accommoda-
verit pupillo ad adeundam haereditatem istam,
quod omnino tenetur facere, *l.* 7. *C. arbitr. tut.*
an sibi praejudicet, quo minus postea finita tu-
tela querelam inofficiosi testamenti vel hypothe-
cariam actionem (si forte hypothecam habuit
in bonis maternis, v. g. ex *l.* 6. §. 2. *su-*
pra de secund. nupt.) vel etiam aliam actio-
nem contra pupillum intendere possit? Videtur
quod non, quia probavit testamentum mater- 2
num, per *l. fin. de inoff. testam.* Sed Negatur, 3
quia sponte aliquid facere aliud est, aliud ex
necessitate officii, *arg.* §. 1. *Inst. de inoff. test.*
et quia finita tutela omnes actiones transferun-
tur in pupillum, *leg.* 1. *C. quando ex fa-*
cto etc. de principio *leg. fin supra, et leg.* 11.
h. t. et leg. 12. *C. qui dar. tut.* Collige ergo:
Si quis Advocando vel Procurando testamentum 4
approbet, eum sponte sibi praejudicare, *d. l.*
fin. sed aliud si necessitate officii, *d.* §. 1. Unde
concluderem, si alicui Advocatio vel Patroci- 5
nium alicujus causae a superiori mandaretur
vero invito, tunc sibi non praejudicare. Et sic
tutor, qui ex necessitate officii tenetur utilia, 6
quae pupillo sunt providere, non sibi praejudi-

cat, *Tiraq. de retract. lig.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 141. *et seqq. Guttierez lib.* 21. *c.* 1. *num.* 22. atque idem esse putant, si nomine pupilli contrahat, et propria bona obliget, nam nec tunc finito officio poterit convenire actione hypothecaria, quia contractus accessorius a principali interpretationem accipit, et sic nomine officii indemnitatem promisisse videtur, *Mantic. de tac. et et ambig. convent. lib.* 6. *tit.* 17. *num.* 6. *Joan. Franc. Balthas. tit.* 5. *resol.* 10. *num.* 3. Nec
7 curator mulieris consentiendo curandae suae sibi praejudicat, *Carpzov. p.* 2. *constit.* 15. *def.* 34. *Tiraq. d. l. num.* 141.

Legem 27. habuimus supra in Lege 5.

Princ. L. ult. habuimus supra in L. 11.

L. Sancimus. ult.

SUMMARIA

Curator ad omnes causas minori dandus a quonam detur judice? num. 1.
A quonam, si ad certam litem? 2. 4. 5.
Perstringuntur hac in parte Advocati, remissive. 3.
Qui suo periculo tutores petere tenentur, ad defensionem quoque eos admonere debent. 6.
Si defendere nolint, et ideo removeantur, an alios teneantur petere a judice? 7.
Et quando? 8.
Mater semel tutores petens an sit functa suo officio nec alios petat? 9.
Quamnam tutores praestent cautionem? 10. 11. 12. 13. 14. 15.
Formula tutorii juramenti, remissive. 16.
An fiat hoc juramentum formaliter, an vero sufficiant verba aequipollentia? 17.
Menoch. *notatur.* 18.
Quid juris hodie circa juramentum? 19.
An utilius sit, etiamnum hodie tutores juramento adstringi? 20.

§. 1. Si reus post litem contestatam, vel ante eam satisdatione praestita, fiat Furiosus, cura Judicis, sub quo lis vertitur et propinquorum, et si velit, ipsius etiam actoris, Curator furioso est dandus, cui necessitas incumbit defendere furiosum: Si autem initio per Procuratorem inchoasset, ad hunc pertinet defensio furiosi. Colligunt ex *hac l. DD.* rectissime; Curatorem minori vel mulieri dandum ad omnes causas, dari debere a judice minoris vel mulie-
2 ris domicilii vel bonorum, sed si ad certam litem dandus sit, quod tunc dari debeat a judice causae, coram quo ista causa vertitur, *Br. hic et Myns. c.* 1. *obs.* 87. *Dan. Moll. ad Const. Elect. p.* 2. *concl.* 15. *num.* 8. *Berlich. p.* 2.
concl. 18. *num.* 3. *Dn. Carpz. in Process. tit.* 5. *art.* 3. *num.* 44. *et seqq.* Ubi errorem Advo- 3
catorum perstringit. Et sic Magistratus Eccle- 4
siasticus dat curatorem ad litem specialem laico litiganti coram se, *can. fin. de jud. l.* 6. et
contra judex laicus dat Clerico curatorem liti- 5
ganti coram se, *Marant. p.* 4. *dist.* 11. *num.* 13. *Myns. d. l.*

§. 2. Qui suo periculo, ut libertus, *l.* 10. *h.* 6
t. vel periculo suae substantiae, ut mater, tenetur petere tutores, ille etiam debet admonere tutores et curatores, ut pupillum defendant,
et si nolint defendere, et ob hanc causam re- 7
moveantur, juxta *pr. hujus legis*, tum debent
tales petere, ut a judice alii ordinentur, et 8
quidem citissime, ne pupillorum jura diutius
protelentur. Unde probatur: Non finiri officium 9
matris, nec eam suo officio defunctam, si semel petierit filio tutores, sed etiam tutores et curatores sui officii admonere debet, et si recusent, debet petere amotionem, atque alios petere, ut adeo hic regula non habeat locum: Quod omnis dispositio de actu primo sit intelligenda, *l. boves* §. *hoc sermone ff. de V. S.* nam plenum officium in matre desideramus, et debet ergo compellere curatores datos vel tutores ut administrent, *l.* 2. §. 42. *ff. ad SC. Tertyl. Paul. Mont. c.* 18. *num.* 13. *Maranta in Repet. l.* 15. *num.* 221. *ff. de acquir. haered.* quae repetitio habetur in fine speculi, et *Guttierez de tutel. p.* 1. *c.* 16. *num.* 41. Deinde debet in locum excusati, vel remoti alium petere, *d. l.* 2. §. 38. *et* 43. *ff. ad SC. Tertyl. Guttierez d. c.* 16. *num.* 57.

§. 3. Supra in *l.* 3. habuimus.

§. 4. Describitur hic cautio, quam tutores ini- 10
tio officii sui praestare debent, de pupillis sine ulla mora defendendis, nam jurare debent:
1. Quod fideliter velint gubernare pupillum, et 11
administrare ejus bona: 2. Quod utilia procu- 12
raturi sint, inutilia evitaturi, et sic rem pupilli salvam fore: 3. Quod inventarium facere 13
velint: 4. Quod velint reddere rationes: 5. Quod 14
sint defensuri pupillum. Videri potest formula 15
juramenti in *Rec. Imperii de An.* 1548. *tit.* 16
(Von der Pupillen) et Ordin. Polit. An. 1577. *tit.* 23. *et Ord. Cam. p.* 1. *num.* 76. *Molina de J. et J. tr.* 2. *d.* 223. *num.* 9. *Jo. Franc. Balthas d. t.* 5. *res.* 4. *num.* 3. *Dn. Mev. in Jure Lubec. l.* 1. *tit.* 7. *art.* 2. *num.* 43. *Myns. cent.*
6. *obs.* 39. An autem hoc formaliter sit promit- 17
tendum an vero per verba aequipollentia, Quaeritur, et sufficere, si id per verba aequipollentia fiat, tradit *Jo. Guttierez d. tr. p.* 1. *c.*
12. *num.* 31. licet dissentiat *Menoch. lib.* 1. *de* 18
praesumpt. qu. 45. *num.* 19. Sicut etiam jura- 19
mentum hodie non solet praestari, sed sub manu stipulata solent haec capita promittere, Conf. *Schneidew. ad pr. Inst. de legit. agnatorum tut. num.* 17. *Dn. Mevius d. l. num.* 45. *Cothm. vol.* 1. *cons.* 45. *num.* 112. *et seq.* quamvis *Dn.*
Mevius d. l. utilius forte putet, si juramento ad- 20
stringantur tutores, quod non nego, si modo tutores facile reperiantur, qui cum fide jurisjurandi vellent tutelam suscipere. Nam raro hodie compelluntur.

§. *fin.* Vide supra ad *l.* 7.

TITULUS XXXVIII.

De periculo tutorum et curatorum.

L. Et qui notitiae. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Tutor notitiae tantum causa datus etiam de sua culpa tenetur, si quid indicare neglexerit. 2.
Ad quem finem hic dari soleat? 3.
Quanam actione ejusmodi tutor negligens teneatur? 4.
Conventus hic tutor, quodnam habeat beneficium? 5.

1 Dati fuerunt a patre liberis tutores, his notitiae causa adjunxit duos libertos, Vid. *l.* 14. §. 1. *et* 6. *ff. de solut. et l.* 32. §. 1. *ff. de testam. tut.* eo fine, ut Contutores informent, non gerant. Hi in quibusdam non instruxerunt, vel Curatores suspectos non postularunt, vel alio modo officio suo defuerunt, Quaeritur: *An teneantur?* Videtur quod non, quia administratio illis non commissa: Sed Affirm. quia veri sunt tutores, et sunt in culpa, ergo etiam eorum est periculum, per *hanc legem et d.*
2 *l.* 14. Unde recte ex *hac l.* Colligitur: Tutorem notitiae tantum causa datum, tamen de sua culpa teneri, si quid indicare neglexerit.
3 Nam tutor notitiae causa datus ideo datur, ut instruat contutores, qualitatem et naturam negotiorum pupillarium ignorantes. Et si hoc non
4 fecerit, vel suspectos tutores non postulaverit, tenetur actione tutelae, *Guttierez de tutel. p.* 3. *c.* 17. *num.* 7. *et seqq.* Imo solutio facta tutori notitiae causa dato, valet, quia potest administrare si velit, secus autem si non possit administrare, scil. si administratio ipsi prohibita, per *d. l.* 14. §. 1. *de sol. Montan. c.* 7. *num.* 21. Si tamen conveniatur tutor notitiae
5 causa datus vel honorarius, habet beneficium Ordinis, ut prius conveniatur ille, qui gessit, *Hartm. p.* 1. *qu.* 6. *num.* 28. *et seqq. Carpz. p.* 2. *Jurispr. Const.* 12. *def.* 36. *Berlich. p.* 2. *concl.* 12. *num.* 39. *Zangerus de except. p.* 2. *c.* 16. *et seqq.*

L. Ad eos. 2.

SUMMARIUM

An administratione divisa inter duos tutores, ita ut uterque res certas gerat, unus ob alterius culpam teneatur?

Quando administratio a testatore divisa, ut tutor prior res in hac provincia gerat, secundus in alia, ob unius culpam alter non tenetur. Si enim administratio tutelae per judicem aut testatorem divisa sit, periculum unius ad alium non spectat, ut tradit *Montan. tract. de tutel. c.* 39. *num.* 167. *et* 175. per *l. si duo* 51. *ff. de adm. tut. et l.* 2. *C. de divid. tut.* Nisi per dolum aut culpam suspectum non removerint, vel tarde hoc fecerint, cum alter jam non esset solvendo, vel etiam suspectos quidem dixerint, *Guttierez p.* 1. *c.* 15. *num.* 6. *Hartm. Pist. p.* 1. *q.* 7. *num.* 20. *Jo. Franc. Balthas. d. t.* 5. *res.* 11. *num.* 4.

L. Si res. 3. et L. Tutoribus. 4.

SUMMARIA

An et quatenus casus fortuitus a tutore sit praestandus? num. 1.
An adstringatur tantum ad culpam levissimam? 2.

Fortuitus casus, si caveri non potuit a diligenti patrefamilias, a Tutore praestandus non 1
est, per *l.* 4. *h. t.* ratio *in l.* 6. *supr. de pign. act. Hartm. Pist. p.* 1. *qu.* 49. *num.* 15. quamvis autem nonnulli ex hac *l.* 4. probare velint, 2
tutorem de culpa levissima tantum teneri, quia a solo casu fortuito liberatur. Sed resp. alii *DD.* in Legibus Codicis ad certam speciem directis non posse duci argumentum a contrario sensu. Et sub casibus fortuitis interdum etiam levissimam culpam contineri, *Bacchov. ad Treut. v.* 2. *disp.* 9. *th.* 5. *lit. G. Hillig. in Donell. lib.* 15. *c.* 20. *lit. B.* conferri potest *Jo. Koppen. l.* 1. *obs.* 66. *num.* 9. Sed quid si res pupillares, quae in horreo deponi debebant, aut venundari Tutor in suis aedibus habeat, et hae postea incendio pereant. Resp. Omnino tenetur Tutor, quia culpa praecessit casum, *l.* 3. *h. t. Paul. Montan. de tutel. c.* 39. *num.* 41. *Guttierez p.* 3. *c.* 1. *num.* 108. *Piag. de tutel. q.* 19. *num.* 17. Nam debuit res tempore perituras vendere, *Dn. Mevius p.* 4. *d. dec.* 9. *num.* 6. Secus si casum cavere non potuit, per *hanc l.* 4. *Dn. Mev. d. l. num.* 11.

L. Si tutor. 5.

SUMMARIA

Periculum tutelae ad scientem tantum pertinet. num. 1.
Sed cui hac in parte incumbat probatio, an pupillo, an vero tutori. 2.
Ex denunciatione ad domum facta, notitia praesumitur. 3.

Periculum Tutelae ad scientem, non ad ignorantem pertinet, *hic et l.* 8. *tit. praeced.* Sed 1
Quaeritur: *Cui incumbat probatio, an pupillo,* 2

vel tutori? Videtur prius quia ignorantia praesumitur, *l. verius* 21. *ff. de probat.* et pupillo incumbere probationis onus diserte habetur in *l.* 6. *ff. de adm. tut.* Sed posterius asseritur *hic, Mascard. concl.* 1199. *num.* 4. quia praesumptio contra eum militabat, quia forte Tutorium ad domum ejus missum erat, vel pu-
3 blice notum erat. Quia ex denunciatione ad domum facta praesumitur notitia, *Tiraq. de Retr. Consang.* §. 9. *Gl.* 2. *num.* 40. et tutor igitur, ex quo scivit, se tutorem datum suo periculo cessat, *l.* 1. §. 1. *ff. de adm. tut. Guttier. p.* 8. *c.* 1. *num.* 102.

L. Temporis. ult.

SUMMARIA

An tutor ex mala Curatoris administratione finita tutela pupillo teneatur? num. 1.
An finita tutela, finiatur etiam periculum tutelae? 2.

1 Quaeritur: *An finita Tutela, si Curator male administret, tutor teneatur, eo quod Curatorem suspectum non postulaverit?* Resp. quod non, quia officium tutoris finem accipit, *hic et l.* 33. *ff. de adm. tut.* nisi se sponte immiscuit, *l.* 11. *ff. de peric. tut. ibique Auct.* ubi, si negotium prioribus sit connexum, tenetur actione tutelae, *d. l.* 11. si non connexum, actione neg. gest. *l.* 13. *ff. de tut. et rationibus etc.* Plane quaedam ita connexa sunt, ut ea tutor etiam post pupillarem aetatem exequi teneatur, ut puberem admonere de petendo Curatore, quando tutor nondum reddidit rationes, per *l.* 5. §. 5. *ff. de adm. tut.* item Appellationem prosequi, per *l.* 27. *ff. de appell.* Collige: Finita tutela 2
finiri etiam periculum tutelae, nisi sponte se ingeret, vel ex necessitate coepta negotia perficiat, ita tamen, ut illo casu fidejussor tutoris non teneatur, sed hoc, *l.* 46. §. 4. *ff. de adm. tut. ibique Auct. Jo. Franc. Balthas d. t.* 5. *res.* 10. *num.* 5.

TITULUS XXXIX.

Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conveniri possunt.

L. Juliana. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Curator curatela finita non tenetur. 2.
Tutores et Curatores ex contractu in officio celebrato non obligantur. 3.
An et quaenam hoc casu contra pupillum detur actio? 4.
Ratio decidendi. 5.
Exceptio. 6.

1 Nomine Julianae minorennis Curator ejus condemnatus est, Quaeritur: *An finita curatela exequutio contra Julianam ipsam, an vero contra eum, qui fuit Curator, instituenda sit?* Et
2 sententia est certa, Curatorem, curatela finita, non teneri, sed ipsam Julianam utili actione conveniendam. Evidenter ergo ex *hac lege* pro-
3 batur; Tutores vel Curatores non teneri ex contractu in officio celebrato, *hic et l.* 1. *C. Quando fiscus vel priv. etc. Jo. Franc. Balth. d. tit.* 5. *res*
4 10. *n.* 1. *Boer. dec.* 80. *num.* 2. Sed actionem judicati dari contra pupillum vel minorennem,
5 quia tutor, quicquid egit, pupilli nomine egit, et ipse pupillus egisse videtur, *Surdus dec.* 2.
6 *q.* 7. *num.* 5. nisi tutor res ejus possideat, neque exhibeat, *Guttier. p.* 2. *c. ult. et p.* 2. *c.* 4. *num.* 12. nisi etiam suo nomine se pro pupillo obligaverit, vel si ex dolo vel culpa ejus agitur, *Coler. de proc. exequut. p.* 2. *c.* 3. *num.* 258. *Carpz. in process. tit.* 25. *art.* 1. *num.* 30. vel nisi agatur pro expensis temerariae litis, tunc enim etiam contra tutorem exequutio fieri potest, *Guttierez d. c.* 4. *num.* 13. Conf. *Besold. cons.* 113. *num.* 27.

L. Etsi. 2. L. Si hi. 4. et L. ult.

SUMMARIA

An et quatenus pupillo per tutorem dentur actiones? num. 1.
Si tutor pecuniam pupillarem mutuo dederit alteri, et sibi stipulatus sit, quaenam detur actio? 2.

Regula est: per tutorem pupillo actionem non 1
quaeri, nisi in certis causis, quando scilicet in utilitatem pupilli contrahit, non suam, *l. ult. h. t.* ratio in *l.* 11. §. 6. *ff. de pign. act. l.* 73. §. *ult. ff. de R. J.* Si autem tutor pecuniam pu- 2
pillarem mutuo dedit alteri, et sibi solvi stipulatus sit, datur actio ex stipulatu pupillo; utilis tamen, non directa, *l.* 2. *h. t.* - *l.* 9. *ff. de adm. tut. ibique Auct. Mont. c.* 31. *effectu* 4. *num.* 5. *et seqq. Dn. Ricter. dec.* 14. *num.* 1. Et idem in Curatore, *Montanus d. l.* cum uterque censeatur habere Mandatum cum libera; si sine stipulatione dedisset, daretur condictio jure communi, *l.* 9. §. 8. *ff. de reb. cred.* Sed quia stipulatus est, datur pupillo condictio certi utilis, vel Rei vindicatio, *l.* 2. *h. t.* Sic si tutor vel curator locaverit praedium pupillare, datur pupillo actio utilis, *l.* 4. *h. t.* quo casu pupil-

lus tenetur stare locationi factae a tutore, per *hanc l. et l. 8. ff. de adm. tut. ibique Auctor num.* 2. *Gomez t. 2. resol. 3. num. 6. et seqq. concl. 2. Guttier. num.* 3. idem si tutor nomine pupilli stipulatur, *l. 1. §. 9. ff. de const. pec.*

L. Si in rem. 3.

SUMMARIA

Quatenus pupillus ex contractu tutoris teneatur? num. 1.
Quaenam contra pupillum dentur actiones? 2.
An tutor etiam finito officio creditori assistere cogatur? 3.
Limitatur. 4.

1 Pertinet ad secundam partem Rubricae. Tutori enim si in rem pupilli contraxit, et in utilitatem pupilli hoc versum, quod tamen ab actore probandum, tenetur pupillus, ratio in *l. 4. §. 15. ff. depositi*, quia sc. saltem in tantum in quantum locupletior factus est, datur actio in eum, et si dolus non intervenerit. Sic datur actio judicati contra pupillum, *l. 1. ff.* 2
h. t. l. 7. ff. eod. ibiq. Auct. Sic convenitur etiam pupillus, si ex dolo tutoris locupletior redditus, *l. 3. ff. h. t.* et lis a tutoribus vel curatoribus nomine minoris suscepta, in ipsos minores transferenda est, *l.* 26. versic. *invenimus C. de adm. tut. l. 1. h. t.* Sic ex Mutuo a tutore contracto contra pupillum datur actio, quando versio in utilitatem pupilli probatur a Creditore, per *hanc l.* collatam cum *l. civitas ff. si certum pet. et l. 16. pr. ff.* de *pign. act. add. utrobique Auct. Molina d. J. et J. tr. 2. d.* 531. *num.* 5. *Guttierez p. 2. c. 21. num.* 9. Sed tutor tamen finito e- 3
tiam officio, creditori assistere cogitur, *arg. l.* 38. *ff.* de *evict. H. Pist. p. 1. q. 37. num.* 42. *Carpz. l. 5. resp. 78. circa finem.* Sed haec 4
omnia si verus tutor egit, non si falsus tutor egit; nam contra eum pronunciata sententia non praejudicat pupillo, *Ant. Faber lib. 7. Cod. tit. 22. def.* 2. Et si hac de re dubium sit, victor tenetur probare, eum fuisse verum tutorem, *Ant. Faber d. l.*

TITULUS XL.

Si ex pluribus tutoribus vel curatoribus omnes vel unus agere pro minore vel conveniri possunt.

L. Ab uno. 1.

SUMMARIA

An datis pluribus id quod per unum gestum, ratum debeat haberi? num. 1.
Adversarius pupilli, ut unus tutor eligatur a judice, petere potest. 2.
An duo commode simul agere possint? 3.
Quilibet tutorum officium gerit in solidum. 4.

1 Quando plures Tutores dati sunt, tum ratum debet haberi, quod etiam per unum gestum, *hic et l. 3. pr. ff. de adm. tut. ibique Auctor num. 1. et seq.* ubi ratio, scil. utilitas pupilli, ergo et rata esse debet causae pupillaris defensio, quam aliis cessantibus vel non praesentibus unus exequutus est, omnes quidem admittuntur, si agere velint, quia omnium interest ratione communis periculi, *Salyc. h. t.* Et si defendere velint, possunt omnes defendere, vel defensionem suscipere, *l. 1. §. 2. ff. de adm. tut. ibique Auctor num. 5. et seqq. Guttierez p. 2. c. 1.*
2 *num.* 2. Potest tamen adversarius pupilli ipsi petere, ut unus eligatur a judice, *arg. l. 1. §. fin. et l. 2. ff. de exerc. act. Guttierez d. l.*
3 quia commode duo simul agere non possunt, *l. 24. §. 1. ff. de adm. tut. et ibi Godofr. et Auct.* nam teneretur omnes citare, et unius absentia moraretur litem, *Marta in digestis lib. 5. tit. tutor def.* 16. nisi tale negotium sit ex quo ipsa Tutela dissolvenda, tunc enim omnium praesentia requiritur, per *l. ult. C. de auct. tut. Montan. c. 32. reg. 9. num.* 84. et Nota: Quod quilibet Tutorum officium suum gerat in solidum, *Guttierez p. 1. c. 15. n. 1. et p. 2. c. 4. n. 1.*

L. Si divisum. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Inter tutores si ab initio divisa tutela, an quod unus debet, possit cum alio tutore compensari? 2.

Testator vel judex diviserat Tutelas per Pro- 1
vincias, ubi hi in rebus Italicis, illi in Transalpinis tutores essent, Creditor Italicus vult convenire Transalpinos Tutores, videtur quod possit, ob *l. 36. et 47. in fine ff. de admin. tut.* Sed hic negatur, quia in *d. l.* 36. divisio facta erat a Tutoribus vel a judice, sed ex post facto, divisio erat facta postquam coeperant in solidum obligati esse, hic secus, sed debet convenire Tutores Italicos, omnes tamen, licet ab uno defendi possit, *l. praeced.* Ideoque aliud est, si divisio fiat a judice vel Testatore, aliud si ab ipsis fiat Tutoribus, *hic et l. 2. infra de tut. divid.* Colligunt: Inter tutores, si ab initio di- 2
visa est a testatore, vel a judice tutela, quod unus debet, non posse cum alio tutore com-

pensari. Sed rectius est compensationem amitti, *per l.* 36. *ff. de admin. tut. ibique Auctor*, collatam *cum l.* 47. §. *fin. d. t.* Aliud in pluribus Fisci stationibus, per *l.* 1. *C. de compensat.* quia hae ab initio semper divisae sunt, et ideo divisio officiorum ipsis officiis modum facit, non tantum administrationi. Vid. *Donell. in d. l.* 1. *C. de compens.*

TITULUS XLI.

Ne tutor vel curator vectigalia conducat.

L. Competens. un.

SUMMARIA

An tutor nondum redditis rationibus vectigalia conducere possit? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Deciditur. 3.
Limitationes. 4.

1 Tutor vel curator, nondum redditis rationibus, *An possit vectigalia conducere*, Quaeritur?
2 Videtur quod sic, ob *l. un. C. rem alienam*
3 *geren.* Sed hic negatur, adeo ut contra faciens Crimen Falsi incurrat, quia sua bona duobus obligaret in solidum, quod tamen hic speciale, quia alias duobus sua bona obligans de stellionatu tantum tenetur, *l.* 3. *ff. de crim. stellionatus ibique, Auctor, Guttierez p.* 1. *c.* 20. *num.* 19. et ne Fisci conditio gravi periculo objiceretur, et Fiscus et Pupillus concurrerent, *Paul. Mont. d. tract. cap.* 31. *eff.* 3. Nisi 1. de- 4
cessisset pupillus, *l.* 11. §. 1. *ff. de L. Cornel. de fals.* licet ejus haeredi nondum reddiderit rationes, cum privilegium hoc non transmittatur, *Mont. d. l. num.* 16. vel potius quia hic cessat periculum pupilli, cum favor pupilli hic in considerationem veniat, nec non Fisci: 2. Nisi jure haereditario in contractum Fiscalem pervenisset, *d.* 11. §. 2: 3. Nisi prius Fisco teneatur, et postea Tutelam suscipiat, *h. l. Guttierez d. l. n.* 18. quia tutela est munus necessarium, et quia facilior est retentio, quam acquisitio, *l. fin. ff. unde lib.* possunt tamen verba ultima legis optime de excusatione intelligi, licet non placeat *Glossae*: 4. Nisi Principis consensum requirat *h. l.* 5. Nisi a Civitatibus conduxerit, *l.* 15. §. 10. *ff. de excus. tut.* et ibi *Cujac.*

TITULUS XLII.

De tutore vel curatore, qui satis non dedit.

L. Si nondum. 1.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Magistratus prius satisdationem exigere, quam tutori tutelam conferre debet. 2.
An utilis sit satisdatio cum bona tutoris ipso jure pupillo sint obligata? 3.

1 Adolescens ex mutuo habuit sibi obligatum Magistratum, a quo etiam minus idoneus curator datus ipsi est. Adolescens non potest subsidiaria actione convenire Magistratum, nondum excusso curatore, sed vult ex Mutuo agere: Sed hoc male habet adolescentem, quod cum curatore idoneo debeat litigare. Sed Imper. hic viam praescribit, qua se a sollicitudine ista possit liberare, si ad satisdationem compellat, vel removeri curet. Ergo tutor vel curator, qui non est idoneus, compellendus est satisdare, et si nolit satisdationem praestare, prohibendus
2 est, ne administret. Colligitur igitur: Magistratum debere prius satisdationem exigere, quam per Decretum tutelam tutori conferat, *Mont. c.* 32. *reg.* 7. *num.* 5. Et mora haec ipsi tutori nociva, *l.* 1. §. 2. *ff. de adm. tut. ibique Auctor*,
3 quamvis autem hodie bona tutoris sint ipso jure pupillo obligata, per *l.* 20. *C. de adm. tut.* non tamen inutilis est satisdatio, quia etiam tempore Justiniani haec hypotheca erat in bonis tutoris constituta, *Bacchov. in Treutl. d. disp. th.* 5. *lit. C.* et bona tutoris interdum non sufficiunt, *Carpz. l.* 5. *resp.* 82. *num.* 4. et *Reformatio Politica* requirit satisdationem: *(rechtmassige* Caution *und Versicherung.)*

L. Eum tutorem. 2.

SUMMARIA

Quinam tutores ad satisdationem compellendi? num. 1.
Poena recusationis. 2.
Tutor a contutoribus tutelae rationem exigat. 3.
An quis ad officium quod cautionem requirit, ante ejus praestationem sit admittendus? 4.
Usus hodiernus circa cautionem. 5.

Tutores dativi et legitimi compellendi sunt 1
ad satisdationem, aut repellendi sunt cum infa- 2
mia, si fraude non satisdent; Sine infamia, si ex inopia, *l.* 2. *h. t. Montan. c.* 32. *reg.* 7. *num.* 15. Idem si ex simplicitate et rusticitate id fiat, *Tuschus concl.* 427. *num.* 16. *Lit. T.* Cum simplicitas dolo vacet. Item si alias gessit utilia pu-

pillo, vel consanguineus ejus est, vel communia cum ipso bona habet, nam hae circumstantiae a dolo ipsum excusant, *Tusch. d. l. Piagg. q.* 7. *num.* 28. et honestas vitae interdum loco cautionis est, *Tiraq. de poena temper. causa* 51. *num.* 41. *Balth. d. tit.* 5. *res.* 4. *num.* 7. Ex
3 *hac lege* etiam notandum: Tutorem a contutorum haeredibus rationem tutelae exigere debere, *l.* 39. §. 16. *ff. de adm. tut.* Colligitur
4 etiam: Quando quis ad officium adspirat, et debet praestare cautionem, si eam non potest praestare, quod non sit admittendus etiam cum cautione juratoria, *Petr. Barb. ad l. divortio* 8. §. *interdum* 28. *ff. sol. matr.* et per cautionem juratoriam non est satis cautum pupillo, *Gail. l.* 2. *obs.* 47. *et Jo. Koppen. lib.* 1. *dec.* 63. *num.* 17. Sed potest tamen tanta esse alicujus probitas et virtus, quae omnem praesumptionem
5 doli excludat. Hodie omnes Tutores etiam Testamentarii cautionem praestare tenentur Fidejussoribus vel Pignoribus, *Policey Ordnung de Anno* 1548. repetita *Anno* 1577. *tit.* 32. *Goedaeus de stipulat. c.* 5. *num.* 318.

L. In dubium. 3.

SUMMARIUM

An et quatenus gesta tutoris, qui satis non dedit, sint irrita?

Quae a Tutore, qui satis non dedit, geruntur, et ante confectum Inventarium, sunt ipso jure irrita, *Vant. de nullit. ex defectu inhabilit. num.* 128. cum Lex prohibeat gestionem, *Guttier. p.* 2. *c.* 1. *num.* 58. idque probatur ex *Reformatione Politica Augusta an.* 1548. *Tit. Von der Pupillen*, ibi: *Dass Er nach befohlner etc. Und rechtmässiger* Caution *und versicherung thue. Hering. de fidej. c.* 5. *num.* 216. v. g. si contra eum sententia lata, ut in *l.* 3. quae eadem est cum *l.* 4. *sup. In quib. causis rest. in integr. etc.* sic si tutor ante praestita solemnia actorem vel procuratorem constituat, hoc ipso se suspectum reddit *ex dec. Putei, Marta l.* 5. *in voce Tutor d.* 18. Quando autem Tutor scit, se esse constitutum Tutorem, licet nondum satisdederit, interim non debet negligere ea, quae moram non patiuntur, *l.* 7. *pr. ff. de adm. tut.* v. g. debet possessionem bonorum petere, *l. ult. h. t.* quia huic anno, vel centum diebus praescribitur, §. 4. *Inst. de bon. poss.* sic etiam fructus moram non patientes tenetur vendere, *l.* 7. §. 1. *ff. de adm. tut. ibique Auct. Guttierez d. c.* 1. *num.* 61. et quae alias evidenter utilia pupillo, ut pacem facere, *Guttier. d. l. n.* 69. et quae alias ante administrationem gerenda, *Ant. Fab. lib.* 6. *Cod. tit.* 25. *def.* 1. Ergo regula in *lege tertia* proposita, scilicet, ea quae per tutores, qui nondum satisdederunt, gesta sunt ipso jure irrita esse, habet limitationem hanc; nisi res moram non patiatur, nam ea negotia, quae dilata periculum et damnum pupillo creare possunt, omnino etiam nondum praestita cautione expedienda.

L. Non omnium. 4.

SUMMARIA

Quinam tutores olim satisdare non tenerentur? num. 1.
Quid si plures dati et omnes administrare non valeant, sed unus expediat, an iste satisdationem offerre possit? 2.
Hujus oblationis effectus quinam? 3.
Quid si omnes gerere velint? 4.

Tutor, qui testamento datus est, vel a Praeside confirmatus, vel ex inquisitione datus, jure Justinianeo non tenebatur satisdare rem pupilli salvam fore, ratio in *pr. Inst. de satisd. tut.* ne sc. bona pupillorum a tutoribus vel curatoribus consumerentur, *Conf. Auct. ad d. pr.* (licet novo jure secus, ut supra dictum) sed si plures testamento vel ex inquisitione sint dati, et commode omnes non possint administrare, cum per unum expeditius omnia gerantur, *l.* 3. §. 6. *ff. de adm. tut. ibique Auct. Carpz. lib.* 5. *resp.* 82. *num.* 18. *et seqq.* tunc unus potest offerre satisdationem, ad quam alias non tenebatur, et hujus oblationis hic est effectus, ut ille qui obtulit, reliquis praeferatur in administratione, *hic et* §. 1. *Inst. de satisdat. tut.* si modo persona offerens omni suspicione vacet, alias enim Praetor unum eliget, si in electione non possint consentire Tutores, et ideo necessaria erit causae cognitio, tum ex persona ejus, qui obtulit, tum cui oblata, *Montan. c.* 32. *reg.* 7. *num.* 89. *et seqq.* Quod si autem omnes gerere velint, nec sustineant succedanei esse alieni periculi, omnibus administratio permittenda, *l.* 3. §. *pen. ff. de adm. tut. ibique Auctor et l.* 17. *ff. de testam. tut. Donell.* et ibi *Hillig. l.* 3. *c.* 11. *Schneidew ad d.* §. 1. *Inst. de satisd. tut. num.* 4. *et* 5. *Carpz. d. resp.* 82. *num.* 20. *et seqq.*

(Right margin numbers: 1 at "Tutor, qui testamento", 2 at "si plures … da-", 3 at "et hujus oblationis", 4 at "Quod si autem".)

L. Tutor. ult.

Tutor, antequam satisdet, potest ea gerere, quae moram nullam patiuntur, et quae neglecta possunt parere praejudicium, *Piagg. d. qu.* 7. *num.* 23. *seqq. Guttier. d. c.* 1. *num.* 66. *Guido Papae dec.* 33. quos allegat *hic Barbosa*; vid. not. *l.* 3.

TITULUS XLIII.

De suspectis tutoribus, vel curatoribus.

L. Libertum. 1.

SUMMARIA

Durante tutela an cum tutore agi possit? num. 1.
Finita tutela an ut suspectus postulari debeat? 2.
Obtento fine actionis ipsa cessat actio. 3.

1 Durante Tutela non potest cum Tutore agi actione tutelae ad rationes reddendas, Vid. *sup. ad tit. de adm. tut.* Sed potest postulari ut su-
2 spectus, *l.* 6. *h. t.* Finita autem tutela per pubertatem, licet Tutor fraudolenter administraverit, non tamen postulari debet ut suspectus, sed conveniri actione tutelae, *l.* 1. *h. t.* quia hae duae actiones non conveniunt, et non potest peti ut removeatur, quia jam antea remotus est, et cujus Tutela jam finita est. Licet igitur aliquis ut suspectus sit postulatus, et coepta lite moriatur, solvitur et perimitur haec actio, cum finis ejus sit remotio tutoris, qui mortuus removeri non potest, per §. 8. *Inst.*
3 *et l.* 11. *ff. h. t.* Obtento enim fine actionis cessat actio, sicut morte criminosi crimen extinguitur, *P. Montan. c.* 36. *reg. ult. num.* 1. Et idem dicendum, si pendente judicio finiatur Tutela; simul ac enim judicio Tutelae locus est, cessat suspecti cognitio, *l.* 3. §. 6. *ff. h. t. Montan. d. l. num.* 2. *et* 3. Si tamen lis mota sit non tantum ad remotionem, sed ad mulctam etiam, in pupilli utilitatem, coepta antea accusatio morte accusati tutoris non solvitur, *Myns. ad* §. 8. *Inst. de susp. tut. et curat. arg. l.* 4. *C. si reus vel accus. mor.*

L. Curatores. 2. et L. Praeses. 3.

SUMMARIA

Curatorem se sciens et gerere tamen negligens damnum praestet pupillo. num. 1.
Quomodo a judice compelli possit? 2.
An ut suspectus removeri queat? 3. 5.
Ignavia h. l. *ut culpa lata dolo aequiparatur.* 4.

1 Qui Curatorem, se datum esse scit, et tamen gerere negligit, ille damnum pupillo praestare debet, *l.* 2. *h. t.* ratio in *l.* 7. *C. arb. tut.* Et
2 deinde strictioribus etiam remediis potest compelli a judice, ut gerat, v. g. captis pignoribus, §. *pen. Instit. de satisd. tut.* Sed Quaeritur: *An*
3 *etiam possit removeri ut suspectus?* Videtur quod non, ob *l.* 3. §. 5. *et l.* 4. §. *ult. ff. h. t.* Sed affirm. in *l.* 2. *et* 3. *h. t.* quia negligentia post constitutam tutelam admissa in ipsa tutela admissa videtur, sed si fraude cessaverit, per *d. l.* 4. §. *fin. et* §. 5. *Instit. h. t.* requiritur tamen ut prius admoneatur Tutor, quod si vocatus non cesserit, nec egerit aliquid, ut suspectus demum removendus est, *l.* 3. *h. t. l.* 7. §. *fin. ff. eodem,* nam antea forte habere potuit aliquam rationem cessationis, quam non habere potest admonitus, et sui copiam non faciens. Notandum tamen;
Ignaviam *h. l.* ut culpam latam, dolo aequipa- 4
rari, *l.* 4. §. *fin. ff. h. t.* Collige ergo ex *his legibus:* Tutorem admonitum, si cesset, et nihil 5
gerat, ut suspectum removeri posse, *Montan. c.* 36. *reg.* 1. *num.* 35. Limitatur tamen, nisi ante querelam moram purgaverit, per tradita *Cavalcani de tutor. num.* 20. *Guttierez p.* 2. *c.* 18. *num.* 16.

L. Etiam. 4.

SUMMARIA

An testamentarius tutor possit ut suspectus accusari? num. 1. 6.
Praesumptio cedit veritati. 2. 7.
Mores hominum vix satis possunt cognosci. 3.
Jura praestat intacta servare, quam post vulneratam causam remedium quaerere. 4.
Judex potius sequi debet pupilli utilitatem, quam hominum judicium. 5.

Quaeritur: *An testamentarius tutor possit* 1
accusari ut suspectus? Videtur quod non, quia fides et diligentia ipsius ab ipso testatore approbata est, per *princ. Inst. de satisd. tut.* Sed Affirmatur *l.* 1. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 3. quia licet pro eo praesumatur, si tamen contrarium apparet, locum habet Regula: Quod 2
praesumptio cedat veritati, *l. continuus* 137. §. 2. *ff. de V. O.* mores etiam hominum vix satis 3
cognosci possunt; quid enim si morum, ante celata vel incognita, emerserit improbitas? *l. in confirmando* 8. *ff. de conf. tut.* et jura praestat 4
intacta servare, quam post vulneratam causam remedium quaerere, *l. fin. C. in quibus causis rest. non est necess. Montan. cap.* 36. *reg.* 6. *num.* 1. *et seqq. Guttierez p.* 2. *c.* 8. *num.* 23.
Et Judex sequi potius debet pupilli utilitatem, 5
quam hominis judicium, *l. utilitatem* 10. *ff. de confirm. tut.* Si tamen pater gnarus fuit ejus 6
suspicionis, et nihilominus eum Tutorem dederit, nec illa causa suspicionis creverit, sequemur voluntatem Patris, per *d. l. utilitatem,* ut putat *Guttier. p.* 2. *c.* 18. *n.* 2. de quo tamen merito dubitatur, nam ubi patris judicium pupillo noxium scit Magistratus, non debet sequi judicium patris pupillo periculosum, nam praesumitur quidem pater optimum pro filio capere consilium;
Sed ubi contrarium apparet, merito cedit prae- 7
sumptio veritati.

L. In postulandis. 5.

SUMMARIA

Non inopia, sed mores suspectum arguunt. num. 1.

An propter tenuitatem patrimonii curator vel contutor sit adjungendus? 2.
An et quatenus paupertas potest esse impedimento, ut tutor ejusmodi non admittatur? 3.

1 Propter inopiam nemo ut suspectus removendus est, *hic et §. fin. Inst. h. t.* modo satisdationem praestet, *Auctor in d. §. fin.* ubi et illud notanter addit: si tutor ante tutelam pauper, post eam vero locuples reperiatur, non tamen praesumendum id ex pupilli bonis eam acquisivisse, *per l.* 10. *C. arb. tut.* quia in dubio honestiorem sequi debemus conjecturam, *l.* 51. *ff. pro socio, Guttierez p.* 3. *c. fin. num.* 2. *et seq.* limitationem tamen etiam hoc habet, quam vide loco cit. quia non facultates, ut haeredem, *l.* 31. §. 1. *ff. de reb. auctor. jud. poss.* sed mores suspectum arguunt, *l.* 3. *ff. h. t. ibique Auctor*, qua de re Vid. *Mont. de tut. c.* 36. *reg.* 2.
2 *num.* 1. *et seq.* Sed tenuitas tamen patrimonii facit, ut interdum Curator adjungatur, *l.* 6. *h. t. Franc. Vivius dec.* 40. *num.* 11. *Montan. d. reg.* 2. *num.* 14. vel ut alii contutori administratio concedatur, *l.* 1. *sup. de peric. tut.*
3 Paupertas enim interdum fidem elevat, *l.* 3. *princ. ff. de testib. ibique Auctor.* Ab initio etiam facere potest paupertas, ut non admittatur Tutor, non ob paupertatem sed defectum satisdationis, *Montan. d. l. num.* 13.

L. Pietatis. 6.

SUMMARIUM

Suspectum tutorem quinam postulare possint?

Suspectum tutorem possunt postulare non tantum Patruus pupilli, ut *hic*, et Parentes utriusque sexus, sed cognati et affines, imo et ipsi adulti seu puberes, cum consilio tamen agnatorum. Ratio in §. 3. *Inst. h. t.* ubi dicitur, quod quasi publica haec actio sit; ideo etiam Judex ex officio suspectum notorie tutorem removere potest, *l.* 3. §. *praeterea* 4. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 1. *Reform. Polit. de A.* 1577. *tit.* 32. §. 3. *Montan. d. c.* 36. *reg.* 7. *num.* 4. *Guttierez de tut. p.* 2. *c.* 18. *num.* 8. *Jo. Koppen. l.* 1. *obs.* 64. *num.* 16. admittuntur quoque mulieres necessitudine junctae, *hic et* §. 3. *Inst. cod.* nec distinguendum hic, cujus sint famae, *Bacchovius in Treutl. d. disp.* 9. *th.* 3. *lit. F.*

L. Eum. 7.

SUMMARIA

An tutor ut suspectus accusatus pendente causa administrare queat? num. 1. 3.
Pendente lite nihil innovandum. 2.
Officiali convento de crimine in officio commisso interdici potest administratio. 4.
Quando interdictio haec locum habeat? 5.
An interdicenda administratio, si tutor sit conjuncta persona? 6.

1 Quaeritur: *An tutor, contra quem accusatio suspecti tutoris instituitur, pendente causa administrare possit?* Vid. quod sic, quia nondum de causa liquet, et pendente lite nihil est in- 2
novandum, *c.* 1. *et fin. X. ut lite pendente*, sed favore pupilli negatur, *hic et* §. 7. *Instit. h. t. ibique Auctor num.* 1. *et seq. l.* 14. §. 1. *vers. item dico ff. de solut.* Sed dandus est interim 3
curator. Et quamvis *Baldus hic*, ipso jure velit interdictam esse tutori administrationem; *Salyc.* tamen contrarium tuetur quod fieri debeat a judice, *Vivius d. dec.* 40. *num.* 11. *Guttierez d. c.* 18. *num.* 10. *Balthas. d. resol.* 6. *num.* 6. licet cum *Baldo* sentiat *Montan. d. reg.* 9. *num.* 10. Ante litem autem contestatam potest tutor, qui ut suspectus accusatus, interim gerere, per doctrinam *Angel. Afflict. dec.* 357. *num.* 5. Si autem tutor sit conjuncta persona, pendente lite non prohibetur ab omni admnistratione, sed interim ei curator adjungendus, quia hoc fieri potest, licet confictus sit, *Afflict. d. dec. num.* 5. Et ex *hac lege* Colligitur: Quod si offi- 4
cialis de crimine in officio commisso conveniatur, quod ei interim possit interdici administratio, *Tiraq. de poen. temp. caus.* 58. *num.* 5. *Mevius loco mox citando num.* 19. ne tutor suspecto judicio irritatus non satis ex fide negotia gerat, et ne incipiat esse suspectus, si antea non fuit, *Montan. d. c.* 36. *reg.* 9. *num.* 1. *et seq.* Interdictum autem hoc 5
fieri debet, quando indicia non levia, et lis contestata, *Afflict. dec.* 357. *Viv. dec.* 8. *num.* 4. *Ant. Faber lib.* 5. *t.* 26. *def.* 2. quos sequitur *Dn. Mevius in Jus Lub. lib.* 1. *tit.* 7. *art.* 5. *num.* 21. Si autem tutor sit conjuncta 6
persona, non statim ipsi interdicendam esse volunt administrationem, sed adjungendum curatorem, *l. si tutor* 9. *ff. h. t. Cavalcanus de tutel. num.* 19. *et seq. Guttierez d. l. num.* 11. *Mont. d. c.* 36. *reg.* 3. *num.* 18. *Viv. dec.* 40. *num.* 13.

L. Si non. 8.

SUMMARIA

Intellectus hujus legis. num. 1.
Tutor semel remotus an iterum sit admittendus? 2.

Communiter ita intelligunt *hanc legem:* Quod 1
tutor durante tutela non possit petere a contutore, ut reddat sibi rationem universae tutelae: sed mihi videtur haec species, quod ex verbo, *restitui*, praecipue colligo: Tu es remotus cum contutore, hic quidem ob dolum, tu ob negligentiam, quod non curaveris cum removeri, postea petis tibi restitui tutelam, quia fere ob alienam culpam remotus es, quod negatur. Unde Colligitur: Tutorem semel remo- 2
tum, etsi emendationem spondeat, non esse admittendum denuo ad tutelam, *Dn. Mevius d. art.* 5. *num.* 23.

L. Suspectos. ult.

SUMMARIA

Tutor remotus quando fiat infamis? num. 1.
Quaenam DD. sententia in hac quaestione decidenda aequior? 2.

Condemnatus quis semper ex ea causa, quae minus laedit, praesumitur. 3.

1 Tutor remotus ob dolum fit infamis, ob culpam vero non, *hic et* §. 6. *Inst. h. t. ibique Auctor ex* 5. *num. et seq.* Ratio in *arg. l.* 22. *ff. de his qui not. infam.* quia non poena sed causa infamat; Sed *quid de culpa lata?* Affirm. *Dn. Mevius d. l. num.* 25. *Treutl. et ibi Bacch. vol.* 2. *disp.* 9. *th.* 4. *lit. G. Zasius in l. quod Nerva ff. depos. P. Montan. d. c.* 36. *reg.* 8. *num.* 11. *Don. et ibi Hill. l.* 16. *c.* 7. *l. X.* Sed videatur *Freherus de infam. l.* 3. *c.* 11. *num.* 3. *Molina de J. et J. tr.* 2. *d.* 225. *num.* 14. *Guttierez d. c.* 17. *Franzk. exerc.* 3. *qu.* 8. Fateor
2 tamen, sententiam horum Doctorum negantium esse aequiorem, et forte in judicando sequendam, quia facile aliquis ita ex collegio honesto ejici posset et alimentis privari, et saepe rusticitate hic peccatur et simplicitate. Et non facile aliquis reperietur, qui non aliquando in alienis negotiis aliquid per latam culpam neglexerit. Et patronus tutor non fiet infamis, licet dolum commiserit, §. 2. *Inst. h. t. ibiq. Auctor*, quod in omnibus legitimis tutoribus obtinet, *Bacchov. in Tr. vol.* 2. *disp.* 9. *th.* 4. *lit. B.* Ubi autem in sententia non fit mentio doli, ob culpam potius, quam ob dolum remotus esse praesumendus est, *l.* 4. §. 2. *ff. h. t. Montan. de tut. t.* 36. *reg.* 8. unde sumunt *DD.*
Regulam generalem; Quod condemnatus aliquis 3
semper praesumatur ex ea causa, quae minus laedit, per *d. l.* 4. *et l.* 55. *ff. de Evict. Montan. d. reg.* 8. *num.* 4. *et seqq. Freherus d. tr. c.* 8. *num.* 7.

TITULUS XLIV.

De in litem dando tutore vel curatore.

L. Si quas. 1. et L. Sive. ult.

SUMMARIA

Controversia inter tutorem et pupillum emergente, an et quando dandus sit curator ad litem? num. 1.
An etiam tutor alius possit constitui? 2.
Curator litis datur etiam invitis. 3.
Pupillo etiam non habenti tutorem dari potest curator ad litem. 4.
Praxis recepta. 5.

1 Quando inter tutorem et pupillum emergit controversia, tum quia in sua causa tutor auctor esse nequit, §. *ult. Instit. de auctor. tut.* Ideo dandus est curator ad litem, si nullum alium tutorem habeat, si vero contutores alios habeat, per illos defendetur, *l.* 1. *h. t. l.* 24. *ff. de test. tut.* imo si tutor necessarius videatur, v. g. si adeunda sit haereditas, *l.* 17. §. 1.
2 *ff. de appellat. l.* 19. *ff. de auctor. tut.* tutor etiam potest constitui cum solemnitate juris, id est, cum satisdatione solemni de pupillo defendendo, *l. fin. h. t. l. ult.* §. 4. *supr. de adm. tut.* Ex
3 *lege* 1. *in fine* Collige: Curatorem litis dari etiam invitis, *Graevcn. l.* 2. *pract. conclus.* 108. quam refert *Dn. Mev. in Jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 7. *art.* 11. *num.* 8. *Carpz. de process. tit.* 5. *art.* 3. *num.* 20. Deinde collige, posse Negotium geri inter tutorem et pupillum, si fiat palam et cum auctoritate contutoris, sic potest rem pupilli emere cum auctoritate contutoris vel mutuo sumere, per *l. non existimo* 54. *ff. de adm. tut. Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 459. *num.* 9. *Molina D.* 224. *n.* 15. *et seq.* et hos referens *Jo. Franc. Balthas. d. tit.* 5. *res.* 13. *num.* 5. *et Montanus cap.* 30. *num.* 87. *et Coras. ad l. frater a fratre ff. de condict. indeb. num.* 23. De-
4 mum Colligitur: Pupillo, etiam non habenti tutorem, dari posse curatorem ad litem, nam si tutorem habenti, sed cum tutore litiganti, dari potest curator, ubi pupillus eodem loco est, ac si nullum haberet tutorem, cur non etiam pupillo plane tutorem non habenti non posset dari curator ad litem? *Alex. vol.* 1. *cons.* 122. quem sequitur *Dn. Carpz. lib.* 5. *resp.* 86. *num.* 18. Ideoque haec praxis recepta, ut judex 5
ad instantiam actoris minori mandet, aut pupilli cognatis, ut intra certum terminum nominent curatorem ad litem, quod si non fiat, judex ex officio curatorem ad litem dat, ne ex mora et contumacia minoris, judicium diu in suspenso maneat, *Gail. l.* 2. *Obs.* 108. *num.* 3. *Myns. cent.* 2. *obs.* 31. *Afflict. dec.* 356.

L. An tibi. 2.

SUMMARIUM

Facti species.

Pater pupilli vendit fundum paternum sibi cum fratre suo communem extraneo in solidum, et evictionis nomine ad duplum se adstringit, patre mortuo ipsius frater et pupilli tutor Evaristus, vult agere contra emptorem, et fundum pro parte vindicare? Resp. posse quidem hoc facere, sed melius facturum tutorem, si partem suam a pupillo petat, Actione *Familiae Herciscundae*, vel *Negotiorum Gestorum*, et si quid pupillo debeat, per compensationem solvat, vel judicio tutelae contrario pretium suae partis repetat, ne emptor in duplum agat contra pupillum. Verum si actio tempore peritura esset, aut periculum in mora tutor contra ipsum possessorem agere potest. Ratio in *l.* 29. *ff. ex quib. caus. maj.* Sed dandus est pupillo curator, qui emptori nomine pupilli praestet indemnitatem, eumque defendat contra tutorem suam partem vindicantem. Atque haec ita proposita species fere convenit cum illa, quam in fine hujus tituli proponit *Cujac.*

L. Ad protegendam. 3.

SUMMARIA

Officium Curatoris ad litem dati an ad alia pupilli negotia se extendat? num. 1. 3.
Formula juramenti ejusmodi Curatoris, remissive. 2.

1 Curator ad litem datus, non tenetur administrare alia negotia pupilli, cum certum negotium ipsi sit commissum. Ergo in alia se ingerere, et de iis respondere non tenetur, per *l.* 9. *ff. de adm. tut.* ideoque nec tenetur pro alio tutore, si ille non recte administravit tutelam, et potest sumptus litis et praemia laboris a tutore petere, *Schot. h. t.* Curator litis durat tamdiu, donec lis durat, nisi generaliter ad causas omnes datus, *per l.* 3. *§. fin. ff. de tutelis, ibique Auctor num.* 6. *Gail. l.* 2. *obs.* 108. *num.* 6. *Mevius loco mox citando.* Curator datur ab eo judice, ubi causa vertitur, *Marta loco jam citando dec.* 16. et ideo Curator ad litem, cum nihil recipiat, nec ei solvi possit, inventarium facere non tenetur, *Per Montan. de tutel. p.* 1. *c.* 19. *num.* 27. *Marcus Mantua sign.* 582. *Gail. l.* 2. *obs.* 10. *num. fin. Franc. Caldas in l. si curatorem in pr. num.* 17. *C. de restit. min. Dn. Mev. in Jus Lub. l.* 1. *tit.* 7. *art.* 11. *n.* 4. *Marta l.* 5. *Dig. tit. de Curatore dec.* 15. Et formula juramenti Curatoris litis 2
quae habetur *part.* 1. *Ord. Cam. tit.* 75. nullam Inventarii mentionem facit, sed tantum de- 3
bet satisdare, rem pupilli salvam fore, et promittere, quod omnia utiliter velit facere, *Gail. d. l.* licet nec hoc fieri, *Marta d. l. dec.* 19. de facto recte conqueratur, *Mev. d. l. num.* 10.

L. Ad litem. 4.

SUMMARIUM

Curator ad litem, qua actione repetat expensas litis a contutoribus?

Ad litem datus Curator vel Tutor ut in specie *l.* 17. *§.* 1. *ff. de appell.* si quid expendat, poterit id a Contutoribus repetere Actione Negotiorum Gestorum, *l.* 30. *ff. de n. g.*

TITULUS XLV.

De eo, qui pro tutore negotia gessit.

L. Etiam mulieres. 1.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Procurator quinam dicatur? 2.
Procurator eamdem diligentiam, quam tutor, rebus pupilli adhibeat. 3.
In quantum teneatur? 4.
An pupillus in protutoris bonis hypothecam habeat? 5.
An pro pupillo stipulari possit? 6.
An tales stipulationes pupillo in foro prosint? 7.

1 Mulier, licet tutrix esse non possit, tenetur tamen actione protutelae, seu Negotiorum Gestorum ad rationes reddendas, etiam ante pubertatem pupilli, cujus protutelam gessit, per *l.* 1. *§.* 3. *ff. h. t.* ubi ratio, idem in servo, *d.*
2 *l.* 1. *§.* 2. Collige: Procuratorem, id est, eum, qui non ex mandato tutoris, sed animo tutorio, sive sciens se tutorem non esse, sive ignorans,
3 negotia pupillaria gerit, eamdem diligentiam pupilli negotiis adhibere debere, quam tutor debet, *l. pen. ff. h. t.* et ideo eam diligentiam praestabit, quam suis rebus adhibere solet,
4 *Montan. c.* 32. *reg.* 9. *num.* 11. et tenetur Inventarium conficere et librum rationum, *Guttierez p.* 2. *c.* 17. *num.* 19. Et tenetur etiam ob ea, quae neglexerit, et si quaedam negotia, non attigerit, tenetur ob ea etiam negotia, si alius omnia gessisset, *l.* 1. *§. fin. ff. h. t. ibique Auctor num.* 1. et si ex negotiis a protutore gestis quid absit, datur contrarium pupillo judicium, *l. fin. ff. h. t.* Et sic etiam probabilis sententia eorum redditur, qui statuunt, pupillum 5
habere etiam hypothecam in bonis protutoris, *l.* 19. *§.* 1. *ff. de rebus auct. jud. possid. Bald. et Salyc. in l. pro officio. C. de admin. tut. Neguz. m.* 4. *p.* 2. *num.* 7. *Surdus de aliment. tit.* 9. *qu.* 44. *Guttierez p.* 2. *c.* 17. *num.* 13. pupillo tamen aliquid acquirere vel stipula- 6
lari nequit, per *l.* 3. *§.* 4. *ff. judicatum solvi et l.* 2. *ff. h. t. Guttierez P.* 2. *c.* 17. *num.* 10. Sed in foro tales stipulationes a protutore factae, 7
etiam pupillo prosunt, sed debitor, qui nomine pupilli stipulanti protutori quid promisit, potest legitimationem personae protutoris opponere, *Ant. Faber l.* 5. *Cod. tit.* 28. *def. un.* Et tradunt *DD.* posse praetorem ea, quae cum tutore in gratiam pupilli acta sunt, rata habere, ut licet non valerent ipso jure, tuitione tamen praetoris valeant, *l.* 1. *§. pen. ff. quod falso tutore.*

L. Non utiliter. 2.

SUMMARIA

An tutore inutiliter dato falsi tutoris exceptio opponi nequeat? num. 1.
Quando sit opponenda? 2.
In quanam parte judicii? 3. 4.
Falsi procuratoris exceptio quando opponatur? 5.

Datus sum tutor inutiliter, pro tutore tamen 1
me gero, debitores pupilli convenio, et a quibusdam etiam sine controversia sive contradictione exegi debita pupillaria, Quaeritur: *An ab aliis debitoribus opponi mihi possit exceptio falsi tutoris?* Affirm. etiam post litem conte- 2
statam, et in quacumque parte judicii, *arg. l.* 3

24. *ff. de procur. Jo. Guttierez de tutel. p.* 2.
c. 19. *num.* 8. cum judicium alias esset retro
nullum; unde probatur, Exceptionem nulliter
4 vel inutiliter dati tutoris in quacumque parte
litis opponi posse; *Montan. d. l. cap.* 32. *reg.* 9.
num. 35. sicut etiam Exceptio falsi Procuratoris 5
etiam post litem contestatam opponi potest,
Vantius de nullit. tit. Ex defectu mand. num.
135. *Zang. de except. p.* 2. c. 8. *num.* 36. *Carpzov. de process. tit.* 5. *art.* 1. *num.* 55.

TITULUS XLVI.

Si Mater indemnitatem promisit.

L. Suo potius. 1. et L. Ob tutorem. ult.

SUMMARIA

An et quatenus pupillus contra matrem suo periculo tutores postulantem agere possit? num. 1. 3.
An contra magistratum? 2.
An matris obligatio tutori pro pupillo caventis vel contra valeat? 4.
SCtum Vallejanum *in quantum mulieribus succurrat?* 5.
An renunciatio mulieris facta in judicio sit valida? 6.

1 Mater petiit liberis suis tutores, et eos pe-
riculo suo dari postulavit, Quaeritur: *An pu-
pillus agere possit contra matrem?* Neg. sed
2 contra Magistratum, quia matri competit SCtum
3 Vellejanum, *l.* 1. *h. t.* Nisi decreto specialiter
expressum sit, periculo matris datum esse tuto-
4 rem, *l. ult. h. t.* Collige: Si mater tutori pro
pupillo caveat, vel contra pupillo pro tutore
esset intercessio, et sic non valeret obligatio
vel indemnitatis promissio, *Cujac. ad hunc tit.*
5 Ex *lege ultima* Colligitur: *SCtum Vellejanum*
succurrere mulieribus, si ultro pro aliis se obli-
gant, non vero si decreto praetoris indemnita-
tem promiserint, v. g. si suspectum habeat Tu-
torem praetor, quem mater petiit, *Cujac. d. l.*
6 unde probabilis redditur sententia eorum, qui
statuunt, in judicio factam renunciationem muliebrem validam esse, ut tradit *Wesenb. in* ϖ. *de SCto. Vellej. num.* 9. *Hering. de fidejuss. c.* 7. *num.* 469. *Molina de J. et J. disp.* 540. *n.* 10. *Carpz. p.* 2. *c.* 16. *def.* 17. *et seq.*

L. Quaedam. 2.

SUMMARIUM

Si cum tutore alius bona pupilli administraverit, an finita tutela contra utrumque detur actio pupillo?

Fui tutor pupilli, cujus mater et Avus maternus nonnulla negotia consensu meo administrarunt, et promiserunt, se velle me indemnem praestare: Datur hic pupillo finita tutela duplex actio, una contra matrem vel Avum, non quidem Tutelae, per *l.* 9. *C. arb. tut.* quia non ut tutores administrarunt, sed Negotiorum Gestorum, *l.* 24. *C. de usur.* Altera contra me, qui tamen a matre et Avo materno ob stipulationem defendi debeo, et ideo illis litem denunciare possum. Ratio est, quia mater non pro alio intercessit, non alterius obligationem in se recepit, sed pro se, pro sua administratione spopondit, suum negotium gessit, *l.* 6. *C. ad SCtum Vellejanum.* Idem est, si mater indemnitatem promitteret tutoribus, si non alienarent praedia, *l.* 8. §. 1. *et l.* 19. *pr. ff. ad SCtum Vellejanum*, quia suum negotium gessit.

TITULUS XLVII.

Si contra voluntatem matris tutor datus sit.

L. Si contra. un.

SUMMARIA

An et quatenus tutor contra matris prohibitionem datus sit removendus? num. 1.
An Judex matris consilium sequi debeat? 2.
An patris consilium concurrens praevaleat? 3.

1 Contra matris prohibitionem tutor dari non
debet, et si datus sit, consentiente licet Patre,
removendus est cum infamia, si fraus tutoris
intervenerit, alias sine infamia. Ratio est quia
Praetor servare debet voluntatem matris, quae 2
bona reliquit filio, et non tantum debet con-
firmare eum, quem mater probavit et dedit,
sed et debet eum non dare, quem mater re-
probavit, *Cujac. ad hunc tit. et P. Montan.
cap.* 23. *num.* 32. sicut etiam consilium matris
Judex, si idoneus tutor reperiatur, sequi tene-
tur, per ea, quae tradit *Guttierez p.* 1. c. 8.
num. 72. *et seqq.* si tamen Pater prohibeat, 3
eum esse tutorem, quem mater vult esse tu-
torem, quia etsi ipsa Mater velit esse tutrix,
quam pater prohibet esse tutricem, praeferen-
dum est patris consilium, *Farin. tom.* 1. *decis.
Rotae Rom.* 668. *Menoch. cons.* 145. *num.* 15.

TITULUS XLVIII.

Ut causae post pubertatem adsit tutor.

L. Tutores. un.

SUMMARIA

An tutor causam agens durante tutela, facto postmodum adulto pupillo coeptam eam prosequi teneatur? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Quid si rationes reddiderit tutor. 4.
An Advocatum pupilli informare debeat? 5.
An dicta locum habeant etiam in Curatore? 6.

1 Tutor causam egit pupilli et succubuit, ideo provocavit, interim pupillus factus est adultus, quia autem tutor nondum reddidit rationes, et instrumenta penes se habet, Quaeritur: *Anne coeptam causam prosequi teneatur?* Videtur
2 quod non, ob *l. fin. C. de peric. tut.* sed Af-
3 firm. *hic*, quia periculum administrationis non prius finitur, nisi rationibus redditis, per *l.* 5. §. 6. *ff. de adm. tut. Montan. c.* 37. *num.* 74.
4 *et seqq.* Aliud ergo, si rationes reddidit, *l. pen. ff. de appellat.* quo casu pupillo assistere non tenetur, *Carpz. lib.* 5. *resp.* 77. Aequum tamen 5
videtur ut judex ex officio jubeat tutorem informare Advocatum pupilli, et rationes quas habuit in lite suscipienda, et ita consilio adesse causae; nam hoc tutori non nocet, sed potius prodest, si enim pupillus in appellationis instantia succumbat, posset tutor actione negotiorum gestorum conveniri ob novam causam et male motam litem, et hoc est quasi connexum tutelae, *Guttierez p.* 2. *c.* 19. *num.* 16. licet cautelam habeat, qua possit hoc onus devitare tutor, si curatorem petat dari adulto, *Piagg. q.* 19. *num.* 10. *et seq.* Tutor autem tenetur probare, quod haec omnia praestiterit, quia in facto consistunt, *Guttierez d. l. num.* 21. et si pupillus succumbat in appellationis instantia, non omnino extra periculum est, quod litem eam moverit, non obstante quictantia, quae ad nova emergentia non pertinet, et quod de tu- 6
tore hic dicitur, etiam ad curatorem *post.* 25. aetatis annum extendendum, per *l.* 5. §. 6. *ff. de adm. tut. Guttierez d. l. num.* 15. *Gail. lib.* 2. *obs.* 96. *num.* 5.

TITULUS XLIX.

Ubi pupilli educari debeant.

L. Educatio. 1. et L. Utrum. 2.

SUMMARIA

Cujusnam voluntas in nominando loco pupilli educandi sit sequenda? num. 1.
Alia ratio tutelae, alia educationis. 2.
Quinam pupillum educet? 3.
An substituto sit committenda educatio? 4.
An fratri? 5.
An matri in quacumque parte pupillo succedenti? 6.
Jus hodiernum circa educationem matris. 7.
Suspectam se reddit mater, si inaequales nuptias filiae procuraverit. 8.

1 In hac quaestione, ubi pupillus educari debeat, imprimis sequenda voluntas patris, *l.* 1. *ff. h. t. Surdus de aliment. tit.* 4. *q.* 13. *num.* 2. *Mont. cap.* 32. *reg.* 9. *num.* 231. Etiamsi Patris voluntas esset saltem conjecturata, ut, si a filio instituto pater voluerit alimenta filiae praestari, quia haec regulariter in domo privati praestantur, *Guttierez p.* 2. *c.* 8. *num.* 17. quod si deficiat patris consilium, apud matrem vel aviam, quia appellatione parentum continentur, *Guttierez d. l. num.* 11. *Montan. d. l. num.* 251. si non contrahat secundas nuptias (ratio in *l.* 12. vers. *Lex enim C. de admin. tut.*) debet educari. Si autem inter Matrem, Tutores et Cognatos sit controversia, in arbitrio judicis erit, id determinare, *Menoch. lib.* 2. *A. Qu. casu* 168. *Surdus d. l. n.* 37. *Mont. d. reg.* 9. *n.* 230. *Guttier. de tutel. p.* 2. *c.* 8. *n.* 5. qui considerare debet personae qualitatem, id est, pupilli sexum ob ejus pudicitiam defendendam, aetatem, mores: tum junctionem sanguinis, *l.* 1. *h. t.* Sic et in ulterioribus cognatis considerabit judex, qui pupillo propensior, et quis a successionis spe (quae suspectum aliquem reddere potest) sit remotior,
l. 18. *in fin. C. de nupt.* Collige: Aliam esse 2
rationem tutelae, aliam educationis. Sic vitricus potest esse tutor, *l. fin. C. de contr. jud. tut. Carpz. p.* 2. *c.* 11. *def.* 43. sed non Educator; sic proximus Agnatus est Tutor, sed non semper Educator, *l.* 2. *h. t.* Ille autem, cui judex 3
educationem pupilli injungit, eum educare tenebitur, *l.* 1. *h. t. et l.* 1. §. 2. *ff. eod.* Collige etiam: Substituto non esse facile committendam 4
educationem, *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* maxime extraneo, *Vivius dec.* 19. *Menoch. d. cas.* 168. *num.* 16. *et cons.* 62. *num.* 18. *Guttierez d. l. num.* 7. imo nec semper Fratri, si non mores probati, 5
Conf. *Surdus d. l. num.* 31. *et seq. et Guttierez num.* 8. Collige etiam ex *l. fin.* Si mater in ter- 6
tia vel minima parte pupillo succedat, licet ad secundas nuptias se contulerit, si tamen probae sit opinionis, non est male praesumendum de materna educatione, *Mont. d. l. num.* 245. licet non displiceat *Surdo d. l. num.* 19. Conf. *Ant. Fab. l.* 5. *tit.* 30. *def. un. et Hartm. Pist. obs.* 98. qui cum *Carpz. d. p.* 2. *const.* 11. *def.* 42. statuit, matrem apud nos Christianos arcendam

7 esse ab alimentatione, sed hoc hodie raro fieri videmus: si tamen cognati petant ex justa ratione ut a matre binuba separentur liberi prioris matrimonii, voto huic deferendum puto. Suspectam etiam mater se reddere potest, si, 8 ut interdum fit, inaequales nuptias filiae procuraverit, *Surdus d. l. n.* 23. *Menoch. num.* 6. *et Guttierez num.* 14.

TITULUS L.

De alimentis pupillo praestandis.

L. Pupillus. 1.

SUMMARIA

Alimenta a quonam sint determinanda? num. 1.
Unde ante determinationem alatur? 2.
An ad alimenta pertineant etiam ad addiscendas disciplinas necessaria? 3. 5.
An universus reditus in alimenta deputetur? 4.
Quid tutor caveat? 5.

1 Alimenta, si a tutore non praestentur, de-
2 terminanda sunt a Praeside, et alendus est interim ex suis bonis, licet ei controversia status moveatur. Ratio in edicto Carboniano, *l.* 2. *C. de Carb. edicto.* Consideranda autem est qualitas personae, ut et bonorum, ac horum quantitas, cousuetudo familiae, regionis, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 169. *Guttierez p.* 2. *c.* 3. De-
3 bent etiam determinari ea, quae ad disciplinas addiscendas sunt necessaria, filiis non tantum, sed et filiabus, *l.* 4. *ff. ubi pupil. educ. deb. Surd. tit.* 1. *q.* 105. *num.* 7. *Berous lib.* 1. *cons.* 186.
4 *num.* 9. Nec universus reditus in alimenta deputetur, sed semper ex reditu quid debet superesse, *l.* 3. §. 1. *ff. h. t. Montan. d. reg.* 9. *num.* 222. *et seq. Colerus de Alim. lib.* 2. *c.* 2. *num.* 35. *Surdus de Alim. tit.* 4. *qu.* 4. *num.* 9.
5 Cavere enim debet tutor, ne vendat proprietatem, sed potius ad mendicandum tutorem mittere debere pupillum aut minorem, quam ut pro alimentis vendat proprietatem rei frugiferae, tradit cum Alberico *Dn. Koppen. p.* 1. *decis.* 63. *num.* 28.

L. Quod plerumque. 2.

SUMMARIA

An semper expediat Praesidem pupillo determinare alimenta? num. 1.
Quid si tutor sine auctoritate judicis praestiterit, an finita tutela haec repetere possit? 2.
Non expedit semper, ut secreta pandantur patrimonii. 3.
Alimenta a tutore praestita secundum arbitrium boni viri dijudicanda sunt. 4.
An tutor arbitrio boni viri donationes remuneratorias facere possit? 5. 6.
Quasnam expensas tutor possit repetere? 7.
An expensas durante tutela possit ipse sibi solvere? 8.
Non ferendus est juvenis, qui, dum alitus est, aut studiis imbutus, sumptus tutori recusat. 9.
Limitatur. 10.
Tutor de suo pupillum aluisse praesumitur, si nulla sint pupilli bona. 11.
An tutor pupillum pauperem de suo sine spe recuperandi alere teneatur? 12.
Ad quos proximos ejusmodi pupillus educandus mittatur? 13.

Praeses vel Judex solet determinare alimenta 1
pupillo praestanda, Vid. *l.* 3. *ff. ubi pupillus morari.* Sed interdum pupillo id non expedit, quia forte non prodest propalare vires haereditatis et secreta, ideoque tutor ipse sine au- 2
ctoritate judicis alimenta praestare potest pupillo, sed quaeritur: *An haec finita tutela repetere possit?* Affirm. ratio in *l.* 2. *supr. de N. G.* Nota bene; praesumi pupillo alimenta praestita a tutore, ratio in *l.* 46. *ff. de O. et A.* de alimentis autem pupillo decernendis plura videantur apud *Joan. Guttierez p.* 2. *cap.* 3. *et Montanum d. l.* Colligitur ex hoc: I. Non expe- 3
dire semper, ut pandantur secreta patrimonii, partim ne incurrant haeredes oculos invidorum et alienis bonis inhiantium, partim ne notum fiat aes alienum, *Montan. c.* 32. *reg.* 5. *num.* 97. *Guttierez in l. nemo potest num.* 413. *ff. de Legat.* 1. II. Si tutor alimenta praestitit, ea se- 4
cundum arbitrium boni viri dijudicanda esse, an modum excesserint, vel non, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 169. III. Ad studia teneri tutorem 5
alimenta et subsidia conferre. Et sic IV. etiam 6
potest donationes remuneratorias arbitrio boni viri facere, *argum. l.* 12. §. 3. *ff. de adm. tut. Menoch. lib.* 2. *cas.* 173. *Guttierez p.* 2. *c.* 11. *num.* 9: V. Expensas potest repetere Tutor vel 7
Curator, si modicae sint, et probabiles, *Surdus de alim. tit.* 3. *qu.* 7. Nam si id, quod in res pupilli impensum est, actione tutelae contraria repetitur, quanto magis id, quod in personam pupilli impensum est: Imo sibi ipsi etiam duran- 8
te Tutela vel Curatela has expensas solvere potest, *l.* 35. §. *ult. ff. de neg. gest. l.* 9. §. 1. *ff. de adm. tut. Surdus d. qu.* 7. *num.* 15. et has expensas repetet tutor, licet pupillus tutori operas quasdam praestiterit, quia hae operae cum labore tutelae compensantur, si tutori nullum promissum salarium, *Surd. tit.* 6. *qu.* 14. *num.* 18. Demum Collige: non ferendum 9
esse juvenem, qui, dum alitus est, aut studiis imbutus, sumptus recusat, quasi vento vixerit, aut nullo liberi hominis studio imbui meruerit, nisi per alium se consequutum alimenta probet; 10
et sic est praesumptio juris, et praesumitur 11
tutor de suo aluisse, si nulla sint pupillo bona, *Menoch. lib.* 6. *praes.* 71. *Alciatus de Praes. reg.* 1. *praes.* 50. *Mascard. concl.* 77. *num.* 7. et quos hic *Barb.* allegat; sane si nullae sint 12
facultates pupilli, non tenetur de suo alere tutor sine spe recuperandi, sed mittendus ad 13
proximos, qui habent spem succedendi, *Carpz. lib.* 4. *resp.* 59. aut si plus necessario impenderit, quam quod est in reditibus, repetit, *Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 10.

TITULUS LI.

Arbitrium tutelae.

L. Cum tutelae. 1.

SUMMARIA

An falsa testatoris summa tutori praejudicet, ita ut eam rationibus suis inferre teneatur? num. 1.
Tutor non ad aestimationem patris, sed secundum rei veritatem rationes reddere debet. 2.
Liberi non tenentur stare aestimationi bonorum viliori in praejudicium legitimae a parente factae. 3.
Nec in simili casu conjux. 4.
Disponere de bonis suis lex testatori, non mentiri, concessit. 5.

1 Testator in testamento dixit, se in bonis habere 3000. quum tantum reperiuntur 2000. Quaeritur: *An hoc Tutori praejudicet ut* 3000. *inferre in rationes teneatur?* Neg. Sed probare potest Tutor, minus in bonis esse, quia verbis testamenti enunciativis non statur, sed dispositivis, Vid. *l.* 10. *commun. utriusque judic. et l.* 6. *supr. de probat. Mascard. concl.* 622. *per totam Cothman. vol.* 1. *cons.* 47. *num.* 22. *Klock. v.* 1. *cons.* 29. *num.* 301. Et ideo appa-
2 ret, Tutorem non secundum aestimationem patris, sed secundum rei veritatem teneri reddere
3 rationes, quemadmodum liberi etiam non tenentur stare aestimationi bonorum viliori, in praejudicium Legitimae a parente factae, *Cardin. Tusch. concl.* 53. *num.* 62. *Lit. H. Carpzov. p.* 3.
4 *Jurispr. const.* 12. *def.* 9. Sicut et conjux non tenetur stare aestimationi bonorum factae a conjuge altero, si praejudicium in portione statutaria timeat, *Carpzov. p.* 3. *const.* 7. *def.* 11.
5 nam disponere de bonis suis concessit testatori lex, non vero mentiri.

L. Nomina 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Quamnam culpam circa nomina exigenda tutor negligens praestet? 3.
Quamnam circa praediorum emptionem? 4.
Quamnam in nominibus contrahendis? 5.
An finita tutela pupillus nomina paterna et a priore tutore contracta agnoscere teneatur? 6.
An tutor suam diligentiam, an vero pupillus negligentiam tutoris probare debeat? 7.
Interpretatio legis alia. 8.

1 Nomina Paterna tempore susceptae tutelae erant idonea, sed cum ea per negligentiam tutoris non exacta essent, factum, ut minus idonea fierent, et eo casu Tutor illud damnum pupillo praestabit, *hic et l.* 18. *supr. de adm. tut.* Sed Quaeritur: *An si levis tantum tutoris* 2
culpa intervenisset, tutor etiam teneatur? Et videtur negandum ex *hoc textu.* Vid. *Piagg. de tut. qu.* 19. *num.* 13. *et Joan. Guttierez p.* 3. *c.* 1. *num.* 98. Nam *haec lex* latam culpam et 3
negligentiam requirit, quia hic sermo de creditis, quae pater ideo contraxit, ut apud debitorem pro usuris manerent, non vero de creditis, quae statim solvenda erant, v. g. si merces venditae, *Dn. Mev. p.* 4. *dec.* 11. Et forte non est sine magna molestia, morosos praesertim debitores ad solutionem compellere, et periculosum Tutori est debitum exigere et pecuniam in cista habere, et sic quamvis alias Tutor etiam ad levem culpam obligetur, in hac tamen specie, ut et eo casu, si praedia emit durioribus con- 4
ditionibus, *l.* 8. §. 2. *ff. de admin. tut.* tutor latam tantum culpam praestat, ut *Jac. Cujac. ad hunc tit.* notat. *Schultes ad Mod. Pist. lib.* 3. *q.* 126. *num.* 3. *Hartm. Pist. p.* 1. *qu.* 49. *num.* 10. *Carpz. p.* 2. *const.* 11. *def.* 25. *Guttierez p.* 2. *c.* 16. *num.* 11. *Montan. c.* 39. *num.* 56. Sed in caeteris rebus, atque in specie in Nominibus 5
contrahendis levem praestat culpam, *Carpzov. d. disp.* 25. *Berlich. p.* 3. *concl.* 12. *num.* 25. Collige etiam ex his: Finita Tutela teneri pu- 6
pillum agnoscere nomina paterna, et a priore Tutore contracta, si secundi tutoris culpa lata non sint inidonea facta, *Carpz. d. const.* 11. *def.* 24. Quaeritur autem: *An Tutor debeat* 7
suam diligentiam probare, an vero pupillus negligentiam Tutoris probare debeat? Resp. Distinguendo, an culpam in contrahendo nomine contractam dicat pupillus, an vero in non exigendo, ut illic Tutor diligentiam, hoc casu pupillus negligentiam probare debeat, in nomine paterno, in proprio nomine tutori incumbit probatio, *Hartm. Pist. d. qu.* 49. *Schult. ad Mod. Pist. d. qu.* 126. *num.* 31. *Carpz. d. const.* 11. *def.* 26. Aliter hanc legem interpretatur 8
Finckelthaus. obs. 35. *num.* 17. *et seqq.* scilicet quod Imperator fuerit interrogatus de culpa lata, et sic de ea tantum respondisse, idem forte dicturus de culpa levi, si de ea fuerit interrogatus, et ideo tradit, tutorem, qui paterna nomina, idonea, quae fuerunt tempore susceptae tutelae, non exegit, de culpa levi etiam teneri. Sed receptior est sententia, quam ex hac lege secunda communiter depromunt *DD* et contrariis textibus responderi posset.

L. Si curator. 3.

SUMMARIA

Quaenam contra tutorem, ex deposita pecunia praedium jussu judicis comparantem, pupillo detur actio? num. 1.
An electio pupillo competat? 2.
An habeat actionem hypothecariam? 3.
An tutor pupilli nomine contrahere voluisse praesumatur? 4.

An semper actus praesumatur fieri nomine proprio? 5.

1 Judex deponi jussit pecuniam, ut ea comparentur praedia, Tutor sibi ex ea comparat praedium, *quae actio detur pupillo contra Tutorem?* Resp. Actio Realis ad praedium comparatum, exemplo militis, *l.* 8. *C. de R. V.* vel actio Personalis ad pecuniam cum usuris maximis, id est, centesimis restituendam, *l.* 38. *ff. de neg.*
2 *gest.* et electio competit pupillo. Imo etiam ha-
3 bet pupillus actionem hypothecariam, et hae tres actiones concurrunt. Idem in minoribus, Ecclesiis etc. Vid. *Carpzov. p.* 1. *Jurispr. const.* 28. *def.* 109. Liberum igitur pupillo, an jure Dominii rem a tutore emptam vindicare velit, an vero jus pignoris exercere, *l.* 7. *ff. qui potiores etc. l.* 3. *ff. de rebus eorum etc.* si hoc ei utilius, quam rem habere, *Dn. Carpzov. d. c.* 1.
4 *def.* 21. Praesumitur autem Tutor magis pupilli nomine contrahere voluisse, licet contrarium dixerit, ne duplicis culpae reus habeatur, *l.* 46. §. 2. *ff. de adm. tut. Mascard. concl.* 38. *num.* 2. *Carpz. d. l. def.* 38. *Guttierez p.* 2. *c.* 10. *per tot.* ubi plures allegat, et etiam ad alios
5 administratores extendit. Nam licet actus in dubio praesumatur fieri nomine proprio, *l. et magis* 4. *ff. de solut. l.* 28. *ff. mandati*, haec tamen praesumptio cessat in tutore vel curatore, quando facit id, ad quod faciendum est obligatus, et ideo licet faciat nomine suo, praesumitur tamen facere nomine pupilli, ut delictum evitetur, ut tutor qui contradiceret, allegaret propriam turpitudinem, *Conf. Salgado in Labyr. credit. p.* 2. *cap.* 24. *num.* 45. *et Barbos. locupl. lib.* 1. *cap.* 25. *axiomate* 54. *Parisius vol.* 1. *cons.* 80. *num.* 17. *et seqq.* Sed haec ita, si ex pecunia, vel re ad pupillum pertinente contrahat, *Menoch. lib.* 3. *praes.* 49. *num.* 5. secus si de re sua contrahat, tunc potius proprio nomine videtur contraxisse, quam alieno, *Masc. concl.* 1399. *num.* 9. *Carpz. d. def.* 38. *num.* 3.

L. Eum. 4.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Tutor ex transacto quae solvit, non ut paternam haereditatem pupillo omissam restitueret, sed quod male pupillum abstinuerit, solvit. 2.

1 Tutor propter aes alienum, quod tamen totam haereditatem non absorbet, abstinuit pupillum ab haereditate paterna, ideoque pupillus finita tutela propter lucrum hoc cessans contra tutorem agit, quae lis tamen Transactione finitur, Creditores autem paterni conveniunt pupillum ex ea causa, quia quae transactione consequutus, ut haeres patris, et intuitu paternae haereditatis accepisse videatur: Sed Resp. non posse conveniri pupillum. Ratio in versic.
2 *Nil quippe etc.* Cujus hic est sensus; quod tutor ea, quae ex transacto solvit non propterea solverit, ut paternam haereditatem omissam pupillo restitueret, sed suam tantum lueret culpam, et solveret interesse, quod male pupillum abstinuerit.

L. Omnes. 5.

SUMMARIUM

Si plures Tutores, coram quo judice sint conveniendi?

Quando plures sunt tutores, tunc omnes coram uno judice sunt conveniendi; qui scilicet eorum omnium Judex sit, *hic et l.* 2. *ff. de quib. reb. ad eumd. jud.* ne scilicet continentia causae dividatur, *l.* 10. *supr. de jud.* nec in plures lites pupillus distrahatur. Et sic vides omnes tutores, vel eorum haeredes, coram uno eodemque judice vocari debere, ne continentia causae dividatur, *P. Montan. d. tr. c.* 89. *num.* 2. 6. *et seq.* si ergo Tutores a diversis judicibus, vel ex diversis jurisdictionibus dati, coram supremo omnium judice debent conveniri. Et alias unus sine alio reddere rationem nequit, cum simul tota reddi debeat ab omnibus, *l.* 13. *ff. de manum. testam.* nisi uni tantum sit administratio injuncta, vel ab ipso judice sit divisa, *Guttierez d. p.* 3. *c.* 1. *num.* 111. *Wesenb. cons.* 47. *num.* 24. *Carpz. lib.* 5. *resp.* 92.

L. Cum interdictae. 6.

SUMMARIA

An pupillus contra tutorem, rem majoris pretii pro minori vendentem, licet ratum habuerit, ad id, quod justo deest pretio, cum usuris agere possit? num. 1.
Alius legis casus. 2.
Tutoris haeredes ob fraudolentam patris sui administrationem ad interesse conveniri possunt. 3.
An pupillus eligens unum ex iis, qui administrarunt, petere tutorem possit, ut sibi cedatur actio? 4.
Ob dolum aliquid pupillo praestans, nec cessionem petere potest, nec actionem habet utilem. 5.

Tutor praedium majoris pretii minori pretio 1
vendidit, pupillus major factus hanc venditionem ratam habuit, sed Quaeritur: *An ad id, quod deest justo pretio, agere contra Tutorem possit cum usuris?* Quod Affirm. aliud enim est ratam habere aestimationem, et sic electio est pupilli, an eum contractum servare velit, vel non, sicut etiam in *l. Julianus* 13. §. 27. *ff. de act. empti.* Sed hanc legem de immodica et enormi laesione ultra dimidiam intelligit, *Menoch. cons.* 214. *n.* 64. Vel potest etiam lex 2
intelligi de eo casu, si Tutor partem pretii accepti intercepit, quae lectura litterae videtur propior. Primo autem agere debet contra eum, qui alienavit et gessit, postea etiam contra eum, qui non gessit, vel si omnes gesserint, contra singulos contutores in solidum. Collige ex *hac lege.* I. Tutoris haeredes ob fraudolentam admi- 3
nistrationem tutoris, ad interesse conveniri posse. II. Primo conveniendos esse Tutores vel eorum haeredes, qui gesserunt, nisi alteri contu-

tori mandaverint administrationem, aut satisdationem contutores acceperint, sicut et Negotiis Gestis aequaliter tenentur gerentes et non gerentes, *l. tres tutores* 55. *ff. de admin. tut.*
4 Demum collige: posse tutorem petere, ut sibi cedatur actio, et sic habet beneficium actionum cedendarum, sive ex communi, sive ex alterius culpa conveniatur; quod hoc fine petit, ut si ad meliorem fortunam alter pervenerit, actionem contra eum instituere valeat, *l.* 1. §. 13. *ff. de tut. et rat. Schneidew ad* §. *Si ex testamento num.* 15. *Inst. de satisdat. tut. Guttierez p.* 1. *c.* 15. *num.* 28. Licet habeat utilem actionem sine cessione, *d.* §. 13. *P. Greg. lib.* 13. *Synt. c.* 10. *num.* 14. *Jo. a Sande de*
5 *Cession. c.* 6. *num.* 57. qui autem ob dolum suum praestitit aliquid pupillo, nec potest petere cessionem, nec utilem actionem habet, *d. l.* 1. §. 14. *ff. de tutel. et rat. Celsus Bargalius de dolo lib.* 4. *c.* 4. *num.* 36.

L. Quicquid. 7.

SUMMARIA

De quanam culpa tutor teneatur? num. 1.
Montanus *notatur.* 2.

1 Quamvis tutela non tutoris, sed pupilli gratia suscipiatur, per *l.* 18. *ff. Commodati, et l.* 23. *ff. de R. J.* Tutor tamen non tantum de lata culpa, nisi in *l.* 2. *h. t.* sed etiam de levi tenetur, *l.* 1. *ff. de tut. et rationibus*, et id certi juris esse ait *Carpz. d. const. D.* 35. *et lib.* 5. *resp.* 40. *num.* 9. *Hartm. Pist. D.* 449. *num.* 9. *Petr. Gregor. lib.* 13. *c.* 10. *num.* 5. *Dn. Mevius ad Jus Lubec. lib.* 1. *T.* 7. *Art.* 5. *num.* 5. *Treutl. et ibi Bacchov. d. D.* 9. *th.* 5. *lit. C.* qui totum hoc favore pupillorum introductum dicunt. Nec vero ex eo, quod in *l.* 4. *supr. de peric. tut.* solus casus excipitur, colligendum est, etiam levissimam culpam esse praestandam, cum in *ll. Cod.* a contrario sensu non
2 argumentemur, licet dissentiat *Montanus c.* 36. *num.* 8. *reg.* 3. Et haec culpa levis etiam in non acquisitis lucris attenditur, adeo, ut tutor ad interesse teneatur, v. g. si voluit aliquis pupillo legare, quod impedit tutor, *Glossa et Salyc. hic et P. Mont. c.* 39. *num.* 45. licet aliter *Guttierez p.* 2. *c.* 14. Haec culpa levis etiam praestanda, si nomina ipse contraxit Tutor, *Hartm. Pist. vol.* 1. *q.* 49. *num.* 9. *et seqq. Dn. Mevius d. dec.* 11.

L. Tutores. 8.

SUMMARIA

Actioni tutelae quando praescribatur? num. 1.
Tutor et haeredes ejus usque ad 30. *annos conveniri possunt.* 2.
Quibus remediis tutor ab actione liberari possit? 3.
An et in quantum redditio rationum tutori a testatore remitti possit? 4.

1 Actioni Tutelae non praescribitur longo tempore, id est, 10. vel 20. annis, quia scilicet est Actio Personalis, per *l.* 5. *C. Quibus non obstat longi temp. praescriptio*, sed praescribitur tantum 30. annis, ab adepta pubertate enumerandis, *l. sicut* 3. *C. de praescript.* 30. *ann.* Collige ergo: Tutorem aut ejus haeredes usque 2
ad 30. annos posse conveniri actione Tutelae ad rationes reddendas, *Boer. dec.* 59. *num.* 1. *Cavalcan. de tutore et curat. num.* 202. *Guttierez p.* 2. *c.* 2. *num.* 27. Notetur etiam: Per 3
Transactionem vel Novationem vel pactum liberatorium, posse tutorem ab actione tutelae liberari; Sed quaeritur: *Si testator redditionem* 4
rationum tutori remiserit, an tutor plane conveniri non possit? Resp. Non prodesse id omnimodo tutori, *l.* 5. §. 7. *ff. de admin. tut.* Sed tantum scrupulosa inquisitio remissa videtur, *l.* 119. *ff. de legat.* 1. et culpa tantum remissa videtur, *Hillig. in Don. lib.* 15. *cap.* 20. *lit. D.* et quidem levis, *Munnoz de Escobar de ratiocin. c.* 5. *num.* 16. Conf. *Guttierez d. p.* 3. *c.* 1. *num.* 32. non vero dolus, *Tuschus lit. T. concl.* 442. *num.* 19.

L. Tutorem. 9.

SUMMARIUM

Casus legis.

Tutor meus matri cessit administrationem bonorum meorum, et mater ipsi promisit indemnitatem: cum adultus factus essem, agere volo adversus matrem, videtur quod possim, ob minuendas lites et favorem pupillaris aetatis; Sed Resp. quod non, quia mater non mihi, sed tutori indemnitatem promisit, ergo mecum nihil agit, sed cum tutore agendum est, ut rationes reddat et reliqua restituat, nam tutor ex quasi contractu mihi obligatus est, qui condemnatus regressum habet contra matrem ex stipulatu, nec haec SCto Vallejano juvatur, quia ob suum factum se obligavit; sed si tutor non sit solvendo, statim me utilem actionem habere volunt, imo putarem pupillum habere actionem Negotiorum Gestorum, non ex stipulatione, de qua hic tantum quaestio est, sed ex gestione negotiorum suorum.

L. Si defunctus. 10.

SUMMARIA

An ex hoc, quod tutor tempore susceptae tutelae pauper, et postea dives repertus fuerit, fraus ejus probari possit? num. 1.
Acquisita a tutore durante tutela a pupilli bonis quaesita non praesumuntur. 2.
Quilibet sua industria dives factus praesumitur. 3.
Nisi conjectura sit in contrarium. 4.

Quaeritur: *An ex hoc fraus tutoris probari* 1
possit, si tempore susceptae tutelae pauper, et postea dives reperiatur? Resp. quod non, quia industria sua, vel successione, aliisque modis potuit augere patrimonium, adeoque in dubio sequimur honestiorem conjecturam, ut evitetur

delictum. Vid. *Mascard. de probat. vol.* 3. *concl.* 1399. *num.* 9. *et seq. Montan. de tutel. c.* 36. *reg.* 2. *num.* 15. *et seqq. ubi num.* 17. excipit casum, nisi tutor in redditione rationum defecerit. Ex *hac* notabili *lege* ergo probatur:
2 Acquisita a tutore, durante tutela, non praesumi quaesita e bonis pupilli, tum ne praesumatur delictum, quod facile praesumendum
3 non est, *l. merito ff. Pro socio,* tum quia quilibet praesumitur sua industria factus esse dives, *Pacian. de probat. lib.* 1. *c.* 54. *num.* 25. *Menoch. lib.* 6. *praes.* 20. *Mascard. concl.* 1392. *num.* 9. *et seq. Guttierez p.* 3. *cap. ult. num.* 2. *Joan. Balth. d. tit.* 5. *resol.* 6. *num.* 9. quam conclusionem extendunt ad Curatorem, et alios rerum alienarum Administratores, ad Matrem, etc. *Guttierez et Balthas. dd. locis.*
4 Sed limitant, nisi sit conjectura in contrarium, vel nulla sit industria penes tutorem etc.

L. Tutor. 11.

SUMMARIUM

An tutor etiam de connexis administratis finita tutela teneatur?

Si quae Tutor finita tutela, ut connexa, administraverit, juxta *l.* 6. *supr. de peric. tut.* de iis etiam finita tutela tenetur, sed de aliis non, quia periculum praeteritae administrationis ad eum pertinet, *d. l.* 6. Sed Notandum, duplici ratione fieri posse, ut tutor in administratione permanserit, primo quia vult continuare Cautelam cum tutela, et tunc usque ad tempus majorennis aetatis obligatus est ad rationes reddendas; deinde vero ob connexa negotia, quia vult negotia in tutela inchoata ad finem producere: illo casu tenetur ad gestionem usque ad aetatem majorennem, hoc casu, ad rationem reddendam de illo tantum negotio; illud habet actionem negotiorum gestorum, hoc vero actionem tutelae, *l.* 13. *ff. de tutel. et rat. distrah.*

L. Tutelae actio. 12.

SUMMARIUM

Cui et contra quos detur directa pupilli actio?

Tutelae Actio directa ut datur pupilli haeredi, *hic et l.* 1. §. 17. *ff. de tut. et rationibus, l.* 33. §. 2. *ff. de admin. tut.* ita etiam datur contra haeredem tutoris, *l.* 1. §. 16. *ff. de tut. et rationibus.* Vid. infr. *de haeredibus tut.* quia est rei persecutoria.

L. Veteris. ult.

SUMMARIA

An assertio tutoris plus in bonis pupilli quam revera est, asserentis, isti praejudicet? num. 1.
Annon probatio justi erroris, quo motus fuisset ad credendum, rem esse pupilli, admittatur? 2.
Quatenus haec praesumptio non valeat? 3.
Tutor, antequam gerat, Inventarium conficiat. 4.
Poena. 5.
An etiam mater et tutor honorarius? 6.
An pater legitimus administrator? 7.

Princip. Tutoris assertio, qua plus in bonis 1
pupilli esse dicit, quam revera est, tutori non praejudicat, sed, si Inventario publico res suas inscribi curaverit, licet postea errorem alleget ex eo tamen Inventario publico contra tutorem oritur praesumptio juris et de jure, *Jo. Pet. Surdus dec.* 180. *num.* 3. Ratio in *fine principii: Neque enim sic homo simplex (imo stultus) reperietur, qui aliquid contra se in Inventario scribi patiatur,* et ratio, partim in favore pupilli, partim in solemnitate Inventarii, contra *l.* 18. *C. de probat.* Sed Quaeritur: *Annon* 2
admittatur probatio justi erroris, quo motus fuisset ad credendum, rem esse pupilli? Quod Affirmant, quia error etiam in proprio facto, praesertim si causam justam habeat, solet in damno vitando non obesse, *l.* 22. *ff. de condict. indeb.* Ergo *lex haec* restringenda est, si tutor fraudolenter, vel scienter, ob simulationem, aliumque finem similem, non ex justo errore res suas inscripsisset, *Guttierez p.* 2. *c.* 2. *num.* 103. nec valet haec praesumptio in praejudicium tertii, *Guttier. d. l. n.* 106. *Menoch. lib.* 6. *d. praes.* 97. *num.* 9. *Menoch. c.* 33. *reg.* 5. *num.* 67. nec pertinet ad immobilia, quae occultari non possunt, *Menoch. d. l. num.*
6. *Guttierez num.* 107. nec valeret haec prae- 3
sumptio, si fateretur pupillus, rem esse falso insertam Inventario, cum per confessionem adversarii admittatur etiam probatio contra praesumptionem juris et de jure, *Ant. de Padilla in l. error C. de juris et facti ignor. num.* 33. quamvis hujus legis dispositionem etiam ad confessionem, factam in scriptura privata, extendant *Guttierez d. l. num.* 108. *Menoch. d. l. num.* 4. de quo tamen valde dubito, quia expresse hic inter confessionem aliam, et solemne Inventarium distinguitur.

§. 1. Tutor antequam gerat, Inventarium con- 4
ficere debet, quod si negligat, ut suspectus cum infamia removetur. Interdum et aliis poe- 5
nis coercetur juxta *l.* 1. §. *fin. ff. de susp. tut.*
Et hoc etiam in Matre locum habet, quia lex 6
non distinguit, *Guttierez p.* 2. *c.* 1. *num.* 12. *et* 15. *Montan. d. reg.* 5. *num.* 24. et in tutore honorario, quia ei solvi potest, *l.* 14. §. 1.
ff. de solut. Guttierez d. c. 1. *num.* 53. Sed non 7
habet locum in Patre legitimo administratore, *Montan. d. l. num.* 88. quia juxta communem sententiam, nec ad rationum redditionem tenetur, *Myns. cent.* 2. *obs.* 93. Excipitur: 1. Nisi testator remiserit confectionem Inventarii per *hunc* §. quo tamen casu librum rationum conficere tenebitur, *Guttierez d. c.* 1. *num.* 113. Imo Judex ob utilitatem pupilli, ex causa aliqua suspicionis, potest tutori Inventarii confectionem injungere, *Covarr. lib.* 2. *resol. c.* 14. *num.* 4. *Molina d.* 223. *num.* 12. *Balthas. d. T.* 5. *res.* 4. *num.* 13: 2. Nisi alias res essent perituraе, *l.* 7. *pr. ff. de admin. tut.*

TITULUS LII.

De dividenda tutela, et pro qua parte quisquis tutorum conveniatur.

L. Si post. I.

SUMMARIA

An pupillus, plures habens tutores, qui omnes sunt solvendo, contra unum in solidum agere possit? num. 1.
An tutores habeant beneficium divisionis? 2.

1 Quando pupillus plures habet Tutores, et
omnes tempore depositi officii sunt solvendo,
contra unum agi in solidum non potest, vide
l. 3. *C. de prob.* (Sed si non sint solvendo,
contra unum in solidum agi potest, *l.* 1. §. 11.
ff. de tut. et rat.) Nam quamvis omnes in so-
lidum obligentur, cum quilibet habeat potesta-
tem in solidum administrandi, et tutela ipsa in-
dividua sit, et unius factum collegae imputetur,
quod cum suspectum non postulaverit, et ita
consulatur pupillis, quas rationes recenset *Mon-*
2 *tan. c.* 39. *num.* 94. *et seqq.* habent tamen tu-
tores beneficium Divisionis, si omnes tempore
depositi officii sint solvendo. Nam si postea ali-
quis inidoneus fiat, hoc non culpa Contutoris,
sed Curatoris, vel adulti factum; probandum
autem hoc est Tutori, quod Contutor tempore
finitae tutelae fuerit solvendo, per *d. l.* 3. *Hill.*
in Donell. lib. 25. *cap.* 4. *in fine. Guttierez p.*
1. *c.* 15. *num.* 18. licet diversum vel contra-
rium asserere videatur *Tuschus lit. T. concl.* 437.
num. 9.

L. Si divisio. 2. et L. ult.

SUMMARIA

Contra quem tutorem, si plures sint, agi possit? num. 1.
Quaenam ille, qui convenitur, habeat beneficia? 2. 3. 7.
An beneficio cessionis possit renunciari? 4.
Quid si cedere non possit? 5.
In quantum cessio facienda? 6.
Si per provincias divisa administratio, an contutor conveniri debeat? 8.
Quid si de non gesto agitur, an detur beneficium ordinis? 9.
Administratione a testatore vel judice divisa, quilibet de sua tenetur. 10.
An tutores conventi ob communem dolum habeant beneficium divisionis? 11.
An reliqua etiam beneficia his denegentur? 12.

1 Si plures sint pupilli Tutores, *contra quem*
agi potest? Resp. Aut divisio administrationis
nulla facta est, vel facta quidem, sed tantum
a tutoribus, et tunc in solidum agi potest con-
tra quemcumque, quia pactum tutorum pupillo
praejudicare nequit. Sed habet ille qui conve- 2
nitur, 1. Beneficium Divisionis, *d. l.* 1. §. 11.
Carpzov. p. 2. *const.* 11. *def.* 26. nam hoc be-
neficium jure novo *per hanc legem* 2. abroga-
tum non est, si quidem ex eo, quod pupillus
contra unum agere possit in solidum, non se-
quitur, Ergo tutor non habet beneficium divi-
sionis, exemplo duorum correorum, *Cothman.*
vol. 2. *cons.* 83. *num.* 154: *et* 2. Beneficium 3
Cessionis, et potest petere, ut sibi cedatur actio
contra tutores, per *hanc l.* 2. *Guttierez p.* 1.
c. 25. *num.* 28. *Wesenb. cons.* 227. Et huic be- 4
neficio non nisi specialiter, renunciari potest,
Montan. c. 39. *num.* 132. *Guttierez d. c.* 15. *num.*
30. quia beneficium hoc non competit tempore
obligationis, sed solutionis, *Bald. in l.* 13. *C.*
locati. Imo licet renunciari posset, potest tamen
tutor petere cessionem, cum non obsit ceden-
ti, petenti tamen tutori prosit, *Carpzov. lib.* 2.
Resp. 70. sed quid si non possit cedere, quia 5
unum contutorem liberavit, tunc repelletur
exceptione pupillus, *per l. si pupillus* 45. *ff. de*
adm. tut. Card. Tuschus concl. 437. *num.* 20.
qui citat Castrensem lib. 1. *consil.* 2. *n.* 61. Si autem
nulla facta cessio, datur pupillo Negotiorum
Gestorum actio, *l.* 30. *ff. de neg. gest.* Sed quia
haec actio non habet hypothecam, data fuit
etiam utilis actio, quae cum hypotheca tran-
sit, licet dissentiat *Bacchov. in Treutl. d. D.* 9.
thes. 5. *lit. B.* Cessio autem facienda in solidum, 6
si pro aliena culpa conveniatur, pro parte vero
si pro communi culpa, non autem est petenda
cessio, quando quis propter propriam culpam
convenitur, *Montan. d. l. n.* 142. *et seq.* non etiam
competit cessio, si ex dolo communi tutor con-
veniatur, per *l.* 1. §. 14. *ff. de tutel. et ration:*
3. Beneficium Ordinis in gestis habet ille, qui 7
non gessit, ut excutiatur prius, qui gessit, *l. ult.*
C. h. t. vid. *Guttierez p.* 1. *c.* 15. *num.* 10.
Hartm. Pist. p. 1. *qu.* 6. *Carpz. d. p.* 2. *const.*
11. *def.* 36. Quod si per provincias divisa admi- 8
nistratio, non debet contutor conveniri, *l.* 2.
supr. si ex plurib. tutoribus, etc. Quando vero 9
de non gesto agitur, quia omnium par negli-
gentia, nullum datur Beneficium ordinis, *l. ult.*
C. si tutor vel curator non gesserit, Guttierez
d. c. 15. *num.* 15. nisi divisa fuerit tutela, et
non gesta fuerint inseparabiliter connexa illis,
quae gesta sunt, *per l. tres tutores* 55. §. 3. *ff.*
de adm. tut. Petr. Gregor. lib. 13. *c.* 10. *num.* 12.
Ronchegallus ad l. eamdem 9. *ff. de duobus*
reis num. 233. *Hartm. Pist. lib.* 1. *qu.* 6. *num.*
33. Si vero administratio a testatore vel judice 10
divisa sit, tum quilibet de sua administratione
tantum tenetur, nec ob alterius culpam potest
conveniri, nisi propria ipsius culpa concurrat,
si non, aut tarde nimis contutorem suspectum
postulaverit, *l.* 2. *h. t.* vel alterum non instru-
xerit, *l.* 47. §. 2. *ff. de adm. tut.* quia hoc casu
non ob alienam, sed ob propriam culpam con-
venitur. Sed Quaeritur. *An si ob communem* 11

dolum conveniantur tutores, habeant beneficium divisionis? Quae vetus controversia fuit inter *Azonem et Hugolinum.* Et hujus affirmativam sententiam approbare videntur *DD.* ut communem et aequam, et in *l. si plures* 38. *ff. de admin. tut.* ut apparet ex traditis *Guttierez p.* 1. *cap.* 15. *num.* 20. *Joann. Franc. Balth. d. tit.* 5. *res.* 1. *num.* 7. *in fine. Hieron. de Caevall.* qu. 845. nam in *d. l.* 38. inter tutores contumaciter non
12 gerentes locum habet divisio. Licet igitur beneficium Ordinis iis denegetur, per *d. l.* 55. *pr. ff. de adm. tut.* licet etiam beneficium cedendarum actionum iis non detur, per *d. l.* 1. §. 14. *ff. de tutel. et ration.* ex naturali tamen aequitate ipsis tributum Divisionis Beneficium, *Boer. decis.* 59. *num.* 3. *Donell. lib.* 15. *c.* 20. *Zang. de Except. p.* 3. *c.* 19. *num.* 16. *et seq.* et citati a *DD.* Non est autem improbabilis conciliatio, si horum sententiam intelligamus de dolo in omittendo, de quo etiam *d. l.* 38. loquitur, *Montan. d. c.* 39. *num.* 155. quam conciliationem laudat *Caevallus d. l. num.* 8.

TITULUS LIII.

De in litem jurando

LL. 1. 2. 4. et 5.

SUMMARIA

Contra quem tutorem juretur in litem? num. 1.
Qui scit et scire debet, quid ratione officii sit faciendum, nec facit, in praesumpto dolo est, et ad interesse per juramentum in litem aestimandam praestandum condemnari potest. 2.
Species legis. 3.
Quid probandum, ut contra haeredem tutoris juretur in litem? 4.
An dolus sufficiat praesumptus? 5.
An locum hoc habeat etiam in aliis casibus? 6.
An speciale sit in hac l? 7.
Quatenus lata culpa aequiparetur dolo? 8.
Jusjurandum in litem etiam propter latam culpam praestetur. 9.
An juramentum in litem veritatis etiam ob culpam levem praestari possit? 10.
Quidnam ratione hujus juramenti intersit, inter tutorem et haeredem? 11.
Communis DD. opinio *notatur.* 12.
An etiam post litem contestatam contra haeredem juretur? 13.
Judex adultum vel ejus Curatorem volentem hoc casu jurare, admittere debet. 14.
Quomodo juret ejusmodi Curator? 15.
Quatenus juramentum hoc haeredi minoris deferri possit? 16.

1 Adversus Tutorem, Inventarium non conficientem, vel rationum librum non edentem, *Schurf. cons.* 9. *num.* 8. *vol.* 2. (qui *num.* 7.
2 exinde regulam adstruit, quod ille, qui scit aut scire debet, quid ratione officii sit faciendum, et tamen non facit, in praesumpto dolo sit et ad interesse per juramentum in litem aestimandam praestandum, condemnari potest, quae regula non tantum in materia tutelari, sed etiam in aliis materiis locum habet et ita late patet,) aut inordinate factum edentem, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 208. *num.* 19. vel instrumenta dolose, vel lata culpa detinentem, juratur in litem, ut scilicet minor, seu Curator, interesse illud juramento determinet, modo Tutor non possit praetendere probabilem causam non confecti Inventarii, v. g. Si necessitas faciendi Inventarii, aut scrupolosa redditio rationum ipsi remissa, vel si Tutor velit probare, quae bona extiterint, quia cessat illa difficultas probandi, quae causam dedit jurameto in litem, et contra hoc juramentum contrariae probationes recipiuntur, *Menoch. cas.* 209. *num.* 21. vel si propter simplicitatem aut rusticitatem omiserit, quae a dolo excusat, *Menoch. d. l. num.* 21. *Montan. de tutel. c.* 32. *reg.* 5. *et* 6. *num.* 26. *et seq.* Sed *an contra Tutoris haeredem etiam juratur in litem?* Neg. *l. ult. h. t.* nisi lis cum defuncto contestata, *l. ult. ff. de fidejuss. tut.* aut nisi ipse haeres dolo vel culpa instrumenta non restituat, *d. l.* 1. *et* 2. Est enim haec *l.* 1. 3
species: Haeredes Tutoris instrumentorum quorumdam restitutionem recusabant, Curator adulti agit contra tutoris haeredes, Quaeritur: *An possit Curator admitti ad juramentum in litem?* Et Respondetur quod sic, modo velit; nam curator alias non compellitur, ne sub alieni compendii emolumento anceps perjurium subeat, per *l.* 4. *pr. ff. h. t. Berlich, dec.* 164. *num.* 1. *et seq.* quo pertinent ultima legis primae verba: *modo si quondam etc.* In *l.* 2. autem Quaeritur: *Quid probandum sit, ut contra haeredem tutoris* 4
juretur in litem? Et Respondetur dolum, vel fraudem, et latam culpam requiri. Et quidem do- 5
lum praesumptum hic sufficere, si contra tutorem agatur, probatur ex *l.* 7. *pr. ff. de admin. tut.* et hoc in aliis casibus, in quibus in litem juratur, 6
locum habere tradit *Covar. lib.* 2. *resol. c.* 14. *num.* 5. *et* 6. modo indicia doli non sint levia, *Plotus de in litem jurando* §. 49. *num.* 31. *Schraderus de feud. p.* 10. *sect.* 4. *num.* 188. Nec facio cum illis, qui in *hac l.* 1. speciale esse 7
putant, quod ex culpa lata in litem juretur, ut *Schraderus d. c.* 4. *num.* 185. *Plotus d. Tr.* §. 4. *num.* 86. et quos allegat *Hillig. in Donell. lib* 26. *c.* 9. *lit. D.* nam exceptis Criminalibus causis, lata culpa, praesertim versutiae, dolo aequi- 8
paratur, et ideo generaliter hoc intelligimus, quod jusjurandum in litem etiam propter cul- 9
pam latam praestetur, cum *Donell. d. l. et Hillig. et Duareno, Bronchorst, Busio, Corasio,* quos allegat *Hilliger, et Zasius ad l.* 5. *ff. h. t. n.* 19. *Treutl. vol.* 1. *disp.* 21. *th.* 12. *lit. P.* Sane juramentum in litem veritatis etiam ob cul- 10
pam levem praestari potest, *l.* 5. §. *fin. ff. h. t. Don. lib.* 26. *c.* 10. *Setserus de juram. lib.* 5. *c.* 6. *num.* 24. Sed hoc interesse putatur inter 11
Tutorem et haeredem, ut contra illum etiam ob levem culpam, contra hunc vero ob latam culpam tantum in litem juretur, alia enim ratio Tutoris, alia haeredis, *d. l.* 4. *pr. et* §. 1. *ff.*

12 *de fidejuss. tutor.* Atque ita sentiunt *DD.* communiter, ut apparet ex traditis *Ploti in Tr. de juram. in litem* §. 4. *in fine*, sed verius est, contra Tutorem etiam tantum ex lata culpa jurari, sed in hoc consistit differentia inter Tutorem et haeredem, quod ille non proferens instrumenta, simpliciter in lata culpa vel dolo esse praesumatur, haeres vero ejus non, nisi instrumenta in haereditate reperta esse probetur, *Bacchov. in Treutl. V.* 2. *disp.* 9. *th.* 5. *lit. B. Setser. de*
13 *juram. lib.* 5. *c.* 6. *num.* 18. Sed post litem contestatam contra haeredem etiam juratur, *l. fin.*
14 *ff. de fidej. tut.* Et Judex debet adultum vel ejus Curatorem volentem hoc casu jurare, admittere, per *l. fin. ff. de fidejuss. tut. Treutl. d. lit. F. Mynsing. dec.* 3. *cons.* 2. *num.* 89. *Jason. in l. si quando num.* 54. *C. Unde vi, Setserus d. c.* 6. *num.* 22. *Farin. p.* 2. *Fragm. lit. I. num.* 1057. nam compelli non debet, quia nescire potest interesse, et grave est invitos curatores sub alieni compendii emolumento anceps per-
15 jurii periculum subire, *l.* 4. *ff. h. t.* et jurare debet curator hoc modo, quod sic rem aestimet, si esset pupilli vel minoris loco, *Hillig. in Don. l.* 26. *c.* 7. *lit. G.* Haeredi autem minoris deferri 16
potest, si bene sit informatus, et ita intelligendus, *Afflictus dec.* 169.

L. Summa. 3.

SUMMARIUM

An minor, damnum Curatoris, v. g. centum aureis *jurato aestimans, condemnato curatore postea pacto vel transactione summam minuere possit?*

Minor juravit contra curatorem, quod damnum centum aureis aestimat, Curator condemnatur; Quaeritur: *An postea pacto, vel transactione minuere hanc summam minor possit?* Resp. Quod non, quod hic proculdubio singulare, nisi per pactum transactio intelligatur, quae super re liquida interponi non potest, *l. si causa cognita* 32. *supr. de trasact.*

TITULUS LIV.

De haeredibus vel tutorum vel curatorum.

L. Haeredes. 1.

SUMMARIA

Conditio obligationis ex persona haeredum non mutatur. num. 1.
An alia sit tutoris, alia haeredis obligatio? 2.
Quaenam cujusque sit? 3.

1 Quamvis alias conditio obligationis ex persona haeredum non mutetur, *l.* 2. §. 2. *ff. de V. O.*
2 aliter tamen tutor obligatur, aliter ejus hae-
3 res. Nam tutor etiam ob levem culpam tenetur, ejus haeres ex dolo tantum defuncti, et lata ejus culpa, *l.* 1. *h. t.* quod novum non esse, ut aliter defunctus, aliter haeres teneatur, contra *Cujac.* cum *Nobiliss. Suerinio et Ant. Fabro* probat *Carpz. p.* 2. *const.* 2. *def.* 35. *Bacchov. in Treutl. d. D.* 9. *th.* 5. *lit. D. et E. Montan. de tut. c.* 39. *num.* 50. nisi cum damno pupilli lucrum captavit, aut gratiam alterius, *d. l.* 1. *h. t.* ita ut haec verba contineant latam culpam, *l.* 8. §. *fin. ff. mand.* vid. *Bacch. in Treutl. vol.* 2. *disp.* 9. *th.* 5. *lit. D. et E. Dec. in l. contr. ff. de R. J. num.* 32. vel ita, quod potuerit aliquid adquirere, et alii permiserit, *P. Mont. de tut. c.* 39. *num.* 90.

L. Pater vester. 2.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Si duo sint Tutores, primus et secundus, et Primus non gessit, quae lata culpa est, tunc ejus haeres etiam tenetur ex lata culpa defuncti, ita tamen ut conveniatur prius secundus, qui gessit, *l.* 2. *h. t.* videantur dicta ad *l.* 2. *supr. de divid. tut.*

L. Adversus. 3.

SUMMARIA

An ex negligentia tutoris, qui pro debitore pupilli fidejussor factus, ejus haeres teneatur? num. 1.
Exceptio prima a regula. 2.

Sic si Tutor sit fidejussor pro debitore pupilli, 1
et non exegerit, neque a debitore, neque a se, summa negligentia est, ergo ex ea etiam tenetur haeres per *l.* 3. quia si fidejussit pro pupillo, etiam post depositam tutelam tenetur, nec potest per depositionem officii se ab hac fidejussione liberare, per *l. si non subscripsit* 15. *sup. de adm. tut. Hering. de fidejuss. c.* 20. §. 31. *num.* 4. *Ant. Fab. lib.* 5. *Cod. tit.* 23. *def.* 5. *num.* 4. Excipitur I. Nisi lis cum defuncto 2
tutore sit contestata: tunc enim ex tutoris levi culpa tenetur haeres ejus, per *l.* 1. *h. t. Mont. d. c.* 39. *num.* 89. Ratio in *l. ult. ff. de fidejuss. tut.*

L. Haeredes. ult.

SUMMARIUM

Altera a regula praecedente exceptio.

Exceptio II. est, nisi aliquid ad haeredem per- 1
venerit, *l. ult. h. t.* quod in obligationibus ex delictis descendentibus regulare est, *l. in haeredem* 26. *ff. de dolo malo, P. Montan. c.* 33. *num.* 86.

TITULUS LV.

Si tutor vel curator non gesserit.

L. Certum est. 1.

SUMMARIUM

Casus legis.

Patronus et libertus simul dati erant pupillo Tutores: Patronus male gessit, Libertus veretur suspectum postulare contutorem, quia famosa est actio, sed non excusatur Libertus, quia officium judicis implorare potuit, ut removeretur Patronus, per *l.* 3. §. 4. *ff. de susp. tut.*

L. Qui se. 2.

SUMMARIA

An tutores aequaliter sine ordine tutelae actione teneantur? num. 1.
Deciditur distinguendo. 2.

1 Quaeritur hic: *An tutores aequaliter sine ordine, teneantur actione tutelae?* Et Respond.
2 distinguendo; utrum in committendo aliquod peccatum, et tunc ille qui gessit, prius conveniendus, alter vero qui non gessit, in subsidium tantum, si ille non sit solvendo; an vero omittendo quid neglectum, et tunc omnes aequaliter tenentur, quia peccarunt omnes pariter negligendo, *Guttierez p.* 1. *c.* 15. *num.* 15. quia in neglectis communis est culpa gerentis aliqua negotia tutelae et non gerentis. Ideo hoc casu non gerens beneficio ordinis se tueri non potest, *l. tutores* 39. §. *in eum* 11. *ff. de adm. tut. Hartm. Pist. l.* 1. *q.* 9. *num.* 33. *ubi num. seq.* hoc limitat in eo casu, si non gesta conjuncta sint rebus gestis ac connexa, nam tunc ordinis beneficium locum habet. Vide *l.* 1. *supr. de divid. tut.* et ibi notata et annotata *ad l.* 8. *sup. de adm. tut.*

TITULUS LVI.

De usuris pupillaribus.

L. Tutorem. 1.

SUMMARIA

An et quatenus tutor pecuniam pupillarem juste non collocans non ad sortem tantum sed et legitimas usuras teneatur? num. 1.
Legitimae usurae hoc loco *sunt centesimae.* 2.
An ulterius extra ordinem plecti queat? 3.
An ejusmodi usurae centesimae etiamnum hodie a tutore possint exigi? 4.

1 Si Tutor pecuniam pupillarem in suos usus converterit, *l.* 1. *h. t. l.* 7. §. 4. *ff. de adm. tut.* vel si otiosam pecuniam habuit, et non collocavit foenori, nec praedia comparavit, *l.* 3. *h. t.* modo potuerit, Vid. *Montanus c.* 32. *num.* 187. modo etiam summa sit notabilis, ac lapsi 6. menses, *vid. Christinaeus lib.* 3. *dec.* 167. *num.* 2. *et* 3. solvit non tantum sortem, sed etiam
2 usuras legitimas, quae hic centesimae sunt, per *l.* 54. *ff. de adm. tut. l.* 38. *ff. de n. g.* vid. *Montanus c.* 32. *num.* 207. *et seqq. Donell. de usur. c.* 4. *Dn. Mevius ad Jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 7. *art.* 7. *num.* 12. adeoque ad usuras tenetur tutor, si fuit in mora et quamdiu pecuniam non solvit, neque deposuit et obsignavit, *l.* 28. §. 1. *ff. de adm. tut.* quoniam ex solo tempore tardae solutionis pupillis et minoribus mora committitur, *l.* 3. *C. in quibus causis in integrum restit. Bacch. in Tr. vol.* 2. *d.* 9. *th.* 5. *lit. B.* Sed et extra ordinem plecti potest Tu- 3
tor, *Montan. c.* 32. *reg.* 9. *num.* 212. *Rol. a Valle vol.* 1. *cons.* 49. *num.* 26. *Cravetta cons.* 216. *num.* 1. et licet *Molin. de usuris qu.* 76. etiam hodie centesimas usuras a Tutore exigi 4
posse tradat, hodie tamen id per *l. eos C. de usuris* mutatum esse volunt *Cujac. in π. h. t. Rittersh. ad Nov. p.* 8. *c.* 6. *num.* 21. *Rauchbar. p.* 3. *qu.* 26. *num.* 27. quos laudat *Dn. Mevius d. l. num.* 13. de quorum tamen sententia dubito, nam posterior generalis non tollit specialem priorem. Sed horum sententiam aequiorem et forte moribus etiam receptam non diffiteor.

L. Ejus. 2.

SUMMARIA

An tutor teneatur etiam pro culpa contutoris? num. 1.
Ad quid tutor hodie et an ad usuras obligetur? 2.

Et quidem tutor non tantum pro sua culpa, 1
sed etiam contutoris tenetur, si is non solvendo, quia imputari ei potest, quod suspectum tutorem non accusaverit, *l.* 2. *h. t.* ubi tamen regulares usuras deberi rationis est. Imo Tuto- 2
rem hodie non obligari ad usuras, sed ad interesse lucri cessantis et damni emergentis, volunt *Canonistae, et Covarruvias lib.* 3. *resol. c.* 2. *num.* 1. ubi dicit, Tutorem posse dare

pecuniam pupillarem mercatori ad partem lucri honestam recipiendam pro more regionis, *Guttierez p. 2. cap. 9. num. 4. et seqq.* Sed et dici potest, etiamsi usurae essent prohibitae, in poenam tamen Tutorum dolose versantium potuisse legem ad usuras condemnare, ut ita sit poena legalis, *Mev. d. l. num.* 15.

L. Si pecuniam. 3.

SUMMARIUM

Exceptio a regula praeced.

Si tutor pecuniam pupillarem non potuit foenori collocare, nec praedia emere, non tenetur ad usuras, modo in suam utilitatem non convenerit.

L. Pupillus. ult.

SUMMARIA

An tutor pupillum, finita tutela ut agat, compellere possit? num. 1.
An et quomodo tutor propter cursum usurarum pupillum ad judicium provocare queat? 2.
An depositio testium cursu usurarum semel inchoato requiratur? 3.
Intellectus legis. 4.
An et quando verbalis oblatio sufficiat? 5.

Tutor finita tutela vult liberari periculo: Cum 1
autem pupillus actionem differat, tutor quidem pupillum non potest compellere, ut agat, *tot. tit. C. ut nemo invitus etc.* Sed ut cursus 2
usurarum si quid tutor debeat, pupillo sistatur, potest tutor pupillum provocare ad judicium testato, id est, coram testibus, ac si tunc cesset, potest coram actis vel rationes deponere, vel pecuniam debitam consignare, vel testes ad perpetuam memoriam producere, vel ex *l. diffamati* agere, quamvis autem depositionem hic non requiri velint *Molin. de usuris qu.* 39. *num.* 206. *et Perez hic*, *Finckelthaus obs.* 46. *num.* 22. *Goedd. de stipulat. c.* 12. *num.* 34. qui tamen male pro sua sententia citat *Sichard. in l.* 19. *C. de usuris num.* 11. *et Jasonem in l.* 22. §. *Sejan.* 23. *ff. d. V. O.* nam ambo inter 3
cursum usurarum coeptum, et nondum coeptum distinguunt, verius tamen ad depositionem et obsignationem requiri, quando cursus usurarum semel inchoatus, per *l.* 28. §. 1. ibi *Ulpianus notat. ff.* de *admin. tut.* per *d. l. acceptam* 19. *C. de usuris*, *l.* 1. §. *fin. ff. eodem Neguz. m.* 3. *p.* 15. *num.* 2. *Jason. et Sichard. dd. ll. Georg. Schultz tr. de oblat. pecun. c.* 6. *num.* 5. *et seq. Christin. vol.* 3. *dec.* 166. *num.* 10. est itaque *haec lex* non de nuda de- 4
latione, sed legali intelligenda, *Salyc. in hac l. fin.* Conf. *Munnoz de Escobar de Ratiocin. c.* 15. *num.* 42. quamvis si incertum sit quid, et 5
quantum debeatur, concedi possit, verbalem oblationem sufficere, si per creditorem stet, ut ex *hac lege* probant *Zang. de Except. p.* 3. *c.* 2. *num.* 162. *Schultz d. tr. c.* 8. *num.* 6.

TITULUS LVII.

De fidejussoribus tutorum vel curatorum.

L. Eligere debes. 1.

SUMMARIA

An pro tutore fidejussores intervenire soleant, et in quantum hi teneantur? num. 1.
An fidejussores ad liberationem possint agere? 2.
Quid si pupillus contra fidejussorem agere velit? 3.
Jus hodiernum. 4.
An pupillus utrumque tam fidejussorem quam ipsum tutorem in solidum convenire possit? 5.
An qui affirmarunt tutorem esse idoneum, pro fidejussoribus habeantur? 6.
Cautela Magistratui circa dationem tutoris observanda. 7.

1 Pro tutore intervenire solent fidejussores, qui tenentur pro omni fraude ac culpa a tutore adhibita, v. g. si instantiam labi passus sit tutor per *l. properandum* 13. §. *fin. C. de judic.* ex quo *Neguz. m.* 4. *part.* 2. *de pign. num.* 8. vult probare, etiam fidejussorum bona obligari, quod tamen non videtur admittendum, cum de tutorum et curatorum bonis ea verba intelligi possint. Sed pro iis, quae tutor post pubertatem nulla necessitate cogente gessit, non tenetur fidejussor, *l.* 49. §. 4. *ff. de admin. tut.* Secus ergo si ex necessitate negotia coepta continuet, *Bart. in d.* §. 4. *Guttierez p.* 2. *c.* 10. *num.* 18. Et fidejussores hic, licet in o- 2
bligatione diu steterint, ad liberationem tamen agere non possunt, nisi Tutela sit finita, quia hoc actum, ut pro tota administratione fidejuberent, nisi novum quid emergat, *Francus de fidejuss. c.* 5. *num.* 566. Sed quando pupillus 3
contra fidejussorem vult agere, pupillus habet electionem, utrum cum fidejussoribus tutorum, an vero cum tutore ipso agere, aut dimidium a tutore, et tantumdem a fidejussore exigere velit finita tutela. (hodie secus, per *Authent.* 4
praesente C. de fidejuss.) Sed utrumque si- 5
mul convenire in solidum, ut scilicet ab utroque solidum consequaris, bona fides non patitur, *c. bona fides de R. J. in* 6. Sed ita possum convenire in solidum utrumque, quantum a tutore consequi non possum, et sic procedit libellus, licet in solidum agam, sed in eventum tantum, *Hartman. p.* 1. *qu.* 37. *num.* 47. vel ut clausula addatur, ut una solutio fiat ex sententia *Bart.* quam examinat *Ronchegallus in* §. *ubi duo leg.* 3. *ff. de duobus reis num.* 56. Cum Fidejussoribus autem confe- 6

runtur illi, qui affirmarunt tutorem esse idoneum, *l. si quis affirmavit* 9. *ff. de dolo*, praesertim si fiat apud acta judicis, *Straccha de Proxenetis p.* 3. *num.* 13. *et seq.* unde hanc
7 cautelam praescribunt *DD. citati ab Heringio de fidejuss. c.* 8. *num.* 44. ut Magistratus tutorem daturus, adsciscere debeat cognatos, an velint approbare tutorem hunc.

L. Non est. ult.

SUMMARIA

Quot modis fidejussor possit intervenire pro tutore? num. 1.
An fidejussor indemnitatis (Schadlos-Bürge) *juvetur beneficio excussionis vel ordinis?* 2.
Tutore satisfaciente fidejussor non liberatur, sed non incidit in obligationem. 3.

1 Fidejussor pro tutore intervenire potest dupliciter: 1. Pure et simpliciter, et tunc potest *jure Codicis* et ante tutorem conveniri, (quamvis secus sit *jure Novell.* per dictam *Authent. praesente.*) Nec dubium est, si unus eorum solvat, alterum liberari ob *d. c. bona fides de R. J. in* 6: 2. Conditionaliter, ut in id se obliget, quod a tutore servari non potest, seu quod idem est, ut promittat rem pupillo salvam fore, et cum haec fidejussio indemnitatis sit conditionalis, ante excussum tutorem fidejussor non convenitur, neque olim, neque hodie, nec liberatur, donec tutor ultimum quadrantem solverit. Collige: Fidejussorem inde- 2
mnitatis (*Schadlos bürgen*) juvari beneficio excussionis vel ordinis, quia in hac specie conditionalis est fidejussio, et ante omnia constare debet, quantum a debitore principali consequi possit pupillus vel alius creditor, ad hoc, ut indemnitatis promissio locum habeat, *Gail. lib.* 2. *obs.* 27. *num.* 13. *Koppen. dec.* 53. *num.* 14. *et seq. Hering. de fidejuss. c.* 27. *p.* 1. *num.* 142. *et seq.* Idque verum est, licet fidejussor beneficio excussionis renunciaverit, *Carpz. p.* 2. *const.* 17. *def.* 7. et quos hic allegat *Guttierez l.* 1. *c.* 40. *num.* 1. Aliud enim est liberari, aliud non incidere, per *l. ult. h. t.* Tutore sa- 3
tisfaciente, fidejussor non liberatur, sed non incidit in obligationem.

TITULUS LVIII.

De contrario judicio tutelae.

L. Si pro. 1.

SUMMARIA

An tutor vel ob culpam contutoris vel ob communem culpam condemnatus in solidum, contra pupillum actione contraria tutelae agere possit, ut pupillus sibi actionem contra tutorem cedat? num. 1.
Post solutionem pupillus non habet actionem. 2.

1 Quaeritur: *An tutor, qui ob culpam contutoris, (quem suspectum non postulavit) vel ob communem culpam in solidum condemnatus est, contra pupillum contraria actione Tutelae agere possit, ut pupillus sibi actionem cedat contra tutorem?* Disting. aut solvit, et tunc quia pu-
2 pillus post solutionem nullam habet actionem non potest eam cedere, *l. Modestinus* 76. *ff. de solut.* ergo non potest conveniri, ut cedat, nisi tutor nomen emerit, per *l.* 1. id est, si convenerit in solutione, ut tutori cederetur, seu mandaretur actio, *d. l.* 76. nam quando sub ipsum actum solutionis cessio facta, vel solutio sub hac conditione facta, ut cedantur actiones, vel solutio praecedente pacto de cedendis actionibus facta, etiam post solutionem cessio fieri potest, per *l. cum is* 36. *ff. de fidejuss.* vid. *Bacch. in Treutl. v.* 2. *disp.* 28. *th.* 6. *lit. B. Berlich. P.* 2. *conclus.* 22. *num* 77. *Dn. Carpz. p.* 2. *const.* 17. *d.* 16. licet aliter *Hering. de fidejuss. cap.* 28. *num.* 39. inter aequitatem et rigorem distinguens.

L. Si non. 2.

SUMMARIA

Quid si tutor condemnatus partem tantum solverit, an adhuc pupillo contra eumdem detur actio? num. 1.
Quaenam? 2.

Sed si condemnatus tantum est, et non solvit 1
integrum, sed partem tantum, tunc residua adhuc est actio pupillo contra tutorem, *l.* 2. *h. t.* scilicet pro parte, *l.* 21. *ff. de tut. et rationibus*, *vel* Utilis actio dabitur contra ipsum 2
contutorem, per *d. l.* 2. *h. t. l.* 4. *C. si cert. pet. Hering. de fidejuss. cap.* 28. *num.* 48. quae utilis actio sine cessione datur, *l.* 1. §. *et si forte* 13. *ff. de tut. et ration.* ex constitutione Pii Imperatoris, *Joan. a Sande in tr. de cession. cap.* 6. *num.* 57.

L. Si pater. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An confusione debitum extinguatur? 2.
Pro illa parte qua succedit pupillus tutori, extinguitur tutelae actio. 3.
An vitricus privigni sui tutor esse possit? 4.

Pater meus privigni sui tutelam administrat, 1
et quamvis nonnulla impenderit, obligatus ta-

men mansit pupillo in 100. florenos, postea pater illum haeredem mecum instituit singulos ex
2 semisse; Videtur confusione extinctum id debitum, *l. 7. C. de n. g.* sed quia pro parte dimidia tantum haeres est, pro ea etiam parte extinctum tantum debitum, *d. l.* ergo 50. petere potest, quia haeres tenetur praestare factum defuncti, pro ea parte, qua haeres est, per *l. cum a matre C. de R. V.* vid. *P. Montan. cap. 40. num. 55. et seq.* Sed ego in concurrentem summam impendia facta in pupillum compensare possum, *l. 4. C. commun. divid.* imo si impensae superent illud debitum, contraria etiam actione tutelae pupillum convenire possum. Colligitur *ex hac l. ult:* Pro illa 3
parte, qua pupillus tutori succedit, extingui actionem tutelae, et 2. Vitricum posse esse tu- 4
torem privigni sui, *Menoch. lib. 2. A. Q. casu 151. num. 9. Boer. dec. 269. num. 3. Guttierez p. 1. cap. 8. num. 78. et Jo. Franc. Balthas. d. t. 5. res. 3. num. 27.* Sed hoc intelligendum in casu habili, si absit suspicio, *l. 1. C. ubi pupillus educari*, et quando cognati consentiunt, *Finckelthaus obs. 53. num. 26. et seqq.*

TITULUS LIX.

De auctoritate praestanda.

L. Neque. 1.

SUMMARIA

In quibus causis tutoris auctoritas non requiratur? num. 1.
An pupillus sibi stipulari possit? 2.
An haereditatem possit adire vel bonorum possessionem petere? 3.

1 In quibus causis pupillus meliorem conditionem suam facere potest, in iis non requiritur tutoris auctoritas, per *princ. inst. h. t. Gomez t. 2. cap. 12. n. 1. Molina D. 224. num. 31.* ratio in
2 *l. 6. C. de LL.* ergo sibi stipulari potest, *l. 1. h. t.* nam stipulando nobis non laedimur, sed lucramur aliquid, et sic liberare se potest pupillus ab aere alieno per pactum de non petendo, *l. 28. ff. de pactis*, vel per acceptilationem, *l. 2. ff. de acceptil.* non vero per solutionem; quia hic laedi posset, vid. *Schneidewv. in Inst.*
3 *h. t. in pr. num. 7.* Sed haereditatem etiam lucrosam adire, vel bonorum possessionem petere non potest, *§. 1. Inst. h. t.* tum quia emergere potest aes alienum, et multitudo negotiorum, tum quia contractuum causa commode dividi potest, ut pupillus non, sed alii ipsi obligentur, haereditatis vero causa dividi nequit, quia repraesentat personam defuncti, *Mont. c. 30. num. 112. et seqq.* et creditores, nec non legatarii hic non sponte, sed de necessitate in quasi contractum veniunt, haereditatem autem restituere potest sine tutoris auctoritate, *l. 1. §. 13. ff. ad SC. ad Trebell. Mont. c. 37. reg. 2. num. 68.*

L. Neque actiones. 2.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Pupillus sine Tutoris auctoritate non potest remittere actionem competentem, quinimo nec tutor potest jus liquidum remittere, multo minus pupillus.

L. Eum. 3.

SUMMARIA

An rem a pupillo sine auctoritate tutoris emptam usucapere vel praescribere possim? 1.
Quid si pro pubere pupillum habuerim? 2.

Quicquid a pupillo emerim sine auctoritate 1
tutoris, id praescribere vel usucapere non possum, quia titulus est nullus. Sed si habuerim 2
ipsum pro pubere, et pupillus rem alienam vendiderit, contra tertium potest dari usucapio, de quo intelligunt *l. 1. §. si a pupillo ff. pro emptore. Harpr. in §. 1. de usucap. num. 2.*

L. Clarum. 4.

SUMMARIA

Pupilli et minores criminaliter vel ipsi conventi, vel alium convenientes, an cum vel sine tutoribus et curatoribus comparere debeant? num. 1.
Quid moribus circa minores criminaliter conventos obtineat? 2.
Judex criminalis in judicio criminali minorennis circumspectus esse debet. 3.
Innocentiam defendere divinum opus, sed nocentes eximere pene diabolicum. 4.

Pupilli et minores, si in criminalibus conve- 1
niantur, quod fieri potest per *l. 111. ff. de R. J.* aut alium criminaliter conveniant, suam aut suorum injuriam vindicantes, *l. 7. ff. de accus.* debent cum tutoribus vel curatoribus comparere, adeo ut alias judicium sit nullum, nulla etiam sententia, nulla confessio, *hic. et t. t. C. qui legit. pers. stand.* Sed hoc in minoribus conventis non servari usu, volunt *Farin. q. 81. num. 370. et seqq. Clarus §. fin. qu. 50. Menoch. l. 2. A. Quaest. casu 286. num. 2. Boss. in tit. si adversus rem judic. in criminalibus etc. Flamin. Chartar. in tr. de forma examinandi reos tit. 3. cap. 3. num. 5. Ceph. cons. 303. num. 130.* maxime ubi minor est contumax, *Cephal. d. l. et Menochius* hoc prolixe tractans *cons. 100. num. 150. et praecedentibus ac se-*

2 *quentibus.* Et sane hoc experientia testatur, minoribus in Criminalibus non solere concedi curatores, quamvis Advocatus ipsi concedi possit,
3 sicut et majorenni. Et Judex criminalis circumspectus esse debet in judicio criminali, in quo minorennis inquiritur ne in lubrico aetatis erret: et quis tam inhumanus esset Judex, et crudelis, qui non malit parcere magis, minori praesertim, quam ex confessione condemnare, cum alias Judex semper defensionem inquisiti
4 ex officio suscipere debeat? Innocentiam enim defendere divinum opus est, sed nocentes eximere pene diabolicum.

L. Veterum. ult.

SUMMARIA

In quibusnam tutoribus olim, si plures dati fuerint, vel unius sufficiebat auctoritas? num. 1.
An hodie idem obtineat? 2.
Qui pro parte non gerit, is nec pro ea parte auctor esse potest. 3.
Excipitur negotium, quo omnium consensus requiritur. 4.
Quod omnes tangit, ab omnibus quoque debet curari. 5.
Caute agit cum pupillo contrahens, si omnium consensum requirit. 6.

1 Quando plures erant tutores testamentarii, vel ex inquisitione dati, tunc unius auctoritas in quocumque negotio olim sufficiebat, in aliis autem tutoribus datis omnium auctoritas requirebatur, Ratio in *l.* 4. *C. de tut. qui non satisd.* sed per *hanc legem* nulla distinctione 2
facta tutorum, unius tutoris auctoritas in quocumque negotio sufficit. Ratio est, quia officium tutoris vel curatoris est apud quemlibet eorum, *Tiraq. de retr. consang.* §. 1. *gl.* 13. *num.* 27. *Mont. cap.* 32. *reg.* 9. *num.* 82. *Guttierez p.* 3. *c.* 16. *num.* 2. *Jo. Franc. Balth. d. t.* 5. *res.* 11. *num.* 3. modo administratio non sit divisa, *Montan. d. reg.* 9. *num.* 84. Tunc enim quilibet in suis tantum negotiis auctoritatem interponat; in parte enim administrationis, quae collegae incumbit, ego extraneus sum, *l. si duo* 51. *ff. de adm. tut.* qui enim non gerit tutelam, is auctoritatem frustra interponit, *l.* 4. *et* 6. *ff. h. t.* ergo qui pro parte non gerit, is pro ea 3
parte auctor esse nequit, *Wesenb. in π. h. t. n.* 3. Excipitur autem in *hac lege* tale negotium, 4
quo hoc agitur, ut ipsa tutela solvatur, v. g. si pupillus se velit in arrogationem dare, quia sic finiretur tutela, §. 1. *Inst. quib. mod. fin. tut.* Tunc enim omnium consensus requiritur tutorum vel curatorum, *Mont. d. cap.* 32. *reg.* 9. *num.* 84. quod enim omnes tangit, ab 5
omnibus debet curari, quae Regula *hac lege* semper solet probari, et ex *c. quod omnes* 29. *de reg. jur. l.* 6. *et l. fin. ff. communia praed. etc.* Dixerim tamen eum, qui cum pupillo vel 6
minore contrahit, prudenter agere, si omnium consensum requirat. Conf. *Caldas de empt. c.* 14. *num.* 22.

TITULUS LX.

Quando tutores vel curatores esse desinant.

L. Si curatores. 1.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Finito officio ejus, cui quis adjungitur, simul adjuncti officium finitur. 2.
An citius interdum substituti officium desinat? 3.

1 Quando tutori ex causa aliqua adjungitur curator, tunc sicut tutoris officium pubertate finitur, ita et curatoris adjuncti, Vide *l.* 2. *C. in quib. casibus tut. habenti etc. Guttierez*
2 *p.* 1. *cap.* 19. *num.* 43. Nota bene: Finito officio ejus, cui quis adjungitur, simul adjuncti officium finiri, *hic et l.* 25. *ff. de tutor. et curat. datis.* Idem in actore a tutore constituto locum habet, *Montan. c.* 37. *reg.* 1. *num.* 4. Idem etiam in curatore dato furioso impuberi, *argum. l.* 3. §. 1. *ff. de tutel. Montan. d. reg.* 1.
3 *num.* 44. Interdum vero citius desinit substituti officium quam ipsius tutoris, v. g. si impedimentum cesset, quo tutor impediebatur, et ob quod substitutus dabatur, ob Regulam, *cessante causa etc. Tusch. concl.* 416. *lit. T.* Sic et curatorum furiosis vel mente captis datorum officium expirat convalescentia majorennis; seu restitutione ejus, *l.* 1. *ff. de curat. furiosi*, ad quod sententia declaratoria opus esse puto, *cum Decio cons.* 274. *Montan. d. c.* 37. *reg.* 2. *num.* 15.

L. Tutoris. 2.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Pupilli voluntate non finitur Tutela, quia nec ipsius voluntate constituta, et certi modi finiendae tutelae, *Montan. cap.* 8. *num.* 23.

L. Indecoram. 3.

SUMMARIA

Pubertas tam foeminarum quam marium quando se exserat. num. 1.
Quaenam pubertas in legatis ad pubertatem usque relictis requiratur? 2.
Aetas intra 18. *annum in masculis, et* 14. *in foeminis victui vix apta videtur.* 3.

An, ut tutela finiatur, annum 14. et 12. totum completum esse oporteat? 4.
An requiratur hoc tempus etiam in Principibus ad finiendam tutelam? 5.
Quale tempus leges fundamentales constituant? 6.
Limnaeus *notatur.* 7.

1 Ut Foeminae olim etiam citra inspectionem corporis puberes judicabantur, ex annorum 12. numero ita et mares ex aetate 14. annorum.
2 Ratio in *text. et pr. Inst. h. t.* Sed aliter aestimatur pubertas in legatis usque ad pubertatem relictis, quia tunc plena pubertas intelligitur, id est, 18. annus in masculis, et 14. in foemi-
3 nis, per *l.* 18. §. 1. *ff. de alim. leg.* Citerior enim aetas quaerendo victui vix apta, *Menoch. lib.* 4. *praes.* 157. *num.* 38. *Myns. cent.* 3. *obs.* 12. finitur vero tutela per pubertatem ipso jure, *Tiraq. in l. unquam* verbo *revertatur num.* 115. *C. de revoc. donat.* et oportet annum 14. 4
et 12. totum completum esse, per *hanc l. ult. et pr. Inst. h. t.* et ibi *Schneidew. num.* 2. *et caeteri Guttierez p.* 1. *c.* 17. *num.* 141. Et hoc
tempus etiam in Principibus locum habet, *Montan. d. c.* 37. *reg.* 3. *num.* 71. Sic regem Galliae puberem annum 14. etiam ingressum regimen
coepisse constat. Aliud, si in legibus fundamen- 6
talibus aliter provisum, ut in Electoribus decimum octavum annum constituit *Aurea Bulla tit.* 7. Et plenam hanc pubertatem 18. annorum etiam in caeteris Principibus Imperii admittendam puto cum *Cothman. cons.* 44. *num.* 50. *vol.* 2. licet dissentiat *Limnaeus in jure publ.* 7
t. 1. *l.* 3. *c.* 7. *num.* 43. Et hic in Electorum successionibus tempus completum requirit, *d. l. num.* 49.

TITULUS LXI.

De actore a tutore seu curatore dando.

L. Si sui juris. un.

SUMMARIA

Tutor an procuratorem, an actorem ad causas pupillares, cujus periculo et quomodo constituere possit? num. 1.
Quando possit actorem constituere? 2.
Jus hodiernum. 3.
An et cur actorium hodie requiratur? 4.
Finita tutela actorium quoque expirat. 5.

1 Tutor, quia non est dominus rerum pupillarium, ideo ad causas pupillares non procuratorem, *l.* 11. *C. de procurat.* sed actorem constituit, periculo tamen suo, cum Decreto ju-
2 dicis, *hic et §. ult. Instit. de curat.* quando scilicet negotia valde diffusa, aut dignitas, vel aetas, vel valetudo tutorem impedit, quominus in judicio comparere possit, de quo *Gail. lib.* 2. *obser.* 107. *num.* 6. *Mynsing. cent.* 2. *obser.* 38. *Carpz. in Process. tit.* 5. *art.* 5. *num.* 26.
Berlich. p. 1. *concl.* 16. Hodie sine decreto, 3
Berlich. d. l. num. 10. facto tantum actorio, in 4
quo causa actoris constituendi exprimenda, et pupilli bona obliganda, exhibito, simul cum actorio, tutorio, et ad acta reposito, *Zangerus de except. p.* 2. *c.* 8. *num.* 21. *Berlich. d. l. et Carpz. d. art.* 5. *num.* 33. Non enim creditur nudae assertioni tutoris, si in Actorio dicat, ego N. tutor constituo talem actorem vel procuratorem, per ea quae tradit, *Gail. l.* 2. *obs.* 107. *num.* 1. Sed si testamentarius tutor sit, sufficit exhibere copiam collationatam testamenti vel aliud instrumentum legitimum; si vero in ipso judicio, ubi causa vertitur confirmatus sit tutor, quia de constitutione constat, non opus est Tutorio, *Gail. d. l. num.* 5. Sed
finita tutela, ipso jure expirat actorium, *Ber-* 5
lich. p. 2. *dec.* 278. *et Montan. cap.* 37. *num.* 7. *et seqq.* et per notata ad *tit. praeced. leg.* 1.

TITULUS LXII.

De excusationibus tutorum vel curatorum, et de temporibus eorum.

In *hoc titulo* quia materia perspicua est, et non frequenter in judiciis occurrit, cum raro compellantur tutores inviti, leges interdum conjungentur, ut in talibus Titulis facere consuevi.

L. Falsa. 1. et L. Frater. 9.

SUMMARIUM

Sensus legum.

Defectus corporis regulariter non excusat, modo quis negotiis suis, et alienis gerendis sit aptus, v. g. spado, *l.* 1. *h. t. et l.* 15. *ff. eod.* monoculus *l.* 9. vide *l.* 3. *C. Qui dar. tut.*

L. Si curatores. 2. et L. Testamento. 11.

SUMMARIA

Tutor vel curator ad bona in Italia datus, nisi se inter 50. dies excusaverit, omnia bona vicina administrare debebit. num. 1.
Duplex excusationis cautela. 2.

1 Pupillus, vel minor habet bona in Italia et in Provinciis vicinis. Tutor ei vel curator in Italia datus, simpliciter omnia ipsius bona administrare debebit, §. 17. *Instit. h. t.* nisi se ab administratione rerum provincialium intra quinquaginta dies excusaverit, et tunc alii tutores vel curatores rerum provincialium petendi erunt, *l.* 11. *h. t.* post illud tempus non potest se excusare, sed implorare tamen officium Judicis valet, ut sibi Curator adjungatur, *l.* 11. *h. t. et l.* 19. *ff. eod.* Collige ergo: I Ex *his legibus:* Non teneri Tutorem datum administrare bona ultra centesimum lapidem, vel in alia provincia sita, sed posse se excusare, *hic et l.* 21. §. 2. *ff. eod.*
2 *Guttierez p.* 1. *cap.* 19. *num.* 41. II. Duplicem esse hoc casu cautelam; potest enim se excusare intra tempora statuta, ut plane non habeat quicquam negotii cum rebus alibi sitis, quae via tutior etiam est; vel potest petere, ut sibi curator adjungatur, quo casu non est sine omni periculo.

L. Excusationis. 3.

SUMMARIA

Civis superioris pupillo inferioris ordinis et e converso tutor dari potest. num. 1.
An ingenuus libertini tutor esse compellatur? 2.
An qui impetravit jus aureorum annulorum? 3.

1 Qamvis superioris ordinis civis possit dari Tutor pupillo inferioris ordinis, et e converso, per *l. spadonem* 15. §. 2. *ff. h. t. et leg.* 22.
2 *ff. de tutoribus et curatoribus datis*, ingenuus tamen tutor libertini esse non compellitur, *Montan. c.* 23. *num.* 13. Sed ei libertini alii tutores dandi sunt, per *l.* 27 §. 1. *ff. de tutor.*
3 *dat.* et quod de ingenuo hic dicitur, etiam locum habet in eo, qui jus aureorum annulorum impetravit, *l.* 44. *ff. h. t. Montan. d. l. num.* 14. nisi a decreto, quo excusatio ejus rejecta est, non appellaverit.

L. Amplissimi. 4.

SUMMARIA

Maritus ignorans Curator uxori datus excusatur ex SCto, et alius ei curator est substituendus. num. 1.
An maritus possit esse Curator ad litem? 2.
Quid jure consuetudinario hac in parte obtineat? 3.

1 Maritus si ignorans detur Curator uxori, excusatur ex SCto, sed alius est substituendus Curator, cujus ratio, quia uxor blandimentis mariti seducta facile remitteret redditionem ratio-
2 num. Sed aliud in Curatore ad litem, cujus officium non est administrare, sed defendere in judicio, et talis Curator ad litem potest esse maritus, *Guttierez p.* 1. *c.* 20. *num.* 32. Jure 3
vero consuetudinario in bonis non tantum paraphernalibus, sed etiam receptitiis, et ita non ad litem, maritus curator datur, adeo ut alio curatore non sit opus, *Hering. de fidejuss. c.* 18. *num.* 55. *Wesenb. cons.* 11. *num.* 17. quos laudat *Dn. Mevius in jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 10. *art.* 1. *num.* 19. nisi cum marito aliquid agere velit, ubi alio Curatore opus, *Mod. Pist. vol.* 1. *cons.* 1. *num.* 24. et quos dicto loco laudat *Mevius*, ubi id limitat in marito minorenni, ex ea ratione, quod per nuptias nemo liberetur a cura; Sed vidi saepius curatores suo curando postquam nuptias contraxit, reddidisse rationes.

L. Libertos. 5. et L. Curator. 20.

SUMMARIA

Tutor curatelam invitus suscipere non debet. num. 1.
In paucis sat est gratificari. 2.
Hodie tutela et curatela continuantur plerumque. 3.
An nihil obstante hac consuetudine tutori a curatela se excusare liceat? 4.
Lubecae contraria obtinet consuetudo. 5.
An libertus ob tutelam vel aliam causam a curatela se excusare possit? 6.

Qui tutor fuit, invitus curatelam suscipere 1
non debet, *l.* 20. *h. t. et* §. 18. *inst. eod.* quia in 2
paucis gratificari sat est; quamvis hodie tute- 3
la et curatela, tutore scilicet non contradicente, continuari soleat, *Gail. l.* 2. *obser.* 96. Sed
supra dixi ex *Gailio*, *Carpzovio*, et aliis, non 4
obstante ista consuetudine, licere tamen ei, qui tutor fuit, a curatela se excusare, nisi scilicet contraria consuetudo obtinuerit. Nam jure 5
Lubecensi, tutor curatelam invitus cum tutela continuare cogitur, teste *Dn. Mevio ad jus Lubec. l.* 1. *tit.* 7. *art.* 1. *num.* 17. et de *Bavaria* idem testatur *Jo. Franc. Balthasar. d. t.* 5. *num.* 6. *et* 7. Sed in *d. l.* 20. excipitur libertus, qui 6
nec ob hanc, nec ob aliam causam a tutela excusetur, sed finita tutela curatelam suscipere cogitur, cujus ratio est, quod acceperit a Patrono inaestimabile bonum, scilicet libertatem.

L. Quinquaginta. 6. et L. Tutores. 18.

SUMMARIA

Tutor testamento vel decreto judicis datus appellare non habet necesse, imo nec debet. num. 1.
Intra quodnam tempus excusationis causas proponere isti liceat? 2.
Quid si causae per sententiam fuerint rejectae? 3.
Annon sit justa excusationis causa, si testator usumfructum omnium bonorum uxori reliquerit, et adeo pupillus nulla possideat? 4.

Inopia pupilli a tutela aliquem non excusat. 5. *Quidnam hoc in casu tutori curae sit?* 6.

1 Quando quis testamento vel decreto judicis, scit se tutorem esse datum, non necesse habet appellare, *l.* 18. *h. t.* imo nec debet, *l.* 13. *pr. ff. eod.* quia non est sententia, sed decretum, et moram haec res non patitur, et non est jurisdictionis, nec debet statim pupillus trahi ad superiorem, vide *Marant. p.* 6. *tit. de appell. num.* 324. *Ant. Fab. in c. tit. de appell. def.* 18. *Do-*
2 *nell. l.* 3. *c.* 9. *P. Montan. c.* 35. *reg.* 2. Sed causae excusationis intra 50. dies a scientia, vel die existentis conditionis, vel ex die confirmationis computandos debent proponi omnes, *d. l.* 13. §. 8. *l.* 16. *et l. pen. ff. h. t.* nam alias intra dictum tempus non excusando se, videtur curam vel tutelam acceptare, *Molina de just. et jure tr.* 2. *disp.* 222. *num.* 17. *Cavalc. de tut. num.* 195. *et seqq.* et intra quatuor menses causa est expedienda, *l.* 6. *h. t. et l.* 38. *ff. eod. Guttier. p.* 1. *c.* 21. *num.* 33. *Molin. d.* 222. *num.* 17. *Mont. c.* 35. *reg.* 3. *num.* 1. Si
3 autem rejectae per sententiam sint causae excusationis, tunc poterit appellare, alias acquiescere
4 tenetur, *d. l.* 6. Sed, *Anne justa causa excusationis, si testator usumfructum omnium bonorum uxori reliquerit, et ita pupillus nulla bona possideat?* Negat *l.* 18. quia tutor non rebus datur, sed personae, et deinde bonorum proprietas ad pupillum spectat, ad quem etiam fi-
5 nitus ususfructus hic redit. Collige, Inopiam pupilli non excusare aliquem a Tutela, nam quamvis Tutor de suo alere non cogatur pupillum, *Colerus de aliment. p.* 1. *c.* 13. *num.* 127. curae
6 tamen tutoris incumbet, monere proximos, ut alimenta pupillo conferant, cum onus alimentandi reguletur secundum ordinem succedendi, *Surdus de alim. tit.* 9. *q.* 10. *Dn. Carpzov. l.* 4. *resp.* 59. Sed quid si patri promiserim, me velle tutorem esse filiorum, an qui alias excusatus esse poteram, possim declinare tutelam? quod negatur *in l. Spadonem* 15. §. 1. *ff. h. t.*

LL. 7. 16. et 19.

SUMMARIA

An debitor vel creditor pupilli olim tutor vel curator esse potuerit? num. 1.
An lis considerabilis excuset a tutela vel cura? 2.
An si pupillae mater mihi quid debeat, me excusare possim a tutela? 3.

1 Debitor vel creditor pupilli, ejus tutor vel curator esse olim poterat, modo adjungeretur alius curator, *l.* 7. *h. t.* nisi de majore parte bonorum vel haereditate sit controversia, *l.* 16. *h. t.* §. 1. *inst. eod.* Sed vide, *Authent. minoris supr. qui dar. tut.* ex qua omnis lis, non modica, non tam excusat, quam repellit tutorem.
2 Atque adeo non puto tantum de mutuo, nec de lite majoris partis bonorum curandum esse, sed litem aliquam considerabilem excusare aliquem a tutela et cura, imo potius repellere, licet restringere illam *Novellam* videatur *Carpz.*
3 *l.* 3. *resp.* 90. *num.* 12. Sane, licet pupillae mater mihi quid debeat, non tamen me possum excusare a tutela filiae, *l.* 19. *h. t.* quia cessat ratio *d. Authent. minoris.*

L. Coloni. 8. et L. Exactores. 10.

SUMMARIA

An colonus, seu conductor agrorum fiscalium excusetur a tutela? num. 1.
An conductor Gabellarum? 2.
An administratores fisci seu auctores tributorum et bonorum Principis? 3.

Colonus, seu conductor agrorum fiscalium 1
An excusetur a tutela? Videtur quod sic, quia colonus principis patrimonialis excusatur, *l. fin. supr. Qui dare tut.* Jam vero hi ad paria judicantur, *l.* 5. §. 10. *et* 11. *ff. de Jure immunit.* Sed Negat. quia hic illo magis privilegiatus, et ideo nec conductores Gabellarum aut Teloniorum 2
excusari tradit *Guttierez p.* 1. *cap.* 20. *num.* 19. Sed administratorum fisci, seu auctorum tribu- 3
torum et bonorum principis eadem est ratio, *l.* 10. *h. t. l.* 41. *ff. eod. et* §. 1. *Inst eod.* Vid. *Guttier. p.* 1. *c.* 21. *num.* 4.

L. Voluntariae. 12.

SUMMARIA

An Presbyter liber alias a tutela sponte suscipiens privilegium suum amiserit, ita ut et aliorum tutelas suscipere cogatur? num. 1.
Privilegium ad plures casus directum uno actu contrario non amittitur. 2. 3. 4.
Alia hujus legis interpretatio. 5.

Poterat verbi gratia, Presbyter se excusare, 1
sed voluntarie et sponte suscepit tutelam, Quaeritur: *An propterea Privilegium amiserit, ita ut aliorum tutelas suscipere cogatur?* Neg. hic et *Auth. Presbyteros* 2. *C. de Episc.* nec enim privilegio suo renunciare, sed in praesenti tantum tutela privilegio suo uti noluit, *Montan. cap.* 35. *num.* 230. hinc talem regulam extruunt: Pri- 2
vilegium ad plures casus directum uno actu contrario non amitti, praesertim si gratificari uni voluerit. Unde Collige: quando alicui con- 3
cessum est privilegium generale, ut exemptus habeatur ab omnibus oneribus, contraveniendo quoad unum, non contravenire Privilegio, et ideo non amittere suum privilegium quoad alia, vel alios, *Panormit. in C. cum accessissent* 8. *in fine X. de Constit. Bossius tit. de princ. in pract. crimin. num.* 230. *Gail. lib.* 2. *obs.* 60. *num.* 11. *Enenkelius Baro de privil. lib.* 3. *c.* 15. *num.* 25. et quando privilegium continet actum 4
successivum, non tollitur per unum actum, *Gail. d. num.* 11. Aliter hanc legem intelligunt 5
alii, quod tutor habens tutelas duas, et tertiam voluntarie admittens, non possit compelli ad quartam, quasi affecta fuisset ista tertia tutela, *Oddus de rest. p.* 1. *q.* 27. *art.* 1. *num.* 1.

L. Ne senatorum. 13.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Senatorum inter alia privilegia etiam hoc erat ut eorum libertus, non nisi tamen unicus, (caeteri enim non excusantur) patroni negotia gerens, excusaretur a tutela.

L. Severiter. 14.

SUMMARIA

Tutor ut inani lite fatigetur datus omne damnum et omnes sumptus recipit. num. 1.
Quinam ita datus praesumatur? 2.
Quid si datus, ut a magistratu injustam tutelae dationem redimat? 3.

1 Qui ideo nominatur tutor, ut inani lite fatigetur, illi omne damnum, nec non sumptus restituendi sunt ab eo, qui nominavit, *hic et l. 1. §. 1. ff. de vacat. muner.* de quo *Montan.*
2 *c. 35. reg. 1. num.* 162. Praesumitur autem vexandi causa datus, si quis multis negotiis implicitum, et inimicum suum tutorem dederit citra necessitatem, cum alios haberet magis idoneos, *argum. l. 32. §. 14. ff. de arb. Schneidew. in §. 9. Inst. h. t. n.* 3. Et quamvis *Jo. de Platea in l. un. C. si propter inimicit. et Schneidew. d. l. et Covarr. pr. q. 18. num.* 3. requirant capitalem inimicitiam, videntur tamen confundere diversas causas excusationis, aliud enim est ob inimicitiam se excusare, aliud vero propterea, quia vexandi causa datus, ubi non requiritur
3 capitalis inimicitia. Imo si ideo detur, ut a Magistratu redimat injuriam, seu injustam dationem tutelae, hoc ut Crimen Repetundarum puniendum est severiter, *hic et l. 3. et 5. ff. de crim. repet.* et datum reperitur, *ex l. 3. C. de condict. ob turpem causam.*

L. Quanquam. 15.

SUMMARIUM

Casus legis.

Nominatus sum tutor Titii, excuso me, Judex illam excusationem rejicit, Appello ad superiorem, interim pendente lite, Titius fit adultus, Quaeritur: *An appellationem persequi tenear?* Videtur quod non, cum Titius tutorem jam habere non possit; sed affirm. *l.* 15. quia cum tutor de neglectis teneatur, omnino prosequenda lis est; Nam si causa excusationis approbetur, ad me non spectat periculum vel damnum, quod pupillus pendente lite accepit, *l. 22. h. t.* Si autem rejicitur, omnino damnum praestare teneor.

L. Licet. 17.

SUMMARIA

Tutor filio suo pupillam elocare non potest. num. 1.
Pater Curator uxoris filii sui constitutus excusare se debet. 2.
Poena. 3.
Quid moribus obtineat? 4.

Tutor pupillam filio suo elocare non potest, 1
per *l. 1. supr. de interd. matrim.* Sed *quid si curator uxoris filii sui, sive nurus ex post facto quis constituatur?* Resp. Patrem filii debere 2
se excusare, quia *d. l.* 1. ratio et *hac in l.* militat *hic et l. suprad. de interd. matrim.* ne in- 3
famiam incurrat curator, sed quia prohibitio illa non adeo consideratur nostris moribus, pu- 4
tarem infamiam non incurrere, si quis curatelam recipiat.

L. Quod res. 21.

SUMMARIA

An qui cum pupillo res communes habet, se excusare possit? num. 1.
An jus vetus per Auth. minoris *sit sublatum?* 2.

Non potest quis excusari, si cum pupillo res 1
communes habeat, quia si res dividenda sit, potest ipsi ad hunc actum dari Curator, §. *fin. Inst. de auctor. tut. et t. t. supr. de in litem dando tut.* Sed per *Authent. minoris* hoc su- 2
blatum videtur, cum illi, qui rem communem habent, invicem ex hoc quasi contractu sint obligati, §. 3. *inst. de obl. ex quasi contractu.* Ergo invicem creditores et dici debitores possunt, *Paul. Montan. de tutel. cap. 9. n.* 60. ubi tamen excipit casum ex *Bartolo* si talis sit communio modica et liquida, ita ut cesset omnis suspicio fraudis, *Rittershus. ad Novellas p. 8. c. 4. n. 9. Jo. Guttierez p. 1. c. 20. num. 5. Jo. Franc. Balth. d. tit. 5. resol. 14. num. 2. ampl.* 7. Sed de hoc supra actum ad *Authent. minoris.*

L. Si tutor. 22.

SUMMARIUM

Casus legis.

Periculum tutelae non pertinet ad eum, cujus excusatio fuit approbata; sed quid si pupillus non esset in hac lite defensus? tutissima via videtur nonnullis, si tutor se excusaturus, ad hanc litem, an deberet esse tutor vel non, petat dari pupillo curatorem, *Matthesilanus sing.* 135. *Cavalc. de tutoribus num.* 191. *Guttierez p. 1. c. 20. num. 34. Montan. c. 35. reg. 1. in fine.*

L. Humanitatis. 23.

SUMMARIA

An tutor datus pupillo, cui lis cum sorore ejus, se excusare possit? num. 1.
Consanguinitas inducit suspicionem affectionis. 2.
Nemo tenetur defendere alium contra suum consanguineum. 3.

Datus sum tutor pupillo, cui lis est magna 1
cum sorore mea: Quaeritur, *An possim me ex-*

2 cusare? Aff. quia consanguinitas inducit suspicionem affectionis, *hic et l. 5. pr. ff. de injur.* et ne alias tutor tutelae occasione cogatur adversus rationem humanitatis actionem contra suos suscipere, et pupilli utilitas exegit, ut talis praefigatur tutor, qui a defensione nullo inhibeatur affectu, *Alex. in l. si vero* §. *de viro n.* 85. *ff. sol. matr. Mont. c.* 35. *reg.* 1. *n.* 10.
3 Colligunt hinc: Neminem teneri defendere alium contra consanguineum suum, quod etiam de Vasallo intelligunt.

L. Excusationem. 24.

SUMMARIA

Navicularii quinam? num. 1.
Navicularii an et quatenus a tutela extraneorum eximantur? 2.
An idem jus circa praefectos annonae? 3.

1 Navicularii, id est, navibus annonariis praefecti, quique in collegio erant, actuque eo mu-
2 nere fungebantur, a tutela extraneorum, non eorum, qui sui ordinis erant, eximebantur, ratio in necessitate rei annonariae, Vide *l.* 5. §. 6. *ff. de jure immun.* Idem in iis, qui prae- 3
fecturam annonae gerunt, *l.* 41. §. 1. *ff. h. t.*

L. Viros. ult.

SUMMARIA

Silentiarii a tutela excusabantur. num. 1.
Quinam tamen tales vocentur. 2.
An allecti in consilium principis habeant excusationem? 3.
An consiliarii inferiorum principum? 4.
Princeps legens aliquem in Senatum suum, istum facit Nobilem. 5.

Silentiariorum munus excusabat a tutela, *hic* 1
et l. ult. C. de silent. Montan. c. 35. *reg.* 1. *num.* 117. Per hos Doctores hic Consiliarios 2
Principis intelligere videntur, et inde dicunt, allectos in consilium Principis habere excusatio- 3
nem a tutela, quod clarius ex *l.* 30. *ff. h. t.* potest probari. Idem in Consiliariis inferiorum 4
Principum in territorio illo locum habet, *Knichen de jure territoriali c.* 1. *num.* 418. Ratio est, tum in gravitate negotiorum, tum quod Princeps eum Nobilem faciat legendo in Sena- 5
tum suum, *Tiraq. de nobil. c.* 6. *num.* 21.

TITULUS LXIII.

Si tutor vel curator falsis allegationibus excusatus sit.

L. Si absentibus. 1. et L. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Decretum ex falsa causa expressa interpositum est nullum. 2.
Falsitas causae etiam in decreto non expressae, vitiat decretum. 3.
Duplex medium ejusmodi decretum infirmandi. 4.
Minor falsis allegationibus circumventus, et causa cadens non opus habet restitutione, sed nullam potest dicere sententiam. 5.
Quatenus absolutio tutorem liberet? 6.

1 Datus es tutor pupillo, sed te excusasti, Judex absentibus pupilli cognatis vel aliis, qui pupillum defendere sponte volebant, vel ad hoc non constituto curatore litis, pronunciat te excusatum esse, cum tamen causa excusationis sit injusta vel falsa. Resp. ad te omnino periculum intermedii temporis pertinere: ratio est, quia sententia lata absentibus iis, quorum interest, ipso jure est nulla; accedit etiam favor pupillorum, qui tantus est, ut si Judex praesentibus etiam pupilli amicis ex gratia tantum et ambitione tutorem absolvat, licet alias sententia valeat, *l.* 65. §. 2. *ff. ad SCtum Trebell*: hic tamen non
2 valeat, per *l. fin. h. t.* licet autem alias decretum ex falsa causa expressa interpositum sit nullum, *l.* 9. *pr. ff. de except. rei jud. Tiraq. in Tr. cessante causa p.* 1. *num.* 21. *et* 201. *Mullerus lib.* 4. *semest. c.* 1. *Menoch. cons.* 91. *num.* 49. licet ope exceptionis tantum elidatur, *Menoch. cons.* 314. *num.* 28. licet ex parte tantum falsa sit, *Marta tom.* 1. *digest. tit. Decretum c.* 20. vel si causa sit injusta, id est, in jure non fundata, *Menoch. d. cons.* 314. *num.* 25. *reg.* 4. *num.* 5. hic tamen speciale esse vi- 3
detur, quod falsitas causae etiam in decreto non expressae vitiet decretum, *Menoch. d. l. num.* 4. Et Notetur igitur duplex medium infirmandi 4
talis Decreti, 1. si falsa vel injusta sit causa: 2. Si pupillus fuerit indefensus, ut dictum *supr. ad l.* 22. *tit. praec.* Colligunt etiam ex *l.* 1. Doctores; Si minor falsis allegationibus circumven- 5
tus causa cadat, non opus habere restitutione in integrum, sed nullam posse dicere sententiam, *Menoch. lib.* 2. *arb. quaest. casu* 15. *num.* 11. *Vantius de nullitat. tit. ex defectu process. num.* 132. *vers. limitatur etiam non procedere etc. Sfortia Oddus de restit. q.* 77. *art.* 6. *per totum.* Absolutio aut est justa aut injusta: Inju- 6
sta est vel ex injustis causis, et nunquam liberat, aut ex causis justis, sed falsis, quae non liberat duobus casibus: 1. si adversus minorem non defensum excusatus sit, *arg. l. acta* 45. §. *ult. ff. de re judic*: 2. Si Religionem judicis circumvenerit. Sed etsi justam habeat causam, ex alia falsa tamen excusatus sit, *l.* 37. *pr. ff. h. t. Donell. l.* 3. *cap.* 9. *lit. Z.*

L. Tutores. 2.

SUMMARIA

An et quatenus qui tutelam semel gerere coepit, excusationem habeat? num. 1.
Per immistionem tutor suae immunitati renunciare videtur. 2.
An nova causa post susceptam tutelam emergente se excusare possit? 3.
Sententia ob novam causam non nocet. 4.

1 Qui semel gerere coepit, licet veram excusationem habeat, eam tamen amittit, nisi prohibeatur gerere, ut Maritus, §. *pen. inst. de excus. tut.* et 2. nisi specialiter hoc exprimatur, causam hanc vel illam etiam a coepta tutela excusare, ut in *l.* 30. *et* 40. *ff. d. t. et in* §. 2. *inst. de excus. tut.* Colligitur: quod per immistionem tutor renunciare videatur suae immunitati, *hic et l.* 13. §. *ult. et l.* 17. §. 5. *ff. de excus. tut.* Item fit, si legatum in eodem testamento, quo tutor datus est, relictum agnoscat, *l.* 5. §. 2. *ff. de his quae ut indign.* Sed si nova causa post susceptam tutelam emergat, potest se excusare, quia nemo videtur renunciare ei juri, quod nondum habet, nec se habiturum sperat, *l.* 3. *ff. de R. J. l. si is potest* 18. *ff. de acquir. haered.* quia et sentientia ob novam causam non nocet, *l. si a te* 9. *ff. de re judic.* 2 3 4

TITULUS LXIV.

Si tutor vel curator reipublicae causa aberit.

L. Qui Tutores. 1. et L. ult.

SUMMARIA

Absentes reipubl. causa etiam post annum reditus a tutela sunt immunes. num. 1.
Qualis hic annus sit, et an continuus? 2.
Quamdiu a suscepta ante profectionem tutela excusentur? 3.
Quid juris circa comites legatorum? 4.
An interim alius tutor, an curator sit dandus? 5.

1 Qui Reipublicae causa abfuturi sunt, habent a tutela danda et nova immunitatem, et post reditum intra annum, *l.* 2. *h. t. et* §. 2. *Inst.*
2 *de excus. tut.* qui tamen annus est continuus, et non utilis, et computatur ex quo rediit, vel redire potuit recta via sine mora aut circuitione, *l. tempus vacationis ff. de vac. mun. Montan. c.* 35. *num.* 92. Sed a suscepta tamdiu 3
tantum excusantur, quamdiu absunt, modo causam prius allegaverint, et curatorem interim dari petierint, per *leg.* 1. *h. t. d.* §. 2. *et leg.* 1. *supr. in quibus cas. tutor. haben.* Et ita specialitas hic notetur; quod a suscepta tutela haec causa excuset, et cessans etiam haec causa intra annum a nova causa excusat, et trahitur hoc etiam ad Comites Legatorum, *leg.* 4
41. §. 2. *ff. de excusat. tut. Bacchov. in Treutl. d. disp.* 9. *th.* 1. *lit. E.* Sed dicitur alibi, interim 5
tutorem dandum esse, *l.* 12. *ff. de tut. l.* 3. §. 10. *ff. de susp. tut. l.* 9. *de tutel. et rat.* Resp. Schotanus *ad tit. de excus. tut.* eos textus de absentia ultramarina intelligendos esse, vel vocabulum *tutoris* interdum accipi pro *curatore.* Sed dici potest, in arbitrio judicis esse an tutorem dare velit, an curatorem; hoc quidem regulariter, sed illud, si reditus incertus, et interim tutore opus esse possit, ob adeundam forte haereditatem.

TITULUS LXV.

De excusationibus Veteranorum.

L. Qui causaria. 1. et L. ult.

SUMMARIA

Veterani quinam sint? num. 1.
Perpetuo vacant a paganorum tutela. 2.
In quantum hi excusentur ab una tutela filii conveterani? 3.
Militum haec privilegia adhuc hodie vigent. 4.
Quid si veterano communis excusationis causa competat? 5.
Intra quodnam tempus causa exemptionis allegari debeat? 6.
Privilegium speciale non derogat communi. 7.
Privilegium prius non tollitur per posterius. 8.

1 Veterani, id est, qui post 20. annum militiae
2 honeste missi sunt, perpetuo vacant a pagano-
3 rum tutelis, sed ab una tutela filii conveterani intra annum missionis tantum vacationem habent. Post annum vero non, quia coaequalitas militiae praevalet veteranorum privilegio. Privilegium autem veteranorum locum habet, licet sub diversis numeris militaverint, cum eadem sit Respubl. pro qua militant, *Mont. d. c.* 35. *reg.* 1. *num.* 88. si vero intra annum vigesimum missus sit, ob causam temporalem a paganorum tutelis excusationem habet, *l.* 8. §. 3. *ff. de excus. tut.* Et talia militum privilegia etiam in 4
nostris locum habere receptius est, vid. *Mastrill. decis.* 76. *num.* 9. Si vero veterano communis 5
causa excusationis competeret, quae etiam paganum liberaret, daretur ipsi excusatio, *l.* 8. *pr. et* §. 1. *ff. de excus. tut.* Sed tamen utroque 6
casu causa exemptionis intra tempus statutum allegari debet, *l.* 6. *sup. de excus. tut.* et hic notetur Regula; quod privilegium speciale non 7
deroget communi, *Acacius Enenkelius Baro de privil. p.* 2. *cap.* 5. *num.* 42. et privilegium prius 8
non tollatur per posterius, *c. inveniens et ibi not. X. de praescript. Barbosa locupl. l.* 14. *c.* 83. *axiom.* 17.

TITULUS LXVI.

Qui numero liberorum se excusant.

L. Qui ad tutelam. 1. et L. ult.

SUMMARIA

Quotnam liberi praestent excusationem a tutela? num. 1.
Liberi isti an sint superstites? 2.
An in obsidione interempti sint connumerandi? 3.
An omnes sint primi gradus? 4.
Si excusent liberi, de istorum statu non dubitetur. 5.
An a tutela excuset, si pater ipse filio emancipato curator dandus sit? 6.
An liberi in utero existentes excusent? 7.

1 Romae 3. in Italia 4. in Provinciis 5. liberi patri praestant excusationem a tutela, *l.* 1. *h. t.*
2 Sed liberi 1. sint superstites, ergo filia mortua non prodest, *l.* 2. *h. t.* sufficit autem superstites esse tempore delatae tutelae, *l.* 2. §. 4. *ff. de exc. tut.* quia initium litis considerandum, non quod ex post facto contingit, *l.* 2. *ff. de usuris, Tiraq. in l. si unquam, verbo,* susceperit liberos, *num.* 192. *Barb. in l.* quia tale, *cum l.* 14. *num.* 20. *ff. sol. matrim.* Illud vero notum, caesos in acie pro patria, pro superstitibus haberi, *per inst. h. t.* sine discrimine sexus
vel aetatis, *Hillig. l.* 3. *c.* 9. *lit. F.* Eorum, qui 3
in obsidione interempti alia ratio, *l.* 18. *ff. d. t.* quia pro re familiari potius, quam pro patria interempti, *Montan. c.* 35. *reg.* 1. *num.* 61. *et*
seqq: 2. Liberi primi gradus, non Nepotes; hi 4
enim non Avo, sed Patri suo proficiunt, nisi Patre mortuo, ubi plures pro uno habentur,
l. 2. *h. t*: 3. Si de liberorum statu non dubite- 5
tur, *l.* 1. *h. t.* Nec habet locum excusatio, si 6
pater ipse filio emancipato curator daudus sit, *l.* 36. §. 1. *ff. d. t. Montan. d. l. num.* 81. Nec
habet locum excusatio in liberis in utero exi- 7
stentibus, qui in aliorum favorem non habentur pro natis, *l.* 2. §. 6. *ff. d. t. Tiraqu. d. l. num.* 144. *et seqq. et de retr. lign.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 77. *et seqq.* dissonantiam in numero liberorum *legis* 5. *ff. de jure immun. et l.* 24. *C. de decur.* varie conciliant: vid. *Bacch. ad Tr. vol.* 2. *d.* 4. *th.* 2. *lit. B. in fin.* ubi ultima responsio est in distinctione inter munera mere patrimonialia et decurionatum.

TITULUS LXVII.

Qui morbo se excusant.

L. Luminibus. un.

SUMMARIA

Qualis aegritudo corporis a tutela etiam suscepta excuset? num. 1.
An tutor ejusmodi volens sit admittendus? 2.

1 Talis aegritudo corporis, quae administrationi obest, excusat a tutela etiam suscepta, *l.* 11. *ff. de excus. tut.* ut coecitas, surditas, aegritudo perpetua, seu morbus Sonticus, de quo *Bacch. v.* 2. *d.* 9. *thes.* 1. *lit. C.* aut quando quis mutus est, quia ne suis rebus hi quidem interesse possunt, §. 7. *Inst. de excus. tut. l.* 2. §. *ult. ff. d. t.* ideo a suscepta excusantur, *Molina d.* 221. *num.* 3. *Montan. d. c.* 35. *reg.* 1.
num. 152. Et talis tutor etiam volens non est 2
admittendus, quia tutelae praesse nequit, *Montanus d. l. num.* 154. quam etiam multis defendit *Guttierez p.* 1. *c.* 7. *num.* 8. *et seq.*

TITULUS LXVIII.

Qui aetate se excusant.

L. Pater tuus. un.

SUMMARIA

Septuagenarius a tutela se excusare potest. num. 1.
Objectio diluitur. 2.
Nulla religio prohibet, quo minus dicere possimus, nonnulla in legibus interdum corrupta esse. 3.
An aetas 70. *annorum excuset ab aliis negotiis, quae consilio tantum expediuntur?* 4.
Jus hodiernum. 5.

Septuagenarius, qui scilicet annum septuage- 1
simum complevit, per *l.* 3. *ff. de jure immunit.* excusare se potest, tum ut huic aetati parcatur, tum quia inutile pupillo esset, eum habere tutorem, qui ne suis quidem rebus praeesse pos-
set, sed obstat *l. ult. C. qui aetate vel profes-* 2

sione lib. 10. Sed respondet *Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *d.* 9. *th.* 2. *lit. E. et Dn. Carpzov. lib.* 5. *resp.* 90. *num.* 18. *et seq.* quod scilicet vel distinguendum sit inter personalia munera, quae labore et opera corporis mera expediantur, vel quae animi potius labore expedienda, vel pro LV legendum esse LXX quod sequentia confir-
3 mare videntur; nec enim Religio nos prohibet, quo minus dicere possimus, nonnulla in textibus legum interdum corrupta esse. Alii inter munera et honores distinguunt, *Montan. d. c.*
4 35. *reg.* 1. *num.* 176. Imo nec senilis aetas 70. annorum excusabit ab aliis negotiis, quae consilio tantum expediuntur, *l.* 2. §. 7. *ff. de vocat. mun.* in Electionibus, *l.* 41. *C. de Decur. Jo. de Platea in l. fin. C. qui aetate vel profession. Petrus Antibolus de muner. p.* 3. *num.* 11. in Senatus convocatione, *Tiraq. de jure primogen. in praefat. num.* 117. Forte igitur hodie 5
quando senes excusandi ab honoraria tutela, non male id arbitrio judicis committerem. Nam alii aliis citius vel serius vigorem mentis amittunt, hoc ita ordinante divina providentia, vid. *Sig. Scaccia de judic. lib.* 2. *c.* 8. *num.* 235. *et Menoch. lib.* 2. *arbit. quaest. num.* 59. Colligunt alii, quod id, quod in *l. inviti* 8. *ff. de testib.* dicitur, de Septuagenariis intelligendum sit, per allegata *Farin. q.* 78. *num.* 59.

TITULUS LXIX.

Qui numero tutelarum se excusant.

L. Si tres. un.

SUMMARIA

An tria tutelae onera excusent a tutela? num. 1. 3.
An una satis diffusa sufficiat ad excusationem? 2.
Si tertia tutela ad finem pervenerit, sed rationes nondum redditae, an adhuc excuset? 4.
An quis duas habens causas excusationis imperfectas excusetur? 5.
Quae singula non prosunt, nec conjuncta prosunt, si diversi sint generis. 6.
Plura imperfecta si diversorum generum sunt unum perfectum non constituunt. 7.
Heterogenea duo imperfecta, si ad unum finem tendunt, unum perfectum facere possunt. 8.

1 Tria onera tutelae, non defunctorie, id est, affectate susceptae, praestant excusationem, ne nimis oneratus nullam tutelam recte gerat; Et
2 si una tutela ita sit diffusa, ut pro tribus sufficiat, etiam excusabit, *l.* 31. §. *fin. ff. de excus. tut.* quia hic non tam numerus pupillorum, quam difficultas rationum reddendarum consi-
3 derari debet. E contrario nec 3. Tutelae excusabunt, si modici sint patrimonii, *l.* 15. §. 1. *ff. d. t.* aut brevi finiendae, *l.* 17. *pr. ff. d. t.* aut si una tutela et altera sine administratione sit, *argum. l.* 15. §. 9. *ff. d. t.* de quibus exceptionibus *Montan. d. c.* 35. *reg.* 1. *num.* 130. *Guttierez p.* 1. *c.* 21. *num.* 12. *Molina d.* 222. *num.* 5. Sed circa regulam quaeritur: I. *Si tertia tu-* 4
tela ad finem pervenerit, sed nondum rationes redditae, an adhuc excuset? Neg. quia ipsa administratio praestat excusationem, non solae rationes reddendae, *arg. l.* 17. *pr. ff. de excus. tut.* II. *An quis duas habens causas excusationis* 5
imperfectas, excusetur? v. g. si duos habeat liberos et duas tutelas? Neg. nisi sint ejusdem generis, ut duae tutelae et duae Curatelae, *l.* 2. §. *fin. ff. de excus. tut.* Nota bene: Quae sin- 6
gula non prosunt, nec conjuncta prosunt, si diversi sint generis; et plura imperfecta, si di- 7
versorum generum sunt, unum perfectum non constituere; sed si duo imperfecta unius sint generis, et ad eumdem finem tendunt, conjungi possunt; imo et heterogenea duo imperfecta, 8
si ad unum finem tendant, possunt unum perfectum facere, nam v. g. unius testis assertio judicialis et ipsius Adversarii confessio extrajudicialis faciunt unam perfectam probationem, *c.* 13. *et ibi DD. X. de probat. Berlich. p.* 1. *concl.* 36. *num.* 48. *Barb. locupl. lib.* 9. *cap.* 15. *axiom.* 2. Vid. etiam *Camill. Borell. tomo* 2. *decis. tit.* 2. *num.* 229. *Berlich. p.* 1. *concl.* 36. *num.* 138. *Gamsius in Thesauro locor. com. Barb. l.* 9. *c.* 15. *axiom.* 2. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 89. *num.* 66.

TITULUS LXX.

De curatore furiosi vel prodigi.

L. Curatores. I.

SUMMARIA

Majoribus etiam, si furiosi sint vel mente capti vel prodigi, curatores dantur. num. 1.
Sed haec datio plenissimam causae cognitionem requirit. 2.
Pupillo furioso datur tutor, sed curator minori furioso. 3.
Naturalia cum accidentalibus concurrentia istis praeferuntur. 4.
Mulieri luxuriosae datur curator. 5.
An etiam detur curator viro luxurioso? 6.

Quamvis curatores alias minorennibus dentur, 1
tamen Majoribus etiam, si furiosi vel mente capti, vel prodigi, dantur curatores, quia hic non aetas, se infirmitas intellectus attenditur, sed haec tamen datio causae cognitionem ple- 2
nissimam requirit, *l. observare* 6. *ff. de curat. furios.*

3 Pupillo sane furioso non curator sed tutor, et minori furioso datur curator quidem, sed non ut furioso, sed minori, per *l.* 3. §. 1. *ff. h. t. Montan. cap.* 28. *num.* 10. *Donell. et ibi Hillig. lib.* 3. *c.* 18. *lit. C.* Causa enim accidentalis inspicitur, naturali demum finita, et natura rei spectatur, non accidens, *Bart. in l.* 3. *ff. de tutel. Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 201. *num.* 69.
4 et naturalia, si concurrant cum accidentalibus, illa praeferuntur, *Card. Tuschus concl.* 8. *lit. N. Glossa hic* meminit *leg. et mulieri* 15. *ff.*
5 *h. t.* ubi dicitur mulieri luxuriosae dari etiam curatorem, et ita *DD. hic* et praecipue *Aug. Barbosa et Cacvall. Q.* 833. anxie quaerunt,
6 an etiam luxorioso viro detur curator; sed non opus esse puto illa disputatione, sed potius sentio, luxuriosam vitam ibi de prodigalitate accipiendam, cum *Pinello ad l.* 4. *C. de bonis mat. num.* 12. *et seq. Montan. c.* 28. *num.* 50. *et seqq. Franc. Barry de success. lib.* 1. *tit.* 7. *num.* 42. vers. *Prodigo*, nec non *Godofredo ad d. l.* 15. *lit. U.* quamvis viri foedis voluptatibus dediti non possint non esse prodigi, secus in foeminis, quae foeda sequuntur, quae saepe peccant ex avaritia.

L. Orationis. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Argumentum a minoribus ad menteccaptos procedit. 2.
Disposita in pupillorum tutore intelligenda etiam de curatore furiosi. 3.
Beneficia minori in jure tributa etiam ad furiosum vel menteccaptum sunt extendenda. 4.
Curatoris bona etiam furioso obligata sunt. 5.

1 Agnatus, qui est legitimus curator furiosi, mutuo a me sumpsit centum, et obligavit pignori praedium furiosi, Quaeritur, *An hoc pignus valeat?* Vid quod sic, quia lex minoris tantum praedia alienare prohibet; Sed Neg. quia obligatio species est alienationis et in minoribus ac furiosis eadem ratio prohibitionis: Sed si pecunia in utilitatem furiosi versa, datur actio personalis contra furiosum, *l.* 3. *supr. quando*
2 *ex facto tut.* Collige ex textu: Argumentum a minoribus ad menteeaptos, nam in jure aequiparantur, qua de re integrum locum habet ex *hoc textu Everhardus in topicis in loco* 73. Et
3 sic ulterius colligunt: Disposita in tutore pupillorum, intelligenda etiam esse de curatore fu-
4 riosi, et beneficia minori in jure tributa etiam ad furiosum vel menteeaptum extendenda esse, *Glossa hic et Ant. Gomez lib.* 2. *res. c.* 14. *num.* 30. *circa finem numeri, Guttierez cons.* 11. *num.* 7. *Mont. c.* 28. *num.* 23. *Sfortia Od-*
5 *dus de restit. q.* 3. *num.* 3. unde bona curatoris etiam obligata furioso, ut tutoris, *Guttierez cons.* 11. *num.* 11. *num.* 17.

L. Si pater. 3.

SUMMARIA

Filius parenti furioso vel mentecapto tutorem petere debet. num. 1.
Inter parentem et filium licet non potestas, pietas tamen aequalis est. 2.

Filius debet parenti furioso, vel mentecapto 1 (inter quos rabies et impetus discrimen facit *Mascard. concl.* 1049. *num.* 1. *et seqq. Menoch. lib.* 6. *praes.* 45. *num.* 2. *et seqq.*) tutorem petere, ut parens filio, nisi ipse filius probus, tunc enim patri curator ipse dari posset, *l.* 1. *et* 2. *ff. h. t.* ratio in *l.* 4. *h. t.* quia licet non 2
potestas, pietas tamen aequalis est, *Pinell. ad l.* 1. *C. de bon. mat. p.* 1. *num.* 46. *Decius cons.* 274. *num.* 2. *Montan. d. c.* 28. *num.* 13. *et num.* 30.

L. Cum repudiante. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An mater hodie ad furiosi mariti curatelam aspirare possit? 2.

Uxor furiosa maritum repudiat, cum non illa 1
hunc, sed hic illam repudiare posset. Mater uxoris nonnulla instrumenta nomine uxoris conficit, in quibus de retinenda dote cum marito filiae paciscitur: Resp. Matrem filiae, cum hujus curatelam non gesserit, deteriorem conditionem facere non potuisse. Hodie matrem etiam 2
ad hanc Curatelam exemplo tutelae adspirare posse tradunt Interpretes cum *Glossa in Auth. matri et aviae supr. Quando mulier etc. Montan. d. c.* 28. *num.* 74. *Guttier. de tut. p.* 1. *c.* 8. *num.* 22. *et seq. Ant. Gomez ad legem Tauri* 14. *num.* 10. *Jo. Franc. Balthas. d. tit.* 5. *res.* 3. *num.* 21.

L. Ne lucrum. 5.

SUMMARIA

Filius emancipatus fatri suo olim non succedebat. num. 1.
Secus hodie. 2.
An sit legitimus tutor pupilli fratris? 3.
An legitimus curator furiosi fratris? 4.

Olim emancipatus filius fratri suo non suc- 1
cedebat, sed hodie succedit, *l. fin. C. de legit.* 2
haered. Ideoque etiam legitimus tutor est pu- 3
pilli fratris, *l.* 4. *supr. de legit. tut.* ergo et eadem ratione legitimus curator est furiosi fratris, 4
per *hanc. l.* sed deficientibus et fratribus, proximioribus cognatis onus curatelae, nec non custodiae, ut et alimentationis incumbere, per *l.* 14. *ff. de off. Praesidis et l.* 13. *ff. h. t.* probat *Carpz. lib.* 4. *resp.* 61.

L. Cum aliis. 6.

SUMMARIA

Furiosus dilucida habens intervalla, eo tempore, quo furere cessat, actus omnes, qui a caeteris celebrantur, celebrare potest. num. 1.

Semel furiosus semper talis praesumitur, adeoque incurabilis hic morbus habetur. 2.

1 Quando Furiosus dilucida intervalla habet, ipse quidem omnia agere potest, quae sanus posset: Curator tamen eo tempore manet nomine et officio, licet non effectu, tempore enim intervalli non administrat, ratio in *text.* vers. *cum incertum est in hujusmodi furiosis hominibus, quando resipuerint, et saepe in confinio furoris et sanitatis constituti deprehenduntur.* Idem in fin. *ne crebra vel quasi ludibriosa fiat curatoris creatio, et frequenter tam nascatur quam desinat.* Collige I. Ex *hac lege:* Furiosum habentem dilucida intervalla furoris, eo tempore, quo cessat furere, posse omnes actus celebrare, qui a caeteris celebrantur, *Ant. Gomez d. c.* 14. *num.* 28. qua de re ad *l. furiosum* 8.
2 *C. qui testam. facere.* II. Semel furiosum praesumi semper talem; nam adeo incurabilis hic praesumitur morbus, ut praesumatur durare, nisi misericordia Divina eum restituat, *Paulus Zachias lib.* 2. *quaest. medico-legal. tit.* 1. *q.* 23. *Menoch. lib.* 6. *praes.* 44. *in fine, et praes. seq. num.* 59. *Mascard. concl.* 825. *num.* 11. plura infra in *d. l.* 8.

L. Cum furiosus. ult.

SUMMARIA

An pater furiosi filii res ejus administret, ut legitimus administrator, non ut curator? num. 1.
An pater ejusmodi filium haeredem instituere, ipsi substituere et curatorem dare possit? 2.
Quid si parens intestatus decesserit? 3.
Haereditas paterna est quasi debita liberis etiam vivente patre. 4.
An curator furioso bonorum possessionem tam de jure veteri, quam hodierno petere possit? 5.
An Curator a patre per testamentum filio furioso datus petere possit bonorum possessionem? 6.
Quale juramentum ejusmodi curator praestet? 7.
An juramentum hodie in omni tutore necesse sit? 8. 10.
Curator alias in testamento, excepto furiosi curatore, dari nequit. 9. 18.
Bona Curatoris furioso tacite obligata sunt. 11.
Furiosus ob causam, quae furorem antecessit, exhaeredari potest. 12.
Nullo vel non idoneo Curatore per testamentum dato, a judice dandus est curator. 13.
A quonam judice? 14.
Curatela triplex. 15.
Dativae locus non est, nisi a testamentaria et legitima deficiat. 16.
Quando locus sit legitimae? 17.
An furiosus vel ejus curator aliam praeter paternam haereditatem acquirere possit? 19.
An conficere teneatur inventarium? 20.
An furiosus interim habeat dominium utile? 21.
An per filium patri furioso acquiri possit? 22.
Haereditas acquiritur animo, sed Legati dominium jure transit. 23.
An dicta locum vindicent, quando suspecto vel mortuo curatore alius sit subrogandus. 24.

1 *Pr.* Pater filii furiosi administrat res ejus, non ut curator, sed ut legitimus administrator, *quis enim affectus extranei vincat Paternum?* nec igitur opus est alium dare curatorem, *Montan. cap.* 28. *num.* 11.

§§. 1. et 2. Pater potest filium furiosum hae- 2
redem instituere, et ipsi substituere, *hic et l.* 9. *infr. de impub. substit.* et ei curatorem dare;
Si vero pater intestatus decedat, atque sic fu- 3
riosus morte parentis sui juris fiat, tum ipso jure est haeres patris, per §. 3. *Inst. de succ. ab intest. hic. et l.* 1. §. *furiosi ff. de success. edicto l.* 1. *ff. de bonorum possess. danda*; sed si non suus haeres sit, v. g. si de haereditate matris agitur, non esset ipso jure haeres, nec daretur ei bonorum possessio edictalis, sed decretalis, quae est temporaria, *l.* 2. §. 11. *ad SCtum Tertull.* de quo *infr. Franc. Barry de success. lib.* 18. *tit.* 1. *num.* 37. Colligitur ex §. 2. haeredi- 4
tatem parentis esse quasi debitam liberis, etiam vivente patre, *l. in suis ff. de lib. et posthumis*, per allegata *hic August. Barb. et Tiraquell. ad l. si unquam num.* 19. *in praefat. C. de revoc. donat.*

§. 3. Olim dubium erat; *an curator furioso* 5
posset petere bonorum possessionem? Ratio dubitandi; quia haec est quasi utile dominium, §. 1. *Inst. de bonorum possess.* quod alteri per alterum quaeri non potest, §. 5. *inst, per quas personas.* Sed Imperator statuit hic, posse et debere curatorem eam petere, nec opus esse solemni illa petitione, *hic et l. fin. C. qui admitti*, nec decreto praetoris speciali, sed peti posse ex edicto generali. *Conf. Donell. l.* 7. *c.* 14. *lit. O. et ibi notata Hillig.*

§§. 4. 5. *et Authent.* Pater testamento curato- 6
rem dare potest filio furioso et hic satisdationem praestare non tenetur, quia testimonium patris pro satisdatione sufficit, *hic et l.* 27. *supr. de episc. audient.* Sed debet tantum juramentum 7
praestare, quod velit omittere ea, quae furioso inutilia, et facere utilia, quod per *nov.* 27. *c. ult. et ordinationem Camerae Spirensis p.* 1. *c.* 75. *et seq.* non tantum in curatore furiosi, sed 8
etiam omni tutore hodie necesse est, et debet inventarium solemne conficere, ut tutor, et ipsius bona furioso sunt obligata. Collige ergo I. Ex §. 5. curatorem quidem alias testamento non 9
dari, sed excepto curatore furiosi, qui testamento dari potest a patre, *Jo. Guttierez p.* 1. *c.* 12. *num.* 8. II. curatorem furiosi et per *Authent.* 10
subjectam, omnem tutorem et curatorem teneri jurare, se facturos utilia pupillis vel curandis, et inutilia omissuros, *Guttier. d. l. num.* 8. *Molina d.* 223. *num.* 3. quod tamen juramentum in desuetudinem passim abiit, et loco ejus sub fide juramenti antea magistratui praestiti promittere indemnitatem tenentur, *Jo. Balthas. d. l. num.* 5. *Dn. Richt. ad Auth. hanc in fin. et Carpz. p.* 2. *c.* 11. *def.* 6. *num.* 4. Demum ex *fine* §. 5. qui sequitur *Authenticam*, colligitur aperte, quod etiam bona curatoris furiosi, ta- 11
cite sint furioso obligata, sicut etiam tutoris, *Berlich. p.* 1. *concl.* 67. *num.* 34. *Beuther. de prael. cred. p.* 1. *c.* 4. *Dn. Richter. de privil. cred. d.* 8. *pag.* 215. Notabile etiam est in §. 5. Quod furiosus ob causam, quae furorem an- 12
tecessit, exhaeredari possit, licet satis furore sit punitus, *Vasq. part.* 1. *Illustr. c.* 96. *num.* 12.

§. 6. Quando nullus est curator testamento 13
datus, proximus agnatus, vel hoc idoneo non existente, a judice dandus est curator, Romae 14
a Praefecto urbis, et si furiosus sit nobilis, con-

vocato Senatu; in provinciis a Praeside et Episcopo, tribusque primatibus, et si idoneam substantiam habet, non est onerandus satisdatione,
15 unde apparet, curatelam furiosi (ut tutela pupilli) triplicem esse; testamentariam, legitimam
16 et dativam, et sic dativae locus non est, nisi et te-
17 stamentaria et legitima deficiat, et legitimae curatelae non est locus, nisi deficiat testamentaria,
18 *Montan. de tutel. c.* 28. *n.* 12. *et seq.* Et sic testamento quidem non minoribus, furiosis tamen curatorem dari posse statuunt recte *DD.* per *hunc et praeced.* §. *Piagg. d. q.* 2. *num.* 16. *Guttierez p.* 1. *c.* 12. *num.* 8. *Perez ad hunc tit. num.* 4. *Schraderus de feudis p.* 10. *sect.* 19. *num.* 125. licet ante *hanc constitutionem* dari non potuerit testamento, per *l. saepe ff. h. t.* sed quae in §§. *praecedent.* de juramento, inventario et hypotheca dicta, etiam in hoc locum habent, ratio horum omnium est manifesta.
19 §§. 7. 8. et 9. Quando furioso defertur haereditas, non tamen paterna, ubi ipso jure est haeres; ipse quidem acquirere nequit, *l.* 67. *ff. de acquir. haered.* ne quidem auctore curatore, *l.* 5. *ff. de R. J.* sed curator potest admittere hae-
20 reditatem, facto desuper inventario, haetenus scilicet, ut quamdiu vivit furiosus in furore, curator administret, si vero resipuerit et repudiet, vel furens mortuus sit, ad eos perveniat haereditas, ad quos furioso remoto perventura esset, qui scilicet tempore mortis furiosi praedefuncto a quo bona furioso delata pervenerunt, non vero ipsi furioso proximi sunt, *Doctores hic et Donell. lib.* 7. *c.* 9. *in princ. Nicol. Noalis de trasmissione casu* 9. *Dn. Richter decis.* 41. *num.* 57. *Jo. a Sande l.* 4. *tit.* 8. *def.* 9. interim furiosus utile dominium habet, et retinet fructus, 21
quia ut dominus percepit, *Alex. ad l. cum haeres* 35. *ff. ad SCtum Trebell.* et est igitur bonaefidei possessor juris, sed non perpetui et inseparabilis: per filium autem furioso patri etiam acquiri 22
potest ipsa haereditas, ut per *l.* 63. *ff. de acquir. haered.* contra alios sentiunt *Pinell. ad l.* 1. *C. de bon. mat. p.* 1. *num.* 61. *et seqq. Fern. Vasq. de success. creat. lib.* 2. §. 19. *num.* 67. Sed legata, fideicommissa et similia ipsi furioso acquiruntur, ratio differentiae in *l.* 2. *pr. ff. de acquir. haered.* nam haereditas acquiritur animo, lega- 23
ti dominium jure transit, *l.* 20. *pr. ff. de acquir. haered.*

§§. 10. et 11. Ea quae de creatione curatoris 24
dicta sunt *in* §. 4. *et seqq.* habent etiam locum, quando suspecto vel mortuo curatore alius est subrogandus, non tamen in iis, qui ante *hanc legem* dati erant, ratio in *l.* 7. *supr. de LL.*

TITULUS LXXI.

De praediis et aliis rebus minorum sine decreto non alienandis vel obligandis.

LL. 1. 2. et 17.

SUMMARIA

Praediorum alienatio facta a contutoribus vel minoribus est prohibita. num. 1. 4.
An etiam illa invalida, quae fit ab aliis jure suo alienantibus? 2. 5. 6.
An possit restitutio in integrum peti, si tempora restitutionis id patiantur? 3.
Quoties venditio ratione omissae solemnitatis ipso jure nulla, non opus est restitutione in integrum. 7.
An minore fundum cum majorenni communem habente majorennis ad divisionem provocare possit, et quomodo? 8.
Divisio est alienationis et quasi venditionis species. 9.
In communione, quae discordiae mater est, nemo invitus detineri debet. 10.
An in ejusmodi divisione praesentia Curatoris opus sit? 11.
An si tutor vel curator praedium minoris, licet creditori obligatum, in solutum det, sit alienatio? 12.

1 Praedii minoris alienatio prohibita est, quae a contutoribus vel minoribus, non quae ab
2 aliis jure suo alienantibus, v. g. si Magistratus auctoritate in exequutione rei judicatae pignus capiatur et distrahatur ob debitum, quae alienatio valida est, *l.* 1. *h. t. l.* 3. §. 1. *ff. eod.* quia non ex tutoris vel curatoris voluntate id fit, sed ex Magistratuum auctoritate, *Menoch. lib.* 2. *cas.* 171. *num.* 71. Sed potest peti restitutio in integrum, si tempora restitutionis id 3
patiantur. Collige: praedia minorum prohiberi 4
alienari, si id fiat a minoribus vel curatoribus eorum, secus si fiat a judice in exequutione rei 5
judicatae, idem si ex causa damni infecti possideri jubeatur, *d. l.* 3. *ff. h. t.* Idem si creditor rem sibi obligatam, ut pignus suum distrahat, per *hanc l.* licet tutius faciat creditor, si Praetorem adierit, *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* Valida 6
igitur alienatio est, si creditores jure suo rem minoris sibi pignoratam distrahant, *l.* 2. *h. t. Trentac. lib.* 2. *resol. tit. de min. resol.* 9. *num.* 21. ratio in §. 1. *inst. quib. alien.* quod autem de fraude venditoris et emptoris in *l.* 2. habetur, id ex relatione consulentis sumptum, nam non necessario ad restitutionem minoris fraus requiritur; sed sufficit, si multum detrimenti per venditionem accepit minor, per *l.* 1. *C. si adversus vend. pign.* Collige etiam ex *hac l.* 2. Quoties venditio ratione omissae solemnitatis 7
ipso jure nulla est, non opus esse restitutione in integrum, *Sfortia Oddus de rest. q.* 17. *art.* 7. et quos hic allegat *August. Barb.* Item 8
si minor fundum communem habeat cum majorenni. Ubi si hic, scilicet majorennis minorem ad divisionem provocet (minor enim provocare nequit, quia divisio est alienationis species, 9
l. 1. *supr. si adversus transact.* et est species quasi venditionis, *l.* 1. *supr. communia utrius-*

que judicii, *Menoch. d. l. num.* 35. ubi ejus limitationes habet) haec fieri potest sine Decreto, *l.* 17. *h. t. et l.* 1. §. 2. *ff. eod. Trent. d. t. resol.* 9. *num.* 23. quia alienatio in his fit facto alterius, et ex necessitate, *Vasqu. lib.* 1. *de test. potent.* §. 10. *num.* 78.
10 Ratio est, quod in communione, quae mater discordiae est, nemo detineri invitus debeat,
11 *l.* 26. §. 4. *ff. de condict. indeb.* praesentia tamen curatoris necessaria, quae supplet defectum mandati, *Carpzov. p.* 3. *const.* 15. *d.* 44. et ideo si omnes domini provocantes ad divisionem sint minores, necessarium est decretum, secus si unus major sit, qui provocet. Sed si
12 ipse tutor vel curator praedium minoris, licet creditori obligatum, in solutum det, nulla est alienatio, nec opus est restitutione, *l.* 2. *h. t.* quamvis enim ob aes alienum alienatio licita, *l.* 12. *h. t.* necessarium tamen est Decretum, *Menoch. d. l. num.* 50. ut et tunc decretum necessarium esse videtur, si tutor emat, licet pupillus vel minor provocatus fuerit, ut aliquot rationibus probat *Carpzov. lib.* 5. *resp.* 68.

LL. 3. 4. 7. 8. 13. et 15.

SUMMARIA

Ampliationes continentur SCti. num. 1.
Pater ne quidem emancipatorum liberorum praedia alienare sine decreto potest. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Nec venditio, nec transactio, nec permutatio, licet cum evidente utilitate pupilli facta, est valida. 5.
Sola utilitas ad alienationem non sufficit. 6.
Donatio quoque rei, quae minoris, est prohibita. 7.
Quid si contra fiat? 8.
Dicta de transactione limitantur. 9.
An compromissum minoris super immobili valeat? 10.
An praedio minoris servitus possit imponi? 11.
An minor ad praedium alienandum, vel ad resolvendam donationem praedii se obligare possit? 12.
Minor an possit rem emptam pro pretio in ipso venditionis actu obligare? 13.
Conciliatio l. 7. *cum* l. 1. §. fin. ff. h. t. 14.
Res ad eum, a quo rem habuit minor, transferri nequit. 15.
An sponsalitia largitas in bonis immobilibus minoris nuptias contrahentis valeat? 16.
Quid juris in donatione propter nuptias? 17.
An ad dationem rei immobilis in dotem requiratur decretum? 18.
An minor ut nec proprium praedium, ita nec illud, in quo dominium utile habet, alienare possit? 19.
Res minoris immobiles sine decreto et debita juris solemnitate non possunt dari in emphyteusin. 20.
Eadem ratio contractus Libellarii. 21.
Neque annui reditus possunt in minorum praediis constitui. 22.
An possit hypotheca legalis in minorum praediis constitui? 23.

In *his legibus* Ampliationes SCti reperiuntur. 1
Nam I. ne pater quidem praedia liberorum e- 2
mancipatorum alienare potest sine Decreto, *l.* 3. *h. t.* Ratio dubitandi in *l.* 22. §. *fin. ff. de* 3
adult. Ratio decidendi in eo, quia pater in 4
hac specie curator est; sed tantum patrem ut legitimum administratorem posse alienare immobilia ob aes alienum volunt *Covarr. lib.* 1. *var. resol. c.* 8. *num.* 6. *Montan. c.* 33. *num.* 249. *Afflict. dec.* 393. *Guttierez p.* 2. *cap.* 5. *num.* 22. *et Vasq. d.* §. 10. *num.* 80. *Pinell. ad l.* 1. *C. de bon. mat. p.* 3. *num.* 21. *Auct. in l.* 7. *ff. h. t. num.* 3. 4. II. Non tantum vendi- 5
tio, sed et transactio, permutatio, licet cum evidente utilitate pupilli facta, prohibetur, nam utilitas sola non est causa sufficiens ad aliena- 6
tionem, *Rolandus a Valle cons.* 7. *num.* 26. *vol.* 3. *Natta cons.* 631. *num.* 35. *Riminaldus vol.* 3. *cons.* 247. *num.* 34. *Afflict. dec.* 97. *num.* 5. *Guttierez d. l. num.* 33. Et donatio est prohi- 7
bita, adeo ut si contra fiat, minori detur vin- 8
dicatio, *l.* 4. *et* 15. *h. t.* ratio in *l.* 5. *supr. de LL.* Sed quod de transactione dictum, id ita 9
intelligendum, nisi hoc agatur transactione, ut res penes minorem permaneat, *Guttierez d. c.* 5. *num.* 28. *Pinell. d. l. num.* 46. *et Montan. num.* 247. item nisi minor transegisset de praedio, quod non possedit, *Menoch. d. l. num.* 74. item nisi pupilli jus sit valde dubium, *argum. l. praeses* 12. *C. de transact. Pinell. in d. p.* 3. *l.* 1. *num.* 45. et quos citat *Montan. d. c.* 38. *num.* 289. Et ideo neque super re immobili 10
compromittere potest minor, *argum. l.* 32. *ff. de arbitris, Blancus de compromiss. q.* 3. *princ. num.* 9. *Menochius d. l. num.* 43. *Guttierez d. l. num.* 28. nisi compromissum ex statuto sit necessarium, *Montan. d. c.* 33. *num.* 228. Sic 11
neque servitus imponi praedio minoris potest, *l.* 3. §. 5. *ff. h. t. Tiraq. de retr. lign.* §. 1. *gl.* 7. *num.* 55. *et seq. Pinell. d. l. num.* 69. *Guttierez d. l. num.* 24. III. Minor non potest 12
etiam se obligare ad praedium alienandum, vel ad resolvendam donationem praedii, *l.* 7. *h. t.* Ratio in *l. ult. C. si adversus donationem.* Sed *Annon minor rem emptam, pro pretio in ipso* 13
actu venditionis obligare potest, et recte id affirmat *Guttierez d. c.* 5. *num.* 36. per rationes ibi adductas. Et sic *haec l.* 7. cum *l.* 1. §. *fin.* 14
ff. h. t. concilianda, nam *h.* §. *fin.* de pignoris pacto, postquam dominium minori acquisitum, intelligendus est. Et sic communiter distinguunt *DD.* quod scilicet in ipsa emptione possit minor pacisci de re alteri revendenda, sed ex post facto jam acquisito dominio non; Atque hanc sententiam post *Tiraquellum de retr. convent. ad fin. tit. num.* 13. *et Neguz.* sequitur *Pinell. d. p.* 3. *num.* 52. *Simoncelius de decretis lib.* 2. *tit.* 6. *num.* 14. *et* plures refert *Klock. cons.* 42. *num.* 119. *vol.* 2. licet aliter *Dn. Carpzovius p.* 2. *c.* 23. *def.* 16. *num.* 30. Aliter etiam *D. Mat. Cuno de pactis lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 42. *et seqq.* Conf. *Rauchbarus p.* 1. *q.* 6. *num.* 44. *et seqq.* Colligitur etiam ex *hac l.* 7. Quod non possit 15
res transferri ad eum, a quo rem habuit minor, *Montanus d. l. num.* 79. Nec IV. Valet sponsa- 16
litia largitas in bonis immobilibus minoris, nuptias contrahentis, sed proprietas manet penes donantem, *l.* 8. *h. t.* Aliud in donatione pro- 17
pter nuptias esse videtur nonnullis ex hac ratione, quia accepta dote tenetur maritus dona-

tionem propter nuptias constituere, et sic haec necessaria. Sed et hanc alii sub regula generali rectius includunt, ita ut necessarium sit decretum, nam nulla est consequentia necessaria, Est donatio propter nuptias, Ergo sine decreto facienda, quia etiam solutio aeris alieni est necessaria, et tamen omnino necessaria est causae cognitio, et decretum, et probatur horum sententia per *l.* 22. *princ. supr. de admin. tut. Rolandus a Valle de lucro dotis q.* 45. *num.* 2. *Montanus d. c.* 33. *num.* 418. *Guttierez d. c.* 5. *num.* 53. *Menoch. d. l. num.* 47. *et seqq.* Et sic
18 etiam ad dationem rei immobilis in dotem requiritur decretum, *Petrus Barbosa in l. si ante* 6. *num.* 22. *ff. solut. matrim.* Et *DD.* qui contrarium volunt et in aliis exceptionibus duas quaestiones confundunt plerumque. Alia enim quaestio est, an haec vel illa causa, v. g. constitutio dotis, sit causa sufficiens ad alienationem praedii minoris; Et alia est, an decretum sit necessarium; illud de hac et similibus quaestionibus est affirmandum, hoc vero negandum,
19 nisi lex ipsa excipiat. Nec tantum proprium praedium minoris, sed etiam illud in quo utile dominium habet, non potest alienari, ut vectigale seu Emphyteuticum, *(Erb-Zins Gut,) l.* 13. *h. t.* Quamvis enim jus praedii non sit praedium, *l.* 3. §. 4. *ff. h. t.* id est, quamvis non sit dominus, habet tamen utile dominium et jus in re, *argum. d. l.* 3. §. 5. *Menoch. d. l. num.* 56. *Valascus de jure emphyt. q.* 1. *num.* 22. *Joan. Guttierez d. l. num.* 23. *Montan. d.*
20 *l. num.* 114. Ex *hac l.* 13. Colligitur: Res immobiles minoris non posse in Emphyteusin dari sine decreto, et debita juris solemnitate, *Anton. Gomez t.* 2. *cap.* 14. *num.* 14. *Molina tr.* 1. *d.* 224. *num.* 27. *Guttierez p.* 2. *c.* 5. *num.* 24. Et
21 eadem ratio contractus libellarii, *Menoch. cons.* 29. *num.* 17. *et Guttierez d. l. num.* 21. neque
22 possunt annui reditus constitui in praediis minorum, quia hi inter immobilia reputantur, *Montan. d. l. num.* 108. *Guttierez num.* 21. Sed
23 hypothecam legalem ipso jure constitui in bonis minoris multi *DD.* non improbabiliter traduut, quia haec est ex necessitate et consequentia actus permissi, et nullum hic factum minoris vel curatoris respectu hypothecae concurrit, de quo *Caevall. q.* 132. *et* 805. *Card. Mant. de tac. et amb. convent. lib.* 11. *tit.* 21. *Montan. d. c.* 33. *num.* 436.

LL. 5. 6. 12. et ult.

SUMMARIA

Quaenam ad licitam praedii minoris alienationem requirantur? num. 1. 3. 5. 7.
Quodnam aes alienum urgens dicatur? 2.
Quaenam in causae cognitione sint consideranda? 4.
An semper venditio fiat sub hasta praecedente licitatione? 6.

1 Ut alienatio praedii minoris sit licita, requiritur I. ut adsit aes alienum urgens, quod aliunde solvi nequit, vel similis necessitas, *l.* 12.
2 *h. t.* Urgens autem dicitur aes alienum, si creditores assidue instent, premant, cogant, impellant, *Menoch. lib.* 2. *arb. quaest. casu.* 171. *num.* 6. *et seqq. Guttierez d. l. num.* 75. *Mont. d. c. num.* 26. quod etiam in fiscali debito requiritur, in *l. fin. h. t. Menoch. d. l. num.* 66.
II. Causa non tantum debet allegari, sed etiam 3
probari, ideoque non expediendum est hoc decretum per libellum et subscriptionem, sed causae cognitionem plenam, citatis partibus *l.* 6. *et l.* 8. *h. t.* adeo ut licet causa alienationis approbetur, ea tamen postea falsa reperiatur, nullum sit decretum, *l.* 5. *h. t. l.* 1. *supr. si ex falsis allegationibus*, vel si sine cognitione causae decretum interpositum, *Carpz. p.* 3. *c.* 11. *d.* 28. In hac causae cognitione autem conside- 4
randum, an aliunde aes alienum ad solvendum aes alienum conflari potuerit, an non aliae res sint, quae utilius distrahendae, et an haec praedia utilius obliganda, quam vendenda, et ne plus distrahatur, vel sub pignore accipiatur, quam opus sit ad exsolvendum aes alienum, de quo in *l. magis puto* 5. §. 9. *ff. h. t. Gail. lib.* 2. *obs.* 72. *num.* 6. *Simoncell. de decret. lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 17. *Klock. vol.* 2. *cons.* 51. *num.* 15. *Menoch. d. cas.* 171. *num.* 9. *Mont. d. l. num.* 6. *et seq.* cui autem incumbet onus probandi? Dn. Carpz. *l.* 1. *resp.* 80. distinguit, utrum minor revocans praedia fateatur praedium cum cognitione causae et decreto esse distractum, sed nulliter, an vero simpliciter vindicet, de decreto autem nihil, nam ita melius forte ipsius sententia exprimi potest, licet quoad rem coincidat. Si statim dico nullum esse decretum, obreptionem debeo probare, per *d. l.* 5. §. *pen. ff. h. t.* Si tantum vindico, et reus asserat cum decreto se emisse illius est probare, *l.* 13. §. 2. *ff. de publican.* III. Ut pupillus vel minor a tu- 5
tore vel curatore fuerit defensus, *l. ult. supr. si propter publicas pensitationes.* Vid. *Wesenb. in* ϖ. *ff. h. t. et Menoch. d. t. num.* 1. *et seqq.*
IV. Ut venditio fiat sub hasta et praecedente 6
licitatione *l.* 7. §. 8. *ff. de minor. Afflictus dec.* 294. *num.* 2. *Menoch. d. l. num.* 27. *Guttierez p.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. *Mont. d. l. num.* 60. sed id non semper observari memini in *l.* 7. *h. t. num.* 14. *seqq.* V. Demum ut sequatur decre- 7
tum, *Carpz. p.* 2. *dec.* 195. *num.* 4. *et* 5. Plures limitationes, ubi licita alienatio bonorum immobilium pupilli vel minoris, habet *Auctor in l.* 1. *ff. h. t.* per tot.

L. Et si is. 9.

SUMMARIA

An curatoris bona evictionis nomine pro alienato praedio minoris obligata, valide obligata sint? num. 1.
An valida regula, Non subsistente principali nec accessorium subsistit? 2.
Minor ex suo contractu naturaliter obligatur. 3.
Obligationi naturali fidejussor et pignora accedere possunt. 4.

Curator minoris praedium alienat, vel vendit, 1
et evictionis nomine sua (curatoris) praedia obligat, Quaeritur: *An bona Curatoris valide obligata sint?* Videtur quod non, quia tota venditio contra leges facta, ergo nulla est, *l.* 5. *supr. de legibus*, et cum principale non 2
subsistat, nec accessorium subsistet, *l. cum prin-*

cip. 178. *ff. de R. J.* Sed affirmatur, quia curator extra causam prohibitionis est, et pignus hoc minorem non obligat, et accessorium hic habet diversam rationem, ob diversitatem personarum, per §. 26. *Inst. de rer. div.* Colligitur igitur ex *hac l.* Licet ipse contractus principalis invalidus et nullus, tamen accessorium, scilicet fidejussorium, esse validum, *Menoch. d. c.* 171. *num.* 77. *Neguzant. de pign. part.* 3. *m.* 1. *num.* 42. *Petr. Barb. in l.* 1. *p.* 5. *num.* 25. *ff. sol. matr. Montan. num.* 491. Et hujus
3 ratio est, quod minor ex suo contractu natu-
4 raliter obligetur, *l.* 1. *ff. de novat.* At naturali obligationi accedere possunt fidejussor et pignora, *pr. Inst. de fidejuss. l.* 5. *et* 14. *ff. de pign. Canisius in c. accessorium* 42. *de R. J. lib.* 6. sed fatendum est, aliquid singulare hic decidi, scil. quia curator sibi debet ferre acceptum, quod contra legis interdictum praedium minoris alienaverit, et res suas pro evictione obligaverit per ea, quae allegat *Hering. de fidejuss. cap.* 10. *num.* 159. *et seqq.* Ideoque ex hoc singulari textu non sequitur cautela pro emptore praedii dotalis, ut curet sibi caveri per pignora vel fidejussores, *Caepolla cautel.* 128. *Hering. d. c.* 10. *num.* 256.

L. Praediorum. 10.

SUMMARIA

Pupillo praedium alienatum vindicanti a possessore exceptio doli quando opponi possit? num. 1.
In contractu ob omissionem decreti nullo an minor tantum ad pretium restituendum teneatur? 2.

1 Quamvis pupillus aut minor possit praedium alienatum vindicare, datur tamen possessori exceptio doli si pupillus vel minor lucrum capiet ex alieno damno, et nolit restituere ea, quae ipsius commodo cesserunt, *l.* 7. §. 5. *l.* 13.
2 §. 1. *ff. h. t.* Ex *hac l.* Colligunt: Ubi contractus est nullus ob omissionem decreti, minorem teneri restituere pretium, sed ulterius non, nisi quatenus in utilitatem minoris id versum, cujus probatio adversario incumbit, secus si restitutionem petat, et de hac communi sententia testatur *Menoch. cons.* 644. *num.* 17. *Simoncell. de decret. lib.* 3. *tit.* 7. *num.* 17. *Klock. vol.* 2. *cons.* 51. *num.* 32. *Men. lib.* 3. *praes.* 84. *Mascard. concl.* 1167. *Mont. d. l. num.* 131. *et seqq. Vasq. lib.* 3. *q.* 66.

L. Siquidem. 11.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Frustra de pretii modicitate vel laesione quaeritur, ubi ipsa venditio tota nulla est. 2.
Patronus tutor liberti sine Decreto praedia alienare nequit. 3.
Quid si formalia venditionis sint legitima et libertus minor in pretio vel in alienando laesus? 4.
Judicis decretum non impedit restitutionem, si contra alienationem se restitui petat minor. 5.

Quando ob omissionem decreti alienatio a pa- 1
trono, ceu tutore liberti facta, nulla est, non opus est quaerere utrum minor laesus in pre-
tio, quia ipsa res vindicari potest, quia frustra 2
quaeritur de pretii modicitate vel laesione, ubi ipsa venditio tota nulla est, nec enim excipi-
tur ab hac regula patronus, cum et ille sine 3
decreto alienare non possit praedia, sin faciat, actus est ipso jure nullus, Vid. *Vasq. d.* §. 10.
num. 73. Sed si formalia alienationis sint legi- 4
tima, vide *l.* 5. *h. t.* tum si in pretio laesus sit, datur restitutio, alia enim ratio solutionis, *l.* 7. §. 2. *ff. de minor.* et alia alienationis, *l.* 11. *h. t.* Si vero in alienando laesus sit, datur restitutio ad rem ipsam, vid. *Vasq. d. th.* 3. *concl.*
65. Ergo judicis decretum non impedit resti- 5
tutionem, si contra alienationem se restitui petat minor, *Guttier. p.* 2. *c.* 22. *num.* 24. *Sfortia Oddus de restit. q.* 22. *art.* 6.

L. Utere. 14.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Fundus minoris sine decreto vel causae cognitione venditus cum fructibus repeti potest. 2.

Minor quid debuit fisco, cogitur igitur ven- 1
dere mihi praedium, satisfacio fisco, et ita haec pecunia notorie in utilitatem fisci versa, sed minor revocat praedium quasi sine solemnitate venditum cum fructibus, ego oppono exceptionem doli, nisi pretium cum usuris solvat.
Unde colligitur: In hac actione, si fundus sine 2
decreto vel sine causae cognitione venditus, posse repeti eumdem cum fructibus, *Montan. d. c.* 33. *num.* 89. quia titulus deficit, restituto tamen pretio in utilitatem minoris verso cum usuris, *Vivius decis.* 22.

L. Si praedium. 16.

SUMMARIA

Actor rem venditam repetere volens repellitur, si rei ab emptore melioratae sumptus non offerat. num. 1.
Nemo cum alterius damno debet locupletari. 2.
Decretum de alienando a quonam judice interponi debeat? 3.

Doli mali exceptione repellitur etiam actor si 1
praedii ab emptore meliorati sumptus non offerat, *d. l.* 16. *h. t.* quorum omnium ea ratio,
quia nemo cum alterius damno debet locuple- 2
tari. Ex *hac l.* et verbis, *provinciae in qua situm est*, colligunt *DD.* decretum de alienando 3
interponi debere ab eo judice, sub quo sita res immobilis, non vero ab eo sub quo domicilium habet pupillus, si forte diversis in locis domicilium habeat, et bona. Sed quia *in l. magis puto* 5. §. 12. *ff. h. t.* contrarium dicitur, quod

possit interponi decretum a judice domicilii, ideoque vera videtur sententia eorum, qui dicunt, quemlibet eorum judicum posse interponere decretum, judicem domicilii ratione jurisdictionis, judicem loci rei sitae ob jurisdictionem in rem, et praeventioni locum esse, *Salyc. hic et Sichard. ad l. 1. supr. de contrah. empt. Guttierez p. 1. c. 16. Molina d. 224. num. 29. Anton. Gomez d. c. 14. num. 17. Mant. de tac. et amb. convent. lib. 4. tit. 6. num. 21. Franc. de Caldas de empt. c. 14. num. 18. et seqq.*

TITULUS LXXII.

Quando decreto opus non est.

L. Si probare. 1. et L. Praedium. 3.

SUMMARIA

Quando non opus sit decreto? num. 1.
Qualis sit voluntas? 2.
Voluntas ultima etiam imperfecta declarat voluntatem patris. 3.
Aliud si pater in vita sua vendere quid voluerit. 4.
Quid si pater vendere promiserit? 5.
Si pater cum pacto de retrovendendo emit, filius hoc petente venditore sine decreto revendere potest. 6.

1 Decretum non est necessarium, quando haec
2 fuit voluntas (sive ultima, sive in contractu, ut ex *l.* 1. apparet, item sive illa voluntas solemnis, sive non, id est, imperfecta vel irrita, per *l. fin. ff. de*
3 *rebus eorum etc.* nam et voluntas ultima imperfecta declarat voluntatem patris, quae hic sufficit, *Vasq. de testat. potent. lib.* 1. §. 10. *n.* 75. *et* §. 24. *num.* 11. *Molina d. disp.* 224. *n.* 28. licet *d. legem fin.* tantum de irrito testamento intelligant, *Mantica de conject. ult. volunt. lib.* 2. *tit.* 13. *num.* 2. *et lib.* 3. *tit.* 20. *num.* 5.) Parentum pupilli, aut testatoris, ex cujus bonis praedium ad pupillum pervenit, quia licitum est cuivis legem rei suae dicere, *l.* 1. *et* 3. *h. t. et l.* 1. *ff. eod.* et deinde minor alienando nihil novi contrahere videtur, sed exequitur contractum defuncti, ideoque quis arbitratur idem esse, sive pater vendiderit, sive jusserit, vid. *Guttierez d. c.* 5. *num.* 62. *et seq. Menoch. d. l. num.* 67. *et seq.*
4 Sed aliud, si pater voluerit in vita sua vendere, non enim propterea sequitur, a filio etiam vendendum esse, cum pater voluntatem illam in effectum non deduxerit, *l.* 1. §. 3. *ff. de rebus eorum etc. Montan. d. c.* 33. *num.* 13. Sed etiam
5 aliud est, si pater vendere promiserit, nam filius non tenetur propterea vendere, et non jussit hoc pater, ut filius venderet, et filius in pretio laedi potest, ut contra *Tiraquell. de jure Mariti gl.* 8. *num.* 194. statuit *Caldas de Pereira* et eum allegans *Guttier. d. c. num.* 66.
6 Sed si pater emit cum pacto de retrovendendo, filius hoc petente venditore potest revendere sine decreto, quia fieret ex necessitate praecedentis contractus, et talis minor non dicitur contrahere, sed contractus fidem absolvere, *Montan. d. c.* 33. *num.* 447. *Tiraq. de retr. convent.* §. 1. *gl.* 6. *num.* 28. Collige etiam ex *l.* 1. Consensum patris sufficere, et ex *l.* 3. ejus consensum sufficere, a quo illud praedium ad minorem pervenit.

L. Illud. 2.

SUMMARIUM

An rescriptum principis suppleat defectum decreti?

Rescriptum principis supplet decreti defectum et idem operatur, quod decretum inferioris judicis, *Wesenb. cons.* 153. *num.* 16. *Asinius de exequut.* §. 4. *c.* 37. *num.* 5. *Card. Mantic. lib.* 4. *tit.* 6. *num.* 46. *Montan. d. cap.* 33. *num.* 574. si modo justa causa rescripti adsit, *Nebelkra p.* 1. *dec.* 7.

L. Et sine. ult.

SUMMARIA

Omnia, quae servando servari non possunt, licite sine decreto alienantur. num. 1.
Prohibitio alienationis sine decreto ad quasnam res spectet? 2.
Res, quae licite alienantur, ut ultra triennium durare non possint, comparatae sint. 3.

Animalia supervacua, vestes detritae et omnia, 1
quae servando servari non possunt, possunt alienari sine decreto. Vid. *supr. l.* 22. *c. de administr. tut.* Et sic prohibitio alienationis sine 2
decreto pertinet etiam ad res mobiles, quae servando servari possunt, per notata *supr. ad d. l.* 22. Alia, quae servando non possunt ser- 3
vari, alienari possunt, scilicet quae ultra triennium non possunt durare, *secundum gl. in l.* 1. *C. si adversus usucap. Montan. dict. cap.* 33. *num.* 166. ut sunt fructus, vina quaedam, frumentum, et similia; ipsa etiam pecunia ad alienationem et permutationem est comparata, *Trentac. d. l. num.* 12.

TITULUS LXXIII.

Si quis ignorans rem minoris esse, sine decreto comparaverit.

LL. 1. 3. et 4.

SUMMARIA

Fundus a tutore vel ejus haerede scienter emptus nunquam potest praescribi. num. 1.
Emptus bona fide quinque annis ab anno 25. *aetatis minoris numerandis, praescribitur.* 2.
Praedium donatum praesente eo, qui minor fuit 10. *annis, absente* 20. *praescribitur.* 3.
Ex quonam tempore praescriptio haec currere incipiat? 4.
Menochius *notatur.* 5.

1 Qui sciens a tutore seu curatore, multo magis a tutoris (cujus officium morte extinguitur, *l.* 7. *supr. de neg. gest.*) haerede, fundum pupillarem emit, nunquam praescribit, ob malam fidem, *l.* 1. *h. t.* licet ad secundum pervenerit possessorem, *l.* 3. *h. t.* quia initium vitio-
2 sum, §. 3. *inst. de usucap.* sed qui bona fide emit, quasi esset majoris, non minoris, omnino praescribere potest quinque anuis ab anno 25. aetatis minoris numerandis, *l. fin. tit. seq.*
3 Si vero donatum sit praedium praesente eo, qui minor fuit, 10. annis praescribitur, aut eo
4 absente 20. *l. ult. h. t.* Quod tamen tempus, post majorennem tantum aetatem currere incipit, *l. fin. supr. in quib. causis restit. in integrum.* Ex *his textibus* colligimus cum *Cujac. ad hunc titulum*: primam differentiam inter eum, qui ignorans emit rem minoris, et qui sciens, nam qui ignorans emit, est in bona fide, et sic potest praescribere, sed qui sciens emit, ille est in mala fide, et nunquam praescribit, nam bona fides est essentiale requisitum praescriptionis: collige etiam *ex l. fin. h. t.* ideo inter praesentes decennium requiri, quia res minoris initio donata, et donatario vendita. Et ideo Emptor suum jus, ex jure sui auctoris, qui lucrativum titulum habet, metiri fiebat, et sic Emptor ex persona donatarii 10. annis praescribit, et haec videtur esse ratio decidendi in *l. ult.* quam paucis verbis insinuat ad *hunc tit. Cujac.* et dubitanter dicit *Menoch.*
5 *rem.* 15. *recup. poss. num.* 176. Neque debuit doctissimum *Menochium* terrere, quod *l. ult. tit. seq.* sit nova constitutio, quia *l. fin. hujus tit.* procul dubio interpolari ex *d. l. fin. tit. seq.* potuit.

L. Si contra. 2.

SUMMARIA

Quosnam fructus sciens praedii minoris emptor restituere teneatur? num. 1.
An etiam industriales? 2.
An differentia hac in parte constituatur inter eum, qui immediate a minore emit, et qui mediante alio? 3.
An error juris usucapionem producat, remissive? 4.

Cui scienti praedium minoris venditum, ille 1
tenetur fructus praedii restituere universos tam extantes quam consumptos, quia est malae fidei possessor; Vide *leg. certum* 22. *supr. de rei vindic.* quod etiam de industrialibus fructibus 2
intelligunt, in quantum possessor locupletior redditus, *Covarr. lib.* 1. *resolut. cap.* 3. *num.* 6. *et Guttierez dict. cap.* 5. *num.* 13. Et quam- 3
vis nonnulli discrimen constituant, inter eum, qui immediate a minore emit, et inter eum, qui mediante alio, ut *Molinaeus de consuetud. Paris t.* 1. §. 22. *num.* 54. a qua sententia nec alienus videtur *Tiraquell. de retract. consang.* §. 1. *gloss.* 7. *num.* 14. ubi dicit, aliter usucapere primum, aliter secundum emptorem, verius tamen est, sine distinctione fructus restituendos esse, cum sine distinctione *haec l.* 2. de possessore agat. Et colligitur ex *hac l.* 2. differentia inter ignorantem emptorem et scientem, quod ille fructus lucretur, hic non. Nec hoc loco necessario puto praesumendum errorem juris, sed potest etiam in vers. *si non bona fide*, intelligi error facti, uxoratus v. g. sit, et videatur grandis natu, etc. Sed de ista 4
quaestione, an error juris usucapionem producat, videatur *Balbus in l. celsus in* 4. *notat. num.* 22. *Guttierez dec.* 5. *num.* 14. *et seq. Vasq. lib.* 2. *contr. cap.* 79. *num.* 3. *et* 4. *Gilken. de praescript. p.* 2. *m.* 1. *cap.* 3. *num.* 46. *et Harprecht. tit. de usucap. num.* 89.

TITULUS LXXIV.

Si major factus alienationem factam sine decreto ratam habuerit.

L. Cum proponas. 1.

SUMMARIA

An alienatio praedii sine decreto venditi post majorennem aetatem possit a minori rata haberi? num. 1.
An minor major factus venditionem praedii, quam pater antequam mortuus ratam habuit, si supra dimidium fuerit laesus, ex capite nullitatis impugnare possit? 2.
An hoc casu possit ex lege 2. C. de rescind. vend. *agere.* 3.
Quando duo sunt vitia contractus nullitatis et laesionis, licet sublata prima causa non statim sublata est altera. 4.
An rescissa venditione hoc modo fructus debeant restitui? 5.
Pinellus *primum notatur, sed postea ejus sententia approbatur.* 6.

1 Alienatio praedii sine decreto venditi potest a minori rata haberi post majorennem aetatem
2 adeptam. Sed pono, patrem meum, qui habuit ratum ejusmodi actum, decessisse, ego animadverto patrem meum, cujus praedium fuit, supra dimidiam esse laesum; Quaeritur: I. *An possim ex capite nullitatis impugnare venditio-*
3 *nem? II. An possim ex lege 2. C. de rescind. vendit. agere?* Primum negatur; quia per expressam ratihabitionem statim excluditur querela nullitatis. Posterius affirmatur, et ideo creditor, cui venditum est praedium, tenetur vel praedium cum fructibus restituere, vel quod deest justo pretio supplere solvendo vel com-
4 pensando. Collige ergo ex *hac l.* Quando duo sunt vitia contractus, scilicet nullitatis, et laesionis, licet sublata causa nullitatis, ex cursu temporis, vel expressa ratificatione, non tamen esset sublata causa laesionis, quia majori conceditur, *Menoch. rem.* 15. *recup. possess. n.* 181. *Montan. d. c.* 33. *num.* 570. Sed illud scrupu-
5 lum movet, quod hic res cum fructibus dicitur restitui debere, unde videtur probari posse illorum sententia, qui statuunt, quando ex *l.* 2. *de resc. vend.* rescinditur venditio, fructus debere restitui, vid. *Caevall. q.* 763. *per totam*,
6 licet *Pinellus ad d. l.* 2. *p.* 2. *c.* 1. *num.* 8. respondeat, *huic legi* duplex hic fuisse vitium, scilicet nullitatis et laesionis. Sed contra hanc responsionem regeri potest, primum vitium nullitatis sublatum fuisse per expressam ratihabitionem. Sed pro *Pinello* regeri posset, patrem, cum ratam habuisset alienationem, ignorasse utrumque vitium, ideoque ratihabitionem ex errore promanasse, *Guttierez l.* 1. *qu. civ. qu.* 131. *num.* 2. et sic fructus restituendos non esse regulariter in remedio *d. l.* 2. *C. de resc. vend.* ut sentiunt *Covarr. l.* 2. *var. resol. c.* 3. *num.* 9. *Pinellus d. l. et quos refert*, ac sequitur *Guttierez d.* 9. *num.* 1. quod tamen limitat, si emptor agit ad rescindendum.

L. Si sine decreto. 2.

SUMMARIA

Si minor major factus et alienationem ratam habuerit, cessat vindicatio. num. 1.
Triplex datur modus, quo convalidatur alienatio sine decreto facta. 2.
Per expressam et tacitam alienationem non tantum illa confirmatur alienatio, quae defectu decreti laborat, sed etiam quae ex alio capite nulla est. 3.

Cessat rei vindicatio, quando minor major fa- 1
ctus est, et alienationem praedii sine decreto factam ratam habuit sive expresse, verbis aut factis, *l.* 2. *h. t.* ibi, *speciali confirmatione*, sive tacite, si per statutum tempus taceat et permittat, ut possessor praedium possideat, *d. l.* 2.
Unde colligo duplicem vel triplicem modum, 2
quo convalidatur alienatio sine decreto facta: 1. Ratificationem hominis, quae fit per verba: 2. Quae fit per facta, ut si solvat vel recipiat solutionem, *l.* 7. §. *fin. ff. ad SCtum Macedon.* vel pretium petierit, *l.* 7. §. 1. *ff. de lib. causa*; et actus hic valet ex tempore ratificationis, quia homo non habet potestatem introducendi fictionem, sed hoc in tertio modo confirmandae alienationis tantum fit, *Menoch. d. rem.* 15. *num.* 150. *et seq. Trentac. de minor. res.* 10. *num.* 2. - 3. Modus est ratificatio tacita, per certum tempus, quae fit a lege. Colligitur etiam ex *hac lege:*
Quod per expressam et tacitam ratificationem 3
non tantum illa alienatio confirmatur, quae defectu decreti laborat, sed etiam quae ex alio capite nulla est, nam decretum omnia antecedentia requirit, scilicet causam et cognitionem causae. Ergo licet decretum sit interpositum, sed nulla antecedente cognitione, haec ratificatio locum habet, *Menoch. d. l. num.* 148. *Montan. d. l. num.* 556. *et seq. Trentac. d. l. num.* 7.

L. Si quando. ult.

SUMMARIA

Quale tempus sit praeterlapsum, ut non retractari possit alienatio? num. 1.
Distinguendum inter alienationem onerosam et donationem. 2.
Quatuor casus, ubi lex haec fin. *locum habeat, recensentur.* 3.
Casus excepti. 4.
An dolus praesumptus impediat hanc legem? 5.
An procedat de jure Can.? 6.
Tacita ratificatio non tantum locum habet, quando decretum nullum interpositum, sed etiam quando causa non adfuit, vel praecessit causae cognitio. 7.

An lex haec *non de venditione tantum, sed et de aliis gestis possit intelligi?* 8.
An etiam de transactione? 9.

1 Sed quale illud tempus statutum? Dist. in *hac*
2 *l. ult.* inter alienationem onerosam et donationem. Quando onerosa est alienatio, v. g. venditio, idem donatio propter nuptias (quia est compensatio dotis) tunc si minor major factus, post majorennem aetatem adeptam, per quinquennium tacuerit, non potest retractari alienatio. Quando vero simplici donatione praedium est alienatum, tunc si minor major factus, praesens decem annos, absens viginti annos tacuit, demum confirmatur donatio, quod idem in eo, qui a donatario emit, *l. ult. tit. praeced.* ratio in *l.* 20. *ff. de acquir. dom.* Sed haeres etiam admittitur ad revocationem, cui, si et ipse sit minor, tempus quod defuncto supererat non currit, sed facto demum majori. Qua-
3 tuor autem in *princ. legis* casus exprimuntur, in quibus *lex haec finalis* locum habet: I. Quando minor vel pupillus auctoritate curatoris vel tutoris vendit: II. Quando curator vendit, minore praesente et volente, vel saltem alias sciente, *Cephal. cons.* 315. *num.* 46. III. Quando minor nullum habens curatorem, nec venia aetatis impetrata, vendit: IV. Quando minor sine curatore vendit, aetatis tamen venia impetrata, qui tamen habet curatorem, *Menoch. d. rem.* 15. *num.* 149. *Trentac. d. res.* 10. *num.* 3. Hanc
4 legem limitat ex aliis *August. Barbosa*: 1. Si curator rem minoris solus alienaverit, ut suam, quia hic casus inter istos casus non continetur, *Menoch. d. l. num.* 175. *et Montan. d. l. num.* 569. - 2. lim. Quando ipse curator cum minore contraheret, *Trentac. d. l. num.* 12. Cujus ratio, quia hoc loco nullitas plane alia, et toto genere diversa ab hac nullitate, de qua hic, quia scimus curatorem cum minore, tutorem cum pupillo, contrahere non posse: 3. limitat. Si minor sine curatore, quem tamen habuit, contraxit, nam hic casus non continetur in illis quatuor casibus, et haec etiam nullitas plane diversa, *Trentac. d. l. num.* 4. limitationem 4. habuimus in *lege* 1. - 5. limitatio, quae potest cum sexta conjugi si minor ignoravit contractus qualitatem, vel dubitavit, an cognitio causae praecesserit, an decretum interpositum, nam ita intelligenda haec est limitatio, ut apparet ex citato *Menoch. num.* 185. *et Montan. num.* 571. et aliis citatis: 7. Est, si contractus sit simulatus et prohibitus; de tali enim simulatione quae v. g. fit in fraudem usurarum, loquuntur *Montan. d. l. num.* 567. *et Trentac. d. l. num.* 14. Cujus etiam haec ratio, quod hic sit diversum plane contractus vitium: 8. limitatio, si in contractu dolus intervenit, *Montan. d. l. num.* 564. *Trentac. d. l. num.* 8. Sed dolum praesumptum non impedire *hanc* 5
legem plerique statuunt, *Menoch. d. l. num.* 179. *Oddus de restit. qu.* 25. *num.* 57. et hos allegans *Klockius vol.* 2. *cons.* 51. *num.* 102. quod tamen forte arbitrio judicis committeretur, scil. potest alia praesumptio doli esse fortior alia. Et sic contraria obtineret sententia, *Paris. l.* 1. *cons.* 49. *num.* 44. *et seq. Simon de Practis cons.* 3. *num.* 29. *et quos refert. Alex. Raudensis decis. Pisana* 30. *num.* 226. Ideoque dolum sive verum sive praesumptum, si ille nimis evidens per ratificationem majorenni factam non remissum esse, nisi ipsi de dolo constiterit, existimo cum *Paris. et Raudensi dictis locis*, et ita intelligo *Menoch. loc. cit.* - Conferatur *idem cons.* 589. *num.* 13. Et generaliter loquitur de dolo *Riminaldus lib.* 3. *cons.* 248. *num.* 11. quia negativa fortius negat quam affirmativa affirmat: 9. Si intra tempora hic praesumpta conqueratur minor de contractu, vel dicat se nolle ratificare, *Trentac. d. l. num.* 11. et quos hic allegat *Barbosa*, *et Simoncell. de decret. lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 4. *et Klock. d. cons. num.* 97. - 10. Non procedere hoc de *jure can.* 6
sed haec recte displicet *Menochio hic num.* 188. *et cons.* 242. *in fine*, quia confundunt, qui contrarium volunt, praescriptionem et ratificationem; non de illa, sed de hac hic sermo, *vid. Klock. v.* 2. *cons.* 51. *num.* 47. Illud ex *praecedentis legis notatis* repetendum; Quod tacita ratificatio non habeat tantum locum, quan- 7
do decretum nullum interpositum, sed etiam quando causa non adfuit, vel non praecessit causae cognitio, *Menoch. d. l. num.* 143. *Simoncell. d. t.* 9. *num.* 25. *Klock. d. l. num.* 46. Legem hanc non tantum de venditione, sed 8
de aliis etiam gestis intelligendam esse, prolixe probat *Dn. Carpzov. lib.* 5. *resp.* 76. Et *hanc legem* locum habere putat *Schultes quaest. sua* 15. licet alienatio non in aetate pubere, sed impubere facta. Et hanc legem etiam de tran- 9
sactione intelligendam tradit *Menoch. cons.* 1164. Etiam in obligatione personarum, *Men. cons.* 242. *num.* 27. *et seq.* Et quando tutor remisit jus pupilli sciente pupillo, nam tunc decennium requiritur, quia remissio species est donationis, *Menoch. d. cons. num.* 21.

TITULUS LXXV.

De magistratibus conveniendis.

L. Si magistratus. 1.

SUMMARIA

Quando contra Magistratum detur actio subsidiaria? num. 1.
Jus hodiernum. 2.
Casus proponitur. 3.

1 Subsidiaria actio datur contra magistratum. Et licet ideo magistratus, qui dat tutorem, etiam exigat cautionem, non tamen hodie sublata est haec actio, *Bacchov. ad Treutl. d.* 9. *th.* 7. *lit. E. Carpzov. d. const.* 11. *def.* 41. Sed quia hodie fidejussores non solent exigi, 2
nam ita deterrentur magis homines, qui alias talia munera volunt declinare, si tutores solvendo, Ergo hodie nostris moribus tunc tenebitur magistratus, si vel minus idoneos tutores dedit, vel cautionem non exegit, *Carpz. et Bacchov. dd. ll.* v. g. Magistratus dedit vel nominavit 3
pupillo tutorem, tutor repromisit rem pupilli

salvam fore, et dedit eo nomine fidejussorem, sed extra, id est, praeter hanc satisdationem, dedit et fidejussorem magistratui stipnlanti de eo indemni praestando. Tutor autem male administrat, ideoque convenitur a pupillo jam adulto facto: Sed frustra, quia non est solvendo; Sed quaeritur: *An propterea periculo liberatus sit magistratus vel fidejussor tutoris?* Resp. neg. ratio *in l.* 87. *pr. ff. de R. J.* Sed si tutor non sit solvendo, non statim agitur cum magistratu, sed prius agendum est cum contutore, *l.* 4. *h. t.* Si modo gessit (nam si non gessiset, et debitam diligentiam in suspecto tutore removendo fecerit contutor, non nisi post magistratum conveniri potest, *l.* 1. §. 15. *ff. de tut. et rationib.*) quia commune est periculum, vid. *supr. l.* 2, *de divid. tut.* post contutorem agendum est cum fidejussore, qui rem pupilli salvam fore promisit, hoc excusso, demum ad magistratum pervenitur, *l.* 5. *h. t. Oldend. classe* 4. *act.* 37. *num* 7. si tutor finito officio non sit solvendo, *d. l.* 5. nam talis ab initio etiam praesumitur, nisi contrarium a magistratu probetur, *l.* 1. §. 13. *ff. h. t.* Sed si nec magistratus sit solvendo, potest peti, ut actionem suam cedat contra fidejussorem, quem suae indemnitatis nomine a tutore accepit, quamvis etiam sine cessione utilem det hoc casu Imperator actionem, *l.* 1. *h. t.*

L. In haeredes. 2.

SUMMARIUM

An tam magistratus quam et haeres in omne periculum succedant et quamnam culpam quisque praestet?

Alia est causa ipsius magistratus, alia haeredis ejus, magistratus enim in omne periculum succedit, *l.* 4. *ff. h. t.* id est, ex negligentia quavis tenetur, etiam levi, *Treutl. d. thes.* 7. *Balth. d. t.* 5. *res.* 11. *num.* 1. non vero casu fortuito, *l.* 1. §. 11. *ff. h. t.* Sed haeres ejus tantum de culpa dolo proxima, id est, de lata tenetur, vid. *supr. de haered. tut. et P. Mont. c.* 32. *reg.* 7. *num.* 33. *et* 45. *et seq. Petr. Greg. lib.* 13. *c.* 10. *num.* 33.

L. Si tu. 3.

SUMMARIA

An ex duobus tutoribus sine satisdatione datis quivis in solidum cum effectu conveniri possit? num. 1.
Quid si eorum dolus intervenerit? 2.
Quid si aliter inter ipsos magistratus conventum? 3.

1 Duo collegae in magistratu dederunt tutorem non idoneum, nec satisdationem exegerunt, et cum tutor non solvendo esset: Quaeritur: *An minor quemvis in solidum, cum effectu scilicet convenire possit?* Neg. quia habent beneficium divisionis, modo uterque solvendo sit, *hac l.* 3. et si nullus eorum dolus intervenerit, aut 2
lata culpa, *l.* 7. *ff. eod.* et nisi aliter inter ipsos 3
magistratus convenisset, *l.* 1. §. 9. *ff. h. t.* Vid. *Montan. d. reg.* 7. *num.* 42. nec obstat *l.* 38. *ff. h. t.* Vid. *Montan. d. reg.* 7. *num.* 41. Nec obstat *l.* 38. *ff. de admin. tut.* quia illa *l.* 38. de dolo vel lata culpa in omittendo, haec vero in committendo agit, *Fr. Curtius in repet. l. neque pactio* 1. *C. de transact.*

L. Adversus. 4.

SUMMARIUM

Quatenus contra magistratum detur actio?

Contra magistratum non agitur, nisi in subsidium, excussis tutoribus eorumque bonis, postea collegis, scilicet ad quorum periculum consortium administrationis pertinet, id est, qui gesserunt, vel si non gesserunt, in culpa tamen fuerunt, cur non suspectum egerint tutorem, qui gessit, et demum fidejussores excutiendi, post hos magistratus, vid. *notata ad l.* 1.

L. In magistratus. 5.

SUMMARIUM

Casus legis.

Quando tutores tempore officii depositi solvendo fuerunt, non potest conveniri magistratus, quia tunc debebat conveniri tutor.

L. Cum sit. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Notarius, qui dolo quid omisit, ad interesse tenetur. 2.
Pars laesa per omissionem a Notario factam juramentum in litem praestare potest. 3.

Praetor dedit mihi curatorem, cui injungit decre- 1
to, ut inventarium conficiat. Notarius dolose minus ponit in inventario, et aestimat meum Patronium 2. tantum libris auri, ideoque satisdationem praestat curator in eam quantitatem; Sed curator male administravit, tenetur ad 4. libras auri restituendas. Cum a fidejussore non plus duabus libris, quas repromisit, recuperare possim, quaeritur: *a quo reliquas libras duas petere possim?* Resp. a notario actione in factum, vel condictione ex hac lege. Colligitur
exinde: Notarium, qui dolo quid omisit, tene- 2
ri ad interesse, *Menoch. cons.* 37. *num.* 3. *Caldas de emp. c.* 5. *num.* 4. *Sichard. ad l. errore num.* 5. *C. de testam. Farin. q.* 156. *num.*
97. *et qu.* 157. *num.* 8. et pars laesa per omis- 3
sionem a Notario factam potest juramentum in litem praestare, *Plotus de juram. in lit. num.* 616.

FINIS LIBRI QUINTI

LIBER VI.

CODICIS

TITULUS I.

De servis fugitivis et libertis mancipiisque civitatum, etc.

In hoc Libro Sexto tractat Justinianus de bonorum possessionibus, et successione sive haereditate civili. Priusquam de bonorum possessionibus agat, praemittit aliquot titulos de Jure Patronatus, cujus occasione hic primo loco agit de servis fugitivis.

L. Servum. 1.

SUMMARIA

An servus fugiens a domino, et ab alio bona fide distractus ab emptore ut bon. fid. possessore usucapi vel saltem longi temporis praescriptione acquiri possit? num. 1.
An servus fugitivus sit res furtiva? 2.
Objectio diluitur. 3.
Respondetur ad aliam objectionem. 4.
Saepe eadem res ob diversas considerationes diverso jure potest censeri. 5.
An et quibus casibus consulens de consilio malo teneatur? 6.
Cur hic praescriptionis mentio injiciatur? 7.

1 Interrogati Imperatores, *an si servus fugerit*
a domino, et ab alio bona fide fuerit distra-
ctus, an, inquam, servus ille ab emptore, ut
bon. fid. possessore usucapi, vel saltem prae-
scriptione longi temporis acquiri possit? Quod
hic negat Imp. ob rationem, quia 1. Servus
2 fugitivus sui furtum facit. Ergo servus fugitivus
est res furtiva; Ergo usucapi nequit, *arg.* §.
furtivae 2. *Inst. de usucap*: 2. Aliter si dicere-
tur, servus quandocumque vellet, fugiendo
posset nocere domino. Decisio in verbis, *ideo*
non habere etc. Ratio decidendi prima in *princ.*
3 *legis*, altera in *fin.* Opponunt communiter *l.*
qui servo 36. *pr. ff. de furt.* Ubi ille qui servo
persuasit ut fugeret, non tamen tenetur furti.
Resp. servum *hic* dici sui furtum committere
impropric, et ad hunc tantum effectum, ut u-
sucapi non possit. Alias autem pro fuga servi
haberi non potest, quia idem non potest dici
fur et res furtiva, *Cujac. lib.* 17. *obs.* 10. Ideo-
que secundum quid hoc est accipiendum, *Du.*
Tab. in racemat. ad d. l. 36. Et hanc respon-
sionem probant verba *d. l.* 36. *in pr.* Ubi si e-
go servo persuasero fugam, ut tu surripias eum,
4 omnino teneor actione furti. Opponi quidem
etiam posset, eamdem rem diverso jure censeri
non posse, *argum. l. eum qui aedes* 23. *ff. de*
usucap. adeoque nec eamdem personam, et fu-
rem et rem furtivam esse posse: Respondetur
tamen, eamdem rem saepe ob diversas consi- 5
derationes diverso jure censeri posse, *arg. l. si*
consul 3. *ff. de adopt.* Vid. *Schultes ad Modest.*
Pist. qu. 22. *n.* 10. Doctores *hic* etiam illam tra-
ctare solent quaestionem; *An, et quibus casi-* 6
bus consulens de consilio malo teneatur? Qua
de quaestione videatur *Farinac. lib.* 4. *operum*
crim. qu. 129. *Boer. decis.* 167. *Anton. Matthaei*
eruditissime ad tract. suum criminalem in Pro-
leg. num. 7. *et seq.* Sed cur Imper. hic Prae- 7
scriptionis mentionem facit, cum tamen haec
ad immobilia pertineat. Resp. Procul dubio de
praescriptione fuisse consultos Imperatores forte
quia hanc, deficiente usucapione, locum habitu-
ram putavit Quaerens.

L. Requirendi. 2.

SUMMARIA

An servum fugitivum in aedibus alienis perquirere liceat domino? num. 1. 3.
Quid juris in rebus aliis furtivis? 2. 6.
Sententia Auctoris de hac quaestione. 4.
Poena judicis perquisitionem concedere nolentis, et patrisfam. quaeri apud se prohibentis. 5.
De inquisitione rei furtivae plura remissive. 7.

Quaeritur: *An domino liceat servum suum* 1
fugitivum perquirere in alienis aedibus? Re-
spond. Id affirmando, ita ut officium judicis ea
de re implorari possit, *Auctor in l.* 1. *ff. de*
fugitivo num. 3. *et* 10. Nam in aliis rebus fur- 2
tivis per *l.* 18. *ff. de in jus voc. l.* 2. §. *quid*
enim tam durum C. quando, et quib. quarta
pars etc. non licet, nisi suspiciones contra ali-
quem militent, et id fiat auctoritate Judicis.
Sed nec servum fugitivum sine suspicione inve- 3

4 stigari potuisse existimaverim; facilius sane Judex servum fugitivum inquiri permittet, quam aliam rem furtivam, quippe ille etiam citra Patrisfamilias culpam latitare in aedibus posset.
5 Poena judicis, qui perquisitionem concedere non vult, et Patrisfamilias, qui quaeri apud se prohibuit, habetur in *l.* 1. §. 2. *ff. de fugitiv.* Quae-
6 runt hic: 1. *An res aliae furtivae in aedibus alienis inquiri possint?* Quod negatur, quia inhumanum est excutiendo alienam domum, vel mendicitatem illius prodere, vel divitias subjicere invidiae, *d. l.* 2. *C. quando et quib. quart. pars. Auct. in l.* 1. *ff. de fugitiv. num.* 14. nisi adsint suspiciones, ut supra dictum, aut causa sit publica, *argum. l.* 6. *C. de aquaeductu*: 2. *An quis propria auctoritate alterius aedes possit ingredi, et res furtivas inquirere existentibus suspicionibus?* Quod recte negat *hic Sichard. num.* 11. *et Cujac. hic*, quia lex auctoritatem Judicis
7 requirit *Farinac. qu.* 165. *num.* 30. De hac inquisitione rei furtivae vide plura apud *Jo. Koppen. decis.* 8. *Gilhaus. de process. Crim. tit. de furt. num.* 21. *et Clarum lib.* 5. §. *fin. q.* 21. *num.* 1. *Caepolla de servit. rust. praed. c.* 1. *num.* 24. *Farin. d. l.*

L. Si fugitivi. 3.

SUMMARIA

Servi fugitivi ad barbaros fugientes, et ibi deprehensi quanam poena afficiantur? num. 1.
Reo an vero judici poenae electio hic competat? 2.
Ad obstantem l. 38. §. 1. ff. de poenis *respondetur.* 3.

1 Servi fugitivi transfugiunt ad barbaros, et apud eos deprehenduntur; quaeritur: *Qua poena affici debeant?* Dicitur hic, iis vel pedem amputandum esse, quia se. eo deliquerunt, vel ad metalla servum condemnandum, vel alia poena arbitraria afficiendum, simili tamen prioribus, nam particula, *alia*, continet aliquid priori simile, cum alternativa semper sit inter similia, *l.* 1. *ff. de reb. dub. Everh. in loco ab*
2 *alternativis num.* 13. Electio tamen poenae, non reo, sed judici competit, *Panormit. in c. inter caeteros n.* 5. *et. ib. Felinus num.* 5. *et Ant. Burgos num.* 39. *X. de rescriptis*, *Bened. Carpzov. part.* 3. *pract. crim. quaest.* 138. *n.* 49.
3 Sed huic decisioni obstat *l.* 38. §. 1. *ff. de poenis*, ubi transfugis dictatur poena capitalis. Quidam respondent, ibi de liberis hominibus agi, hic de servis. Sed distinctionis fundamentum non apparet ex legibus. Melius dicitur illic agi de crimine perfecto, hic de crimine nondum perfecto, dum scil. quis in via est, ut transeat ad hostes, idque innuere videntur verba, *transeuntes deprehendantur.*

Auth. Sed novo jure.

SUMMARIA

Partes hujus auth. tres et quaenam sint? num. 1.
Quando in jure cautum, aliquem puniendum esse amputatione membri, id de manu tantum intelligendum. 2.
Limitatur regula duobus modis. 3.
Quaenam manus sit amputanda? 4.
In quibus casibus manus amputatio locum habeat? 5.
An fures poena capitali vel amputatione membri plecti debeant? 6.
Quid si ter quis commiserit furtum? 7.
An unum insigne furtum pluribus aequipolleat? 8.
An furta etiam extra territorium commissa vel semel remissa sint computanda? 9.
Quaenam plura furta dicantur? 10.
Furis definitio. 11.
Quid si in furto vis armata intercesserit? 12.

Haec *Auth.* 3. partes habet: I. Corrigit *legem* 1
praecedentem et constituit hanc Regulam; Quan- 2
do in jure (vel statuto etiam) cautum, aliquem puniendum esse amputatione membri, id de nullo alio membro, sed de manu tantum intelligendum; Quod limitandum: 1. Nisi reus 3
unam tantum manum habeat, nam ad eum illud statutum extendendum non esset, licet expresse de manus amputatione loquatur ut post alios *hic Sichardus* concludit *num.* 9. *Clarus* §. *fin. q.* 69. *num.* 5. *et Carpzov. pract. crim. part.* 3. *qu.* 129. *num.* 37. quia ille longe gravius plecteretur, quam is, cui habenti duas manus una amputatur, *Dn. Richter ad Auth. hanc num.* 11. et quamvis id nonnulli limitent, nisi prior manus etiam ex delicto jam antea amputata, dura tamen nimis videtur haec poena hoc casu *Carpz. p.* 1. *pract. crimin. q.* 40. *in fine et Dno. Richtero hic num.* 12: 2. Id limitandum, nisi de mente disponentis aliter appareat, ut si statutum jubeat, ut si quis absciderit alteri membrum, simili poena debeat plecti, *Bald. hic num.* 2. Sed hic quaerunt: *Quaenam manus amputanda?* Resp. *Gl.* 4
quam *DD.* sequuntur, id de imbecilliori esse intelligendum, sive ea, qua minus potest, et qua carere magis potest (*Der am besten entraten kan.*) *Sich. hic num.* 6. *Carpz. d. q.* 129. *num.* 35. etiamsi manus *sit arida*, ut recte *Sichard.* per *l. interpretatione* 42. *ff. de poen. et Castrensis hic num.* 5. nec non *Dn. Richter ad h. Auth. num.* 8. *ubi in seqq. respondet contrariis.* Casus, in quibus manus amputatio lo- 5
cum habet, reperiuntur aliquot in jure, v. g. 1. Exactoribus tributorum, qui non referunt in scripturam, quantum quisque contribuerit, hoc denunciatur, *Nov.* 17. *c.* 8. *pr.* - 2. Casus in *l.* 3. *et Auth. hac*: 3. Casus est in *lib.* 2. *feud. tit.* 27. *de pace tenenda in pr.* vers. *si quis alium contra pacis edictum vulneraverit, etc.* - 4. In *lib.* 2. *Feud. tit.* 55. *de prohibit. alienat. feudi per Frider. in pr. V. S. callidis insuper in fin.* - 5. Casus est in *Ordin. Crimin. Carol. art.* 159. et similes. II. Dicit *Novell.* 134. *c. ult. et Auth. haec*, Quod fures neque poena capitali, 6
neque amputatione membri plecti debeant, sed aliter castigari, quod nonnulli de poena arbitraria recte intelligunt, nec fustigationem excludimus, quod *Gl.* limitat nisi saepius, ter. scil. 7
ad minimum, quis furtum commisisset, *argum. l. capitali num.* 28. §. *solent* 3. *ff. de poen.* Quae opinio *Gl.* non quidem jure civili Romano nititur, sed constitutione criminali et consuetudine. Quaerit hic *Bald. An unum insi-* 8

gne furtum pluribus aequipolleat? Quod Affir. cum aliis, quod tamen intelligo, si concurrant circumstantiae, ex quibus malitia rei appareat, juxta *art.* 160. *const. crim. Carpz. part.* 2. *pract. crim. q.* 28. *num.* 73. Quaerit deinde *Bl.*
9 *An furta etiam extra territorium commissa, vel semel remissa, sint computanda?* Quod affirm. Nam licet Judex de ultimo furto cognoscens non possit principaliter de iis cognoscere, potest tamen per consequentiam, *argum. l. quoties supr. de judic.* Convenit *Castr. hic num.* 7. *et seqq. Berlich. part.* 5. *concl.* 43. *num.* 108. 109. *et duobus seqq.* et alii, quos citat *Carpz.*
10 *part.* 2. *pr. crim. q.* 78. *num.* 79. Plura autem furta dicunt esse, quae pluribus temporibus, non uno actu commissa, *Bl. hic num.* 5. ubi in *fin. num.* 6. recte monet, non esse standum furis confessioni, nisi de ipsis pluribus delictis con-
11 stet. III. Furem definit, quod sit ille, qui clam
12 et sine violentia delinquit. Sed si vis armata, i. e. publica vel privata intercesserit, potest poena capitalis locum habere, *l.* 4. *in fin. l. pen. ff. ad L. Jul. de vi publ. l.* 7. *C. eod.* Conferantur, quae ad *hujus Authenticae* declarationem habent *Thesaurus lib.* 1. *q.* 80. *et Dn. Richter ad hanc Auth. per totum.*

L. Quicumque. 4.

SUMMARIA

Partes hujus legis quatuor, et quaenam? num. 1.
Servum alienum inscio domino recipiens, ad quid hic teneatur? 2.
Quid si secunda vice receperit? 3.
Quid si tertia? 4.
Cujusnam sit probare, quod dolo et non ex humanitate receperit? 5.
Scientia est probanda, non praesumenda. 6.
Quanam actione dominus poenam servi fugitivi consequatur? 7.
Cur certum pretium servi hic constituatur, cum tamen diversa sit servorum ob diversas eorum qualitates aestimatio? 8.
An ob multiplicata delicta etiam poena multiplicetur? 9.
Poena corporis afflictiva ob plura delicta ejusdem speciei quamvis exasperari possit, reiterari tamen nequit. 10.
Poena pecuniaria a lege pro delicto certo definita multiplicari potest. 11.
Tutor respectu pupilli servum alienum recipiens an eamdem poenam incurrat? 12.
An et quatenus tutor in negotiis pupilli peccans pupillo praejudicare possit? 13.
An servum alienum recipiens, si non tantum quod poena det habeat in aere, semper luat in corpore? 14.
Quid si ignorans receperit? 15.
Quid si dominus ipse servo fugam ob lucrum persuaserit? 16.
An servus contra dominum torqueri possit? 17.

1 *Haec lex* 4. partes habet; I. Dicit, Eum, qui
2 servum alienum inscio domino receperit, teneri eumdem domino suo reddere, et unum parem seu similem, vel 20. solidos, scilicet qui mala, non bona fide receperit, per *l.* 1. *princ.* §. 1. *ff. de serv. corrupt.* sive in suis aedibus, sive alienis, *d. l.* 1. §. 2. *ff. de serv. corrupt.* Si vero secunda vice receperit, 3
tenetur duos pares, vel pro singulis 20. solidos, et sic consequenter, qui tertia vice recepit, 4
tres pares. Hic quaeritur: 1. *Cujus sit probare,* 5
quod dolo et non ex humanitate receperit? Resp. *hic Bald. et Sichardus,* ex scientia praesumi dolum. Scientia autem probanda est, non 6
praesumenda, ut et ex *l. verius* 21. *ff. de probat.* tradit *Sichard. num.* 5. melius autem *Mascard. vol.* 3. *concl.* 1300. *et Ant. Gabriel. l.* 6. *comm. concl. tit.* 1. *concl.* 5. - 2. *Quanam actio-* 7
ne dominus poenam servi fugitivi consequatur? Et resp. *DD. hic* condictione legis, quamvis et alias actiones habeat, ut actionem furti et rei vindicationem: 3. *Cur certum pretium hic servi* 8
constituatur, cum tamen diversa sit servorum ob diversas eorum qualitates aestimatio? Resp. Quia non punitur receptator propter lucrum aliquod, ubi omnino qualitates servi attendendae essent, sed propter factum dolosae receptationis: 4. *An* 9
ob multiplicata delicta etiam multiplicetur poena? Resp. Distinguendum est inter poenam capitalem, vel aliam corporis afflictivam, et civilem. Poena corporis afflictiva ob plura delicta ejusdem 10
speciei reiterari nequit, quamvis exasperari possit, ita v. g. si soluta cum pluribus maritis rem habuisset, non tamen pluribus vicibus, sed una tantum vice fustigari debet, quamvis exasperari possit poena. Quemadmodum si delicta sint specie diversa, poenae etiam corporis afflictivae diversae, nec tunc plures poenae cumulari possunt, per tradita *Dn. Carpzov. part.* 3. *pr. crim. q.* 132. *num.* 67. *et seqq.* Sed pecuniaria poena, 11
quae pro certo delicto infligitur, et a lege definita est, multiplicari potest, ut per *h. t.* probatur et per *l. fin. ff. de termin. mot.* II. Dicit de tutoribus, qui respectu minorum vel 12
pupillorum servos aliorum fugitivos recipiunt, quod scilicet eamdem poenam incurrant. Nam quamvis tutor in negotiis pupilli sui peccando 13
praejudicare pupillo possit, per *l. Polla* 2. *infr. de his quib. ut indign. etc.* Id tamen non habet locum, quando extra officium suum delinquit, ut hoc loco, quia recipere fugitivos non est de officio tutoris. III. Proponit regulam: Quod si 14
recipiens fugitivos servos non habeat tantum in aere, debeat luere in corpore, ibi: *quod si ad praedictam poenam etc.* per *l. fin. ff. de in jus voc.* quae regula in obligatis ex delicto locum habet, non ex contractu, item in personis vilibus, non nobilioribus, de qua regula videri potest *Schneidew. ad* §. *poenales* 12. *Inst. de act. num.* 57. *Speckan. cent.* 1. *q.* 40. *et Farin. lib.* 1. *oper. crim. tit.* 3. *q.* 26. IV. Dicit: Si quis 15
ignorans servum fugitivum susceperit, eum impune hoc facere. Sed quia contingere potuit ut 16
dominus ipse servo fugam, ob lucrum, de quo supra actum, persuaserit, ideoque *in fin.* Imp. constituit, ut servus tortura mediante interrogetur, an callido commento domini lucrum occupantis ad alium profugerit, quod si apparuerit, dominus servum amittit, et hunc Fiscus vindicat. Quamvis enim alias servus contra do- 17
minum torqueri non possit, *l.* 1. *infr. de quaest.* hic tamen contra dominum non directo torquetur.

L. Mancipia. 5.

SUMMARIA

In quonam lex haec a priori diversa? num. 1.
Poena legis est non tantum alius servi cum servo recepto comparatio, sed et solutio 12. *solidorum.* 2.
Defensor civitatis, qui servum non recuperat, quomodo puniendus? 3.
Judex licet condemnatus sit, quasi suam litem fecerit, et litis aestimationem praestiterit, nemo tamen potest compelli, ut ipsi contra reum actionem cedat. 4.
Quinam actionem cedere cogatur? 5.

1 *Lex haec* priori similis, in eo diversa, quod hic 1. de servo non privati, sed reipubl. agatur, et 2. Non tantum de servo, sed et liberto ad certum officium reipubl. deputato. 3. Quod *haec lex* non tantum receptionem, sed sollicitationem seu adhortationem ad fugam praesup-
2 ponat. Hinc 4. Poena hujus legis non est, ut cum servo recepto alium parem, aut 12. solidorum poenam, sed parem una cum 12. solidis
3 simul restituat. 5. Hinc etiam punitur defensor civitatis, qui servum non recuperat, adeo ut nec beneficio principis adjuvetur, nec, quasi litem praestiterit poenam solvendo, ideo jure venditionis ad se servum pertinere dicere possit, Ratio; Quia poenam delicti suis intulit, non servi pretium numeravit. Hinc notant *hic Ca-*
4 *strens. et alii:* Licet judex condemnatus sit, quasi litem suam fecerit, et licet aestimationem praestiterit, non tamen posse me compelli, ut ipsi actionem contra reum cedam, quasi jam mihi solvisset, quia se non reum liberavit.
5 Cedere autem is tantum cogitur actionem contra alium, cui pro alieno debito vel culpa alter solvit, non qui pro proprio delicto, ex quo nulla actio contra alium oriri potest, et delictum eum indignum facit, ut a caeteris doli participibus quid consequatur, *per l. plane* 14. *ff. de tutel. et ration.* cujus verba aurea appellat *Cels. Bargalius de dol. lib.* 4. *c.* 4. *num.* 36. *et lib.* 6. *reg.* 48. *num.* 3. *Klock. vol.* 2. *cons.* 59. *num.* 25. *et seqq.*

L. Cum servum. 6.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Non absurdum est excipere de jure tertii. 2.
Deciditur. 3.

1 Suscepit aliquis servum meum fugitivum, ego ipsum conditione *legis quartae* hujus tituli convenio. Reus, ut evitet poenam dictae *legis quartae*, opponit se esse Dominum, vel etiam tertium aliquem esse Dominum (non enim absur- 2
dum est excipere de jure tertii, quando hoc jus agentis evertit,) ut in rei vindicatione, *arg. l. fin. ff. de rei vind. Sichard. hic num.* 3. *et Paul. Castr. Thesaurus dec.* 4. *num.* 1. *Surdus dec.* 144. *num.* 19. vel excipit servum eum non esse, sed liberum; quid tunc judici faciendum?
Resp. tunc servum tormentis subjiciendum, ut 3
elici possit veritas. Et insuper hoc commodum resultaturum dicit Imperator, quod alii servi a fuga deterreri possint. Quod tamen *Sichard. hic* intelligit, ubi alia indicia urgent contra servum ex *l.* 1. *ff. de quaest.*

L. Si quis. 7.

SUMMARIA

Durius punitur occultator et receptator servi fiscalis. num. 1.
Poena ipsa. 2.
Poena excedere potest quadruplum, quando non per verba multiplicativa habito respectu ad simplum sed per se exprimitur. 3.

Durius adhuc agitur cum occultatore et re- 1
ceptatore servi fiscalis. Nam talis servum et cum 2
eo 12. libras argenti poenae nomine fisco inferre tenetur. Si enim servi publici receptatio favore reipubl. gravius delictum est receptatione servi privati, gravissimum sane erit servum detinere Principis; Colligunt inde: poenam exce- 3
dere posse quadruplum, quando non per verba multiplicativa exprimitur, habito respectu ad simplum, sed per se exprimitur. Alias exceptiones habent *DD. ad §. omnes autem* 21. *Inst. de act. et Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 260. *num.* 1. *et seqq.*

L. Si qui. ult.

SUMMARIUM

Servo in aedibus alicujus se recipiente, nuptias ibidem cum ancilla contrahente, liberosque ex ea generante, cujusnam, si resp. servum vindicet, sint uxor et liberi?

Servus publicis operibus et fabricis urbis Romanae deputatus receptaculum suum quaerit in aedibus Titii, nuptias sive contubernium contrahit cum ancilla Titii, liberosque cum ea generat; Si respubl. servum vindicet, quaeritur: *cujus sint uxor et liberi?* Videtur ancilla manere Titii, et quod liberi conditionem matris sequantur, *l.* 7. *supr. de rei vind.* Sed *lex haec* una cum servo ancillam quoque Titii et ejus liberos reipubl. addicit; Ex quo apparet, praesupponendum hic esse, Titium fuisse doli participem.

TITULUS II.

De furtis, et servo corrupto.

L. Si pecunia tua. 1.

SUMMARIA

Casus legis, *num.* 1.
Quando et quasnam actiones dominus ex mandato servi nanciscatur? 2.
An dominus utraque simul possit uti? 3.
An contraria allegans sit audiendus? 4.
Quatenus alicui duae actiones contrariae competant? 5.

1 Servus domino ignorante et invito mandat Titio, ut ex pecunia domini emat praedium, quod ille fecit, dominus resciscens habet duas actio-
2 nes contra Titium: I. Mandati, ut praedium suum faciat ex mandato, quo casu subsequuta ratificatio purgat vitium furti, et actio mandati per servi mandatum erat quaesita domino:
3 II. Actionem furti. Quaeritur; *An utraque actione simul uti possit Dominus?* Neg. Nam si prima actione agat, mandatum servi approbat, nam furtum non fit volente domino, *Dom. Joan. Thomae in tract. de nox. animal. c.* 21. *num.* 21. *ubi speciem hujus legis explicat;* si se-
4 cunda, mandatum improbat; contraria autem allegans audiendus non est, *hic et l.* 14. *supr. de fide instrum. Menoch. lib.* 2. *praes.* 41. *num.* 2. *Card. Tuschus. concl.* 1005. *lit. C. et A. Barbos. lib.* 3. *c.* 43. *ax.* 8. scilicet actor, nam reus exceptiones contrarias allegare potest, *c. nullus pluribus* 20. *de reg. jur. lib.* 6. *Tuschus d. l. n.* 26. *Hilliger in Donell. lib.* 22. *cap.* 8.
5 *lit. B.* Collige ex textu: Duas actiones contrarias alicui competere, scil. quae exercitio sunt contrariae, sed eodem ex fonte fluunt.

L. Incivilem. 2.

SUMMARIA

Rem furtivam detinens quatenus eam domino restituere teneatur? num. 1.
An protestatio haec, se velle domino restituere, in aliis etiam casibus hoc efficiat, ut possessor rem alienam non teneatur restituere, nisi accepto pretio. 2.
Quid si rem emerit furtivam in nundinis? 3.
Emptor rerum furtivarum incidit in ipsius furti praesumptionem. 4.
An, quod res furtiva apud aliquem reperta, exinde talis furti praesumptio contra illum exurgat, quae ad torturam sufficiat? 5.
Si quis saepius res furtivas emat, an contra eum male praesumi possit? 6.

1 Detinens rem furtivam vel alienam, tenetur eam restituere domino sine pretio, nisi I. a latronibus emisset, *l.* 6. *in fin. ff. de captiv.* quia dominus difficulter recuperasset, quo pertinet, si ab hostibus emeret cum hac protestatione, se velle domino restituere, si scil. difficilis domino futura sit persequutio, *Covarr. ad c. peccatum p.* 3. *pr. num.* 5. *Caepolla de cautelis caut.* 7. *et quos refert Finckelthaus. obs.* 57. *per totam.* Sed: *An protestatio haec in aliis etiam* 2
casibus hoc efficiet, ut possessor rem alienam non teneatur restituere nisi accepto pretio? Hoc quamvis hic affirm. *Sichard.* rectius tamen id negat *Menoch. lib.* 5. *praes.* 29. *num.* 12. quia facile fieri posset fraus legi: sed, *si quis* 3
rem emerit furtivam in nundinis? Resp. Quidam putant emptorem non teneri restituere rem sine pretio, sed hoc refutat *Menoch. d. l. num.* 21. II. Nisi pretium in utilitatem domini versum sit, *l.* 65. *ff. de rei vind. l.* 19. *supr. de procur.* vid. *Jo. Bapt. Costam. de facti scientia cent.* 2. *dist.* 79. *et Menoch. lib.* 5. *praes.* 19. Nota: Eum, qui saepius res furtivas emit inci- 4
dere in praesumptionem ipsius furti. Sed ex eo tantum quod res furtiva penes aliquem reperta, 5
non exurgit praesumptio furti contra aliquem, quae ad torturam sufficiat, post alios interpretes *hic Farin. qu.* 177. *num.* 3. *Mascard. concl.* 834. Sed si saepius res emat furtivas, puta contra 6
eum per hunc textum exurgere malam praesumptionem, licet ad torturam non sufficiat, nisi concurrant aliae qualitates personae, *Menoch. d. praes.* 29. *num.* 8. *Mascard. concl.* 832. *num.* 20. *et concl.* 834. *num.* 4. *Farin. qu.* 177. *num.* 5. Mala autem praesumptio est, si quis res a militibus viliori pretio emat, de quo *Finckelthaus. obs.* 56. *num.* 12.

L. Si nondum. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Actio famosa contra patrem non currit. 2.
Destinatio animi nihil operatur, donec res sit impleta, ubi facto hominis opus est. 3.
Destinata ad rem, non habentur pro re, ad quam destinantur. 4.
Nuda destinatio non immutat rei naturam. 5.

Mater mea aurum destinavit Ecclesiae, quod 1
Vitricus adita haereditate subripuit, *daturne actio furti mihi contra Vitricum?* Videtur quod non; Quia aurum Ecclesiae acquisitum videtur, *l. fin. supr. de SS. Eccl.* et quia famosa actio contra 2
Patrem non datur, *l.* 5. *infr. de dolo mal.* Sed affirmatur, quia aliud est destinare, aliud dedicare per §. 8. *inst. de rer. divis.* Ergo aurum adhuc est meum et Vitricus non est Pater, quando Privignum depraedatur, *argum. l.* 56. §. 4. *ff. de furt.* Et notes ex textu: Destinationem ani- 3
mi nihil operari, donec res sit impleta, ubi facto hominis opus, *Pruckm. vol.* 1. *cons.* 31. *num.* 90. et destinata ad rem non habentur pro 4

re, ad quam destinantur, *Pruckm. v.* 1. *cons.* 28.
5 *num.* 55. Et destinatio nuda rei naturam non immutat, *Boer. decis.* 209. *Dan. Moller. lib.* 3. *Semestr. c.* 21. *num.* 3. *A. Barbos. l.* 4. *c.* 17. *ax.* 3. quae tamen limitantur, nisi destinatum sequatur aliquod factum, ut limitat post alios *Menoch. consil.* 1251. *num.* 12. *et* 15.

L. Adversus eum. 4.

SUMMARIA

Quaenam actio domino contra servi corruptorem detur? num. 1.
Quod si praeter corruptionem etiam quis occultaverit servum, datur etiam furti actio. 2.
An utraque actio possit intentari, nec una alteram consumat? 3.
Actiones poenales civiles per procuratorem etiam moveri possunt. 4.
Quando plura sunt delicta specie diversa, nec unum sub alio continetur, ut species, habentque distinctos effectus, tunc actiones licet concurrentes mutuo se non impediunt vel tollunt, sed utraque concurrit. 5.
Secus in actione furti et bonorum raptorum. 6.

1 Contra eum, qui servum meum corrupit, et sollicitationibus suis ac persuasionibus eum deteriorem fecit, datur actio servi corrupti, ad interesse, seu quanti ea res est ad duplum, per *l.* 1. *pr. ff. de serv. corrupt.* in quo duplo con-
2 tinetur simplum. Si vero alter non tantum corruperit servum meum, sed et occultaverit, tunc etiam tenetur furti actione. Et poterit
3 utraque actio intentari, nec una alteram consumit, quia sunt diversa delicta; quae actio furti, quia pecuniaria et civilis est, nam petit poenam applicari parti, hinc per Procuratorem
4 moveri potest per *hanc legem*, quia actiones poenales civiles per Procuratorem moveri possunt, *l.* 11. §. 2. *l.* 17. §. 9. *ff. de injur.* Collige:
5 Quando plura sunt delicta specie diversa, nec unum sub alio continetur ut species, habentque distinctos effectus, tunc actiones, licet concurrentes, se mutuo non impediunt vel tollunt, sed utraque concurrit, per *l. nunquam plura* 2. *ff. de privat. delict. et l.* 32. §. *ult. ff. ad l. Aquil. Castr. hic num.* 1. *Covarr. lib.* 2. *resol. c.* 10. *num.* 8. *et seqq. Petr. a Plataea in epit. delict. c.* 1. *num.* 18. *et seqq. Farinac. qu.* 22.
6 *per tot. Clarus* §. *ult. qu.* 81. Sed in actione furti et bonorum raptorum una aliam consumit, quia oriuntur ex uno facto, et rapina quasi species est furti, ideo si actum est una actione, tollitur altera quoad concurrentem quantitatem, superfluum manet, *l.* 1. *ff. de vi bonor. rapt. Castr. hic. num.* 1.

L. Civile. 5.

SUMMARIA

An regula - Nemo tenetur titulum possessionis suae dicere - ubique vera sit? num. 1.
Interpretatio DD. *de hac lege* 2.
Si rem furtivam esse constet, nec possessor titulum allegare valeat, an praebeat indicium ad torturam? 3.
Malo instrumento utens excusatur, si auctorem nominat. 4.
Quid si etiam bonae famae homo dicat, se rem ab ignoto emisse? 5.
Notum quis habere praesumitur eum, cum quo contrahit. 6.
Nisi emat in mercatu publico. 7.
An conscius furti non teneatur indicare furem? 8.

Quamvis nemo teneatur titulum possessionis 1
suae dicere, *l.* 11. *supr. de petit. haered.* haec tamen regula in rebus Ecclesiae, pupillorum et Feudis non habere locum existimatur. Secus tamen est, si furtum esse constet, tunc enim possessor auctorem suum denominare debet, ut amoveat a se suspicionem furti, et dominus actionem furti contra verum furem intendere possit: Quamvis *DD.* de Urbanitate hanc legem 2
interpretari solent, imo si rem furtivam esse 3
constet, et possessor titulum allegare non valeat, indicium hoc praebet ad torturam cooperans, *P. G. Ordn. art.* 43. *Carpzov. part.* 3. *pr. crim. q.* 122. *num.* 39. si praesertim homo sit malae famae, *Menoch. d. praes. num.* 6. nam haec praesumptio in personam honestam et frugi non facile cadit, *Carpz. d. q.* 122. *num.* 44. *Cothman. vol.* 1. *cons.* 70. *n.* 35. *et seq.* Sic qui falso instrumento utitur, excusatur, si auctorem 4
exhibeat, *l.* 4. *infr. de fals.* Simile exemplum in *l.* 4. *supr. Locati. Sed quid si ab ignoto dicat* 5
se emisse etiam bonae famae homo? Resp. Eum non excusari, quia obstat praesumptio legis, cum quis notum habere praesumatur eum, 6
cum quo contrahit, *Farin. d. q.* 177. *num.* 6. *Masc. d. concl.* 834. *num.* 8. nisi in mercatu 7
publico emat, ubi saepe ab ignotis emitur. Colligunt: Etiam non teneri conscium indicare fu- 8
rem, *l. qui vas* 48. §. 1. *ff. h. t. l. idem* 4. §. *ult. ff. de condict. ob turp. caus.* sed *c.* 4. *X. h. t.* dicitur; Eum qui non indicat furem, ut conscium furti teneri, et sic differentiam inter Jus Can. et civile agnoscit *Zas. ad* §. *ult. num.* 6. *Masc. concl.* 834. *num.* 11. *Roman. sing.* 794. *Farin. q.* 168. *num.* 61. *Covar. in c. peccatum p.* 2. §. 3. *num.* 5.

L. Alienum. 6.

SUMMARIA

Rem alienam vendens, licet furtum statim non committat, tamen domino non praejudicat. num. 1.
Quid si quis sciens rem alienam contrectet vel detineat includendo scil. an committat furtum? 2.
Ad formam furti requiritur contrectatio. 3.
Contrectatio quomodo fiat? 4.
An depositarius rem depositam inficiendi animo contrectans furtum committat? 5.
Si rem meam existentem apud Titium, Titio vendas, an rem illam tradere videaris? 6.

Qui alienam rem vendit, quod et citra con- 1
trectationem fieri potest, licet furtum statim non committat, tamen non praejudicat domino, ratio in *l.* 11. *ff. de reg. jur.* Sed si simul 2
sciens rem alienam contrectet vel detineat,

includendo scilicet per *l.* 15. *ff. ad exhib.* furtum etiam committit. Ex qua lege colligere licet,
3 ad furti crimen pro forma requiri contrecta-
4 tionem, *hic et l.* 1. §. *ult. ff. h. t.* Contrectatio autem fit per ablationem seu locomotionem, vel per apprehensionem, sed per contrectationem omnis actus sufficit lucri faciendi causa, sic qui rem aliquam furtivam celat, fur est, *l.*
5 *qui vas* 48. *ff. h. t.* Sic si depositarius rem depositam inficiandi animo contrectet, furtum facit, licet loco non moveat rem depositam, quam penes se habet, *l.* 3. §. 18. *ff. de acquir. poss. Ant. Matth. ad tit. de furt. c.* 1. *num.* 2. licet per motionem de loco ad locum definiat contrectationem, *Farin. q.* 174. *num.* 50. *et*
6 *seq.* Quaeritur hic a *DD. Si rem meam existentem apud Titium, Titio vendas, an videaris rem illam tradere?* Resp. Distinguendo, an Titius possidendi causam a te habeat, ut si ipsi commodaveris, an non, ut priori casu tradidisse videaris, per §. 44. *Inst. de rer. divis.* posteriori casu non.

L. Si is. 7.

SUMMARIA

Cui pecunia perferenda committitur, si partem in suos usus convertit, partem vero tradit, furtum perpetrat. num. 1.
Quaenam actiones contra istum possint institui? 2.
Periculum est ejus, qui nuncium misit. 3.
Limitatur. 4.
An tabellarius pecuniam sibi non obsignatam traditam, sed adnumeratam, expendens, committat furtum. 5.
Quanam poena afficiatur? 6.
Idem est judicium partis et totius. 7.

1 Si cui committitur pecunia perferenda, et ille partem in suos usus convertit, partem vero tradit tantum, furtum committit, ideo cum
2 eo non tantum mandati, sed etiam furti agere possum, *hic et l.* 22. §. 7. *ff. mandat. Farin. q.* 96. *num.* 42. *Dan. Moller. lib.* 4. *semestr. c.* 2. *Berlich. part.* 5. *concl.* 58. *num.* 1. Si ergo ego nuncium misi, mea est actio, quia antequam tabellarius tradat pecuniam, ea mea est, sed si alter tabellarium miserit, ipsius est actio, *arg.*
3 *l.* 14. §. 17. *ff. h. tit.* Colligitur ex textu: Periculum esse ejus, qui nuncium misit, *arg. d.* §. 17. *Berlich. d. concl. num.* 24. *Hering. de fidejus. c.* 20. §. 27. *num.* 29. *Auct. in l.* 10. *ff.*
4 *commodati num.* 3. nisi mittens pecuniam fines mandati transiliisset, nam tunc hujus esset pe-
5 riculum ob culpam. Si vero Tabellarius pecuniam sibi non obsignatam traditam, sed adnumeratam, expendat, non committere furtum quidam putant, *arg. l. in navim* 31. §. *idem juris ff. locati* quos refutat *Berlich. d. l. num.* 7. *Farin. q.* 96. *num.* 42. *Auctor in l.* 22. *ff.*
6 *mandati num.* 8. et neutro tamen casu tabellarius poena ordinaria laquei est puniendus, sed extraordinaria tantum, *arg. l. tres tutores* 55. §. 1. *ff. de adm. tut. Carpz. part.* 2. *pract. crim. q.* 85. *num.* 77. *part.* 4. *jurispr. const.* 41. *def.* 11. licet de hac sententia ex *arg. const. crim.* 170. dubitare liceat, licet facile consentiam, si id sit primum furtum. Colligit etiam ex hac *lege Sichard.* idem esse judicium partis et totius, 7
et applicat *l.* 2. *C. de jur. emphyt.* sed melius regula ex *l. quae de tota* 76. *ff. de rei vind.* probatur, et applicatio est falsa, nam qui partem Canonis solvit, certe triennalem canonem non debet, de quo in *d. l.* 2.

L. Etiam furti actione. 8.

SUMMARIA

Exactor tributorum sciens me nihil debere, si abduxit ancillam, an furtum fecerit? num. 1. 3. 4.
An emptor ancillam istam praeter jus ereptam possit usucapere? 2.

Exactor tributorum, sciens me nihil tributo- 1
rum nomine debere, ancillam meam abduxit, vel alias res mobiles, et vendidit; Quaeritur: *An* 2
emptor ancillam illam praeter jus ereptam possit usucapere? Decisio ex alia quaestione pendet, an scil. Exactor ille tributorum vel publi- 3
canus furtum commiserit vel non. Et videtur quod non. Quia I. Officium seu potestas administrandi videtur purgare animum furandi, *d. l.* 55. *ff. de administr. tut.* et II. Publicanus non redditur infamis, quando ad restitutionem dupli condemnatur, *l.* 2. *supr. ex quib. caus. infam. etc.* Ergo non potest conveniri actione furti, quia haec infamat. Sed his non obstantibus hoc affirm. quia invito domino contrectat, et illa *l.* 55. in dubiis locum habet, non certis. Et *l.* 2. *ex quib. caus. infam. etc.* non loquitur de actione furti, sed actione in factum, de qua in *l.* 1. *princ. ff. de publican.* Unde colligunt: Publicanum, qui plus exegit, vel res 4
abstulit, quasi in commissum cecidissent, cum tamen non ceciderint, teneri actione furti, *hic et l.* 1. *ff. de publican. Farin. q.* 173. *num.* 64. *et in tota part.* 2. *quaestionis ejus, Menoch. l.* 2. *arb. q. cas.* 443. *Treutl. v.* 2. *disp.* 18. *th.* 8. *lit. D.*

L. Subtracto furto. 9.

SUMMARIA

An interitus rei furtivae furem a restitutione rei et actione poenali liberet? num. 1.
Mora furis oblatione rei legitima purgatur. 2.
Quaenam oblationis sint requisita, remissive? 3.
An rem furtivam offerens hoc ipso furti poenam evitet? 4.
Alii modi moram a fure contractam purgandi. 5.
Periculum rei furtivae et interitus semper pertinet ad furem. 6.
Secus si rem domino offerat. 7.

Interitus rei furtivae ut furem a restitutione 1
rei non liberat, cum semper in mora sit, *l. fin. supr. de condict. ob turp. caus.* ita nec ab actione poenali liberat, *Auct. in l.* 50. *ff. h. t. num.* 2. sed nihilominus fur duplum vel quadruplum tenetur, nisi mora oblatione fuerit purgata, *l. fin. supr. de cond. furt.* Nota bene:

2 Moram, quam fur facit, purgari oblatione sc.
3 legitima, cujus quae sint requisita vid. *l.* 8. *infr. de sol.* sc. ad hoc, ut servus periculo furis non
4 pereat. Nam poenam furti rem furtivam offerendo non evitat, *l. qui ea mente* 65. *ff. de*
5 *furt.* Aliis modis purgatur etiam mora a fure contracta, v. g. Si animo novandi rem furtivam dominus a fure stipuletur, *l.* 7. *ff. de condict. furt. ibique Auct.* vel etiam sine animo novandi in casu *l.* 7. §. 3. *ff. de furt.* Colligitur ex *hac*
6 *l.* 9. Quod periculum rei furtivae et interitus ejus ad furem pertineat, licet casu fortuito pereat, quia fur semper in mora esse praesumitur, imo licet casu eo perierit, quo casu etiam apud dominum periisset, quod in foro exteriori indubium esse dicit, *Covarr. in c. peccatum*
7 *p.* 2. §. 6. *num.* 1. Deinde collige: Si fur rem subreptam offerat realiter domino, eam transferre a se periculum in dominium, *Auct. in l.* 17. *ff. de condict. furt. per tot.*

L. Si abducta. 10.

SUMMARIA

An mancipia furtiva a fure vel plagiario vendita ab emptore possint usucapi? num. 1.
Successori universali competit h. l. *condictio furtiva.* 2.
Quodnam discrimen inter rei vindicationem, actionem furti et condictionem furtivam, et cui quaelibet harum detur? 3.
Jurisdictione mutata nova fit contrectatio et sic fur ob contrectationem eamdem novam ubivis locorum conveniri potest. 4.

1 Mancipia, si furtiva fuerint, a fure vel plagiario vendita, neque ab emptore, quamvis bonae fidei sit possessor, usucapi possunt, et ideo semper vindicari possunt: Ratio in §. 2. 3. *Inst. de usuc.* nisi in potestatem domini revertantur justo titulo, *l.* 4. §. 12. *et l.* 26. *ff. de usucap.* et sic recipiat rem dominus ut suam, *d.* §. 12.
2 Collige: Successori universali competere condictionem furtivam, cui non obstat *l.* 11. *ff. de condict. furt.* quae inter successorem universa-
3 lem et singularem distinguit. Et sic apparet discrimen inter rei vindicationem, actionem furti et condictionem furtivam. Rei vindicatio datur successori universali et singulari, quia hic etiam dominus est, actio furti datur etiam successori universali, quia est eadem persona cum defuncto, Ergo et ei furtum factum, sed non singulari, nisi nova fiat contrectatio, sed condictio furtiva tantum successori universali, *Gl. et Castr. et Godofr. hic*, et ex *hac l. et l. si dominium* 47. *ff. h. t.* Colligit hic *Castr. n.* 4.
4 Jurisdictione mutata novam contrectationem fieri, et sic furem ubivis locorum ob novam contrectationem conveniri posse, de quo vid. *Farin. q.* 174. *num.* 54. *et seqq.*

L. De his. 11.

SUMMARIA

Novercae debitus honor a pupillo debetur. num. 1.
Quando liberis subripiens noverca furti teneatur? 2.
Ante aditam haereditatem et apprehensam possessionem crimen quidem haereditatis expilatae committitur, neque tamen furtum. 3.
An poena furti cesset hoc casu? 4.
Quid si post aditam haereditatem committatur subreptio. 5.
An noverca subripiens ante haereditatem aditam, et adita illa contrectare pergens, furti conveniri possit? 6.

Quamvis novercae debeatur honor a pupillo, 1
quando tamen ea pupillis subripuit post aditam 2
haereditatem, (nam ante aditam haereditatem et adprehensam ab haerede possessionem expilator de furto non tenetur, *l.* 68. *ff. de furt.*) tenetur actione furti, cum hoc casu indigna reverentia haberi possit, unde ex verbis, *posteaquam dominus rerum*, colligitur: Ante aditam 3
haereditatem et adprehensam possessionem crimen haereditatis expilatae committi, non vero furtum, adeo ut statutum de poena furti lo- 4
quens de illo non sit intelligendum, ut volunt *Farin. q.* 174. *num.* 121. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 300. *Carpz. pr. crim. q.* 83. *num.* 75. *et seqq.* Ergo si post haereditatem aditam com- 5
mittatur subreptio, furtum est. Hanc poenam quadrupli, de qua in textu habetur, ab aula recessisse scribit *Farin. q.* 67. *num.* 18. qua in re illi non assentior. Nam distinctio haec poenarum furti in ordinatione criminali *art.* 157. *et seq.* habetur et in usu est. Sed quid si nover- 6
ca ante aditam haereditatem, et adprehensam possessionem rem subripuerit, et post aditionem atque adprehensionem continuet contrectationem, an noverca furti conveniri potest? Affirmat hoc *Castr. hic num.* 2. nam *l.* 9. *pr. ff. h. t.* quae contrariari videtur, de furti actione semel nata, postea non augenda loquitur. Sed haec subtilitas juris est. Simplicius et justius foret, poena furti civili teneri etiam expilatorem, nam omnino rem alienam subripuit, imo puto expilatorem magis delinquere quam furem, nam 1. securius peccatur in expilatione rei a nemine possessae, *Auct. in l.* 2. *ff. expil. haered.* et 2. in furto concurrit regulariter culpa possessoris, hic cum nemo possideat, et 3. puto hoc delictum esse frequentius teste experientia.

L. Ancillae. 12.

SUMMARIA

An partus ex ancilla subrepta a fure venditus possit usucapi? num. 1.
Partus ancillae ejusmodi tam quoad statum quam dominium matrem sequitur. 2.
An et quatenus partus ille sit furtivus? 3.
Poteritne propter partum et actione furti, et, si prius ex hac actum, condictione furtiva agi? 4.
Actio civilis ad restitutionem poenalem non tollit, nec contra. 5.
An judex ad instantiam actoris simul furem ad rei furtivae restitutionem condemnare queat? 6.
Quid si fur laqueo puniatur, an vel ipse vel ejus haeredes teneantur restituere? 7.

Ancilla subrepta concepit et peperit apud fu- 1
rem, hunc partum fur vendit: Quaeritur: *An*

partus possit usucapi? Videtur quod sic, ob *l.* 35. *ff. de usucap.* quia rei nondum possessae fur-
2 tum non fit, Resp. Negative, quia partus ancillae furtivae non tantum quoad statum, sed etiam dominium sequitur matrem, *l.* 12. *supr. de rei vindic.* et partus antequam nascatur, videtur mulieris seu matris portio esse, *l.* 1. §. 1. *ff. de inspic. ventr.* et per furem fit quo
3 minus possideam. Atque adeo semper furtivus est, nisi mater in possessionem bona fide pervenerit et apud eum possessorem conceperit ac pepererit, *l.* 48. §. 5. *ff. h. t.* Ergo partus vindicari potest, *l. si matrem* 3. *C. de usucap. pro empt.* nam si apud furem conceperit partum, nihilominus est furtivus, licet apud bon. fid. possessorem pepererit, *d. l.* 48. §. 5. et praeter actionem furti datur condictio furtiva et rei
4 vindicatio ob partum, per *hanc l. Sed poterit ne propter partum et actione furti agi, vel condictione furtiva, si actione furti prius actum?* Affir. Quia poenalis actio nunquam tollit rei persequutionem, nec contra, nisi quatenus mixta rei persequutionem habet. Vid. *Donell. l.* 21. *c.* 3. Relicta illa materia de partu ancillae furtivae, de qua *hic DD.* prolixe disputant, hoc
5 tantum ex textu colligo: Actionem civilem ad restitutionem non tollere poenalem, nec con-
6 tra. Et ita puto judicem, coram quo aliquis actione furti conventus est, ad instantiam actoris posse simul furem condemnare ad restitutionem rei furtivae, *Far. q.* 1. *num.* 36. *et cons.* 69. *Honded. vol.* 2. *cons.* 99. *num.* 52. *Petr. Barb. ad l.* 11. §. *fin. num.* 46. *ff. sol. matr.* et hos laudans *Thomas Merckelbach inter consilia Klock.*
7 *vol.* 1. *cons.* 47. *num.* 11. Sed si criminaliter quis laqueo puniatur, non teneri eum vel haeredes ad restitutionem, nisi res adhuc extet, tradit *Carpz. q. crim.* 80. *num.* 104. Conf. *Heig. part.* 2. *q.* 23. Ego putarem ab haeredibus etiam lucrum extorquendum, si utiliter expendit res subreptas fur, aut haeredes exinde facti sint locupletiores, *arg. l.* 5. *ff. de calumniat. et ibi a me notata.*

L. Post decisionem. 13.

SUMMARIA

An et quatenus de furto transigere liceat? num. 1.
Contra furem, qui ex transactione partem solvit, dominus de furto alterius agere nequit. 2.
Quid si sine transactione partem solverit? 3.
An et quando per partis solutionem a residuo quis liberetur? 4.
In quantum fur ablatum restituens liberetur? 5.
Quodnam hoc loco sit discrimen inter simplicem restitutionem et transactionem? 6.

1 Lex haec de decisione sive transactione loquitur, *Cujac. l.* 10. *obs.* 11. *Cothman. vol.* 2. *cons.* 53. *num.* 161. De furto, ut crimine privato, transigere licet, *l.* 52. §. 26. *et l.* 54. §. *ult. ff. h. tit.* scil. ad evitandam poenam pecuniariam, non
2 ad effugiendam infamiam. Si igitur fur partem solvat, ex transactione alterius de furto dominus agere nequit, quia exceptio litis finitae est,
3 *l.* 20. *supr. de transact.* Sed si sine transactione partem solvat, residuum peti potest, *hic et l.* 24.
4 *supr. de transact.* Nota bene: Per partis solutionem neminem liberari a residuo, nisi in *l.* 18. *supr. de pact.* quae de duobus correis loquitur, ubi unus partem suam solvit; Fur autem resti- 5
tuens ablatum, liberatur quidem actione rei persecutoria, ut condictione et rei vindicatione, non vero actione furti poenali, civili scil. nam criminali poena ordinaria fur regulariter non affligitur, quando dominus rem recuperat, *Carpzov. p.* 2. *q.* 8. *pr. crimin.* Collige ergo inter 6
simplicem restitutionem et transactionem discrimen; Nam fur, qui restituit sine transactione, potest conveniri actione furti, sed non condictione furtiva; Sed qui transegit super actione furti, actionem furti non habet, adhuc tamen rem condicere potest, per *l.* 7. *ff. de cond. furt. ibique Auct. num.* 5. *Dn. Tab. racem.* 3. *d.* 34.

L. Eos. 14.

SUMMARIA

An rem furtivam dolose et animo celandi recipiens furti teneatur? num. 1.
Nemo ex auxilio post furtum commissum praebito, actione furti tenetur. 2.
Limitatur. 3.
An decisio hujs legis non de servo tantum, sed de quovis alio fure sit intelligenda? 4.

Recipit aliquis rem furtivam a servo vel uxo- 1
re aut liberis ulterius, dolose scilicet et animo celandi, §. 4. *Inst. h. t.* et hic actione furti tenetur; nam quamvis ipsae personae furtum facientes furti actione non teneatur, *l.* 17. *ff. h. t.* quae ratio dubitandi est, furtum tamen committitur, quippe tali actui definitio furti competit, et ideo qui eis opem praestat, actione furti conveniri potest, §. *interdum* 11. *Inst. de obligat. ex delict.* Collige: Quamvis alias ex au- 2
xilio, post furtum commissum praebito, nemo actione furti teneatur, *Menoch. l.* 2. *arb. q. cas.* 349. *num.* 21. *Carpz. part.* 4. *const.* 40. *def.* 3. *Auct. in l.* 6. *ff. de cond. furt. num.* 3. *et* 4. specialis tamen hic videtur ratio in re furtiva 3
recepta, ob quam etiam olim peculiaris actio dabatur, scil. furti concepti, ut Resp. *Dn. Tabor in h. l.* qui etiam rectissime statuit hujus 4
legis decisionem non tantum in servo vel filio fure intelligendam esse, sed in quovis alio, quod, quicumque rem furtivam a fure suscipit, teneatur poena furti. Conf. allegata a *Farin. q.* 133. *num.* 75. 91. 97. Sed alia ratio poenae criminalis, *Gomez tom.* 3. *c.* 3. *num.* 50. *Wesemb. ad Schneidew. in* §. *ult. Inst. h. t. num.* 7. quippe major in ipso fure audacia et grandius delictum, nec in poena severiori facile locum invenit extorsio. Plura hac de re refert *Finckelth. obs.* 12. *per totam.*

L. Furti actione. 15.

SUMMARIA

An actio furti contra haeredem quoque detur? num. 1.
An condictio furtiva detur contra eumdem? 2.
An in bonis furis hypothecam habeat dominus? 3.
Ad quid haeres teneatur? 4.

1 Actio furti, quae est poenalis, non datur contra furis haeredem, ratio in §. 1. *Inst. de perpet. et tempor. action.* nisi cum defuncto lis contestata, quando scil. agitur civiliter ad poenam parti applicandam, qua de re *Farin. oper. crim. q.* 10. *num.* 51. Sed rei persecutoria ut
2 condictio furtiva etiam contra haeredem datur, *l.* 5. *et l.* 7. *ff. de condict. furtiv.* Etiamsi ad haeredem nihil pervenerit, datur tamen condictio furtiva contra eum, quatenus haeres est, ut recte *Wesenb. in π. de condict. furt. num.* 7. *et Phil. Matth. ad l.* 38. 23. *de R. J. Gomez*
3 *tom.* 3. *c.* 1. *num.* 85. Quamvis autem *DD.* quidam putent jure canon. etiam hypothecam dari domino in bonis furis, *Bl. hic et Salycet.* quos laudat dominus *Carpz. p.* 4. *const.* 39. *def. ult. et Berlich. part.* 1. *concl.* 67. *num.* 75. ab his tamen hic recte recedit *Dn. Tabor*, quippe nullibi hoc in jure canon. habetur, quin etiam
4 *Castr. hic* id neget. Sane ad restitutionem damni teneri haeredem plerique volunt, scil. jure can. de quo dixi alibi, sed non ex jure reali, neque ad poenam furti civilem.

L. Si servum. 16.

SUMMARIA

Servum nutriendum accipiens, si postea vendidit, an furti teneatur? num. 1.
Ad quem pretium venditi alumni pertineat? 2.
Farin. cum Peregrino *notatur.* 3.

1 Qui ab initio servum nutriendum accipit, postea eumdem venundedit, *an teneatur furti?* Videtur quod non, ob *l.* 55. §. 1. *ff. de admin. tut.* Sed affirm. quia non administratio, sed nutritio ipsi commissa, et definitio furti competit. Sed haec vera sunt, si etiam tradidit, de quo casu lex haec loquitur, Vid. *l.* 6. *sup. h. t.* nam ad furtum contrectatio requiritur, *l.* 52.
2 §. 19. *ff. h. t.* Sed *ad quem pretium alumni ven-*
3 *diti pertinet? Farin. q.* 168. *num.* 13. in omni venditione rei alienae pretium fisco addicit cum *Peregrino de jur. fisc. lib.* 2. *tit.* 10. *num.* 12. Sed id merito displicet *Dn. Tabori hic*, cum emptor innocens in damno versaretur. Sed puto *Doctores* eos loqui de eo casu, quando res vendita emptori non evinceretur, ut si hic abiit; nam si evicta res sit aliena, non puto quemquam pretium fisco adjecturum, quia tunc ad evictionem aget emptor, nec tunc lucrum dici potest.

L. Quamvis. 17.

SUMMARIA

An uxor ex haereditate mortui mariti quaedam surripiens teneatur actione haereditatis expilatae? num. 1.
Rationes negative decidendi. 2.
An judex super hoc crimine ex officio cognoscere possit? 3.
Jus hodiernum Imperii. 4.

1 Uxor post mortem mariti ex haereditate nonnulla surripit; Quaeritur: *An teneatur actione expilatae haereditatis?* Resp. Sicut furti non tenetur, ita nec hac actione eam teneri; Ratio 2
1. est, quia utraque actio famosa: 2. Promiscuus, i. e. communis usus est bonorum, *l.* 9. *ff. de usu et habit.* Si igitur furtum faceret, aut furaretur marito aut haeredi, non huic, quia nondum adita haereditas, non illi, quia propter communionem bonorum viventi non potuit furtum facere, ergo nec mortuo: 3. Bona nondum possessa ab haerede, ergo etc. per *l.* 2. §. 1. *ff. expil. haered.* sed actione reali a privignis conveniri potest. Differentiam autem inter hanc et *l.* 11. puto in eo consistere, quod hic ante aditam haereditatem, illic post aditam haereditatem sed ante adprehensam possessionem, furtum factum proponatur. Nec judex ex 3
officio super hoc crimine cognoscet, per tradita *Farin. d. q.* 174. *num.* 120. *et Dn. Carpz. lib.* 6. *resp.* 85. pro qua sententia in nostro Imperio 4
facit *art.* 165. *in fin. Constitutionis Carolinae.*

L. In eum. 18. et Auth. Navigia.

SUMMARIA

Res tempore incendii vel naufragii surripiens an ut fur teneatur et quomodo puniatur? num. 1.
Aedes vicini tunc temporis suarum salvandarum causa destruens, hac actione non tenetur. 2.
Quamnam contra eumdem actionem Praetor dederit? 3.
Praetoris actio an superiores tollat? 4.
An et quomodo accolae res naufragio ejectas rapientes puniantur? 5.
Afflicto non est addenda afflictio. 6.
An res piratarum et hostium imperii impune rapiantur? 7.
Contra legem, quae consuetudinem prohibet, non potest consuetudo induci. 8.
Quid sentiendum de contraria hoc in casu Gallorum consuetudine, qua bona naufragorum retinentur? 9.
Consuetudo haec a Carolo V. in ordinatione criminali est rejecta. 10.
An aequa sit consuetudo, qua res naufragio ejectae nec intra annum repetitae, fisco adducuntur? 11.
Quid si res ex curru delapsae? 12.
An navigia tempestata in portum dejecta vectigali gravanda sint? 13.
An piratarum bona sint restituenda? 14.
Poena transgressorum hujus Authent. 15.
Intra quodnam tempus poenae huic praescribantur? 16.
An haec Authentica hodie sit sublata? 17.
Aliae constitutiones consuetudines iniquas prohibentes, remissive. 18.

Tempore incendii vel naufragii, qui res per 1
vim aut clam surripit, (non autem qui aedes 2
vicini destruit, contra hunc enim neque ex hoc delicto, neque ex *l. Aquilia* datur actio, *Auctor in l.* 3. *ff. de incendio, ruina etc. num.* 2.) puniri potest ut fur vel raptor, vel ex *l. Aquil.* vel etiam criminaliter ex *l.* 1. *ff. de incend. etc.* scil. ut digniores caesi fustibus relegarentur, hu-

miliores in opus publicum damnarentur; Sed
3 Praetor contra eum constituit propriam actionem, *l.* 1. *ff. d. tit.* scil. intra annum in quadruplum, post annum in simplum, *Gomez t.* 2. *c.* 7. *num.* 2. *Petr. Gregor. lib.* 37. *tit.* 3. *num.* 3. *et* 5. *Farin. q.* 168. *num.* 80. *Auctor in l.* 1. *et* 4. *ff. de incend. ruin. etc.* Ratio harum actionum est, ne afflicto addatur afflictio, *l. tam dementis* 28. *C. de episc. audien. c. cum*
4 *percussio* 2. *caus.* 7. *q.* 1. Sed tamen haec actio superiores non tollit, *argum. l. quoties* 41.
5 *ff. de obl. et act.* Sed cum consuetudo in nonnullis locis invaluisset, ut res naufragio ejectas accolae impune raperent, Fridericus II. *hac Authent.* consuetudinem hanc abrogat, et prohibet sub poena publicationis bonorum, imo etiam supplicii, per verba textus, *Modis aliis*
6 *etc.* ut *hic Dn. Tabor,* ne scil. afflicto addatur afflictio, et extendit *legem praecedentem* ad eum etiam casum, quando quis post naufragium res
7 capit; Sed excipiuntur res piratarum et hostium Imperii, *Auctor in l.* 1. *ff. de incend. ruin. etc. num.* 4. Vid. et *art. pen. Const. crimin.* Nota
8 bene; Ex *hac Auth.* contra legem, quae consuetudinem prohibet, non posse induci consuetudinem, *Vasq. part.* 2. *controv. l.* 1. *c.* 3. Et licet
9 in Gallia talis consuetudo sit contraria, ut bona naufragorum retineantur, merito tamen est irrationabilis et neminem in conscientia tranquillum reddere potest, *Petr. Rebuff. in praef. ad Leges Regias gl.* 5. *num.* 74. quem laudat *Covarr. in c. peccatum l.* 6. *part.* 3. §. 1. *num.* 5. Conf. *Gail. l.* 1. *obs.* 18. *et Petr. Gregor. lib.* 37. *Syntagm. c.* 3. *num.* 2. atque haec consuetudo manifeste barbara et iniquissima, atque irrationalis et intollerabilis fisci aviditas, si hujusmodi rapinis expleri velit, *Ant. Matth. in h. t.*
10 *c. ult. in fin.* et ideo haec consuetudo a Carolo V. in ordinatione criminali recte rejecta in *art.* 218. Plura de rebus ex navi jactis *Auct. in*
11 *l.* 43. *ff. h. t. num.* 9. Nec multo aequior illorum consuetudo, qui si intra annum non repetantur res naufragio ejectae, fisco addicunt;
12 idem in rebus ex curru delapsis, *Dn. Rict. ad*
13 *hanc Auth. num.* 11. nec navigia tempestate in portum dejecta vectigali gravanda, *Dn. Struv. in sint. feud. c.* 6. *aph.* 7. *num.* 1. *Dn. Richt.*
14 *hic num.* 12. Sed excipiuntur hic bona piratarum aut hostium, quae non sunt restituenda; Excipiuntur tamen ea, quae ab aliis sine fraude piratarum navibus imposita, *Grot. de J. P. l.* 3. *c.* 6. *num.* 6. et quae a piratis nostratibus erepta, quae revertantur ad dominum pristinum, quia piratae nullo jure dominium bonorum raptorum acquirunt, *Grot. d. l.* 3. *c.* 9. *num.* 16. *et Dn. Rict. hic num.* 15.
15 *et seq.* Poena transgressorum hujus *Authenticae* est confiscatio bonorum, ut antea dixi;
16 cui poenae praescribitur 20. demum annis, juxta *l. querela* 12. *C. de falsis, Dn. Richt. hic n.* 18.
17 et haec bonorum confiscatio non est sublata per *Auth. bona damnatorum,* seu *nov.* 134. *c. ult.* quia haec *Authent.* illa Justiniani constitutione longe posterior est, nec *Authentica* sublata per *Const. Carolinam cum art.* 218. quo abrogata est confiscatio bonorum ejus, qui ad ultimum supplicium ducitur, *Dn. Richter. ad*
18 *Auth. hanc num.* 31. *et seq.* Alia exempla constitutionum consuetudinem prohibentium, habentur in *Auth. cassa de SS. Eccl. Auth. omnes peregrini C. commun. de success. c. caeterum X. de juram. calum. R. Imper. anno* 1548. *tit. Von. Handwercks Sohnen.*

L. Falsus procurator. 19.

SUMMARIA

Falsus procurator depositum revocans vel debitum meo nomine exigens quanam actione conveniri possit? num. 1.
A quonam conveniatur? 2.
Quomodo ejusmodi procurator dominus pecuniae factus furti teneatur? 3.

Deposui apud te cistam, vel tu mihi debes 1
centum, quidam se pro procuratore meo falso gerens, cum nullum mandatum habeat, vel habet quidem, sed revocatum, cistam a te petit et obtinet, vel debitum meo nomine exigit. Hic falsus procurator vel falsus creditor tenetur non tantum actione reali ad rem restituendam, sed etiam actione furti. Sed *a quo con-* 2
venietur? Resp. in priori specie mihi competit actio, quia depositarius tantum dolum praestat; Ergo ipsius nihil interest, per §. 13. *Inst. h. tit.* in secunda specie datur tibi actio, quia solvendo alii quam creditori non liberaris. Ergo tua interest per *d.* §. 13. nisi sciens falso procuratori solveris, *l. cujus per errorem* 53. *ff. de R. J.* Sed duo scrupulum hic movere videntur: Quo- 3
modo dominus pecuniae factus furti teneatur? Sed Resp. ex *l.* 43. §. 1. *ff. h. t.* si debitor in ipsum procuratorem dominium voluit transferre, non vero nomine alterius, et tunc non tenetur actione furti, sed *haec lex* loquitur de eo casu, quando velut in Procuratorem, vel per errorem, ut hic distinguit *Dn. Tabor et Farin. q.* 170. *num.* 26. II. Hic falsus procurator tenetur tantum poena dupli, et quidem semper per tradita *Farinac. d. l. num.* 20. per *hanc l.* 19. et tamen in aprico peccat. Sed resp. *Dn. Tabor hic* numerationem fieri manifesto ut et traditionem cistae, sed interversionem occulte. Et is igitur, qui alterius debitum eo ignorante lucri faciendi causa intervertit, cum effectu scilicet, furtum committit, *Berlich. p.* 5. *concl.* 44. *num.* 22.

L. Si quis. 20.

SUMMARIA

An sollicitator servi alieni actione furti et servi corrupti teneatur? num. 1.
Conatus pro delicto consummato hic puniendus. 2.
Rigor juris ob publicum favorem et exemplum aequitati interdum est praeferendus. 3.
Ubinam locum habeat haec regula? 4.
Quomodo interesse hoc ratione deficientium operarum duplatum computari possit, cum revera nullum interesse habeat sollicitator? 5.
Persuasio ejusmodi cadit in nomen proprium delicti quod consummatum. 6.

Sollicitat quis servum alienum ad furtum, hic 1
(fur) consensu domini sui rem sollicitanti tra-

dit: Quaeritur; *An sollicitator illa actione furti et servi corrupti teneatur?* Videtur neutrum quia delictum non est consummatum. Sed resp.
2 Conatum hic pro delicto consummato esse puniendum, rationes sunt in *textu et in* §. 8. *Inst. h. t.* Quia 1. Consilium corrumpendi servi non debet esse impunitum: 2. Sollicitator quantum in se est, commisit furtum: 3. Facile in alium servum incidere potuisset, qui facilius fuisset cor-
3 ruptus. Unde colligitur: Interdum rigorem praeferendum aequitati, ob publicum favorem et exemplum, contra regulam in *l. placuit supr.*
4 *de judic. Haec lex* etiam locum habet in corruptis liberis vel uxore, *arg. l.* 14. §. 1. *ff. de serv. corrupt. l.* 48. *pr. de oper. libert. Schneid. ad* §. *in duplum Inst. de act. num.* 8. et in famulis nostris, *Schneid. d. l. num.* 6. quia au-
5 tem in utili actione servi corrupti duplatur interesse ratione deficientium operarum et commodorum, Quaeritur: *Quomodo hic illud computari possit, cum revera sollicitator nullum interesse habeat?* Resp. Id computandum quod interesse habiturus fuisset, si servus, si filius, si uxor, si famulus corruptus fuisset. Ratio est in odio eorum, qui animos et mentes innocentium corrumpere satagunt, quorum hodie magna copia, in hos rigor hujus legis stringendus esset. Et hic habemus exemplum, ubi conatus pro effectu punitur, et non puto *hanc l.* per consuetudinem a Doctoribus in aliis punctis allegari solitam, abrogatam esse. Et dicitur etiam,
6 quod haec persuasio cadat in nomen proprium delicti quod statim consummatum est, *Gl. ad l.* 1. §. 4. *ff. h. t. Schneid. d. l. num.* 4. *Farin. q.* 129. *num.* 83.

L. Apud antiquos. 21.

SUMMARIA

Duplex ponitur quaestio in hac lege et quaenam? num. 1.
Quasnam veteres in furto bonae fid. possessori et quam in furto alii facto dederint actiones? 2.
Quomodo Imperator hoc temperaverit? 3.
Absurdum est in unam personam ejusdem furti nomine qualitatem actoris et rei concurrere. 4.
Quando liber homo possidetur, hic ipse conveniendus, non ille cui servit. 5.

1 In *hac* lege duplex quaestio: 1. De servo alieno bona fide possesso: 2. De libero homine pro servo b. f. possesso. In prima distinguitur; an furtum fecerit ipsi suo prodomino vel quasi domino, scilicet bonae fidei possessori, an vero
2 alii. Veteres utroque casu favebant bon. fid. possessori, ut in furto bonae f. possessori facto darent actionem noxalem contra dominum, penes quem servus jam constitutus, in furto autem alii facto darent actionem contra dominum, non vero possessorem. Ratio veterum in textu,
3 *Eum qui ipse etc.* sed hoc Imp. hic temperat, nam si furtum bonae f. possessori factum, dominus non teneatur actione noxali, si ipsum non possideat, sed si furtum alii factum, tunc pro furto commisso a tali servo bona f. possesso agitur contra bonae f. possessorem actione noxali, non dominum, donec scil. possidetur, sed quando possideri desiit, agitur contra dominum. Ratio in textu: *Qui habet contra alium furti actionem, is aliis furti actione teneri nequit*, cum absurdum videatur in unam perso- 4
nam ejusdem furti nomine qualitatem actoris et rei concurrere, *Dn. Tabor. racem.* 2. *th.* 80. Sed quando liber homo bona fide possidetur, 5
hic ipse conveniendus, non ille, cui servit. *Legem hanc* in Tabulam accurate distinguit *Dn. Tab.*

L. Manifestissimi. 22.

SUMMARIA

An et quatenus ipsi, cujus interest, detur furti actio? num. 1.
Furtum in dubio semper custodis culpa commissum praesumitur. 2.
Si equum alicui commodaverim, quem postea quis surripit, contra quem possim agere? 3.
An et quatenus mihi commodatarius teneatur? 4.
In concursu actionum alternativo, actione semel in judicium deducta statim submovetur altera. 5.
Limitatur. 6.
Juri ignoto renunciare non possum. 7.
Error facti re nondum decisa non nocet. 8.
An commodatarius duplum ex actione a fure accipiens illud ipsum cum re furtiva domino restituere teneatur? 9.
Quid si commodatarii uxor rem subripuerit, an et quatenus vel actionem furti contra uxorem, vel commodati contra ejus maritum dominus instituere queat? 10.
Maritus hoc casu contra uxorem habet actionem rerum amotarum. 11.

Princ. §. 1. *et* 2. Certum est, actionem furti 1
dari ei, cujus interest, scil. 1. honeste, *l.* 11. *et l.* 76. §. 1. *ff. h. t.* nam v. g. si propterea tua intersit, quia dolum in re commisisti, et ita metuis poenam, non habes actionem furti, hic si furi subripiatur res, is contra secundum furem non habet interesse ex causa honesta, ergo nec actionem furti. Sed culpa quae non est versutiae, honestatem causae non tollit, *vid. Cujac. l.* 16. *obs.* 30. casus tamen habetur *in l.* 40. §. 4. *ff. de furtis*, ubi fur furti agere potest: 2. Ratione damni dati, non lucri cessantis, *l.* 71. *in fin. ff. h. t*: 3. Ratione rei quam alius voluntate domini possidet, in qua custodiam praestare debet, *l.* 85. *ff. h. t.* Nam magno consensu traditum est a *Doctoribus*: Fur- 2
tum in dubio semper praesumi culpa custodis commissum, *l.* 52. §. 3. *ff. pro socio*, *Mascard. concl.* 830. *num.* 10. *seqq. Menoch. lib.* 6. *praes.* 61. *num.* 34. *Tusch. concl.* 561. *num.* 1. *Farin. quaest.* 169. *n.* 12. Pone ergo casum: Commo- 3
davi tibi Equum, hunc Titius surripuit. Hic tres erant dubitationes veterum: I. *Contra quem possim agere?* Resp. Et mihi competere actionem furti contra Titium et actionem commodati contra te, quia enim commodatarius prae- 4
stat culpam etiam levem, imo levissimam, et sine culpa patrisfamilias vix unquam furtum committi possit, sequitur commodatarium mihi teneri, *Gomez Tom.* 2. *resol. c.* 7. *num.* 1. *et* 3. *Farin. quaest.* 169. *n.* 20. ubi id limitant, nisi a tali persona domestica fuisset res ablata, de qua ne diligentissimus et sagacissimus paterfa-

milias id suspicari potuisset, ubi in *seqq. praesertim num.* 34. *et seqq.* sed altera electa, quod fit per litis contestationem, *l. amplius* 15. *ff. rem ratam haberi,* contra alterum me agere non posse; licet enim persecutoria non tollat poenalem, *l.* 45. *l.* 50. *ff. pro socio*; secus tamen est ubi contra personas diversas dantur actiones, ut *l.* 9. §. 1. *ff. de tribut. act. l.* 16. *ff. de duob. reis*; licet tamen a me conventus postea contra
5 furem agere possis, quia tunc tua interest. Nam in concursu actionum alternativo, si actio semel in judicium sit deducta, statim submovetur
6 altera, vid. *Hillig. in Donell. lib.* 21. *c.* 3. *lit. D.* nisi ignorans ac dubitans contra unum ege-
7 rim, §. 1. *et* 2. *hujus l.* quia juri ignoto non possum renunciare, *l.* 6. §. 8. *ff. quae in fraud.*
8 *credit.* et error facti re nondum decisa non nocet, *l.* 7. *sup. de ignor. jur. et fact.* videatur etiam §. 6. *inst. de oblig. ex delict.*
9 §. 3. Quaeritur II. *Quid si commodatarius egerit contra furem et duplum acceperit, An cum re furtiva duplum hoc domino restituere teneatur, quasi occasione rei ipsius acquisitum hoc esset lucrum?* Sed Neg. quia ubi periculum, ibi et lucrum, *l.* 7. *ff. de peric. et commod. rei vend.* jam vero commodatarius sustinet periculum, quia potuisset nihil accipere, et tamen domino obstrictus maneret, vid. §. 2. *Inst. per quas person. nob. acquir.* vel dici potest actionem furti, et lucrum, quod ita ex actione furti commodatarius accipit, a domino actionem furti contemnente, et rem suam enixe reposcente, transferri in commodatarium, ex *Cujac. in retic. ad hunc tit. Dn. Tab. racem.* 2. *disp.* 72.
§. *ult.* Quaeritur III. *Quid si autem commo-* 10
datarii uxor rem surripiat? Hic maritus quidem contra uxorem actionem furti non habet sed dominus tamen potest agere actione commodati contra maritum vel actione furti contra ejus uxorem, si modo hoc ultimo casu maritus non solvendo; ratio in fine: *ne ex ejusmodi occasione machinatio inter maritum, et uxorem oriatur;* maritus autem non quidem actio- 11
nem furti, sed rerum amotarum habet contra uxorem. Vid. hac de re post *veteres DD. et recentiores Dn. Tabor racem.* 2. *th.* 69. *et seqq. et Molin. tr.* 2. *de J. et J. disp.* 696. *num.* 11. ubi in compendium redegit prolixissimam *hanc legem,* et jus Hispanicum conjunxit, *Farin. d. l. DD. ad* §. 16. *Inst. de obl. ex delict.*

TITULUS III.

De operis libertorum.

L. Si tempore. 1.

SUMMARIA

Operarum definitio. num. 1.
An pecunia pro operis praestari conventa pro futuris etiam operis peti possit? 2.
Operae rusticae an in pecuniam conveniri queant? 3.
An ut operae officiales, ita et rusticae sumptu et victu domini praestentur? 4.
Sicut operae libertorum, ita etiam rusticae licet alias hae indeterminatae sint, in tantum sunt moderandae, ut se cum suis alere possint. 5.
Operae indeterminatae ad arbitrium boni viri deduci debent. 6.
Quaenam operae videntur promissae? 7.
Pro quibusnam peti pretium possit? 8.
An operas vendere liceat? 9.
An stipulari? 10.
Quinam patronus istas exigere nequeat? 11. 12. 13. 14. 15.
Qui meum debitorem occultat, ut debitum amittam, damnum mihi restituere tenetur. 16.

1 Operae sunt diuturnum officium, quod libertus praesenti patrono jurat, vel stipulanti promittit libertatis causa, i. e. sine quo libertas data non esset, *l.* 77. *de sol. Auctor in l.* 1. *ff.*
2 *h. t.* Quando autem convenit inter eos ut loco operarum pecunia praestetur, tunc pecunia peti non potest pro operis futuris, *l.* 1. *h. t.* quia operae non debentur, nisi indictae, *l.* 3. *h. t.* Si ergo non indictae, quomodo pretium earum petetur? Si tamen patronus inopia laborat, ob necessitatem hanc futurarum etiam operarum pretium peti potest; ratio, cum et patronus inops a liberto alias debeat, *d. l.* 1. *l.* 5. §. 18. *ff. de alend. liber.* Unde colligitur: Operas ru- 3
sticas in pecuniam nisi ob necessitatem, et quando operae domino alias essent inutiles, converti non posse, *Sichard. h. t. n.* 12. *Sixt. de regal. l.* 2. *cap.* 13. *num.* 75. *et seqq. Scheplitz de consuet. March. p.* 4. *tit.* 11. §. 3. *num.* 7. Nam ab operis libertorum ad operas rusticorum nostri temporis communiter et probabiliter solent argumentari *Doctores,* cum hae ab illis profluxerint, *Susan. de propriis homin. c.* 6. *num.* 53. et ad easdem leges, quae de operis libertorum loquuntur, redigendae, *Sich. ad rubr. h. t. num.* 2. *Klock. vol.* 1. *cons.* 10. *num.* 730.
Unde porro concluditur: Quia operae officiales 4
sumptu et victu domini praestantur, *l. suo victu* 18. *et seq. ff. h. t. ibique Auct. num.* 1. ideo dicendum videatur, has operas rusticorum etiam victu domini praestari debere, quia cum officialibus comparantur, *Carpz. part.* 2. *const.* 51. *def.* 6. licet contrarium velit *Klock. d. cons.* 10. *num.* 524. *Auctor in d. l.* 18. *ff. h. t. num.* 5.
Et sicut operae libertorum ita moderandae, ut 5
se et suos alere possint, ne assiduis operis graventur, per *l.* 19. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 6. ita etiam operae rusticorum ita moderandae, licet alias indeterminatae sint, *Gail. l.* 2. *obs.* 62. *in fin. Carpz. l.* 1. *resp.* 53. et operae indeter- 6
minatae debent reduci ad arbitrium boni viri, *Auctor in l.* 30. *ff. h. t. num.* 1. *Wehnerus in obs.* voc. *Dignotalt. Susan. d. c.* 6. *num.* 68. *Gail. d. l. Carpz. l.* 1. *resp.* 54. *num.* 8. Nam et indeterminatae operae arbitrio judicis moderandae, *Mevius p.* 4. *dec.* 132. Nam inspicienda est loci consuetudo, possibilitas et ad alia onera, qui-

bus gravati sunt rustici, *Mevius d. part.* 2. *dec.*
7 133. *Auct. in d. l.* 30. *ff. h. t. num.* 2. *seq.* Pro-
missae autem videntur operae, quae habentur
in conditione, v. g. si 10. dierum operas non
praestiteris, 20. dabis, *l.* 39. *ff. h. t. Fortinius*
Garzias in repet. l. Gallus ff. de lib. et posthum.
Galiaula in repet. l. centurio d. t. num. 470.
Roland. a Valle vol. 4. *cons.* 18. *num.* 23. Sed
8 pro operis indictis nec praestitis, sive praeteri-
tis, peti pretium potest, *l.* 6. *h. t.* Quia in qua-
libet obligatione facti in ejus locum succedit
obligatio ad aestimationem, *l.* 72. *pr. ff. de verb.*
9 *obl.* Sed et vendere operas licet, ita ut patro-
nus pro tota obligatione operarum pretium ac-
cipiat, et ita jus patronatus amittat, *l.* 4. *h.*
10 *t.* non potest autem stipulari operas patronus,
qui ex necessitate manumisit, v. g. Qui acce-
pit pecuniam ut manumitteret, vel cui servus
traditus hac conditione ut manumitteretur,
l. 2. *h. t.* quia nullum beneficium confert,
licet reverentia tamen debeatur, quo casu
nec libertus ob ingratitudinem in servitutem
revocari potest, quamvis extra ordinem pu-
niendus, *l.* 5. *h. t.* ratio in *l.* 1. *infr. de*
11 *libert.* Sic 1. Operas exigere nequit, qui ex
fideicommisso manumittit, cum necessitate com-
pellatur, licet additum, ut manumittendus eas
operas haeredi praestet, quas testatore vivo prae-
stiterit, haec enim verba testatoris de servitu-
tis tempore intelligenda, *l.* 9. *h. t.* nisi ante
tempus manumittat, ubi ratio temporis habe-
12 retur in operis, *d. l.* 5. Sic nec 2. ille patro-
nus stipulari potest operas, qui nummis ab ex-
traneo vel a servo acceptis manumisit, non e-
nim est gratuita libertas, *l.* 3. *h. t.* adeo ut si
pro operis pecuniam acceperit, eam reddere
ut indebitam teneatur, *d. l.* 3. *et* 7. *h. t.* Sic 3.
13 Patronus non potest exigere operas, quando
libertam duxit in uxorem, *l.* 8. ubi ratio; idem,
soluto quoque matrimonio, et obligatio opera-
rum non reviviscit, quia obligatio non fuit su-
14 spensa, sed abrupta. Et 4. nec qui consentit li-
bertae ut nuberet, licet alias patroni jura re-
tineat, *l.* 11. *h. t.* quamvis hoc casu suspenda-
tur tantum obligatio operarum, *l.* 14. *ff. h. t.*
15 Nec 5. patroni haeres extraneus, nec patronae
maritus operas exigere potest, quia patroni non
sunt, *l.* 10. numquam tamen tenetur libertus
habitare cum patrono, *l. penult.* Si quis autem
libertum occultaverit, ad operas patroni liberti
loco tenetur, *l. ult. h. tit.* Unde colligunt *hic*
16 *DD.* Si quis meum debitorem occultet, ut de-
bitum amittam, illum teneri restituere damnum.

L. Manumissionis causa. 2.

SUMMARIA

Quibusnam detur operarum judicium? num. 1.
Servus ex necessitate manumissus ob ingratitudinem in servitutem retrahi non potest. 2.
Nemo liberalitatem exercet in necessitatibus. 3.

1 Ad hujus et aliarum legum intellectum repe-
tendum est; judicium operarum iis tantum da-
ri, qui servum ultro manumiserunt, nulla ne-
cessitate cogente, et qui gratuito manumise-
runt; qui autem manumisit ex causa fideicom-
missi, quia testator fidei meae ut haeredis, com-
misit, ut hunc servum manumitterem, vel ex
lege venditionis, si scilicet ea conditione mihi
venditus vel traditus, ut manumitterem, aut
ea conditione donatus, inutiliter stipulatur ope-
ras, quia non ex liberalitate, sed ex debito prae-
stat libertatem, *Cujac. ad hunc tit.* sed hoc li-
mitatur in *l. Campanus* 47. *ff. h. t.* nisi quis
sciens se non teneri, tamen promiserit operas,
qui donasse praesumitur, *Jas. in l. juris gentium*
§. sed cum nulla num. 28. *ff. de pact. Menoch.*
lib. 2. *A. Q. cas.* 88. *num.* 56. *et seq. Loriottus*
de transact. axiom. 55. Et deinde non potest 2
ob ingratitudinem servus, ex necessitate manu-
missus, in servitutem retrahi per *hanc legem,*
quia non beneficio manumittentis, sed ejus, qui
tradit hac lege, ut manumitteretur, libertatem
meruit; Quem non honoro, eum nec onerare
possum, *l. ab eo* 9. *C. de fideicomm. Pruckman.*
vol. 2. *cons.* 19. *num.* 17. In necessitatibus nemo 3
libertatem exercet, *l.* 18. *ff. de admin. leg. Dn.*
Tabor in Barb. lib. 12. *c.* 5. *axiom. ult.*

L. Qui nummis. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Objectio diluitur. 2.

Dedi pecuniam tibi, ut servum tuum manu- 1
mitteres, manumisisti, sed pro operis alias a li-
berto sponte manumisso praestari solitis, acce-
pisti pecuniam; Quaeritur: *An recte?* Resp.
Negative, imo operas promitti non potuisse, quia
non gratis, sed pretio manumisisti, ratio in
textu *legis praecedentis,* ubi et limitatio ex *d. l.*
Campanus 47. *ff. h. t.* Nec obstat *l.* 9. *§.* 1. *ff.* 2
de donat. inter vir. et uxor. nam ibi uxor nulla
necessitate cogente manumittebat, cum non va-
leret donatio, ut ibi respondet *Glossa.*

L. Si quam. 2.

SUMMARIA

Patronus operas sibi debitas vendere potest. num. 1.
Ea, quae onerandae libertatis causa promittuntur, valida non sunt. 2.
An Pastor, si reversales patronus ab eo exigit, ne vitia ejus pro concione reprehendat, promittendo ista obligetur? 3.

Patronus potest operas sibi debitas vendere ita 1
ut pro tota obligatione operarum pretium ac-
cipiat, et ita jus patronatus amittat, quasi videa-
tur se omnino redemisse a jure patroni, qui se
pretio redemit ab operis patrono natura debitis,
et ideo conceditur ei libera testandi libertas,
hic et l. 22. *et* 41. *ff. h. t. Cujac. ad hunc*
tit. additur hic limitatio, nisi onerandae liber-
tatis causa addita cautio, v. g. Promittis mihi
decem, si me offenderis; nam ea, quae onerandae 2
libertatis causa promittuntur, valida non sunt, *l.*
32. *ff. de operis libert. et l.* 1. *§.* 5. *ff. quarum re-*
rum actio non datur. Sic si patronus reversales 3
exigat a Pastore, ne hic vitia patroni pro con-
cione reprehendat, ullo modo, praecedentibus

licet admonitionibus privatis, dixerim hanc promissionem non obligare. Sed dicat aliquis, gravaturne libertas, si offendere jubeatur, cum alias offendere patronum nefas sit? Resp. Offensio interdum fit culpa levissima vel etiam casu, ideoque summum onus esset, si ex levissima offensione obligaretur ad praestandam pecuniam.

L. Mater tua. 5.

SUMMARIUM

Casus legis.

Mater mea manumittere post triennium jussa servum eumdem ante tempus manumisit, si post triennium manumisisset, nullam haberet petitionem operarum, quia ex debito praestitit et non gratis; Sed quia ante tempus manumisit, ideoque ratione anticipationis beneficium contulit in libertum, et per consequens usque ad tempus completum potest stipulari operas, non ultra. Et si debitum patronae honorem non exhibeat, non quidem in servitutem revocari potest, per *l.* 1. *C. de libert.* castigari tamen debet.

L. Nec patronis. 6.

SUMMARIA

Patronus aestimationem pro futuris operis petere non potest. num. 1.
An de praeteritis? 2.
Obligatus ad factum, si non praestiterit, ad interesse tenetur. 3.
Libertus duos liberos vel unum quinquennalem habens ab operis liberatur. 4.
An etiam procedat in nostris rusticis? 5.
Judex ex officio ob numerosam rustici prolem aliquam operarum moderationem statuere debet. 6.

1 Duae sunt hujus legis partes: I. Pro operis futuris non potest patronus aestimationem petere, per
2 *l.* 1. *h. t.* sed bene pro operis praeteritis seu indi-
3 ctis. Hoc enim regulare est, ut obligatus ad factum, si non praestiterit, ad interesse teneatur. In II. additur unus modus liberationis ab
4 onere operarum, si scil. libertus coeperit habere duos liberos vel unum quinquennalem, nam tunc liberabatur ab operis, *hic et l.* 37.
5 *ff. h. t.* Sed hoc in nostrorum rusticorum operis locum non habet, ubi parens ob liberos non
6 liberatur, hoc tamen dixerim, judicem debere ex officio nobili statuere aliquam moderationem operarum ob numerosam prolem rustici. Hoc enim jus naturae docet et haec lex. Ob quam causam etiam onera realia interdum diminui solent, juri naturali convenienter.

L. Si tuis. 7.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Si servum tuum pecunia sua emero et manumisero, sum quidem patronus, sed operas non possum exigere, quia non gratis manumisi, sed pecunia ipsius servi adquisitum manumisi.

L. Libertae. 8.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Uxor marito operari debet. 2.
Male uxoribus perinde ac servis quis utitur. 3.
An et quatenus uxor suo marito operas debeat? 4.

Liberta a patrono in uxorem ducta, vel pro 1
concubina habita non debet amplius operas, ut liberta, sed ut uxor, quia uxor alias opera- 2
ri debet marito, *argum. l. sicut patronus* 48. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 1. *Petr. de Ubald. de duob. fratrib. p.* 4. *q.* 8. *num.* 17. *Tiraq. de LL. connub. gl.* 1. *p.* 1. *num.* 2. Nam *Aristoteles lib.* 1. *pol. cap.* 1. illud in barbaris reprehendit, quod apud eos uxor et servus eodem gradu haberentur, quem refert *Tiraquell. lege connub.* 8. *glossa* 1. *part.* 8. *num.* 8. nam in conjugio suavissima societas vitae. Et Numidae 3
ob id male audierunt, quod uxoribus perinde ac servis uterentur. An vero et quatenus uxor 4
operas debeat suo marito, eleganter deducit *Auctor in l.* 48. *ff. h. t. num.* 2.

L. Titius. 9.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Operae libertis impositae odiosae sunt. 2.
Contra operas exigentem stat praesumptio juris. 3.
Operae hoc casu exactae nonnisi coactione, metu et tyrannide solutae putantur. 4.

Testator post triennium servum manumitti 1
jussit, ita tamen, ut praestet ea, quae vivo testatore praestitit, Quaeritur: *An post manumissionem ea praestare debeat?* Resp. Quod non, sed tantum intra triennium, ita ut tempus adjectum praestationi libertatis intelligatur etiam limitare onus servo impositum. Unde apparet, 2
operas libertis impositas esse odiosas, nec eas facile praesumi, ut ex *hac lege* apparet, et ex *l. un. C. ne oper. a collatorib. exig. Klock. vol.* 1. *cons.* 26. *num.* 29. ubi plures citati. Et contra exigentem operas stat praesumptio juris, 3
ita ut si eae forte quandoque exactae, nonnisi 4
coactione, metu et tyrannide solutae fuisse putentur, ut multis ostendit *Garcias de expensis cap.* 9. *num.* 3. *et seqq. quem refert Klock. vol.* 1. *cons.* 29, *num.* 9. 15.

L. Liberti. 10.

SUMMARIA

Operae officiales et quae in domini personam referuntur, ut comitari etc. in extraneum haeredem non transeunt. num. 1.
Bene tamen fabriles. 2.

1 Operae officiales, quae in domini personam referuntur, ut comitari, mensam struere et simil. in extraneum haeredem non transeunt, bene
2 tamen fabriles, quae etiam cedi possunt extraneo, si inutiles futurae patrono, et patronus tenuioris fortunae sit, nam tunc locari possunt, per *l.* 25. §. 1. *et l.* 27. *ff. h. t. Matth. Coler. de process. exequut. p.* 1. *cap.* 9. *num.* 41. quem laudat *Berlich. part.* 1. *dec.* 67. *num.* 2.

L. Quod ex liberta. 11.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Libertae filius ingenuus est, et patronus amittit operas si nubere permittat libertae, quia tunc operas praestare debet marito, ut antea dictum, sed patronae etiam ea, quae consensu patronae aut ejus filiae nupsit Titio, non indecore servitia praestat, *l.* 48. §. 2. *ff. h. t.* Sed si patronus permittat conjugium liberto, hic omnino manet obligatus ad operas, quia maritus se non subjicit uxori.

L. Qui manumittuntur. 12.

SUMMARIA

Liberti an cum patrono habitandi necessitatem habeant? num. 1.
Patronum vagantem libertus sequi non debet. 2.
Rusticus operas suas extra domini domicilium praestare non tenetur. 3.

Liberti non habent necessitatem, ut cum pa- 1
trono habitent, modo operas indictas praestent, modo ita morentur, ut operas praestare queant. Ex quo probatur, Quod vagantem patronum 2
non debeat sequi libertus, per *l.* 20. §. 1. *in fin. ff. h. t.* unde probat *Dn. Carpz. lib.* 1. *resp.* 57. Rusticum operas suas non teneri praestare 3
extra domicilium domini, nec operas de loco ad locum transferri debere, *Auctor in l.* 20. *ff. h. t. num.* 2. *et* 3.

L. In redhibitione. ult.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Qui alienum libertum occultat, tenetur ipsius loco ad operarum praestationem, vel interesse. Idem dixerim, qui ejus fugam instruit, qui ob non praestitas operas ob contumaciam detinebatur. Tenentur utique tales ad interesse, quia damni causam praebent.

TITULUS IV.

De bonis libertorum, et jure patronatus.

L. Multum interest. 1.

SUMMARIA

An fiscus in locum ejus, qui servum alienum accepto pretio manumisit, ob commissum crimen laesae majestatis succedens, operas exigere possit a liberto? num. 1.
An jura patronatus transeant in fiscum? 2.
Quaenam operae transeant in haeredem extraneum? 3.
Feudum in confiscationem bonorum non venit. 4.

1 Sabinianus recepit a servo pecuniam, ut eum manumitteret, et manumisit, fitque ejus patronus. Mortuo Sabiniano successit in patronatu ejus filius, qui commisit crimen laesae majestatis et amisit omnia bona; Fiscus, qui ipsi successit, exegit operas a liberto, negavit hic se operas debere, quia Sabinianus non sponte, sed accepto pretio ipsum manumiserat, *l.* 7. *tit. praeced.* sed Imperator pronunciat pro fisco, quia *dicta l.* 7. loquitur de eo casu, quando non servus proprius, sed alienus dat alicui pecuniam, ut ipsum redimat a domino ac manumittat. Tunc enim et operas et bonorum possessionem contra tabulas amitteret. Sed quaeri-
2 tur: *An jura patronatus transeant in fiscum?* Disting. *hic Castr.* inter eas operas, quae in 3
haeredem extraneum transeunt, et hae transeunt etiam in Fiscum, et inter eas, quae ad liberos tantum transeunt, non haeredem extraneum, et hae non transeunt in Fiscum. Prioris generis sunt operae obsequiales, consistentes in non faciendo, jus revocandi in servitutem propter ingratitudinem, jus imponendi operas fabriles et artificiales. Posterioris generis sunt operae obsequiales consistentes in faciendo, jus alimentorum, jus succedendi ab intestato per bonorum possessionem contra Tabb. Collige: Feudum non 4
venire in confiscationem bonorum. Vid. *Wesenb. in* ϖ *ff. tit. de bonis damnator. Clar.* §. *feudum q.* 81. *num.* 1. *Farin. qu.* 25. *num.* 62. *Boer. dec.* 261. *num.* 7. *Sebast. Guazinus de confiscat. concl.* 13. *limit.* 34. *per totum.*

L. Si liberti. 2.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Qui patitur libertum suum contrahere matrimonium, vel consortium cum ancillis et colonis Imperatoris, omne jus perdit; secunda haec causa est, qua Patronus perdit beneficium successionis.

L. Si quis. 3.

SUMMARIA

Qui remittit jus Patronatus, quocumque etiam modo, perdit omne jus patronatus, et quaecumque inde fluunt jura, excepta reverentia et jure revocandi in servitutem propter ingratitudinem. num. 1.
An detur codicillus non scriptus? 2.
An patronus habeat bonorum possessionem contra tabulas? 3.
Restitutus a Principe natalibus an ingenuitatem consequatur? 4.
Qui amittit jus Patronatus propter delictum, ei nullus honor debetur. 5.
Monasteria jurisdictione Episcopi exempta a jure reverentiae, exempta non intelliguntur. 6.

1 Qui remittit jus Patronatus, sive a principio
cum manumitteret, sive ex post facto, sive in
codicillis scriptis, sive non scriptis, (unde obiter colligitur: Dari codicillum non scriptum) 2
perdit omne jus patronatus, et quaecumque inde fluunt jura, excepta reverentia et jure revocandi in servitutem propter ingratitudinem;
in caeteris libertus habetur pro ingenuo, et sic
non habet patronus bonorum possessionem con- 3
tra tabulas, nec tenetur libertus patronum cum
venia in jus vocare, *argum. l.* 8. §. *ult. ff. de in*
jus voc. Sed qui a Principe natalibus restituitur, 4
ab omni nexu, quo patrono obstrictus erat,
absolvitur, et quasi meram ingenuitatem consequitur. Sed qui propter delictum amittit jus 5
patronatus, ei nullus honor debetur. Colligunt
inde: Quod Monasteria exempta a jurisdictione 6
Episcopi non intelligantur a jure reverentiae
exempta, *Salyc. hic num.* 3. *Felin. in c. cum non liceat num.* 2. *et* 6. *X. de praescript. Ludov. Rom. sing.* 486. *Menoch. cons.* 297. *num.* 24. *et seqq. Wesenb. cons.* 78. *num.* 8. *in fin. Thom. Merckelbach. inter consil. Klock. vol.* 2. *consil.* 19. *num.* 93.

Lex 4. Genuina non est, et de libertorum successione satis prolixe agitur in *tit. Inst. de success. libert.*

TITULUS V.

Si in fraudem patroni a libertis alienatio facta sit.

L. Si in fraudem. 1. et L. Defuncto. 2.

SUMMARIA

An alienatio bonorum in fraudem patroni facta post liberti mortem revocari possit? num. 1.
Quid si libertus per testamentum bona alienaverit? 2.
Existentibus liberis pro tertia parte, non existentibus in totum donatio a patrono vel ejus liberis revocatur. 3.
Sed hoc loco in liberis non habet locum jus repraesentationis. 4.
An universaliter verum, quod haeres possit rescindere ea, quae a defuncto facta, si jus habeat ex propria persona? 5.

1 Si libertus in fraudem patroni sua bona alienaverit post mortem liberti patronus pro parte sibi debita, §. 3. *Inst. de success. lib.* hanc alienationem revocare potest actione Fabiana, si libertus testatus mortuus est, vel Calvisiana, si intestatus, *l.* 2. *h. t.* Sed posteriori casu neces-
se est, ut fraus probetur. Nam si per testa- 2
mentum libertus alienavit bona sua, alienatio
nulla est, licet fraus liberti non probetur: Quia portio patrono debita instar aeris alieni est, quod omnino deducendum antequam haereditas vel legata debeantur, *l.* 1. §. 1. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 1. *et seq. nec non in* ϖ. *Wesemb. et Oldendorp. class.* 6. *act.* 2 *et* 3. *Don. lib.* 15. *c.* 41. Sed non potest impugnare alienationem patronus, si eam ratam habuit, *l.* 2. *h. t.* Collige
ergo: Existentibus liberis pro tertia parte revocari 3
donationem; sed non existentibus in totum revocari donationem, et hanc revocationem fieri a
patrono vel ejus liberis, ut tamen in his jus re- 4
praesentationis locum non habeat, per *l.* 23. §. 1. *ff. de bonis libert.* quia jus patronatus jure haereditario non defertur, et ob favorem libertatis, *l.* 5. §. *ult. ff. de adsign. libert. l.* 3. §. 5. *ff. de legit. tut. Menoch. cons.* 357. *num.* 35.
unde etiam colligitur, ex *hac l.* 2. non posse 5
universaliter firmari sententiam illam, quod haeres possit rescindere ea, quae a defuncto facta, si jus habeat ex propria persona, ut facit *Natta l.* 2. *cons.* 470. *num.* 12. *et seq.* nam patronus succedit liberto non jure haereditario, *Menoch. cons.* 89. *num.* 114. et hic venit haeres contra factum defuncti, quia libertus eum voluit privare legis beneficio, *Rimin. vol.* 3. *cons.* 239. *num.* 92.

TITULUS VI.

De obsequiis patrono praestandis.

LL. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. et ult.

SUMMARIA

Obsequii descriptio. num. 1.
An pecunia aestimari possit? 2.
An si patronus criminis alicujus capitalis vel perduellionis damnatus, ejus liberis debeatur obsequium? 3.
Delinquens vindictam provocat, et se obligat ad poenam. 4.
Patrono indigenti a liberto divite alimenta debentur. 5.
Vindicta in jure pro vindicta juris sumitur. 6.
An et quatenus patronus in jus vocandus sit? 7.
Verba violentiae et audaciae sunt injuriosa. 8.
In quibusnam consistat obsequium? 9.
Quando liberta ab obsequiis patroni liberetur? 10.
Injuriae parentibus ab eorum liberis illatae quomodo vindicentur? remissive. 11.

1 Obsequium est officium honoris, pietatis et reverentiae nullo tempore circumscriptum, et nihil aliud est, quam honorem exhibere, et sanctam patronorum personam habere, et debetur tam patrono, quam patronae, *l. ult. h. t.* licet patronus pactione, i. e. nummis acceptis
2 manumiserit, *l.* 3. *h. t.* quia operae possunt aestimari pecunia, non obsequium, *l.* 3. *et supr. de*
3 *oper. libert. l.* 7. Et patroni liberis debetur, licet patronus sit damnatus criminis capitalis, *l.* 5. *h. t.* vel etiam perduellionis, *l.* 4. *ff. de jure patron.* ex qua apparet, id ex benignitate receptum contra jus strictum in *l.* 3. *ff. de interdict.* licet vocem, *Perduellionis*, de simplici crimine majestatis intelligat *Hillig. in Donell. l.* 2. *c.* 19. *lit. B.* Et ex *d. l.* 5. Collige: Delin- 4
quentem provocare vindictam et se obligare ad poenam. Et in *d. l.* 5. notat *Gl.* a liberto divite 5
patrono indigenti alimenta deberi, quae *Glossa* communiter approbata, *Wesenb. in* ϖ. *de bonis libert. in fine. Jo. Petr. Surdus de alim. t.* 1. *q.* 51. *num.* 21. *Coler. de alim. l.* 1. *c.* 13. *num.* 88. quod manifestius probatur ex *l.* 1. §. 2. *ff. de off. praef. urbi, et l.* 5. §. 18. *ff. de agnosc. et alend. lib.* Et privignis debetur obsequium, *l.* 7. *h. t.* Ex qua notetur: Vindictam in jure 6
sumi pro vindicta juris, et si ergo dixi: Vindica hanc injuriam, de juridica vindicta sensi, *Sal. hic*, adeo ut famosa actio institui non debeat, *l.* 1. nec turpis, ut condictio furtiva, vel servi corrupti, per *l.* 5. §. *fin. et ll. seqq. ff. h. t.* nec suo nec alieno nomine, *l.* 1. *C. si tutor non gesserit*; nec vis aut audacia obiicienda, nec patronus sine venia in jus vocandus sit. 7
Ab atrocitate verborum quoque temperandum est, *l.* 4. *h. t.* et antequam vocetur, prius amice monendus est, quod ex *hac l.* 4. in omnibus iis, quibus reverentia debetur, generale esse probatur a *Salyc. et aliis hic*, quibus verbis autem tali personae interpellatio facienda, de eo *Tuschus concl.* 324. *lit. I.* Collige etiam ex *l. hac* 4. Verba violentiae et audaciae esse 8
injuriosa. Non tamen obsequium illud in operis 9
servilibus consistit, sed in reverentia consueta, uti nec in vincula conjici libertus debet, *l.* 6. *h. t.* liberatur etiam liberta ab obsequiis, si pa- 10
troni consensu nupsit, *l.* 2. *h. t.* vel alias jure nubit et liberatur, ut in hoc casu, quando patronus compellit jurare libertam, se non nupturam, *l. qui contra legem* 15. *ff. de jure patron.* Injuriae parentibus a liberis eorum illa- 11
tae quomodo vindicetur, ostendit *Auctor in l.* 1. *et seq. ff. h. t.*

TITULUS VII.

De libertis et eorum liberis.

L. Non est ignotum. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1
Quod non fit gratis, non est dicendum beneficium. 2.
De natura feudi est, ut sit gratuitum. 3.
Privilegia non gratis, sed accepta pecunia, vel pro obligatione reciproca data, a Principe pro lubitu revocari nequeunt. 4.
An Princeps ex contractu obligetur remissive. 5.
Justitia et fides sunt fulcimenta thronorum. 6.

1 Sub fideicommisso mihi relictus servus, ea conditione, ut manumittetur; si ingratum se praebuit, non potest in servitutem revocari quia non sponte, non ex libertate, sed ex necessitate manumisi. Et sic colligitur ex *hac lege.* Quod 2
non sit beneficium dicendum, quod non fit gratis, *Castr. hic*, et sic de natura feudi est, 3
ut sit gratuitum, *Menoch. lib.* 3. *praes.* 95. *num.* 4. *Ant. Gabr. tit. de feudis concl.* 2. *num.* 4. *Rosenthal. de feud. cap.* 2. *concl.* 61. *num.* 3. Porro exinde infertur: Privilegia, quae Prin- 4
ceps aliis etiam subditis concedit non gratis, sed accepta pecunia, vel pro obligatione reciproca, a Principe pro lubitu auferri non posse, *Card. Tuschus concl.* 751. *lit. P. Acac. Enenkel. Baro de privil. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 1. *Rauchbar. part.* 2. *q.* 11. *num.* 1. *et seqq.* cum prin- 5
cipem ex contractu obligari passim *Doctores* tradant, quos allegat *Enckel. Baro d. l. n.* 5. *Auctor in l.* 31. *ff. de LL. num.* 3. *et* 4. Justi- 6
tia et fides sunt fulcimenta thronorum.

L. Si manumissus. 2.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Etiam levis culpa respectu personae, quae reverentiam aliis debet, gravis videri potest. 2.
Atrox injuria ex persona patientis et inferentis reputatur. 3.
An servus ob levem offensam in servitutem recte revocetur? 4.
An dignitate vel officio propter aliquod delictum exutus, sine licentia Principis restitui non possit? 5.
An statutum, ut si homicida cum uno haerede occisi, pluribus haeredibus existentibus, transigat, quod poena mortis cesset, *sit validum?* 6.
Liberi haereticorum vel perduellis ante damnationem nati nullis afficiuntur poenis. 7.

1 Si libertus meus ingratus extitit, et vel levis offensae in faciendo contraxerit culpam, et hoc coram ordinario vel delegato judice possim ostendere, poterit ille cum liberis, non antea, sed postea natis, in servitutem revocari, adeo ut denuo in libertatem pervenire non possit, nisi a Principe hoc patronus impetraverit. Exinde
2 colligitur: Levem offensam gravem videri posse respectu ejus personae, quae reverentiam
3 aliis debet, nam injuria reputatur atrox ex persona patientis et inferentis, *Castr. hic num.* 2. *Bart. ad l. non solum §. si mandato ff. de injur.*
4 Sed an id, quod de revocando servo in servitutem ob levem offensam aequitati naturali et praeceptis christianae religionis conveniat, dubito. Et nimis videtur onerari libertas. Et quis est, qui levem offensam semper vitare queat? Colli-
5 git etiam ex *hac lege Castr. num.* 4. quod dignitate vel officio exutus propter aliquod delictum sine licentia Principis restitui non possit; sed id ita universaliter verum esse non potest, nam potest ad tempus privari officio. Si autem plures essent patroni in solidum, non posset servus in servitutem revocari non consentientibus omnibus, *l.* 30. §. 4. *ff. qui et a quib. manumissi liberi non fiant,* de quo *hic Castr. num.* 5.
qui quaerit *num.* 6. si extet statutum, ut si 6
transigat homicida cum haerede occisi quod cessare debeat poena mortis, si transigat cum uno haerede, pluribus existentibus, an locum habeat statutum; et dicit *Castr.* standum esse sententiae majoris partis, vel ejus qui majus habet interesse. Colligunt etiam ex hac lege nonnulli, 7
quod haeretici damnati, vel perduellis damnati liberi ante damnationem nati nullis afficiantur poenis, quod refert *Menoch. l.* 5. *praes.* 33. *num.* 28. Sed refutat *num.* 31. et legem hanc ad libertatis statum restringit.

L. Liberti. 3. et L. ult.

SUMMARIA

An liberti etiam patroni haeredibus reverentiam praestent? num. 1.
Poena. 2.
Ampliatur. 3.

Liberti reverentiam debent etiam haeredibus 1
patroni, quod ni faciant, possunt in servitutem 2
revocari, quod de haeredibus sanguinis intelligit *Gloss. in l.* 3. Sed in *l. ult.* habetur duplex ampliatio: I. Quod illud jus revocandi etiam e- 3
xerceri possit contra militantes: II. Quod reverentiam eam debeant non tantum ipsi liberti, sed etiam libertorum liberi, nam quamvis hi fiant ingenui, tamen ex persona parentum tenentur revereri patronum, nam parens non esset manumissus, nec isti liberi, multo minus ingenui essent, et sic etiam ingenui ingrati in servitutem revocari possunt.

TITULUS VIII.

De jure aureorum annulorum, et de natalibus restituendis.

LL. 1. 2. et Auth. Sed hodie.

SUMMARIA

Restituti natalibus a Principe per omnia fiunt ingenui. num. 1.
Usus aureorum annulorum cuinam concessus? 2.
Dispensatio in uno non infert dispensationem in alio. 3.
An hodie manumissus statim fiat ingenuus, et cujusnam respectu? 4.

1 Qui natalibus restituuntur a Principe scil. solo, non vero civitate, *l.* 1. *h. t.* per omnia ingenui fiunt, *l.* 6. *infr. de suis et legit. liber.*
2 *etc.* Sed aureorum annulorum usus dabatur etiam ditioribus, tamquam imago ingenuitatis, non vero ingenuitas, *l.* 2. Erat enim quasi quaedam dispensatio, qua non obstante libertinitate libertis dabatur jus aureorum annulorum;
Unde Collige: Dispensationem in uno non in- 3
ferre dispensationem in alio, quia dispensatio non facile extenditur, per *c.* 1 §. *ille vero de filiis presbyt. lib.* 6. *Thom. Sanchez lib.* 8. *de matrim. disp.* 1. *num.* 3. ubi omnes *DD.* ita sentire scribit, et *Card. Tuschus. lit. D. concl.* 465.
Sed hodie, qui manumittitur, statim fit inge- 4
nuus, scil. aliorum respectu, non vero patroni, cui jus suum patronatus semper illaesum, *Nov.* 78. *cap.* 1. Vid. de hac materia *Wesenb. in ϖ. tit. de jure aur. annul. et de restit. natal. Donell. et ib. Hillig. lib.* 2. *cap.* 10. *Petr. Greg. l.* 14. *syntagm. c.* 9.

TITULUS IX.

Qui admitti ad bonorum possessionem possunt, et intra quod tempus.

LL. 1. 3. et 7.

SUMMARIA

Bonorum possessio quid sit? num. 1.
Cuinam detur? 2.
An hodie filiusf. etiam ignorante patre bonorum possessionem sibi delatam agnoscere possit? 3.
Quatenus ista prosit patri? 4.
Objectio diluitur. 5.
Filius etiam invito patre bonorum possessionem agnoscere et acquirere potest. 6.
An et quatenus filius in praejudicium patris bonorum possessioni renunciare queat? 7.
Pater delatam filio haereditatem agnoscere potest eo etiam invito. 8.
An pupillus cum tutoris auctoritate sibi delatam recte agnoscat? 9.
An solus tutor pupilli nomine eam petere admittatur? 10.
An hic ipse nomine pupilli infante majoris possit eamdem petere. 11.
An Curator nomine minoris? 12.
An et quatenus ipse minor? 13.
An pater et tutor infantis nomine? 14.
An furioso per Curatorem acquiratur? 15.

1 Bonorum possessio est jus persequendi vel retinendi pecuniam aut rem, quae cujusque cum moreretur, fuit. De qua definitione *Auct. in l.* 3. *ff. de bonor. possess. num.* 1. *seqq. Forster. de success. lib.* 2. *cap.* 21. *Grassus* §. *bon. possess. q.* 1. *Cagnol. in Rubr. h. t. num.* 84. *Sich. in*
2 *Rub. h. t. num.* 23. *Sed cui datur haec bonorum possessio?* Resp. datur vel ex testamento scriptis haeredibus secundum tabb. vel praeteritis contra tabulas, ab intestato liberis et proximiori-
3 bus: Filiusfamilias autem etiam ignorante patre bonorum possessionem sibi delatam hodie
4 agnoscere potest, quae agnitio prodest patri, si ratam habeat, si non, soli filio prodest, *l.* 1. *h. t. l.* 3. §. 7. *ff. de bon. poss.* aliud in adeunda haereditate, *l.* 25. §. 4. *ff. de acquir. haeredit.* rationem habet *Donell. Enucl. lib.* 7. *cap.* 6. *lit. E.* quia aditio juris est bonorum possessio fa-
5 cti. Sed obstare videtur, quod filiusfamilias alias in judicio sine patre esse non possit; sed resp. hanc bonorum possessionem non peti in forma judicii, *Decius ad h. l. num.* 25. *Bacchov. in Tr. vol.* 2. *d.* 15. *th. fin. lit. F.* Et sic aliud esset, si legitimus contradictor appareret, *Grass. d.* §.
6 *q.* 12. *num.* 2. Et sic patre etiam invito filius agnoscit et acquirit bonorum possessionem, *De-*
7 *cius hic num.* 6. quamvis etiam filius in praejudicium patris expresse renunciare bonorum possessioni non possit, tacite tamen potest, per lapsum temporis et negligentiam, per *hanc l. Auct. in l.* 8. *ff. h. t. n.* 2. *Decius hic n.* 6. *Cagn. num.* 38. modo ea negligentia sine fraude sit, *Treutl. d. l. lit. E.* Sic et pater delatam filio 8
haereditatem eo etiam invito agnoscere potest, quia leges de aditione loquentes, in dubio ad bonorum possessionem accommodari possunt, *Grassus d.* §. *q.* 13. *Vasq. lib.* 2. *de success. n.* 66. *Barry de success. lib.* 11. *n.* 2. Pupillus quoque 9
ad delatam sibi bonorum possessionem admittitur cum tutoris auctoritate (ratio in §. 1. *Inst. de auct. tut.* quia etiam bonorum possessio possessorem haereditariis oneribus obstringit) vel ut h. loco judicis, si ignarus ejus aetatis non sit, et tutor etiam solus nomine pupilli petere 10
potest, *l.* 7. *h. tit.* quia liberam habet administrationem et loco Domini est, *l.* 27. *ff. de administr. tut.* Sed *An tutor nomine pupilli in-* 11
fante majoris bonorum possessionem petere possit? Videtur quod non, ob *l.* 5. *C. de Jure deliber.* Sed affirm. quia aliud in aditione, aliud in bonorum possessione, quae facti, et per alium expediri potest, *Castr. in l.* 7. *Don. d. c.* 6. Curator etiam nomine minoris petere potest, 12
quia nomine absentis quilibet potest petere, *l.* 7. §. 1. *ff. de bon. poss.* et ipse minor agno- 13
scere potest cum consensu curatoris, ut in aditione, *arg. l.* 26. *C. de admin. tut. l.* 3. *C. de restit. in integr.* impubes non potest, nisi tutore careat, nam tunc judex non quidem edictalem, sed decretalem possessionem dabit cum causae cognitione, ubi agnoscet, an pupillus habeat tutorem, et an expediat bonorum possessionem agnoscere, *Donell. et ibi Hillig. d. l. lit. B.* In- 14
fantis autem nomine pater et tutor sine dubio admittitur ad possessionem petendam, adeo ut infans hanc agnitam ad haeredem suum transmittere possit, per *l.* 3. *h. t.* aliud quidem in furioso per *l. ult.* §. 3. *supr. de curat. furiosi.* Sed Resp. *hic Glossa et Castr.* quod furioso non 15
sic perfecte quaeratur bonorum possessio per curatorem, sicut infanti per tutorem, quia major est tutoris auctoritas in adquirenda haereditate, quam curatoris, *l.* 17. §. *fin. ff. de appellat.* Et sic quando in statuto dicitur delatam haereditatem transferri in haeredem, hoc etiam de haereditate infanti delata esse intelligendum, post alios statuit *Fachin. lib.* 13. *cap.* 37. De voce *Etiam* in hac lege videatur *Fachin. d. l. cap.* 39.

LL. 2. 4. 5. 6. et 8.

SUMMARIA

Intra quodnam tempus peti debeat bonorum possessio? num. 1.
Bonorum possessio non agnita non transit in haeredem. 2.
An tempus illud sit continuum? 3.
Etiam post triginta annos bonorum possessio peti potest. 4.
Juris ignorantia ne mulieribus quidem prodest. 5.
Nisi ignorantia juris positivi ex rusticitate orta. 6.

An hoc spatium currat absenti aut alias agere impedito? num. 7.

An et quatenus quis intra ea tempora bonorum possessionem agnovisse praesumatur? 8.

1 Bonorum possessio intra certum temporis spa-
tium peti debet, et quidem a liberis intra an-
2 num, *l. 4. h. t.* ex qua apparet bonorum pos-
sessionem non agnitam non transmitti in hae-
redem. A proximis agnatis vel cognatis trans-
versalibus intra centum dies, *l. 2. et 4. h. t.*
§. 4. *Inst. de bon. poss. in fin. Card. Mantic. de
conj. ult. volunt. t.* 15. *num.* 13. adeo ut nec a
judice hoc tempus coarctari debeat, Vid. *Bacch.*
3 *in Tr. vol.* 2. *disp.* 15. *th.* 6. *in fin.* Sed hoc
tempus non est continuum, sed utile, quia igno-
ranti non currit, *l. 2. h. t.* sc. ignoranti factum,
v. g. si ignorem, an testatus vel intestatus sit
mortuus parens, *l. 5. h. t.* modo ista ignoran-
tia probabilis. Hinc etiam *Castr. ad l.* 5. notat
4 etiam post triginta annos ignorantem posse pe-
tere bonorum possessionem, non adire haere-
ditatem, quia tempus aditionis est continuum,
5 bonorum possessionis vero utile. Sed juris igno-
rantia non prodest, ne quidem mulieribus,
l. 6. h. t. v. g. Si dicam ignorasse me posse
succedere avo, vel me ignorasse tempus pos-
sessionem bonorum petendi, quia hic de lucro
agitur, per *l.* 11. *supr. de ignor. jur.* nisi
6 ignorantia juris positivi ex rusticitate orta, *l. 8.
h. t. l. 7. §. 4. ff. de jurisdict.* nec currit hoc
7 spatium absenti, aut alias agere impedito, per
8 *l. 8. h. t.* quamvis autem non praesumatur ali-
quis intra ea tempora agnovisse bonorum pos-
sessionem cum sit fundamentum intentionis ejus,
qui possessoriam haereditatis petitionem inten-
dit, in quibusdam tamen casibus praesumitur
legitime quis petiisse, ut si in possessione actuali
reperiatur, vel ex diuturnitate temporis, et
similibus, *Mantic. d. l. Menoch. lib. 4. prae-
sumpt.* 104. *Fachin. lib. 6. c. 59. Fr. Barry de
success. lib. 11. tit. 7.*

L. Ut verborum. ult.

SUMMARIA

In agnoscenda bonorum possessione quidnam hodie sufficiat? num. 1.

Quamnam judex habeat jurisdictionem? 2.

Intellectus legis. 3.

Differentia inter bonorum possessionem edictalem et decretalem quaenam sit? 4.

Verba, eo addito, *quomodo intelligantur?* 5.

An et quatenus substitutus eam petere possit? 6.

An nondum delata recte petatur? 7.

Petitio praepostera non vitiatur, nec probatio ante terminum facta est irrita. 8.

Quando incidenter possessio bonorum agnoscatur? 9.

Hodie in agnoscenda bonorum possessione nul- 1
la opus est solemnitate, nec decreto judicis,
nec citatione partis, nec expressione edicti,
Grass. q. 6. et seq. Sed sufficit, si coram ju-
dice contesteris, te agnoscere bonorum posses-
sionem. Sufficit ergo, si Judex mixtam ha- 2
beat jurisdictionem, ut Duumviri, et sola prae-
sentia judicis instar decreti est, *Bald. hic num.* 5.
Cur autem hic, non vero in aditione haeredi-
tatis auctoritas judicis necessaria? Quia hoc
totum negotium ob auctoritate Praetoris depen-
det. Intelligenda autem *illa lex* non de decre- 3
tali, sed edictali bonorum possessione. Edictalis 4
ex edicto competit, et simpliciter et de plano
petitur: Decretalis autem causa cognita, seden-
te et decernente praetore datur, de qua distin-
ctione *Gilken. de praesc. p. 3. c. 1. num. 9. et
seqq. Fachin. l. 13. cap. 36. Bacch. d. disp. 15.
th. 2. Auct. in l. 3. ff. h. t. num. 4. et 5.* Ver-
borum autem, *eo addito*, hic est sensus: quan- 5
do defertur priori gradui bonorum possessio,
adeo ut et substituto locus nondum sit, potest 6
tamen substitutus agnoscere bonorum possessio-
nem quae agnitio statim valida est, ac si debi-
to tempore fuisset facta. Et sic bonorum pos- 7
sessio nondum delata recte tamen petitur, non
eo fine, ut statim acquiratur, *l. 70. ff. de acquir.
haered.* sed ne postea repetere cogatur eamdem
testationem, vid. *supr. l. ult. §. 3. de curat. fu-
rios. et Donell. lib. 7. cap. 14. l. ult. §. 3. C. de
curat. fur.* Collige: Petitionem praeposteram non 8
vitiari, nec probationem ante terminum factam
irritam esse. Interdum etiam quasi incidenter 9
agnoscitur bonorum possessio, v. g. Petita hae-
reditate, item si petam usumfructum a legata-
rio, *Fachin. l. 6. c. 58. Menoch. d. l. praes. 103.
Barry d. tit. 7. num. 4.*

TITULUS X.

Quando non petentium partes petentibus adcrescant.

L. Quoties. un.

SUMMARIA

Bonorum possessio pluribus ejusdem gradus delata, si quidam eorum nec intra annum petant, vel expresse repudient, eorum portio accrescit his, qui eam exemplo successionis civiles petunt. num. 1.

Aliud si ii qui forte anno lapso ea exciderunt, vel cum ei renunciassent, nihilominus jure civili jus succedendi habeant. 2.

In bonorum possessione jus accrescendi locum habet. 3.

Quando jure veteri et jure novo competit successio, licet repudietur jus novum, vetus tamen adhuc competit. 4.

Jus accrescendi quando locum habeat? 5.

Quando plures sunt ejusdem gradus, quibus 1

defertur bonorum possessio, v. g. liberis emancipatis, qui jure civili non succedunt, tunc si quidam eorum intra annum non petant bonorum possessionem juxta *l.* 14. *tit. praec.* vel expresse etiam repudiaverint, eorum portio accrescit his, qui bonorum possessionem petierunt
2 exemplo successionis civilis: sed aliud, si ii qui exciderunt bonorum possessione, forte anno lapso, vel cum ei renunciassent, salvum nihilominus habeant jus succedendi jure civili, nam horum portio vacare non dicitur, per *hanc legem*, ibi, *cessante legitima successione.* Collige
3 ergo ex textu: I. Etiam in bonorum possessione locum habere jus accrescendi, *hic et l.* 3. §. *pen. ff. de bon. poss. DD. hic et Donell. lib.* 7. *cap.* 12.
4 et ibi *Hillig. lit. G.* II. Quando jure veteri et jure novo competit successio, licet repudietur jus novum, vetus tamen adhuc competit, per *l. quoties duplici ff. de reg. jur. l. suum C. de jur. deliber.* ideoque non potest jus accre- 5
scendi locum habere, quamdiu ex jure civili adiri potest haereditas, licet expresse bonorum possessio repudietur, *Bald. Jas. hic et Duaren. de jure adcrescendi lib.* 1. *c.* 20. Ergo juri accrescendi in bonorum possessione est demum locus, quando filius per lapsum 30. annorum exclusus, vel etiam civili successioni renunciavit. Caeteri autem casus a *Jasone* expressi, aliter se jure novo habere videntur, de quibus *Bl. et Jason hic* agunt, ut et de jure accrescendi. Videatur hujus legis prolixa repetitio apud *Guttieretium.*

TITULUS XI.

De bonorum possessione secundum tabulas.

L. Pendente. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An agnatus pendente appellatione petere possit bonorum possessionem? 2.
Pendente appellatione nihil est innovandum. 3.
De quonam casu loquatur l. 46. ff. de acquir. haered. 4.
Bonorum possessio si contradictor adest, cognitionem causae et decretum requirit. 5.
Quomodo testes negativam probare debeant? 6.

1 Scriptus est testamento haeres, qui producens illud petit bonorum possessionem. Agnatus illi contradicit, et ait illud testamentum esse falsum, quod Judex etiam falsum pronunciavit;
2 scriptus haeres appellat. Quaeritur: *An agnatus pendente appellatione petere possit bonorum possessionem?* Vid. Disting. ex *l.* 46. *ff. de acquir. haered.* Sed neg. per *l. quamdiu* 89. *ff. de reg. jur.*
3 et quia nihil pendente appellatione est innovandum; Alia ratio aditionis, quae solo fit animo,
4 *d. l.* 46. Et loquitur *d. l.* 46. de ipso haerede scripto petente bonorum possessionem, qui de
5 suo facto certus esse potest: Collige. Licet bonorum possessio non requirat decretum, quando tamen contradictor adest, cognitionem causae requiri, et decretum, *Castr. hic.* Et sic edictalis bonorum possessio fit interdum decretalis, seu naturam decretalis induit. Sed aliud erit in *l. fin. C. de edict. Divi Adrian. toll.* ubi scriptus haeres potest, non obstante quaestione falsi, petere bonorum possessionem. Hic
6 etiam *Bl. et Castr.* agunt de eo quomodo testes negativam debeant probare, scil. si removeant sensum ab actu, non actum a sensu, v. g. si dicant, illa die hoc non esse actum eo loco, cum fuerint eo loco, et se insciis hoc fieri non potuisse, *Ant. Gabriel. lib.* 1. *tit. de testib. concl.* 4. *num.* 8. *Mynsing. cent.* 4. *obs.* 38. *num.* 7. *Farin. qu.* 65. *num.* 228.

L. Bonorum. ult.

SUMMARIA

Possessio bonorum secundum tabulas a quonam judice et quando deferatur? num. 1.
Quid si non de voluntate testandi, sed de solemnitate tantum quaestio sit; an scil. in testamento nuncupativo testes sint rogati, et simul quot requirantur ad probandum testes? 2.

Bonorum possessio secundum tabulas defertur a 1
praetore, quando videt testamentum esse septem testium subscriptionibus ac sigillis munitum; Idem si nuncupativum testamentum coram septem testibus factum, ubi quidem non secundum tabulas sed secundum nuncupationem, vel testamentum nuncupativum bonorum possessio peti potest, *hic et l.* 8. §. 4. *ff. h. tit. et l. ult. infr. de codic.* Sed Quaeritur hic: *Quid si non* 2
de voluntate testandi, sed de solemnitate quaestio est, an scil. in testamento nuncupativo testes sint rogati, et simul quot requirantur ad probandum testes? Et duos sufficere, *hic Br. et Castr.* putant, de quo dubitat *Bald.* et id declarat *Jason*, sed cum *Bart.* affirmat *Masc. concl.* 1359. *num.* 31. *de probat. Jo. Dauth. de testam. tit. de testibus testam. limit.* 38. *num.* 456. et haec videtur esse mens *Hieron. de Caevall. qu.* 465.

TITULUS XII.

De bonorum possessione contra tabulas, quam praetor liberis pollicetur.

L. Liberi. 1. et L. Posthumo. 2.

SUMMARIA

Quinam liberi petere possint bonorum possessionem contra tabulas. num. 1.
Verecundius agunt sui haeredes praeteriti et posthumus, si jure praetorio bonorum possessionem contra tabulas petant, quam si testamentum, quod possunt, dicant nullum. 2.
Quaeritur, quomodo id, quod nullum est, rumpi dicatur? 3.
Haec bonorum possessio datur etiam instituto filio ex persona filii alterius praeteriti. 4.
Quaenam inde redundet utilitas? 5.
Institutus filius ex fratris praeteriti persona bonorum possessionem contra tabulas petens indistincte omnia legata solvere tenetur. 6.
Filius consentiens in praeteritionem non habet hanc bonorum possessionem. 7.
Filius in potestate existens praeteritus nemini tenetur praestare legata. 8.
Quid juris hodie? 9.
Securior sententia in hoc passu quaenam? 10.

1 Liberi possunt petere bonorum possessionem contra tabulas non tantum nati, sed etiam posthumi, *l.* 2. *h. t.* nec tantum emancipati, sed etiam sui *d. l.* 2. si in testamento paterno praetereantur, *l.* 1. *ff. h. t. ibique Auct.* (non vero si exhaeredentur, aut a matre praetereantur, *d. l. ff. h. t.*) Quamvis enim sui haeredes possint dicere testamentum nullum, *pr. Inst. de exhaered. liber.* et posthumus ipso jure rumpat testamentum, *d. l.* 2. *h. t. et l.* 7. *ff. de lib. et posthum.*
2 possunt tamen, si verecundius agere velint, jure praetorio bonorum possessionem petere con-
3 tra tabulas. Sed nihilominus manet dubium, quomodo id, quod nullum est, rumpi dicatur. Resp. *hic Castr.* ubi caeteros omnes coecutisse dicit, per hanc bonorum possessionem non rumpi semper testamenta alias valida, sed interdum tantum peti, ut declarentur nulla etiam jure praetorio, quae alias jure civili etiam erant nulla. Nota etiam: Hanc bonorum possessionem 4
dari etiam instituto filio, ex persona filii alterius praeteriti, licet hic nolit petere bonorum possessionem contra tabulas per *l.* 10. §. *fin. ff. h. t.* Cujus utilitas in eo, ut majorem partem 5
forte possit accipere, et legata non teneatur solvere, *Castr. hic num.* 4. ubi *num. seq.* nec a fratre praeterito posse expresse approbari testamentum in praejudicium fratris instituti, quoad primam utilitatem. Vid. etiam *Sichardus in repet. hujus l. posthumo* 2. *num.* 39. *Riminald. in h. l. num.* 378. *Gozadinus in repet. l. qui se patris C. unde liberi num.* 254. Sed contra *Castrensem in secunda utilitate num.* 4. videtur facere, quod filius institutus ex persona 6
fratris praeteriti bonorum possessionem contra tabulas petens teneatur indistincte omnia legata solvere, cum videatur quasi juxta tabulas petere bonorum possessionem, *l. nonnunquam* 14. *ff. de legat. praestand. et Cujac. ad eam tom.* 2. *Zuchard. num.* 41. *et Riminald. num.* 997. (Notandum etiam hic: Si filius consensit in praete- 7
ritionem, eum non habere bonorum possessionem contra tabulas, *l.* 8. §. 6. *ff. h. t. ib. Auct. num.* 3. *Gomez lib.* 1. *resol. cap.* 10. *num.* 14. *Boer. dec.* 14. *num.* 7. *et seqq. Clarus* §. *testamentum qu.* 43. *Molin. de J. et J. disp.* 175. *num.* 24.) Quando emancipatus praeteritus est, hic praestare tenetur relicta legata certis personis, ut parentibus, liberis, *l.* 1. *h. t.* uxori, nuruique *l.* 1. *et seq. ff. eod.* quia non per legata haec, sed per institutionem extranei hic laesus est; Sed filius in potestate existens, si 8
praeteritus sit, ne quidem his personis legata praestare tenetur, *l.* 1. *et l.* 15. *ff. de leg. praest. contr. tabb. bon. poss. petita*; Quamvis hodie ex 9
causa praeteritionis evacuato testamento, Legata omnia debeantur, etiam in bonorum possessione, ut communis est sententia, testante *hic Castr. Grasso in recept. Sent.* §. *bonor. possess. et Wesenb. in π. d. tit. de leg. praest. etc.* Vid. tamen *Treutl. et ibi Bacchov. et Hunn. vol.* 2. *disp.* 15. *th.* 3. *lit. E.* Securior sententia est, 10
quando testamentum est ipso jure nullum, tunc legata debentur, et huic edicto locus non est. Sed quando liberi praeteriti cum causa, vel exhaeredati cum causa, quae tamen probari non possit, quia juxta veriorem sententiam hoc casu non est nullum testamentum, sed opus est querela vel bonorum possessione contra tabulas ideo huic edicto locus est, *Bacch. d. l.*

TITULUS XIII.

De bonorum possessione contra tabb. liberti, quae patronis liberisque eorum datur.

L. Licet. 1. et L. Patronus. 2.

SUMMARIA

Patronus quatenus bonorum possessionem petere possit? num. 1.
Ampliatio. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
In quonam differat haec bonorum possessio ab ea, quae datur liberis? 5.

1 Patronus contra Tabb. in quibus praeteritus est, potest petere bonorum possessionem, licet 1.
2 Ex fideicommisso manumiserit, *l.* 1. *h. t.* Ra-
3 tio dubitandi in *l.* 1. *supr. de bon. libert.* Sed
4 ratio decidendi, quia praetor in successione non distinguit, *l.* 3. §. 1. *ff. de suis et legit. haer.* et ibi alia necessitas erat, nam si ex fideicommisso manumisi, vel si a servo meo accepi pretium manumissionis, datur mihi possessio contra Tabb. sed si servus alienus mihi dedit pecuniam, ut redimerem et manumitterem, tunc amittitur successio. Et differt haec bono- 5
rum possessio ab ea, quae datur liberis. Nam liberi praeteriti instituto extraneo poterant avocare totam haereditatem, quae ab intestato ipsis debebatur, non sic in patrono, cui, licet ab intestato liberto non habente liberos deberetur tota haereditas, per hanc tamen possessionem legitimam tantum avocat, i. e. tertiam bonorum partem, §. 3. *Inst. de success. libert.* 2. Licet testamentum scriptum non sit, sed nuncupativum, nam et tunc contra nuncupationem intra tempora statuta, sc. centum dies, bonorum possessionem petere potest patronus, *l.* 1. sed amittit hanc successionem, si mortuo liberto, munera libertatis causa imposita, ac pretium operarum exegerit, *l.* 2. *h. t.* Vid. *l.* 20. *ff. de jure patron.* ubi dicitur, Quod utrumque petere non possit, et *l.* 41. *ff. de oper. libert.*

TITULUS XIV.

Unde liberi.

L. Si avus tuus. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Generalis significatio vocabuli haeredis. 2.
Quae de haerede dicuntur, etiam de bonorum possessore locum habet. 3.
Bonorum possessores Germanice vocantur Erbnehmen. 4.

1 Avus intestatus, (nam hic de bonorum possessionibus agere incipit Imp. quae dantur nullo existente testamento) reliquit tres liberos emancipatos, et forte nonnullos nepotes; Liberi emancipati petunt bonorum possessionem. Resp.
2 Omnes admittendos esse pro rata. Collige: Vocabulum *haeredis* generali significatione etiam bonorum possessionem complecti, quod in libellorum interpretatione locum habet. Et probatur etiam per *l.* 19. §. 2. *ff. de cond. et demonstr.*
3 *l.* 1. §. 7. *ff. ad SCtum Trebell.* Et sic quae de haerede dicuntur etiam in bonorum possessore locum habent, quod exemplis declarat *Grass. d.* §. *qu.* 18. *Forst. de success. l.* 2. *c.* 29. *Dauth.*
4 *de subst. num.* 231. Bonorum possessores idiomate nostro vocantur Erbnehmen *Coll. Argent. in tit. de bon. poss. th.* 3.

L. Ex testamento. 2.

SUMMARIUM

Facti species.

Reliquit quidam filium, aut cum non haberet filium, reliquit nepotem, tempore mortis suae in potestate sua existentem; sive testatus, sive intestatus decedat, potior ratio est ejus filii vel nepotis, quam ulteriorum graduum, nisi propter repraesentationem parem habeant rationem, ut §. 6. *Inst. de success. ab intest.*

L. Qui se. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An neptis patris haereditate abstinere et avi haereditatem adire possit? 2.
Deciditur per distinctionem inter jus civile et canonicum. 3. 4.
Collatio quando locum habeat? 5.

Decessit avus intestatus, relicto filio, postea 1
decessit etiam filius, antequam se immisceret sui patris haereditati, nam si miscuisset se, non

posset hoc fieri, *Cujac. lib.* 4. *obs.* 16. relicta filia, quae est avi primo mortui nepotis; Quae-
2 ritur: *An neptis patris haereditate abstinere,*
3 *et avi haereditatem adire possit?* Resp. jure civili non posse, quia in suis successio non est, *l.* 1. §. 8. *ff. de suis et legit. haered.* videtur una et eadem haereditas avi et patris, et filius avi haereditatem ipso jure transmittit ad nepotem, *l.* 8. *infr. de suis et legit. haered.* et nepos tempore mortis avi non fuit proximus haeres: Ergo non haeres necessarius et suus: nec potuit ut agnatus adire, quia jus civile ignorat talem successionem, §. 7. *Inst. de success. agnat.* Sed jure
4 Can. praetorio consideratur ut duplex haereditas, per *l.* 7. §. 1. *ff. de acquir. haered.* Vid. *Fachin. lib.* 6. *cap.* 66. *et seq. Cujac. d. l. et Fr. Barry de success. lib.* 11. *tit.* 1. *num.* 4. *in med. Carpz. p.* 3. *const.* 11. *def.* 3. Et hoc casu nepos, si cum avunculis aut patruis avo succedat, conferre tenebitur quae pater cum onere collationis acceperat, quia aequum non est, nepotem ex eodem gradu tamquam vacuo succedentem, tantum ferre ex avi haereditate, quantum, si pater nihil unquam habuisset, *Carpz. d. l.* Et ex ea ratione aequum putarem, si sint tres fratres, primus, secundus, tertius, et hic pro primo fidejusserit et solverit, moriatur autem tertius, cui secundus et primi filius succedat, quod tunc secundus juste petere possit, ut primi filius conferat quod solvit pro parente tertius, quia et hic iniquum, primi filium plus auferre ex haereditate tertii, quam quantum primus accepisset, si tertio supervixisset, qui procul dubio id, quod pro se solverat tertius, sibi decurtari pati debuisset. Et nepos abstinens paterna haereditate tenetur conferre data parenti, quando avo succedere vult, *Heig. p.* 1. *q.* 24. *Berl. p.* 2. *dec.* 247. et toties collatio lo- 5
cum habet, quoties aliquo incommodo afficitur is, qui collationem petit. Et nimium subtilis distinctio *Antonii Fabri lib.* 2. *cod. tit.* 3. *def.* 1. *num.* 4. *et Carpz. p.* 3. *constit.* 11. *def.* 33. *part. secund. dec.* 165. inter repraesentationem personae et gradus. Et Dn. Scabini Lipsienses et Witteberg. in praejudiciis suis a *Berlich. d. l.* allegatis illa ratione utuntur, quod nepos patris personam repraesentet. Et sic contra *Carpzovium* bis responsum a Facultate.

TITULUS XV.

Unde legitimi, et unde cognati.

LL. 1. 2. et 3.

SUMMARIA

Post liberos quibusnam bonorum possessio deferatur? num. 1.
Consobrinorum filii sibi mutuo succedunt jure Praetorio. 2.
Quatenus nepotes plures ex una filia nati succedant avo materno? 3.
Hodie horum praeter historiarum cognitionem nulla utilitas. 4.

1 Post liberos, bonorum possessionem Praetor defert non tantum agnatis, seu per virilem sexum junctis, sed agnatis deficientibus, etiam cognatis, quibus alias successio non dabatur jure civili, v. g. consobrinis, seu duarum sororum filiis, si nemo est defuncto propior *l.* 1. sic et
2 consobrinorum filii sibi mutuo succedunt jure
3 Praetorio, *l.* 2. *h. t.* Sic et avo materno nepotes plures ex una filia nati succedunt in viriles portiones, secus si ex pluribus nati filiabus, Vid. *l.* 19. *infr. de collat. cum Authent. seq.*
4 Sed haec praeter historiarum cognitionem parum habent utilitatis, cum cognati hodie cum agnatis pariter succedant jure civili, ut infra dicetur ex *Nov.* 118.

L. Non hoc. 4.

SUMMARIA

An haeres res haereditarias possidens adiisse haereditatem praesumatur? 1. 5. 6. 7.
Quid juris in bonorum possessore? 2.
Ratio diversitatis. 3.
An et quatenus valeat sequela: Possides, ergo haeres es? 4.
Bonorum possessio neque ex longi temporis possessione praesumitur. 8.

Licet alias haeres, qui haereditarias res possi- 1
det, praesumatur adiisse haereditatem, *l.* 1. *infr. de repud. haered.* Secus tamen est in bono- 2
rum possessore quia ad hunc necessaria est 3
agnitio et petitio coram judice, *l. fin. supr. qui admitti etc.* quales actus judiciales, per quos inducitur bonorum possessio, recenset *Mantica de conject. ult. vol. l.* 12. *tit.* 15. Unde Notant; articulum debere esse concludentem, v. g. si deberem probare, te esse bonorum possessorem jure praetorio non debeo articulum ita formare, quod possideas; Imo interpretes etiam 4
ad haeredem id extendunt, quod non valeat sequela; Possides, ergo haeres es, nisi per decennium possederis, *Menoch. lib.* 4. *praesumpt.* 101. *num.* 28. Sed in dubio plerique conten- 5
dunt ex possessione rerum haereditariarum aliquem praesumi haeredem, et quod haereditatem adierit, per ea, quae tradit *Mascard. concl.* 45. *num.* 1. ubi *in seqq.* hanc sententiam multis ampliat, et veriorem esse dicit, praeser- 6
tim si filii sint, qui paternam haereditatem possident, cum ipso jure sint haeredes et ideo abstentionem probare debent, *Jo. a Sande lib.* 4. *tit.* 9. *def.* 9. Et contra liberos bona haere- 7
ditaria tenentes, nisi actu abstineant, ut haeredes agitur ac proceditur, *Mevius p.* 2. *dec.* 142. nisi scilicet aliam causam detentionis probent. Sed ut redeam ad bonorum possessionem, eam 8
neque ex longi temporis possessione praesumi, quia patientia non potest adaptari praetori, *Mascard. de probat. concl.* 238.

L. Certum est quidem. ult.

SUMMARIA

Cognati et agnati quomodo jure Codicis et Novellarum succedant? num. 1.
Ad quem usque gradum possessio bonorum porrigatur? 2.
Quot sint bonorum possessionis species? 3.
An bonorum possessiones sint sublatae? 4.
An necessaria sit bonorum possessio? 5.
Quaenam sint necessariae? 6.

1 Cognati jure Codicis non succedunt, *l.* 2. *h. tit.* (quamvis aliud jure Novellarum *Nov. scil.* 118. quia cognati cum agnatis pariter succedunt) sed si velint succedere, possunt petere bonorum possessionem, quamvis hoc facere non compellantur, ratio *in l.* 69. *ff. de R. J. Glossa hic* prolixa est, et tractat aliquas quaestiones, quas breviter et remissive tractabimus; I. *Ad*
2 *quem usque gradum bonorum possessio porrigatur?* Et resp. in agnatis usque ad decimum, in cognatis usque ad 7. Sed hoc hodie exaequatis cognatis et agnatis locum non habet. II. *Quot* 3
sint bonorum possessionis species? Et resp. ut in *Inst. de bonorum possess. et gl. hic*, scilicet, quod alia sit ordinaria ex edicto praetoris, alia extraordinaria ex novis legibus: item alia cum re, alia sine re, v. g. quae instruendae litis causa fiebat, *l.* 2. *C. de inoff. testam.* item alia edictalis, alia decretalis cum causae cognitione. Vid. *Dn. Struv. ad tit. ff. de bon. poss. d.* 9.
III. *An sint sublatae bonorum possessiones?* Et 4
nolo hoc dicere, quippe etiam supra dixi in causa, ubi filii praeteriti vel exhaeredati cum causa, quae tamen probari non possit, locum esse querelae vel bonorum possessioni. Vid. *Christinaeus lib.* 4. *dec.* 1. *num.* 6. IV. *An ne-* 5
cessaria sit bonorum possessio? Et recenset *hic Glossa* aliquot casus, in quibus necessaria. Et sane certum est, decretales bonorum possessio- 6
nes esse necessarias, edictales vero non, nisi in quibusdam casibus, ut in *l. posthumus ff. de injust. et irrito testam.* §. *non tamen.* 6. *Inst. quibus mod. testam. infirm. l. ult.* §. 3. *C. de curat. furios.* Alios casus recenset *Grassus d. qu. Mantic. lib.* 12. *tit.* 15. *num.* 3. *Barry de success. lib.* 11. *tit.* 6. licet multi casus negari possint.

TITULUS XVI.

De successorio edicto.

L. Si mater. 1.

SUMMARIA

Proximo non adeunte haereditatem remotioribus jure 12. *Tabb. via ad eam praecluditur. num.* 1.
Agnato proximo intra 100. *dies bonorum possessionem non petente, illi defertur, qui ordine succedit.* 2.
Exemplo illustratur. 3.

1 Jure 12. Tabb. Proximo non adeunte haereditatem, remotioribus via praecluditur, §. 6.
2 *Inst. de legit. agnat. success.* Sed praetor constituit, ut si agnatus proximus intra centum dies non petat bonorum possessionem, haec
3 deferatur illi, qui ordine succedit, v. g. Mater Titii furiosa, patrui sui possessionem non petiit, nec potuit, vid. *l. fin.* §. 8. *supr. de curat. furios.* tunc Titius post mortem matris suae, bonorum possessionem petere potest, ea viva vero non, quia dum viveret mater furiosa, ipsi non currebat tempus bonorum possessioni praestitutum, *Castr. hic.*

L. Si aviae. 2.

SUMMARIA

Casus legis duplex proponitur. num. 1. 2.
Una possessio bonorum invalida non convertitur in validam. 3.
Limitatur. 4.
In suis hic non est successio. 5.
Quid si filius non moverit querelam contra testamentum, nec nullum dixerit, an nepos illud adhuc facere possit? 6.

Habuit Sempronia fratres Petrum et Joan- 1
nem, Joan. mortuus reliquit filium Titium: Habuit praeterea Sempronia Nepotem Cajum, mortua est Sempronia, et postea mortuus est Cajus, de cujus successione Quaeritur: *An Petrus ipsi succedere debeat ab intestato?* Et Resp. quod sic. Sed profert Petrus testamentum fal- 2
sum, de quo convictus moritur; Quaeritur: *An tunc Joannis filius, qui in quinto gradu positus est, possit petere bonorum possessionem?* Quod affirm. nisi Petrus eamdem petierit, ratio in *l.* 1. quia successioni hic locus; si modo Petrus mutata voluntate non petiit bonorum possessionem ab intestato. Colligitur ex *hac l.* 2. Quod una bonorum possessio invalida non con- 3
vertatur in validam, nisi superveniat nova cau- 4
sa, et ita ex mente *Baldi*, *Castr. hic* intelligit *legem* 14. *ff. de legat. praest. et l.* 2. §. 1. *et l.* 5. *ff. de bon. possess. secundum Tabb.* Nota 5
autem hic in suis non esse successionem, *l.* 1. §. 8. *ff. de suis et legit. haered.* et sic repudiante filio defuncti, ejus nepos non ex primo capite, sed ex alio capite, unde liberi succedit, *l.* 1. §. 11. *ff. h. t. Facchin. lib.* 6. *cap.* 67. Si au- 6
tem filius non movisset querelam contra testamentum patris, aut non dixisset nullum, an nepos possit querelam movere, vel nullum dicere testamentum; vel bonorum possessionem petere, de eo vid. *Grassus d.* §. *q.* 25. *Caevall. qu.* 101. *Vasqu. in l. si pater C. de inoffic. testam. num.* 13. *Schraderus in Miscell. cap.* 15.

TITULUS XVII.

De Carboniano edicto.

L. Si tibi. 1.

SUMMARIA

An impuberi, cui quaestio status movetur, causa summarie cognita, perinde possessio detur, ac si nulla de ea re mota fuerit controversia? num. 1.
An judicium status in tempus pubertatis differatur? 2.
Haec bonorum possessio decretalis est et sine causae cognitione non datur. 3.
Casus legis. 4.

1 Hujus edicti haec summa est: Ut si cui impuberi quaestio status moveatur, an filius sit, causa summarie cognita, perinde possessio detur, ac si nulla de ea re controversia mota es-
2 set, ac ita judicium status in tempus pubertatis differunt, *Auct. in l.* 1. *ff. h. t.* Ratio in favore et imbecillitate pupillaris aetatis, nisi utilius esset pupillo, ut illa quaestio status sta-
3 tim decideretur, *l.* 3. §. 5. *ff. h. t.* Et ideo haec bonorum possessio decretalis est, et sine causae cognitione non datur. Hoc igitur edicto nitens,
4 mater loco filii impuberis res haereditarias a possessoribus vindicat. Sed hi ejus filio movent quaestionem status: Resp. Imper. praepostere facere matrem, debere enim ipsam non proprietatem rerum singularem petere, sed bonorum possessionem oblata cautione, si in adulta aetate probatum fuerit, ipsum non esse filium bona restitutum iri, *l.* 3. §. 1. *ff. de collat.* aut si hanc cautionem non offeret, vel praestare nequeat potest petere, ut in possessionem rerum haereditariarum pro parte haereditaria mittatur una cum adversariis, *l.* 1. §. 1. *ff. h. t. Don. lib.* 7. *cap.* 14. *lit. P. Coll. Argent. ad h. tit. th.* 8. *Petr. Gregor. lib.* 43. *tit.* 4. *num.* 9. *et seq.*

L. Carbonianum. 2.

SUMMARIA

Carboniano edicto quomodo sit locus? num. 1.
Huic edicto derogat edictum de ventre custodiendo. 2.

Carboniano edicto locus ita est, ut partus a 1
personis legitimis, i. e. proximis cognatis custodiatur, et quod hic partus ex uxore defuncti natus summarie probetur, et interim partus ex bonis nutriatur, licet ex ea alienus postea reperiatur, ita ut ad restitutionem alimentorum, non teneatur. Edicto tamen huic dero- 2
gat edictum de ventre custodiendo, quod tractat ad *hunc titulum Cujacius.*

TITULUS XVIII.

Unde vir et uxor.

L. Maritus. un. et Auth. Praeterea.

SUMMARIA

Uxor et maritus defuncti quando bonorum possessionem petere potuerint? num. 1.
Approbatum hoc edictum per praesentem constitutionem et actum per Nov. 117. cap. 5. et Auth. praeterea h. t. 2.
Quidnam velit et jubeat hoc edictum? 3.
Traditur hic materia de conjugum successione. 4.
An si dos exigua, adeo ut ex ea aumenta uxor habere non possit, neque alia habeat bona, locus sit huic Authenticae? 5.
Quid si uxor pauper, divitem vero patrem habeat, vel dos ampla, sed quae ad patrem revertatur. 6.
Hondedaeus *notatur.* 7.
Qualis inopia requiratur? 8.
Quid si forte ex testamento post mortem mariti opes consequatur. 9.
An matrimonium consummatum hic requiratur? 10.
An per liberos intelligantur etiam nepotes? 11.
Anne uxor cum ascendentibus et collateralibus succedat liberis deficientibus? 12.
An Nov. 53. cap. 6. *derogatum sit per* Nov. 133. cap. 5. in fin. 13.
Duplex est quarta in hac materia, alia in causa repudii sine causa missi, alia in causa inopiae. 14.
Verba de non petenda quarta, *quomodo locentur et intelligantur?* 15.
An maritus uxorem hac quarta *privare possit?* 16.
Quid si maritus tantum fere legarit, quantum ad alimenta sufficit an hoc supplementum ex hac Auth. *peti queat?* 17. 19.
Uxor legati titulo aliquid minus quarta accipiens in hoc habet proprietatem, sed in supplemento tantum usumfruct. 18.
Sed quid si dotem habeat, ea vero ob auctam dignitatem non sufficiat ad alimenta? 20.

Forsterus *notatur.* 21.

Mulier quartam illam non exigens a primi mariti haeredibus, an iterum nubens, licet jam non egeat, matrimonio tamen secundo soluto, si egeat, a primi mariti haeredibus adhuc eam petere possit? 22.

An etiam a secundi mariti haeredibus recte eam petat? 23.

An haec quarta etiam locum habeat in casu testamenti conditi? 24.

An et quatenus uxor ab initio congruenter dotata hanc quartam petere non possit? 25.

1 Qui tempore mortis est maritus vel uxor defuncti, *l. un. ff. h. t.* ille bonorum possessionem, deficientibus liberis parentibus et cognatis, petere poterat, §. 3. *et* 4. *Inst. de bon. possess.* quod tanquam Edictum Praetorium tantum approbat hic Imp. et nihil novi hic constituit, *Cothmannus vol.* 2. *cons.* 51. *num.* 53.
2 *seqq.* Quod postea per constitutionem hanc approbatum, hodie per *Nov.* 117. *cap.* 5. *et Auth.*
3 *praeterea h.t.* actum, ut si matrimonium sit indotatum, et uxor inops sit, cum posset esse sine dote, et tamen non sine opibus, *Cephal. cons.* 671. *n.* 16. et secundo locuples conjux relinquat maritum vel uxorem inopem, superstes etiam cum liberis, (sive illi communes sint, sive alterius matrimonii, quo tamen casu, si cum liberis alterius matrimonii concurrat, accipit proprietatem) succedat, ac si tres sint liberi, vel pauciores in quartam partem ususfructus, si vero plures, in virilem partem: si liberi nulli, cum cognatis totidem in quartam partem vel virilem proprietatis, si plures sint cognati, Vid. *Donell. et ibi Hillig. lib.* 9. *cap.* 1. *et Rittersh. in Nov. p.* 7.
4 *cap.* 17. Et ideo hic traditur materia illa de suc-
5 cessione conjugum. Ubi quaeritur: I. *Quid si exigua sit dos, ut alimenta ex dote habere non possit, nec alia habeat bona?* Et hoc casu locum esse *huic Authenticae* adeo dubium non est, quia parum aut nihil, plerumque aequiparantur, *Dn. Kohl. Vice-Cancell. de success. conjug. p.* 2. *num.* 29. *et* 44. *Hillig. in Don. l.* 9. *cap.* 10. *Treutl. et ibi Bacchov. vol.* 2. *disp.* 16. *th.* 6. *lit. D. Rittershus. d. part.* 7. *cap.* 17.
6 *num.* 8. *Forster. de success. l.* 9. *c.* 4. *num.* 7. *et seq. Dn. Richter. ad praesentem Authent. num.* 12. II. *Sed quid si Uxor pauper sed divitem patrem habeat, vel dos ampla, sed quae ad patrem revertatur?* Neutro casu uxorem pro paupere habendam esse putat *Dn. Kohl. d. l. num.* 21. *et Thoming. dec.* 40. licet dissen-
7 tiat *Honded. vol.* 1. *cons.* 93. *num.* 26. *et vol.* 2. *cons.* 79. *Auctor in l. un. ff. h. t. num.* 5. *et* 6.
8 Sed Quaeritur III. *Qualis inopia hic requiratur?* Id Arbitrio Judicis committendum tradunt *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 65. *et Rittershus. d. c.* 1. *num.* 6. *Kohl. d. l. num.* 38. *Hillig. d. l. lit. O.*
9 *Sed quid si post mortem mariti forte ex testamento consequatur opes?* Resp. attendi tempus mortis mariti, ideo nil nocet, si postea dives fiat, *Tiraq. in tract. cessante causa, limit.* 4. *n.* 2. *Surd. de alim. tit.* 6. *q.* 35. *num.* 45. *et Hillig. d. c.* 1. *lit. O. Cephal. cons.* 671. *num.* 35.
10 Sed *An matrimonium consummatum hic requiritur?* Affirm. *Kohl. d. l. num.* 8. et ratio hujus habetur in *Nov.* 53. *cap.* 6. *in fin. Hillig. d. l. Dn. Richt. ad hanc Auth. num.* 8. *et seq.* ubi id ex verbis Novellarum probat. Sed *per liberos an* 11
etiam nepotes intelliguntur? Aff. ut tamen plures ex uno nepotes unam personam repraesentent, *arg. l. liberorum* 220. *et l.* 84. *ff. de V. S. Forster. d. cap.* 4. *num.* 5. *Kohl. num.* 62. Sed
anne cum ascendentibus et collateralibus, succedit, liberis deficientibus? Affirm. Quia liberorum tantum exempli causa fit mentio, et procedit hoc argumentum a majori ad minus, *Carpz. p.* 3. *const.* 20. *def.* 13. *Kohl. num.* 65. *Rittershus. d. cap.* 17. *num.* 11. *et seqq.* et hoc casu vidua indistincte quartam habebit, *Grassus qu.* 40. *et seqq. Kohl. num.* 66. *Barry de success. lib.* 18. *tit.* 4. *num.* 11. Quamvis autem 13
nonnulli putent, *Nov.* 53. *cap.* 6. derogatum esse per *hanc Nov.* 117. *cap.* 5. *in fin.* ubi Imp. prohibet, ne maritus accipiat quartam ex bonis uxoris, ut post *Cujac. et Borch. Rittershus. d. l. num.* 9. Videtur tamen verius, non esse derogatum, cum in hac materia duplex sit 14
quarta a *Justiniano* introducta, prima in causa repudii sine causa missi, *l.* 11. §. 1. *C. de repud. Nov.* 22. *cap.* 18. ubi quarta usque ad 100. auri libras datur, estque hoc commune utrique conjugi, de qua *in Nov.* 53. *c. ult.* alia vero quarta est in causa inopiae in *d. Novell.* 117. quas quartas videtur confudisse *Molina tractact. de Just. et Jur. disp.* 164. *num.* 18. quas tamen melius distinguit *Kohl. num.* 80. Et quia successio conjugum debet esse mutua, eamdem extensionem videtur admittere *Nov.* 117. Atque sic 15
verba illa *de non petenda quarta* a marito ad proxime praecedentia, et ad eam speciem, quando vir uxorem indigne expulit, referri possunt commodissime, *Gail. lib.* 2. *obs.* 89. *num.* 5. *Kohl. d. l. num.* 70. *Don. lib.* 9. *cap.* 1. *lit. N.* Et hac 16
quarta maritus uxorem privare nequit, *Wesenb. in π. ff. h. t. et cons.* 87. *num.* 9. *Kohl. num.* 86. *Grassus qu.* 39. *Barry d. l. num.* 11. *Hillig. d. c.* 1. *lit. R. Hartm. Pist. part.* 1. *qu.* 31. *num.* 7. *Carpz. part.* 3. *const.* 7. *def.* 4. *et* 8. *et de jure foemin. decad.* 8. *position.* 3. *Berlich. part.* 3. *conclus.* 9. *num.* 45. *Dn. Richter. hic num.* 9. *c.* 45. Licet etiam fere tantum legarit 17
maritus, quantum ad alimenta sufficit, hoc tamen supplementum ex *hac Auth.* peti potest, tum per *d. Nov.* 53. *cap.* 6. *v.* 5. *Si tamen legatum, etc.* tum etiam, quia remuneratio conjugii bene transacti causa est, *Surdus de alim. tit.* 9. *qu.* 35. *Kohl. d. l. num.* 83. quando igi- 18
tur uxor titulo legati aliquid accipit minus quarta, in hoc habet proprietatem, sed in supplemento tantum usumfructum, *Kohl. d. l. num.* 112. aliter *Cephal. cons.* 224. *num.* 10. Et sic legatum in quartam hanc imputatur, quod etiam 19
in statutaria portione, quae in locum hujus quartae alicubi surrogata, nam cum in necessitatibus nemo liberalis praesumatur, legatum hoc in portionem statutariam imputandum. Quod communiter *DD.* tradunt, licet hoc *Corasius lib.* 3. *cap.* 1. *miscellan. num.* 10. ad casum hunc, si denuo nubat, restringat, cujus sententia non placet, cum si semel legatum una cum portione statutaria perceperit per secundas nuptias, hoc casu nullibi dicatur amittere. *Sed quid si dotem quidem habeat, sed ea* 20
ob auctam dignitatem ad alimenta non sufficiat? Locum facit *huic Auth. Forster. lib.* 9. *c.* 14. 21
cujus tamen sententia non videtur respondere intentioni Imperatoris, ideo verius videtur dotem sufficere, ex qua necessaria alimenta sumi

possunt, non quae ad ornatum faciunt, *Surdus de aliment. tit.* 9. *q.* 37. *et dec.* 6. *num.* 15. *Barry*
22 *d. t.* 4. *num.* 12. Mulier autem non exigens a primi mariti haeredibus quartam illam, iterum nubens, licet jam non egeat, matrimonio tamen secundo soluto, si egeat, potest a primi mariti haeredibus petere quartam, *Gratianus t.* 1. *disc. cap.* 120. *num.* 59. *Kohl. num.* 58.
23 *Barry num.* 12. et a secundi mariti haeredibus non potest quartam petere, quia facere potest, ne sit pauper, cum a primi mariti haeredibus habere possit, *Cephal. d. cons.* 244. *num.* 23. *et*
24 *seq.* Et hanc quartam locum habere volunt plerique etiam in casu testamenti conditi, licet hic de successione ab intestato sermo sit, *Cephal. cons.* 183. *num.* 14. quamvis *Ceph. cons.* 671. *num.* 20. videatur statuere, quod uxor, quae ab initio congruenter dotata, non possit petere quartam, quod intelligo si res dotalis seu 25
species in dotem data sine culpa perierit, vel nomen in dotem datum etiam sine culpa mariti factum fuerit inexigibile. Nam his casibus putarem viduam hanc posse petere quartam, quia tempore mortis mariti, quod hic attendendum supra dixi, indotata reperitur. Videantur de hac materia etiam alii praeter citatos, quos refert *Joan. de Castillo de usufr. c.* 45. *num.* 4. *Barbosa ad l. maritum* 13. *num.* 99. *ff. sol. matrim. Riminaldus vol.* 3. *cons.* 287. *Fachin. lib.* 10. *cap.* 72.

TITULUS XIX.

De repudianda bonorum possessione.

L. Emancipatus. 1.

SUMMARIUM

An emancipatus absente patrono causae bonorum possessionem sibi delatam repudians sub praetextu hoc absentiae eamdem semel repudiatam denuo agnoscere possit?

Emancipatus filius, si absente patrono causae, vel juris perito, bonorum possessionem sibi delatam repudiet, sub hoc praetextu absentiae patroni, bonorum possessionem semel repudiatam denuo agnoscere non potest, ratio dubitandi in *l.* 10. *ff. de bon. poss.* ubi si quis peritiores consulere non potuit, ignorantia juris non obest. Sed illa de repudiatione tacita, haec de expressa agit, cujus ratio decidendi in *l.* 4. *supr. de postuland.*

L. Filio. 2.

SUMMARIA

Dominus servo delatam possessionem bonorum repudiare potest. num. 1.

An pater filio in praejudicium ipsius delatam possessionem licite repudiet? 2.

Quale h. l. *inter filium et servum sit discrimen?* 3.

Quamvis dominus servo delatam bonorum pos- 1
sessionem repudiare possit, *l.* 1. §. 3. *ff. de success. edict.* non tamen pater in praejudicium 2
filii, ipsi delatam bonorum possessionem repudiare potest, vid. *l. ult. pr. C. de bonis quae liber. et l.* 11. *C. de jure delib.* alia enim ratio filii, alia servi. Nam servus non habet spem con- 3
sequendi illa bona, nisi per manumissionem et liberalitatem domini; filius vero etiam morte patris, secundum votum ejus spem consequendi habet, *l.* 11. *ff. de liber. haered. instit.* Sic ergo colligitur discrimen inter patrem et filium: filius potest in praejudicium patris bonorum possessionem, omittendo tempora agnitionis, nisi hoc faceret in fraudem patris, et hac intentione, ut patri praejudicaret; sed pater nec tacite, nec expresse bonorum possessionem in praejudicium filii repudiare potest, *Vasq. d.* §. *bonorum possessio. qu.* 15. *et seq. Fanc. Barry d. tr. de success. lib.* 11. *tit.* 23. *n.* 1. Conf. *Vasq. de success. res.* 1. *l.* 2. §. 18. *num.* 62. *et seqq.*

TITULUS XX.

De collationibus.

LL. 1. 7. et Auth. Ex testamento.

SUMMARIA

Causa impulsiva constitutae collationis a praetore. num. 1.

An jure Codicis facta fuerit collatio et quonam effectu? num. 2.

Quicquid in testamento testator non ademit, dedisse videtur. 3.

An hodie parente testaturo mortuo nihilominus collatio locum habeat et cur? 4.

Liberum est parentibus, uni liberorum plus relinquere quam aliis, modo illi non fraudentur in legitima. 5.

An etiam tacite remissio possit fieri? 6. 7.

Olim eodem tantum, hodie diverso jure succedentes conferunt. 8.

Postquam Praetor emancipatos liberos cum 1
suis admisit, vidit suos ita laedi, quia sui acquirebant bona labore suo quaesita patri, sed

emancipati aliis sibi retinebant, ideo Praetor edictum de collatione fecit, et jussit, ut emancipati quoque sua bona conferant, *l. 1. pr. ff. h. t. ibique Auctor, Sich. ad rubr. h. t. Wesenb. in π. ad hunc tit. ff. Bacchov. in Treutl. vol. 2.*
2 *disp. 17. th. 1. lit. F.* Sed jure Codicis non fiebat collatio, nisi aliquis intestatus mortuus esset, aut testatus quidem, sed sine effectu, dum forte testamentum per posthumum fuit ruptum, *l. 11. hoc tit.* aut contra Tabb. bonorum possessio pe-
3 tita, *l. 4. h. tit.* Quod enim testator in testamento non ademit, dedisse videtur, *l. 8. §. 7. ff. de pecul. legat.* et non praesumitur mutata
4 voluntas, *l. 22. ff. de probat.* Sed per *Nov. 17. cap. 6.* hodie, si pater testaturus mortuus est, collatio nihilominus locum habet, cujus rationem assignat Imper. quia incertum est, an pater facti sui oblitus, nullam in testamento de collatione datorum mentionem fecerit, an vero mortis angustiis praepeditus non expedierit, nisi pater eamdem remiserit vel prohibuerit, quia
5 liberum est parentibus uni plus relinquere, quam aliis, modo illi non fraudentur in Legitima,
6 *l. 8. supr. de inoff. testam.* Ergo remissio etiam tacite fieri potest, *Berl. part. 2. dec. 249. num. 3.* v. g. si pater in compensationem dotis primogenitae datae, secundae filiae aliquid praelegaverit, *Carpz. part. 3. Jurispr. const. 11. def. 24.* alia exempla tacitae prohibitionis habet *Ant. Fab. lib. 6. cod. tit. 4. def. 2. Fr. Barry*
7 *de success. lib. 17. tit. ult.* Et ideo cum iis non sentio, qui verbis disertis expressam semper prohibitionem requirunt, v. g. si pater dixit filiam suam debere hanc donationem habere praecipuam, quis non diceret prohibitam hic esse collationem? Et ita etiam sentiunt *Molina tr. 2. de J. et J. disp. 238. n. 6. Bacchov. d. l. th. 4. lit. B. et C. Perez in hunc titul. n. 6. Dn. Richt. hic*
8 *n. 4.* quamvis autem jure veteri conferrent tantum eodem jure succedentes, puta si succederent vel contra tabb. testamenti, vel ab intestato, unde Liberi, *l. pen. §. videamus ff. de bon. poss. contra tabb. l. 10. ff. de collat. dotis et h. l. 7.* hodie tamen collatio inter eos etiam locum habet, qui diverso jure succedunt, per *Nov. 18. cap. 16. et Auth. ex testamento h. t.* quae legem hanc primam sequitur, *Bart. in d. l. 6. Nemausensis de collat. qu. 32. Vasq. de success. resol. lib. 2. §. 19. num. 54. Fachin. lib. 5. c. 79. Barry d. l. 14. tit. 5. num. 4. Bacchov. d. l. th. 4. lit. E. et F.*

L. Si pater. 2.

SUMMARIA

Quaenam dos conferatur et quomodo? num. 1.
Exemplo illustratur. 2.
Ratio legis. 3.
Filia cum extraneo haeres instituta ad collationem dotis non tenetur. 4.

1 Dos conferenda est, nec tantum soluta, sed etiam promissa, *hic et l. 1. §. 1. ff. h. t.* hac ratione ut fratres illius, quae conferre debet, liberentur a necessitate praestandi dotem marito, ad quod alias obligarentur ut haeredes ex promissione defuncti, sed liberantur fratres pro
2 portione haereditaria, v. g. si pater habeat duos filios et unicam filiam, et huic promittat dotis nomine 300. quae non solvit; moritur pater, filia petit dotem, fratres excipiunt, ipsam debere dotem promissam conferre, aut ut filia fratres, pro besse scil. octo unciis per quietantiam liberet. Ratio 3
hujus legis est; quia aequius est ut ex sua portione dotem habeat filia quam ut petat a fratre, et postea iterum conferat, *Petr. Barbos. in l. si cum dotem 23. §. si pater num. 45. ff. sol. matr.* Unde diversum erit, si filia instituatur haeres 4
cum extraneo, nam tunc non tenebitur ad collationem dotis, ob cessantem rationem, *Jason. in l. si emancipati h. t. num. 20.* ubi pro portione haereditaria confundetur actio competens ex promissione dotis, et pro parte haereditaria coget cohaeredem ad solutionem dotis promissae, *Barb. d. l.*

L. Pactum. 3.

SUMMARIA

An pactum filiae, quo accepta dote paternae haereditati renunciat, valeat? num. 1.
An filia collata dote, non obstante hoc pacto haereditatem paternam recte petat? num. 2.
Ratio legis. 3.
Jure Can. valet jurata renunciatio. 4.
An etiam liberi renunciantis filiae sint exclusi? 5.
Ex pacto deferendae haereditatis non tantum non exurgit obligatio instituendi haeredem, sed ut contraveniens ad interesse non obligetur. 6.
De materna renunciatione, remissive. 7.

Pactum filiae, quo accepta dote paternae hae- 1
reditati renunciat, jure non valet, sed filia, non obstante tali pacto, haereditatem paternam 2
petere potest, collata tamen dote, vid. *l. 15. supr. de pact.* Ratio autem legis in utilitate 3
publica, ne sexus infirmioris et aetatis imbecillioris homines parvo accepto, futuro magno commodo renunciarent, et spe successionis abjecta parentem colere negligerent; Sed jure 4
can. jurata renunciatio valet, per *c. quamvis X. de pact.* quod accurate explicatum et tractatum a *Covarruvia*, per *quod cap.* nonnulli volunt, non exclusos esse liberos renunciantis fi- 5
liae, sed ab his recedit hic *Alex. num. 7.* eo quod nulla renunciatio haereditatis a filia fiat, quae non congruam dotem acceperit. Filiam etiam auctis patris post renunciationem bonis posse supplementum legitimae petere, tradit hic *Alex. num. 9.* de quo alibi dixi. Et haec, quae de pactis deferendae haereditatis passim inculcantur hic et *supra in tit. de pactis*, adeo vera sunt, ut ex tali pacto, non tantum 6
non exsurgat obligatio instituendi haeredem, sed ut contraveniens ad interesse non obligetur, *Carpzov. part. 3. const. 5. def. 22.* De materia renunciationis maternae et sic *de* 7
d. c. quamvis latissime hic agit *Dec. ad h. l. Cothman. vol. 2. cons. 99. et alii.*

L. Filiae 4.

SUMMARIA

Emancipati filii nihil sibi invicem conferunt. num. 1.

Casus exceptus. 2.
Differentia inter suos et emancipatos in hac materia. 3.
In duobus legi huic derogatur. 4.
Filia quamnam dotem suis et quam emancipatis conferat? 5.
De quanam filia textus hic intelligatur? 6.
De quanam hic agatur dote? 7.

1 Quamvis emancipati filii alias sibi invicem ni-
2 hil conferant, *l.* 9. *h. t.* excipitur tamen hic casus, si filia dotem acceperit, quam, si profectitia seu a patre profecta dos sit, emancipatis conferre tenetur, quia ex causa officii paterni hoc datum et bona paterna minuit; sed suis liberis, i. e. qui in potestate patris permanserunt, talis filia dotem profectitiam et adven-
3 titiam confert. Ratio diversitatis inter emancipatos et suos haec est; Quia sui semper sunt in obsequio parentum, et omnia, certo tamen modo, acquirunt parenti: Ergo majori favore digni sunt. Sed quae hic de adventitiis dicta sunt, interpretationem et distinctionem recipiunt ex *l.* 17. *h. tit.* Vid. *Treutl. et ib. Bacch. vol.* 2.
4 *disp.* 17. *th.* 5. *lit. C.* Et sic in duobus huic legi derogatur. I. Quod in *principio legis* collationem ad casum intestati vel eversi testamenti restringit lex, nam hodie etiam ex testamento locum habet, per *Auth. ex testamento supr. h. t.* II. Quod dos adventitia hic sit conferenda, quae tamen hodie non confertur, per *l. fin. h. t. Barry d.*
5 *l.* 14. *tit.* 3. *num.* 1. Et hoc itaque in *hac lege quarta* deciditur, quod filia utramque dotem suis, sed profectitiam tantum aliis emancipatis conferre teneatur. Et quamvis alias emancipati sibi non conferant, excipitur tamen hic dos profectitia, quae ex necessitate vel ex pietate paterna datur, *Bacch. in Tr. d. disp.* 17. *th.* 5.
6 *lit. C.* Et quamvis dubium sit, an de emancipata filia, an vero de ea, quae in patris potestate tempore mortis fuerit, ac *Alexand.* nec non *Decius* de sua hanc legem videatur intelligere, *Bacch.* tamen *d. l.* de emancipata intelligit, et putat, non hic decidi quaestionem;
7 Quam vero dotem suae conferant suis, vel emancipatis, hoc ex aliis textibus sumendum, et quidem ex *l.* 1. §. *si sub* 7. *ff. de collat. dotis,* et *Petrus Barbosa ad l.* 2. §. *quod si in patris num.* 22. *ff. sol. matrim.* intelligit hanc legem de dote adventitia tali, quae quidem origine est profectitia, sed exitu et in effectu adventitia, v. g. si pater dedit dotem, ut in solidum esset filiae, vel propter merita filiae.

L. Dotis. 5.
et Auth. Quod locum.

SUMMARIA

Soror dotem etiam marito datam fratribus in potestate existentibus conferat. num. 1.
Quomodo conferre istam possit quam nec a marito petere possit? 2.
Res ipsa est conferenda, nec aestimatio sufficit. 3.
Casus ab hac regula excepti. 4.
In dote numerata consumpta quid juris? 5.
Quando uxori culpa in non exigendo possit imputari? 6.
Ea etiam in collationem veniunt, quae culpa nostra sunt amissa. 7.
Studiosus pecuniam ad studia missam male prodigens conferre tenetur. 8.
Sive sit minorennis, sive non. 9.

Soror dotem confert fratribus, qui in pote- 1
state patris manserunt, etiam si dos data marito, et nec dum (constante quippe matrimonio) competat repetitio dotis. Sed *Quomodo* 2
uxor potest conferre dotem sibi non datam et quam nec a marito petere potest? Resp. Tantum ex bonis paternis potest remittere, quantum in dotem maritus accepit, *hic et l.* 1. §. 12. *ff. h. t.* et sic imputat totam dotem in portionem suam haereditariam. Et sic mulier constante matrimonio dotem debet conferre non realiter, sed tantum remittendo in bonis paternis, quantum erat conferendum, *Cujac. ad h. tit. tom.* 3. *pag.* 670. *Carpzov. p.* 3. *jurispr. const.* 11. *def.* 14.
Colligitur ex *hac leg.* Rem ipsam regulariter 3
conferendam esse, nec sufficere, si ejus aestimatio conferatur, per *l.* 1. *pr. ff. h. t. et l.* 2. §. 2. *ff. de reb. cred.* nam si aestimatio posset regulariter conferri, non esset id hic speciale in dote marito data nondum restituta. Et sic sentiunt *Valascus de partit. c.* 14. *num.* 2. *Fr. Barry d. l.* 14. *tit.* 3. *num.* 6. ubi nonnullos casus excipit: 1. est in *hac lege*: 2. In libris Schola- 4
rium: 3. In re alienata, quae conferri debebat: 4. In re aestimata in dotem data, quo casu respicietur ea aestimatio, quae fuit tempore mortis patris, *Afflictus decis.* 247. *Modest. Pist. quaest.* 152. *num.* 5. *Carpzov. d. const.* 11. *def.* 11. Licet in dote numerata consumpta aliud statuat 5
Barry d. l. 7. quod tamen superius dictum, scilicet mulierem debere tantum remittere in bonis paternis, quantum in dotem accepit, id hoc tamen limitatur in *Auth. subjecta*; Nisi maritus non sit solvendo, et nulla uxori possit imputari culpa, cur marito ad inopiam vergente, dotem non exegerit, *l.* 29. *supr. de jure dot.* et hoc casu nuda actio conferetur, *Carpzov. p.* 3. *const.* 11. *def.* 14. Sed *Quando potest uxo-* 6
ri imputari culpa in non exigendo? Resp. Si in ipsius facultate fuit dotem exigere, v. g. Si 1. Filia nupta sui juris sit, (ut hodie de consuetudine semper,) et legitimae aetatis, aut 2. Si filiafam. quidem sit, sed ei a patre data facultas, ut exigeret, aut 3. Dos aliunde quam a patre profecta, aut 4. A patre quidem profecta, sed magnae sit quantitatis per *hanc Auth.* quo casu tamen interpellandus pater et eo negante et cunctante filia sola aget, *Dn. Ricter. hic n.* 24. magnam autem dotem ex arbitrio judicis aestimandam esse tradunt communiter *DD.* E. g. dotem mille florenorum satis magnam esse tradunt *DD.* quos refert *Pruckmannus vol.* 1. *cons.* 4. *num.* 92. Vid. *Afflict. d. d.* 247. *Escobar. de ratiocin. t.* 2. *cap.* 18. *Barry d. tit.* 3. *num.* 7.
Collige: Ea etiam in collationem venire, quae 7
culpa nostra amissa sunt, v. g. si studiosus pe- 8
cuniam ad studia missam male prodegerit *Br. hic Gilken. hic num.* 2. *Alex. ad Auth. hanc num.* 8. *Hartm. Pist. part.* 1. *quaest.* 19. *n.* 6. *Carpzov. part.* 3. *const.* 11. *def.* 18. *in fin.* Et hae impensae male dilapidatae, abusive et male expensae studiorum, melius expensae luxus et luxuriae dicuntur, *Bacch. d. th.* 5. *lit. h.* de quo etiam ad hanc Authent. prolixe agit *Gilkenius.*

9 Nec hic distinguo inter aetatem. Nam quod de minorenni uxore dicitur, quod tunc ob culpam amissa dote teneatur eam conferre, locum habet in culpa omissionis. Sed hoc ad juvenem patrias pecunias turpiter dilapidantem accommodare non licet, qui, licet minor, scit tamen et scire debet, ad quem finem pater pecunias transmiserit, ideoque in dolo est, et ei parci non debet, et iniquissimum est ut fratres et sorores in effectu ex parte de suo solvere teneantur, quod hic putativus studiosus turpiter perdidit.

LL. 6. 13. et 15.

SUMMARIA

Emancipatus quaenam bona conferat? num. 1. 9.
In Falcidia computanda tempus mortis attenditur. 2.
Obligatio cum conditione facta ante ejus impletionem nulla est. 3.
Cautela filii. 4.
An illa subsistat? 5.
Discrimen inter bona profectitia, et ea, quae tantum sunt in peculio. 6.
An simplex donatio filiofam. facta, que statim non valet, sed morte confirmatur, conferenda sit? 7. 10.
Sensus vocabuli donationis *hoc loco.* 8.

1 Emancipatus tantum tenetur conferre bona, quae habuit tempore mortis paternae, aere alieno deducto. Ratio in *l.* 39. *ff. de verb. signif.* quae autem post mortem patris acquiruntur, non conferuntur, *Saporta de collat. c.* 4. *n.* 48.
2 *Barry d. l.* Ratio autem legis est, quia in Falcidia etiam computanda tempus mortis attendimus, *l. in quantitate* 73. *ff. ad L. Falcid.* et legitima liberorum, *l.* 6. *supr. de inoff. test.* Et ea tantum acquisivisset patri, quae, si in potestate mansisset, tempore mortis paternae jam adquisita fuissent. Post mortem autem patris acquisita non conferuntur, *l.* 13. *et* 15. *h. t.* nisi sub conditione ante mortem patris per contractum fuerint promissa, *l.* 2. §. 3. *ff. h. t.*
3 Quamvis enim ante conditionem impletam nulla sit obligatio, *l.* 213. *ff. de V. S.* Jus tamen ob initio quaesitum est, ideo secus in legatis
4 conditionalibus, *l.* 18. *ff. de reg. jur.* Et hinc cautelam nonnulli tradunt, ut filius ea quae a patre accepit, alienet, et filiae in dotem det, quam tamen cautelam sine fraude esse debere, tradunt *Caepoll. cautel.* 16. *et Barry d. tit.* 3.
5 *num.* 7. Sed non puto hanc cautelam subsistere, nam alienatis etiam bonis titulo oneroso, quae conferenda erant, collatio non excludetur, quia
6 locupletior redditus. Sed hoc loco discrimen constituendum, inter profectitia, quae acquiruntur filiae vel filio, et inter ea, quae tantum sunt in peculio, nam quae propria efficiuntur filiae, proprie conferuntur, sed profectitium peculium non tam confertur, quam una cum caeteris bonis parentis, a quibus nunquam separatum fuit, dividitur, et de his vox *collationis* improprie accipitur, per *l.* 12. *h. t. Molin. de J. et J. tr.* 2. *d.* 237. *num.* 9. Sed Quaeritur
7 hic, *An simplex donatio filiofamilias facta, quae statim non valet, sed morte confirmatur, conferenda sit?* Quod videtur affirmandum per *l.* 13. Sed communiter negatur, per *l.* 18. *supr. fam. hercisc. et l.* 2. *supr. de inoffic. donat.* ideo vocabulum *donationis* hic de concessione 8
in peculium explicandum est, ut in *l.* 31. §. 2. *ff. de donat. et l.* 37. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin. Michalorius de fratribus lib.* 1. *c.* 17. *n.* 10. *Bacch. in Tr. vol.* 2. *d.* 17. *d.* 5. *lit. g.* Dixi me loqui de donatione, quae filiofamilias facta est, nam de ea quae emancipato facta est, non est 9
dubium, eam conferendam, *Fachin. l.* 5. *cap.* 80. *Valascus d. c.* 13. *num.* 88. *Barry d. l.* 14. *tit.* 4. *num.* 3. Dixi etiam, quae ab initio invalida est, nam si valida statim sit, ea omnino conferenda, *Fach. lib.* 6. *c.* 64. *et Barry d. l.* quod 10
autem donatio simplex, quae morte confirmatur, non sit conferenda, apparet ex *l. pen.* §. 1. *h. t.* ubi specialis casus habetur, quo confertur, et donatio haec aequiparatur legatis, et ita sentit *Fachin. lib.* 5. *c.* 80. *Wesenb. in* ϖ. *de dotis collat. num.* 2. *Treutl. d. D. th.* 5. *lit. G. Petr. Greg. lib.* 28. *tit.* 9. *Covarr. ad c. Rainaldus* §. 2. *de testament. Molin. disp.* 213. *num.* 7. alias limitationes *in d. l. pen.*

L. Si soror. 8.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Et fraus sororis et imperitia fratris formam jurisdictionis in collatione facienda mutare non possunt. 2.
Collatio in divisione haereditatis omissa officio judicis potest fieri. 3.
An quandocumque verba legis ad judicem referuntur, ejus officium insinuetur? 4.

Si, collatione dotis de errore vel fraude non 1
facta, bona sunt extrajudicialiter vel judicialiter divisa, officium judicis erit denuo auditis partibus sororem ad collationem dotis compellere, quia dos conferenda pars haereditatis esse videtur, vid. *supr. l.* 1. *fam. hercisc.* Et fraus so- 2
roris, et imperitia fratris, jurisdictionis formam in collatione facienda mutare non potest, *l.* 20. *ff. fam. hercisc.* Colligunt; collationem, in di- 3
visione haereditatis omissam, officio judicis fieri posse, quia verba legis referuntur ad judicem; Quandocumque autem verba legis ad judicem 4
referuntur, officium judicis insinuari, tradunt *hic DD.* quod limitat *hic Decius*, Si verba impersonalia, si executionem respiciant etc.

L. Si emancipati. 9.

SUMMARIA

Emancipatus nihil confert emancipato. num. 1.
Limitatur. 2.
An lex haec recte a DD. ad donationem simplicem restringatur? 3.
Suo confert emancipatus. 4.
Quatenus et in quibusnam casibus jure nostro collatio locum habeat? 5.
Quid juris hodie circa emancipatum, et an emancipato conferat? 6.

Qui semel in potestate fuit, nec emancipationem probat, adhuc in ea esse praesumitur. 7.

1 Emancipatus emancipato nihil confert, quia alter alteri nullum affert incommodum, nec alter altero plus juris habet in bonis paternis,
2 *Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 3. Exceptio habetur in *l.* 7. *h. t.* in dote et donatione propter nu-
3 ptias, et ideo *hanc legem DD.* recte ad dona-
4 tionem simplicem restringunt. Sed emancipatus
5 confert suo. Notandum hic: jure nostro collationem locum non habere, nisi inter descendentes, quando ascendentibus succedunt, et quidem inter illos descendentes, qui legitimam petere possunt, quod *hic Glossa et DD.* pluribus persequuntur. Unde si filius instituatur haeres, et ex eodem filio nepos, quia hic vivente patre nullam petere potest legitimam in bonis avi, ideo inter hos nulla collatio, *Mol. disp.* 237.
6 *num.* 5. Sed hoc Quaeritur: *An hodie emancipatus emancipato conferat?* Quod nonnulli probare volunt ex *l.* 17. *h. t.* Sed quicquid sit de *d. l.* 17. puto sententiam illam non esse iniquam; quia Imperator aequalitatem inter liberos tueri voluit, et in usu fori non videmus distingui inter suos et emancipatos, et ista statuunt *Cagnol. ad hanc l. num.* 155. *et seqq. et Nemaus. de collat. c.* 2. *num.* 4. *Valasc. de partit. c.* 12. *num.* 15. *et seqq. Barry d. tit.* 1. *num.* 1. licet neget *Fachin. lib.* 5. *c.* 77. *et Saporta*
7 *d. tr. c.* 4. *num.* 56. Ex verbis textus (probatum fuerit) colligunt *DD.* quod si quis semel fuerit sub poteste patria, quod tunc praesumatur esse adhuc, nisi emancipationem probaverit, et ideo licet se pro sui juris homine gerat, non relevabit haec quasi possessio libertatis a probando, quia huic quasi possessioni obstat praesumptio juris, *Petr. Barb. ad l. Titia num.* 13. *et seq. ff. sol. matrim.*

L. A patre. 10. et L. Filiam. 16.

SUMMARIA

An ea, quae filiae in codicillis relicta, conferri debeant? num. 1. 2.
Ad obst. Nov. 18. *respondetur.* 3.
Quid si legata pater vivus dederit, anne tunc a filia conferantur? 4.
Filia dote contenta non tenetur adire haereditatem, sed potest dicere, se nolle esse haeredem patris. 5.
Quicumque non haeredis titulo succedit, ea, quae singulari titulo acquirit, conferre non obligatur. 6.

1 Filia ad collationem urgeri non potest in iis, quae in codicillis relicta accepit. Ratio in *l.* 10. *h. t.* quod hoc extero jure capiat, i. e. ut extranea, cum hoc emolumentum non consequatur ut filia jure successionis ab intestato, sed ut extranea, per expressam patris voluntatem, si enim legato aliquo contenta est filia, nec vult adire paternam haereditatem, non opus habet
2 collatione. Notetur ergo regula: Quod ea, quae in codicillis, ut legata vel fideicommissa singulari titulo relicta sunt, in collationem non veniant; Nec obstat *Nov.* 18. Ea enim, quae olim non 3
conferebantur per eam *Nov.* non subjiciuntur collationi, sed tantum causa intestati ad causam testati extenditur. Dotem autem omnino confert, *l.* 16. *h. t.* quia hanc accepit ut filia. Sed Quaeritur: *Quid si pater vivus legata dederit, anne tunc conferentur?* Quod affirmant non- 4
nulli, quia tunc in donationem inter vivos transiit. Sed rectius hoc negatur, quia non fit donatio inter vivos, *arg. l.* 20. *ff. ad l. Falcid. Barry d. tit.* 4. *num.* 1. Probatur ex *his legibus*, filiam dote contentam, non teneri adire 5
haereditatem, sed posse dicere, se nolle esse haeredem patris, ut ex *hac lege et l.* 4. *ff. de collat. dotis*, *Auct. in l. fin. ff. de collat. dot. num.* 1. 2. *Schepliz. de consuet. march. p.* 3. *tit.* 3. §. 13. *num.* 25. *et Dn. Carpzov. dec.* 166. quicumque ergo non titulo haeredis 6
succedit, non tenetur conferre, si aliquid titulo singulari capiat, *Nemaus. d. tr. cap.* 1. *num.* 4.

L. Posthumo. 11.

SUMMARIA

Posthumi non sunt sui haeredes. num. 1.
An emancipati etiam posthumis bona sua et quaenam conferant? 2.
Posthumus in commodis pro jam nato habetur 3.
Nolenti conferre denegatur actio. 4.
Actiones istae quaenam? 5.

Quamvis posthumi non sint sui haeredes, §. 1
2. *Inst. de haered. qual.* et emancipati suis tantum conferant, *l.* 1. *ff. h. t. ibique Auct. num.* 3. quia tamen eadem suorum et posthumorum ratio est, si posthumus rumpat testamentum, et emancipatus petat bonorum possess. unde liberi, hic posthumo merito confert sua bona post 2
emancipationem acquisita, quia posthumus in 3
commodis pro jam nato habetur tempore mortis paternae, *l. qui in utero ff. de stat. homin.* Nota bene; Nolenti conferre, denegari actionem, *hic* 4
et l. seq. et l. 1. §. 10. *et* 13. *ff. h. t.* Quae actiones sunt: Petitio haereditatis, bonorum 5
possessio contra tabulas, querela, etc.

L. Filiae. 12.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Peculium Castrense et legatum non conferuntur. 2.
An aliud peculium paganum? 3.
Collatio proprie eorum est bonorum, quae sunt conferentis propria. 4.
Filius habens peculium profectitium, mortuo patre, an retinere possit nec conferre debeat. 5.
Quid si peculium illud sit consumptum ac extinctum? 6.

Reliquit quidam filiam et duos filios, filia ac- 1
cepit dotem, filiorum alter habet peculium Castrense, alteri pater quid in codicillis legavit, hic dicitur filiam debere dotem fratribus suis

conferre, imo debere collationem dotis offerre, ne ei. denegentur actiones haereditariae, filios vero peculium Castrense et legatum conferre non teneri, ratio in *l.* 10. *h. t.* Quia filii habent haec titulo et jure singulari, ut quilibet extra-
2 nei. Nota, peculium Castrense, *Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 17. et legatum non conferri, de his
3 ad *l.* 10. actum, de illis ad *l. fin.* Sed aliud peculium paganum tenetur in divisionem haereditatis, ut ita loquar, conferre, si adhuc extet, unde apparet peculium profectitium non conferri, nam morte patris desinit esse peculium, et caeteris bonis paternis adglutinatur, et dividitur ubicumque ea bona reperiantur, proprie
4 vero collatio est eorum bonorum, quae sunt propria conferentis, *Cujac. ad hunc tit. p.* 674. *Molin. de J. et J. disp.* 237. *num.* 9.
5 Filiusfamilias habet peculium profectitium, mortuo patre, filius id vult retinere et a parentis haereditate abstinere, Quaeritur, *An possit?* Videtur quod sic, quia filia dote contenta potest abstinere ab haereditate; Sed negatur: Quia haec non est collatio, sed bonorum paternorum restitutio, ut acervus ille bonorum paternorum inter liberos dividatur, *Gl. hic* in verb. *non possint, Gl. in l. certum C.*
6 *famil. hercisc. Molin. d. l.* Sed quid, si peculium profectitium sit consumptum ac extinctum? Resp. Si sine culpa filii periit, nec in ejus utilitatem conversum, tunc non est conferendum juxta *Alex. hic in fine.* Sed si culpa filii periit vel utiliter consumptum, tunc eatenus, quatenus locupletior redditus, conferre debet.

L. Si maritus. 14.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An amita adhuc dotem fratris sui filio conferre teneatur? 2.
Jus conferendi transit in haeredem active et passive. 3.
An etiam ad haeredem extraneum? 4.

1 Reliquit aliquis filium et filiam, filius successit patri ab intestato, et vult etiam admittere sororem suam, si ea conferat dotem, quod haec recusat, interim filius moritur relicto filiolo haerede, contra quem agit amita ejus judicio fami-
2 liae herciscundae; Quaeritur; *An amita adhuc dotem conferre teneatur fratris sui filio?* Quod affirm. ut haec necessitas etiam ad haeredem
3 transeat, *l.* 2. *ff. pr. h. t.* Sic ergo jus conferendi transit in haeredem active et passive, *Fachin.*
4 *lib.* 5. *cap.* 80. *concl.* 13. Et hic transit ad haeredem etiam extraneum, *Petr. Gregor. lib.* 46. *Syntagm. tit.* 8. *num.* 26. *Simon de Praetis de int. ult. volunt. lib.* 3. *int.* 1. *dub.* 5. *sol.* 4. *num.* 40. quos allegat *Barry d. lib.* 14. *tit.* 1. *num.* 4.

L. Ut liberis. 17.

SUMMARIA

Emendantur hic jura aliquot vetera. num. 1.
An donatio propter nuptias exemplo dotis sit conferenda? 2.
Donatio haec est ejusdem rationis cum dote, et easdem limitationes recipit. 3.
Omnis donatio ob causam quae simplex non est, debet conferri. 4.
Dos tam a patre et avo paterno, quam a matre et aliis ascendentibus data, seu profecta in successione matris conferatur. 5. 6.
In successione aequalitas observatur. 7.
Quoties collationem petens incommodo afficitur, toties quoque locum habet collatio. 8.
Hodie in collationem venit quicquid non est prohibitum. 9.
Inter ascendentes, quo jure succedant, non attenditur. 10.

Haec constitutio aliquot jura vetera emendat. 1
Nam 1. Donationem propter nuptias exemplo 2
dotis conferendam esse constituit, quia et haec donatio ex causa est, *Auct. ad rubr. ff. de collat. dot. num.* 1. *et seqq.* Est enim haec donatio 3
ejusdem rationis cum dote, et easdem limitationes recipit, *Nemaus. qu.* 11. Et ideo omnis 4
donatio ob causam, quae simplex non est, debet conferri, *Molin. disp.* 238. *num.* 3. - 2. Ut emancipati sibi invicem conferant. Sed hoc dubium est, an ex hac lege probari possit, cum ad alias leges se referat. 3. Ut dos non tantum 5
a patre data, aut avo paterno, sed etiam a matre aut aliis ascendentibus data conferatur, quando matri succeditur, *Auct. in d. rubr. de collat. dot. num.* 2. quia profectitia hic dos dicitur ratione ejus, cui succeditur, et si quando matri succeditur, ab hac profecta dos profectitia est, *Barry d. l.* 14. *tit.* 3. *num* 2. - 4. Ut 6
dos, quae a patre aut matre, aliisve ascendentibus profecta conferatur, quorum omnium ratio est, ut in successione aequalitas observetur, 7
l. 1. *pr. ff. de coll. Hart. Pist. p.* 1. *qu.* 19. *num.* 5. *Carpz. p.* 3. *const.* 11. *def.* 23. et quia toties locum habet collatio, quoties incommodo 8
afficitur is, qui collationem petit, *l.* 1. §. *pater filium* 4. *l.* 10. *pr. ff. h. t.* Et hodie igitur in 9
collationem veniet quicquid non est prohibitum, cum *Ant. Fabro Carpzov. d. const.* 11. *def.* 34. Ex hac lege etiam probatur, inter ascendentes 10
non attendi, quo jure succedant, ut contra *Baldum cum aliis* tradit *Michalorius de fratribus l.* 1. *c.* 16. *per totum.*

L. Liberos. 18.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Quocumque jure vel modo quis sui juris efficiatur sive per emancipationem, sive per rescriptum, sive per dignitatem, conferre suis fratribus tenetur.

L. Illam. 19. et Auth. Quae tertiae.

SUMMARIA

Nepotes ex filio et filia quomodo avo succedant? num. 1.

An hi nepotes sibi invicem conferre teneantur? 2.
An nepos dotem, quam matri suae dedit, conferat? 3.
An nepotes soli existentes jure repraesentationis, an proprio jure conferre teneantur? 4.

1 Habebat quis filium, et filiam, et ex utroque
praemortuo nepotem, quaeritur: *Quomodo hi
nepotes avo succedant?* Resp. nepotem ex filia
succedere avo, cum diminutione tertiae partis,
§. *pen. Inst. de success. ab intest. et l.* 9. *C. de
suis et legit. haered.* sed haec diminutio trientis
per *Nov.* 18. *cap.* 4. est sublata, ita, ut hodie
nepotes ex filio et filia aequaliter avo succedant,
sive ex filia, sive ex filio nepotes descendant,
sive ab intestato succedant, sive testamento facto
quidam praeteriti, *Dn. Richter. hic num.* 8.
2 *et seq.* Sed porro Quaeritur: *An hi nepotes sibi
invicem conferre teneantur, cum de eo
hactenus nihil constitutum?* Sed Justinianus illis
personis collationem injungit, ut servetur aequalitas.
Et ex §. *ult. hujus legis* probatur eorum
3 sententia, qui statuunt nepotem debere conferre
dotem matri suae datam, quia expresse
hic dicitur, nepotes dotem vel donationem propter
nuptias parentum in successione avi debere
conferre, et ita sentiunt *Thesaur. dec.* 237.
num. 3. *et* 6. *Rauchbar. p.* 2. *qu.* 18. et quos
allegat *Carpzov. part.* 3. *constit.* 11. *def.* 31. *et
Fachin. lib.* 5. *cap.* 78. *Valascus d. c.* 12. *num.*
52. *Barry d. l.* 14. *tit.* 4. *num.* 5. Sed si soli
4 nepotes sint, an illi jure repraesentationis, an
proprio jure conferre tenebuntur? Et videtur
mihi jure repraesentationis collatio fieri debere,
Conf. *P. Barbos. in l. post dotem num.* 52. *et
seq. ff. sol. matr.* Ex *l. illam* 19. nonnulli voluerunt
probare, aviam repraesentare filiam, quod
absurdum esse dicit *Cephalus cons.* 663. *num.*
20. *et seq.*

L. Illud. 20.

SUMMARIA

Omnia inter vivos data, quae in legitimam seu quartam imputantur, jus quoque collationis admittunt. num. 1.
Militia quidnam sit. h. l.? 2.
In collatione attendendum est, non quanti valuerit res cum emeretur, sed quanti valeat tempore collationis. 3.
Distinguitur inter vendibilia et transmissibilia officia et non vendibilia. 4.
Circa militiam subdistinguitur. 5.
In quonam discrimen? 6.
Superior regula limitatur. 7.
Specialis casus, quo donatio simplex soleat conferri. 8.
Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. 9.
An huic regulae per Nov. 18. cap. 6. *derogetur?* 10.
Inter liberos, ut aequalitas servetur, an ea etiam, quae alias non conferuntur, conferri debeant? 11.
An uxor ex statuto marito succedens liberis et hi illi conferre teneantur? 12.

1 Omnia, quae inter vivos data (nam in relictis
haec regula falleret) quae in quartam seu
legitimam imputantur, ea etiam jus collationis
admittunt, v. g. Militia, quae hoc loco significat 2
officium venale, et ordinarios et certos reditus
habens, ex quo lucrum quaesitum, nec
castrensis nec quasi castrensis peculii loco est,
Vid. *Molin. disp.* 241. *Barry d. l.* 14. *tit.* 4. *n.*
17. *Valasc. de part. c.* 13. *num.* 60. *Bacch. in
Tr. vol.* 2. *disp.* 17. *th.* 5. *lit. H.* et hoc loco
aestimatur pretium militiae tempore mortis
ejus, cui succeditur, unde notant: In collatione 3
attendendum esse, non quanti valuerit res
cum emeretur, sed quanti valeat tempore collationis.
Et quidem distingui solet etiam inter 4
vendibilia, atque transmissibilia officia et non
vendibilia; deinde illo casu subdistinguitur, 5
utrum militia a parente sit empta et tradita filio,
et tunc aestimatio officii, quae tempore
mortis reperitur, conferenda; aut vero pecunia
data filio ad emendam, et tunc haec pecunia
tantum conferenda, *Cov. lib.* 3. *resol. c.* 19.
num. 4. *et seqq. Ant. Gomez ad leg. Tauri* 29.
num. 21. *Molin. disp.* 241. *num.* 3. Discrimen 6
est in eo; Quod priori casu, non quanti officium
fuit emptum, sed quanti reputatur valere
secundum reditus, qui ex eo percipiuntur,
et debet aestimatio fieri juxta tempus mortis,
Valasc. d. c. 13. *num.* 61. *Garcias de expens.
c.* 4. *num.* 14. *Barry d. l.* 14. *tit.* 4. *num.* 19.
Sed regula superior limitatur in iis liberis, qui 7
injuste exhaeredati, legitimam suam petunt per
querelam; cum eo enim mitius agendum, qui
nihil praeter quartam accepit ad eum effectum,
ut excludatur a querela, quam cum eo
qui succedit ab intestato, Vid. *Bacch. d. disp.
th. ult. lit. A.*

§. 1. Est specialis casus, quo donatio simplex 8
confertur, quando sc. aliis liberis quidem dos
vel donatio propter nuptias data est, (quam
conferre omnino oportet) dum si alteri simplex
donatio facta sit, is fratribus, sororibusve dotem
vel donationem propter nuptias conferentibus,
simplicem quoque donationem conferre tenetur,
quia alias emergeret inaequalitas; praeter hunc
autem casum donatio simplex non conferetur:
quia exceptio firmat regulam in casibus non 9
exceptis, quod nec abrogatur *Nov.* 18. *cap.* 6. 10
ubi non agitur de bonis conferendis, sed quod
collatio etiam in causa testati locum habeat.
Collige ergo *ex hoc* §. ut servetur aequalitas 11
inter liberos, ea etiam conferri, quae alias non
conferuntur, *Hart. Pist. p.* 1. *q.* 19. *num.* 10. *Carpz.
p.* 3. *const.* 1. *def.* 15. An etiam baptismalia
(Pathengeld) conferuntur? *Auct. in l.* 1.
ff. h. t. num. 23. Et *ex hoc* §. Communiter probant
sententiam supra propositam, quod donationes
factae a patre liberis in potestate constitutis,
non conferantur, quia non nisi morte
confirmentur, et sic sint instar relictorum et
legatorum, quae non conferuntur, quod limitare
solent *ex hoc* §. item si donationem sequatur
emancipatio, nam sic donatio non per mortem,
sed per emancipationem confirmatur; item limitant,
nisi suo et emancipato filio simul donet;
sic etiam fructus ante confirmationem a
filio perceptos conferri debere volunt, de quibus
limitationibus *Michalorius de fratribus l.*
1. *cap.* 17. *Fachin. l.* 6. *cap.* 64. *et multi alii.*
Et exinde probabilis redditur sententia eorum, 12
qui statuunt, quando ex statuto mulier succedit
marito, quod tunc mater liberis, et hi illi
conferre teneantur, licet alias inter descenden-

tes collatio tantum locum habeat, *Kohl. ad const. March. q.* 13. *Dn. Carpz. d. const.* 11. *def.* 28. *Scheplitz. in cons. March. p.* 3. *tit.* 3. §. 13. *num.* 1. *et seq.*

L. Ut nemini. ult.

SUMMARIA

Bona liberorum adventitia quoad proprietatem liberis, quoad usumfructum parentibus acquiruntur. num. 1.
An haec bona conferenda sint? 2.
Sola profectitia conferuntur. 3.
Profectitia sunt duplicia, alia vere, alia quasi. 4.
Ea tantum conferuntur, quae habentur ab eo, cui succeditur. 5.
Profectitia iterum vel sunt in peculio, vel filii propria. 6.
Quaenam inter haec conferantur? 7.
Collatio hodierna. 8.
Quae a Principe intuitu patris sunt donata, ad castrensia pertinent. 9.

1 Bona liberorum adventitia, i. e. quae aliunde, quam a patre ad liberos pervenerunt, quoad proprietatem liberis, quoad usumfructum parentibus acquiruntur, §. 1. *Inst. per quas person. etc. et l.* 6. *C. de bon. quae liber. etc. Auct. in l. fin. ff.* de *haered. petit. num.* 4. Et haec
2 bona adventitia ad exemplum bonorum castrensium conferenda non sunt, *Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 19. Unde probatur: sola profectitia con- 3
ferri; profectitia vero sunt duplicia, *vere* vel 4
quasi. Vere sunt, quae provenere a parente seu patre vel intuitu patris data. *Quasi* sunt, quae a matre data, vel alia adscendente persona, cui succedere quis vult. In utroque locum habet collatio. Et sic ea tantum conferuntur, quae 5
habentur ab eo, cui succeditur, *Vasq. lib.* 2. *de success. resol.* §. 19. *num.* 24. et ideo si patri succedatur, quae a matre filius habet, non conferet, *Fachin. lib.* 5. *c.* 83. *Fr. de Barry de success. d. l.* 14. *tit.* 3. *num.* 2. Et sic hanc legem etiam ad emancipatos pertinere certum est per tradita *Fachin. l.* 7. *cap.* 65. Sed quia profectitia proprie dicta duplicia sunt, nam alia 6
sunt in peculio tantum, quorum proprietas non est filii; alia vero sunt filii propria, ut dos et donatio propter nuptias, propter officium seu militiam; ideo in his tantum collatio, illa non tam 7
conferuntur, quam communia sunt, et inter omnes dividenda. Exinde videamus, pauca bona 8
esse hodie conferenda, nam castrensia, quasi-castrensia, adventitia, quae aliunde quam ab eo, cui succedere volunt, profecta, non conferuntur, et sic si matri succedatur, filia autem habeat dotem a patre, hanc dotem non conferet, quia licet dos haec sit in se profectitia, respectu hujus successionis est adventitia, quia non est a matre profecta. Ad castrensia autem pertinent 9
ea, quae a Principe etiam intuitu patris sunt donata, *Valascus de partit. c.* 3. *num.* 178. *Barry d. tit.* 3. *num.* 3. *in fin.*

TITULUS XXI.

De testamento militis.

L. Frater. 1. et L. Miles. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Miles pro parte testatus et pro parte intestatus decedere potest. 2.
An bona castrensia militis ad legitimum haeredem pertineant? 3.
In testamento militis sola voluntas attenditur, et conjecturis locus est. 4.
Militi in quibusdam bonis alius ex testamento, alius ab intestato succedere potest. 5.
Regula l. 7. ff. de reg. jur. *magis in subtilitate juris civilis, quam ratione juris naturalis fundata est.* 6.
In militis testamento jus accrescendi non procedit. 7.
Voluntas militis pro solemnitate sufficit, modo illa probetur vel testibus, vel alio modo. 8.

1 Miles fratrem haeredem instituit in bonis non castrensibus, sed paganicis. In castrensibus autem instituit extraneum haeredem. Quaeritur: *An jure accrescendi* (si extraneus repudiet haereditatem) *pertineant ad fratrem etiam bona*
2 *castrensia?* Quod neg. quia regula illa, quod aliquis testatus et intestatus decedere non possit. *l. jus nostrum ff. de reg. jur.* in milite locum non habet, *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 4. Idem si in castrensibus neminem instituit, *l.* 2. Nam utroque casu bona castrensia ad legitimum hae- 3
redem pertinebunt, nec interest, utrum initio neminem instituerit miles, au vero institutus repudiaverit, nisi contraria esset voluntas militis, *l.* 37. *ff. h. t.* Notetur ergo *ex hac lege.* In 4
testamento militis solam attendi ejus voluntatem, *Card. Mantic. de conject. ult. volunt. l.* 6. *tit.* 1. *num.* 4. *Carpzov. part.* 3. *jurispr. const.* 2. *def.* 5. et sic conjecturae etiam locum habebunt in testamento militis, prout ex hac regula probat *Mant. d. t.* 1. *num.* 6. Collige: quod mi- 5
liti in quibusdam bonis alius ex testamento, alius ab intestato succedere possit, *Carpz. d. l.* Et sic regula in *l.* 7. *ff. de reg. jur.* quae potius in 6
subtilitate juris civilis, quam in ratione juris naturalis fundata, in hoc testamento locum non habet, nec hic locum habet jus accrescendi, 7
l. 6. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 2. *et in l.* 37. *h. t. per tot. Donell. lib.* 6. *c.* 28. *Mant. d. l. num.* 16. *Menoch. l.* 1. *praes.* 48. *in fin. Carpz. d. l.* Collige etiam: Voluntatem militis sufficere 8
pro solemnitate, *Auct. in rubr. ff. h. t. num.* 2. *et in l.* 40. *cod. num.* 1. modo illa probetur vel testibus, vel alio modo, *Auct. in d. l.* 40. *ff. h. t.* ubi etiam an praecise testes requirantur, *Vasq. de succ. creat.* §. 24. *num.* 15. *Barry l.* 1. *tit.* 5. *num.* 1.

L. Quamquam. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quando non apparet vel saltem ex conjecturis, quod cum privilegio militari voluerit testari miles, jure communi testari velle praesumitur. 2.
Quomodo hoc appareat? 3.
Quando testamentum potuit valere jure communi et militari, neque conjectura aut ratio voluntatis nos alio vocet, praesumendum est, militem potius jure communi testari voluisse. 4.

1 Miles filiam ex duabus unciis, et uxorem in
una uncia haeredes instituit, de reliquis unciis
nihil disponit. Quaeritur: *Ad quem reliquae unciae pertineant?* Videtur ad haeredem legitimum
ob *l.* 2. *praeced.* Sed Neg. quia in his 3. unciis totam complexus est haereditatem, quod
facere potuit, §. 5. *Instit. de haered. instit.*
aliud ergo, si ex fundo instituat haeredem, ubi
reliqua ad haeredem legitimum pertinent, per
2 *d. l.* 2. Unde colligo: Quando non apparet,
saltem ex conjecturis, quod cum privilegio militari voluerit testari miles, praesumitur jure
3 communi testari velle, nam cum dividit paganica sua bona a castrensibus, jam apparet, quod
voluerit jure militari testari; Sed id hoc casu
non apparet, *Sichard. ad l.* 1. *num.* 6. *et* 8. *h. t.*
4 Colligitur etiam ex *hac l.* 3. Quando testamentum potuit valere jure communi et militari,
neque conjectura voluntatis aut ratio voluntatis
alio nos vocet, praesumendum esse, militem
jure communi potius testari voluisse, quia hoc
jus est potentius, *Mascard. d. l. concl.* 1059.
num. 3. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 4. *et lib.* 6. *praes.* 6.
Mant. d. tit. 1. *num.* 22. *Grassus* §. *testam. q.*
11. *Barry d. tit.* 5. *num.* 10. *Cephalus cons.* 431.
num. 22.

L. Si Rufinus. 4.

SUMMARIA

An et quatenus 20. *annis Lege Aelia Sentia, hodie* 17. *minor servum manumittere possit? num.* 1.
An hoc etiam spectet ad militem? 2.
Privilegium militis non tollit legem favore minoris latam. 3.
Lex posterior generalis priori speciali non derogat. 4.
Concurrentibus duobus privilegiis, altero negativo, altero affirmativo, negativum est potentius. 5.
Privilegia nova ea non mutant, quae antea in favorem personae erant statuta. 6.
Privilegia semper ita intelligantur, ut commodum afferant, non damnum. 7.

1 Lege Aelia Sentia viginti annis, hodie septemdecim, minor manumittere non potest servum,
nisi per vindictam, et ex justa causa, §. 4. *et*
2 *ult. Inst. quib. manumit. licet.* Quaeritur: *An
hoc ad militem etiam spectet?* Videtur quod
non, ob *l.* 1. *ff. h. t.* Sed affirm. quia privile- 3
legium militis non tollit legem favore ejus latam, et lex posterior generalis priori speciali 4
non derogat. Collige ex *h. l.* Quando duo pri- 5
vilegia concurrunt, alterum negativum, alterum affirmativum, quod tunc illud hoc sit potentius, quia negativa fortius negat, et quod
privilegia nova non mutet ea, quae antea in fa- 6
vorem personae statuta erant: et quod privile- 7
gia semper ita intelligenda, ut commodum afferant, non damnum, *hic et l. fin. h. t. et l.*
40. *ff. de administr. tut.*

L. Ex testamento. 5.

SUMMARIA

Testamentum militis quousque valeat? num. 1.
Discrimen inter militis et aliud imperfectum testamentum, v. g. rusticorum vel tempore pestis. 2.
Legis limitatio. 3.

Testamentum militare valet non tantum, si 1
testator in militia decedat, sed etiam intra annum post missionem honestam, §. 3. *Inst. h. t.*
Et in hoc consistit discrimen inter testamentum 2
militis, et inter testamentum aliud imperfectum, v. g. rusticorum, vel tempore pestis. Nam testamentum militis infirmatur post
annum a tempore missionis computandum:
Sed ruri factum non redditur irritum, licet
superveniat magna copia hominum nec testamentum tempore pestis confectum, pestis
quando desaeviit, valere desinit, *Ripa de peste
c.* 2. *de priv. ult. volunt. num.* 35. *Carpz. p.* 3.
jurispr. const. 4. *def.* 5. Sed additur *in hac lege* 3
limitatio, nisi lex prohibeat. Nam est quidem
privilegium militaris testamenti, quod possit relinquere vel legare omnibus personis; Excipitur
tamen illa mulier, in quam turpis suspicio cadit, *l.* 14. §. 1. *ff. h. t.* i. e. stupro cognita,
l. 4. *ff. de his, quibus ut indign. Don. lib.* 6. *c.*
18. *lit. N.*

L. In testamento. 6.

SUMMARIA

Casus l. duplex. num. 1.
Paganus extraneo, ita, si haeres erit atque esse desierit, *substituere non potest.* 2.
Secus in milite. 3.
Potest quidem miles etiam in secundum gradum reciproce substituere, sed probandum est, quod voluerit. 4.
Quando utroque jure testamentum militis valere potest, sed communi jure si valeret, magis praevaleret aequitas, tunc pro ea parte et eo jure magis testatus videtur. 5.

Miles testamento duos haeredes instituit, filiam 1
suam impuberem et Valentinum fratrem, eosque
invicem substituit, mortua postea est filia impubes relicta matre, postquam filia haereditatem
adiisset; Quaeritur, *An portio filiae militis, ad
matrem ejus pertineat, an vero ad Valenti-*

num? Pro matre facit regula *in l.* 4. §. 2. *ff.*
de vulg. et pupill. substit. sc. quando quis duos
sibi invicem substituit, et alteri pupillariter sub-
stituere potest in casum hunc, si erit haeres,
alteri vero non, tunc verba testamenti (eosque
invicem substituo) non de secundo casu, i. e.
si haeres erit, sed de primo, si haeres non
erit, et substitutione vulgari esse intelligenda.
Valentinus vero putat, ad se ejus portionem
2 pertinere. Licet enim paganus non possit sub-
stituere extraneo, si haeres erit, atque esse de-
sierit, *l.* 4. §. 2. *ff. de vulg. et pupill. substit.*
atque adeo nec filiae suae substituerit, *d.* §. 2.
3 aliud tamen in milite. Sed resp. Imperator, po-
4 tuisse quidem militem etiam in secundum gra-
dum reciproce substituere, sed probandum esse,
quod voluerit, ideoque mater filiae succedit,
5 non Valentinus. Collige ex *h. l.* 6. Quando utro-
que jure potest valere testamentum militis, sed
communi jure si valeret magis praevaleret ae-
quitas, quod tunc pro ea parte et eo jure vi-
deatur magis testatus esse, quia haec interpre-
tatio, ut mater quae non solum testatoris,
sed et suo filio haeres existit, melius succedat
filio in luctuosa haereditate, quam ut ad sub-
stitutum veniat ex tacito intellectu directae
substitutionis, aequior est, *hic et l. precibus C.
de impub. substit. Menoch. lib.* 4. *praes.* 4. *num.*
6. *Alciatus reg.* 3. *praes.* 36. *num.* 11. *Barry
d. tit.* 5. *num.* 11. *Mantic. d. t. num.* 30. *Ma-
scard. d. concl.* 1059. *num.* 8. Aliud si utroque
jure non possit valere, sed tantum jure mili-
tari, non vero communi, ibi praesumendum
est militem voluisse jure militari testari, *l.* 3.
h. t. et ibi not. ab Auct. num. 3.

L. Ex his verbis. 7.

SUMMARIA

An servus per legatum libertus vocatus ex hoc pro libero habeatur? num. 1.
Verba enunciativa in pagani testamento nihil, bene tamen in militis probant. 2.
Limitationes regulae remissive. 3.

1 Miles servo suo legatum relinquit, quem li-
bertum suum vocat. Quaeritur: *An ex hoc pro
libero habendus sit?* videtur quod non, ob *l.* 5.
supr. de jur. et fact. ign. Sed affirm. quia sine li-
bertate legatum dare non potuit, ergo quia voluit
dare Legatum, voluit etiam consequenter eum
esse liberum, si modo in facto non erret,
arg. l. 8. *C. de jur. et fact. ign.* Collige:
2 verba enunciativa in testamento pagani nihil
probare, sed bene in militari, *Masc. concl.* 622.
3 *num.* 38. Caeterum exempla et limitationes
hujus regulae videantur apud *Masc. d. concl.
per tot. Dn. Tabor lib.* 5. *axiom. Barbos. lib.* 5.
c. 13. *ax.* 1. *Riccius decis. coll.* 189. *Menoch.
lib.* 3. *praes.* 133.

L. Certi juris est. 8.

SUMMARIA

Miles secus ac Paganus haeredem ex die vel ad diem instituere potest. num. 1.
Miles non tantum ratione bonorum, sed et ratione temporis testatus et intestatus esse potest. 2.
Miles directe potest substituere etiam in secundum casum, si haeres erit. 3.

Paganus ex die vel ad diem haeredem insti- 1
tuere nequit, §. 9. *Inst. de haered. inst.* sed mi-
les potest. Ratio *in l.* 3. *h. t.* sc. in simplicitate
militari. Et sic colligo: militem non tantum ra- 2
tione bonorum testatum et intestatum esse pos-
se, ut supra dictum ad *l.* 1. *et* 2. sed etiam ra-
tione temporis, ut pro hoc tempore testatus sit,
pro alio vero tempore intestatus. Et hinc fluere
opinor, quod miles possit directe substituere 3
etiam post pubertatem in secundum casum, si
haeres erit, *Auct. in l.* 6. *ff. h. t. num.* 1. *Don.
et ib. Hillig. lib.* 6. *cap.* 28. et quos hic citat
Vincent. Fusar. de substit. q. 234. de quo *Fa-
chin. lib.* 4. *c.* 44. *et lib.* 13. *c.* 75.

L. Sicut. 9. et L. Si cum. 10.

SUMMARIA

Praeteritio militis scienter in testamentum filium aut posthumum praetereuntis aliumque instituentis pro exhaeredatione est. num. 1.
Duo in solidum haeredes esse non possunt. 2.
Quatenus in testamento militis interpretatio admittatur? 3.
Unde filium vivere scivisse probetur? 4.
Etiamsi miles paganum posthumum extiturum vel filium adhuc vivere ignoraverit, neque tamen valent legata in testamento relicta. 5.
Praeteritus etiam dicitur, cui aliquid titulo legati relictum. 6.
An hodie id mutatum per Nov. 115. 7.

Si miles sciens (secus si ignorans) praetereat 1
filium in testamento aut posthumum, aliumque
instituat, haec praeteritio pro exhaeredatione
est, et contra id testamentum non datur que-
rela, *l. ult. supr. de inoffic. testam.* quia duo 2
in solidum haeredes esse non possunt, *l.* 141. §. 1.
ff. de reg. jur. Cum enim extraneus in solidum
haeredem instituerit, apparet exinde, noluisse
filium esse haeredem; jam vero voluntas
militis sufficit. Unde colligitur: In testamento 3
militis nullam admitti interpretationem, nisi
quatenus colligitur ex verbis expressis, *Men.
cons.* 281. *num.* 19. Scivisse autem filium adhuc 4
vivere, probatur ex eo *in l.* 10. si ejus in te-
stamento mentionem fecit, et ipsi aliquid lega-
vit; et *ex his legibus*, probatur etiam si igno- 5
ravit, paganum posthumum extiturum, vel fi-
lium adhuc vivere, non valere legata in testa-
mento relicta, et sic exceptionem esse *Authen-
ticae ex caus. C. de liberis praeterit. Castr. hic
num.* 2. *et Bartol. in fin. Tiraq. ad l. si unquam
C. de revocand. donat.* verb. *donatione largitus
num.* 263. *Carpzov. lib.* 6. *resp.* 10. *et seq. Gail.
lib.* 2. *obs.* 113. *num.* 2. *Daut. de testam. num.*
373. Collige etiam *ex l.* 10. Praeteritum etiam 6
eum dici, cui aliquid titulo legati relictum,
quod quamvis mutatum *l. omni modo* 30. *C.
de inoff. testam.* ad jus tamen hoc seu *hanc
legem* 10. rediit Justinianus, de quo suo loco.

7 Sed an hodie id mutatum per *Nov.* 115? Neg. *Vasquius de success. creat. lib.* 3. §. 24. *num.* 32. *et Fachin. lib.* 6. *cont.* 74. licet contraria videatur communior, de quo vid. *supr. de inoff. testam.*

L. Captatorias. 11.

SUMMARIA

An institutio haeredis sub hac conditione in futurum concepta, si se haeredem scripserit, valeat? num. 1.
An idem in milite? 2.
Conditiones in praeteritum conceptae, si me haeredem instituit, testamentum non vitiant. 3.
Captatoria voluntas etiam in militis testamento non valet. 4.
Quaenam proprie talis sit, remissive? 5.
An ad institutionem ad pias causas possit extendi? 6.

1 Si quis Titium haeredem instituerit sub hac conditione in futurum concepta, si Titius se haeredem scripserit, non valet institutio, *l. captatorias ff. de haered. inst.* quia tali institutione aliena captatur haereditas, et est fallacia simpliciorum; posset enim testator, quia alienam captat haereditatem, altero nesciente suum te-
2 stamentum rescindere, et idem in milite, quia hujus simplicitati, non calliditati succurrunt leges, *l.* 3. *h. tit. Donell. et ib. Hilliger. d. lib.*
3 *c.* 28. *lit. J.* Sed conditiones in praeteritum conceptae, si me haeredem instituit, *(eingesetzet hat,)* non vitiant testamentum, *l. illae autem* 71. *ff. de haered. inst.* Collige ergo *ex hac l.*
4 Captatoriam voluntatem (quae talis sit proprie,
5 Vid. *Covarr. in C. cum tibi num.* 2. *X. de test.)* in testamento militis etiam non valere, *Surd. d. cap.* 68. *Reusn. de testam. part.* 2. *qu.* 5. *num.* 37. *Barry de success. lib.* 2. *tit.* 5. *num.* 7. Quod
6 etiam ad institutionem ad pias causas extendunt, *Covar. in d. c. cum tibi num.* 13. *Vasq. de success. creat. lib.* 3. §. 22. *num.* 7. quia non valet dispositio ad pias causas, quando voluntas testatoris laeditur, ut hic, per interventum captionis, quae ratio ad testamentum militis potest accommodari.

L. In testamento. 12.

SUMMARIA

An Falcidia in testamento militis locum habeat? num. 1.
Miles jus alienum minuere non potest. 2.
De quonam casu loquatur Nov. 1. c. 4. §. 2.? 3.
Etiam hodie in militis testamento non locum habent Falcidia et Trebellianica. 4.
In quem finem dicta Nov. 1. *sit constituta?* 5.
Nova lex ad casum, in ea non expressum, non est extendenda. 6.

1 Etiamsi miles totum patrimonium exhausisset legatis, solida tamen legata sunt praestanda, et locum non habet falcidia, *Auct. in l.* 17. *ff. h. t. num.* 3. nisi miles ultra vires patrimonii legaverit, quia constitutio de bonis militis loquitur,
l. 1. *pr. ff. h. tit.* et nec miles jus alienum mi- 2
nuere potest, *l.* 28. *ff. h. t.* quod nec abrogatum per *Nov.* 1. *c.* 4. §. 2. quae de persona 3
quidem militari, sed non testamento militari loquitur, *Hillig. d. c.* 28. *lit. H.* collige ergo:
Etiam hodie Falcidiam et Trebellianicam in te- 4
stamentis militum locum non habere, *Duaren. de test. milit. c. ult. circ. fin. Donell. et ibi Hill. d. c.* 28. *lit. H. Pet. Greg. lib.* 42. *Syntag. c.* 6. *num.* 10. *Barr. de success. lib.* 15. *tit.* 7. *n.* 9.
ubi pro hac sententia aliquot adducit rationes, 5
quod 1. *de Novella* constituta sit pro conservanda voluntate ultima, contra detractionem Falcidiae,
et 2. Nulla nova lex extendenda est ad casum 6
in ea lege non expressum, et non fuit Imperatoris mens Falcidiam introducere in iis casibus, in quibus antea non obtinebat, sed potius prohibere eam in casibus, in quibus obtinebat.

L. Et militibus. 13.

SUMMARIA

An militi ex militari delicto capitis damnato et de quibusnam bonis ad petitionem a judice reservari possit testamenti factio? num. 1. 4.
Quid si testandi licentia non fuerit usus, ad quemnam ejus bona pertineant? 2.
Paganus ad mortem condemnatus testamentum facere non potest. 3.
Miles ejusmodi testatus jure militari testatus praesumitur. 4.

Si miles capitis damnatur, ex militari sc. non 1
communi delicto, *l.* 11. *pr. ff. h. t.* potest ipsi petenti a judice reservari testamenti factio, *l.* 32. §. 8. *ff. de don. inter vir. et ux. Auct. in l.* 11. *ff. h. t. num.* 1. Sed solum de bonis Castrensibus testabitur, reliqua bona ad fiscum pertinent, si non fides Sacramenti rupta est, *d. l.* 11. i. e. si non de Sacramento militari violato agatur. Sed quid si testandi licentia sibi data usus 2
non sit? Resp. Castrensia ad cognatos pertinere, *l.* 1. *ff. de success. veter.* Paganica ad fiscum *ut hic.* Collige ergo: Licet Paganus ad mortem 3
condemnatus, testamentum facere possit, *l.* 8. §. *ult. ff. de testam. et l.* 6. §. 6. *et seq. ff. de injusto et irrit. etc.* in milite tamen aliud esse ex militari crimine damnato, et ideo si miles 4
capite damnatus testatus sit, praesumitur potius jure militari testatus esse, *Mascard. de probat. concl.* 1059. *num.* 6. Conf. *Barry lib.* 1. *tit.* 7. *num.* 38.

L. Si a fratre. 14. et L. Milites. 15.

SUMMARIA

Miles quocumque modo sine omni solemnitate potest testari. num. 1.
Etiam in pulvere vel vagina potest haeredem scribere. 2.
Sed versetur ejusmodi miles in praelio seu ipsa acie. 3.
In castris degens testes adhibere debet. 4.

Secus in acie versans. 5.
Decisio hodierna tribus casibus distincta. 6.
An rogatio et convocatio testium in militis testamento et quatenus sit necessaria? 7.
An requiratur praesentia testium? 8.
Quando militis testamentum sit invalidum, nec legata in eo relicta valeant? remissive. 9.

1 Miles quocumque modo, sine ulla solemnitate juris, testari potest, pro lubitu, *l.* 1. *ff. h. t.*
2 ideoque etiam in pulvere vel vagina haeredem scribere potest, *l.* 15. *h. tit. et* §. 1. *Instit. eod. l.* 40. *pr. ff. h. t.* Intellige ergo *hanc l.* 15. de
3 eo casu, quando miles in praelio vel acie ipsa actu jam versatur, per verba *hujus legis* 15.
4 *finalia.* Nam si in castris degat, nulla premitur necessitate testandi, et facile potest testes convocare, et ideo sive in scriptis, sive nuncupative velit testari, tenetur testes adhibere. Sed
5 quando in acie jam versatur, potest sine testibus in scriptis testari, et in hanc sententiam omnes convenire dicit *Donell. ad hanc l.* 15.
6 Et hac de re habemus in Imperio nostro claram decisionem *in inform. Notar. Maximil. I.* ubi distinguuntur tres casus; aut enim miles constitutus est in acie, aut in castris, aut in praesidiis. Illi quocumque modo, isti coram 2. testibus, hi jure communi testantur, *Carpzov.*
7 *p.* 3. *const.* 4. *def.* 26. Et hinc explicanda est sententia eorum, qui statuunt rogationem, seu convocationem testium necessariam esse in testamento militum, per *l.* 24. *ff. h. t.* per tradita *Mascardi concl.* 1361. *num.* 5. *et Farin. qu.* 62. *num.* 149. *Barry d. tit.* 5. *num.* 2. nam ea sententia fundatur in ea ratione, quia si non praecessisset convocatio vel rogatio, non possemus esse certi de seria voluntate militis, sed restringenda est ad eum casum, quo in castris testatur miles, quo loco testes adhibere tenetur, *Simon de Praetis lib.* 3. *de interpr. ult. vol. int.* 2. *dub.* 1. *sol.* 8. *num.* 17. Seu quando miles nuncupative testari vult, tunc rogatio testium est necessaria, *Clarus* §. *testam. q.* 58. *num.* 11. *Schneid. inst. h. t. v.* 14. *Hakelm. disp.* 1. *par-*
8 *tis* 5. *Pand. th. ult. lit. E.* Sed requiri videtur testium praesentia, *l.* 24. *ff. h. t. et* §. 1. *Inst. h. t.* Sed respondendum esse videtur, hoc ibi tantum dici, de voluntate militis constare debere, vel dicendum, *d. l.* 24. esse intelligendam, quando miles non est in extremo vitae periculo, ut devitetur suspicio falsi. Ex communi sane sententia, miles sola scriptura absque testibus tum demum valide testatur, quando in acie constitutus. Sed in castris duo ad minimum testes requiruntur, *Gl. hic in l.* 15. *Gail. lib.* 2. *obs.* 118. *num.* 17. *et Carpz. part.* 3. *jurispr. const.* 4. *def.* 26. *recess. imper. de ann.* 1511. *tit. von testamenten.* Confer. *Dn. Richter.*
9 *dec.* 38. *per tot. et Carpz. d. constit.* 4. *def.* 29. quando testamentum militis invalidum, nec legata in eo relicta valeant.

L. Scriniarios. 16.

SUMMARIA

Quibusnam praeter milites et quatenus iis privilegia haec competant? num. 1.
Mercatores, lanii et alii, qui proprii negotii causa in castris degunt, jure militari non testantur. 2.
Limitatur. 3.
Non debent frui privilegiis militum vel Studiosorum, qui vel in matriculam non relati, vel relati quidem, sed actu non militant, nec studia tractant. 4.

Haec privilegia militibus competunt, non ta- 1
men iis, qui in comitatu militum sunt, sed in numerum militum non relati, licet matriculae alias inserti, ut notarii, coqui, etc. nisi in hostico deprehendantur, *l. ult. ff. h. t.* Collige
ergo; Mercatores, lanios et alios, qui proprii 2
negotii causa in castris degunt, jure militari
non testari, nisi in hostico sint, et quidem in 3
acie in procinctu, *d. l. ult. ff. h. t. l. un. de bon. possess. ex testam. milit.* Et sic docet *hic Glossa* communiter approbata, teste *Claro* §. *testamentum qu.* 15. *num. fin. Barry d. tit.* 5. *num.* 4. *Paris cons.* 32. *num.* 25. *lib.* 2. *Grassus* §. *testamentum q.* 3. *in fin.* Colligitur *ex*
hac l. Non debere eos frui privilegiis militum 4
vel studiosorum, qui vel in matriculam non relati, vel relati quidem, sed actu non militant nec studia tractant. Nam scholares non sunt, qui studia non tractant, sed vagantur, *Gail. lib.* 2. *obs.* 118. *num.* 8. *et* 9. Et artifex non exercens artem, non debet privilegiis artis frui, *Gail. d. l. num.* 10. Idem in Clericis, *num.* 11.

L. Ne quidam. 17.

SUMMARIA

Iis tantum militibus data sunt haec privilegia, qui in expeditione versantur. num. 1.
Expeditio quidnam sit? 2. 3.
Recessus Imperii quid hac in parte statuat, remissive? 4.

Iis tantum militibus haec data sunt privilegia, 1
qui in expeditione sunt, §. 3. *Inst. h. t.* Expe- 2
ditio autem non est conflictus ipse, nec totum tempus belli, sed illud, quo milites in armis procedunt, aut contra hostem stant in castris. Non ergo necesse est, ut sint in discrimine belli, sed sufficit, si pergant ad bellum, si sint in expeditione vel castris. Qua de re agunt *Grassus et Clar. dd. ll. ut et Finckelth. obs.* 16.
et alii; Sed per expeditionem etiam intelligunt 3
multi hyberna praesidia, et stativa, *Auct. in l. ult. ff. h. t. num.* 2. *Vasq. de success. creat.* §.
10. *num.* 3. 6. *Barry d. tit.* 5. *num.* 7. Sed per 4
recess. Imper. Colon. de officio notar. An. 1512. parata est distinctio in Romano Imperio, ut dictum ad *l.* 14. *et* 15. *Auct. in d. l. ult. num.* 3. *Struv. Synt. jur. civ. exerc.* 34. *th.* 4.

L. Licet. ult.

SUMMARIA

Tribunus militum impubes testari non potest. num. 1.
In milite vel similibus personis circa defectus naturales non dispensatur. 2.

Tribunatus etiam pupillo fuit delatus. 3.
Quomodo hoc intelligendum? 4.

1 Tribunus militum impubes non potest testari,
2 ob imbecillitatem judicii. Notetur, in milite vel
similibus personis non dispensari circa defectus
naturales, qualis hic est imbecillitas judicii, sed
civiles tantum, *Grassus* §. *testament. q.* 20. *Bar-*
ry lib. 1. *tit.* 7. *num.* 10. Obiter Nota *ex l. fin.* 3
Tribunatum fuisse etiam pupillo delatum, quod
de honore et imaginaria militia intelligunt, de 4
quo *Cujac. lib.* 17. *obs.* 36. *Dauth. de testam.*
num. 145. et hos aliosque laudans *Hillig. in Do-*
nell. d. c. 28. *lit. C.*

TITULUS XIII.

Qui testamenta facere possunt, vel non.

L. Quanquam. 1.

SUMMARIA

Quilibet de re sua tantum potest testari. num. 1.9.
Exceptio est in socio. 2.
Quod commune est, meum non est, nisi quoad dispositionem partis meae. 3.
Societas conventionalis vel incidens non impedit, ut testamentum faciam. 4.
Quomodo hoc intelligendum? 5.
Socius re communi ad eum usum, ad quem res est destinata, utens, socio ad nihil est obligatus. 6.
Socius rem communem legans, an etiam sociorum partem legasse videatur? 7.
Re communi legata, portio, quam testator in re habet, legata videtur. 8.

1 Quamvis quilibet de re sua tantum testari pos-
sit, *l.* 12. *tit. praeced. et Auth. ingressi C. de*
2 *SS. Ecclesiis.* potest tamen socius, qui omnia
vel etiam quaedam bona cum alio communia
habet, testari de sua parte divisa, quia appel-
latione rei etiam pars continetur, *l. appellatio-*
ne 72. *ff. de verb. sign.* idem *in hac lege* dici-
tur esse in societate incidenti, quando plures
3 haeredes sunt. Collige; Quod commune est,
meum non esse nisi quoad dispositionem partis
meae, *arg. l.* 5. §. 1. *ff. de legat.* 1. *et tit. supr.*
4 *de comm. rer. alien.* et societatem conventio-
nalem vel incidentem, non impedire, ut testa-
mentum faciam, *Daut. de test. h. t. num.* 260.
5 Sed intelligendum id est quod de re commu-
ni dicitur, quod sit in rebus, quae pluribus ut
singulis sint communes, non vero ut universis.
6 Colligunt etiam *ex hac l.* 1. si unus sociorum
usus sit re communi et ad eum usum, ad quem
res est destinata, ad nihil socio esse obligatum,
7 *Castr. et Jas. hic Daut. d. l.* Sed *quid si socius*
tuus domum communem mihi legasset, annon
etiam tuam socii partem legasse videatur? Vi-
detur quod sic, cum etiam res aliena legari
possit, §. *non solum* 4. *Inst. de legat.* Sed ne-
gat *hic Castr. num.* 4. *et Sich. num.* 6. quia
sufficit pro parte utile esse legatum. Ergo de sua
tantum parte cogitasse videtur; quandocumque
enim quis legat rem alienam, in qua tamen
jus aliquod habet duraturum post mortem, tunc
jus illud legasse videtur, per *l. si domus* 71. §.
ult. ff. de legat. 1. *Peregr. de fideic. art.* 33. *num.*
21. *Mant. de conject. l.* 9. *tit.* 1. *num.* 11. *Bar-*
8 *ry de succes. lib.* 9. *tit.* 3. *num.* 4. Sic re com-
muni legata portio, quam testator in re ha-
bet, videtur legata, *l.* 5. §. 1. *et.* 2. *ff. de legat.* 1.
et ibi *Zas. A. Barb. l.* 3. *c.* 32. *ax.* 5. *Dn.*
Manzius de testam. tit. 2. *num.* 23. Sic etiam 9
Maritus testamentum faciens de suis tantum bo-
nis, non vero uxoris bonis testari videtur. Imo
non putarem posse maritum de uxoris bonis
testari etiam consentiente uxore. Nam lex duo-
decim tabularum de suis tantum bonis patrifa-
milias testandi dedit facultatem; ideoque illam
sententiam nunquam probare potui, quod ma-
ritus de bonis uxoris permissu uxoris testans
valide testetur, adeo ut morte mariti confirma-
tam voluntatem ultimam nec uxor mutare
possit.

L. Si is. 2.

SUMMARIA

Criminis capitalis postulatus vel in eo deprehensus et αὐτόχειρ *testari nequit. num.* 1.
Quid si ex furore fecerit vel innocens postulatus? 2.
Pro ejusque, *legendum est* ejusve. 3.
Haeredes ex taedio vitae sibi manus intulisse patrem probent. 4.
An et quatenus αὐτόχειρ *testari possit de jure civili?* 5.
Damnatus ad ultimum supplicium jure civili non habet testamenti factionem. 6.
Secus de consuetudine. 7.
Αὐτόχειρ *hodie indistincte testari potest, nisi crimen sit exceptum.* 8.

Si quis 1. Criminis Capitalis; 2. Postulatus, 1
aut in eo deprehensus sit; et 3. Ob metum
supplicii mortem sibi consciverit, hic testari
nequit, *l.* 3. *ff. de bon. eor. qui sibi mort. Auct.*
in l. 6. *ff. h. t. num.* 3. Secus ergo, si aut fu- 2
rore fecit, aut postulatus sit, sed innocens pro-
bari possit per *h. l.* ubi pro *ejusque* legendum 3
est *ejusve*, et haeredes probare debent accu- 4
satum criminis taedio vitae sibi intulisse manus,
non ex desperatione. Quod videtur ex illis ver-
bis, *ejusque innocentia etc.* Sed contrarium vi-
detur dici *in l. fin.* §. *fin. ff. tit. de bonis eo-*
rum etc. Ratio igitur hic specialis, quia reus
praesumptionibus gravatus erat. Collige ergo;
Eum, qui sibi ipsi manus violentas infert con- 5
scientia admissi criminis, et metu futurae con-
demnationis, non posse testari, aliud vero, si
taedio vitae, vel pudore, vel impatientia dolo-
ris id fiat, *l.* 3. *et ult. ff. de bon. eor. qui sibi*
mort. consciver. Clarus §. *ult. q.* 68. *Reusn. de*

test. p. 2. *c.* 52. *Barry l.* 1. *t.* 7. *num.* 56. *Struv. Synt. jur. civil. exerc.* 32. *th.* 8. Quam-
6 vis autem Justinianus non restituerit damnatis ad ultimum supplicium testamenti factionem, ut recte ex communi sententia defendit *Ant. Matth. ad tit.* 18. *de poenis c.* 2. *num.* 5. quia
7 tamen de consuetudine damnatus, etiam propter ea crimina, in quibus confiscatio bonorum etiam hodie locum habet, testari potest, *Auct. in d. l.* 6. *ff. h. t. num.* 5. *Struv. Synt. jur. civ. exerc.* 32. *th.* 8. *Carpz. p.* 3. *const.* 6. *def.* 1.
8 *Dauth. de testament. num.* 105. ideo hodie ἀυτόχειρ testari poterit indistincte nisi crimen sit exceptum, *Carpzov. d. const.* 6. *def. ult. Farin. q.* 128. *Menoch. lib.* 2. *arb. q. cas.* 284.

L. Senium. 3. et L. Nemo. 11.

SUMMARIA

Nec infirmitas corporis, nec senilis aetas prohibet testamenti factionem. num. 1.
Senex in dubio sanae mentis praesumitur. 2.
An attestatio notarii huic praesumptioni addita eam fortiorem reddat? 3.
Duo testes de integritate mentis deponentes multis aliis contrarium dicentibus praeponderant. 4.
An praesumptio haec admittat probationes in contrarium? 5.
Senex ad puerilem sensum reductus testari non potest. 6.
An filiusf. nullatenus testari queat? 7. 10.
Verba, Sive sine consensu patris bona possideat, *quomodo intelligenda?* 8.
Quaecumque bona sine patris consensu filiusf. possidet, de iis non potest testari. 9.
An filius de adventitiis ad pias causas consensu patris recte testetur? 11.
An mortis causa ipsi donare licitum? 12.
An testari libeat de bonis castrensibus et quasi-castrensibus? 13.

1 Ut non infirmitas corporis, *l.* 2. *ff. h. t.* ita nec senilis aetas prohibet testamenti factionem, *l.* 3. *h. t.* Unde probatur, *Struv. synt. jur. civ.*
2 *exerc.* 32. *th.* 6. Senem in dubio praesumi sanae mentis esse, *Mantic. l.* 2. *tit.* 5. *num.* 3. *Reusn. p.* 2. *de testam. c.* 15. *num.* 16. *Barry*
3 *d. tit.* 7. *num.* 47. Unde negari nequit, attestationem Notarii huic praesumptioni additam, eam reddere fortiorem, *Gilken. ad hanc l.* 3. *num.* 6. licet *Jason. Alex. Dec. Sichard. in d. l.* testimonio Notarii parum tribuant, cum sanitas mentis non sensu corporis, sed judicio percipiatur, sed tamen adminiculatur huic at-
4 testationi praesumptio juris, ex qua ratione duo testes de integritate mentis deponentes, multis aliis contrarium adserentibus praeponderant, *Mascard. concl.* 1019. *num.* 2. *Berlich. p.* 3.
5 *concl.* 5. *num.* 11. licet haec praesumptio probationes in contrarium admittat, *Berlich. d. l.*
6 *num.* 19. Si vero Senex ad puerilem sensum reductus sit, non posse eum testari, tradit *Sim. de Praetis de interpret. ult. vol. lib.* 2. *interpr.* 1. *dub.* 1. *sol.* 4. *num.* 22. quem refert
7 *Barry d. num.* 47. Sed filiusfam. quia non habet propria bona testari nequit, *d. l.* 3. *Auctor in l.* 6. *h. t. num.* 1. licet pater consentiat, *l.* 6. *ff. eod.* nec quidem in bonis adventitiis, *l. penult. h. t. Auctor. in d. l.* 6. *ff. h. t. num.* 1. At quid de iis bonis adventitiis quorum ususfructus non adquiritur patri per filium? Nec de iis testari posse per *d. l. pen.* per verba, *Sive sine patris consensu bona possideat.* Quae in- 8
telligenda de ea haereditate, quam filius adit, recusante patre, in qua specie constitutum, ut ususfructus ejus haereditatis patri non acquiratur, *l. ult. C. de bon. quae lib.* quam sententiam hac solida ratione probat *Bacchov. in Tr. v.* 2. *disp.* 10. *th.* 2. *l. C.* Quaecumque bona sine pa- 9
tris consensu possidet filiusf. de iis non potest testari per *d. l. pen. h. t.* at in quibus pater usumfructum non habet, ea sine patris consensu possidet, per *d. l. fin.* Ergo etc. et sic sentit 10
Clarus §. testamentum q. 18. *Covarr. de testam. p.* 3. *rubr. vers. ult. Fachin. l.* 5. *c.* 94. quos laudat et sequitur *Barry d. tit.* 7. *num.* 2. *Hillig. in Don. l.* 6. *c.* 5. *lit. I. Dauth. prolixe in C. qui test. facere etc. num.* 154. *et seqq.* Sed ad 11
pias causas de adventitiis filium consensu patris testari posse, communiter placuit, *Clar. §. testam. q.* 5. *num.* 7. *Molina disp.* 138. *num.* 8. quod *Gilken. hic num.* 37. *et seqq.* pluribus persequitur, cujus ratio forte, quia potestas patria in filii propria bona adventitia, quorum vel proprietatem tantum vel usumfructum etiam habet, est ex jure civili. Sed in testamento ad pias causas non attenduntur ea, quae juris civilis sunt, sed quae sunt juris gentium, *Auctor in l.* 5. *ff. h. t. num.* 6. quo quivis rei suae et saltem proprietatis arbiter, et juris canonici. Sed illud intelligo de adventitiis, nam de profectitiis filius non testabitur ad pias causas, quia jure gentium nemo testabitur de rebus alienis, haec enim patris sunt, et usu tantum sunt filii. Sed et mortis causa filiusf. donare potest, et 12
probatur ex *l.* 21. §. 1. *ff. de don. caus. mort.* quia haec in multis ad contractus accedit, et per alias rationes, quas adducit *Berl. p.* 3. *concl.* 1. *num.* 8. *et seqq.* Sed de bonis castrensi- 13
bus, *Auctor in l.* 6. *ff. h. t. num.* 2. et quasi-castrensibus filius testari potest per *l. ult. h. t.* quia in his pro patref. habetur, *l.* 2. *ff. ad SCtum. Maced.*

L. Si frater. 4.

SUMMARIA

Pupillus testari non potest. num. 1.
An adultus possit et quatenus? 2..
Puberes minores firmiter non possunt contrahere. 3.
Ampliantur num. 1. *dicta.* 4. 5.
Dies coepta in favorabilibus pro completa habetur, et vel momentum diei ultimae attigisse sufficit. 6.
Proximus pubertati a principe recte licentiam impetrat. 7.
Minor adultus etiam sine curatore testatur. 8.
Etiam curatore invito. 9.
An detur restitutio? 10.

Pupillus seu impubes testari non potest, sed 1
adultus, i. e. qui complevit annum 14. aetatis, 2
vel foemina, quae complevit 12. annum, potest, licet nondum maturioris judicii appareant

vestigia, *hic et l.* 5. *et* 19. *ff. h. t.* vel, ut alii
forte rectius interpretantur, licet corpus non
3 habeat vigorem aetati convenientem. Contrahe-
re autem non possunt puberes minores firmi-
ter, quia hic laesio: Duo ergo ex *hac l.* pro-
4 bantur: I. Pupillum testari non posse, quod
ampliatur, licet proximus sit pubertati et doli
capax, quia hic malitia non supplet aetatem,
Grassus §. *testam. qu.* 20. *Dilect. de art. te-
standi caut.* 5. *Barry dict. tit.* 7. *num.* 10.
Molin. tr. 2. *disp.* 136. *Steph. Fagundez de*
5 *J. et J. lib.* 6. *c.* 6. *num.* 11. Nec ad pias cau-
sas testari potest, *c. licet de sepultur. lib.* 6.
*Dilectus d. l. ut Barry, Molina, Fagundez
num.* 10. *Reusn. de test. part.* 2. *cap.* 5. *num.*
32. *Carpzov. p.* 3. *const.* 6. *def.* 6. Si tamen
pupillus juramento praestito aliquid disponat ad
pias causas hac conditione, si in pupillari aeta-
te decesserit, et per omnia sacra roget haere-
dem, neminem haeredem tam impium fore
existimo, qui huic piae voluntati serie non
assurrexerit. Confer. *Dn. Manzius de test. tit.*
2. *num.* 57. Si tamen dies ultima ultimi anni
sit inchoata potest testari, *l. qua aetate ff. h.
tit. Dauth. num.* 146. *Auctor in l.* 5. *ff. h. t.*
6 *num.* 1. quia dies coepta in favorabilibus habe-
tur pro completa, et sufficit vel momentum
diei ultimae attigisse, *Dn. Manzius de testam.*
7 *tit.* 2. *num.* 50. Sicut et proximum pubertati a
Principe licentiam impetrare posse non est du-
bitandum, *Thes. dec.* 87. *Dilectus et Barry dd.
ll. Ant. Gomez ad l.* 1. *Tauri num.* 3. *et* 4.
Fagundez d. c. num. 2. *Auctor in l.* 5. *ff. h. t.*
8 *num.* 4: II. *ex hac l.* probatur: Quod minor
adultus possit testari etiam sine curatore, *l.* 77.
§. 14. *ff. de legat.* 2. *l.* 20. §. 1. *ff. de lib. legat.* etiam
9 curatore invito, *Gail. lib.* 2. *obs.* 96. *c.* 8. *Va-
squ. de success. progr. l.* 1. §. 1. *num.* 105. *Bar-*
10 *ry d. l.* neque datur restitutio, quia habet or-
dinarium remedium, quod possit revocare, nisi
dolo inductus praeterierit haeredes ab intestato,
arg. l. 88. §. 4. *ff. de legat.* 2. *Hillig. d. c.* 5.
lit. P. Montan. de tutel. c. 37. *num.* 71. *Gilken.
hic in fin.*

L. Eunuchis. 5.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Eunuchos testari posse certum est, ratio du-
bitandi fuit, quod Eunuchi non poterant olim
testari ante adeptam plenam pubertatem, *Bar-
ry de success. lib.* 1. *tit.* 7. *num* 10.

L. Si quis. 6. et L. Cum haeredes. 7.

SUMMARIA

Princeps legibus licet solutus, legibus tamen vivit. num. 1.
Testator privato haerede scripto semper potest mutare testamentum. 2.
Quatenus Principis testamentum mutari possit? 3.
Princeps sine omni solemnitate testatur. 4.
Tria principis in testamento objecta quaenam? 5.

Licet Princeps legibus solutus, legibus tamen 1
vivit *l.* 3. *tit. seq.* ideo, ut testator privato 2
haerede scripto mutare semper testamentum
potest, §. 1. *Inst. quib. modis irrit. redd. testam.*
ita idem est, si quis Imperatorem scripserit
haeredem, sive ergo quis scripserit Imperatorem
haeredem, sive ipse Princeps fecerit testamentum, 3
super propriis sc. et non Domanialibus bonis, de
quibus alibi, id potest mutare. Sed non negandum
est, Principem sine omni solemnitate testari 4
posse, per *l. Princeps ff. de legib. et l. penult.
C. de donat. inter vir. et l. omnium tit. seq.
Castrens. in h. l.* 6. *Card. Mant. lib.* 6. *tit.* 1.
num. 39. Sed necesse est, ut de voluntate Prin-
cipis constet, ut supra de milite dictum. Sane 5
in testamento principis tria sunt objecta: 1.
Potest testari de civitatibus et subditis suis, non
ut alienae potestati subjiciat, sed ut inter libe-
ros suos distribuat, huic hanc, illi aliam pro-
vinciam adsignando: 2. Circa patrimonialia li-
beram et nullis legibus adstrictam habet facul-
tatem: 3. In bonis Domanialibus ad mensam
principis adsignatis bonus Princeps se usumfru-
ctuarium agnoscit.

L. Hac consultissima. 8.

SUMMARIA

In testamento coeci tria singularia requiruntur et quaenam? num. 1. 2. 3. 4.
In ultimo elogio fraus omnibus modis metuenda et vitanda. 5.
Quotnam testes in coeci codicillo necessarii? 6.
An testamentum tale omnibus testibus praelegatur et innotescat? 7. 8.
An opus sit in hoc testamento, ut haeredis nomen primo loco ponatur? 9.
Quid, si ad piam causam testetur? num. 10. 11.
Quot testes in testamento tempore pestis requirantur? 12.
In testamento inter liberos nuncupativo duo sufficiunt. 13.
Tutius est loco testis octavi notarium hoc in casu adhiberi. 14.
An legere et literas scribere ignorans valide testetur? 15.

Si coecus testetur, tria singularia requiruntur: 1
I. Licet alii voluntatem ultimam scripto clausam 2
complecti possint, *l.* 21. *pr. tit. seq.* coecus
tamen tantum nuncupativum condere potest
testamentum, ita ut exprimat nomen proprium
non tantum, sed etiam dignitatem haeredis, ne
sola nominatio dubium pariat, cum plures uno
nomine proprio vocari possint: II. In aliorum 3
testamentis nuncupativis scriptura non requiri-
tur; Sed hic etiam scriptura requiritur, prae-
ter nuncupationem, ita ut testes etiam sua no-
mina subscribant: III. Et opus hic octavo te- 4
ste, si notarius desit, omnia sc. haec ad amo-
vendam fraudis suspicionem; cum facile caeco
imponi possit, in ultimo autem elogio fraus 5
omnibus modis metuenda et vitanda est. Ideo

6 in codicillis sex testes requiri placuit, *Bacch. in Tr. vol.* 2. *disp.* 10. *th.* 3. *lit. F.* Sed fateor sententiam contrariam esse receptiorem, sc. in codicillo coeci etiam 8. testes requiri, *Grassus* §. *testam. qu.* 31. *Vasqu. lib.* 3. *contr. cap.* 103. *num.* 13. *Petr. Gregor. lib.* 42. *c.* 8. *num.* 20. quos sequitur *Barry lib.* 1. *tit.* 6. *num.* 2. *et Dn. Carpz. p.* 3. *const.* 6. *def.* 6. *Molin. D.* 131. quo facere videntur verba *d. constit. Maxim. I.* (*Sondern auch in Codicillen*) etc. quamvis responderi possit haec proportionabiliter intelligenda, sc. ut in testamento coeci, ita in ejusdem codicillo requiri scripturam et nuncupationem, et testis unius additionem. Sed non suaderem, ut quis a recepta sententia recederet. Quamvis
7 autem multas tractent controversias, praecipue tamen hoc observandum puto, ut totus tenor testamenti innotescat omnibus testibus. Nam licet non octo tantum, sed octodecim testes in testamento coeci adhibeantur, imo octoginta, nisi coram omnibus testibus praelectum fuerit, hoc absurdum sequitur, quod fides testamenti a sola scientia scriptoris scil. notarii pendeat. Nam scriptor dum privatim praelegit testatori, potuit aliquid in lectione omittere vel aliter lege-
8 re, vel aliam scripturam a praelecta scriptura diversam subrogare, et manibus coeci insinuare. Ideoque hoc substantiale requisitum est, ut testamentum scriptum coeci coram omnibus testibus legatur, et quidem puto eam praelectionem demandandam esse non scriptori, sed testibus aliis duobus simul chartam inspicientibus,
9 ut omnis, fraus evitetur. Non est opus in testamento coeci, ut haeredis nomen primo loco ponatur, *Vasq. d. cont.* 103. *num.* 10. *Barry d. tit.* 7. *num.* 38. et sane praeposteratio non
10 faceret nullitatem, *Dauth. num.* 232. Et ad piam causam coecus sine hac solemnitate testari po-
11 test. Et sic in testamento ad pias causas non requiritur testis tertius, quia hoc testamentum regitur a jure naturali, quod contentum est duobus testibus, adjectio supernumerarii testis
12 ex jure positivo. Idem dixerim de testamento tempore pestis, quod hoc etiam duobus testibus contentum, modo testes duo de nuncupativo testamento testentur. Et haec constitutio noviter repetita, *in Ord. Notar. An.* 1512. §. *Aber zu eines blinden etc. Tiraq. priv. piae caus.* 10. *Gilken hic num.* 15. *Dauth. num.* 239. In testa-
13 mento inter liberos nuncupativo, quia a jure naturali regitur duos sufficere puto, licet pater coecus. Confer. *Clarus d.* §. *qu.* 17. *num.* 2. *Dauth. num.* 238. *Barry l.* 1. *tit.* 7. *num.* 30. *Menoch. lib.* 4. *praesumpt.* 6. *Petr. Gregor. lib.* 42. *c.* 8.
14 *num.* 21. *Struv. synt. jur. civ. exercit.* 32. *th.* 18. et non requiri hanc solemnitatem, quando coecus suos agnatos instituit, vel in quibus cessat suspicio fraudis, tradit *Cephal. cons.* 72. *num.* 21. Monendum tamen est, quamvis loco notarii octavus testis adhiberi possit, melius tamen est notarium adhibere, quia hoc casu testamentum sine recognitione testium perpetuum robur habebit, de quo alibi. Ex hac lege omni-
15 no colligitur, etiam illum, qui nec legere nec scribere scit literas, non valide testari, si scripturam testibus ostendat et subscribi petat, et non fuerit coram testibus praelecta. Nam alias sequeretur, a sola fide notarii totum dependere testamentum. Vide *Carpz. p.* 2. *dec.* 149. *Conferatur informatio Jotariorum Maximil. I. tit. von testamenten* §. 9. *in fine.*

L. Furiosum. 6.

SUMMARIA

Quatenus furiosi testamentum valeat? num. 1.
In dubio an potius tempore furoris an sanae mentis tempore testamentum conditum praesumatur? 2.
Testibus de sana mente testatoris deponentibus est credendum. 3.
An idem juris in prodigo et mentecapto? 4.
Fatuo conceditur testamenti factio. 5.
Quinam talis sit? 6.
An et quatenus senex a testamenti factione repellatur? 7.

Furiosus, si per id tempus, quo furor remi- 1
sit, testamentum facere coeperit et perfecerit, testamentum valet, si vero coeperit nec perfecerit, furore correptus, nihil actum est, etiamsi postea remisso furore idem perfecerit, quia testamentum uno contextu actionis fieri debet, *l.* 21. §. *ult. ff. h. t.* Sed quaeritur: *An* 2
in dubio potius tempore furoris, an tempore sanae mentis testamentum conditum esse praesumatur? Et communior est sententia licet non probetur tunc fuisse in intervallo, attendenda esse contenta testamenti, an sanae menti conveniant, *arg. l. pen. ff. de cond. inst. Masc. concl.* 825. *num.* 17. *Mant. de conject. ult. vol. l.* 2. *tit.* 3. *num.* 8. *Menoch. l.* 6. *praes.* 45. *num.* 59. *Gilken hic num.* 13. *Dauth. num.* 219. *Myns. cent.* 2. *obs.* 41. *Barry d. tit.* 7. *num.* 41. *Didac. Spino in spec. testam. gl. rubr. p.* 10. *num.* 8. *Fagundez d. c.* 9. *num.* 2. quando autem duo 3
sunt testes deponentes de sana mente testatoris, hi multis aliis contrarium adserentibus praeponderant, ut supra notavi ad *l.* 3. et adstipulatur *Mant. d. tit.* 5. *et Barry num.* 40. Et huc per- 4
tinent etiam prodigi, postquam tales declarati sunt, *l.* 18. *pr. ff. h. tit. Dauth. num.* 121. et mentecapti, qui gradibus tantum a furioso differunt. Fatuo tamen concedunt testamenti fa- 5
ctionem, per quem non mentecaptum, sed eum, qui intellectum quidem habet, sed im- 6
perfectum, crassum et simplicem, majorem tamen, quam impuberes communiter habent, *Thes. dec.* 92. *num.* 4. *Hill. d. c.* 5. *lit. N. Grassus qu.* 21. *num.* 7. *Vasq. de success. progress. lib.* 2. §. 17. *num.* 110. *Dauth. num.* 220. Exinde explicandum id, quod de Senibus ad puerilem sen- 7
sum redactis supra ad *l.* 3. dictum, nam hoc de extrema insipientia senum intelligendum, nam si fatuus non repellitur, certe nec senior imbecillis intellectus repellendus, nisi plane nesciat, quid agat, vel quid sit testari.

L. Discretis. 10.

SUMMARIA

Mutus et surdus natura neque testamentum facere, neque codicillum, nec fidei alterius committere, nec mortis causa donare potest. num. 1.
Quid si morbo talis factus? 2.
Mutus tantum vel surdus quonam modo testamentum valide condat? 3.
Mutus quinam hic intelligatur? 4.

An per hanc legem militum natura surdorum et mutorum juri, quo testari poterant, sit derogatum? 5.
Per legem novam generalem non videtur derogatum privilegiis anterioribus specialibus. 6.
An surdus et mutus ad pias causas possit testari? 7.
Affirmativa exemplo probatur. 8.
An Doctorum limitatio, Si sit mente compos, *h. l. necessaria?* 9.
Objectio contra num. 7. *diluitur.* 10. 11.
Mutus et surdus, si certissima in eo explicandae voluntatis signa adsunt, potest impetrare a Principe testandi facultatem. 12.
Reusnerus *notatur.* 13.
Objectio diluitur. 14.

1 Qui mutus et surdus simul, siquidem natura
talis, testamentum facere non potest, nec codicillos nec fidei alterius committere, nec mortis causa donare, quia manifestare voluntatem
2 suam certe non potest; si morbo talis factus,
potest, si modo ante literas didicerit, et teste-
3 tur in scriptis; qui autem mutus tantum est,
per literas, aut surdus tantum, hic non prohibetur testamentum condere eo modo, quo
per rerum naturam potest scripto vel voce,
4 *Auct. in l.* 6. *ff. h. t. num.* 9. *et* 10. Mutus autem hic est, qui nullam vocem articulatam proloqui potest ob vocem (penitus) *Riminald. l.* 3.
cons. 261. *num.* 4. *et* 79. Et sic generale factum,
quod antea in militibus speciale fuit, §. 2. *Inst.*
5 *de milit. test.* Sed quaeritur: *Cum milites natura muti et surdi antiquo jure potuerint testari, juxta receptiorem opinionem, de qua testatur Vasq. d. cont.* 103. *num.* 3. *An per hanc l. huic juri derogetur?* Et non videtur derogatum per
regulam, quam soleo saepe allegare; quod per
6 legem novam generalem non videatur derogatum privilegiis anterioribus specialibus, *Vasq. d. l. et Grassus qu.* 30. *Barry d. l. num.* 49. et verius,
7 igitur est, surdum et mutum ad pias causas testari
posse, *Vasq. de success. progress. l.* 1. *c.* 1. *num.* 173. *Barry d. tit.* 7. *num.* 49. *Auct. in d. l.* 6. *ff. h. t. num.* 12. Nam licet *Dauth. num.* 196. ex hac ratione id neget, quod voluntas ejus hominis perfecte ab aliis cognosci non possit, ea tamen ratio et juri nostro et experientiae re-
8 pugnat. Juri; nam si voluntas ejus certo cognosci non potuit, cur id veteres militi concesserunt? Cum tamen hujus voluntatem etiam certam esse oporteat. Experientiae repugnat, cum etiam in hac civitate nostra et academia, civem habuerimus bibliopegum, qui natura mutus et surdus fuit et tamen artem suam non tantum exacte didicerat, sed etiam animi sensu aliis exquisite communicare poterat, et novellas hic fere primus in civitate notat, in quo Dei Nostri miram dispensationem animadvertere poteramus. Et forte talia exempla alibi plura reperientur, *Auct. in l. ff. h. t. num.* 11. Et mi-
9 nor, *Doctores* in hac materia semper adjungere hanc limitationem (si sit mentis compos,) cum haec exceptio sit generalis, nam si mentis compos non sit, non opus est in specie de muto et surdo quaerere, semper enim mentis impos
10 removetur. Sed illi, quod de pia causa dictum
supra, videtur obstare, quod hic dictum, ne libertatem quidem a tali muto et surdo dari posse, jam vero a libertate ad piam causam valet consequentia affirmative, et negative, *Neguz. de pign. membr.* 3. *part.* 6. *num.* 24. *Tiraq. de priv. piae caus. in praef.* vers. *item legat liberto. Mantic. de conject. lib.* 8. *tit.* 1. *num.* 10.
Sed huic fundamento responderi potest, quod 11
de piis causis non ex jure civili, sed canonico in utroque foro definiendum sit, *Tiraq. priv.*
piae caus. 163. Et ex dictis patet, ubi in muto 12
et surdo adsunt certissima signa explicandae voluntatis, a Principe potestatem testandi adipisci posse, *Vasqu. d.* §. 1. *num.* 171. *Gilken*
hic. num. 4. *et seqq.* licet dissentiat *Reusn. part.* 13
2. *c.* 18. *num.* 20. *et Barry d. num.* 49. nec
obst. ratio, quod princeps ea, quae naturae 14
desunt, supplere non possit, *arg. l.* 2. *ff. de usufr. earum rerum etc.* nam respondetur, hoc casu praesupposito rationis usu, ut dixi, et certa ratione explicandae voluntatis, Princeps hic supplet defectum non naturae, sed solemnitatis civilis.

L. Omnes. ult.

SUMMARIA

Filiusfam. de castrensibus et quasi testari potest, nec subjacent testamenta talia querelae inofficiosi testamenti. num. 1. 5.
Ampliatur. 2.
Privilegium hoc non competit militi ignominiose misso. 3.
Ad bona quasi castrensia etiam ea, quae a Principe donata referuntur. 4.
Inter peculium castrense et quasi quatenus h. l. sit discrimen, et quatenus aequiparentur? 6.

Filiusfamil. de bonis castrensibus et quasi ca- 1
strensibus potest testari, et talia testamenta querelae inofficiosi testamenti non subjacent. Duo ergo hic videmus specialia et privilegia concur-
rere: Et prius quidem locum habet, licet de- 2
sierit militare filiusfam. et sine patris consensu, *Grassus* §. *testamentum qu.* 23. *num.* 7. Et hoc testamentum in aliis bonis etiam valebit, si sui juris decessit, per *l. pen.* §. 2. *ff. de pecul. castr. Surd. de alim. tit.* 7. *qu.* 4. quem refert
Barry d. tit. 7. *num.* 5. Sed hoc privilegium in 3
milite ignominose misso locum non habet, *Reusn.*
p. 2. *c.* 25. *num.* 11. *et Barry d. l.* Ad bona 4
quasi castrensia referuntur etiam ea, quae a Principe donata, *Grassus d. l. qu.* 24. *Vasqu. de success. creat.* §. 10. *num.* 173. *Barry d. l. Fagundez de J. et J. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 7. Alte-
rum quod hic habetur, est de querela quae 5
contra testamentum militis Sagati vel Togati moveri non potest, *l. fin. supr. de inoff. testam.*
Illud palam est, peculium castrense et quasi 6
castrense quidem hic aequiparari, sed ratione personae magnum esse inter haec discrimen, nam miles de castrensibus militans potest jure militari testari, non ita miles Togatus, *Clarus* §. *testam. qu.* 18. *num.* 6. *Enenk. Baro de priv. parent. priv.* 16. *c.* 3. *num.* 4.

TITULUS XXIII.

De testamentis et quemadmodum testamenta ordinentur.

L. Testes. 1.

SUMMARIA

Servus testis esse nequit. num. 1.
Quid si tempore testamenti pro libero habitus? 2.
Quando de validitate actus sermo est, non semper inspicitur veritas, sed opinio. 3. 5.
An error facti et quatenus jus faciat? 4.
Ad testamenti validitatem vel putativa testium habilitas sufficit. 6.
Objectio resolvitur per distinctionem. 7. 8.
Ampliatur. 9.
Alia objectio. 10.
Respondetur tripliciter. 11. 12.
Ad idoneitatem testatoris habilitas tempore testamenti sufficit. 13.

1 Servus testis esse nequit, §. 6. *Inst. h. t.* Cum autem quaeritur, an testis recte sit adhibendus
2 vel non; hoc tantum considerandum, an tempore testamenti pro libero habitus, non vero, an vere fuerit. Ratio est, ne justa ignorantia testatori noceat, *l.* 11. §. 8. *ff. de interrog. action.*
3 Collige; Quando de validitate actus sermo est, non semper inspici veritatem, sed opinionem,
4 et sic verum est, errorem facti jus facere, non per se, sed per accidens et occasionaliter, cum Imperator interveniat, *hic et in l. barbar. ff. de offic. praetor. l.* 2. *C. de sentent.* item, ad
5 validitatem actus sufficere, si persona pro ido-
6 nea habeatur. Et sic ad validitatem testamenti requiri habilitatem testium veram vel putativam, *DD. hic communiter et Clarus* §. *testamentum qu.* 55. *num.* 10. *Grassus qu.* 56. *num.* 17. *Mantic. lib.* 2. *de conject. ult. vol. tit.* 10. *num.* 1. et quod de habilitate testis judicandum sit eo tempore, quo ad testamentum adhibetur. Sed
7 videtur repugnare alia theorica juris, quod habilitas testis attendatur tempore depositionis, *arg. l.* 3. *ff. de testib.* de quo *Dauth. ad l. ad testium* 22. §. *conditionem num.* 4. *ff. qui testam. facere possunt.* prolixe agit. Et videtur
8 omnino, quicquid *Jason.* contradicat, distinguendum esse, inter casum, quo testes ad substantiam actus requiruntur, et quo tantum ad probationem; hoc casu habilitas attenditur tempore depositionis in judicio, illo casu vero tempore actus, v. g. testamenti, quam sententiam communem esse non tantum ex traditis *Dauth. d. l.* sed. et *Farinac. quaest.* 62. *num.* 229. apparet, et *Barry lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 32. et
9 de testamento in scriptis non tantum, sed et nuncupativo hoc intelligendum esse, recte statuit *Reusn. part.* 3. *cap.* 21. *Barry d. l.* Sed in
10 testamento nuncupativo, quod a notario in scripturam non est redactum, manet hic scrupulus, quod ita tamen pereat testamenti fides. Esto, testamentum sit validum, necesse tamen est, ut testes 7. jurato deponant. Vid. *Carpz. part.* 3. *dec.* 36. et ideo etiam tempore hoc eos habiles esse oportet; sed responderi potest, vel 11
hic tantum de validitate testamenti agi, vel sufficere, ut cum effectu etiam validum sit testamentum, in casu quo a notario in scripturam est redactum, vel dicendum cum *Cujac. ad d. l.* 22. posse inhabilem testem deponere hoc casu jurato, licet a plerisque inhabilitas cognita, modo non fuerit passus quaestionem status. Conf. *Grassus qu.* 56. *num.* 11. *Vasq. de success. creat. lib.* 2. §. 12. *num.* 88. *et Barry d. l.* vel dici posset, inhabilem te- 12
stem hoc casu ad depositionem vel ad recognitionem sigilli esse admittendum, ut *Gilken. hic num.* 13. de quo ultimo tamen dubitandum, cum Imperator hic diserte in eo etiam rationem collocet, quod hactenus nemo ei controversiam status moverit, sed superiorem responsionem probat et *Sichard. hic n.* 22. *et Dn. Manzius in tr. de testam. tit.* 5. *q.* 3. *num.* 30. *et seq.* Et ex *hac l.* etiam colligit *Dn. Carpz. p.* 3. *const.* 4. *def.* 5. Quando de idoneitate testatoris sermo est, suf- 13
ficere, si tempore testamenti habilis fuerit, ubi tamen exceptionem ex certo jure tradit in militari, cujus fides constat intra annum tantum post missionem.

L. Publicati. 2.

SUMMARIA

An exemplar ex testamento actis insinuato et publicato transumptum et explicatum plene probet? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Consilium in hoc casu. 4.
Publicatio et apertura testamenti quomodo differant? 5.
Effectus aperturae. 6.
Publicationis finis. 7.
Quaenam testamenta publicatione non opus habeant? 8.
Publicationis requisita. 9.
Publicatione semel rite facta exemplo semper creditur nec desideratur originale, quando casu periisse probatur. 10.
Secus si extat. 11.
Publicatio celerem expeditionem requirit, nec per ullam contradictionem facile potest impediri, nec a decreto de publicando datur appellatio. 12.

Quando testamentum est actis insinuatum ac 1
publicatum, tunc si ex originali transumptum et explicatum exemplar exhibeatur, quaeritur: *An hoc plene probet?* Videtur quod non, ob *l.* 2
2. *ff. de fid. instrum. et Auth. si quis in aliquo*

3 *etc. supr. de edend.* Sed affirm. quia *d. l.* 2. de transumpto privato loquitur, non publico, hoc enim plene probat, si modo prior materia testamenti casu periisse probetur. Quia periculum est, ne, si testis unus moriatur, inutile reddatur testamentum, dum id per septem testes
4 probari nequit. Ideo optimum est, ut haeres testamentum apud acta publicari faciat, et testes examinentur et exemplar transumatur.
5 Tractant in *hac l.* 2. *DD.* materiam publicationis testamentorum, quam ab apertura distinguunt, nam apertura (quae vel simplex vel solemnis, *Struv. jur. civ. exerc.* 34. *th.* 4.) coram bonis et honestis viris etiam testibus absentibus expeditur, *l.* 1. *et* 7. *ff. quemadm. test.*
6 *aper.* forte ad eum effectum, ut super relictis in testamento transigatur, *l. de his* 6. *ff. de transact. Dauth. hic num.* 2. Sed publicatio te-
7 stamenti ad eum finem fit, ut tali testamento plena fides adhibeatur, etiamsi testes moriantur, ut sic publicare nihil aliud sit quam testamentum reddere authenticum. Et publicatur tantum testamentum manu privata confectum de necessitate, eo fine, ut in formam publicam redigatur.
8 Testamenta autem coram actis facta, vel a notario confecta, non opus habent tali publicatione, *Carpz. p.* 3. *const.* 5. *def.* 24. *Auct. in rubr. ff. testam. quemad. aper.* licet contrarietur
9 *Gilken. ad l.* 2. *C. de testam.* Publicationis autem hujus requisita sunt: 1. Ut fiat coram judice competente, de quo in *l.* 18. *et* 23. *h. t*: 2. Necesse est, ut citentur omnes testes et ii, quorum interest, et qui alias ab intestato successuri erant: 3. Debent testes in testamento scripto recognoscere suam manum et sigillum; in nuncupativo autem, quod non est redactum in scripturam a notario super contentis formari possunt articuli, et super iisdem examinandi testes, et super interrogatoriis, et demum sequitur publicatio attestatorum, sicut haec requisita recenset *hic Dauth.* post alios, et *Hartm. Pist. obs.* 119. *Dn. Mevius de jure Lubec. part.* 2. *tit.* 1. *art.* 11. *Franc. Barry de succ. lib.* 11.
10 *tit.* 1. *l.* 6. quod si igitur publicatio rite semel facta, tunc exemplo vel transumpto semper creditur, nec desiderari debet originale, quando
11 casu periisse probatur, sed quando originale adhuc extat, non potest editio originalis evita-
12 ri. Et haec publicatio celerem expeditionem requirit, nec per ullam contradictionem facile impediri potest, nec a decreto de publicando datur appellatio, *Dn. Mev. p.* 3. *dec.* 405.

L. Ex imperfecto. 3.

SUMMARIA

Ex imperfecto testamento nemo nec ipse Princeps acquirere potest. num. 1.
Legibus sustinetur imperium. 2.
Princeps ne in perfecto quidem testamento litis mutandae causa haeres potest institui. 3.
Edictum de alienatione judicii mutandi causa non locum habet in haeredis institutione. 4.
Distinguitur inter potentiorem, et Principem. 5.
Princeps quatenus haeres institui vel ipsi legari possit? 6.
Haeres agnoscens voluntatem defuncti, ut si promittat solutionem, legata omnino solvere tenetur, nec soluta potest repetere. 7.
Soluto uno legato reliqua propterea solvere non tenetur. 8.
An ex testamento etiam imperfecto oriatur obligatio naturalis? 9. 10.

Ex imperfecto, i. e. tali testamento, in quo 1
solemnia non adhibita, nemo quid acquirere potest, ne quidem Princeps. Quamvis enim legibus solutus, et pro sua potestate si ea uti velit, id possit, legibus tamen vivere mavult, quia iis 2
Imperium sustinetur, §. *ult. Inst. quibus mod. infirm. testam. et l.* 23. *ff. de legat.* 3. et quidem, ne in perfecto testamento litis mutandae causa. 3
Princeps institui potest, quia hoc invidiosum esset, ut loquitur Juris-Cons. in *l. pen. ff. de haered. inst.* quamvis enim edictum illud de 4
alienatione judicii mutandi causa facta, non habeat locum in haeredis institutione, *l.* 8. §. 3. *ff. de alien. jud. mut. caus. facta,* merito tamen distinguit *Duaren. in tit. de haered. inst. c.* 2. inter potentiorem alium et Principem, 5
quis enim est, qui cum Principe litigare ausit aut velit? Et ideo dicitur in *l.* 16. *h. t.* Princi- 6
pem haeredem institui posse vel ei legari, sed id ita intelligendum, nisi litis causa fiat, etsi testamentum sit perfectum, ita ut institutio Principis ob litem facta ipso jure non valeat, qua de re multis disputat *Dn. Manzius in Tr. de testam. tit.* 6. *q.* 7. *ampl.* 7. *per tot.* Si tamen haeres agnoverit voluntatem defuncti, ut 7
si promittat solutionem sive verbis, sive facto, *l.* 1. *infr. de fideicom.* omnino legata solvere tenetur, *l.* 19. *h. tit.* nec si solverit, potest repetere, *l.* 2. *infr. de fideicom.* Si tamen unum 8
legatum solverit, reliqua propterea non tenetur solvere, *l. ult. C. ne uxor pro mar.* de quo *Ceph. c.* 377. *num.* 52. *et seq.* Nam illud, quod in *Auth. sed cum testam. infr. ad l. Falcid.* habetur, specialem habet rationem. Et ex *d. l.* 16. potest satis probabiliter confirmari sententia eorum, qui statuunt ex testamento etiam 9
imperfecto, nisi dolum quis suspicari probabiliter possit, oriri obligationem naturalem. Nam si nulla esset vel oriretur obligatio naturalis ex 10
tali testamento imperfecto, non video, cur non solutum possit repeti, et sic statuunt *Card. Mantic. l.* 2. *tit.* 14. *Molin. Tr. de J. et J. disp.* 77. *Fachin. lib.* 4. *c.* 5. *Clarus qu.* 90. et pluribus *Fagundez de J. et J. lib.* 6. *c.* 7. *per tot.* Et sane lex non voluit prohibere, ne quis aliter testaretur, sed noluit adsistere.

L. Si in nomine. 4.

SUMMARIA

Error nominis non nocet haeredis institutioni. num. 1.
Error nominis nullam vitiat dispositionem. 2.
Nomina significandorum hominum gratia reperta sunt et licet alio modo intelligantur, nihil interest. 3.
Quid si alium scripserim haeredem an valeat? 4.
Error nominis in legato vitiare potest interdum legatum, si scilicet in nomine appellativo erraverim. 5.

Si quis instituat haeredem matrem suam, quam 1
per errorem vocat Annam nihil hoc nocet in-

stitutioni, *Mantic. l. 4. tit. 5. num. 1. Barry l. 2.*
2 *tit. 2. num.* 6. Error enim nominis nullam vitiat dispositionem, per allegata *Barbos. locupl. lib. 5. c. 16. axiom. ult. Auct. in l. 9. ff. de haered.*
3 *instit.* Nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt, qui si alio modo intelligantur, nihil interest, §. 29. *Instit. de legat.* Secus
4 si alium scripserim haeredem, cum alium scribere voluerim, et sic in persona erraverim, tunc enim neuter haeres est, hinc deficiente scriptura, illinc voluntate, *l. 9. princ. ff. de haered. instit. ibique Auct. num.* 1. Sed error
5 nominis in re legata potest interdum vitiare legatum, si in nomine appellativo erraverim, quod plerumque substantiam denotare solet, cum e contrario nomina propria non conveniant rei vel personae. Nam verbi gratia, potest quis Probus vel Pius dici, qui minime probus aut pius. Atque hanc distinctionem inter nomina propria et appellativa ex *l. 4. princ. ff. de legat.* 1. probant *DD.* communiter, *Anton. Gomez t. 1. resol. c. 12. num. 9. Cujac. in l. 9. ff. de haered. instit. Grassus §. legat. q. 65. Donell. lib. 8. cap. 4. Barry lib. 2. tit. 6. num.* 4.

L. Neque professio. 5.

SUMMARIA

Verba dispositiva in testamento semper sunt servanda. num. 1.
An verba enunciativa, quibus quid factum esse affirmatur vel negatur, praejudicent veritati et quatenus probent? 2. 3.

1 Verba dispositiva semper in testamento ser-
2 vanda sunt, sed verba enunciativa, quibus quid factum esse affirmatur vel negatur, verbi gratia, si me filium suum esse dicat testator, non praejudicant veritati, nec enim per asseverationem illam ego filius fio, *argum. l. 1. ff. de adopt.* nisi ex affectione sciens et non errans me filium appellaverit, *leg. 58. §. 1. ff. de hae-*
3 *red. instit.* in quibus casibus autem verba etiam enunciativa interdum probent in testamentis, quando propter se proferuntur, vid. plene tractans *Trentacinq. lib. 1. tit. de V. S. resolut. 1. num. 37. et seq. et Card. Mantic. lib. 3. conject. tit. 12. Menoch. lib. 2. arb. q. cas. 461. Barbosa locupl. lib. 5. tit. 13. axiom.* 1.

L. Verba testamenti. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An testatori in praejudicium donatarii sit credendum et quatenus? 2. 3. 4.

1 Casum ex mente *Cyni et Dauthii* sic propono; Mater testatrix donavit Titio domum, deinde in testamento negavit se donasse domum, quae-
2 ritur: *An testatori in praejudicium donatarii sit credendum?* Et negatur hic, quia donationem factam falsa sua negatione testatrix infringere non potuit, nec creditur testatori mensuram substantiae suae affirmanti, nisi jurato, *Novell. 48. et l. 10. C. comm. utriusque*
3 *jud.* nec creditur, si me debitorem dixerit, *l. 6. C. de probat.* nec creditur eidem, si servum 4
suum accuset in testamento, *l. 3. §. 1. ff. de SCto Silan.* juratae tamen adsertioni creditur, scilicet 1. hoc ad haeredes pertinet, quod ipsi teneantur credere juratae defuncti assertioni, non vero creditores; deinde quod illa jurata assertio non praejudicet etiam aliis, ut si juret, sibi venenum a servo propinatum, non statim creditur, *d. l. 3. §.* 1.

L. Errore. 7.

SUMMARIA

An institutio haec, Lucius esto, *non adjecta voce* haeredis, *sit valida? num.* 1.
Voluntas testatoris evidens errore scribentis et aliquid omittentis, non vitiatur. 2.
Interdum minus scriptum quam nuncupatum est. 3.
Testamentum obscure scriptum in eam partem, quae verisimilior est, debet interpretari. 4.
Declaratio et intellectus voluntatis in re plane dubia etiam duobus testibus potest probari. 5.
An et quatenus vel una voce fieri possit institutio? 6.

Scripserat quis in testamento, *Lucius esto*, 1
non adjecta voce *haeredis.* Quaeritur: *An haec institutio valeat?* Quod affirmat. per *l. 1. §. 5. ff. de haered. instit. ibique Auct. num.* 6. Ratio est, quod institutio plene non sit scripta, hoc non contingere voluntate testatoris, sed errore ac festinatione scribentis, et vocabulum *haeredis* subintelligendum esse, subjecta materia indicat, modo ex antecedentibus et sequentibus appareat, voluisse testatorem his verbis haeredem instituere, vel si probari possit, dixisse testatorem, se Lucium haeredem esse velle, licet vox *haeredis* non sit scripta. Collige
ergo; Voluntatem testatoris evidentem, errore 2
scribentis et aliquid omittentis non vitiari, et
interdum minus scriptum quam nuncupatum 3
est, *hic et l. 9. §. 1. ff. de haered. inst. ibique Auctor num. 5. Carpz. p. 3. jurispr. constit. 13. defens.* 33. Et si Notarius scripsit obscure, in 4
eam partem debemus testatoris voluntatem interpretari, quae verisimilior est, *Mantic. l. 3. de conject. ult. vol. tit. 13. num.* 3. ubi *num.*
5. de erroris hujus probatione agit. Quin etiam 5
duobus testibus intellectus et declaratio voluntatis in re plane dubia probari potest, *Mantica de conject. ult. vol. lib. 12. tit. 16. num. 2. et Carpz. d. l.* ubi tamen, quod de uno teste ex *Bartolo* refert, non videtur recipiendum. Non 6
est itaque absolute dicendum, per unam vocem fieri posse institutionem, sed si scriptura aliqua reperiatur, ex qua apparet voluisse scribentem testari, tunc demum ex una vel altera voce, licet sermo sit ellipticus, colligere licet haeredis institutionem, *Barry lib. 2. tit. 1. num. 19. hic et l. 1. §. 5. et seq. ff. de haered. inst.*

L. Casus. 8.

SUMMARIA

Testes semper et continuo actu nec non in conspectu testatoris praesentes esse oportet. num. 1.

Ratio. 2.
An numerus testium ob pestem minui possit? 3.
Consuetudine quid obtineat? 4.
Forum hodiernum. 5.
An idem in dysenteria. 6.
Quid si grassetur in urbe vel pago pestis, nec tamen testatoris domus hac lue infecta? 7.
An in testamento tempore pestis facto necessario institutio haeredis requiratur? 8.
Foeminae h. c. ad testimonium admittuntur. 9.

1 Testes uno contextu et continuo actu adesse, ac in conspectu testatoris simul praesentes esse
2 oportet, *l.* 9. *h. tit. l.* 21. *ult. ff. eod.* ne falsum committatur, quod in aemulatione vocis testatoris saepe factum esse exempla testantur, nisi testium unus contagioso morbo cito opprimatur, ut si caeteri testes convenire nolint, hic solus subsignare, et postea caeteri contestes actum reliquum peragere possint, *l.* 8. *h. tit.*
3 Sed ob pestem numerus testium minuendus non est, *d. l.* 8. Vid. *Fachin. l.* 5. *contr.* 92. *et Berlich. p.* 3. *concl.* 5. *num.* 6. *Barry l.* 1. *tit.* 2. *num.* 8. *et Ant. Gabriel l.* 4. *de testam. concl.* 8. *Masc. concl.* 1359. *num.* 22. *Clarus* §. *testam.*
4 *qu.* 56. *Caeval. qu.* 290. Quamvis de consuetudine nonnullorum locorum pauciores sufficiant, quae tamen consuetudo probanda, sicut praejudicia Camerae Spirensis, quod in magno contagio duo testes suffecerint, affert *Gail. lib.* 2. *obs.* 88. *n.* 18. *Myns. lib.* 1. *obs.* 96. et quidem
5 haec sententia non tantum in foro Saxonico, de quo testatur *Carpz. p.* 3. *const.* 4. *def.* 1. sed et alibi passim recepta, quod scilicet duo testes sufficiant integrae opinionis, *Ruland. de commiss. p.* 2. *lib.* 1. *c.* 7. *num.* 2. *Dauth. num.* 424. *Finckelth. obs.* 7. *Mevius ad jus Lubec. p.* 2. *tit.* 1. *art.* 2. *num.* 41. *et seqq. Coth. vol.* 3. *cons.* 13. *num.* 21. *et seqq.* ubi plures citat et in foro receptum hoc testatur, licet ex *hac lege* non probetur haec sententia, sed melius ex ratione aequitatis, quam etiam nostra facul-
6 tas sequi solet. Et idem in dysenteria putat post alios *d. l. Carpz. dec.* 2. sed id valde dubium, cum tantum hic non sit periculum: sed in
7 dubio, an sufficiant, si in urbe vel pago grassetur pestifera lues, non tamen ipse testator peste laboret, nec domus ejus lue sit infecta, Negativam tuentur Saxones ex constitut. elect. Saxonica locali, *Finckelth. obs.* 7. Sed in jure communi videtur affirmandum, quia difficillimum est, in pestis periculo 7. testes conquirere. Aequissimum esse statutum, si in testamento, quod a laborante hac lue vel domo infecta duo sufficerent etiam foeminae, sed altero casu tres vel 4. re-
8 quirerentur. Institutionem haeredis in testamento tempore pestis condito non requiri vult *Finckelt. obs.* 14. *num.* 4. *et seqq.* Sed dicerem, tunc esse potius codicillum, nec rogationem requiri tradit *d. obs.* 14. *num.* 31. *et seqq.* Sed analogon tamen requirerem, ut sciant testes,
9 quid agatur. Et foeminas ad testimonia admittit *idem num.* 43. *et seqq.* in quo adsentior.

L. Si non speciali. 9.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Paries medius inter testatorem et testes testamentum vitiat. 2.
Obtinet etiam in testamento pestis tempore facto. 3.
Privilegiis, statutis et consuetudinibus de forma testamenti aliquid remitti potest. 4.

Fecerat quis testamentum, sed non viderant 1
testatorem, et forte etiam uno contextu non interfuerant dispositioni testamentariae, nam neutra lectura improbabilis; Resp. Imp. Neutro casu testamentum valere, quia testes debent testatorem in conspectu habere, ut ita fraus omni modo evitetur, quam fraudem commissam esse hic *Doctores* allegare solent; quod tamen in contractibus non ita praecise requiri cum *Alex.* notat hic *Dauth.* quia negari nequit testamenta magis fraudibus esse obnoxia. Collige ergo ex textu; Parietem medium inter te- 2
statorem et testes testamentum vitiare, *Dauth. et DD. hic* cum quo textu consentit *d. constit. Imper. tit.* (*von testamenten* §. *nun dic*) *form. etc. Carpz. p.* 3. *constit.* 3. *def.* 2. *num.* 7. Et
hoc, ut testes testatorem videant, etiam in te- 3
stamento tempore pestis facto esse necessarium dixerim cum *Finckelth. d. obs.* 14. *num.* 17. nam alias fraus committi possit, quae hic etiam jure gentium maxime evitanda, *Auct. in l.* 21. *ff. h. t. num.* 1. Et ideo peste laborantes vel in plateam se deferri curant vel pro fenestra testibus se ostentant, *Gratianus t.* 4. *disc.* 318. *num.* 16.
et seq. Collige etiam: privilegiis, statutis et con- 4
suetudinibus de forma testamenti aliquid remitti posse, *DD. hic et Barry lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 46.

L. Si testamentum. 10.

SUMMARIA

Rescripta contra testamentum impetrata nil valent. num. 1.
Casus legis. 2.
Jure gentium libera testandi facultas data est. 3.
Princeps privatorum testamentis derogare nequit. 4.
Legitimatus per rescriptum Principis etiamsi in specie ad feudalem successionem legitimatus, exclusis agnatis, succedere non potest. 5.
An Principi legata ad certum usum ad alium convertere liceat? 6.

Rescripta contra testamenta impetrata nil va- 1
lent, ratio *in l.* 1. *supr. de SS. Eccl. l.* 5. *et pen. supr. de precib. Imper. offer.* Speciem *hujus le-*
gis format *Dauth.* Testator instituit filios, et 2
diserte excludit illegitime natos: Quaeritur; *An Princeps hos legitimando testatoris voluntatem evertere possit?* Ratio dubitandi est in potestate Principis, et quia testamenta videntur esse Juris civilis. Sed ratio decidendi in eo, quod
jure gentium libera facultas testandi data est, 3
DD. hic et Covarr. l. 3. *resol. c.* 6. *num.* 7. *Steph. Fagundez de J. et J. lib.* 6. *c.* 1. *num.*
10. *et seq.* ideoque Princeps non potest priva- 4
torum testamentis derogare, *Dn. Mevius ad jus Lubec. p.* 2. *tit.* 1. *num.* 13. *Covarr. d. l.* unde potest probabilis reddi sententia eorum,
qui statuunt, legitimatum per rescriptum etiam 5

in specie ad feudalem successionem legitimatum, exclusis agnatis succedere non posse, *Hartm. Pistor. p.* 2. *q.* 40. *Carpz. p.* 3. *constit.* 28. *def.* 16. Scilicet ubi agnato ex simultanea investitura quaesitum jus sit, ut contrariae opiniones ita concilientur, a quo non abluit
6 *Menoch. cons.* 157. *num.* 31. nec poterit Princeps legata ad certum usum, ad alium usum convertere, nisi de publicis res sit et justa causa, *Dauth. hic et Covarr. d. l.*

L. Non idcirco. 11.

SUMMARIA

Certi casus, in quibus ob novum urgens, testamentum jure factum rumpatur vel infirmetur. num. 1.
An inter hos ille etiam sit, si furto surripiatur testamentum? 2.
Furti vitium afficit rem subtractam non voluntatem ultimam. 3.
Fur quomodo teneatur? 4.

1 Certi sunt casus, in quibus ob novum emergens, testamentum jure factum rumpitur, vel infirmatur, *tot. tit. Inst. quib. mod. irrita fiunt*
2 *testam. l.* 1. *ff. de injust. test.* in quibus non est casus hic, si furto sit surreptum testamentum, nam materia non est testamentum, sed voluntas testatoris, modo de hac constet, et
3 furti vitium afficit rem subtractam, sed non
4 voluntatem ultimam, et surripiens testamentum de falso tenetur, *l.* 16. *ff. de crim. fals. Farin. q.* 150. *num.* 171.

L. Si unus. 12.

SUMMARIA

An testamentum, quo aliquid deletum et quid supra scriptum, valeat? num. 1.
Quid si ab alio quam testatore sit deletum? 2.
In quibusnam casibus haec lex locum habeat? 3.
De substantia testamentorum est numerus testium septenarius et uno deficiente non valet testamentum. 4.
An praesentia testium coram testatore, ut uno loco et actu signent, sit necessaria in testamentis, adeo ut nec in privilegiatis prius abesse possit? 5.
An voluntate testatoris quid esse mutatum in casu dubio praesumendum sit? 6.
Rasura in loco minime suspecto nec contra substantiam institutionis, vel legatorum facto testamentum non vitiat. 7.

1 Fuit quiddam in testamento deletum, et aliquid supra scriptum. Quaeritur, *An testamentum valeat?* Non esse hoc de solemnitate testamenti, ut nihil sit deletum, sicut de solemnitate est, ut testes sint numero septem, et uno contextu signent, et si deletum quid sit, ad fidei vel facti quaestionem pertinet, ut quaeratur a quo et quo fine sit emendatum; si enim a testatore sit deletum consulto, non valet dispositio illorum verborum deletorum; si inconsulto, valet, per *l.* 1. *ff. de his, quae in test. del.*
Si vero ab alio deletum sit licet consulto et per 2
fraudem factum, valet tamen id, quod deletum est. Sed habet *haec lex* locum in iis casibus, ubi 3
rasura non est in substantiali loco, vel ubi ex antecedentibus et sequentibus clarus et apertus sensus colligi potest, vel ubi cancellatio bene est correcta, quos casus vide declaratos apud *Menoch. rem.* 4. *adipisc. poss. num.* 709. *et seqq.*
Collige I. De substantia testamenti esse nume- 4
rum septenarium testium, adeo ut si vel unus desit, testamentum non valeat, *DD. hic communiter, Covarr. in c. cum esses num.* 8. *X. h. t.* et quos citat *Dauth. in tr. de testam. num.* 422. *Fr. Barry l.* 1. *num.* 34. II. Substan- 5
tiale et hoc esse, ut omnes coram testatore praesentes sint, et uno loco atque actu signent, quorum prius adeo necessarium, ut nec a testamentis privilegiatis abesse possit, unde hanc solemnitatem, ut testes testatorem videant juris gentium esse dicit *Dn. Carpz. p.* 3. *c.* 4. *def.* 37. III. Notandum, *hic DD.* agere de iis, quae in testamentis sunt deleta, et distinguunt, ut in textu. Sed Quaeritur hic; *Quid praesumen-* 6
dum sit in casu dubio, an praesumendum voluntate testatoris quid esse mutatum? Et distinguunt, an testamentum reperiatur penes testatorem, an non, ut illo casu deletio illius voluntate facta videatur, *Gilken. hic num.* 12. *Struv. synt. jur. civ. exerc.* 32. *th.* 50. 51.
Nota igitur; Rasuram in loco minime suspecto 7
factam, nec substantiam institutionis vel legatorum concernentem, non vitiare testamentum, *Carpz. p.* 3. *const.* 3. *def.* 5. Conf. *Dauth. ad l.* 21. §. *si quid post num.* 20. *ff. h. t.*

L. Testandi causa. 13.

SUMMARIA

An et quatenus libera cuique testandi facultas relinquatur? num. 1.
Publico jure derogare nemini licitum. 2.
Testator formam a jure praescriptam minuere non potest. 3.

Licet libera unicuique relinquatur testandi fa- 1
cultas, *l.* 1. *supr. de SS. Eccl.* certis tamen legibus, id est, conditionibus id licet, certa forma praescripta, quam mutare, et ita jure pu- 2
blico derogare nemini licitum, *l. nemo* §. 8. *ff. de legat.* 1. Et sic testator non potest minue- 3
re formam a jure praescriptam, *Barry d. l.* 1. *tit.* 1. *num.* 46. Vide *Bolognet. in d. l. nemo potest*, et *Joan. Guttierez in ead. leg.*

L. Non codicillum. 14.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Haeredis institutio et exhaeredatio in codicillis fieri nequit. 2. 6.
Conjectura ex solemnitate oriens cedit praesumptioni ortae ex ipsa rei substantia. 3.
Objectio diluitur. 4.
Instrumentum, in quo haeredis institutio et exhaeredatio continetur, praesumitur testamentum. 5.

An in codicillis nulla detur haereditas? 7.
An fideicommissaria dari possit? 8.
An declaratio haeredis in codicillo vel alia scriptura possit fieri? 9.

1 Scripserat quis haeredem extraneum et exhaeredaverat filium, praesentibus tantum quinque testibus, haeres dicit voluisse testatorem codicillari, non testari, atque adeo sufficere testes quinque, *l. ult. infr. de codicill.* Sed neg. quia
2 institutio haeredis et exhaeredatio in codicillis fieri nequit, §. 2. *Inst. de cod.* et quia utrumque fecit testator, noluit codicillum facere sed testamentum, quod tamen ob defectum solem-
3 nitatis est nullum. Unde colligitur; conjecturam, quae oritur ex solemnitate cedere praesumptioni, quae oritur ex ipsa rei substantia, *Menoch. l.* 1. *de praesumpt. q.* 23. *et lib.* 4. *praesum.* 3.
4 *num.* 3. Nec obstat, quod in dubio actus ita intelligendus prout valet, verum tamen hoc est, nisi ex ipso instrumento contraria voluntas appareat, *Mantic. de conject. ult. vol. lib.* 2. *tit.* 3. *num.* 3. Duo ergo colligunt ex *hac l.* I.
5 Quando in aliquo Instrumento continetur institutio haeredis vel exhaeredatio, tunc praesu-
6 mitur esse testamentum, nam institutio et exhaeredatio in codicillo fieri nequit, *Caldas*
7 *de empt. c.* 3. *num.* 12. In codicillis non dari haereditatem, *Auctor in l. pen.* §. 2. *ff. de cond. instit. num.* 1. prius limitatur, nisi adjecta esset clausula codicillaris, nam ex adjectione appareret, voluisse eum non tantum testari, sed et codicillari, *Anton. Gomez tom.* 1. *resol. c.* 6. *num.* 24. ***Fr.*** *Barry l.* 1. *tit.* 6. *num.* 8. Et optandum esset, ut per statutum omnibus testamentis tribueretur vis ac potestas clausulae codicillaris, licet ea non fuerit expressa. Nam de voluntate testatoris ex voluntate viventium judicandum, et credendum est, si testator monitus, voluntatem suam ultimam non valituram jure testamenti, quod tunc voluisset eam valere ut codicillum, ne omnino voluntas sua pereat, Vide *l. Titius* 25. *et ibi a me no-*
8 *tata ff. de liberis posth. haered. instit.* Sed fideicommissaria haereditas potest dari in co-
9 dicillis, de quo suo loco. Declaratio etiam haeredis in codicillo vel alia scriptura fieri potest, ita ut se testator in testamento ad hanc scripturam referat, modo de scriptura certo constet, *l. asse toto* 77. *ff. de haered. inst. l.* 38. *ff. de cond. et demonstr. Dauth. num.* 230. *Gabriel. l.* 4. *tit. de testam. concl.* 11. *Barry l.* 1. *tit.* 6. *n.* 8. *Mantic. l.* 4. *tit.* 3. *num.* 10. *et lib.* 6. *t.* 4. *n.* 3. Sed hoc periculosum esse, infra dicetur.

L. Quoniam. 15.

SUMMARIA

In quanam materia testamentum scribatur? num. 1.
In instrumentis notariorum pergamena requiruntur. 2.
Quibus verbis testator utatur? 3.
An verba obliqua haeredis institutionem non inferant? 4.
An etiam agonizans et balbutiens testari possit? 5.

1 Nihil refert, an in tabulis, vel in alia materia testamentum scribatur, §. 12. *Instit. h. tit.* licet per *constitutionem Maximil.* I. *ann.* 1512. Pergamena in Instrumentis notariorum requi- 2
rantur. Sic nec refert, quibus verbis testator 3
utatur, an directis seu imperativis, qualia sunt, *haeredem facio, instituo* et simil. an obliquis, *ut volo, mando*, et simil. sive etiam verba sint communia, ut, *relinquo, perveniat* et sim. dummodo constet, quem sibi haeredem testator esse voluerit, quamvis enim obliqua verba insti- 4
tutionem haeredis non inferant, *Carpzov. p.* 3. *jurispr. const.* 91. *def.* 6. aliud tamen est de mente testatoris, si aliud appareat, quia ex voluntate defuncti verba obliqua ad directum sensum trahi possunt, *Dauth. tit. de verbis quibus subst. num.* 107. Ex *hac l.* colligunt *DD.* Etiam agonizantem, et balbutientem testari 5
posse, modo integrum rationis usum habeat, ac memoria polleat, etiamsi balbutire incipiat, articulate tamen adhuc loquatur, de quo *Mascard. concl.* 1360. *num.* 12. *Mantic. lib.* 2. *tit.* 16. *num.* 1. *Dn. Carpz. p.* 3. *const.* 4. *d.* 1. *et seq. Dn. Mevius ad jus Lubec. p.* 2. *tit.* 1. *art.* 1. *num.* 21. *Berlich. p.* 3. *concl.* 5. *num.* 9. *Thesaur. l.* 1. *q.* 56. *Simon de Praetis de interpr. ult. vol. l.* 1. *dub.* 1. *fol.* 4. *num.* 23. *Vasq. de success. progr.* §. 1. *num.* 95.

L. Non dubium. 16. et L. Nolumus. 20.

SUMMARIA

An Princeps ex testamento civis Romani quid capiat? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Ratio decidendi. 3.
Dignitas non obesse sed prodesse debet. 4.
Quid juris in testamento non scripto? 5.
Casus obscurus legis. 6.
Verus ejus intellectus. 7.
Succedentes ab intestato testamentum in quo Imperator haeres scriptus pertimescere non debent. 8.
Casus hujus l. specialis. 9.
Legata in testamento imperfecto relicta non valent, nisi haeres agnoverit. 10.
Quid si haeres testamentum facto suo approbet? 11.

In *principio l.* 16. Quaeritur: *An etiam Prin-* 1
ceps et Magistratus aliquid ex testamento Civis Romani capere possint? Videtur quod non, quia *Lex XII. Tabb.* de Cive Romano loquitur, 2
Princeps autem civis appellatione non venit; 3
Sed affirm. Quia dignitas non obesse, sed pro- 4
desse debet, *l.* 18. *in fin. et l.* 52. §. 2. *ff. de judic.* Excipitur tamen testamentum non scri- 5
ptum seu nuncupativum, in quo institui Princeps nequit, *l.* 20. *h. tit.* nec super eo examinandi testes, si scilicet in testamento scripto solemni alius haeres institutus. Facile enim reperiretur, qui ad captandam gratiam Principis vel potentiorem se audivisse diceret, quod Principem instituerit haeredem. Quamvis enim lex 6
sit obscurior, et aliter ab aliis veteribus intellecta, de eo scilicet casu, quando prius perfectum est testamentum et posterius imperfe-

ctum, *ut Riminald. l. 3. cons. 235. num. 42.*
cujus explicatio tamen ex eo dubia redditur,
quod Imperator testibus poenam criminis falsi
comminetur, quo non opus esset, si de imper-
7 fecto testamento loqueretur, ideoque mihi ve-
rior videtur intellectus ab omnibus fere appro-
batus, scil. quod si prius testamentum sit in
scriptis confectum, in quo alius sit scriptus
haeres, et postea dicatur nuncupativum con-
fectum testamentum, in quo Imperator dicatur
haeres institutus, posterius testamentum nun-
cupativum alias etiam perfectum non debere
8 valere, quod Imperat. ad eos, qui ex intestato
successuri erant extendit, quod nec illi perti-
mescere debeant testamentum nuncupativum,
in quo Imperator scriptus haeres: Unde proba-
tur, licet nullum testamentum praecesserit, et
successioni ab intestato locus, quod tunc testa-
mento nuncupativo non sit locus. Et sic *in le-*
9 *ge hac* continetur specialis casus, quod Imper.
non in testamento nuncupativo, sed in solemni
in scriptis institui debeat, quod placuit ad de-
clinandam invidiam, cum priores Imperatores
saepe ad se raperent haereditates opimiores u-
nius vel alterius testimonio imperfecto freti, de
quo *hic Dauth. Alexand. Jason* et caeteri. Colli-
gunt *DD.* ex *l.* 20. quando aliquid inter subdi-
tos et Magistratus geritur, quod pro subditis
praesumatur, quod per violentiam factum sit,
Cravetta cons. 132. *num.* 19. *et cons.* 889. *num.*
3. *et* 5. in posteriori autem *l.* 16. parte agit de
10 legatis relictis in testam. imperfecto, quod ea
non valeant, nisi haeres agnoverit. Sed quaer.
11 si testamentum facto ipso approbet, scil. si le-
gatum uni solvat, an etiam in caeteris capiti-
bus contenta testamenti imperfecti implere non
teneatur? Imo si partem solvit, non tenetur al-
teram partem non solutam solvere, nisi se so-
luturum promiserit, *Alex. lib.* 1. *cons.* 123. *num.*
8. *Cephalus cons.* 377. *num.* 25. *et aliquot seqq.*
Vid. *notata ad l.* 3. *h. t.*

L. Testamentum. 17.

SUMMARIA

Adjunctum testamento perfecto licet frustra adjectum, non vitiat testamentum. num. 1.
Quoquo modo testator suam vocet voluntatem, sive testamentum, sive codicillum, validitati testamenti id non obest. 2.
Superflua non nocent. 3.
Nisi multitudo clausularum suspicionem fraudis inferat. 4.

1 Si testamento rite perfecto aliquid adjiciatur,
quod ad voluntatem defuncti supremam non
pertinet, et si frustra adjiciatur, testamentum
tamen non vitiat, v. g. si mox testamentum,
mox codicillum adpellet; ratio hic, et in *l.* 94.
ff. de R. J. et l. 65. *ff. de V. O.* Ergo quoquo
2 modo testator suam voluntatem vocet, sive te-
stamentum, sive codicillum, id tamen validitati
testamenti non obest, sicut exemplum refert
Clarus §. *testamentum q.* 4. *in fin.* notetur re-
3 gula; *Superflua non nocent*, vel *abundans cau-*
tela non nocet, de qua *Barbosa lib.* 1. *tit.* 6.
4 *Ax.* 3. nisi sc. multitudo clausularum suspicio-
nem fraudis inferat, *Menoch. lib.* 5. *praesumpt.*
num. 102. *Maschard. concl.* 741. *num.* 37. *et alii.*

L. Testamenta. 18. et L. Consulta. 23.

SUMMARIA

Publicatio testamenti coram quo facienda? num. 1.
Turpe est clericos se peritos ostendere disceptationum forensium. 2.
Coram quo judice fiat hodie? 3.
Mos antiquitatis est retinendus. 4.
Officia confundi non debent. 5.
Quaenam ulterius ad publicationem requirantur? 6.

Publicatio testamenti facienda est coram Ma- 1
gistro census, cui notae erant cujusque facul-
tates, non vero apud defensorem Ecclesiarum
vel clericos, quibus turpe est, si velint se 2
ostendere peritos disceptationum forensium, et
ibi scil. apud Magistratum census referendum
vel reservandum est testamentum. Hodie fit 3
apud Magistratum et judicem ordinarium. Nota
bene; morem antiquitatis esse retinendum, *ex* 4
l. 18. et non debere confundi officia *ex l.* 23. Ad 5
publicationem autem hanc requiritur etiam, ut 6
citentur omnes testes, et illi quorum interest;
et recognoscenda sunt sigilla a testibus, ac de-
mum facienda est apertura et publicatio, de
quibus requisitis *Dauth. ad hanc l.* 18. *et* 23.
Gilken. ad h. l. 23. *in pr. et Molin. de J. et J. tr.* 2.
disp. 126. *Menoch. remed.* 4. *adipisc. poss. num.*
660. *Mevius ad jus Lubec. p.* 2. *tit.* 1. *art.* 11.
num. 6. *et seqq. Carp. p.* 3. *const.* 5. *d.* 24. *et*
seq. Et hujus publicationis finis et effectus est,
ut si contingeret originale documentum fortuito
casu intercidere, parata fides esset, unde aliud
exemplar depromi posset, *Pruckm. vol.* 1. *cons.*
48. *num.* 6. *Finckelth. obs.* 12. *num.* 20.

L. Omnium. 19.

SUMMARIA

Duo testamenta inter alia privilegiata a solemnitate testamenti excipiuntur et quaenam? num. 1. 7.
Testamentum per supplicem libellum insertum Principi quatenus valeat? 2.
An in hoc testes et quot requirantur? 3.
An quod Principi hoc fuerit illatum duo testes sufficiant? 4.
Quid si Princeps precibus oblatis nihil respondeat? 5.
An mutari possit hoc testamentum? 6.
Testamentum apud acta conditum an testes requirat? 8.
Acta judicis faciunt fidem sine ulla testium praesentia, et judicio multi praesentes praesumuntur. 9.
An hoc testamentum etiam extra locum judicii et quomodo condi possit? 10.
An testamentum judiciale scriptum judici sit praelegendum? 11.
Quatenus nuncupativam per alium declarari possit? 12.
An coram solo judice pro tribunali sedente absentibus scabinis valide condatur? 13.

Objectio. 14.
Consilium Auctoris. 15.
Ad competentem judicem quid requiratur. h. l. *n.* 16.
Nobilis coram suo rusticano judicio potest testari. 17.
Quid juris in Electoratu Sax. 18.
An codicilli etiam coram judice et actis fieri possint? 19.

1 A solemnitate testamenti, inter alia privilegiata, excipiuntur etiam duo testamenta, 1. Testamentum supplici libello insertum, et Princi-
2 pi oblatum, quod, licet desint septem testes, omnino valet, et omnium testamentorum solemnitates superat: Nam conscius est ejus ipse Princeps, nec non consiliarii ejusdem. Testantur etiam scrinia Principis, id est, arculae
3 cancellariae. Et sic verissimum est, in hoc testamento apud Principem facto nullos omnino testes requiri, *Dauth. ad hanc l. num.* 2. *et alii, Fachin. lib.* 6. *c.* 86. *Reusn. p.* 4. *c.* 19. *num.* 4. *Mevius ad jus Lubec. p.* 2. *tit.* 1. *art.* 2. *num.* 72. nec solum principem supremum intelligo, ut facit *Cothm. cons.* 68. *num.* 86. sed ad probationem, scilicet hoc Principi insi-
4 nuatum esse, duos sufficere tradit *Clarus quaest.* 56. *num.* 7. *Dauth. hic num.* 3. Scilicet qui eo tempore, quo principi oblatum erat, praesentes fuerunt, *Hartm. Pist. part.* 3. *quaest.* 28. *num.* 25. Nam jam diu receptum, ut tenor testamenti amissi duobus testibus probetur, ut et solemnitates testamentorum duobus testibus probantur, per *tradita Dn. Mevii p.* 4. *dec.* 13. *Cothm. cons.* 68. *num.* 87. *Gratian. t.* 2. *dis.* 312. *num.* 22. quod periculosum videtur *hic. Gilkenio num.* 10. *Donell. num.* 9. nisi alia adminicula concurrant. Et tamen dicitur *in fin. l. non debere pertimescere haeredem, si hoc testibus possit probare,* ubi aut duo sufficient aut plures, illud periculosum videtur nonnullis, hoc supervacaneum. Adducor fere in eam opinionem, deesse in versiculo, *nec institutus,* particulam (non) hoc sensu: licet non possit probare testibus, hoc non debere pertimescere, si modo ex actis judicialibus et scriniis Principum appareat. Et valet
5 illud testamentum licet Princeps precibus nihil respondeat, cum consulto hoc faciat, ne videatur
6 prohibere mutationem testamenti. Hoc enim testamentum non minus quam aliud mutari potest, nec etiam iis casibus, ubi bonorum possessione opus est, ut in *l. posthumus ff. de injusto etc.* §. *non tamen instit. quibus mod. testam. l.* 2. §. *si sub conditione etc. ff. de bonor. possess. secund. tabb.* bonorum possessori ea est necessaria; si tamen non alia obstent haeredi, verbi gratia, si sit haereticus, vel liberi sint praeteriti. Quod vero in fine de testibus dicitur de consiliariis Principum et scriniariis, imo ipsis scriniis est intel-
7 ligendum: 2. testamentum apud acta conditum, cum hujus fides sit publica, et testes necessarii non sunt, ubi publica monumenta sufficiunt,
8 *l.* 31. *infr. de donat.* Et hoc testamentum apud acta, ut prius, nullos testes ad solemnitatem requirit, ut de testamento Principi insi-
9 nuato dixi, *Fachin. lib.* 6. *cap.* 86. quia acta judicis faciunt fidem sine ulla testium praesentia, et praesumuntur in judicio multi praesentes, *Mynsing. cent.* 6. *obs.* 29. *Carpzov. p.* 3. *constit.* 3. *def.* 11. *Fr. Barry lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 4. *Mevius ad jus Lubec. d. part.* 2. *tit.* 1. *artic.* 2. *num.* 72. et hoc testamentum, quod etiam 10
extra judicii locum praesente judice et Scabinis ad id convocatis condi potest, voluntariae jurisdictionis est, *Wesenb. cons.* 28. *num.* 23. *et in π. h. t. num.* 10. *Carpz. d. c.* 3. *def.* 16. *et seqq. Hartm. Pist. p.* 3. *q.* 28. *num.* 4. *Koeppen. dec.* 45. *num.* 12. *Klock. cons.* 17. *vol.* 3. *Berlich. p.* 3. *concl.* 4. *num.* 10. Et quamvis testamentum 11
judiciale scriptum, in judicio praelegendum esse putet judici *Vultej. p.* 1. *cons.* 34. *num.* 1. recte tamen refutatur a *Carpz. d. c.* 3. *def.* 28. *et lib.* 6. *resp.* 9. *num.* 10. *et seqq. Berlich. d. concl.* 4. *num.* 46. modo testator literas calleat, *Carpz. dec.* 149. *Auct. in l.* 21. *ff. h. t. num.* 11. Non debet autem vel nuncupativum declarari per 12
alium, nisi praesente et affirmante hanc suam voluntatem esse, testatore, nec per alium absente testatore debet schedula insinuari, *Carpz. d. const.* 3. *d.* 27. *et Richter. dec.* 48. quamvis 13
autem coram solo judice pro tribunali sedente absentibus Scabinis condi posse putet *Carpz. d. constit.* 3. *def.* 15. *et lib.* 6. *respons.* 12. Obstare 14
tamen videtur *c.* 19. *X. de probat. c.* 28. *X. de testib.* ideoque malo etiam notarium judicii re- 15
quirere cum *Finckelt. obs.* 26. nisi scilicet Scabini adsint. Ut competens judex sit non re- 16
quirimus, per verba textus *cujuscumque judicis,* et quia voluntariae jurisdictionis, cum *Carpz. d. const.* 3. *d.* 13. *et Berlich. d. c.* 4. *num.* 31. *Mevius part.* 3. *dec.* 105. Nobilem etiam coram suo 17
rusticano judicio testari posse tradunt *Carpz. const.* 3. *def.* 14. *et Berlich. d. l. num.* 44. quin etiam in nostro Electoratu coram Schultero et 18
Rusticis condi posse testamentum multis praejudiciis potest firmari, licet in foro Saxon. secus. Si autem testamentum ab actis remotum, non propterea revocatum est, *Besold. cons.* 144. *Carpz. d. def.* 30. Codicillos etiam coram judice et actis 19
fieri posse patet ex majoritate rationis, licet hoc male neget *Cephal. cons.* 360. *in fine.*

L. Hac consultissima. 21.

SUMMARIA

Quaenam ad testamentum privati scriptum requiruntur? num. 1. *et seqq.*
Testes quales sint et an specialiter rogentur? 2.
Quomodo haec rogatio probetur, et an praesumatur ex sola subscriptione? 3.
An sufficiat, si tabulas longe ante etiam ab alio scriptas clausas et obsignatas testibus ostendat. 4.
Quae porro requirantur? 5.
An testes annulo suo vel alieno subsignent. 6.
Hodie quolibet sigillum sufficit. 7.
Quomodo subsignatio sigilli fiat? 8.
De solemnitatibus his, remissive. 9.

Pr. Describitur hic forma testamenti privati 1
in scriptis, et requiruntur tria solemnia: Ut adhibeantur testes Cives Romani, masculi, pu- 2
beres, rogati, *Auth. rogati etc. C. de testib.* sufficit tamen, etiamsi testes ob aliam causam convenerint, modo ante testamenti confectionem de actu gerendo admoneantur, *Auct. in l.* 21. *ff. h. t. num.* 16. quae rogatio tamen, ut 3
solemnitas extrinseca, duobus testibus probanda, nam quando de solemnitate quadam testamenti

quaestio exoritur, an adhibita fuerit, probatio per duos testes fieri potest, *Ruin. vol.* 2. *cons.* 1. *num.* 8. *Dn. Mevius p.* 4. *d.* 13. ubi refert, testamento deperdito, duos testes admissos ad probationem testamenti tenoris. Nam inter solemnitatem et probationem testamenti distinguendum, ut etiam supra monui, nec praesumitur ex sola subscriptione, *Auct. in d. l.* 21. *num.* 18. nisi nonnullae circumstantiae inferant rogationis praesumptionem, de quo *Mascard. de probat. concl.* 1361. quamvis favore testamenti aequius videatur, hanc rogationem ex subscriptione praesumendam esse, *Farinac. q.* 26. *num.* 166. *Bacchov. in tr. d. disp.* 10. *th.* 5. *lit. B.*
4 II. Ut testator declaret voluntatem suam; sufficit autem, si tabulas longe ante etiam ab alio scriptas, clausas et obsignatas testibus ostendat: quod utile esse duabus rationibus probat *Schneidew. in tit. de testam. rubr. de solemni*
5 *test. num.* 3. Et in his postremum suum judicium contineri attestetur, ipse etiam subscribat testamento, aut si literas ignoret, pro eo subscribat testis octavus, et testamentum praelegatur testatori et testibus. Sed si scribere, et scripta legere possit, non tamen simpliciter necessaria est subscriptio, si testator ipse totum testamentum sua manu scripserit, *l.* 28. §. 1. *h. tit.* III. ipsi te-
6 stes subscribant, et in ipsa subscriptione mentionem faciant actus et contestium et suo annulo vel alieno subsignent, *Auctor in l.* 22. *ff. h. t.* Et licet leges annulum requirant, *Dauth. ad l.* 22. *ff. h. t. n.* 12. *Reusn. p.* 2. *c.* 27. *n.* 7.
7 hodie tamen per saepius allegatam *constitutionem imperii*, quodlibet sigilli instrumentum sufficit, *Dauth. d. l.* et alii, quos refert *Harpr. ad* §. 5. *Inst. h. t. num.* 3. *Auctor in d. l.* 22.
8 *ff. num.* 4. *et* 5. Hocque totum peragendum omnibus testibus praesentibus, uno loco et tempore, eodemque contextu, *hic et l.* 21. §. *ult. ff. h. tit.* adeo ut actus intermedius extraneus vitiet testamentum, nisi sit natura necessarius, vel ad salutem testatoris spectet, exemplum *in*
9 *l.* 28. *princ. h. tit.* De his solemnitatibus, quas *hic Doctores* pluribus pertractant et *Carpzov.* per compendium *d. const.* 3. *def.* 1. *et DD. in tit. Inst. h. t.* nolo jam pluribus agere, praesertim, cum rarius testamenta solemnia in scriptis, sed vel nuncupativa, vel quod tutius, et semper suadere soleo, apud acta conficiantur.

§. I. et Auth. Quod sine.

SUMMARIA

Testamentum ratione voluntatis imperfectum regulariter nullum est. num. 1.
An et quatenus illud solemnium respectu imperfectum sit nullum. 2.
Objectio removetur. 3.
Triplex datur inter liberos disponendi modus, et quinam? 4.
An etiam inter liberos naturales parentes possint testari? 5.
An foeminae etiam hic possint testes esse? 6.
Quid si extranea persona adjiciatur? 7.
In testam. scripto parentum nulli testes sunt necessarii. 8.
Quatuor requisita h. l. *sunt necessaria.* 9. *et seq.*
Liberi etiam inaequaliter a patre possunt institui, modo in legitima non laedantur. 10.
Quod si unum ex liberis praeterierit, an corruat testamentum? 11.
Legitima quomodo in hoc testamento relinquatur? 12.
An specialis patris subscriptio requiratur, si a patre scripta sit schedula? 13.
Quid si a patre non subscribatur? 14.
An in tali testamento legata etiam extraneis possint relinqui? 15.
An fideicommissa et libertas? 16.
Irnerius *notatur.* 17.
Quotnam testes ad extranei legatum requirantur? 18.

Testamentum, quod non ratione voluntatis, 1
hoc enim non valet regulariter, *Auctor in l.* 25. *ff. h. t. num.* 1. *Barry lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 12. *Gail. l.* 2. *obs.* 112. *num.* 14. *Tiraq. priv. piae causae* 7. sed solemnium, v. g. Numeri 2
testium, imperfectum est, non valet, nisi pater vel mater inter liberos suos vel emancipatos testati sint ac etiam nepotes (quod etiam communiter de illis intelligunt, quorum parentes adhuc vivunt, *Hartm. Pistor. p.* 1. *q.* 4. *num.* 16. *Carp. p.* 3. *const.* 4. *def.* 17. quamvis 3
ex l. fin. C. famil. hercisc. contrarium videatur, quae per *Auth.* expresse non est sublata). Puto tamen dicendum inter liberos reperiri in 4
jure triplicem disponendi modum: 1. Si disposuit per modum divisionis, quomodo ab intestato dividi inter liberos debeat haereditas, quae dispositio non est testamentaria, et ideo nec institutionem requirit, *Dn. Carpz. p.* 3. *const.* 4. *def.* 22. - 2. Est testamentum inter liberos scriptum: 3. Nuncupativum; de prima loquitur potissimum *l. fin. C. fam. hercisc.* quae quidem etiam de testamento loquitur, sed quatenus de testamento loquitur, eatenus ipsi per *h. l.* 21. *et Auth. seq.* derogatum est, *H. Pist. p.* 1. *q.* 2. *num.* 26. *Pantschmannus lib.* 2. *q.* 4. *Carpz. d. c.* 4. *d.* 16. ratio autem, cur inter liberos testamentum non requirat solemnitates, est, quia hic nulla praesumitur fraus, cum liberi alias ab intestato essent successuri, *Cephal. cons.* 72. *num.* 6. Sed *An etiam inter liberos* 5
naturales parentes ita testari possunt? R. Affirmando de matre, non de patre, *Hartm. Pist. d. q.* 1. *num.* 19. *et seq. Clarus qu.* 12. *Grassus d.* §. 15. *Gail. lib.* 2. *obs.* 112. *num.* 18. *et seq. Fachin. lib.* 4. *c.* 3. *Barry lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 10. licet etiam in patre valere putet *Carpz. d. c.* 4. *def.* 24. ubi duo testes etiam non rogati, *Hartm. Pistor. p.* 1. *q.* 1. *n.* 2. et Foemi- 6
nae sufficiunt, *arg. l.* 20. §. 6. *ff. h. t.* quia valet jure gentium, *Hartm. Pist. d. l. num.* 3. *Vasq. de success. creat. lib.* 3. §. 21. *num.* 58. *et seq. Barry d. tit.* 3. *num.* 1. *Thesaur. l.* 4. *q.* 31. *num.* 5. Sed si extranea persona adjicia- 7
tur, ea adjectiva v. g. Institutio alterius, *Vasq. d.* §. 21. *num.* 120. pro nulla habenda est; adeo ut nec tutor dari possit, *Clar. d.* §. *q.* 16. nec valet substitutio extranei, *Grassus d.* §. *quaest.* 14. *num.* 2. *Barry d. t.* 3. *num.* 6. *Thesaur. l.* 4. *qu.* 37. *num. fin.* excipit causam piam, quia scilicet paria privilegia habent testamentum inter liberos et ad piam causam. Si autem mater 8
vel pater in scriptis (nam ad testamentum nuncupativum *haec Authent.* non pertinet) testari voluit, tunc nulli testes necessarii sunt, *Hart. Pist. d. l. num.* 4. *Carpzov. d. c.* 4. *def.*

9 17. *Barry d. l. num.* 2. Sed quatuor requisita sunt necessaria, per *Auth. quod sine etc.* Nam 1. exprimendum tempus testamenti scripti, et quidem non tantum annus, sed et dies, *Hartm. Pistor. part.* 1. *q.* 2. *num.* 1. quia alias si duae reperirentur schedulae, non constaret, utra esset posterior, *Rittersh. in Nov. p.* 6. *cap.* 2. *num.* 4. - 2. Exprimendae res et unciae inter liberos distributae, ex quo ut et *ex l. final. C.*
10 *famil. hercisc.* satis apparet, etiam inaequaliter liberos a patre institui posse, modo in legitima non laedantur, *Hartm. Pist. d. l. num.* 11. *et seq. Fachin. lib.* 4. c. 2. *Vasq. de success. progress. lib.* 3. §. 30. *num.* 46. *Grassus q.* 11. *n.* 8.
11 *Barry d. t. num.* 5. Sed si praeterierit unum ex liberis, corruit hoc testamentum, ut probat *Hartm. Pistor. d. l. num.* 13. *Gilken. in h.* §. 1. *n.* 29. *Clarus q.* 8. *n.* 5. *Mantic. de conject. lib.* 6. *tit.* 2. *n.* 15. *Barry d. t.* 3. *num.* 4. Et ita forte *DD.* intelligendi, qui nimiam inaequalitatem tradunt vitiare testamentum inter liberos, quos refert *Thes. lib.* 4. *q.* 34. *num.* 3. *Cothm.*
12 *vol.* 3. *cons.* 17. *num.* 17. et 18. Et ideo legitima debet liberis in hoc testamento honorabili institutionis titulo relinqui, *Carpz. d. c.* 4. *d.* 21. et quos allegat: 3. In testamento inter liberos necesse est, ut liberi haeredes instituantur, quae quasi naturalis est solemnitas, *Dn. Mev. p.* 4. *decis.* 14. et quiden plenis literis, non per notas, numeros aut abbreviaturas, ex quibus vix potest percipi sensus, quod in omni testamento extra casum necessitatis facto, requirit, et ad abbreviaturas non quotidianas et non solitas restringit *Carpz. p.* 3. *c.* 3. *def.* 4. nam si signa clara et usitata vel in eodem testamento exposita, signorum aut zifrarum expressio non nocet, per tradita *Dn. Richteri h. l. num.* 18. Aliae autem notae etiam in aliis testamentis prohibitae, *l.* 6. §. *ult. ff. de bon. poss.* excepto solo testam. militis, *l. Lucius ff. de mil. test. Dn. Richter. d. l. num.* 17. Et 4. Testator debet haec describere sua manu, quod non solum testibus, sed etiam comparatione literarum probari potest, *Hartm. Pist. d. l. num.* 5. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 7. *Masc. concl.* 1358. *num.* 66. et
13 si a Patre scripta sit schedula subscriptio alia non est necessaria, *Hartm. Pist. d. l. num.* 6. Si autem subscripta a Patre, potuit ab alio scribi, *Hartm. Pist. d. l. num.* 7. Quae sententia communiter est recepta teste *Dn. Richt. ad. h. Auth. th.* 12. modo specialis subscriptio sit, *Mascard. d. l. num.* 65. *Petr. Gregor. l.* 42. *tit.* 5. *n.* 11. *Grass. q.* 16. licet generalem subscriptionem sufficere putet *Carpz. d. const.* 4. *def.* 18. *et Dn. Richt. d. l. num.* 13. Imo licet
14 scriptura illa neque a patre scripta neque subscripta sit, si tamen pater coram duobus testibus affirmaverit, in hac schedula contineri voluntatem suam ultimam, hoc sufficere firmat
15 *Pistor. d. l. num.* 9. et in tali testamento etiam
16 legata extraneis relinqui possunt, ut et fidei-
17 commissa et libertas; ita enim reddidit *Irnerius*, sed etiam reprehendunt *Hartm. Pist. d. q.* 2. *num.* 4. *et* 5. *et Dn. Carpz. p.* 3. *const.* 4. *def.* 19. Nam extraneis nil potest legari sine te-
18 stibus, *Nov.* 107. *cap.* 1. Ergo tot testes requiruntur, quot in Codicillis. Quamvis originali videatur sententia *Irnerii* convenire, ut extraneo coram duobus testibus legari hic possit, *Sichard. ad h. Auth. num.* 1. *Rittershus. ad Nov. p.* 6. *cap.* 2. *num.* 3. *Godofr. ad Nov.* 107. *cap.* 1. Si autem hae solemnitates desint, non valet testamentum, ne quidem ut codicillus, per tradita *Hartm. Pistor. d. q.* 2. *num.* 26. *et seq.* quamvis duobus sit contentus *Carpz. def.* 20. Clausulam tamen codicillarem semper in hoc testam. subintelligi tradunt *DD.* quos refert *Thes. d. l. qu.* 34. *num.* 6. Nullam in hoc testamento exhaeredationem fieri posse, tradunt *DD. comm. Dn. Struvius exerc.* 32. *th.* 16. *et Dn. Richter. hic in fine.*

Auth. Hoc inter liberos.

SUMMARIA

Testamentum inter liberos quomodo iterum tollatur? num. 1.
Forma testamenti nuncupativi quaenam? 2.
Testamentum nuncupativum aliud explicitum, aliud implicitum. 3.
Utrumque horum quid sit? 4.
An haeres eodem modo, quo in testamento scripto, hic quoque sit exprimendus? 5.
Obrechtus *notatur.* 6.
Periculosa est haec testamenti conficiendi ratio. 7.
An per hanc scripturam nuncupativum fiat testamentum scriptum? 8.
Usu plerumque Notarius *solet adhiberi.* 9.
Quodnam ejus officium? 10.
An testes iterum citentur, nec morte eorum corruat testamentum? 11.
An, deficientibus in testamento scripto necessariis solemnitatibus, adhibitis illis, quae in nuncupativo necessariae, ut nuncupativum valeat ejusm. testamentum? 12.

Tollitur hoc testamentum inter liberos, non 1
tantum alio testamento posteriori, sed necesse etiam est, ut coram septem testibus declaret, se nolle prius testamentum valere. Et hic itaque clausula derogatoria requiritur, quae alias omni testamento posteriori tacite inest, *Dn. Richter. ad h. Auth. num.* 9. *et seqq.* quod hic singulare est, *Franc. Vivius dec.* 292. *Thesaur. p.* 4. *q.* 34. *num.* 10. Nam suasit hoc favor liberorum, et ne infinita esset patris licentia, sed hoc ad eum casum, quando in scriptis prius testatus est pater, restringit *Gilken. ad Auth. hoc inter num.* 5. *et Dauth. ad hanc Auth.* Sed incerta est haec distinctio testamenti scripti inter liberos et nuncupativi, quia haec duo exceptis paucis, aequiparantur. Vid. *Hipp. Riminald. cons.* 235. *num.* 31. *et seq.* Et e contrario prius testamentorum in scriptis solemne per testamentum inter liberos tollitur, *Carpz. d. const.* 4. *def.* 25. Si autem utrumque testamentum sit inter liberos, praesertim, si posterius melius liberis prospiciat, prius per posterius tolli tradit *Dn. Richter. ad h. Auth. in fine.*

§. 1. Testamenti nuncupativi forma est, ut 2
testator coram septem testibus palam, et clare pronunciet, quem velit habere haeredem, et hoc debet perfici uno loco et tempore, uno-
que contextu. Et hoc testamentum nuncupati- 3
vum est vel explicitum, quando testator nomen 4
haeredis nominat; aliud implicitum, quando nomen haeredis non exprimit, sed refert se ad aliquam scripturam sua manu exaratam, in quo scriptum esse dicit nomen haeredis, de quo

Clarus q. 36. *num.* 2. *Hartm. Pistor. d. q.* 1. *num.* 10. *Gabriel lib.* 4. *concl.* 11. *de testam. num.* 4. *Mantic. lib.* 1. *tit.* 7. *et lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 11. *Menoch. cons.* 639. *num.* 19. *Dauth. ad l.* 21. *pr. ff. h. tit. Auct. in l.* 21. *ff. h. tit. num.* 3. si modo scriptura sit indubie manu ejus exarata, *Menoch. cons.* 313. *num.* 45. *Besold. cons.* 284. *num.* 16. Sicut enim haeres exprimendus
5 per scripturam in testamento in scriptis exprimi potest, quando testator se refert ad aliam scripturam, *l. asse toto* 77. *ff. de haered. inst.* ita nulla apparet ratio, cur non in nuncupativo testamento hoc fieri possit, cum praesertim nulla sit consequentia: in testamento, in scriptis potest occultari nomen haeredis, ergo
6 non in nuncupativo; Dissentit *Henric. Obrecht. in noviss. volum. disp. Basil. disp.* 25. *c.* 3. *Be-*
7 *sold. cons.* 203. *et seqq.* Sed periculosa est haec testamenti conficiendi ratio, cum facile scriptum in alterius locum surrogari possit. Ideoque puto hanc testandi rationem a superioribus prohiberi, et mysticis talibus testamentis fidem derogari posse maxime, per tradita *Dn. Manzii de testam. tit.* 4. *q.* 2. *num.* 16. *et seqq. Auct. in l.* 21. *ff. h. t. num.* 3. Aliud autem est, quando testator voluntatem suam ultimam diserte nuncupat, et tamen petit a Notario ut in scripturam redigat hanc suam voluntatem, *Schneidew. in* §. *fin. Inst. de testam. num.* 6. Nec ta-
8 men propterea sit testamentum in scriptis, sed manet nuncupativum, quia scriptura non ad substantiam, sed ad probationem ut memoriae causa facta intelligitur, ideoque nec subscriptione testatoris, aut testium opus habet, nec subsignatione, nec relictione, *Reusn. p.* 3. *c.* 29.
9 *num.* 12. Et ideo usus introduxit, ut plerumque adhibeatur Notarius, qui voluntatem
10 testatoris ultimam excipiat, et rem gestam auctoritate instrumenti publici corroboret, quo
11 casu non est necesse, ut testes iterum citentur, nec morte eorum corruit testamentum, quae via est expeditior quam testandi in scriptis, *Carpz. p.* 3. *const.* 3. *def.* 3. *et seqq. Reusner.*
12 *d. c.* 29. *num.* 27. Et si aliquid deficiat testamento de solemnitatibus, quae ad testamentum in scriptis requiruntur, adhibitae tamen illae sint solemnitates, quae in nuncupativo sint necessariae, tunc testamentum valet ut nuncupativum, *arg, l.* 3. *ff. de testam, milit. Menoch. l.* 4. *praes.* 2. *num.* 16. *Hotom. cons.* 53. *num.* 6. *et* 2. *Dauth. h. t. num.* 407. *Grassus q.* 12. *num.* 6.

§. 2. et 3. et L. Sancimus. 27.

SUMMARIA

Testamentum solemne perfectum, neque nuda voluntate contraria, neque posteriori imperfecto revocatur. num. 1.

Ratio dubitandi. 2.

Duae exceptiones et quaenam? 3.

Quando ii sunt instituti, qui successuri erant ab intestato, tunc 5. *testes sufficiunt.* 4.

An in hac dispositione valeat pupillaris substitutio et quatenus? 5.

An extraneis legata valeant? 6.

Testes in nuncupativo convocantur et jurato super articulis et interrogatoriis examinantur. 7.

Nisi a Notario illud sit in scripturam redactum. 8.

Exceptio. 9.

A quonam tempore decennium illud computetur? 10.

Quid si priori testamento inest clausula derogatoria. 11.

Ad omnem testamenti revocationem expressa testatoris declaratio requiritur. 12.

Testamentum prius perfectum tollitur per posterius imperfectum, si lapsum sit decennium. 13.

Quod non mutatum stare non prohibetur. 14.

In Graeca lingua sicut etiam in Latina et Germanica fieri potest testamentum. 15

Testamentum partim vulgari partim latino sermone scriptum non vitiatur. 16.

Testamentum solemne et perfectum non re- 1
vocatur nuda voluntate contraria, nec testamento posteriori imperfecto. Ratio dubitandi in 2
l. 4. *ff. de adimend. legat.* Ratio decidendi *in* §. *pen. in fin. I. quibus mod. infirm. testam. Franc. Vivius dec.* 13. Sed duae exceptiones: 3
1. Si testator in testamento perfecto eos instituisset haeredes, qui ab intestato succedere non poterant, in posteriori autem imperfecto (modo tamen quinque testes adsint, ratio in *l. fin. infr. de codicill.*) eos instituat, qui alias ab intestato successissent. Unde ex *hoc* §. colligitur; Quando 4
ii sunt instituti, qui alias successuri erant ab intestato, tunc sufficere 5. testes, quae tamen dispositio sustinetur quasi ab intestato, *Clarus q.* 97. *Grass.* §. *testamentum q.* 51. *Barry lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 11. *Thesaur. l.* 1. *qu.* 56. *num.* 8. et sic nec valet in hac dispositione substitutio 5
pupillaris juxta veriorem sententiam, quam *d. l.* defendit *Barry et Fusarius de subst. q.* 8. *num.* 25. *et seq.* Non autem aliter valebit, nisi quando omnes successuri ab intestato instituti, *Grass. d. l. num.* 16. *Barry d. l. Cephal. cons.* 431. *num.* 21. *Hippol. Riminald. cons.* 269. *num.* 59. *et* 61. extraneis tamen le- 6
gata valerent, quia haec etiam in codicillis relinqui possunt, *Barry d. l.* Ex *fine hujus* §. colligitur: In nuncupativo testamento debere te- 7
stes convocari, et posse jurato examinari super articulis et interrogatoriis, nisi a Notario, ut 8
dixi, in scripturam sit redactum, *Carpz. d. const.* 3. *def.* 36. - 2. Exceptio *in l.* 21. Si testa- 9
tor coram tribus testibus dixerit, se nolle testamentum valere, per hanc solam declarationem voluntatis non tollit prius testamentum, quae est communis sententia, *teste Thesauro lib.* 1. *d.* 56. *num.* 2. nisi a testamento condito vivo testatore integrum defluxerit decennium, his enim concurrentibus, nuda etiam voluntate posteriori et concurrente temporis cursu, tollitur prius testamentum. Et hoc decennium a 10
tempore confecti testamenti vulgo computant, per verba textus, *Post ejus confectionem,* item, *sin autem in medio tempore, Clarus. q.* 81. *Fr. Barry lib.* 10. *tit.* 1. *num.* 33. *Dauth. ad l.* 21. §. 1. *num.* 11. *ff. h. tit. Finckelth. obs.* 93. *num.* 16. quamvis forte rationabilior videri possit sententia *Cothm. vol.* 1. *cons.* 39. *num.* 241. *et seqq.* quod scilicet decennium currat a tempore revocationis, si post revocationem per decennium tacuerit, et a revocatione dicta non resilierit. Nec enim apparet, cur revocatione voluntatis sit validior, quando primum testamentum per decennium stetit, nam ideo testamentum prius esset validius, nisi ante Justin. post decennium non valuerit amplius documentum, quod corrigere

voluit *Justin. Finckelth. d. l.* et idem est etiam
11 eo casu, quando priori testamento inest clausula derogatoria, *Vasqu. de success. resol. l.* 1. §. 1. *n.* 31. *et seq. et* §. 2. *n.* 7. Collige; I. Ad
12 omnem revocationem testamenti expressam testatoris declarationem requiri, *Carpzov. part.* 3. *c.* 3. *def.* 30. *et d.* 42. *num.* 1: II. ex *hac*
13 *l.* 27. colligit *Barry d. tit.* 1. *num.* 30. Testamentum prius perfectum, tolli per posterius imperfectum, si lapsum sit decennium, *Vasq. de success. creat.* §. 17. *num.* 74. Conf. *Dauth. d. l.* Ex *hac l.* communiter, ut et ex *l. praecipimus C. de appell.* probare solent regulam:
14 Quod non mutatum, quare stare adhuc prohibeatur? item: Quod per posterius, ipso jure tollatur prius testamentum, quod *DD.* passim allegant. Sed in his terris altum de decennio esse silentium et hodie revocationem fieri posse coram Notario et testibus *ex vol.* 1. *cons. Marp. cons.* 34. *num.* 48. *et Berlich. p.* 3. *concl.* 4. *n.* 53. *et seq.* tradit *Finckelth. obs.* 93. *num.* 17.
15 §. *fin.* In Greca lingua, sicut etiam in Latina et Germanica fieri potest testamentum. Hoc enim tantum requiritur, ut intelligatur, quid dictum scriptumve sit a testatore, *l.* 2. *ff. de his quae pro non script. hab.* Et ideo nec vi-
16 tiabitur testamentum, si partim vulgari, partim latino sermone scribatur, *Simon de Praetis de interpr. ult. vol. lib.* 2. *int.* 1. *dub.* 2. *sol.* 2. *n.* 99. quem infert *Barry lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 10.

L. Dictantibus. 22.

SUMMARIA

An legata testibus ex testamento a testatore scribis dictato valeant? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
An haec decisio etiam in nuncupativo locum habeat? 4.
An etiam legatum scribae testamenti, et quatenus relinqui possit? 5.
An etiam testi? 6.

1 Testator Notario, qui ex mandato testatoris dictaverat scribis testamentum, nec non testibus reliquerat legata, Quaeritur; *An haec va-*
2 *leant?* Videtur, quod non, ob *tit. infr. de his, qui sibi in testam. adscrib.* et quod in suum commodum nemo testis esse potest, *l.* 19.
3 *C. de testib.* Sed Affirm. quia aliud est adscribere sibi legatum, et aliud dictare audiente et mandante testatore; Conf. §. 11. *Inst. h. t.* ubi habetur ratio, quia non sunt juris successores, qui scil. universali titulo succeduut, et testator ipse fidem hujus testis approbavit. Neque haec
4 decisio tantum in scripto solemni, sed etiam nuncupativo locum habet, *Reusn. de testam. p.* 3. *cap.* 21. *num.* 12. *Farin. de testib. q.* 60. *num.* 288. *et Harpr. ad d.* §. 11. Quamvis autem magnum hic sit discrimen inter dictatorem et scriptorem ut observavit *Barry l.* 1. *tit.* 8. *n.* 36.
5 potest tamen etiam ipse scriptor testamenti, volente testatore, sibi adscribere legatum, quando sequitur subscriptio testatoris generalis, si filius vel servus scripsit; specialis, si extraneus, *l.* 1. §. 8. *et l.* 15. §. 2. *ff. ad l. Corn. de fals. l.* 2. *et ult. C. de his, qui sibi adscr.* *Farin. q.* 150. *num.* 202. *et seq. Ant. Matth. ad lib.* 48. *ff. tit.* 7. *c.* 1. *num.* 4. *Carpzov. p.* 3. *const.* 3. *def.* 9. *et seqq.* Quamvis autem *DD. hic* ex *hac lege* inferant, testem admittendum in causa, in qua per consequentiam aliquod interesse habet, ut confidejussorem in causa confidejussoris, merito tamen de ea sententia dubitat *Dauth. hic*, quod speciale in teste sit, 6
quod huic legari possit, nam alias eriperetur potestas gratificandi benemerito testi, et hic plures concurrunt contestes, quae rationes speciales in aliis casibus non militant.

L. Ambiguitates. 24.

SUMMARIA

An vitium scripturae testamento noceat? num. 1.
Illustratur exemplo. 2.
Ordo intellectus potius quam scripturae est attendendus. 3.
Ordo scripturae ordinem juris et voluntatis mutare non potest. 4.
Secus si appareat contraria voluntas. 5.

Vitium scripturae, v. g. praeposteratio, non 1
nocet testamento; dummodo sententia testatoris intelligatur, v. g. si in ordine erratum, et 2
prius legata relicta, postea institutus haeres. Ratio est in §. 34. *Inst. de legat.* Nam haeredis institutio nihilominus prior est, si non ordine scripturae, tamen ordine intellectus. Et ordo 3
intellectus potius attendendus, quam scripturae, *l. cum pater* 77. §. *fidei tuae ff.* de *legat.* 2. *Fusar. de substit. q.* 683. *num.* 6. *Marant. in Specul. p.* 3. *num.* 114. et ordo scripturae non 4
potest mutare ordinem juris et voluntatis, *Carpz. p.* 2. *const.* 33. *def.* 11. *num.* 5. Quamvis enim ex ordine scripturae plerumque colligatur voluntas testatoris, ita ut prius nominati videantur prius vocati, quod exemplis declarat *Mantic. de conject. ult. vol. lib.* 6. *tit.* 13. *num.* 11. secus tamen est, quando contraria voluntas 5
apparet, *d. l. cum pater* 77. §. *fidei ff. de legat.* 2. *Mantic. d. l. num.* 12.

L. Praeposteri. 25.

SUMMARIA

Praeposterationes dotium olim erant prohitae. num. 1.
Primus Leo Imp. admisit. 2.
Justinianus tam in testamentis quam contractibus indulsit. 3.

Dotem quis promiserat his verbis: Si filiae 1
meae cras nupseris, hodie dabo dotis nomine 100; alius ita promiserat stipulanti: Si ex Asia navis venerit, hodie decem dare spondeo; alius ita testatur: Si navis ex Asia venerit, Titius haeres esto. Tales praeposterationes olim prohibitae. Primus Leo Imperator eam in dotibus 2
permisit; Justinianus autem in contractibus ad- 3
misit, §. 12. *Inst. de inut. stip.* et ibi *DD.* et testamentis, secutus magis sententiam quam verba testatoris. Quamvis enim pro eo tempo-

re, quod eventum conditionis antecedit, nulla stipulatio videatur, eo quod hodie impossibilis sit certitudo conditionis cras implendae, pro eo tamen tempore, quod eventum conditionis sequitur, utilis est promissio et dispositio, quia quod hodie debitum fuisse crastinae diei eventus docebit, id quasi hodie debitum peti potest sequentibus diebus.

L. In testamentis. 26.

SUMMARIA

In testamento nuncupativo non requiruntur verba testatoris solemnia, sed sufficit haeredis declaratio. num. 1.
Testes rogati septem adsint. 2.
Quomodo rogentur. 3.

1 Nuncupativum testamentum non requirit, (ut forte olim) testatoris verba solemnia, testamento praemittenda, quod ad actum testandi et testimonium perhibendum testes convocati sint, quod velit nuncupativum condere testamentum, sed sufficit, si fiat declaratio haeredis, in praesen-
2 tia septem testium; quamvis enim testes rogatos esse oporteat, *l.* 20. *h. t. et l.* 21. §. 1. *ff. eod.* non tamen est necesse ut testator dicat, ideo adhibitos esse etc. quia ex actu facile intelligitur, quo fine sint convocati. Et ideo per *hanc legem* non est abolitum omne id, quod de rogatione testium jura habent, nam omni-
3 no rogandi sunt testes i. e. monendi, de quo negotio agatur, et rogandi ut tanquam testes adesse, et aliquando testimonium veritati perhibere velint, licet solemnitas verborum sit sublata, *Mod. Pist. lib.* 1. *cons.* 1. *num.* 18. *et Dauth. ad hanc legem.*

L. Cum antiquitas. 28.

SUMMARIA

Testamentum uno fiat contextu. num. 1.
An et quatenus contractus in medio testandi actu admittatur? 2.
An actus naturales vel medicinales vel morbus vel symptoma contingens in persona testatoris vel testis interrumpat testamentum? 3.
Quid si impedimentum diuturnius sit in persona testis? 4.
Testes in codicillis licet fortuito convenerint, eodem tamen tempore non interrupto adhiberi debent. 5.
An testator testamentum, quod sua manu scripsit, subscribere habeat necesse? 6.
Schedula a testatore subscripta holographo aequipollet. 7.
Si scribere nesciat, octavus testis subscribere debet. 8.
Cujusnam nomen octavus ille testis subscribat? 9
An etiam hic ipse de consuetudine adhiberi soleat? 10.

1 Superius dictum, testamenta uno contextu fieri debere, et per alios extraneos actus inter-
2 rumpi, adeo ut nec contractum quidem in medio actu testandi admittant, nisi conjunctus sit ille contractus cum actu testandi per *l.* 21. §. 3. §. *ff. h. t.* et ibi *Dauth.* §. *priori cas. Auct. in l.* 21. *ff. h. t. num.* 20. *Vasq. de success. creat* §. 23. *num.* 4. *Gilk. hic num.* 7. *Reusn. p.* 3. *c.* 28. *num.* 7. Ratio hujus est, ne testator a conveniente deliberatione, quae in testamentis requiritur, avocetur, aut ejus, quod in animo habeat, obliviscatur, *Gilken. hic num.* 11. *Auct. in l.* 21. *ff. h. t. num.* 19. Hic autem Quaeritur: *An actus naturales, vel medicina-* 3
les, vel morbus, vel symptoma contingens in persona testatoris, vel testis interrumpat testamentum? Quod Neg. Quia necessarii actus non interrumpunt continnitatem, *Barry d. l.* 1. *tit.* 1. *num.* 37. Si autem impedimentum in per- 4
sona testis contingens sit diuturnius, alius testis ipsi surrogari potest, quae omnia ex lectione legis plana. Colligitur tamen ex *hac l.* Quod 5
in codicillis testes, licet fortuito convenerint, eodem tamen tempore non interrupto, adhiberi debeant, *Reusn. de test. c.* 10. *num.* 14. *Harpr. in* §. *fin. Inst. de codicill. num.* 8. *Auct. in rubr. ff. de jure codicill. num.* 6.

§. 1. Si testator totum testamentum sua ma- 6
nu scripsit, non opus est, ut ipse subscribat, si in aliqua parte testamenti hoc expressit, unde Colligunt *hic DD.* Schedulam subscriptam 7
holographo aequipollere, *Jason. ad h. l. num.* 12. *Gilken. num.* 13. Sed si nesciret scribere, 8
tum subscribere deberet octavus testis, non quidem nomen testatoris, sed suum nomen, 9
Carpz. dec. 149. *Auct. in l.* 22. *ff. h. t.* Sed octavum illum testem non adhiberi de consuetudi- 10
ne censet *Boer. dec.* 14. *num.* 20. quod tamen temere dicendum non est, nam et nuncupativum eo casu oportet esse testamentum; ne tota fides testamenti ab una persona Notarii dependeat, *Carpz. dec.* 149. *a me notata ad l.* 21. *pr. ff. h. t.*

L. Jubemus. 29. et Auth. Et non observato.

SUMMARIA

Testator in testamento scripto vel propria manu haeredis nomen scribat, vel si non potest, clara voce palam illud exprimat. num. 1.
Qui scribere atque articulate loqui nescit, mortuo similis habetur. 2.
His neglectis an testamentum sit nullum? 3.
Quid si quidam haeredes scripti vel clara voce nuncupati, quidam vero non? 4.
In nuncupativo testes quoque haeredum nomina subscriptionibus suis exprimant. 5.
Lex haec in futuris tantum testamentis locum habet. 6.
Poena Notariorum hoc negligentium. 7. 13.
Testator, qui neque scribere, neque articulate loqui potest, nec militariter, nec ad pias causas, nec inter liberos testari potest. 8.
Testamentum imperfectum ratione unius haeredis potest esse perfectum respectu alterius. 9.
Testis in sua testificatione potest se referre ad scripturam suam memoriae gratia exaratam. 10.
Testamentum an ad interrogationem alterius condi vel haeres institui possit? 11.

Nuncupatio et scriptio haeredis ob faciliorem memoriam et probationem concurrere possunt. 12.
Decisio legis per Auth. subjectam et Nov. 119. c. 9. *quodammodo est mutata, et in quonam?* 14.
Quid si ob morbum scribere impediatur? 15.
Moribus quid obtineat? 16.

1 Testator propria manu in testamento scripto haeredis nomen scribere debet, vel si hoc non possit ob ignorantiam literarum vel morbum, clara voce palam id exprimat; ratio in textu
2 habetur; *Quia si scribere atque articulate loqui nesciat, mortuo similis habetur, et falsitas facile committi potest*, quae maxime exosa
3 est in testamentis. Et hoc si non fuerit observatum, testamentum est nullum, et si plures
4 sint haeredes, et quidam manu testatoris descripti vel nuncupativa voce, quidam non, in illorum persona validum erit testamentum, in horum vero non, et sic testamentum pro parte valebit, pro parte non, et illis accrescet re-
5 liqua haereditas. Vult etiam, ut in casu, quo nuncupati sunt haeredes, testes in subscriptionibus suis nomina haeredum exprimant, ne forte quorumdam haeredum obliviscantur; Vult
6 autem, *legem hanc* in futuris testamentis tan-
7 tum locum habere, et Notariis hoc negligentibus poenam falsi interminatur. Unde colligi
8 potest: I. Testatorem, qui neque scribere, neque articulate loqui potest, nec militariter, nec ad pias causas, nec inter liberos testari posse, cum mortuo similis habeatur, *Jas. hic num.* 4. *et* 5. *Berlich. q.* 3. *concl.* 6. *num.* 23. *et seq. Carpz. p.* 3. *constit.* 5. *def.* 2. *in fin. Castr.*
9 *hic num.* 2. II. Testamentum imperfectum ratione unius haeredis, posse esse perfectum respe-
10 ctu alterius, *Castr. hic. num.* 3. Et posse testem in sua testificatione se referre ad scripturam suam memoriae gratia exaratam, *Castr. num.* 4. et solet *Gloss.* in verbo, *quemadmodum*, saepe allegari,
11 quae dicit, posse testamentum condi vel haeredem institui ad interrogationem alterius, *Fachin. lib.* 5. *c.* 69. *Clarus* §. *testamentum q.* 37. *num.* 2. *Carpz. p.* 3. *const.* 5. *def.* 4. Maxime si Notarius jussus faceret testamentum et haeredem scriberet me, postea roget testatorem, an me velit esse haeredem, et testator articulate adhuc loquens voce (sic) vel nutu respondeat, nam tunc nutus ex praecedente jussu explicandus est. Vid. *Cephal. cons.* 546. *num.* 46. *et* 92. *Thesaur. p.* 2. *q.* 99. *Riminaldus vol.* 3. *cons.* 261. *num.* 1. *et seqq.* nisi interrogans sit persona suspecta, *Carpz. d. const.* 5. *d.* 6. III.
12 Collige etiam; posse nuncupationem et scriptionem haeredis ob memoriam faciliorem et probationem simul fieri, *Carpz. p.* 3. *const.* 3. *def.* 29.
13 *et def.* 41. *in princ.* IV. Demum Collige: Notarium dolose omittentem solemnitates, crimen falsi committere, et poena, extraordinaria tamen, affici, *Castr. in fin. Farin. q.* 157. *part.* 1. *Menoch. lib.* 2. *arb. qq. cas.* 370. *num.* 5. *Mascard. concl.* 1099. *num.* 33. *et seqq.* Sed per
14 *Auth. subjectam et Novell.* 119. *c.* 9. decisio legis quodammodo est mutata. Permisit enim Imperator testatori, qui ipse scribere non potest et alteri testamentum dictat, ut possit nomen haeredis etiam per alium scribere, remissa necessitate palam nuncupandi nomen haeredis, quia scripta testamenta alias non forent secreta: unde invidia metuenda esset testatori vel haeredi, quae ratio *in Nov.* 119. *c.* 9. exprimitur. Vid. *Dauth. ad hanc l.* 29. *num.* 3. quod intelligo, si quidem scribere possit, sed jam ob morbum v. g. Paralysin, et Chiragram non 15
possit, nam si scribere nesciat, et scripta legere non possit, et tamen haeredem expressa voce nuncupare nolit, quis nisi scriptor, qui ejus nomine inscripsit, poterit fidem facere de haerede scripto, *ut supra, et ad l.* 21. *pr. ff. h. t.* dixi. Moribus nostris hoc totum, quod hic ha- 16
betur, cessat. Nam quotidie videmus testamenta, in quibus neque ipse testator, neque alius nomen haeredis inscripsit, sed uno contextu, idem, qui testamenti reliquum contextum scripsit, nomen haeredis expressit, de qua consuetudine testatur *Rittershus. p.* 6. *in Novell. cap.* 1. *num.* 9. Imo in nuncupativo etiam testamento per alium etiam nomen haeredis exprimi posse, volunt *DD.* si testator modo interrogatus respondeat, *sic volo*, vel simili modo, et nullum aliud praecesserit, *Ant. Gabriel tit. de testam. lib.* 4. *concl.* 2. *Clarus d.* 37. *Tuschus concl.* 24. *num.* 11. *lit. t. Carpz. d. def.* 4. *Kohl. d. cons. Marchic. c.* 18. Quam sententiam examinat *Menoch. cons.* 45. *num.* 16. *et seq.*

L. Nostram. 30.

SUMMARIA

Testator facto v. g. si consulto id conscindat, testamentum revocare potest. num. 1.
Quid si casu aliquid circa hoc contigerit? 2.
Ratio hujus legis in tacita revocatione voluntatis non consistit. 3.
An idem valeat in testamento nuncupativo? 4.
Quid si testator ipsum notarii instrumentum originale coram 7. *testibus cancellet?* 5.
An testamentum inter liberos cancellatione perimatur. 6.
Gail. *notatur.* 7.
Quid si quaedam verba tantum in testamento sint cancellata? 8.
An cancellatio vel deletio casu facta praesumatur? 9.
Cancellatio non vitiat testamentum, si in loco non suspecto facta. 10.
Sed si quis alius conscindat testamentum quasi ex mandato testatoris, id probare debet. 11.

Testator facto revocare potest testamentum, 1
v. g. Si consulto id consciderit, *l.* 1. *ff. de his, quae in testam. del.* idem est, si signa amoveat, aut turbet, aut tabulas cancellet, *leg. ult. ff. de lib. et posth.* quia testamentum constat materia, signis et scriptura testium; iis igitur remotis, quibus testamentum stabat, rescinditur: ratio in *l. nihil tam naturale ff. de R. J.* Sed si ca- 2
su, sine voluntate testatoris, aliquid horum contigerit, haeredi hoc non praejudicat. Non igitur ratio hujus legis in tacita revocatione volunta- 3
tis consistit. Ideoque merito dubito, An idem 4
valeat in testamento nuncupativo? Quod quidem affirmat *Vasq. de success. creat. lib.* 2. §. 15. *num.* 63. Sed verius neg. Nam hujus essentia non consistit in scriptura, nec expressa revocatio voluntatis sola sufficit, multo minus tacita, quae ex cancellatione praesumitur, nisi sc. 5
ipsum instrumentum notarii originale quis coram septem testibus cancellet, *Clarus q.* 93.

Mantic. lib. 12. *tit.* 1. *num.* 33. *Mascard. concl.*
1289. *num.* 31. *Barry lib.* 1. *tit.* 9. *num.* 15.
quia forte alia posset esse conjectura declara-
tionis, quia forte uxorem et liberos voluit la-
6 tere tenorem testamenti, *Barry d. l.* Testamen-
tum etiam inter liberos cancellatione perimi vi-
detur, quia *Auth. hoc inter* non describit
in genere modum tollendi testamentum in-
ter liberos, sed tantum per posterius testamen-
tum, et actus facti potentior est quam actus verbi,
Cast. hic num. 6. *Pantschman. lib.* 2. *q.* 18. *Barry*
7 *lib.* 10. *tit.* 1. *num.* 35. licet dissentiat *Gail. lib.* 2.
8 *obs.* 112. *num.* 13. Sane si quaedam tantum
verba in testamento cancellata sint, non totum
corruet testamentum, etiam in scriptis, *l.* 2. *ff.*
de his, quae in testam. del. Carpz. p. 3. *jurispr.*
9 *const.* 3. *def.* 5. Sed quaeritur: *An cancellatio
vel delectio casu facta praesumenda sit?* Et si
quidem apud testatorem reperiatur, consulto
facta videtur; si apud alium, casu, *Maschard.
concl.* 256. *num.* 8. *Gilken. ad l.* 12. *h. t. num.*
12. *Dauth. ad l.* 21. §. *si quid post. num.* 20. *ff.
h. t. Auct. in l.* 1. *ff. de his quae in testam.*
10 *del. num.* 2. Nec vitiat cancellatio, si in loco
non suspecto facta, de quo prolixe agit *Men.*
11 *rem. adipisc. poss. num.* 709. Sed si quis alius
conscindat testamentum, quasi ex mandato te-
statoris, id probare debet, *Carpz. p.* 3. *const.*
5. *def. ult.*

L. Et ab antiquis. ult.

SUMMARIA

*Quot testes in rusticorum testamento requiran-
tur, et an subscribere isti se debeant? num.* 1.
*An ad validitatem hujus testamenti tria requi-
rantur?* 2.
Annon duo sufficiant? 3.
*Rustici quatenus hoc casu ad solemnitates juris
communis observandas adstringantur?* 4.
Lex haec confirmata est in imperio Germanico. 5.
*Quod si civis ruri vel rusticus in civitate teste-
tur, an valeat testamentum?* 6.
*An dispositio hujus legis etiam in nuncupativo
testamento locum habeat?* 7.
In casu necessitatis quinque testes sufficiunt. 8.
Exemplo illustratur. 9.
*An testes super nuncupativo testamento exami-
nandi jurato examinentur?* 10.

1 Imperator hic remittit numerum rusticis, suf-
ficiunt enim quinque testes, si plures eo in loco
facile non reperiantur, *Struv. synt. jur. civil.
exerc.* 23. *th.* 17. remittit et subscriptiones, si
testes literarum periti eo in loco non reperian-
tur. Si tamen duo vel tres literati reperiantur,
hi loco reliquorum subscribant. Quid quod in
provinciis Sax. firma sunt rusticorum testamenta
coram parocho et duobus testibus, etiam non
rogatis ruri condita, *Struv. synt. jur. civ. exerc.*
32. *th.* 17. Tria ergo concurrere oportet, ut te- 2
stamentum valeat. I. Ut testator sit rusticus, i. e.
qui ruri degit, etiamsi alias nobilis sit, *Grassus. q.*
54. *n.* 8. *Vasq. de success. creat.* §. 22. *n.* 32.
II. Ut ruri testetur. III. Ut sufficiens testium
numerus haberi non possit, *Clarus q.* 56. Sed
hoc ultimum tantum praesumendum est, nec
probandum instituto, *Dauth. h. t. Barry lib.* 1.
tit. 2. *num.* 9. et sic dici potest, sufficere pos- 3
se duo priora requisita ratione probationis, ut
Mevius ad jus Lubec. p. 2. *tit.* 1. *art.* 2. *num.*
54. Imo simplicitas rusticana non adeo princi-
paliter in considerationem venit, sed potius lo-
cus et inde sumpta inopia testium, *Finckelth.
obs.* 75. *num.* 14. Imo rustici videntur adstringi 4
etiam ad observandas juris communis sole-
mnitates, si in civitatibus degant vel castris, ubi
peritos consulere potuerunt, *in* §. *sancimus ita-
que, Riminald. cons.* 119. *num.* 67. ubi *num. seq.*
ait male pedaeos rusticis jungi, *et haec lex* con- 5
firmata in imperio Germanico *per dictam con-
stit. de notar. An.* 1512. §. *und sollen die no-
tarien etc.* quod si igitur rusticus in civitate, 6
vel civis ruri testetur, non valet testamentum,
Grass. §. *testamentum q.* 54. *Mascard. concl.*
1359. *num.* 64. nisi civis, cum ruri ageret, in-
cideret in morbum, et velit ibi testari, *Vasq.
de success. creat.* §. 22. *num.* 23. *Barry d. l.*
Dispositionem autem hujus legis etiam in nun- 7
cupativo testamento locum habere communiter
est receptum, *Vasq. de success. creat. lib.* 3.
§. 22. *num.* 4. *Dauth. hic num.* 4. *Clarus qu.* 56.
num. 6. *Mascard. concl.* 1359. *num.* 15. *Vasq. d.*
§. 22. *num.* 34. *Barry d. tit.* 2. Et ex argumento
hujus legis probat; Quinque testes sufficere in 8
casu necessitatis, si plures haberi non possint ob
casum aliquem, cujus exemplum ponunt in eo, 9
qui a tyranno carceri mancipatus est, *Grass.
d.* §. *q.* 54. *num.* 11. *et Masc. d. concl.* 1359.
num. 50. *et Barry d. l. num.* 50. Demum ex
fine legis probant; testes, quando super testa- 10
mento nuncupativo examinantur, jurato debere
examinari, *Carpz. p.* 3. *const.* 3. *def.* 63. nisi id
testamentum nuncupativum in formam publici
instrumenti redactum, *Carpz. d. c.* 3. *def.* 37.

TITULUS XXIV.

De haeredibus instituendis, et quae personae haeredes institui non possint.

L. Qui deportantur. 1. et L. Neque. 10.

SUMMARIA

Peregrini quinam? num. 1.
Haeredes institui non possunt. 2.
Ergo nec deportati. 3.
An relegatus recte instituatur? 4.
Quid si deportatus de facto institutus? 5.
Objectio diluitur. 6.
Alia objectio removetur. 7.
*An dicta de deportato pertineant etiam ad ban-
nitum et ad metalla vel triremes damnatos?* 8.

1 Quia peregrini, i. e. qui in numero civium
2 non sunt, v. g. Hostes, institui haeredes non possunt, *arg. l.* 1. *ff. ad l. falc.* (licet *Wesenb. th.* 2. *in fin.* institui posse pu-
3 tet) ideo nec deportatus institui potest, quia amittit jus civitatis, §. 2. *Inst. de cap. demin. Struv. synt. jur. c. exerc.* 33. *th.* 3. nec is qui per se capere non potest, per servum acquirere potest, *l.* 10. *h. tit.* quia plus est per alium acquirere, quam per se, *C. quod alicui X. de*
4 *R. J.* Relegatus vero institui omnino potest quia
5 jura civitatis retinet. Sed si deportatus de facto instituatur, haereditas defertur legitimis haeredibus, *arg. l.* 3. *de his quae ut indig.* quia deportatus mero jure est incapax, est itaque ac si nemo scriptus sit haeres, et habetur pro mortuo, *Jas. in l.* 1. *C. h. t. n.* 3. *Clar. q.* 22. *num.* 2. *Grass.* verb. *Inst. qu.* 2. *Vasq. p.* 1. *contr. c.* 102. *num.* 3. *Donell. l.* 6. *c.* 17. *Fr. Barry l.* 1. *t.* 8.
6 *num.* 2. Nec obstat *l.* 12. *eod.* nam de tali persona loquitur, quae non in totum, sed a certis personis institui prohibetur, ut *in l.* 13. *et* 14. *d. tit.* aliud etiam *in l.* 7. *ff. de legat.* 3. ubi
7 quod deportati servo relictum, ad Fiscum pertinet, sed hoc intelligendum non a die mortis sed ab eo tempore, quo servus Fisco acquiritur, deportato sc. citra restitutionem defuncto, quem sensum uti verbis legis convenientem merito commendat *ex A. Fabro Hillig. in Do-*
8 *nell. l.* 6. *c.* 17. *lit. U.* Quae autem de deportato *in hac l.* 1. dicuntur, etiam ad bannitum pertinent, et damnatos ad metalla, et ad triremes, *Gail. de P. P. lib.* 2. *c.* 1. *et* 12. *Sichard. ad hanc l.* 1. *num.* 10. *Dauth. de testam. num.* 298. *Grassus in* §. *Institutio q.* 6.

L. Pater tuus. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Vox residui *quid* h. l. *significet?* 2.
Fiscus iis tantum potest succedere, qui capaces quidem sunt, sed haereditate indigni. 3.
In materia favorabili sub residuo vel reliquo *interdum totum comprehenditur.* 4.
Exemplum subjicitur. 5.
Creditor, si quietantiam emittit his formalibus, quod pro residuo acceperit, *totum quod acceperit, fateri videtur.* 6.
Cautela, quomodo nimirum partui prohibito quid relinqui possit? 7.

1 Scripserat quis haeredem Titium et Cajum, his verbis; *Titius ex ea parte haeres esto, quam per leges capere potest, ex residuo Cajus haeres esto.* Compertum autem est, Titium nihil capere posse, forte quia partus adulterinus. Resp. Totam haereditatem Cajo acquiri, nam
2 licet vox *residui* per se partem tantum significet, hic tamen ex voluntate defuncti totum denotat. Vult enim testator, quod Titius capere non potest per leges, ut id omne capiat Cajus, quod hic veritate rei inspecta tota haereditas est. Nam quia Titius erat plane incapax,
3 Fiscus ei succedere non potest, nam Fiscus tantum succedere potest iis, qui capaces quidem sunt, sed haereditate indigni. Collige; Sub *residuo* vel *reliquo* comprehendi interdum *totum,* 4
quando is, in quem dispositum est, vel non capit, vel non capere potest, *Vincent. de Franchis dec.* 45. *num.* 3. *Cephal. cons.* 124. *num.* 12. Vide *l. caeterorum* 160. *ff. de V. S.* et ib. *Goedd.* quod in materia favorabili locum habet, sed non in odiosa, verbi gratia, obligatione, ut si 5
pro debitore, qui 100. debet, duo fidejubeant, primus in 40. alter in residuum, primo lapso facultatibus, alter in solidum non tenetur, post veteres Interpretes *hic Sichard. num.* 5. *Gilk. in fin.* Colligitur etiam, creditorem, si quie- 6
tantiam his formalibus emittit, *quod pro residuo acceperit,* videri fateri quod totum acceperit, *Jason* hic et omnes interpretes, ut ait *Menoch. cons.* 296. *num.* 53. *Cephal. cons.* 124. *num.* 6. *Romanus singul.* 35. *Hering. de fidejuss. c.* 20. §. 22. *num.* 36. *et seq.* Et inter omnes cautelas, 7
quas hic tradunt *DD.* quibus partui prohibito quid relinqui possit, tutissima videtur ea, qua sub conditione capacitatis et legitimationis filio spurio quid relinquitur, *Sich. hic num.* 7. *Gilken. num.* 8. quia sufficit institutum vel substitutum tempore aditionis esse capacem vel legitimatum, *Vinc. Fusar. de subst. q.* 446. *n.* 1. *et seqq.* sicut etiam rebellis sub conditione hac, si capax erit, institui potest, *Cephal. cons.* 636. *num.* 13. Et spurius si instituatur sub conditione, si capax erit, sufficit, si post mortem capax fiat, et interim illi potest deferri bonorum possessio, *Menoch. cons.* 473. *num.* 12. *et seq.*

L. Cum proponas. 3.

SUMMARIA

Casus l. num. 1.
Priori responsioni objicitur l. 40. ff. h. t. et §. ult. Inst. de vulg. substit. 2.
Alia responsio. 3.
Obstat l. 13. §. 3. ff. de milit. test. 4.
Respondetur. 5.
Substitutio in unum tantum casum concepta, ob eamdem rationem, et verisimilem testatoris mentem etiam ad casum non expressum extenditur. 6.

Alexander Julianum servum, sibi cum fratre 1
communem, eum pro liberto suo habens, haeredem instituit, et si haeres non erit, ei substituit Vitalem. Cum autem postea apparet, Julianum fuisse testatoris servum, non libertum, an substituto locus? (scilicet Vitali) Affirm. si de voluntate testatoris appareat, quod alias non fuisset relicturus, si servum esse scivisset; si autem contrarium constaret, haberent verba institutionis hunc sensum, si neque ipse, neque alius sit haeres, tunc enim non daretur substituto locus, nisi servus non adierit. Sed obstare videtur *l.* 40. *ff. h. t. et* §. *ult.* 2
Inst. de vulg. substit. Simplicior videtur respon- 3
sio, quod hic agatur de eo casu, quando de voluntate testatoris constat, voluisse scilicet testatorem relinquere servo haereditatem, vel ipsi, vel alii per eum. Sed in allegatis textibus agi de casu dubio, quando de eo non constat. Vid. *Donell. lib.* 6. *cap.* 24. *Vasquez l.* 1. *de success. progr.* §. 15. *num.* 16. *et hic Gilken. et*

Harpr. ad §. ult. Instit. de vulg. et pub. subst. et quos allegat *num.* 14. *Grassus* §. *substitutio quaest.* 8. *num.* 3. *et Barry lib.* 3. *tit.* 5. *n.* 2.
4 Neque obstat *l.* 13. §. 3. *ff. de milit. testament.* ubi tota haereditas indistincte datur substituto, quia servi proprii institutio non valet
5 sine libertate; non potest autem videri voluisse testator dare ei libertatem, quem nescivit esse servum, *Barry d. l. num.* 2. Colliguut ex hoc
6 textu: Substitutionem in unum tantum casum conceptam, ob eamdem rationem et verisimilem testatoris mentem extendi ad casum etiam non expressum, quod exemplis hic Jason *num.* 8. *et seq.* declarat, *Cravetta cons.* 326. *num.* 2. *Barbos. locup. lib.* 17. *c.* 62. *axiom.* 2.

L. Si pater. 4. et L. Nec apud. 7.

SUMMARIA

Ut error in corpore, ita et in qualitate haeredis, institutionem vitiat. num. 1.
Ubinam praecipue error hic cernatur? 2.
Conjunctio sanguinis semper videtur esse causa finalis institutionis. 3.
Quid si error in conjunctione tantum civili occurrat? 4.
Exemplum subjicitur. 5.
Si suppositio patris concurrit in exemplo dato, non est error, sed collusio. 6.
Quid juris hoc casu? 7.
Alius casus. 8.
Quid si aliquem instituam ut legitimum, qui tamen legitimus non est? 9.
Falsa demonstratio non nocet institutioni. 10.

1 Ut error in corpore, *l.* 9. *princ. ff. h. tit.* ita et error in qualitate haeredis, quae designat causam finalem, propter quam fuit motus ad instituendum, vitiat institutionem, *Grass.* in verb. *institutio q.* 29. *num.* 6. *Barry lib.* 2. *t.* 6.
2 *num.* 6. Et talis error praecipue cernitur in conjunctione sanguinis, qui impedit et vitiat
3 institutionem, nam conjunctio sanguinis semper videtur esse causa finalis institutionis, quod *ex his duabus legibus* probat *Decius cons.* 342. *in fin. Mantic. d. num.* 5. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 24. *num.* 5. ubi in his textibus id omnes statuere
4 dicit. Imo licet error sit in conjunctione tantum civili, non valet institutio, quia conjunctio praesumitur fuisse causa finalis institutionis haeredis, *Mantic. de conject. lib.* 4. *tit.* 7. *num.* 3.
5 *Barry lib.* 2. *t.* 6. *num.* 5. Verbi gratia, si putem filium esse, qui tamen suppositítius est, *l.* 4. *h.*
6 *tit. Peregr. de fideic. art.* 2. *num.* 19. (Imo si suppositio patris concurrat, non est error,
7 sed collusio, et tunc affertur filio ut indiguo, et Fisco applicatur haereditas, et sic intelligunt *l.* 45. *pr. ff. de jure Fisci*, *Mantic. d. l.*
8 *num.* 5.) aut putem fratrem meum esse, quem mihi in fratrem adoptavi (non enim adoptamus fratres, sed liberos *l.* 7. *h. tit.*) si modo ideo illos instituerim, quia putavi alterum vere filium, alterum vere fratrem esse, alias
9 eos non instituturus. Verum, quid si aliquem instituam ut legitimum filium, qui tamen legitimus non est, vel quod matrimonium sit nullum ob impedimentum aliquod, vel arrogatio nulla? Et Resp. *Mantic. d. l. num.* 10. *et seqq. et Menoch. de praes.* 24. *num.* 9. in primo casu sustineri institutionem, quia putativum matrimonium habetur pro justo, quoad legitimitatem liberorum; sed aliud in posterioribus duobus casibus, quia in posterioribus casibus est error in causa finali, *Simon de Praetis l.* 2. *dubit.* 2. *solut.* 2. *num.* 121. *Peregr. d. art.* 2. *num.* 20. *Barry. d. l.* Sed si sciam eos non esse, nec filium nec fratrem, eo tamen nomine dignos ipsos, valet institutio *l.* 58. §. 1. *ff. h. t.* quia falsa demonstratio non nocet institu- 10
tioni, *l.* 17. *et* 33. *ff. de condit. et demonstr.* Conf. *Cephal. cons.* 48. *num.* 6.

L. Non ideo. 5.

SUMMARIA

Tenor legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Ratio decidendi. 3.

Si quis uxorem meam instituat haeredem, 1
eamque affinem meam vocet, non vitiatur institutio. Ratio dubitandi, quia uxor mihi affinis 2
non est, *arg. l.* 4. §. 3. *ff. de grad. et affin.* Ratio decidendi *in l.* 33. *et l.* 17. *ff. de cond. et de-* 3
monstr. quod falsa demonstratio non noceat, et error qualitatis non inducens causam finalem, institutionem non vitiat, *Mantic. d. t. num.* 17.

L. Si compensandi. 6.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An legatum creditori a debitore in dubio animo compensandi factum videatur? 2.
Relictum a marito uxori non videtur compensandi animo cum dote relictum. 3.

Uxor marito debuit centum, sed ea maritum 1
instituit cum alio ex partibus aequis, non totum debitum, sed debiti tantum pars dimidia confusione tolletur, *arg. l.* 24. *infr. ad l. Falcid.* Sed uxor hac lege ex parte instituit haeredem maritum ut compensaret totum debitum, maritus autem hac specie vult tantum partem compensare, alteram vero partem a cohaerede petere, sed non potest, quia voluntas testatricis repugnat, quae totum vult compensandum esse debitum. Ex *hac l.* a contrario sensu pro-
batur; Si debitor creditori quid leget, non prae- 2
sumi id in dubio animo compensandi factum quod *ex hac lege* a contrario sensu, et *ex l.* 85. *ff. de legat.* 2. colligitur, si scilicet ex causa voluntaria proficiscitur debitum, *Mantic. de conject. lib.* 10. *tit.* 2. *num.* 2. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 109. *Ant. Fab. in suo cod. lib.* 6. *tit.* 17. *def.* 8. *Hartm. Pist. obs.* 105. *Carp. p.* 3. *c.* 13. *def.* 29. nisi ex conjecturis vel liquido probari possit, habuisse debitorem animum compensandi, *Afflict. dec.* 44. Sed in debito necessario, ut quod ex legis vel statuti dispositione provenit, praesumitur animus compensandi, *Auth.*

praeterea C. unde vir et uxor, Carpz. d. l. Et
3 inde colligunt: relictum a marito uxori non videri animo compensandi cum dote relictum, juncta *l. un. §. 1. C. de rei uxor. act. Menoch. d. l. num.* 57. *Mantic. num.* 12. *Carpz. p.* 3. *const.* 20. *def.* 40.

L. Collegium. 8. et L. Haereditatis. 12.

SUMMARIA

An et quatenus universitati sc. collegio cuipiam aliquid legati vel haereditatis titulo relinqui queat? num. 1.
Collegio privato specialiter nihil potest in testamento relinqui. 2.
Omnia collegia privata auctoritate contracta conjurationis suspecta sunt in rempubl. 3.
Exemplo illustratur. 4.
Quomodo quid collegio relinqui possit? 5.
Quid si administratoribus tantum sub nomine appellativo quid relictum? 6.

1 Dubitatum olim fuit, an civitatibus ac collegiis quicquam titulo legati vel haereditatis relinqui possit, *ex l.* 26. *ff. ad SCtum Trebell.* quia videntur personae incertae. Sed cum certa Universitas designetur, ideo tales institutiones et legata valent, modo Collegium sit a Superiori approbatum, *l. 8. h. tit.* Ratio *in l. 1. §. 1.*
2 *quod cujusc. universit.* Collige; Collegio privato specialiter nihil relinqui posse in testamen-
3 to, quia omnia collegia, privata auctoritate contracta, sunt suspecta conjurationis in Rempubl. *Dauth. de haer. inst. num.* 330. *Carpz. p.* 3. *c.* 13. *def.* 36. *Dn. Manz. de test. t.* 6. *q.* 7. *num.* 30. *et seq. Aucth in l. 1. ff. quod cujusc.*
4 *univ. num.* 1. *et* 2. Et sic nec Judeorum universitati quid legari potest, cum toleretur potius, quam approbetur illorum universitas, *Dn. Gerh. de mag. polit. num.* 223. et hunc laudans
5 *Dn. Carpz. d. l.* Dupliciter autem quid relinquitur collegiis, expresse, vel tacite, hoc, si civibus quid relictum, *l. 2. ff. de reb. dub. Coev. q.* 278. nam singuli cives intelligi non possunt instituti, nec singulis legatum videtur, quia civitatem magis quam singulos cives dilexisse praesumitur: 2. Inter tam multos divisum ad minimam summam redigeretur, *Hillig. in Donell. l.* 8.
6 *c.* 6. *lit. C.* item si administratoribus tantum sub nomine appellativo quid relictum, *cap. requisivisti* 15. *X. de testam. Menoch. lib.* 4. *praes.* 111. *et seqq.* nisi necessitudine junctus quis administratori quid legaverit, nam tunc videtur personae ejus legatum, quod de Ecclesia et Episcopo sic cavetur *in c. requisivisti* 15. *X. de test. Menoch. l.* 4. *praesumpt.* 111. *Hillig. d. l.*

L. Extraneum. 9.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Conditio, quae vivo haerede vel legatario non impletur, pro non adjecta habetur. 2.
Limitatur. 3.
Momentum mortis vitae annumeratur, et sic adhuc spirans fit haeres. 4.
Institutio haeredis, cum alius morietur, conditionalis est. 5.
Si quis ex tempore incerto an et quando extiturum sit, vel ex tempore incerto quando, sed certo quod aliquando extiturum sit, institutus est, conditionalis censetur institutio. 6.
Institutio sub conditione mortis ipsius haeredis facta subducto isto tempore pura remanet. 7.

Licet haeres recte instituatur, cum morietur 1
ipse, vel cum alius morietur; priori tamen casu pura est institutio, et potest vivus adire haereditatem, quia conditio, quae vivo haerede vel 2
legatario non impletur, pro non adjecta habetur, *l. 79. pr. ff. de condit. et demonstr. et l.* 34. *ff. h. l.* licet aliud in libertate, *l. 17. pr. ff.* 3
de manum. testam. et usufructu, *l. 51. ff. de usufruct.* quia haec ex die dari possunt, non vero haereditas. Quamvis dici possit, momen- 4
tum mortis vitae annumerari, et sic adhuc spirantem eum haeredem fieri, *Cujac. l. 3. obs.* 34. ubi dicit, filium ita institui non posse. Sed po- 5
steriori casu conditionalis est institutio, quia certum non est, illum alterum moriturum, vivo instituto haerede. Et sic apparet, duas esse lecturas *hujus legis*, nam alii de morte ipsius haeredis, alii de morte tertii intelligunt. Exinde *DD.* colligunt; Si quis ex tempore 6
incerto, an et quando extiturum sit, vel ex tempore incerto quando, sed certo, quod aliquando extiturum sit, institutus est, censeri institutionem conditionalem: Sed si sub 7
conditione mortis ipsius haeredis facta sit institutio, isto tempore subducto, institutio remanet pura, *Grass. §. institutio q.* 24. *num.* 4. *Gomez tom. 1. resol. c. 2. num.* 11. *Barry lib. 2. tit. num.* 6. et hanc esse receptam sententiam, a qua non sit recedendum, dicit *hic Gilk. Molin. tr. 2. disp.* 156. *num.* 6.

L. Extraneum. 11.

SUMMARIA

Persona quae instituitur vel demonstratione saltem certa esse debet. num. 1.
An debeat esse cognita? 2.
Persona plane incerta non potest institui. 3.
Hodie potest. 4.
Durum ex imperfecto firmum argumentum sumere. 5.
Persona incerta, si ex conjecturis colligi possit, de qua senserit testator, recte instituitur. 6.

Certa Persona esse debet, quae instituitur, 1
saltem demonstratione, *l. 9. §. 8. et seq. ff. h. tit.* ut cognita sit persona, necesse non est, *hic* 2
et §. ult. Instit. h. tit. quia sufficit a nominatione, vel fama, vel virtutibus notam nobis esse personam, quam volumus instituere haeredem. Sed si persona plane incerta, verbi gratia, qui 3
primus ad funus meum venerit, haeres esto, ea institui non potest, *§. incertis* 25. *Inst. de legat. l. 9. §. 9. ff. h. tit. l.* 24. *C. de episc. Donell. lib. 6. c. 17. et ib. Hillig. lit. X.* Sed communis, et in foro receptior est sententia, in- 4

certam personam institui haeredem posse, modo ex aliquo eventu certa fieri possit, *Card. Mantic. de conject. lib.* 8. *tit.* 4. *num.* 18. *Tuschus concl.* 45. *lit. l. Grass. d.* §. *institutio q.* 12. *num.* 1. *Dn. Manzius de testam. tit.* 6. *q.* 7. *num.* 194. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 21. *num.* 17.
5 *et seqq.* et durum est, ex imperfecto, §. 25. *Inst. de legat.* firmum argumentum sumere. Po-
6 test etiam incerta persona institui, si ex conjecturis colligi possit, de qua senserit testator, *Menoch. d. l. num.* 8.

L. Quoties. 13.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Haeres est universi juris successor, non certae rei. 2.
Nemo in suo testamento facere potest, ut leges non valeant. 3.
Hinc nemo potest pro parte testatus pro parte intestatus decedere. 4.
Uno in re certa instituto, alio absolute, vel in parte quotitativa, primus legatarii loco habetur, ex ratione scilicet rei relictae. 5.
An tali certae rei detrahatur Falcidia? 6.
An ille Trebellianicam detrahat? 7.
An in aliis et quatenus pro haerede habeatur? 8.
Haeres in certa re institutus ad aeris alieni solutionem non tenetur. 9.
Quid si haeres sit filius? 10.
Quid si duo sint instituti, et ambo in re certa, et nemo praeterea? 11.

1 Scripsit quiddam haeredem Titium ex certa re, id est, fundo, Cajum vero ex certa parte haereditatis, id est, Dodrante vel nulla facta mentione partis. Quaeritur, *An uterque haeres?* Resp. solum Cajum fore haeredem, Titium ve-
2 ro legatarii loco esse habendum. Nam haeres est universi juris successor, non certae rei, *l.* 9. §. 12. *ff. h. t.* Ergo Cajus erit haeres in tota haereditate, et solus utetur actionibus haereditariis et convenietur. Titius vero habebit rem certam, ut legatarius sine onere. Aliud si unicus instituatur haeres in re certa, hic enim in solidum haeres erit, *l.* 1. §. 4. *ff. h. tit. ibiq. Auctor num.* 2. *Men. cons.* 224. *num.* 48. *Castillo l.* 3. *contr.* 17. *Salgado in labyr. p.* 2. c. 2.
3 *n.* 17. Quia nemo potest facere, ut in testamento suo leges non valeant, ergo nec facere potest, ut
4 pro parte testatus, pro parte intestatus decedat. Idem, quod de unico haerede ex certa re instituto diximus, locum etiam habet in eo casu, si duo instituti, et ambo quidem in re certa, *per l.* 3.
5 *ff. eod.* Collige E. quando unus in re certa, verbi gratia, certa specie vel certa summa institutus est, alii, vel alius absolute, vel in parte quotitativa, quod primus habeatur legatarii loco, *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 5. scilicet
6 ratione rei relictae, nam tali certae rei detra-
7 hitur Falcidia, *l.* 10. *C. fam. hercisc.* nec ille detrahit Trebell. *Carpz. par.* 3. *const.* 1. *def.* 15. ea non agnita transmittitur, *arg. l.* 80. *ff. de le-*
8 *gat.* 2. Sed in aliis habetur pro haerede, scilicet quod possit propria auctoritate rei possessionem apprehendere, quod cohaerede indefinite dato repudiante haereditatem, huic haeredi in re certa instituto competat jus accrescendi, cum parum intersit, an quis ab initio solus sit institutus, an vero ex post facto solus maneat. Ideo legatarius hic solus non est, sed partim pro legatario, partim pro haerede habetur, *Fachin. lib.* 4. *cap.* 15. *Gilken. hic num.* 8. *Ant. Gomez lib.* 1. *resol. c.* 2. *in fin. Dauth. hic num.* 40. *et seq. Peregrin. art.* 3. *num.* 7. *Donell. lib.* 6. *cap.* 18. *et ib. Hillig. lit. M.* Et hinc haeredem in re certa, verbi gratia, certa 9
summa institutum, ad aeris alieni solutionem non teneri, ne quidem, si filius sit, tradit *Carpz.* 10
dec. 81. Sed quia tamen liberi in re certa institui possunt, *Novel.* 115. *c.* 5. *in pr.* et tamen non nisi honorabili institutionis titulo debent institui, *d. Nov. c.* 3. *princ.* ideo ea sententia mihi valde dubia in liberis videtur, et videtur mihi in contrarium inclinare *Sichard. hic num.* 3. *et Dauth. num.* 50. Sed Quaer. *Quid si duo* 11
instituti et ambo in rebus certis et nemo praeterea? Adjectio certarum rerum inutilis ad haereditatem, efficax ad rerum singularium divisionem, quisque enim ex semisse haeres, certae vero illae res habentur pro praelegatis, *l.* 35. *ff. h. t. Donell. cap.* 18. *lit. I. Gilken. hic num.* 4. *Jo. Igneus in rep. auth. ex causa num.* 288. *et num.* 290. *num.* 266. *Dauth. num.* 48.

L. Cum in libris. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Duo casus excepti. 2.
Haeres haeredis etiam testatoris haeres est. 3. 6.
Omnia jura, quae dicunt errorem in nomine, non vitiant institutionem. 4.
Limitatur. 5.
Vulgaris substitutio etiam verbis affirmativis exprimitur. 7.

Quidam, cum non vocaretur Plotius, his ver- 1
bis in testamento usus, Sempronius Plotii haeres est, Quaeritur: *Anne Sempronius detracta mentione Plotii testatoris haeres esse possit?* Videtur quod sic, quia error nominis non nocet institutioni; sed Neg. quia verba repugnant, et nemo ita crasse errabit, ut in nomine suo et proprio erret. Excipiuntur duo casus. 1. Si 2
testator alicujus, qui Plotius vocatus fuit haeres extiterit, tunc enim sensus est, Sempronium debere esse testatoris, et conseq. Plotii haeredem. Ratio; quia haeres haeredis est etiam te- 3
statoris haeres: 2. Si Plotium haeredem instituat; tunc enim haec voluntas testatoris esse videtur, quod vulgariter hunc Sempronium Plotio substituerit, idque non ex verbis, sed sententia et voluntate testatoris colligitur. Collige: I. Omnia 4
jura, quae dicunt errorem in nomine non vitiare institutionem, limitanda esse, nisi testa- 5
tor in nomine suo et proprio erraverit, nam hic error docet fatuitatem testatoris, et sic vitiat totum testamentum, *Sichard. hic num.* 2. *Grass.* §. *Institutio, qu.* 29. *et* §. *Legatum q.* 65. *Franc. Barry lib.* 2. *tit.* 6. *num.* 1: II. Quod 6
haeres haeredis sit etiam primi haeres, quam regulam hic communiter tractant *DD.* Vid. *Aug. Barbosa lib.* 18. *c.* 5. *Axiom.* 5. Nam ad conservandam voluntatem defuncti sufficit, si vel impropric ipsa verba testamenti intelligi pos-

sunt, quod intelligunt, quando affectio transit ad certum haeredem, qui venit ex judicio testatoris, *Rimin. cons.* 252. *num.* 11. et quando substitutio facta est verbis directis, *Cephal.*
7 *cons.* 429. *num.* 142. III. Substitutionem vulgarem etiam verbis affirmativis exprimi, verbi gratia, si dicam, Sempronius Plotii mei haeredis, haeres esto, id est, si Plotius non erit haeres meus, Sempronius haeres erit, quam vulgarem etiam expressam vocat *Ruinus in l. Gallus* §. *et quid si tantum num.* 103. *et Fortun. Garzias in repet. d. l. Gallus pr. num.* 91.

TITULUS XXV.

De institutionibus et substitutionibus, et restitutionibus sub conditione factis.

L. Cum avum. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Deciditur per subtilem distinctionem. 2.
Conditio illa, cum duxerit, si nupserit, *quatenus pro impleta habeatur?* 3.
Qualis illa conditio potestativa, si decem dederit? 4.

1 Avus Neptem haeredem instituit hac conditione, si Anthylli filio nubat, illa haeres non erit nisi hanc conditionem impleverit, aut per eam non steterit, sed per sponsum, quo minus nubat, per *l.* 24. *ff. de condit. et demonstr. l. in jure* 16. *ff. de reg. jur.* qua in parte subtiliter
2 distinguunt leges, ut si facto ejus, cujus interest conditionem mixtam ex casuali et potestativa impleri, impediatur, ut tum conditio habeatur pro impleta non vero, si casu impediatur, per *l.* 31. *ff. de condit. et demonstr. et l.* 4. *C. de condit. insert. l.* 23. §. 2. *ff. ad l. Aquil.* Vid. *Don. lib.* 8. *c.* 34. *et ib. Hillig. lit. D.* Nam si casu impediatur, conditio non habetur pro impleta, nisi favor libertatis, alimentorum, piae causae, aut conditio morandi apud alium favore legatarii aliud suadet, *Vinc. Fusarius de substit. q.* 454. *num.* 11. *et seqq.* Colligitur igi-
3 tur *ex lege:* Quia conditio, *si duxerit, si nupserit,* est mixta, cum non ab unius, sed utriusque arbitrio dependeat, ideoque, si per alterum gravatus impediatur, quo minus impleat, conditionem haberi pro impleta, et quando stat per alterum, in cujus persona conditio implenda erat, *Menoch. lib.* 4. *praes.* 183. *num.* 29. per *l. jure civil. ff. de condit. et demonstr. Vasq. lib.* 3. *illustr. c.* 93. *num.* 3. *Grass.* §.
4 *Institutio q.* 26. Idem in conditione potestativa, si decem dederit, *Peregr. de fideicom. art.* 16. *num.* 128. *Barry lib.* 17. *tit.* 6. *num.* 15. *Vinc. Fusar. de substit. q.* 454. *num.* 72. *et seqq.* Quotuplex autem conditio potestativa sit et earum effectus, docetur ab *Auct. in l. ult. ff. de cond. instit. per tot.*

L. Conditioni. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Nulla conditio, nisi quae contra bonos mores et leges, rejicitur. 2.
An nuptiae inter consobrinos licitae? 3.
Quid si filia non voluit nubere, et interim consobrinus aliam duxit, an ea ob aetatem minorem possit restitui? 4.
Spe praemii et haereditatis mulier ad matrimonium invitari potest. 5.
An conditio, si nupserit, *pro non adjecta habeatur?* 6.
An talis conditio removeatur a legitima, ita scilicet ut libera debeat esse legitima? 7.
Confessio actoris ex libello in praejudicium libellantis a judice potest acceptari. 8.

Mater filiam haeredem instituit, si consobrino nubat. Quaeritur: *An huic parendum sit* 1
conditioni? Affirm. Nulla enim conditio rejicitur, nisi contra bonos mores sit, *Auctor in l.* 2
15. *ff. de cond. instit. num.* 1. ut si indicta viduitas, *l.* 63. *ff. de condit. et demonstr.* nec contra leges, quia nuptiae inter consobrinos 3
non prohibitae §. 4. *Inst. de nupt.* quia tamen jure canon. et jure municipali prohibitae inter consobrinos nuptiae, hodie non haberet locum talis conditio, *Fusar. d. q.* 454. *num.* 101. Sed si mas gravatus, teneretur dispensationem petere a superiore, vel si foemina innupta, teneretur declarare voluntatem, quod conditionem implere velit, si consobrinus velit ducere legatariam et dispensationem petere. Secundo Quaer. *Si filia non voluisset nubere, et interim* 4
Consobrinus aliam duxerit, an filia ob aetatem minorennem restitui possit? Quod Neg. Quia non debet restitui contra voluntatem testatricis, nisi Consobrinus ejus nuptiis esset indignus, *d. l.* 63. Nam conditio haec removetur, quando designatus sponsus est nuptiis illis indignus, *Mantic. lib.* 11. *de conject. ult. vol. tit.* 18. *n.* 5. Et sufficere putant hic interpretes, si altera persona, in qua implenda conditio, postea velit nuptias contrahere, quas semel repudiavit, quod in casu institutionis ita verum, si res adhuc integra, nisi interim aliam duxit, vel nisi quasi impleta conditione adierit jam haereditatem, *Menoch. d. praes.* 183. *num.* 29. *et seqq. Franc. Barry d. l.* 17. *tit.* 6. *num.* 16. vers. *Secundus casus.* Collige: I. Spe praemii et hae- 5
reditatis, mulierem ad matrimonium invitari posse, nec habendam esse pro non adjecta, 6
Mantic. d. l. num. 1. sed rectissime notat *d. tit.* 18. *num.* 12. talem conditionem, *si nupserit*, 7
de qua *in hac, et praeced. leg.* agitur, removeri a legitima, et legitimam liberam esse debere, seu tantum locum habere in caeteris bonis. Collige: II. *ex fin. legis:* Acceptari posse a 8
judice confessionem actoris ex libello, in praejudicium libellantis, etc. *Castr. Sich. hic in fin.*

L. Si mater. 3.

SUMMARIA

Conditio quando impleta videatur? num. 1.
Exemplo illustratur. 2.
Conditiones in forma specifica debent impleri. 3.
Conditio in unum casum liberationis concepta etiam intelligenda est de alio, et institutio collata in unum casum trahitur etiam ad similem. 4.
Si disponens effectum respexit, nihil refert, quid ex aequipollentibus fiat. 5.
Instituit quis uxorem sub conditione, si caste vixerit in viduitate, *an muliere ad secundas nuptias pergente valeat substitutio?* 6.

1 Conditio tunc impleta videtur non tantum cum id factum est, quod verbis est comprehensum, sed etiam quod testator voluit, licet ex verbis
2 non appareat, verbi gratia, Mater liberos haeredes instituit, si emancipati erunt a patre; non sunt emancipati, sed pater vel mortuus est, vel deportatur, liberis non emancipatis; Quaeritur: *An possint tamen liberi, quasi conditione impleta, adire haereditatem maternam cum sua causa*, id est, *suo onere?* Videtur quod non,
3 quia conditiones in forma specifica impleri debent, *l. qui haeredi* 44. *ibique Auct. pr. et l. Maev. ff. de condit. et demonstr.* Sed Affirm. hic; Quia testatrix non consideravit modum et formam, sed effectum, ut liberi non patri, sed sibi acquirerent, quo casu sufficit, ut effectus sequatur, nec refert quomodo sequatur, *Mantic. lib.* 11. *tit.* 16. *num.* 4. *Surdus dec.* 37. *num.* 31. et quos refert *Vinc. Fusarius de substit. q.* 61. *num.* 29. Hoc enim fuit consilium matris, ut liberi non acquirerent haereditatis suae usumfructum patri, quam finem et hoc casu mater consequitur, Vide *l.* 25. *supr. de inoff. testam.*
4 Notes: Conditionem in unum casum liberationis conceptam, etiam intelligendam esse de alio, et institutionem collatam in unum casum trahi etiam ad similem. Quando autem testator potius effectum, quam modum respexisse videatur, de eo agit *Bart. ad l. Gallus §. et quid si tantum*
5 *ff. de liber. et posth.* Colligunt *ex hac l.* Non referre, quid ex aequipollentibus fiat, si disponens effectum respexit, *Jason hic et DD. Carpz. p.* 2. *const.* 14. *def.* 41. *num.* 6. Et *ex hac lege* determinant *hic Castr.* et alii hanc quaestionem:
6 Instituit aliquis uxorem, doneo caste vixerit in viduitate, et post mortem ejus substituit Titium; si vidua ad secundas nuptias perrexerit, omnino locus est substitutioni, quia idem est, sive per mortem, sive per secundas nuptias mulier bona habere desinat.

L. Si pater. 4.

SUMMARIA

Filius, in potestate patris constitutus, haeres non potest institui sub conditione casuali et mixta, bene autem sub potestativa. num. 1.
Quid si contra fiat. 2.
Legitima tamen debet esse salva. 3.
Exemplum subjicitur. 4.
Communis Doctorum *conclusio est contraria.* 5.
Dubium. 6.

Titius, qui in potestate patris est, non potest 1
institui haeres sub conditione casuali et mixta; (bene autem sub potestativa). Et si contra fiat, 2
testamentum est nullum, *Carpz. part.* 3. *cap.* 9. *defens.* 18. *num.* 5. salva tamen debet esse 3
legitima, quae omnem conditionem etiam potestativam respuit, *l.* 32. *supr. de inoffic. testament.* Jam pater instituerat filium, si in patriam 4
redierit, haec conditio per se est potestativa, quia tamen vel hyeme, vel morbo, vel alia causa impediri potest, ideoque si impediatur, conditio illa habetur pro casuali, et filius, licet conditionem implere non poterit, patri tamen succedit ab intestato, quia testamentum nullum est ob praeteritionem, et huic legi jure novo derogatum non esse tradit *Fachin. lib.* 5. *contr.* 71. Confer. *Vasq. de success. creat.* §. 10. *num.* 225. *et seqq.* Sed conclusio Doctorum commu- 5
nis est contraria; statuunt enim communiter, hodie testamentum illud, in quo filius sub conditione casuali vel mixta est institutus, non esse nullum, filio instituto sub conditione; conditionem rejici et haberi pro non scripta ratione legitimae, et legitimam filium jure consequi, nec nisi in residuo conditionem illam habere effectum, per *l. quoniam.* 32. *et l.* 36. §. 1. *C. de inoff. testam. Peregr. de fideicom. tit.* 36. *art.* 63. *Grassus* §. *legitima q.* 39. *num.* 12. *Simon de Praetis. lib.* 3. *interpr.* 1. *dub.* 6. *sol.* 2. *num.* 2. *Barry lib.* 2. *tit.* 2. *num.* 3. *Suarez in l. quoniam ampl.* 1. *Dauth. de testam. num.* 285. *et Mantic. lib.* 11. *tit.* 18. *num.* 14. *Jason. hic.* Quod etiam de eo intelligunt, quando facile conditio potestativa impleri potest, quod nihilominus talis conditio a legitima abesse debeat, *Suarez d. l. ampl.* 5. *Grass.* §. *legitima qu.* 38. *num.* 12. *et seq.* Conf. *Bacchov. in Tr. disp.* 11. *th.* 3. *lit. D.* verbis, *idem dicemus.* Sed incidit 6
mihi hoc dubium, si filius solus sit institutus sub conditione mixta, et filius legitimam habeat sine onere, ad quem pertinebunt alia bona, quae recipiunt conditionem? Si haberet cohaeredem, dici posset, ad cohaeredem ea pertinere, sed posui casum de filio solo instituto; ad legitimos pertinere nequeunt, ob vulgatam regulam, quod nemo testatus et intestatus esse possit, et puto itaque meliorem esse eam sententiam, quae dicit testamentum illud hodie esse nullum, *Fachin. d. l.*

L. Reprehendenda. 5.

SUMMARIA

Conditio turpis adjecta, pro impossibili adeoque pro non adjecta habetur. num. 1.
Exemplum subjicitur. 2.
Omnis conditio impeditiva matrimonii annullanda est. 3.
An divortia a Legibus Rom. fuerint permissa? 4.
De conditionibus de jure impossibilibus remissive. 5.

Conditiones turpes adjectae pro non adjectis 1
habentur, quia pro impossibilibus habentur, *l.* 3.

2 *ff. de condit. et demonstr.* v. g. Si mater filiam instituerit haeredem, si a marito diverterit, haec est contra §. 1. *Inst. de patr. potest.* et filia impune non pareret, imo si valeret conditio, deberet tamen concordiam maritalem
3 praeferre lucro. Sic ergo omnis conditio impeditiva matrimonii temporalis aut spiritualis, et qua matrimonium dirimitur, annullanda est, *Menoch. cons.* 245. *num.* 7. *Vinc. Fusar.* de *subst. qu.* 429. *num.* 20. *et seq.* Sed dicet aliquis,
4 divortia a Legibus Romanis fuisse permissa, cur hic pro turpi conditione habentur? Resp. *Dn. Manzius tit.* 7. *q.* 7. *num.* 38. divortium fuisse permissum, sed non approbatum ut honestum, nam multa conceduntur ob majus malum vitandum, quae tamen per se honesta non sunt, v. g. divortium ob errorem qualitatis aegre quidem permittitur, sed partis periculo. De his
5 conditionibus de jure impossibilibus pluribus agunt *Peregr. de fideicomm. art.* 11. *num.* 116. *et seqq. Ant. Gomez tom.* 1. *resol. c.* 12. *num.* 67. *Barry lib.* 17. *tit.* 10. *num.* 1. *Paul. Durand. de condit. imposs. p.* 3. *c.* 1. *et seqq. Vinc. Fusar. de subst. q.* 454. *num.* 99. *et seqq.*

L. Generaliter. 6.

SUMMARIA

Si conditiones plures vel conjunctive vel disjunctive adscriptae, quomodo singulae implendae? num. 1.

Quid si ita testatus sit, si sine liberis decesserit filius meus, aut sine testamento, aut sine nuptiis, restituat haereditatem alii, *an unum horum existere sufficiat?* 2.

Disjunctiva inter plures conditiones posita resolvitur in conjunctivam, si sc. inter eas conditiones haec reperiatur. 3.

Decisio textus declaratur. 4.

An decisio hujus legis eo procedat casu, ubi quidem nullos reliquit testator liberos, testamentum tamen fecit. 5.

Lex respicit favorem liberorum. 6.

An liberi in ea conditione, si sine liberis decesserit, *ad fideicommissum vocati sint, et ita alienatio haeredi interdicta?* 7.

Cum pater filio suo instituto haeredi, si morietur, alium substituit, vel cum restituere alii haereditatem jubet, semper conditio, si sine liberis decesserit, *intelligenda est.* 8.

An hoc intelligendum sit de filio naturali? 9.

An in conditione, si sine liberis etc. *etiam naturales intelligantur?* 10.

An hoc etiam ad omnes descendentes sit extendendum? 11.

An procedat tam in patre quam in matre? 12.

An etiam in milite? 13.

1 *Pr.* Quando plures conditiones sunt adscriptae conjunctive, tunc omnes impleri oportet; si disjunctive, sufficit unam extitisse, *l.* 5. *ff. de condit. inst. l.* 12. *ff. de V. O.* Sed quid si ita
2 testatus sit: *si sine liberis decesserit filius meus, aut sine testamento, aut sine nuptiis, restituat haereditatem Cajo*; quaeritur, *An unum horum sufficiat existere?* v. g. Si sine testamento decesserit filius, licet liberos genuerit, secundum verba locus esset fideicommisso: Justinianus autem constituit non aliter ei locum esse, nisi omnes conditiones existant, quia pater voluisse praesumitur, ut haec, si sine liberis decesserit, cum aliis conditionibus conjungeretur. Plus enim amasse praesumitur nepotes, quam extraneos. Collige: disjunctivam positam inter plures con- 3
ditiones resolvi in conjunctivam, si scil. inter eas conditiones haec reperiatur, *si sine liberis decesserit*, per *l. hanc et l. Lucius* 85. *ff. de haer. instit. Mantic. de conject. lib.* 11. *tit.* 1. *num.* 6. Nam dum testator liberorum fecit mentionem, credibile est testatorem liberos nascituros se aliis praeferre, *Dn. Manzius in tr. de testam. tit.* 7. *q.* 8. *num.* 8. *et seq.* Et hoc omnes ex *hac lege* colligunt, *Menoch. cons.* 672. *num.* 3. *Vinc. Fusar. de substit. qu.* 455. *num.* 17. idque etiam in extraneis locum habet, *Grass.* §. *Institutio qu.* 26. *num.* 5. *Cavalc. part.* 3. *def.* 25. quem laudat *Fusarius d. l. num.* 18. *et DD. hic communiter.* Sed declaratur decisio 4
textus, quando verosimile non est, quod testator voluerit omnes impleri, *Menoch. cons.* 127. *num.* 81. *et Fusar. d. l. num.* 221. vel si essent incompatibiles, ut si moriatur in pupillari aetate, vel sine liberis, *Fusar. num.* 21. Et quaeritur hic a *DD. An decisio hujus legis procedat* 5
eo casu, ubi quidem nullos reliquit liberos, testamentum tamen fecit? Et puto alternativam hic retinere suam naturam, cum *haec lex* fa- 6
vorem liberorum respiciat, sive suorum, sive cujusdam alterius, qua de re *Fr. Barry lib.* 17. *tit.* 7. *n.* 7. *DD. in hac lege* generaliter tractant illam quaestionem, *An liberi in ea conditione* 7
si sine liberis decesserit, *ad fideicommissum vocati sint, et an ita alienatio haeredi interdicta?* Et negativam amplectuntur *DD.* communiter, quos allegat *Harpr. ad* §. 11. *Inst. de haered. inst. num.* 10. *Hillig. in Donell. lib.* 8. *c.* 31. *in fin. Menoch. l.* 4. *praes.* 76. *num.* 14. *Bacch. d. disp.* 11. *th.* 3. *lit. d.* Sed hoc in extraneorum liberis, sed non in testatoris descendentibus locum habere putant *DD.* quos *Menoch.* allegat *d. praes.* 76. *num.* 23. *Carpz. p.* 3. *c.* 8. *def.* 9.

§. *Cum autem.* Cum pater filio suo instituto 8
haeredi, si morietur, substituit Cajum, vel cum haereditatem restituere Cajo jubet, semper conditio, *si sine liberis decesserit*, subintelligenda est, *l.* 30. *infr. de fideicomm. l.* 102. *ff. de condit. et demonstr.* Quaeritur autem I. *An hoc* 9
intelligendum sit de filio naturali? Resp. Imper. quod sic, quia et haec suadet affectio parentis, et ita substitutione facta liberis naturalibus intelligitur haec conditio, *Si sine liberis decesserit.* Nam loquitur Imper. de filio naturali gravato, quod et in eo subintelligatur conditio, *si sine liberis decesserit*, non vero loquitur de filii gravati liberis naturalibus, *Bacch. in Tr. disp.* 14. *th. ult.* II. Quaer. *An hoc idem sit, si filius legitimus quidem, sed nepotes sint naturales?* Et ita: *An in conditione*, sine liberis etc. 10
etiam naturales intelligantur? Resp. liberorum appellatione legitimos hic tantum contineri, *Auct. in l.* 76. *ff. de cond. et dem.* quia ratio hujus juris, quae habetur *in d. l.* 30. in liberis naturalibus locum non habet; et per verba textus, *Nisi ipsi liberi sine justa sobole decesserint.* Et ita in substitutione etiam facta naturali filio intelligenda haec est conditio, sed vocabulum, *liberi*, in ipsa conditione, tantum de justis accipiendum. III. Quaer. *An hoc etiam ad* 11

omnes descendentes sit extendendum? Quod affirm. Imper. Et sic in substitutione facta nepoti aut pronepoti haec conditio intelligenda, *Mantic. lib.* 10. *tit.* 7. *num.* 13. *Menoch. lib.* 4.
12 *praes.* 89. *Barry lib.* 17. *tit.* 13. *num.* 2. Et procedit *haec lex* non tantum in patre, sed etiam in matre, *Ant. Gomez lib.* 1. *resol. c.* 5. *num.* 32. *Mantic. d. tit.* 7. *num.* 14. *Barry d. l. num.* 1. etiam in milite, *Mantica de conject. l.* 6. *tit.* 1. *num.* 11. *Vinc. Fusar. de subst. q.* 393. *num.* 6.
13 etiam si filius esset universaliter institutus, et fideicommisso particulari, ob verba textus (*Et fideicommissis specialibus*) *Mantic. d. t.* 7. *l.* 10. *num.* 15. *Fusar. l. num.* 11. Et si filius cum extraneo haeres institutus ac ambo fideicommisso gravati, in persona tamen filii subintelligenda esset illa conditio, *si sine liberis*, *Fusar. d. q.* 593. *num.* 32. *et seqq.* Et hoc locum etiam habet, si pia causa fuerit substituta ob praesumptam mentem testatoris, *Fusar. d. l. num.* 55. *et multis seqq.* nisi substituta esset causa in re parva vel ad exonerandam conscientiam, *Fus. d. l. num.* 69. *et seqq.* Caeterum hanc materiam cum pluribus ampliationibus et limitationibus videre licet apud Auctores allegatos, praesertim *Manticam*, *Fusarium* etc.

L. Si quis. 7.

SUMMARIA

Conditiones casuales et potestativae illae, quae non sunt promiscuae, quandocumque possunt existere, sufficiunt. num. 1.
Secus si promiscuae, seu quae facile impleri possunt. 2.
Conditiones casuales vel potestativae mixtae possunt impleri vivo testatore, licet implementum non curaverit. 3.
An filia sub conditione, si a marito diverterit, *jure novo possit institui?* 4.
In conditionibus casualibus nil refert an ante, an post mortem testatoris impleantur. 5.
Idem est in conditione non iterabili. 6.
Idem si factum sit sumptuosum et difficile. 7.
Secus in aliis potestativis et promiscuis. 8.

1 In conditionibus casualibus, v. g. si haeres consul factus fuerit, et potestativis illis, quae non sunt promiscuae, i. e. quae facile non possunt expediri, et non nisi semel, illae quandocumque possunt existere, sufficit, sive vivo testatore, sive mortuo existant, *hic et l.* 2. *l.* 11. §. 1. *et l.* 30. *pr.*
2 *ff. de cond. et demonstr.* sed promiscuae seu quae facile impleri possunt, illae non nisi post mortem testatoris impleri possunt per *dd. ll.* quia ante mortem testatoris testamentum confirmatum non est. Ergo non videtur paruisse testamento, qui conditionem promiscuam ante
3 mortem testatoris implevit. Collige ergo: conditionem casualem vel potestativam mixtam posse impleri vivo testatore, licet implementum non duraverit, *Auctor in l.* 2. *ff. de cond. et dem. num.* 1. v. g. licet haeres vivo testatore Consulatum deposuerit, vel filia a marito diverterit,
4 *An autem filia sub hac conditione jure novo institui possit?* Dubium est, et negandum. Con-
5 fer. *Vasq. contr.* 106. *num.* 4. Collige ergo; In conditionibus casualibus nihil referre, an ante mortem, an vero post mortem testatoris impleantur, *Mantic. lib.* 11. *t.* 17. *num.* 5. *Gomez tom.* 1. *resol. c.* 12. *num.* 61. *Pereg. de fideicom. art.* 16. *num.* 123. *Barry lib.* 17. *tit.* 6. *num.* 6. *Don. lib.* 8. *c.* 33. *circ. lit. N.* Idem est in con- 6
ditione non iterabili, quia sufficit hanc esse impletam in vita testatoris, *Grass.* §. *legatum q.* 57. *num.* 5. *et Barry d. l.* idem si factum sit 7
sumptuosum et difficile, *Barry d. l.* Sed in aliis 8
potestativis et promiscuis conditionibus secus, quae debent post mortem et quidem certo judicio non fato impleri, *Auctor in d. l.* 2. quia ante mortem scire non potest, an permansurum sit testamentum, *Mantic. l.* 11. *tit.* 16. *num.* 11. *Donell. d. l.*

L. Si testamentum. 8.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An si praesenti casu nullius conditionis fiat mentio, institutio valeat? 2.
Lex haec una est ex novis decisionibus. 3.
Quid si in fine subjecta conditio, an haec cum institutione in principio proposita conjungenda, atque sic conditionalis sit institutio? 4.
Particulae, secundum, prout, sicut, quemadmodum, *non vitiant dispositionem, quamvis non appareant de relato.* 5.
Exemplis duobus declaratur. 6.

Instituit Titius haeredem his verbis: Cajus haeres esto secundum conditiones infra scriptas. 1
Hic duo quaeruntur: I. *Si infra nullius conditionis fiat mentio, an haec institutio valeat?* 2
Videtur, quod non ob *leg.* 9. §. 5. *ff. de haer. inst.* Sed affirm. hic, hanc institutionem puram esse, et corrigitur ideo *d. lex*, quod non absurdum est dicere, nam est *haec lex* ex decisionibus 3
novis, ut quae post Consulatum Lampadii et Orestis promulgata. Quamvis dici possit *d. l.* 9. §. 5. de illo casu intelligendum, si certo probetur noluisse testatorem subnectere conditionem, hanc vero legem de eo ubi id certo non constat, nam mutasse consilium praesumitur, *Donell. lib.* 6. *cap.* 21. *et ib. Hillig. lit. H. Fachin. lib.* 4. *c.* 4. *Anton. Rubeus in repet. l. non solum* §. *morte ff. de nov. oper. nunciat. num.* 217. Ratio autem *hujus l.* sumitur ex *l.* 77. §. *ult. ff. de legat.* 2. Cum enim testator vicos legavit et addidit, se vicorum fines postea demonstraturum, quod non fecit, nihilominus valet legatum, ob *l. falsa* 33. *ff. de cond. et demonstr.* II. Quaer. *Quid si autem in fine subjecta* 4
conditio, an haec cum institutione in principio proposita conjungenda, atque sit conditionalis institutio? Quod affirm. quia eodem loco et in eodem testamento scriptae sunt. Ex *hac lege* Colli- 5
gunt *DD.* particulas, *secundum, prout, sicut, quemadmodum*, non vitiare dispositionem, quamvis non appareat de relato, quod duobus exemplis hic declarat *Gilken. num.* 6. *et seqq.* 1. Si judex me 6
damnasset, ut aliquos modios frumenti solverem, sicut antecessores fecerunt, non vitiabitur condemnatio, licet antecessores non solverint, *DD. hic et Rosenth. de feudis cap.* 6. *concl.* 24. *num.* 2. Sic 2. si quis praedium in feudum alteri concedat, sicut ejus antecessores habuissent, non

propterea conditionalis dicenda concessio aut infirmanda, licet antecessores non habuerint, *DD. hic Rosenth. d. l. et Schrad. de feud. part.* 5. *c.* 2. *num.* 55. *Dn. Richter. in tr. de adverbiis lit. S.* §. 13. *in fine.*

L. Cum quidam. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An tacita pupillaris substitutio, quam clausula vulgaris substitutionis continere solet, etiam matrem excludat? 2.

1 Testator habens uxorem praegnantem, eam haeredem instituit ex altera vero parte ventrem, i. e. foetum, cui si natus non erit, substituit Cajum: Sed editur foetus et fit haeres patris, verum in pupillari aetate moritur, Quaer. *an substitutus admittatur?* Videtur quod sic, quia substitutio vulgaris facta pupillo, continet etiam pupillarem, *l.* 4. *ff. de vulg. et pupill. substit.* Sed neg. hic, quia aliud est, si mater cohaeres sit instituta, quae ex tacita voluntate defuncti excludit substitutum, nisi hic expresse in secundo etiam casu substitutus sit. v. g. Si filius haeres erit, sed intra pupillarem aetatem fuerit mortuus, Vid. *Donell. lib.* 6. *c.* 26. *et ib. Hillig. lit. C.* Et hic anxie disputatur quaestio, *An tacita pupil-* 2
laris substitutio, quam clausula vulgaris substitutionis continere solet, etiam matrem excludat? Et quamvis sint, qui matrem excludant *ex hac lege*, quia hic Imp. admittit matrem ex ea ratione, quod partem bonorum matri reliquerit; Sed ut concedam, hanc esse unam rationem, sane quia non est sola, sed etiam quia est luctuosa filii haereditas, et ideo non esse facile discedendum a recepta sententia negativa, quam amplectentes Doctores recenset *hic Gilken. num.* 3. *Menoch. l.* 4. *praes.* 31. *Dn. Carpz. p.* 3. *const.* 8. *def.* 1. *Barry lib.* 3. *t.* 5. *num.* 14. vers. *scilicet tacita pupillaris etc. Finkelth. obs.* 29. *num.* 32. *Ceph. cons.* 429. *num.* 28. *et cons.* 524. *num.* 54. *et seqq. et cons.* 538. *num.* 13. nisi conjectura voluntatis testatoris sit in contrarium, *Molin. disp.* 184. *num.* 21. *Gomez tom.* 1. *c.* 4. *num.* 10.

TITULUS XXVI.

De impuberum et aliis substitutionibus.

L. Cum haeredes. 1.

SUMMARIA

An haeredes inaequaliter instituti et sibi invicem substituti in iisdem partibus substituti videantur, in quibus instituti? num. 1.
Nominum appellatio personas designat, et earum numerum, non qualitatem. 2.
Quid si testes non recordentur in nuncupativo, an proprio an vero nomine appellativo usus sit testator? 3.
Quid si utrumque nomen in testamento scripto conjunctum, sed appellativum praepositum? 4.
Substitutio declaratur ab institutione ita, ut praedilectus in institutione praesumatur praedilectus in substitutione. 5.
Idem in fideicommissaria substitutione. 6.

1 Haeredes inaequaliter instituti, v. g. primus ex uncia, secundus ex besse, tertius ex quadrante, et sibi invicem substituti; in iisdem partibus substituti esse videntur, in quibus instituti sunt, *Auctor in l.* 5. *ff. de vulg. et pup. subst.* quia pariter dilexisse praesumitur, ut antea, *hic et* §. 2. *Instit. de vulg. substit.* Nisi alia mens fuerit testatoris, *l.* 24. *ff. h. tit.* vel tacita, ut si per nomina propria, non vero per appellativa sint invicem substituti, *arg. l.* 124. *ff. de legat.* 1. Quia tunc magis personarum quam portionum datarum habita videtur ratio, *arg.*
2 *l.* 56. *ff. de cond. et demonst.* et quia nominum appellatio personas designat et earum numerum, non qualitatem, *Don. l.* 7. *c.* 20. *lit. A.* Conf. *l.* 24. *ff. ad SCtum Treb. et quae notavi ad l.* 5. *ff. h. t.* ubi dixi accipiendum esse casum, si ex adjectione onerum aliud appareat, *per l.* 23. *ff. ad SCtum Trebell.* Sed quid si in nuncupativo testes 3
non recordentur, an proprio an vero appellativo nomine usus sit? Quid si in testamento scri- 4
pto utrumque nomen conjunctum, sed appellativum praepositum? Resp. utroque casu decisionem legis hujus obtinere, *arg. d. l.* 24. *ff. h. tit. Decius num.* 6. et quos laudat *Gilk. n.* 5. Collige ergo, ex *hac lege*: substitutionem 5
declarari ab institutione, ita ut praedilectus in institutione praesumatur praedilectus in substitutione, *DD. hic comm. Menoch. lib.* 4. *praes.* 16. *num.* 7. *Mantic. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 20. *Mascard. de probat. concl.* 1352. *per totam*, ubi haec materia pluribus declaratur, *Vinc. Fusar. de substit. q.* 12. et idem in fideicom- 6
missaria substitutione, *Mant. et Masc. d. l. hic num.* 10. *et Fusar. d. q.* 12. *num.* 2.

L. Haereditatem. 2. et L. Quamvis. 4.

SUMMARIA

Filio substitutus in primum casum, si haeres non erit, tacite etiam est substitutus in secundum casum, si haeres erit, sed in pupillari aetate morietur. num. 1.
Qui voluit filium sibi haeredem, etiam filio suo haeredem voluisse credibile est. 2.
Exemplo declaratur. 3.
Substitutio reciproca, facta personis imparibus, quarum uni pupillariter substitui potest, non vero alteri, non continet substitutionem pupillarem in persona impuberis, sed in persona omnium vulgarem tantum, quae poterat omnibus fieri. 4.
Limitatur regula. 5.

Exemplum subjicitur. 6.
Vulgaris substitutio expressa, facta impuberi, continet pupillarem. 7.

1 Si filio substitutus aliquis in primum casum, sc.
si haeres non erit, hic erit tacite substitutus in secundum etiam casum, i. e. si haeres erit, sed in pupillari aetate morietur, *l.* 4. *h. tit. et l.* 4.
2 *ff. eod.* Qui enim voluit filium sibi haeredem esse, credibile est eum etiam voluisse filio suo eumdem esse haeredem, sed nisi voluntas refra-
3 getur, v. g. filium impuberem et fratrem haeredes instituo et eos invicem substituo. Hic in eum tantum casum videtur substitutio facta, in quem utrique substitui potuit. At fratri non nisi in casum primum, ergo nec filio, *l.* 2. *h. t.* Ita si pater filium cum uxore instituat haeredem et in eorum locum Firmianum substituit, eadem est ratio, sicut enim uxori non nisi in primum casum substituere possum, ita nec aliter filio, *l.* 4. *h. t.* Vid. *Donell. lib.* 6. *c.* 26. Colligitur ergo *ex his duabus legibus*, re-
4 gula bene observanda; Quod substitutio reciproca facta personis imparibus, quarum uni pupillariter substitui potest, non vero alteri, non contineat substitutionem pupillarem in persona impuberis, sed in persona omnium vulgarem tantum, quae poterat omnibus fieri. Vel vulgaris expressa facta simul impuberi et ei, cui non poterat pupillariter substitui, non continet tacitam pupillarem, in persona impuberis, ob vitandam inaequalitatem, et ne unus duplici, alter una tantum via institutus videatur, quod si facere voluisset, procul dubio clarius id expressisset, *Mol. de J. et J. disp.* 181. *num.* 15. Idem esse, si his utatur verbis, *puberem impuberi, et impuberem puberi substituo*, putat *Dauth. ad l.* 4. §. *quod jus ff. h. tit. num.* 20.
5 Sed communiter regulam illam limitant *DD.* si separatim impuberi et puberi substituat aliquem,
6 v. g. si filius (impubes qui erat) haeres non erit, substituo Cajum, si uxor haeres non erit, substituo Titium, nam hoc casu substitutio facta filio continet etiam pupillarem, *Menoch. l.* 4. *praes.* 36. *num.* 31. *Fachin. l.* 4. *c.* 68. *Dauth. ad d. l.* 4. *num.* 27. *Grassus* §. *substitutio q.* 11. *num.* 8. *Mantic. lib.* 5. *tit.* 14. *num.* 5. *Vincent. Fusar. de subst. q.* 28. *num.* 19. Ex *l.* 4. *h. t.* in specie etiam generalis illa theorica com-
7 muniter elicitur; Quod vulgaris substitutio expressa, facta impuberi contineat pupillarem, ex *l.* 4. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 1. de quo *Men. d. praes.* 36. *Mantic. d. t.* 11. *Vincent. Fus. d. qu.* 28. *num.* 1. *Carpz. p.* 3. *const.* 3. *def.* 2. *num.* 1.

L. Haeres instituta. 3.

SUMMARIUM

Casus legis.

Quidam filiam suam haeredem instituit, et si illa haeres non erit, Maeviam substituit. Filia repudiata successione ex testamento bonorum possessionem ab intestato petere voluit. Quaer. *An substitutus admittendus sit?* Videtur quod non ex *l.* 28. *ff. de haered. instit.* Sed affirm. *arg. l.* 68. *ff. de acquir. haered. l. quamdiu. ff. de reg. jur.* et ideo nec legitimam potest petere filia ex haereditate semel repudiata simpliciter ex testamento, *Decius hic num.* 5. et ex eo *Gilken. in fin.*

L. Post aditam. 5.

SUMMARIA

Substitutio dividitur et iterum subdividitur. num 1.
Adita haereditate tollitur substitutio vulgaris. 2.
Idem est, si additur clausula codicillaris, quae ultra voluntatem defuncti nil operatur. 3.
Limitatur regula tripliciter. 4.
Si quis substitutus est alteri vulgariter vel per fideicommissum, adita ab haerede haereditate, non amplius habet electionem, sed tenetur ex fideicommisso agnoscere haereditatem. 5.
Datur etiam substitutio aliqua. 6.

Substitutio, cujus definitionem habet *Auctor* 1
in l. 1. *ff. de vulg. et pup. subst. num.* 1. alia directa, alia fideicommissaria, *Auctor in d. l.* 1. *ff. de vulg. et pup. subst.* et illa vel pupillaris vel vulgaris. Haec vulgaris sc. adita haereditate expirat, pupillaris non, nec fideicommissaria, ut quae in secundum casum facta, si haeres erit, sed
decesserit. Collige ergo; adita haereditate tolli 2
substitutionem vulgarem, *Carpz. p.* 3. *const.*
7. *def.* 18. *num.* 5. *Thesaur. p.* 3. *q.* 99. Idem- 3
que est si addita clausula codicillaris, quae ultra voluntatem defuncti non operatur, *Mantic.*
lib. 5. *tit.* 2. *in fin.* Sed limitatur illa regula: 4
1. Nisi aditio rescindatur per restitutionem in integrum, ubi locus sit substituto, *leg.* 7. §. 10. *ff. de minor. Oddus de restitut. qu.* 62. *art.* 8. Limitatur 2. Nisi haeres adita haereditate per contumaciam recuset implere voluntatem defuncti, tunc enim haereditas ad substitutum veniet, *Nov.* 1. *c.* 1. §. 3. Limitatur 3. Nisi pluribus separatim facta sit substitutio et unus adierit, respectu caeterorum non tolletur substitutio, *Zas. ad l.*
21. *ff. h. tit. num.* 31. Collige etiam: Si quis 5
substitus alteri vulgariter, vel per fideicommissum, adita ab haerede haereditate non amplius habere electionem, sed teneri ex fideicommisso agnoscere haereditatem, *Fusar. q.* 10. Collige
etiam: Dari aliquam substitutionem non dire- 5
ctam i. e. obliquam, *ex hac l. et leg.* 15. *ff. h. t. Don. l.* 6. *c.* 23. *Dauth. h. t.*

L. Testamento. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Substitutus adire haereditatem non compellitur. 2.
Limitatur. 3.
Si diversae personae institutae, et aliquis uni haeredum substitutus, jus substitutionis vulgaris potentius est jure accrescendi. 4.

Cum ex pluribus institutis haeredibus, vel le- 1
gitimis, quidam agnoverunt portiones suas, quidam defecerunt, vel omiserunt haereditatem, vel quod ante testatorem defuncti, vel quod conditione nondum impleta sint impediti, de-

ficientium portiones reliquis cohaeredibus, qui suam portionem agnoverunt, accrescunt non tantum volentibus, sed et invitis, quia nemo partem haereditatis delatae repudiare potest, *l. un.* §. 10. *infr. de caduc. toll.* alia ratio *in l.* 7. *ff. de R. J.* Idem autem est si cohaeredes sibi mu-
2 tuo substituti, nam quamvis substitutus adire
3 non compellatur invitus, hoc tamen casu compellitur cohaeres, qui, duplici ex causa succedit, 1. Jure substitutionis, 2. Jure accrescendi, unde hic substitutio juncta juri accrescendi naturam ejus induit, ut invitus, sive jure accrescendi, sive jure substitutionis adeat, cogatur hanc portionem agnoscere, *Paulus hic.* Si au-
4 tem diversae personae sint institutae et aliquis uni haeredum substitutus, tunc jus substitutionis vulgaris potentius et jure accrescendi, et sic substitutus cohaeredem excludit, *per l.* 2. §. *si duo* 8. *ff. de bon. poss. secund. tabb. Mantic. lib.* 4. *tit.* 11. *Grassus* §. *substitutio qu.* 13. *Barry lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 12.

L. Si testamento. 7.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Per substitutionem pupillarem succeditur pupillo ex testamento, et venientes ab intestato repelluntur. 2.

1 Pater filiae in potestate existenti impuberi substituit Felicianum his verbis: Si filia intra pubertatem morietur substituo Felicianum; filia moritur impubes, ergo substitutus succedit, et successionem ab intestato excludit. Collige; Per
2 substitutionem pupillarem succedi pupillo ex testamento, et venientes ab intestato repelli. Quae hic fuerit ratio dubitandi, in obscuro est.

L. Precibus. 8.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Deciditur per distinctionem. 2.
Objectio diluitur. 3.
Quid si pater filio substituit, si post pubertatem decedat? 4.
Pupillaris substitutio tacita, quae in expressa vulgari continetur, locum non habet matre pupilli vivente. 5. 11.
Ampliatur. 6.
Expressa pupillaris matrem excludit. 7.
Compendiosa substitutio, seu quae continet plura tempora etiam post pubertatem his verbis, quandocumque filius decesserit, *continet triplicem substitutionem.* 8.
Quamnam? 9.
Limitatur. 10.
Mater habet beneficium legitimae. 12.
An substitutio facta verbis directis post pubertatem transeat in fideicommissariam, an vero evanescat? 13.
Aliae quaestiones circa compendiosam substitutionem remissive. 14.

Quaedam precibus Imperatori oblatis expo- 1
suit, militem maritum communem filium impuberem testamento haeredem instituisse, et ei directe substituisse Sempronium. Cum autem filius decesserit, quaesivit; *An filio ipsa succederet, an substitutus?* Resp. Imper. Distin- 2
guendo, utrum miles substituerit in primum casum, id est, vulgarem, si haeres non erit, an in secundum, si haeres erit, sed intra pubertatem fuerit mortuus, vel compendiose id faciat, quandocumque haeres vel filius morietur. Primo casu extincta est substitutio per aditionem filii, et sic succedit mater, sed obstare videtur *l.* 4. *t. praeced. et l.* 4. *ff. de substit.* Resp. illas leges limitandas, quando filius ma- 3
trem habuit, quod aequum sit, matrem, ad quam summus moeror filii pervenit, non sentire filii amissi et luctuosae haereditatis damnum, ex tacito intellectu substitutionis pupillaris, ut ita *l. ult. tit. praeced.* latius sit accipienda, sicut dixi ad *d. l. ult.* Secundo casu demum substitutioni locus est. Quid autem, si pater (mi- 4
les) filio substituit, si post pubertatem decedat filius? R. Hoc casu substitutionem non valere, sed matrem nihilominus succedere, verum favore voluntatis militaris haec verba directa trahuntur ad obliqua, et mater, ceu ex fideicommisso substituto haereditatem restituere tenetur. Collige *ex nostra lege*; I. pupilla- 5
rem substitutionem tacitam, quae in expressa vulgari continetur, *Auctor in l.* 4. *ff. de vulg. et pup. num.* 1. locum non habere, matre pupilli vivente. Vid. *Fachin. lib.* 4. *contr.* 40. licet 6
testator substituerit filium suum, *Fach. d. l. contr.* 41. Sed expressa pupillaris matrem exclu- 7
dit, *Fachin. d. lib.* 4. *contr.* 42. II. Compendio- 8
sam substitutionem, i. e. quae continet plura tempora etiam post pubertatem his verbis, *quandocumque filius decesserit*, continere triplicem substitutionem, 1. Vulgarem, 2. Pupillarem, 9
3. Fideicommissariam, si a pagano facta, directam autem, si a milite, per *l. Centurio ff. de vulg. et pupill. substit.* nisi mater sit in me- 10
dio, quo casu etiamsi a milite facta sit, tamen obliquatur. III. Matrem excludi per pupillarem 11
expressam, non ita per tacitam, id enim *ex hac l.* vers. *nam non est*, probatur, de qua re dixi *ad l. fin. tit praeced.* IV. Quod mater 12
habeat beneficium legitimae, *Struv. synt. jur. civil. exerc.* 33. *th.* 29. nam licet filio pubere facto restituere teneatur bona testatoris, quae ad filium pervenerunt, substituto; potest tamen ex parte filii reservare sibi legitimam et trebellianicam, si testator non fuit miles, nec substituta fuit pia causa. Et hic solemnis illa quaestio est, an substitutio facta verbis directis 13
post pubertatem transeat in fideicommissariam, an vero evanescat? Et prius aequius esse putat *Men. lib.* 4. *praes.* 55. *num.* 7. *Gomez tom.* 1. *c.* 7. *num.* 4. *Mant. lib.* 5. *t.* 5. *num.* 19. *et lib.* 8. *tit.* 1. *num.* 18. Aliae quae- 14
stiones circa hanc compendiosam substitutionem videantur apud *Men. lib.* 4. *praes.* 51. *et aliquot seqq. Fusar. qu.* 228. *et multis seqq. Barry lib.* 8. *c.* 4. Verba hujus legis pleraque sigillatim etiam explicavit *Zasius tom.* 2. *pag.* 68. *et seqq. Cujac. tom.* 1. *p.* 717. Conf. *Molin. disp.* 192. *num.* 10. et multi alii. Vid. *Cephal. cons.* 524. *num.* 56. *Finckelth. obs.* 25. *num.* 5. *et num.* 28. *et seqq.*

L. Humanitatis. 9.

SUMMARIA

Quatenus olim furiosis liberis substituere licuerit? num. 1.
Hodie generaliter hac constitutione ipsis permissum. 2.
Si liberos habeat mente captus, quinam sint substituendi? 3.
Haec substitutio quoque ad matrem, licet sit binuba, pertinet. 4.
Pupillo quoque mente capto substituitur. 5.
In pupillari expressa contineri exemplarem verius est. 6.
Si in pupillari moreretur, aetas pupillaris tantum attenditur. 7.
An testator aliquos liberos mente captos praeterire queat? 8.
Quinam in exemplari successione mente capto debeant substitui? 9.

1 Olim non licuit liberis furiosis substituere, nisi speciali beneficio Principis, *l.* 43. *pr. ff. h. tit.*
2 hac constitutione generaliter permissum, non tantum patri, sed etiam matri in primum et secundum casum, ad exemplum pupillaris substitutionis substituere, et haec substitutio exhaeredato fieri nequit, sed instituto in legitima, ac resipiscentia filii finitur, §. 1. *Inst. h. tit.* Unde colligitur *DD.* quando qualitas est adjecta per modum causae finalis, quod tunc intelligatur qualitas adesse etiam eo tempore, quo dispositio, cui qualitas adjecta, ad effectum perducitur, *Menoch. cons.* 160. *num.* 90. *et seq.* Et si
3 liberos habeat mente captus, illi substituendi sunt, vel omnes, vel unus, salva tamen reliquis legitima; sed et si nulli descendentes, fratres eorum substituere oportet. Collige ergo:
4 I. Hanc substitutionem etiam ad matrem pertinere, *Sichard. in C. h. t. num.* 5. quod etiam de matre binuba intelligunt cum haec constitutio non tam parentum quam liberorum favorem contineat, *Gomez lib.* 1. *resol. c.* 9. *Molin. disp.* 185. *num.* 6. *Carpz. part.* 3. *constit.* 8.
5 *defen.* 13: II. Etiam pupillo mente capto exempliariter substitui, *arg.* §. 1. *Inst. de pupill. substit.* ibi, *et si puberes sint, Mantic. lib.* 5. *tit.* 16. *num.* 18. *Carpz. d. c.* 8. *def.* 14. Et verius
6 est in pupillari expressa, contineri exemplarem, nam si continet vulgarem, magis continebit exemplarem sibi similem, *Mant. d. l. num.* 17. *Covarr. in c. Raynut.* §. 5. *n.* 13. *Barry lib.* 5.
7 *tit.* 3. *num.* 2. Si tamen in pupillari moreretur aetate, pupillaris tantum attenderetur, cum naturalis causa potius attendatur, *arg. l.* 3. §. 1. *ff. de tut.* cujus effectum tradit *Barry d. lib.* 5. *tit.* 5. *num.* 12. *Men. lib.* 4. *praes.* 42:
8 III. Tradunt nonnulli, posse testatorem aliquos mente captos impune praeterire, quod non video, quomodo a manifesta iniquitate purgari possit, cum *Bacch. in Tr. vol.* 2. *disp.* 11. *th.* 10. *lit. E.* nisi ut dixi, legitimam reliquis deberi cum *Hillig.* statuamus, *lib.* 6. *c.* 27. *lit. M.*
9 IV. In hac exemplari successione fratres omnes vel unum debere substitui mente capto. Sed *Gomez d. l. num.* 6. *et Dn. Carpz. d. const.* 8. *def.* 15. requirunt, ut frater sit ex utroque latere substituentis, et ita matrem vitricum consanguineo fratri praeferre posse; Sed quamvis non negem, quando adsint utrinque conjuncti, vel uterini, matrem teneri illos substituere, cum illi in bonis maternis tantum succedant; si tamen tantum adsint consanguinei, praeteriri hos non posse puto cum *Molin. disp.* 185. *num.* 4. *Alex. in l. ex facto num.* 43. *et* 44. *et seq. ff. h. tit.* quia hic favor liberorum potissimum inspicitur et ordo successionis.

L. Cum quidam. 10.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Objectio diluitur. 2.
Alia objectio. 3.
Quando duobus impuberibus quis substitutus est copulative, non est locus substituto, nisi utroque deficiente, et uno adeunte, substitutus in totum excludatur. 4.
Substitutio pluribus separatim facta in singulis debet effectum sortiri. 5.
In pupillari substitutione testator praesumitur voluisse conservare inter filios impuberes jus legitimae successionis. 6.
In fideicommissaria substitutione pluralitas in singularitates resolvitur, non quidem ex proprietate sermonis, sed voluntate praesumpta testatoris. 7.
Limitatur. 8.

Testator duobus filiis impuberibus haeredibus 1
institutis ita substituit, si uterque eorum decesserit intra pubertatem Titius haeres esto; decessit unus, quaeritur: *An statim ei Titius in ejus portione succedat?* Vid. quod sic, ob *l.* 33. §. *fin. ff. de condit. et demonstr.* quia pluralis locutio resolvitur in singularem. Sed Neg. per *l.* 42. *ff. h. t.* et quia conjunctae sunt conditiones non disjunctae, ergo per *l.* 5. *supr. de instit. et substit.* etc. Et id procedit non tantum ex praesumpta mente testatoris, sed etiam ex verbis, secundum quae substitutio, si uterque decesserit, non potest in uno verificari, *Cephal. cons.* 529. *num.* 22. Nec obstat *l. pen. ff. de* 2
injust. test. quia ibi duae substitutiones, hic una, nec *l.* 78. §. 7. *ff. ad SCtum Trebell.* quia ibi duo sunt 3
fideicommissa, nec *l.* 57. §. 1. *ff. ad SC. Trebell.* obstat, quia ibi specialis ratio ob personam nepotis. Collige: Quando duobus impuberibus quis 4
substitutus est copulative, non esse locum substituto, nisi utroque deficiente, et uno adeunte, substitutum in totum excludi, *Dauth. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 231. *Sichard. in C. h. t. l.* 10. *num.* 3. 4. Sed si pluribus separatim sit facta substi- 5
tutio, in singulis debet effectum sortiri, *Menoch. lib.* 4. *praes.* 186. *num.* 6. et in pupillari substitutione haec in specie militat ratio, quod te- 6
stator praesumatur voluisse conservare inter filios impuberes jus legitimae successionis, post *Bart. Mantica lib.* 11. *tit.* 5. *num.* 10. Sed in substitutione fideicommissaria pluralitas in sin- 7
gularitates resolvitur, non quidem ex proprietate sermonis, sed voluntate praesumpta testatoris, *l. ult.* §. 6. *ff. de leg.* 2. *l.* 75. §. 3. *ad SC. Trebell. Menoch. lib.* 4. *praes.* 186. *n.* 12. *Mantic. d. l. num.* 17. *Cephal. cons.* 132. *num.* 14. quod limitant *ex hac l.* nisi supersit persona 8

dilecta, quae ex praesumpta voluntate testatoris substituto praeferenda, *Menoch. d. l. num.* 16. *et Mant. num.* 18. *Cephal. d. cons.* 132. *num.* 13.

L. Si quis. ult.

SUMMARIA

Duae facti species. num. 1. 2.
Substitutus proprio nomine cum haeredibus institutis per verba distributiva, quisquis mihi haeres erit, *admittitur pro virili.* 3.
Si non adest particula distributiva, adjunctus in substitutione pluribus haeredibus inter se conjunctis, habet dimidiam. 4.
Aliud ubi distributiva particula additur. 5.
Plures nominati per nomen collectivum loco unius regulariter habentur, ut habeant unam portionem. 6.
Exemplum subjicitur. 7.
Limitatur. 8.

1 Duae sunt species facti: 1. Quidam duos haeredes instituit, et postea subjicit, *quisquis mihi haeres erit, et Titius filio meo haeres erit*; Quaeritur: *Quam partem illi duo haeredes in successione filii habeant?* Videtur, quod priores duo dimidiam habeant, Titius alteram dimidiam, ob *l.* 9. *ff. h. tit.* Sed Negatur ob particulam distributivam, *quisquis*, quae facit, ut omnes tres sive singuli virilem habeant portionem, id est, singuli trientem: 2. Testatur quis 2
ita: *Titius una cum filiis suis et Sempronius mihi sunto haeredes.* Hic Titius cum filiis dimidiam habet haereditatem, non tantum, quia pater cum filio eadem persona esse videtur, quam regulam *ex hac l.* quotidie solent allegare, sed quia etiam nomen est collectivum, Sempronius autem alteram habet dimidiam. Collige: Substitutum proprio nomine cum haeredi- 3
bus institutis per verba distributiva, *quisquis mihi haeres erit*, admitti pro virili, si autem 4
haec particula distributiva non adesset, adjunctus in substitutione pluribus haeredibus inter se conjunctis habet dimidiam, per *d. l.* 9. sed 5
aliud ubi particula distributiva additur, *Hill. in Don. lib.* 6. *c.* 26. *lit. E. Sebast. Sapia in repet. hujus l. num.* 11. *et seqq.* et copulam nomini distributivo adjectam, attribuere unicuique virilem portionem, copulam autem iis applicatam, qui naturaliter pro una stant persona, ad unam portionem omnes admittere, et plu- 6
res nominatos per nomen collectivum, loco unius regulariter haberi, ut habeant unam portionem, verbi gratia, fratres meos et Titium 7
haeredes instituo, nam fratres habebunt unam dimidiam, et Titius alteram, nisi addatur par- 8
ticula distributiva, *quisquis*, vel similis ut *hic*, vel particula, *aeque*, quia haec dictio facit videri quemlibet de fratribus nominatim vocari. Vid. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 18. *num.* 16. *Gomez tom.* 1. *resol. c.* 2. *num.* 3. et praecipue *limit.* 2. *Vinc. Fusar. q.* 477. *num.* 18.

TITULUS XXVIII.

De necessariis servis haeredibus instituendis, vel substituendis.

SUMMARIA

Debitor, qui non est solvendo, an et quatenus servum suum testamento haeredem instituere possit? num. 1.
Quid si servus alii sit obligatus? 2.
An servus ita institutus liber fiat? 3.
Qui vult consequens, vult etiam antecedens. 4.
Quid si servus alii legetur, an fiat liber? 5.
Quae sunt utilia per se, non accipiunt robur ab inutili confirmatione. 6.
Propter relictum legatum servus non fit liber. 7.
Quid si servum non alteri legavit et eumdem postea pupillariter substituat? 8.
Quid si pure instituatur haeres et libertas detur ei sub conditione? 9.
Servus institutus fit haeres necessarius. 10.
Ampliatur. 11.

1 Quia *leges hae* apud nos non magnam habent utilitatem, ideo conjungam: Debitor, qui solvendo non est, haeredem testamento servum instituere non potest in fraudem creditorum, nisi unum instituat (suum scilicet non alienum, non enim potest tutor servum pupilli instituere, *l.* 3. *h. tit.*) qui haeres sit solus et necessarius, §. 1. *Inst. quibus ex caus. manumitt. non licet.* Non tamen institui potest servus, si alii 2
specialiter sit obligatus, *l.* 1. *h. t.* ne favore libertatis alii praejudicetur. Et servus institutus 3
liber fiet, licet libertus appelletur et instituatur, *l.* 2. Imo licet sine libertate, nominatim non adscripta, instituatur, liber fiet, quia qui 4
vult consequens, scilicet ut servus sit tutor pupillorum vel haeres, ille vult etiam antecedens, scilicet ut liber sit. Adeo, ut si eodem testa- 5
mento alii legetur servus, nihilominus liber maneat, *l.* 5. *princ.* Legatum enim est inutile, quia se mutuo non compatiuntur, scilicet haeredem esse testatoris, et simul legatarii servum esse, quae sunt contraria. Nec nocet servo, si codicillis postea libertas data, nam nihilominus ex testamento antea liber fuit, *d. l. pr.* unde probat ibidem *Castrensis:* Quae sunt utilia per 6
se, non accipere robur ab inutili confirmatione. Legatum vero si servo relinquatur, ob id 7
liber non fit, *d. l.* 5. §. 2. Quid si autem ser- 8
vum alteri legavit et eumdem postea servum filio pupillariter substituat? Resp. *in d. l.* 5. §. *ult.* expectandam esse conditionem substitutionis, id est, pubertatem filii, nam si pupillus, ut talis, moriatur, servus ei ex substitutione succedet, et liber fiet, si autem pupillus adul-

9 tus fiat, servus acquiretur legatario. Quid si pure instituatur haeres, et libertas detur ei sub conditione? Resp. Expectandum esse eventum
10 conditionis, *l. fin. h. tit.* Servus autem institu-
11 tus fit haeres necessarius, licet directam ex testamento habeat libertatem, et non primo gradu, verum secundo gradu sit institutus, id est, filio substitutus, per *l. 4. h. tit.* Nam omnino compellitur, ut substitutus, pupilli haereditatem adire.

TITULUS XXVIII.

De liberis praeteritis vel exhaeredatis.

L. Cum post. 1.

SUMMARIA

Liberi aut haeredes instituuntur aut exhaeredantur. num. 1.
Gradus, in quo filius praeteritus, non valet. 2.
Casus legis. 3.
Clausula in fine posita ad omnia praecedentia applicetur. 4.
Limitatur. 5.

1 Si pater, liberos habens, velit testari, requiritur de essentia, ut aut instituat haeredes li-
2 beros aut exhaeredet; Ergo in quo gradu filius praeteritus est, is gradus non valet, *l.* 14. §. 1.
3 *ff. h. tit.* cum ergo testator in primo gradu instituerit haeredes tres suos filios, praeterito quarto, deinde in secundo gradu, id est, substitutionis, eos tres etiam substituerit, et quartum absolute, non vero dicendo de certo gradu, exhaeredaverit; Quaeritur, *An quartus in primo gradu exhaeredatus videatur?* Affirm. ratio *in fin. legis*, quia nulla ratio reddi potest, quare in posteriori tantum casu scilicet substitutionis exhaeredare voluerit. Sed si exhaeredatio ad unum gradum diserte restricta, praeteritio in altero testamentum infirmabit. Collige
4 ex textu; Clausulam in fine positam ad omnia
5 praecedentia applicandam, si non appareat ratio, quare uni magis, quam alteri adaptari debeat, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 64. *num.* 24. *Barb. axiom. lib.* 3. *c.* 23. *axiom.* 5.

L. Si avus. 2.

SUMMARIA

Patrem filium et nepotem habentem, filium haeredem instituere sufficit. num. 1.
Quid si filius vivente avo moriatur? 2.
Aliud est succedere in alterius locum, et aliud ex ejus persona succedere. 3.
Qui privative succedit, suo jure non repraesentat personam ejus, in cujus locum succedit. 4.
Quid si nepos rumpat testamentum? 5.
Hodie talis casus contingere nequit. 6.

1 Si avus filium habeat, et ex eo nepotem, non tenetur nepotem haeredem instituere, sed satis est, si filium instituat, et quamdiu filius vivit, nepos non rumpit testamentum, §. 2. *In-*
2 *stit. de exhaered. liber. Quid si autem filius vivente avo moriatur?* Resp. nepotem lege Velleja succedere in locum patris, et fieri avi haeredem suum et sic rumpere testamentum. Collige: Aliud esse succedere in alterius locum, et 3
aliud ex ejus persona succedere. Nam hic nepos succedit quidem in locum patris, sed ex sua persona rumpit testamentum, scilicet aliud est privative in alterius locum succedere, et aliud transmissive. Qui privative succedit suo jure, 4
ut hic nepos, non repraesentat personam ejus, in cujus locum succedit; sed si transmissive, tunc repraesentat. Et quia hic nepos rumpit te- 5
stamentum, ideo noverca nihil percipit ex haereditate, juxta speciem hujus legis. Aliud autem esset, si juxta *l. Gallus* fuisset nepos filio substitutus, sed quia in specie legis non substitutus erat nepos, ideo rumpit avi testamentum, *Grass.* §. *testamentum q.* 36. *num.* 14. *Menoch. cons.* 92. *num.* 107. *Harpr. ad pr. Instit. quib. mod. irrit. fiant testam. num.* 6. quod tamen non obtineret, si in genere filios instituisset, *Menochius d. l. Barry lib.* 10. *tit.* 3. *num.* 10. Si autem filius emancipetur ab avo, sed nepos retineatur, nepotem hunc post *Novell.* 118. non rumpere testamentum cum *Petro Gregor. lib.* 42. *tit.* 22. *num.* 30. statuit *Barry d. l.* sed apud 6
nos, ubi per nuptias fit emancipatio, non potest contingere talis casus.

L. Si quis filium. 3.

SUMMARIA

Institutio et exhaereditatio quomodo olim utraque facta? num. 1.
Hodie ex Constitutione Imp. quibuscumque verbis facta subsistit. 2.
Exhaeredatio ex conjecturis colligi non debet. 3.
Valet tamen, si ex verbis in testamento expressis possit concipi. 4.
Exemplum subjicitur. 5.

Institutio fiebat his verbis: *Filius meus haeres* 1
esto. Exhaeredatio his: *Filius meus exhaeres esto;* Sed his Imperator constituit non verba, 2
sed voluntatem testatoris esse spectandam, et quibuscumque verbis factam exhaeredationem subsistere, v. g. si dicat pater, Filius meus alienus esto a mea substantia, *Simon de Praetis lib.* 3. *interpr.* 1. *dub.* 6. *sol.* 2. *Barry lib.* 10. *tit.* 2. *num.* 18. *Dn. Manzius de testam. tit.* 8. *num.* 287. licet alias exhaeredatio, ut odiosa 3
ex conjecturis non debeat colligi, *Mantic. lib.* 4. *tit.* 13. *num.* 25. Imo licet exhaeredatio non 4
sit evidenter expressa, si tamen ex verbis in testamento expressis concipi possit, pro legitima tamen haberi debet, v. g. Si testator dicat, 5

Filium meum non instituo, vel praetereo, quia me verberibus affecit etc. hanc non esse nudam praeteritionem, sed exhaeredationem, probat ex aliis *Mantic. lib.* 4. *conject. tit.* 13. *num.* 25. *Fachin. lib.* 6. *c.* 77. *Simon de Praetis d. dub.* 6. *sol.* 2. *num.* 2. *Covarr. in c. Raynutius in princip. num.* 3. *X. de testam.* ubi inter verba hic in textu allegata, *alienus sit etc.* et inter haec verba, *Praetereo ex hac causa*, nullam dicit esse differentiam, *Barry lib.* 10. *tit.* 3. *num.* 19.

L. Maximum vitium. 4.

SUMMARIA

Praeferentia filiorum a filiabus quaenam olim fuerit? num. 1.
Hodie sublata a Justiniano. 2.
Olim filii necessario erant instituendi, vel nominatim exhaeredandi, et filiae pariter ut posthumi non nominatim, sed inter caeteros exhaeredari poterant. 3.
Secus hodie. 4.
Sui per quaerelam inofficiosi, emancipati per bonorum possessionem contra tabb. testamentum paternum impugnant. 5.
Qui ab intestato non succedunt, nec possunt petere legitimam. 6.
Qui est habilis ad succedendum a testato, habilis etiam est ad succedendum ab intestato. 7.

1 Olim filii habebant hanc praeferentiam prae filiabus, quod filio parentes tenebantur plus relinquere, ab intestato autem pariter succede-
2 bant, sed absurdum hoc visum fuit Justiniano, quod ab intestato aequaliter, ex testamento inaequaliter succederent, ideo hoc discrimen hic sustulit, quia causa testati vel successio ex testamento regulatur a successione ab
3 intestato, *Sichard. hic num.* 2. Deinde filii necessario erant instituendi haeredes, vel nominatim exhaeredandi, sed filiae nec non posthumi poterant etiam non nominatim, sed inter caeteros exhaeredari, v. g. Caeteri liberi exhaeredes sunto, *pr.* §. 1. *et seqq. Inst. de exhaered. lib.* Filia tamen praeterita apud veteres habebat jus adcrescendi ad certam portionem, et quidem cum scriptis haeredibus suis in virilem, cum extraneis in semissem, neque filia totum testamentum patris annullare poterat sicut filius, sed tantum pro media parte, *Dn. Mantic. in*
4 *tr. de testam. tit.* 8. *num.* 20. Sed hodie sublatum est et hoc discrimen foeminarum et masculorum, natorum et posthumorum, ratio in vers. *qui enim tales differentias, et in* §. 5. *Inst. loc. cit.* Et Imperator hoc absurdum evenisse dicit, filiam praeteritam minus ex testamento paterno accepisse, quam exhaeredatam, nam filia praeterita non poterat totum testamentum annullare, sed tantum pro dimidia, nam jure adcrescendi poterat tantum dimidiam avocare scripto haeredi, et in illa dimidia poterat ad dodrantem usque legatis gravari, et sic in effectu tantum unciam cum dimidia accipiat, cum tamen exhaeredata quadrantem posset avocare, et ita minus accipiebat praeterita minus odiosa, quam exhaeredata majori odio digna. Ergo omnes liberi sive potioris sive sequioris sexus sive sui, sive emancipati, sive nati, sive posthumi instituendi sunt, vel nominatim exhaeredandi. Alias eumdem effectum habent ad infirmanda testamenta parentum, nam sui liberi sive filii, sive filiae impugnant testamentum per querelam, emancipati vero per bonorum possessionem contra tabb. Ergo in effectu omnes hi conveniunt, licet in modo impugnandi non conveniant, ut jam dixi, sui per querelam, emancipati per 5
bonorum possessionem contra tabulas impugnant testamentum paternum. Ex vers. *cum enim, etc.* probare solent, legitimam eos petere non pos- 6
se, qui ab intestato non succedunt, *Carpz. p.* 3. *const.* 9. *def.* 28. *num.* 2. *et def.* 31. *num.* 3. Et qui est habilis ad succedendum a testato, est e- 7
tiam habilis ad succedendum ab intestato, *Sichard. hic num.* 1.

Auth. Non licet.

SUMMARIA

Omnes liberi vel instituendi vel exhaeredandi. num. 1.
Si praetereuntur, nulla est dispositio. 2.
Exhaeredatio quomodo fiat? 3.
Olim causa erat arbitraria, sed hodie certa. 4.
Quotnam sint causae et quaenam? 5. *et seqq.*
Prima etiam in casu defensionis habet locum. 6.
An in casu quoque patris banniti? 7.
Quaenam injuriae h. l. *sint intelligendae?* 8.
An tertia causa liberetur filia? 9
An sufficiat crimen non capitale? 10.
An tentatum tantum parricidium? 11.
An procedat exhaeredatio in aliis flagitiis? 12.
An justa causa, si filius indignum matrimonium in dedecus patris eligat? 13.
An alia aliqua causa exhaeredatione digna dari possit? 14.
Causae exhaeredationis parentum sunt octo et quaenam? 15.
Quot modis hae causae iterum tollantur? 16.
Quid si exhaeredatio sine causa vel sine tali causa fiat, an testamentum ipso jure nullum? 17.
Si justa causa apposita, neque tamen probari potest, querela opus est? 18.
Fachin. *notatur.* 19.
An testamentum ob praeteritionem nullum per clausulam codicillarem sustineatur? 20.
An et ad quid utile, si Principes testamentis omnibus hujus clausulae effectum tribuerint? 21.

Liberi omnes sive sui sint, sive emancipati, 1
sive primi gradus, sive sequentium, sive masculi, sive foeminae etiam posthumi instituendi sunt haeredes vel exhaeredandi, sive a patre, sive a matre, *Struv. siynt. jur. civ. exerc.* 32. *th.* 26. sive ab ascendentibus, *Manz. de testam. tit.* 8. *num.* 136. et talis exhaeredatio etiamsi sine causa facta, quandoque vergit in utilitatem liberorum, et bona mente facta videtur, prout exemplis probat *Menoch. lib.* 4. *praes.* 28. *et Mascard. de probat. concl.* 715. *vide Auct. in l.* 8. *ff. h. t.* Si vero praetereantur (quod 2
etiam tum fit, quando alio, quam institutionis titulo ipsis quid relinquitur, *l.* 27. §. 12. *ad SC. Trebell. Nov.* 115. *c.* 3. *Carpz. p.* 3. *c.* 9. *d.* 8. *num.* 6. *Barry l.* 10. *tit.* 3. *num.* 2.) nulla est dispositio, *Auct. in l.* 3. *ff. h. t. num.* 5. Debet 3

autem fieri exhaeredatio rite, id est, nominatim, pure, *Auctor in l. 7. ff. h. t. num.* 5. *Struv. synt. jur. civ. exerc.* 32. *th.* 26. et ab omnibus gradibus, *Auct. in d. l.* 3. *ff. h. t. num.* 10. et justa ex causa; Sed tria addita *hic*
4 *per hanc Auth. et Nov.* 115. Causa erat olim arbi-
5 traria, hodie certa, et debet esse una ex quatuordecim illis causis allegatis *in d. Nov. cap.* 3. juxta vers. sequentes.

Bis septem ex causis exhaeres filius esto
(1) *Si patrem feriat,* (2) *vel maledicat ei:*
(3) *Carcere detrusum si negligat,* (4) *aut furiosum,*
(5) *Criminis accuset, vel* (6) *paret insidias:*
(7) *Si dederit damnum grave,* (8) *si nec ab hoste redemit,*
(9) *Testarive vetet,* (10) *se societve malis:*
(11) *Si Mimos sequitur,* (12) *vitietque cubile paternum,*
(13) *Non Orthodoxus,* (14) *filia si Meretrix.*

6 *Prima causa* etiam in casu defensionis locum habet. *l.* 3. *C. de patr. potest. l.* 11. *in fin. ff. h. t. Zoannetus de defens. p.* 1. *num.* 34. *Acac. Enenck. Baro de privileg. parent. privil.* 2. *cap.* 2.
7 *num.* 12. *et seq.* et in casu parentis Banniti, quia et hic pater est, et jura sanguinis immutabilia, *Gail. lib.* 2. *de P. P. c.* 10. *num.* 23. *et seq. Tiraq. de poen. temp. c.* 20. *num.* 6. *Menoch. lib.* 1. *qu.* 90. *num.* 43. *Enenckl. d. c.* 2. *num.* 19. *Secunda causa* alias in Novella dicitur gravis et
8 inhonesta injuria, ideoque injuriae etiam verbales atroces hic intelligendae, non sola maledicta, qua in parte tamen arbitrium boni viri non est excludendum, *Menoch. lib.* 2. *arb. q. cas.* 2. *Tertia causa* est de eo casu intelligenda, quando pater se ex carcere per satisdationem
9 liberare potest, et ideo filia ob SCtum Vellejan. ab Imper. diserte excipitur. *Quarta causa,* non tantum liberos haereditate privat, sed etiam extraneis defert haereditatem, si missa prius denunciatione et contestatione parentes in aedes suas recipiunt. *Quinta causa* ex mente *DD.* mul-
10 tiplicem extensionem patitur, ut, quod de crimine etiam non capitali sit hoc intelligendum, quod in testimonio sponte contra parentem in causa criminali praebito item in patrocinio locum habet, *Covarr. in c. Raynutius cap.* 16. *num.* 13. *Enenck. privileg.* 14. *part.* 1. *cap.* 14.
11 *num.* 10. Ex *causa sexta* apparet hic non de consummato parricidio, sed de tentato, verbi gratia, parato veneno sermonem esse, *Enenckel. dict. loc. num.* 12. In *causa septima* requiritur damnum grave per delationem datum, gravitas tamen damni arbitrio judicis aestimanda, *Covarr. dict. l. num.* 19. *Enenckel. d. l. num.* 14. *Octava causa* nocet etiam ab intestato, nam filius se reddit indignum, et extenditur ad parentes et eos, qui ab intestato erant successuri, et quod filius saltem ex captivi bonis debeat procurare liberationem, restringitur vero ad majores 18. annis. *Decima causa* de maleficis et incantatoribus intelligenda, et qui mala medicamenta conficiunt, *Covarr. d. l. n.* 16. *et Enenk. num.* 11. *Undecima* restringitur ab ipso Imper. *dict. c.* 3. Si in vita ista turpi permanserit, et pater idem genus non fuerit sequutus, frustra enim - Clodius accusat moechos, Catilina Cethegum, *Enenck. d. l. num.* 11. Quaerit autem
12 *Enenck. Baro, cur non idem in aliis flagitiis?* Et recte respondet, in aliis aliam poenam esse, hic nullam praeter infamiam, et filius hoc vitae genere se subtrahit potestati patriae. *Duodecimam causam* veram putant nonnulli, si et concubinam vel a patre cognitam cognoscat, de quo tamen alii dubitant. Sed nefarium vel incestum coitum hunc esse non dubito. *Causa decima tertia* in imperio nostro tunc locum habet, quando quis in veteribus consiliis damnatam relig. Arianorum vel similem amplectitur, non vero locum habent hae, et similes causae, in his quos pars aliqua in imperio nostro pro haereticis habet, cum omnes fruantur pace religiosa. *Causam ultimam* intelligo de ea, quae ante 25. annum aetatis etiam semel in corpus suum peccavit ob verba *Novellae.* Unde etiam probari potest, idem obtinere, si matrimonium contrahat ante 25. annum invito patre, *Enenck. dict. loc. Carpzov. lib.* 2. *jurispr. Eccles. defens.* 54. *num.* 2. *Harp. pr. Instit. de nupt.* Sed si in- 13
dignum parentibus matrimonium eligant in dedecus parentis, haec videtur justa causa esse, licet *in Novell.* non exprimatur, *l.* 3. *§.* 5. *ff. de bon. poss. contra tabb. Struv. synt. jur. civ. exer.* 32. *th.* 34. quae tamen potest ad gravem injuriam sive causam secundam referri, *Enenkel. et Carpzov. d. l. et Gail. lib.* 2. *observ.* 95. et ideo non facile putaverim, aliquam causam dari 14
posse dignam exhaeredatione, quae non ad has possit referri, *Auct. in l.* 3. *ff. h. t. num.* 9. quae autem non potest referri non meretur etiam exhaeredationem, Confer. *Enenckel. d. l. et Hillig.* et ii, quos hic allegat *l.* 6. *cap.* 12. *lit. M. Menoch. cas.* 267. et alii. Contrarius hac in parte legi potest *Struv.* qui *exerc.* 32. *th.* 33. alias etiam praeter enarratas *in Novell.* 115. causas admittendas defendit. Causae exhaeredationis pa- 15
rentum sunt octo: 1. *Accusatio criminis capitalis:* 2. *Insidiae vitae structae filio:* 3. *Si pater nurui se immiscuerit:* 4. *Si testari vetet:* 5. *Si maritus uxori vel contra venenum propinaverit vel praeparaverit,* nam ob eam causam a liberis potest exhaeredari: 6. *Si filium furiosum pater neglexerit:* 7. *Si filium captivum neglexerit:* 8. *Si pater non orthodoxus.* Tolluntur vero 16
hae causae I. Per reconciliationem, *Covarr. in pr. d. c. Raynut. num.* 24. *Enenck. d. l. num.* 38. *Hillig. d. lit. M.* quia postquam jam remissa culpa inofficiosum esse incipit, non vero ob nudam poenitentiam, nisi re integra et ubi nullum damnum parentes senserint, *Covarr. d. l. num.* 25. *Enenck. d. l. num.* 39. *Fachin. lib.* 6. *c.* 80. II. Ea causa non postea alleganda, sed in ipso testamento adscribenda, quia praesumptio probitatis pro filio militat. Et exhaeredatio non favore sed odio digna, *l.* 1. *ff. h. t.* et ideo non adjuvanda, *Enenck. privil.* 14. *p.* 1. *c.* 14. *num.* 26. *Rittershus. part.* 6. *Novell. cap.* 3. *num.* 28. Qualis tamen facti circumstantiae ut exprimantur necesse non est, *Card. Tuschus conclus.* 578. *lit. E.* III. Nec liberis imponitur necessitas se purgandi ut olim, *l.* 18. *C. de inoff. testam.* Sed haeres causam exhaeredationis debet probare. Et si ex- 17
haeredatio fiat sine tali causa, quae in *Nov.* habetur, testamentum ipso jure irritum est, *Struv. synt. jur. civil. exerc.* 32. *th.* 32. nec opus querela inoff. test. aut bonorum possess. contra tabb. Vid. *Wenscnb. in* ϖ. *ff. de inoff. testam. num.* 7. *Gilken. in l.* 30. *de inoff. test.* Sed si 18
justa causa apposita sit, et haec probari non possit, tum opus est querela, quae est communis sententia, Vid. *Cl. q.* 40. a qua male recedit 19
Fachin. lib. 4. *cont.* 9. Id vero valde dubium, an testamentum ob praeteritionem nullum per 20

clausulam codicillarem sustineatur? Quod multi negant, ex ea ratione, quod pater praeteriens liberos videatur demens, per *l. Titia* 13. *ff. de inoff. testamento*, ubi dixi optandam esse decisionem, *Carpz. p.* 3. *const.* 9. *def.* 12. et quos refert et sequitur *Dn. Manzius de testam. tit.* 8. *num.* 294. Sed plures contrarium statuunt, quos recenset *Manzius d. l. num.* 296. quorum sententiam legibus conformiorem esse dixi *ad l.* 21. §. 11. *ff. de fideicomm. libert.* Posset haec sententia posterior confirmari hoc argumento: Quicumque pater eventualiter successionem ab intestato filio relinquit, pro demente haberi non potest. Atqui de parente, qui clausula codicillari utitur, verum est prius; ergo et posterius. Priorem sententiam aequam tradidi *ad d. l.* 13. sed juri scripto convenientiorem ad
21 *d.* §. 11. *d. legis* 24. Multae subtilitates legibus adversae et tricae evitari possent, si Principes effectum codicillaris clausulae omnibus testamentis tribuerent, cum testator, si interrogaretur, annon si defectu solemnitatis alicujus testamentum destitueretur, velit, ut haec dispositio ut codicillus valeat, nuuquam praesumatur abnuere, sed potius optaturus sit, ut testamentum qualicumque modo valeat, non ut plane corruat. Trita enim regula juris in hac materia, et in ultimarum voluntatum utilissima est, quod testator pro sua voluntate interrogatus respondisset et declarasset, fuisset id pro expresso habendum, quam regulam *ex l.* 25. §. 1. *ff. de lib. praet. et l. tale pactum in fine ff. de pactis*, communiter tradunt *DD.* quos retuli *ad d. l.* 25. *num.* 2.

Auth. Ex causa.

SUMMARIA

An testamento ob injustam exhaeredationem vel praeteritionem nullo caetera ejus capita valeant? num. 1.
An quoque de fideicommisso universali intelligatur? 2.
An de filiis etiam emancipatis. 3.
Testamentum in quo ea, quae in Nov. 115. *requiruntur, non observata sunt, corruit.* 4.
Quid si nativitate posthumi ruptum sit testamentum? 5.
Si praecessit testamentum subsecuto alio, cui clausula codicillaris addita, non ab intestato, sed ex priori succeditur. 6.
Quid si pater filium mortuum credens eum praeterierit, valeantne legata extraneo relicta? 7.

1 Quando testamentum ob injustam exhaeredationem non tantum, sed etiam praeteritionem est nullum, caetera tamen ejus capita testamenti valent ut datio tutoris, legata, libertates et simil. nam Imperator solam injuriam exhaeredationis et praeteritionis voluit removere, et testator in sola institutione peccavit, ut proinde in ea sola sit puniendus, *Rittershus. part.* 6. *Nov. c.* 3. *num.* 27. salvis aliis testamenti capitibus, quae, filio etiam haerede instituto, viribus suis substitissent, *hanc Auth.* vulgo in- 2
telligunt etiam in fideicommissis universalibus, quia textus non distinguit, et jam tunc voce legatorum fideicommissa particularia poterant intelligi, *Dauth. de testam. num.* 381. *Gail. lib.* 2. *obs.* 134. *Gilken. ad hanc Auth. num.* 42. Et hanc etiam de emancipatis liberis intelligunt, 3
cum *Novella* expresse etiam de matribus loquatur, et absurdum sit, liberos respectu matris melioris esse conditionis, quam liberos emancipatos respectu patris, *Gilken. d. l. num.* 27. *Dauth. num.* 338. quamvis sint multi, qui *hanc Authenticam* de praeteritione paterna nolint exaudire, verior tamen et receptior sententia contraria, et uti soleo hoc argumento: 4
In quocumque testamento non sunt observata ea, quae Imper. *in Nov.* 115. requirit, id corruit, *per* §. *ult.* ibi. *si haec observata non sunt;* Sed prius verum in praeteritione paterna tam emancipatorum, quam suorum liberorum: Ergo etc. Et hanc sententiam tuentur *Clar. qu.* 52. *Covarr. in d. c. Raynut.* §. 6. *num.* 3. *Carpz. part.* 3. *const.* 9. *def.* 3. *Donell. lib.* 6. *c.* 12. *Gilken. hic num.* 2. *et seqq. Dauth. num.* 385. *et seqq. Gail. lib.* 2. *Obs.* 113. *num.* 1. *Barry lib.* 10. *t.* 10. *num.* 5. Si autem nativitate posthumi ru- 5
ptum sit testamentum, communiter recepta est distinctio *Bartoli*, multis auctoritatibus corroborata a *Tiraq. in l. si unquam. C. de revoc. donat.* verb. *donatione largitus num.* 763. *et Carpz. lib.* 6. *resp.* 10. *et seq.* an scienter fuerit praeteritus, an vero ignoranter. Nam si scivit posthumum, utique debuit observare constitutionem novellam, ob rationem *in l.* 7. *ff. de stat. homin.* quod cum non fecerit, subjicit se poenae *in d. const.* expressae. Si autem ignoravit, locum habet ratio *d. l. si unquam.* Nam si praecessit aliud testamentum, et posterius 6
habet clausulam codicillarem additam, tunc non ab intestato, ut *haec Novella* praesupponit, sed ex testamento priori succeditur, et sic *haec Auth.* locum non habet, *Dauth. num.* 376. Vid. etiam *Bacchov. in Treutl. vol.* 1. *disp.* 13. *th.* 10. *lit. G. Clar. q.* 46. Sed *quid si pater fi-* 7
lium mortuum credens, eum praeterierit, valentne legata extraneo relicta? Neg. communiter, quia si hoc casu donatio inter vivos revocari potest, magis legatum. Vid. *Men. lib.* 2. *arb. qu. cas.* 147. *Clar. qu.* 52. *Vasq. de success. progress. lib.* 3. §. 30. *num.* 49. *et de res. lib.* 2. §. 10. *num.* 18. *Dauth. l. cit. num.* 373. *Gail. lib.* 2. *obs.* 113. *num.* 2. *Barry lib.* 10. *tit.* 10. *num.* 9.

TITULUS XXIX.

De posthumis haeredibus instituendis, vel exhaeredandis, vel praeteritis.

L. Si post. 1. L. Uxoris. 2. et L. Quod certatum. 3.

SUMMARIA

Posthumus quinam dicatur? num. 1.
Quatenus rumpat testamentum? 2.
An posthumus mutus rumpat? 3.
Quinam partus ad monstrum degenerent, ut institui non possint? 4.
Quid si posthumus adhuc vivo testatore mortuus, an restituatur testamentum? 5.
An rupto testamento legata debeantur? 6.
Abortu uxoris non rumpitur testamentum. 7.
Limitatur. 8.
Objectio diluitur. 9.
Testamentum solemnitates juris praetorii non habens jure praetorio reconvalescere nequit. 10.
Infans perfecte editus qualis dicatur? 11.
An et quatenus rumpat testamentum? 12.
Liberi monstruosi non sunt liberi nec successionis capaces. 13.

1 Posthumus, i. e. qui vel post mortem Patris, *Sichard. in rubr. C. h. t. num.* 2. vel post testamentum, *id. num.* 3. nascitur, praeteritus (licet ipsi quid legatum sit) qui natus suus haeres futurus fuisset seu in potestate patris, et quem adeo gradu nemo praecedit, si nascatur (non si abortum faciat mater, §. 1. *Inst. de exhaer.*
2 *lib.*) rumpit testam. etiamsi natus illico decesserit, priusquam vocem partus ederet, *l.* 3.
3 ubi ratio, quod mutus testam. rumpat, modo ad monstrum non degeneret, *l. non sunt libe-*
4 *ri* 14. *ff. de stat. homin.* Quinam autem partus ad monstrum degenerent, ita ut institui non possint, optime explicat *Dauth d. tit. num.* 307.
5 *Quid si autem posthumus adhuc vivo testatore sit mortuus, an restituetur testamentum?* Neg. *l.* 2. ratio *in l. quod initio ff. de reg. jur.* non quod testamentum, in quo posthumus praeteritus, statim sit nullum, de quo vid. *Dn. Manzius de testam. tit.* 8. *qu.* 2. *num.* 136. *et seqq.* sed quod nativitate posthumi sit ruptum, et sic jure civili iterum reconvalescere nequit: sed aliud jure praetorio; quod si posthumus natus post testamentum vivo patre moriatur, praetor scriptis haeredibus dat bonorum possessionem secundum tabb. *l.* 12. *et* 17. *ff. de inj. rupt. etc. Struv. synt. jur. civ. exerc.* 32. *th.* 37. quia pater perseverasse in prima voluntate videtur, idque potissimum locum habet, quando ii sunt scripti haeredes, qui alias ab intesta-
6 to succederent. Collige ergo *ex lege* 1. rupto testamento legata non deberi, cui *per Nov.* 115. non esse derogatum putant nonnulli, sed ut ad *Auth. ex causa* dixi, communiter est recepta distinctio *Bartoli*, an posthumus scienter, an vero ignoranter sit praeteritus. *Ex secunda* autem *lege* discimus: abortu uxoris non rumpi 7
testamentum, quod tamen de eo casu abortionis intelligendum, quando non infantem vivum enixa est, *Sichard. h. l. num.* 1. Non autem 8
habebit locum *haec l.* 2. si infantem immaturum, forte sexto mense, vivum tamen, peperit, *per l.* 12. §. 1. *ff. de lib. et posth. Coler. part.* 2. *dec.* 258. *num.* 5. *Dn. Carp. p.* 3. *const.* 17. *def.* 13. *Sichard. d. l. num.* 3. nam si peperit mater, licet statim posthumus moriatur, non tamen convalidatur testamentum, *Cephal. cons.* 138. *in fine.* Nec obstat, quod *in l. seq.* perfe- 9
ctionis fit mentio, cum ea de perfectione partium possit intelligi, *Carp. d. l.* Collige etiam *ex d. l.* 2. testamentum, quod non habet so- 10
lemnitates juris praetorii, non posse reconvalescere jure praetorio, quia praetor tuetur illud tantum testam. in quo reperit suas solemnitates, *Cumanus in repet. l. si filius num.* 33. *ff. de lib. et posth. Vasq. de success. creat.* §. 15. *num.* 40. *per l.* 12. *et* 17. *ff. de irrito et injust. testam. Hill. l.* 6. *c.* 16. *lit. P. et Q. Ex l.* 3. Collige: Infantem vivum perfe- 11
cte editum, i. e. secundum omnes partes corpore materno egressum, rumpere testam. si modo editus vivat; nam perfecte natum ipse 12
Imperator ita interpretatur, quod totus, i. e. secundum omnes partes sit natus, ergo antequam totus exierit ex ventre materno, si in ipso partu moriatur, non rumpit testam. nec ab intestato succedit, *Coler. d. l. Carp. d. const.* 17. Collige etiam *ex hac l.* 3. Liberos mon- 13
struosos non esse liberos, nec capaces successionis, *l.* 14. *ff. de stat. hom. Men. lib.* 2. *arb. q. cas.* 491. *num.* 25.

L. Quidam. ult.

SUMMARIA

An postumus ita, quisquis me mortuo nascetur, haeres esto, *institutus, sit praeteritus?* num. 1.
Quid sit ita, quisquis me mortuo intra 10. menses natus erit? 2.
Institutio posthumi in uno casu facta extenditur ad alium, in quo testator idem respondisset, si de ea cogitasset. 3.
An, l. 10. ff. de lib. et posth. *sit correcta?* 4.
An casus omissus a testatore pro omisso habeatur? 5.

Posthumus quidam ita institutus est: *Quisquis* 1
me mortuo nascetur, haeres esto, sed vivo testatore nascitur? Resp. Illum esse praeteritum, *leg.* 10. *ff. de liber. et posthum.* Sed quid si ita: 2
quisquis me mortuo natus erit intra decem menses? Res. Hic non excludi eum, qui vivo

testatore nascitur, quia voluit tantum excludere eum, qui post decem menses natus erit, hunc
3 enim habet pro illegitimo. Collige: Institutionem posthumi in unum casum factam extendi ad alium, in quo testator idem respondisset, si de eo cogitasset. Et non fuit testatoris mens limitare institutionem, quia putabat, se statim moriturum, et ideo casus a testatore expressus extendi debet ad non expressum, *Decius cons.* 394. *num.* 8. *et quos refert ac sequitur Menoch. lib.* 4. *praes.* 26. *num.* 5. *et cons.* 171. *num.* 26.
4 *et cons.* 326. *num.* 23. Et sic non puto approbandam sententiam eorum, qui dicunt, *d. l.* 10. *ff. de liberis et posthum. per hanc legem finalem* generaliter et totaliter esse correctam, ut *Zasius in l. Stichum num.* 7. *ff. de leg.* 1. *et Cujac. in d. l.* 10. nisi forte in eo casu, de quo hic quaestio, nam in *d. l.* 10. continetur regula: Posthumum in uno casu institutum non censeri institutum in alio, vel generalis adhuc, Casus 5
omissus a testatore habetur pro omisso, *Dec. cons.* 394. *num.* 7. *Cravett. cons.* 136. *num.* 7. quae regula tamen in casu posthumorum locum tantum habet, et in personis testatori incognitis, *Berous cons.* 17. *num.* 16. *vol.* 2. *et cons.* 63. *num.* 39. *et cons.* 102. *num.* 12. Hic autem alia Exceptio habetur, nisi testator mortem proxime instare putans, in id tempus, si post mortem nascetur, providerit, *Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *disp.* 11. *th.* 3. *lit. D. pag.* 606. *Thesaur. l.* 2. *q.* 71. *num.* 6. Et ideo dici utrumque potest: non esse correctam illam *legem* 10. *ff. de lib. et posth.* per hanc, et esse correctam; illud intelligendum est, si totalis correctio intelligatur, nam hic specialis est exceptio, si testator in infirmitate constitutus, testator in unum casum disponat, hoc dici posse dixi *ad d. l.* 10. quatenus haec continet specialem correctionem et exceptionem.

TITULUS XXX.

De jure deliberandi, et de adeunda vel acquirenda haereditate.

L. Si a patre. 1. et L. Cum debitum. 2.

SUMMARIA

Haeres quot modis aliquis fiat? num. 1.
Qui aes alienum haereditarium solvit, haereditatem adisse an praesumatur? 2.
Quilibet praesumitur potius suo nomine quam alieno solvere. 3. 4.
An emancipata in testamento praeterita his actionibus sc. manumissione, distractione etc. bonorum possessionem agnoscere videatur? 5.
Bonorum possessio coram judice est agnoscenda. 6.
Sola gestio negotiorum haereditariorum non obligat aliquem ut haeredem, nisi delata ipsi sit jure civili haereditas. 7.
Cui non est delata haereditas, in adeundo vel se immiscendo haereditatem acquirere non potest. 8.
Liberi debitoris conveniendi non sunt, priusquam aditio probetur. 9.
Hodie emancipati spreta praeteritione se pro haerede gerere possunt. 10.
Quid si cognatus spreto testamento, quod invalidum dicit, scriptum haeredem excludere velit? 11.

1 Haeres aliquis fit, si se pro haerede gerat, §. *ult. Instit. de haered. qual.* v. g. si servum haereditarium manumittat, hoc enim non facit nisi Dominus, *l.* 42. §. *pen. ff. de acquir. haered. Mantic. lib.* 12. *tit.* 10. *num.* 10. *et tit.* 12. *num.* 14. Item si distrahat res haereditarias, et hoc cum effectu ut sine peccato facere non possit nisi Dominus, *l.* 20. §. 1. *ff. d. tit.* Ergo ut excludatur peccatum, praesumitur ut haeres fecisse, *Mantic. d. tit.* 12. *num.* 10. *Masc. concl.* 52. *num.* 5. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 101. *num.* 13. Item si aes alienum solvat, *l.* 8. §. 1. *supr. de inoff. testam.* qui enim aes alienum hae- 2
reditarium solvit, praesumitur haereditatem adiisse, per *l.* 2. *h. t. Mantic. lib.* 12. *conject. tit.* 10. *num.* 15. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 101. *num.* 24. *Masc. concl.* 44. *num.* 19. quia qui- 3
libet praesumitur potius suo nomine solvere, quam alieno, *l.* 4. *ff. de solut.* Et haec vera sunt, nisi appareat alia id mente fecisse ipsum, *d. l.* 20. *pr. et* §. 1. quod colligitur vel ex modici- 4
tate pecuniae solutae, *Mantic. d. l. num.* 15. *et Mascard. num.* 32. vel ex protestatione, *Mantic. d. t.* vel aliis praesumptionibus: *Sed* 5
an emancipata in testamento praeterita his actibus scil. manumissione, distractione etc. bonorum possessionem agnoscere videatur? Neg. quia bonorum possessio coram judice agnoscen- 6
da, *l.* 1. *h. t.* ratio *in l. fin. supr. qui admitt. ad bonor. possessionem, Donell. lib.* 7. *c.* 8. *lit. N.* Et filius emancipatus tunc non poterat alio jure quam praetorio adire. Et sic omnino non est de nihilo Doctorum distinctio ad *l.* 1. inter suos et emancipatos liberos, ut putat *Hillig. d. loco.* Collige: solam gestionem negotio- 7
rum haereditariorum non obligare aliquem ut haeredem, nisi delata ipsi sit jure civili haereditas. Et cui non est delata haereditas, is non 8
potest adeundo vel se immiscendo acquirere haereditatem, *hic et l. si quis extraneus* 21. §. 2. *ff. de acquir. haered. l.* 9. *C. h. t.* nam delata haereditas intelligitur, quam quis possit adeundo consequi, *l. delata* 151. *ff. de verb. sign.* Collige etiam: Liberos debitoris conveniendos 9
non esse, priusquam aditio probetur, *Carpzov. lib.* 6. *resp.* 64. *Ant. Gomez lib.* 1. *c.* 9. *num.* 22. *Gail. lib.* 2. *obs.* 128. Sed cum hodie per 10
Nov. 115. emancipati jure civili succedant, posset emancipatus spreta praeteritione, se pro haerede gerere, *Bart. et Cynus ad h. l.* Sed cum 11
cognatus spreto testamento (quod ipse de jure

invalidum esse dicebat) vellet adire haereditatem, antequam testamentum expugnaverit, et ita per praetensam possessionem scriptum haeredem excludere vellet, merito nuper iste repulsam tulit.

L. Si fratris. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Filius quoad sui favorem haereditati se immiscuisse praesumitur. 2.
Quatenus olim extraneus haereditatem adire potuerit? 3.
Secus hodie. 4.
Si pater cum filio suo extraneum instituit, manet jus transmissionis, licet non maneat jus suitatis quoad confirmationem eorum, quae ex testamento dependent, quaeque per sui filii existentiam non confirmantur. 5.

1 Pater decessit, relicto filio Titio haerede, hic paulo post decessit, relicto fratre et Cajo filio, et hic filius ultimus instituit extraneos haeredes; patruus ejus seu Titii frater, ad se pertinere putat haereditatem quia Titius ante aditam paternam haereditatem decesserat, ergo non potuisse illam haereditatem ad filium suum transmittere: sed distinguit Imperator, an Titius (primus filius) fuerit in potestate parentis, et tunc ipso jure transmittit haereditatem, §. 3. *Inst. de success. ab intest.* etiam ante apertas tabulas testamenti, secus olim in extraneo (sed Vid. *l. un.* §. 5. *infr. de caduc. toll.*) si vero Titius fuerit sui juris, nec adierit haereditatem, sed frater ejus, ad hunc pertinent haereditas et jus
2 vindicandi etiam res haereditarias. Collige: Filium, quoad sui favorem praesumi se immiscuisse, *Menoch, lib. 4. praes.* 99. *num.* 5. *In le-*
3 *ge hac* observatur vestigium juris veteris, nam clausis tabulis et non apertis, nec perlectis, non poterat olim extraneus adire haereditatem,
4 sed hodie secus, si modo ex relatione habeat, per *l. un.* §. 5. *C. de caduc. toll. Donell. lib.* 7.
5 *c. 5. post lit. B.* Colligit etiam *hic Castrensis*: Si pater cum filio suo extraneum instituit, manere jus transmissionis, licet non maneat jus suitatis, quoad confirmationem eorum, quae ex testamento dependent, quae per sui filii existentiam non confirmantur, *l.* 11. §. 1. *ad SC. Trebell.*

L. Filiofamilias. 4. L. Renitente. 11. et L. Non est. 15.

SUMMARIA

An haereditas delata filiofam. acquiratur patri, si consentiente filio se pro haerede gerat? num. 1.
Objectio diluitur. 2.
An filius donationem differre possit, donec sui juris fiat? 3.
In contractibus, si conditio post manumissionem vel emancipationem contingit, obligatio patri acquiritur. 4.
Secus in haereditate. 5.
Disparitatis ratio. 6.
Castrensis *notatur.* 7.
An Monachus possit sui juris fieri? 8.
An Monachi aditio in delata sibi haereditate sit necessaria? 9.
Distinctio inter legata et contractus quaenam? 10.
An pater haereditatem filio delatam repudiare possit? 11.
An hodie hoc in casu patris consensus sit necessarius? 12.

In *lege* 4. Quaeritur: *An haereditas filiofamil. delata acquiratur patri, si consentiente filio se pro haerede gerat pater?* Videtur quod non, quia ipse filius adire debet jussu patris, *l.* 25. §. 4. *ff. de acquir. haered.* Sed affirmatur *in l.* 4. pater enim pro haerede gerendo satis videtur jubere et consentire, et filius patri consentiens ipse pro haerede se gerere videtur per regulam vulgarem, Quod quis per alium etc. *in c.* 72. *de R. J. lib.* 6. *Gail. de pignorat. c.* 5. *num.* 2. Et ideo licet hic inversus sit ordo, nam pater debebat jubere, filius adire, non tamen hoc nocet solemnitati et sic non semper praeposteratio facit actum nullum. Sed obstare videtur *l.* 6. §. 3. *ff. de acquir. Haered.* ubi pater possederat bona haereditaria delata, et requiritur decennium, ut probentur volente filio adquisita. Sed Resp. *Castrens. hic in nostra lege*, manifestum esse consensum filii, de quo *in d.* §. non constabat. Sed *An filius potest differre aditionem, donec sui juris fiat?* Resp. affirmative *in l.* 15. Nam licet in contractibus, si conditio post manumissionem vel emancipationem contingat, obligatio acquiratur patri, aliud tamen in haereditate, *l. quae legata* 18. *ff. de reg. jur.* Nam in contractibus aliquid filius fecit, in testamento quo haeres institutus est, nihil fecit; unde probatur: Si quis tempore aditae haereditatis esset sui juris, acquireret haereditatem sibi, licet tempore delatae haereditatis sit in aliena potestate. Et ideo dicerem contra *Castrensem* Monachum Institutum, si non adierit haereditatem, si ad aliud transferatur monasterium, vel fiat Episcopus, non veteri sed novo monasterio vel sibi acquirere haereditatem. Nam quod dicit Monachum non habere spem ut fiat sui juris, id sane non video, quomodo non eam spem habere possit, quam servus, et quomodo non probabilis sit consequendi aliquando Episcopatum: Et pro hac sententia facit sententia Legistarum communis, quod Monacho haereditas sit delata et aditio Monachi sit necessaria, quae in foro Caesaris observanda, *Clar. de testament. q.* 30. *Trentac. de substit. p.* 1. *c.* 7. *num.* 2. *Barry lib.* 11. *tit.* 11. *num.* 3. Notetur etiam hic distinctio inter legata et contractus. In contractibus acquiro ipsi, cui tempore contractus conditionalis fui subjectus, sed in legatis secus, *Salyc. Castr. et alii ad d. l.* 15. Sed *potestne Pater haereditatem repudiare filio delatam?* Neg. *l.* 11. quia haereditatem filio delatam adire, renitente filio, nequit; Ergo nec repudiare, nec jus filii imminuere, sive spem haereditatis consequendae adimere, *l.* 13. *pr. et l.* 18. *ff. de acq. haeredit.* et ita nec filius in patris praejudicium, nec pater in filii

[Right margin numbers of second column: 1 (In lege 4), 2 (obstare videtur), 3 (An filius), 4 (Resp. affirmative), 5 (quae legata), 6 (18. ff.), 7 (Et ideo dicerem), 8 (Nam quod dicit), 9 (Monacho haereditas), 10 (num. 3. Notetur), 11 (l. 15. Sed)]

praejudicium repudiare potest, neuter alteri praejudicat, *Vasquius de success. resol.* §. 18. *num.* 62. *Barry lib.* 11. *tit.* 23. *num.* 1. *Man-*
12 *tic. lib.* 8. *tit.* 16. *in fin.* Hodie patris consensus non est necessarius, *per l. ult. C. de bon. quae liber.*

L. Potuit. 5. et L. Si infanti. 18.

SUMMARIA

Impubes infante major solus haereditatem adire nequit. num. 1.
Nisi sub patre sit institutus. 2.
An et quatenus pupillus consentiente patre obligari possit? 3.
Quid si sui juris? 4.
An pupillus haereditate non adita eam transmittat? 5.
An pater ejus adire possit. 6.
Quid si pater negligat, et infans moriatur? 7.
An transmittatur in matrem? 8.
Jus Novellarum. 9.
Infante destituto patre tutor nomine infantis haereditatem agnoscit. 10.
Quid si tutor negligat? 11.
Quaenam actio detur hoc casu contra tutorem? 12.
Parens bona materna filio delata ultra annum retinens haereditatem adiisse praesumitur. 13.
Alia furiosi ratio. 14.

1 Impubes infante major solus haereditatem acquirere nequit, quia animi destinatio in eam aetatem non cadit, *l.* 9. *ff. de acq. haer. Struv.*
2 *synt. jur. civ. exer.* 34. *th.* 25. Ideoque, si sub parente sit filius impubes test. haeres institutus, eo consentiente adire debet *per l.* 18. §. *fin. h. t. l.* 8. *et* 9. *ff. de acquir. haered.* Licet enim pu-
3 pillus patre consentiente obligari nequeat, *l. ult.* §. 2. *ff. de verb. obl.* quoad adventitia tamen ab hac regula discessum est, nam parata est laeso pupillo restitutio in integrum, *l. ult.* §. *ult. C. de bon. quae liber. Donell. ad d. l. ult.* §. 2. *num.* 7. *Hillig. lib.* 7. *c.* 9. *Sichard. ad*
4 *d. l.* 18. *num.* 6. sed si sui juris sit, requiritur auctoritas tutoris etiam honorarii, *l.* 49. *ff. de acquir. haered.* licet aliud sit, si de diminuendo agatur per *l.* 4. *ff. de auctor. tut. Hillig. lib.* 7. *c.* 9. *lit. C.* Confer. *Hering. de fidejuss. c.* 7. *num.* 76. *Nicol. de Passer. in concl. juris pag.* 462. non vero curatoris, *l.* 5. *et l.* 18. §. *ult. h. t.* vel si tutore careat, requiritur judicis decretum, *d.* §. *ult.* ipsius tamen voluntas pupilli necessaria est, nec enim tutor ignorante pupillo adire haereditatem potest, *Card. Tusch. concl.* 192. *p.* 33. *et concl.* 194. *num.* 14. ratio
5 in *l.* 21. §. 2. *ff. de acquir. haered.* Et si haereditas ita non sit adita, non transmittit pupillus haereditatem, sed in infante singulare jus constitutum in *d. l.* 18. *Carpz. part.* 3. *c.* 14. *def.* 23. *in fin.* in acquirenda haereditate, ne
6 actus ejus requiratur, sed potest pater ejus gradu proximus, licet in potestate filium non habeat, adire haereditatem, *d. l.* 18. *pr. et* §. 3.
7 *ibique Sichard.* si autem pater hoc negligat infante mortuo, ea haereditas ad patrem nihilominus devolvitur ob patriam potestatem, *d. l.* 18. §. 1. Et ideo secus esse in matre, scilicet 8
in eam non transmitti haereditatem ab infante, *Alex. Jas. Salyc. et Castr. in d. l.* 18. Sed quia pater post *Nov.* 118. non jure peculii, sed ut 9
haeres succedit, ideo cum patre mater et fratres ac sorores germanae succedent, *Sichard. ad d. l.* 18. *pr. in fin. Thesaur. dec.* 88. *Enenck. Baro priv. part.* 4. *c.* 3. *num.* 12. Quod si au- 10
tem infans patre sit destitutus, potest tutor nomine infantis agnoscere haereditatem, *d. l.* 18. §. 2. Et si hoc non fiat, infans non transmittit 11
haereditatem, *d. l.* 18. §. 3. nisi etiam cognati nomine infantis petant bonorum possessionem, *Grass.* §. *bonorum possessio q.* 5. *num.* 13. *Barry l.* 11. *t.* 11. *num.* 1. potest etiam judicis decreto pupillus adire, *per d. l.* 18. *in fin.* Si autem horum nihil factum, habent pro- 12
ximi cognati, alias infanti successuri, actionem contra tutorem ad interesse, *Sichard. ad. l. fin.* §. *sin vero num.* 9. *h. t.* In subsidium putarem admittendos esse cognatos ad restitutionem in integrum ex persona infantis intra tempora praefinita, per dicta *ad l.* 7. Notandum 13
autem, praesumi patrem adiisse haereditatem nomine infantis, quando bona materna filio delata ultra annum retinet, *Masc. concl.* 44. *num.* 52. Alia ratio furiosi, *l. ult.* §. *pen. supr.* 14
de curat. furios. Vid. *Donell. lib.* 7. *c.* 4. *Struv. synt. jur. civ. exerc.* 34. *th.* 25. An autem ex statuto, quo delata haereditas, licet non agnita, transmittatur, etiamsi sit infans, cui defertur, vid. *Fachin. l.* 13. *c.* 37.

L. Si avia. 6.

SUMMARIA

Delatam haereditatem non agnoscens, si moriens in testamento dicat, se velle ea bona sibi delata ad suos pervenire, hoc ipso fit haeres et haered. transmittit. num. 1.
Nemo potest plus juris in alium transferre, quam ipse habet. 2.
Haereditatis aditio etiam solo animo per actum ultimae voluntatis declarativum perfici potest. 3. 6.
Qui de haereditaria re testatur, adiisse praesumitur. 4.
Idem in cessione haereditatis vel ejus partium. 5.
Ampliantur num. 3. *dicta.* 7.
Repudiatio haereditatis in gratiam liberorum vel aliorum in fraudem tamen creditorum non est simplex renunciatio, sed quae praesupponit agnitionem et tacitam donationem. 8.

Qui haereditatem sibi delatam verbis apertis 1
non agnoscit, nec quicquam pro haerede gerit, si tamen moriens in testamento dicat, se velle, ut ea bona sibi delata ad suos haeredes perveniant, hoc ipso haeres fit et haereditatem transmittit, quia declarat satis esse, se velle haeredem fieri, cum alias eam transmittere non possit, per regulam: Quod nemo plus juris in 2
alium transmittere possit, quam quod ipse habet. Collige ergo: haereditatis aditionem etiam 3
solo animo per actum ultimae voluntatis declarativum perfici posse, et praesumi eum 4
adiisse, qui de re haereditaria testatur. Nam licet quis de re aliena possit legando eam dispone-

re, id tamen facile praesumendum non est,
5 *Mant. lib.* 12. *tit.* 12. *num.* 12. Et ex cessione haereditatis, vel partium haereditatis, praesumitur quis adiisse, *Mascard. concl.* 44. *num.* 1. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 101. *num.* 98. Non
6 ergo ex sola animi destinatione praesumitur facta aditio, nisi actus accedat declarativus, ex quo praesumitur aditio, *Menoch. l.* 4. *praes.* 99.
7 *num.* 20. *et seq.* Hoc ampliant *DD.* licet testator suum testamentum revocet, manere tamen aditionem praesumptam. Voluntas enim ex actu nullo declaratur, *l.* 24. §. 1. *ff. de adim. legat. Et ex hac lege* infert *Salgado in Labyr. l.* 2.
8 *cap.* 14. *num.* 29. *et seqq.* quod repudiatio haereditatis et legati facta in gratiam liberorum vel aliorum, in fraudem tamen suorum creditorum non sit simplex renunciatio, sed quae praesupponit agnitionem et tacitam donationem, nam nemo donat, quod suum non est. Conf. *Sanchez de matrim. l.* 6. *disp.* 4. *num.* 17.

L. Quoniam. 7.

SUMMARIA

Haereditatem, quam sibi quis delatam ignorat transmittere non potest. num. 1.
Haereditas citra culpam haeredis non adita non transmittitur. 2.
Exceptiones aliquot. 3.
Quid si quis probabilis ignorantia nesciverit? 4.

1 Nemo potest transmittere haereditatem, quam sibi delatam esse ignorat, *hic et* §. *ult. Instit.*
2 *de haered. qual. et differ.* et haereditas etiam citra culpam haeredis non adita non transmittitur, et ne quidem spes seu jus adeundi, *Car-*
3 *pz. p.* 3. *const.* 14. *def.* 24. Exceptio una est in haereditate parentum, *l. un. infr. de his qui ante apert. tabul.* alia exceptio in *l.* 19. *infr. h. t.* alia in *l.* 4. §. *ult. ff. de bon. poss. contra tabb.* alia exceptio in celebri *lege Pan-*
4 *nonius* 86. *ff. de acquir. haeredit.* Nam si quis probabili ignorantia nesciat sibi delatam esse haereditatem, vel impeditus sit adire propter justam absentiam, si decedat, antequam adeat, petendi restitutionem facultatem suo haeredi relinquit, quod ex benignitate receptum, quia si absens non fuisset, utique adiisset haereditatem, et suis haeredibus reliquisset, *Petr. Barbos. in l. qui tale* 14. *n.* 56. *et seqq. ff. sol. matr. Ruinus cons.* 33. *lib.* 3. *Maurit. de restitut. c.* 288. *num. fin. Odd. de restit. qu.* 63. *art.* 6. et quos hic citat; et *Carpz. d. def.* 21. *num.* 28. *et Rauchb. part.* 2. *q.* 15. *num.* 25.

L. Licet. 8.
et L. Si curatoris. 9.

Casus legis. num. 1.
Petitio haereditatis cuinam detur? 2.
Pro haerede qui possidet, errans in titulo, usucapere non potest haereditatem. 3.
Quid si pro possessore possideat? 4.
Intra 30. *annos adiri potest haereditas.* 5.
An filius non nisi triplicata longissimi temporis praescriptione excludatur? 6.
An filio concisius tempus possit statui et quomodo? 7.
Intra quod tempus haec petitio sit facienda? 8.
Jus Saxonicum. 9.
Quid si intra praestitutum tempus non declaraverit suam voluntatem? 10.

Filius intra aliquot annos se non immiscuit 1
haereditati paternae, post decem annos vindicat haereditatem; Quaeritur: *An obstet illi exceptio praescriptionis?* Neg. quia petitio hae- 2
reditatis non datur, nisi contra eum, qui pro haerede possidet, aut pro possessore, *Auct. in l.* 9. *ff. de haered. pet. num.* 1. At qui pro hae- 3
rede possidet, errat in titulo, putat enim se haeredem esse, cum non sit, ergo ipse usucapere non potest, pro possessore si possideat 4
multo minus usucapit, quia mala fide possidet, igitur intra triginta annos adiri potest haeredi- 5
tas, imo nec longissimi temporis praescriptione, 6
nisi triplicata, excludetur filius, si vera est sententia Doctorum, quod filius intra primos 30. annos ut filius, deinde aliis 30. annis ut agnatus, et aliis ut cognatus succedat, quae sententia in judiciis recepta, per *l.* 1. §. 11. *ff. de success. edict.* teste *Dn. Carpz. const.* 8. *def.* 30. *Hillig. in Don. lib.* 7. *c.* 3. *lit. B. Barry lib.* 11. *tit.* 2. *num.* 4. *Ant. Gabr. de praescript. concl.* 9. *num.* 3. *Balb. de praescript. part.* 4. *partis* 4. *principal. q.* 19. *num.* 6. Sed potest tamen 7
concisius tempus statui filio, ut si creditores vel legatarii vel substituti petant, ut ipsi concisius tempus ad deliberandum concedatur, et cogatur ille, cui delata est haereditas, intra certum tempus declarare voluntatem, an haeres esse velit, per *l.* 9. *h. t.* quae petitio lega- 8
tariorum vel creditorum post nonum a morte defuncti diem facienda, *Auth. sed neque C. de sepulchr. viol.* Jure Saxon. post triginta dies, 9
Wesenb. in ϖ. *de acquir. haered. num.* 7. Quod si autem intra praestitutum a judice tempus, v. g. 10
intra annum non declaraverit voluntatem suam, tunc vel excluditur ab haereditate, vel tantum curator datur bonis, qui creditoribus satisfaciat. Si ad instantiam substituti vel remotioris cognati petatur tempus statui haeredi instituto vel propiori; illo casu lapso tempore non excluditur haeres ab aditione haereditatis, sed tantum datur curator bonis, qui solvat creditoribus, sed de eo dicetur fusius ad *l. fin.* §. *pen. h. t.* sed posteriori casu excluditur, et ideo tunc necesse est statui tantum tempus, quantum haberet ad petendam bonorum possessionem, *Paul. Castr. hic.* Conf. *Menoch. l.* 2. *arb. q. cas.* 1. *Barry lib.* 11. *tit.* 2. *num.* 1.

L. Si te bonis. 10.

SUMMARIA

An majorennis suus haeres, si se immiscuerit postea possit restitui? num. 1.
Secus in minorenni. 2.
An teneatur creditoribus, licet haereditas non sit solvendo? 3.
Quid si alius portionem haereditatis vi occupaverit, ut haeres creditoribus satisfacere non possit. 4.
Injuria tertii non excusat haeredem, quo mi-

nus solidum teneatur solvere creditoribus, nec spoliatio facta ab alio quam actore potest excipi. 5.
An tertio exceptio spolii opponi possit. 6.

1 Suus haeres majorennis, (nam minorennis po-
2 test restitui, licet se immiscuerit, Vid. *lib.* 2. *C. tit.* 39.) si se bonis paternis immiscuit, postea iisdem scil. bonis abstinere nequit, *l.* 57. *ff. de*
3 *acquir. haered.* Et tenetur creditoribus, licet haereditas solvendo non sit, *l.* 8. *d. t.* nisi sc.
4 Inventarium fecerit, de quo postea. Sed, *quid si alius portionem haereditatis vi occupasset, ut satisfacere creditoribus non posset haeres?* Resp. Idem dicendum. Casus enim hic est fortuitus, qui debitorem non liberat, *l. incendium*
5 *C. si cert. petat.* Collige: Injuriam tertii non excusare haeredem, quo minus solidum teneatur solvere creditoribus, et de spoliatione facta ab alio, quam actore, excipi nequit, *c.* 1. *de*
6 *restit. spoliat. in* 6. Et exceptio spolii non potest opponi tertio, sc. ad impediendam actionem, bene tamen ad differendam executionem, per *c.* 16. *X. de restit. spoliat. et c. frequens lib.* 6. *eod. tit. Carpz. part.* 3. *const.* 6. *def.* 9. *Berlich. p.* 1. *concl.* 21. *num.* 17.

L. Puberem. 12.

SUMMARIA

Agnoscens pubes bonorum possessionem coram judice idem fere jure praetorio consequitur, quod per aditionem haereditatis consequi potuisset. num. 1.
Bonorum possessores sunt vice haeredum, et haeredis nomine continentur. 2.
Idem in statutis. 3.
Diversae hujus legis lecturae. 4.
Alius legis sensus. 5.
Actus sequens declarat intentionem praecedentem. 6.
Qui gerit actum, in dubio magis velle, ut actus valeat, quam ut pereat, praesumitur. 7.

1 Quando quis jure praetorio bonorum possessionem agnovit coram judice, si scil. pubes sit (nam impubes non sine auctoritate Patris aut tutoris id facere posset, *l.* 7. *supr. qui admitti etc.*) idem fere consequitur, quod per aditionem haereditatis consequi potuisset, §. 2. *Inst. de bonor. poss.* Nam bonorum possessor persequitur haereditatem, *l. ult. C. qui admitti etc.* et Praetor eam dando vocat ad haereditatem, §. 2. *Inst. de*
2 *bon. poss.* et bonorum possessores sunt vice haeredum, *l.* 2. *ff. de bon. poss.* et haeredis nomine continentur, *l.* 19. §. 2. *ff. de condit. et demonstr. l.* 1. §. 7. *ff. ad Trebell. Donell. lib.* 1.
3 *c.* 14. Et ita etiam in statutis nomine haeredum veniunt, *Grass.* §. *bonorum possessio qu.* 18. *Forster. de success. lib.* 2. *c.* 29. *Dauth. de substit.*
4 *num.* 234. Sed quia diversae hujus legis lecturae,
5 ideo potest esse alius sensus legis, v. g. Agnovi bonorum possessionem, sed forte nulliter, postea etiam actus haereditarios exerceo, et tunc morior, Quaeritur; *An transmiserim haereditatem?* Videtur quod non, quia bonorum possessio fuit invalida. Sed Affirm. quia etiam actus haereditarios exercui, et sic etiam jure civili adii haereditatem; praesupponendum igitur, potuisse me utroque jure, civili ac praetorio ad haereditatem pervenire, praesertim jure novo. Et ideo
confirmari potest ex hac lege regula, quod actus 6
sequens declaret intentionem praecedentem, *Tiraq. in l. si unquam* 8. *verbis*, donatione largitus *num.* 257. *C. de revoc. donat. Barbosa locupl. lib.* 1. *c.* 26. *axiom.* 33. Et qui gerit actum, 7
in dubio praesumitur magis velle, ut actus valeat, quam ut pereat, *l.* 80. *ff. de V. O. Barb. d. l. axiom.* 27.

L. Suum haeredem. 13.

SUMMARIA

Suus haeres jure civili et praetorio adire potest haereditatem. num. 1.
Tempore exclusus bonorum possessionem petere nequit. 2.
Jure civili intra 30. *annos potest adire.* 3.
Repudiatio unius beneficii non infert repudiationem alterius. 4.
Limitatur. 5.

Suus haeres potest adire haereditatem jure ci- 1
vili et praetorio, si autem tempore exclusus bo- 2
norum possessionem agnoscere nequeat, Vid. §. 5. *Inst. de bon. poss.* Jure civili tamen intra tri- 3
ginta annos adire haereditatem non prohibetur, quia repudiatio unius beneficii non infert repu- 4
diationem alterius, et renunciatio beneficii unius, non inducit exclusionem in alio, *Castr. lib.* 1. *cons.* 86. *n.* 6. *Barb. locupl. l.* 16. *c.* 31. *axiom.* 17. Sed hoc limitatur, nisi ratio fuisset addita ge- 5
neralis, quae utrique beneficio conveniat, v. g. Repudio bonorum possessionem, quia mihi non est utilis, bona sunt aere alieno obruta. Ex hac ratione facile apparet, ipsum non tantum bonorum possessionem, sed haereditatem ipsam voluisse repudiare, *Bald. Castr. Salyc. ad hanc legem.*

L. Si sorori. 14.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Ratio decidendi. 3.
Eo momento, quo quis adit haereditatem, omnium rerum haereditariarum fit dominus. 4.
Lex et statutum facere potest, ut dominium ac possessio ipso jure transeat. 5.

Adiit quis haereditatem sororis suae, vult ali- 1
quas res vindicare a possessoribus, Quaeritur: *An possit?* Ratio dubitandi est, cum nunquam 2
possederit, nondum videtur dominus factus, *l. traditionibus supr. de pact.* Sed affirmatur, quan- 3
documque enim quis adit haereditatem, eo mo- 4
mento acquirit omnium rerum haereditariarum dominium, alia enim est ratio contractuum, alia ultimarum voluntatum, ex quibus quis solo animo dominium acquirit, et potest lex ac sta- 5
tutum facere, ut dominium ac possessio ipso jure transeat, per tradita *Tiraq. in tr. le mort saisit le vif p.* 1. *declarat.* 6. *num.* 11.

L. Nec emere. 16.

SUMMARIA

Invito non venditur. num. 1.
Nemo ut haereditatem adeat cogi potest. 2.
Filius ut haereditati paternae se immisceat cogi nequit. 3.
Aliud in servo necessario haerede instituto. 4.
Limitantur num. 1. *dicta.* 5.
Nemo beneficium accipere compellitur. 6.
Limitatur. 7.
Limitantur num. 2. *dicta.* 8.

1 Ut invito non venditur, *l. invitum supr. de empt.* nec donatur. *l.* 69. *ff. de reg. jur.* ita nec
2 cogi potest quisquam, ut haereditatem adeat,
3 §. *ult. Inst. de haer. qual.* nec cogi potest filius, ut haereditati paternae se immisceat, aliud ta-
4 men in servo necessario haerede instituto, *tot. tit. supr. de necess. serv. haered. etc.* Triplex igitur decisio hic continetur, 1. Invitum neminem
5 compelli emere ac vendere: sed habet haec regula suas exceptiones; Nam ob publicam utilitatem quis saepe emere cogitur, facilius autem quis compellitur vendere, quoties hoc publica vel proximi necessitas, favor religionis, aut libertas aut abusus rei jubet, de quo *hic pluribus Sichard.* et ego alibi egi, nam hujus loci non est, licet regula supra dicta communiter allegari ex *hac lege*
6 soleat: Aliter regula est; Quod nemo beneficium accipere compellatur, quae etiam sententia est *legis* 69. *ff. de reg. jur.* ubi *DD.* hanc regulam
7 pluribus tractant; Et communiter limitatur, quod quandoque in consequentiam juris hoc fiat, ut invito beneficium conferatur, quod in jure passim docetur, et de eo *DD. in d. l.* 69. Tertia regula hujus loci, quod nemo cogatur adire hae-
8 reditatem. Sed ea limitatur, nisi alii debeat adire, et si sibi adire debet non compellitur, si autem alii, ut restituat haereditatem fideicommissario, tunc compelli potest, ut notum est ex *Inst. de fideicom. haered.* et ita limitat *Don. l.* 7. *c.* 22. *in fin.* in suo haerede proprie non habet locum limitatio, quia ille proprie non adit, sed se immiscet, *Hillig. l.* 7. *c.* 1. *lit. C.*

L. Cretionum. 17.

SUMMARIUM

Casus legis.

Cretio haereditatis fuit aditio solemnis, cujus ritus tamen per hanc constitutionem sublati et hodie nuda testatio sufficit. Vid. *Hillig. in Donell. lib.* 7. *c.* 8.

L. Cum in antiquioribus. 19.

SUMMARIA

An haeres jus haereditatis sibi delatae, sed nec aditae, nec repudiatae decedens, ad quosvis haeredes transmittat? *num.* 1.
Decedens intra annum, ex quo sibi delatum agnovit, id tantum, quod ex eo anno reliquum est, relinquit haeredibus ad deliberandum. 2.
Quid si annus praeterierit, et haeres vivat? 3.
Haeres etiam extraneus, qui delatam sibi haereditatem non ignoravit, intra annum mortuus arbitrium et jus deliberandi et adeundi transmittit in quemcumque haeredem. 4.
An praecise requiratur, ut sciverit haereditatem sibi delatam? 5.
An jus semel in secundum haeredem transmissum in tertium sine scientia transmittatur? 6.
Diversi modi acquirendae haereditatis sunt aditio et pro haerede gestio. 7.

Haeres haereditatem sibi delatam, sed nec 1
aditam, nec repudiatam, decedens (non quidem haereditatem, sed jus adeundi) transmittit ad quosvis haeredes, *l.* 7. *h. t. Struv. synt. jur. civ. ex.* 33. *th.* 53. quod *Doctores* limitant, dummodo sciens sibi haereditatem delatam decesserit, et si decedat intra annum, ex quo si- 2
bi delatam cognoverat, id tamen tantum, quod ex eo anno reliquum est, relinquit haeredibus ad deliberandum, et non amplius: *Sed quid* 3
si annus praeteriit et haeres vivat? Resp. Eum ex sua persona adire posse intra triginta annos, nisi brevius spatium a judice terminetur, *l.* 9. *h. t.* sed jus deliberandi non transmittit ad haeredem post annum mortuus. Collige ergo: I. Haeredem etiam extraneum, qui haereditatem 4
sibi delatam non ignoravit, intra annum mortuum, arbitrium et jus deliberandi et adeundi transmittere in haeredem quemcumque, *Gail. lib.* 2. *obs.* 131. *num.* 4. *Carpz. p.* 3. *const.* 14. *def.* 23. *num.* 6. *et seqq. Rauchb. p.* 2. *q.* 15. *num.* 20. Sed de eo dubium, an Imperator prae- 5
cise velit, ut sciverit haeres, sibi delatam esse haereditatem. Et quidem hoc volunt *DD.* quos citat *Rauch. d. l. num.* 22. *et Noalis de transmis. cas.* 8. *num.* 12. Sed forte verius est, Imperatorem hic non praecise requirere scientiam, sed hoc voluisse, quod annus currere incipiat a die scientiae, ut volunt illi, quos citat et sequitur *Rauchb. d. l. num.* 23. Si tamen sequamur communem sententiam, parata est secundo haeredi restitutio ex *l. Pannonius. ff. de acquir. haered.* de quo *Carpz. d. const.* 14. *def.* 24. et ego supra. Postquam autem hoc jus 6
semel transmissum in secundum haeredem, in tertium haeredem sine scientia transmitti statuunt, *Noalis d. cas.* 8. *num.* 122. *Barry lib.* 12. *tit.* 1. *num.* 12. ubi communem sententiam sequitur. Sic etiam petendi officium judicis de consequendo fideicommisso, per fideicommissarium transmitti volunt, *Carpz. def.* 23. *num.* 11. *et seq. Noalis d. l. num.* 106. Collige: II. *ex h. l.* 19. Diversos modos acquirendae haere- 7
ditatis esse, aditionem, et pro haerede gestionem, *Donell. lib.* 7. *c.* 8. *lit. d.*

L. Quidam. 20.

SUMMARIA

Duae facti species. num. 1.
An quis partem suam, in qua institutus est, retinere, et partem, quam ex substitutione habet, repudiare possit? 2.
Qui pro parte adit haereditatem sibi soli dela-

tam, nihil agit, sed reliquum ei etiam invito accrescit. 3.
Haereditas, licet discrete per partes sit relicta, pro parte adiri, pro parte repudiari non potest. 4.
Quid si pro parte repudiet? 5.
Quid si adeat pro parte? 6.
Cohaeres pupilli non potest acceptare suam portionem, et pupilli repudiare. 7.
Neque suam repudiare et pupilli acceptare licet. 8.
Limitatur. 9.
Quid si cohaeres substituti moriatur ante pupillum, an haeres substituti bona pupilli aliunde quaesita licite repudiet? 10.

1 Duae hic species facti. 1. Instituit quis Titium ex semisse haeredem, postea eumdem ex quadrante, si navis ex Asia venerit, demum in reliquo, quaeritur, *An Titius semissem accipere, et reliquum repudiare potest?* - 2. Instituit quis filium impuberem dato cohaerede Titio, et tunc filio pupillariter substituit, mortuo filio impu-
2 bere, quaeritur, *An Titius partem suam, in qua institutus est, retinere, et partem, quam ex substitutione habet, repudiare possit?* Videtur quod sic in utraque specie, nam in priori specie diversae sunt institutiones, ergo nihil videtur obstare, quo minus unam acceptare, et reliquas repudiare liceat, et in posteriori specie Titius posteriorem partem non ex Patris, sed filii testamento habere videtur, et duo quodammodo videntur testamenta, §. *igitur* 2. *Instit. de pupill. substit.* Sed neg. utrumque, quia non potest haereditas pro parte acquiri, et pro parte repu-
3 diari, *l.* 2. *ff. de acq. haer.* Et qui pro parte adit haereditatem sibi soli delatam, nihil agit, sed reliquum etiam ei invito accrescit, *l.* 1. *ff. de acq. haered.* Et confusa sunt bona patris cum pupillaribus, *Hillig. l.* 7. *c.* 7. *lit. A.* Colligitur *ex hac l.*
4 I. Haereditatem, licet discrete per partes sit relicta, pro parte adiri, pro parte repudiari non posse, sed si una pars sit adita, tota et omnes quotae relictae videntur aditae, *Grass.* §. *jus*
5 *accrescendi q.* 21. Et si pro parte repudiet, potest nihilominus totam haereditatem adiri, quia repudiatio est utilis, *Castr. hic num.* 3. *Didac. a Spino in spec. test. tit. de adit. haered. num.* 63. *Gomez tom.* 1. *c.* 10. *num.* 17. *et seqq. Barry*
6 *l.* 11. *tit.* 22. *n.* 4. Si autem pro parte adeat, tota est adita, *l.* 2. *l.* 10. *l.* 80. *ff. de acquir. haered. Don.*
7 *lib.* 7. *c.* 12. *lit. D.* II. Non posse cohaeredem pupilli acceptare suam portionem, et pupilli repudia-
8 re. Sed quid de casu converso, *An potest quis repudiare suam, et pupilli partem acceptare?* Et hoc negatur *in l. quaesitum* 40. *ff. de acquir. haered.* nam qui judicium patris oppugnavit, non debet ex eadem haereditate ali-
9 quid consequi, *d. l.* 40. quod ibidem limitatur, nisi pupillus habuit alium cohaeredem, qui adierit, ex cujus aditione possint confirmari tabulae pupillares, *Trentac. de substit. part.* 2. *q.* 18.
10 *Barry l.* 11. *tit.* 22. *num.* 6. Imo si cohaeres substituti moriatur ante pupillum, et postea pupillus, substituti tamen haeres non potest bona pupilli aliunde acquisita repudiare, quia jus substitutionis et jus accrescendi concurrit, et substitutio conditionalis unita juri accrescendi fit transmissibilis, *per l. qui patri* 59. *ff. d. tit. de acquir. haered. Berous vol.* 2. *cons.* 94. *num.* 21. *et seq. Riminald. vol.* 3. *cons.* 241. *num.* 211. *et vol.* 6. *cons.* 638. *num.* 2. *Cravetta cons.* 367. *num.* 5. *Mantica lib.* 11. *tit.* 20. *num.* 4.

L. Cum aliquis. 21.

SUMMARIA

An in libertatem se asserere volens et litigans cum domino, si ab eo haereditatem adire jubeatur, cogi ad hoc possit? num. 1.
Deciditur per distinctionem. 2.
Relictum Monaco contemplatione sui, monasterio acquiritur. 3.
Lite pendente super uno articulo altera pars ad faciendum aliquid, quod tendit ad praejudicium litis, compelli non debet. 4.
An Legati donata sibi retinere, an vero principali suo restituere teneantur? 5.

Quaeritur, *An is, qui in libertatem se asserere vult, et cum Domino suo litigat, si jubeatur a Domino adire haereditatem, cogi possit?* Videtur quod non, ob *l.* 3. *C. de haered. instit. in fin.* Sed distinguendum, utrum simpliciter ille servus institutus nomine suo, an vero ita: *Servus Titii sit haeres*; Nam hoc casu, quia domini contemplatione institutus videtur, potest cogi non quidem absoluta necessitate, sed consequentia, nisi velit ferre poenam a judice infligendam. Sed si liber pronuncietur, cessat poena. In priori casu litis eventus expectandus, quia, si obtineat servus, sibi acquirere potest haereditatem, cum non videatur intuitu Domini putativi institutus; Si vero succumbat servus, domino acquirit haereditatem ex regula; quod servi omnia dominis acquirant. Collige: si quis, qui de libertate litigat, instituatur haeres tanquam servus Titii, cogetur adire sine praejudicio litis principalis, si vero simpliciter, expectabitur eventus litis, et quidem priori casu, licet pronuncietur liber, et postea adierit, tenetur tamen restituere sine deductione Trebellianicae, *l.* 45. §. *fin. ff. de acquir. haered. l.* 19. *ff. de acquir. rer. domin. Castr. hic num.* 1. *Donell. lib.* 9. *c.* 6. *lit. M.* Et exinde colligitur: Si Mo- 3
naco, contemplatione sui, quid relinquatur, id acquiri monasterio, licet id fiat praeter intentionem testatoris, *Castr. hic num.* 2. et notandum; lite pendente super uno articulo, non de- 4
bere alteram partem compelli ad faciendum aliquid, quod tendat in praejudicium litis, aut debet altera pars protestari, *Castr. hic, et Salycet. hic* etiam de quaestione: An Legati donata sibi 5
retinere, an vero principali suo restituere teneantur, et distinguit, an contemplatione civitatis, an vero personae Legati fuerit datum, et an antea persona Principi nota fuerit nec ne, de quo *Menoch. lib.* 3. *praes.* 27. *et Caeval. q.* 35. qui plures citat.

(margin numbers for the first paragraph: 1 beside "Quaeritur", 2 beside "servus institutus")

L. Scimus. ult.

SUMMARIA

Qui adiit haereditatem, aere alieno obstringitur etiam ultra haereditatis vires. num. 1.
Olim dabatur deliberandi tempus. 2.
Quo remedio olim ob aes alienum inopinatum minoribus pariter ac majoribus succurrebatur. 3.

Milites aditam haereditatem iterum repudiare possunt. 4.
Confecto Inventario tuto quis haereditatem adit. 5.
Triplex modus adeundi haereditatem. 6.
Quibusnam Inventarium non sit necessarium? 7.
Finis Inventarii quisnam? 8.
Quid si quis sine protestatione adeat haereditatem, et postea Inventarium conficiat? 9.
Etiam post aditam haereditatem Inventarium potest confici. 10.
Ritus circa Inventarii confectionem. 11. 13. 17. 19. *et seqq.*
Quo tempore inchoetur et intra quod absolvatur? 12.
An interdum et quando plures Notarii requirantur? 14.
An creditores sint praesentes et an nominatim citentur? 15.
Nulla obsignatione bonorum praecedente juramentum ab haeredibus requiritur. 16.
An subscriptio haeredis requiratur? 18.
Quid si haeres scribere nesciat, an Notarius subscribat, et quomodo? 20.
An praepositum Signum Crucis hodie observetur? 21.
Defectus solemnium, quae ad formam pertinent totum vitiat Inventarium. 22.
Secus in iis, quae ad materiam spectant. 23.
Hodie qualiscumque Inventarii defectus juramento suppletur. 24.
Interdum nec hoc juramentum est necessarium. 25.
An etiam aestimatio bonorum in Inventario sit facienda? 26.
Effectus solemnis Inventarii. 27.
Poena negligentiae. 28.
An omittendo Inventarium, in legitima sibi haeres praejudicet? 29.
An aliud quam quod in haereditate reperitur, creditoribus solvere teneatur? 30.
Quaenam creditoribus detur actio contra legatarios? 31.
Qui aliquo jure vult uti, uti debet cum omnibus qualitatibus. 32.
Quaenam haeres facto Inventario deducere possit? 33.
An sumptus in litigando facti sint deducendi? 34.
Creditor debitori succedens confusione debitum non amittit facto Inventario. 35.
Inventarium ponit haeredem in eum statum, in quo fuisset, si nunquam adiisset haereditatem. 36.
Haeres ipse sibi solvere, et rem in solutum accipere potest. 37.
Si non habet instrumentum crediti haeres, debitum per testes probari potest. 38.
An haeres alienata a defuncto recuperare queat? 39.
In dubio statur Inventario. 40.
Postulantibus creditoribus et legatariis hoc casu haeres jurare tenetur, et quomodo? 41.
An haeres haeredis liber ab hoc juramento? 42.
Praejudicium Facultatis Jurid. Francof. 43.
Creditores contrarium docere parati adhuc audiuntur. 44.
Haeres dolose hic versans, convictus duplum creditoribus restituat. 45.
Potest haeres bona haereditaria supprimere, licet omnes solemnitates observaverit. 46.
Quando juramentum haeredi deferri possit? 47.
Utrum haeres, qui unam rem subtraxit, amittat in totum Inventarii privilegium? 48.
Securior cautela est, si addatur in Inventario promissio de addendo, si aliquid reperiatur. 49.
Intra tempus ad confectionem Inventarii datum non potest haeres a creditoribus vel legatariis inquietari. 50.
Exceptiones remissive. 51.
Tempus agendi interim non currit creditoribus, ne actio temporalis citra creditoris culpam praescribatur. 52.
Quid in actione reali? 53.
Si ut possessor conveniatur, poterit etiam pendente confectione Inventarii conveniri. 54.
Inventarium solemne non conficiens intra datum tempus obligatur creditoribus in solidum. 55.
An damnum sentiat haeres ex rerum haereditariarum interitu? 56.
An haeres de fructibus rationem reddat? 57.
An beneficium, ne haeres ultra vires haereditatis teneatur, *etiam fideicommissario prosit?* 58.
Consuetudine quid obtineat? 59.
Pronunciatum Facultatis Francof. 60.
An tempus deliberandi petere hodie sit necessarium? 61.
Quodnam tempus deliberandi concedatur? 62.
Qui petiit deliberandi tempus, licet postea Inventarium confecerit et haereditatem adierit, tenetur creditoribus in solidum salva tamen sibi Falcidia. 63.
Si non confecit Inventarium, etiam Falcidiam perdit. 64.
Quid si haereditatem repudiaverit? 65.
An Trebellianicam perdat? 66.
Legibus prioribus per hanc legem derogatur. 67.
Milites tamen adhuc hodie, si Inventarium non confecerint, ultra vires haereditatis creditoribus non tenentur. 68.
Haeredes ad conficiendum Inventarium quando et a quibusdam interdum cogi possint? 69.

P*r.* Qui adiit haereditatem, is aere alieno ob- 1
stringitur, etiam ultra vires haereditatis, quare
olim dabatur tempus deliberandi, sed nihilo- 2
minus saepe praeter spem emergebat aes alie-
num, quo casu tamen non tantum minoribus, 3
per §. 5. *Inst. de haered. qual. et differ. l.* 7. §. *fin. ff. de minor. Sichard. in C. rub. h. t. num.* 13. sed et majoribus ob inopinatum aes alienum succurrebatur, d. §. 5. sed quia milites plus arma
sciunt, quam leges, ideo privilegii loco conce- 4
debatur militibus, ut etsi adiissent haereditatem, possent tamen iterum repudiare, sed generale
hoc loco beneficium est constitutum, quod est In- 5
ventarium, cujus beneficio quis adire haereditatem tuto potest, et tantum tenetur usque ad
vires haereditatis; Sic ergo triplex modus adeun- 6
di haereditatem: 1. sine deliberatione: 2. Petito spatio deliberandi: 3. Inventario facto.

§. 1. Non necessarium est Inventarium iis, qui 7
sciunt lucrosam esse haereditatem, atque adeo recta via adire volunt haereditatem, nec iis, qui
haereditatem ut damnosam repudiant, quia finis 8
Inventarii est, ne haeres ultra vires haereditatis obligetur creditoribus, quod neutro casu metuen-
dum, *Sich. in C. h. t. rubr. num.* 13. *Sed quid* 9
si sine protestatione adiit haereditatem, et postea Inventarium conficiat? Resp. Et tunc locum habere beneficium Inventarii, *Fach. l.* 6. *contr.*
28. ubi de communi testatur; Et sic etiam post 10
aditam haereditatem posse Inventarium confici tenet *Petr. Greg. l.* 46. *c.* 3. *num.* 10. *Barry l.* 11. *tit.* 10. *num.* 3. *Monticulus de Invent. c.* 8.

num. 4. quae sententia probatur ex verbis §. 2. *Sed adeat haereditatem, vel sese immisceat: omni tamen modo Inventarium ab eo conficiatur*, et in §. 13. ibi: *Sin vero postquam adierint, vel sese immiscuerint, praesentes vel absentes Inventarium facere distulerint etc.* Nam qui simpliciter adiit, hoc videtur in animo suo sibi proposuisse, ut cum Inventario adeat.

11 §§. 2. et 3. Ritus hic describitur Inventarii, et
12 quidem I. Tempus, scil. intra dies tringinta, postquam tabulae apertae, vel haeres sibi esse delatam haereditatem comperit, debet inchoari Inventarium et intra sexaginta dies alios absolvi, quod sufficit, licet intra 30. dies non fuerit inchoatum, *Sichard. in Cod. h. t. num.* 2. cum Imperator in §. 12. *hujus legis* unius temporis trimestris mentionem faciat, et omissio Inventarii in primo mense creditoribus non praejudicat, *Bl. Salyc. et alii hic, Valasc. t.* 1. *cons.* 52. *num.* 8. *Petr. Gregor. lib.* 46. *t.* 3. *num.* 9. *Guido Papae dec.* 571. *Spino in Speculo tit. de confect. Invent. num.* 26. *Molin. de J. et J. tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 218. *num.* 2. *Treutl. vol.* 2. *disp.* 12. *th.* 8. *lit. D.* si vero haeres absit, tunc intra annum a die mortis
13 defuncti computandum, §. 3. *h. l.* II. Conficiendum est a Tabulario, scil. Notario publico, quia unus sufficit, *Br. Bl. Salycet. Jas. in h.* §. 2. *et Sichard. num.* 18. *Bacchov. d. th.* 8. *lit. E.* nam in plurali loquitur Imperator de futuris pluribus
14 casibus, *Molin. d. l. num.* 7. Ut tamen interdum plures Notarii requirantur, si bona registranda in diversis Provinciis sita, quo casu ejusdem haereditatis nomine plura Inventaria confici pos-
15 sunt, *Mevius p.* 2. *dec.* 356. *num.* 23. praesentibus creditoribus et legatariis, *Nov.* 1. *c.* 2. §. 1. *Schneidew. in* §. *in extraneis Inst. de haered. qualit. et diff.* adeo ut, nisi citentur ii, quorum interest, respectu eorum non valeat Inventarium, *Menoch. cons.* 89. *num.* 138. *lib.* 1. *et Petr. Greg. d. l. et Fr. Barry lib.* 11. *tit.* 8. *num.* 6. Et quidem si certi sint creditores, citandi illi sunt nominatim, si incerti, per edictum, *Menoch. d. l. et Barry d. l.* quod apud Nos non memini factum, nam apud Nos quotidie non citatis creditoribus fieri videmus Inventaria, cum non requiratur a Justiniano expresse vocatio creditorum, sed ea exemplo legatariorum fuerit inducta, *Mevius p.* 2. *dec.* 356. *num.* 20. Sed nisi obsignatio bonorum prae-
16 cesserit, requiritur ab haeredibus juramentum, de quo post, sed testes etiam adhibendi, *Nov.* 1. *c.* 2. §. 1. et quidem haeredi noti, quod hic speciale, *Alex. in h.* §. 2. *num.* 9. *Sichard. num.* 23. *Schneidew. in* §. *in extraneis Inst. de haered. qual. et differ. num.* 13. Si vero legatarii et creditores sint absentes, ultra duos testes debent adhiberi tres alii testes, *d. Nov. Molin. d. l. num.* 8. III.
17 Res omnes in haereditate repertae debent inseri Inventario, et sic fit, ut etiam res aliena inseri possit, *Pruckm. vol.* 1. *cons.* 34. *num.* 106. *arg. l.* 19. *pr. ff. de pet. haered.* fructus etiam inserendi, potissimum, si res sit cum creditoribus, *Mant. de invent. c.* 6. *num.* 10. *Escobar. de ration. c.* 9. *num.* 76. Debent autem distincte describi per pondus, numerum et mensuram, quantitatem et qualitatem, *Escobar. d. l. num.* 67. *Barry d. l. num.* 12. Et Instrum. mentio facienda. *Quid si res quaedam sint omissae in Inventario?* Eleganter respondet per distinct. *Struv. synt.*
18 *jur. civil. exerc.* 33. *th.* 56. IV. Subscriptio debet fieri ab ipso haerede vel ejus Procuratore, *P. Gregor. d. t.* 3. *num.* 10. *Dilectus de test. tit.* 11. *caut.* 8. hoc modo, quod haec sit quantitas haereditatis, et quod dolo nullam rem reticuerit, quod jurato fieri debere apparet *ex Nov.* 1. *c.* 2. §. 1. quod tamen intelligo de casu delati a creditoribus juramenti. Sed nec subscriptio haeredis hodie necessaria, cum fides Notarii publici sufficiat, *Mevius p.* 2. *dec.* 356. *num.* 24. So- 19
let etiam addi praestatio, si quaedam inserta, quae non debuissent inseri, vel contra. Si au- 20
tem ipse haeres scribere non possit, pro eo Notarius publ. alius subscribat, *Molin. d. loc. num.* 20. praeposito Signo Crucis vel Invocatione Nominis Divini, *Struv. synt. jur. civil. exerc.* 33. *th.* 55. Sed de his requisitis notandum; Quod citatio creditorum et legatariorum, nec non Si- 21
gnum Crucis hodie non soleant observari, post *Bart. Bald. etc. hic Treutl. et Bacchov. d. disp. th.* 8. *lit. C. Valascus num.* 27. *Vasq. de success. creat.* §. 9. *num.* 12. *Barry d. l. num.* 10. *Molin. d. l. num.* 11. Deinde defectus eorum solemnium, 22
quae ad formam pertinent, vitiat totum Inventarium, eorum vero defectus, quae ad materiam 23
pertinent, non, v. g. si res omissa, totum Inventarium, alias solemne, non est nullum, *Menoch. lib.* 5. *cons.* 471. *num.* 21. *et seq.* Sed hodie 24
qualiscumque defectus Inventarii juramento suppletur, *Carpz. p.* 3. *const.* 33. *def.* 6. Interdum 25
nec juramentum necessarium, si requisitum deficiens non sit substantiale, sicut exemplum profert *Mevius p.* 2. *dec.* 356. ubi monet in Inventarii requisitis consuetudinem esse attendendam. *An etiam aestimatio bonorum in Inventario fa-* 26
cienda? Quod de Inventario affirmat *Roll. a Valle*, sed rectius negat *Molin. d. l. num.* 19. *Valasc. lib.* 1. *cons.* 52. *num.* 52. *Spino tit. de confect. Invent. num.* 35. *Mevius p.* 2. *d. decis.* 356. *num.* 29.

§§. 4. 5. 6. 7. et 8. Quando solemne Inven- 27
tarium haeres confecit, ultra vires haereditatis non tenetur. Hic est praecipuus effectus Inventarii. Et ideo, si Inventarium non fecit, sed de- 28
liberandi jus petiit, ultra vires haereditatis tenetur, non tantum creditoribus, sed etiam legatariis, *per Nov.* 1. *c.* 2. §. 2. quamvis etiam non confecto Inventario haeres in solidum in nonnullis casibus non teneatur, ut si creditores et legatarii fateantur, nihil amplius esse in bonis, de quo tamen possit dubitari, cum non utens hoc beneficio, in solidum videatur se obligare creditoribus, ex quasi contractu; sed potest responderi, non praesumi haeredem se obligare voluisse ultra vires haereditatis, quia obligasse se videtur haeres; Ergo non aliter quam quatenus haeres, et quatenus haereditas solvendo existit. Et sicut defunctus ultra vires non potuit obligari, ita nec haeres praesumitur se obligare voluisse. Item si testator prohibuerit, ne legata ultra vires haereditatis praestarentur, si defunctus juratam specificationem bonorum suorum ediderit, de quibus casibus aliisque *Mascard. concl.* 852. *Barry lib.* 11. *tit.* 9. *num.* 2. *et seqq. Caepoll. caut.* 7. *Matthesilan. sing.* 158. Et falcidia utitur, et ideo si Inventarium non fecerit, non habet salvam falcidiam, et sic proprie poenam in hac parte non substinet, sed beneficium juris amittit, *Hillig. in Don. lib.* 7. *c.* 3. *lit.* 2. Sane in 29
legitima omittendo Inventarium haeres sibi non praejudicat quoad legata, secus quoad credita patris, *arg. d. Nov.* 1. *c.* 3. §. 1. *vers. non autem excipimus*, *Guttierez de tutel. p.* 2.

c. 1. *num.* 43. *Roder. Suarez in repet. l. quoniam in prioribus ampl.* 7. *num.* 18. *C. de inoff. test. Covarr. in c. si haeredes num.* 9. *X. de test.* Nec vidua amittit illata ob non confectum Inventarium, si probabilis aliqua causa Inventarii, *Mev. p.* 3. *dec.* 327. quod etiam de omni causa, quae sine dolo est, intelligo, modo sit parata designationem bonorum quae in memo-
30 riam venerint, juramento confirmare. Nec aliud solvere tenetur creditoribus, quam quod in haereditate reperitur, §. 4. *h. l.* Et ideo res haereditarias deficiente pecunia dare potest creditoribus in solutum. Vid. *Fachin. lib.* 6. *contr.* 39. *Jas. in d.* §. 4. *Schneidew. in* §. *in extraneis Inst. de haered. qual. in fin. Surdus decis.* 30. *num.* 33. nec tenetur bona haereditaria solvere, nisi justo pretio, *Castr. in d.* §. 4. *num.* 5. *Valasc. d. l. num.* 39. *Monticulus c.* 9. *num.* 8. et potest nomina haereditaria dare in solutum, *Mantic. d. c.* 9. *num.* 30. *Barry d. l.* 11. *tit.* 9. *num.* 20. Et satisfacere potest creditoribus et legatariis, qui primi venerint, reservata tamen actione creditoribus, non adversum haeredem, qui bona fide creditoribus, vel legatariis solvit, nec contra emptorem rerum haereditariarum, §. 5.
31 *et* 8. *h. l.* Sed datur creditoribus actio hypothecaria vel condictio ex hac lege contra legatarios, cum omnes creditores legatariis praeferendi sint: Ratio in *l. non debet ff. de R. Jur.* vel contra creditores posteriores hypothecas priorum possidentes, Conf. *Barb. ad l.* 1. *p.* 6. *num.* 25. *ff. sol. matrim.* Et sic non est opus ad solutionem faciendam, ut citentur alii creditores *ex Baldo hic Sichard. num.* 9. Sed aliud dicendum, si haeres malitiose alium alii praetulerit, *Petr. Gregor. lib.* 46. *tit.* 3. *num.* 17. *Barry d. t.* 9. *num.* 21. Et si sciat haeres aes alienum vires patrimonii superare, ubi plures creditores esse constat, periculo suo primis venientibus solvet, *Mev. p.* 2. *dec.* 358. *num.* 4. Si autem cum conveniretur, et multo magis, si condemnatus alii solverit priori, sine suo periculo id faciet, *Ant. Fab. l.* 6. *tit.* 11. *def.* 33. Non autem amittit beneficium haeres, si aliquibus ultra bonorum vires solvit, *Mev. p.* 4. *dec.* 93. Sed quaeritur: *Quid si creditores haberent aequale jus?* Tunc unum contra alium posse agere ad communicandum pecuniam acceptam, *ex l.* 6. §. 2. *C. de bonis auctor. jud. possid.* tradit *Sichard. in d.* §. 4. *num.* 9. et sic legatario etiam contra legatarium actio competit, *Alex. in hoc* §. 4. *num.* 9.

32 *Ex* §§. 4. *et* 11. Colligunt regulam: Qui uti vult aliquo jure, uti debet cum omnibus qualitatibus, v. g. debet Inventarium ita facere, ut observanda observaverit, *Rimin. vol.* 2. *cons.* 161. *num.* 14.

33 §. 9. Facto Inventario, ea, quae ob funus defuncti aut confectionem Inventarii, vel in testamenti insinuationem, vel alias causas necessarias expensa sunt, tanquam aes alienum ex haeredi ate sunt deducenda. Quamvis enim fiant favore haeredis hi sumptus, quia tamen etiam favorem creditorum ex parte respiciunt, ut illi notas habeant vires facultatis, ideo merito his expensis privilegium tribuitur, *Carpz. p.* 3. *const.* 33. *def.* 17. Et has expensas refert *Cephal. cons.* 762. *num.* 29. *et seqq.* Alias autem expensas, in suam utilitatem factas, haeres non deducit, *Sich.*
34 *d. l. num.* 4. Huc pertinent etiam sumptus facti in litigando, pro defendenda haereditate, si haeres, qui defendit, sit in bona fide, *Sichard. hic num.* 5. *et Alex. num.* 3. Conf. *Fachin. lib.* 6. *contr.* 29. Et cum alias creditor, 35
suo debitori succedens, amittat confusione debitum, *l.* 21. §. 1. *ff. de lib. leg. l.* 1. *C. de haered. action.* id tamen facto Inventario non fit, sed haeres retinet debitum, si ei defunctus quid debuit, quia Inventarium retinet omnia jura, *Hartm. Pist. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 13. *num.* 15. *et q.* 14. *num.* 23. *Petr. Gregor. lib.* 46. *tit.* 3. *num.* 17. *Didac. Spino d. tr. et tit. de confect. Invent. num.* 43.
Et Inventarium ponit haeredem in eum statum, 36
in quo fuisset, si nunquam adivisset haereditatem, ex quo *hic Bald. num.* 4. *Sichard. num.* 3.
inferunt, haeredem sibi ipsi solvere et rem in 37
solutum accipere posse. Item si non habeat in- 38
strumentum crediti, ipsum posse debitum per testes probare, et posse haeredem ea, quae a 39
defuncto alienata sunt, recuperare eadem, si plus in re alienata amittat, quam in haereditate recuperat. Si vero habet cohaeredem, pro parte sua recuperare non potest. Vid. *Bald. Salyc. et Sichard. et caeteri hic et Valasc. d. cons.* 52. *num.* 44. *Rosenthal. de feudis c.* 9. *concl.* 71. *et seq. Barry lib.* 11. *tit.* 9. *num.* 4.

§. 10. In dubio statur Inventario, sic tamen, 40
ut postulantibus creditoribus et legatariis hae- 41
res jurare debeat, nihil se amplius scire, et quamvis haeredis haeredem ab hoc juramento 42
absolvant *Modest. Pistor. part.* 3. *q.* 176. *et ibi Schultes num.* 165. *et Dn. Carpz. d. const.* 33. *def.* 14. *lib.* 6. *respons.* 66. quia tamen est juramentum credulitatis, et alias dicendum esset, haeredem haeredis frui Inventarii beneficiis, cum tamen illud nullum sit, nisi juramento compleatur, et non potest aliter interdum consuli creditoribus, nec ille haeres primus, qui non juravit, statim in dolo est, et ipse *Modest. Pist.* contrarium pronunciatum esse refert, ideo in Facultate nostra Juridica, quoties 43
casus se obtulit, contrarium *Modest. Pist.* responderi solet, quod haeres haeredis juramentum credulitatis praestare teneatur. Quod si au- 44
tem creditores docere parati sint contrarium, audiendi sunt, si hoc probaverint, haeres autem 45
qui dolo, de quo *Barry d. l.* 11. *c.* 8. *num.* 13. reticuit, duplum restituere tenetur, sed ubi Inventarium est solemne, non exigi juramentum, sed tantum in subsidium vult, *Carpz. d. const.* 33. *def.* 8. *et* 9. Sed ea sententia procul dubio *huic* §. non convenit, qui de Inventario non solemni intelligi non potest. Et potest quis 46
bona haereditaria supprimere, licet omnes solemnitates observaverit; ideoque *Dn. Mevius p.* 6. *dec.* 216. videtur distinguere inter juramentum, quod 47
in defectum Inventarii in specificatione bonorum praestandum, et quod defertur haeredi, qui Inventarium fecit; sed super requisitis Inventarii lis est, ut illo casu non, sed hoc casu juramentum calumniae locum habeat, si ejus mentem recte assequutus sum. Sed *in p.* 4. *dec.* 92. videtur communem sententiam probare, quod ubi nullus defectus probari vel verosimiliter demonstrari potest, juramentum deferri non potest. Idem probat communem sententiam *part.* 6. *dec.* 59. Certe agonizante debitore aut mortuo antequam accersatur Notarius omnia consignaturus (quod requisitum Inventarii necessarium) multa pretiosa interverti possunt, et solent, ut testatur experientia, et hominum nequitia atque avaritia. Desiderarem hic deci-

48 sionem Principis. Sed quaer. *Utrum haeres, qui
unam rem subtraxit, amittat in totum privilegium
Inventarii?* Et sententia negans aequior videtur,
quod scil. haeres, qui duplum haereditati imputat,
beneficium Inventarii non amiserit, et *Nov.* 1. *cap.*
2. agit de eo, qui vel plane non, vel non rite fecit
Inventarium post *Jasonem hic Bacchov. in Tr.* 4.
49 *disput.* 14. *th.* 8. *lit. F.* Sed securior erit cautela,
si addatur promissio de addendo, si aliquid re-
periatur, *Caevall. q.* 731. *num.* 7. *Valasc. d. l.*
num. 16. Pro *Bacchovio* ea ratio militat, si hae-
res dolose omittendo rem aliquam, amittit be-
neficium Inventarii, nihil interierit creditorum
an duplum, an triplum, an quadruplum infe-
rat haeres, quia creditores suum consequeren-
tur. Conf. *Mevius p.* 2. *dec.* 356. *num.* 15.
50 §. 11. Intra tempus datum ad confectionem
Inventarii, non potest haeres a creditoribus vel
legatariis inquietari, *Guido Papae dec.* 571. *Dn.*
Mev. p. 5. *dec.* 354. *num.* 1. *Barry lib.* 11. *tit.* 9.
51 *num.* 23. ubi *in seqq.* Exceptiones tradit *Carpz.*
52 *p.* 3. *const.* 33. *d.* 6. *num.* 3. et inde tempus
agendi creditoribus interim non currit, ne actio
temporalis citra creditoris culpam praescribatur.
53 *Sed quid in actione reali?* Idem esse putat *Fa-*
54 *chin. l.* 6. *q.* 127. Sed si ut possessor convenia-
tur, poterit etiam pendente confectione Inven-
tarii conveniri juxta *Castr. hic et Vincent. de*
Franch. dec. 352. *Petr. Greg. d. tit.* 3. *num.* 20.
P. Peckius d. c. 4. *n.* 9. in causis piis etiam limitant,
Barry d. tit. 9. *num.* 24. *Ricc. dec. coll.* 463.
55 §. 12. Qui Inventarium solemne intra datum
tempus non conficit, si haereditatem adeat, obli-
56 gatur creditoribus in solidum. Sed *An damnum*
sentiet haeres ex interitu rerum haereditaria-
rum? Negat hoc *Fachin. lib.* 6. *contr.* 30. *P. Greg.*
d. c. 3. *num.* 17. *Barry d. tit.* 9. *num.* 22. *et*
Carpz. p. 2. *dec.* 160. a quibus tamen divortium
facit *Mev. p.* 2. *dec.* 357. Equidem distinctionem
adhiberem inter eum casum, si haeres in mora
solvendi fuit, an vero ante moram, ut illo casu
periculum sit haeredis, cum mora transferre
soleat periculum in morosum, posteriori casu
periculum sit creditorum, nam licet haeres sit
dominus et debeat certam quantitatem, debet
tamen ob res haereditarias et quatenus haeres
sit; licet fatear, *Mevii* opinionem juri videri esse
convenientiorem; si mei res esset arbitrii, casum
57 et periculum dividerem. Haeres autem de fru-
ctibus rationem reddere non tenetur, si ante
instantiam percepti, et non sit redditus locuple-
tior, *Escobar. de ratiocin. cap.* 9. *num.* 29. *Bar-*
58 *ry d. lib.* 11. *tit.* 9. *num.* 16. *et seq.* et hoc be-
neficium, ne haeres ultra vires haereditatis te-
neatur, etiam fideicommissario proderit, *Fachin.*
d. lib. 6. *contr.* 31. De consuetudine tamen cum 59
specificatione jurata etiam post illud tempus ad-
mittitur, *Carpz. d. const.* 3. *def.* 8. *et seq.* ut
saepe non tantum in Foro Saxonico, sed etiam 60
ubi jus civile viget, a nostra Facultate Juridica
pronunciatum memini.
§. 13. Non opus itaque est hodie tempus ad 61
deliberandum petere, sed si quis vana formidine
spatium deliberandi petat, id non nisi semel
concedendum est, et a Principe non amplius 62
anno, a judicibus non amplius novem mensibus,
si contra fiat, pro nihilo habendum, *Donell.*
lib. 7. *c.* 3. *post lit. B.*
§. 14. Qui petiit tempus ad deliberandum, li- 63
cet Inventarium postea fecerit et haereditatem
adierit (hoc autem et tunc fieri intelligitur,
quando expresse non repudiat) tenetur credi-
toribus in solidum, habet tamen salvam Falci-
diam; si vero Inventarium non confecerit, sed 64
tamen tempus ad deliberandum petierit, et ita
adierit haereditatem, sive expresse non repu-
diaverit, non tantum tenetur creditoribus in
solidum, sed et Falcidiam perdit. Si autem re- 65
pudiaverit haereditatem, tenetur res haeredita-
rias in Inventario prius descriptas restituere,
quod si non fiat juramento in litem, creditori-
bus permittitur quantitatem haereditatis expri-
mere cum moderatione tamen judicis; Trebel- 66
lianicam autem eum non perdere, qui Inventa-
rium non fecit, videtur esse communius rece-
ptum, et praxi Camerae Spir. conveniens, *Gail.*
l. 12. *obs.* 138. *Myns. cent.* 4. *obs.* 60. *Fachi-*
neus lib. 4. *c.* 38.
§. *ult.* Per *hanc l.* derogatur *legibus priori-* 67
bus, quarum in principio facta mentio, ut ho-
die tamen milites praerogativa quadam gau-
deant. Non enim tenentur creditoribus ultra vi- 68
res haereditatis, si Inventarium non confecerint.
Sed solent interdum haeredes vel possessores 69
haereditatum compelli ad conficiendum Inven-
tarium: 1. ab iis, qui haereditatem petierunt et
vicerunt, *Mevius part.* 2. *dec.* 20. - 2. a cohae-
rede: 3. a fideicommissariis, quibus ex die vel
sub conditione relicta fideicommissaria haere-
ditas: 4. quando filia renunciavit paternae hae-
reditati, mortuo tamen patre, potest petere
Inventarium a fratribus, ut videat, an in legi-
tima portione laesa sit, *Ant. Faber lib.* 3. *Cod.*
tit. 19. *def.* 33. *num.* 3.
Non vero compellendus frater ad editionem
Inventarii, quando soror instituta a patre, post
ejus mortem certam pecuniae summam stipu-
lata est, et haereditatem totam in manus fra-
tris resignavit, quia haec de laesione legitimae
queri non potest, *Mevius p.* 2. *dec.* 292.

TITULUS XXXI.

De repudianda vel abstinenda haereditate.

L. Si paterna. 1.

SUMMARIA

An filius habitans in aede patris hoc ipso facto pro haerede se gerat? num. 1.
Ampliatur. 2.
Limitatur ampliatio. 3.
Filius in dubio ut haeres aedes paternas inhabitare praesumitur. 4.
Contra liberos bona haereditaria tenentes, nisi ipso actu abstineant, ut haeredes, agitur et proceditur. 5.
Nisi contrarium probaverint. 6.
Exemplis illustratur. 7.
Haeres communem domum inhabitans, nisi ultra progressus, quam communis usus postulat, haeres esse non videtur. 8.

1 Filius in aedibus parentis habitat, Quaeritur;
An ipso hoc facto pro haerede se gerat? Quod
affirm. *l.* 1. *et l.* 29. *ff. de acquir. haered. Gail.*
2 *lib.* 2. *obs.* 128. *num.* 12. quod extenditur, licet
haeres vel filius prius repudiasset vel se absti-
nuisset haereditate, et postea inhabitasset, nam
per subsecutam inhabitationem praesumitur re-
vocasse abstentionem, *Valasc. in praxi partit.
c.* 15. *num.* 15. *Fr. Barry l.* 11. *t.* 3. *num.* 10.
3 nisi appareat custodiae gratia id fecisse, *l.* 1.
4 *h. tit.* v. g. si protestatus fuerit. Ergo filius in
dubio praesumitur ut haeres inhabitare aedes
5 paternas; Et ideo contra liberos bona haeredi-
taria tenentes, nisi ipso actu abstineant, ut
haeredes, agitur et proceditur, *Mev. p.* 2. *dec.* 142.
6 nisi contrarium probaverit, v. g. Si dicat
7 matrem suam intulisse dotem, et sic loco ma-
tris se aedes illas inhabitare, *Menoch. lib.* 4. *praes.*
101. *num.* 34. *et seqq. Mascard. concl.* 44. *num.*
22. *Mantic. de conject. lib.* 12. *tit.* 10. *num.* 16.
Barry d. tit. 3. *num.* 10. Vel nisi praesumptio
ex possessione haereditariarum rerum orta per
contrariam praesumptionem elidatur, nam ex pos-
sessione tantum praesumptio, non vero plena pro-
batio immixtionis sumitur, et in re dubia statur
declarationi quid facientis, et praesumitur causa
utilior possidenti, et maxime cessat haec prae-
sumptio in haereditate damnosa; sicut haec plu-
ribus persequitur *Mevius p.* 1. *dec.* 72. Nam sicut
ipsa vidua inhabitans aedes mariti non videtur
id animo haeredis facere, sed retentionis fine,
Mascard. d. concl. 41. *num.* 23. ita nec haeres
matris filius praesumitur haeredis animo id fe-
cisse, si alia intentio accipi possit, *Menoch. l.* 4.
8 *praesumpt.* 101. *num.* 34. Ita si communem do-
mum inhabitat haeres, non videtur haeres esse,
nisi ulterius progressus fuerit, quam usus com-
munis postulat, *Mascard. d. concl.* 44. *num.* 27.

L. Si paterna. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ubi alius apparet titulus, aditio haereditatis non praesumitur. 2.
Juramentum hoc loco haeredi solet imponi. 3.
Si priores creditores fundum mihi vendant, non possum conveniri actione hypothecaria a posterioribus creditoribus, sed me defendere possum hac lege. 4.
Modo venditio facta fuerit bona fide, justo pretio et maxime sub hasta. 5.

1 Si filius abstinuit se haereditate paterna, et bo-
na paterna emit a creditoribus, Quaer. *An a
creditoribus posterioribus ut haeres conveniri
possit?* Quod negatur *in l.* 2. *h. t.* si bona fide
emit, i. e. non per interpositam personam, *l.*
91. §. 1. *ff. de acquir. haered. Donell. l.* 7. *c.* 26.
Mascard. concl. 45. *num.* 26. quod de fraude
intelligo et de dolo, si in praejudicium alterius
2 tendat haec simulatio. Quia ubi alius titulus ap-
paret, aditio haereditatis non praesumitur, *Masc.
d. concl.* 45. *num.* 32. Et quia hac de re dubium
3 occurrere solet, committi hoc solet juramento
haeredis, *Masc. d. num.* 32. *Mantic. lib.* 12. *t.* 12.
num. 26. *et num.* 28. *Ex hac l.* 2. probarem;
4 Si priores creditores mihi fundum vendant, me
non posse conveniri actione hypothecaria a po-
sterioribus creditoribus, sed me posse defendi
hac lege, quia succedo in locum anteriorum hy-
pothecariorum, quorum jure me tueor contra
posteriores; modo venditio fuerit facta bona fide, 5
justo pretio, maxime sub hasta. Nam eo casu
extinguuntur hypothecae posteriores. Quod no-
tandum: nam de hoc aliquando disputatum me-
mini.

L. Suus haeres. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Transactio nullo dato non valet. 2.
Transactio invalida neque etiam ut pactum valet. 3.
Haereditas semel adita non nisi a minore repudiari potest. 4.
An et quatenus hodie transactio nullo dato valeat? 5.
An haeres aditam haereditatem ob beneficium Inventarii repudiare iterum possit? 6.
Sententia Auctoris de hac quaestione? 7.

Pater in testam. praeterit filium, hic nullum 1
dicit esse testamentum, et propterea ab inte-
stato praesumitur adire haereditatem paternam.
Unde colligunt: Eum, qui dicit testam. nullum
adire haereditatem ab intestato. Sed postea tran-
sigit cum scripto haerede, et renunciat haere-
ditati paternae nullo accepto; Quaer; *An haec
renunciatio valeat?* Videtur quod sic, ob *l.* 4.
supr. de pact. Sed hic Neg. tum quia semel agno-
vit successionem paternorum bonorum, et ideo
repudiare nequit, tum quia transactio nullo 2
dato non valet, *l.* 38. *supr. de transact.* Colli-
ge: transactionem invalidam, non etiam valere 3
ut pactum, et haereditatem semel aditam re- 4
pudiari non posse nisi a minore, *l.* 3. §. 2. *ff.
de minor. Fr. Barry de success. l.* 11. *t.* 23. *num.* 5.
Verum hodie, ubi pacta quaevis considerate ini- 5
ta valent, non dubito, quin transactio nullo dato
omnino valeat in vim pacti liberatorii. Sed nec
renunciatio haec nec ipsa transactio cum hae-
rede scripto facta, praejudicat tertio sc. credi-
toribus, cum quibus sano sensu semel quasi
contraxit, nec legatariis. Sed Quaer. *An etiam* 6
*haeres aditam haereditatem ob beneficium In-
ventarii repudiare iterum possit?* Hoc novissime
affirmavit *Dn. Carpz. dec.* 25. Sed de hac sen- 7
tentia dubitavi, nam quod suum salvum habet
debitum, non habet beneficium repudiationis,
sed Inventarii, et habet locum hic effectus, li-
cet haereditas nunquam repudiata et Inventa-
rium a damno liberat haeredem, non a mole-
stia, et ita semper post multos annos semel adi-
ta, posset repudiari etc. nec verba *in l. fin.* §. 1.
tit. praeced. ut non postea eam repudiet a
contrario sensu operantur contra manifestam juris
regulam. Et sane de hoc effectu ne verbulum qui-
dem habetur *in d. l.* ubi tamen amplissime hac
de re agitur, et ita noceretur creditoribus, qui-
bus solutio protelaretur, et alius curator bono-
rum constituendus esset, sed fateor aliquem co-
lorem huic sententiae accedere *ex l. ult.* §. 13.
supra de jure delib. et huic sententiae accedit
etiam *Mevius p.* 2. *dec.* 358. *num.* 7.

L. Sicut major. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Confessus in jure pro judicato habetur. 2.
Haereditas semel a majorenni adita ne quidem in judicio potest repudiari. 3.
Actus per se invalidus etiamsi in judicio fiat, tamen est invalidus. 4.
Objectio diluitur. 5.
In praejudicium creditorum haereditas semel adita repudiari nequit. 6.
Si res est integra, poterit delata nondum tamen adita haereditas repudiari. 7.

1 Filius major 25. annis agnoverat haereditatem paternam, quam postea in judicio repudiat, Quaer. *An sibi praejudicet?* Videtur quod Sic,
2 ob *l.* 4. *supr. de pact.* et quia confessus in jure pro judicato (condemnato) habetur, *l.* 56. *ff. de re judic. l.* 6. *ff. de confess.* Sed Neg. quia aliud est, si repudiatio fiat in gratiam alterius, v. g. adversarii, cui per pactum remittimus actionem, ut *in d. l.* 4. aliud si repudiatio fiat in alterius, cum quo semel vere vel quasi contraxit,
3 praejudicium, et sic fiat invalide. Nam semel adita haereditas a majorenni, ne quidem in judicio repudiari potest, *Sichard. in C. h. t. ad ru-*
4 *br. num.* 2. Actus enim per se invalidus, etiamsi in judicio fiat, invalidus tamen est, quod *ex hac*
5 *lege* probant. Nec obstat regula: Quod confessus in judicio pro judicato habendus sit. Nam haec regula pertinet ad debita, si certam quantitatem me debere fatear, sed non pertinet ad repudiationes, quae ne quidem in judicio fieri possunt
6 in praejudicium aliorum. Unde colligo: In praejudicium creditorum, haereditatem semel aditam, repudiari non posse, ex quo superior sen-
7 tentia probari potest. Sane si res sit integra, poterit etiam delata, sed nondum adita haereditas repudiari, *Covar. ad c. Raynald.* §. 3. *num.* 30. *Franc. Barry lib.* 11. *tit.* 23. *num.* 3.

L. Pupillorum. 5.

SUMMARIA

Pupillo delatam haereditatem absque tutoris auctoritate repudiare non competit. num. 1.
Qui non potest acquirere, neque etiam potest repudiare. 2.

Pupillus non potest delatam haereditatem re- 1
pudiare absque tutoris auctoritate. Nam qui non 2
potest acquirere haereditatem, is etiam non potest repudiare, *l.* 4. *et l.* 18. *ff. de acq. haered. ibique Auctor*, atqui pupillus, tutoris auctoritate destitutus acquirere non potest, *ll.* 8. 9. *et* 49. *ff. d. tit. ibique Auctor num.* 1. Ergo nec repudiare.

L. Si quis. ult.

SUMMARIA

An extraneus repudians haereditatem eam postea adire possit? num. 1.
Deciditur per distinctionem. 2.
An lex haec abroget l. 24. §. 2. ff. de minoribus. 3.
Conciliatio harum legum. 4.
Communis sententia. 5.

Repudians haereditatem (qualis is non est, qui 1
negat se haeredem esse per notata *ad l.* 95. *ff. h. tit.*) eam postea adire nequit, scil. Extraneus, in suis alia est ratio. Nam in his distinguendum, 2
an haereditas adhuc sit integra, an vero bona haereditaria distracta? Illo casu, si filius est minorennis intra minorennem aetatem semper, post eam intra integrum septennium potest restitutionem petere, si vero est majorennis, intra triennium haereditatem repudiatam adire potest. Sed posteriori casu majorennis plane adire nequit, minor potest restitutionem petere *per l. hanc,* quae ideo *l.* 24. 3
§. 2. *ff. de min.* abrogare dicitur *a Donello l.* 7. *c.* 2. cui ibidem contradicitur *ab Hillig. lit. Aa.* qui *hanc legem* de suo, *legem* vero dictam. 24. *ff. de min.* de extraneo loqui dicit. Aliter 4
istas leges conciliat *Sfortia Oddus de restit. q.* 63. *art.* 2. *Bacchov. in Tr. vol.* 1. *disp.* 11. *th.* 10. *lit. B. Idem ad l.* 4. *Pand. c.* 3. *tit. quibus casibus et contra quos detur restitutio.* Sed *an haec lex ult. hodie ad emancipatos pertineat?* Communis videtur sententia negans. Vid. *Hier.* 5
de Caevall. q. 627. *Ant. de Padilla in l.* 3. *C. de juris et facti ignor. num.* 10. *et seqq.* nam quamvis in successione ab intestato discrimen hoc abolitum, tamen non juxta omnes qualitates.

TITULUS XXXII.

Quemadmodum testamenta aperiantur, inspiciantur et describantur.

LL. 1. 2. et ult.

SUMMARIA

Distinguitur inter publicationem et aperturam testamenti. num. 1.
Quid utraque sit? 2.
Quaenam haeres institutus vel ab intestato vel legatarius circa testamenti clausi aperitionem gnaviter observare debeat? 3.
Quaenam testamenta ab hac necessitate eximantur? 4.
Rarius cur hodie fiant publicationes ejusmodi? 5.
Utilis etiamnum est haec cautela ob periculum amissionis. 6.
Quid si testes sint mortui vel aliqui vel unus, an corruat testamentum? 7.
Quando simplex tantum apertura non solemnis fieri soleat? 8.

1 Distinguendum est hic inter publicationem et aperturam testamenti, *Sichard. h. t. num.* 5. Illa
2 est quando testamentum manu privata scriptum, in formam publicam redigitur eo fine, ut tali testam. plena fides adhibeatur, etiamsi testatores moriantur; Sed apertura est ad petitionem ejus, qui interesse praetendit, inspectio et descriptionis concessio, *Hart. Pist. obs.* 199. *num.* 1. *et* 17. qui in eam refert etiam *Rol. a Valle vol.* 1. *cons.* 36. *Pruckm. v.* 1. *cons.* 48. *in pr. et praeter eos Sichard. ad l. publicati* 2. *num.* 11. *C. de test. Reusn. de test. p.* 7. *c.* 3. *et* 4. Quando
3 ergo testamentum clausum est, potest haeres institutus, vel ab intestato, vel legatarius petere, ut aperiatur, et ob futuros casus potest desiderare, ut in judicio publicetur coram judice competente, scil. sub cujus jurisdictione testator vixit, vel quo testator fieri mandavit, *l.* 2. *h. t.* et debet fieri juxta mores et statuta loci, ubi publicandum est, *d. l.* 2. et quidem debent citari ii, qui interesse habent haeredes et legatarii, si sciantur, et si conveniant, quaerat judex, si non publice notorium sit, testatorem mortuum esse, an testator mortuus sit, demum aperiendae sunt tabulae testibus praesentibus, qui subsignarunt, ut recognoscant sua sigilla, *l.* 4. *et* 5. *ff. h. t.* ut constet de identitate scripturae, cum facile una alterius loco supponi possit et submitti, *Menoch. lib.* 7. *cons.* 639. *num.* 15. et recognitio illa debet esse jurata, *Dauth. in l.* 2. *C. de testam. num.* 5. et citari etiam debent illi, quorum interest, praesertim qui ab intestato alias successuri erant, *Menoch. d. l. num.* 16. *Hondedaeus l.* 2. *cons.* 26. Et si certi sint specialiter, si incerti generaliter citandi, *Dauth. in l.* 2. *C. de testam.* Et si testes absint, in aliorum virorum honestorum praesentia testam. describendum, atque iterum obsignandum, *l.* 7. *in fin. ff. h. t. ac l.* 2. *h. t. Vasq. de success. resol. l.* 2. §. 17. *num.* 1. *Barry l.* 11. *tit.* 1. *n.* 2. eaque res expediri non tantum potest coram Tribunali, sed etiam per libellum supplicem, *l.* 2. *h. t.* Eadem ratio codicillorum clausorum, *l. fin. h.*
4 *t.* Sed ab hac necessitate exempta sunt 1. Testamenta apud Principem facta: 2. Apud acta: 3. Facta adhibito Notario de quo ultimo licet multis disputet *Gilken. ad l.* 2. *C. de testam.* recepta tamen ea est sententia, teste *Dauth. de testam. n.* 451. *Covarruv. in c. cum esses* 10. *num.* 2. *X. de testam. Pruckm. d. cons.* 48. *num.* 8. sive testamentum sit in scriptis sive nuncupativum, *Sich. ad d. l. publicati* 2. *num.* 1. *Pruckman.*
5 *d. l. num.* 9. Et quia hodie plerumque apud acta vel Notarium conficiuntur testamenta, rarius fiunt solemniter publicationes, *Hartm. Pist.*
6 *d. l. num.* 11. utilis tamen etiamnum est ad cautelam et ob periculum amissionis, *Dauth. ad d. l.* 2. *num.* 9. Sed *quid si testes essent mortui* 7
vel aliqui vel unus? Respondent communiter *DD.* corruere testamentum, *Vasq. d.* §. 17. *num.* 8. *Grassus* §. *testament. quaest.* 80. *Barry d. l. num.* 2. de qua tamen opinione, si magis ex legibus, quam opinionibus judicare velimus, valde dubito cum *Duareno in tit. testamenta quemadm. aperiantur cap.* 4. et quos citat *Hillig. lib.* 7. *cap.* 5. *lit. C.* nam *cap.* 2. *X. de fid. instrum.* Juri Civili hic in Imperio non derogaret, et de aliis instrumentis loquitur et ob *l.* 1. §. *ult. ff. testam. quemadm. aper.* ubi ex negatione unius sigilli suspectum fit testamentum, et probatur contraria sententia *l. fin. tit. seq.* et differentia inter possessoria et petitoria hoc in puncto nondum est probata. Interdum et simplicem 8
et non solemnem aperturam fieri moris est, ad alicujus interesse habentis instantiam, eo fine, ut particula illa, quae ipsum petentem concernit, ipsi communicetur: et postea idem testamentum denuo obsignetur, de quo forte casu *l.* 2. loquitur et *Barry d. l. num.* 3.

L. Ejus. 3.

SUMMARIA

Editionem tabularum testamenti alteri, qui interesse praetendit, edere nemo tenetur, nisi juret, se non calumniae causa id petere. num. 1.
Exceptiones tres. 2.

Quando habeo tabulas testamenti, quarum 1
editionem tu postulas, et tuum interesse dicis, non aliter teneor tibi eas edere, nisi jures, te non calumniae causa id petere. Sed excipe I. 2
tempus testam. scripti, quod publicandum non est, quia cognito tempore facile aliud testamentum adstrueretur, quasi idem esset cum vero, sicut etiam alias instrumenta, quorum editio ante litem contestatam instructionis, non probationis causa petitur, sine die et Consule edi solent, *l.* 1. §. 1. *ff. de edendo.* II. Ea pars testamenti non est publicanda, quam testator aperire prohibuit expresse vel tacite, v. g. Si pupillares tabulas separatim scripserit et clauserit, nam licet publicatio non sit prohibita, non tamen est tentanda ante mortem pupilli sine justa causa, *l.* 8. *ff. h. t. Barry d. t.* 1. *num.* 1. III. Ad ignominiam alicujus scripta, *l.* 3. *h. t.*

TITULUS XXXIII.

De edicto Divi Hadriani tollendo, et quemadmodum scriptus haeres in possessionem mittatur.

SUMMARIA

Tres viae, quae testamento aperto ad bonorum possessionem consequendam haeredi sunt constitutae. num. 1.
Edictum Hadriani quidnam sanxerit? 2.
Abrogatum est hoc Edictum constitutione Justiniani. 3.
Hodie intra 30. *annos haeres et haeredis haeres coram judice competente, cui scilicet haereditas subjecta, testamentum scriptum carens omni vitio offerre potest.* 4.
Actio personalis coram judice competente, actio vero realis coram judice rei sitae est instituenda. 5.
Quaenam rasura vitiet testamentum? 6.
An locum habeant dicta in testamento judiciali? 7.
An in imperfecto, suo tamen genere perfecto? 8.
An etiam in codicillis? 9.
An in testamento nuncupativo a Notario in scripturam redacto? 10.
An in nuncupativo in scripturam non redacto? 11.
An hoc beneficium competat etiam fideicommissario universali? 12.
Verbali restitutione facta, omnia jura tam activa quam passiva ad haeredes transeunt. 13.
Secus in reali. 14.
Contra quem detur hoc remedium? 15.
An etiam detur ob invisibile vitium v. g. incapacitatis testatoris? 16.
An detur substituto? 17.
An locus sit huic legi in feudis haereditariis? 18.
Quatenus haeredi competat hoc remedium? 19.
An illi quoque detur, qui possessionem propria auctoritate est adeptus? 20.
An legatario? 21.
Jus detractionis ab haereditate est abolitum. 22.
Contraria obtinet consuetudo. 23.
Quindena hodie de bonis alio transferendis solet detrahi. 21.
Plura de hoc remedio remissive. 25.

1 Testamento aperto ad bonorum possessionem consequendam tres viae constitutae sunt haeredi: I. Petitio haereditatis: II. Interdictum Quo-
2 rum Bonorum: III. Edictum Hadriani, quo intra annum dabatur possessio scripto haeredi et aperiendae erant tabulae statim post mortem testatoris, ne qua fieret mora vicesimae haeredi-
3 tatis, *Sichard. in C. h. t.* sed abrogato hoc edicto et sublata illa vicesima ex constitutione Ju-
4 stiniani in *l. fin. h.t.* non intra annum, sed 30. annos haeres in testamento scriptus vel scripti haeres et sic etiam haeres, quia vere testatoris haeres, *l. ult. C. de haered. instit. Noalis de transm. cas.* 39. *num.* 1. *Men. rem.* 4. *adipisc. poss. num.* 236. vel etiam executor testamenti, *Thes. lib.* 3. *q.* 9. *Klock. vol.* 3. *cons.* 123. *num.* 3. et pater nomine filii *Klock. d. cons.* 123. *num.* 7. coram judice competente, (unde probare solent licet ex statuto executive agatur, licet etiam bona hic situata, quod tamen actio personalis coram ju- 5
dice competente, actio vero realis coram judice rei sitae instituenda, *Dn. Mev. p.* 5. *dec.* 395.) cui scilicet haereditas subjecta, offerre potest scriptum testam. quod careat omni vitio, quod quidem sub sensum cadat, v. g. Sine rasura vel cancellatione, si tamen rasura non sit 6
in loco suspecto nec substantiali, hoc vitium non impedire remedium hujus *legis fin.* volunt *DD.* comm. *Grass. §. transmissio q.* 13. *num.* 14. *Menoch. remed.* 4. *adipisc. poss. num.* 709. ubi id pluribus exemplis probat *Achilles Personalis in tr. de adipisc. poss. ex hac l. finali de edicto D. Hadr. toll. num.* 123. *et seq.* Nec nocebit rasura, si ab ipso Notario facta, et bene correcta et sensus bene possit percipi, *Menoch. d. l. num.* 721. *Personal. d. l. num.* 135. quamvis autem de instrumento scripto hic dicatur, locum tamen etiam habet in testamento judi- 7
ciali, si modo insinuatio judici facta bene doceatur, *Carpz. lib.* 6. *resp.* 19. Et locum habet 8
etiam in testamento imperfecto, si modo in suo genere pro testamento perfecto habeatur, ut in testamento inter liberos, *Menoch. d. l. num.* 312. *Hartm. Pist. p.* 4. *q.* 10. *num.* 2. Imo etiam in 9
codicillis id locum habere, eo quod appellatione testamenti et codicillus contineatur, volunt *Personalis num.* 189. et *Dn. Carpz. p.* 3. *const.* 5. *def.* 18. *num.* 3. *et lib.* 6. *resp.* 20. *num.* 5. *et Menoch. num.* 192. cui tamen post *Angelum et Salycet. hic* sententia haec merito suspecta videtur, nec datur haeredi ab intestato, ut omnes velle dicit *Cephal. cons.* 4. *num.* 34. *et cons.* 152. *num.* 31. et locum habet *haec lex* etiam in 10
testamento nuncupativo a Notario in scripturam redacto, quia alias rarus esset hujus usus, *Menoch. d. l. num.* 91. *Carpz. lib.* 6. *resp.* 20. *num.* 3. *Person. d. l. num.* 169. *Bacchov. in Tr. v.* 5. *disp.* 25. *th.* 1. *lit. L.* quin et in nuncupativo in 11
scripturam non redacto, idem esse volunt, si testes examinati et eorum dicta publicata, *Men. num.* 96. vel si contradictor fateatur, me esse institutum, *Menoch. num.* 120. Et hoc beneficium 12
competit enim fideicommissario universali, postquam ipsi verbaliter restituta haereditas, nam ante verbalem restitutionem ei nullum jus competit in haereditate, *arg. l.* 37. *et* 63. *ff. ad SC. Trebell.* Verbali autem restitutione facta transeunt omnia 13
jura activa et passiva in fideicommissarium, *d. l.* 63. *Menoch. d. l. num.* 17. *et* 18. *Pereg. de fideicom. art.* 48. *num.* 5. *et seqq. Bacchov. d. th.* 1. *lit. L. Cephal. cons.* 377. *num.* 13. Sed rea- 14
li restitutione facta, non potest fideicommissarius uti hoc remedio, nisi pro majori confirmatione possessionis jam adeptae, *arg. l.* 3. §. 13.

ff. et l. 1. *C. de Carb. Edict. Peregr. d. l. num.* 11. *Menoch. d. num.* 180. *et* 24. *Cothm. vol.* 5. *cons.* 17. *num.* 6. *Berous cons.* 56. *num.* 2. *vol.* 2. et potest petere, ut per publicas personas mittatur in possessionem rerum haereditariarum, omissa omni quaestione, an testamentum verum vel falsum? an jure valeat vel non? an defunctus fuerit servus vel non? Rejiciuntur enim omnes exceptiones altiorem indaginem requirentes, et quae in continenti, id est, in brevi spatio a judice statuendo, liquidari non possunt, Vide *Menoch. lib.* 2. *cent.* 1. *cas.* 12. Secus si possessor exceptiones suas in continenti probare
15 velit, *Ceph. d. cons.* 4. *num.* 16. idque adversus omnes haereditariarum rerum possessores, seu titulo universali, seu singulari res haereditarias possideant, modo res fuerint in bonis defunctis tempore mortis illius, *Menoch. cons.* 735. *num.* 29. et de titulo ac jure possessoris constet, *Ceph. cons.* 715. *num.* 1. Sed si constet, nullum jus contradictori competere, nec ejus citatio necessaria, *Thes. l.* 2. *q.* 96. *num.* 4. Et si a contrario constat, dispositionem pugnare cum constitutione legis, repellitur haeres, *Cothm. vol.* 3. *cons.* 45. *num.* 124. nisi aliter aliud testamentum proferat ejusdem juris, ubi Judicis est determinare, cujus testamentum sit potius, atque ideo si institutus et substitutus concurrant, ille praeferendus, quia gradu est
16 potior. Sed Quaeritur: *An etiam ob invisibile vitium, v. g. praeteritionis liberorum, incapacitatis testatoris vel haeredis nunquam possit dari hoc remedium?* Et Resp. tunc dari, si ex eodem testamento, vel alio instrumento in continenti hoc demonstrari possit, *Menoch. d. l. num.* 729. *et num.* 759. *Hartmann. Pist. d. l. num.* 13. *et* 19. *Schrader. in Miscell. cap.* 9. De eo non est dubium, quin Substituto etiam detur 17
eveniente casu, quia vere institutus, *l.* 70. *ff. de V. S. Menoch. d. l. num.* 206. *et seqq. Personalis d. tr. num.* 185. *Bacchov. d. l.* In feudis 18
etiam haereditariis locum tribuit huic legi *Menoch. cons.* 503. *num.* 18. non vero in donatione locum habet, *Menoch. cons.* 735. *num.* 30. Et competit hoc remedium haeredi, si in re certa 19
institutus sit, et alias pro legatario habeatur, *Tiraquel. in tr. le mort saisit. etc. p.* 2. *declar.* 4. *num.* 12. *Cephal. cons.* 369. *num.* 145. Et competit filiae unicae in feudis contra agnatos, *Cephal. cons.* 387. *num.* 10. *Thes. lib.* 1. *p.* 11. *per totam.* Imo datur etiam illi haeredi, qui propria auctoritate 20
adeptus est possessionem, ut suam possessionem judiciali auctoritate confirmet, *Klock. vol.* 2. *cons.* 7. *num.* 661. ubi plures *DD.* allegat, sicut et immisso datur, *Klock. vol.* 3. *cons.* 107. *num.* 8. et legatario dari vult *Finckelth. obs.* 121. *per* 21
tot. licet dissentiat *Dn. Mev. p.* 1. *d.* 97. nam aequius est, si detur legatario, qui testamentum liquidum pro se habet, quod tamen intelligo, si haeres tergiversetur. Probatur etiam *ex hac* 22
l. Jus detractionis ab haereditate esse abolitum, adeo ut non liceat Fisco vel Magistratui quotitativam vel certam aliquam partem ab haereditate detrahere, quamvis contrarium interdum 23
consuetudine receptum, *Carpzov. part.* 3. *c.* 38. *defens.* 19. apud Nos de bonis alio transferen- 24
dis quindena dari solet Magistratui. Plura de 25
hoc remedio habet *Menoch. dict. remed.* 4. *adipisc. posses.* ubi fuse satis et nervose hoc beneficium *legis ultim. h. tit.* utilissimum petractat, et *Personalis dict. tract. et Carpzov. lib.* 6. *resp.* 19, *et* 20.

TITULUS XXXIV.

Si quis aliquem testari prohibuerit, aut coegerit.

L. Civili. 1. et L. Eos. 2.

SUMMARIA

Defunctum testari qui prohibet, vel qui, se ut haeredem instituat, testatorem cogit, istis denegantur actiones haereditariae. num. 1.
Quatenus posteriori casu Fiscus succedat? 2. 4.
Testamentum ab alio arbitrio pendere non debet. 3.
Sententiae communi renunciatur. 5.

1 Qui legitimam sperat successionem et defunctum prohibuit, quo minus testaretur, *l.* 2. *h. t. Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. aut qui testatorem cogit, ut se haeredem instituat, *l.* 1. *h. t.* illis denegantur haereditariae actiones, et suc-
2 cedit in posteriori casu Fiscus quatenus scilicet ille haeres fuit, *l.* 1. *ff. h. t. Struv. synt. jur. civ. exerc.* 34. *th.* 51. 52. cum ille laedat jus publicum,
3 *l.* 3. *ff. de testam.* et testamentum non debeat
4 pendere ab alio arbitrio. Sed quod hic de Fisco dicitur, quamvis communiter ad utrumque casum extendatur, *Peregr. de jur. Fisci lib.* 2. *tit.* 6. *num.* 4. *et* 5. *Colleg. Argent. h. t. th.* 8. *Menoch. lib.* 2. *arb. quaest. cas.* 395. *num.* 5. *et seq.* melius tamen restringitur ad eum casum, quando quis testatorem, quo minus testaretur, prohibuit. Nam *l.* 1. *ff. h. t. et l.* 2. *h. t.* de prohibitione loquitur, et in *l.* 1. *h. t.* quae de compulsione loquitur, nihil dicitur de Fisco, nec est eadem ratio in prohibente et cogente, et in casu coactionis testamentum est ipso jure nullum, *l.* 20. §. *fin. ff. de testam.* et sic sententiae com- 5
muni merito renunciamus, et hoc casu nullum Fisco locum relinquimus, cum praesertim in casu dubio contra Fiscum pronunciandum sit, et firmiter ita sentit cum *Jasone hic num.* 3. *Barry lib.* 1. *tit.* 9. *num.* 10. *Carpz. p.* 3. *const.* 5. *def.* 16. Vid. *Vasquius de success. creat.* §. 17. *num.* 5. *et Bacchov. in Wesenb. ϖ. h. t.* ubi iniquum id dicit, si agnatus insons alterius facto scelerato gravaretur, et in effectu consentit etiam *Clarus* §. *testam. q.* 79. *in fin. et Pantschm. l.* 2. *q.* 22. *et seqq.*

L. Judicium uxoris. ult.

SUMMARIA

Persuasio mariti in uxore, ut se haeredem instituat, non est coactio, ideoque marito non denegandae sunt actiones. num. 1.

Blando sermone iratum testatorem placare prohibitum non est. 2.
Qui mendaciis utitur in persuasionibus, in eo praesumitur dolus. 3.
Quid si conjux lacrymis et obtestationibus testari impediatur? 4.
Si Magistratus testari prohibuit, in duplum tenetur personae, cui nocuit. 5.

1 Sed si maritus persuadet uxori, ut se haeredem instituat, haec nulla coactio est, ideoque marito non denegandae actiones, *l.* 3. *h. t. l.* 1. *ff. eod.* quia aliud est blandis verbis invitare testatorem, et aliud cogere, illud non est prohibitum, *l. fin. ff. et l. ult. C. h. tit. Hartm. Pist. p.* 1. *q.* 29. *Carpzov. p.* 3. *constit.* 5. *def.* 7.
2 Sic nec illicitum est, blando sermone iratum placare testatorem, *Auct. in d. l. fin. ff. h. t. n.* 1. vel ut *l. fin. ff. h. t.* loquitur, offensam aegrae uxoris maritali sermone placare, *Hart. Pist. p.* 1. *q.* 29. *num.* 2. *Petr. Peckius de test. conjugum lib.* 1. *c.* 9. *num.* 11. *Pereg. d. t.* 6. *num.* 26. *Cotm. vol.* 4. *cons.* 16. *num.* 4. Sed si quis mendaciis 3
utatur in persuasionibus, in eo praesumitur dolus, *Hartm. Pist. d. l. num.* 4. *Pantschm. l.* 2. *qu.* 21. *num.* 59. *Auctor in d. l. fin. ff. h. t. num.* 8. vel si in mortis articulo persuadeatur, *Cephal. cons.* 276. *num.* 41. Secus si lacrymis 4
et obstetationibus impediatur conjux testari, nam id poenam caducitatis non meretur, nec actionem ad interesse parit alteri, cui forte defunctus aliquid legare voluit, ut in Facultate nostra aliquando responsum, quia minae vel calumniae non erant allegatae, nedum probatae. Sed si Magistratus prohibeat testari, in du- 5
plum tenetur personae, cui nocuit, *Novell.* 134. *c.* 3. Vid. etiam *Caroc. dec.* 15. *Affl. dec.* 69. *num.* 7. *Riccius dec. coll.* 481. Conf. ad *hanc leg. etiam Raudens. dec.* 45. *num.* 37.

TITULUS XXXV.

De his, quibus ut indignis haereditates auferuntur, et ad Senatus Consultum Silanianum.

L. Haeredes. 1.

SUMMARIA

Haeres mortem defuncti non ultus judicialiter, nec torturae servos subjici sollicitus, indignum se haereditate reddit, et Fisco eam omnibus fructibus ante et post litem perceptis restituere tenetur. num. 1.
Fructus naturales restituuntur tempore delicti, civiles vero litis motae. 2.
Quando quis amittit jus ob delictum, quod ex contractu habuit, etiam fructus ante litem motam mala fide perceptos restituere est obligatus. 3.
Maritus, qui necem uxoris non fuerit ultus, dotis lucrum amittit. 4.

1 Quando haeres non est ultus judicialiter mortem defuncti, nec torturae subjici curavit servos, tunc indignum se reddit haereditate, et restituere eam tenetur Fisco cum fructibus omnibus, *Klock. de Aerario l.* 2. *c.* 138. *num.* 39. *Sichard. in C. h. t.* quos post et ante litem motam percepit, quia mala fide percepit, et fructus augent haereditatem, et debet restituere pecunias in haereditate repertas, vel ex pretiis rerum haereditariarum aut fructuum redactas cum usuris semissalibus a tempore litis motae, *l.* 1.
2 *h. t.* Unde colligitur. I. Differentia inter fructus naturales et civiles, ut illi restituantur ex tem-
3 pore delicti, hi vero litis motae. II Quando quis ob delictum amittit jus, quod ex contractu habuit, tunc etiam ante litem motam fructus mala fide perceptos tenetur restituere, *Castr. hic n.* 3. *Rosenthal. de feud. p.* 10. *conclus.* 42.
4 *num.* 17. *et seq.* Sic etiam maritus amittit lucrum dotis, si necem uxoris non fuerit ultus, *Beust. de connub. p.* 3. *c.* 9. *Hartm. Pist. obs.* 56. quos laudat *Carpz. p.* 3. *const.* 26. *def.* 8. *num.* 2.

L. Polla. 2. et L. Alia causa. 8.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An et quatenus tutor dolo suo in contrahendo vel quasi pupillo praejudicare possit? 2.
Quid juris in delictis? 3.

Titius quatuor haeredes instituit: 1. Pollam: 1
2. Fratrem ejus impuberem, et deinde duos extraneos. Polla voluit sola succedere cum fratre, ideo testamentum falsi accusavit, sed postea transegit cum haeredibus, ideo partem suam non amittit, quia ille demum, qui testamentum falsi accusat, reddit se indignum, si perseverat usque ad sententiam et succubuit, *l.* 8. secus si poenituerit aut transegerit, *l.* 2. *h. tit.* scilicet ante sententiam, nam locus hic poenitentiae, *Petr. Gregor. l.* 44. *tit.* 4. *num.* 5. *Barry lib.* 1. *tit.* 9. *num.* 14. Polla autem moritur, et sic suam partem transfert in fratrem impuberem, hujus tutor vult accusare testamentum falsi nomine pupilli, videtur quod non possit, quia Pollae transactio obstat: Sed Affirm. quia tutor non nomine Pollae, sed nomine pupilli accusat. Sed si tutor succumbat, pupillus quidem se indignum reddit haereditate, quia ejus nomine actum, sed damnum tutor restituit actione tutelae conventus, et de calumnia tenetur, *l.* 2. *h. t. et l.* 6. *supr. de adm. tutel.* et observavit *Cujac. ad l.* 8. *ff. de praetor. stipulat.* discrimen, an testamentum ex parte falsum dicat contra unum haeredem, an vero inofficiosum contra unum haeredem scriptum, nam illo casu amittit partem legatorum ab eo

haerede relictorum, hoc casu omnia relicta, quia magis accusat ipsum testatorem ut impium, et non satis compotem mentis. Collige *ex lege*
2 *secunda:* Tutorem dolo suo posse in contrahendo vel quasi praejudicare pupillo, si tamen solven-
3 do tutor, alias non. Sed in delictis non. Vid. *l. meminerint* §. *ult. C. Unde vi. l.* 24. *ff. si quis omissa causa test. et ibi Gl. et Bart. Sturtius in leg. neque* 198. *ff. de reg. jur. P. Montan. de tutel. cap.* 31. *effect.* 5. *num.* 11. *et seq.*

L. Si ea quaestio. 3.

SUMMARIA

Senatus Consultum Silanianum quid prohibeat? num. 1.
Poena. 2.
Hodie, cum nullis servis utamur, poena quoque eorum torquendorum cessat. 3.

1 Senatus Consultum Silanianum in hoc casu, quando testator a sua familia occisus dicitur, non tantum aditionem prohibet, sed etiam aperturam tabularum, antequam de servis quaestio
2 habeatur. Si contra fiat poena est 100. aureorum, per *l.* 52. §. 2. *ff. ad SC. Silanian.* Sed si etiam adierit, indignum se reddit haereditate, quia hoc aditionem requirit, *l.* 3. §. 29. *et l.* 5. §. 2. *ff. d. t.* Sed cessat poena illa apertarum tabularum in pupillo, de quo dicetur *ad l.* 6. cessat
3 etiam nostris moribus necessitas torquendorum statim servorum, cum servis non amplius utamur, sed personis liberis, quibus tortura, nisi suspicione onerati, indici non debet, nec sine causae cognitione, nec sine concessione defensionis.

L. Haereditas. 4.

SUMMARIA

An portio haeredis instituti sed in codicillis indigni declarati attribuenda sit Fisco? num. 1.
Codicillis non potest adimi haereditas. 2.
Quando testator dicit haeredem non mereri ultimam voluntatem, tunc testamentum quidem non est nullum, sed haeres indignus redditus, et Fiscus succedit. 3.
Testamenta sola voluntate non revocantur. 4.

1 Quando quis haeredem instituit, eumdem autem postea haereditate indignum esse declaravit in codicillis: Quaer. *An ejusmodi portio Fisco at-*
2 *tribuenda?* Videtur quod non, quia codicillis adimi non potest haereditas, §. 2. *Inst. de codicill.* Sed Affir. quia non quidem directo, sed tamen quasi per obliquum haereditas codicillis dari potest, idem enim est, ac si dixisset testator, haeredem suam partem debere in Fiscum trans-
3 ferre. Collige *ex h. l.* Quando testator dicit haeredem non mereri voluntatem ultimam, tunc testamentum quidem non esse per hoc sublatum,
4 quia sola voluntate testamenta non revocantur, ut legata, haeredem tamen reddi indignum et Fiscum succedere, aliud autem si dicat, nolo haereditatem ad hunc pervenire, *Jas. et Castr. hic Mant. l.* 8. *tit.* 1. *num.* 30. *Peregr. de fideic. art.* 5. *num.* 15. quia in favorem aliorum haeredum ab intestato factum praesumitur.

L. Non oportet. 5.

SUMMARIA

Voluntatem defuncti non implens amissione haereditatis punitur. num. 1.
Excipitur voluntas defuncti in monumento erigendo. 2.

Voluntatem defuncti non implens punitur quidem amissione haereditatis, de quo agetur infra 1
in *l. fin. et Auth. seq. de fideicommiss. Barry l.* 9. *tit.* 9. *num.* 15. habet tamen hoc exceptionem in voluntate defuncti de monumento erigendo, cui faciendo nulla sanctio poenae fuit addicta, sed hoc cujusvis religioni et conscientiae fuit commissum, *hic et l.* 5. *supr. de religiosis etc. Barry d. l.* 3

L. Minoribus. 6.

SUMMARIA

Poena necem defuncti non vindicantis cessat in minoribus. num. 1.
Minoribus in his, quae in omittendo consistunt, succurri solet. 2. 4.
An minor, si accusaverit homicidas, et obtinuerit, illorum autem unus forte, cujus mandatu caedes facta, appellaverit, et ille non prosecutus fuerit appellationem, hoc ipso se indignum reddat? 3.

Haec autem poena, quod non vindicans necem 1
defuncti reddat se indignum, cessat in minorennibus, *hic et l.* 1. *supr. quibus in caus. in integr. rest. Gomez tom.* 3. *c.* 3. *num.* 53. *Barry d. l. tit.* 9. *num.* 5. quia aetati solet succurri in his, 2
quae in omittendo consistunt, *Peregr. de jure Fisci lib.* 2. *tit.* 5. *num.* 15. *Montanus de tutel. c.* 18. *num.* 43. *Guttierez de tutel. part.* 1. *c.* 16. *num.* 90. Sed Quaeritur: *Si accusaverit minor homi-* 3
cidas, et obtinuerit, illorum unus autem forte ille, cujus mandatu caedes facta, appellet, an minor prosequi appellationem teneatur, et an ob non prosecutam appellationem reddat se indignum? Affirmatur prius; Neg. posterius *in d. l.* 6. plus enim peccat, qui plane non accusat, quam si litem motam non prosequatur. Colliges 4
ob delicta in omittendo consistentia minorennes ipso jure servari indemnes, *Mont. Guttierez et Peregr. dd. locis.* Deinde nota; si quis non sit obligatus ad aliquid faciendum, si illud suscipiat, cum tamen se non obstringere ad alia, et demum eum, contra quem appellatur, non teneri prosequi appellationem, secus tamen si ipse appellet, *l.* 63. §. *fin. ff. de evict.*

L. Si ideo. 7.
et L. Cum fratrem. 9.

SUMMARIA

Quando ulterius poena, qua quis se indignum haereditate reddit, cesset? num. 1.

Nulla lex obligat ad impossibilia. 2.
Quid si haeres post aditam haereditatem homicidam cognoverit, nec accusaverit, an se hoc ipso indignum reddat? 3.
Excusatur aliquis, quo minus agat, si probationibus destituitur. 4.
Idem est, si sumptibus destituatur, nec prompta ac parata remedia in haereditate reperiat. 5.
Falsa est sententia, Necem ante haereditatis aditionem esse vindicandam. 6.

1 Cessat etiam poena, si auctor caedis sit ignotus et reperiri nequeat, quia nulla haeredis culpa, *Petr. Greg. lib.* 49. *tit.* 1. *def.* 3. *Barry d. t.* 9.
2 *num.* 5. et nulla lex ad impossibilia obligat; si
3 tamen post aditionem cognoverit, quis fuerit homicida, hic debet accusari, alias etiam aditam haereditatem haeres retinere nequit, *l.* 9. *h. t.* si scilicet ab extraneo sit interfectus, nam si a familia sit interfectus, ante aditionem quaestio de servis habenda *per l.* 3. *h. t.* Sed si ab extraneo, potest adire prius et postea
4 vindicare. Collige *ex l.* 7. excusari aliquem, quominus agat, si destituatur probationibus, *Gomez d. l. num.* 53. *Barry d. l. num.* 5. Idem di-
5 xerim, si destituatur sumptibus, nec prompta et parata media in haereditate reperiat, quo casu tamen magistratui denunciare crimen tenetur.
6 Et *ex l.* 9. Colligitur, falsam esse sententiam *Clari* §. *fin. q.* 79. *num.* 8. *Vindicandam esse necem ante aditionem haereditatis*, nam, ut recte *Barry d. l.* ait, confundit necessitatem vindicandae necis ad quaestionem vocandae familiae; etenim haec aditionem praecedere debet, per *l.* 3. *h. t.* illa etiam sequi potest, per *l.* 9.

L. Sororem. 10.

SUMMARIA

Quando porro poena d. l. 1. *cesset? num.* 1.
Exemplum subjicitur. 2.
Consuetudine poena haec ab aula recessit. 3.
Sed recepta adhuc in Gallia. 4.
Doctori desuetudinem alleganti facile non est credendum. 5.
An haeres, ut ad minimum sumptus judici ad inquirendum suppeditet, debeat moneri? 6.

1 Cessat etiam poena illa, si ideo non vindicavit, quia ab alio fuit praeventus, verbi gratia,
2 si soror mariti mortem vindicat, et uxor postea adeat haereditatem, nec fuerit in mora vindicandae necis, *argum. l.* 2. §. 24. *ff. ad Senatus Cons. Tertull.* si modo aliter se non reddit indignam, *l.* 10. *h. tit.* forte doloso homicidio, *Dn. Pruckm. vol.* 2. *cons.* 7. *num.* 150. Sed de
3 consuetudine poenam ab aula recessisse, tradit *Follerius* laudatus *a J. Claro* §. *fin. quaest.* 79. *num.* 8. *Peregrinus de Jur. Fisc. lib.* 2. *cap.* 5. *in fin. Bacchov. in Wesenb.* ꝛ. *tit. de SCto Silan. Carpzov. prax. crim. quaest.* 34. *num.* 76. qui *Heigii* contrariis argumentis, quae habet,
4 *p.* 2. *quaest.* 34. satisfacit: Sane in Gallia receptum adhuc putat *Barry dict. tit.* 9. *num.* 8.
5 nec doctori alleganti desuetudinem facile credendum. Quamvis quidam de certa specie vel causa, ob quam indigni habentur, non generatim de toto titulo loquantur, quidam etiam de certo regno aut provincia id asserant, *Dn. Mev. part.* 5. *dec.* 154. poenam ademptionis bonorum ob inultam necem non facile imponerem. Teneri tamen haeredem ad minimum sum- 6
ptus suppeditare judici ad inquirendum, egregii *Doctores* quidam tradunt, *Carpzov. quaest. crim.* 34. *num.* 9. Sed utrumque non patitur haeres scilicet ademptionem haereditatis et suppeditationem sumptuum, ut videtur velle *Corserius allegatus a Marta* tom. 5. *ff. in voc. indignus num.* 1. nam haec locum illius subintrat.

L. Cum Silanianum. 11.

SUMMARIA

An haeres accusationem homicidae ante aditionem parans haereditatem transmittat? num. 1.
An haeredis mora noceat legatariis et servis, quibus libertas relicta? 2.
Dilatio legalis nemini damnosa esse debet. 3.
Ubi aliquid addendum superest, nihil actum videtur. 4.

Haeres dum parat accusationem homicidae ante 1
aditionem haereditatis, haereditatem tamen transmittit. Sed quaeritur: *An mora haeredis noceat* 2
legatariis et servis, quibus libertas relicta? Neg. non enim debent aliena culpa aut mora gravari, ideoque omnes statim utilitates rei sequuntur legatarium, et servus statim liber, sibique acquirit, et ancilla ingenuum edit partum. Unde colligitur: Dilationem legalem nemini debere 3
esse damnosam, et notari hic casum, ubi haereditas non adita transmittitur, quando quis ob metum poenae non adit. Demum notetur hic regula in fine expressis verbis addita, scilicet nihil actum videri, ubi aliquid addendum su- 4
perest. Quam regulam allegatis multis exornat *Aug. Barbos. lucupl. l.* 1. *c.* 25. *ax.* 26. *Klock. cons.* 149. *vol.* 3. *num.* 205.

L. Talis. ult.

SUMMARIA

SCto Silaniano quid cautum? num. 1.
An ille, qui ab aliis circumdatum non eripit, cum possit sine periculo, puniatur in foro externo? 2.

Cautum est SCto Silan. ut servi, qui sub eo- 1
dem tecto vel praesentes domino fuerunt, cum interficeretur, torquerentur, et de iis sumeretur supplicium, id hic explicat *hac lege* Justinianus, ut tunc praesentes judicentur, quando potuerunt Domini clamorem audire, vel insidias sentire, nec tamen tulerunt auxilium, ratio *in fin. leg.* ex quo textu vult *hic Castr.* et alii probare: Si quis aliquem ab aliis circumdatum eri- 2
pere possit sine suo periculo, et tamen hoc non faciat, quod ille in foro externo non puniatur, quia hoc speciale in servis, sed jure Canon. secus videtur, et multo magis in foro conscientiae, *Panorm. in c.* 6. *X. de homicid. in* 6. *Covarr. in c. furiosus p.* 2. §. 2. *num.* 7. *Farinac. q.* 125. *num.* 279. *et* 306. *Lessius de J. et J. lib.* 2. *c.* 9. *dubit.* 13. *num.* 43. *Fagundez ad decal. l.* 5. *c.* 4. *num.* 11.

TITULUS XXXVI.

De codicillis.

L. Rupto. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An rupto testamento rupti etiam sint codicilli? 2. 3.
Testamentum semel ruptum non quidem confirmatur codicillis posterioribus, sed fideicommissum ex codicillo peti potest. 4.
Ampliatur. 5.
Ad validitatem codicillorum non confirmatorum requiritur aditio haereditatis ab intestato. 6.

1 Testator fecit testamentum, in quo mihi fideicommissum reliquit, id per filium postea natum ruptum est, deinde codicillos fecit, in quibus voluntatem priorem confirmat et testamentum ratum habet. Ego, mortuo testatore, ex codicillo peto fideicommissum, Praetor pro me
2 pronunciat, sed obstat, Quod rupto testamento videantur etiam rupti codicilli, qui quasi pars
3 testamenti sunt. Sed Resp. quia codicilli facti rupto jam dudum testamento, ideo hi ad testamentum non pertinent, nec ejus pars sunt. Collige. I. Codicillos testamento rupto factos, non sequi conditionem testamenti, *Auctor in l.* 3.
4 *ff. h. t. num.* 5. *et* 6. II. Testamentum semel ruptum non quidem confirmari codicillis posterioribus, sed fideicommissum ex codicillo peti
5 posse, etiamsi fideicommissum non explicite sed implicite per relationem ad testamentum in codicillis contineatur, nam quia in codicillis expresse dixit defunctus, se velle ut valeat testamentum, quia valere ut tale non potest, nec reconvalescere per codicillum, ergo per modum fideicommissi. Sed si nullum testamentum praecessisset, sed soli fuissent codicilli, nativitate posthumi codicilli rupti non fuissent, *l.* 26. *ff. h. t. et Cujac. tom.* 1. *p.* 772. *Ballionus in repet. Auth. ex causa num.* 90. *Socin. c.* 93. *c. num.* 34. *vol.* 4. *Anton. Faber lib.* 15. *conject. c.* 14. Nam et posthumus relicta in codicillis praestare tenetur, quia per codicillos non adimitur haereditas proximo, ut per testamentum, *Donell. lib.* 7. *c.* 18. *lit. K. Vasq. de success. progr.* §. 30.
6 *num.* 51. Notandum etiam: Ad validitatem codicillorum non confirmatorum requiri aditionem haereditatis ab intestato, *Vasq. d.* §. 30. *num.* 42. *Auctor in l.* 3. *ff. h. t. num.* 7.

L. Haereditatem. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
In codicillis an substitui queat? 2.
Per novissimum judicium *etiam codicilli intelliguntur.* 3.
Alius casus. 4.
Qui testari potest, nec facit, relinquit id dispositioni legis. 5.
Testator se in testamento ad nominationem haeredis in codicillo factam referre potest. 6.
Etiam partes haereditatis in codicillo declarari possunt. 7.

Testator mulierem haeredem instituit, sed co- 1
dicillis postea factis eam rogat, ut haereditatem Titio restituat retenta aliqua parte, mulier putat se non teneri, quia codicillis haereditas dari nequit, §. 2. *Inst. de legat.* ratio regulae in *l.* 7. *h. tit.* quia alias codicillus esset testamentum, cujus forma consistit in haeredis institutione. Atque ideo nec substitui potest directo in co- 2
dicillis, *l.* 7. *h. t.* Sed Affirm. Imper. quia illa regula intelligenda, si verbis directis detur haereditas, non si verbis obliquis, inter quae multum interest, cum illo casu daretur haereditas immediate ex testamento, si fieri posset, hoc vero casu ex manu haeredis, ita ut haeres possit deducere Trebellianicam, *l.* 2. §. *ult. ff. h. t.* Vel aliter potest responderi, quod haereditas in codicillo adimi non possit, si scilicet nemini relinquatur, aliud si alii relinquatur, quod licet verbis directis fiat, haec tamen ex natura codicilli pro obliquis habenda, ut tradit *Cephalus cons.* 497. *num.* 86. *et seqq.* Collige ex textu: Per *novissimum judicium* etiam codicillos intel- 3
ligi, *Jo. Dauth. tit. qui testamentum facere etc. num.* 167. Sed quid si rogatus sit Titius haeredi- 4
tatem restituere Cajo, exceptis mille florenis, de quibus liberam habeat disponendi facultatem, sed nihil disponit haeres et moritur, Quaeritur: *An ad suos haeredes ab intestato hos mille florenos transmittat?* Quod affirm. per *l.* 8. *ff. h. t. et arg. hujus legis.* Nam qui potest testari et 5
non facit, relinquit dispositioni legis, *Mantic. de conject. ult. vol. lib.* 7. *tit.* 7. *num.* 14. *Rosental. de feud. c.* 9. *concl.* 40. *num.* 29. Notandum 6
etiam, posse aliquem testatorem in testamento se referre ad nominationem haeredis factam in codicillo, *l. asse toto ff. de haered. instit. Grass.* §. *codicillus q.* 1. *Mantic. d. tr. lib.* 14. *tit.* 3. *num.* 10. *Barry de success. lib.* 1. *tit.* 7. Sicut et par- 7
tes haereditatis in codicillo declarari possunt, *Mant. d. t. num.* 3. *Barry d. l.*

L. Cum proponatis. 3.

SUMMARIA

An et quando posteriores codicilli prioribus derogent? num. 1.
Alia ratio testamenti. 2.
Decedere quis potest cum pluribus codicillis invicem non contrariis. 3.
Si duo reperiantur codicilli, et non appareat, quis prior, is posterior praesumitur, in quo adimitur legatum. 4.
Privatio praesupponit habitum. 5.
Si posteriores codicilli etiam contrarii, sed imperfecti, priores non tollunt. 6.

1 Quando plures sunt codicilli, posteriores derogant prioribus, quia novissimam spectamus voluntatem, *l.* 12. §. *ult. ff. de legat.* 1. si modo sint contrarii, alias posterior non derogat prio-
2 ri, §. *ult. Inst. eod.* Sed alia ratio testamenti, §. 3. *Instit. quibus mod. testam. infirm.* quia hoc testamentum non nisi de tota haereditate fieri potest; ergo non nisi unum testamentum
3 esse potest. Collige: Aliquem decedere posse cum pluribus codicillis, invicem non contrariis, *l.* 6. §. 1. *ff. h. t. Donell. et ibi Hillig. lib.* 7. *cap.* 19. *lit. H.* nec priores per posteriores revocantur, *Grassus d. l. et Fr. Barry lib.* 10. *tit.* 1. *num.* 43. nisi sint contrarii, *Vasquez de success. creat.* §. 30. *num.* 52. etiamsi priores clausulam derogatoriam habeant, vel posteriores prioribus derogent,
4 *Menoch. lib.* 4. *praesump.* 166. *num.* 30. Si autem duo reperiantur codicilli, et non appareat, quis prior, is praesumitur posterior, in quo
5 adimitur legatum, quia privatio praesupponit habitum, *DD. hic, et Grass. d. l. et Mantic. lib.* 6.
6 *tit.* 4. *num.* 11. Si autem posteriores codicilli etiam essent contrarii, sed imperfecti, non tollerent priores, verbi gratia, si tantum essent quatuor testes, nisi lapso decennio, *arg. l. sancimus* 27. *supr. de testam. Vasq. d. l. num.* 53. *Barry d. l. num.* 43.

L. Non idcirco. 4.

SUMMARIUM

Casus legis.

Sicut invito ita et absente et ignorante haerede, codicillus fieri potest, *argum. l.* 26. *ff. de R. J.* quia ultimae voluntates tantum pendent a voluntate defuncti, non haeredis, *l.* 35. *in princ. ff. de haeredit. instit. dict. leg.* 12. §. *ult. in fin. ff. de legat.* 1.

L. Ne codicillos. 5.

SUMMARIA

Furioso denegatur codicilli factio. num. 1.
Qui sanae mentis aliquem esse negat, probare tenetur, secus si affirmat. 2.
An qui testari prohibetur nec codicillari possit? 3.
Quilibet sanae mentis praesumitur, et contrarium venit probandum. 4.

1 Furiosus non potest codicillum facere, quia per omnia absentis loco habetur, *l.* 2. §. *pen.*
2 *ff. h. t.* Sed ei, qui sanae mentis aliquem esse negat, incumbit probatio, non ei qui affirmat, quia pro hoc praesumitur. Colligitur ex *hac lege;*
3 Eum, qui testari prohibetur, etiam codicillari non posse, quod a *DD.* communiter receptum esse testantur *Grass. in d.* §. *codicillus num.* 3. *Vasqu. de success. progr.* §. 30. *num.* 32. *Mantica lib.* 6. *t.* 4. *num.* 2. *Auctor in l.* 6. *ff. h. t. num.* 6. Sed hoc declaratur in *l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* ut tunc locum habeat, si quis jure prohibeatur testari, quod etiam prohibeatur codicillari, non si de facto, *Hillig. in Donell. l.* 7. *c.* 16. *lit. A. Petrus Gregor. l.* 43. *tit.* 1. *num.* 5. *Auctor in d. l.* 8. *ff. h. t. num.* 4. *et* 5. Collige etiam: Quemlibet praesumi sanae mentis esse, 4
et contrarium esse probandum, *Bald. Castrens. hic per hanc l. Covarr. de matrim. p.* 2. *c.* 2. *num.* 6. *Masc. concl.* 825. *num.* 5. *Menoch. lib.* 1. *de praesumpt. qu.* 18. *num.* 6. *et seq.*

L. Sive initio. 6.

SUMMARIA

Codicillus nullo facto testamento est validus. num. 1.
Codicillus dupliciter testamento confirmatur, et quomodo? 2.
Codicilli pertinent ad testamentum sive ante sive post testamentum sint confecti. 3.
Decius *notatur.* 4.
Dispositio in codicillo ex testamento interpretationem recipit. 5.

Si codicillus per se valet nullo facto testamen- 1
to, *l.* 16. *ff. h. t.* multo magis valebit, si testamento confirmetur, quod fit dupliciter: 1. In 2
futurum, cum quis in testamento ea servare jubet, quae postea in codicillo relicturus erat: 2. In praeteritum, cum quis codicillis prius factis, postea testamentum condit, quo licet non nominatim, implicite tamen codicillus prior confirmatur, et jus testamenti sequitur, *l.* 3. §. *ult.*
et l. 16. *ff. eod.* Unde colligitur; codicillos ad 3
testamentum pertinere, et quasi illius partem esse sive ante sive post testamentum sint confecti, *l.* 16. *ff. h. t. Barry lib.* 1. *tit.* 6. *num.* 7.
ubi refutat *Decium cons.* 456. *in fin.* et disposi- 4
tio in codicillo recipit interpretationem ex te- 5
stamento, *l.* 3. *ff. de instr. leg. Mantic. l.* 6. *tit.* 4. *num.* 7.

L. Si idem. 7.

SUMMARIA

Codicillus quomodo a testamento differat? num. 1.
Quae diversa habent nomina confundi non debent. 2.
Sub voce testamenti *codicillus quandoque venit.* 3.
Significatio vocis, Justa, *in testamenti definitione.* 4.

Codicillus differt a testamento non tantum exte- 1
riori solemnitate, de qua in *l. seq. ult.* sed etiam interna substantia, *Auctor in rubr. ff. h. t. num.* 1. Nam haeres institui vel substitui non potest, hoc enim ad testamenta pertinet, et
Collige: Non debere confundi, quae diversa ha- 2
bent nomina, *DD. hic, Tabor lib.* 12. *axiom. Barbos. cap.* 14. *axiom.* 7. *Carpzov. p.* 3. *const.*
3. *def.* 35. Colligitur etiam: Sub voce *testamenti* 3
nonnunquam venire codicillum, *Colleg. Argent. de testam. thes.* 2. *Dauth. de testam. num.* 9. nam vox, *Justa,* in definit. testamenti solemnitatem et perfectionem significat, *Covarr. ad rubr. de testam. p.* 1. *num.* 12. *et seqq. Bacch. in Treutl. vol.* 2. *disp.* 10. *th.* 1. *lit. C.*

L. Si quis agere. ult.

SUMMARIA

Unde colligatur, aliquem testari voluisse, remissive? num. 1.
Casus legis. 2.
An clausula codicillaris successionem ex testamento ad causam intestati trahat? 3.
An haec clausula ex mandato testatoris sit praesumenda? 4.
Directa institutio per hanc clausulam trahitur ad fideicommissariam. 5.
Reciproca substitutio habetur pro fideicommissaria. 6.
Liberi praeteriti virtute hujus clausulae praesumuntur rogati restituere haereditatem scripto haeredi. 7.
Aliud si per ignorantiam praeteriti. 8.
Ignorantis non est voluntas. 9.
Is, qui testari voluit, non praesumitur codicillari, licet addita sit haec clausula. 10. 12.
Clausula codicillaris in testamento non subintelligitur. 11.
An communiter clausula haec intelligatur in testamento inter liberos et ad piam causam? 13.
An in testamento militis? 14.
Communia codicilli cum testamento. 15.
In quibus differant inter se. 16.
Si codicillans literas nesciat, supernumerarius testis subscribere debet. 17.
An legatarius in codicillo testis esse possit? 18.

1 *Pr.* Testari aliquis voluit, id unde colligatur, Vide *l.* 13. §. 1. *ff. h. t.* sed addit clausulam codicillarem, scilicet si scriptura non valeat jure testamenti, valeat tamen jure codicillorum. Jam
2 pone, adhibitos tantum fuisse sex testes, hic haeres non quidem ex testamento, quod nullum est, via directa, sed ex codicillo, via obliqua, haereditatem petere potest, tanquam fideicommissum (secus si omissa sit haec clausula, *l.* 1. *ff. eod.*) sed quid si haeres prius ex testamento haereditatem vel bonorum possessionem secundum tabb. petiisset, et succubuisset, an postea haereditatem ut fideicommissum ex codicillis petere potest? Videtur quod sic, quia non prohibemur ex alia causa petere, si in uno judicio succubuimus, *l.* 14. *pr. ff. de except. rei jud.* Sed neg. hic, quia haeres clausulae codicillari renunciasse videtur, dum prius quis ex testamento petiit. Sed haec ratio valde dubia, nam renunciationes jurium praesumendae non sunt, et forte hic simplicitatem legibus amicam quispiam desideraret. Atque hic est una causa agendi non diversa, scriptura scilicet eadem, et omnis variatio in jure odiosa, *Carpz. p.* 3.
3 *c.* 20. *d.* 41. Unde probatur, clausulam codicillarem trahere successionem ex testamento ad causam intestati, si modo incertitudo non sit in persona, nam hanc non supplet haec clausula, *Carpzov. lib.* 6. *resp.* 7. *num.* 10. Nec testatoris voluntatem supplet, si ea sit imperfecta, *Carpz d. l. num.* 11. *Mantic. lib.* 5. *tit.* 2. *num.* 9. *Besold. cons.* 151. *num.* 15. Et quamvis di-
4 sputent, an praesumenda sit haec clausula mandato testatoris, an vero pro consuetudine a Notario addita, ut apparet ex traditis *Caevall. quaest.* 525. *Masc. conclus.* 300. verior tamen est, praesumi voluntatem, si non specialem, tamen generalem, *Dauth. de testam. num.* 365. *Carpz. l.* 6. *resp.* 7. *num.* 2. *Menoch. lib.* 4. *praesumpt.* 31. *num.* 1. *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 3. *et l.* 13. *cod. num.* 3. Sic ergo per hanc clausu- 5
lam directa institutio trahitur ad fideicommissariam, *l.* 76. *ff. ad SC. Trebell. Don. l.* 7. *cap.* 17. *lit. D. Mantic. lib.* 6. *tit.* 4. *num.* 14. *Molina de J. et J. d.* 132. *num.* 6. *Gail. l.* 2. *obs.* 111. Et re- 6
ciproca substitutio habetur pro fideicommissaria, *Menoch. l.* 4. *praes.* 60. *num.* 71. *Barry l.* 1. *tit.* 6. *num.* 8. *Mantic. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 10. Sic liberi praeteriti virtute hujus clausulae prae- 7
sumuntur rogati restituere haereditatem scripto haeredi, *Molin. dict. disp.* 132. *num.* 7. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 32. *num.* 2. *Vivius dec.* 422. *Anton. Fab. de clausul. com. concl.* 7. Aliud 8
si per ignorantiam praeteriti, nam ignorantis 9
non est voluntas, *Viv. d. l. num.* 5. *Molin. d. l. Fachin. lib.* 4. *c.* 12. *Menoch. praes.* 32. *num.* 3. Ex dictis patet, non esse illam concedendam regulam, quam etiam Viri celeberrimi habent, eum, qui testari voluit, non praesumi velle co- 10
dicillari, *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. licet haec clausula addita sit, nam ex hac ipsa clausula voluntas ejus apparet, *Barry lib.* 1. *tit.* 6 *num.* 8. *Pantschm. l.* 2. *q.* 14. *num.* 13.

§§. 1. et 2. Clausula codicillaris in testamen- 11
to non subintelligitur, *Carpzov. p.* 3. *const.* 4. *def.* 38. *Dn. Jo. Koppen. lib.* 1. *obs.* 113. *num. fin. Cephalus cons.* 437. *num.* 91. quia, qui testari 12
voluit, codicillari voluisse non praesumitur, *l.* 29. *ff. de testam. l.* 41. §. 3. *ff. de vulg. et pupill. substit.* quia sunt diversae species, *Auctor in d. l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. et hinc *Hill. in Donell. l.* 7. *cap.* 18. *lit. B.* laudat *Chiflet. lib.* 3. *de jure fideicommiss. cap.* 2. refellentem eos, qui aliquam clausulam codicillarem faciunt tacitam. Et quando expresse addita, eventualiter immutat dispositionem et eam obliquat, *Menoch. lib.* 4. *praesumpt.* 60. *num.* 82. Communiter tamen clausu- 13
lam intelligi volunt in testamento inter liberos et ad piam causam, *Clarus* §. *testamentum q.* 8. *num.* 7. *Mantic. lib.* 1. *tit.* 9. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 31. *num.* 9. *Carpz. dec.* 155. *Hartm. Pistor p.* 4. *quaest.* 9. *num.* 19. *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 2. Utile fore puto si per statutum in omni voluntate ultima clausulam codicillarem contineri constitueretur. Nam omnis Testator praesumitur, si interrogatus et informatus fuisset de hac clausula, responsurus omnino eam addendam esse, sed de hoc alibi. Sicut etiam in te- 14
stamento militis, *Carpz. p.* 3. *const.* 8. *def.* 20.

§. *ult.* Codicillus sive sit scriptus, qui proprie 15
ita dicitur, sive sit nuncupatus (nam duplicem codicillum faciunt *DD. per hunc* §. Scriptum et Nuncupatum, *Donell. lib.* 7. *C.* 18. *et ib. Hillig. lit. G. Pet. Gregor. lib.* 13. *cap.* 1. *num.* 1. *Bacch. disp.* 10. *th.* 8. *lit. C. et D. Auctor ad rubr. ff. h. t. num.* 7.) hoc habet cum testamento commune, quod uno contextu fieri debeat, et testes oporteat esse in conspectu codicillantis, ob timorem falsitatis, *Reusn. part.* 3. *c.* 13. *num.* 16. *Menoch. lib.* 2. *arb. quaest. cas.* 475. *num.* 21. *Barry d. tit.* 6. *num.* 1. Sed in his differt. 1. 16
Quod in codicillo, ut etiam in donatione mortis causa, requirantur quinque testes, sed septem in testamento, *Auctor ad rubr. ff. h. t. num.* 2. si autem in testamentis privilegiatis sufficiunt duo, multo magis in codicillis privilegiatis, ut tempore pestis, inter liberos etc. *Covarr.*

part. 3. *rubr. de testam. num.* 21. *Barry dict. tit.* 6. *num.* 2. In codicillis sufficit, si fortuito convenerint testes, quod in testamento secus, *Auth. rogati supr. de testib. per hunc* §. *Boer. dec.* 34. *num.* 9. *Farinac. quaest.* 62. *num.* 150. *Barry dict. tit.* 6. *num.* 4. sed si fortuito convenerint, modo fuerint rogati, postquam venerunt, non obstaret hoc testamento jure nostro Germanico *per Informationem Notariorum Maxim. I. Imperat. tit. von testamenten.* 3. In testamento requiruntur mares, *l.* 20. §. 6. *ff. qui testam. fac.* sed in codicillis etiam foeminae adhibentur, *Farin. de testib. quaest.* 59. *num.* 67. *Schneidew. in* §. *testes num.* 3. *Instit. de testament. Carpzov. part.* 3. *constit.* 1. *defens.* 30. *et const.* 4. *defens.* 36. *Mascard. concl.* 308. *num.* 6. *et concl.* 467. *num.* 7. *Barry lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 10. *Dilect. tit.* 2. *caut.* 3. 4. *Auctor ad rubr. ff. h. t. n.* 2. In testamento scripto requiritur subsignatio et subscriptio testium, in codicillo autem scripto subnotatio seu subscriptio sufficit, *Barry d. t.* 6. *num.* 6. *Grass.* §. *codicillus num.* 10. *et seq. Molin. dec.* 131. *num.* 6. *Auctor in rubr. ff. h. t. num.* 8. Si tamen co- 17
dicillans literas nesciat, supernumerarius subscribere debet, quo faciunt tradita *per Dn. Carpzov. dec.* 147. *Auctor ad d. rubr. ff. h. t. num.* 9. Sed quaer. hic: *An legatarius possit esse te-* 18
stis in codicillo? Et respond. Quod non, per §. 10. *Inst. de testam.* quia hic principaliter negotium inter codicillantem et legatarium agitur, *Auctor ad rubr. ff. h. t. num.* 5. Et hanc sententiam communem esse apparet ex traditis *Farinac. quaest.* 60. *num.* 308. *Mascard. concl.* 308. *num.* 7. a qua tamen post alios recedit *Dn. Carpz. dec.* 152. qui movetur *per. l.* 2?. *C. de testam.* Sed responderi potest, duas esse istius legis partes. 1. An dictanti etiam legari possit? Et id affirmatur, de qualibet ultima voluntate: 2. An etiam testi? Et id affirmatur tantum de testamento.

TITULUS XXXVII.

De legatis.

L. Quamvis. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Renunciationes jurium praesumendae non sunt. 2.

1 Alimenta sunt libertis legata hac condictione: si vel quoad cum Claudio morati fuerint. Sed Claudius moritur, adeo ut ita cum ipso morari non possint: Quaer. *An deficiat legatum alimentorum?* Videtur quod sic, quia deficit conditio, et videtur ad certum tempus relictum esse legatum; Sed neg. non tam ob favorem alimentorum, ut vult *Guttierez de tut. l.* 1. *cap.* 22. *num.* 4. et alii, quam quod haec sit voluntas testatoris, quae requirat obsequium a libertis Claudio praestaudum et propensam voluntatem, quae morte Claudii non tollitur, quamvis obsequia ipsi ut vivo praestari jam non possint, *hic et l.* 13. §. 1. *ff. de aliment. legat. l.* 20. *ff. de annuis legat.* Et sic per legatarium non stat, quo minus pareat conditioni. Secus ergo si steterit. Et sic colligitur: Licet non morati fuerint liberti cum Claudio ob hujus discessum, quia per libertos non stat, et sic debetur legatum, *per l. qui quatuor* 30. §. *pen. ff. de legat.* 3. *Jo. Igneus in repet. Auth. ex causa C. de liber. praeter. num.* 181. *Jo. Petr. Surd. de alim. tr.* 5. *q.* 5. *num.* 8. *et seqq. Donell. lib.* 8. *c.* 34.
2 *lit. G.* Sed haec ratio valde dubia, nam renunciationes jurium praesumendae non sunt, et forte simplicitatem legibus amicam hic quispiam desideraret.

L. Quamvis haeres. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Haeres obligatione semel suscepta nec ullo facto ab ea se eximere potest. 2.
Regula l. 2. §. 8. ff. de haered. vend. *quomodo intelligatur?* 3.
Haeres actiones passivas in emptorem transferre nequit, et cur? 4.
Quando creditores conveniunt emptorem, et hic suscipit actionem, tunc venditor haereditatis vi taciti pacti liberatur. 5.
Quid si haeres legata quaedam solverit ante venditionem, possetne ea repetere ab emptore? 6.

Haeres adeundo haereditatem, se obstringit 1
creditoribus et legatariis, §. 1. *Inst. de legat.* §. 5. *Inst. de obl. ex quasi contr.* Quid si autem vendat haereditatem, *An etiam tunc a legatariis conveniri potest?* Videtur quod non, ob reg. *in leg.* 2. §. 9. *ff. de haered. vend.* Sed affirm. quia obligatione semel suscepta, non potest se 2
haeres ullo facto ab ea eximere, citra consensum ejus, cui se obligavit, *l. id quod nostrum ff. de R. J.* et illa regula *in l.* 2. §. 9. intelligenda 3
citra praejudicium alterius, ideo haeres conventus, quicquid praestat, venditi actione ab Emptore repetit. Collige *ex hac l.* 2. Non posse 4
haeredem in emptorem transferre actiones passivas, quia ejus ossibus adhaerent, *l.* 59. §. 1. *ff. de jure dot. Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 4. *tit.* 10. *num.* 20. Sed quando creditores 5
conveniunt emptorem, et hic suscipit actionem, tunc venditor haereditatis vi taciti pacti liberatur, *l.* 2. *C. de pact. Sed quid si haeres quae-* 6
dam legata solvisset ante venditionem, potestne ea repetere ab emptore? quod negatur, quia videtur vendita haereditas cum onere, quod ad diem venditionis duravit, *l.* 76. §. 1. *ff. de legat.* 2. quod si vero haereditas tota absorbeatur aere alieno, et ita nihil consequi possint legatarii, haeres autem inveniat emptorem, cui cum onere haereditatem vendat 100. aureis, haec centum non debentur legatariis, quia haeres magis habet ex stultitia emptoris, quam ex haereditate, *l.* 3. *ff. ad L. Falcid.*

L. Qui post. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Qui propter necessitatem rei familiaris alienat, adimere legatum voluisse non creditur, nisi probetur. 2.
Pignori nemo dat, nisi necessitate compulsus. 3.
Dominium per pignus non transfertur, sed jus in re. 4.
An et quando per pignoris dationem donatum revocatum censeatur? 5.
Triplex datur actio pro legato. 6.

1 Domum a me tibi legatam pignori do, Quaer.
An ob id mutasse videar voluntatem? Quod Neg.
2 *hic et* §. 12. *Inst. h. tit.* Qui enim propter neces-
sitatem rei familiaris alienat, non creditur adi-
mere voluisse legatum, nisi probetur, *l.* 18. *ff.*
de adim. leg. l. 11. §. 12. *ff. de legat.* 3. nam pi-
3 gnori nemo dat, nisi necessitate compulsus, et
4 dominium per pignus, non transfertur, sed jus
in re, *l.* 35. §. 1. *ff. de pignor. act.* quod lui-
tione tollitur, *l.* 1. *C. de luit. pign.* et ideo tan-
tum impropria est alienatio, unde apparet, per
5 pignoris dationem non censeri revocatum do-
natum, nisi aut pro aequivalente pecunia aut
pretio sit pignoratum, ubi spes reluitionis es-
set extincta, aut ita esset pignori data, ut per-
petuo esset apud creditorem, aut volente lega-
tario esset oppignorata, sicut has limitationes
hic proponunt *DD. et Mascard. concl.* 1287.
num. 56. *et seqq. Gomez tom.* 1. *c.* 12. *num.* 56.
Card. Mantica. l. 12. *c.* 6. *num.* 24. *Fr. Barry*
6 *l.* 9. *tit.* 30. *num.* 13. Colligitur etiam, triplicem
actionem dari pro legato, et hic fit mentio actio-
nis in personam, *Carpz. part.* 3. *constit.* 13.
def. 35.

L. Servis. 4.

SUMMARIA

Servo proprio non nisi libertate donato legari potest. num. 1.
Quid si servus postea ab haerede manumittatur an valeat legatum? 2.
Quod ab initio non valet, tractu temporis convalescere nequit. 3.
Limitatur in alimentis servo proprio relictis. 4.
Alimenta etiam iis, qui jure civili legatorum sunt incapaces, relinqui possunt. 5.

1 Servo proprio legari non potest sine libertate,
2 *l.* 31. §. 9. *et l.* 102. *ff. de leg.* 1. *Sed quid si servus*
postea ab haerede manumittatur? Resp. Ne tunc
3 quidem legatum valere, quod enim ab initio
non valuit, tractu temporis convalescere nequit;
4 aliud in alimentis servo proprio relictis, *l.* 17. *ff.*
5 *de alim. leg.* Nam alimenta etiam iis, qui jure
civili incapaces sunt legatorum, relinqui possunt,
quod extorsit favor alimentorum, *Surd. de alim.*
tit. 9. *quaest.* 33. *num.* 9. *et seqq. Martinus Coler.*
de aliment. l. 3. *c.* 3. *num.* 3.

L. Non est dubium. 5.

SUMMARIA

Legatarius res legatas subtrahens jus sum amittit eodem modo, quo haeres. num. 1.
An locum hoc etiam habeat in fideicommissis universalibus? 2.
Distinguunt communiter. 3.
Limitatur. 4.

Sicut haeres subtrahens res haereditarias in iis 1
rebus amittit jus haereditatis, *l.* 48. *ff. ad SC. Tre-*
bell. ita idem in legatario. Notetur: legatarium
propria auctoritate violenter vel clam, et ita e-
tiam sine violentia apprehendentem rem le-
gatam amittere jus suum, *Gomez d. c.* 12. *num.*
10. Et hoc locum habet etiam in fideicommissis 2
universalibus, *Pereg. de fideicommissis art.* 47.
num. 11. *per d. l. Paulus* 48. *ff. ad SC. Trebell.*
Achilles Personalis de adipisc. poss. num. 40. ubi
ait regulariter fideicommissarium non posse pro-
pria auctoritate apprehendere possessionem. Com-
muniter autem distinguunt, an subtractio facta 3
post apprehensam ab haerede possessionem, an
vero antea, ut illo casu poena haec locum ha-
beat, quae sententia communiter recepta, *Peregr.*
d. l. Gomez d. num. 10. *Barry de success. lib.*
11. *tit.* 19. *num.* 1. Sed limitatur tamen regula 4
in textu comprehensa; Nisi 1. testator ipse dede-
rit potestatem propria auctoritate apprehendendi
rem legatam, *Clarus* §. *testament. q.* 68. *Gomez*
d. l. Simon de Praetis l. 5. *interpr.* 2. *dub.* 1.
num. 97. *Barry d. tit.* 19. *num.* 3. quod etiam de
eo casu intelligendum, quando testator tacite
ei dedit hanc facultatem, et si eum constituit
executorem testamenti, *Menoch. rem.* 2. *adi-*
pisc. poss. num. 46. *et Pereg. d. l. num.* 46. *et*
Barry d. l. num. 4. - 2. Nisi nemo sit, e cujus
manu legatum accipere possit, *Tiraq. in tr. le*
mort etc. p. 2. *declar.* 4. *num.* 10.

L. Si legata. 6.

SUMMARIA

Substitutio legatorum agnito ab uno legato evanescit eodem modo, quo substitutio vulgaris in haereditatibus. num. 1.
In legatis, fideicommissis et mortis causa donationibus fieri potest substitutio vulgaris, et fideicommissaria per plures substitutionum gradus sicut in institutionibus. 2.
Substitutiones hae expirant ut in institutionibus. 3.

Sicut substitutio vulgaris in haereditatibus, 1
adita ab uno haereditate evanescit, *l.* 5. *supr.*
de impub. substit. ita idem in substitutione le-
gatorum, v. g. lego Titio domum, et si ille non
agnoverit, eamdem lego Cajo, si Titius agno-
scit, substitutio evanescit. Collige: in Legatis, Fi- 2
deicommissis et Donationibus causa mortis fieri
posse substitutionem vulgarem et fideicommis-
sariam per plures substitutionum gradus, sicut
in institutionibus, *Peregrin. de fideicommiss.*
art. 15. *num.* 1. *Menoch. cons.* 116. *num.* 34.
Vinc. Fusarius de substit. qu. 13. et hac substi- 3
tutiones ita expirant ut in institutionibus.

L. Si Fortidianum. 7.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Deciditur per distinctionem. 2.
Error in nomine proprio non nocet, si de re vel persona constet. 3.
Secus in appellativo. 4.
Nomina appellativa arbitrio testatoris mutari nequeunt. 5.
Distinctio haec nominum communiter approbatur. 6.
Quid si legans in colore rei legatae erravit? 7.

1 *Pr.* Pater meus fratribus legat fundum per praeceptionem (*Sie sollen es voraus nehmen,*) postea eumdem mihi legat, Quaer. *quam partem in fundo habeam?* Resp. quia sumus re conjuncti, ideoque scinditur inter nos legatum, et fratres conjuncti habent in fundo unum semissem et ego alterum, §. 8. *Inst. de legat. leg.* 21. *ff. de haered. inst.* nisi animo transferendi hoc fiat, §. 1.
2 *Inst. de legat. adim.* Hoc ut plenius cognoscatur, distinguendum est, an legetur quid pluribus conjunctim, et tunc legatum aequaliter inter eos dividitur, aut quidam conjuncti, quidam disjuncti, et tunc illi, ut hoc loco fratres unius personae loco habentur, *l.* 34. *pr. ff. de leg.* 1. *Molina de J. et J. d.* 199. *num.* 1. Si vero pluribus disjunctis, id est, in diversis periodis res eadem legetur, et tunc ulterius subdistinguitur, an cum commemoratione primi res alteri legata, an non, ut hoc casu uterque concurrat, *Menoch. l.* 4. *praes.* 173. *num.* 2. illo casu, si cum commemoratione primi res legata secundo, tunc aut animo adimendi hoc facit, v. g. quod Titio legavi, Cajo lego, *l.* 33. *ff. de leg.* 1. *l.* 1. *ff. de adim. legatis, Menoch. d. l. n.* 4. aut voluit defunctus, ut uterque solidum caperet, et tunc uni res, alteri pretium dandum, *d. l.* 33. *in fin.* Si vero de neutro horum liqueat, concursu legatarii partes faciunt, §. 8. *Inst. h. t. l.* 80. *ff. de leg.* 3.
3 §. 1. Error in nomine proprio non nocet, si de re, vel persona constet, *hic et* §. 29. *Inst. h. t.* ubi ratio, *Auctor in l.* 4. *ff. de legat.* 1.
4 *num.* 1. secus, si in appellativo quis erret, ut aurum sumat pro argento, *l.* 4. *ff. de leg.* 1. quia
5 appellativa arbitrio testatoris mutari non possunt, *Auctor in d. l.* 4. *ff. h. t. num.* 2. Atque hanc
6 distinctionem inter nomen appellativum, quod substantiam rei designare solet aut certe deberet, si substantia omnium rerum cognosceremus, et inter nomen proprium, ex arbitrio hominis impositum, sequuntur *DD.* communiter, *Gomez d. c.* 12. *num.* 9. *Grassus* §. *legatum qu.* 65. *Barry l.* 2. *tit.* 6. *num.* 4. *Don. l.* 8. *c.* 4. Quid
7 si in colore erratum, v. g. cum legat equum suum album, cum tamen non habeat nisi flavi coloris equos, an valeat legatum? Vid. *Auct. in l.* 4. *ff. h. t. num.* 4.

L. Ab administratione. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Miles tutelae plane est incapax. 2.
Is, qui per militiam vel officii publici ratione conditionem implere prohibetur, non propterea amittit legatum. 3.
Is nolle non dici potest, qui non potest velle. 4.
Qui juravit, se nolle esse tutorem, si postea in testamento est datus, a tutela non repellitur. 5.

Datus est quidam testamento tutor miles, cui 1
legatum relinquitur, sed hic ob sacramentum militare se excusat a tutela; Quaeritur: *An amittat legatum?* Videtur quod sic, ob *l.* 5. §. 2. *ff. de his quae ut indig.* Sed Neg. quia miles pla- 2
ne tutelae est incapax, et excusatio haec non voluntaria, sed necessaria, §. 14. *Instit. de excus. tutor.* et quia conditio impossibilis est, ergo remittenda, §. 10. *Instit. de haered. instit.* Colligitur: Eum qui per militiam vel officii publici ra- 3
tione prohibetur conditionem implere non propterea amittere legatum, *Ant. Piaggius de tutelis q.* 13. *num.* 9. *Jo. Guttierez de tutel. p.* 1. *c.* 22. *num.* 10. et eum non posse dici nolle, 4
qui non potest velle, sed is demum nolle dicitur, qui contrarium potest, *Carpz. p.* 4. *const.* 27. *def.* 1. *num.* 12. *axiom. Barb. l.* 12. *c.* 13. *axiom.* 1. quamvis male ex hac lege nonnulli 5
colligant, Titium, si juravit, se nolle esse tutorem, a tutela repelli, si postea in testamento sit datus. Vid. *Hering. de fidejuss. c.* 1. *num.* 77. *et seqq.*

L. Si in fraudem. 9.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An quis mota sibi per subornationem lite de haereditate, hac non obstante legata praestare teneatur? 2.
Legatarius evicta licet haereditate, si qualitercumque collusionem docuerit, pro suo interesse appellare potest. 3.

Institutus es haeres et jussus praestare mihi le- 1
gata, sed ut me defraudares, subornas aliquem, qui tibi moveat controversiam de haereditate, et illud testamentum ceu falsum accuset: Quaer. *cum subornationem plene probare non possim,* 2
an mihi non obstante illa lite solvere tenearis legata? Quod affir. teneor tamen praestare cautionem, de restituendo legato, si haereditas tibi fuerit evicta, imo licet nulla lis moveatur de haereditate, si tamen juste dubitaretur, utrum lex Falcidia locum habeat, cautio usitata est, *tot. tit. ff. si cui plus quam per l. Falcid. licuerit, legatum esse dicetur.* Imo licet evicta sit haere- 3
ditas, legatarius pro suo interesse appellare poterit, si qualitercumque collusionem docuerit, *l.* 5. §. 1. *et l.* 14. *pr. ff. de appell. Sig. Scacc. de appell. c.* 5. *num.* 37. *Hill. in Don. l.* 28. *c.* 9. *lit. Q. et R.*

L. Cum alienam. 10. et L. Uxor. 20.

SUMMARIA

Re aliena scienter legata, res aut aestimatio ab haerede praestetur. num. 1.

Quid si ignoranter res aliena legata? 2.
Si haeres pariter junctus nulla est petitio. 3.
Cur scientia rei alienae sit probanda? 4.
Cessat haec praesumptio de re aliena in persona conjuncta. 5.
Per personam proximam vel conjunctam quis intelligatur? 6.
An dicta locum habeant in testamento ad pias causas? 7.
De re aliena legata, remissive. 8.

1 Testator rem alienam mihi legavit, sciens rem alienam esse, et tunc haeres rem aut aestimationem praestare tenetur, *hic et* §. 4. *Inst. h. t.*
2 Sed si ignoranter facit, non valet, v. g. si uxor usumfructum habens, putet se eumdem transmittere posse, *l.* 20. *h. tit.* quia tum in dominio, tum in jure erravit, errantis autem non est consensus, *l.* 15. *ff. de jurisd.* cum enim jus ususfructus haberet, videtur illud tantum legasse, et cum nullum jus permaneat post mortem suam, non valet legatum, nam quod voluit (scil. usumfructum legare) non potuit et quod potuit (scil. proprietatem legare) non voluit, *Castillo de usufructu cap.* 61. *num.* 17. *et seq.* nisi sit persona sanguine, connubio, vel singulari affectione juncta, ita ut probabile sit, testatorem legasse, etiamsi scivisset rem esse alienam; quis autem hic proximus habendus sit, non potest certa lege explicari, sed cordato Judici vinculum sanguinis et affectio consideranda est, *per tradita Me-*
3 *noch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 146. Sed cessat haec praesumptio et eliditur, si haeres pariter junctus, nam tunc nulla petitio est, *argum. l.* 77. §. 8. *ff. de legat.* 2. Hic ergo locus est agendi de re aliena legata, de qua multa etiam dicuntur
4 *in Inst. h. t.* cur autem scientia rei alienae probanda sit, ratio est, quia praesumptio est, quod testator, si scivisset rem esse alienam, non praesumatur rem illam alienare voluisse. Sed illa
5 praesumptio cessat in persona conjuncta, ubi fortior praesumptio est ex vinculo sanguinis, unde regulam formarunt, quod ob ardorem amoris liciti valeat testamentum, quod alias nonnihil deficeret, quam regulam tamen non ad substantialia testamenti extendendam, sed ad terminos hujus legis restringendam recte monet *D. Pruckm. vol.* 2. *cons.* 1. *num.* 151. *etc.* quamvis
6 etiam per personam proximam vel aliam talem *DD.* hic intelligant intimae admissionis amicos, *Menoch. lib.* 4. *praes.* 116. *num.* 18. *et seq.* imo
7 etiam ad pias causas extendunt, *arg. l.* 38. *et l.* 39. *ff. de fideicom. libert. Tiraq. priv. piae causae* 66. *Vasq. de succ. progress.* §. 27. *num.* 41. et hos citans *Coll. Arg. de leg. th.* 28. Sed praeter limitationem antea propositam etiam aliam proponunt, si testator rem ad se spectare putasset tempore testamenti titulo aliquo speciali, qui vero jam tum erat extinctus, *per l.* 36. *in fine ff. de usufr. per leg etc. Mantic. lib.* 9. *tit.* 10. *n.* 4. *Covarr. in c.* 5. *X. de test. num.* 4. *Carpz. lib.* 6. *resp.* 28. *num.* 10. *Vivius dec.* 417. *num.* 10. *Me-*
8 *noch. lib.* 4. *praes.* 118. *num.* 16. Conferantur de re aliena legata, *Mantica de conject ult. vol. lib.* 9. *tit.* 9. *Gomez tom.* 1. *resol. c.* 12. *Vasquius de success. creat. lib.* 3. *c.* 22. *limit.* 17. *num.* 33. *et seq.*

L. Filia. 11.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Potest testator tradendo rem legatam mortem praevenire, et nisi alia conjectura sit, praesumitur legatum vivus praestare voluisse. 2.
Si minus dederit titulo dotis inter vivos quam legaverat, residuum petere legatarius non prohibetur. 3.
Filia succedens patri cum liberis legata conferre non tenetur. 4.
Habetur hic casus exceptus. 5.
Dum pater ipsam rem, quam antea legaverat, in dotem dedit, sub commemoratione legati rem dedisse videtur, et sic voluit legatum includere doti. 6.
Si in certam causam quid legatum, si a vivo praestetur, non debetur in duplicatum, si causa illa duplicari nequeat. 7.

Pater filiae legat fundum, et hunc vivus 1
adhuc, ei in dotem dat. Quaer. *An debeatur adhuc legatum illud?* Videtur quod sic, cum nondum videatur solutum quod patre vivo non est debitum, sed Neg. quia, si testator rem legatam vivus adhuc praestet legatum extinguitur, *l.* 13. *ff. de legat.* 1. quia presumitur pater filiae legasse, ut esset dotata, cum ad hoc obligaretur, ergo, quia dotem dedit, amplius filia legatum petere nequit, *Cephalus cons.* 84. *num.* 9. *et seq.* Et aliud esset, si pater rem filiae legatam venderet, nam tunc abesset filiae pretium et sic posset petere legatum, *Cephal. d. l. num.* 13. Nec obstat, quod datio in dotem sit alienatio necessaria, qua non videtur ademptum legatum, nam non erat necessaria necessitate rei familiaris, sed necessitate legati, quae minus stringit ut distinguunt nonnulli, quos *d. l.* refert *Cephalus num.* 14. vel dicendum est, tunc alienationem necessariam tollere legatum, quando facta est in ipsum legatarium, ubi animus compensandi praesumitur, *Menoch. l.* 4. *praes.* 197. *num.* 36. Nota: posse testatorem tradendo rem lega- 2
tam, mortem praevenire, et nisi alia conjectura sit, praesumitur voluisse testator legatum vivus praestare, et ita quasi anticipare, nec posse legatarium duplicatum legatum petere, *per l.* 22. *ff. de legat.* 2. *ibique Auctor. n.* 1. *Donell. lib.* 8. *c.* 1. *lit. H.* Si tamen v. g. minus dederit titulo 3
dotis inter vivos, quam legaverat, residuum petere legatarius non prohibetur, *Fachin. lib.* 5. *c.* 55. unde licet filia succedens patri cum liberis 4
non teneatur conferre legata, quia haec demum post mortem patris adquirit, in hac tamen spe- 5
cie si rem legatam vel quantitatem in dotem acceipiat, tenetur filia ea postea conferre, ut cum *Salyc.* hic communem dicit opinionem *Barbosa in l. si cum dotem* 23. §. *si pater num.* 43. *ff. sol. matrim.* Et certe, dum pater illam ipsam 6
rem, quam antea legaverat in dotem dedit, et videtur sub commemoratione legati rem dedisse, sic voluit legatum includere doti, *Barb. d. l.* Potest etiam notari *ex hac. l.* si in certam cau- 7
sam quid legatum si a vivo praestetur, non deberi id duplicatum, si causa illa duplicari nequeat, ut si in alimenta quid relictum, et postea a vivo datum, *Surd. de alim. tit.* 9. *q.* 8. *Barry l.* 9. *tit.* 33. *num.* 19.

L. Cum responso. 12.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.

Haeres, qui repudiat haereditatem, praelegatum tamen petere potest. 2.
Limitatur. 3.

1 Duo haeredes instituti, et Titio haeredi praelegatus fundus, sed ille repudiat haereditatem; Quaeritur: *An legatum agnoscere possit?* Videtur quod non, quia judicium testatoris impugnat *per l. 5. pr. ff. de his quae ut indig.* Sed affirm. quia non impugnat judicium defuncti, qui haereditatem repudiat; jussus enim est adire haereditatem, scil. si ibi expedire putaverit, *l. 17. §. ult. et l. 87. et seq. ff. de legat.* 1. Collige:
2 Eum haeredem, qui repudiat haereditatem, praelegatum tamen petere posse, *Auct. in l. 78. ff. h. t. Alex. cons. 20. num. 12. vol. 3. Fr. Bar-*
3 *ry lib. 11. tit. 22. num. 7.* nisi alia fuisset mens testatoris, *per l. 88. ff. de leg. 1.* Vid. *Auctor in l. 90. ff. h. t. num. 3. Cujac. ad d. l. 87.*

L. Proprias. 13.

SUMMARIA

Res legatarii an et quatenus ipsi possit legari? num. 1. 3.
Ad conditionalia legata regula Catoniana non pertinet. 2.

1 Res legatarii ipsi legari nequit, ratio in §. 10. *Inst. h. tit.* scil. si res ipsius propria sit omni ex parte, nec jus alteri in re competat, *l. 86. pr. et §. ult. ff. de legat.* 1. Aut legatum sit conditionale, et res a legatario alienetur, *l. 41. §. 2. ff. de legat. 1. Menoch. lib. 4. praes. 116.*
2 *num.* 11. quia ad conditionalia legata regula Catoniana non pertinet, *l. pen. ff. de reg. Caton.*
3 Sic etiam, si tempore testamenti non fuerit legatarii, sed tempore mortis, non tamen ex causâ lucrativa, sed onerosa, poterit legatarius petere pretium, quod pro legato dèdit, si aequum aut minus justo, si paulo majus, justum pretium petet, *Mantica lib. 9. de conject. tit. 9. num. 6. Barry lib. 9. tit. 3. num. 16.*

L. Monumenta. 14.

SUMMARIA

Res, quae non in commercio, legari nequit. num. 1.
An jus inferendi mortuum valide legetur? 2.
Res religiosae, sacrae ecclesiasticae legari non possunt. 3.
An aestimatio earum debeatur? 4.

1 Res quae in commercio non sunt, legari non possunt, ut sepulchrum, quia res religiosa est,
2 sed jus inferendi mortuum est privatum, quia privata actio de eo competit, *tot. tit. ff. de mort.*
3 *infer.* ergo id legari potest. Collige ergo; Res religiosas, sacras, ecclesiasticas non posse legari;
4 Sed quaer. *Annon aestimatio earum debeatur?* De rebus sacris et religiosis absolute dixerim, ne quidem aestimationem deberi, nisi hoc testator in specie exprimat, *Peregr. de fideicom. art. 11. num. 101. Barry lib. 9. tit. 3. num. 17.* sed si de rebus Ecclesiae temporalibus, v. g. praediis loquar, quia haec non sunt omnino extra commercium, sed possunt alienari, licet difficilius, ideoque receptius est, aestimationem earum rerum deberi, *Pereg. d. art. 11. num. 107. Mantica. lib. 9. tit. 11. Caevall. q. 279. Menoch. lib. 4. praes. 119. Barry d. l. num. 17.*

L. Si universae. 15.

SUMMARIA

Haeres legatario non tenetur, nisi in quantum vires haereditatis permittunt. num. 1.
Deducto aere alieno relicta legata valent, modo quarta pars haeredi ex Leg. Falcid. *relinquatur.* 2.
Ad aes alienum servorum manumissorum pretia pertinent. 3.
Non valent legata, si aes alienum totam absorbet haereditatem. 4.

Haeres creditoribus obligatur in solidum nisi 1
Inventarium fecerit, sed legatario non tenetur, nisi in quantum vires haereditatis permittunt, *l. 1. §. 17. ff. ad SCtum. Trebell.* Et si deducto aere 2
alieno aliquid superest, de eo relicta legata valent, modo quarta pars haeredi ex *Leg. Falcid.* relinquatur. Ad aes alienum autem pertinent 3
servorum manumissorum pretia, §. *ult. Instit. de Lege Falcid. l. 1. ff. ad Leg. Falcid.* quia sunt pars quasi aeris alieni, nec haeredi prosunt, et ideo ei imputari non debent, *l. 36. §. 2. et l. 39. ff. ad L. Falcid.* Collige ergo; Non valere legata, si aes 4
alienum totam absorbet haereditatem; si aliquid vero superest, eousque valere legata salva Falcidia. Ante enim detrahendum est, quod extra bonorum quantitatem est, deinde quod ex bonis apud haeredem permanere necesse est, §. 3. *Inst. ad l. Falcid.*

L. Creditor. 16.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quando debitor creditori pignus legat, animo compensandi id facere non videtur. 2.
Nec locum potest habere compensatio, quia quantitas debetur, species autem legatur. 3.

Dedi tibi mutuo centum florenos, tu dedisti 1
pignus, ambo tenemur. Ego tibi actione pignoratitia, si solveris, tu mihi actione crediti teneris; sed si mihi pignus leges, Quaer. *An haeredes uti debitum offerre, ita et pignus repetere possint?* Videtur quod sic, cum de liberatione nihil dixeris; sed Neg. Cum enim pignus mihi legatum fiat meum, *l. 80. ff. de legat.* 2. et res mea mihi pignus esse nequeat, *l. neque pignus 45. ff. de R. J.* tui itaque haeredes manent obligati, *l. 85. ff. de legat.* 2. sed pignus luere nequeunt. Collige; Quando debitor legat creditori suo 2
pignus, non videri id animo compensandi facere, *hic et d. l. 85. ff. de legat. 2. ibique Auctor num. 1. l. 6. C. de haer. inst.* quia enim debitum est voluntarium, i. e. principium habet

voluntarium, ideo animus compensandi non praesumitur, *Card. Mantica l.* 10. *t.* 2. *num.* 2. *Menoch. l.* 4. *praes.* 109. *Carpz. p.* 3. *c.* 20. *d.* 40.
3 Deinde non potest locum habere compensatio, quia quantitas debetur, species autem legatur, *Menoch. cons.* 236. *num.* 27. *Nevizan. cons.* 62. *num.* 29.

L. Datum. 17.

SUMMARIA

Legatum sive ingenuo sive liberto adimi potest tam pure quam sub conditione, tam in testamento solemni, quam nuda voluntate. num. 1.
Ampliatur. 2.
An obtineat etiam in legatis juramento confirmatis? 3.
Ademptio est vel expressa vel tacita. 4.
Tacita facta quod sit, quinque testibus probetur. 5.
Si tollatur ope exceptionis, duo testes sufficiunt. 6.

1 Legatum tam ingenuo, quam liberto relictum, adimi potest, non tantum pure, v. g. uolo hunc habere legatum, sed etiam sub conditione, tam in testamento solemni, ubi ipso jure non debetur, quam nuda voluntate, ubi legatario opponi potest exceptio doli, *per l.* 3. §. *fin. ff.*
2 *de adim. leg.* Ratio *in l.* 4. *d. tit.* Quod etiam locum habet, si legatum a vivo testatore legatario sit traditum, modo intuitu legati et sub eo titulo, *Gomez d. c.* 12. *num.* 4. *Afflict. dec.* 275. *Cardin. Mant. lib.* 8. *tit.* 1. *num.* 40. *Fr.*
3 *Barry lib.* 9. *tit.* 29. *num.* 1. Et hoc extendunt ad legata juramento confirmata, *Covarr. in rubr. de testam. p.* 2. *num.* 15. *Guttierez de ju-*
4 *ram. confirm. p.* 2. *cap.* 1. Est vero ademptio
5 vel expressa vel tacita, illam, si facta esse debeat, quinque testibus probandam esse, de quo *Carpz.*
6 *p.* 3. *c.* 4. *d.* 31. si vero ope exceptionis tollatur, tacitam ademptionem et duobus testibus probari posse, docent *Card. Mantic. lib.* 9. *tit.* 5. *num.* 13. *Masc. concl.* 901. *et concl.* 126. *num.* 86. *Barry lib.* 9. *tit.* 29. *num.* 2.

L. Ex legato. 18.

SUMMARIA

Exactor debiti alieni legati directis actionibus, nisi ab haeredibus sint cessae et mandatae, uti non potest, bene tamen utilibus, quamvis mandatae non sint. num. 1.
Differentia inter has actiones quaenam? 2.
Ex vendito vel donato, vel legato, vel in dotem dato Nomine, etiamsi non est facta cessio vel mandatum, datur tamen actio utilis ei, cui nomen datum. 3.
Nomen legatum videtur si chirographum quis leget. 4.
Legato nomine legatarius usuras petit, quae cesserunt etiam vivo testatore. 5.
Quid si chirographum amissum? 6.

1 Quando quis Nomen, id est pecuniam a Titio sibi debitam, mihi legat, non possum directis actionibus uti, nisi mihi ab haeredibus sint cessae et mandatae, sed utiles habeo meo nomine, quamvis mandatae non sint, vide supra *l.* 5. *et* 8. *de haered. vend. et l.* 2. *supr. de obl. et act.* discrimen in eo est, quod qui directis utitur 2
actionibus, utitur actionibus jure mandatis, *d. l.* 5. qui vero utiles exercet actiones, non utitur privilegio creditoris personali. Collige: Ex vendito, vel 3
donato, vel legato, vel in dotem dato Nomine, etiamsi non sit cessio facta vel mandatum, dari tamen actionem utilem ei, cui nomen datum, *l.* 7. *supr. de haered. vend. l.* 33. *C. de donat. l.* 2. *C. de obligat. et act.* Videbitur autem nomen 4
legatum, si chirographum quis leget, *Mantica l.* 9. *tit.* 1. *num.* 9. *Menoch. lib.* 3. *praes.* 140. *num.* 3. *Barry lib.* 9. *tit.* 22. *num.* 2. *Auctor in l.* 84. *ff. h. t. n.* 1. *et l.* 59. *ff. de leg.* 2. et nomine 5
legato, legatarius petet usuras, quae cesserunt etiam vivo testatore, *l. nomen* 31. *ff. de leg.* 3. *et l. ult.* §. *pen. ff. de liberat. Peregrinus de fideicom. art.* 49. *num.* 10. *Praetis lib.* 4. *interpr.* 1. *dubit.* 4. *num.* 12. *Barry lib.* 9 *t.* 5. *num.* 6. Quid si 6
chirographum antiq. amissum? Vid. *Auctor in l.* 48. *ff. h. t. num.* 2.

L. Non tantum. 19.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Legatum marito brevitate temporis, quo matrimonium duravit, non vitiatur. 2.
Limitatur. 3.

Sicut extraneo aliquid relinqui potest in ultima 1
voluntate, §. *ult. Instit. de haered. inst.* ita etiam marito vel uxori, *l.* 32. *ff. de donat. inter vir. et ux.* nec ob id ademptum videtur legatum, quod unius diei fuerit matrimonium, cum diuturnum speraretur. Collige: Legatum marito bre- 2
vitate temporis, quo matrimonium duravit, non vitiari, modo sc. matrimonium non divortio vo- 3
luntario legatarii mariti vel legatariae sit solutum, vel inimicitiae sint exortae capitales, *l.* 3. §. *fin. ff. de adim. leg. de quo Mascard. concl.* 901. *Viv. dec.* 450. *Mantica lib.* 12. *tit.* 5. *Barry lib.* 9. *t.* 31.

L. In legatis. 21.

SUMMARIA

Observantia verborum solemnium in legatis olim necessaria hic sublata est, et hodie nulla solemnis legatorum forma. num. 1. 3.
Sublatum etiam legatorum discrimen. 2.
Legata pariter et fideicommissa nutu etiam relinqui possunt. 4.
Dummodo legans fari queat. 5.

In legatis erat necessaria observantia verborum 1
solemnium, quae hic sublata, imo et postea 2
discrimen legatorum sublatum §. 2. *Inst. h. t.* Collige; Solemnem et certam formam legatorum 3
hodie nullam esse, *hic et l.* 2. *in fin. C. communia de leg. Wesenb. in π. h. t. num.* 7. *Carpz. p.* 3. *c.* 4. *def.* 31. *in princ.* Imo, ut fideicommissa, 4
ita etiam iis exaequata legata nutu relinqui posse, dummodo legans fari possit, *DD.* statuunt 5

communiter *per l. nutu* 21. *ff. de leg.* 3. *Mantica lib.* 6. *tit.* 4. *num.* 1. *et seq. Gomez d. t.* 12. *num.* 92. *Alphanus collect.* 742. *Barry lib.* 8. *tit.* 2. *num.* 9.

L. In annalibus. 22.

SUMMARIA

Legatum annorum decem personale est, et legatarii morte extinguitur. num. 1.
Sicut et ususfructus. 2.
Quid si Titio relinquat et haeredibus ejus, an primi haeredes tantum, an vero haeredum haeredes intelligantur? 3.
Per haeredem haeredis etiam haeres intelligitur. 4.
Excipiuntur jura, quae ad haeredes sui natura non transeunt. 5.

1 Cum testator legat decem annua Titio, legatum est personale, et morte Titii extinguitur,
2 sicut et ususfructus, *l.* 4. *ff. de ann. leg.* ubi ratio, quia sub conditione videtur relictum, si
3 vivat, *l.* 16. §. 1. *ff. de verb. obl.* sed quid si Titio relinquat, et haeredibus ejus; Quaer. *An primi haeredes tantum, an vero haeredum haeredes intelligantur?* Videtur prius, *argum. l.* 14. *supr. de usufr.* sed posterius verum est, ex propria haeredis significatione, quae et haeredum haeredes complectitur, *l. haeredis* 65. *ff. de V. S. et per l. non aliter ff. de legat.* 3. alia ratio ususfructus, qui si ad haeredis haeredem pertineat, proprietas Domino semper esset inutilis; Hinc
4 ergo sequitur, regulam esse, per haeredem haeredis etiam haeredem intelligendum esse, *per d. l.* 65. *ff. de V. S. et ibi Goedd.* quod etiam in annuis legatis verum est per hunc textum, *Covarr. lib.* 3. *resol. cap.* 9. *num.* 10. *Barry lib.* 9.
5 *tit.* 25. *num.* 7. Sed excipiuntur a regula ea jura, quae sui natura non transeunt ad haeredem, *per d. l.* 14. *Tiraq. in tr. le mort. etc. p.* 2. *declar.* 5. *et p.* 4. *declar.* 4. *Barry d. l. Hillig. in Donell. lib.* 10. *tit.* 17. *lit. E.* Alias exceptiones habet *Goedd. d. l.*

L. Cum quaestio. 23.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Lex haec una est ex 50. *decisionibus.* 2.
Alius casus. 3.
Una res saepius legata non nisi semel est praestanda. 4.
Quid si res eadem in duorum testamentis saepius legata? 5.
Sola voluntas testatoris legitima dominatur in testamentis, maxime in legatis et fideicommissis. 6.

1 Quidam legat fundum Titio, postea ejusdem fundi dimidiam partem legat Cajo; Quaer. *Quantum in fundo debeatur Titio, quantum Cajo?* Et videtur 1. dicendum, fundum in tres partes esse dividendum, de quibus duas accipere debet Titius, unam Cajus, *per l.* 13. §. 4. *ff. de haer. inst.* Deinde videtur, dimidiam integram habere Titium, in altera dimidiam ambos concurrere, §. 8. *Inst. h. t.* Sed Justinianus constituit, ut ex aequo fundus inter Titium et Cajum dividatur, quando enim testator dimidiam fundi Cajo legat, hanc dimidiam Titio ademisse videtur, et *in d. l.* 13. §. 4. alia species est. Nam totus ibi As legatur Titio, postea sex unciae Cajo, non adjecto, quod hae sint dimidia ejusdem assis, quem Titio legaverat, et *d.* §. 8. intelligendus, quando duobus res solida (in solidum) legata est, quamvis itaque nonnulli, ut *Cujac. Ant. Matth. ab Hilligero*, mox allegando, citati, dictam *l.* 13. §. 4. *per hanc legem*, ut quae una est ex 50. decisionibus, correctam 2
esse putent, verius tamen est, alium ibi casum proponi, nam non potuisset Imp. dicere, hoc manifestum esse, si contrarium olim receptum, *Vult. in* §. 5. *Inst. de haered. inst. Hilliger. in Donell. lib.* 6. *c.* 22. *lit. C.*

§. 1. Quidam unum et eumdem fundum legat 3
Titio et Cajo, Titii autem aliquoties mentionem fecit; Quaer. *An Titius propter geminationem plus in fundo habeat, quam Cajus?* Videtur quod sic, *arg. l.* 4. *ff. de stipul. serv.* Sed Neg. hic, quia res eadem uni saepius legata, non 4
nisi semel praestanda, *l.* 34. §. 1. *ff. de legat.* 1. *ibique Auctor num.* 4. quia una res legata est. Idem ergo, si una res duobus, et uni quidem saepius legata sit, aliud autem in stipulationibus. Sed quid si in duorum testamentis res eadem 5
saepius legata? Vide *Auctor in l.* 34. *ff. h. t. num.* 5. Ex *fine legis* Colligitur: solam volun- 6
tatem testatoris legitimam dominari in testamentis, maxime in legatis, et fideicommissis, *Carpz. p.* 3. *const.* 7. *def.* 23. *Reusner. de testam. p.* 1. *c.* 1. *num.* 38. *et seqq.*

L. Cum quidam. 24.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Cui nihil damus, eum praestatione legatorum onerare non possumus. 2.
Quid si exhaeredato filio fundum testator legaverit, an ad eam usque quantitatem onerare legatis substitutum possit? 3.
Quando quis filium exhaeredavit vel praeteriit, ab ejus substituto vel legitimo haerede non potest pater legata aut fideicommissa relinquere, licet filio legaverit. 4.

Pater exhaeredat filium et ipsi substituit Cajum: 1
Quaer. *An testator (Pater) ab hoc Cajo aliquid legare possit Titio?* Videtur quod sic, quia huic aliquid dedit per substitutionem, ergo et onus legati praestandi ipsi imponere potest, *l.* 1. §. 6. *ff. de legat.* 3. Sed Neg. *ob reg. in l.* 9. *infr. de fideicomm.* Cui nihil damus, eum prae- 2
statione legatorum onerare non possumus, quia filio nihil dedit de bonis suis, nec substituto quid dedit de suis bonis, sed filio tantum pupillariter substituit. Sed quid si exhaeredato filio fundum 3
legaverit, an ad eam usque quantitatem onerare legatis substitutum potest? Neg. *hic et l.* 87. §. 7. *ff. ad l. Falc.* Quamvis ab ipso exhaeredato tantum, quantum ipsi legatum est, legari possit, *l.* 41. §. 3. *ff. de testam.* ratio innuitur *in d. l.* 87. §. 7. quia eo casu non haereditatis paternae portio, sed legatum ad eum pervenit, i. e. non aeque uti haeres haeredis, *l. ult. C. de haered. inst.* ita et legatarii haeres censetur testatoris, *Hill. in Donell. lib.* 8. *cap.* 7. *lit. E.*

1 Collige *ex hac lege:* Quando quis filium exhaeredavit, vel ex causa praeteriit, vel sine causa, ab ejus substituto vel legitimo haerede non posse patrem legata aut fideicommissa relinquere, licet filio aliquid legaverit, *M. Ant. Peregr. de fideicomm. art.* 8. *num.* 19. *P. Gregorius lib.* 42. *tit.* 22. *num.* 2. *Donellus lib.* 8. *c.* 7. *post lit. D. Barry lib.* 8. *tit.* 5. *num.* 6.

L. Si legatarius. 25.

SUMMARIA

Legatarius testamentum in fraudem haeredis celans amittit legatum et hoc haeredi applicatur. num. 1.
An idem in haerede testamentum celante? 2.
Quando quis privatur lucro aliquo contemplatione alicujus tertii, lucrum illi in dubio, quaeritur cujus contemplatione privatur. 3. 4.
Ubi quis se indignum reddit, poena non applicatur Fisco, sed ei, in cujus praejudicium tendebat delictum. 5.
Aliud subjicitur exemplum. 6.
Alii casus, quando non Fisco sed parti lucrum amissum applicatur. 7.
Tutor pupillo substitutus ob recusatam tutelam a substitutione non repellitur. 8.

1 Legatarius, in fraudem haeredis celans testamentum amittit legatum, et hoc applicatur haeredi, quia scil. prohibitio favorem haeredis spectat, ideo non Fisco, sed haeredi legatum applicatur, *arg. l.* 5. §. 2. *ff. de his quibus ut indig.* plura exempla videbis *in Peregrino de jure fi-*
2 *sci lib.* 2. *tit.* 2. *num.* 5. Idem putant esse in haerede celante testamentum; Ex quo textu
3 colligunt regulam: Quando quis privatur lucro aliquo, contemplatione alicujus tertii, lucrum illi in dubio quaeri, cujus contemplatione privatur, *Roman. sing.* 699. *Ant. Gabr. lib.* 7.
4 *comm. concl.* 17. Et quando causa, ob quam quis indignum se reddit, respicit solum favorem certae personae, legatum et fideicommissum, quod ab eo auferetur, applicatur illi certae personae, *Nevizanus cons.* 3. *num.* 2. *Berous cons.* 32. *num.* 24. *et seq. l.* 2. *Men. cons.* 1189. *num.* 31. sic dos, quae aufertur a muliere post mariti mortem stuprum passa applicari mariti haeredibus, *Men. d. l. et Peregr. de jure Fisci lib.* 2. *tit.* 3. *num.* 5.
5 Notetur etiam hic casus; ubi quis reddit se indignum, et tamen poena non adjudicatur Fisco, sed ei, in cujus praejudicium tendebat
6 delictum: aliud hic additur exemplum de tutore, cui aliquid contemplatione oneris legatur, nam amittit legatum, nisi sit incapax, aut testator alias etiam legaturus probetur, *Gl. hic et Jo. Guttierez de tutel. p.* 1. *c.* 22. Sed amissum penes haeredem manet, *hic et l.* 5. §. 2.
7 *ff. de his quibus ut indign.* Alios casus, quando non Fisco, sed patri applicatur lucrum amissum, Vid. *in Coll. Arg. in d. tit. de his quib. ut indign. th.* 4. *et Don. lib.* 8. *c.* 17. *lit. T.* ut si inimicitia emerserit, *l.* 9. *d. tit.* vel haeres testatori palam maledixerit, *d. l.* 9. §. 1. *et* 2. Obi-
8 ter hic notandum: Tutorem pupillo substitutum, ob recusatam tutelam a substitutione non repelli, per *l. amicissimos* 36. *ff. de excus. tut. Guttierez d. l. num.* 15.

L. Illud. ult.

SUMMARIA

Fundus ad 10. *usque annos legatus an decennio lapso adhuc debeatur? num.* 1.
Deciditur per distinctionem inter jus vetus et hodiernum. 2.
Cur obligatio tempore non finiatur? 3.
Quod si finito illo tempore haeres non amplius sit in vivis, an restituenda sit res legata haeredis haeredi? 4.
Aliud in fideicommisso. 5.
Legatum rei ad tempus simpliciter legatae finito tempore ipso jure finitur. 6.
Si testator disposuit, ut mortuo legatario res redeat ad haeredes infra scriptos, an ad haeredes unius haeredis etiam revertatur? 7.
Fundo quoad vitam legato proprietas legata videtur; ita tamen, ut finita vita legatarii fundus revertatur ad haeredem. 8.

Quidam legaverat fundum usque ad decem an- 1
nos, Quaeritur: *An lapso decennio adhuc debeatur?* Olim erat invalidum, scil. quatenus temporale 2
erat: nam tempore finiri legatum nequit, *l.* 55. *ff. de legat.* 1. Ergo ipso jure legata ea erant perpetua, licet legatarius post decem annos, petens legatum, exceptione doli a jure praetorio repelleretur, sed Justinian. hic constituit talia temporalia legata valere, et lapso tempore ipso jure expirare, hocque exemplo Contractuum et Donationum, quod de quibusdam exemplis intelligendum, ut casu *legis* 1. *infr. de donat. quae sub modo etc. et in Lege commissoria.* Nam in aliis exemplis dominium non fit irritum, sed tantum datur condictio. Sed in specie *legis nostrae*, a legatario praestanda est cautio de re in eadem bonitate restituenda, et sua culpa non deterioranda. Sed Quaeritur: *Cur obligatio tempore non* 3
finiatur? Resp. *Castr. et caeteri hic*, quod obligatio firmius inhaereat ossibus contrahentis, quam dominium; Sed Quaeritur: *Quid si finito* 4
illo tempore haeres non amplius sit in vivis, restituenda est res legata haeredis haeredi? Quod affirmat *hic Castr.* quia legatum temporale, hoc ipso jure finitum, per *hanc legem.* Aliud si fideicommissum post tempus certum 5
haeredi testatoris restituere jussus, per *l.* 16. §. 2. *ff. de min.* nam tunc caducatur dispositio, nec admittitur haeres haeredis, *Vinc. Fusarius de substit. q.* 343. *num.* 8. *Peregr. de fideicom. art.* 32. *num.* 74. Sed quando res simpliciter le- 6
gata ad tempus sc. ad vitam legatarii, tunc hoc legatum ad tempus relictum, tempore finito ipso jure finitur, et sic finito jure legatarii revertitur dominium rei legatae non tantum ad haeredem testatoris, sed etiam ad haeredis haeredem, per *hanc l. ult. Bart. Bald. Salyc. Castr. et caeteri in hac l. Fusarius d. q.* 343. *n.* 11. *Cephal. cons.* 158. *num.* 27. *lib.* 2. ubi toto consilio tractat eam quaestionem, si testator dispo- 7
suit, ut mortuo legatario res redeat ad haeredes infra scriptos, an ad haeredis unius haeredes etiam revertatur? Quod affirmat et contrariis respondet. Si autem fundus quoad vitam sit 8
legatus, videtur tamen proprietas legata, *arg. hujus textus, Castr. hic*, quem laudat *Mantica lib.* 9. *tit.* 2. *num.* 28. ita tamen, ut finita vita legatarii jure fideicommissi revertatur fundus ad haeredem.

TITULUS XXXVIII.

De verborum et rerum significatione.

L. Praediis. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Fundo instructo legato non veniunt venalia frumenta, quae ibi sunt. 2.
Nec quae tutelae causa et ad tempus ibi sunt. 3.
An merces venales veniant nomine mobilium? 4.

1 Fundus instructus mihi fuit legatus, in quo fundo etiam habetur vinum et oleum. Quaeritur: *An etiam haec nomine fundi instructi contineantur?* Resp. Si vinum aut oleum ibi habuit paterfam. ut venderet, vel temporis causa ibi asservaret, vel ob tutelam, i. e. securitatem, et ut a latronibus defenderet, non continentur haec nomine fundi instructi, *hic et. l.* 12. §. 29. *et seq. ff. de instruct. legat.* quia fundi instruendi gratia ibi non reposita, si vero ideo reposita, ut iis in isto fundo uteretur, veniunt nomine
2 fundi instructi. Collige: Fundo instructo legato, non venire venalia frumenta, quae ibi sunt,
3 *Carpzov. p.* 3. *const.* 13. *def.* 23. Si nec ea, quae tutelae causa ad tempus ibi sunt, *Carpzov. d. l. Mantica d. c.* 2. *num.* 20. quamvis autem qui-
4 dam ex hac lege colligant, merces seu res venales non venire nomine mobilium, id tamen ab hac lege alienius est, cum hic non de mobilibus, sed in specie de instrumentis fundi sermo sit, *Godd. ad l. mercis appellatio* 166. *ff. de V. S. n.* 4. *Carpz. p.* 3. *jurispr. for. t.* 24. *const.* 8.

L. Fundo. 2.

SUMMARIA

Fundo instructo vel ut instructo legato quaenam legata intelligenda veniant? num. 1.
Differentia inter legatum fundum cum instrumentis et instructum. 2.
Instrumenta et fruges, si legentur, extare debent. 3.
Locator tenetur conductori instrumenta agri tradere. 4.

1 Quando fundus instructus, vel ut instructus est, legatus est, veniunt instrumenta non tantum fundi, sed etiam patrisfamilias ipsius, ut vestis usus gratia ibi reposita, *d. l.* 12. §. 27. *et* 37. *Auctor in l.* 12. *ff. de instruct. vel instrum.*
2 *leg. num.* 3. et sic apparet differentia inter legatum fundum cum instrumentis, et instructum, nam illo casu instrumenta fundi, hoc casu etiam domini instrumenta legata intelliguntur, per *d.* §. 27. *Men. l.* 4. *praes.* 154. *num.* 14. *et Barry l.* 9. *tit.* 12. *n.* 10. *Carpz. p.* 3. *const.* 1. *def.* 12. *Wesenb. ad* §. *si quis ancillas.* 17. *num.* 6. *Inst. de legat. et ibidem Harprecht. n.* 11. *et Schneid. num.* 11. *etc.* etiam quae tum ad colendum fundum, tum ad colligendos fructus vel servandos pertinent, ut villicus, mancipia, pecora, quae ad stercorandum agrum, vel pascendi causa in praedio habentur. Sed haec omnia intelligenda 3
sunt de instrumentis et frugibus extantibus, nam ea si non extent, haeres suppeditare non tenetur. Vid. *Surdus dec.* 201. *in fine.* Colligi etiam potest ex *hac lege:* Locatorum teneri in- 4
strumenta agri tradere conductori, si extent, *Surd. d. loc.*

L. Sancimus. 3.

SUMMARIA

An in legatis cautio fidejussoria praestetur, an vero nuda promissio sufficiat? num. 1.
In quibusnam causis cautio fidejussoria soleat exigi? 2.
Quaeritur, quamnam utilitatem habeat cautio haec nuda, si quidem haeres jam ante praestitam cautionem legatario est obligatus? 3.

Saepe in materia legatorum haeres vel legata- 1
rius cautionem praestare tenetur. Quaeritur ergo: *An cautio fidejussoria intelligenda?* Neg. Sed sufficit nuda promissio, quod ex hoc textu communiter colligunt Doctores, *Gail. lib.* 1. *obs.* 26. *num.* 6. *Lud. Schrad. de feud. p.* 10. *sect.* 20. *num.* 291. *Hering. de fidejuss. c.* 5. *num.* 89. *Petr. Barbosa in l. divortio* 8. §. *interdum num.* 22. *ff. sol. matrim.* nisi adjunctum verbum, vel materiae conditio aliud postulet, *l.* 1. §. 9. *ff. de collat. l.* 4. §. 8. *ff. de fideicommiss. libertat.* Nam si idonea vel sufficiens causa exi- 2
gatur, ut jus praetorium cautionem exigat, aut in ea materia communiter soleat satisdatio exigi, satisdationem per fidejussores praestandam esse volunt, item si persona sit suspecta, de qua re Vid. *Corsetus Singul.* 42. *Hier. de Caeval. lib.* 1. *q.* 66. *Vivius dec.* 137. *Gail. Schraderus, Hering. dictis locis.* Sed Quaeritur: *Quam* 3
utilitatem habeat haec nuda cautio, si quidem haeres jam ante praestitam cautionem legatario est obligatus? Resp. *Barb. d. l. num.* 23. in hoc versari utilitatem, quod legatarius plures actiones habeat, et haeres teneatur instrumento paratam executionem habente fateri suam obligationem; sed hypothecam bonorum sub nuda cautione non contineri recte ex *hac lege* probat *Barb. d. l. num.* 24. et sic non habebit legatarius hypothecam in bonis haeredis, nisi in cautione ipsi sit constituta hypotheca bonorum haeredis.

L. Cum quidam. 4.

SUMMARIA

Distinctio inter disjunctivam personarum in testamento vel codicillis positam, et inter disjunctivam rerum. num. 1.
Explicatio utriusque per exemplum. 2.
Alternativa inter personas honoratas posita resolvitur in copulativam. 3.
Limitatur haec regula octo modis. 4.

1 Distinguitur inter disjunctivam personarum in testamento vel codicillis positam, et inter disjunctivam rerum. Quando disjunctiva personarum
2 est, v. g. Titius aut Cajus haeres esto, vel liber esto, vel tutor esto, ille vel ille habeat hoc legatum etc. particula disjunctiva habenda est pro conjunctiva, ut uterque concurrat ad removendas veterum ambiguitates. Quando vero est disjunctiva rerum, v. g. hoc aut illud habeat legatarius, proprie disjunctiva est intelligenda, et electio regulariter est legatarii, §. 22. *Inst. de legat. l.* 31. §. *pen. ff. de legat.* 1. Unde colligitur
3 regula; Quod alternativa, inter personas honoratas posita, resolvatur in copulativam, *Dauth. de testam. tit. de Instit. num.* 280. quam regu-
4 lam *hic Jason.* octo modis limitat: 1. Limitatur seu potius declaratur, si inter personas honoratas ponatur, sicuti etiam sonat regula, nam si inter gravatas ponitur, retinet naturam suam, ut *l.* 8. §. 1. *ff. de leg.* 1. quod vero hic de tutela dicitur, favore pupilli fit: - 2. Non habet locum, si haeredi vel alteri expresse committatur electio, *per l.* 16. *ff. de leg.* 2. - 3. Notabiliter limitatur inter personas, inter quas cadit ordo affectionis, *l. cum pater* 77. §. *pen. ff. de legat.* 2. Sicut hanc limitationem ex *Jason. hic* probat *Peregrinus de fideicom. art.* 18. *n.* 24. *Menoch. quaest.* 187. *num.* 20. *Fusarius q.* 476. *num.* 80. Conferatur *Thesaurus p.* 3. *q.* 38. *num.* 5. - 4. Limitatur, quando inter personas non potest actus valere, ut si quis sibi vel Titio stipuletur. Sed haec limitatio non continetur sub regula, quae de eo casu tantum loquitur, quando tertius inter duas alias personas disponit, ut recte animadvertit *Petr. Barb. ad l. Cajus* 46. *num.* 19. *ff. sol. matr.* ubi dicit: si quis interponat suam personam, tunc nos esse extra terminos hujus legis: - 5. Limitatio plana, quando duo electi ad aliquod officium: - 6. Est in materia dotis in *d. l. Cajus.* Sed jam antea ad quartam dixi, hanc limitationem esse extra terminos legis ex *Barbosa ad illam legem:* - 7. *et* 8. Quando intentio testatoris repugnat, sed nec hac limitationes ad regulam pertinent, quod vero in fine dicitur, idem esse in contractibus, id vero *a Barb. d. l. num.* 20. recte ad ultimum refertur, scil. ad alternativam rerum, de quo proxime dixerat.

L. Suggestioni. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quid per familiam *sit intelligendum?* 2.
An etiam adfines intelligantur? 3. 4.
Quoties testator mentionem facit de familia, non solum descendentes, sed et transversales, imo etiam gener et nurus debent intelligi. 5.
Proximior in gradu dilectior testatori praesumitur. 6.
Quando sub nomine collectivo complures ad fideicommissum vocantur, isti non simul vocati videntur, sed eo ipso ordine, qui in successione intestati servatur. 7.
Testator in dubio conformare se voluisse praesumitur juri communi, quod proximiores admittit remotioribus exclusis. 8.

Quidam familiae suae decem legavit, vel cum 1
alii legasset fundum, prohibuit ne alienet, alias se familiae cum legare; Quaer. *Quid per fami-* 2
liam intelligendum sit? Resp. gradatim intelligendos esse liberos, et parentes, post hos cognatos et demum affines (quorum alias non est successio legitima, *l.* 7. *infr. comm. de success.*) non tamen omnes, sed tantum generum et nurum, soluto per mortem scil. conjugio. Nam alias uxor generi seu filia praecederet, unde colligunt *DD.* in materia favorabili intelligi adfi- 3
nes etiam soluta adfinitate, sed id ad terminos suos coercendum. Vid. *Riminaldus cons.* 202. *num.* 3. *et num.* 31. et demum post hos etiam libertus vocatur, et est igitur haec significatio vocabuli *familiae* latissima, nam quamvis alibi foeminae non veniant appellatione familiae, *Viv. lib.* 1. *decis.* 10. hic tamen secus. Et intelligun- 4
tur hic etiam adfines, scil. ob praesumptam testatoris voluntatem, Vid. *Mantica lib.* 8. *tit.* 8. *num.* 7. *Tiraq. de retr.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 237. Sed haec omnia gradatim intelligenda, ut primum liberi, post parentes intelligantur, et sic deinceps, *Mantica d. tit.* 12. *num.* 3. Quod si vero familiam meam reliquerim, vox ista referenda est ad res, non personas, et intelligendum est meum patrimonium. Apparet ergo *ex hac lege*, veram esse sententiam eorum, qui dicunt, quoties testator mentionem facit de fa- 5
milia, quod non solum descendentes, sed etiam transversales, imo gener et nurus debeant intelligi, *Mant. d. l. Gratianus disc. for.* 615. *Fusarius q.* 351. *num.* 1. *et seqq.* Collige etiam. Proximiorem in gradu, dilectiorem praesumi 6
testatori, *hic et l.* 37. §. *ult. ff. ad SCtum. Trebell. Carpz. p.* 3. *c.* 8. *d.* 7. *num.* 9. et quando sub 7
nomine collectivo, v. g. liberorum, cognatorum, familiae, complures ad fideicommissum vocantur, videri eos non simul vocatos, sed eo ipso ordine, qui in successione intestati, servaretur, *DD. hic et Carpz. p.* 3. *c.* 8. *d.* 26. *et p.* 3. *c.* 10. *def.* 5. et quod testator in dubio conformare se 8
voluisse praesumatur juri communi, quod proximiores admittit remotioribus exclusis, *Carpz. p.* 3. *c.* 9. *def.* 17. Et ex hoc textu colligit *Menoch. cons.* 277. *num.* 29. non licere haeredi gravato eligere remotiores praeteritis propioribus, si familiae res legata.

TITULUS XXXIX.

Si omissa sit caussa testamenti.

SUMMARIA

Haeres, qui ex testamento adire noluit haereditatem, sed ab intestato possidet, ut legatariis et fideicommissariis obligetur, quaenam requirantur? num. 1. 3. 5.
Quando testamentum nullum est, non potest dici haeres omisisse haereditatem. 2.
Haerede scripto possidere desinente duo tenentur. 4.
Excipitur substitutus. 6.
Actio ex hoc edicto quando cesset? 7.

1 Haeres qui ex testamento adire noluit haereditatem, sed ab intestato possidet, legatariis tamen et fideicommissariis obligatur, sed requiritur 1. Ut omiserit causam testamenti, i. e. cum potuerit ex testamento adire, tamen non fecerit.
2 Hinc, quando testamentum nullum est, non potest dici haeres omisisse haereditatem, *l.* 2. *h. tit.* vers. *quod si cum jam etc.* quia non potuit esse haeres ex testamento; sed quid si quis possideat, qui non sit scriptus haeres, sed dolo tantum possideat, cum haerede scripto communicato? Tunc utili actione tenetur, v. g. si substitutus sit, licet omisisse dici non possit, *l.* 1. *h. tit. l.* 3. *ff. eod.* - 2. Requiritur, ut, qui omisit haereditatem ex testamento adire, possi- 3
deat tamen eamdem (non si alius possideat, *l.* 2. vers. *si vero etc. h. tit.)* aut per dolum possidere desierit *argum. l.* 131. *ff. de R. J.* v. g. si transtulit haereditatem haeres scriptus in legitimum, pecunia accepta, *l.* 1. *h. tit. et l.* 2. *ff. eod.* vel etiam gratis in favorem legitimi, *d. l.* 1. *et l.* 4. *princ. ff. eod.* Quando autem 4
haeres scriptus possidere desiit, duo tenentur, haeres scriptus et possessor, licet possessor prius excutiendus sit, *l.* 2. §. 1. *ff. h. tit.* - 3. Re- 5
quiritur, ut possideat ab intestato, *l.* 1. *pr. ff. h. t.* Excipitur substitutus, *per l.* 1. *h. t.* quia 6
habita comparatione institutionis primae perinde habetur hic, quasi ab intestato, possideret: 4. Requiritur fraus et dolus, *l.* 1. *h. tit. et l.* 6. §. 8. *ff. eod.* Cessat ergo ex hoc edicto 7
actio, si justa causa sit omittendae haereditatis ex testamento, *l.* 6. §. 2. *et l.* 77. §. 31. *de leg.* 2. *et l.* 6. §. 1. *ff. h. t.* et vid. *Colleg. Arg. h. t. th.* 4. *Duar. in hoc tit. cap.* 5. v. g. si uxori minus sit legitima et statutaria portione legatum, aut uxor in parte, quae minor sit portione statutaria, instituta, potest relictum in testamento respuere, et portionem statutariam petere, *Dn. Kohl. constit. Marchiae q.* 11. *num.* 12. Habet tamen haeres scriptus hoc commodum, ut Falcidiam deducere possit, *l. ult. h. t. l.* 18. §. 1. *ff. eod.*

TITULUS XL.

De indicta viduitate, et Lege Julia Miscella tollenda.

SUMMARIA

Conditiones impossibiles et legibus adversantes, legatis adjectae, pro non scriptis habentur. num. 1.
Olim conditio v. g. si non nupserit, *a Lege Miscella in uxoribus approbabatur, ita, ut cautionem Mutianam de restituendo legato exponere necesse haberent, si nup erint.* 2.
Hodie a L. Julia sublata. 3.
Correlativorum eadem est disciplina, et dispositum in uno, dispositum quoque videtur in altero. 4.
Imo juramentum, quo promitti solet viduitas, hac L. Julia rejicitur. 5.
Lex Miscella iterum in usum revocata, et quid in ea constitutum? 6.
An virgo desponsata nondum cognita a sponso sub ea conditione instituta haeres, si innupta manserit, an, inquam, ei remittenda sit conditio viduitatis? 7.
Discrimen inter conditionem, si non nupserit, *et* donec nupserit. 8.
An Authentica haec *pertineat etiam ad virgines?* 9.
Quid si maritus legaverit uxori, si caste vixerit, *an videatur viduitas indicta?* 10.
Deciditur per distinctionem. 11.
Conditio de absolute vitandis nuptiis etiam primis tum demum improbatur, quando confertur in personam legatarii, non vero extranei. 12.
Exemplo illustratur. 13.
Quando quid relinquitur his verbis, Si vidua *vel* cum vidua erit, *an indicta viduitas?* 14.
Quid si sub hac conditione, Si non nupserit. 15.
An indicatur viduitas, si cum certis personis matrimonium prohibeatur. 16.
Restrictio ad certum tempus aut locum in fraudem legis facta eo fine, ut plane quis abstineat, pro nulla habenda. 17.
An conditio, Si arbitratu Maevii nupserit, *indicat, et pro nihilo habenda.* 18.
Quid si cum consilio Maevii *jubeatur nubere?* 19.

Non remittitur viduitatis conditio si favor concurrat major. 20.
Si in casum nuptiarum pia causa substituitur, non remittitur conditio viduitatis. 21.

1 Conditiones impossibiles, vel quae legibus adversantur, si legatis adscribantur, pro non scriptis habentur, *l.* 3. *ff. de condit. et demonstr. ibique Auctor num.* 1. *et* 2. *ut et in l.* 1. *ff. de condit. instit. num.* 1. qualis conditio est; si viduitas alicui injungatur, i. e. Si non nupserit. Ratio, est, quia legatarius spe legati movebitur, ne nubat, cum tamen reipubl. intersit, eam hominibus legitime natis augeri, *l.* 2. *in fin.*
2 *h. tit.* Haec enim conditio sive primas sive secundas nuptias prohibeat, a lege Miscella in uxoribus probabatur, et necesse habebat uxor cautionem Mutianam exponere de restituendo lega-
3 to, si nupserit; Sed lex Julia, *l.* 6. §. *ult. ff. de jure patron.* eam legem sustulit, et indistincte tales conditiones, quibus etiam secundae nuptiae prohibentur, rejecit, *l.* 2. *h. tit.* tam in masculis, quam foeminis, *l. ult. pr. h. tit. Mantica lib.* 11. *tit.* 19. *num.* 12. *Vinc. de Franch.*
4 *dec.* 174. unde regulam colligunt, correlativorum esse eamdem disciplinam, et dispositum in uno dispositum videri in altero, *hic et l. fin. C. de fructibus et lit. expens. Cephal. consil.* 408. *Barbosa locuplet. lib.* 3. *cap.* 70. *axiom.* 112.
5 rejecit et juramentum, quo promittere solebant viduitatem, quia occasio perjurii, quod leges puniunt, *l.* 2. *h. t.* Sed *in Auth. cui reli-*
6 *ctum etc.* lex Miscella iterum in usum revocata, et constitutum, ut viduitas a secundis nuptiis injungi cum legato possit, sive a marito vel uxore, sive ab extraneo, nec solvi debeat, nisi post annum, et ut legatarius debeat praestare cautionem Mutianam sive juratoriam, seu per fidejussores, *Nov.* 22. *cap.* 43. Unde quaeritur,
7 an virgo desponsata nondum cognita a sponso sub ea conditione instituta haeres, si innupta manserit, an, inquam remittenda ei sit conditio viduitatis, et affirmatur a *Decio ad rubr. et Dn. Richtero ad Auth. praesertim num.* 14. *et seq C. de sec. nupt. num.* 4. *Hipp. crimin. cons.* 153. *num.* 55. sicut etiam vidua, si sponsalia secunda contraxerit, mortuo ante consummationem sponso, nondum se privavit legato sub condi-
8 tione viduitatis relicto. Et in hoc casu notandum discrimen, inter conditionem si non nupserit, et donec nupserit; nam illo casu secutis nuptiis secundis, legatum repetitur per rei vindicationem; altero vero casu, legatum non amittitur simpliciter, nec pro praeterito tempore, sed futuro, quia idem est ac si dictum, solvatur hoc, donec erit vidua, *Grassus* §. *legatum q.* 53. *Mantica lib.* 11. *tit.* 19. *num.* 17. *seqq. Menoch. lib.* 4. *praes.* 187. *Barry lib.* 17. *tit.* 15. *num.* 16.
9 *Sed Authentica haec* ad viduas pertinet, non vero ad virgines, licet desponsatas, *Peregrinus* *art.* 11. *num.* 118. *Gomez t.* 1. *c.* 12. *num.* 78.
Grassus §. *legatum q.* 50. Sed si *maritus lega-* 10
verit uxori, si caste vixerit, *an videtur viduitas indicta?* Distinguere solent, an conditio haec 11
lata a marito, de quo etiam quaestio a me formata, vel ab ejus filio, an vero a patre vel alio, primo casu viduitatem esse indictam, ex diverso harum personarum voto, *arg. l.* 22. §. 4. *ff. ad SCt. Trebell. Mant. lib.* 11. *tit.* 9. *num.* 32. *Grassus q.* 54. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 183. *num.* 31.
Barry lib. 17. *tit.* 15. *num.* 9. Sed notandum 12
I. conditionem de absolute vitandis nuptiis etiam primis tunc improbari, quando confertur in personam legatarii, non vero extranei, v. g.
lego Titio centum, si Sempronia non nupserit, 13
talis conditio non improbatur. Nam Semproniae nihil legatum, atque ideo non potest dici, ob commodum legati indictam viduitatem, *l.* 1. *h. t.* quia propterea Sempronia non abstinebit a nuptiis, ut Titius legatum consequatur, nisi ipsi sit sanguine juncta, quo casu forte in fraudem legis esset lata conditio, *l.* 79. §. *fin. ff. de condit. et dem. Barry lib.* 17. *tit.* 15. *num.* 3. *Donell. lib.* 8. *c.* 32. Vel si legatarius sit jussus restituere mulieri, *Mantic. lib.* 11. *tit.* 19. *num.* 5.
II. Non indici viduitatem, quando quid relin- 14
quitur his verbis: *Si vidua erit*, vel *cum vidua erit*, nam his verbis nulla injungitur perpetua viduitas, sed sufficit tunc esse viduam, cum dies legati cedit. Tunc enim verum est, conditionem
esse impletam licet postea nupserit. Sed si legatum 15
sub hac conditione relictum, *si non nupserit*, indicitur viduitas, quia hoc actum, ne omnino nubat, et hoc casu semper potest revocari legatum, *l. ult.*
vers. *sed quia apud Ulpianum etc. h. tit.* III. Nec 16
indici viduitatem, si cum certis personis matrimonium prohibeatur, *l.* 63. *ff. de condit. et dem.* nec si certum tempus, *si liberis impuberibus non nupserit*, *l.* 62. §. *ult. ff. de cond. et demonstr. Mantica d. t.* 19. *num.* 6. Si tamen aliter commode nubere non possit, nisi Titio, rejicitur
conditio, *l.* 64. §. *ult. d. t.* Et sane si restrictio 17
etiam ad certum tempus aut locum facta, in fraudem legis facta eo fine, ut plane abstineat, pro nulla habenda, *Peregr. d. l. Mant. d. t.* 19.
num. 7. *Barry d. l. num.* 2. quamvis autem non 18
videatur indicta viduitas per haec verba, *Si arbitratu Maevii nupserit*, per indirectam tamen haec etiam indicit, et ideo pro nihilo habenda, *l.* 72. §. 4. *ff. de cond. et demonstr. Grassus. d. q.* 50. *num.* 9. *Riccius coll. dec.* 1351. *Donell. lib.* 8. *c.* 32. *post lit. K. Mantica lib.* 11. *tit.* 18.
num. 11. Aliud autem, si jubeatur puella nu- 19
bere cum consilio *Maevii*, *Mantica d. tit.* 18. *num.* 10. Aliud enim consilium, aliud arbitrium, *de Praetis lib.* 4. *interpr.* 2. *dub.* 1. *n.* 26. *Barry lib.*
17. *tit.* 14. *in fin.* Denique non remittitur con- 20
ditio viduitatis si concurrat favor major v. g libertatis, *l.* 96. §. *ult. ff. de cond. et demonstr.*
Unde si in casum nuptiarum pia causa substi- 21
tuatur, non remitti conditionem viduitatis tradit *Tiraq. privil. piae causae* 18.

TITULUS XLI.

De his, quae poenae nomine in testamento vel codicillis scribuntur vel relinquuntur.

L. Supervacuam. un.

SUMMARIA

Legatum poenae loco olim non valuit. num. 1.
Legata ex benevolentia debent proficisci, non ex odio et sinistro affectu. 2.
Quid si infligeretur poena ob factum, vel non factum extranei, et conditio voluntaria dependens a facto extranei adjiceretur adquisitioni legati? 3.
Hodie indistincte ejusmodi legata sunt valida. 4.
Nisi haeres jussus sit facere impossibile, vel legibus interdictum. 5.
Conditio impossibilis adjecta ipsum legatum poenae vitiat. 6.
Exempla subjiciuntur. 7.
Ampliatur. 8.
Jus hodiernum. 9.
Qualis molestia intelligatur? 10.
An pater hodie sub poena prohibere possit, ut filius non accipiat legitimam? 11.

1 Quod poenae nomine i. e. coercendi haeredis causa relinquitur, v. g. si haeres filiam uxorem Titio elocaverit, det Cajo centum, vel a legatario in alium transfertur, olim non valuit, nam *l.* 1. *ff. de penu legata*, *l.* 1. §. 8. *ff. ad l. Falcid. l.* 19. *ff. quando dies legat. cedat*, nihil poenae i. e. coercendi haeredis causa legatur, sed legatum tantum confirmatur legatario, *Donell.* 2 *lib.* 8. *cap.* 16. quia legata ex benevolentia proficisci debent, non ex odio, et sinistro affectu §. *ult. Inst. de legat.* nec legata ab arbitrio haeredis dependere debent, *l.* 23. §. *pen. ff. de legat.* 1. 3 Quando vero poena infligebatur ob factum vel non factum extranei, et conditio voluntaria dependens a facto extranei adjiciebatur acquisitioni legati, rata haec erat etiam olim, *l.* 13. *ff. de manum. testam. Peregr. art.* 11. *num.* 86. *Praetis lib.* 4. *inst.* 2. *dubit.* 4. *Barry lib.* 9. *t.* 28. *num.* 2. 4 Hodie tamen valet indistincte legatum poenae causa relictum ex constitut. Justiniani §. *ult. Inst.* 5 *de legat.* nisi facere jussus sit haeres, quod impossibile, vel legibus interdictum, v. g. alienare fundum dotalem, vel probrosum, v. g. expellere uxorem, *l.* 5. *supr. de institut. et substit.* Non enim delinquit, qui tali jussui non obtemperat, quia facere non potest, *l.* 6. *ff. de condit. et demonstr.* Et talis conditio impossibilis vitia- 6 ret ipsum legatum poenae, cum alia legata non soleant vitiare, sed vitiari, *Barry d. l. num.* 1. *et DD. ad* §. *ult.* v. g. si dixerit Titio si suam 7 sororem uxorem duxerit, lego mille, hic conditio turpis, vel impossibilis non vitiat legatum, sed ipsa conditio rejiciatur: Aliud vero, si in poenam omissionis rei turpis quid legetur, v. g. volo, ut haeres meus ducat in uxorem amitam suam, et, si id non fecerit, lego Titio mille, hoc legatum est inutile, et sic est hic aliquod vestigium juris veteris. Sed si in poenam haeredis non facientis aliquid probrosum legetur pio loco, putarem hoc legatum subsistere, v. g. si haeres amitam non duxerit, solvat Ecclesiae mille, hoc legatum non puto nullum, quia in his legatis piis sequimur jus gentium, et non subtilitates juris civilis. Ideo non probo decisionem *Peregrini de fideicom. art.* 11. *num.* 91. ubi *ex Bartolo* refert, quando quis legaret monasterio, et jubet, ut recipiat Titium in Monachum sub poena amissionis legati hic videtur statuere, ut ex verbis praecedentibus colligere hoc legatum foret inane, quod non concedo, quia hoc legatum est piae causae, et ita non irritatur per se, licet onus adimatur, quamvis non sit simonia, recipere Monachum alias idoneum etiam ob spem legati. Et hoc locum habet, sive con- 8 ditio illa a praecepto initium faciat, *expellat uxorem*, vel a conditione, *si expellat*, *Surdus dec.* 232. *num.* 15. *Barry d. l.* Solent autem ho- 9 die haeredes vel liberi sub conditione, si molestiam creaverint scripto haeredi, poena coerceri, ubi omnes concedunt tam molestiam juris quam facti hic intelligi, modo illa molestia juris sit, 10 quae a testatore potuit prohiberi, nam alias testator non potest facere, quo minus leges in suo testamento obtineant; Et de hac molestiae prohibitione *Menoch. lib.* 4. *praes.* 98. *Peregr. art.* 35. *num.* 5. *et seqq. Barry d. l. num.* 5. *et seq.* Et sic etiam pater prohibere sub poena non 11 potest, ne filius legitimam petat, vel ut taxationi bonorum a se factae credat, nec ut haeres solemnia non disputet, *Carpzov. p.* 3. *c.* 7. *def. pen.*

TITULUS XLII.

De fideicommissis.

L. Si probaveris. 1.

SUMMARIA

An legatis alimentis annuis menstruis solutis per triennium ab haerede in futurum mihi etiam praestare ea haeres teneatur? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Objectio diluitur. 4.
Titulus ob defectum solemnitatis invalidus, si agitur de inducenda obligatione in casu favorabili, praestatione triennali convalidatur. 5.
Secus si ex causa inhabilitatis personae testatoris vel ex defectu voluntatis. 6.
Obtinet etiam in legato stipendio ad studia. 7.

1 Fecit quidam testamentum, et injungit haeredi scripto, vel ab eo petit, ut mihi alimenta annua menstrua praestaret, et quidem testamentum illud erat minus solemne, haeres mihi praestitit alimenta per tres annos, Quaer. *An in*
2 *futurum etiam teneatur?* Videtur quod non, nam aut ignorans solvit et non obligatur, aut sciens, et propter primi anni solutionem statim
3 teneretur; Sed Aff. quia si ignorans solvit errans in jure, non potest repetere, et loquimur hic de eo casu, ubi non statim expresse declaravit voluntatem, quod velit agnoscere fideicommissum, sed ex trina solutione colligit Imperator firmum propositum, quod agnoverit, et sic
4 etiam in futurum se obligaverit. Nec obstant *l.* 28. *de pactis et l. 7. supr. de usuris*, quia solutio triennalis non facit obligationem, sed animum parendi obligationi naturali et aequitati declarat.
5 Unde colligunt *DD.* Quando titulus est invalidus ob defectum solemnitatis, et agitur de inducenda obligatione in casu favorabili, convalidatur titulus praestatione triennali, ut *hic* ubi de fideicommisso et alimentis agitur, *DD. hic in l.* 1. *Vasq. p.* 1. *contr. c.* 81. *num.* 42. *Menoch. lib.* 3. *praes.* 131. *num.* 5. *Barry lib.* 10. *tit.* 12.
6 *num.* 3. *et seq.* sed aliud si ex causa inhabilitatis personae testatoris, vel ex defectu voluntatis est nullum, Vid. *Menoch. d. l. num.* 8. *et seq.*
7 Et hoc etiam in legato stipendio ad studia verum esse puto, quicquid dicat *Vasq. de success. progr. lib.* 3. §. 27. *num.* 12.

L. Etsi inutiliter. 2. et L. Si veritas. 23.

SUMMARIA

Fideicommissum, nisi justo testamento, aut legitimis codicillis relinqui non potest. num. 1.
Si veritas deest testamento vel solemnitas, ipso jure non debetur fideicommissum. 2.
Limitatur duobus modis. 3.
Quae ratione conscientiae sunt expedienda, per apices juris disputanda non sunt. 4.
Quoties ex testamento non solemni apparet certa, seria et constans defuncti voluntas, eaque praesumitur libera, nec dolo aut metu extorta, eam haeredes in foro conscientiae observare tenentur. 5.

1 Fideicommissum relinqui non potest, nisi justo testamento, aut justis et legitimis codicillis. Sed
2 si veritas desit testamento, *l.* 23. *h. tit.* id est, si hoc falsum et suppositititium, vel desit solemnitas, id est, non sit justum testamentum, *d. l.* 23. fideicommissum ipso jure non debetur, *l.* 29. *h. t.* nam non sufficit veritas, quae sine solemnitate est, quia non habetur pro veritate, *Afflictus dec.* 25.
3 *num.* 6. Nisi 1. haeres ab intestato successurus etiam rogetur praestare fideicommissum, nam tunc hoc valet non tam ex testamento, quam voluntate defuncti, *l.* 29. *h. tit.* - 2. Nisi sciens haeres defuncti voluntatem agnoverit, sive approbaverit, vel expresse, si scil. per stipulationem promittat se velle solvere legata, *l.* 23. *h. tit.* quia ex nudo pacto non est actio, vel re ipsa praestando fideicommissum, et quidem quod datum est scienter, repeti non potest, *l.* 2. *h. tit.* quia non solvit ob auctoritatem scripturae, sed conscientiam relicti fideicommissi, *d. l.* 2. Inde notant: Ea, quae ratione conscientiae expedien- 4
da sunt, per apices juris disputanda non esse, ex quo probabilis redditur sententia eorum, qui statuunt, quoties ex testamento non solemni 5
etiam apparet certa et seria ac constans voluntas defuncti, eaque praesumitur esse libera, nec dolo aut metu extorta, quod eam voluntatem haeredes in foro animae observare teneantur, *Covarr. in c. cum esses num.* 5. *X. de test. Clarus* §. *testamentum q.* 90. *Molin. tr.* 2. *de J. et J. d.* 81. *num.* 18. *et per totam, Soto de J. et J. l.* 4. *q.* 5. *art.* 3. non tamen sibi praejudicant in aliis, *Jason. hic num.* 9.

L. Cum secundum voluntatem. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Sicuti si debitor succedit creditori actiones confunduntur; ita si gravatus succedat honorato. 2.
Fideicommissum universale purum transmittitur, licet fideicommissarius ante restitutionem moriatur. 3.

Haeres rogatus, ut alteri, v. g. hic puellae 1
manumissae, restituat haereditatem, sed antequam hoc fiat fideicommissaria moritur, cui succedit haeres ut hic patronus puellae, per confusionem ab obligatione praestandi fideicommissi haeres liberatur. Ergo gravatus, si honorato suc- 2
cedat, obligatio confunditur, sicut et alias debitor, si succedat creditori, actiones confunduntur, *l.* 5. *C. de haered. act. l.* 21. *ff. de liberat. leg.* Colligunt etiam ex hac lege: Fideicom- 3
missum universale purum transmitti, licet fideicommissarius ante restitutionem moriatur, quod pluribus hic tractat *Jason.*

L. Voluntas. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Per foeminas familia non conservatur. 2.
Relictum fideicommissum familiae, vel, ne extra familiam alienetur, etiam foeminis debetur. 3.
Limitatur. 4.
Extra familiam alienare prohibitus sororem instituere potest. 5.
Si conjectura alia se offert, quod de solis masculis testator senserit, excluduntur foeminae. 6.
Prohibitio alienationis non impedit alienationes liberorum inter se. 7.
Secus si testator expresse prohibeat. 8.
Fideicommissum extra familiam alienari prohibitum si ex causa voluntaria alienetur, statim a fideicommissariis repeti potest. 9.
Secus si ex causa necessaria. 10.

Quidam prohibuit, ne fundus extra familiam 1
venderetur, vel pignori daretur, filius testato-

ris illum fundum sorori donat; quaeritur, *An contra voluntatem patris egerit?* Videtur quod
2 sic quia per foeminas familia non conservatur; Sed negatur quia foemina etiam est de familia per *l. ult. supr. de V. S.* et sic *DD.* hic aliique com-
3 muniter ex hoc textu colligunt; Quando fideicommissum relictum est familiae, vel ne extra familiam alienetur, deberi etiam foeminis, nec
4 foeminas ab hoc esse exclusas, nisi aliunde appareat diversa mens testatoris, quod voluerit ad conservandam agnationem familiae id relinquere, *Mantica lib.* 8. *tit.* 12. *num.* 6. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 88. *num.* 3. *Masc. concl.* 1243. *num.* 42. *Peregr. art.* 22. *num.* 16. *et Vinc. Fusar. de subst.*
5 *qu.* 352. *num.* 1. *et seqq.* et sic etiam prohibitus extra familiam alienare, potest sororem instituere haeredem, per allegata, et rationes *Fu-*
6 *sarii qu.* 713. sed si conjectura etiam alia esset, quod de solis masculis senserit testator, excludentur foeminae, inter quas etiam proponi solet si verba fideicommissi exprimerent perpetuitatem, *Fusar. d. q.* 352. *num.* 19. Sed forte quis consequentiam desideraret cum iis *DD.* quos recenset *Fusarius num.* 21. Confer. circa hanc legem notata *a Menochio cons.* 197. *n.* 58.
7 *et seqq.* Colligunt etiam, prohibitionem alienationis non impedire alienationes liberorum inter se, *Tiraq. de retr. in praefat. num.* 54. Aliud autem esset, si contraria appareret vo-
8 luntas, ut si testator prohibeat, ne quis liberorum suam partem alii donet in aliorum praejudicium, quos omnes voluit esse aequales, *Me-*
9 *noch. cons.* 1256. *num.* 25. Fideicommissum autem extra familiam alienari prohibitum, si ex causa voluntaria alienetur, repeti a fideicommissariis
10 statim potest; secus si ex causa necessaria, *Auctor in l.* 69. *ff. de legat.* 2. *num.* 2. *et* 3. *et in l.* 38. *ff. de leg.* 3. *num.* 1. *et* 2.

L. Si frater. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Facta substitutio pupillaris per verba directa ultra annos impuberes non extenditur jure fideicommissi. 2.
Limitatur. 3.
Substitutio, quae a principio jure directo valere potuit, non redditur fideicommissaria. 4.
Substitutione pupillari et fideicommissaria facta, si decedat pupillus intra annos impuberes, valebit ut pupillaris, et succedet substitutus in omnibus bonis pupilli, sed si post pubertatem, est fideicommissaria, et succedet tantum in bonis testatoris. 5.

1 Pater duos filios instituit haeredes, secundo primum substituit, si substitutio esset directa pupillaris, secundo pubere mortuo, licet sine liberis, non posset tamen primus ex substitutione directo ipsi succedere, sed si fideicommissum sit, possunt secundi haeredes legitimi compelli, ut retenta Trebellianica restituant haereditatem primo; Sed *unde cognoscitur substitutio pupillaris vel fideicommissaria?* Resp. si simpliciter dixerit, si secundus intra pupillares annos decesserit, procul dubio est pupillaris, et si postea pubes decesserit, non obliquatur substitutio, sed nulla est, nisi verba obliqua fideicommissum exprimentia addita, vel clausula codicillaris; unde recte colligit *Castr. et DD.* quando facta est substitutio pupillaris per verba di- 2
recta, tunc ea ultra annos impuberes non extenditur jure fideicommissi, nisi addita sit clau- 3
sula codicillaris. Unde ulterius hic inferunt: quando a principio potuit valere substitutio jure 4
directo, quod tunc non reddatur fideicommissaria; aliud si ab initio non valuit, ut quia pupillus non fuit in potestate testatoris, nam tunc obliquatur, *l. ex facto in pr. et l. Scaevola ff. ad SC. Trebell. Mantica l.* 7. *t.* 3. *num.* 3. *Fusarius q.* 8. *num.* 3. *et seqq.* Conferatur et *Carpzov. p.* 3. *c.* 8. *d.* 19. *Menochius lib.* 4. *praes.* 55. Colligitur etiam ex *hac lege*; Si fiat substi- 5
tutio pupillaris et fideicommissaria, si decedat pupillus intra annos impuberes, valebit ut pupillaris, et succedet substitutus in omnibus bonis pupilli undecumque adquisitis, sed si post pubertatem, est fideicommissaria, et succedet substitutus tantum in bonis testatoris, *Vasq. de success. progr.* §. 15. *num.* 25. *Fusar. q.* 9. *num.* 3.

L. Praedia. 6.

SUMMARIA

Rem alteri oppignoratam, mihi legatam, haeres luere tenetur, dummodo eam obligatam alteri sciverit testator. num. 1.
Scientia haec a legatario probetur, et quomodo? 2.
Quid si nesciverit testator? 3.
Quid si a creditore res illa fuerit vendita? 4.
Bona perpetuae servituti obstricta haeres liberare non tenetur. 5.
Quid si testator voluerit, ut legatarius lueret, si plus est in debito quam in pignore? 6.

Quando res alteri oppignorata mihi legata est, 1
haeres debet eam luere, *hic et* §. 5. *Instit. de legat. Auctor. in l.* 57. *ff. de legat.* 1. *n.* 1. si modo scivit testator rem esse obligatam, nam tunc verisimile est, eum, qui scit rem pignori obligatam esse, eamque legat, voluisse haeredem suum gravare, ut lueret, *d.* §. 5. et haec scientia a 2
legatario probari debet, *argum. l.* 21. *ff. de probat.* et probatur eo ipso, si probetur ipsum testatorem oppignorasse, quia proprii facti ignorantia non praesumitur, *l.* 7. *ff. ad SCt. Vellej.* vel licet nescierit, ex personae tamen conjun- 3
ctione praesumi potest, testatorem, etiamsi scivisset, idem vel tandundem legaturum fuisse, Vid. *l.* 10. *supr. de legat.* Sed si a creditore ven- 4
dita sit illa res, pretium solvendum est, quia enim res ab invito emptore redimi nequit, ergo aestimatio praestanda. Interdum autem luendi onus legatario incumbit, quando hoc testator expresse voluit, *d.* §. 5. sed et bona per- 5
petuae servituti, vel ad annuam pensionem obstricta, haeres liberare non tenetur, quia fundus legatus talis est dandus, qualis est relictus, *l.* 116. §. *ult. ff. de legat.* 1. *Donell. lib.* 8. *c.* 19. *post. lit. N. Harp. ad d.* §. *in fin.* nam pignus redimere facile, sed a servitute liberare non aeque, *Gomez d. tit.* 12. *num.* 29. *Harpr. d. l.* Si tamen voluerit testator, ut legatarius lueret, si 6

plus est in debito, quam in pignore, v. g. si pignus valeat 200. flor. debitum vero sit 300. flor. legatarius quidem debet solvere 200. ex voluntate defuncti, sed superfluum haeres, per *l.* 57. *ff. de legat.* 1. *Don. d. c.* 19. *lit. P. Gomez d. num.* 39. *Garcias de expensis c.* 17. *num.* 23.

L. Voluntatis. 7.

SUMMARIA

Quaestio de verborum obscuritate facti est, nec de eo Princeps consulendus, sed religione judicis hoc dijudicandum. num. 1.

Judex circa voluntatis defuncti quaestionem verborum proprietatem, et consuetudinem testatoris, vel provinciae conjecturas, praesumptiones et contextum debet attendere. 2.

Omnis haeredis actus valet, qui voluntatem defuncti non laedit. 3.

1 Obscuritatis interdum solet esse in verbis, v. g. si 100. nummos legem, quoniam incertum, quid per nummos testator solitus fuit intelligere, ideoque haec quaestio non in jure, sed facto versatur, et est quaestio facti, nec de eo Princeps consulendus, sed hoc religione judicis dijudicandum, *l.* 32. *pr. de usur. l.* 79. §. 1. *ff.*
2 *de judic.* Notandum igitur ex *hac lege*: Voluntatis defuncti quaestionem esse in aestimatione judicis, qui attendet verborum proprietatem et consuetudinem testatoris, vel provinciae conjecturas, praesumptiones et contextum etc. *Mantic. lib.* 5. *tit.* 15. *num.* 8. Et exinde sequitur,
3 valere omnem actum haeredis qui voluntatem defuncti non laedit, v. g. potest haeres fideicommissum familiae relictum in remotiorem de familia transferre, *Menoch. cons.* 327. *num.* 97. *et num.* 194. *Fusar. qu.* 687. *num.* 10.

L. Qui fideicommissariam. 8.

SUMMARIA

An fideicommissum vel legatum servo, quem haeres manumittere rogatus est, possit relinqui? num. 1.

Inter duos simultaneos actus is praecessisse praesumitur, qui de jure praecedere debuit. 2.

1 Quaeritur: *An fideicommissum vel legatum relinqui possit illi servo, quem haeres rogatus est manumittere?* Videtur, quod non, quia, qui per fideicommissum manumittitur, videtur sub conditione manumitti, quae non extitit, nisi adita haereditate, ergo non valet, *l.* 91. §. 1. *ff. de legat.* 1. sed affirmatur, quia conditio haec facile inest, ergo legatum non est conditionale, per *l.* 99. *ff. de condit. et dem.* et dies legati hujus cedit ab adepta libertate. Colligunt *DD.* ex *hac lege*
2 regulam: quod inter duos actus simultaneos is praecessisse praesumendus sit, qui de jure praecedere debuit, *hic et l.* 37. §. 1. *ff. de haered. instituend. Jason. et Padilla hic, Menoch. lib.* 6. *praesum.* 7. *num.* 9.

L. Ab eo. 9. et L. Quidam. 31.

SUMMARIA

Morte alicujus nihil acquirens nec per ejus fideicommissum acquirere potest. num. 1.

Quantum morte datum, tantum et non ultra relinquitur. 2.

A quibusnam per fideicommissum recte relinquatur? 3.

An a filio emancipato exhaeredato? 4.

Qui non honoratur, neque debet gravari. 5. 8.

Limitatur. 6.

Quaecumque quis habet a vivo irrevocabiliter, ea fideicommisso gravari non debent. 7.

Ad quem alicujus morte nihil pervenit, ab eo 1
nihil per fideicommissum relinqui potest, et
quantum e contra datum, tantum et non ultra 2
ab eo relinqui potest, §. 1. *Inst. de sing. reb. per fideicomm. l.* 6. *in fin. ff. de legat.* 3. Sive igitur scriptus sit haeres, §. 2. *Instit. h. tit.* sive fideicommissarius, §. 11. *Instit. h. tit.* sive haeres legitimus, §. 10. *h. tit.* (huic enim defunctus eo ipso relinquere videtur haereditatem legitimam, quod non adimit, cum tamen posset, *l.* 1. §. 6. *ff. de legat.* 3.) *Donell. lib.* 7. *cap.* 16. *post lit. E. Fusar. qu.* 303. *num.* 2. Sive cui mortis causa donatum, *l.* 77. §. 1. *ff. de legat.* 2. ab his, inquam, 3
omnibus quid per fideicommissum relinqui potest, sed non ultra id, quod a defuncto acceperunt. Sed de filio emancipato exhaeredato 4
quaeritur; videtur enim ab hoc relinqui posse, cum libertatem acceperit, sed negatur, *l. pen. h. tit.* quia libertatem inter vivos meruit; quia ergo morte patris nihil lucratus est, ab eo etiam nihil relinqui potest, *l.* 24. *supr. de legat.* adeo, ut talia legata non valeant, etiamsi clausula codicillaris sit addita, quia perpetua est regula: qui non honoratur, gravari non debet, 5
Matth. lib. 2. *epit. legatorum c.* 1. *num.* 19. *et seqq. et Petrus Ant. de Petra de fideicom. q.* 5. *num.* 71. *et seqq.* qui varias tradit regulae limi- 6
tationes, quas tamen sub regula non contineri (ut solent) recte notat *Hilliger in Don. lib.* 8. *c.* 7. *lit. B.* Inter alias vero exceptiones statuunt etiam hanc, quod prohibitio alienationis obliget etiam haeredis haeredes, *ex Paris. cons.* 88. *num.* 28. *Achill. Person. de adipisc. poss. num.* 28. Sed dici potest, ad haeredem haeredis praesumi aliquid venisse, scil. mediate, certe illud, quod alienari prohibetur. Aliam exceptionem statuunt in pia causa, cui aliquid legari potest a non gravato, sed id ab haerede petetur, *Tiraq. priv. piae causae* 37. Deinde colligitur ex
l. pen. Quaecumque quis habet a vivo irrevoca- 7
biliter, ea fideicommisso gravari non posse, v. g. Si pater dedit dotem inter vivos filiae, et stipulatus est dotem restitui filiae soluto matrimonio, non potest pater super dote constituere fideicommissum, quia filia habet dotem a patre irrevocabiliter, non ex ultima voluntate, *Vasq. de success. creat.* §. 10. *num.* 260. *Mantic. lib.* 7. *tit.* 8. *num.* 32. *Fusarius q.* 197. *num.* 12. Bre-
viter autem declaratur regula: quem non hono- 8
ro, nec directe, nec indirecte, nec per se, nec per consequentiam, illum nec onerare possum, in propriis sc. bonis, *Auct. in l.* 1. *ff. de legat.* 3. *num.* 13. ut de tutore postea dicetur. Vid. *Ant. de Petr. d. l.*

L. Verbum volo. 10.

SUMMARIA

An fideicommissum his verbis, Titio fundum tusculanum dari, *valeat? num.* 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
In legibus novis omnis extensio, praesertim in favorabilibus, non est prohibita. 4.
Fideicommissorum verba propria et alia remissive. 5.

1 Quidam his verbis in testamento usus, *Titio fundum tusculanum dari.* Quaeritur: *An valeat*
2 *fideicommissum?* Videtur quod non, quia im-
3 perfecta oratio. Sed resp. valere, subaudiri enim verbum, *Volo*, quia sufficit ex his verbis voluntatem defuncti colligi posse, quasi plus nuncupativum, minus scriptum, *l.* 1. §. 5. *ff. de haer. inst. l. pen. C. eod. l.* 77. §. 22. *ff. de leg.* 2. *Mantica lib.* 8. *t.* 1. *num.* 3. *Fusar. q.* 284. *num.* 3. *Auct. in l.* 67. *ff. de leg.* 2. *num.* 15. et putarem ex hac
4 lege probari posse, in legibus novis interdum minus scriptum, quam dictum vel intellectum esse posse, et non esse omnem extensionem in legibus novis, praesertim in favorabilibus pro-
5 hibitam. Fideicommissorum verba propria ut et alia non precativa, sed desiderium et spem testatoris designantia concessit *Auctor* in *l.* 67. *ff. de leg.* 2. *num.* 16.

L. Quoties. 11.

SUMMARIA

An et quatenus testator alienationem alicujus rei prohibere possit? num. 1.
Quid si prohibitio negligatur? 2.
Differentia inter simplex fideicommissum et rem, cujus alienatio est prohibita. 3.
Prohibitio alienationis, consensu communi, in quorum favorem facta est, dissolvitur. 4.
Limitatur. 5.
Consentiendo in alienationem, pretium reservasse mihi praesumor, aut certe non renunciasse. 6.
Si res extra familiam alienari est prohibita, ultimus de familia in extraneum haeredem eam trasferre potest. 7.

1 Testator potest alienationem alicujus rei prohibere in favorem personae alicujus, non vero simpliciter, et absolute, *l.* 114. §. 14. *ff. de legatis* 1. *ibique Auctor num.* 11. *Mantic. lib.* 6. *tit.* 15. *num.* 13. *Donell. lib.* 8. *c.* 28. *Peregr. art.* 14. *num.* 1. *Fusarius q.* 685. quando igitur prohibet, ne legatarius alienet extra familiam, pro-
2 hibitio ob causam facta valet, si ergo contra fiat, familia potest alienationem revocare, quasi in hunc casum fideicommissum familiae relictum esset, *l.* 77. §. 27. *et l.* 69. §. 3. *ff. de leg.* 2. *ibique Auctor num.* 2. *et* 3. *in l.* 77. *ff. eod. num.* 28.
3 *et* 31. nam inter fideicommissi simplicis et rei, cujus alienatio prohibita est, alienationem, hoc interest, quod illud, si alienatum sit, maneat apud emptorem ad vitam alienantis, *l. fin.* §. 3. *infr. comm. de leg.* sed haec non, *Peregr. d. art.* 14. *num.* 7. sed hoc locum habet, nisi tota familia, vel ii, in quorum favorem alienatio prohibita, ipsi alienaverint, vel alienanti consenserint. Nam in priori casu obstaret exceptio doli, in secudo casu pacti. Colligitur ex textu: pro- 4
hibitionem alienationis consensu communi, in quorum favorem facta erat, dissolvi. Sed haec 5
vera sunt, si fideicommissario res sit cum possessore rei sibi relictae; quid si vero velit pretium repetere ab haeredibus alienantibus, Quaeritur, *An possit pretium petere?* Quod puto, quia consentiendo in alienationem, praesumor 6
pretium mihi reservasse, aut certe non renunciasse, *l. mater* 3. *supr. de rei vind.* et textus in terminis in *l. si fundum* 92. *pr. ff. de legat.* 1. *Petr. Barb. in l. quae dotis* 34. *num.* 144. *ff. sol. matrim. Berous cons.* 64. *num.* 21. *lib.* 1. *Auct. in l.* 92. *ff. de legat.* 1. *num.* 1. ubi *num.* 2. *et* 3. etiam limitationes addit. Si autem res extra fa- 7
miliam alienari prohibita, ultimus de familia in extraneum haeredem transferre potest, *Auct. in l.* 78. *ff. de legat.* 2. *num.* 5.

L. Post mortem. 12.

SUMMARIA

An haeres post mortem restituere haereditatem rogatus ante mortem invito recte restituat? num. 1.
Fideicommissum conditionale ante impletam conditionem non potest restitui. 2.
Deciditur affirmative. 3.
Limitatur. 4.
An testator, qui virgines pauperes post mortem haeredis dotare jubet, tempus illud anticipare et vivus dotare possit? 5.
Fideicommissum regulariter ad diem incertum relictum etiam ante diem potest restitui, si dies haeredis gratia est adjectus. 6.
Secus si adjectus in gratiam fideicommissarii. 7.
Neque tamen, si in gratiam haeredis dies additus, ante diem potest peti, licet solvi queat. 8.
Omne legatum vel fideicommissum relictum sub mentione mortis haeredis est conditionale. 9.

Haeres rogatus est post mortem suam resti- 1
tuere haereditatem Titio, ille ante mortem suam vult restituere Titio invito; Quaeritur, *An possit detracta Trebellianica?* Videtur, quod non, quia fideicommissum conditionale ante impletam 2
conditionem restitui non potest, *l.* 10. *ff. ad SC. Trebell. Auct. in l.* 114. *ff. de legat.* 1. *num.* 7. Sed hic affirmatur: haec enim tacita videtur esse 3
voluntas testatoris, quod post mortem debeat restituere, nisi mallet vivus adhuc restituere, *arg. l.* 19. *ff. quae in fraud. credit.* nisi incertae per- 4
sonae fideicommissum sit relictum, *l.* 77. §. 10. *ff. de legat.* 2. vel nisi plurimis esset relictum fideicommissum post mortem haeredis, nam possent ante mortem haeredes quidam decedere, quorum portiones reliquis accederent, et ideo superstitibus praefestinata solutione fieret praejudicium, *Cephalus cons.* 472. *num.* 74. *l.* 4. Vel si fideicommissarius haeredi praemoriatur, nam si solvisset haeres fideicommissario, hujus substitutus fideicommissum petere posset, cum praematura praestatio tertio non possit praejudicare, *l. uxorem* 4. §. *Sejum* 12. *ff. de legat.* 3.

Salgado in Labyr. creditorum p. 2. *c.* 15. *n.* 69. Sic aliud exemplum *in l. cum pater* 77. §. 10. *ff. de legat.* 2. ubi filia jussa restituere praedium post mortem uni liberorum, et illa viva uni resti-
5 tuisset. Ita quaerunt *DD.* an si testator jubeat dotare virgines pauperes post mortem haeredis, an hic anticipare tempus possit, et vivus dota-
6 re, de quo *Caevallus q.* 648. Regulariter ergo fideicommissum ad diem incertum relictum, potest ante diem restitui, quando dies (vel conditio) gratia haeredis est adjectus, *hic et l.* 19. *ff. quae in fraudem credit. Donell. lib.* 7. *c.* 20. *lit. D. et c.* 25. *pr. Peregr. de fideicom. art.* 2. *q.* 51. *Fu-*
7 *sarius q.* 602. Secus igitur, si dies in gratiam fideicommissarii adjecta, v. g. si pubes si sui juris factus fuerit, tunc ei restituetur haec res, per *l.* 43. §. 2. *ff. de legat.* 2. *Petr. Gregor. lib.* 42. *t.* 29. *num.* 21. *et seqq. et Hillig. d. c.* 20. *lit. D.*
8 Sed illo casu, quando in gratiam haeredis addita dies, ante diem peti fideicommissum non potest, licet solvi possit, *Fusar. q.* 607. Collige etiam:
9 omne legatum vel fideicommissum relictum sub mentione mortis haeredis esse conditionale.

L. Quoties. 13.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Relicta ab instituto a substituto, nisi evidens contraria testatoris voluntas, repetita videntur. 4.

1 Testator instituit primum haeredem, et ei substituit secundum, et ab hoc fideicommissum relinquit Titio: primus autem adiit haereditatem, Quaeritur, *An fideicommissum solvere teneatur?*
2 Videtur quod sic quia relictum ab instituto debet solvere substitutus, *l.* 74. *ff. de legat.* 1. ergo
3 idem in casu converso. Sed Neg. hic, cum substituto hic nihil relictum sit, nam aditio primi haeredis substitutionem extinguit, *l.* 5. *supr. de impub. subst.* Ergo ab eo nihil relinqui potest. Alia autem ratio *d. l.* 74. ubi substitutus collocatur in locum instituti, ergo etiam in onera, institutus vero non succedit in locum substitu-
4 ti. Collige ergo: Relicta ab instituto a substituto repetita videri, si non sit evidens contraria voluntas testatoris, *l. licet Imperator* 74. *ff. de leg.* 1. v. g. Si aliam rem ab instituto, aliam a substituto reliquerit, vel si certa et specialis causa fuit, cur ab instituto et non a substituto reliquerit, *Menoch. lib.* 4. *praes.* 108. *num.* 21. *et seqq. Mantica lib.* 8. *t.* 2. *num.* 15. *Fachin. lib.* 5. *c.* 39. *Donell. lib.* 8. *c.* 29. *et Hillig. ib. lit. D.*

L. Eam. 14.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Rationes dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Aliud in substitutione fideicommissaria. 4.
Objectio diluitur. 5.
Quae in testamento relicta sunt, non valent, si ex eo non adita est haereditas. 6.
Nisi vel expresse et formaliter, vel tacite et virtualiter clausula codicillaris sit addita. 7.
Aliae limitationes. 8.
Quando in testamento continetur clausula codicillaris, tunc fideicommissa a venientibus ab intestato repetita censentur. 9.
It. quando testator erravit in sanguinis vinculo sive illud sit juris naturalis, sive civilis. 10.
Sententia Auctoris *circa hanc regulam.* 11.

Titius adoptavit puellam, cujus erat Tutor, 1
ergo illa adoptio non valet, *l.* 17. *ff. de adopt.* Hanc autem haeredem instituit et ei substituit his verbis, puella *illa haeres esto, et si intra* 12. *aetatis annum decesserit, volo haereditatem meam restitui Cajo*; Sed puella in pupillari aetate moritur nondum adita haereditate, ideoque Titio succedit Falco ab intestato; Quaeritur: *An ab hoc (Falcone) restitui debeat haereditas Cajo ex fideicommisso?* Videtur quod non, quia 1. nullum fideicommissum hic relictum 2
est ab haeredibus legitimis: 2. Licet ab iis relictum esset, non tamen valeret, ob regulam: Quae in testamento relicta sunt, non valent, si ex eo non adeatur haereditas, *l.* 12. §. 5. *ff. de bon. libert.* Sed Affirmat Imperat. Ad pri- 3
mam rationem contrariam respondet in versic. *cum tamen etc.* Nam testator non jussit, ut puella restitueret, sed in genere, ut restitueretur, ergo et legitimis haeredibus hoc injunxit. Ad secundam Resp. in vers. *tunc enim locum etc.* Quod illa regula locum habeat, quando substitutio est directa, et ex ea potuit adiri haereditas, v. g. Si puella moritur impubes, Titius haeres esto. Secus autem in substitutione fidei- 4
commissaria, cum enim casum intestati testator respexit, ergo etiam eo casu reliquit fideicommissum, quo testamentum minime est validum, *Fachin. l.* 6. *cap.* 97. *Jo. a Sande lib.* 4. *tit.* 4. *def.* 10. *casu* 3. In vers. *quod rescripsimus etc.* 5
alia continetur objectio, quia puella fuit adoptata, ideo etiam non adita haereditate ipso jure est haeres. Sed resp. Imper. eam illegitime adoptatam: Nam, si legitime adoptata fuisset, ab ejus haeredibus peti debuisset fideicommissum. Collige ergo *ex hac lege*: I. Regulam: Quae in 6
testamento relicta sunt, non valent, si ex eo adita non sit haereditas, *hic et l. si nemo ff. de reg. jur. l. quia poterat* 4. *ff. ad SCt. Trebell.* et plures citans *Fusarius q.* 656. *num.* 1. Sed notanda etiam hujus regulae limitatio, nisi addi- 7
ta clausula codicillaris, vel expresse et formaliter, vel tacite et virtualiter, ut si jubeat testator ratum esse, quacumque ratione et quam optime potest, *l.* 29. *ff. de testamentis*, aut, si ju- 8
beat Titio restitui haereditatem ab omnibus haeredibus et legitimis, *per hanc legem, Donell. lib.* 7. *C.* 18. *post lit. F.* vel quando in fraudem legatariorum spreta successione testamentaria ab intestato succedit, de quo supra; vel, quando ex causa praeteritionis et exhaeredationis irritum est testamentum, *Auth. ex causa supra de lib. praeter.* Alia exceptio *in l.* 1. *ff. de legatis praestandis contr. tabb. bonorum possess. petita.* item *in l. cum praeter* 77. §. 23. *ff. de legat.* 2. ubi sub juramento relicta legata, item si institutio tantum cancellata, *l. proxime ff. de his quae in testamento del.* item *in l. fin. ff. de haered. inst.* item ex favore piae causae, *l. in testamento. ff. de fideicomm. libert.* quas exceptiones

proponit hic *Accursius*, *et pluribus hic Jason* Unde colligunt II. Regulae exceptionem *ex hoc*
9 *textu:* Quando in testamento continetur clausula codicillaris, tunc fideicommissa repetita censeri a venientibus ab intestato, *DD. hic et Peregrinus art.* 2. *num.* 16. *Fusar. d. q.* 566.
10 *num.* 16. Unde porro inferunt: Quando testator erravit in vinculo sanguinis, licet illud sit juris naturalis, sive juris civilis, fideicommissa videri repetita a succedentibus ab intestato, *Pe-*
11 *regr. d. l. num.* 19. *Fusar. d. q. num.* 26. Sed de hoc ultimo dubito, nam incertum adhuc est, an hic testator filiam adoptivam ut talem instituerit, et si hoc certum est, annon idem fuerit responsurus, si non eo respectu instituisset, concurrentibus tamen aliis textus hujus circumstantiis, melius colligitur hoc, quando fideicommissum generaliter conceptum, *volo restitui*, nulla facta mentione haeredis, a quocumque haerede restitutio fieri debet. Vid. et *Fachin. lib.* 6. *cap.* 97.

L. Quamvis. 15

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Quid si pater hoc casu non emancipaverit filium, an cogi possit? 4.
Quando testator alterius filiumfam. instituit, rogans patrem, ut emancipet eum, voluisse etiam praesumitur, ut haereditas post emancipationem restitueretur filio emancipato. 5.
Fideicommissum hoc dicitur tacitum. 6.

1 Titius instituit Caji filios, et rogavit patrem, ut eos emanciparet, illi parentis jussu adeunt haereditatem, et eam sic patri acquirunt, hodie quoad usumfructum, §. 1. *Instit. per quas person.* Pater etiam eos emancipat. Quaer. *An pater eam haereditatem filiis, ut fideicommissum restituere teneatur?* Videtur quod non,
2 quia simpliciter sine ulla mentione fideicommissi duo illi sunt instituti. Sed affirm. Imperator,
3 quia, dum rogavit Titius Cajum, ut eos emanciparet, hoc ipso ad restitutionem ipsum obligare voluit, cum verba *omnia* in testamentis aliquid debeant operari, *l.* 109. *ff. de legat.* 1. Ad quid enim prodesset emancipatio liberis, nisi ideo emancipari voluisset, ut haereditatem sibi
4 acquirerent? *Sed quid si pater non emancipasset, poteritne ad id cogi?* Negatur via directa *per l.* 114. §. 8. *ff. de legat.* 1. Sed bene via obliqua, si velit acquirere fideicommissum, *l.* 92. *ff. de con-*
5 *dit. et dem.* Collige *ex hoc textu:* Quando testator alterius filiumfamilias instituit, et ejus patrem rogat, ut eum emancipet, quod olim saepe fiebat, *l. ult. ff. de pet. haeredit. l. pen. ff. unde liberi*, *l.* 3. *supra de instit. et substit.* praesumitur etiam voluisse, ut haereditas post emancipationem restitueretur filio emancipato, quia non aliam ob causam potuit testator rogare patrem, ut filium emanciparet, et emancipatio est antecedens quoddam restitutionis, et sicut testator de antecedente disposuit, ita etiam de consequente disposuisse praesumitur, *Jason. et*
6 *Menoch. lib.* 4. *praes.* 23. *num.* 2. *et seq.* quod tacitum fideicommissum vocat *Barry lib.* 8. *tit.* 7. *num.* 86.

L. Cum virum. 16.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Ratio decidendi. 3.
Praelegata non veniunt in fideicommissi restitutionem sive institutionem praecedant sive sequantur. 4.
Nisi testator usus sit verbis universalibus. 5.
An donatio mortis causa restituenda? 6.

Quidam duos haeredes instituit, primo autem 1
fundum praelegavit, hunc rogat ut moriens cohaeredi restituat quicquid ad eum ex haereditate pervenerit, Quaer. *An etiam fundum praelegatum restituere teneatur?* Videtur quod non, ob *l.* 18. §. *ult. ff. ad SC. Trebell.* ubi dicitur: 2
Quod illam tantum fundi portionem restituere debeat, quam per seipsum habet, jure haereditario. Sed affirmatur ab Imperatore quia ver- 3
ba generalia sunt *in h. l.* Ergo legata etiam complectuntur, et fideicommissa, nam licet indefinita alias universali aequipolleat, fit tamen hoc per interpretationem, sed si sub fideicommissa praelegata contineantur opus est, ut verba expresse sint universalia, Conf. *Ceph. cons.* 259. *num.* 43. *et seq. lib.* 2. In *d. leg.* 18. autem in specie fit mentio portionis haereditariae, quae legata non continet; Collige *ex h. l.* Regulam: Quod praelegata non veniant in resti- 4
tutionem fideicommissi, licet praecedant institutionem sive sequantur, quam regulam multis tractant *Mantica lib.* 7. *tit.* 7. *Menoch. lib.* 4. *praesumpt.* 104. *et seq. Barry lib.* 8. *tit.* 12. *num.* 1. *et Vinc. Fusarius q.* 650. *num.* 1. *et seqq.* Sed deinde notanda est etiam exceptio; Quod 5
praelegata etiam veniant, quando testator usus est verbis universalibus, *Peregr. d. l. num.* 23. *Menoch. d. praesumpt.* 194. *num.* 31. *Barry d. l. num.* 2. Sed, *an donatio mortis causa resti-* 6
tuenda? Neg. *per l.* 68. *ff. de legat.* 2. quia haec bona donata antequam moreretur donator, a bonis defuncti separata sunt, *Peregrinus art.* 6. *num.* 1. *Mantica lib.* 7. *tit.* 8. *num.* 26. *Fusarius q.* 632. *num.* 19.

L. Si creditoris. 17.

SUMMARIA

An res incorporalis, et quonam effectu debitori possit legari? num. 1.
Quid si haeres debitum petat, an habeat debitor exceptionem? 2.
Effectus talis legati liberationis est duplex. 3.
De liberatione legata, et quomodo legetur? remissive. 4.

Res incorporalis, ut liberatio, potest debito- 1
ri legari, hoc effectu, ut haeres debitorem per acceptilationem solemniter liberare cogatur, §. 13. *Inst. de legat.* Si autem hoc non factum, 2

sed haeres petat suum debitum, habetne debitor exceptionem? Affirm. ex voluntate defuncti, quia defunctus voluit, ut liberetur debitor, et ita debitum ab eo non petatur, ipso jure autem liberatus non est, ob regulam *in l. nihil*
3 *tam naturale ff. de R. J.* Ergo effectus talis legati liberationis duplex est, actio ad liberandum et exceptio, quibus alii addunt implorationem offi-
4 cii judicis; sed de liberatione legata (quia hic tantum de effectu agitur) et quomodo legetur, plura videantur *in Gomezio lib. 1. c. 12. num. 82. Mantica lib. 9. tit. 1. Menoch. lib. 4. praes. 164. Barry lib. 9. tit. 13.*

L. Cum necessitatem. 18.

SUMMARIA

Administratori liberatio, ne teneatur rationes reddere, an possit legari? num. 1.
Quinam dolus possit remitti? 2.
Remissa licet administratori rationum redditione, reliqua tamen restituere tenetur. 3.
In hoc legato ea, quae reali actione peti possunt, non continentur. 4.
An dolo malo consumptum remittatur? 5.

1 Sic etiam administratori potest liberatio legari, ne teneatur rationes reddere etiam in futurum: dolus tamen futurus remitti nequit, *l.* 20.
2 *ff. de liber. leg.* Sed praeteritus dolus remitti potest, *l. 4. supr. de transact.* sed remissus non censetur, nisi in specie de illo actum. Nam
3 licet administratori remissa sit rationum redditio, tenetur tamen reliqua restituere, *Grassus §. legatum qu. 40. Menoch. praes. 164. num. 17.*
4 nec continentur in hoc legato ea, quae reali actione peti possunt, *Covar. lib. 2. resolut. cap. 14. num. 1. Gomez d. t. 12. num. 83. Menoch. lib. 4. praes. 161. num. 12. Grassus §. legatum q. 40. Barry lib. 9. tit. 23. num. 9.* Deinde non
5 venit in illa remissione quod consumptum est dolo malo, nisi in specie, quae male vel dolose consumpta, remissa legantur, *Gomez d. l. Menoch. d. praes. 161. num. 7. Masc. concl. 1259. num. 8. Barry. d. l. num. 10. Schneidew. ad §. 13. de legat. num. 10.* Conf. et *Alex. cons. 45. lib. 1. Guttierez de tutel. lib. 3. c. 1. num. 36. et seq. Alphan. coll. 268.*

L. Clari. 19.

SUMMARIA

Inter duas contrarias dispositiones novissimae erit standum. num. 1.
Ex duabus contrariis periodis in testamento posteriorem sequimur. 2.

1 Quando duae contrariae apparent dispositiones, standum est novissimae, haec enim sola voluntatem ultimam continet, et posterior voluntas semper firmior, *Mantica lib. 12. tit. 1.*
2 *num. 26.* Imo, si in eodem testamento duae periodi sibi invicem contrariae reperiantur, quae conciliari non possunt, sequimur postremam periodum, v. g. si prius pure institutus haeres, postea alius sub conditione, existente hac, hic solus haeres erit. Sic si initio in inaequalibus partibus instituantur haeredes, postea dicatur eos aequaliter debere esse haeredes, hoc ultimum amplectimur, *Dec. cons. 317. num. 4. et cons. 953. num. 7.*

L. Etiam. 20.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Relictum a tutore, a pupillo relictum videtur. 2.
Idem in aliis administratoribus. 3.
Quid si tutor a patre vel matre nulliter datus, an ab hoc relictum fideicommissum nihilominus debeatur? 4.

Instituit quis pupillum, eique dat testamento 1
tutorem, huic tutori injungit, ut legata extraneo (non pupillo, *l. 69. §. 2. in fin. ff.* de *legat.* 2.) praestet; Quaer., *An valeat, cum tutori nihil relictum sit? per l. 9. h. tit.* Sed resp. omnino valere, ut tamen tutor non ex suis, sed pupilli bonis praestare legatum teneatur, quia tutor pupilli personam repraesentat, *l. 5. supr. de reb. cred.* ideo colligitur *ex lege:* Relictum a tutore, videri 2
relictum a pupillo, *hic et l. 69. ff. de legat. 2. ibique Auctor num. 6. Mantica lib. 8. tit. 2. num. 2. Barry lib. 8. tit. 5. Hillig. in Donell. lib. 8. c. 7. lit. B.* et idem in aliis administratoribus, v. g. 3
executore testamenti, *Barry d. l. Auct. in d. l. 69. ff. de legat. 2. num. 7.* sed, quid si tutor a 4
matre datus, vel a patre nulliter, an ab hoc tutore relictum fideicommissum nihilominus debetur? quod affirmatur *per l. peto 69. §. mater 2. ff. de legatis 2.* Vid. *Cujac. l. 3. obs. 27.*

L. Si in personam. 21.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Si cessit dies fideicommissi universalis in persona patris, fideicommissum ad filium transmittitur, etiamsi tempore avi nondum vixerit. 4.
Fideicommissum conditionale post conditionis eventum, et sic postquam jam purificatum est, in haeredem transmittitur. 5.

Pater duos filios haeredes instituit, a primo pe- 1
tit, ut si sine liberis decesserit, fratri suam haereditatem restituat. Moritur sine liberis, sed facto testamento, quo uxorem haeredem instituit, postea frater alter, priusquam fideicommissum peteret, etiam decessit. Quaer. *An hujus secundi filius, sive testatoris nepos possit petere fideicommissum?* Videtur quod non, quia non 2
fuit tempore testamenti avi in rerum natura, sed affirm. hic, quia fideicommissum hoc conditio- 3
nale, cujus dies cessit vivo adhuc secundo fratre, *l. 5. §. 2. ff. quando dies legat. cedat*, ergo hoc fideicommissum secundus frater ad suos haeredes transtulit, *d. l. 5. pr.* et hic nepos testa-

toris non suo, sed parentis jure ad fideicommissum adspirat. Collige ex textu: Si cessit dies
4 fideicommissi universalis in persona patris, transmittitur fideicommissum ad filium, etiamsi tempore avi nondum vixerit, quia non avi haereditatem capit ab intestato, sed jure parentis utitur, et illius nomine fideicommissum petit. Col-
5 ligitur ergo *ex hac lege:* fideicommissum conditionale post eventum conditionis, et sic, postquam jam purificatum est, transmitti in haeredem, *Peregrinus de fideicomm. art.* 22. *num.* 3. *et* 5. *et art.* 31. *num.* 3. *et* 4. *Fusarius q.* 487. *num.* 1. quia judicis officio competit, quod est transmissibile, licet agnitum et imploratum id non fuerit, *Gomez lib.* 1. *tit.* 5. *num.* 9. et licet ne quidem verbalis restitutio facta, *Alex. vol.* 2. *cons.* 30. *Barry lib.* 12. *tit.* 2. *num.* 4.

L. Et in epistola. 22.

SUMMARIA

Quomodo fideicommissa possint relinqui? num. 1.
Quotnam requirantur testes. 2.
An discrimen sit inter epistolam fideicommissariam testibus munitam et codicillum? 3.
Dauth. *notatur.* 4.
Nutu etiam legata et fideicommissa relinqui possunt. 5.

1 Fideicommissa, (et hodie legata, §. 3. *Inst. de de legat.*) non tantum testamento, sed etiam per epistolam, id est, scripturam ad fideicommissarium directam, et per codicillum, *l.* 4. *supr. de his quibus ut ind.* relinqui possunt, *Auctor in l. fin. ff. de legat.* 2. *num.* 3. imo etsi interroganti annuat, *hic et l. nutu ff. de legat.* 3.
2 *Fusar. q.* 287. *et seq.* modo numerus quinarius testium interveniat, *l. ult. supr. de codicill.* Vid. *Carpz. p.* 3. *const.* 4. *def.* 31. *et* 35. nam ex hac lege non probatur, quod sufficiat in fideicommissis numerus testium binarius, nec recurrendum *ad generalem legem* 12. *ff. de testibus*, sed ex aliis textibus specialibus numerus quinarius colligitur, *Finckelthaus obs.* 51. *num.* 9.
3 Et ideo in effectu non est discrimen inter epistolam fideicommissariam 5. testibus munitam, et codicillum, nisi in modo scribendi, *Card. Mantic. lib.* 1. *tit.* 11. *num.* 12. *Hillig. in Donell. lib.* 7. *c.* 18. *lit. I. Hotom. consil.* 56. *num.* 12.
4 licet dissentire videatur *Dauth. de testam. n.* 122.
5 Caeterum legata et fideicommissa nutu etiam relinqui possunt, dummodo testator fari possit, *Auctor in l.* 21. *ff. de legat.* 3. *num.* 1.

L. Instrumenta. 24.

SUMMARIA

An praedio legato haeres instrumenta acquisiti praedii (die Kauff-Brieffe) *praestare debeat? num.* 1.
Fundo in genere legato, si haeres certum fundum praestat, ad evictionem tenetur. 2.
An copiam de instrumentis dare debeat? 3.
Proprietarius originalia instrumenta super fundo confecta usufructuario tradere non tenetur. 4.

1 Praedio tibi legato, an haeres instrumenta acquisiti praedii (*die Kauff-Brieffe*) praestare tibi debeat, quaeritur. Videtur quod sic ob *l.* 26. *infr. de liberali causa* et quia illa haeredi amplius non videntur prodesse, prosunt autem legatario, et *per l.* 2. *ff. aqu. pluv. arcend.* Sed Neg. quia instrumenta non sunt simul legata, et si 2
fundus in genere legatus, et haeres certum fundum praestet, tenetur haeres de evictione, si legatario vel fideicommissario evincatur, et ideo debet habere in promptu probationes, quibus se defendat. Si etiam in specie hic fundus legetur, non quidem tenetur haeres ad evictionem praestandam, *arg. l.* 45. §. 2. *ff. de legat.* 1. opus tamen habebit documentis ad probandum, quod defunctus putaverit, rem alienam esse suam, Vid. *l.* 10. *supr. de legat.* Et potest ex aliis causis ipsius haeredis interesse, ut penes se habeat instrumenta, debet tamen le- 3
gatario dare copiam instrumentorum, et cavere de ipsis originalibus, si opus sit exhibendis. Putarem tamen post lapsum longi vel longissimi temporis cessante periculo evictionis, vel cessante interesse haeredis, hunc compelli posse ad tradenda instrumenta fundi. Ex *hac lege* Colligit *Carpzovius:* Proprietarium originalia in- 4
strumenta super fundo confecta, non teneri erogare et tradere usufructuario, sed tantum exempla, *p.* 3. *jurispr. const.* 13. *def.* 8.

L. Haeredum. 25.

SUMMARIA

An res haeredis alicui possint legari, et an debeantur? num. 1.
Quid si plures sint haeredes, an res unius, et quatenus legatae debeant praestari? 2.

Haeredis etiam res mihi legari possunt, *hic* 1
et §. 4. *Inst. de legat.* tum ob fictionem juris, qua haeres cum defuncto eadem persona esse videtur, tum ob utilitatem, quam haeres ex testatoris dispositione consequitur. Et haec omnino debentur, sive testator sciverit haeredis esse, sive non, *l.* 67. §. 8. *in fin. ff. de legat.* 2. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 117. *num.* 4. De suo enim videtur legare, quia haeres tantumdem, imo plus ex haereditate testatoris acquirit, *Covarr. in c. filius noster* 5. *num.* 3. *X. de testam. Gomez d. t.* 12. *num.* 14. *Grassus §. legatum q.* 14. *num.* 7. *Petr. Greg. lib.* 42. *tit.* 32. *num.* 17. Sed si res sit unius haeredis et haeredes sint 2
plures, tunc haeres non tenetur ipsam rem in solidum praestare, sed tantum pro sua parte, *per l.* 86. §. *pen. ff. de legat.* 1. *Gomez d. l. Barry lib.* 9. *tit.* 3. *num.* 15. Et hoc fideicommissum vel legatum debetur, licet testator jus in re haeredis habeat, nam hoc casu quia res haeredis habetur, ac si esset res testatoris, non tantum jus illud, sed ipsa res relicta videtur, *Menoch. d. praes.* 117. *num.* 6. Conf. *Schraderus in miscell. c.* 8.

L. Ex repudiatione. 26.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Legatum servo relictum a domino repudiari potest. 2.

1 Fideicommissum relictum est filiofam. hic illud repudiat, sicut et hoc ei licet, *l.* 28. *ff. de acquir. haered.* Sed cum sui juris factus est, vult iterum agere personali actione ad legata praestanda, sed obstat exceptio doli, quia justa hic intervenit causa, scil. repudiatio praecedens. Sed si pater repudiet, filius potest repetere, quia nulla justa causa intervenit, cur factum patris filio nocere debeat, *Mantica lib.* 8. *tit.* 16. *num.* 13. *Vasq. de success. resol. lib.* 2. §. 18.
2 *num.* 94. Alia ratio legati servo relicti, quod a domino repudiari potest *l.* 7. *ff. de legat.* 1.

L. Fideicommissum. 27.

SUMMARIA

Legatum vel fideicommissum quatenus revocatione seu poenitentia testatoris tollatur? num. 1.
Discrimen inter revocationem ipso jure, et nuda voluntate contraria. 2.
Ademptio fit vel expresse, vel tacite, et quomodo utraque? 3.

1 Tollitur legatum vel fideicommissum si revocetur, et testatorem poeniteat; Sed diversimode. Si enim revocet deleto testamento (priori scil.) aut alio facto testamento, vel aliis codicillis, ipso jure tollitur, si autem nuda voluntate contraria vel inimicitia, non tollitur legatum ipso jure, sed datur haeredi exceptio do-
2 li, *l.* 3. §. *fin. ff. de adim. leg.* Discrimen in eo autem ponunt, quod revocatio ipso jure facta, quinque testibus ad minimum sit probanda, sed revocatio, quae fit ope exceptionis, potest probari duobus testibus, *Mant. lib.* 9. *t.* 5. *num.* 13. *Masc. concl.* 901. Sed expressa tamen revocatio, si non ut ipso jure facta, sed exceptionis vice proponatur, duobus testibus potest probari, *Mascard. concl.* 1289. *num.* 86. *Barry lib.* 9.
3 *tit.* 29. *num.* 2. Ademptio enim fit vel expresse vel tacite, expresse fit vel sublata ultima voluntate, vel alia condita voluntate, vel protestatione coram testibus saltem duobus facta, quae ultima tamen valeret jure exceptionis tantum; tacite fit per inimicitiam capitalem, rei legatae alienationem voluntariam, nominis legati exactionem et sim. de quibus modis uberius *Mantica, Barry dd. ll. Menoch. lib.* 4. *praes.* 169.

L. Ex fideicommisso. 28.

SUMMARIA

Servo proprio nemo potest legare. num. 1.
Secus si miles testetur. 2.
Secus etiam, si quis me instituat haeredem et substituat servum cum libertate. 3.

1 Servo proprio nemo sine libertate legare potest, nec absolute, nec sub conditione, quia sic haeres sibi ipsi praestaret, Vid. *l.* 4. *supr.*
2 *de legat.* Sed si miles testetur secus est, *l.* 7.
3 *de testamento milit.* secus etiam est, si quis me instituat haeredem et mihi substituat servum suum cum libertate, si ego adeam haereditatem, expirat quidem substitutio, sed servo tamen debetur libertas, *per l. Divus* 26. *ff. de manumissis testamento.*

L. Ex testamento. 29.

SUMMARIA

An et quatenus fideicommissa vel legata in testamento invalido relicta debeantur? num. 1.
Ampliatur. 2. 3.

Fideicommissa vel legata, in testamento in- 1
valido relicta, non debentur, nisi etiam adhibita clausula codicillari, et ita fideicommissum ab iis, qui ab intestato successuri sint relictum
sit, *Carpz. p.* 3. *c.* 2. *def. ult.* Et hoc locum 2
habet eo quoque casu, quando testamentum quidem perfectum, sed ex eo nemo haeres sit, nam etiam eo casu haeredes ab intestato, virtute clausulae codicillaris ad fideicommissa exsolvenda tenentur, *Peregr. art.* 2. *num.* 16. *Guido Pap. dec.* 213. *Fusar. q.* 566. *num.* 16. *per notata ad l.* 14. *h. t. Gail. lib.* 2. *obs.* 131. *num.* 3. *Menoch. consil.* 500. *num.* 4. *Dn. Zepperus in tr. de clausula codicill. c.* 4. *num.* 65.
ubi id extendit, si prius testamentum per se- 3
cundum voluisset abolere, sed secundum fuit imperfectum, habuit tamen clausulam codicillarem, modo habeat secundum quinarium testium numerum.

L. Cum acutissimi. 30.

SUMMARIA

Ad quos Imperator extendat legem Papiniani? et ratio extensionis. num. 1.
In substitutione descendentibus facta semper subintelligitur haec conditio, Si sine liberis decesserit. 2.
Liberi utriusque sexus et in ulteriori gradu constituti si fideicommisso gravati, ab hoc onere liberati censentur, si tempore mortis habeant haeredes descendentes. 3.
Ampliatur haec regula. 4.
In vulgari substitutione tacita conditio non habet locum. 5.
Nisi sit mixta cum fideicommissaria. 6.
An in extraneo gravato haec conditio subintelligatur? 7.
An in amico gravato? 8.
An in uxore gravata, item fratre gravato? 9.
An in ascendente? 10.
An in nepotibus ex fratre? 11.
An in filio adoptivo? 12.
An pertineat haec lex ad ascendentes gravatos? 13.
An obtineat in nuru? 14.

Imperator *Legem* Papiniani, *cum avus* 102. 1
ff. de cond. et demonst. extendit ad nepotes, et ulteriores, et ad foemininum sexum gravatum, *Cephal. cons.* 391. *num.* 15. *et seq. lib.* 3. ratio in *hac lege*, ne videatur alienas succes-

siones propriae praeferre, Vid. *explicat. l.* 6. §. *cum autem supr. de instit. et substit.* Ergo
2 in substitutione facta descendentibus, semper subintelligitur haec conditio, *si sine liberis de-*
3 *cesserit*, et liberi utriusque sexus et in gradu ulteriori constituti, si fideicommisso gravati sint, ab onere hoc censentur liberati, si tempore mortis habeant descendentes haeredes. Et haec
4 regula ab Imperatore ipso *supra d. l.* 6. ad naturales liberos, et *hic* ad ulteriores gradus extensa, a *Doctoribus* ulterius extenditur; ut quod locum habeat in rebus etiam particularibus per fideicommissum relictis, *Gomez tit.* 1. *c.* 5. *num.* 33. *Gabriel lib.* 4. *tit. de fideicom. concl.* 2. *num.* 8. *Mant. lib.* 10. *tit.* 7. *num.* 15. *Fusar. q.* 393. *num.* 8. Item in legitimato per rescriptum in matre, substituente liberis, *Cephal. cons.* 576. *num.* 3. *lib.* 4. in testatore substituente piae causae; Et pertinet haec lex ad nepotes jam natos tempore testamenti, *Menoch. l.* 4. *praes.* 89. *num.* 77. *Dn. Richter ad Auth. contra eum rogatus C. ad SC. Trebell. l. n.* 35. Vid. *Gomez, Gabriel, Mant. Fusarius dd. locis*, et praeter eos etiam *Menochius lib.* 4. *praes.* 89. *Carpz. p.* 3. *c.* 8. *d.* 28. *Fachineus lib.* 4. *c.* 57. *et multis seqq. Barry de success. lib.* 17. *tit.* 13.
5 *per totum*, sed in substitutione vulgari ista conditio tacita non habet locum, *Peregrinus de fideicom. art.* 15. *num.* 43. *et art.* 34. *num.* 95. *Gabriel d. l. num.* 57. *Menoch. num.* 127. nisi
6 sit mixta cum fideicommissaria, *Mantica l.* 10. *t.* 8. *num.* 3. *Peregr. d. art.* 34. *num.* 96. An
7 autem in extraneo gravato haec conditio subin-
8 telligatur, de eo agit *Fusar. q.* 394. an in ami-
9 co gravato? *Fusar. q.* 395. an uxore gravata? *q.* 396. *Cephal. con.* 576. *num.* 22. an fratre gravato? *q.* 379. ubi id negat et *Pruckmannus v.* 2.
10 *cons.* 20. *num.* 84. in ascendente gravato, *Fu-*
11 *sar. q.* 398. *seq.* Nec in nepotibus ex fratre haec lex locum habet, *Ceph. d. cons.* 576.
12 *num.* 28. nec in filio adoptivo, *Ceph. d. con.* 576.
13 *num.* 19. nec ad ascendentes gravatos pertinet,
14 *Cephal. n.* 20. nec in nuru, *Riminaldus cons.* 252. *num.* 74. *vol.* 3. plura hac de lege leguntur apud *Manticam de conject. ult. volunt. lib.* 10. *tit.* 7. *et* 8. *Ant. Gabrielum l.* 4. *commun. concl. tit. de fideicom. concl.* 2. *Menoch. l.* 4. *praesumpt.* 89.

L. Quaestionem. ult.

SUMMARIA

Defuncto agente cum haerede sine scriptura nullisque, vel paucis tamen adhibitis testibus, si neget haeres quicquam relictum esse, et fideicommissarius illi deferat juramentum, ille autem nolit jurare, fideicommissum tamen praestare tenetur. num. 1.

Objectio, quod alias quinque testes requirantur, diluitur. 2.

Ad obst. l. 23. h. t. *respondetur.* 3.

Lectura melior et receptior. 4.

Casus legis. 5.

Remedium novum a Justiniano introductum, cujus vigore jurare hac in parte nolentes pro confessis habentur. 6.

Deferens h. l. *praestet juramentum calumniae, vel probationibus conscientiam purget, neque tamen juramentum referre potest.* 7.

Ex imperfecto testamento oritur obligatio naturalis et haeres in conscientia sua tenetur. 8.

Quatenus haeres veritatem fideicommissi sine testibus relicti juramento diffiteri cogatur? 9.

Si defunctus sine scriptura cum haerede prae- 1
sente egerit, ut fideicommissum Titio praestaret, adhibitis tantum tribus vel nullis testibus, fideicommissum tamen praestandum est ab haerede, si neget haeres quicquam relictum esse, et fideicommissarius illi deferat juramentum, ille autem nolit jurare, ratio in *l.* 38. *ff. de jurejur.* Nec obstat quod alias quinque testes re- 2
quirantur, *l. ult. supr. de codicill.* Nam illi requiruntur, quando fideicommissum vult probare, non vero quando ipsum haeredem in propria causa constituit testem. Nec obstat *l.* 23. *h. tit.* 3
quia hic testator non per scripturam relinquere voluit fideicommissum, sed fidei ipsius haeredis tantum commisit, Vid. §. *ult. Instit. de fideicomm. haered.* quamvis enim veteres ita textum hunc intellexerint, quod haeres ob defectum solemnitatum plane non obligatus sit ad fideicommissa ea imperfecto testamento relicta, obligatus tamen fiat ob poenam mendacii, si nihil tale se audivisse dicat, lectura tamen, quam jam pro- 4
posui, est hodie receptior et verior, nam Imp. rationem decidendi hic non constituit in negatione, sed in voluntate defuncti, et provocat Imp. ad primam naturam fideicommissorum, qua morituri haeredes suos rogare solebant, ut hoc vel illud ei restituerent, et hanc lecturam receptiorem modernis esse, tradit *hic Sichard. num.* 15. *et Donell. hic num.* 1. *et* 5. *Carpz. p.* 3. *const.* 8. *def.* 40. *Guttierez in repet. l. nemo potest ff. de legat.* 1. *n.* 246. Et ita loqui- 5
tur haec lex de eo casu, quando defunctus fidei haeredis (sive sit ex testamento haeres, sive ab intestato,) commisit, ut rem praestet, nam tunc defectum solemnitatis non potest allegare haeres, *Thesaurus lib.* 1. *q.* 97. *per totam*, ubi *num.* 1. hanc factam et Christiano Principe dignam constitutionem vocat. Atque ita remedium 6
novum introduxit Justinianus, cui beneficio haeredes ad fidem promissam praestandam compellerentur, et juramento conscientiam suam non purgantes pro confessis haberentur, *Carpz. d. def.* 40. et ideo licet lex illud injungat, quia ta- 7
men a parte defertur, juramentum calumniae praestare deferens necesse habebit, *Carpz. d. l.* qui *defin. seq.* tradit probationibus conscientiam suam purgare posse, sed non referre, cum de proprio facto jurare debeat. Probant etiam *DD.* 8
ex hoc textu, ex imperfecto testamento oriri obligationem naturalem, et haeredem in conscientia sua teneri, *Molina tr.* 2. *d.* 81. *num.* 17. quamvis hic non in nudi testamenti imperfecti terminis, sed in re fidei haeredis commissa versemur, et promissione ab haerede facta; Confer. *Fusar. quaest.* 544. Et non aliter haeres 9
veritatem fideicommissi sine testibus relicti juramento diffiteri cogitur, quam si ipse haeres, cujus fidei id testator commisit, praesens fuerit, et sermonem fideicommittentis ad se directum audiverit, ita, ut ipsi totius rei veritas sit cognita, *Finckelth. obs.* 51. *num.* 7. *et* 11.

Auth. Hoc amplius.

SUMMARIA

An et quatenus haeres vel legatarius facere aut praestare quid jussus, nec faciens, haereditatem amittat? num. 1.
Si legatum est pium duplo mulctatur. 2.
Quibusnam portio amissa cum promissione solvendorum legatorum deferatur? 3.
Quinam inter hos praeferatur? 4.
Legitima ne quidem ob contumaciam amittitur. 5.
Quid juris hic circa substitutum? 6.
Quid si testator expresse haeredi privationis haereditatis poenam indicat, cuinam assignanda amissa portio? 7.
Etiam adita hareditas per jus adcrescendi, acquiritur alteri. 8.
Non tamen invito, sed volenti cohaeredi, licet alias portio deficiens etiam invito adcrescat. 9.
An tutor recusans onus tutelae indistincte sibi relictum amittat? 10.
Legitima debitum naturale vocatur. 11.

1 Si haeres vel legatarius facere aut praestare jussus, (aliud ergo si lex ipsa impleat, ut legatam libertatem, *Dn. Richter hic num.* 5.) et a judice semel admonitus, (non enim opus gemina monitione) *Sich. hic num.* 14. *et Donell. num.* 2. *et Dn. Richter num.* 7. sive judex sit civilis sive ecclesiasticus, intra annum (ab admonitione judicis computandum, *Dn. Richter. hic num.* 8.) voluntati defuncti parere neglexerit, cum potuerit parere, *Dn. Richter hic num.* 10. cum tamen legatum non ignoraret, amittit
2 haereditatem, *Nov.* 1. Si autem legatum sit pium, duplo mulctatur, §. 19. *Inst. de act. et* §. *ult.*
3 *de obl. ex quasi contract.* Portio autem amissa cum promissione solvendorum legatorum priori casu defertur substitutis, vel cohaeredibus proportionibus haereditariis, vel fideicommissa-
4 riis universalibus, vel legatariis, et inter hos praefertur ille, cui majus legatum erat relictum veluti inter fideicommissarios universales praefertur is, cui major haereditatis portio relicta. Et hanc successionem legatariis delatam aut fideicommissariis neque ex testamento esse, neque ab intestato, sed anomalam ut ex lege tradit *Fachin. l.* 13. *cap.* 73. §. 4. Post istos veniunt testamento manumissi secundum ordinem scripturae, sexto loco haeredes legitimi, septimo extraneus, ultimo Fiscus, sed exhaeredatus plane excluditur. His personis, quibus legitima debetur, haec reservatur, et quod superest, deducta legitima adimitur, ideo notandum pri- 5
vilegium legitimae, quod ne quidem ob contumaciam amittatur, *Dn. Richter hic num.* 11. Id vero, quod substitutus hic defertur, est quid 6
singulare: Nam quia haeres adierat, expiraverat substitutio, sed quia haeres vel legatarius moratur per moram illam, privat se ipsum haereditate, ideo haereditas pro non adita habetur, et quasi reviviscit substitutio, Vid. *Barry lib.* 1. *tit.* 9. *num.* 15. Si vero testator expresse indi- 7
ceret poenam privationis haereditatis haeredi, substituto, dein cohaeredi, et demum haeredi legitimo amissa portio assignata foret, per *Nov.* 44. §. 9. *Peregrinus de fideicom. art.* 11. *num.* 133. *Barry d. l.* ubi autem ex dispositione legis, alterius favore aliquis a successione repelleretur, illi ob non praestitam fidem applicaretur, post alios *Peregrinus d. art. in fine, Clarus* §. *testam. quaest.* 69. *Grassus d.* §. *et Barry lib.* 9. *t.* 28. *num.* 7. Et quod de cohaeredibus dictum supra, quod iis portio haeredis morosi accedat volentibus, tamen in eo duo concurrere videntur singularia: 1. quod etiam haereditas adita 8
per jus decrescendi adquiratur alteri, *Hilliger in Donell. l.* 7. *cap.* 12. *lit. O*: - 2. quod non invi- 9
to, sed volenti cohaeredi adcrescat; licet alias portio deficiens invito etiam adcrescat, *Dn. Richter ad hanc Auth. num.* 19. Et quamvis sint, qui ex *hac Authentica* velint probare, tutorem 10
recusantem onus, indistincte amittere relictum, licet non sit relictum contemplatione oneris, hanc tamen mutationem non admittit *Piag. de tutel. q.* 10. *num.* 3. *etc.* Notetur etiam in *hac* 11
Authentica legitimam vocari debitum naturale, *Menoch. cons.* 250. *num.* 90. *Fusar. q.* 296. *num.* 14.

TITULUS XLIII.

Communia de legatis, et fideicommissis, et de in rem missione tollenda.

L. Cum hi. 1.

SUMMARIA

Exaequantur quatuor legatorum genera. num. 1.
Pia legata peculiarem adhuc habent naturam. 2.
Quaenam actiones pro consequendo legato concedantur? num. 3.
An et quatenus etiam contra legatarios et fideicommissarios dentur? 4.
In quantum actio hypothecaria contra haeredem competat? 5.
An et quale hodie discrimen sit inter quatuor haec genera? 6.
Hypotheca haec legalis inter haeredes est dividua. 7.
Quando haec hypotheca locum habeat? 8.
Quando non? 9.
Quodnam ulterius, praeter has tres actiones, remedium detur executive agendi? 10.
An et quatenus hypothecaria actio detur contra tertium? 11.

In *hac lege*, 1. Exaequantur quatuor illa gene- 1
ra legatorum, ut in §. 1. *Inst. de legat.* Licet pia legata adhuc peculiarem naturam habeant, 2
§. 19. *Inst. de act.* - 2. Exaequantur legata et fideicommissa, *hic. et* §. 3. *Inst. de legat. Auctor*

3 *in l.* 1. *ff. de legat.* 1. *num.* 1. *et* 3. Conceduntur tres actiones pro consequendo legato: 1. Actio est in personam, quae competit pro omnibus legatis, et factis et rebus alienis, est enim ex quasi contractu, §. 5. *Inst. de obl. ex quasi contr. l. ult. C. de haered. act.* - 2. Actio tam in fideicommissis, quam legatis est actio in rem, quae tamen non competit, nisi de rebus, quae testatoris fuerunt. Nam si facta legata, vel res alienae, vel legatum generis, non competit actio realis, sed tantum personalis, nec obstat regul. in §. 14. *Inst. de act.* quia nemo condicere potest rem suam ut suam, bene tamen sibi debitam, ut commodator *etc.* - 3. Actio hypothecaria, ad res quae ex haereditate ad haeredem pervenerunt, non vero ad res ipsas legatas, quia nulli res sua pignori esse potest, *l. neque pignus* 45. *ff. de R. J. Neguz. de pign. m.* 4. *p.* 2. *n.* 158.
4 Atque hae actiones etiam contra legatarios et fideicommissarios dantur, si ab his quid relictum, qui agnoscendo legatum onus etiam a-
5 gnoscere videntur. Sed haec hypothecaria actio in tantum competit contra haeredem, quantum est legatum, ne tamen ultra vires gravetur hae-
6 res, ut dictum suo loco. Notandum autem: Quamvis illa quatuor genera legatorum non curentur in executione, tamen interdum remanere discrimen, ut in effectu electionis, nam omnino adhuc discrimen manet, an verba dirigantur ad haeredem, an vero ad legatarium, per *l.* 45. §. 1. *ff. de legat.* 1. *l.* 19. *ff. de legat.* 2. *Gomez lib.* 2. *c.* 11. *n.* 45. *Hartm. Pist. part.* 344. *num.* 3. *Bacchov. in Treutl. d.* 13. *th.* 5. *lit. A.* sic etiam in libertate discrimen mansit, ubi alia directa, alia fideicommissaria, *Bacchov. d. l. thes.* 1. *lit. H. Barry lib.* 6. *tit.* 1. Conf. *Hillig.*
7 *lib.* 8. *cap.* 2. *lit. H.* Notandum etiam: hypothecam hanc legalem non esse individuam, ut alias sua natura hypotheca esse solet, sed est dividua inter haeredes, et non competit adversus unum haeredem ultra ejus portionem haereditariam, v. g. si tres haeredes, et legatarius velit unum convenire haeredem ratione aedium haereditariarum, ut ex iis legatum accipiat, non poterit, nisi pro tertia parte eum convenire, per verba legis circa finem: *In tantum unumquemque haeredum hypothecaria conveniri posse, in quantum personalis actio contra eum competit. Ant. Fab. in Cod. suo h. t. def.* 1. *Dn. Richter de privil. cred. disput.* 8. *p.* 233. *Vinc. de Franch. dec.* 203. *n.* 1. *Neguzant. m.* 4. *part.* 3.
8 *de pign. num.* 160. Et haec hypotheca legalis locum habet, licet expressam testator constituerit hypothecam, et haec non sufficiat, *Neguz. d. l. num.* 157. *Berlich. p.* 1. *concl.* 67. *num.* 63. licet haec expressa sit individua, *Ant.*
9 *Fab. def.* 1. Non tamen haec hypotheca locum habet in rebus haeredis, *Neguz. d. m.* 4. *num.* 15. *Richter d. l. Vivius d.* 606. nec in bonis testatoris aliis specialiter legatis, *Neguz. d. l. num.* 160. nec in iis, quae mortis causa donata, quia lege destituimur, nec praefertur legatarius creditoribus defuncti chirographariis, licet ipse hypothecam habeat, quia nihil debetur legati nomine, nisi omne aes alienum solutum sit, ergo fundamentum hypothecae deficit, *Carpz. p.* 1. *cap.* 28. *def.* 177.
10 Posse tamen praeter has tres actiones executive agere, utili remedio *legis fin. C. de edict. D. Adr. toll.* tradit *Carpz. p.* 3. *c.* 13. Sed de hoc Vide *Menoch. rem.* 4. *adip. poss. num.* 693. *et seqq.*
11 Haec autem hypothecaria actio non datur contra tertium, nisi excusso prius principali, *Auth. sed hodie C. de A. et O.* Quamvis nonnulli velint plane contra tertium hanc actionem non dari, nam si daretur contra tertium, daretur in solidum, quia ille nullam habet portionem haereditariam, secundum quam possit dari contra tertium, et sic durius obligaretur tertius, quam haeres ipse. Et est haec hypotheca legalis privilegiata et specialis, de quo agit *Cephalus cons.* 98. *num.* 15. *et seq. lib.* 1. quin imo nolunt concedere hypothecam in casu conditionalis fideicommissi ante impletam conditionem. Ergo alienata res, antequam conditio impleretur, est libera, et sic per hypothecariam actionem avocari nequit, *Neguz. de pign. part.* 2. *memb.* 4. *num.* 15. *Thesaur. lib.* 2. *qu.* 84. *num.* 3. Sed retro trahi hypothecam hanc legalem volunt rectius alii, quos refert et sequitur *Menoch. cons.* 1052. *num.* 14. Et datur actio hypothecaria contra tertium, tertio tamen competit beneficium excussionis, ut haeredes primo excutiantur, *Auth. hoc si debitor C. de pign.* nisi ipse testator specialem legatario constituerit hypothecam, quo casu tertius possessor sine excussionis beneficio conveniri posset juxta *Novell.* 112. *c.* 1. §. *ab hoc autem, Berl. p.* 2. *concl.* 24. *num.* 71. *et Carpz. p.* 2. *const.* 18. *def.* 18. Sed si a testatore data esset hypotheca specialis, contra tertium, etiam non excusso principali, datur actio, per *Nov.* 112. *c.* 1. *Berlich. p.* 2. *conclus.* 24. *num.* 71. *et Carpz. p.* 2. *const.* 18. *d.* 18.

L. Omne verbum. 2.

SUMMARIA

Fideicommissa et legata quibuscumque verbis possunt relinqui. num. 1.
Legatis fideicommissa sunt exaequata, et contra. 2.
Quaenam de jure antiquo differentiae fuerint inter legata et fideicommissa, remissive? 3.
Quaenam fideicommissa legatis sint exaequata? 4.
Leges non verbis, sed rebus scriptae intelliguntur? 5.

Dicitur 1. Legata et fideicommissa quibuscumque verbis relinqui posse, sive directis sive obliquis, v. g. verbo VOLO, vel IN FAMILIA MANEAT, ALIENARI PROHIBEO, de quo *Riminald. vol.* 2. *cons.* 279. *num.* 3. *et seq.* - 2. Fideicommissa legatis exaequata et contra, *Auctor in l.* 1. *ff. de legat.* 1. *num.* 1. ut quod in uno genere amplius fuit, in altero quoque usurpare liceat, sive de actionibus quaeramus, sive de viribus relicti sive de modo relinquendi. v. g. Olim legata in codicillis relinqui non poterant, §. 10. *Inst. de fideicom. haered.* hodie possunt per *h. legem.* Vid. *Donell. lib.* 8. *c.* 2. Et sic, licet etiamnum quoad formam adhuc discrimen supersit, in effectu tamen conveniunt; quae autem jure antiquo fuerint differentiae, de iis sigillatim agit *Harprecht. ad* §. 3. *num.* 1. *de legatis, et Donell. l.* 8. *c.* 2. *et ib. Hillig. Auctor in d. l.* 1. *ff. de legat.* 1. *num.* 3. quod vero hic de fideicommissis legatis adaequatis dicitur, de singularibus intelligendum est, nam universalia aequiparata esse nemo dixerit, *Matth. de fideicom. lib.* 1. *c.* 1. *num.* 20. *Peregr. de fideicomm. art.* 1. *num.* 55. *in fine.* In fine legis

5 notetur regula: Quod leges non verbis, sed
rebus scriptae intelligantur, *Gail. lib.* 1. *obs.*
91. *num.* 17. *A. Barbosa locuplet. lib.* 10. *ax.* 3.

L. Si duobus. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Controversiae inter eos, qui rem communem possident, sortis judicio submittendae sunt. 2.
Judicium sortis, fortunae dicitur, et director hujus est Deus noster. 3.
Consuetudine aliud esse potest. 4.
Optionis legatum ex omni parte reale non est. 5.
Delata optione extraneo mortis praeventione non eligenti, aut intra annum nolenti, ad legatarium optandi jus devolvitur. 6.
Quamnam rem optare huic liceat? 7.
Quod si expresse optio in personam legatarii sit collata, etiam optima res eligi potest. 8.
Optio in legatis semel tantum facienda est. 9.
Limitatur varie. 10.
Requisita validae optionis. 11.
Res legata quando nec ab haerede alienari nec oppignorari, nec servus manumitti possit? 12.
An hoc casu dominium transeat in emptorem? 13.
Uxor ex bonis mariti fideicommisso subjectis portionem statutariam petere nequit. 14.
An dominium rei legatae hoc casu possit revocari? 15.
An et quatenus haeres relicti sub conditione vel die incerto maneat dominus? 16.
Cautela. 17.
Alienatio retro non fingitur nulla pro praeterito tempore, sed emptor facit suos fructus, quos percepit. 18.
Et dominium interim transit, sed revocabile. 19.
Justa haeredis ignorantia h. l. *quid efficiat?* 20.
Res legata vel sub fideicommisso alteri conditionaliter relicta non potest eveniente conditione vindicari, si fideicommissarius consensit in alienationem aut haeres istius fideicommissarii. 21.
Si expresse alienatio est prohibita, an interim valeat alienatio? 22.

1 *Pr.* testator quidam relinquit duobus equum,
quem optarint, vel uni relinquit equum, quem
optaverit, hic autem nondum optione facta,
decessit, atque sic jus optandi ad duos devolvit
haeredes; Si illi duo dissentiant, constituit Imperator
ut dissensus sorte dirimi possit, et res
legata in illius dominio permaneat tota, cui sors
optandi jus detulit, ita tamen, ut hic aestimationem
partis praestare collegatario teneatur. Nec
illud iniquum, cum sibi alter imputare debeat,
quod dissenserit, et sorti rem commiserit; subjicitur
etiam aestimatio servorum. Colligendum
2 itaque ex *hoc textu:* controversias inter eos, qui
rem communem possident, sortis judicio submitti
3 debere, quod dicitur judicium fortunae, cujus
director tamen DEUS Noster est, de quo multis
Tiraq. de primogen. q. 7. *opin.* 15. *Carpz. p.* 3. c. 1.
def. 1. *Harp. in* §. 29. *Inst. de legat. num.* 12. *et
seq. Lucas de Penna in l.* 2. *C. quando et quibus
quarta pars etc. Pruckman. vol.* 2. *cons.* 20.
num. 52. *Besoldus cons.* 85. *Molin. d.* 509. *et alii.*
4 Sed ubi alius modus statuto vel consuetudine in
aliqua facti specie introductus, tunc non est aliquis
compellendus ad sortis judicium subeundum,
v. g. quando haereditas inter duos dividenda,
alteri divisio, alteri electio committi solet
jure Saxonico, et jure Lubec. receptum, ut in re
communi provocans ad divisionem dividat, et provocatus
eligat, *Dn. Maevius p.* 2. *d.* 1. Collige etiam
ex *hoc textu:* optionis legatum non esse ex omni 5
parte reale, quia ad haeredem transmittitur, per
§. 23. *Inst. de legat. Castr. hic et Riminaldus cons.*
231. *num.* 105. *vol.* 3. *Barry lib.* 9. *tit.* 8. *num.* 4.
§. 1. Quando optio defertur, non legatario sed 6
extraneo, v. g. lego Cajo equum quem Titius
elegerit, tunc si Titius morte praeceptus eligere
non possit, aut intra annum nolit, optandi jus
ad legatarium devolvitur, ita tamen, ut non 7
optimam, sed mediae qualitatis rem optare possit,
quia scil. haec optio a lege defertur, quo
casu mediocris debetur, per *l. legato* 37. *ff. de
legat.* 1. quia non est vis tanta taciti, quanta expressi,
Cujac. l. 23. *obs. cap.* 14. *Sim. de Praetis
l.* 1. *int.* 1. *dub.* 3. *solut.* 3. *num.* 7. *Fr. Barry
l.* 9. *tit.* 8. *num.* 6. Nam si expresse optio in 8
personam legatarii sit collata, etiam optimam
rem is eligere poterit, *l.* 2. *ff. de opt. legat. l.* 9.
§. 1. *ff. de dolo.* Vid. *Colleg. Argentor. d. tit.
th.* 8. quod de eo casu, ubi res in bonis testatoris
fuit, per *l.* 67. §. 8. *ff. de legat.* 2. accipit, *Praetis
d. sol.* 3. *num.* 7. *et Barry d. l. num.* 5. optio 9
autem in legatis semel tantum facienda est,
Auctor in l. 2. *ff. de opt. leg. num.* 1. quod tamen 10
limitatur varie, *id. ibid. num.* 2. ubi etiam re- 11
quisita validae optionis *num.* 4. *et* 6. annectit.
§. 2. Quando res pure, vel in diem certam 12
legatur vel haeres rem alteri restituere rogatur,
interim res ab haerede neque alienari, neque
oppignorari, neque servus manumitti potest,
quia sc. dominium rei legatae statim mortuo
testatore legatario quaesitum est, *l.* 64. *in fin.
ff. de furt.* Ergo alienatio irrita, et dominium 13
non potest transferri in emptorem, ne quidem
pro eo tempore, quo penes ipsum gravatum
fuit, quia lex simpliciter prohibet alienationem,
Peregr. de fideicom. art. 40. *num.* 1. *et seq. Barry
lib.* 8. *tit.* 3. *num.* 63. et ideo conditio usucapionis
non transfertur, *Peregr. d. l. num.* 4. *Barry
d. l.* Ex quo colligitur: uxorem ex bonis mariti 14
fideicommisso subjectis, portionem statutariam
petere non posse, *Carpz. p.* 3. *c.* 20. *d.* 31. *Berlich.
p.* 3. *concl.* 27. *num.* 36. Et hoc casu do- 15
minium rei legatae revocari posset, licet ab
haerede, ignorante fideicommissum, ignoranti
emptori sit vendita res, *Fasar. q.* 556. *num.* 11.
et Peregrinus d. tr. art. 40. *num.* 39.
§. 3. Quando sub conditione vel die incerto 16
(qui conditionem continet, *l.* 75. *ff. de cond.
et dem.*) quid relictum, haeres pendente conditione
quidem dominus manet, et ita alienare
potest, melius tamen faceret si omitteret. Nam 17
eveniente conditione res legata revocari a secundo
possessore potest, quia resoluto jure
dantis, resolvitur jus accipientis, *l. lex* 31.
ff. de Pignor. nulla obstante usucapione vel
praescriptione, *Grassus* §. *fideicommissum q.* 56.
Guido Papae dec. 611. Sed alienatio retro non 18
fingitur nulla pro praeterito tempore, sed emptor
facit suos fructus, quos percepit, *Molin.
ad consuet. Paris. p.* 1. §. 22. *num.* 116. *Barry
d. l. num.* 63. Et dominium interim transit, sed 19
revocabile, *Tiraq. de retr. convent.* §. 2. *gl. un.
n.* 36. *Fasar. l.* 554. *Peregr. d. art.* 50. *n.* 6. *Gail.*

20 *lib.* 2. *obs.* 173. *num.* 5. *et seq.* Sane justa hae-
redis ignorantia facit, ut alienatio rei per fidei-
commissum relictae facta in emptorem igno-
rantem valeat, et haeres tantum ad pretium
obligetur, *Tiraq. ad LL. connub. gl.* 7. *num.* 50.
Gail. d. obs. 137. *num.* 10. *Cravetta cons.* 967.
vol. 5. *Ruinus cons.* 109. *num.* 21. *lib.* 2. *Rol. a
Valle cons.* 81. *num.* 2. *lib.* 1. *Rimin. vol.* 3. *cons.*
324. *num.* 3. *Menoch. cons.* 41. *num.* 19. *Ricc.
dec. coll.* 170. *Masc. concl.* 780. *num.* 4. *et*
21 *concl. seq.* Sed et eo casu res legata vel sub fi-
deicommisso alteri conditionaliter relicta non
potest eveniente conditione vindicari, si fidei-
commissarius consensit in alienationem, aut
haeres istius fideicommissarii qui consensit, sal-
tem mediatus, *Cephal. cons.* 393. *num.* 80.
22 Sed quid si expresse alienatio prohibita, an in-
terim valet alienatio? Resp. non, *ex l. cum pater*
77. *§. liberis ff. de legatis.* 2. Et sic *hic* §. de tacita
prohibitione intelligendus, quo casu nil interest
fideicommissarii, quis interim habuerit rem, Vid.
Cephal. cons. 614. *num.* 20. *et seqq. lib.* 4.

Auth. Res quae.

SUMMARIA

Alienatio et obligatio fideicommissi indistincte hac Auth. *prohibetur. num.* 1.

Exceptio. 2.

Ea quae communiter omnibus prosunt, his, quae specialiter quibusdam prosunt, anteferri debent. 3.

Favor dotis est publicus. 4.

Ampliationes. 5.

Officium patris est, dotem relinquere descendentibus. 6.

Sensus §. ult. 7.

Emens fideicommissum scienter, nulla etiam apposita stipulatione, agere potest ad pretium. 8.

Promissione quoque evictionis apposita neque ad evictionem neque ad interesse agere potest emens, sed tantum ad pretium. 9.

Objectio quod alias rem alienari prohibitam emens amittat pretium, diluitur. 10.

Feudo alienato et scienti vendito re evicta emptor tantum agere potest ad pretium. 11.

Ampliatur. 12.

Cuinam hic detractio pretii meliorationis denegetur? 13.

1 *Haec Auth.* indistincte alienationem et obliga-
tionem fideicommissi prohibet, etiam conditio-
2 nalis. Excipitur, si liberi ex bonis paternis do-
tem ac donationem propter nuptias, vel etiam
dotis ac donationis propter nuptias restitutionem
consequi non possint, quod haeredi probandum:
nam fideicommissarius habet intentionem fun-
datam et reus excipiendo fit actor, *Peregr. de
fideicom. art.* 42. *num.* 37. *et quos refert Fusa-
rius q.* 531. *num.* 123. ob hanc causam res fi-
deicommisso relictae obligari vel alienari possunt;
3 ratio additur, quod ea quae communiter omnibus
prosunt, his quae specialiter quibusdam prosunt
4 anteferenda sunt. Jam autem favor dotis est pu-
5 blicus, *l.* 2. *ff. de jur. dot.* Et hoc de liberis pri-
mi gradus non tantum, sed etiam nepotibus
aliisque descendentibus intelligunt, *Cephal. cons.*
474. *num.* 23. *etc. l.* 4. *Fusarius quaest.* 531.
num. 7. *et seqq.* Et licet testator in specie prohi-
buisset alienationem pro dote, adhuc tamen pro
dote alienari posset, quia officium patris est, 6
dotem relinquere descendentibus, *Cephal. consil.*
574. *num.* 16. *et seqq. l.* 41. *Fusarius d. q. num.*
71. *et seqq. Dn. Richter ad h. Auth. in fine.* Et
de augmento dotis *hanc Authenticam* intelligit
Cephal. cons. 177. *num.* 29. quamvis autem *Ri-
minaldus cons.* 324. *num.* 12. *hanc Authenti-
cam* ad transversales extendat, ob rationis ge-
neralitatem; praefero tamen aliorum sententiam,
qui de descendentibus intelligunt, quos longa
serie recenset *Fusarius d. l. num.* 95. Nec pla-
cet extensio ad feuda, *Cephal. cons.* 668. *num.* 22.
nisi quod aliquid loco dotis ex feudis consuetu-
dinario jure arbitrio domini assignari soleat. Vide
hanc materiam fuse tractatam apud *M. Ant. Pe-
regrinum de fideicom. art.* 42. *per tot. et An-
tonium de Padilla in repetione hujus Auth. per
tot. et Petr. Antonium de Petra in tract. de
fideicom. qu.* 8. *num.* 330. *Barry lib.* 8. *tit.* 3. *num.*
26. *et seq. Fusarium qu.* 531. apud quos proli-
xius haec materia tractata.
§. *ult.* Quando fideicommissarius fideicom- 7
missum revocat ab emptore, ut in §. 2. *et* 3.
tunc si emptor sciens emerit, non habet ratione
evictionis actionem, nisi ad pretium, quod de-
dit, licet ratione duplae sibi cavisset, quamvis
alias ei, qui sciens rem alienam emit, actio de
evictione non detur, ne quidem ad pretium,
l. 27. *infr. de evict.* Sed cum emptore hic ideo
clementius agitur, quam aliis malae fidei pos-
sessoribus, nam alii sciunt rem alienam, hic
vero scivit rem esse venditoris, sed inaliena-
bilem, et e contra durius agitur cum illo, dum
illi stipulatio dupli non proficit, ergo gravatus
in uno, in altero sublevatur. Sunt ergo hic duo spe-
cialia: I. Quod emens rem eam scienter, agere 8
possit ad pretium etiam nulla apposita stipula-
tione: II. Quod etiam apposita promissione evi- 9
ctionis, non possit tamen emens ad evictionem
agere, et ad interesse tantum ob dubium even-
tum conditionis futurae, *Fr. Caldas de empt.
cap.* 31. *num.* 107. neque ad duplum agi potest,
sed ad pretium tantum, *Covarr. lib.* 3. *resol.
c.* 17. *num.* 2. vers. *ad eam quaestionem, Ce-
phalus cons.* 393. *num.* 100. Quamvis autem alias 10
rem alienari prohibitam emens amittat pretium
l. si fundum 27. *C. de evict. et l. quemadmodum
C. de agric. et cens.* hic tamen non habet haec
sententia locum, quia cum potuerit conditio
deficere, non potuit tempore alienationis dici
fuisse alienatam rem prohibitam alienari, *P. Barb.
ad l.* 1. *p.* 5. *num.* 36. *ff. sol. matr.* licet cor-
rectionem juris male agnoscat *Caballinus de
evict.* §. 5. *num.* 32. Et sic, si feudum etiam 11
alienatum et scienti venditum, quia eadem spe-
cialitatis ratio militat, re evicta emptor tantum
agere potest ad pretium, *Hart. Pist. p.* 2. *quaest.*
10. *num.* 28. Et in omnibus rebus restitutioni 12
subjectis, potest hoc dici per tradita *Tiraq. de
retr. consanguin.* §. 12. *gl.* 1. *num.* 13. quod au-
tem de meliorationibus amittendis hic dicitur,
id intelligunt *DD.* respectu venditoris, quod 13
ille meliorationum pretium detrahere non pos-
sit. Sed quando res est cum evincente, respon-
dendum est ex *l. domum* 5. *supr. de rei vin-
dic. Petr. Barb. ad l. divortio* §. *fin. part.* 1.
num. 88. *ff. soluto matrim.* ubi plures refert.

TITULUS XLIV.

De falsa causa adjecta legato vel fideicommisso.

L. Verba. 1. et L. Si dotem. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Falsa adjecta causa impulsiva legatum non tollit. 2. 3.
Quaenam causa per finalem intelligatur, et quae per impulsivam? 4.
Falsa existente causa finali legatarius exceptione doli repellitur. 5.
Unde appareat, quod haec vel illa causa sit finalis? 6.
Causa legato cohaerens finalis praesumitur. 7.
An causa falsa finalis a sciente testatore addita legatum fiat irritum? 8.
Verba enunciativa, emissa propter se principaliter, inducunt in ultima voluntate dispositionem. 9.
Illustratur exemplo. 10.

1 Testamentum feci, et inter alia his verbis usus sum: *Decem, quae debebat mihi Titius, peti veto, quia mihi solvit:* Post mortem apparet, Titium non solvisse. Quaeritur: *An adhuc peti possint, vel si non possint peti, annon Titius probare debeat, voluisse testatorem fideicommissum relinquere, argum. l.* 34. §. 3. *ff. de legat.* 1. Sed ad prius Resp. Neg. nam aut vere soluta sunt illa decem, et haeredi obstabit exceptio solutionis, aut non soluta, et est legatum libe-
2 rationis, *l.* 3. *ff. de liber. legata.* Nec enim falsa adjecta causa tollit legatum, §. 31. *Inst. de legat.* Posterius etiam Neg. quia haeredi incumbit probatio, quod errore lapsus testator putarit pecuniam esse solutam, quia *in d. l.* 34. de obligando haerede, non de liberando debitore agitur, sed hujus causa favorabilior, *l. Arrianus* 47. *ff. de oblig. et act.* nam defunctus non videtur spe numerationis futurae fateri, ut inter vivos fieri solet, et sic exceptio non numeratae pecuniae non habet locum, sed error probandus est, *Hippol. de Marsiliis ad rubr. de fi-*
3 *dejus. num.* 45. Et haec decisio jam sumenda ex *l.* 1. quod falsa causa scil. impulsiva non vitiet
4 legatum, aliud vero si causa finalis. Per finalem autem intelligunt illam, quam alias Philosophi vocant impulsivam primariam, sine qua agens non egisset; Et ideo *P. Gregor. lib.* 42. *num.* 53. vocat impulsivam finalem. Per impulsivam autem alii causam impulsivam secundariam intel-
5 ligunt. Quando igitur additur legato causa, falsa autem existente causa finali, legatarius exceptione doli repellitur, *l.* 72. §. 6. *ff. de cond.*
6 *et dem.* quod autem haec vel illa causa sit finalis, i. e. quod sine hac alias non fuerit relicturus, apparet vel ex verbis testatoris, vel ex conditionali conceptione, *l.* 17. §. 3. *ff. d. t. Donell. lib.* 8. *c.* 14. *Carpz. p.* 3. *c.* 9. *def.* 20. Vel ex natura causae, ut si concernat vinculum sanguinis, *l. si pater, l. nec apud supr. de haered. inst. Menoch. lib.* 14. *praes.* 24. *num.* 5. *Gomez l.* 1. *res. c.* 12. *num.* 76. *Barry lib.* 17. *tit.* 7. *num.* 2. *Carpz. lib.* 6. *resp.* 22. *num.* 16. Sic et causa legato haerens praesumi- 7
tur finalis, *Carpzov. d. resp.* 22. *num.* 6. Et si intenderit testator onus legatario imponere, habetur pro causa finali; Aliud si voluit legato eum pertrahere et pellicere et accommodare ad aliquid faciendum. Sic in lege *si repetendi supra de condict. ob causam* tantum causa impulsiva. Sic etiam causa finalis est, quando testator principaliter intendit, secus, si non intendat eum finem principaliter. Sed si haec ad *hanc legem primam* applicemus, videtur haec esse causa finalis, sed Resp. quando causa falsa finalis ad- 8
ditur a sciente testatore, non est irritum legatum, praesumitur autem hic scire testator, quia de proprio facto loquitur, quando autem testator scivit causam finalem esse falsam, legatum non perimitur, *l.* 58. §. 1. *ff. de haered. inst. Mantica lib.* 6. *tit.* 14. *num.* 17. *Barry d. t. num.* 3. Et ideo inferunt *Salyc. Castr. et alii ex hac lege:* Verba enunciativa emissa propter se princi- 9
paliter, inducere in ultima voluntate dispositionem. Et haec decisio *legis primae* applicatur ad hypothesin in *l.* 4. ubi socer prohibuit, ne 10
dotis restitutio a genero petatur, quia scil. restituit dotem; Nam aut dos restituta est, et sublata est actio, aut non est restituta, et datur exceptio legatae liberationis. Collige; Falsam confessionem ac assertionem non vitiare legatum.

L. Etiam. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Res per falsam demonstrationem donata, aut per se est certa, aut incerta. 4.
Quid juris circa utramque? 5.
Circa certam quantitatem dicta limitantur. 6.

Legavi tibi centum, quae post annum debeo, 1
cum tamen nihil debeam. Quaeritur: *An hoc legatum valeat?* Videtur quod non, quia non 2
valet, si tibi legem centum, quae debes, si nihil debeas, *l.* 75. §. 1. *ff. de leg.* 1. nec valet, si tibi legem centum, quae Sempronius debet, si ille nil debeat; sed affirm. quia falsa demon- 3
stratio non perimit legatum, §. 30. *Inst. de legat.* In dictis autem exemplis, alia ratio, quia in primo exemplo tenetur haeres liberare, in altero cedere, sed ejus, quod non est, neque liberatio, neque cessio fieri potest. Ex dictis, aliisque textibus colligitur: distinguendum esse 4
in genere, an per falsam demonstrationem denotata res per se sit certa, an vero incerta, v. g. dotem, quam accepi, lego, dote non accepta ipsa substantia dotis manet incerta; sed

5 quando ita lego: centum, quae dotis nomine accepi, lego, certa est quantitas, quae objectione falsae demonstrationis non vitiatur, per §. 15. *Inst. de legat. l.* 1. §. 7. *ff. de dote legata, Gomez t.* 1. *resol. cap.* 12. *num.* 18. *Barry l.* 9. *tit.* 21. *num.* 2. *Grassus* §. *legatum q.* 42. *num.* 2. *DD. in d.* §. 15. porro circa certam quanti-
6 tatem quod dictum est limitatur: I. Nisi demonstratio falsa sit desumpta a loco, tunc enim perimit legatum, v. g. centum, quae in arca habeo, lego, si nihil ibi sit, nihil debetur, per *l.* 108. §. 10. *ff. de legat.* 1. *et d. l.* 1. §. 7. *de dote leg. Pacian. c.* 6. *q.* 32. *Hill. lib.* 8. *cap.* 14. *lit. E.* II. Limitatur, nisi demonstratio ab eo sumpta, quod alius debet, nam, si testator leget 100. quae ipse debet, debebitur legatum, sed, si leget 100. quae Paulus debet, demonstratio falsa, licet rem certam designet, perimit legatum, *l.* 75. §. 1. *et* 2. *ff. de legat.* 1. *l.* 25. *ff. de lib. leg.* quia in hac specie falsa demonstratio tollit substantiam rei legatae, ut *DD.* hic, nam legata est actio contra Paulum, quae si Paulus nihil debeat, nulla est, *Donell. lib.* 8. *cap.* 14. *lit. G.* III. Limitatur, nisi demonstratio falsa exeat in conditionem, ut, lego Stichum, qui meus erit, cum moriar, *l.* 6. *ff. de legat.* 1. *Donell. lib.* 8. *c.* 31. *et ibi Hillig. lit. E.* Conf. *lib.* 8. *c.* 14.

L. Si non. 3. et L. Refert. ult.

SUMMARIA

Quatenus dos marito possit legari? num. 1.
An semper valeat legatum dotis. 2.
Objectiones diluuntur. 3.
Dote legata, si nulla dos illata fuerit, nihil debetur. 4.
Nisi certa dotis quantitas legetur. 5.
Exceptio est in dote constituenda. 6.
Quaenam dos certa dicatur? 7.
Quid si probabili errore testator putaverit se accepisse dotem? 8.
Legatum dotis certae non acceptae non habet privilegia et proprietates dotis, nec beneficium leg. assiduis C. qui pot. in pign. 9.
Valet jure legati, non jure dotis. 10.
Uxore hac secundo nubente non videtur dos eadem illata secundo marito. 11.
Duae aliae illationes. 12.
Quid si maritus legaverit dotem, quam tamen nondum acceperit? 13.

Dos legari potest uxori a marito, propter commodum repraesentationis, *l. un.* §. 7. *C. de rei uxor. act.* et quia plenius est legatum, quam de dote actio, §. 14. *Inst. de legat.* Sed *utrum* 1
semper valeat legatum dotis? Resp. Distinguendo, utrum simpliciter, nulla designata quantitate, id quod in dotem accepit vel accepturus est, uxori legasset, et tunc nulla dote accepta, non valet legatum, quia res incerta legata, et subintelligi videtur conditio, si accepero. Si vero certa quantitas exprimatur, v. g. *centum, quae dotis nomine dedit uxor*, vel per relationem ad instrumentum dotale v. g. *dotem in pactis dotalibus comprehensam lego*, hic certa quantitas utroque casu relicta, *l.* 6. *ff. si cert. pet. l. ult. h. t.* et ergo falsa demonstratio non obstat, §. 30. 2
Inst. de legat. nec obstat, *l.* 1. §. 7. *ff. de dot. praeleg.* quia quantitas ibi exprimitur, ut corpus et species, hic vero ut quantitas et genus. Nota: 3
I. Dotem, vel, quod dotis nomine pervenit, si alicui quis leget, si nulla dos illata, nihil deberi, *Grassus d. l. q.* 42. *Barry d. l.* sed, si 4
certa quantitas legetur, deberi, *Barry d. t. et* 5
Menoch. l. 4. *praes.* 145. Sed aliud videtur esse 6
in dote constituenda, si v. g. maritus uxori dotem ei constituendam non restituendam leget. Nam tunc dos incerta non expressa quantitate arbitrio judicis determinanda, *Herculanus ad l.* 1. *num.* 42. *ff. sol. matr.* quem refert et capere videtur *Menoch. cons.* 292. *num.*
13. II. Certam dotem etiam eam dici, quae per 7
relationem ad instrumentum pactorum dotalium exprimitur, per *d. l.* 6. *et l. ult. h. t.* Sed Quaeritur: *Si testator probabili errore deceptus pu-* 8
tasset, se accepisse dotem? Eo casu, licet quantitas sit expressa, legatum tamen non deberi dicit *Surdus decis.* 142. quia hic error doceri potest, *Barry d. l.* Hoc autem legatum dotis 9
certae non acceptae, non habebit privilegia et proprietates dotis. Et ita non habebit beneficium *leg. assiduis C. qui potiores in pign.* et valebit 10
jure legati, non jure dotis, unde infert *Simon de Praetis lib.* 4. *interp.* 1. *dub.* 10. *num.* 95.
et seqq. - 1. Si haec uxor secundo nubat, non 11
videtur dos eadem illata secundo marito. - 2. Ut 12
uxor gravata fideicommisso non possit hanc dotem detrahere. - 3. Quod, si vivo testatore moriatur, haec actio putativae et simulatae dotis non transmittetur ab uxore in haeredes, *Barry d. l.* Quid si maritus legaverit dotem promis- 13
sam, quam tamen nondum accepit? Vid. *Auctor in l.* 1. *ff. de dot. praeleg. num.* 8.

TITULUS XLV.

De his, quae sub modo legati vel fideicommissi relinquuntur.

L. In legatis. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Modus quatenus idem ac conditio? 4. 10.
Conditio, si per legatarium non stetit, sed per haeredem, pro impleta habetur. 5.
Modus quidnam apud JCtos significet? 6.
Quomodo exprimi soleat? 7.
An in dubio legatum modale potius quam conditionale? 8.
Legata modalia a conditionalibus quomodo differant? 9.

1 Lego puellae centum, ut Titio nubat, legatum est sub modo, cui illa vult parere, sed Titius recusat; Quaeritur: *An puella possit petere cen-*
2 *tum?* Videtur quod non, quia modus pro conditione habetur, *hic et l.* 21. §. 3. *ff. de ann. legat. l.* 71. *ff. de condit. et demonstr.* Ergo deficiente conditione non potest legatum petere. Sed
3 Affirm. Imperat. modus enim pro conditione
4 habetur, non ratione initii seu petitionis, quia hac ratione purum est, et statim potest peti praestita cautione, *l.* 40. §. *ult. ff. de condit. et demonstrat.* sed ratione effectus, modo enim non impleto revocatur legatum, quasi ob causam datum, ea non secuta, *l.* 8. *ff. de cond.*
5 *et dem.* Vid. *Donell. lib.* 8. *c.* 17. Imo etsi conditio esset, si per legatarium non stetit, sed per haeredem, habetur tamen pro impleta, *l. in jure ff. de R. J.* Jam per legatarium hic non stetit, sed Titium, ergo etc. Notandum autem est,
6 *modum* significare apud JCtos causam finalem legati a testatore verbis expressam, et quidem
7 exprimitur plerumque per particulam, *UT*, v. g. *lego Titio centum, UT studeat, Gomez all. c.* 12. *num.* 70. *Mantica lib.* 10. *c.* 5. *num.* 15. et quos allegat *Barry lib.* 17. *tit.* 2. *num.* 1. Eamdem vim habet particula *PRO*, v. g. *pro dotanda puella*, *Menoch. cons.* 146. *num.* 21. *Barry d. t.* 2. *num.* 5. Eadem vis particulae *AD.* In dubio
8 sane modale esse potius legatum, quam conditionale communiter volunt *DD. Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 494. *num.* 12. *et lib.* 4. *praes.* 175. *num.* 15. *et cons.* 262. *num.* 26. *Peregr. art.* 11.
9 *num.* 114. Differunt vero, ut etiam ex textu probatur, potissimum a conditionalibus legatis, in his, quod modalia legata statim debeantur, praestita cautione de modo implendo, *Auctor in l.* 17. *ff. de cond. et dem. num.* 10. quamvis si modus ex intervallo additus legatae libertati, non opus esse praestatione cautionis velint *DD. ex l. Imperatores* 52. *ff. de manumissis testam.* quod etiam ad legata pia extendi testatur (licet subdubitans) *Tiraq. priv. piae causae* 49. conditionalia vero non, nisi impleta conditione, *per l.* 80. *ff. de cond. et demonstr. l.* 17. §. *fin. l.* 40. §. *fin. ff. d. t. Peregrinus d. art.* 11. *num.* 115. *Barry d. l.* 17. *t.* 3. *num.* 1. Deinde modale legatum quia purum est, transmittitur, *Menoch. cons.* 131. *num.* 13. *Barry d. num.* 1. *Auctor in l.* 17. *ff. de cond. et dem. num.* 11. Conditionale legatum non. Alias differentias proponit *Menoch. d. praes.* 175. *et Barry d. t.* 3. Praecipue vero facit ad *hanc legem* illud, quod legatum modale, deficiens casu, omnino debeatur, *Menoch. d. cons.* 146. *num.* 12. quod autem hic
10 dicitur, modum saepe pro conditione observari, id de eo effectu intelligendum, quod coarctet legatum, ut *Barry d. t.* 3. *in fine.* vel ut *Peregrinus de fideicomm. art.* 16. *num.* 160. quod faciat conditionem, non quidem suspensivam, sed resolutivam.

L. Ex his verbis. ult.

SUMMARIA

Tertius petitionem fideicommissi pecuniarii ex modo olim non habebat. num. 1.
Secus jure Codicis. 2.
Quid si in conditione? 3.
Ratio differentiae. 4.
An hoc discrimen sit sublatum? 5.
An derogetur l. 8. ff. si quis omiss. caus.? 6.
Legatum modale tacita conditione ademptum videtur, si modus non impleatur. 7.
Quaenam inde competat actio? 8.

Olim ex modo tertius non habebat petitionem 1
fideicommissi pecuniarii, v. g. *fundum tibi lego, ut des Titio centum;* hic Titius, ex hoc legato nullam actionem habet, quia nec legatarius nec fideicommissarius est, nisi esset fideicommissum libertatis v. g. *lego tibi centum, ut servum manumittas*, sed per *hanc leg.* etiam in pecuniariis 2
tertio, ut Titio, competit petitio fideicommissi: sed aliud in conditione, v. g. *lego tibi fundum,* 3
si Titio solvas decem, huic Titio nulla competebat petitio, *l.* 8. *ff. si quis omiss. caus.* ubi Titius non est legatarius; ratio differentiae est, 4
quia qui legat, ut des Titio, enixius vult dari, quam si sub conditione leget, si dederis, quia hoc casu tuo id permittit arbitrio. Sed Quaeritur: *An hoc discrimen etiam sit sublatum?* Quod 5
communiter Negatur, sed dicunt ex hoc legato, *lego tibi fundum, si Petro solveris* 100. Petro nullam actionem dari, et ideo verba, quae de conditione hic habentur, de modo conditionaliter expressa *ad hunc tit. Cujac.* intelligit, nam potest ex voluntate praesumpta testatoris modus per conditionem exprimi, vel possunt i la verba, *sive ad conditionem*, ita intelligi, quod legatum sit sub conditione casuali relictum v. g. des Titio 100. si navis ex Asia venerit, impleta conditione etiam Titio dari actionem, *Cujac. lib.* 14. *obs.* 25. et ex eo *Hill. in Donell. lib.* 8. *c.* 17. *lit. Q.* Et sane haec sententia textui valde ac- 6
commodata, et sic non derogatur *d. l.* 8. quae de alio casu loquitur, ut est manifestum; Quid vero si ita leget? *lego tibi equum, ut non petas decem, quae Titius debet*, hic debitor usque ad quantitatem pretii equi habet exceptionem contra te, si contra eum agas. Ratio in *l.* 9. *C. de fideicomm.* Collige: Legatum modale tacita con- 7
ditione videri ademptum, si modus non impleatur, *Carpz. p.* 3. *c.* 13. *def.* 26. Et ideo ex mo- 8
dali legato tertio competit actio vel exceptio, et ex conditionali etiam, conditione impleta.

TITULUS XLVI.

De conditionibus insertis tam legatis, quam fideicommissis et libertatibus.

L. Cum testatorem. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Conditio, si sine liberis decesserit, *deficit*, *si vel unicum relinquat ex conjectura voluntatis.* 2.
In conditione, sine liberis, *quinam liberi intelligantur.* 3.
Foemina nunquam exclusa videtur, nisi hoc evidenter testator voluerit. 4.
Secus in feudis. 5.
Verba, si sine liberis, *verificantur etiam per nepotes.* 6.
Quid si sub conditione fiat fideicommissum, si sine liberis decesserit, *et liberi quidem supervixerint haeredi, sed non fuerint haeredes ejus?* 7.

1 Instituit quis inter alios Cajum, et hunc rogavit, ut, *si sine liberis decesserit*, suam portionem restitueret Tralliano. Cajus non reliquit liberos primi gradus, sed tantum nepotem ex filia; Quaeritur: *An fideicommisso locus?* Videtur quod sic, quia unico tantum, et quidem nepote superstite decessit, et quidem ex filia; sed Neg. quia liberorum appellatione nepotes continentur, *l.* 220. *ff. de V. S.* et non decedit sine liberis, qui vel unicum relinquit,
2 *l.* 148. *ff. de V. S.* Collige I. conditionem, *si sine liberis decesserit*, deficere, si vel unicum relinquat ex conjectura voluntatis, *Mantica lib.* 11. *t.* 6. *num.* 8. et quos allegat *Fusarius qu.* 401. *num.* 1. *et Peregr. art.* 28. *num.* 37. *Barry lib.* 17. *t.* 11. *num.* 1. *Et Tiraq. in l. si unquam in verbis susceperit liberos num.* 241. *et seqq. C. de*
3 *revoc. donat.* II. In conditione, *si sine liberis*, intelligi etiam filiam, et nepotes ex filia, et nepotem ex filio, *Thesaurus dec.* 188. *Carpz. p.* 3. *c.* 8. *def.* 10. *Menoch. cons.* 724. *num.* 30.
4 quia foemina nunquam videbitur exclusa, nisi hoc evidenter voluerit testator, per verba legis in fin. *nisi alia etc. Fusar. q.* 311. *in fine, Carpz. d. d.* 10. Et haec lex procedit in materia
5 indifferente, non vero feudali, *Cephalus cons.* 559. *num.* 30. *l.* 4. Imo si verba ita concipian-
6 tur, *si sine filiis decesserit*, quod etiam nepotibus hoc verificetur, tradunt receptum esse *Peregr. d. art.* 28. *num.* 32. *Simon de Praetis lib.* 3. *interpret.* 3. *dubit.* 3. *f.* 2. *c.* 16. *et Barry*
7 *d. lib.* 17. *t.* 12. *num.* 18. Quid si sub conditione fiat fideicommissum, *si sine liberis decesserit*, et liberi quidem supervixerint haeredi, sed non fuerint haeredes ejus? Vid. *Auctor in l.* 114. *ff. de legat.* 1. *num.* 7.

L. Cum patrem familias. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Argumentum a contrario sensu non procedit, quando resultat pravus intellectus, et aliquis ad malefaciendum invitatur. 2.

Pater instituit filiam, et eam rogavit, ut fundum Sempronio daret post annum, et eo nomine ipsi caveret, si a viro non diverterit. Filia divertit a marito, et Sempronius contra eam agit, ut caveat. Filia excipit, se non teneri cavere, cum illo demum casu jussa sit cavere, si non diverterit, sed se divertisse. Deinde conditionem divortii esse sperandam, *l.* 5. *C. de instit. et substit.* Sed resp. Imperat. ipsam cavere debere, nam argumentum a contrario sensu non procedit, quando resultat pravus intellectus, et aliquis ad malefaciendum invitatur, *d. l.* 5. *l.* 6. *pr. ff. si quis omiss. caus. testamenti etc. Everhardus in loco a contrario sensu num.* 6. *et seqq.* deinde, licet nihil de cavendo dixisset pater, omnino tamen filia ipsa jurisdictione Praetoris compelli posset. Et edicto praetorio ad hoc obligatur, ut caveat, *t. t. ff. ut legat. caus. etc.* Ad posteriorem rationem dubitandi resp. quod non opus sit remittere conditionem divortii, cum nulla sit, *h. leg.* 1
2

L. Si ea conditione. 3.

SUMMARIA

Conditioni legato adjectae non parens, ad petitionem legati non admittitur. num. 1.
Conditio mixta nunquam pro impleta habetur, quando deficit factum illius, qui debet implere. 2.

Quando quis non paret conditioni, quae legato adscribitur, ita ut per eum steterit, non admittitur ad petitionem legati, v. g. si moratus fuerit cum liberis meis vel cum focaria mea etc. *hic et l.* 8. *ff. h. tit.* Collige: conditionem mixtam nunquam haberi pro impleta, quando deficit factum illius, qui debet implere, *Mantica lib.* 11. *tit.* 16. *num.* 20. *Grassus §. legatum q.* 46. *num.* 13. *Peregr. art.* 16. *num.* 138. 1
2

L. Legatum. 4. et L. Cum quidam. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quando conditio mixta pendens ex facto duorum, et ita simul ex divina Providentia, quae maxime in rebus connubialibus cernitur et palpatur, impedita fuerit casu fortuito, pro impleta non habetur. 2.
Limitatur. 3.
Casus tertiae limitationis. 4.

In legatis piis, si conditio mixta non potest impleri ex eventu fortunae pro impleta habetur. 5.
In ultimis voluntatibus qui semel rem recipere recusavit, amplius eamdem petere non potest et sic oblationem facere, ut dominium transferatur in legatarium. 6.

1 Liciniae legata erant centum, si filio testatoris nuberet, sed antequam nuptiae contrahi possent, Filius moritur, Quaeritur: *An Licinia possit petere centum, , et sic conditio habenda sit pro impleta?* Neg. quia non est impedita facto haeredis, sed casu. Ergo conditio non habetur pro impleta, Vid. *l.* 1. *supr. de inst. et*
2 *substit.* Et ex *hac l.* 4. Collige: Quando conditio mixta pendens ex facto duorum, et ita simul ex divina Providentia, quae maxime in rebus connubialibus cernitur et palpatur, impedita fuerit casu fortuito, tunc non habetur pro impleta, quia testator, dum a duorum voluntate conditionem, et ita legatum suspendit, noluisse videtur, ut aliter legatum competeret, *Mantica lib.* 11. *tit.* 16. *num.* 29. *et seqq. Menoch. lib.* 4. *praes.* 183. *num.* 40. *Grassus* §. *institutio qu.* 26. *num.* 7. *et* §. *legatum qu.* 46. *num.* 19. *Barry lib.* 17. *tit.* 6. *num.* 16. quod
3 Limitatur: 1. favore alimentorum: 2. quando conditio talis mixta pro parte impleta fuit, pro parte non: 3. quando libertas sub conditione mixta est relicta, *Menoch. et Mantica dictis locis.* Et de tertia limitatione loquitur *l. ultima*
4 *h. t.* Nam, quando servus manumitti jussus, si decem solvat, vel aliam speciem, vel servum vicarium praestet, et servus illa praestare sit paratus, sed vi latronum ea eripiantur vel facto haeredis aut personae ejus, in qua conditio implenda impediatur, liber tamen fiet, quamvis adepta libertate adhuc illa decem solvere, vel rem aut servum vicarium aut ejus aestimationem praestare teneatur, modo ipse haeres accipere non recusaverit, nam tunc praestare
5 non tenetur. Collige I. in legatis piis, si conditio mixta non possit impleri ex eventu fortunae, seu ut nos Christiani loquimur, Providentiae divinae, quae tam curat minima, quam maxima, quod tunc conditio habeatur pro imple-
6 ta, *Menoch. d. praes.* 183. *num.* 41. II. In ultimis voluntatibus, qui semel recipere rem recusavit, amplius eamdem petere non posse, et sic oblationem facere, ut dominium transferatur in legatarium, *P. Barb. in l. si mora.* 10. *num.* 75. *et duobus seqq. ff. sol. matrim.*

L. Si uxorem. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Res filiae nondum emancipatae legata acquiritur sibi quoad proprietatem, quoad usumfructum vero patri, emancipatae pleno jure acquiritur. 2.
Secus in stipulatione. 3.
Conditio in ultimis voluntatibus retro non trahitur, ut in contractibus. 4.
Limitatur. 5.
Filia se emancipatam asserens illud probet. 6.
Sed si de emancipatione constet, lis vero sit de tempore, quo emancipata, illi, qui se in tempore fundat, id erit probandum. 7.

Filiaefamil. reliquit extraneus centum, si nu- 1
pserit, evenit illa conditio vivente patre et cum nondum esset emancipata, acquirit illa centum 2
patri quoad usumfructum, sibi quoad proprietatem, §. 3. *Instit. per quas person.* Sed si emancipata esset, cum jam nuberet, pleno jure acquireret sibi, quia res sub conditione legata filiofamil. vel servo, si existat conditio, emancipato filio vel manumisso servo, sola proprietas legatario acquiritur, *l. quae legata* 18. *ff. de R. J.* Aliud 3
in stipulatione, ratio in *d. l. quae legata de reg. jur. et l.* 78. *ff. de verb. obl.* Vid. *Donell. Eneucl. lib.* 9. *t.* 6. *lit. D. et seqq.* Collige: 1. Conditio- 4
nem in ultimis voluntatibus non retrotrahi, sed aliud in contractibus, *Carpzov. p.* 3. *const.* 23. *def.* 33. *Barry lib.* 17. *tit.* 8. *Molinaeus ad consuet. Paris. p.* 1. §. 22. *num.* 14. quod limitant, 5
nisi conditio apposita favore legatarii, ut si testator expresse disposuerit, ut die vel conditione existente legatum traderetur cum fructibus, *Barry d. l.* qui etiam cum *Vasq. lib.* 3. *de success. progress.* §. 27. *num.* 28. exceptionem statuit in legatis piis. Ex hac *lege* probatur etiam, 6
si constet de filia, quod ex patre nata sit, filia vero dicat se emancipatam esse, filiae hoc esse probandum, *Menoch. lib.* 6. *praesumpt.* 55. *num.* 19. Sed si de emancipatione constet, sed 7
de tempore sit lis, quo tempore sit emancipata, tunc illi, qui se in tempore fundat, id probandam est, *P. Barbosa in l. Titia* 5. *num.* 14. *ff. soluto matr.*

L. Si plures. 6.

SUMMARIA

Conditio pluribus conjunctis legatariis praescripta an ab omnibus impleatur? num. 1.
Poena non implentium. 2.
Deciditur quaestio per distinctionem. 3.

Quando conditio aliqua pluribus conjunctis le- 1
gatariis praescribitur, omnes debent implere, et qui non implent, illorum portio implentibus 2
accrescit; sed distinguendum est, utrum sit con- 3
ditio individua, et haec quidem duplex, alia reiterabilis, ut, si adscenderint Romam, alia vero non, nisi semel, et una vice impleri potest, ut, si domum vel monumentum fecerint, et tunc omnino omnes implere debent, alias nemo admittitur ad legatum, *l.* 11. §. *pen. ff. de legat.* 3. *l. penult. pr. ff. de cond. et demonstr.* licet unus implendo totum caeteris prodesse videatur. Vid. *Galganettus de condit. p.* 2. *c.* 1. *qu.* 22. quem citat *Fr. Barry lib.* 7. *t.* 7. *num.* 2. Sed si conditio sit divisibilis, sufficit, si unus partem suam impleat, et tunc ad partem legati admittitur, et deficientis pars accrescit cum sua conditione et onere, v. g. lego illis duobus fundum, si centum dederint, *l.* 51. §. 1. *et l.* 56. *ff. de cond. et dem. Petr. Greg. lib.* 42. *tit.* 32. *num.* 11. *Gomez d. c.* 12. *num.* 33. *Barry lib.* 17. *tit.* 7. *num.* 2.

TITULUS XLVII.

De usuris et fructibus legatorum, seu fideicommissorum.

L. Legatorum. 1. et L. In Legatis. ult.

SUMMARIA

Haeres moram in legatis praestandis faciens, a quo tempore usuras et fructus rei legatae praestet? num. 1.
Quid si constet haeredem etiam ante litem contestatam fuisse interpellatum? 2.
Distinctio Doctorum rejicitur. 3.

1 Haeres in praestandis legatis moram fecit. Quaeritur: *A quo tempore usuras et fructus rei legatae praestare teneatur?* Resp. A tempore litis contestatae, quia haeres praestare legatum non tenetur, priusquam legatarius agnoverit et petierit legatum: interim ergo omnes fructus pertinebunt ad haeredem ceu bonae fidei possessorem, *l.* 18.
2 *pr. et* §. 2. *ff. ad SCtum Trebell.* Si autem constet etiam ante litem contestatam fuisse haeredem interpellatum, *l. mora* 32. *ff. de usuris* a tempore morae usuras et fructus solvere tenebitur, *l.* 81. *et* 87. §. 1. *ff. de legat.* 2. *l.* 89. §. 1. *ff. ad l. Facid.* nam licet actio ad testamenta per se sit stricti juris, quoties tamen aequitas postulat, naturam bonae fidei judiciorum sequitur, ut communis est sententia, quam proponit *Franc. Caldas in tr. de empt. cap.* 23. *num.* 46. licet ipse ab ea recedat. Et ita leges in speciem contrarias conciliant post *Acc. Donell. lib.* 8. *cap.* 36. *Ben. Carpz. part.* 2. *const.* 30. *defin.* 20. *Ant. Fab. lib.* 7. *conject. c.* 3. *et lib.* 6. *Cod. t.* 24. *d.* 1. *Cujac. ad. l.* 2. *et* 8. *de usur. Barry l.* 9. *t.* 27.
3 *num.* 4. Quamvis autem *Doctores* distinguant inter rem propriam testatoris in specie legatam, et inter rem alienam, vel genus; ut illius fructus a die mortis debeantur, harum rerum a die morae, *Peregr. de fideicom. art.* 49. *num.* 78. *et seq. Mantica l.* 7. *t.* 10. *num.* 31. *Grassus* §. *legatum q.* 70. *Gomez d. c.* 12. *num.* 22. quos citat *Barry d. l.* tamen horum sententia confutatur per *l. fin.* ubi agitur de cautione reali, sed res testatoris propria tantum actione reali petitur, ergo rei propriae testatoris fructus a mora tantum debetur.

L. Adversus eos. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Si haeres in solutione legati de integra sibi Falcidia dubitet tunc legatarii satisdare coguntur. 2.
Ad quid? 3.
Quid si legatarii cavere non possunt? 4.

Haeres cum interpellaretur de legatis prae- 1
standis, excipit, se dubitare, an habiturus sit 2
integram Falcidiam, si legata integra solveret. Et tum inventum est remedium, ut legatarii
satisdare cogantur, si apparuerit, eos legatorum 3
nomine plus accepisse, quam ex *l. Falcid.* licuerit, quod tunc superfluum velint restituere;
Sed *quid si legatarii cavere non possint?* Resp. 4
hic utrique parti praefiniendum esse terminum, in quo in haereditatis quantitatem inquiratur, et ita controversia decidatur. Tunc autem, si haeres succumbat et detractis illis legatis suam Falcidiam habeat, a tempore litis contestatae, solvit fructus vel usuras, ut in *l.* 1.

L. Si homines. 3.

SUMMARIA

An et quatenus species legata pereat legatario ceu domino et quatenus haeredi? num. 1.
Effectus morae praecipuus est, ut periculum rei transferat in moratorem. 2.

Quamvis species legata, ut certus homo, si 1
sine culpa haeredis pereat, pereat legatario ceu domino, §. 16. *Inst. de legat. l.* 26. §. 1. *ff. de legat.* 1. et quia debitor speciei, interitu speciei liberatur, *l.* 36. §. *ult. ff. de legat.* 1. *l.* 91. *ff. de V. O.* si tamen haeres sit in mora praestandi, a tempore morae periculo ipsius perit, quia hic effectus morae, *l. fin. supr. de condict. ob turpem causam, l.* 47. §. *fin. ff. de legat.* 1. *Peregr. art.* 4. *num.* 54. Et sic etiam periculum est haeredis, si deterior fiat res legata post moram, *l.* 108. §. 11. *ff. de legat.* 1. Vid. *Mant. lib.* 9. *tit.* 13. *num.* 6. *Barry lib.* 9. *tit.* 33. *num.* 9. quia
effectus praecipuus inter alios morae est, ut pe- 2
riculum rei transferat in moratorem, *l.* 15. §. *ult. ff. de R. V. d. l.* 47. §. *ult. Carpz. p.* 2. *c.* 26. *def.* 25.

TITULUS XLVIII.

De Incertis personis.

Hic Tit. non est authenticus, nec ut authenticus allegari potest, sed ab Auctoribus aliis insertus.

SUMMARIA

Summa constitutionis. num. 1.
Incertae personae tutor dari nequit. 2.
An et quatenus incertae personae possit legari? 3.
Objectio diluitur. 4.

1 Et summa constitutionis esse videtur, quod
2 incertae personae tutor dari nequeat, item nec
3 incerta persona legari potest, nisi scilicet ex
futuro eventu certa esse possit, quod mutatum
esse putant *per* §. 27. *Inst. de act. Struv. synt.
jur. civ. exerc.* 35. *th.* 4. de quo in puncto in-
stitutionis dubitat *Hilliger in Donell. l.* 6. *cap.* 18.
4 *l. X.* Nec obstat *l.* 14. *ff. de rebus dubiis*,
quia testes, quibus legatur rogatu ipso et adhi-
bitione certi fiunt, *Hillig. in Donell. l.* 8. *cap.*
6. *lit. B.* Pauperibus tamen vel captivis et in
piis causis incertae personae potest quid relin-
qui, *l.* 46. *et* 49. *C. de episc. Dn. Manzius de
testam. t.* 6. *num.* 187. *et seqq. Struv. synt.
jur. civ. exerc.* 53. *th.* 1. et Collegiis etiam li-
citis relinqui potest, de quibus Epitome consti-
tutionis hujus etiam loquitur quod illis legari
possit. Illud certe dubio caret, si incertae per-
sonae legatum sit, et eventus mortuo testatore
in eum incidat, cui testatorem quid legaturum
esse vero simile non est, non valere tale lega-
tum, *arg. l.* 6. *ff. de pign. l.* 46. *de pecul. l.* 88.
§. 11. *ff. de legat.* 2. ex quibus textibus id colligit
Auctor Collegii Argent. ad l. 30. *et seq. d.* 21.
§. 10.

TITULUS XLIX.

Ad Senatus Consultum Trebellianum.

L. Si ex SCto. 1. et L. Ad eum. 2.

SUMMARIA

In quantum haeres restituta haereditate et sibi retenta Trebellianica, et fideicommissarius ad solutionem aeris alieni teneantur? num. 1.
Quid si autem nondum detracta quarta vel detracta re certa haereditatem restituerit? 2.
Integra debita, restituta haereditate, solvens quamnam actionem habeat pro parte repetenda? 3.
Quid si ante restitutionem solverit, an restitutione facta repetitio fieri possit? 4.
An ad legatorum solutionem solus fideicommissarius teneatur? 5.
Explicatio l. 2. h. t. 6.
Fideicommissi puri relicti usus hodie in foro pene nullus est. 7.
De relictis fideicommissis puris, remissive. 8.
Quid in conditionalibus aut in diem certum vel incertum conceptis sit receptum? 9.

1 Haeres restituta haereditate, et sibi retenta
Trebellianica, sive quarta, ad solutionem aeris
alieni tenetur tantum pro quarta parte, fidei-
commissarius autem tenetur pro dodrante, *l.* 2.
h. t. et §. 7. *Instit. de fideicom. haer.* cum in
eum jus et fructus haereditatis transeant, *l.* 1.
2 §. 2. *ff. ad SC. Trebell.* Si autem non detracta
quarta totum restituit, ad nullam partem tenetur
aeris alieni solvendam, ut per se planum. Sic
etiam si deducta re certa restituerit haeredita-
tem, haeres, quia legatarii loco est, nihil sol-
vit de debitis, sed omne aes alienum solvit fi-
deicommissarius, § 9. *Inst. de fideicomm. hae-
red. Peregr. art.* 4. *num.* 4. *Gregor. lib.* 42. *tit.*
31. *num.* 3. *Barry lib.* 8. *tit.* 17. *num.* 1. Si igi- 3
tur haeres, restituta haereditate, integra debita
solverit, actione negotiorum gestorum pro par-
te, quod solutum est, repetit, quia liberat fi-
deicommissarium, *l.* 39. *ff. de neg. gest.* Sed
quid si ante restitutionem solverit, an restitu- 4
tione facta repetitio fieri possit quaeritur? Vi-
detur quod non, quia tunc suum negotium
gessit. Sed affirm. *l.* 1. quia in effectu hoc ne-
gotium ad fideicommissarium pertinet, et ejus
negotium gessit. Ad legatorum autem solutionem 5
solum fideicommissarium obligari volunt *DD.
in l.* 1. *h. t.* quos sequitur *Bacch. in Tr. vol.* 2.
d. 14. *th.* 9. *in fine*, licet dissent. *Donell. l.* 7.
C. 28. *et ibi Hillig. et Don. ad l.* 2. *h. t.* Confer.
Peregr. art. 4. *num.* 17. *P. Gregorius lib.* 42.
cap. 31. *num.* 3. *Barrius de success. lib.* 8. *cap.*
16. *per totum. Ad l.* 2. *hoc tit.* Resp. *Wesenbec.* 6
in ϖ. *ff. h. t. et Bacch. d. l.* quod ibi non fue-
rit quaesitum de quarta, et quod haeres plus
quarta acceperit, sed nescio annon simplicior
sit sententia *Donelli*, quia onera et legata in
l. 2. conjunguntur. Ergo eadem ratio, et non
simpliciter de portione, sed de portione com-
petente i. e. quarta dicitur. Sed quicquid sit de 7
hac quaestione, relictis fideicommissis puris, quo- 8
rum hodie usus rarissimus, imo pene nullus in
foro, de quibus agit prolixe *Barry d. l.* in con- 9
ditionalibus aut in diem certum vel incertum,
hoc communiter receptum, ut haeres ante diem
vel conditionem a legatariis conventus integra
legata praestare teneatur, et postea impleta
conditione, si nihil praeter quartam habeat,

legata omnia imputet fideicommissario, quia haeres iu Trebellianica est potior legatariis et fideicommissariis, *l. Titia* 68. *ff. ad l. Falc. Cravetta cons.* 16. *num.* 1. *lib.* 1. Vid. *Peregr. d. tr. art.* 4. *num.* 240.

L. Si per fideicommissum. 3.

SUMMARIA

Haeres ab intestato ignorans errore facti totam haereditatem in fideicommissarium, qui hoc loco respublica est, non deducta quarta transfert. num. 1.
An possit quartam repetere? 2.
Objectiones diluuntur? 3.
An quartam cum fructibus repetere possit? 4.

1 Qui ab intestato haeres erat, ignorans errore facti non juris, *l.* 9. *tit. seq.* in fideicommissarium, qui hoc loco respublica est, totam transfert haereditatem non deducta quarta.
2 Quaeritur: I. *An possit quartam repetere?* Quod
3 aff. Videtur 1. obstare, quod ab intestato haeres sit, sed huic respondetur ex §. 10. *Inst. h. t.* - 2. Quod reipublicae sit relictum hoc fideicommissum, sed non impedit favor fideicommissarii deductionem quartae, *argum. l.* 6. §. 3. *ff. h. t.* - 3. Quod solverit non deducta quarta, sed huic respondetur quod errore facti fecerit.
4 II. Quaeritur: *An quartam cum fructibus repetere possit?* Videtur quod non, quia haeres restituere debet dodrantem sine fructibus ante moram *l.* 18. *pr. ff. h. t.* Ergo idem in casu converso. Sed Affirm. Nam alia ratio haeredis, qui est dominus haereditatis, alia ratio fideicommissarii, qui non nisi post restitutionem dodrantis fit Dominus, ergo tantum fructum dodrantis, *argum. l.* 25. *pr. ff. de usur.*

L. Non justam. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Duae inde deductae quaestiones. 2.
Relicta per fideicommissum vel legatum ab instituto, a substituto repetita videntur. 3.
Limitatur. 4.
Sententia eorum, qui statuunt, legata ab instituto relicta nominatim, a substituto non videri repetita, non adeo firma videtur. 5.
Si institutus gravatus jubeatur adire et restituere, et moriatur, antequam adeat, utique illius substitutus debet adire ejus jure et quartam non retinere. 6.

1 Aviae erant duo nepotes, unus ex his Aviam ex una, et illius Aviae nepotem fratrem suum ex altera parte haeredes instituit, et hunc Aviae substituit, Aviam autem rogavit, ut aditam haereditatem restituat Quintianae. Avia ut frauderet fideicommissariam Quintianam, haereditatem nepotis repudiat, sed coacta, id est, a Praetore jussa est adire, antequam autem adeat, decedet, et sic ad substitutum nepotem
2 haereditas devolvitur, Quaeritur: I. *An Quintiana ab hoc nepote petere possit fideicommissum? An totum non deducta Trebellianica?* In prima respond. quod sic quia fideicommissum relictum a primo instituto, ut hic ab Avia, videtur etiam relictum a substituto, *l.* 74. *ff. de legat.* 1. et alias, etiamsi nulla fuisset substitutio, portio Aviae accresceret nepoti cum suo onere, *l. un.* §. 10. *infr. de caduc. tollend.* Secunda quaestio videtur neganda: nam, licet is, qui adire cogitur, non possit detrahere quartam, §. 7. *Inst. h. t.* hic tamen non de Avia, sed nepote sermo est; sed affirmat Imperat. quia nepos non restituit ex sua persona, sed Aviae, ergo illius jure utitur, et sic quartam detrahere nequit. Collige: Relicta per fideicommissum 3
vel legatum ab instituto, a substituto repetita
videri, *l.* 74. *ff. de legat.* 1. si non sit evidens vo- 4
luntas contraria quod ex conjecturis colligitur, ut si aliam rem ab instituto, aliam a substituto reliquerit, vel si certa et specialis causa fuit, cur ab instituto et non a substituto reliquerit, vel si sub nomine proprio legatum (non pium) ab instituto reliquit, de qua regula et exceptionibus agit *Menoch. lib.* 4. *praes.* 108. *Mant. lib.* 8. *tit.* 2. *Fachin. lib.* 5. *cap.* 39. *Donell. lib.* 8. *cap.* 29. *Peregrin. art.* 16. *num.* 95. *Gomez d. c.* 12. *num.* 36. *Barry lib.* 8. *tit.* 6. *num.* 7. Sane ex hac lege apparet, sententiam illorum 5
non satis esse firmam, qui statuunt, legata ab instituto relicta nominatim, a substituto non videri repetita, nam hic fideicommissum ab Avia nominatim relictum erat, *Fachin. d. l. Alciatus de praesumpt. reg.* 2. *praes.* 35. Confer. *notata mea ad alleg. l.* 74. *ff. de legat.* 1. Et porro
ex *hac lege* liquet, si institutus gravatus jubea- 6
tur adire et restituere, ac moriatur antequam adeat, utique illius substitutus debebit adire ejus jure, et quartam non retinere, quia institutus coactus adiit.

L. Et sine scriptura. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Fideicommissum etiam ex conjecturis colligitur. 2. 5.
Haeredes ab intestato, non minus ac scripti haeredes quartam detrahere deducto aere alieno possunt. 2.
Quaenam partem singuli, fideicommissarius nimirum et haeres deducto aere alieno solvere teneantur? 4.
Fideicommissa etiam ab intestato relinquuntur. 6.
Reperiuntur codicilli non scripti. 7.

Foemina moritura dixit, se velle, ut maritus, 1
et privignus haereditatem suam obtineant. Hi ab haeredibus ab intestato petunt haereditatem, tamquam fideicommissum, et quidem integram, non deducta Trebellianica. Quaeritur: *An hoc sit fideicommissum?* cum verba fideicommissaria
non reperiantur? Sed Affirm. Cum fideicom- 2
missum etiam ex conjecturis colligatur, *l. pen. ff. de legat.* 1. *l.* 64. *ff. de legat.* 2. Sed haeredes ab 3
intestato non minus ac scripti haeredes possunt detrahere quartam, non ex verbis, sed ex sententia Senatus Consulti, *l.* 6. §. 1. *ff. h. t.* et
quidem deducto aere alieno, quod haeres pro 4
quadrante fideicommissarius pro dodrante sol-

vere tenetur. Vid. *l.* 2. *supr. h. t.* Et ita *hac lege* colligitur illa sententia communiter recepta et
5 decantata, scil. fideicommissa etiam conjecturis induci et probari. Doctorum catalogum longum contexuit *Fusarius de substit. q.* 276. *et Mascardus concl.* 755. *num.* 3. *et* 7. *seq. de probat.* maxime si ad conservandam familiam quid disponatur, *Mantica de conject. lib.* 6. *tit.* 12. *num.* 8. Deficientibus concludentibus conjecturis contra fideicommissum pronunciandum, *l. si fuerit ff. de reb. dub. Menoch. cons.* 85. *num.* 50. *et cons.* 233. *num.* 26. *Mascardus d. l.* item,
6 quod fideicommissa ab intestato etiam relinquan-
7 tur. Collige etiam: Reperiri codicillos non scriptos, *Donell. l.* 7. *c.* 18. *et ibi Hill. lit. I.*

L. Jubemus. 6.

SUMMARIA

Institutis filio et filia haeredibus iisque si sine liberis decesserint *rogatis, ut alii haereditatem restituant, an fructus praecipuos habere debeant? num.* 1.

Testator liberis suis Trebellianicam prohibere non potest. 2.

Filius, licet per aditionem testamentum patris approbare videatur, Trebellianicam tamen valide detrahit. 3.

Liberi primi gradus instituti duplicem detrahunt quartam, primam legitimam, quae tamen quarta hodie non est, sed triens, et deinde existente conditione Trebellianicam. 4.

An filius duas quartas detrahens fructus in Trebellianicam imputet. 5.

An etiam de filiis legitimatis haec lex intelligenda? 6.

Fructus medio tempore percepti non diminuunt Trebellianicam, si fideicommisso filius sit gravatus, sed filius eosdem suo jure percipit. 7.

Ampliatur. 8.

An fructus imputandi in legitimam? 9.

An in hac specie fideicommissarius cautionem ab instituto filio gravato exigere possit? 10.

Casus, in quo pater filio etiam cautionem praestare tenetur. 11.

Omnis haeres fideicommisso conditionali aut in diem gravatus, tenetur satisdationem praestare. 12.

Quid si Titius institutus in superiori casu unicum filium reliquerit vel nepotem? 13.

Pluralis locutio interdum in uno verificatur. 14.

Restrictio eorum, quae de fructibus habentur in principio hujus legis. 15.

1 *Pr.* Cum pater vel mater filium vel filiam haeredem instituit, et eos rogat, ut, *si sine liberis decesserint*, fratri vel aliis restituant haereditatem, quaeritur, *An fructus praecipuos habere debeant?* Videtur quod non, sed quod fructus in quartam imputandi, *l.* 91. *ff. ad l. Falcid. l.* 8. §. 11. *ff. de inoffic. testam.* Sed noviter hic constituit Imperator, ut in hac specie fructus praecipuos habere filius haeres debeat, licet pater contrarium voluerit, ut ita *dicto* §. 11. in quo regula generalis habetur per *h. leg.* specialem derogetur. Collige ergo notabiliter: I.
2 testatorem Trebellianicam liberis suis prohi-
3 bere non posse, et poterit filius detrahere Trebellianicam, licet per aditionem videatur approbare testamentum paternum, *Peregr. cons.* 67. *num.* 6. *lib.* 1. *Fusarius qu.* 296. *num.* 37. *Klock. v.* 2. *cons.* 33. *num.* 61. *Vinc. de Franch. dec.* 11. *Jo. a Sande l.* 4. *tit.* 9. *def.* 5. II. Libe- 4
ros primi gradus institutos detrahere duplicem quartam, primam legitimam, quae tamen quarta non est hodie, sed triens, et deinde existente conditione Trebellianicam, *Gail. l.* 20. *obs.* 33. *num.* 4. *Carpz. p.* 3. *c.* 1. *def.* 21. *Heig. p.* 1. *q.* 32. *num.* 10. *et seqq.* quae sententia in Jure Can. in *c. Raynutius X. de testamentis* approbata. Sed eo casu, quo filius duas quartas de- 5
trahit, filium debere fructus in Trebellianicam imputare tradit *Riminaldus cons.* 23. *num.* 335. et hoc casu patrem posse jubere filium, ut fructus in Trebellianicam imputet, *Menoch. cons.* 272. *num.* 30. De filiis legitimatis etiam nolunt 6
hanc legem intelligere, *Cephal. cons.* 278. *num.* 17. *et Men. d. l. num.* 34. Collige III. Ex verbis 7
fructus medio tempore perceptos non diminuere Trebellianicam, si filius sit fideicommisso gravatus, sed filium eos suo jure percipere, *Gail. d. l. num.* 5. et hoc multo magis locum habe- 8
bit, etiamsi non aliis filiis sed extraneis restituere sint rogati, nam si non compellantur imputare sanguine junctis, multo minus extraneis, *Castr. hic, Vivius decis.* 402. Et pro hac opinione adducuntur 21. Doctores a *Thesauro lib.* 1. *quaest.* 50. *num.* 7. *et seq.* Et multo minus impu- 9
tabunt in legitimam, *Vinc. de Franch. dec.* 522. nam legitima favorabilior est Trebellianica, et legitima debetur ex substantia, non ex fructibus bonorum, *Card. Mantica de conject. ult. vol. lib.* 7. *tit.* 10. *num.* 18. *Menoch. consil.* 476. *Fusarius d. quaest.* 296. *num.* 74.

§. 1. Sed poteritne *in hac specie fideicommis-* 10
sarius exigere cautionem ab instituto filio gravato? Videtur quod sic. Hoc Neg. nisi testator id jusserit, vel filius rogatus secundas nuptias contraxerit. Ideoque nota casum, ubi confidentia juris, quam quis habet de aliquo cessat, si ad secundas nuptias illa persona se contulerit;
et notentur hi duo casus, in quibus pater filio 11
etiam cautionem tenetur praestare ex manifesta vel praesumpta voluntate testatoris, haec autem praesumitur ex contractis secundis nuptiis. Et
a contrario sensu colligitur omnem haeredem 12
fideicommisso conditionali, aut in diem gravatum, teneri satisdationem praestare, cujuscumque sit dignitatis aut quarumcumque facultatum, exceptis filiis primi gradus, *Heringius de fidejus. c.* 10. *num.* 313.

§. 2. *Quid si autem Titius institutus, in supe-* 13
riori casu, unicum reliquerit filium vel nepotem? Resp. Hoc casu fideicommisso non est locum, deficiente quippe conditione, Vid. *Explicat. l.* 1. *supr. de condit. insert.* Quamvis enim alias 14
pluralis locutio plurium concursum desideret, in hac tamen materia pluralis locutio etiam in uno verificatur, per *l. non sine liberis ff. de V. S. Anton. Peregr. de fideicom. art.* 28. *num.* 37.

§. *Ult.* Hic tantum monet, quod ea, quae 15
habentur in *principio legis*, de fructibus in quartam non computandis, non sint extendenda ultra illum casum, v. g. non habent locum in nepote gravato, et multo minus in extraneo gravato, *Peregr. art.* 19. *num.* 62. *Gail. d. obs.* 133. *num.* 6. quod limitant, nisi nepos per mortem patris primum gradum jam obtineat, *Me-*

noch. lib. 2. *A. Q.* 256. *num.* 32. licet dissentiat
Barry lib. 15. *cap.* 5. *num.* 6. Cujus sententiam,
si tenere quis velit, sequetur, aliam in hoc casu
filiorum primi gradus, aliam nepotum conditio-
nem, licet primum gradum obtineant; quod
hic speciale esset, post moram tamen in resti-
tuenda haereditate commissam, fructus et filium
restituere debere ex communi sententia tradit
Covar. in c. Raynut. §. 11. *num.* 9. *X. de te-
stamentis*, *Barry lib.* 15. *t.* 5. *num.* 6.

Auth. Nisi rogati.

SUMMARIA

Legato mulieri fundo in dotem vel donationem propter nuptias cum rogatione, ut, si nuptias non contrahat, nec liberos suscipiat, *restituat fratri meo, si postea ingreditur monasterium, an locus fideicommisso? num.* 1.
Limitatur. 2.
Ingressus in monasterium quomodo legitime fiat? 3.
Excipitur, nisi restitutio fieri rogetur in redemptionem captivorum aut alimenta egentium. 4.
Si quis aliquem gravaverit de haereditate restituenda, nisi liberos habuerit vel matrimonium contraxerit, hanc quoque conditionem supplevisse videtur, nisi monasterium fuerit ingressus. 5.
In materia substitutionum lex mentem testatoris supplere solet. 6.
Limitatur, nisi expresse testator excluserit monasterium. 7.
Aliae limitationes. 8.
Monasterium tale h. l. *intelligitur, quod bonorum est capax.* 9.
An haec constitutio possit extendi ad Clericum in sacro ordine extra votum monasticum constitutum? 10.
Monasterium sub his duabus clausulis intelligitur, si sine liberis decesserit, *vel,* si sine nuptiis. 11.

1 Legavi mulieri fundum, ut in dotem haberet;
vel filiofam. ut haberet in donationem propter nu-
ptias, et rogavi, ut, *si nuptias non contrahat, nec li-
beros suscipiat,* restituat fratri meo, vel substitui
fratrem meum. Mulier autem ingreditur reli-
gionem, quaeritur, *An tunc fideicommisso
locus?* Videtur quod sic, existente quippe
conditione. Sed neg. Imperat. in *Nov.* 123.
cap. 37. quod conditio haec non debeat
esse impedimento vitae religiosiori, sed potius
pro non adjecta habenda, ergo hoc casu reti-
net dotem legatam, ita ut monasterium pro
filia hic habeatur, *Doctores hic, et Menoch. cons.*
245. *num.* 16. quae rationes quamvis improbari
videantur a *Covar. lib.* 1. *var. resol. cap.* 19.
num. 7. certum tamen est, Justinianum hoc fa-
2 vore religionis constituisse; si modo ingressus le-
3 gitime fiat: 1. A majore 16. annis: 2. Sponte:
3. Ut post annum probationis se solemni voto
ad leges monasticas obligaverit. *Dn. Richter ad
4 hanc Auth. num.* 12. Excipitur; Nisi restitutio
fieri rogetur ad redemptionem captivorum, aut
alimenta egentium, tunc enim illa conditio for-
maliter est implenda, quia privilegiatus con-
currens cum alio privilegiato utitur jure com-
muni; imo, nisi etiam testator expresse vel ta-
cite prohibeat, ne bona illa acquirantur mona-
sterio. Vid. *Covar. d. loc. num.* 8. *et* 11. Collige
ergo, Si quis aliquem gravaverit de haereditate 5
restituenda, nisi liberos habuerit, vel matrimo-
nium contraxerit, videtur hanc etiam conditio-
nem supplevisse, nisi monasterium ingressus fue-
rit, quia lex amore castitatis et vitae contempla-
tivae praesumit, testatorem hunc casum si cogi-
tasset, excepturum fuisse, sicut alias in materia 6
substitutionum lex supplere mentem testatoris
solet, *Tiraq. in l. si unquam verbo* libertis *C.
de revoc. donat. num.* 91. *et in privil. piae cau-
sae priv.* 95. *Peregr. art.* 28. *num.* 58. *et seqq.*
et quos magno numero cit. *Fusarius q.* 429.
num. 8. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 103. quod limi- 7
tant *hic Bl. et Castr. et alii* nisi testator ex-
presse exclusisset monasterium, *Menoch. l.* 4.
praesumpt. 83. *num.* 3. *et seqq. Fusar. d. q.* 429.
num. 18. ubi *in seqq.* hanc limitationem recte
probat et alias limitationes subjicit, quarum non- 8
nullae tamen mihi valde dubiae videntur, v. g.
secunda, quod per verba, *si sine liberis ex cor-
pore suo natis decesserit,* excludatur monaste-
rium; quis enim ex his verbis firmiter colligere
potest, testatorem de monasterio cogitasse, aut
voluisse excludere monasterium? Sed haec verba
opponuntur adoptivis; atque ita cum *Corneo*
sentio, quem refert *Riminald. consil.* 270. licet
ipse dissentire videatur, et hanc sententiam
confirmat *Dn. Richter hic num.* 25. illud vero 9
dubium non est, per monasterium tale cogitan-
dum esse, quod sit bonorum capax, *Peregr. d.
art.* 28. *num.* 62. *Mant. lib.* 11. *tit.* 7. *num.* 3.
Barry lib. 17. *cap.* 12. *num.* 36. ut Benedicti-
norum, Cisterciensium et similium. Quamvis
autem haec constitutio sit singularis et juris cor-
rectoria, et ita intra suos terminos restringen-
da, *Peregr. d. l. num.* 59. plerique tamen *Do-
ctores* hic, hanc Constitutionem, etiam de Cle- 10
rico in sacro ordine extra votum monasticum
constituto, quem alias secularem Clericum vo-
care solent, intelligunt, *Br. et DD. hic*, et
quos citat *Fusarius d. q.* 429. *num.* 2. Demum 11
notandum monasterium sub his duabus tantum
clausulis intelligi, *si sine liberis decesserit,* vel,
si sine nuptiis, *Peregr. d. l. num.* 66. *Barry
d. tit.* 12. *num.* 37.

Auth. Contra.

SUMMARIA

Intellectus legis. num. 1.
Nova Justiniani constitutio in Nov. 108. cap. 1. *num.* 2.
Rogato hodie restituere id, quod ex haereditate superfuit, dodrantem diminuere licet, et integrum quadrantem fideicommissario servare et ejus nomine satisdare. 3.
Limitatur. 4.
Haeres fiduciarius si plus quadrante consumpserit, de suis bonis sarcire tenetur. 5.
Quid si nequeat, quaenam ad persecutionem ejus quartae fideicommissario detur actio? 6.
Deminutio hujus quartae quando permittatur? 7.
Quando haeres restituere rogatur quicquid tempore mortis de haereditate supererit, tunc tacite facta est haeredi alienandi potestas. 8.
Jure novo usque ad quadrantem libera est administratio et alienatio etiam cum abusu, modo dolus aut animus intervertendi non appareat. 9.

An si testator expresse haeredi facultatem alienandi dederit, relinquendus sit quadrans? 10.
Quandoque etiam ipse quadrans in praejudicium fideicommissarii alienari potest. 11.
An haeres gravatus per ultimam voluntatem aliquid alienare possit? 12.

1 Cum haeres rogatur, *si sine liberis decesserit*,
restituere quicquid ex haereditate superfuerit,
hoc fideicommissum videtur conditionale, si
scil. aliquid superfuerit, *l.* 6. *ff. de legat.* 1. ergo
si nihil supersit, nihil restituendum, cum deminutio
istis verbis permittatur, *l.* 58. §. *pen.*
ff. h. t. sed bona fide, citra animum interverten-
2 di fideicommissum, *l.* 54. *ff. h. t.* Justinianus autem
in *Nov.* 108. *cap.* 1. noviter constituit, ut si
3 quis rogatus sit restituere id, quod ex haereditate
superfuerit, illi licet dodrantem diminuere et consumere,
quadrantem autem integrum fideicommissario
servare teneatur, et ejus nomine satisdare,
datione fidejussorum, *l.* 54. *ff. h. t.* pro
possibilitate tamen haeredis, *l.* 5. *ff. ut legat.
caus. cav. Dn. Richter ad h. Auth. num.* 38. ni-
4 si testator expresse id prohibuerit; alias haeres
5 fiduciarius, si plus quadrante consumpserit, de
6 suis bonis sarcire tenetur: si vero nequeat, ad ejus
quartae persecutionem datur fideicommissario
actio realis et hypothecaria, contra tertium pos-
7 sessorem. Permittitur tamen etiam deminutio
hujus quartae: 1. Ex causa dotis: 2. Donationis
propter nuptias: 3. Aliarum necessariarum expensarum,
et in his quidem tribus causis, si
aliunde sumptus eo pendi nequeant: 4. Redemptionis
captivorum, si tamen plus quam quadrans,
mortuo haerede supererit, id esse restituendum,
deducta tamen Trebellianica. Colli-
8 ge: I. Quando haeres rogatur restituere quicquid
tempore mortis de haereditate supererit,
tunc tacite facta est haeredi potestas alienandi,
hic et l. Titius 51. *ff. h. t. Peregr. art.* 40. *num.*
43. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 188. *Fachinaeus lib.*
5. *c.* 53. *Barry lib.* 8. *tit.* 3. *num.* 73. *Carpz. p.*
3. *c.* 8. *d.* 37. quamvis et hic dolum et animum
intervertendi fideicommissum exclusum putem,
per ea, quae habet *Menoch. d. praes.* 188. *num.*
15. *Grassus* §. *fideicommissum quaest.* 54: II. Ju-
9 re novo usque ad quadrantem, liberam esse
administrationem et alienationem etiam cum
abusu, modo dolus aut animus intervertendi
non appareat, *Auctor in l.* 3. *ff. h. t. num.* 1. *seqq.*
Et hoc *Doctores*, quos citat *Fasar. quaest.* 515.
num. 1. ex hoc textu manifeste satis colligunt,
et quos allegat *Barry d. num.* 73. Quaeritur
10 tamen, si expresse dederit testator haeredi facultatem
alienandi, an et eo casu relinquendus
quadrans? Nonnulli affirmant, ut *Berous cons.*
86. *num.* 26. *et cons.* 101. *num.* 9. *l.* 2. *Parisius
cons.* 25. *num.* 25. *l.* 2. Alii negant ut *Menoch.
l.* 4. *praes.* 188. *num.* 6. et alii, quos refert et
quos sequitur *Thesaurus lib.* 3. *qu.* 25. *num.* 3.
qui eo usque procedit, ut etiam dolosam et in
fraudem fideicommissarii factam alienationem
admittat. Sed sequor quidem hanc secundam
sententiam, sed secluso dolo ac fraude, cui
omnibus modis occurrendum, *l. in fundo* 8. *in
fine ff. de rei vindic. Menoch. d. praes.* 188.
11 *num.* 15. Et demum ex *hac Auth.* notentur casus,
in quibus etiam ipse quadrans alienari potest
in praejudicium fideicommissarii, *Gail. lib.* 2.
12 *obs.* 137. Sed quaeritur: *An haeres gravatus
per ultimam voluntatem aliquid possit alienare?*
Quod videtur negandum, quia disputationem
inter vivos commisisse tantum videtur testator.
Et sane negari non potest, ea, quae non sunt
alienata inter vivos, superesse tempore mortis,
Menoch. d. praes. 188. *num.* 17. *Fasar. d. q.
num.* 42. Si autem nihil alienaverit haeres, totum
veniet in restitutionem, *Peregr. art.* 40.
num. 40. *Barry d. t.* 373. *Menoch. d. l. num.* 79.
quamvis salva esse debeat Trebellianica, *Gomez
tom.* 1. *resol. tit.* 5. *num.* 16. nisi ex fructibus
quartam accepit gravatus haeres, *l.* 22. §. 2. *ff.
h. t.*

L. Sancimus. 7.

SUMMARIA

Haeres pupillo vel furioso restituere rogatus quomodo restituat? num. 1.
Discrimen inter aditionem et restitutionem. 2.
An restituto fideicommisso pupillo vel minori cum tutoris auctoritate, plenissima subsequatur liberatio, ita ut pupillus restitui in integrum probata laesione non possit? 3.
Ad plenissimam liberationem auctoritas judicis est necessaria. 4.
Quid si infans vel furiosus restituere rogatus? 5.
Quando fideicommissario acquiratur haereditas? 6.
Excipiuntur tres casus. 7.
Actualis possessio, quae facti est, non transit. 8.
Restitutio fideicommissariae haereditatis fit vel a gravato, vel a lege. 9.
A gravato quomodo fiat? 10.
Quomodo a lege? 11.
Tres alii casus excepti. 12.
In omnibus his casibus declaratio, quod velit agnoscere, est necessaria. 13.

Pr. Rogatus est haeres restituere pupillo vel 1
furioso, Quaeritur: *Quomodo his restitui debeat
fideicommissum?* Resp. Cum auctoritate tutoris,
si infante major sit, *hic et l.* 37. §. *ult. ff. h. t.*
non autem soli tutori, nisi pupillo absente. Si
autem est infans soli tutori, atque ita plena
liberatio contingit haeredi, ut hic sit exceptio
regulae *in* §. *fin. Inst. quib. alien. licet vel non.*
Sic etiam furiosi curatori potest fieri restitutio.
Vide *Donell. lib.* 7. *cap.* 24. unde Colligitur di- 2
scrimen, inter aditionem et restitutionem; Aditio
plurimum juris habet, sed restitutio plurimum
facti. Ex hoc textu nonnulli colligunt,
quos citat *Sfortia Oddus de restit. in integr. q.*
52. *art.* 1. *num.* 12. si pupillo vel minori cum 3
tutoris auctoritate restituatur fideicommissum,
plenissima subsequatur liberatio, ita, ut pupillus
vel minor restitui in integrum probata laesione
non possit, sed de hoc merito dubito,
nam nulla videtur consequentia, potest pupillo
cum auctoritate tutoris solvi, ergo non potest
restitui, ergo ad plenissimam liberationem ju- 4
dicis auctoritas erit necessaria. Sed *quid si in-* 5
fans vel furiosus rogatus restituere? Resp. pupillum
infante majorem ipsum debere restituere,
d. l. 37. §. 1. Sed infantis aut furiosi loco
tutorem vel curatorem hoc facere debere.

§. 1. Haereditas tunc demum acquiritur fidei- 6

commissario, quando ipsi restituta est, quod et verbis fit, si haeres dicat, se restituere, *d.*
7 *l.* 37. *princ. ff. h. t.* sed excipiuntur hic tres casus: 1. Si haeres conventus in judicio, ut haereditatem restitueret, et ter citatus dolo malo se celavit: 2. Si haeres adita haereditate (nam alias expirat fideicommissum, *l.* 13. §. 1. *in fin. ff. h. t.*) ante restitutionem decedat: 3. Si haeres rogatus sit restituere primo haereditatem, et primus secundo, si restitutio primo facta sit, quia, postquam semel factae sunt actiones transibiles, facilius postea transeunt, praesertim cum fideicommissarius primus non detrahat Trebellianicam, *Peregr. art.* 2. *num.* 58. *et seqq.*
8 quamvis actualis possessio, quae facti est, non transeat, *Cephal. cons.* 49. *num.* 9. quamvis idem *Cephalus d. cons. num.* 19. hunc casum tertium intelligat, si primus fideicommissarius fuerit in mora restituendi, quem sensum communem dicit. His casibus ipso jure haereditas devolvitur in fideicommissarium ex nova hac con-
9 stitutione Justiniani; Notandum igitur; Restitutionem fideicommissariae haereditatis fieri a gra-
10 vato, vel a lege: A gravato fit, vel verbis, quo pacto dominium transfertur non possessio, vel realis est, quo pacto dominium et possessio transfertur, *Gomez tit.* 1. *cap.* 5. *num.* 13. *Grassus* §. *fideicommissum qu.* 45. *Peregrinus art.* 2.
11 *num.* 53. *et seqq.* A lege sine facto hominis fit nonnullis casibus hic enumeratis, de quibus pluribus agunt *Peregr. d. art. num.* 56. *et seqq. Intrigliolus de substit. cent.* 3. *quaest.* 73. *num.* 79. *Grass. d.* §. *quaest.* 42. *Barry lib.* 8. *tit.* 11.
12 *num.* 2. *et Vincent. Fusar. quaest.* 603. - 4. Casus hic non expressus est, quando haeres gravatus alienavit bona, tunc enim pro his datur actio etiam sine restitutione, *Peregr. d. art.* 2. *num.* 60. *Grass. d. quaest.* 42. *Barry d. l. Fusarius d. l. num.* 9. - 5. Casus est, si restitutio facienda pro loco, *Peregr. num.* 61. *Barry d. l. Fusarius num.* 13. - 6. Si testator dedit potestatem propria auctoritate apprehendendi fideicommissum, *Barry dict. l. circa finem*, *Fusar. d. l. num.* 19. in omnibus autem his casibus 13
necessaria est declaratio, quod velit agnoscere, *Fusar. d. l. num.* 20.

L. Quidam. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Legatum uni legatario solvere qui coepit, totum solvere an teneatur? 2.

Rogatus quis haereditatem restituere Titio, sed 1
antequam restituat, convenitur a legatariis et fideicommissariis specialibus. Haeres dicit, se velle totam haereditatem non deducta quarta restituere, et hoc ipsi omnino licere hic asseritur; Licet enim ipso jure legatariis obstrictus sit, in quo ratio dubitandi est, potest tamen hac exceptione, si totam haereditatem se restituturum dicat, se tueri; ratio in §. 7. *Inst. h. tit. in fin. Barry lib.* 8. *tit.* 17. *in princ. Peregrinus art.* 4. *num.* 2. Si tamen coeperit legatum uni 2
legatario solvere, id totum solvere forte tenetur, *arg. l.* 50. §. *fin. ff. de judic. P. Barbos. ad. l. haeres absens* 19. *pr. num.* 86. *et. seqq. ff. de judic.*

TITULUS L.

Ad Legem Falcidiam.

L. Scire. I.

SUMMARIA

Legata ad dodrantem usque possunt relinqui. num. 1.
Haeres ultra dodrantem gravatus quartam detrahit, quae dicitur Falcidia. 2.
Falcidia penes haeredem libera manere debet. 3.
Haeres, sibi detrahere Falcidiam licere sciens, et nihilominus totam haereditatem legatariis distribuens, Falcidiam repetere non potest. 4.
An id, quod ultra dodrantem legatariis solutum, pro debito, an pro indebito sit habendum? 5.
Si maritus integra legata uxori praestat, non est donatio. 6.
Haeres integra legata solvens, vel possessionem eorum legatario seu fideicommissario permittens, Falcidiam remisisse videtur. 7.

1 Legata relinqui possunt usque ad dodrantem,
2 *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. Quartam autem detrahere potest, si ultra dodrantem sit gravatus, et haec vocatur quarta Falcidia, quae li- 3
bera penes haeredem debet manere, idque tum favore testatoris, ne testamentum destituatur, tum favore haeredis constitutum, *Mantic. lib.* 9. *tit.* 14. *num.* 3. *Carpz. p.* 3. *constit.* 13. *def.* 12. *Rittershus. ad Novell. p.* 6. *c.* 5. *num.* 3.
Quando haeres sciens sibi detrahere licere Fal- 4
cidiam, nihilominus tamen totam haereditatem legatariis distribuit, repetere non potest, *l. cujus per errorem* 53. *ff.* de *R. J.* Sed Quaeritur:
An id, quod ultra dodrantem legatariis solu- 5
tum est, habendum sit pro debito, an vero pro indebito? Videtur posterius, quia donatio dicitur, et Falcidia ipso jure minuit legata, *l.* 73. §. *fin. ff. h. t.* Sed affirm. prius, quia Falcidia minuit legata, si haeres velit, et debentur solida legata jure naturali. Hinc, si maritus uxo- 6
ri praestaret integra legata, non esset donatio, *l.* 5. §. *pen. ff. de donat. inter vir. et uxor.*
Collige: Haeredem, si solvat integra legata, vel 7
etiamsi permittat, uti legatarius vel fideicommissarius res legatas possideat, remisisse videri Falcidiam, *Peregr. art.* 3. *num.* 124. *et art.* 47. *num.* 38. *Menoch. remed.* 4. *adipisc. poss. num.* 639. *et seqq. Fr. Barry lib.* 15. *tit.* 9. *num.* 1.

L. Falcidiae. 2.

SUMMARIA

An haeres ab uno legato suam quartam deducere possit? num. 1.
Si plures sunt legatarii, quorum quibusdam testator vult remittere Falcidiam, reliquos illud non, onerat et singuli pro rata tenentur. 2.
In ineunda ratione legis Falcidiae omnia legata aestimanda sunt ne excedant legitimam. 3.

1 Quaeritur: *An haeres ab uno legato suam quartam vel Falcidiam deducere possit?* Quod Neg. Nam debet retinere quartam adversus omnes, quibus quid relictum est, alias enim uni detraheretur, ut augerentur caeterorum legata, ideoque singulorum legata minuenda. Hinc inferunt *DD.* quod haeres in una re Falcidiam habere non possit, quod sine distinctione intelligendum esse vult *Hier. de Caeval. qu.* 217.
2 Collige ergo: Si plures sint legatarii, et testator quibusdam vellet remittere Falcidiam, hoc alios non onerare, si quidem singuli pro rata
3 tenentur, *Cujac. ad hanc l.* et in ineunda ratione legis Falcidiae omnia legata aestimanda esse, ne excedant legitimam, *Barry lib.* 15. *tit.* 3. *num.* 6. *in princ.*

L. Etiam. 3.

SUMMARIA

Haeres incapaci, neque a testatore rogatus, haereditatem restituere debet. num. 1.
Alias quarta Falcidia ipsi adimitur, et haereditas applicatur Fisco. 2.
Fiscus quid inde habeat, et quid contra solvere teneatur? 3.

1 Rogavit testator haeredem, ut haereditatem restitueret ei, qui tamen per legem capere non poterat. Haeres restituit contra legem, et ideo
2 in poenam ipsi quarta Falcidia adimitur, atque applicatur haereditas Fisco, *l.* 20. *et seq. ff.* de
3 *his, quibus ut indig.* Fiscus tamen solvit legata, et lucratur illam quartam, quam habere poterat haeres, quia in locum ejus succedit, *l. pen. ff. de jur. Fisc.* ergo succedit etiam, tam in commodis, quam oneribus et conditionibus, *Peregrin. de jur. Fisc. lib.* 2. *tit.* 2. *num.* 17. *et seqq.* quando haereditas tota vel ejus pars devolvitur ad Fiscum, tunc transit cum omnibus oneribus ac commodis, et sic tenetur etiam Fiscus solvere legata ut haeres, et ut haeres potest detrahere Falcidiam, ita enim Fiscus detrahit Falcidiam vel Trebellianicam, *M. Ant. Peregr. d. t.* 2. *num.* 18. *et in tr. de fideic. art.* 3. *num.* 4. *Natta cons.* 528. *num.* 33. *Grass.* §. *Trebellianica q.* 3. *in fine, Intrigl. de subst. cent.* 3. *quaest.* 71. *num.* 8. *Barry lib.* 15. *tit.* 1. *num.* 11. Sic etiam Fiscus ob aliquod delictum auferens haereditatem, retento quadrante, tenetur fideicommissario restituere haereditatem, *l. Marcellus* 3. §. *fin. ff. ad SCtum Trebell. et ibi a me notata.*

L. Et in legatis. 4.

SUMMARIA

An haeres a legatis Principi relictis quartam possit deducere? num. 1.
Dignitas legatarii non obstat, quo minus Falcidiam patiatur. 2.
Etiam ex legatis patri detrahitur Falcidia. 3.
Querela inofficiosi testamenti contra Principem etiam competit. 4.

Quid si legata Principi relicta ultra dodrantem 1
Anne potest haeres deducere quartam? Videtur quod non, quia Princeps legibus solutus. Sed Affirm. ratio in *l.* 3. *supr. de testam. l.* 4. *supr. de legib.* Nec enim l. Falcidiae obstat dignitas legatariorum, *l.* 1. §. 5. *ff. h. tit.* Unde Collige: Dignitatem legatarii non obstare, quo minus 2
patiatur Falcidiam, *Donell. l.* 8. *c.* 27. *lit. L.* et sic etiam ex legatis patri relictis detrahitur 3
Falcidia, *Franc. Cremensis sing.* 9. *Barry lib.* 15. *tit.* 2. *num.* 14. Ergo iniquum non est, si a legatis Principi relictis detrahatur Falcidia, *Petr. Gregor. lib.* 42. *t.* 34. *num.* 7. *Barry lib.* 15. *tit.* 7. *num.* 10. Et querela inofficiosi testa- 4
menti dicitur contra Principem competere, *l. Papin.* 8. §. 2. *ff. de inoff. testam.* Sicut et Princeps institutus Falcidia gaudet, *Barry d. num.* 10. nam *l.* 30. §. *ult.* de voluntaria remissione agit, *Donell. lib.* 7. *c.* 29. *lit. B.*

L. Si mortis. 5.
L. In donationibus. 12.
et L. Si quis. 18.

SUMMARIA

Quaenam in numerum legatorum sunt computanda? num. 1.
An et quatenus Falcidia in mortis causa donatione locum habeat? 2. 7.
Objectio diluitur. 3.
An etiam in donatione mortis causa inter conjuges? 4.
An idem in donatione inter patrem et filium? 5.
Objectio diluitur. 6.
Etiam de mortis causa capionibus detrahi potest Falcidia. 7.
An in legato dotis per intermediam personam uxori relicto locum habeat detractio Falcidiae. 8.
Quid in praelegato dotis? 9.

In numerum legatorum *h. l.* non quidem ex 1
verbis, sed sententia legis computanda sunt, quae vicem legatorum obtinent, ut 1. Fideicommissa singularia, *l.* 1. *ff. de legat.* 1. §. 3. *Inst. de legat. Carpz. p.* 3. *c.* 1. *d.* 12. *num.* 2. Donationes mortis causa, *l.* 5. *h. tit. et l.* 77. §. 1. *ff. de legat.* 2. *l.* 42. *pr. ff. de donat. mort. caus.*

Ratio in *l.* 37. *ff. eod.* Licet enim ad casum te-
2 stamenti tantum pertinuerit Falcidia, producta tamen fuit ad donationes mortis causa, licet extra testamentum et codicillos sint factae, *Grassus* §. *Falcidia q.* 8. *Gomez tom.* 2. *resol. c.* 4. *num.* 17. *Donell. lib.* 8. *c.* 24. *Barry lib.* 15. *t.* 2. *num.* 9. *Molina dec.* 213. *num.* 2. *Carpz. p.* 3. *cap.* 1. *dec.* 1. *Cujac. lib.* 20. *obs.* 6. *Bacchov. in Tr. v.* 2. *dec.* 19. *th. ult. lit. B. Berlich. p.* 1. *concl.* 1. *num.* 39. *Thesaurus lib.* 3. *q.* 33. *num.* 4. ubi *num.* 3. idem esse dicit, si testator dederit facultatem propria auctoritate occupandi rem mortis causa donatam: 2. Idem, si donatio facta de talibus bonis sitis in illo loco exclusis aliis, quia illa verba non sufficiunt ad excludendam Falcidiam, vel ut inferant prohi-
3 bitionem detractionis, *Thes. d. l. num.* 5. Et in *leg.* 93. *ff. h. t.* quae obstare videtur, alia species facti est, *Berlich. dict. loc. num.* 50. Et
4 sic etiam in donationibus mortis causa inter conjuges locum habebit, *Wesenb. in* ϖ. *ff. h. t. num.* 6. *Carpzov. d. constit.* 1. *def.* 2. - 3. Donationes inter virum et uxorem, nam hae ipso jure non valent, sed, si revocatae non sint, morte donantis confirmantur, *l.* 32. *ff. de don. inter vir. et uxor.* Ergo vicem legatorum obtinent, et de his detrahenda Falcidia, *l.* 12. *h. tit. d. l.* 32. §. 1. de quibus *Modest. Pist. qu.* 48. *et qu.* 160. *Carpz. d. c.* 1. *def.* 2. *Molina lib.* 1. *de jure primog. cap.* 12. *num.* 10. *et Mo-*
5 *lina d.* 213. *num.* 8. Atque idem in donatione inter patrem et filium, *Treutl. v.* 2. *d.* 14. *th.* 1. *lit. F.* - 4. Quae conditionis implendae causa ab haerede praestanda sunt, v. g. testator non plus habuit in bonis, quam quadringentos thaleros, ille me haeredem instituit, si Titio solvam tercentum et octoginta, hinc adire non possum, nisi prius solvam, quia expresse hoc in testamento cavetur. Et si igitur vellem retinere Falcidiam, posset dicere, in cujus personam collata conditio, non potes adire haereditatem, nisi conditione impleta, etsi postea vellet repetere, non poterat repetere, quia sciens solverat; sed hic respondetur, detrahere haeredem posse illos octoginta, quia dodrantem excedunt, et cum legati vicem obtineant, seu in fraudem potius Falcidiae haec injuncta sint, hic etiam detractio valet per *l. pen. h. t.* Ratio in *l. non dubium* 5. *supr. de legib.* Et si solverit haeres illa 380 potest 30. repetere, quia eo animo dedit, ut viam sibi pararet adeundae haereditatis, non ut aliquid donaret; ubi autem alia causa, quam donationis reddi potest, donatio non praesumi-
6 tur. Nec obstat *l.* 1. §. 8. *ff. h. t.* quia ibi non agitur de tali conditione, quae implenda est ab haerede, si velit haeres esse, ut *hic in l. pen.* Hinc inferunt nonnulli, non teneri haeredem illa octoginta solvere, sed ante solutionem posse retinere, quia expresse hic ipsi datur potestas retinendi. Et sic probatur ex *hac l. pen.*
7 etiam de mortis causa capionibus detrahi posse Falcidiam, id est de omnibus iis, quae occasione mortis alicujus proveniunt, *l.* 31. *ff. de mortis causa donat.* et ubi specialis titulus deficit, *l.* 8. *et d. l.* 31. *Simon de Praetis lib.* 2. *int.* 1. *dub.* 1. *sol.* 6. *Hilliger in Donell. lib.* 8. *c.* 24. *lit. D. Fr. Barry d. l.* 15. *t.* 2. *n.* 11. Caeterum
8 an in legato dotis per intermediam personam uxori relicto locum habeat detractio Falcidiae?
9 Vid. *Auctor in l.* 57. *ff. h. t. num.* 1. ubi etiam *num.* 6. quid juris in praelegato dotis declarat.

L. In imponenda. 6:

SUMMARIA

In quantitate haereditatis ineunda et computatione Falcidiae aes alienum et impensa funeris prius sunt deducenda. num. 1. 2.

An etiam deducendum sit id, quod defunctus haeredi debuit? 3.

Testator prohibere potest, ne hoc, quod haeredi debuit, ipsi detrahatur. 4.

Prohibere illud non videtur, si eum gravat, ut bona sua propria restituat. 5.

Legata non debentur, nisi deducto omni aere alieno et legitima liberorum. 6.

Quaenam legata in Falcidiam veniant? 7.

An ab iis quoque legatis, quae ad alimenta puerorum relicta, detrahatur Falcidia? 8.

An quod ad monumentum extruendum relictum? 9.

Haeres ultra dodrantem per errorem facti solvens sibi non praejudicat. 10.

Nec in iis, quae nondum solvit. 11.

Haeres integra legata errore facti solvens potest repetere quartam ab iis etiam, quibus soluta sunt legata. 12.

Pr. In ineunda quantitate haereditatis, et 1
computatione Falcidiae aes alienum et impensa funeris prius est deducenda, *Carpz. p.* 3. *c.* 1. *def.* 19. *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 18. quia 2
eapere non videtur haeres, quod instituere tenetur, *l.* 71. *ff. de V. S.* Sed *Anne deducendum* 3
est id, quod defunctus haeredi debuerit? Videtur quod non, quia hoc debitum esset confusum, *l.* 7. *C. de pact.* Sed affirm. *Auctor in l.* 12. *ff. h. t. num.* 3. quia quantitas patrimonii spectatur prout tempore mortis fuit, *Auctor in l.* 30. *ff. h. t. num.* 2. sed eo tempore aes alienum nondum erat confusum. Et licet aditione confundatur actio, remanet tamen exceptio sive retentio, verum hoc casu tenetur cum suo debito fructus, quos ex rebus ex die legatis, vel sub conditione, medio tempore accepit, usque ad concurrentem fructuum quantitatem compensare, *l.* 15. §. 3. *ff. h. t. Barry lib.* 15. *tit.* 3. *num.* 2. Sed potest prohibere testator, ne 4
hoc, quod haeredi debuit, detrahatur. Non au- 5
tem videtur prohibere, si eum gravat, ut bona propria sua restituat, per *d.* §. 3. *Rol. a Valle lib.* 2. *cons.* 65. *num.* 24. *Cravetta cons.* 16. *Ruinus cons.* 115. *num.* 13. *vol.* 2. *Menoch. cons.* 88. *num.* 33. *et cons.* 183. *num.* 41. Colligitur etiam ex *hac lege*; Legata non deberi, 6
nisi deducto omni aere alieno, et legitima liberorum, quia sunt pars bonorum, quae non intelliguntur, nisi deducto aere alieno, *Carpz. p.* 3. *const.* 13. *def.* 18. *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 18.

§. 1. Omnia legata veniunt in l. Falcidiam, 7
sive in dando, sive in faciendo consistant, adeo, ut haec etiam aestimanda sunt, v. g. domum extrui, licet ad Rempubl. pertineant, quia hic non attenditur favor legatarii, sed haeredis, *l.* 4. *supra h. tit.* Ideo ab iis legatis, quae ad ali- 8
menta puerorum relicta, detrahitur etiam Falcidia, *l.* 89. *pr. ff. h. tit.* Et quod ad monumen- 9
tum extruendum relictum est, *l.* 1. §. *ult. et seqq. ff. h. tit. ibique Auctor num.* 18.

§. 2. Si haeres ultra dodrantem per errorem 10

11 facti solverit, non praejudicat sibi, nec in iis, quae nondum solvit, nam et Falcidiam ex iis detrahere potest, aliter, si sciens nonnulla solverit, Vid. *Auth. infra h. tit.* nec in iis, quae solvit, Vid. *l.* 9. *h. t. et Jo. Petr. Surdum*
12 *dec.* 246. *num.* 6. *et seqq.* Colligitur ergo; Si haeres solvat legata integra, errore facti, quia putat forte haereditatem omnibus oneribus suffecturam, potest repetere quartam ab illis etiam, quibus soluta sunt, legata, aliud, si errore juris, de quo infra, *Peregr. d. art.* 3. *num.* 124. *Barry d. lib.* 15. *t.* 9. *num.* 2. *Molina d.* 23. *num.* 16.

L. In testamento. 7.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Militis, non veterani, voluntas ultima enixius servatur, dum haeres non potest detrahere Falcidiam. 2.
An hoc per Nov. 1. *sit mutatum?* 3.
Per posteriores generales leges in dubio legibus praecedentibus specialibus non derogatur. 4.
Mantica *notatur.* 5.
Praxis hodierna in hac quaestione. 6.

1 Miles me haeredem instituit, multaque legata ultra vires haereditatis reliquit, imo et res meas a se detentas alteri legavit. Quaeritur 1. *An Falcidiam detrahere possim?* Neg. per *leg.* 12. *supr. de testam. milit. l.* 17. *ff. h. tit. ibique Auctor num.* 3. *et* 4. adeoque solida legata solvere teneor, *Carpzov. p.* 3. *c.* 1. *d.* 16. - 2. *An de re mea disponere potuerit?* Neg. quia rata debet esse ejus voluntas in bonorum suorum divisione, *l.* 1. *pr. ff. de testam. milit.* ideoque ante omnia detrahendum aes alienum, et quod haeredi debuit, *l.* 1. §. 18. *ff. ad SCtum. Trebell.* Collige ergo; privilegium unum testamenti milita-
2 ris: Quod enixius servetur voluntas ultima militis, (non veterani, *Auctor in l.* 40. *ff. h. t.*) dum non potest detrahere Falcidiam haeres.
3 Nec hoc mutatum per *Nov.* 1. nam ea *Nov.* lata ad conservandam voluntatem ultimam contra detractionem Falcidiae, ut scil. Falcidiam haeres detrahere non possit, si fecerit contra testatoris voluntatem vel si Inventarium non fecerit, aut Falcidiam prohibuerit testator; quaestio autem praesens, si diceremus Falcidiam detrahi posse, plane contraria videretur intentioni *dictae Novellae.* Et juri hic, et alibi constituto, nullibi expresse derogatum,
4 et saepe urgere soleo, per posteriores generales leges in dubio non derogari legibus praecedentibus specialibus. Et ita sentiunt *P. Gregor. lib.* 42. *tit.* 6. *num.* 10. *Barry lib.* 5. *tit.* 7. *num.* 9. *Mattheac. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 16. licet
5 dissentiat *Mantica lib.* 6. *tit.* 1. *num.* 37. quam sententiam etiam communem dicit *M. Ant. Peregrinus de fideicom. art.* 3. *num.* 64. Et hi allegant pro se §. *ult. Nov.* 1. in verbo *persona militari*, quam illi de persona militis instituta, quod miles haeres institutus teneatur solida legata solvere, nisi Inventarium fecerit, *Hill. in Donell. l.* 6. *c.* 28. *lit. H.* Ili autem de
6 milite etiam testante intelligunt. Si in praxi occurrat haec quaestio, receptior posterior decisio forte esset sequenda, quam etiam *Hillig. in Donellum d. l.* vulgo etiam tribuit, nec consultum est a vulgaribus opinionibus, nisi ubi magna iniquitas reperitur, recedere in foro.

Auth. Sed cum testator.

SUMMARIA

Tres casus, in quibus haeres Falcidia uti nequeat et quinam? num. 1. 9. 12.
Hodie testatori Falcidiae prohibitio est concessa, modo fiat expresse. 2.
An Trebellianicae detractionem testator inhibere possit haeredi? 3.
Falcidia et Trebellianica in jure aequiparantur, eorumque nomina promiscue saepe usurpantur. 4.
An Falcidia tacite prohiberi possit? 5.
An ex verbis testatoris, quod legata integra praestare voluerit, prohibitio Falcidiae colligatur? 6.
Communis et recepta opinio. 7.
Caeval. *notatur.* 8.
Exceptio ab altero casu. 10.
An haeres uni legatariorum, forte ob paupertatem, integrum legatum cum protestatione solvens, aliis quoque integra teneatur? 11.
Non confecto Inventario non tantum Falcidia amittitur, sed etiam ultra vires haeres legatariis tenetur. 13.
Inventarium non conficiens de haereditariis bonis aliquid distraxisse praesumitur. 14.
Nisi ipsi legatarii non amplius fuisse in bonis fateantur. 15.
An idem in Trebellianica? 16.

Tres hic casus enumerantur, in quibus hae- 1
res Falcidia uti nequit. I. Si testator prohibuerit detractionem Falcidiae, quo ipso corrigitur *l.* 15. *pr. ff. h. tit.* cum enim hodie concessum 2
sit prohibere, *Auctor in l.* 12. *ff. h. t. num.* 1. *et in l.* 15. *eod. num.* 1. dummodo fiat per expressam prohibitionem, cujus exempla allegavit *Auctor in d. l.* 15. *ff. h. t. n.* 3. *seq.* non agit testator contra legem, si modo testator scivit quantitatem patrimonii sui, quod semper praesumitur, nisi ipsum nescivisse probetur. v. g. Si quasdam res pro suis habuit, quae tamen fuerunt alienae. Sed *an Trebel-* 3
lianicae detractionem testator inhibere potest haeredi? Auct. in l. 12. *ff. h. t. num.* 2. communiter affir. cum Falcidia et Trebellianica in 4
jure passim aequiparentur, et omnia haec promiscue saepe usurpentur. Vid. *M. Ant. de Petra de Fideicom. qu.* 15. *num.* 151. *Peregrin. art.* 3. *num.* 85. *et Gomez lib.* 1. *resol.* 5. *num.* 11. *Clarus* §. *testamentum q.* 62. *Petr. Gregor. d. cap.* 31. *num.* 11. *Menochius lib.* 4. *praes.* 198. *num.* 1. *Vasq. de success. creat.* §. 8. *num.* 5. et quos laudat *Barry lib.* 13. *num.* 1. ubi id, *num.* 2. extendit ad tacitam prohibitionem, cum *Menoch. d. l. num.* 10. et ad eam, quae in codicillis facta, *Barry d. l. num.* 3. Sed de exten- 5
sione illa ad tacitam prohibitionem, dubito, cum etiam Falcidia non videatur tacite prohiberi posse, cum *Novella* expressam prohibitionem requirat, et ex verbis, quod integra lega- 6
ta praestare voluerit, non colligitur certa voluntas Falcidiam prohibendi, ut cum *Menoch. lib.* 1. *praes.* 45. *num.* 15. statuit *Carpz. p.* 3. *c.* 1. *d.* 13. *et lib.* 6. *resp.* 30. *Berl. d.* 272.

7 Sed Falcidiam his verbis vel similibus prohibitioni Falcidiae aequipollentibus prohibitam censeri communiter videtur receptum, nec tutum foret ab hac recepta sententia decedere in foro, per ea, quae habet *Menoch. d. praes.* 198. *num.* 14. *et Barry lib.* 15. *t.* 8. *num.* 9. Ubi plures habet species tacitae prohibitionis, *Me-*
8 *noch. d. praes.* 198. *Mantica lib.* 9. *t. ult.* Licet dissentiat et pro sua sententia *Gomezium* alle-
9 get *Caevall. q.* 28. II. Si haeres sciens, aut in jure errans, quaedam legata solida praestiterit, non tantum soluta non repetit, sed et cogitur etiam reliqua in solidum praestare, quasi prima solutione judicium testatoris approbaverit in omnibus, atque ita corrigitur *l.* 6. *supr. in*
10 *fin. h. tit. et d. l.* 15. §. 2. Nisi per errorem, et non satis indagatis viribus haereditatis, id factum. Vid. *Jo. Petr. Surdus decis.* 246. *num.* 6. *et seqq. Molina. d. disp.* 213. *num.* 16. *Barry lib.* 15. *tit.* 9. *num.* 2. Ubi id restringit ad eum casum, quando pluribus personis legata sunt relicta, non quando uni plura legata relicta, nam, si unum legatum praestitit, non videbitur renunciasse Falcidiae sibi competenti, quod rationem habet, ne correctoriae leges facile
11 extendantur. Sic, si haeres cum protestatione uni ob singularem amicitiam, vel paupertatem, legatum integrum solverit, aliis integra legata solvere non tenetur, quia protestatio conservat jus protestantis, quin etiam putarem, si specialis ratio conjunctionis sanguinis possit probari, cur integrum legatum solverit, cessare praesumptionem, quod eo facto totum testa-
12 mentum approbaverit. III. Si haeres non confecerit Inventarium coram legatariis, aut iis absentibus, coram tribus testibus conscriptum. Alias enim haeres ultra vires haereditatis non obligatur legatariis, *l.* 1. §. 18. *ff. ad SCtum. Trebell.* sed per *hanc Authenticam* obligatur ultra vires
13 haereditatis. Et ideo hoc bene notandum, quod non confecto Inventario, non tantum Falcidia amittatur, sed etiam ultra vires legatariis tenea-
14 tur; ratio est, quia non conficiens Inventarium praesumitur aliquid subtraxisse de haereditariis bonis, *Afflict. decis.* 44. *num.* 33. *Masc. concl.* 852. *num.* 9. *Petr. Greg. lib.* 42. *t.* 34. *num.* 13. *Simon. de Praetis lib.* 3. *interp.* 3. *dub.* 5.
15 *fol.* 6. *num.* 9. Ergo aliud est si fateantur legatarii, non amplius fuisse in bonis, quia praesumptio juris et de jure cessat, si contrarium constet ex confessione adversarii, *Masc. d. con-*
16 *cl.* 852. *num.* 10. Sed *An idem in Trebellianica?* Neg. quia jus singulare est et odiosum, ut quis amittat Falcidiam, ergo ad Trebellianicam extendendum non est, *Gail. lib.* 2. *obs.* 138. *Masc. d. concl.* 852. *num.* 7. Ubi ab hac sententia judicem non debere recedere ait *Fachin. lib.* 4. c. 38. *M. Ant. Peregrin. de fideicomm. art.* 3. *num.* 74. *Praetis d. l. Barry lib.* 15. *tit.* 7. *num.* 4. *Hier. de Caeval. qu.* 26. Et licet multi relati a *Caevall. q.* 27. putent, valere argumentum a Falcidia ad Trebellianicam, id tamen universale non est.

Auth. Sed et in ea re.

SUMMARIA

Falcidia in legato hac lege legatario relicto, ne ab eo alienaretur, locum non habet. num. 1.
Detractio sine alienatione vel divisione partis vel totius fieri nequit. 2.
Per expressam prohibitionem alienationis censetur etiam prohibita detractio Falcidiae. 3.

Falcidia locum non habet, si legatum hac le- 1
ge legatario relictum, ne ab eo alienaretur, sed maneret penes successores ejus. Ratio est: quia detractio Falcidiae sine alienatione vel di- 2
visione partis et totius fieri non potest. Nam si haeres Falcidiam detraheret, utique pro parte detracta alienatio esset, et ita in hac specie expresse per consequentiam prohibita est detractio Falcidiae, ut et Trebellianicae, *M. Anton. Peregrinus d. tr. de fideicom. art.* 3. *num.* 91. *Cephalus cons.* 320. *num.* 38. *plures referens*; per expressam autem (non vero per tacitam) 3
prohibitionem alienationis, censetur etiam prohibita detractio Falcidiae, *Pereg. d. l. Don. l.* 8. *c.* 27. *post lit. L. Natta cons.* 528. *num.* 36. *Ric. coll. dec.* 329.

Auth. Similiter.

SUMMARIA

Legata ad pias causas Falcidiae detractionem respuunt. num. 1.
An haec etiam haeredem onerent, ut is de suo quadrante legata pia praestare teneatur? 2.
An hoc casu etiam Trebellanica cesset? 3.
Limitatur num. 1. *data regula.* 4.

Legata ad pias causas etiam respuunt Falci- 1
diae detractionem, *Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 3. Sed *An haec onerent saltem haeredem, ut is* 2
etiam de suo quadrante in effectu teneatur praestare legata pia? Et videtur sententia affir. communior, per tradita *M. A. Per. de fideicom. art.* 4. *num.* 31. *Carpz. p.* 3. *c.* 1. *def.* 17. et hoc etiam casu Trebellianica cessabit, *Peregr.* 3
d. *tr. art.* 3. *num.* 62. *Gail. lib.* 2. *obs.* 119. *n.* 6. *Covarr. in c. Raynaldus* §. 3. *num.* 13. *Praetis d. dub.* 6. *num.* 27. *Barry d. t.* 7. *num.* 8. quam sententiam de non detrahenda Trebellianica ex fideicommisso universali controversam quidem sed communiorem, et in praxi receptam testatur *Tiraq. priv. piae causae* 27. Sed hoc limi- 4
tatur, nisi I. pia causa fuerit instituta, nam sic pia causa una contra aliam utitur jure communi, *Tiraquell. de priv. piae causae privil.* 26. ubi multis modis id limitat, et ampliat, licet mediate aliquid legatum sit piae causae, *Molin. t.* 1. *disp.* 113. *num.* 10. *Barry d. num.* 8. II. Nisi incertum sit, an perventurum sit legatum ad piam causam ob conditionem incertam, *Tiraquell. d. l.*

L. Irritum. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Duplex responsio. 2.
Alius casus. 3.

1 Pater duobus filiis suis haeredibus institutis, Titio et Aurelio, a Titio petit, ut *si sine liberis decesserit*, portionem suam haereditatis fratri Aurelio restitueret. Titius testamento fratrem haeredem instituit, cumque legatis onerat, Aurelius putat fratri non licuisse de iis bonis, ut
2 alienis, testari. Sed resp. Imperat. quia 1. Titius, dum viveret, fuit dominus bonorum suorum. 2. Post mortem etiam habet in iis bonis quartam Trebellianicam, ideoque de suis bonis testatum esse, sed fideicommissum ut aes alienum deducendum est, ergo hoc casu dodrans primo ex haereditate paterna deducendus est, *l.* 6. *pr. supr. h. tit.* et in reliquis bonis paternis habet suam quoque Falcidiam salvam, v. g.
3 1200. accepit Titius a parente. Hic Titius dodrantem scil. 900. legatis onerare non potuit, sed ea sine onere, ut fideicommissum fratri relinquere debuit, reliqua 300. onerare potuit Titius, ut tamen Aurelius frater debeat salvam habere Falcidiam suam.

L. Error facti. 9. et L. Cum certum. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An haeres a legatariis, quod amplius dodrante solvit, repetere possit? 2.
Quid si sciens solverit? 3.
Quid si integra stipulanti soluturum se promiserit? 4.
Si in jure erravit, repetere non potest. 5.
Exceptio. 6.
Legata errore facti soluta integra repeti possunt. 7.
Legata supra dodrantem relicta neque naturaliter debentur. 8.
Testator, qui potest, nec prohibet detractionem Falcidiae, concessisse detractionem videtur? 9.
Objectio diluitur. 10.
Indebitum per errorem facti solutum repetitur. 11.
Secus a sciente solutum. 12.
An per errorem juris solutum repetatur? 13.

1 Haeres, cum sciret legata sibi solvenda, nesciret autem codicillos, legatariis nonnullis solvit: postea ex codicillis apparet, totam haereditatem legatis exhauriri. Quaeritur: *An hoc*
2 *et simili casu* (v. g. Si aes alienum ignoravit) *haeres a legatariis, quod amplius dodrante solvit, repetere possit?* Et affirm. quia per errorem facti solvit, *hic et l.* 7. *supr. de cond. indeb.* Ratio in *l.* 6. *d. tit. et l.* 4. *supr. de ign.*
3 *juris et facti.* Quid si autem sciens plus solverit? Resp. donationem hanc esse, et nullam repetitionem dari, *l.* 53. *ff. de R. J. l.* 7. *supr. de*
4 *cond. ob caus.* idem est, si sciens, integra stipulanti se soluturum promittit, per *l. ult. h. t.* Ratio dubitandi *in l.* 20. *pr. ff. de donat.* Sed ratio decidendi est *hic*, et *d. l.* 20. specialis ratio
5 est, scil. Violatio reverentiae; sed *quid si in jure erravit?* Resp. non posse repetere, quia debuit consulere peritiores, *l.* 10. *supr. de ign.*
6 *jur.* Exceptionem tamen ex *l.* 16. *ff. h. tit.* statuit *Donell. lib.* 18. *cap.* 27. *in fin.* Unde colligitur; I. Legata errore facti soluta, integra posse repeti; II. Legata supra dodrantem relicta 7
neque naturaliter deberi, quia alias non possent repeti, et quia testator, qui cum posset, non 8
prohibuit detractionem Falcidiae, videtur de- 9
tractionem concessisse, et sic non est voluntas evidens, quod nolit quidpiam Falcidiae nomine detrahere, ergo deficiente voluntate non potest consistere obligatio naturalis; sed obsta- 10
re videtur *l.* 1. *h. t.* Distinguit *Duar.* in *h. t.* deberi quidem naturaliter legata integra, sed in hac hypothesi non deberi, quem refert *Hill. in Donell. lib.* 8. *c.* 27. *lit. M. Matheac. de leg. et fideicom. lib.* 4. *c.* 6. *num.* 3. ubi dicit, communiter *DD.* hoc sentire; aut dici possit, si constaret de enixa voluntate defuncti, naturaliter ea ultra Dodrantem deberi, aut si haeres probabiliter credat, hanc fuisse voluntatem defuncti, quod jure veteri, ubi Falcidia prohiberi non poterat, facilius poterat credere, sed si haec voluntas non constet, et non possit praesumi prohibitio, praesertim jure novo, naturaliter ultra dodrantem ea non deberi. Collige ergo; I. Indebitum, per errorem facti solu- 11
tum, repeti, de quo supra. II. Indebitum a 12
sciente solutum non repeti. III. Indebitum per 13
errorem juris solutum non repeti, quod ultimum restringere solent ad materiam, ubi solvens de damno vitando non agit, Vid. *Carpz. p.* 3. *c.* 15. *d.* 42. *Harpr. in* §. 1. *Inst. quibus mod. re contr. obl. num.* 45. de quo suo loco egi.

L. Quamquam. 10.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Legitima hodie est triens debitae portionis. 2.
Beneficium deducendi Falcidiam et Trebellianicam transmittitur ad haeredem, licet accepta vel accepta non sit. 3.
Falcidia pro Trebellianica promiscue usurpatur. 4.

Pater duos filios haeredes instituit, et primum 1
rogat, ut, *si sine liberis decedat*, secundo fratri haereditatem restituat. Primus moritur, et successerunt ei, ceu legitimi haeredes, soror ejus et cohaeres frater; frater a sorore petit fideicommissum, et quidem sine detractione Falcidiae, cum ipsa gravata non sit, sed frater. resp. Imperat. ut frater potuit, ita et sororem posse deducere quartam Falcidiam, *argum. l.* 24. *ff. de V. S.* et haec quidem soror praesertim jure Canon. *cap. Raynutius X. de testam.* prius legitimam suam, quae hodie triens est de- 2
bitae portionis, ceu aes alienum deducere potest, et postea ex reliquis bonis detrahere cum fratre quartam Falcidiam, et sic cum fratre in Falcidia concurrit, quae sententia in fideicommisso conditionali, *hic* in *Glossa* tradita, communiter recepta et canonizata, *Gail. lib.* 2. *obs.* 12. *Carpz. p.* 3. *const.* 1. *def.* 21. *Molina disp.* 187. *num.* 5. *P. Heig. p.* 1. *q.* 32. *etc.* Collige ex lege: Beneficium deducendi Falcidiam et Tre- 3
bellianicam, transmitti ad haeredem, licet accepta, vel accepta non sit, *Carpz. p.* 3. *const.* 11. *def.* 25. *Schultes ad Mod. Pist. l.* 1. *qu.* 131. *num.* 213. quia ea bona, quae deferuntur jure

haereditario, sed jure quodam singulari et separato, possunt etiam transmitti non agnita, *l.* 22. *ff. de adopt. Gail. lib.* 2. *obs.* 131. *num.* 13. *Natta cons.* 107. *num.* 25. *et Carpz. d. d.* 25.
4 *num.* 1. *et* 2. Collige etiam ex *hac lege*: Falcidiam pro Trebellianica promiscue usurpari, nam hic est Trebellianica, et tamen Falcidia dicitur.

L. Si ut allegas. 11.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Hodie derogatum est huic legi. 2.
Soror suam legitimam jure naturae sibi debitam ante omnia deducere potest. 3.
Testator, quod adimere non potest, id nec potest minui, si disponat, haeredem certis rebus debere esse contentum. 4.
Testator cum plane Falcidiam prohibere possit, in certis bonis etiam potest constituere et jubere, ut haeres iis sit contentus. 5.
An et quatenus eamdem in certis bonis assignare possit? 6.
Maritus uxori in bonis minus utilibus aut minus valentibus non potest assignare portionem statutariam. 7.

1 Pater filiam haeredem instituit, et rogat, ut
eam haereditatem restituat fratri, jubet etiam,
ut loco Falcidiae, id est, Trebellianicae, quibusdam
speciebus, v. g. vineis ac hortis sit
contenta; Quaeritur: *An filia nihilominus, quod
deest Falcidiae seu quartae, adhuc petere possit?*
Quod affirm. *hic et l.* 15. §. 1. *ff. h. tit.*
2 Sed hodie, cum pater prohibere possit detractionem
Falcidiae, *Auth. sed cum testator h. tit.* videtur huic legi derogatum, *Rittershus. in
Nov. p.* 6. *c.* 5. *num.* 8. *et seqq. Covar. in c.
Raynaldus* §. 3. *num.* 8. *Donell. lib.* 7. *c.* 29.
3 quamvis soror suam legitimam, jure naturae
sibi debitam, ante omnia deducere possit. Col-
4 lige tamen in genere: Quod testator adimere
non potest, id nec minus potest, si disponat,
haeredem certis rebus debere esse contentum.
5 Et hinc colligitur; quia Falcidia plane prohiberi
potest, ideoque testatorem posse in certis
bonis Falcidiam constituere, et jubere, ut haeres
iis sit contentus; quia autem legitimam non
6 potest minuere, ergo nec in certis bonis assignare,
si minus utilia, vel non aequivaleant
legitimae portioni, vel sint onere aliquo affecta,
Menoch. lib. 2. *A. Q. casu* 163. *num.* 13. *et seq.*
Conf. *Vasq. lib.* 1. *de success. creat.* §. 10. *n.* 258.
7 Sic nec maritus uxori potest assignare portionem
statutariam in bonis minus utilibus, aut
minus valentibus.

L. Si ea. 13.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Casus. 3.
Quandoque legatarius ultra vires legati fideicommissarii tenetur. 4.

Testator fideicommissum reliquit Titiae, ut 1
servum suum proprium haec manumitteret. Titia
agnoscit fideicommissum, ergo ad manumittendum
compelli potest, licet minus justo pretio
consequatur, quia tanti servum aestimasse videtur,
l. 36. *pr. ff. ad l. Falcid.* Sed *an diminu-* 2
tionem etiam hujus Fideicommissi ex l. Falcid.
patietur? Affirm. quia primum detrahendum est
aes alienum, quo pertinent pretia servorum
manumissorum, et ex reliquis bonis haeres
detrahit Falcidiam. Pone ergo: fideicommissum 3
est 50. florenorum, pretium servi manumissi
est forte 20. flor. Si decem floreni deducentur
prius instar aeris alieni, ex reliquis 40. deducit
falcidiam, i. e. alios decem florenos, et retinebit
haeres Titia 30. flor. Pone autem: Pretium servorum
esse 60. florenos, non tantum nihil habebit
Titia, sed etiam damnum patietur: nam
accepit fideicommissum 50. florenorum, et manumittere
tenetur servos aestimatos 60. florenis.
Vid. *Cujac. ad l.* 33. *ff. de minor.* et notetur 4
casus, ubi legatarius ultra vires legati fideicommissarii
tenetur, Vid. *Cujac. t.* 2. *ad l. plane*
49. §. 2. *ff. de legat.* 1.

L. Licet. 14.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An pupillus legatis oneratus in computatione Falcidiae etiam dimidium ejus, quod sibi defunctus debuit, deducere possit, et ex residuo quartam Falcidiam detrahere? 2.
Debita per aditionem haereditatis, non nisi pro ea parte, qua quis haeres est, confunduntur, et pro residuo cohaeredes sunt obligati. 3.
Quatenus haeres repraesentet personam defuncti? 4.
Quamvis pro ea parte sit confusum debitum, omnino tamen partem eam, licet non confusione sublatam, tamquam aes alienum deducendam esse. 5.

Tutor instituit pupillum, cui ex administratio- 1
ne obligatus erat in dimidia haereditate, ergo
pro parte confusum creditum, si pupillus adeat
haereditatem, partem autem alteram a cohaerede
petet. Sed *quid si pupillus oneratus lega-* 2
*tis, an etiam in computatione Falcidiae dimidium
ejus, quod sibi defunctus debuit, potest
deducere, et ex residuo quartam Falcidiam detrahere?*
Affirm. ratio in *l.* 6. *pr. h. tit.* ubi
dicitur aes alienum deducendum esse. Collige:
Quamvis per aditionem haereditatis confundan- 3
tur debita, non tamen nisi, pro ea parte, qua
quis haeres est, v. g. debitor meus me instituit
haeredem in sexta parte haereditatis, pro sexta
parte etiam confusum est debitum, et pro residuo
cohaeredes sunt obligati, *l.* 7. *sup. de neg.
gest. l. pen. C. de haer. act.* Et sic regula illa, 4
quod haeres repraesentet defunctum, ita intelligenda,
ut pro ea tantum parte repraesentet,
in qua haeres est, in caeteris est extraneus,
Tiraq. de retr. lignag. §. 32. *gl.* 1. *num.* 50.
Pinell. ad l. 1. *C. de bon. mat. p.* 1. *num.* 79.
vers. *eadem conclus.* Deinde notat; Quamvis 5
pro ea parte sit confusum debitum, omnino

tamen partem eam, licet non confusione sublatam, tanquam aes alienum deducendam esse, *Br. Castr. hic et alii.*

L. Si praediorum. 15.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An in legatis instrumentis praedii dotalis detrahenda sit Falcidia? 2.
Duplex legis lectura et quaenam amplectenda. 3.
Objectio diluitur. 4.

1 Conventum erat in pactis dotalibus inter maritum et uxorem; ut, si uxor decederet, maritus lucraretur praedium dotale, juxta *l.* 12. *pr. ff. de pact. dotal.* Uxor autem etiam legat marito instrumenta praedii dotalis, quod vel de instrumentis literariis, *(Kauff-brieffen,)* vel instru-
2 mentis rusticis intelligi potest, Quaeritur: *An etiam ab his detrahenda Falcidia?* Id putat haeres, quia forte magni haec instrumenta aestimat; Sed negat Imperator, et rationem quidem assignat hanc: quia horum instrumentorum nulla est aestimatio, praesertim si non haeredi, sed legatario, ut in hoc casu, sint utilia, ratio
3 in *l. pretia* 63. *ff. h. tit. in princ.* Et quidem, si primam lecturam amplecteris, certa est decisio legis, ad quid enim prodessent haeredi instrumenta emptionalia? Sed si secundam sequaris, dubia est decisio, cur non etiam ex instrumentis possit detrahi Falcidia. Putarem, posteriorem lecturam esse amplectendam, sed hanc puto esse rationem decidendi, quod, quando in dotem accepi fundum instructum, seu cum instrumentis, cumque fundum in pactis dotalibus soluto matrimonio meum manere placuit, nec non addatur cum instrumentis, debere esse meum, haec tamen ex pactis dotalibus etiam mea esse, *arg. l.* 3. *pr. ff. de in-*
4 *strumento leg.* At sic inquies inutile legatum. Resp. utile est, ut magis perspicua fiat voluntas testatricis, quia poterat de intellectu pactorum dotalium esse dubium, et hanc rationem decidendi insinuat Imp. in verbis, *Instrumentis praediorum domino relictis*, i. e. maritus ex pactis dotalibus jam erat dominus instrumentorum praedii.

L. Successores. 16.

SUMMARIA

Haeres aeri alieno obstringitur in solidum. num. 1.
Quatenus legatariis obstringatur? 2.
Legata non nisi de bonis, quae deducto prius aere alieno supersunt, debentur. 3.
Jure novo quid obtineat? 4.
Falcidia non nisi a successoribus vel haeredibus, neutiquam vero a legatariis vel fideicommissariis detrahi potest. 5.

Haeres aeri alieno obstringitur in solidum, 1
legatariis vero non ultra vires haereditatis. Ideo- 2
que, si haereditas aere alieno exhauriatur, legatariis nihil debetur, quia lex Falcidia non patitur praestari legata ultra dodrantem, multo minus ultra vires haereditatis. Similis ratio Senatus Consulti Trebelliani. Unde sequitur, 3
non deberi legata, nisi de bonis, quae deducto prius aere alieno supersunt, per *leg. subsignatam* 39. §. 1. *ff. de V. O.* Sed hoc jure no- 4
vo mutatum; nam, si quis Inventarium non fecerit, etiam supra vires haereditatis ad legata solvenda tenetur, *Auth. sed cum testator supra h. t.* Collige etiam: Falcidiam non posse detrahi, 5
nisi a successoribus vel haeredibus, non a legatariis, vel fideicommissariis, *Carpz. p.* 3. *c.* 1. *def.* 12. licet sit legatarius partiarius, cui pars quotitativa legata, *Peregr. de fideicom. art.* 3. *num.* 5. *Guido Papae dec.* 269. *Barry lib.* 15. *tit.* 1. *num.* 13.

L. A cohaeredibus. 17.

SUMMARIA

Haeredi a cohaerede valide legatur ita, ut cohaeres etiam in sua portione habeat beneficium L. Falcidiae. *num.* 1.
Quid si uni fundus sit praelegatus? 2.

Haeredi a cohaerede legari potest, ita, ut co- 1
haeres etiam in sua portione habeat beneficium L. Falcidiae, *l.* 22. *pr. et l.* 77. *ff. h. t.* quia quarta apud omnes haeredes manere debet ex verbis L. Falcidiae. Sed quando praelegatus uni 2
est fundus, v. g. tunc unam partem habet jure haereditario a se ipso, alteram partem a cohaerede, et priorem partem computabit in quartam Falcidiam, *l.* 19. *ff. h. t.* quia est pars haereditatis. Et hoc praelegatum ex hac parte etiam restituendum est fideicommissario, cui portionem restituere jussus est, quia eam partem praelegati non habet ut legatarius, sed ut haeres, *Menoch. lib.* 4. *praes.* 191. *num.* 11. *Mantica l.* 7. *t.* 7. *num.* 10.

TITULUS LI.

De Caducis tollendis.

L. Et nomen. un.

SUMMARIA

Caduca quaenam dicantur? num. 1.
In quinque casibus lex Papia *sub* AUGUSTO *caduca introduxit.* 2.
Excepit certum casum. 3.
Abolita lex Papia *a* Justiniano. 4.
Quibusnam haeredibus Justinianus *jus hoc dederit?* 5.
Quod belli calamitas introduxit, pacis lenitatem sopire aequum est. 6.
Jureconsultorum malum consilium. 7.
Causam et fundamentum hujus legis quodnam olim fuerit? 8.
Quando hodie dies legatorum cedat? 9. 10.
An et quatenus dos in diem promissa marito superstiti debeatur, uxore licet ante diem praemortua? 11.
Ea, quae deficiunt, in triplici sunt differentia. 12. 18.
Deficientia statim in initio testamenti faciendi ad quemnam recidant? 13.
Duo casus excepti. 14.
Incapaci relictum penes haeredem remanet sine onere. 15.
Limitatur. 16.
Sed, quid si a legatario quid ad piam causam legatum? 17.
Post testamentum vivo testatore deficientia ad quemnam devolvantur? 19.
Quoties legatum fit in causa caduci, redit ad eum, a quo relictum est. 20.
Limitatur. 21.
Quoties legatis a statuto onus adjicitur, vel certa gabella, agnoscenda illa est a legatario. 22.
Limitatur. 23.
Post mortem testatoris deficientia proprie caduca dicuntur, sed legata ita caduca non fiunt. 24.
A quonam tempore cedant, et in quem soleant trasmitti? 25.
Quid si nondum adita haereditate haeres moriatur, an haereditatem transmittat? 26.
Exceptiones. 27.
Differentia inter haereditatem et legatum. 28.
An, et quatenus etiam ante apertas tabulas jure novo haereditas adiri possit? 29.
Legato annuo censu, et ante terminum mortuo testatore, pro rata temporis ad legatarium pertinet. 30.
Quorumnam legatorum dies, etiam purorum non nisi a tempore aditae haereditatis cedat? 31.
An in servitutibus realibus legatis, si legatarius ante aditam haereditatem moriatur, legatum transmittat? 32.
Quaenam ad substitutum vel conjunctum transeant, vel remaneant apud haeredem? 33.
Fideicommissa vel legata conditionalia legatario vel fideicommissario ante eventum conditionis mortuo, non transmittuntur ad ejus haeredem, sed penes gravatum remanent. 34.
An uxor instituta haeres in usufructu bonorum, et post mortem ejus alius, pro legataria, an vero pro haerede sit habenda, et haeredi substituto per fideicommissum relicta haereditas? 35.
Discrimen inter contractus et ultimas voluntates. 36.
Dies incertus pro conditione habetur, et contra conditio dicitur dies incertus. 37.
Si plures sint, a quibus quid relictum, penes quem manere debeat? 38.
Deciditur per distinctionem inter haeredes et legatarios seu mortis causa donatarios. 39.
Prius distinctionis membrum limitatur duobus modis. 40.
Appellatio nominum propriorum personas designat, et eorum numerum non vero qualitatem. 41.
Sequitur alterum distinctionis membrum. 42.
Quod limitatur secundum Glossam, Castrensem *et alios.* 43.
Subjicitur facti species. 44.
In pluribus haeredibus gravatis respicitur ad portiones, in legatariis ad personas. 45.
Legatum post testamentum deficiens ad substitutum, vel conjunctum, vel etiam haeredem transit cum onere. 46.
Onus illud consistit vel in dando, vel in faciendo, et quid juris circa utrumque. 47.
Circa onus faciendi subdistinguitur. 48.
Differentia inter onera personalia et realia. 49.
Utraque quid sint, et quid circa ea jus disponat? 50.
Plures haeredes instituti sunt vel conjuncti re, et verbis, vel conjuncti re tantum, vel conjuncti verbis tantum. 51.
De tertio genere hic nihil agitur, licet jus adcrescendi in eo locum habeat. 52.
Omnibus uno horum modo conjunctis deficientis portio adcrescit, etiam invitis, cum suo tamen gravamine et onere adjuncto. 53.
Absurdum est ejusdem haereditatis partem agnoscere, partem respuere. 54.
Inter re tantum, et re et verbis conjunctos, si re et verbis conjunctus deficit, hujus portio adcrescit solis iis qui eodem modo conjuncti sunt, pro parte tamen haereditaria. 55.
Exemplo illustratur. 56.
In quibusnam legatarii conjuncti et disjuncti different? 57.
Quatenus collegatarius delatam portionem adcrescentem repudiare queat. 58.
Verba legis aut statuti aut testamenti non extendantur, si loquenti vel disponenti facile hoc fuisset exprimere. 59.
Legata, quae legatariis, ut indignis, auferuntur, hodie quoque applicantur Fisco. 60.
Relictum incapaci, pro non scripto habetur. 61.
Si haeres non adita haereditate moritur, nec habet substitutum, nec legitimum successorem, Fiscus hodienum succedit. 62.
Hactenus dicta jure in omnibus ultimis voluntatibus valent. 63.
Principem decet id, quod omnibus prodest, propriae utilitati anteferre. 64.

Jus adcrescendi etiam in donatione mortis causa locum habet. 65.
Publica utilitas subditorum Fisci utilitati est praeferenda. 66.
Ampliatur. 67.
Dicta locum habent in futuris, non praeteritis ultimis voluntatibus. 68.

1 *Pr.* caduca sunt, quae jure relicta capaci, (uam incapaci relicta pro non scriptis habentur, *l.* 3. *ff. de his, quae pro non scrip. hab.*) aliqua ex causa, post mortem testatoris cadunt in
2 Fiscum. Caduca vero in quinque casibus sub Augusto introduxit *lex Papia*, tum ob augendum Fiscum bellis civilibus exhaustum, tum ob replendam civibus urbem: I. Si haeres ante apertas tabulas testamenti decesserit. II. Si haeres maximam vel mediam capitis diminutionem patiatur. III. Si quid relictum coelibi, et hic intra centum dies nuptias non contraxerit. IV. Si Latino quid relictum, et hic intra centum dies jus Quiritium non sit consecutus. V. Si conditio legati
3 deficiat: Sed excipit ipsa *lex Papia* hunc casum, si parentes vel liberi instituti, et hi relinquant liberos vel parentes usque ad tertium gradum,
4 id est proavos et pronepotes, sed Justinianus abolevit *h. leg. Papiam* nec non jus caducorum, et jus quod *lex Pap.* parentibus et liberis dedit,
5 Justinianus dedit omnibus haeredibus: rationes
6 sunt in promptu: 1. Quia aequum est, ut quod belli calamitas induxit, pacis lenitas sopiat: 2. Imperatores praecedentes hoc ipsum jus ca-
7 ducorum restrinxerant, et hoc jus ipsis Jureconsultis displicuit, ideo quantum potuerunt, restrinxerunt, atque testantibus suasores fuerunt, ut substitutiones facerent reciprocas, quibus Fiscus excluderetur.
8 §. 1. Causa et fundamentum *legis Papiae* erat hoc, quod legata cedant a die apertarum tabularum, et aditae haereditatis, quod ante id tempus deficiebat, ad Fiscum recidebat. Sed hoc
9 abolevit Imperator et constituit, ut legatorum pure, vel in diem certum relictorum, dies statim cedat a morte testatoris, atque ita legatarius interim moriens, transferat ad suos haeredes legatum, *l.* 5. *ff. quando dies legat. ced.* Sed in diem incertum, et sub conditione legatorum dies cedit a tempore existentis conditionis, *l.* 4. *ff. quando dies legat. ced.* Ex hoc ergo
10 §. 1. Notetur: Legata pura, vel in diem certum relicta cedere a die mortis, scil. quoad transmissionem. Unde *Carpz. p.* 3. *c.* 23. *d.* 5. pro-
11 bat, dotem in diem promissam, marito superstiti deberi, uxore licet ante diem praemortua, sc. in casibus, ubi maritus ex statuto vel pacto lucratur dotem. Dixi autem antea, legata pura a die mortis deberi, et adquisita esse quoad transmissionem, sed non ratione petitionis, nam hac ratione cedunt legata a tempore aditae haereditatis, prius enim non est, a quo peti possint, *l.* 12. *et* 13. *ff. quando dies legat. Hart. lib.* 2. *tit. de legatis* 2. *obs.* 1. *num.* 2. *Gail. lib.* 2. *obs.* 143. *num.* 1. *Raudens. de anal. c.* 33. *num.* 40. *Klock. vol.* 3. *cons.* 104. *num.* 36. *Hill. in Don. lib.* 2. *c.* 28. *lit. G.* De conditionalibus agitur postea.
12 §. 2. *et seq.* In primo itaque ordine ea, quae deficiunt, in triplici sunt differentia, vel enim deficiunt statim initio faciendi testamenti, v. g. Si mortuo ignorans quid legem, vel damnato in metallum, *l.* 3. *et* 4. *ff. quae pro non script.*
et haec non recidunt in Fiscum, sed si quis ei 13
substitutus, ad eum pertinent, vel si quis ipsi conjunctus ad collegatarium, hi si non sint, permanet apud haeredem scriptum vel legitimum, *l.* 55. §. 1. *ff. de legat.* 2. et quidem sine onere, licet alias legatario onus adscriptum; deficiente enim legato, deficit etiam adjunctum onus. Excipiuntur casus duo: alter in *l.* 26. §. 6. 14
ff. de fideicom. libert. alter in *l. fin. ff. de his, quae pro non script. hab.* Collige ergo: relictum in- 15
capaci remanere penes haeredem sine onere, quia si non pro scripto habetur hoc relictum, 16
certe et onus etiam pro non scripto habendum, scil. nemo sit legatario conjunctus vel substitutus, sed si aliquid indigno sit relictum, Fiscus aufert cum onere, *Barry de success. lib.* 1. *tit.* 8. *num.* 1. Sed quid autem in legatis piis, quando 17
scilicet a legatario quid ad piam causam legatum, omne deficiente legatario hoc secundum legatum debetur? *Arg. d. l.* 26. §. 2. Volunt *hic Castr. num.* 3. *Ricc. coll.* 1294. *in fine.* nam in piis causis enixa voluntas testatoris praesumitur, ut quocumque modo valeat.
§. *Pro secundo vero* 4. Vel deficiunt post testa- 18
mentum vivo adhuc testatore, et dicuntur esse in causa caducorum, v. g. Si legatarius vel hae- 19
res vivo testatore moriatur, aut conditio deficiat, et haec non ad Fiscum devolvuntur, ut olim *l. Papia*, sed acquiruntur substitutis vel conjunctis ut *in* §. 3. vel, his deficientibus, manent penes eum, a quo relicta sunt, sed cum onere, v. g. dandi, faciendi, manumittendi, etc. si quod ipsi adjunctum est, quia semel legatum consistit. Collige ergo ex *hoc* §. 4. Quoties lega- 20
tum fit in causa caduci, i. e. quod primo constitit, sed vivo testatore deficit, redire hoc ad eum, a quo relictum est, nisi adsit, qui ipsi 21
substitutus est, vel conjunctus, et ideo ad collegatarium non pertinet, nam in collegatariis, nisi conjuncti sint, non est locus juri adcrescendi, *Duar. de jure adcresc. lib.* 1. *c.* 3. *Carpzov. p.* 3. *c.* 2. *def.* 18. sed transit cum onere; Ergo exinde colligitur; quoties legatis a statuto onus 22
adjicitur vel certa gabella, illam agnoscendam esse a legatario, ut ex *argumento hujus legis* colligit *Carpz. p.* 3. *c.* 38. *d.* 20. Et commodum semper transire cum onere, *hic et l. legatum* 24. *ff. de adim. leg.* si legatum ab uno in alium transferatur, *Hipp. Rimin. cons.* 111. *num.* 52. Sed limitatur decisio *hujus* §. nisi onus con- 23
templatione certae personae injunctum, ut Bertam ducat, vel, nisi onus nominatim uni injunctum, quia hujus portio deficiens non accresceret cohaeredibus cum onere, sed sine onere, *l.* 29. §. *pen. ff. de legat.* 2. *Grassus* §. *jus adcrescendi, quaest.* 29. *Petr. Greg. lib.* 46. *tit.* 11. *num.* 21. Vel, si uni legatario nominatim quid injunctum, onus illud non adcrescit, *l.* 29. §. 1. *ff. de legat.* 2. *l.* 98. *ff. de legat.* 3. *Peregr. art.* 16. *n.* 88.
§. *In novissimo* 5. Vel (tertio) deficiunt post 24
mortem testatoris, v. g. si haeres ante apertas tabulas moriatur, et haec proprie caduca dicuntur, sed legata ita caduca non fiunt, nam 25
ea statim cedunt a morte testatoris, et transmittuntur a legatario in haeredem ejus etiam extraneum, sive agnita sive non, modo non expresse repudiata; haereditas autem et ante apertas tabulas potest adiri; Quod si autem nondum 26
adita haereditate moriatur haeres, hic eam non transmittit, exceptio est in liberis per *l. un. tit.* 27

seq. et si liberi pendente conditione mortui, tamen transmittunt haereditatem per *hunc* §. *Ceph. cons.* 716. *num.* 48. et filius suus haereditatem paternam etiam in extraneos haeredes transmitti tradit *Thesaurus l.* 4. *qu.* 78. *num.* 7. filius vero non suus haereditatem non aditam transmittit tantum in suos descendentes, *Riminaldus cons.* 111. *num.* 78. *et cons.* 266. *num.* 23. Scilicet, si liberi tantum jure sanguinis succedant, tantum in descendentes transmittunt haereditatem, *l. un. C. de his, qui ante apertas tabb.* sed si jure suitatis, in extraneos, *l.* 8. *C. de suis et legitimis liberis.* Sed legata indistincte transmittuntur, alia in *l.* 18. *et seq. supr. de jur. delib.* alia in *l.* 86. *ff. de acquir. haered.* et in *l.* 3. §. 30. *ff. ad SCtum Syll.* alia in minore negligente aditionem, cujus haeredi paratum remedium restitutionis, *argum. d. l. Pannonius* 86. *de acquir. haer. Cephal. cons.* 56. *num.* 6. *et* 7. et locus est substituto, vel conjuncto, vel haeredi legitimo, ultimo demum
28 loco Fisco. Collige I. Differentiam inter haereditatem et legatum; haereditas nondum adita non transmittitur neque ipsa, quia nondum adquisita, non spes adeundi, quia est jus personale, *Donell. et ibi Hill. lib.* 7. *c.* 4. *lit. C.* Sed legatum etiam non agnitum transmittitur, *Carpz. p.* 3. *c.* 14. *d.* 23. *in pr. et d.* 28. *in fin.* II. Jure
29 novo haereditatem etiam ante apertas tabulas, si aliunde ejus, quod haeres institutus sit, scientiam habeat, adire posse, *Donell. lib.* 7. *c.* 5.
30 *post. lit. B.* Colligunt etiam ex hoc §. legato annuo censu, et ante terminum mortuo testatore pro rata temporis pertinere id ad legatarium, *Carpz. p.* 3. *const.* 16. *def.* 3.
31 §. *Libertatibus* 6. Quorumdam tamen legatorum dies, etiam purorum, non cedit, nisi a tempore aditae haereditatis, quo pertinet 1. Libertas, quia manumittere non potest, nisi haeres, *l.* 8. *ff. quando dies legat.* - 2. Legatur ususfructus vel usus. Cum enim hae servitutes ad haeredem non transeant, frustra cederet eorum dies a tempore mortis. Cedunt igitur a die aditae haereditatis, *l.* 2. *ff. quando dies legat. ced.*
32 Sed *quid in servitutibus realibus legatis, si legatarius ante aditam haereditatem moriatur, an legatum transmittit?* Videtur quod sic, quia hoc legatum transit ad haeredem, et ita statuit *Br. in l.* 5. *ff. de servit. leg.* per *l.* 2. *et* 3. *ff. quando dies legat.* et per *hunc* §. Sed *Accurs. in d. l.* 3. contrarium statuit, quia licet una ratio, scil. transmissionis, cesset, adest tamen alia, quod nemo sit, qui servitutem constituere possit, *Bacch. in Tr. vol.* 2. *d.* 13. *th.* 17. *lit. A.* Sed forte prior sententia *huic* §. convenientior, quia de servitute personali loquitur, et illa ratio, quod non sit transmissibilis, est procul dubio decisionis ratio praecipua, et finalis, quod iniquum plane videretur, si ipse testator constitueret servitutem, mortuo ante aditam haereditatem legatario, amitti. Et hanc sententiam post *Papon. lib.* 1. *Notar. tit.* 10. amplecti videtur *Barry l.* 12. *t.* 3. *num.* 4.
33 §. *Sin autem aliquid sub conditione etc.* 7. Quae sub conditione potestativa, vel casuali, vel mixta relinquuntur, vel mortis causa donantur, vel quod idem est, die incerto, eorum dies cedit a tempore conditionis existentis; pendente autem conditione, si decedat legatarius, vel eo superstite deficiat conditio, id ad substitutum vel conjunctum transit, vel apud haeredem remanet; Ex *hoc* ergo *notabili* §. colligitur regula illa; fideicommissa vel legata condi- 34
tionalia legatario vel fideicommissario ante eventum conditionis mortuo, non transmittuntur ad ejus haeredem, sed penes gravatum remanent, *Gomez tit.* 1. *resol. c.* 5. *num.* 9. *Card. Mantica lib.* 1. *tit.* 20. et quos magno numero allegat *Fusar. quaest.* 490. *num.* 1. ratio autem est, quia testator providit legatario, non haeredi ejus, qui magis ex dispositione legis venit, et culpa imputanda testatori, cur non pure reliquerit, si voluit, ut legatum non intercideret, *Mant. d. l. num.* 2. Et hinc, si uxor sit institu- 35
ta haeres in usufructu etiam bonorum, et post mortem ejus alius haeres, magna controversia est, an uxor habenda sit pro legataria, non obstante voce institutionis, an vero sit haeres, et haeredi substituto per fideicommissum relicta haereditas. Nam si illud dicamus, vidua viva mortuo haerede transmittet haereditatem, quia pure institutus haeres, et tota sine ulla detractione haereditas testatoris ad haeredem haeredis perveniet, hoc vero casu haeres vidua viva decedens non transmittet haereditatem sub conditione sibi relictam. Sed prima sententia placet, quia testator expresse usumfructum reliquit. Ergo haeres ille pure et statim in proprietate institutus, et sic hanc transmittet, *Covar. l.* 2. *resol. c.* 2. *num.* 5. *Gail. l.* 2. *obs.* 143. *num.* 6. *Castillo de usufr. cap.* 8. *num.* 43. licet contrariam sententiam communiorem esse tradant, de qua *Salgado in labyr. suo p.* 1. *cap.* 2. *in fin.* quam sententiam tunc admitto, si una vel altera conjectura suadeat, cum usufructu etiam proprietatem esse relictam, ut in *l. pro cujus ff. de usufr. Gail. d. l. num.* 7. Et hinc apparet 36
discrimen inter contractus et ultimas voluntates, quia in contractibus etiam haeredi prospicimus, *Tiraq. de jure primogen. quaest.* 40. *num.* 70. Collige etiam; diem incertum pro conditio- 37
ne haberi, *l.* 75. *ff. de cond. et dem. l.* 1. §. *ult. ff. ut leg. nom. cav. l.* 21. *pr. ff. quando dies legat.* Et contra, conditio dicitur incertus dies, *l.* 30. §. 4. *ff. de legat.* 1. *Cujac. lib.* 18. *obs.* 1. *Hill. l.* 8. *c.* 31. *lit. B.* scil. si incertum sit an dies sit exstiturus, *l.* 79. *pr. et* §. 1. *ff. de cond. et dem. Donell. Cujac. dd. locis.*

§. *Sed ut manifestetur* 8. Quaeritur hic: *Si* 38
plures sint, a quibus quid sit relictum, penes quem manere debeat? Disting. Utrum ab hae- 39
redibus sit relictum, an vero a legatariis vel donatariis mortis causa: primo casu remanet penes haeredes pro iis partibus, in quibus haeredes sunt instituti, nisi 1. a certis haeredi- 40
bus legatum sit relictum. Nam ut illi soli habent onus, ita et soli sentiunt commodum, *l.* 10. *ff. de R. J.* - aut 2. Sub propriis nominibus ab haeredibus legata sunt relicta, quia nominum 41
propriorum appellatio personas designat et eorum numerum, non vero qualitatem, *l. nonnunquam* 24. *ff. ad SCtum Trebell. et l. si haeredes* 124. *ff. de legat.* 1. *Donell. l.* 7. *c.* 20. *lit. A.* Si vero a legatariis pluribus sit legatum relictum, 42
apud hos remanet legatum deficiens pro parte virili, licet in re legata inaequales partes habeant, quod tamen *Glossa et Castr. et alii hic* 43
intelligunt in onere extrinseco, scil. quod in danda quantitate, vel faciendo consistit, non vero in intrinseco, v. g. gravati sunt duo lega- 44
tarii, quibus fundus erat legatus, ut 100. praestent Titio, vel eidem fundum restituerent; in

priori specie, licet inaequales partes habeant in fundo, aequaliter tamen videntur gravati, et sic aequaliter redit onus. Sed secus in po-
45 steriori. Et ita in pluribus haeredibus gravatis regulariter respicitur ad portiones, in pluribus legatariis gravatis ad personas. Quaestionem autem hic format *Castr.* si testator mandat uni haeredum, ut fundum haereditarium mihi restituat, an haeres satisfaciat voluntati defuncti si suam partem tantum praestet, quam in fundo habet, per *l. servi electione* 5. §. 1. *ff. de legat.* 1. *et ibi DD.* quod vero ex *Cujac. Barry lib.* 13. *tit.* 7. *pr.* verba *pro virili*, intelligit pro portione in re legata, non videtur verbis §. *hujus* convenire, sicut nec expositio *Fachin. lib.* 4. *cap.* 95.

46 §. *Ne autem hoc* 9. legatum post testamentum deficiens, transire ad substitutum vel conjunctum vel etiam haeredem, cum suo tamen
47 onere adjuncto, dictum est §. 4. Circa illud onus autem hic distinguitur, quod consistat vel in dando, vel in faciendo. Illo casu indistincte
48 hoc valet; hoc casu non, nisi tale factum sit, quod per alium expediri possit, v. g. exstrui aedes. Nam si tale factum sit, quod per alium expediri non possit, v. g. uxorem ducere, liberales artes tractare, pingere, legatum etiam sine onere manet penes eum, a quo relictum
49 est. Et ex *hoc* §. notetur distinctio onerum rea-
50 lium et personalium; illa voco, Quae in dando consistunt, et quaedam etiam, quae in faciendo consistunt, et per alium expediri possunt, v. g. exstruere aedes, ubi ex quantitate relicti judicandum, cujus expensis exstrui debeat. Personalia autem voco, Quae per alium explicari non possunt. Onera, quae respiciunt personam, et in quibus persona vel ejus industria considerata est, non transeunt in aliam personam, per *l. inter artifices* 31. *ff. de solut. Lud. Romanus sing.* 670. *Alphanus coll.* 708. *Barry l.* 17. *t.* 4. *num.* 10.

51 §. *His ita definitis* 10. Interdum autem instituuntur haeredes plures, iique sunt vel coniuncti re et verbis, qui hoc in loco κατ' ἐξοχήν conjuncti appellantur, v. g. Titius et Cajus haeredes sunto; vel conjuncti re tantum, qui hic disjuncti dicuntur, ut Titius haeres esto, Cajus haeres esto; vel conjuncti verbis tantum, v. g. Titius et Cajus haeredes sunto ex aequis
52 partibus; de hoc tertio genere hic nihil agitur, quia habent partes, *l.* 89. *ff. de legat.* 3. Sed in his jus adcrescendi constituunt *Donell. lib.* 7. *cap.* 13. et ibi *Hillig. lit. K. Schultes ad qu.* 29. *Mod. Pist. p.* 1. *n.* 6. *Carpz. p.* 3. *c.* 2. *dec.* 11.
53 Si igitur plures sint conjuncti uno horum modo deficientis portio omnibus adcrescit, ipso jure, etiam invitis, cum suo tamen gravamine
54 et onere adjuncto; ratio in textu, *cum sit absurdum, ejusdem haereditatis partem quidem agno-*
55 *scere, partem vero respuere.* Sin autem permixti, id est, quidam re tantum conjuncti, qui hic disjuncti dicuntur, quidam re et verbis conjuncti, tunc si deficiat re et verbis conjunctus, hujus portio adcrescit solis iis, qui eodem modo conjuncti sunt, pro parte tamen haere-
56 ditaria, v. g. si quis ita testatur, A. et B. haeredes sunt, C. haeres esto, D. haeres esto, deficit D. hujus portio adcrescit omnibus, si vero A. deficiat hujus portio adcrescit soli B. ratio in textu, ibi: *hoc ita tam varie, quia conjuncti re et verbis propter unitatem sermonis quasi in unum corpus redacti sunt, et partem conjunctorum quasi suam praeoccupant*; *disjuncti*, i. e. re tantum conjuncti, *ab ipso testatore sunt discreti:* Nam A. et B. non minus conjuncti sunt ipsi D. quam C. sed inter A. et B. major conjunctio est, Vid. *Donell. l.* 7. *cap.* 13. *Grassus* §. *jus adcrescendi q.* 13. *Simon de Praetis lib.* 3. *int.* 1. *dubit.* 5. *solut.* 3. *Vasq. de succes. progressu lib.* 3. §. 21. *Barry lib.* 13. *tit.* 4. *Gomez tit.* 1. *et* 10. *Fach. l.* 4. *c.* 98.

§. *Ubi autem legatarii* 11. Eadem ratio lega- 57
tariorum conjunctorum et disjunctorum, in his tantum differentia: I. Portio haereditatis deficiens, defertur cohaeredi etiam invito, sed legati pars deficiens conjunctim legata adcrescit volenti tantum, sed si disjunctim legata adcrescit etiam invito, quia hic singulis res relegata, ab initio solida defertur. Defertur igitur portio adcre- 58
scens collegatario ex sua persona, quare eam repudiare nequit, *l.* 4. *ff. de legat.* 2. illo casu vero defertur ex persona deficientis, ergo ut deficiens, ita et collegatarius repudiare potest, *Vasq. lib.* 3. *de success. progr.* §. 22. *num.* 29. *Barry l.* 3. *tit.* 5. *num.* 2. *Donell. lib.* 8. *cap.* 21. *et ibi Hill. lit. C.* et quos allegat *Hillig. ibidem, Suevius de jure adcresc. lib.* 3. *c.* 2. *Gomez d. c.* 10. *num.* 42. II. Hic adcrescit pluribus collegatariis pro virilibus portionibus, *l.* 19. §. *ult. et l.* 67. *ff. de legat.* 1. III. Accrescit portio defecta cum onere conjunctis, disjunctis sine onere, quia hoc casualiter nihil acquirit ex persona collegatarii, ergo onere ipsi injuncto gravari nequit, *Peregr. art.* 16. *num.* 77. *et seqq. Barry l.* 13. *tit.* 6. *num.* 3. ex versic. *hujus* §. *sin autem ad deficientis etc.* colligunt regulam *Castr.* et alii, 59
quod non debeant verba legis aut statuti aut testamenti extendi, si loquenti vel disponenti facile hoc fuisset exprimere, *Cephal. cons.* 53. *num.* 111. *et seqq.* quod solent declarare, nisi verba generalia, aut eadem non expressi ratio, *Menoch. c.* 482. *num.* 9. *et c.* 709. *num.* 12. *et c.* 724. *num.* 22. *Cephal. cons.* 22. *num.* 11. Et maxime procedit ea regula in odiosis, *Cephal. cons.* 134. *num.* 46.

§. *Quae autem antiquis* 12. Quae legata aufe- 60
runtur legatariis ut indignis, Vid. *supr. tot. tit. de his quibus ut indig.* illa et hodie applicantur Fisco, et jus antiquum servandum est. Nam aliud est, dicere de incapaci, aliud de indigno.
Relictum incapaci pro non scripto habetur, de 61
quo in §. 2. *h. tit.* Sed quod indigno relictum, adquiritur Fisco, per *t. t. de his, quib. ut indignis.*

§. *Cum autem in superiori* 13. Sicut et in hoc 62
jus Fisci reservatur, si haeres non adita haereditate moriatur, nec habeat substitutum nec legitimum successorem, qui possit aut velit haeres esse, nam tunc demum ultimo loco succedit Fiscus. Vide *infra de bon. vacantib.*

§. *Haec autem omnia* 14. Quae hactenus con- 63
stituta sunt, locum habent non tantum in testamento, sed etiam codicillis, et donatione mortis causa, et in quavis etiam ultima voluntate, quia decet Principem, id quod omnibus 64
prodest, propriae utilitati anteferre, unde colligitur: jus adcrescendi etiam in donatione mor- 65
tis causa locum habere, *Gomez lib.* 1. *c.* 10. *num.* 7. *Mattheac. de legat. lib.* 3. *c.* 7. *Mantica lib.* 1. *tit. ult. num.* 2. *Barry l.* 13. *tit.* 3. *num.* 9. Unde, si quis omnia bona sua mortis causa donet, et sibi aliquam partem reservet,

de qua testari possit, si nihil de reservato illo di-
sponat, illa pars vel quantitas reservata dona-
tario adcrescet, *Carpz. p.* 3. *c.* 2. *def.* 1. *in*
66 *princ.* Colligitur etiam: publicam utilitatem sub-
ditorum Fisci utilitati esse praeferendam, non
tantum in iis, quae Fisco adquirenda sunt, ut
Bart. in l. 1. *num.* 26. *ff. sol matr.* sed in iis 67
etiam, quae Fisco, non ob juris rationes, sed
ob necessitatem bellorum sunt adquisita, *P. Bar-
bosa l.* 1. *p.* 7. *num.* 18. Sed habitura haec lo- 68
cum in futuris non praeteritis ultimis volunta-
tibus: ratio in *l.* 7. *supr. de legibus.*

TITULUS LII.

De his, qui ante apertas Tabulas haereditatem transmittunt.

L. Per hanc. un.

SUMMARIA

Haeres non aditam haereditatem non transmittit. num. 1.
Exceptio hic est in descendentibus. 2.
Quomodo hi invicem transmittant? 3.
Indignum enim est, hisce fortuitas ob causas defraudatis, alios insperato gaudere commodo. 4.
Liberi etiam emancipati haereditatem avi a patre suo non aditam accipiunt. 5.
Mater quoque in suos liberos transmittit. 6.
Quatenus pater in liberos naturales transmittat? 7.
Quoad legatum inter liberos et extraneos nulla est differentia. 8.
Secus quoad haereditatem. 9.
An in ascendentes quoque transmitti possit haereditas? 10.

1 Haeres non aditam haereditatem, non trans-
2 mittit, §. 5. *tit. praeced.* Exceptio hic est in
3 descendentibus. Hi enim a parentibus utriusque
sexus, cujuscumque gradus, etiam emancipati,
sive soli, sive cum aliis extraneis haeredes insti-
tuantur, vel iis legatum sit adscriptum, etiamsi
haereditatem non adierint, nec Tabulae apertae
sint, (Vide §. 1. *tit. praeced.*) et si non sint
invicem substituti, licet expresse etiam non agno-
verint legatum, modo non repudiaverint, licet
etiam illud ignoraverint, nulla tamen praescri-
ptione longi temporis obstante haereditatem vel
legatum transmittunt in suos descendentes, id
est, liberos cujuscumque sexus, et gradus; ra-
4 tio in versic. *si quidem perindignum est, for-
tuitas ob causas, vel casus humanos, nepotes
avita haereditate defraudari, alios vero contra
desiderium avi, insperato commodo gaudere.*
Vide *l.* 5. *supr. de jure deliber.* Collige: Hic
sanguinem attendi, et sic jure transmissio san-
guinis vocatur; unde etiam emancipati liberi acci- 5
piunt haereditatem avi a patre suo non aditam,
imo etiam mater, quae nullam potestatem ha- 6
bet, in suos liberos transmittit, *Vasq. de succ.
progr.* §. 7. *num.* 8. *et seq. Noalis de transmiss.
casu* 8. *num.* 87. *Thesaurus lib.* 4. *q.* 78. *num.*
3. *in fine.* Etiam in naturales liberos transmit- 7
tit pater, quatenus illi huic succedere possunt,
quia sanguinis tantum habetur ratio, *Gomez t.*
1. *c.* 9. *num.* 43. *Noalis d. l. num.* 91. Et ne-
pos, vivo avo non conceptus, hic venit, non
quidem ex sua, sed patris persona, *Gomez d.
l. num.* 44. *Noalis num.* 92. Nota bene: Quoad 8
legatum hodie inter liberos et extraneos nullam
esse differentiam, §. 5. *tit. praeced.* Sed quoad 9
haereditatem manet differentia. Nam legata pu-
ra a quolibet legatario transmittuntur in haere-
dem, per *l. un.* §. 5. *tit. praeced.* et sic uni-
versalia quoque fideicommissa, *l.* 3. *et* 21. *C.
de fideicom. Peregrinus art.* 31. *num.* 4. *Vasq.
de success. progr.* §. 7. *num.* 49. *Noalis num.*
131. quamvis autem in ascendentes quoque trans- 10
mitti posse haereditatem putet *Gl.* communiter,
tamen haec reprobata, quia de descendentibus
tantum loquitur *haec lex* correctoria, *Gomez
d. l. num.* 48. *Vasq. de success. creat.* §. 21. *num.*
267. *Noalis n.* 83. et quos refert *Cephal. cons.*
288. *num.* 12. Plures casus recenset *Vasq. d.*
§. 7. *et Schultes ad Mod. Pist. par.* 4. *quaest.*
131. *Dn. Carpz. p.* 3. *c.* 14. *def.* 23. *et seqq.
Barry lib.* 12. *tit.* 1. De jure deliberandi trans-
missibili supra dictum.

TITULUS LIII.

Quando dies legati vel fideicommissi cedit.

L. Si competenti. 1.

SUMMARIA

Legata annua an ab initio anni peti possint, et cedat statim dies legati? num. 1.
Secus si in annos decem quid legatum. 2.
Objectio diluitur. 3.
Quid si pro certa necessitate vel ex certo fundo annua relicta sint? 4.
Deinde limitatur regula num. 1. *posita, si favore haeredis legatum in annos divisit testator.* 5.
Et tale legatum annuum proprie non est, sed est unum legatum in plures pensiones distinctum, atque ita in diem relictum. 6.

Legata mihi sunt decem singulis annis, quaeri- 1
tur; *An initio statim anni petere possim, et dies
legati statim cedat?* Resp. quia conditionale le-

gatum est, si vixero singulis annis, *l.* 4. *ff. de
ann. legat.* ideoque sufficit me initio anni vi-
xisse, et per consequens statim cedit dies, *hic
et l.* 12. §. 1. *ff. h. tit. l.* 60. *pr. ff. locati*, *l.* 56.
2 §. 4. *ff. de V. O.* Aliud est, si in annos decem
quid legatum, *l.* 49. *ff. de condit. et demon.*
quia ibi differendae solutionis gratia annorum
fit mentio, hic vero multiplicandi legati causa;
3 sic nec obstat, *l.* 42. *ff. de V. O.* quia loquitur de
eo casu quando quis hoc anno soluturum se
promisit, inde versus,

Annua si debes, tunc inspicies caput anni;
Anno si debes, in fine teneberis anni.

de quo *Grassus* §. *legatum q.* 41. *Barry l.* 11.
4 *tit.* 15. *num.* 18. Nisi pro certa necessitate, vel
ex certo fundo annua relicta sint, illud non
prius solvendum quam opus ad illam necessita-
tem, hoc vero non debetur, priusquam fructus
ex fundo colligantur, *Surdus de alimen. tit.* 4.
q. 17. *n.* 26. *per l.* 26. §. *fin. ff. h. t. Peregr. art.* 45.
5 *n.* 4. *et Barry d. num.* 18. Deinde limitatur *haec
lex*, si favore haeredis testator legatum divisit in
annos, quod plerumque fit, si certa summa in
terminos dividatur, vel ad certum annorum
spatium restringatur annuum, nam favore hae-
redis videtur testator divisisse legatum, ne una
vice ad solutionem urgeretur, et sic initio anni
6 non debetur, *l.* 12. §. 4. *ff. h. t.* Et hoc pro-
prie annuum legatum non est, sed est unum
legatum in plures pensiones distinctum, atque
ita in diem relictum, *l.* 49. §. 1. *et seq. ff. de
legat.* 1. *l.* 20. *l.* 26. §. 2. *ff. h. t. Coll. Arg. h.
t. th.* 12. *num.* 5.

L. Agrum. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Duae inde deductae quaestiones. 2.

1 Legavit quis Titio, Sejo et Sempronio agrum,
ut scilicet ille eum retineret, qui tempore mor-
tis testatoris superstes fuerit, quo tempore nemo
nisi Sempronius superstes fuit: reliquis ante te-
statorem mortuis, paulo post Sempronius ipse de-
2 cedit. Quaeritur: 1. *An Sempronius legatum illud
ad haeredes suos transmiserit?* Quod affirm.
Quia dies cessit, §. 5. *supr. de cad. tollend.* - 2.
*An Titii et Seji haeredes partem suam seu fi-
deicommissum petere possint?* Neg. quia nemo
superstes, cui quid legatum, et qui ad legatum
adspirare posset, *argum. l.* 77. §. 22. *in fin. ff. de
legat.* 2.

L. Si Pontianilla. 3. et L. Ex his verbis. 5.

SUMMARIA

*Legatarius petitionem relicti sub hac conditione,
si ad legitimam aetatem pervenerit, impleta
conditione, nondum licet accepto legato, ad
suos haeredes recte transmittit. num.* 1.
*Quid si puella ante legitimam aetatem decesse-
rit, an etiam tunc transmittet in haeredes
legatum?* 2.
Illustratur exemplo. 3.
*Quando dies additur legato, quae incerta est
an extitura sit, sed certa, quando tunc di-
stinguendum, an dies addatur substantiae le-
gati, an vero executioni.* 4.
Substantiae addita dies est in l. 3. *executioni
vero* in l. 5. *num.* 5.
Quid in dubio praesumendum? 6.
Thesaurus *aliter distinguit et quomodo.* 7.

Quando sub conditione hac quid relictum, *si* 1
ad legitimam aetatem pervenerit, tunc impleta
conditione, licet legatum nondum acceperit,
petitionem tamen ad haeredes suos transmisit
legatarius, ratio in *l.* 5. §. 2. *ff. h. t.* Quia dies
cessit, dum conditio fuit impleta; *sed quid, si* 2
*puella ante legitimam aetatem decesserit, an
etiam tunc transmittit in haeredes legatum?* Neg.
per *l.* 22. *pr. ff. h. t.* quia hoc legatum condi-
tionem in se continet, nisi appareat, non fuisse
conditionem insertam, sed petitionem tantum
dilatam, *l.* 5. *h. t.* v. g. Da filiae meae decem, 3
quae dabuntur ei, cum ad legitimam aetatem
pervenerit. Haec verba non conditionem conti-
nent, sed terminum solutionis, atque est lega-
tum purum, ergo statim cedit: etsi interim de-
cedat legatarius, ejus haeredibus id solvendum
est eo tempore scilicet quoad legitimam aetatem
pervenisset legatarius, si vixisset; aliud enim mo-
ra, aliud conditio, *l.* 6. §. 1. *ff. h. t. l.* 1. §. 1. *ff. de
legat.* 2. Nota ergo ex *his duabus legibus* egregiam
doctrinam; Quando dies additur legato, quae in- 4
certa est, an extitura sit, sed certa quando,
quod tunc distinguendum sit, an dies addatur
substantiae legati an vero executioni: Substantiae 5
addita dies in *l.* 3. Executioni vero in *l.* 5. Et
hanc distinctionem amplectuntur *DD.* commu-
niter, *Mantica lib.* 11. *tit.* 18. *num.* 21. *Grass.*
§. *fideicommissum, qu.* 20. *Vasq. de success. progr.*
§. 29. *num.* 3. *Gomez t.* 1. *cap.* 5. *num.* 26. *Barry
lib.* 12. *tit.* 3. *num.* 27. *Donell. lib.* 8. *cap.* 31.
Bacch. in Treutl. v. 2. *dec.* 13. *thes.* 6. *lit. E.* Sed
quaeritur, *quid in dubio praesumendum?* Puta- 6
rem, primo attendenda esse verba legati, nam
si dicat; lego Titio decem, quae ei solvi volo
anno 14. hic apparet ex verbis, quod primo
pure leget, et postea solutioni diem dicat. In-
terim colligitur ex scopo, nam si gratia hono-
rati tempus aetatis adjunctum, transmissibile
erit legatum, *Gomez et Barry dict. l.* vel ex
personae qualitate, si liberis leget et similia. Ali-
ter distinguit *Thesaurus lib.* 1. *q.* 68. *num.* 11. aut 7
(inquit) conditionis eventus personam legatarii
respicit et certum est, eam aliquando extituram,
sed dubium est, an vivo legatario sit extitura,
et hoc non transmitti; aut respicit personam
haeredis, cum ad legitimam aetatem pervene-
rit, sed malo receptiorem sequi distinctionem.

L. Cum uxori. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
*Ubicumque de liberis in testamento sit sermo,
vel unus sufficit.* 2.
*An et quando in conditione, cum liberos ha-
buerit, nati sufficiant, licet postea sint ite-
rum denati.* 3.

1 Legata est a marito uxori proprietas fundi, *si liberos habuerit*, illa suscepit quidem filium, sed is mox decessit. Resp. sufficere conditionem esse semel impletam, et sic legati dies semel cessit, per *d. l.* 5. *ff. h. t.* quia filio nato statim fit proprietaria, et non quaeritur, quid de filio nato fiat, vel non fiat, *Menoch. cons.* 274. *num.* 11. *et seq. et cons.* 6. *num.* 23. Aliud autem in conditione, *si sine filiis decesserit*, vel *si filios non habuerit*, nam tunc attenditur tempus mortis, *Castr. hic et Trentac. de substit. p.* 4. *cap.* 7. *num.* 7. *Grassus.* §. *fideicommiss. q.* 33. *num.* 1. et hanc veriorem dicit *Fusarius q.* 414. *num.* 3. *Dn. Richter ad Auth. contra cum roga-*
2 *tus C. ad SCtum. Trebell. n.* 33. Collige igitur: Ubicumque de liberis in testamento fit mentio, sufficit si unus adsit, *Mantica lib.* 11. *t.* 16. *num.* 8. *Peregrinus art.* 38. *n.* 37. *Fusar. q.* 401.
3 *num.* 1. et in conditione, *cum liberos habuerit*, sufficere natos, licet postea denatos, quod de terminis habilibus intelligo si aliquid legeretur sub conditione, *cum liberos habuerit*, nec hoc ad alios casus extendendum, verbi gratia, si jubeat restituere Camillo post mortem, cum liberos, habuerit, sed me vivo suscepit liberos, sed illi statim decesserunt an ex eo fideicommisso debeat me mortuo restitui haereditas Camillo, quod negat *Ceph. cons.* 221. *per totum*, et ad hanc legem respondet, quod ea locum non habeat eo casu, ubi liberorum fit mentio eo fine ut liberi succedant.

L. Si fideicommissum. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Fideicommissum vel legatum transmittitur in haeredem, licet fideicommissarius ignoraverit sibi relictum. 2.
Limitatio Fusarii, *si post aditam haereditatem decedat, rejicitur.* 3.

Sorori meae fideicommissum fuit relictum a 1
Titio in codicillis, et ita ab intestato hoc mortuo, soror et ipsa mortua est, ignorans sibi relictum esse fideicommissum, Quaeritur: *An soror ad haeredem suum, me scilicet, fideicommissum illud transmiserit?* Affirm. quia dies cessit statim a tempore mortis Titii, §. 4. *supr. de cad. tollend.* Collige ergo: fideicommis- 2
sum vel legatum transmitti in haeredem, licet fideicommissarius ignoraverit sibi relictum, per *hanc l. Fusarius q.* 487. *num.* 3. *et* 5. quod quamvis limitet *Fusarius*, si post aditam hae- 3
reditatem decedat, nam si ante haereditatem aditam, post mortem licet codicillantis, decedat, non transmitti ab ignorante, ejus fundamentum non video. Ideoque contrariam sententiam videtur amplecti, *num.* 5. *ampliat.* 2. Et haec transmissio fit etiam in extraneos haeredes, *Fusar. d. q.* 8.

TITULUS LIV.

Ut in possessionem legatorum vel fideicommissorum servandorum causa mittatur, et quando satisdari debeat.

L. Quoniam. 1.

SUMMARIA

Legato in diem vel sub conditione relicto haeres propter periculum interim de conservando legato cavere debet. num. 1.
An etiam in legatis puris cautio petatur? 2.
Casus. 3.
Quaestio inde deducta. 4.
In causis summariis exceptiones altiorem indaginem requirentes non admittuntur. 5.
Limitatur. 6.

1 Quando legatum est in diem, vel sub conditione, tunc periculum est, ne die vel conditione pendente dissipetur legatum; et ideo interim cavere debet haeres de conservando legato. Sed
2 in legatis puris interdum etiam petitur haec cautio, quando haeres legatum negat, et metuitur, ne dissipetur ob moras judicii, *l.* 15. *ff.*
3 *ut legat. nomine caveatur.* Pone ergo, mihi esse relictum fideicommissum in testamento, de cujus viribus adhuc disputari potest, ego tamen peto, ut caveat mihi haeres fidejussoribus, quod adveniente die et conditione illud fideicommissum praestare velit: haeres regerit, testamentum non esse justum, et petit me ad processum ordinarium remitti, Quaeritur: *An non* 4
Praetor pro me sententiam ferre debeat? Quod affirm. quia non subtiliter de jure fideicommissi inquirendum est, nisi haeres in continenti probare velit, fideicommissum non deberi, *l.* 3. *pr. ff. ut in poss. legat. l.* 15. §. 1. *ff. ut legator. nomine.* Nam in causis summariis exceptiones, 5
altiorem indaginem requirentes, non admittuntur, nisi in continenti probari possint, et ad 6
eam probationem in continenti se offerat reus, *Br. et DD. in d. l.* 3. Conf. *Carpz. p.* 1. *c.* 8. *d.* 17.

L. Ipsis. 2. et L. Scire. 7.

SUMMARIA

Quomodo usufructuarius de legato usufructu cavere debeat? num. 1.
An haec cautio a testatore possit remitti, et quare non? 2.

Cautio ab usufructuario haeredi praestanda a testatore remitti nequit. 3.
Licet poena adjecta sit, si peteret cautionem. 4.
Ac licet prohibuerit testator, ne ullam molestiam creet usufructuario. 5.
Potest tamen haeres, cum haereditatem adiit, illam remittere. 6.
Objectio inde oriens resolvitur. 7.
An alia cautio pro legatis solvendis remitti, sique praestita sit, condici possit? 8.
Testator prohibere potest, ne bona sua pro legatis sint obligata. 9.

1 Quando ususfructus legatus est, legatarius debet cavere se usurum boni viri arbitrio, *tot. tit. ff. usufructuarius quemadmod. cav.* Quaeritur: *An*
2 *haec cautio a testatore remitti possit?* Videtur quod sic, quia cautio, quam haeres legatario praestat, remitti potest, *l.* 2. *h. tit.* ergo et illa. Sed neg. *l.* 7. nam diversa est utriusque ratio, quia in usufructu bonis moribus adversa esset remissio, et delinquendi ac re abutendi impunitatem praeberet, sed cautionis, de qua in *l.* 2. remissio, non aeque iuvitat ad delinquendum, *Donell. l.* 10. *c.* 14. Et cautio haec in favorem haeredis inventa, per *l.* 15. §. 1. *ff. ad l. Falc.*
3 Collige ergo: Cautionem ab usufructuario praestandam haeredi, a testatore remitti non posse, tum quia ad peccandum invitaret, tum quia tenderet in praejudicium haeredis et fraudem legis, *Gail. lib.* 2. *obs.* 145. *Clarus* §. *testamentum qu.* 64. *Carpz. p.* 3. *c.* 13. *def.* 12. et quos magno numero refert *Joan. de Castillo de*
4 *usufr. cap.* 15. *num.* 1. Idem est, si poena adjecta sit, si peteret cautionem, nam nihilominus haeres petere potest cautionem, *Castillo d.*
5 *l. num.* 5. Idem, si prohibuit testator, ne ullam molestiam creet usufructuario, *Castillo d. l.*
6 *num.* 6. Sed haeres tamen, postquam adiit haereditatem, postest remittere istam cautionem, *Guttier. in repetit. l. nemo potest ff. de legat.* 1. *n.* 280. *et Castillo d. l. num.* 16. unde infirma reddi videtur prima ratio jam adducta, quod in-
7 vitet ad peccandum. Varie respondent *DD.* ut videre est ex traditis *Castillo d. l. num.* 25. *et seqq.* sed mihi videtur, istas rationes duas a me adductas esse conjungendas, nec solam primam rationem concludere, cùm etiam non praestita cautione fructuarius de culpa teneatur. Sed
8 alia cautio pro legatis solvendis potest remitti, et si praestita sit potest condici, licet errore juris praestita, quod hic speciali favori ultimarum voluntatum datum est, per *l.* 1. *pr. ff. ut in possess. legat. Bronchorst. cent.* 2. *ass.* 36.
9 *Pac. c.* 4. *Enant. qu.* 5. unde probant, testatorem posse prohibere, ne bona sua pro legatis essent obligata, *Clarus* §. *testamentum qu.* 70.

L. Si postquam. 3.

SUMMARIA

Legata re in diem, et haerede cavere nolente, missio in possessionem rei legatae apprehenditur. num. 1.
Quid si haeres omnes res haereditarias vendiderit vel oppignoraverit, an legatarius potior illis, quibus illae postea oppignoratae? 2.
Licet praetorium pignus non tribuit prioritatem prae aliis immissis ob contumaciam, hic tamen prae conventionalibus prioribus hypothecis prioritatem impertitur. 3.
An in omnia bona haereditaria immitti debeat legatarius, et ita in omnibus consequatur pignus? 4.
An legatarii ex hoc pignore prioritatem habeant prae chirographariis defuncti creditoribus. 5.

Quando legata mihi res est in diem, et haeres 1
cavere non vult, mittor in possessionem rei legatae; *Sed quid si haeres res haereditarias o-* 2
mnes postea oppignoraverit, vel vendiderit, egone potior ero illis, quibus illae postea oppignoratae? Quod Affirm. Quia hac immissione praetorium pignus mihi constitutum est, ergo posteriori pignori sum praeferendus, quod hodie omnibus legatariis videtur datum, *l.* 1. *supr. comm. de legat.* ubi ipsis datur hypotheca. Colligitur ex *hac lege*; licet praetorium pignus 3
non tribuat prioritatem prae aliis immissis ob contumaciam, hic tamen immissionem tribuere prioritatem prae conventionalibus posterioribus hypothecis, quia sunt diversi tituli, per *hanc et l.* 2. *C. qui potiores in pign. Zasius in l. si unus num.* 9. *ff. de bonis auct. jud. possid. Neguz de pign. p.* 3. §. 2. *num.* 10. *vers. sexto restringitur.* Sed an in omnia bona haereditaria 4
immitti debet legatarius et ita in omnibus consequitur pignus? Resp. Neg. Sed proportionabiliter, et secundum quantitatem legatorum, *Nov.* 53. *cap.* 4. §. 1. *Scaccia de judic. lib.* 1. *cap.* 96. *num.* 35. *Hillig. in Donell. lib.* 23. *cap.* 11. *lit. L. et per c. ult. X. ut lite non contest.* Sed an 5
legatarii ex hoc pignore praetorio prioritatem habent prae chirographariis defuncti creditoribus? Negatur, quia legatarius nihil capere potest, nisi omne aes alienum defuncti (non haeredis) sit solutum, *l.* 4. §. 1. *et l.* 6. *ff. de separat. Carpz. p.* 1. *const.* 28. *def.* 117. ne quidem conditionatis creditoribus, *def.* 16.

L. Cum Artemidoram. 4.

SUMMARIUM

Casus legis et inde deducta quaestio.

Testator Artemidoram instituit haeredem, et rogat, ut haereditatem restituat filiis testatoris cum morietur; filii testatoris Artemidora vivente debitores haereditarios conveniunt: Quaeritur, *An recte?* Hoc neg. sed possunt tantum agere, ut illa satisdet, nisi testator id remiserit, *l.* 2. *h. t.*

L. Qui legati. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An propter fundum sub conditione legatum et haeredem inde cavere jussum nolentem, in possessionem mittar, et quid missus consequar? 2.
Quid si eveniat conditio, an dominium consequar, adeo ut expellere possim haeredem? 3.

Legatus est mihi fundus, si navis ex Asia ve- 1
nerit. Haeres jubetur cavere, sed quia recusat, 2

mittor in possessionem. Quaeritur: *Quid hac immissione consequar?* Resp. non dominium, neque tam possessionem rerum, quam custodiam, ut taedio perpetuae custodiae extorqueam
3 haeredi cautionem, *l.* 5. *pr. ff. h. tit.* Sed, *quid si interim eveniat conditio, forte tum consequor dominium, adeo ut expellere haeredem possim?* Neg. *hic et d. l.* 5. nam adeundus est judex competens.

L. Certa est forma. 6.

SUMMARIA

Si haeres post missionem in bona haereditaria non satisfacit legatario, hic in proprias res haeredis et bona immitti potest. num. 1.
Quid inde consequatur? 2.
Haeredi legatum deinde exsolventi contra legatarium datur actio pignoratitia. 3.

1 Quando haeres post missionem in bona haereditaria adhuc non satisfacit legatario, id est, nondum cavet, nec solvit, tunc legatarius post sex menses etiam in proprias haeredis res, et bona immitti potest, *hic et l.* 5. §. 16. *ff. h. tit.*
2 Ut scil. exinde fructus percipiat, primo in usuras et postea in sortem computandos, et postea
3 si haeres offerat satisdationem, non est audiendus, nisi legatum exsolvat, *d. l.* 5. §. 17. et tunc haeres habet pignoratitiam actionem, *d. l.* 5. §. 21. et sic etiam ex pignore praetorio datur actio pignoratitia, *Menoch. rem.* 1. *retin. poss. num.* 44. *et seqq. et rem.* 12. *recup. poss. n.* 13. *Bolognettus in rep. l. si finita* §. *Julianus, num.* 163. *ff.* de *damno infecto.*

L. Contra. ult.

SUMMARIA

Facti species et quaestio inde deducta, an sc. contra administratorem vel ejus haeredem detur actio. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi 3.

Reipublicae in diem fuit fideicommissum re- 1
lictum. Administrator reipublicae non curavit, ut haeres satisdaret; ille fit non solvendo, vel res corrumpitur; quaeritur; *An contra administratorem vel ejus haeredem detur actio?* Videtur quod non, quia, si respubl. fideicom- 2
misso gravetur, non est oneranda satisdatione, *l.* 6. §. 1. *ff. ut legat. nomine etc.* ergo nec contra. Sed affirm. quia est diversa utriusque ra- 3
tio. Nam *d.* §. 1. haec est ratio, quod respubl. semper solvendo praesumatur, haec autem ratio hic non militat.

TITULUS LV.

De suis et legitimis liberis et ex filia nepotibus ab intestato venientibus.

SUMMARIA

Connexio hujus tituli cum praecedente. num. 1.
Descendentium semper potior in successione causa, quam ascendentium. 2.
Nati h. l. *ut et posthumi omnes alios, ascendentes scil. et collaterales excludunt.* 3.
Idem in adoptivis. 4.
Ratio dubitandi removetur. 5.
An liberti filius patri succedat? 6.
Legitimi liberi haeredes patris fiunt ipso jure, licet mortem patris ignorent. 7.
Speciale hoc est in paterna haereditate liberis suis delata, ut etiam non adita transmittatur in quoscumque haeredes, etiam extraneos. 8.
Haec transmissio haereditatis in quosvis haeredes fit jure suitatis. 9.
Alia ab ea est, quae fit jure sanguinis. 10.
Fundamentum hujus sententiae. 11.
Liberi primi gradus, nepotes et ulteriores avo succedunt in stirpes. 12.
Exemplo declaratur. 13.
Quid si avus vel avia paternae vel maternae lineae reliquerit liberos primi gradus, et ex filia nepotes? 14.
Limitatur. 15.
Derogatur huic per Auth. in successione h. t. 16.
Quomodo parentibus juxta Novell. 118. cap. 1. *liberi tam primi quam ulterioris gradus succedant.* 17.
Aliud in feudis. 18.
Nisi jure Francorum feuda possideantur. 19.
Suus filius emancipatum non excludit. 20.
An hodie emancipati succedant jure praetorio? 21.
Consuetudo notoria. 22.
An jura suitatis per Auth. *sint sublata?* 23.
Nepotes sui patris locum ingredientes, eumque tuentes jure proprio succedunt. 24.
Nepos potest adire avitam haereditatem et patriam repudiare. 25.
Jura plura nepotis. 26.
Jus repraesentationis ultra pronepotes in infinitum communiter admittitur. 27.
Soli nepotes ex filia et agnati concurrebant cum illis in quarta parte. 28.
Hoc abrogatum in superiori Authent. 29.
Distinctio inter successionem avi et aviae. 30.
Haec distinctio pariter per Auth. *sublata.* 31.
A quonam tempore liberi, vel alii legitimi haeredes adire debeant haereditatem, et an ipsis opponi possit praescriptio centum dierum vel anni? 32.
Natus ex servo et libera pro spurio habetur. 33.
Liberi naturales quando succedant? remissive. 34.
Legitimati per matrimonium indistincte cum legitime natis succedunt. 35.
Legitimati per rescriptum Principis succedunt

cum liberis post legitimationem legitime natis, sed cum liberis antea natis non succedunt. 36. *Non succedunt etiam, si post mortem patris a Principe vel Comite Palatino legitimati.* 37.

1 Hactenus de successione ex ultimis voluntatibus, jam agitur de successione ab intestato; et
1. quidem de suis et legitimis liberis, semper
2 enim descendentium potior est causa, quam
ascendentium, *l.* 11. *h. tit.* ratio in *l.* 7. §. 1.
ff. unde liberi. Et quidem, quia aliquae leges
hic abrogatae, et omnia fere, quae de successione liberorum ab intestato notanda in *Novella*
118. tradita, hic omnes hujus tituli leges con-
3 jungemus, et quidem non tantum nati liberi,
sed etiam posthumi alios omnes excludunt, ascendentes scil. et collaterales, *l.* 4. *h. tit. l. qui in*
4 *utero* 26. *ff. de stat. hom.* et adoptivi filii filiaeve, quia et hi succedunt patri adoptivo, sive
soli sint, sive cum aliis legitimis ac naturalibus
liberis concurrant, *l.* 5. *h. tit.* quando scil. intestatus mortuus est pater, §. 14. *Inst. de hae-*
5 *red. quae ab intestat.* Nam licet nulla adoptivorum facta mentio in *Nov.* 118. hoc tamen ex
jure pristino decidendum, per *l. pen. C. de adopt.*
Bacch. in Tr. v. 2. *dec.* 16. *thes.* 2. *lit. C.* et
quos citat *Hilliger. in Donell. lib.* 9. c. 2. *lit. D.*
licet adoptans adscendentem habeat, *Forster. lib.* 5. *c.* 2. et adoptati quidem ab extraneo naturali etiam patri succedunt, sed ab ascendente adoptati, naturali non, per *d. l. pen.* de quo
Barry d. c. 1. *num.* 31. *Bacchov. d. thes.* 2. *lit.*
6 *G.* etiam liberti filius patri succedit, nec enim
praeteritus liberti status, id est, servitus, impedimento esse potest, quo minus hic in potestate habere possit liberos, *l.* 7. *h. tit.* et qui-
7 dem legitimi liberi fiunt haeredes ipso jure patris
in cujus potestate fuerunt, §. 3. *Inst. de haered. quae ab intest.* licet mortem patris ignorent,
v. g. si apud hostem ille mortuus, nam tempus mortis cum ipso puncto captivitatis conjun-
8 gitur, *l.* 8. *h. t.* Et ideo paterna haereditas liberis suis delata, hoc habet speciale ex jure
suitatis, ut etiam non adita, transmittatur in
quoscumque haeredes etiam extraneos, quod ex
9 *hac l.* 8. colligitur; Et haec est transmissio, quae
fit jure suitatis, quia filius in potestate patris
existens haereditatem in quosvis haeredes trans-
10 mittit, quae distincta est a transmissione, quae
fit jure sanguinis, de qua *supra tit. de his, qui ante apertas tabulas etc. Mantica lib.* 5. *t.* 5. *num.*
14. *Gomez t.* 1. *c.* 9. *num.* 19. *Gail. lib.* 2. *obs.*
131. *num.* 6. *et seq.* ubi dicit communem istam
11 sententiam habere fundamentum in *hac lege* 8.
Simon de Practis lib. 3. *int.* 1. *dubit.* 5. *solut.*
4. *num.* 6. *Carpzov. p.* 3. *cap.* 14. *dec.* 23. *et Barry lib.* 12. *tit.* 1. *num.* 2. *Schultes ad Mod. Pist. p.* 4. *qu.* 131. *num.* 15. *Rauch. p.* 2. *qu.* 15.
12 *num.* 7. Nec tantum liberi primi gradus, sed
etiam nepotes et ulteriores avo succedunt, sed
13 in stirpes, v. g. Si ex uno filio praemortuo supersint duo liberi, ex altero filio praemortuo
quinque, hi quinque universi tantum accipiunt,
quantum duo illi accipere possunt, *l.* 2. *h. tit.*
nec nepos a patruo suo excluditur, sed cum
eodem simul succedit avo in stirpes jure repraesentationis, *l.* 3. *h. t. et* §. 6. *Inst. de hae-*
14 *red. quae ab intest.* Sed *quid si avus vel avia, paternae vel maternae lineae, reliquerit primi gradus liberos, et ex filia nepotes?* Resp. filiarum
nepotes, cum suis avunculis succedere, cum
partis tertiae diminutione, §. *pen. Inst. de haered. quae ab intest.* sive ab intestato decedat avus,
sive testamento facto, in quo nepotes praeteri-
ti, vel male exhaeredati, nisi nepotes ex filia se 15
indignos reddiderint successione, *l.* 9. *h. tit.* sed
huic derogatur per *Auth. in successione h. tit.* Nam 16
per *Nov.* 118. *cap.* 1. liberi parenti succe- 17
dunt, primi quidem gradus aequaliter, id est
in viriles portiones, ulteriores vero scil. nepotes, in stirpes, jure repraesentationis: ut scil.
tantum capiant ex haereditate, quantum cepisset parens, nec distinguitur sexus, nam etiam
nepotes ex filia sine ulla partis diminutione suc-
cedunt cum avunculo, licet alia sit ratio in feu- 18
dis, *c. un.* §. 3. *de his qui feudum dare possint etc.* nisi jure Francorum feuda possi- 19
deantur, *Petr. Gregor. lib.* 26. *tit.* 17. *num.* 2.
Franc. Barry l. 18. *tit.* 1. *num.* 6. *et seqq.* nec
suus filius excludit emancipatum, quippe jus 20
sanguinis hodie tantum attenditur, nam emancipatus succedit cum filio in potestate retento,
Grass. in §. *successio ab intest. quaest.* 2. et
hodie non indiget bonorum possessione praetoria, cum jure civili succedat, *Schneidew. in tit. de haered. quae ab intest. c. de success. liberorum natur. et legitimor. Forst. de success. lib.* 8.
c. 9. *num.* 6. *Hillig. lib.* 9. c. 2. *lit. C. Enenckel. Baro de privil. par. priv.* 14. *p.* 1. *c.* 3. *num.* 1.
et seq. nec sentiendum cum *Cujacio et Alciato*,
hodie emancipatos non jure civili, sed praeto- 21
rio succedere, quin consuetudo, ut emancipati 22
post annum intra triennium, et sic jure civili
apud nos succedant, est notoria. Sane jura sui- 23
tatis non sunt sublata per *Authent.* nam jure
suitatis non transmittit haereditatem emancipatus, *Grassus d. qu.* 2. *num.* 3. *et* §. *suitas q.* 4.
Hillig. d. l. et Enenckelius num. 5. quamvis au- 24
tem nepotes, sui patris locum ingredientes,
locum parentis tueantur, jure tamen proprio
succedunt, *l.* 6. §. 1. *ff. de haered. inst. Forst. lib.*
4. *c.* 20. *Kellerus de success. ab intest. tit.* 5.
num. 24. et ita nepos potest adire haereditatem 25
avitam, et repudiare patriam, et ante indignitatem vel deportationem patris genitus, avo suo
jure potest succedere, *Barry d. t.* 1. *num.* 4.
Et licet statutum proximos vocet, nepos tamen 26
cum filio poterit succedere, *Barry d. l. num.* 2.
Grassus d. qu. 2. *num.* 9. *Forst. lib.* 4. *c.* 12.
num. 10. Et jus repraesentationis ultra prone- 27
potes in infinitum communiter admittitur, *Covarruv. quaest. pr.* 38. *num.* 5. *Gomez p.* 1. *c.* 1.
num. 15. *Peregr. tit.* 21. *num.* 6. *Grassus d. qu.*
2. *num.* 13. *Forst. d. c.* 22. *num.* 12. *Barry d.*
num. 2. quoties etiam avus vel avia relinquebat 28
solos nepotes ex filia et agnatos, hi cum illis in
quarta parte concurrebant, *l. fin. h. tit. et* §.
ult. Inst. d. tit. sed etiam hoc *in superiori Au-* 29
thentica abrogatum, cum liberorum potior sit
ratio, quam agnatorum. Notandum etiam est 30
discrimen inter successionem avi et aviae; si
avus mortuus erat, distinguebatur olim, utrum
filii fuissent emancipati, an non, ut ex filiofamil.
nati nepotes praeferrentur emancipatorum nepotibus, sed in aviae successione ita non distinguitur, cum avia non possit habere filios in po-
testate, *l.* 10. *h. t.* sed haec distinctio per *Auth.* 31
sublata, quia jura potestatis neque in avi suc-
cessione attenduntur. Quaeritur: *a quo tempore* 32
liberi vel alii legitimi haeredes adire debeant haereditatem, et an ipsis opponi possit prae-

scriptio centum dierum vel anni? jure §. 4. *in fin. Inst. de bon. poss.* Hoc Neg. *l.* 1. nam illi centum dies, ut et annus, non legitimis haeredibus, sed bonorum possessoribus sunt praescripti, spurii sane liberi excluduntur a successio-
33 ne paterna, qualis etiam est natus ex servo et libera, per *l.* 6. *h. tit. l.* 3. *supr. sol. matrim.* licet servus ille postea liber et Decurio fiat, quia per subsequens matrimonium legitimantur liberi, non per subsequentem dignitatem. Quando
34 vero naturales liberi succedant, de eo actum
35 supra ad *Auth. licet de natur. lib.* Sane legitimati per matrimonium indistincte succedunt cum legitime natis, sed legitimati per rescri- 36
ptum succedunt cum liberis post legitimationem legitime natis, quia pater liberis legitimatis jus quaesitum novis nuptiis adimere non potest, prout pluribus id probat *Tiraq. ad l. si unquam C. de revoc. donat. in verbo* donatione *num.* 281. *et seqq.* Sed cum liberis antea natis non succedunt, *Zasius ad tit. de suis et legit. num.* 16. *et seq.* Multo minus succedunt, si post mor- 37
tem patris a Principe vel Comite Palatino legitimati, *Gail. lib.* 1. *obs.* 142. *num.* 16. *Hahnius ad Wesenb. tit. de his qui sui vel alieni etc. num.* 2.

TITULUS LVI.

Ad Senatus-Consultum Tertullianum.

L. Licet. 1.

SUMMARIA

An mater infanti succedere possit? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.

1 Quaeritur: *An mater infanti succedere possit*;
2 Videtur, quod non, quia in casu converso infans matri per se non succedit, *l.* 18. *pr. et* §. 1.
3 *supr. de jur. delib.* ergo idem in nostro casu. Sed affirm. quia casus conversi alia ratio est, quia scil. animum adeundi infans non habet.

L. In successione. 2. Auth. Et cum. et Auth. Defuncto.

SUMMARIA

Qui mortuus relicto patre et matre, illi nemo jure haereditario succedit. num. 1.
Si emancipatus non contracta fiducia, distinguendum inter jus civile et praetorium. 2.
Quinam de utroque jure huic succedant? 3.
Jus hodiernum. 4.
Parentes etiam remotiores, sed gradu pares, si soli sunt, pariter succedunt. 5.
Exemplo declaratur. 6.
Quod si autem pater et mater cum fratribus concurrant, varie solet distingui. 7.
His omnibus Novellae *derogant, et quomodo.* 8.
Jus hodiernum. 9.
Declaratur per exempla. 10.
Pater vel avus paternus in quota, quae matri ex successione filii obvenit, retinet usumfructum. 11.
Quinam ulterius praeter patrem cum fratre germano succedant? 12.
Jus novissimum. 13.
Quousque in linea collaterali jus repraesentationis se extendat? 14.
An poenae secundarum nuptiarum, de quibus in Auth. Ex testamento C. de secund. nupt. *hic abrogatae sint?* 15.

Quando quis mortuus relicto patre et matre, 1
ipsi nemo succedebat jure haereditario, si erat in potestate patris, quia bona ejus etiam Castrensia occupat pater jure peculii, *l.* 2. *ff. de castrens. pecul. l. ult. pr. ff. h. t.* Si autem emanci- 2
patus esset, non contracta fiducia, pater naturalis excludebatur a patre fiduciario jure civili, jure praetorio vero decem personae praeferebantur fiduciario, et inter hos pater naturalis, §. 3. *Instit. de bonor. posses.* Postea constitutum, 3
ut pater semper manumissor censeatur, *l. ult. C. de emanc.* ideoque talis pater, qui emancipavit, ut manumissor matri praefertur, *l.* 2. *h. tit. et l.* 2. §. 15. *ff. eod.* Sed hodie, si pa- 4
ter cum matre concurrat, ex aequo succedunt, non tantum emancipato, sed etiam filiofamil. in Castrensibus, quasi Castrensibus, et adventitiis, reservatur tamen in adventitiis ususfructus patri. Si vero sit pater, et ex altera parte avus maternus, hic ab illo, ut gradu propiore excludetur, *Auth. defuncto h. tit. ibi: gradus praerogativa etc.* Ideo remotiores etiam paren- 5
tes, sed gradu pares, si soli sint, succedunt pariter v. g. nepoti succedunt avus paternus, 6
et avus ac avia lineae Maternae, hic avus paternus accipit dimidiam bonorum nepotis, avus autem et avia maternae lineae alteram dimidiam, *d. Auth. defuncto*, nec distinguitur hic, unde bona ad defunctum pervenerint, ita ut paterna paternis parentibus, materna maternis assignentur, quia Imp. in *Nov.* 118. *cap.* 2. dicit ex aequo dividendam esse haereditatem, *Forst. lib.* 7. *de success. cap.* 4. *num.* 6. *et seqq. Grassus* §. *successio ab intest. q.* 22. *num.* 5. *Vasq. de success. resolut.* §. 13. *num.* 11. *Barry lib.* 18. *tit.* 2. *num.* 11. *Fachin. lib.* 6. *c.* 4. *Hillig. lib.* 9. *c.* 3. *lit. D. Bacch. in Tr. d.* 16. *th.* 14. *lit. C. Enenkel. de priv. par. priv.* 14. *p.* 2. *c.* 1. *num.* 4. *Rittersh. in Nov. p.* 7. *cap.* 10. *n.* 6. Quod si autem pater vel mater cum fratri- 7
bus concurrant, varie distinguitur, *l.* 7. *infra*, ut mater sola cum fratribus in viriles, cum sororibus solis in stirpes succedat; Si vero pater superstes, et defunctus sit sui juris, succedunt ei fratres in proprietate, pater et mater in usufructu bessis; sed si defunctus fuit sub potestate patris, succedit ei pater in usufructu omnium bonorum, mater vero et fratres in proprietate. Sed his omnibus derogant *Novellae.* Nam 8

per *Nov.* 22. *cap.* 47. Mater sive cum solis sororibus succedat, sive cum permixtis, non habet majorem vel minorem portionem, sed sem-
9 per virilem, *Auth. et cum solis h. tit.* Hodie igitur pater sive mater, vel etiam remotiores ascendentes, *d. Novel.* 118. *c.* 2. si concurrant cum fratribus aut sororibus utroque latere defuncto junctis, id est, germanis, succedunt una cum iis in portiones viriles, et sic parentes etiam ulterioris gradus, ob concursum fratrum,
10 in viriles succedunt, v. g. defuncto supersunt avus et avia paterna et avia materna, hic in duas medietates dividitur haereditas. Sed si concurrat frater germanus, hic in 4. viriles portiones dividitur haereditas, *Hillig. d. c.* 3. *lit. H. et lit. K. Bacch. d. l. Forst. lib.* 7. *c.* 6. *Rittersh. in Nov. p.* 7. *c.* 10. *num.* 13. *et seq.* hic ergo pater excludit avum paternum, licet defunctus in hujus potestate fuerit, et mater, uti propior, excludit avum paternum, *Covarr. d. tr. num.* 3. *Grassus d. q.* 22. *Barry d. t.* 2.
11 *num.* 1. Sed pater vel avus paternus in quota, quae matri obvenit ex successione filii retinet usumfructum, per *l.* 7. *h. t. Fach. lib.* 6. *cap.* 6. *P. Gregor. lib.* 45. *cap.* 9. *num.* 9. *Molina dec.* 163. *num.* 7. *Bacch. in Treut. disp.* 5. *th.* 4.
12 *lit. B.* Et cum fratre germano non tantum succedit pater, sed etiam ulteriores ascendentes, si nemo sit propior parens, ut contra *Jac. de Belviso* statuunt *Forst. lib.* 7. *cap.* 6. *concl.* 1. *Fach. lib.* 6. *cap.* 7. *Hillig. lib.* 9. *cap.* 3. *lit. G. Grassus qu.* 23. *num.* 5. *Rittersh. in Nov. d. c.* 10. *num.* 14. *Schneid. in secundo ord. success. num.* 25. *Schurerus de*
13 *success. tit.* 19. *ampl.* 3. Nec hic inter fratres et sorores distinguitur, nec inter suum aut emancipatum jure novissimo per *Novell.* 1. *c.* 1. succedunt parentes etiam cum fratris vel sororis germanae liberis, sed hi in stirpes succedunt, ascendentes in capita *Rittershus. d. c.* 10. *n.* 19.
14 ultra fratris filios autem, in linea collaterali jus repraesentationis non extenditur, *Carpz. p.* 3. *const.* 17. *def.* 4. *Forst. lib.* 7. *c.* 6. *concl.* 2. *Grassus d. q.* 23. Et sic fratris germani defuncti nepos excluditur a fratre defuncti unila-
15 tere. Nec tamen poenae secundarum nuptiarum, de quibus *supr. in Auth. ex test. de secund. nupt.* hic abrogatae sunt, ut notat *Irnerius in Auth. ult. h. tit. in fin.* sed fratribus uno latere junctis, ut consanguineis vel uterinis, parentes praeferuntur, *Forst. lib.* 7. *de success. c.* 8. *Schneidew. in Inst. de haeredib. ab intest. in secundo ordine num.* 30.

L. Matres. 3. et L. Omnem. 6.

SUMMARIA

Mater vel avia materna vel ipsa sit liberorum tutrix, vel tutores petat. num. 1.
Si est tutrix, et ad secunda vota pergit, esse desinit. 2.
Poena, si vel nullos, vel non statim prioribus excusatis rejectisve petat, vel si petierit, sed compulsa l. 2. §. 24. ff. h. t. *quaenam sit.* 3.
Quatenus haec poena obtineat? 4.
Aliae limitationes, remissive. 5.

Mater, vel avia paterna vel materna, *Mantica lib.* 15. *tit.* 14. *num.* 11. *Grassus* §. *successio ab intest. quaest* 28. vel ipsa debet suscipe- 1
re tutelam liberorum, vel tutores petere, adeo, ut licet tutrix fuerit, si ad secunda vota trans- 2
ierit, esse desinat, sed impuberibus liberis tutores petere teneatur, sed si hoc negligat, 3
vel prioribus tutoribus excusatis rejectisve non confestim alios petierit, vel si petierit quidem, sed compulsa per *l.* 2. §. 24. *ff. h. t.* privatur successione liberorum, iisque non succedit ab intestato, nec ex substitutione, si a parente iis substituta sit, secus in substitutione fideicommissaria, *l. fin.* §. 3. *ff. qui pet. tutor. Marcus Mantua sing.* 549. *Barry lib.* 9. *t.* 9. *num.* 37. quia ad hoc adstringitur ob spem successionis et pietatis; sed hoc si liberi impuberes decedant, 4
et quidem post annum, secus si puberes, *l.* 3. *h. tit.* vel intra annum, *Grassus* §. *successio ab intestato q.* 27. quia culpam matris delevit voluntas filii puberis jam facti, qui testamentum non condendo, ignovisse culpam matri videtur, et dum non ademit haereditatem, eam dedit; plures limitationes regulae hujus vide sis apud 5
Jo. Guttier. de tutel. p. 1. *ç.* 16. *num.* 77. *et seqq. Montanus de tutelis cap.* 9. *Carpz. p.* 2. *c.* 11. *d.* 15. *et seqq. Ant. Gabriel. tit. de tutel. concl. un. Fr. Viv. dec.* 361. *et* 432. *Fr. Barry. lib.* 1. *tit.* 9. *num.* 37. *et lib.* 18. *tit.* 2. *num.* 9.

L. Si qua mulier. 4.

SUMMARIA

Vidua intra annum luctus nubens quatenus fiat infamis. num. 1.
Quatenus Imperator ipsi hanc infamiam remittat. 2.
An hae poenae festinatarum nuptiarum etiam obtineant jure Can. quo in his materiis utimur. 3.

Vidua festinatas nuptias, id est, intra annum 1
luctus contrahens, fit infamis, nisi beneficio Imperatoris famam retineat, sed Imperator tamen 2
hanc infamiam remittit, si dimidiam omnium bonorum suorum liberis primi matrimonii pleno jure donet, quo casu haec bona a matre donata unus liberorum decedens in fratrem vel sororem transfert, nihil in matrem, nisi omnes liberi primi matrimonii sint mortui, tunc enim ea bona mater praecipua habebit; sed diximus supra, poenas nuptiarum festinatarum non obser- 3
vari de jure Canonico, quo in his materiis utimur, nisi metus sit turbationis sanguinis. Cum *Papon. Franc. Barry lib.* 1. *t.* 9. *num.* 22.

L. Mater. 5.

SUMMARIA

Mater post annum luctus nubens, non punitur. num. 1.
Sed si habet liberos prioris matrimonii an ipsis succedere possit? 2.

1 Mater post annum luctus nubens, non punitur; sed si liberos habeat prioris matrimonii,
2 Quaeritur: *an iis succedere possit?* Et disting. utrum a liberis illis sit haeres instituta, quo casu mater, si secundas nuptias, viventibus liberis, contraxerit, succedit, *Grassus* §. *successio ab intest. q.* 25. *num.* 6. *Boer. dec.* 185. *num.* 6. *Barry lib.* 18. *t.* 2. *num.* 8. Si vero non est instituta, non succedit ab intestato in proprietate bonorum paternorum, sed debet esse contenta usufructu, in reliquis autem adventitiis bonis succedit pleno jure. Vid. *Auth. ex test. etc. supr. de secund. nupt.*

L. Si quis. 7.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Huic legi per Novellas *est derogatum.* 2.
Casus ejusque decisio per distinctionem. 3.
Jus Authenticae derogat huic §. 4.
Incorrectum tamen mansit, quod pater etiam post mortem filii usumfr. in bonis ejus retinet, si fuit in potestate. 5.
Et sufficit, si patria potestas tempore acquisitionis interveniat. 6.
Postquam semel patria potestas effectum operata, quamvis cesset et finiatur, non extinguitur tamen ususfructus semel quaesitus. 7.
Cessante causa non semper cessat effectus. 8.
Illustratur alio exemplo. 9.

1 Sententia *hujus legis* prolixae haec est, *in princ.* quod fratres defuncti non excludant matrem, sed succedant cum ea in virili: Sorores vero in stirpes, si autem simul fratres et sorores con-
2 currant, succedunt omnes in stirpes, sed *huic legi* jam per *Novellas* est derogatum, nam primo hodie mater excludit defuncti fratres et sorores unilateres, per *Auth. defuncto, hic Fachin. lib.* 6. *c.* 8. *et Carpz. p.* 3. *c.* 17. *d.* 5. deinde indistincte mater cum fratribus et sororibus germanis succedit in viriles portiones, per
3 *d. Auth. In* §. 1. vero agitur de concursu patris, scil. si defunctus patrem et matrem et fratres vel sorores germanos reliquerit, ubi distinguitur, an defunctus fuerit in potestate patris, an non, ut illo casu pater habeat usumfructum, mater vero succedat cum fratribus in virilem portionem proprietatis, cum sororibus vero in dimidiam proprietatis, hoc casu vero pater et mater habebit usumfructum in besse, i. e. in duobus tertiis partibus haereditatis, frater vero et sorores proprietatem et usumfructum in triente.
Sed tricae hae hodie sublatae, nam per supra 4
dictam *Authent. defuncto*, pater, mater, frater, sorores, utroque latere juncti junctaeve,
in virilibus portionibus succedunt. Hoc autem 5
incorrectum in *hac lege* remansit, quod pater retinet usumfructum in bonis filii etiam post fi-
lii mortem, quia sufficit, si patria potestas tem- 6
pore acquisitionis interveniat, et postquam se-
mel est operata effectum, quamvis cesset et fi- 7
niatur, non extinguitur tamen ususfructus semel quaesitus, *Pinellus part.* 1. *legis* 1. *num.* 39. *C. de bon. mat. Vasq. de success. progr.* §. 1. *num.* 38. *Castillo de usufr. c.* 3. *num.* 44. *et*
seqq. Et sic, cessante causa non semper cessat 8
effectus, *Guttier. in rep.* §. *sui Inst. de haer.*
qualit. et diff. num. 24. *et seqq.* Sic, si pater 9
habeat usumfructum in bonis filii, licet filii bona confiscentur, tamen ea, in quibus pater habet usumfructum, non confiscantur, sed pater retinet usumfructum, *Jo. Guttier. l.* 5. *quaest. pract.* 78. *num.* 3. *et c.* 63. *num.* 28. *ubi plures refert, Surdus lib.* 1. *cons.* 116. *num.* 46. *et seq.*

Auth. In testamento.

SUMMARIA

An et quatenus filii parentes exhaeredare possint? num. 1.
Causa exhaeredationis. 2.
Testamentum, in quo citra aliquam harum causam parentes sunt exhaeredati, est nullum quoad institutiones, non vero quoad legata. 3.

Filii exhaeredare parentes nequeunt, nisi se 1
dignos exhaeredatione reddiderint, per *Nov.* 115.
cap. 4. v. g. - 1. Ob accusationem capitis libero- 2
rum, excepto crimine laesae majestatis: 2. Insidias vitae structas: 3. Stuprum uxori vel concubinae filii illatum: 4. Si prohibuerit testari liberos: 5. Si negligat furiosos liberos; vel 6. ca-
ptivos: 7. Ob haeresin: Si autem citra aliquam 3
harum causarum exhaeredati sunt parentes, testamentum est nullum, quoad institutiones, non legata. Vid. *supr. Auth. ex causa de liber. praeterit. et ibi notat.*

TITULUS LVII.

Ad Senatus-Consultum Orphitianum.

L. Si intestatae. 1. L. Matri. 3. et L. Quoties. 4.

SUMMARIA

Lex XII. tabb. *parenti et agnatis successionem matrum dedit, non liberis. num.* 1.
Praetor dedit liberis bonorum possessionem Unde cognati. 2.
SCto Orphitiano *liberis successio legitima datur non omnibus, sed primi gradus, et quomodo.* 3.
Imperator postea omnibus liberis sequentium graduum concessit. 4.
Quomodo? 5.

1 *Lex XII. Tabb.* matrum successionem non
2 dedit liberis, sed parenti vel agnatis. Praetor autem dedit liberis bonorum possessionem *Un-*
3 *de cognati*; *SCto* autem *Orphitiano* data est successio legitima liberis, adeo ut hodie bonorum possessionem iis petere non sit necessarium, *l.* 3. *h. tit.* possunt enim se pro haerede gerere, sed cum *SCtum* hoc tantum liberis
4 primi gradus consuleret, Imperator id omnibus liberis sequentium graduum concessit, §. 1.
5 *Inst. h. tit.* adeo ut liberi utriusque gradus aviam suam maternam, et multo magis agnatos excludant, *l.* 1. *h. tit.* et filii emancipati filius excludit defuncti parentem, avum suum, vel aviam, *l.* 4. *h. tit.* quia descendentium potior est ratio, quam ascendentium. Vid. *allegat. ab Hillig. in Donell. lib.* 9. *c.* 2. *lit. B.*

L. Non pro numero. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Objectio diluitur. 2.
Ad aliam objectionem respondetur. 3.
Alia hujus legis explicatio, remissive. 4.

1 Reliquit mater quatuor liberos tempore mortis, sed antequam duo adirent haereditatem, mortui sunt, ergo duo tantum adeunt. Quaeritur: *An inter hos duos tantum haereditas sit dividenda, an vero mortuorum haeredes concurrant?* Videtur posterius ob *l.* 8. *supra de suis, et legit. haeredibus.* Sed Affirm. prius, quia illi duo mortui non fuerunt, nec esse potuerunt in potestate matris, neque sui liberi, ergo non obstat *l. apud hostes* 8. *supr. de suis et legit. haered.* Certum ergo est, quod jure
2 suitatis non potuerint transmittere. Sed dicat aliquis, cur non potuit transmittere jure sanguinis? per *l. un. C. de his, qui ante apertas tabb.* Resp. quia hi duo liberi, ante aditam haereditatem praemortui, non reliquerunt descendentes. Sed pergat aliquis opponendo, cur 3
non jus deliberandi fuerit transmissum? per *l.* 19. *C. de jure delib.* Resp. Quia annus lapsus est, quod hic, ut jura juribus concordent, praesupponendum est. Vel non est absurdum, dicere, *huic legi* per *illam legem* 19. quae est Justiniani, fuisse derogatum. Aliter explicat hanc 4
legem *Guttierez in repet. cap. quamvis de pactis lib.* 6. in verbis, *nullum ad bona paterna regressum. num.* 9.

L. Si qua illustris. 5.

SUMMARIA

Decedente foemina illustri, relictis liberis spuriis et simul legitimis, soli legitimi succedunt. num. 1.
Castitatis observatio mulieribus ingenuis et illustribus praecipuum est debitum. 2.
Deficientibus legitimis etiam spurii admittuntur. 3.
Covarruv. *excusatur.* 4.
Aliis foeminis spurii quoque et naturales succedunt. 5.
Ampliatur. 6.
Casus aliquis specialis, ubi filius illegitimus matri etiam non illustri non succedit. 7.

Quando illustris foemina decedit, relictis libe- 1
ris legitimis, et spuriis, tunc legitimi soli succedunt, exclusis spuriis, ratio in textu: *quod* 2
mulieribus ingenuis et illustribus castitatis observatio praecipuum sit debitum, et dos praestantissima, nobilissima; sed si legitimos nullos 3
habeant, tunc a contrario sensu colligitur, matri illustri etiam spurios succedere, *Forst. de success. lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 3. Et hoc forte voluit *Covarr. de matr. c.* 8. §. 4. *num.* 23. ubi 4
dicit, illegitime natos cum legitimis succedere, etiamsi mater sit illustris, quod contrarium est textui, et hoc doctissimo illi Episcopo in mentem venire non potuit, ideoque certo certius Sphalma scriptoris est. Aliis foeminis spurii et 5
naturales omnino succedunt, §. 3. *Instit. h. tit. l.* 8. *ff. unde cogn. Anton. Faber in Cod. suo tr. de legit. haered. def.* 7. etiamsi cum legitimis concurrant, §. *novissime Instit. h. tit. Vasq. de succ. creat.* §. 10. *num.* 191. *Grass.* §. *succ. ab int. q.* 18. *num.* 7. *Barry lib.* 18. *tit.* 1. *num.* 18. Sic etiam ad aviae maternae aliarumque ascendentium successionem vocantur, *l.* 2. *et l. si spurius* 4. *et l.* 8. *ff. unde cogn. Rittersh. in Nov. p.* 7. *cap.* 8. *num.* 3. *Steph. Fagundez de*

J. et J. l. 16. *c.* 15. *num.* 4. *Acac. Enenckel. Baro de priv. parent. lib. priv.* 14. *p.* 1. *cap.* 3. *num.* 37. *Tiraq. in repet. l. si unquam, verbo,* suscepit liberos, *num.* 62. *C. de revoc. donat.* Et
6 hoc *DD.* etiam extendunt eo, ut, nisi mater sit illustris, spurius substitutum etiam excludat ob *l. cum avus* 102. *ff. de condit. et dem. Gail. lib.* 2. *obs.* 136. *num.* 4. *et Hier. de Caeval.*
7 *q.* 164. *et* 254. Alius etiam casus est, ubi filius illegitimus non succedit matri etiam non illustri, quando quis natus est ex damnato et in foro exteriori punibili matrimonio, *Covar. in d. tr. cap.* 8. §. 5. *num.* 21. *Surdus de aliment. tit.* 5. *q.* 15. *in fine, et Did. Spino a Carceres in speculo testament. tit. de filio spurio num.* 72. et hoc referens *Barry d. tit.* 1. *num.* 18.

L. Quidam ancillae. ult.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Rogatus fuit haeres ancillam manumittere, moram ille nectit, interim peperit ancilla, partus tamen fuit ingenuus, ergo etiam succedit matri ex *SCto Orphtiano*, et haec illi ex *Tertul. l.* 1. §. 3. *l.* 2. §. 3. *in fin. ff. de SCto Tertul.* Ergo post moram in praestanda libertate commissam, partus nascitur legitimus: quia mora alterius partui nocere non debet.

TITULUS LVIII.

De legitimis haeredibus.

L. In successione. 1.

SUMMARIA

An extantibus sororibus et fratribus quibusdam germanis, quibusdam tantum consanguineis, omnes pariter succedant? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Huic derogatum per Novellas et Auth. cessante. 4.
Dotis collatio locum habet, quando parentibus succeditur, non fratribus et collateralibus. 5.

1 Defunctus reliquit sorores et fratres quosdam germanos, quosdam tantum consanguineos. Quaeritur: *An omnes pariter succedant?* Videtur
2 quod non: 1. Quia germani fratres sibi invicem arctius conjuncti: 2. Quaedam sorores etiam dotatae erant, aequum igitur videtur, ut dotem
3 conferant. Sed resp. Aff. quia jus agnationis tantum attenditur jure Codicis, quod pariter a patre omnes habent, licet ex diversis matribus geniti, quia duplicitas vinculi eo jure non attendebatur, cum esset impertinens vinculum cognationis a matre proveniens, *Menoch.*
4 *cons.* 187. *n.* 7. sed huic derogatum per *Novellas et Auth. cessante*, de qua infra *h. t.* Deinde
5 collatio dotis locum habet, quando parentibus succeditur, non fratribus vel collateralibus, *l.* 19. *supr. de collat. Jason. in l.* 9. *C. de collat. Anton. Faber lib.* 6. *cod. tit.* 4. *def.* 1. *Carpz. p.* 3. *const.* 20. *def.* 4. *num.* 4. *Barry lib.* 14. *tit.* 1. *num.* 1.

L. Si ejus. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Deciditur. 3.

Anna haeredes instituit fratris filios, hi vivente 1
patre nolunt adire haereditatem, ne eam patri acquirant, licet non repudient, ideo pater ab intestato adit, mortuo patre, liberi volunt abstinere haereditate paterna, et Annae tantum haereditatem adire, et petunt separationem horum bonorum. Videtur quod non possint, cum una sit facta haereditas; Sed Respond. jure praetorio posse separari. Vid. *supr. l.* 3. *unde liberi, et Carpz. p.* 3. *c.* 11. *def.* 33.

L. Consanguinitatis. 3. et Auth. seqq.

SUMMARIA

Frater et soror quatenus fratris filios excludant? num. 1.
Hinc per Auth. cessante *derogatum.* 2.
Quidnam dicta Auth. *constituat?* 3.
Fratres et sorores, si utroque latere defuncto junguntur, duplex habent privilegium, et quale? 4.
Jure Saxon. *an detur jus repraesentationis?* 5.
Quid disponatur in Auth. post fratres autem? 6.
Quomodo succedunt fratres unilaterales non existentibus parentibus aut fratribus germanis de jure civili. 7.
Admittuntur etiam fratrum demortuorum liberi, non vero nepotes. 8.
Quomodo caeteri agnati et cognati succedant? 9.

Frater et soror excludunt fratris filios, non 1
tantum, si agnati sint, jure civili, sed etiam si cognati sint, jure praetorio, cui tamen per 2
Authent. cessante derogatum, ut post alios probat *Cephalus cons.* 698. *num.* 17. *l.* 5. *ubi plures allegat.* Nam quando quis moritur sine li- 3
beris, nec tamen habet parentes, in linea collaterali primo succedunt fratres et sorores sine distinctione sexus et potestatis, utrum cum de-

functo in potestate patris fuerint, vel non, et si frater unus praemortuus aut soror, ejus liberi jure repraesentationis (quod tamen in linea collaterali ulterius non extenditur, *Schneidew. de tertio ord. success. d. num.* 12. *Carpz. p.* 3. *c.* 18. *def.* 1. *et def.* 10. *num.* 3.) concurrunt in stirpes cum suis patruis etc. seu cum defuncti
4 fratribus etc. Et fratres hi ac sorores, si utroque latere jungantur defuncto, duplex habent privilegium: 1. Quod concurrant etiam cum ascendentibus proximis: et 2. Quod fratris germani filius unilaterem defuncti fratrem, licet uno gradu propiorem, excludat propter repraesentationem et duplicitatem vinculi, *Schneidew. d. l. num.* 16. *Forst. de success. lib.* 8. *c.* 6. *num.* 1. *Berlich. p.* 3. *concl.* 24. *num.* 58. haec
5 habentur in *Authent. cessante h. tit.* Sed Jure Saxon. nullum datur jus repraesentationis, et
6 ita observatur *lex haec tertia*, sed duplicitas vinculi Jure Saxon. attenditur, quae facit, ut ii, qui uno latere juncti sunt, transeant in locum remotiorem, et sic utroque latere juncti fratres, sunt in secundo gradu, unilateres vero in tertio gradu Jure Sax. *Carpz. p.* 3. *c.* 18. *d.* 8.
7 Nullis autem existentibus parentibus vel fratribus ac sororibus germanis succedunt fratres ac sorores unilateres, id est, consanguinei vel uterini, nullo habito respectu potestatis vel sexus, et praeferuntur patruo defuncti, licet pariter tertio gradu juncto, quia magis debetur haereditas descendentibus, quam ascendentibus, *Forst. de success. lib.* 8. *cap.* 9. *num.* 1. *Rittersh. p.* 7. *cap.* 13. *num.* 12. de quo multis agit *Thesaurus lib.* 2. *q.* 63. Sed aliud Jure Sax. *Carpz.*
8 *p.* 3. *c.* 8. *def.* 56. et cum fratribus, etiam fratrum praemortuorum liberi, jure repraesentationis in stirpes concurrunt. Sed nepotes fratrum etiam germanorum excluduntur, quia, ut dixi, in linea collaterali jus repraesentationis ultra fratris filios ad nepotes non extenditur, *Forst. d. c.* 9. *num.* 1. *Rittersh. d. l. n.* 13. et haec habentur in *Auth. post fratres* 1. In
9 *altera Auth. post fratres*, de caeteris agnatis et cognatis agitur, quod scilicet in capita succedant, sine ulla differentia sexus, vel duplicitatis vinculi et sine respectu juris repraesentationis, et sic succeditur in capita semper et non in stirpes, *Rittersh. d. loc. num.* 14. *et seqq.*

L. Si aut nullum. 4.

SUMMARIUM

Si testamentum adsit; sed invalidum, haereditas et jure civili, et praetorio ab intestato adiri potest.

Etiam tunc ab intestato jure praetorio non tantum, sed etiam jure civili adiri potest haereditas, quando testamentum quidem factum, sed illud est invalidum, vel ob omissa solemnia, vel defectum aetatis testantis; paria enim sunt, fieri et non fieri legitime. Quam regulam ex *hoc textu* solent probare *Valasc. de part. c.* 8. *num.* 41. *Barb. lib.* 14. *c.* 3. *Axiom.* 19.

LL. 5. 7. 9. et 14. §. 1.

SUMMARIA

Agnati in successionibus cognatis praeferuntur. num. 1.
Exempla subjiciuntur. 2.
Ex jure cognationis duo tantum gradus in classem agnatorum transferuntur, et quinam. 3.
Quid juris hodie circa successionem transversalium? 4.
Fratrum filii soli, non concurrentes cum patruis, aut avunculis succedunt in capita. 5.
Illustratur exemplo. 6.
Confirmat. per Constit. Karoli V. 7.

Agnati in successionibus praeferuntur cognatis, *l.* 5. *h. tit.* v. g. Patruus ut agnatus praefertur materterae vel avunculo ut cognatis, licet gradu pares sint, *l.* 7. Si soror consanguinea praefertur aviae vel avo materno, *l.* 9. *h. tit.* Sed ex jure cognationis duo tantum gradus transferuntur in classem agnatorum: 1. Frater uterinus vel soror uterina, *l. fin.* §. 2. *h. tit.* 2. Sororis uterinae filius vel filia, *l.* 14. §. 1. *h. tit.* §. 4. *Instit. de legit. agnat. success.* sed et his derogatur. Nam hodie in successione transversali non attenditur discrimen agnationis et cognationis, ideoque *hae leges* una quasi litura delentur. Sed notandum ex *l.* 14. *seu pen.* §. 1. quod in successione transversalium, ubi jus repraesentationis non habet locum, succedant cognati et agnati in capita, quod cum jure novo nunquam videatur abolitum, communiter *DD.* solent ex *hac lege* 14. §. 1. vers. *illo procul dubio etc.* probare decisionem: Quod fratrum filii soli non concurrentes cum patruis vel amitis, aut avunculis aut materteris aliis non succedant in stirpes, sed in capita. Reliquit v. g. quis ex uno fratre duos liberos, ex altero tres, ex sorore quinque, hae decem personae in capita vel viriles portiones succedunt, quam sententiam *Karol. V. Imp.* confirmavit in *Comitiis Spir. an.* 1529. de qua *Forst. lib.* 8. *cap.* 3. *Dn. Carpzovius p.* 3. *c.* 18. *definit.* 3. *Fachin. lib.* 6. *cap.* 3. *Harprecht. in pr. Instit. de haered. quae ab intest. num.* 123. *Rittersh. c.* 13. *num.* 13. *et cap.* 14. *tot. Donell. et ibi Hillig. lib.* 9. *cap.* 4. *Bacchov. d.* 16. *th.* 5. *Barry lib.* 18. *tit.* 3. *num.* 5.

L. Defunctis. 6.

SUMMARIA

Liberis haereditatem patris repudiantibus, ejus frater jure civili succedere potest. num. 1.
At obst. l. fin. Unde liberi *respondetur.* 2.

Quando liberi repudiant haereditatem patris defuncti, hujus frater jure civili etiam succedere potest, quia hodie locus est successorio edicto, §. *pen. Instit. de legit. agnat. success.* nec obstat *l. fin. supr. unde liberi*, quia ibi non negatur, nepotem venire posse ex ordine *unde legitimi*; in quo est successorium edictum, sed tantum quaeritur an ex capite, *unde liberi*, venire possit nepos, *Castr. hic.*

L. Si his. 8.

SUMMARIUM

Circumscribitur lex haec.

Etiam ejus, qui apud hostes est mortuus, haereditas jure civili vindicari vel bonorum possessio peti potest, nam licet servus sit, per fictionem tamen *legis Cornel.* conjungitur tempus mortis cum tempore captivitatis, et fingitur in ipsa acie liber adhuc mortuus, §. 5. *Inst. quib. mod. jus. patr. potest.*

L. Sciant. 10.

SUMMARIA

An et quatenus mater, et omnis impuberi succedens, si non petat intra annum isti tutorem, jus perdat successionis? num. 1.
An ille annus, demum currat ab eo tempore, quo praecedens in gradu vel mater non petit? 2.
Bartolus *notatur*, 3.

1 Sicut mater, *l.* 2. §. 23. *et seqq. ff. ad SCtum Tertull.* ita omnis, qui impuberi, si morietur, succederet, si ille impuberi intra annum a tempore mortis paternae computandum, tutorem non petierit, perdit jus successionis, si scil. impubes ante adultam aetatem moriatur. Vid. *l.* 3. *et* 6. *supr. ad SCtum Tertull.* Quaeritur
2 autem: *An ille annus demum currat ab eo tempore, quo praecedens in gradu, vel mater non petiit?* Et quia poenalis haec constitutio est, af-
3 firmant hoc *DD.* contra *Bartolum* plerique, *Fachin. l.* 8. *c.* 59. *Joan. Guttierez de tutelis p.* 1. *c.* 16. *num.* 79. *P. Montanus de tutel. c.* 18. *num.* 8. *Anton. Gabr. de tutelis concl.* 11. *n.* 9. Conf. *Tiraq. de retr. conventionali* §. 2. *Gloss. un. num.* 79. *et* 82. *Donell. lib.* 3. *cap.* 8.

L. Si ab eo. 11.

SUMMARIA

Quatenus emancipatus rescripto Principis jura successionis legitima salva habeat. num. 1.
Anne ipsi fratres et agnati succedant? 2.
An rescriptum Principis reservans jura agnationis emancipato sive jus successionis, reservare intelligatur jura tam active, quam passive? 3.
Successio ab intestato est reciproca et vicissitudinaria. 4.

1 Ex rescripto Imperat. Si quis emancipatus sit, Vide *l. pen. infr. de emancip. lib.* salva habet jura successionis legitima, si ea expresse reservata, ideoque patribus et fratribus suis, quasi
2 emancipatus non esset, succedit. *Sed anne ipsi fratres et agnati succedant?* Affirm. quia successio debet esse reciproca, sed quando vult succedere patri, ab onere collationis non liberatur, *l.* 1. *ff. de bon. collat.* Collige: I. Rescri- 3
ptum Principis reservans emancipato jura agnationis, sive jus successionis, intelligi reservare jura tum active quam passive, *Salycet.* quam regulam limitant, ut habeat locum in dispositione affirmativa, non vero negativa et prohibitiva, v. g. in statuto prohibetur maritus ultra certam quantitatem quid uxori relinquere, hoc ad uxorem non debere extendi tradit *Cephalus cons.* 408. *num.* 74. *lib.* 3. II. Successionem ab 4
intestato esse reciprocam et vicissitudinariam, *hic et l.* 14. *h. t. Forst. de success. lib.* 6. *c.* 13. *concl.* 1. *num.* 2.

L. Si major. 12.

SUMMARIA

A quinquagenaria natus etiam matri succedit. num. 1.
Haec lex destituitur ratione dubitandi. 2.

A quinquagenaria natus partus, omnino ma- 1
tri succedit, quia ipsa natura talem partum, licet raro, producit, et quia quinquaginta annis major nuptias contrahere potest, *l.* 27. *supr. de nupt.* Ratione dubitandi fere *haec lex* desti- 2
tuitur, nam si vel octogenaria pareret, ex singulari dispositione divina, quis dubitare vellet de jure successionis; Sic etiam nemo potest dubitare, si vel centenario major, ut Abraham, liberos gigneret.

L. De emancipatis. 13.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Inter fratres consanguineos et uterinos, hi in maternis, illi in paternis habita ratione originis bonorum succedunt. 2.
Paterna paternis, materna maternis debentur. 3.
Ampliatur. 4.

Habuit quis quatuor filios emancipatos, unus 1
moritur, Quaeritur: *quomodo inter patrem et filios dividenda sit haereditas?* Resp. Patrem adipisci usumfructum bonorum, filios proprietatem. Excipiuntur autem bona materna, in quibus soli fratres uterini succedunt, his deficientibus alii fratres. Ex quo probant *DD.* quan- 2
do frater unus moritur, et reliquit fratres consanguineos et uterinos, hos in maternis succedere, illos in paternis, habita ratione originis bonorum, hinc regula: Paterna paternis, materna 3
maternis debentur. Ejus ratio in votis parentum; Vide *Donell. lib.* 9. *cap.* 4. *et ibi Hillig. lit. F.* et quos citat *Rittershus. p.* 7. *cap.* 13. *num.* 9. *Forst. lib.* 8. *c.* 8. *num.* 2. *Carpz. p.* 3. *jurispr. constit.* 14. *def.* 1. *Berlich. p.* 3. *concl.* 20. *num.* 4. *Tiraq. de retr. consang.* §. 14. *gl.* 2. *num.* 4. *Molina d.* 161. *num.* 7. *Barry lib.* 18. *tit.* 3. *num.* 5. Et hanc sententiam etiam extendunt 4
ad uterinorum et consanguineorum fratrum vel sororum filios, jure repraesentationis succedentes, *Forst. d. l. num.* 7. *Carpz. d. l. in fine Berlich. num.* 6. Quin etiam ad patruos et su-

periores transversales hoc extendit *Forst. d. c.* 8. *num.* 5. quae opinio singularis, et ab aliis reprobata, nam decisio, quae in *hac lege* habetur, est exorbitans et singularis, *Barry d. num.* 5. *vers.* his convenienter *et num.* 6. *vers.* sic regula *P. Barbosa in l. post dotem* 41. *num.* 69. *ff. sol. matr.*

L. Lege. 14.

SUMMARIA

In jure cognationis discrimen hoc olim erat post XII. Tabb. introductum, ut agnati mares etiam longissimo gradu excluderent foeminas. num. 1.
Praetores postmodum agnatas foeminas ad bonorum possessionem vocabant inter agnatos. 2.
Imperator rem ad legem antiquam XII. Tabb. primo reduxit. 3.
Correxit tandem in Novellis, *ita ut cum agnatis maribus non tantum agnatae, sed etiam cum agnatis cognati promiscue succederent.* 4.

1 In jure cognationis erat discrimen inter masculos et foeminas, nam agnati mares, licet essent longissimo gradu, excludebant tamen foeminas, nisi hae essent sorores defuncti, hoc
2 post *l. XII. Tabb.* erat introductum. Sed praetores ulteriores agnatas foeminas vocabant ad
3 bonorum possess. inter agnatos, sed Imperator *ad l. antiquam XII. Tabb.* rem reduxit, et constituit, ut omnes agnatae personae, sive mares sive foeminae, agnationis jure ad intestati successionem vocentur, Vid. §. 3. *Inst. de*
4 *legit. agnat. success.* Sed ulterius progressus est *Justinianus* in *Novellis*, dum aequo jure succedunt cum agnatis maribus, non tantum agnatae, quod hic constituit Imp. et hujus aequitatem prolixe commendat, sed etiam cum agnatis cognati promiscue, per *Auth. post fratres* 2. *h. t.*

L. Meminimus. ult.

SUMMARIA

Lex haec in emancipatorum favorem est lata. num. 1.
Quibusnam filius emancipatus succedat? 2.
Successorium edictum in legitima successione est constitutum. 3.
Qui inter legitimos haeredes succedere possunt, iidem etiam debent suscipere tutelam. 4.

Ut lex praecedens in favorem foeminei sexus 1
lata, ita haec in favorem emancipatorum, et
quidem *in pr.* constituit, ut emancipatus filius 2
non tantum patri, sed etiam fratri, qui in potestate patris permanserit, una cum aliis filiisfam. succederet, sine ulla patris deminutione: *In* §. 2. Frater uterinus vel soror uterina cum fratribus consanguineis vocatur: *In* §. 3. Dicitur, quando defunctus reliquit fratrem, et alterius fratris, qui in sacris paternis manserit, filium, et alterius emancipati filium, hic ab alterius filio vel filia non excludetur, sed pariter omnes succedunt, non obstante emancipatione.
Et constituit Imp. in successione legitima suc- 3
cessorium edictum, quae omnia ex *Novellis* plenius discuntur, nam ut in *Authent. post fratres* dictum supra, nulla agnationis, quatenus scilicet cognationi opponitur, nec potestatis patriae habetur ratio.
§. 4. Qui possunt inter legitimos haeredes suc- 4
cedere, ut frater emancipatus, item uterinus, ille, si masculus sit, et perfectae aetatis, debet etiam tutelam suscipere, *argum. l.* 37. *ff. de R. J.* Sed et de hoc hodie nullum dubium, cum cognati hodie cum agnatis pariter ut ad successionem, ita ad tutelam etiam vocantur, *Authent. sicut haereditas supr. de legitima tutela.*
§. *ult. hanc l.* ad futura et nondum decisa negotia restringit.

TITULUS LIX.

Communia de successionibus.

L. Scire. 1.

SUMMARIUM

Quinam ad emancipati fratris successionem admittantur?

Ad successionem fratris emancipati, tam emancipatus frater, quam is, qui in potestate patris mansit, admittitur, si uterque bonorum possessionem jure praetorio solemniter (id hodie non est necessarium, *l. fin. supr. qui admitti ad bonorum possess.*) agnoverint, hodie etiam jure civili, *l. ult.* §. 1. *tit. praeced.*

L. Si pater. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Haereditas jure civili adita non tantum ad haeredes transmittitur, sed etiam agnita bonorum possessio. 2.
Haeres haereditaria bona etiam ab iis repetere potest, qui de facto detinent. 3.
Bonorum possessio etiam nondum agnita, an et quo jure transmittatur in haeredem? 4.
Et multo magis ea quoque transmittitur, quae ex jure suitatis competit. 5.

1 Demortuus est meus propior consobrinus, id est, patruelis mei filius, cui successit pater meus sive jure civili sive jure praetorio, quia forte emancipatio intercessit, et petiit bonorum possessionem, sed realem possess. non est adeptus, possidente eam tutore, Quaeritur: *An ego tanquam haeres possim convenire tutorem ad restituendam mihi haereditatem?* Affirm. quia etiam haeredibus pupilli datur actio tutelae, *l.* 12. *C.*
2 *arbitr. tutel.* Unde colligit *Salycetus*: Haereditatem jure civili aditam, non tantum transmitti ad haeredes, sed etiam bonorum possessio-
3 nem agnitam, et haeredem ejus posse haereditaria bona repetere ab iis, qui de facto detinent,
4 quin etiam bonorum possessio nondum agnita transmittitur in haeredem ex jure sanguinis, *ex tit. C. de his qui ante apertas tabb. etc. et ex jure deliberandi,* non item ex jure suitatis, *Gomez t.* 1. *c.* 9. *num.* 45. *et seq. Vasq. de succ. prog. lib.* 1. §. 6. *num.* 12. quos refert *Barry lib.* 12. *tit.* 1. *num.* 14. quamvis simplicior videatur sen-
5 tentia, ex jure suitatis etiam transmitti bonorum possessionem, quia suitas habet duo vincula 1. sanguinis, 2. patriae potestatis, si ergo illa bonorum possessio, quae solo sanguinis vinculo nititur, transmittitur, magis ea transmittetur, quae et sanguine, et praeterea alio adhuc vinculo firmata est.

L. Vitrico. 3. L. Amitae. 5. et L. Affinitatis. 7.

SUMMARIA

Affinium nulla est successio, sed deficientibus cognatis Fisco locus est. num. 1.
Exemplis illustratur. 2.
An meae amitae privignus succedat, an vero ego? 3.

1 Inter affines nulla est successio, *l. affinitates* 7. *et ibi Wesenb.* ϖ. *ff. de grad. et affin.* Sed deficientibus cognatis locus est Fisco, *Carpz. p.* 3.
2 *c.* 18. *def.* 31. *num.* 5. Ergo nec vitricus privigno succedit, *l.* 3. *h. t.* quippe affini suo, §. 6. *Instit. de nupt.* Exemplum aliud *in l.* 5. Amita mea habebat filium legitimum Titium, et praeterea privignum, Amita moritur, et succedit filius ipsius naturalis, sed hic etiam moritur,
3 Quaeritur: *An succedat huic privignus, an vero ego?* Disting. Aut ille Titius et Privignus habuerunt patrem communem, et tunc Titio non ego, sed Privignus succedit, quia licet hic sit affinis Amitae, filio tamen ejus est cognatus, aut non habuerunt communem patrem, nec matrem, et tunc Privignus neque Amitae neque Titio succedere potest, quia utrique tantum affinis est, non cognatus. Sic soror non succedit genero, nec cognati unius conjugis succedunt conjugi alteri, *Grassus* §. *successio ab intest. q.* 38. *Barry lib.* 18. *t.* 4. *num.* 10.

L. Servus. 4.

SUMMARIA

Nulla est servorum successio. num. 1.
Excipitur. 2.

Servorum nulla est successio, quia nihil ha- 1
bent proprii. Exceptio *in l. ult. supr. ad SCtum* 2
Orphitian. l. 8. *supr. de legit. haered. l.* 8. *supr. de suis et legit. lib. l. pen. supr. de his quib. ut indig.*

L. Avunculo. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Propior gradu potior etiam in successione. 2.
Jus repraesentationis ultra fratrum defuncti filios locum non habet. 3.
Quod abrogatum non est. 4.

Habuit quis avunculum et consobrinum, id 1
est, materterae filium, hic est in quarto gradu, ille in tertio, ergo ille potior, quia, qui propior gradu, est etiam in successione potior. 2
Nam ultra filios fratrum defuncti nullum jus 3
repraesentationis locum habet, et sic patrui vel avunculi alterius filius non repraesentat suum patruum, nec cum superstite patruo vel avunculo succedit, qua in parte minus exercitati in computandis gradibus saepe errant in terminis; ita *Boer. dec.* 302. *num.* 1. *Carpz. p.* 3. *c.* 18.
def. 20. Nec haec lex jure novo correcta, *The-* 4
saur. lib. 2. *q.* 63. *num.* 6. Et sic ultra defuncti fratres et filios fratrum, qui sunt propiores gradu, excludunt reliquos, *Rittershus. in Nov. p.* 7. *c.* 13. *num.* 14.

L. Antequam. 8.

SUMMARIA

Quamdiu ex testamento adiri potest haereditas, ab intestato non defertur. num. 1.
Provisio hominis tollit provisionem legis. 2.
Voluntas expressa potior tacita. 3.

Quamdiu ex testamento potest adiri haeredi- 1
tas, ab intestato non defertur, *l.* 39. *ff. de acquir. haered. l.* 89. *ff. de R. J.* nam provisio hominis 2
tollit provisionem legis. Et voluntas expressa 3
potior est tacita, *Borcholt. de gradibus p.* 156. et lex hic supplet defectum dispositionis hominis, ac per eam cessat, *Hillig. in Donell. l.* 9. *c.* 1. *lit. F. et Forst. lib.* 1. *c.* 13. *num.* 3. *et* 5.

L. Ancillae. 9.

SUMMARIUM

Casus legis.

Ancillae tuae quidam liber se conjungit in contubernio, hujus tamen bona vis vindicare et ipsi succedere. Quaeritur: *An possis?* Neg. quia maritus ancillae non statim est servus meus, *l.* 3. *in fin. ff. de lib. caus.*

L. Nutritoribus. 10.

SUMMARIA

Alumnorum nutritores neque civili neque praetorio jure succedunt. num. 1.
An successio inter tutorem et pupillum sit valida? 2.

1 Nutritores alumnorum, licet loco parentis sint, *Alciatus ad l. ult. num.* 5. *C. de in jus voc. Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 101. *num.* 4. non tamen succedunt jure civili, nec praetorio, *Donell. d. lib.* 9. *c.* 1. *et ibi Hillig. lit. X.* et licet
2 nonnulli inter tutorem et pupillum successionem statuerint, moti per *leg. quo tutela ff. de R. J. et ibi Gloss. et Capriol. de success. lib.* 5. *num.* 24. *Petr. Ravennas sing.* 590. ubi tamen dicit communiter istam Glossam non teneri, sed Glossam approbat *Ammanell. sing.* 242. per hunc tamen textum illam Glossam communiter rejiciunt *DD.* ut *Tiraq. in tr. le mort. etc. p.* 2. *decl.* 15. *num.* 5. *Ant. Gomez in l. Tauri* 8. *num.* 24. *Hillig. d. c.* 1. *lit. X. Vinc. de Franc. dec.* 198. *Spino de Carc. in speculo testam. de success. ab intest. num.* 38. *Barry lib.* 18. *tit.* 5. *num.* 12.

Auth. Omnes peregrini.

SUMMARIA

Authentica haec unde desumpta? num. 1.
Quidnam in ea aboleatur et contra constituatur? 2.
Peregrini alicubi decedentes, quibuscumque velint, bona relinquere possunt. 3.
Sed si intestati decedant, bona eorum Episcopo ab hospitibus sub poena tripli traduntur. 4.
Cuinam Episcopus eadem distribuat? 5.
Quinam peregrini intelligantur? 6.
Haereditas hominum proximis debetur, aut, his deficientibus, pauperibus. 7.
Consuetudo non observatur ubivis. 8.
In Gallia Regi jure advenati ejusm. bona deferuntur. 9.
Cuinam apud nos? 10.
Inventa bona, quorum dominium non apparet, deferenda sunt pauperibus. 11.

1 *Haec Authentica*, non ut aliae ex *Novellis Justinianeis* desumpta, sed ex *constitutione Frid. II. de statutis, et consuetudinibus*, post duos
2 libros feudorum; in qua imperator barbarum illum morem abolet, quo caupones et hospites bona peregrinorum in hospitiis denatorum sibi arrogabant, et hospitibus contra facientibus injungit restitutionem tripli, et facit intestabiles, ut in quo deliquerunt, puniantur, et poenam interminatur extraordinariam. Vult igitur Im-
3 perator, ut peregrini alicubi decedentes relinquere possint haereditatem, cui velint, sed si
4 intestati decedant, hospites, qui eos recipiunt, vel hospitalia, sub poena tripli eorum bona de-
5 bent tradere Episcopo, qui ea proximis haeredibus distribuet, aut in pias causas erogabit.
6 Quaeritur ergo: *Quos peregrinos intelligere debeamus?* Resp. procul dubio non intelligi eos, qui non sunt cives romani, nam hi plane testari non possunt, nisi eo fine, ut testamentum, v. g. Hispani in Germania conditum valeat in Hispania, *Vasq. de success. progressu lib.* 1. §. 1. *num.* 149. *Barry lib.* 1. *tit.* 7. *num.* 21. Sed per peregrinos intelliguntur cives Romani, qui in Imperio peregrinantur, *Reusn. de testam. p.* 2. *c.* 54. *Barry d. l.* Deinde notandum est: I. Hominum haereditatem proximis deberi, aut 7
his deficientibus, pauperibus, quibus Episcopus debet distribuere, quia lex humana potuit circa bona morientium disponere, et ea pauperibus assignare, *Covarr. in c. peccatum p.* 3. §. 1. *num.*
4. Sed hoc vix servatur ubivis: in Gallia defe- 8
runtur Regi jure advenati *Barry d. l.* apud nos 9
Fisco, si ex ea regione, ubi defunctus domici- 10
lium habuit, bona non deferantur ad nostrates, nam tunc jure retorsionis nec ad eos deferuntur bona, sed Fisco addicuntur. II. Inventa bo- 11
na, quorum dominus non apparet, deferenda esse pauperibus, *Coler. pr. dec.* 149. *num.* 3. *et Carpz. p.* 3. *c.* 31. *d.* 18.

L. Sancimus. ult. et Authent. Itaque.

SUMMARIA

Filiofam. relictis bonis adventitiis et maternis quinam succedant, et quo ordine? num. 1.
Non tantum in castrensibus, sed in adventitiis quoque filiusfam. ab intestato haeredem relinquere potest. 2.
Jure novo quinam succedant? 3.
Filius mortuo patre decedens haereditatem in solos fratres germanos, si adsint, transmittit, non in unilateres, nisi illis deficientibus. 4.
Quid si soli unilateres, quomodo succedant? 5.
An in feudis germanus excludat fratrem consanguineum? 6.
Vinculum ex parte matris in feudalibus non attenditur. 7.

Quando filiusfam. relictis adventitiis bonis ac 1
maternis, moritur, primus locus est liberis, secundus fratribus germanis, tertius consanguineis vel uterinis, ut his materna, illis paterna deferantur bona, quartus parenti, qui tamen et prioribus casibus, quando liberi adsunt vel fratres, usumfructum habet bonorum, et sic ex *hac lege* probatur, filiumfamilias posse habere 2
haeredem ab intestato non tantum in bonis castrensibus, sed etiam adventitiis. Sed jure novo 3
pater cum fratribus germanis, seu utroque latere junctis succedit, exclusis unilateribus per *Auth. defuncto supr. ad SCtum Tertullian.* Sed mortuo patre filius, si etiam decedat, transmit- 4
tit haereditatem in solos fratres germanos, si adsint, non vero unilateres, nisi illis deficientibus, *Auth. itaque h. tit.* Si itaque soli sint unila- 5
teres, hi succedent, et quidem si reliquerit unum consanguineum per patrem junctum, et duos uterinos, secundum glossam *Authenticae* communiter adprobatam, ut testantur *DD.* re-

lati a *Cephalo consil.* 698. *num.* 11. *et seq.* scilicet in bonis a patre delatis succederet solus frater consanguineus, si quae obvenerunt a matre bona, in iis succederent duo fratres uterini. Reliqua bona adventitia essent inter omnes tres
6 fratres dividenda. Sed Quaeritur: *An in feudis germanus excludat fratrem consanguineum?* et Negatur, et nulla inter eos differentia est, *arg. c. un. de success. frater. l.* 2. *tit.* 11. quia vin- 7
culum ex parte matris in successione feudali plane non attenditur, *Gail. l.* 2. *obs.* 151. *Rosenthal. c.* 7. *concl.* 57. *num.* 1. *Schrad. de feud. p.* 7. *c.* 1. *num.* 14. *Vult. lib.* 1. *feud. c.* 9. *num.* 21. *et Schultz. in Synopsi feud. c.* 1. *num.* 135.

TITULUS LX.

De bonis maternis et materni generis.

L. Res. 1. et Auth. Nisi.

SUMMARIA

In maternis bonis filiofam. delatis pater ad vitam acquirit usumfructum, filius vero proprietatem. num. 1. 8.
Pater ratione illarum rerum litem movere vel excipere, imo et curatorem constituere debet. 2.
Objectio diluitur. 3.
Expensae unde sumantur? 4.
An parens sumptus a filio possit repetere? 5.
An res illas alienare parenti liceat? 6.
Cautela emptoris. 7.
Alimenta liberis ex usufructu bonorum maternorum filiofam. delatorum a patre debentur. 9.
Pater in bonis omnia agit ut dominus, excepta alienatione. 10.
Argumentum ab usufructuario ad patrem ratione bonorum maternorum non est perpetuum. 11.
In casu emptionis bonorum maternorum potest emptor statim, quasi imminente evictione, petere fidejussorem pro evictione a patre ea bona administrante. 12.
An filius quandocumque, etiam vivente patre, alienata ab eodem vindicare possit? 13.
Quod vocatur in dubium varias ob causas. 14.
An et quatenus pater citra causam alienans ab administratione possit removeri? 15.
A quo tempore hoc casu currere incipiat praescriptio? 16.
Ad praescriptionem bonorum filii adventitiorum non sufficit lapsus longi temporis, sed requiritur lapsus longissimi. 17.
Ampliatur. 18.

1 Quando materna bona referuntur filiofamil. tum patri acquiritur ususfructus eorumdem ad
2 vitam, filio proprietas, debent autem parentes ratione illarum rerum litem movere vel excipere, imo et procuratorem constituere, quia plus
3 est quam tutor, nec adeo obstat *l.* 11. *supr. de*
4 *procur.* Expensas autem sumet ex fructibus bonorum maternorum, ratio in *l.* 7. §. 2. *ff. de usu-*
5 *fruct.* nec sumptus a filio repetere potest, quia nec cohaeres a cohaerede ob defensionem haereditatis sumptus repetere potest, nisi probet ob defensam alterius partem se majores sumptus expendisse, *l. ex part.* 39. *pr. ff. fam. herc. Fr. Cald. de emptione c.* 27. *num.* 42. Alienare autem res 6
eas non poterit. Qui a tali ergo parente aliquid 7
emit, sollicitus de eo esse debet, an etiam sit dominus, ideoque fidejussionem exigat, nam si filii bona alienata fuerint, filius ea revocare potest a quocumque possessore, nulla obstante praescriptione triennali vel decennali. Collige:
I. Ex *hac l.* 1. haec, quae de usufructu patris 8
in bonis maternis filii hic habentur, intelligenda esse de bonis delatis filiofamiliae, non quae filio emancipato, quia hujus ususfructus basis est patria potestas, *Castillo de usufruct. c.* 3. *num.* 8. *Colerus dec.* 66. *num.* 10. *Berlich. p.* 2. *concl.* 11. *num.* 72. *Jo. Fr. Balthas. de Jure Bavar. tit.* 3. *res.* 3. *num.* 4. Ex eo tamen usu- 9
fructu alimenta debentur filio, *Pinell.* late *ad hanc leg.* 1. *part.* 1. praesertim *num.* 53. *Forsterus de success. lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 19. *Klock. vol.* 2. *cons.* 65. *num.* 7. II. Patrem omnia 10
in bonis agere ut dominum, excepta alienatione. De quo pluribus agit *Pinell. in secunda parte hujus legis primae.* Unde quamplurima infert, quod v. g. plurima possit, quae usufructuario non sunt licita, et quod argumentum ab usu- 11
fructario ad potestatem patris in bonis maternis non sit perpetuum. Conferatur *Forst. lib.* 7. *c.* 21. *Castillo d. l. num.* 33. *et Garcias de expensis cap.* 11. *num.* 2. Collige III. casum: ubi 12
emptor potest in limine contractus, quasi imminente evictione petere fidejussorem pro evictione, si pater bona filii administret. IV. Fi- 13
lium posse quandocumque et ita vivente patre, ab eodem alienata vindicare, *argum. l.* 50. *ff. ad SCtum Trebell. Pinell. ad hanc l.* 1. *p.* 3. *n.* 74. *Covarr. lib.* 1. *res. c.* 8. *n.* 7. *Perez in h. t. num.* 5. *Klock. cons.* 65. *num.* 3. *vol.* 2. quod 14
tamen aliis dubium videtur, et contrarium observari, et filium vivo parente agente repelli tradit post alios *Valascus consult.* 69. *num.* 16. tum quia vivo patre non currit contra eum praescriptio *per Authent. hanc Nisi triennalis.* Ex quo colligi videtur, quod vivo patre agere non possit, tum quia filius vivo patre nullum habet interesse ob usumfructum patri competentem. Sed et filius non potest impugnare alienationem, si patris haeres fuerit, quamvis cum beneficio Inventarii adierit, nam beneficium Inventarii impedit confusionem actionum, quas haeres habet contra defunctum, non vero impedit quominus haeres teneatur stare contractui celebrato a defuncto, nec liberat haeredem a praestanda evictione, si emptor agit contra haeredem ut talem ex regula: Quem de evictio-

ne praestanda tenet actio etc. *Valascus d. con-*
15 *sult. per totam.* Et pater citra causam alienans
removeri potest ab administratione quasi frau-
dulentus, *Pinell. d. l.* nisi pater bona fide, non
ut Dominus, sed ut legitimus administrator no-
mine filii alienaverit per transactionem, vel exi-
gente id utilitate rei familiaris, quo casu valet
alienatio facta, *Cephal. cons.* 21. *num.* 21. quod
autem de praescriptione antea dictum, id tem-
peratur, in *Auth. seq. ex Nov.* 22. *cap.* 23. ut
16 praescriptio currat quidem, sed ab eo demum
tempore, quo filiusfamil. agere potuit, scilic.
quo sui juris factus est, ratio in *l.* 1. *in fin. C.
de ann. praescript.* Quamvis autem originalis
textus de lucris nuptialibus loquatur, commu-
ter tamen *Doctores* extendunt ad omnia adven-
titia, quorum administrator legitimus est pater,
et electio verior est (tricennale). Et probatur
17 igitur ex *hac Auth.* Quod non sufficiat ad prae-
scriptionem bonorum adventitiorum lapsus tem-
poris longi, sed quod requiratur lapsus tempo-
ris longissimi, quia lex voluit obviare fraudi
patris alienantis bona filii, et succurrere filiofa-
milias ignoranti bona sua a patre possessa, et
sine rationum redditione administrata, et ideo
lex juste praescriptionem longi temporis abole-
18 vit, *Pinell. in hac Auth. num.* 5. Et ideo non
minori, quam longissimi temporis praescriptio-
ne juvabitur, licet emptor ignorans, et bona
fide talia bona filii comparaverit, *Pinell. d. l.
num.* 7.

L. Quicquid. 2.

SUMMARIA

Bona materna quaenam dicantur? num. 1.
Eadem pater nec vendere, nec aliis relinquere potest. 2.
Filius bona materna fratribus suis cohaeredibus conferre non tenetur. 3.
Ergo nec peculium adventitium. 4.

1 Bona materna non illa tantum sunt, quae a
matre, sed etiam quae ab omnibus parentibus
ex linea materna, ut avo materno etc. quocum-
que titulo, sive haereditario, sive legati, sive
2 donationis etc. devenerunt. Et haec omnia pa-
ter nec vendere, nec obligare, nec aliis relin-
quere potest, quia tantum nudum usumfructum
habet, qui ipsius morte finitur, adeo, ut
3 bona illa materna filius cohaeredibus fratribus
suis conferre non teneatur, sed ea habeat prae-
4 cipua, ratio in *l. fin. supr. de collat.* Ergo pe-
culium adventitium hodie non confertur, sed
solum profectitium.

L. Si viva matre. 3.

SUMMARIA

Patri eorum, quae filius emancipatus acquirit, ususfructus non acquiritur. num. 1.
Exceptis bonis maternis. 2.
Si alii liberi sint emancipati, alii familias, quid acquirat pater. 3.
Idem in nepotibus. 4. 6.
Lex haec de quibusnam bonis intelligenda? 5.
An filia exclusa, etiam neptis ex filia excludatur? 7.
An excluso filio, exclusus quoque sit nepos? 8.
Non tamen valet si circa neptem alia sit ratio. 9.

Quicquid filio acquiritur emancipato, ejus 1
ususfructus patri non acquiritur, exceptis bo- 2
nis maternis, ubi constitutum, ut si filio post
emancipationem deferantur bona materna, eo-
rum portio virilis ususfructus patri tribuatur:
Si vero alii liberi sint emancipati, alii familias, 3
in horum portione solidum habet usumfructum,
cum illis concurrit in virilem portionem, quo-
ad usumfructum; idem in nepotibus: ratio spe- 4
cialitatis est memoria bene transacti matrimonii,
et ne maritus duplici luctu afficiatur, dum vi-
det, se privatum et persona uxoris, et ejus bo-
nis, et ut hoc habeat ceu praemium liberatio-
nis, ut ne omnino privetur his bonis, quae ut
dominus antea possidebat, *Pinell. ad hanc l.*
3. *num.* 5. *Jo. Franch. Balthasar. tit.* 3. *resol.*
3. *num.* 4. et hanc decisionem ut humanitate
plenam et specialem per *Novell.* 118. non esse
abolitam, putat *Donell. lib.* 9. *cap.* 2. Sed *haec* 5
lex in specie de bonis maternis, non de aliis
adventitiis intelligenda, *Pinell. in hac l.* 3. *num.*
3. Et hanc constitutionem Imperatores prolixe 6
ad nepotes accommodant, quod juxta *Glossam*
in verbis, *in nepotibus,* tribus verbis exprimere
Imperator potuerit, si dixisset, idem obtinere
in nepotibus, et pronepotibus. Colligunt etiam:
filia exclusa, neptem etiam ex filia exclusam, 7
quia non debet esse melioris conditionis, quam
mater, *Cephal. cons.* 46. *Menoch. cons.* 1203. *num.*
8. *vol.* 13. ubi concludit filia exclusa in favorem
masculorum etiam neptêm exclusam. Idque
ex pluribus quam 50. *DD.* probat. *cons.* 235.
num. 23. *vol.* 3. Et quod pater magis filiam,
quam neptem diligere praesumatur, quia pro-
pior, *Men. d. cons. num.* 71. sic et filio excluso 8
etiam nepos exclusus videtur, scilicet, si jure
patris vellet succedere, v. g. cum patruis et avun-
culis, tunc filio existente incapace, nepos non
succedet. Sed aliud, si jure proprio vellet et
posset nepos succedere, ut hanc legem decla-
rat *Cephalus cons.* 103. *num.* 6. *lib.* 1. *et cons.*
331. *num.* 16. *et* 65. *lib.* 3. Et magis generaliter 9
dicitur, regulam hujus legis non habere locum,
ubi circa neptem alia et diversa est ratio,
Cephal. cons. 133. *num.* 47. *lib.* 3. Conferri po-
test *Fachin. lib.* 6. *q.* 42.

L. Omnem. ult.

SUMMARIA

Pater per transitum ad secunda vota usumfr. bonorum maternorum filio delatorum non amittit. num. 1.
Aliae secundarum nuptiarum poenae, remissive. 2.
Pater liberis primi matrimonii usumfr. servare non tenetur, quem habuit in bonis uxoris. 3.
Jus in Portugallia hac in parte speciale. 4.
Titulo oneroso quaesita, liberis non reservantur. 5.

An maritus ad aliud matrimonium non transiens in eodem matrimonio permansisse videatur? 6.

1 Per transitum ad secunda vota, pater non amittit usumfructum bonorum maternorum filio delatorum, quia nec dissolvitur patris po-
2 testas, sed aliae poenae sunt secundarum nuptiarum, de quibus in *l.* 5 *et seq. C. de secund.*
3 *nupt.* Et hinc colligitur: I. Patrem non teneri reservare liberis primi matrimonii usumfructum, quem habuit in bonis uxoris, quia illum non acquisivit principaliter propter matrimonium, sed potius propter patriam potestatem, *l.* 1. *h. t. Petr. Barb. in l. si ab hostibus* 11. §. *fin. num.* 73. *ff. sol. matrim.* unde ibidem infert, in Portugallia, ubi contracto matrimonio ad- 4
quiritur medietas bonorum, quia haec titulo oneroso acquiruntur, ideo non reservari liberis primi matrimonii, quia titulo oneroso acquisita 5
liberis non sunt reservanda. II. Maritum, qui 6
non transit ad aliud matrimonium, in eodem matrimonio videri permansisse, quod in favorabilibus, non odiosis locum habere tradit *Pinell. hic. num.* 11.

TITULUS LXI.

De bonis, quae liberis in potestate patris constitutis ex matrimonio vel alias acquiruntur, et eorum administratione.

L. Cum venerandae. 1.

SUMMARIA

Data filiofam. ab uxore dotis loco, vel filiaefam. a marito loco donationis propter nuptias quoad proprietatem patri nullatenus acquiruntur, bene tamen quoad usumfructum. num. 1.
Lucra nuptialia liberorum emancipatorum ne quidem quoad usumfructum patri acquiruntur. 2.
Jura de bonis maternis sensim etiam ad lucra nuptialia extenduntur. 3.
Dos vel donatio propter nuptias ab ipso patre data soluto matrimonio ad ipsum revertitur. 4.
Quid si sit adventitia? 5.

1 Quicquid filiusfamil. non a matre, sed ab uxore, titulo dotis, quicquid etiam filiafam. a marito suo titulo donationis propter nuptias consequitur et lucratur, id neque filiusfamil. neque filiafamil. ullatenus acquirit patri, scil. quoad proprietatem, bene tamen quoad usumfructum, quia bona materna et lucra nuptialia hic aequi-
2 parantur. Collige: Si emancipati sint liberi, et nuptias contraxerint, ne quidem quoad usumfructum lucra nuptialia acquiri patri, nam *l.* 3. *praeced. tit.* §. 1. de bonis maternis tantum lo-
3 quitur; Et sic jura illa, quae de bonis maternis constituta, sensim etiam ad lucra nuptialia
4 extensa. Si ergo ipse pater dedit dotem vel donationem propter nuptias, soluto per mortem generi vel nurus matrimonio, haec ad ipsum revertuntur, quia sunt peculia profectitia; ratio in *textu;* ne alias parentes si non spectarent ad se haec reditura, a munificentia sua re-
5 trahantur. Sed si sit dos adventitia, in ea pater usumfructum non habet, *per l. Cajus.* 45. *ff. sol. matr. P. Barb. ad l.* 2. §. *quod si in patris num.* 18 *et seq. ff. solut. matr.*

L. Constitutionis 2.

SUMMARIUM

Dos profectitia ut et donatio propter nuptias quatenus ad patrem revertatur?

Et sic dos profectitia revertitur ad patrem dotantem soluto matrimonio, et idem in donatione propter nuptias, sed utrumque de consuetudine intelligendum, nisi adsint ex matrimonio liberi, de quo suo loco.

L. Quod scitis. 3.

SUMMARIA

Lucra nuptialia filio mortuo ad patrem ab uxore non transferuntur, sed si habent, ad liberos, salvo tamen avi usufructu. num. 1.
Si nepos sine liberis decedit, acceptis bonis maternis, haec patri acquiruntur, salvo tamen usufructu avi. 2.
Concurrente patre et matre vel avo et paterno et materno in successione filii aut nepotis, patri vel avo paterno paterna, matri vero et avo materno materna cedunt. 3.
Lex praesens sententiae huic non patrocinatur, sed aliter explicatur, et multas fovet difficultates. 4.
Dispositio hujus legis *ad casum, ubi fratres concurrunt, non est extendenda.* 5.

Mortuo filio lucra nuptialia quae, quocunque 1
titulo acquisivit ab uxore, non transferuntur jure potestatis et peculii, ut olim, ad patrem, sed si habet, ad liberos, *l. ult. h. t. l. ult. supr. commun. de success.* salvo tamen usufructu avi.

2 Si vero nepos sine liberis decedat acceptis bonis maternis, haec patri ut propiori acquiruntur, non avo, salvo tamen usufructu avo, *Auth. defuncto supr. ad SCtum Tertull.* Et ex *hac lege* probat *Bart. in Auth. itaque supr. commun. de*
3 *succes.* quando pater et mater, vel avus paternus et maternus concurrunt in successione filii aut nepotis, quod tunc patri vel avo paterno paterna bona, matri vero et avo materno bona materna cedant, quam sententiam receptissimam esse tradit *Thesaur. dec.* 27. *num.* 3. *et Carpz.*
4 *p.* 3. *c.* 14. *def.* 2. Sed *haec lex* illi sententiae non patrocinatur, cum hic in secunda specie non decesserit nepos, ut falso opinatus est *Bart.* cum avo paterno et materno, sed relictis avo paterno, et ipso patre, ut explicat *hanc legem Covarr. in epit. success. ab int. num.* 3. *et Fachin. l.* 6. *q.* 4. et non diffitetur *Thes. d. l. num.* 2. Et habet haec sententia multas difficultates; Origo enim semper bonorum exquirenda foret. Sed unde constaret semper de origine? Et si omnino concedamus hanc legis sententiam, sicuti haec sententia vulgo recepta, ut testatur
5 *Thesaurus d. dec.* 27. *per totam*, at non est extendenda haec lex, ac ejus dispositio ad casum, ubi parentes cum fratribus concurrunt, *DD.* refert *Casp. Ant. Thesaurus p.* 3. *quaest.* 58. *num.* 5. *et Thesaurus d. dec.* 27. *num.* 5.

L. Quaecumque res. 4.

SUMMARIA

Parens, licet habeat usumfr. in bonis filiifam. ab uxore relictis, neque tamen ista alienare potest, sed alienata filiofam. semper revocare conceduntur. num. 1.
An non isti obstet praescriptio, et quaenam? 2.
Quinam in proprietate istorum bonorum filiofam. succedat? 3.
Filiusfam. in lucris non nuptialibus tantum, sed et bonis maternis potest habere haeredem ab intestato. 4.
Justus facti error, si alienans asseruit, se esse dominum, potestatem usucapiendi longo tempore in hac materia transferre nequit. 5.
Pater usumfructum usque ad diem vitae suae retinet, etiam filio mortuo. 6.
Si filiusfam. separatim instituit oeconomiam, ususfructus in patre consuetudine expirat. 7.

1 Bonorum, quae ex matrimonio ab uxore vel marito filiusfam. vel filiafam. acquirit, usumfructum solum habet pater, non vero alienandi vel obligandi licentiam, sed filiusfam. alienata
2 semper revocare potest, non obstante ulla praescriptione, nisi a tempore eo, quo sui juris factus est, tricennium effluxerit, per *Auth. nisi tricen-*
3 *nalis tit. praeced.* Sed *quinam in proprietate bonorum istorum succedit filiofamilias?* Resp. 1. Liberi ejus: 2. Si non habet, fratres ex eodem matrimonio nati: 3. His deficientibus fratres ex alio matrimonio geniti, tandem parentes, sed ex *Nov.* 118. *cap.* 2. pater succedit in his etiam cum fratribus germanis in viriles.
4 Collige I. Filiumfamilias in lucris nuptialibus non tantum, sed etiam bonis maternis posse habere haeredem ab intestato, *hic et l. fin. supr.*
5 *communia de success.* II. Quamvis justus error facti, si alienans asseruit, se esse dominum, possit potestatem usucapiendi transferre longo tempore per *l.* 33. §. *fin. ff. de usuc.* id tamen in hac materia non procedit, per ea, quae dicta sunt ad *d. Auth. nisi tricennalis tit. praeced.* Collige III. ex verbis: *Usque in diem vitae* 6
suae: et ex *tota tertia lege*, patrem hunc usumfructum retinere, etiam mortuo filio, *Joan. de Castillo de usufr. c.* 3. *num.* 44. Sed consuetu- 7
dine hujus provinciae hic ususfructus expirat, quando filiusfamilias separatim oeconomiam instituit, *Kohl. Vice-Cancell. de success. conjugum p.* 2. *num.* 75. ex vers. *tunc demum ad eos etc.* Colligit *Glossa* argumentum contra eos, qui discrimen faciunt, unde bona provenerint, de quibus in *l. praeced.* Nam hic nullam distinctionem facit, unde bona provenerint.

L. Non sine ratione. 5.

SUMMARIA

Extensio habetur legis 1. *num.* 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
In favorabilibus regulariter nomine uxoris etiam sponsa venit, et nomine mariti sponsus. 4.
Stralsundae *lucrum nuptiale sponso etiam fuisse aliquando adjudicatum, auctor meminit.* 5.

Continet extensionem *leg.* 1. scil. quod filius- 1
famil. etiam id, quod ex donatione sponsalitia vel testamento sponsae acquirit, non patri acquirat, sed sibi, quoad proprietatem, salvo patri usufructu. Ratio dubitandi in versu, *quamvis* 2
ergo etc. quia sponsa uxor proprie non dicitur. Ratio decidendi in versic. *non piget nos etc.* 3
quia uxoris nomen etiam in prohibitione alienationis fundi dotalis competit sponsae, *l.* 4. *ff. de fund. dotal.* Colligitur ex *hac lege*: In favo- 4
rabilibus regulariter nomine uxoris venire etiam sponsam, et nomine mariti etiam sponsum, qua de re videatur *Riccius coll. dec.* 538. *Gail. l.* 2. *obs.* 80. *num.* 5. textus alii sunt in *l.* 6. *et* 8. *ff. de gradibus*, *l.* 3. *et* 4. *ff. ad l. Pomp. de parric. et sim.* Vid. *Carpz. pr. crim. qu.* 56. *num.* 14. *et seq. Myns. c.* 6. *obs.* 78. *Forst. lib.* 9. *c.* 3. *num.* 10. *Cothman. vol.* 2. *cons.* 78. *Dn. Mevius ad Jus Lubec. lib.* 1. *t.* 5. *art.* 14. *n.* 12. Memini etiam lucrum nuptiale *Stralsun-* 5
dae sponso fuisse adjudicatum, licet in contrarium multa adducat *Tiraq. ad ll. connub. gl.* 2. *num.* 18. *et seq.* Cujus sententia etiam in casu, ubi statutum contra jus commune est, non est adeo improbanda. Vid. *Kohl. de success. conjug. p.* 1. *num.* 11.

L. Cum oportet. 6.

SUMMARIA

Extensio legis 1. tit. praeced. et leg. 1. h. tit. *num.* 1.
Extensionis varia ratio. 2.
Ususfructus bonorum adventitiorum competit patri, etiamsi liberi alibi degant, ut eos alere non teneatur. 3.

Nuda proprietas filii in bonis adventitiis dominium hic vocatur. 4.

Filiusfam. in castrensibus et quasi castrensibus liberam habet potestatem statuendi, et vice patrisfam. fungitur. 5.

Filiusfam. agens in his causis, consensu patris non indiget. 6.

Profectitia a patre aut illius nomine acquisita quoad proprietatem sunt parentis, et fructus quoque inde recepti, nisi peculiari industria filii sint acquisiti. 7.

1 *Pr.* In *lege* 1. *t't. praeced. et leg.* 1. *h. tit.* dictum, quod bona materna et lucra nuptialia, quae non a patre obvenerunt, filiusfam. sibi acquirat quoad proprietatem, patri quoad usumfructum, hoc hic extenditur ad omnia alia bona adventitia, quae filiusfamil. non ex bonis patris vel avi, in cujus potestate est, sed aliunde, v. g. ex alterius liberalitate acquirit, aut proprio labore, ea enim omnia sibi acquirit, quoad proprietatem, salvo patri usufructu; cujus ratio est in patria potestate, qua olim adventitia, quoad proprietatem quoque acquirebantur patri *Riminaldus cons.* 51. *num.* 102. *et seq.* Ra-
2 tio extensionis adducitur in textu; *Sic enim et parenti nihil derogabitur, usumfructum rerum possidenti; et filii non lugebunt, quae ex suis laboribus adquisita sunt, haec ad alios transferri;* potest etiam alia ratio addi hujus extensionis. Quod par ratio esse videatur bonorum maternorum, et exterorum adventitiorum, cum illa sint horum species, *Pinell. in l.* 1. *p.* 2. *C. de bon. mat. num.* 40. Et major ratio in adventitiis proprio labore adquisitis, quam a matre
3 obvenientibus. Et hunc usumfructum habet pater, licet liberi alibi degant, et aliunde alimenta sua habeant, quia est effectus patriae potestatis, *Carpz. p.* 2. *c.* 10. *d.* 8. quod *def. seq.* ad eum casum extendit, ubi filia praestat patri ope-
4 ras ancillares. Collige: Hic etiam nudam illam proprietatem, quam filius habet, vocari domi-
5 nium, *Donell. lib.* 9. *c.* 8. *lit. C.* In castrensibus sane et quasi castrensibus, filiusfamil. non habet nudam proprietatem, sed liberam potestatem statuendi, *l.* 15. *supr. de collat.* nam vice
6 patrisfamil. fungitur; Et in his causis filiusfamilias, agens, consensu patris non indiget, *l.* 4. §. 1. *ff. de castr. pec. Raud. lib.* 1. *q.* 48. *Forst. lib.* 7. *c.* 27. *num.* 2. et hos referens *Hilliger. lib.* 9.
7 *c.* 5. *lit. B.* Sed in profectitiis, quae a patre profecta aut illius nomine et intuitu acquisita quoad proprietatem sunt parentis, et jure peculii pater sibi vindicat, sed quid de fructibus bonorum profectitiorum, an illi ad patrem pertineant? Prolixe hac de re disputat *Franc. de Clapperiis causa* 92. *quaest. un.* quae huc recidunt, quod et fructus sint parentis regulariter, nisi peculiari industria filii adquisiti, quo casu certa pars fructuum arbitrio boni viri filio adsignanda.

Auth. Excipitur.

SUMMARIA

Casus, in quo bona adventitia pleno jure filiofam. acquiruntur. num. 1.

Cuilibet liberum est addere rei suae donandae conditionem. 2.

Patri pauperi alimenta a filio petere licet. 3.

An adempto patri usufructu etiam administratio ipsi interdicta? 4.

Si mater vel avus maternus prohibeat, ne ususfructus patri acquiratur, an videatur etiam in legitima portione filii vel nepotis usumfructum denegare? 5.

Nov. 117. *de quonam relicto loquatur?* 6.

In quibusdam autem casibus etiam pleno jure 1
bona adventitia acquiruntur filiofam. quorum I. Exceptio hic est; Quando vel mater vel alius ex ascendentibus, imo etiam extraneus filiofam. quid relinquit, sub hac conditione, ne id patri
acquiratur, quia cuilibet liberum est addere 2
rei suae donandae conditionem, quam vult, *tot. tit. infr. de donat. quae sub mod.* quod olim fieri non poterat, hinc frequentes conditiones emancipationis, *l.* 3. *supr. de instit. et substit. l.*
ult. ff. de petit. haered. Sed patri tamen pau- 3
peri integrum erit, alimenta petere, *Richt. dec.* 18. *num.* 8. Atque haec ademptio fieri etiam potest tacite, *Berlich. part.* 1. *dec.* 136. Ut si testator jubeat restituere bona filio, nam restitutio cum effectu fieri debet, *Surd. cons.* 116. *num.* 22. dummodo verba talia sint, ex quibus nihil aliud, quam prohibitio ususfructus deduci possit, *Molina de jure primog. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 31. *Castillo d. cap.* 3. *num.* 57. Sed hic
Quaeritur: I. *An adempto patri usufructu, etiam* 4
administratio eidem interdicta sit? Hoc communiter affirmant teste *Carpz. p.* 2. *c.* 10. *d.* 11. Sed negant *Hartm. Pist. p.* 4. *lib.* 11. *num.* 13. *et Carpz. d. l.* per *l. fin. C. de curatore furiosi*, ubi de bonis castrensibus agitur, quorum ususfructus non adquiritur patri, attamen pater, si filiusfamil. minor, potest administrare. Placet concordia, quam proponit *Castillo d. c.* 3. *num.* 63. quod non videatur adempta administratio, si tantum in utilitatem filii ademptus ususfructus, aliud vero, si ob sinistram suspicionem adempta sit administratio. II. Quaeritur:
Si mater vel avus maternus prohibeat, ne usus- 5
fructus patri adquiratur, an videatur etiam in legitima portione filii vel nepotis patri usumfructum denegare? Quod videtur affirmandum, quia hoc non respicit gravamen filii vel nepotis, sed ejus commodum, et quia *Auth. excipitur C. de bon. quae liber. etc.* generaliter loquitur, atque ita post veteres *DD.* sentiunt *Molin. de primogen. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 29. *Vinc. de Franchis dec.* 161. *num.* 6. *Vasq. de success. creat. lib.* 1. §. 10. *num.* 234. quos aliosque allegat et sequitur *Berlich. dec.* 137. *p.* 1. Sed sententia illa aperto textu confutatur, idque non diffitetur *Berlich. d. dec. num.* 9. Nam *Novellae* 117. *Rubrica* ita sonat: *Ut liceat matri et aviae et aliis parentibus post legitimam partem liberis derelictam, quomodo voluerint residuam facultatem suam deponere etc.* Idem in Nigro: Nam *in c.* 1. *d. Nov.* ita Justinianus ait: *Sancimus igitur, licentiam esse matri et aviae aliisque parentibus, postquam reliquerint filiis partem, quae per leges debetur, quod reliquum est suae substantiae, sive in solidum voluerint, sive in partem filio vel filiae, nepoti vel nepti, et deinceps descendentibus, aut etiam per ultimam voluntatem, relinquere, sub hac definitione at-

que conditione, si voluerint, ut pater aut qui omnino eos habent in potestate, in his rebus neque usumfructum, neque quodlibet penitus habeat participium. Haec Justinianus. Id quod ex ratione ab ipso Imperatore confirmatur, nam hac ratione utitur, quod haec etiam extraneis relinqui potuerint a matre vel avia, unde nulla
6 utilitas patri nasceretur. Hine infertur: *Novellam* de legitima portione non loqui, sed de residuo. Et hanc sententiam negativam amplectuntur *Bart. in d. Auth. excipitur num.* 1. *Paulus de Castro in l.* 25. *C. de inoff. testam. Caldas in l. si curatorem C. de in integr. restit. minor.* verb. *laesis num.* 147. *Boër. dec.* 149. *Fachin. l.* 5. *cap.* 21. *Roderic. Suarez in repet. l. quoniam in prioribus* 32. *c. de inoff. testament. lim.* 1. *num.* 11. *Molin. de J. et J. tr.* 2. *disp.* 177. *num.* 11. *Jo. Guttierez in c. quamvis de pact. lib.* 6. verb. *Nullum ad paterna bona regressum etc. num.* 20. Et mirum est *Berlichio* in tanto pretio esse *Glossam*, ut etiam textui praeferat. Et aliquot *DD.* qui pro contraria affirmante possunt allegari, non loquuntur de legitima portione in specie, sed in genere ac thesi, an usufructus patri possit adimi, de quo etiam casu seu thesi, non vero hypothesi nostra accipi possunt praejudicia quaedam allegata, licet etiam praejudiciis illis alia a *DD.* hujus sententiae allegata opponere possimus.

Auth. Item haereditas.

SUMMARIA

Alia exceptio, ubi filiofam. bona adventitia pleno jure acquiruntur. num. 1.
Ratio. 2.
Nonnulli ad alium casum decisionem hanc applicant. 3.

1 *Secunda exceptio.* Quando fratri frater succedit vel sorori, tunc id omne, quod acquirit, pleno jure sibi acquirit, quia Imper. loco ususfructus dedit patri partem virilem, *Auth. defuncto*
2 *supr. ad SCtum Tertull.* Rationem assignat Imperator hanc: Quod filius superstes oneratus est in eo, quod pater, qui antea per fratrem excludebatur, jure novo fuit admissus cum fratre, ideo filius in alio sublevatur, ne pater in por-
3 tione filii habeat usumfructum; quamvis igitur *Cothman. consil.* 48. *num.* 96. *vol.* 4. *et Du. Mevius part.* 2. *Jure Lubec. tit.* 2. *art.* 2. *num.* 125. *Dn. Richter dec.* 18. *num.* 10. tradant hujus *Authenticae* decisionem in aliis casibus, quando extraneo succedit, v. g. *(uxori)* cum filio obtinere; ab hac tamen recedit *Kohl. in const. March. quaest.* 14. *num.* 2. ubi pro sua sententia aliquoties pronunciatum esse meminit, et *Pruckman. cons.* 48. *num.* 160. *et num.* 109. *lib.* 1. quia ratio *Novellae* huic casui non convenit.

Auth. Idem est.

SUMMARIA

Tertia exceptio. num. 1.
Poena illorum, qui injuste faciunt divortium. 2.
An pater transiens in monasterium transferat simul commoditatem ususfructus ad vitam patris, quando monasterium est bonorum capax. 3.
Idem, qui in bonis maternis, etiam in lucris nuptialibus successionis ordo, et quinam? 4.
Filii in bonis aliis parentum praeter haec non habent hypothecam. 5.
Finito usufructu rationum redditio a parente exigi nequit. 6.
Sed alienatio patri est prohibita in his bonis, alias liberam in iis habet administrationem. 7.
Parens an teneatur Inventarium hoc casu conficere? 8.
Exceptio a regula, quae habetur in pr. hujus leg. 9.
An tacite hic ususfructus possit remitti, et quomodo? 10.
Emancipatus filius patri tertiam adventitiorum bonorum partem pro datae libertatis praemio ex constitutione Constantini *donare debet.* 11.
Correctum hoc ab Imperatore, et loco tertiae partis dimidia ususfructus substituta. 12.
An dimidia haec ususfructus etiam tacente et renunciante parente post mortem ejus ad filium revertatur? 13.
An etiam de quaerendis bonis intelligatur? 14.
An et quatenus filius ob administrationem bonorum adventitiorum in bonis parentis jus tacitae hypothecae habeat? 15.

Tertia exceptio, Quando lex parentum bona 1
ob id defert liberis, quod sine causa diverterint, *hic et Nov.* 134. *cap.* 11. Nam illi, qui injuste 2
divortium faciunt, traduntur in monasterium cum tertia parte bonorum, et liberis debentur duae partes tertiae, in quibus pater non habet usumfructum, et hic quaerit *Glossa: An pater,* 3
transiens in monasterium, transferat simul commoditatem ususfructus ad vitam patris, quando monasterium est capax bonorum? Quod *Doctores* communiter affirmant, *Pinell. ad d. l.* 1. *tit. praeced. part.* 1. *num.* 49. *Molina de justit. et jur. tr.* 2. *d.* 9. *num.* 16. *Jo. Franc. Balth. d. t.* 3. *res.* 3. *num.* 8.

§. 1. Legis sextae *hoc dicit,* quod idem ordo 4
successionis in his sit, qui in bonis maternis est, seu lucris nuptialibus, *supr. leg.* 4. *h. tit.* id est, in his succedunt primo liberi lucrantis, deinde frater germanus, deinde unilateralis frater, demum parens per *l.* 4. *h. t.* sed sicut illa, ita et *hic* §. *per d. Auth. defuncto etc.* correctus, ut ad *l.* 4. supra dictum.

§. 2. *Non autem*: Filiifamil. 1. non habent in 5
bonis aliis parentum hypothecam. 2. Nec pos- 6
sunt rationum redditionem finito usufructu postulare, *Gail. lib.* 2. *obs.* 72. *num.* 15. *et* 17. *Myns. cent.* 2. *obs.* 93. *num.* 5. - 3. Nec debent in 7
libera administratione bonorum patrem impedire; sola enim alienatio ipsorum bonorum adventitiorum patri prohibita est, et obligatio, quamvis fructuum liberam habeant alienationem, nec non eorum bonorum, quae ex fructibus compararunt. Et ideo ex *hoc* §. probari potest: Non 8
teneri patrem Inventarium conficere, cum hoc ad rationes reddendas requiratur, *Myns. d. obs.* 93. *Rol. de Valle in tr. de invent. quaest.* 26. *num.* 1. *Klock. vol.* 2. *consil.* 65. *num.* 26. Sed Inventarium requirit *Pinellus part.* 2. *d. legis primae tit. praeced. num.* 13. *Garcias de expensis cap.* 11. *num.* 65. *Dn. Carpz. part.* 3. *cap.*

10. *def.* 9. Sed consiliari possunt ex mente *Castillo d. tr. de usufr. cap.* 3. *num.* 88. *et Carpz. def.* 6. *num.* 13. quod requiratur consignatio aliqua bonorum, non solemne Inventarium. Quando et in quibus casibus tacita hypotheca liberis competat, de eo agetur in §. *fin.* In ver-
9 siculo: *Sin autem.* 4. Continetur *exceptio* a regula, quae habetur in *pr. h. leg.* Nam si pater usumfructum bonorum adventitiorum filio remiserit, plena proprietas filio manet, quilibet enim juri suo renunciare potest, *l. pen. C. de pact.* nec possunt haeredes patris vel avi filiumfamil. molestare. Nam tunc non valet donatio inter patrem et filium, quando aliquid de suo donat, non quando lucro legali renunciat, et non adquirit, *arg. l.* 5. §. 13. *ff. de donat. inter virum et ux. Ant. Gomez ad l. Tauri* 48. *num.* 9. *et lib.* 2. *resol. cap.* 4. *num.* 24. vers. *quarto infero, et Jo. Franc. Balth. d. res.* 3. *num.* 10. Sed
10 et tacite remitti posse usumfructum hunc, si pater permittat, filium uti suis bonis, quae tamen remissio effectum suum habet in fructibus perceptis, siquidem pater semper hanc revocare, et usumfructum atque administrationem recipere potest, *Gomez d. l. n.* 10. *Balth. n.* 11.
11 §. *Cum autem* 3. *Constantinus* constituerat, ut emancipatus filius pro praemio datae libertatis, tertiam partem bonorum adventitiorum
12 patri donaret, sed Imperat. loco tertiae partis substituit dimidiam, non proprietatis, sed usus-
13 fructus, quae dimidia usufructus etiam tacente et renunciante parente, tanquam vestigium patriae potestatis, manet, mortuo patre ad filium revertitur, additur ratio correctionis, in vers. *sic enim nec liberis etc. Enenckel. Baro de priv.*
14 *par. priv.* 4. *cap.* 5. *num.* 5. hoc de bonis quaesitis non quaerendis intelligendum, *Oldrad. cons.* 14. *Jason. in l. fin. num.* 28. *C. de pactis, Enenck. d. priv.* 4. *c.* 6. *num.* 14.
15 §. 4. Licet filius regulariter, ob administrationem bonorum adventitiorum, non habeat jus tacitae hypothecae, §. 2. *h. leg.* in quibusdam tamen casibus habet hypothecam, ut in secundis nuptiis patris, *l.* 6. §. 2. *C. de secund. nuptiis.* 2. Si dolose administret, ut hoc loco, et tunc hypotheca non incipit a tempore eo, quo male coepit administrare, sed a die, quo incipit administrare; quando vero pater non ut legitimus administrator jure patriae potestatis administrat bona, sed ut tutor administrat bona filii emancipati, tunc ejus ut alterius tutoris bona sunt pupillo obligata, per *l. pro officio Cod. de admin. tut.* ut recte distinguit *Berlich. part.* 1. *concl.* 67. *num.* 14. *et seqq.* et tunc etiam tenetur rationes reddere, ut tutor, *Castill. d. cap.* 3. *num.* 107. licet autem *Dn. Carpz. p.* 2. *const.* 22. *def. pen. hunc* §. ad bona materna restringat, puto tamen *hunc* §. generalius intelligi posse per verba, *In bonis caeterisque donationibus etc.*

L. Cum multa privilegia. 7.

SUMMARIA

In donatis filiofam. ab Imper. seu Augusta parentes usumfructum non acquirunt. num. 1.
Donata a Principe ad quasi castrensia referuntur. 2.
Quinam Principes intelligantur? 3.
Res a Principe donatae aliis fratribus conferendae non sunt. 4.

Quae Imperator vel Augusta filiofamil. vel fi- 1
liaefamil. donat, eorum nec usumfructum hi acquirunt parentibus, tum, quia pro quasi castrensibus habenda, tum quia Imperalis donatio aliquid praecipuum habere debet. Et est itaque haec 5. *Exceptio.* Collige: Donata a Prin- 2
cipe ad quasi castrensia referri, quia Princeps non praesumitur donare, nisi de republ. Arte vel Marte bene meritis: ergo aut erunt castrensia aut minimum quasi castrensia bona, *Hilliger. in Donell. lib.* 9. *cap.* 5. *lit. P. Forsterus lib.* 7. *cap.* 27. *num.* 7. Et hoc ad omnes 3
Principes superiorem non recognoscentes extendunt. Imo dixerim hoc ad imperii Principes omnino extendi debere. Et ideo tales res a Prin- 4
cipe donatae non sunt conferendae aliis fratribus, *Michulorius in tract. de fratribus lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 4. *et seqq.* quod intelligo, nisi intuitu parentis donata, nam tunc ad profectitia pertinerent, exceptis tamen donis baptismalibus. Foeminam etiam posse habere castrense peculium ex hoc textu infert *Baldus hic.*

L. Cum non solum. ult.

SUMMARIA

Haereditas filiofam. delata quomodo ipsi olim adquisita fuerit. num. 1.
Nova Constitutio. 2.
Sexta exceptio a regula in l. 6. pr. h. t. 3.
An filius in judicio sine consensu patris agere vel excipere possit? 4.
Triplex bonorum adventitiorum jus. 5.
Barbosa *notatur.* 6.
Haereditas ab extraneo relicta alicui filiofam. in potestate constituto, huic pleno jure acquiritur, si pater aditioni consentire noluit. 7.
An et quatenus idem sit in filiof. minorenne? 8.
Ampliatur principium hujus legis, *et extenditur etiam ad militem.* 9.
Quid juris in profectitiis hoc casu. 10.
Deciditur per distinctionem, an pater consenserit, nec ne? 11. 12.
An pater et quatenus hic actiones suscipere vel agere debeat? 13.
Pater usumfructum legitimum habens, secus quam alius usufructuarius non modicas sed magnas expensas ferre tenetur. 14.
Quid si onera haereditaria sint, an pater teneatur de suo usufructu solvere? 15.
Onera usufructus quaenam? 16.
Differentia inter usumfructum legalem et constitutum ab homine. 17.
Onus alendorum liberorum cur patri injungatur? 18.
Duo casus, quibus alienatio vel obligatio mobilium, imo etiam immobilium haereditariorum patri concessa. 19.
Cur filius de bonis adventitiis testari, aut inter vivos disponere nequeat. 20.
Proprietariis suam proprietatem, invito etiam usufructuario, citra tamen illius praejudicium, alienari licitum. 21.

An filius de iis bonis testari possit, quorum pater usumfructum non habet? 22.
An decisio haec etiam in majorenni filio locum habeat? 23.
Quid si haereditas filiofam. vel impuberi vel infanti delata? 24.
An si pater repudiaverit, filio id praejudicet? 25.
Quid si servus legetur filio ut statim manumittatur, an pater et usufructuarius hoc impedire possit? 26.

1 *Pr.* Si haereditas filiofam. delata, (vel alia bona adventitia) tunc olim haec non acquirebantur, nisi 1. filius adierit ipse, *l.* 15. *et* 10. *ff. de acquirend. haered.* et quidem 2. jussu patris, *l.* 25.
2 §. 1. *ff. d. tit.* Sed hic constituitur noviter, ut filio repudiante, possit pater acquirere, tam quoad proprietatem, quam usumfructum, vel patre repudiante, potest filius, si major 25. annis, acquirere, quoad proprietatem et usum-
3 fructum, atque ita est haec *Sexta Exceptio* regulae in *l.* 6. *pr. h. tit.* et utroque casu omne lucrum et damnum in eum transit, qui adit haereditatem, *Forst. lib.* 27. *num.* 8. *Enenckelius*
4 *Baro de privil. par. priv.* 3. *num.* 17. Sed poteritne *filius sine consensu patris in judicio agere vel excipere?* Neg. id videtur ex versic. *necessitate etc. in fin. princ.* ita, ut hoc casu consensus patris videatur necessarius ad actus judiciales, quamvis nonnulli *hunc versic.* ita intelligant, quod pater consentire, id est, in judicio pendente adversario edisserere debeat, an repudiet haereditatem. Sed prior intellectus literae convenientior est. Et consensus patris non requiritur hoc casu ob praejudicium patris, quod hic nullum est, sed ob solemnitatem judicii, quae non patitur filiumfamilias in judicio audire, ut *per cap. fin. de judic. lib.* 6. *loquitur P. Barbosa ad l.* 2. §. *fin. ff. sol. matr. num.* 20. Et videtur
5 Justinianus quasi triplex bonorum adventitiorum jus constituere in *hoc textu ejusque* §. *ult.* Nam 1. sunt quaedam, quorum ususfructus patri adquiritur, et in his solus pater agere et conveniri potest; 2. quaedam sunt quorum ususfructus patri non potest acquiri, et in his filius solus agere et conveniri potest; 3. quaedam vero sunt, quorum ususfructus acquiri potest patri, sed non acquiruntur, quia nolente et repudiante patre acquiritur filio, et quia haec mixtam naturam habent, voluit Imperator, ut ageret quidem filius, sed consentiente patre, *P. Barb. ad l.* 3. *et* 4. *ff. sol. matr. num.* 7. *et* 8. *Castillo d. c. num.* 15. Et hunc consensum etiam sequi posse actum, tradit *Afflictus decis.* 180. et hunc citans *Joan. Aloys. Ric. decis. coll.* 414. licet
6 dissentiat *P. Barb. d. l. num.* 9. Ita ergo haere-
7 ditas ab extraneo alicui filiofamil. relicta, adquiritur filiofamil. pleno jure, si pater aditioni consentire noluit, *Donell. lib.* 9. *c.* 2. *lit. Q.* Planum est autem, hanc legem patri tantum non matri usumfructum tribuere, *Cothman. vol.* 3. *cons.* 9. *per totum*, praecipue *num.* 24. Sed quid si filio instituto substituatur vulgariter?
8 §. *Sin autem* 1. Idem observandum, si filiusfamil. minorennis, nam et hic, recusante patre, potest adire, et recusante filio, pater potest adire, nisi, quod hic in primo casu, ubi patre recusante adit haereditatem filius minorennis, duo addantur I. Quod filius, si adeat repudiante patre et recusante, etiam ad administrationem bonorum adventitiorum debeat petere curatorem. II. Quod utroque casu habeat restitutionem in integrum, nam hic non adversus parentem, sed adversus aditionem et repudiationem restituitur, et itaque non obstat *l. fin. C. qui et adversus quos etc.* quae ex jure communi sunt nimis clara.

§. *Similique modo* 2. Hic §. 2. estendit *pr. hu-* 9
jus legis ad filiumfamilias militem, nam si miles recuset adire haereditatem castrensem, potest pater ut in paganicis bonis adire; quasi ipse esset institutus, ut ultimae voluntates faciliorem habeant exitum, *Enenkelius Baro d. priv.* 4. *cap.* 3. *num.* 17. vers. *quae de his dicta sunt.* Sed *quid in profectitiis?* Pone intuitu patris de- 10
latam filio haereditatem, pater non vult consentire filio, ut adeat, vel filius jubente patre non vult adire? Resp. Illo casu expectandum fi- 11
lio esse mortem patris, quod acerbum ipsi esse non potest, cum et consentiente patre, si adiret, sibi non adquireret: Posteriori casu per patriam potestatem posse compelli filium, *Enenckel. Baro d. c.* 3. *num.* 19.

§. *Ubi autem in unum* 3. Hactenus si dissen- 12
serit pater et filiusfamil. Sed quid si consenserint? Tunc pater habet usumfructum, filius nudam proprietatem, et quia haec sine fructibus nullum pro tempore commodum affert filio, ideoque pater ipse lites de haereditate movere vel excipere debet consensu filii, nisi hic infans vel absens sit. Nota bene: Quod pater 13
debeat agere vel suscipere actiones, id fit favore filii, quia nullos hic habet reditus ad expensas litis. Unde probatur, veram esse sententiam *Doctorum* receptam; Quod licet ususfructua- 14
rius alias tantum modicas ferre expensas teneatur non magnas, haec tamen distinctio in patre usumfructum legitimum habente non habeat locum, prout multos allegat *Garcias in tr. de expens. cap.* 11. *num.* 5. *et seqq.* nam facit ratio *hujus* §. unde filius poterit espensas magnas facere?

§. *Sin autem aes alienum* 4. Quid *si autem* 15
onera haereditaria sint? Resp. Distinguendo inter aes alienum et legata, illud solvendum ex venditione mobilium et his non sufficientibus ex immobilibus venditis, et sic non tenetur de suo usufructu solvere. Nam 1. Bona non intelliguntur, nisi deducto aere alieno. 2. Usurarum cursus alias adhuc magis diminueret haereditatem. Subjicitur poena, quod alias ex suis bonis pater usuras solvere debeat, unde probatur administratorem, ex cujus negligentia currerent usurae, de suo eas teneri solvere, *Salyc. hic.* Legata autem, sive quae semel solvenda, sive annalia ex reditibus solvenda, quamvis alias non usufructuarius, sed haeres solvere ea teneatur; Vid. *Hartm. Pistor. p.* 1. *quaest.* 10. ideoque videtur aliis id speciale in favorem filii constitutum, sed melius dici potest in omnibus annuis reditibus id esse intelligendum, quoties ususfructus omnium bonorum constitutus, sive a lege ut hic, sive a testatore, *Hartm. Pistor. d. q.* 10. *num.* 10. *plures refert*, unde enim is qui nudam proprietatem habet, annuos reditus solvere potest? Et ita *Salyc. hic et Garcias d. cap.* 11. *num.* 6. Reditibus non sufficientibus, ex mobilibus et tandem ex immobilibus, sterilibus tamen, sunt solvenda legata. Nota bene. Sterilia quaedam bona esse, ut aedes pretiosae, sed non inutilia. In versic. *hoc procul dubio*

16 continentur I. Onera hujus ususfructus: 1. Nam
pater debet alere mancipia: 2. Non potest deteriorem reddere conditionem proprietatis, *l.* 13. *pr.* §. 4. *et* 7. *l.* 15. §. 4. *l.* 65. *ff. de usufr.* II. Commoda: 1. quod non teneatur satisdare, ut alius ususfructuarius: 2. nec rationes reddere, *l.* 6. §. 2. *supr. h. tit.* quia hoc pugnaret cum reverentia patri debita. Colligitur etiam ex
17 hoc §. *ob aes alienum*, differentia inter usumfructum legalem et ab homine constitutum. In illo ob aes alienum ipse fructuarius conveniri potest directo, sed in alio constituto usufructu fructuarius non convenitur, sed proprietarius, *Petr. Barb. ad. l. maritum* 13. *num.* 21. Neque ad alienationem rei immobilis decretum judicis requiri *ex hac l.* probat *Fachin. lib.* 16. *contr.* 40.
18 §. *Ipsum autem filium* 5. I. Hic onus alendorum liberorum patri injungitur: 1. Propter fructus. 2. Propter ipsam naturam, qua pater alere liberos tenetur. 3. Quia etiam filius parentem alere
19 tenetur indigentem, ergo et contra. II. Duo casus recensentur, quibus alienatio vel obligatio mobilium, imo etiam immobilium haereditariorum patri concessa est. 1. Ob alimenta liberorum. 2. Si quaedam bona sint infructuosa et onerosa hae-
20 reditati: III. Prohibet Imperator, ne de bonis adventitiis filius testari, aut inter vivos disponere possit, ratio, *quia coarctandi juveniles calores, ne cupidini dediti, tristem sentiant exitum, qui eos post dispersum expectat patrimonium;*
21 quamvis alias proprietarii suam proprietatem, invito usufructuario, citra tamen illius praejudicium, alienare possint, *l.* 2. *supr. de usufr.*
22 Sed *an Filius testari potest de iis bonis, quorum pater usumfructum non habet?* Ut in *Authenticis superioribus.* Videtur quidem colligi a contrario sensu, ex verbis, *in quibus ususfructus apud parentes etc.* Sed cum haec tantum sit periphrasis adventitiorum, ideo communiter hoc negatur, per *l. pen. C. qui testam. Clarus* §. *testamentum quaest.* 18. *num.* 2. *Grassus d.* §. *quaest.* 23. *num.* 23. *Vasq. de leg. pot.* §. 22. *num.* 9. *et Fachin. lib.* 5. *cont.* 94. Sicut et in 23
majorenni filio, decisionem locum habere tradunt, quia saepe ratio decisione angustior, et filius juvenis dicitur respectu parentis, *Castr. hic num.* 3.

§. *Ubi autem puerilis aetas ult.* Quid *si autem haereditas filiofamil. impuberi vel infanti delata?* Resp. patrem posse solum adire, et ipsum solum etiam obligari creditoribus, sed filius, cum sui juris factus est et pubes, nihilominus potest recusare, obligato manente patre, ut in *l.* 4. *supr. si certum pet.* id est, potest petere restitutionem in integrum, sed contra hanc restitutionem aliam restitutionem petere non potest, licet alias possit, *l.* 7. §. 9. *ff. de minor.* Sed hic specialis ratio scil. reverentia paterna. 24
Sin vero pater repudiaverit, hoc filio non prae- 25
judicat, sed ipse filius sui juris factus, potest adire, et si impubes vel minor, potest hoc fieri per tutores vel curatores. In vers. *quae et in legatis etc.* Ea, quae de haereditate jam dicta, extendit ad legata et fideicommissa, et Quaer. *Quid si servus legatur filio, ut statim manu-* 26
mittatur, an pater impedire hoc possit usufructuarius? Neg. Quia esset ususfructus momentarius et frustraneus, ratio in *l.* 55. *ff. de solut.* De jure hoc parentum in bonis liberorum adventitiis, Vid. *Enenckel. de Privil. parentum priv.* 4. *Pinellus in pecul. tractatu, Jo. Franc. Balth. d. tit.* 3. *res.* 3. *Castillo. d. c.* 3. et alii.

TITULUS LXIII.

De haeredibus decurionum, naviculariorum, cohortalium militum, et fabricensium.

SUMMARIA

Intestato morienti Fiscus succedit. num. 1.
Excipitur, si corpus Fiscum praecesserit, cujus membrum defunctus fuit. 2.
Exemplo est Neuclerus seu exercitor navis. 3.
Quinam dicatur talis? 4.
Alia quamplurima exempla. 5.
An omne collegium licitum praeter haec quinque hoc casu succedere possit? 6.

1 Quando quis intestatus moritur sine liberis, parentibus, agnatis, cognatis, uxore, patrono,
2 succedit Fiscus, sed interdum Fiscum praecedit corpus, cujus membrum defunctus fuit, ut
3 I. Moriente Naviculario seu Nauclero, Novarcho
4 vel Exercitore navium, qui sc. publicas species vehebat atque annonas, si sine liberis etc. decesserit, succedit corpus naviculariorum, *l.* 1. *h. t. Barry lib.* 18. *tit.* 5. *num.* 6. Erat enim certum naviculariorum corpus, *l.* 1. §. 1. *ff. quod quisque universitatis nomine*, *l.* 5. §. *ult. ff. de jur. imm.* II. Si quis eorum, qui sub legione vel sub 5
vexillo uno vel cuneo militabant, sine haeredibus defunctus ad vexillationem deveniunt bona, *l.* 2. *h. tit. et l.* 6. §. 7. *ff. de injusto et irrito test. Barry d. l. num.* 7. III. Si Cohortalis, i. e. Officialis vel Apparitor praesidis provinciae, vel Praefectarius, i. e. Apparitor praefecti praetorio, sine haeredibus moriatur, succedunt Cohortales ejusdem provinciae remoto Fisco, *l.* 3. *h. tit. Barry d. l. num.* 7. IV. Mortuo decurione vel curiali intestato sine haeredibus, ordo sive curialis succedit, in qua is erat, *l.* 4. *h. tit.* V. Fabricensi mortuo, qui scilicet ex nominatione totius corporis in fabricis publicis receptus erat, et arma, hastas, sagittas, loricas, arcus etc. fabricabat, succedebat corpus fabri-

censium, *l. ult. h. tit. Barry d. l.* Sic VI. Clerico succedit ecclesia, *l.* 20. *C. de Episcop. et Cleric. Barry* d. *l. num.* 8. *Fagund. lib.* 6. *c.* 14. *num.* 8. *t. de J. et J.* Idem VII. In consortibus liberalitatis principalis, *l.* 1. *si liber. imper. socius etc. C. lib.* 10. Sed haec successio huc non pertinet, quia singularis, *Peregr. d. l. num.* 8. et habet etiam locum in feudis, *Rosent. de feudis cap.* 6. *concl.* 74. *Schrad. part.* 7. *c.* 1. *num.* 11. et tandem aliud exemplum in *l.* 3. *C. de ap-*
6 *parit. praefect. praetorio.* Quod vero *hoc in titulo*, de Navicularìis, Militibus, Cohortalibus, Curialibus, Fabricensibus, dicitur, de eo Quaeritur, *An ad omne collegium licitum extendendum?* Hoc affirmat *Tiraq. in tr. le mort etc. part.* 2. *declarat.* 15. *num.* 6. Sed hoc rectius negat *Schneidewius rubr. de success. Fisci num.* 20. quem citat *Hillig. lib.* 9. *cap.* 1. *lit. S. et Barry d. t.* 5. *num.* 10. quia frustra quinque Collegia expressissent Imperatores, si hoc omnibus tributum voluissent, quod et agnoscere videtur *Peregr. de jure Fisci lib.* 4. *t.* 3. *num.* 13.

FINIS LIBRI SEXTI